BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
44 . G
13

Digitized by Google

8.44.G.13

ANNI ECCLESIASTICI CONCIONATORII QUADRIPARTITI:

SEU

CONCIONUM PRÆDICABILIUM

IN DOMINICAS, ET FESTA, ET FERIAS PER totius Anni decurſum, ab Adventu ad Adventum,

TOMUS II.

AUTHORE

R. P. HENRICO SEYNENSI,

PRÆDICATORE CAPUCINO.

Opus univerſis animarum Rectoribus, & Divini Verbi Præconibus, & Catechiſtis, & Controverſiſtis utiliſſimum.

BIBL. CAP. ALBANI



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus IOANNIS WILHELMI FRIESSEM junioris.
Anno M. DC. LXXVII.
Cum licentiâ Superiorum, & Approbationibus.

Applicato alla Libreria de Capp.ni di Albano

ANNUS ECCLESIASTICUS CONCIONATORIUS QUADRIPARTITUS.

TOMUS II.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Matth. 4. 19. & 20.

ROmani, quorum præclara facinora texunt pulcherrimum hiſtoriæ, ſic potentes effecti magnanimitate ſuâ, ut omnes homines ditioni ſuæ ſubjeciſſent, cùm ipſorum civitas non videretur ampliùs niſi Pantheon, cujus unuſquiſque incola erat Deus, recenſentur ſic fuiſſe timidi in obſidione Syracuſarum, ut ad acceſſus quos faciebant ad mœnia illius, ſi ibi viderent aliquem funem, vel aliquod lignum factum in formam crucis, imaginarentur ſtatim id fuiſſe aliquam machinam Archimedis, quæ ipſos pavore & tremore concutiens, ipſos ad fugam ignominioſam capeſſendam compellebat: noſter S. Andreas præ ſe fert plus generoſitatis, & minus pavoris, cùm progrediatur, more leonis, ad intuitum ſanguinis: videns crucem quæ facit totum horrorem & timorem delicatorum, accedit ad eam præ tanto gaudio, præ quanto ſtudioſi honoris, & ambitioſi accederent ad thronos & ad coronas: unde de eo canit Eccleſia, *Cùm perveniſſet beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat exclamavit & dixit; O bona crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius qui pependit in te.* Vocatio potens, vocatio efficax, cùm, ſtatim ac Dei Filius ipſum vocavit, ipſe reliquerit univerſa, navem, & retia, & ſecutus fuerit illum ad primum tonum vocis ejus. Non fiunt ampliùs ſimiles converſiones, imò verò dato quòd aliquis Sanctus nos moneret: oportet ut Deus ipſe nos vocet, cùm homines nihil poſſint, vel mittat ad nos aliquem Angelum è cœlo, ſicut ab ipſo *miſſus eſt Angelus Gabriel in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo David: & nomen Virginis Maria: Et ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratiâ plena* a.

a Luc. 1. 26. &c.

Legimus in principio Geneſeos b, *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Obſervate, ſi placet, quòd ſcriptura ſacra, dicit, *ad imaginem.* Datur enim differentia inter eſſe imaginem Dei & factum eſſe ad imaginem ejus. In divinitate Filius Dei eſt imago Patris ſui, *qui eſt imago Dei inviſibilis* c. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* d. Sic ad hoc ut aliquid ſit imago alicujus, debet eſſe ejuſdem naturæ cū illâ: propterea homo non eſt factus niſi ad imaginem Dei: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* e. Cùm ſolum verbum ſit perfecta imago illius, prout habens eandem cum illo naturam, *imago in recto*, dicunt Theologi, cùm homo non ſit niſi *imago in obliquo.* Quòd ſi Pater æternus *quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* f: Inde ſequitur quòd reprobi non ſint facti ad hanc imaginem Dei, cùm ad hoc ut quis prædeſtinatus ſit, debeat conformari ad imaginem Filij ipſius: Quod ut intelligatur, S. Thomas ait g, *Imago Dei tripliciter poteſt conſiderari in homine. Vno quidem modo ſecundùm quòd homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum & amandum Deum. Et hæc aptitudo conſiſtit in ipsâ naturâ mentis, quæ eſt communis omnibus hominibus. Alio modo ſecundùm quòd homo actu vel habitu Deum cognoſcit & amat, ſed tamen imperfectè. Et hæc eſt imago per conformitatem gratiæ. Tertio modo ſecundùm quòd homo Deum actu cognoſcit, & amat perfectè. Et ſic attenditur imago ſecundùm ſimilitudinem gloriæ. Vnde ſuper illud Pſalmi, Signatū eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, Gloſſa diſtinguit triplicem imaginem, ſcilicet creationis, recreationis, & ſimilitudinis. Prima ergo imago invenitur in omnibus hominibus. Secunda in Iuſtis tantùm. Tertia verò ſolùm in Beatis.* Verbum Dei ſciens igitur, quòd ad hoc ut eſſemus è numero Electorum, oportebat ut eſſemus facti ad imaginem ipſius, id eſt, haberemus convenientias cum perfectionibus ipſius, & quòd in ſtatu corporalitatis in quo ſumus, non poſſumus ipſum perfectè imitari, cùm ipſum eſſet in cœlo, fecit ſicut agit Pictor, qui videns diſcipulos ſuos intimè non poſſe pervadere ipſius ideas, has delineat & exarat in tabulâ raſâ, ut ſerviant loco exemplaris, ut reddat facilius id quod ipſe vult docere; & ſtatim tyrones ipſius certatim contendunt illud imitari quàm poterunt proximè: eodem, inquam, modo proceſſit Verbum Dei: cùm eſſet Spiritus in æternitate, prout *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* h, *Spiritus eſt Deus* i; ſe fecit carnem in tempore, *Verbum caro factum eſt* k, *ubi venit plenitudo temporis* l. Et in hoc ſtatu ſocietatis confeſtim ac ipſum redegit in praxim virtutem, quam exigebat à nobis, Sancti, prout veri diſcipuli, conati ſunt æmulatim ipſum imitari, alij reclinatum *in præſepio* m, in ſtatu contemptus, de-

b Gen. 1. 27.
c Coloſſ. 1. 15.
d Hebr. 1. 3.
e Gen. 9. 6.
f Rom. 8. 29.
g S. Thom. 1. p. q. 93. a. 4. in corp citās Gloſſ. Ordin. in Pſ. 4 ex Caſſiod.
h Ioan. 1. 18.
i Ioan. 4. 24.
k Ioan. 1. 14.
l Gal. 4. 4.
m Luc. 2. 7.

n S. Bern. ſerm. 1. in Nativit. Dom.

preſſionis, & humiliationis. *Ama neſciri* n. Alii in ſtatu inopiæ & paupertatis, cùm dicat verbo, & confirmet exemplo, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* o: *Sicut egentes, tanquam nihil habentes* p. Alii in cruce & paſſionibus ipſius, ſicut S. Paulus, & Seraphicus Pater meus S. Franciſcus, qui de nullâ re gloriabantur, niſi de eo quòd deferrent ipſius inſignia: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* q. *Id eſt, ſigna vulnerum, & ſimilitudinem pœnarum Chriſti, baiulando crucem meam indeſinenter, & Chriſtum ſequendo, eiuſque paſſioni me pro viribus conformando*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r. Sed præ omnibus Sanctis dico quòd S. Andreas eſt proximè ſecutus & imitatus Jeſum Chriſtum, cùm finiverit & perfecerit vitam ſuam in cruce, *Ieſus tradidit ſpiritum* s: & quòd in eâ ad imitationem illius collocavit diſcipulum cum Magiſtro ſuo. Vt autem meliùs utriuſque convenientias vobis manifeſtem, iſtum diſcurſum divido in duas conſiderationes. In priori videbimus, quomodo Jeſus Chriſtus totam gloriam ſuam poſuit in Cruce. In poſteriori verò cernemus, quo pacto S. Andreas eſt imitatus cum proximè.

o Matth. 8. 20.
p 2. Cor. 6. 10.
q Gal. 6. 14. & 17.
r Dion. Carth art. 6. in Gal. 6. 17.
s Ioan. 19. 30.
Diviſio.
1. Pars.

Non eſt paradoxum, ſed veritas, quòd tota gloria Jeſu Chriſti erat in cruce: ipſe totam gloriam ſuam poſuerat in cruce. Ut lucem afferamus huic propoſitioni, debemus obſervare id quod docet Theologia, cùm tractat de ineffabili myſterio Incarnationis, aſſerens quòd Verbum Dei ab æterno beatum, & repletum gloriâ *in ſinu Patris* t ſui, ſe privat ea præ miraculo ſpeciali dilectionis ipſo inſtanti ſuæ conceptionis temporalis *in utero* u B. Virginis Matris ſuæ, deponit, ut alter David x, veſtimenta ſua Regia, hunc pompaticum ſtatum gloriæ, quem habebat in cœlo, *Amictus lumine ſicut veſtimento*, dicit idem David y de hoc Filio Dei: Et S. Paulus z, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit: formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: præ conſilio quo ſtatuerat venire oppugnatum & expugnatum Goliath inferni. Ingreditur igitur certamen iſte Dei Filius, incognitos & transfiguratus ſub veſtibus alienis, ad ſalvandos ſuos, præ exceſſu dilectionis affectans perdere ſemetipſum. Iſtud eſt igitur pro comperto, quòd Dei Filius ipſo ſuæ conceptionis in plenitudine temporis peractæ momento, ſe privavit gloria ſua præ miraculo incomparabili, quod reddebat ipſum beatum & miſerum ſimul: *Anima autem Chriſti in primo inſtante ſuæ creationis ac unionis cum Verbo erat verè ac fruitivè beata. Idcircò niſi ex divinæ diſpenſationis moderamine retracta atque dilata fuiſſet redundantia beatitudinis animæ eius in ſacratiſſimum corpus ipſius, omnes quatuor dotes corporis glorioſi fuiſſent in corpore Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti. Aliquando tamen fuit permiſſa, ſcilicet in transfiguratione*, dicit Dionyſius Carthuſianus a. Si ergo Dei Filius non habebat hanc gloriam, qua ipſe ſe privaverat, oportet ut ipſe quærat illam ibi ubi eam habet, & inveniat eam ibi ubi illam poſuit: Jeſus Chriſtus totam gloriam ſuam poſuit in cruce, & ſuſpirabat jugiter ad illius fruitionem: tota igitur ipſius gloria erat in cruce, cùm provectus ad annum ætatis ſuæ trigeſimum tertium, proponat iſtam Patri ſuo ſupplicationem, *Clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quam habui, priuſquàm mundus eſſet, apud te* b. Seu, juxta Tertullianum c, *Pater clarifica me eo honore, quo fui apud te, antequàm mundus eſſet. Ac ſi de cœlo deſcendit Verbum hoc tanquam Sponſus* d *ad carnem, ut per carnis adſumptionem Filius hominis illuc poſſet aſcendere, unde Dei Filius Verbum deſcenderat: meritò dum per connexionem mutuam & caro Verbum Dei gerit, & Filius Dei fragilitatem carnis adſumit, cum Sponſa carnem conſcendens, illuc unde ſine carne deſcenderat, recipit tam claritatem illam, quam dum ante mundi conſtitutionem habuiſſe oſtenditur, Deus manifeſtiſſime comprobatur*. Qualis eſt illa gloria? Eſtne fortaſſis illa, quam ipſe habebat in æternitate, ubi beatus erat, quatenus *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* e? Ipſe deſiderabat crucem, ubi tota hæc gloria incluſa erat, ſuſpirans ab ita longo tempore ad illius fruitionem, quaſi debuiſſet invenire totam quietem ſuam in poſſeſſione & fruitione illius, quæ totam facere debebat ipſius fœlicitatem, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur*? ait ipſemet apud S. Lucam f. Et apud Dionyſium Carthuſianum g, *Baptiſmo habeo baptizari, hoc eſt mihi incumbit & reſtat ex præordinatione divinâ, ut baptiſmo ſanguinis, ſcilicet proprij cruoris effuſione, inſtar aquæ, perfundar atque intingar in cruce pro totius mundi redemptione, & quomodo coarctor, id eſt, ſecundùm iudicium rationis ad paſſionem hanc vehementer afficior, tum ex amore divino, quo Patris honorem inſtaurari peropto, ut eius cœleſte Regnum adimpleatur, tum ex amore hominum, quo eorum ſalutem exopto. Hinc Chriſtus in noviſſima profeſſus eſt cœna, Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar* h. *Et Petro paſſionem diſſuadenti dixit, Vade retro me Satana, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt* i. *Itaque coarctor uſque dum perficiatur, hoc eſt, quouſque mea paſſio conſummetur, & dicam, Conſummatum eſt* k. *Chriſtus enim inceſſabiliter fuit in actu interiori dilectionis.* Ipſe deſiderabat crucem præ omnibus ardoribus poſſibilibus: propterea Judam, qui hanc ipſi procurat, ipſe vocat amicum ſuum, *Amice* l. Quin imò ait illi ut feſtinet exequi conſilium ſuum, *Et dixit ei Ieſus, Quod facis, fac citiùs* m. Cùm perfidus iſte jam vendidiſſet eum inimicis ipſius, *Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet* n. Jeſus Chriſtus ardet zelo erga crucem, & ſentiens illius horam appropinquare, tanto gaudio perfunditur ex hoc acceſſu, & ſic ingens eſt ipſius oblectamentum, cùm videt accedere ad hortum Olivarum illam catervam barbaram, quæ veniebat ipſum captum, ut ſe transfiguraveris, ſic ut milites ipſum agnoſcere non potuerint, ut ait Origenes o: *Dignum eſt quærere quam ob cauſam, cùm palàm docuiſſet Ieſus per ſingulas civitates & vicos, & Synagogas, prædicans Evangelij verbum* p, *ita ut fama eius exiret in omnem regionem, & ſecundùm faciem manifeſtatus eſſet omnibus habitantibus in Iudæa, quaſi non cognoſcentibus effigiem eius, dedit ſignum Iudas miſſis à Principibus Sacerdotum, dicens, Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt. Quid autem & ipſi qui venerant cum Iuda ad comprehendendum eum, frequenter eum vidiſſent, manifeſtatur ex eo, quod ipſe Ieſus dicit ad turbas. Quaſi ad latronem veniſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me: quotidie vobiſcum ſedebam in templo docens, & non tenuiſtis me. Similiter & Ioannes* q, *refert eum dixiſſe: Ego palàm locutus ſum huic mundo, ego ſemper*

t Ioan. 1. 18.
u Matth. 1. 18. & 21. & Luc. 2. 21. ex Iſai. 7. 14.
x 1. Reg. 17. 40. & c.
y Pſ. 103. 2.
z Philipp. 2. 6. & 7.
a Dion. Carth. art. 10. in Matth. 17. 2.
b Ioan. 17. 5.
c Tert. lib. de Trinit. c. 13.
d Ex Pſ. 18. 6.
e Ioan. 1. 18.
f Luc. 12. 50.
g Dion. Cath. art. 34. in Luc. 12. 50.
h Luc. 22. 15.
i Ex Matt. 8. 21.
k Ioan. 19. 30.
l Matth. 26. 50.
m Ioan. 13. 27.
n Matth. 26. 14. &c.
o Orig. tract. 35. in Matth. 26. 43. &c.
p ex Luc. 4. 15. & 5. 8. 1.
q ex Ioan. 18. 20.

docui

docui in Synagoga, & in templo, ubi omnes Iudæi conveniunt. Venit ergo traditio talis ad nos de eo, quoniam non ſolùm duæ formæ in eo fuerunt, una quidem ſecundùm quam omnes eum videbant, altera autem ſecundùm quam transfiguratus eſt coram diſcipulis ſuis in monte, quando & reſplenduit facies eius tanquam Sol r: ſed etiam unicuique apparebat ſecundùm quod
r ex Matt. 17. 1. & 2.
fuerat dignus. Et cùm fuiſſet ipſe, quaſi non ipſe omnibus videbatur. Et non mihi videtur incredibilis eſſe traditio hæc, ſive corporaliter propter ipſum Ieſum, ut alio & alio modo videretur hominibus: ſive propter ipſam Verbi naturam, quod non ſimiliter cunctis apparet, Si autem hoc ita ſe habet, poſſibile eſt ſolutionem eius invenire quod quæritur. Quoniam & ſi frequenter eum viderunt turbæ venientes cum Iuda, nihilominùs opus habebant propter transformationes eius, qui eum oſtenderet eis, habens notitiam eius familiariorem per multam commorationem cùm eo, ut intelligeret transformationes eius, ſecundùm quas ſuis apparere ſolebat. Hoc idem ſignificatur etiam per Ioannem Evangeliſtam o, ubi ſciens Ieſus quæ ſuperventura erant ei,
o ex Ioan. 18. 4. &c.
procedens foras, dixit. Quem quæritis? At illi dixerunt, Ieſum Nazarenum. Et dixit eis, Ego ſum. Et abierunt & ceciderunt retrorſum. Vides quia non eum cognoſcebant, cùm frequenter vidiſſent, propter transfigurationes eius. Satiofactio quâ ipſe perfunditur, videns accedere terminum ſuum, tanta eſt, ut prohibeat mulieribus Jeruſalem, ne lacrymas effundant
t Luc. 23. 28.
ſuper ipſum, *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me t.* Ideò quia præ triumpho ipſe ibat ad crucem, quæ ipſi debebat acquirere totam gloriam ſuam; *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam*
u Luc. 24. 26.
ſuam u? Etiam, Auditores, tanti Filius Dei æſtimat crucem, ut vocet S. Petrum Satanam, ſicut jam dixi, pro eo quòd vellet ipſum avertere ab ea: ipſe vehementer corripit illum velut inimicum fælicitatis ipſius, & contrarium gloriæ conſiliorum ipſius, quæ videtur hic Apoſtolus impedire velle zelo indiſcreto, qui procedebat ex ipſius ignorantiâ, & ex amore, quo ipſe afficiebatur erga Dominum ſuum: *Cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Ieroſolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens, Abſit à te Domine: non erit tibi hoc. Qui converſus, dixit Petro, Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi: quia*
x Matth. 16. 22. &c.
non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum x. Et ſi in anima ipſius aliqua gutta ſanguinis tenuit exire, ipſe expellit eam è corpore ſuo foras, ut ejiciat à ſe genus omne timoris; qui differre potuiſſet horam, ad quam ſuſpirabat ab ita longo tempore: *Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ*
y Luc. 22. 44.
ſanguinis decurrentis in terram y. Et quare putatis quòd ipſe lacrymas effundat in Nativitate
z Dion. Carth. art. 42 in Luc. 19. 41.
ſua? Nam, ſicut ait Dionyſius Carthuſianus z, *Lacrymatus eſt Ieſus in Nativitate ſua, ſecundùm Sanctos Doctores.* Nunquid quia ſe videbat expoſitum rigori moleſtiſſimo totius anni, &
a Luc. 2. 7.
ingenti paupertati; reclinatum *in præſepio a*, derelictum ab omnibus in hoc ſtatu paſſionis, quo videt ſe redactum? Nequaquam: ſed ideò quia ligatum ſe conſpicit, & iſte ſitus non eſt ille quem ipſe requirit, & quem
b Ioan. 19. 18.
habere debet in cruce b. Lacrymatur igitur in hoc ſtatu, qui non eſt expreſſio crucis ipſius.

Vagit Infans inter arcta
Conditus præſepia:
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat:
Et manus, pedeſque, & crura
Strictâ cingit faſciâ.

Sic ſuper monte Thabor ipſe faſtidit gloriam ſuæ transfigurationis. Etiam, Auditores: nolite arguere me propoſitionis iſtius: Videns quod gloria ſuæ transfigurationis inſurgebat in crucem ſuam, ipſe fert cùm faſtidio ſtatum ſuæ transfigurationis glorioſum: propterea Evangeliſta c utitur verbo paſſivo ad exprimendam
c Matth. 17. 2.
hanc transfigurationem, *Ieſus transfiguratus eſt.* Quod nobis oſtendit, quòd iſte ſtatus erat ei violentus, & quòd ipſe patiebatur illum cum faſtidio. Si aliquis poſt comparatum ſibi cumulum fælicitatis alicujus, ſuſpiraret ad aliam fælicitatem, nunquid non hoc eſſet evidens ſignum, quod bonum quod ipſe expectat, eſt ipſi utilius eo quod ipſe acquiſivit, & cujus habet fruitionem? Dominus noſter inter triumphum ſuum montis Thabor, in hoc ſtatu fælicitatis ſuſpirat ad paſſionem ſuam, quia pluris æſtimat gloriam crucis ſuæ, quàm pulchritudinem corporis ſui, & omnes prærogativas, quibus fruitur in hoc ſtatu fælicitatis. Et ſicut verus & fidelis amicus in abſentia dilecti ſui loquitur de illo: ſic Jeſus Chriſtus inter gloriam ſuam loquitur de dilecta cruce ſua, habet eam præſentem memoriæ ſuæ, quippe quam reſpicit ut objectum maximæ gloriæ ſuæ. *Dicebant exceſſum eius, quem completurus*
† Luc. 9. 30. & 31.
erat in Ieruſalem, dicit S. Lucas † de Moyſe & Elia, de quibus immediatè ante ait, *Et ecce duo viri loquebantur cum illo: Erant autem Moyſes & Elias, viſi in maieſtate.* Quod S. Chryſoſtomus d ita
d S. Chryſoſt. hom. 57. in Matth. 17. 6.
vertit, *Loquebantur de gloria, quam completurus erat in Ieruſalem. De cruce videlicet ac paſſione: ſic enim ipſam ſemper appellabant.* Cùm crux eſſet tota gloria ipſius. Sic jam jam proditionem ſuam executurus Judas *cùm accepiſſet buccellam, exivit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exiſſet, dixit Ieſus, Nunc clarificatus eſt Filius hominis e.*
e Ioan. 13. 30. & 31.
Id eſt, Nunc gloria Dei manifeſtabitur. Super quod ait Maldonatus f, *Crucis ſuæ victoriam clarificationem ſuam vocat, quòd ob eam datum ſit*
f Maldonat. in Ioan. 13. 30.
illi nomen ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum g. Sic Origenes, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theo-
g ex Philipp. 2. 9. &c.
dorus Mopſueſtienſis, Leontius, Theophylactus, & Euthymius, id eſt, Græci omnes Authores interpretantur: Inter Latinos etiàm Rupertus. Quærunt autem Cyrillus & Leontius, quomodo nunc ſe clarificatum, id eſt, clarificandum eſſe dicat, cùm tot ante miraculis ſatis ſuperque clarificatus eſſet. Reſpondent in hanc ferè ſententiam, eam claritatem, quam miraculis conſecutus fuerat, ſi cum ea compareur, quam poſteà victo per crucem hoſte conſecutus eſt, tenebras fuiſſe. Et verò ita eſt: nuſquam tam apertè eius divinitas, atque in cruce cognita eſt. Dubium quam hic intelligat claritatem. Cyrillus & Leontius intelligunt divinum honorem, qui humanæ naturæ Chriſti ex conjunctione cum divinitate acceſſit, ut non ſolùm Deus, ſed etiam idem ille homo qui Deus erat, ad dexteram ſederet Pa-
h ex Marc. 16. 19.
tris h: hanc ſe à Patre gloriam recepiſſe dicit, eandemque cum Diſcipulis ſuis communicaſſe. Etenim cùm illos per fidem, per charitatem, maximè verò, ut Cyrillus putat, per corporis ſui in Euchariſtia participationem, unum ſecum corpus effeciſſet, quidquid gloriæ ex divinitate corpori ſuo accedebat, & membris, id eſt, diſcipulis ſuis acceſſiſſe. Auguſtinus tract. 110: Beda, & Rupertus eam intelligunt claritatem, aut gloriam, quam in vita æterna erant habituri: eam enim & Filium à Patre, & à Filio Apoſtolos per æternam prædeſtinationem accepiſſe: quamvis re ipſâ

nondum Chriſtus ſediſſet ad dexteram Patris, neq; Apoſtoli ad eius perveniſſent poſſeſſionem. Et poſteà explicans hanc clarificationẽ de charitate Jeſu Chriſti erga diſcipulos ſuos, ſubdit, *Eam autem ipſam claritatem Filius Diſcipulis dedit, offerens ſemetipſum pro illis in mortem: mortẽ enim ſuam claritatẽ vocat; quia per eam & ipſe clarificatus eſt, & Patrem clarificavit,* ut infra i. *Deniq; Tolle à claritate literam unam, & ſenſum invenies.* Quaſi diceret, caritatem. Et Tertullianus k explicans hæc verba S. Matthæi l, *Acceperunt triginta argenteos pretium appretiati*, ſubdit, *vel honorati*. Quia Filius Dei nunquam invenit tantam gloriam in ullâ aliâ actione, quantam in paſſione & cruce ſuâ. Et quare non accuſat ipſe Judices ſuos, quos ſciebat non egiſſe niſi timore, & intuitu proprii commodi? *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris* m. Cur non ſatagit evocandum proceſſum ſuum, & manifeſtandam innocentiam ſuam. Quare non excuſat ſe apud Præſidem? Utquid non citat Teſtes? Et cur non convincit falſitatis eos qui falſa deponunt adverſùs ipſum n? heu! ſi cipſe dilationem attuliſſet cruci ſuæ, ideòque tacet, ut citiùs ad eam perveniat, quæ futura erat ipſius trophæum, juxta iſtud verbum S. Leonis o dicentis poſt Iſaiam p, *Cuius imperium ſuper humeros eius. Cùm erga Dominus ſignum portaret crucis, quod in ſceptrum ſibi converteret poteſtatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur fidelibus grande myſterium: quia glorioſiſſimus diaboli victor* q, *& inimicarum virtutum potentiſſimus debellator, pulchrâ ſpecie, triumphi ſui portabat trophæum, & invicta patientiæ humeris ſignum ſalutis adorandum Regnis omnibus inferebat.* Sic *prætereuntes blaſphemabant eum*, ait S. Matthæus r. Si enim tantiſper ſtetiſſent, vidiſſent eum ſuper cruce ſua veluti ſuper throno ſuo ſplendentem gloriâ. Crux igitur erat tota gloria Salvatoris: nam ſi ſponſa frui debet prærogativis ſponſi ſui, cùm Crux ſit Sponſa Jeſu Chriſti, quomodo non participaret gloriam ejus? Etiam, Auditores: iſtud eſt pro comperto, cùm Dei Filius ſe faciens hominem, à primo momento ſuæ conceptionis collocaverit in Cruce totam gloriam ſuam, quâ ipſe ſe privavit voluntariè, & præ miraculo t & ſic eam per Crucem ſuam recuperat, *Dominus regnavit à ligno* s. Petens igitur à Patre ſuo, ut ipſum clarificet in tempore eâdem gloriâ, quam habebat in æternitate t: intelligit ut hoc fiat per Crucem, in qua ſuſcepit ipſe gloriam ſuam, quia in ea agnita fuit ipſius divinitas, *Verè Filius Dei erat iſte* u. S. Andreas ad imitationem Domini ſui mori vult in Cruce: ipſe ponit totam gloriâ ſuam in Cruce, more Jeſu Chriſti, quod eſt videndum.

i ex Ioan. 21.19.
k Tert. lib. 4. contra Marcion. c. 40.
l Matth. 27. 9. ex Zach 11. 12.
m Ioan 19 12.
n Luc. 23. 2.
o S. Leo ſerm. 8 de Paſſ. c. 4.
p ex Iſai. 9.6.
q ex Oſee 13.14.
r Matth. 27.39.
s Pſ. 95.10. iuxta S. Aug. in Pſ. 95. 10. S. Cypr. de Mont. Sina & Sion. n. 49. & Tert. lib. 3. contra Marcion. c. 19.
t Ioan. 17. 5.
u Matth. 27.54.

II. Pars

Filius Dei qui exivit *à Patre & in mundum* x venit ad acquirendum eum Patri ſuo, voluit habere ſocios conſilij ſic fælicis: & primus eorum qui vocati ſunt ab eo, fuit S. Andreas, qui non priùs audivit vocem ejuſdem Jeſu Chriſti vocantis ipſum ad obſequium ſuum, cùm ſtatim reliquit omnia, navem, & retia, & ſecutus eſt eum, & illum ſic propè eſt imitatus, ut vixerit, & mortuus ſit eodem modo quo Dominus ſuus vixit, & mortuus eſt, alligatus cruci, quæ ipſi ſervivit loco throni patientiæ ipſius, & vice quietis doloribus ipſius. Et licèt Dei Filius dixerit indifferenter omnibus Apoſtolis, *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum* y: quàmvis reddiderit eos laborum ſuorum participes, & communicaverit eis crucem ſuam, *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis* †: ſeu *gloriam meam*, vel *crucem meam*, aut *Euchariſtiam meam*, ut vertunt aliqui, conformiter ad id quod ſupra dixit Maldonatus, cùm S. Andreas communicaverit ante mortem ſuam, juxta conſuetudinem Martyrum, qui ſacram Communionem ſuſcipiebant ante ſupplicium, ut ad illud animarentur, & paterentur illud majori conſtantiâ: tamen iſte favor eſt ſpecialior S. Andreæ, cùm habuerit crucem pro portione ſua, favor inſigniſſimus omnium. Verum quidem eſt, quòd ſtatim ac Salvatori *Simon Petrus dixit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi; reſpondens Ieſus dixit ei: Et ego dico tibi quia tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves Regni cælorum* z. S. Petrus moritur ſuper cruce *, tam amore, quam ad agendam pœnitentiam de puſillanimitate & negatione ſua a: ſed S. Andreas moritur dilectione, reſpiciens crucem ut objectum, in quo ipſe ſibi complacet. S. Joannes diſcipulus *quem diligebat* Jeſus, ſuſcipit in munus ab eo propriã Matrem ſuam. *Ecce Mater tua* b. Quid pretioſius Matre Dei? Sed S. Andreas plus recipit quàm illi, recipiendo Crucẽ, cùm crux ſit redẽptio B. Virginis, & totus honor Eccleſiæ. Sic S. Andreas non invidet S. Petro pro eo quòd habet Eccleſiam: nec S. Joanni pro eo quòd *recubuit in cœna ſuper pectus* c Salvatoris, & habuit Matrem ejus in pignus amoris ipſius: nec S. Thomæ pro eo quòd dixit ipſi Dominus ſuus, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum* d: ſicut in *Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis* e: nec Magdalenæ pro eo quòd *oſculabatur pedes eius* f. Cùm ipſe ſuſcipiat plus quàm omnes iſti, ſuſcipiens Crucem, quæ facit partem Jeſu Chriſti, quam ipſe ſemper eſt intuitus ut objectum dilectionis ſuæ, & motivum gloriæ ſuæ ſplendidiſſimum. In Scriptura ſequi eſt imitari: Salvator invitans homines ad ſe ſequendum, ait, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me* g. Atqui S. Andreas ſecutus eſt eum primus, cùm primus fuerit vocatus, *Dulcis Apoſtolus, & primitiva vocatio Domini Salvatoris, qui in ipſum Apoſtolicum chorum tanti prioratus inſignitur faſtigio*, dicit de eo S. Bernardus h. Si enim vita Apoſtolorum eſt expreſſio vitæ Jeſu Chriſti, cùm S. Andreas fuerit Apoſtolus, & primus in vocatione: meliùs eſt imitatus Jeſum Chriſtum in vita ipſius, ſed meliùs in morte ipſius, moriens inſtar illius, vel ad ejus exemplum, in quo ipſe conſtituebat totam gloriam ſuam.

x Ioan. 16. 28.
y Luc. 22. 29.
† Ioan. 17. 22.
z Matth. 16. 16. &c.
* Ioan. 21. 18. juxta S. Aug. tract. 123. in Ioan.
a 21. 16.
a Matth. 26.70. &c.
b Ioan. 19. 26. & 27.
c Ioan. 21. 20.
d Ioan. 20. 27.
e S. Greg. hom. 26. in Evang.
f Luc. 7.38.
g Matth. 16. 24.
h S. Bern. ſerm. 5. de S. Andr.

Salvatori cruci ſuffixo *Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, dicebant: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei* i. Sed ipſe noluit ex eâ deſcendere; & ideò noluit ex illa deſcendere, quia Deus erat, & agnitus ut talis, *Verè Filius Dei erat iſte* k. S. Andreas videns populum clamantem ad ipſum liberandum, rogat eum *vehementiùs, ne ſe ad optatiſſimam martyrij coronam properantem impedirent*, ſicut canit Eccleſia, quamdiu ipſe fortiùs amplectitur crucem, & ſe ſtrictiùs eſuriit. Jeſus Chriſtus duntaxat vixit in cruce tribus horis, *A ſexta hora uſque ad horam nonam* l. Et S. Andreas duobus diebus, *Itaque cruci affixus eſt: In qua biduum vivens pendens, & Chriſti fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migravit, cuius mortis ſimilitudinem concupierat*, canit eadem Eccleſia. Ratio iſtius eſt, quia crux non habebat aliquid amplius niſi dulce, cùm amiſiſſet id omne quod habebat ipſa crudele in morte Filij Dei, cùm pretioſus iſte calamus Divinitatis fuerit inſertus huic ſurculo naturæ noſtræ, *Tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam*

i Matth. 27.42.
k Matth. 27.54.
l Matth. 27 45. &c.

cathedra

cathedra fuerit Magiſtri docentis, ait S. Auguſtinus m. Ibi Jesvs Chriſtus ſic benè docuit, ut inimici ipſius, qui ipſum audierunt, coacti fuerint dicere, *Verè Filius Dei erat iſte* n. S. Andreas in cruce extenſus altiùs loquitur, ut chorda citharæ extenſa meliùs reſonat: nec mirum, ſi ipſe ſic audax eſt, & ſi magnanimiter accedit ad crucem, *Securus & gaudens venio ad te.* Jesus Chriſtus videtur eam timere, cùm patiatur illius agonem ex metu, *Et factus in agoniâ* o. Ratio iſtius eſt, quia ipſe fortitudine ſua ſe ſpoliaverat, ut daret illam S. Andreæ, cum accepiſſet ab eo & ab omnibus Martyribus id quod habebant infirmitatis. Jesus Chriſtus diligit crucem ſuam, ponit in ea totam gloriam ſuam: S. Andreas ad ejus imitationem ſimiliter amat illam ut totam ſuæ felicitatis cauſam. Cùm igitur S. Andreas propiùs ſit imitatus Jesum Chriſtũ, cùm mortuus fuerit, & totam gloriã conſtituerit in cruce nõ ſecus ac ipſe, dicamus quòd meliùs aſſimilatus eſt ei quã ullus alius, ideòque quòd ſimilior eſt illi in vita & in morte ipſius.

m S. Aug. tract. 119. in Ioan. 19. 26.
n Matth. 27. 54.
o Luc. 22. 43.

Poſthæc, Auditores, prodemuſne felicitatem noſtram, ut meliùs puſillanimitati noſtræ blandiamur? agemuſne delicatos poſt exempla ſic potentia? metuemuſne rigorem in ſubjecto, quod non producit niſi dulcedinem? Cùm fuerit crux inſtrumentum noſtræ ſalutis, Jesvs Chriſtus ibi reliquit dulcedinem, & inde cepit amaritudinẽ. Ad exemplum igitur Jesu Chriſti, & ad imitationem S. Andreæ, nunquid non diligemus cruces? nonne ſatisfactionem noſtram reperiemus in earum fruitione? annon conſtituemus in illis omnem fælicitatem & gloriam noſtram? nonne debemus æſtimare cruces ad imitationem Domini noſtri, & dicere ſinguli cum Apoſtolo p? *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Nunquid non crux debet eſſe columna, cui debemus inſeparabiliter eſſe alligati affectu? & terminus, quem nunquam debemus prætergredi? Crux regnare fecit Jesum Chriſtum, crux glorificavit eum, crux exaltavit illum ubique, cùm, antequàm ipſe pateretur in cruce, ferè ignoraretur ab omnibus, & ubique. Quis eum cognoverat per creaturas? Vix aliqui Philoſophi, ſed vana & ſterili cognitione q. Quis per minas & per ſupplicia? Vix Noë, qui ſolus *vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* r, tempore quo *factum eſt diluvium quadragintà diebus ſuper terram* s. Quis per miracula t? Vix parvus populus Iſraël, qui etiam aliquantò pòſt non ampliùs illum agnovit, *Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt* u. Quis per Scripturas, Legem x, & Prophetas? Vix exiguus angulus Judææ, *Notus in Iudeâ Deus, in Iſraël magnum nomen eius* y, Ubi etiam vigebat idololatria z. Sed per crucem ipſe ſe facit agnoſci, & exaltat nomen ſuum per quatuor angulos mundi: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum; & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur* a, *cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris* b. Crux exaltare Deum noſtrum debet, Auditores, in mente veſtrâ per fidem, in voluntate veſtrâ per obedientiam mandatis ejus præſtitam, in corde veſtro per charitatem, in corpore veſtro per mortificationem, veſtro *ſemper mortificationem Ieſu in corpore circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus* c veſtris, in dignitatibus veſtris per humilitatem, in bonis veſtris per contemptum mundi, cùm priùs diabolus eſſet exaltatus in mente veſtra per errorem, in voluntatẽ veſtra per deordinationẽ, in corde veſtro per ambitionem, in corpore veſtro per voluptatem, in dignitatibus veſtris per ſuperbiam, in bonis veſtris per cupiditatẽ: ſicut crux exaltet imperium Ieſu Chriſti, reddat eum victorem de omnibus, & faciat eum agnoſci ut Deũ, *Dominus regnavit à ligno* d. Quippe qui totam conſtituit ibi gloriam ſuam.

p Gal. 5. 14.
q Rom. 1. 19. &c.
r Gen. 6. 9. &c.
s Gen. 7. 17. &c.
t Exod 25. 1. &c
u Exod. 32. 8.
x Exod. 20. 1.
y Pſ. 75. 2.
z Tob. 1. 5.
a ex Iſai. 45. 25.
b Philipp. 2. 8. &c.
c 2. Cor 4. 10.
d Pſ. 95. 10. iuxta S. Aug. ut ſuprà, &c.

Primum in unoquoque genere, eſt regula & menſura cæterorũ, dicit proloquium Philoſophicum. Atqui Jesus Chriſtus eſt primus hominum, *Primogenitus in multis fratribus*, ait Apoſtolus e. Crux debet eſſe eorũ regula & menſura; omnes homines ſe cõformare & menſurare debent ad *Ieſum Chriſtũ, & hunc crucifixum* f, prout primum & regulam omniũ aliorum, & habere convenientiam cum illo: *Nam quos præſcivit*, id eſt, Pater æternus: *& prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* g. Sed quænam eſt hæc imago? Ipſa, eſt imago dolorum, paſſionum, & crucis: & in hoc ſtatu ut veræ imagines habere debemus convenientiam cum prototypo noſtro, hoc eſt, deferendo crucẽ: in paſſionibus erimus vivæ expreſſiones illius, imagines dolorum ejus: imitari debemus eum in paupertate, *in laboribus* h, *in opprobrijs* i, in contemptibus, humiliationibus, afflictionibus, & paſſionibus ipſius; diligere crucem ipſius, ad ipſius imitationem, ſi participare velimus fœlicitatẽ ipſius, & comunicare gloriæ ipſius, *Si compatimur, ut & glorificemur* k. Ad hoc ut quis ſalvetur, & fruatur iſtâ gloriâ, debet eſſe Chriſtianus: eſſe autem Chriſtianum, eſt ferre crucem ſuam, more Jesu Chriſti, nec ullus eſt paradiſus ſine cruce, licèt ſint cruces ſine paradiſo, qualis fuit crux mali latronis l, & quales ſunt cruces impiorum, impatiẽtium, & peccatorum, *qui quaſi aquam iniquitatem* m *bibunt*, invenientes cruces in impietate ſua, *dicẽtes intra ſe, Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles* n. Renuntiate ergo Baptiſmo, in quo renati eſtis *ex aquâ & Spiritu ſancto* o, vel diligite cruces: unũ enim ſupponit alterum; omnes Sancti tranſiverunt per iſtam viã p, biberunt iſtum *calicem quem* q bibit Salvator, qui per eum pervênit ad cœlum: *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* r? Cœlum privat vos eo quod plurimùm diligitis, id eſt, liberis veſtris, divitiis veſtris, interventu infortuniorũ, proceſſuum, infirmitatum: patienter agite, ſicut fecit *Iob, & dixit, Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictũ* s. Crux eſt ſtipendium Chriſtianiſmi, profeſſio noſtra nos obſtringit ad eam ferendam, niſi deſerere velimus hanc eminentẽ qualitatem Chriſtianorum, quam poſſidemus, & renuntiare ſpei, quam habemus poſſidendæ conſequenter hæreditatis cœleſtis: *Beati qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnũ cælorum* t. Spiritus ſanctus non viſitat nos niſi cum cruce, & ſi Deus eſt nobiſcum, ſi pollicetur nobis auxilium, ipſum ſpecialiter invenimus in tribulationibus & in crucibus, *Cum ipſo ſum in tribulatione* u. Et ſi unquam obſervaſtis eos, qui deferunt cruces, ubi eſt Imago Spiritus ſancti, appenſas collo; hoc eſt, quia Spiritus ſanctus venit ſemper cum crucibus, & Spiritum ſanctum veluti cruci alligamus, niſi libenter cruces amplectamur, *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei*, ait nobis S. Paulus x. Hoc eſt contriſtare Spiritum S. eumque veluti cruci ſuffigere, ac repellere cruces. Auferte cruces, patibula, & equuleos; & aufertis id quod eſt ſplendidiſſimũ in Religiõe noſtra: eripite rotas, & gladios;

e Rom. 8. 29.
f 1. Cor. 2. 2.
g Rom. 8. 29.
h Pſ. 87. 16.
i Thren. 3. 30.
k Rom. 8. 17.
l Luc. 23. 39.
m Iob 15. 16.
n Sap. 5. 6. & 7.
o Ioan 3. 5.
p Hebr. 12. 12. &c.
q Matth. 20. 22. & Ioan. 18. 11.
r Luc 24. 26.
s Iob 1. 20. & 21.
t Matth. 5. 10.
u Pſ. 90. 15.
x Epheſ. 4. 30.

& eripitis ornamentum pretioſiſſimum Chriſtianiſmi: ejicite cruces; & non habemus Agathas, Agnetes, Lucias, Catharinas, & Cæcilias: eliminatæ craticulas & carbones y; & non habemus Laurentios; procul amandate lapides z; & non habemus Stephanos: tandem, ſi auferuntur cruces, auferrur ab Eccleſiâ S. Andreas. Crux facit Martyres: crux examinat Confeſſores; Crux exercet Virgines; crux eſt id quod eſt auguſtiſſimũ in Chriſtianiſmo; deniqoe, crux facit totam gloriam JESV Chriſti, licèt ipſe ſit *Rex gloriæ* a, imò verò *Deus gloriæ* b. Utquid ergo non ſuſcipiemus libenter cruces à Deo, qui mittit illas ad nos? *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus* c? Cruces non accidunt nobis caſu, ſed è manu Dei, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* ait Amos d. Loquitur Propheta de malo pœnæ, non autem de malo culpæ, alioquin Deus eſſet anthor peccati: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, ait illi Pſalmiſta e.

y Pſ. 16. 3
z Act. 5. 58 & 59.
a Pſ. 23. 10
b Act. 7. 2.
c Iob. 2. 10.
d Amos 3. 6.
e Pſ. 5. 5.

Forſan dicetis, quòd libenter ſuſtineretis cruces, ſi eſſent criminoſæ, ſed quòd tollere non poteſtis eas innocentes, ſeu quòd deeſt vobis animus ad portandas cruces, quas non meruiſtis demeritis veſtris. Sed quàm immodica eſt veſtra cæcitas! Peto à vobis: JESUS Chriſtus eratne ſuffixus patibulo infamiæ, patiebaturne ibi injurias criminoſas, vel innocentes? Reſpondete mihi: Nunquid non Ipſe erat ipſamet Innocentia vel ex ipſa depoſitione dæmonis? *Scio qui ſis, Sanctus Dei* f. Non vultis pati cruces, niſi eas merueritis? Non vultis igitur imitari Chriſtum, qui ex ea fecit totam gloriam ſuam, nec ſequi S. Andream, qui deſideravit eam ut cauſam ſuæ fælicitatis. Imitemur, Auditores, JESUM Chriſtum, conformemus nos Apoſtolo ejus, diligamus cruces, faciamus ex illis motivvum gloriæ noſtræ: *Empti eſtis pretio magno*, dicit nobis S. Paulus g. Quaſi diceret, interventu crucis. Per hanc nobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* h.

f Marc. 1. 24.
g 1 Cor. 6. 20.
h Pſ. 83. 12

DOMINICA I. ADVENTUS.

Virtutes cælorum movebuntur, Luc. 21. 26.

Dixit Dominus ad Moyſen, Aſcende ad me in montem, & eſto ibi. Surrexerunt Moyſes & Ioſue miniſter eius: aſcendeſque Moyſes in montem Dei, Senioribus ait: Expectate hic donec revertamur ad vos. Ingreſſusque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem. Exod. 24. 12. &c.

ILle profectò magno ratiocinatus eſt judicio, & ingenti locutus eſt prudentiâ, qui dixit viros bellicoſos & magnanimos utplurimùm præbendis idoneos non eſſe conſiliis, ideòque non eſſe conſulendos in rebus gravibus, quia ſanguis eorum ebulliens, ardorque illorum bellicoſus impedit ne adducant in conſilium quidnam ſit ipſis agendum, ſed ſtatim in arenam velint deſcendere, non cogitantes de eventuum incertitudine, nec meditantes quænam comitentur res difficiles pericula, in quæ cæco ruunt impetu, ita ut in eorum præcipiti animo perſæpè nihil deprehendatur quod non ſit temerarium. Viri pariter conſultores & providi, non ſunt ſuſcipiendis gravibus negotiis apti, nimio quippe percelluntur metu. Bonum conſilium ait, conſtituendum eſſe pontem aureum hoſtibus, ne externo rigore, quem præbet illis jus belli, irritati, in ultimæ deſperationis redigantur anguſtias, & ſic peſſumeant cum iis qui ipſis nimiam inſerunt violentiam. Bellicoſi viri victoriam nolunt ſemireportatam; aut illam concupiſcunt penitus relatum, aut omnino amiſſam. Ita verum eſt viros generoſos tradendis aptos non eſſe conſiliis; nec viros conſultores eſſe perſæpè bellicoſos. Sociandæ ſunt iſtæ duæ qualitates ſimul fortitudo & conſilium, ut fœlix omnibus negotiis impendatur ſucceſſus. Vocatus Moyſes à Domino ad miſcendum cum ipſo colloquium de rebus ſpectantibus populi ſui commoda, convocat conſilium Joſue & Seniorum Iſraël. Joſue erat vir bellicoſus, Moyſes verò erat vir conſiliarius, *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* a. Moyſes, quo repræſentatur conſilium, & Joſue, quo figuratur fortitudo, *in montem Dei* aſcendunt ſoli, etiamſi Joſue ſtiterit in monte, & Moyſes ad cacumen uſque pervenerit, ut obſervat Cornelius in textum noſtrum. *Sed quid eſt, quòd ſolus Moyſes iubetur aſcendere, & pauci cum eo Seniorum Iſrael?* Petit Thomas à Kempis b, & reſpondet, *Nimirum paucitas perfectorum, & altitudo vitæ contemplativæ in hoc exprimitur: quoniam maxima multitudo hominum, circa terrena & ſenſibilia magis amat converſari. Nullus tamen verticem montis aſcendit, nec medium caliginis, in quâ Deus erat, intravit, niſi ſolus Moyſes, ſpeciali gratiâ à Domino vocatus, & ad ſe introire iuſſus, cui dicitur: Aſcende ad me in montem, & eſto ibi. Vocatur per gratiam, aſcendit per obedientiam, manet per ſtabilem perſeverantiam. Non expedit aſcendere niſi præveniente gratiâ, quæ mentem ab omni infimâ delectatione levet: & tunc oportet tractum gratiæ ſequi uſque ad ſinibilem unionem Dei: & ibi ab omni conſideratione quieſcere, donec iterùm Domino præcipiente, ad charitatis opera deſcendatur. Deſcende, inquit Dominus, peccavit populus tuus* c. *Devotio apud Deum eum tenebat, periculum populi cedire ad externa cogebat. Aſcendit per contemplationem, deſcendit iterùm per compaſſionem. Charitas Dei ſurſum trahebat, charitas proximi deorſum revocabat* eum, qui ſpirituales *aſcenſiones in corde* d noſtro diſponendas, deſcenſiones unde priùs diſpoſuerimus, per contemplationem indicabit in hoc Adventu, æquè ac de monte à Domino juſſus deſcendere, deſcenſum ad actionem præ noſtris ponet oculis.

a Num. 12. 3.
b à Kempis 2. part. tom. 1. Meditat. 15.
c ex Exod. 32. 7.
d Pſ. 83. 7

Evangelium hodiernum dicit quod *Virtutes cælorum movebuntur*. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus e, *Quidam per Virtutes cælorum intelligunt Angelos medij Ordinis, mediæ Hierarchiæ Angelicæ, ad quos ſpectat (ut dicunt) miracula facere: idcircò tunc movendi dicuntur, quia præ ſolito progredientur ad faciendum ſupernaturales tranſmutationes in creaturis.* Intelligamus hæc verba tranſmutationum ſupernaturalium myſticè de tranſmutationibus ſpiritualibus peragendis mediâ gratiâ, quâ erat repleta Maria ad hæc verba, *Ave Maria.*

e Dion. Carth. art. 42. in Luc. 21. 26.

Certum

Certum eſt nihil eſſe magis ſummum, quàm ſit Monarchia. Democratia tot conſtituit Superiores, quot ſunt capita quæ volunt imperare. Sed Monarchia unicum duntaxat agnoſcit ſupremum Principem, qui tamen ſuo ſanctiori dirigitur Conſilio. Quin imò Deus ipſe, qui ſua ſemper agit Sapientia, qua *omnia in menſura, & numero, & pondere* f diſponit, voluit ut homines omnes deſcenderent ab Adam ut à principio g, quod nobis oſtendit Monarchiam, & perfectionem hujus ſupremi dominii. Calvinus impius ille hæreſiarcha in Galliam introducere tentavit democratiam, quæ illius jactura fuiſſet æquè ac omnimoda diviſio. Ego autem exiſtimo idem cenſeri debere de ſtatu Politico, ac de Eccleſiâ, cujus omnia membra coadunata ſunt ſub eodem Capite h; corpus non poſſe eſſe niſi monſtrum, ſi ſit inſtar hydræ; authoritatem diviſam eſſe principium Schiſmatis; lineas non poſſe meliùs uniri quàm in idem conveniendo centrum; & unicum ſufficere dirigendæ navi Nauclerum. Et quia Caput Eccleſiæ viſibile errare poſſet ut Doctor aut perſona particularis, ideò ſuum habet Sanctius Conſilium ex eruditiſſimis & ſapientiſſimis viris plurimis coaleſcens.

f Sap. 11. 21.
g Gen. 4. 1.
h Epheſ. 1. 22. & 23.

Nunquàm ritè ſuſcipiuntur conſiliis deſtituta negotia, nec ſuſcepta ſine conſilio, benè ad exitum perducuntur; & ideò dicitur ad propoſitum iſtud fortitudo Samſonis non fuiſſe ſita in nervis, ſed in cæſarie i ipſius; & quòd ſatis fuerit ad infirmandum eum ut raſi fuerint ei crines capitis ipſius; conſilium enim, cujus iſta pars eſt ſymbolum, multò magis exequitur quàm violentia; & ſalutaria monita virorum ſanæ & integræ mentis in numero exiguo conſtitutorum antecellunt generoſitatem & fortitudinem totius exercitus; cùm conſilium conſequatur ſuper fortitudinem, quæ eo eſt deſtituta, id, quod Ulyſſes ſuper gigantem Polyphemum. Philippus verò Rex Macedonum minoris faciebat ruinam civitatum peractam armis, quàm induſtriâ, quæ eſt propria hominis fortitudo, cujuſque gloriam non dividunt Duces cum militibus.

i Iudic. 16. 7.

Introducere videtur Moyſes k Deum veluti conſilium ineuntem ad operandam hominis creationem, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Sed, ut verum fatear, Deus à nemine capeſſit conſilium; & debemus credere de conſilio ejus, ſicut de ſcientia illius, eum non ratiocinari; nec inferre concluſiones ex præmiſſis, ſed illum præmiſſas videre in concluſionibus, & effectus in cauſis illorum. Idem eſt aſſerendum de conſilio ejus; cum non ſumere conſilium niſi ex ſeipſo; ſi enim ſui negotia Regni in conſilium adduceret, ſi ſuper rebus dubiis deliberaret, nihilque notabile aggrederetur quin illud primis ſtatus ſui communicaret Conſiliarijs; hæc congregatio Senatorum, quos inſumeret ad occurrendum calamitatibus, in quas incidunt imperia, quæ ad unius tantùm diriguntur nutum, inſimularet eum ignorantiæ, quæ non poteſt illi attribui ſine ſacrilegio, nec de eo cogitari abſque blaſphemia. Deus nullum ſumit conſilium, ait S. Thomas l, (cùm ignorantem conſilium deceat) ſi uſurpemus conſilium pro lenta deliberatione, quam comitatur ignorantia & incertitudo, cujus nullo eſt ipſe capax modo; cùm vel ipſæ res, quæ videntur nobis maximè fortuitæ, eveniant non ſecus ac ille prævidit, & cùm ipſe, qui *omnia, antequàm fiant* m, novit, nihil poſſit addiſcere. Sed quia diſcuſſio negotii dubiis ſuper illud exortus aſ-

k Gen. 1. 26.
l S. Thom. 1. p. q. 19. art. 1. ad 1.
m Dan. 13. 42.

ferre ſolet lucem, & nihil perfectiùs cognoſcimus quàm id, quod à plurimis fuit examinatum & maturè perpenſum, dicimus quòd Deus *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* n, ut exprimamus infallibilitatem ſcientiæ ejus, & ſapientiam intellectus illius increati, qui ordinat omnia, ut dum in ſuis unquam decipiatur notitijs. Cùm igitur *Deus ait, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; ideò, quia facturus hominem, in gradum ſic excelſum debebat eum evehere, ut vel ipſis incutere deberet admirationem Angelis, qui viderent eum ſic approximare ad Divinitatem, quam non niſi à longè & præ maxima intuentur ipſi reverentia. Tota Trinitas Sanctiſſima concurrit ad fabricandam ejus gloriam. Pater æternus per ſuam potentiam dans illi eſſe cum lapidibus, motum cum plantis vegetativum, ſenſum cum brutis, & intelligentiam cum Angelis. Filius præbens illi totum quod ipſe habet, ut ſumat omne quod illius eſt; efficitur ipſe homo o, ut faciat illum Deum; & dici poteſt per communicationem idiomatum, Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Spiritus verò Sanctus veluti Author gratiæ p, tribuens ei ſanctificationem, qua introducat eum ad gloriam.

n Epheſ. 1. 11.
o Ioan. 1. 14.
p 1. Cor. 6. 11.

Repræſentat nobis igitur Moyſes Deum veluti ſumentem conſilium, etiamſi conſilio non indigeat Deus capeſſendo; ut edoceamur conſilium ſumere, cùm eo indiguerimus in rebus dubiis. Quanto perfundemur oblectamento! cùm rarò quis erret ſumpto conſilio. Si autem nos errare contigerit, nobis non imputabitur culpà ſolis, cùm ſit communis pluribus conſiliarijs; alioquin quod evenit boni ſine conſilio prævio, æſtimatur Fortunæ caſus. Quin imò illi qui ſuſcipiendo conſulti conſenſiſſent negotio, inconſulti ſuſceptum vituperant, ut ſe ulciſcantur de contemptu quem ſunt perpeſſi, non vocati ad conſilium; & opprobria illius ſic ſunt publica, ut eximia virtus quælibet ijs obſcuretur. Sed magnâ cumulatur conſolatione quicumque munijs præpoſitus eſt publicis, cùm exonerare ſe poteſt ſuorum infælicitate negotiorum ſuper ſuorum numerum conſiliariorum; Honori ejus nihil detrahitur ex ruinis ſuorum propoſitorum; magni ducitur ejus generoſitas, ſi victoriæ illius erigi non poſſint triumphi; totque homines ad eum concurrunt excuſandum, ut totum crimen Fortunæ adverſæ ſit aſcribendum. Ideò Moyſes præpoſitus populo Iſraelitico dirigendo, inſpiratus à Deo, cogit conſilium Seniorum, & vocatus à Deo, *ingreſſus medium nebulæ*, qua involvebatur veluti quodam cœlo rotundo, *aſcendit in montem*, ibique Deum meliùs conſulit: Ut diſcamus in dubiis noſtris debere nos conſilium petere è cælo; & edoceamur. Primò ex motu ejus, debere nos conſilium ſumere ab alijs, nec aliquid proprio nutu unquam agere: Secundò ex ejus rotunditate, illud teneri nos capeſſere à viris perfectiſſimis.

Diviſio.

Circa numerum cœlorum in varias diviſi abierunt Philoſophi opiniones. Alii unicum duntaxat admiſerunt cœlum. Alii duos conſtituerunt. Alii verò tres eſſe crediderunt. *Scriptura* q *in primo die cœlum & terram facta declarat duo hæc elementa. Secundo firmamentum aquæ factum, & nihilominùs ipſum firmamentum cœlum appellatum fuiſſe teſtatur. David* r, *autem dicit de cœlis ita: Laudate Dominum cœli cœlorum, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt. Paulus* s, *atque Apoſtolus uſq; ad tertiũ cœlum ſe raptũ fatetur*, ait Philaſtrius t, Epiſc. Brixienſis. Cui

I. Part.

q ex Gen. 1. 1. &c.
r ex Pſ. 148. 4. &c.
s ex 2. Cor. 12. 2.
t Philaſtr. lib. de hæreſib. de cœlorum diverſitate, hæreſ. 46.

Digitized by Google

u Ambr. in Pſ. 36.

Cui numero ternario conſentit S. Ambroſius u, juxta eadem Apoſtoli verba Mathematici octo conſtituunt cœlos mobiles, ſeptem Planetarum, & octavum ſtellarum, id eſt, firmamentum. Alii admittunt nonum, propter motum octavæ ſphæræ ab Occidente in Orientem. Aſtrologi addunt decimum, ob motum trepidationis in eâdem ſphærâ. Alii eos undecim eſſe credunt. Alii tandem duodecim illos conſtituunt. Quoad materiam eorum, Alii noluerunt eam eſſe ſpiritualem, quod eſſe non poteſt, quia ſic gloriæ capax foret. Alii igneam illam eſſe crediderunt. Quoad formam verò illorum, Alii imaginati ſunt, cœlos eſſe animatos propter motus ſuos ſic regulares, quod tamen non eſt verum, cùm non habeant animam vegetantem, nec ſenſitivam, nec rationalem, quæ tres animæ informant in naturâ quidquid eſt vitæ capax. Si verò cœli animâ non potiantur rationali, quæ ipſos informet, non poſſumus tamen inficiari, ſaltem quòd ipſi præ ſe diſpoſita ferant organa, quæ ſpecioſam exigerent animam, cùm ſpecioſa corpora ut plurimùm pulchris informentur animabus. Auditum habent, alioquin Propheta x. eorum attentiones non efflagitaret, *Audite cœli quæ loquor.* Cor ferunt in medio corporis conſtitutum, ſicut Princeps in medio ſuo poſitus eſt Regno; & paſſiones habēt quæ ex eo procedunt. Admirationem, *Obſtupeſcite cœli* y. Gaudium, *Lætentur cœli* z. Linguam, *Cœli enarrant* a. Eàque utentur ut tubâ ad terreodos impios, *Annuntiabunt cœli juſtitiam ejus* †; Pedes habent; motus eorum ſic rapidi nobis eos oſtendunt. Manus habent, quæ fabricant tonitrus: Et niſi timerem ne contradicerem mihi, quaſi aſſererem eos judicio præditos, *Stabilivit cœlos in prudentiâ* b, *qui fecit cœlos in intellectu* c, ait Scriptura ſub alio ſenſu. Ecce formoſum corpus, Auditores, en ſpecioſa organa, quæ tamen animam non habent niſi alienam & peregrinam, formam aſſiſtentem, & non informantem, nimirum Intelligentiam, ut ajunt Philoſophi, quæ regulat & dirigit ipſorum motum. Sed unde oritur ut Deus illis facultatem non impertiatur movendorum ſui ipſorum, & ut ſint principium curſus ſui? nedum ſuam emendicent directionem & moderationem à cauſâ ſuperiori, & motus ſuos ab Intelligentiis quæ illis ſunt præpoſitæ. Ideò ut diſcamus, quòd ex nobis ipſis non poſſumus nobis præbere conſilium, & quòd debeamus exire ea nobis, illud aliunde efflagitando. Potuiſſet, ſi voluiſſet, hanc virtutem, & hunc motum omnibus cœlis imprimere; ſed illis propriam denegavit moderationem, ut in ſui ipſorum directione indigerent Intelligentiis. Vult Deus ad exhibendam nobis infirmitatem noſtram, ut in dubiis noſtris recurramus ad alios, à quibus conſilium capiamus, ſicut Angeli inferiores indigent lumine ſuperiorum, & præter ſuam propriam virtutem, aliam habent dirigendo cœlo ſibi commiſſo accommodam, quaſi verò propria non fuiſſet ipſis ſufficiens, & ſatis ſapientiæ ipſi non haberent ad ſui ipſorum directionem, nedum alienum adhiberent conſilium, quod à ſuperioribus expoſceret Intelligentiis; quod edocet nos, nihil unquam debere nos aggredi quin priùs ſapientiores nobis homines conſuluerimus, & dubia noſtra illis propoſuerimus, ita ut nihil noſtro perſagamus nutu. Quod enim unus non obſervat oculus, plures id obſervant oculi; & quod ſpecialis ignorat ratio, id plures agnoſcunt mentes, quæ ſeſe invicem illuminant per ſuorum concurſum judiciorum.

x Deut. 32. 1.
y Jer. 2. 12.
z Pſ. 95. 11.
a Pſ. 18. 2.
† Pſ. 49. 6.
b Prov. 3. 19.
c Pſ. 135. 5.

Simul concertant Medici ut remedia inquirant morbo periculoſo, quo anxiatur æger, conſona; & curare ſatagunt infirmitatem, quæ artem ipſorum examinat per effectus, qui variis attribui poſſunt cauſis: Unuſquiſque eorum mavult ſibi conciliare partem gloriæ, quæ ipſi evenire poteſt ex ſanitate ægro reſtitutâ, quàm eam conſequi integram expoſitus periculo errandi, ſi ſolus curam ægroti ſuſcepiſſet, cùm ſic dicere non potuiſſet, ſe erraviſſe unà cum aliis. Omnes rationes in uno non ſunt concluſæ capite; & Deus permittit ſæpè ut ſapientiſſimi vel homines in graviſſimos labantur errores, ut ſibi ipſis diffidant ſemper, & declinent à præſumptione, quæ ſibi notam dedecoris inferri crederet, ſi alieni conſilii emendicaret lumina. Nemo hallucinetur. Nullus eſt ſic gerendorum hujus ſæculi negotiorum peritus, qui non indigeat conſilio ſapientiſſimorum virorum in pertractandis graviſſimis illis negotiis plures facies præ ſe ferentibus, quarum altera ſe abſcondit ſemper quamdiu una ſe exhibet intuendam. Unica lampas non ſubminiſtrat omnem lucem neceſſariam, medias inter obſcuras noctes, quibus ſe committunt imprudentes, neſcientes quò vadant, & in quas ſe projiciunt illi qui perire volunt, nedum deplorandum ſuum intueantur naufragium. Philautia, amor proprius nos miſerandâ percellit cæcitate, nec permittit ut clarè noſtra intueamur negotia, *Senſibile ſupra ſenſum poſitum non facit ſenſationem,* ajunt Philoſophi. Neceſſarium nobis eſt conſilium alienum, ſi glorioſum negotiorum noſtrorum ſortiri velimus effectum. Filii Iſrael ſic fælices in proſpero ſucceſſu omnium propoſitorum ſuorum, ac exacti erant in nihil peragendo temerariè & abſque conſilio, nihil aggrediebantur unquam quin illud petiiſſent. Saül verò primus eorum Rex conſuluit Deum d, ut diſcat exitum certaminis, qui cùm ipſi ita citò non reſponderet, ut oblatæ ſatisfaceret ſupplicationi, jejunium præcepit auſterum & rigidum obſervandum ſub pœnâ imprecationum & maledictionum incurrendarum ab illis qui illud violarent, ejuſque ſe tranſgreſſores exhiberent, *Adjuravit autem Saül populum, dicens, Maledictus vir qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis. Porrò Ionathas non audierat cùm adjuraret pater ejus populum: extenditque ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis: & convertit manum ſuam ad os ſuum.* Quod cùm audiſſet Rex, damnavit eum ad mortem, *Et ait Saül, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* Miſerandus iſte Princeps in querelas prorumpit innumeras, & voces promit miſeratione dignas. Heu! oporteretne ut filius Regis mortem oppetat ob crimen ſic exiguum? *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu meâ, paululum mellis, & ecce ego morior?* Heu! quantum rigorem in patre. Sed quantam infælicitatem infligendam filio! Ratio ſeveritatis illius eſt, quia Rex credebat, quòd unicum peccatum impedire poſſet conſilium cœli, unde totum ſuum expectabat ſubſidium.

d 1. Reg. 14. 18. &c.

Si verò Deus iraſcitur, ideò præſertim quia ſua contemni intuetur conſilia. Sic per ſuum queritur Prophetam e, *Conſilia mea ſpreverunt.* Unde autem exiſtimatis ortas fuiſſe tot infælicitates inflictas civitati Jeroſolymitanæ, tantam crudelitatem quæ non erat ex minimis omnium, videre à matribus proprios comedi liberos, ſic ingentem deſolationem, tot profanationes? quas lamentatus eſt ſpiritu Prophetico Jeremias f,

e 4. Eſdr. 1. 7.
f Thren. 5. 4.

Omnes

Digitized by Google

APPROBATIONES, ET FACVLTATES.

Approbationes Theologorum Ordinis.

EGo Frater Angelus è Salâ Concionator Capucinus ex commisſione Reverendi admodum Patris Stephani è Cæſenâ Generalis noſtri, perlegi, & cum totâ quâ potui diligentiâ ſeriò examinavi ſecundum Tomum Libri, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, à Reverendo Patre Henrico Seynenſi ejuſdem Ordinis noſtri Concionatore compoſiti; in quo nulla occurrerunt Orthodoxæ Fidei diſſona, & bonæ doctrinæ adverſantia: quia omnia quæ in ipſo continentur, Scripturæ ſacræ teſtimonio, ſanctorumque Patrum authoritati ſunt innixa; & ſpero futurum ut Opus hoc Reipublicæ Chriſtianæ multùm ſit profuturum; quapropter dignum ut typis mandetur ipſum fui arbitratus. Datum in Conventu noſtro Vcetienſi, die 13. Iunii, anno 1675.

F. ANGELVS è Salâ Concionator Capucinus.

EGo Frater Marcellus Regienſis Concionator Capucinus, & Confeſſor Capucinarum Monaſterii Maſſilienſis, de mandato admodum Reverendi Patris Stephani à Cæſenâ Ordinis noſtri Miniſtri Generalis, Tomum II. Libri, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, ab admodum Venerabili Patre Henrico Seynenſi Concionatore Capucino compoſiti accuratiſſimè legi & perlegi, huncque non ſine animi oblectatione evolvi. Et cùm nihil Fidei Orthodoxæ, bonisque moribus diſſonum redoleat, ſed ſuaviſſimum ſanæ doctrinæ, omniumq; virtutum ſpiret odorem: ideò illum meritò utiliſſimum & jucundiſſimum futurum ſpondeo, typiſque mandandum cenſeo. Datum Maſſiliæ in Conventu noſtro die 2. Septembris 1675.

F. MARCELLVS Regienſis Concionator Capucinus, aliàs Profeſſor Theologiæ.

Facultas Admodum Reverendi Patris Generalis.

Admodum Venerabili in Chriſto Patri Henrico Seynenſi Prædicatori Capucino F. Stephanus à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licet immeritus, ſalutem in Domino.

CVm Pater Provincialis Provinciæ noſtræ S. Ludovici mihi fidem fecerit de reviſione & approbatione Concionū Paternitatis tuæ, quas typis mandare peroptas; cùmq; ad hunc effectum tibi neceſſarium ſit ire Pariſios: idcircò tenore præſentium, & ad meritum ſanctæ obedientiæ indulgeo, ut unà cum ſocio ab eodem Patre Provinciali tuo aſſignando illuc te conferre, ibiq; morari valeas uſquedum opus fuerit pro impresſione earundem Concionum tuarum. Poſtmodum in tuam Provinciam redibis cum benedictione Domini, apud quem memor ſis meî in orationibus tuis. Romæ 24. Septembris 1675.

Locus † Sigilli.

F. STEPHANVS Miniſter Generalis.

CON-

Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

EGo infraſcriptus Provinciæ ſancti Ludovici Fratrum Minorum Capucinorum Provincialis, licèt immeritus : Viſâ indulgentiâ admodum Reverendi Patris Stephani à Cæſenâ ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, quâ conceditur admodum Venerabili Patri Henrico Seynenſi ejuſdem Ordinis, & prædictæ Provinciæ Prædicatori , ut typis mandari faciat Librum à ſe conſcriptum, cui titulus eſt, *Annus Eccleſiaſticus Concionatorius Quadripartitus*, à Theologis ejuſdem Ordinis examinatum, & approbatum , æquo animo conſentio , ut iſte Liber à prædictis Examinatoribus Reipublicæ Chriſtianæ proficuus futurus judicatus, in publicam poſſit prodire lucem, dummodò ſerventur ea quæ de Iure ſervari ſolent. Datum in noſtro Conventu Vapingenſi, die 6. Novembris 1675.

Locus † Sigilli.

F. THEODOSIVS Provincialis.

Altera Facultas Admodum Reverendi Patris Generalis.

Admodum Venerabili Patri in Chriſto P. Henrico Seynenſi Concionatori Capucino, F. Stephanus à Caſenâ ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, licèt immeritus, ſalutem in Domino.

CVm Paternitas tua Coloniæ Agrippinæ typis mandare ſtatuerit quoddam Opus à te compoſitum , ac propterea à me licentiam poſtulaveris illuc eundi ad effectum prædictum, aſſentiente etiam tuo Patre Provinciali: idcircò tenore præſentium, & ad meritum ſalutaris obedientiæ indulgeo, quatenus Coloniam Agrippinam te conferre, ibique morari valeas unà cum ſocio à Patre Provinciali tuo aſſignando quandiu opus fuerit pro impreſſione dicti operis. Pergas igitur cum benedictione Domini, & vale , meî memor in orationibus tuis apud divinam ejus Majeſtatem. Datum Genuæ 2. Septembris 1676.

Locus † Sigilli.

F. STEPHANVS Miniſter Generalis.

Alter Conſenſus Reverendi Patris Provincialis.

Admodum Venerabili Patri Andreæ Salonenſi Sacerdoti Capucino Frater Theodoſius Aquenſis, ejuſdem Ordinis , & Provincialis Provinciæ ſancti Ludovici, licèt immeritus, ſalutem.

CVm oporteat ut aſſignemus ſocium A. V. P. Henrico Seynenſi Prædicatori Provinciæ noſtræ, ſecundùm poteſtatem nobis traditam ab A. R. P. Generali in literis obedientialibus ab eo nobis exhibitis ex parte illius, ut faciat imprimi librum ſuum Coloniæ Agrippinæ, virtute præſentium, & ad meritum ſanctæ obedientiæ aſſignamus te ad hunc effectum , & tibi permittimus ut diſcedas cum illo. Datum Aquis-Sextiis 22. Septembris 1676.

Locus † Sigilli.

F. THEODOSIVS Provincialis.

ANNVS

Omnes portæ eius deſtructæ : Sacerdotes eius gementes : Virgines eius ſqualida , & ipſa oppreſſa amaritudine. Unde, obſecro, proceſſerunt tot homicidia, quæ Hiſtorici ſtylo deſcribunt ſic lugubri, ut Lectorem excitet ad fundendas lacrymas, quibus deplorandum lugeat ejus infortunium? In promptu ratio iſtius eſt, *Conſilia mea ſpreverunt.* Quia hæc civitas noluit capeſſere conſilium ; incolæ ejus erant prudentiâ deſtituti æquè ac judicio , *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent* g. Sanè hoc eſt habere magis quàm granum ſtultitiæ , ut dicitur, ac contemnere conſilia; illud eſt omnia profligare ac illa renuere; id eſt clauſis oculis incedere media inter præcipitia; & ſuam amare infælicitatem, cùm non effugitetur id, quod eam poſſet avertere. Defectus prudentiæ incolarum numeroſæ hujus civitatis, lacrymas eruit ea oculis Christi, qui *videns civitatem, flevit ſuper illam , dicens, Quia ſi cognoviſſes & tu* h Idcircò quia nullum ceperant conſilium, cujus privatio debebat eſſe cauſa ruinæ ipſorum. *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia,* &c. Unde autem creditis, Auditores, provenire tot confuſiones in familiis, tot diſſenſiones, tot infælicitates, & perſæpè tot dedecora, tot ſcandala, totque cauſas movendorum diſcurſuum famæ earundem injurioſorum? *Gens abſque conſilio.* Id provenit ex defectu conſilii ; unuſquisque ad ſuum agit nutum ; filius iſte uxorem ducit inconſultis parentibus, ſolo puellæ alicujus amore ductus ; falſis ſe decipi ſinit apparentiis ſpeciei ementitæ ; nullum capit conſilium niſi ab imaginatione ſuâ depravatâ , quæ more falſorum conſpiciliorum exhibet intuendas nobis res aliter quàm ſint in ſe. Heu! quid mirum igitur ſi ſucceſſus ſunt ita funeſti , cùm initia nihil valuerint? *Gens abſque conſilio.* Pater ambitioſus ſuum vult evehere filium ad gradus, ad honores, ad officia, & ad dignitates, in quibus conſumi debet inſtar papilionis præ ſplendore candelæ accenſæ; eum vult elevare ad Prioratum, ad Abbatiam, ad mitram Epiſcopalem, ſi poſſit, & tamen his omnibus eſt inidoneus ; & inde innumera oriuntur ſcandala, & ex iſtis aliis cadet locis præ tanta confuſione, quantâ in ea aſcenderat vanitate. De illo promiſcui miſcebuntur in circulis deriſus , digito demonſtrabitur non ſecus ac aliàs illa muſca, quæ torquem auream collo deferebat circumdatam. Ha! mereturne illa pretioſiſſimum omnium portare metallorum? Unde autem oritur hæc cæcitas? Ex defectu conſilii. *Gens abſque conſilio, & ſine prudentiâ.* Unuſquiſque ſuo ſe gerere vult modo, & ſic in innumeros impingitur defectus. Conſilium nobis eſt ſumendum ; cœlum id nos edocet ; & figura ejus rotunda inſtruit nos, ſumendum illud eſſe à perfectiſſimis.

g Deut. 32. 28. & 29.

h Luc. 19. 41. & 42.

II. Pars. Divarſæ fuerunt opiniones circa figuram cœlorum æquè ac circa eorum formas. Alij crediderunt eos fuiſſe figuræ ovalis. Alij figuræ veluti latæ. Alij figuræ formam diſci aut paropſidis, referentis. Sed maximè ſana opinio , quam ſequitur torrens omnium Patrum, eſt, propriam figuram cœlorum eſſe ſphæricam & rotundam veluti omnium figurarum perfectiſſimam. Experientiâ quotidianâ conſultâ comprobamus hanc veritatem , cùm videamus gyrare ſtellas verſùs polum ſemper in eadem ac æquali diſtantia. Præterquàm quòd figura ſphærica eſt omnium abſolutiſſima, veluti majorem præ ſe ferens convenientiam cum mundo Archetypo, qui eſt Deus, cuius eſſe eſt veluti rotundum , cùm principio careat æquè ac fine, quippe qui ſit æternus i, & quaſi ſphæra, cujus centrum ubique deprehendatur, circumferentiam verò nullibi ſit invenire. Ex hâc igitur figurâ rotundâ omnium perfectiſſima diſcimus quemnam debeamus conſulere , nimirum, Deum, qui eſt bonorum Pater conſiliorum , magnus *Conſiliarius* k. Proponere debemus ei omnia dubia noſtra, ut illorum ſolutionem ab illo deſumamus, *Fili ſine conſilio nihil facias* l. Sic ut habeatur aqua pura, haurienda ea eſt ex propria origine; accedere debemus ad fontem lucis m, ut ritè illuminemur ; & ſi velimus bonum conſilium nobis comparare, deſumendum eſt illud à Deo, frequentando Sacramenta.

i Dan. 13. 42.

k Iſai. 9. 6.

l Eccli. 32. 24.

m Pſ. 35. 10.

Non oportet ut in neceſſitatibus corporeis conſtituti , & morbis laborantes, recurramus tantùm ad plantas, ad pharmaca, ad remedia , ſoloſque conſulamus Medicos & Pharmacopolas, nedum conſilium ſumamus à Deo, qui juſta exacerbatus ira de hoc contemptu queritur per ſuum Prophetam n, *Conſilia mea ſpreverunt.* Et perſæpè ob punitionem talis criminis, ſuam remedijs non impertiens benedictionem , efficit ut illis hæc ſint inutilia. Ad eum igitur eſt nobis recurrendum, nec agendum more Regis Ochoziæ, qui periculoſa decumbens ægritudine , conſulendum ſtatuit Beelzebub, ad quem *miſit nuntios, dicens ad eos, Ite, conſulite Beelzebub deum Accaron , utrùm vivere queam de infirmitate mea hac.* Iraſcitur Deus ob talem contemptum, & de hujuſmodi injuria ſibi illata vindictam relaturus, intuitus ſe poſtpoſitum deo falſo Beelzebub, mittit ad eum Prophetam Eliam , qui diceret ei, Ipſum è ſuo non deſcenſurum cubili, niſi ut in ſepulchrû efferretur, quaſi verò non eſſet Deus in Iſraël, nedum conſuleretur Beelzebub, *Hæc dicit Dominus, Nunquid quia non erat Deus in Iſraël, mittis ut conſulatur Beelzebub deus Accaron? Idcircò de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris* o. Non geramus nos eo modo, Auditores, quin imò recurramus ad Deum in neceſſitatibus poſiti , ſumamus conſilium ab eo, cùm ipſe ſolus ſuppetias & opem ferre nobis poſſit, cùm alia nobis omnia deerunt auxilia. Voluntates ejus ſunt nobis notæ in Scripturis, quæ inſtruunt nos ijs, quæ debemus agere, aut à quibus tenemur declinare, *Declina à malo , & fac bonum* p. Per eas notitiam conciliamus nobis mediorum congruorum tradendo ſælici ſucceſſui omnibus conſilijs noſtris ; illæ ſunt organa Dei, & per eas cognoſcimus id quod ipſe à nobis exigit , *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere* q. S. Paulus ſcribens Philemoni, ait ſe, ipſo inconſulto noluiſſe quidquam ſuſcipere , *Sine conſilio autem tuo nihil volui facere* r. Sic eſt , Auditores ; *Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti* s, qui *raptus eſt in Paradiſum : & audivit arcana verba , quæ non licet homini loqui* t ; S. Paulus qui vidit & audivit ineffabilia dum adhuc cum hominibus viveret ; S. Paulus *ſecus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis , æmulator legis* u, ſic peritus, & ſic elevatus, petit tamen conſilium ab inferiori , nec aliquid vult aggredi , quin illud ei communicaverit. Nos verò Deum conſulere non dignabimur, in aliquibus conſtituti neceſſitatibus , quaſi verò Deo inconſulto, illis providere poſſemus?

n 4. Eſdr. 1. 7.

o 4. Reg. 1. 2. &c.

p Pſ. 36. 27.

q Ioan. 5. 39.

r Philem. v. 14.

s 1 Cor. 1. 1.

t 2 Cor. 12. 4.

u Act. 22. 3.

Miſeranda Agar dimiſſa ab Abraham, & ab eo ejecta domo cum filio, ut complaceret Abraham uxori ſuæ Saræ, quæ pati non poterat ut affectus viri ſui forent diviſi: *cùm abyſſet in ſolitudine Berſabee* x errans, advertens filium ſuum Iſmahelem ſiti pereuntem, Heu! bona iſta mater immodico compaſſionis movetur affectu erga filium ſuum, conſiderans eum in hunc miſerum ſtatum redactum, & ſiti æſtuantem, ac penè exanimem; & deinde videns circùm circà arbores denſas & vireſcentes aquè ac herbas terræ, filium ſuum extremum vitæ halitum jam efflare paratum his alloquitur terminis, Heu! fili chariſſime tibi valedico & proteſtor quòd ſi mortem oppetas, ea non eſt imputanda Deo, qui à te ſuum retraxerit auxilium; ſed potiùs peccatis meis, quæ ſunt cauſæ interitus tui. Has ego intueor magnas & procêras arbores, quas Deus conſervat & irrigat à multis temporibus, tu non es minùs creatura Dei, quàm ſint illæ, *Saturabuntur ligna campi* y. Aut, *ligna Dei* (ut verſio fert apud Lorinum z, qui addit, *Paraphraſtes tranſtulit hic, Arbores, quas creavit Dominus. Saturandi autem verbi nota metaphora eſt, ejuſdem rationis cum eâ, quâ potari dicuntur, aut bibere ſenſu carentes plantæ.*) Vale igitur fili mi; non enim ita funeſtum perpeti ego poſſum ſpectaculum: *Dixit enim: Non videbo morientem puerum.* Sed affectu ductæ materno poſt peractos aliquos greſſus ut caput & terga verteret, *aperuit oculos ejus Deus: qua videns puteum aquæ, abiit, & implevit utrem; deditque puero bibere.* Quod ſanè fuit ad remunerandã ejus fidelitatem, & præmiandum recurſum, quem habuit illa ad Deum, ut dum conſilium efflagitaret alienum.

x Gen. 21, 14. &c.

y Pſ. 103. 16.

z Lorin. in hunc locum.

Res prorſus eſt indubitata, quòd, ſi aliquando miſeriæ nos opprimunt & infœlicitates utplurimùm, hoc aliunde non provenit, niſi ex eo quòd Divinum non capimus conſilium in aggrediendis propoſitis noſtris. Sed ſicut Deus nihil agit immediatè, ſed ſuarum interventu creaturarum, v.g. illuminat nos per Solem, calefacit nos per ignem, & nos ſuſtentat per alimenta, &c. Sic quærere debemus perfectiſſimos omnium & maximè illuminatos in viâ cœli, ut efflagitemus ab eis conſilium in dubiis noſtris reſolvendis; nec agere more Roboam Regis Iſrael a, qui ob auſcultatum conſilium pravum quorundam nebulonum, amiſit ſuum Regnum, præ deſpectu ſalutarium monitorum, quibus conſultores probi æquè ac providi hortabantur ipſum ut manſuetudinem adhiberet erga populum, cùm ſuavitas hominum ſibi conciliet corda, non autem ſævitia. Perfectiſſimi igitur eorum omnium, quos conſulere debemus, quique magis accedunt ad figuram cœli ſphæricam & rotundam, ſunt Sacerdotes. Propterea modus ſedendi eorum, cuſtodiendo ſecreto eſt magis idoneus; ſedent ergo, cùm ſint figuræ ſphæricæ & rotundæ, quandiu vel ipſi ſtant Angeli, *Seraphim ſtabant* b. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei* c. Sed Sacerdotes ſedent, *Cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim* d. Præterquàm quòd Sacerdotes magis accedunt ad Deum, majori inſtructi ſunt ſcientiâ, & ampliori vigent ſanctitate, quàm polleant alii, *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt* e. Quæ duæ qualitates, nimirum, ſcientia, & vitæ probitas; ſunt neceſſariæ ad hoc ut bonum habeatur conſilium. Sacerdotes igitur ſunt veluti Angeli Dei in terrâ, & ad eos ut tales recurrere debemus, ut ab eis noſtrorum ſolutionem deſumamus dubiorum. Sed heu! contemnuntur hodiernâ die Sacerdotes, nedum conſilium illorum efflagitetur; deridentur mediis in circulis, parvipenduntur, & perſæpè non ſecus ac ſervi & miniſtri ad exequenda vilia & depreſſa mittuntur officia, nullâ habitâ ratione reverentiæ debitæ charactêri ipſorum ſublimi, & dignitati excelſæ, quâ ſuper Reges evehuntur. Sic eſt, Auditores: qualitas Sacerdotalis Regiam antecellit majeſtatem, & tamen nemo ferè eſt qui Sacerdotes non ſpernat.

a 3. Reg. 12. 5. &c.

b Iſai. 6. 2.

c Dan. 7. 10.

d Matth. 19. 28.

e Malach. 2. 7.

S. Paulus ſcribens ad Galatas f, anathematizat eos omnes qui auderent eis prædicare aliud Evangelium ab eo quod ipſe illis prædicaverat, *Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* S. Chryſoſtomus g, qui ſemper S. Paulum ponderat, ait eum loqui de Angelis cœli, non autem de Sacerdotibus qui ſunt in terrâ, *Ne mihi Iacobum narret, & Ioannem; etiamſi quis Angelorum è cœlis deſcenderit, corrumpens Evangelii prædicationem, anathema ſit. Non temerè dixit, de cœlo: ſed quoniam Sacerdotes quoque dicti ſunt Angeli; Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem exquirent ex ore ejus, quoniam Angelus Omnipotentis eſt; ne quis exiſtimet de his Angelis nunc verba fieri, addita particula, de cœlis, ſupernas Virtutes indicavit.* Res inuſitata! Auditores, Apoſtolus anathematizat Angelos cœli, nedum Sacerdotibus deprecetur maledictionem, quandiu ora ſacrilega injurioſos de illis promiſcuè & indiſcriminatim miſcent ſermones in circulis, eoſque indifferenter ſuorum efficiunt ſubjecta deriſuum æquè ac colloquiorum. Heu! quàm verè dicere poſſumus hoc depravato, quo vivimus, ſæculo, *Facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc* h. Excipiuntur Sacerdotes ut perſonæ viles, non majoris penduntur Chriſti Domini, quàm ſi eſſent fæces & ſordes mundi. Non veretur S. Paulus in Angelos cœleſtes inſurgere; vos verò qui fœtentes eſtis putredines, & viles vermes, detrahere non ambigitis Sacerdotibus, dignitatem eorum flocci facere, & miniſterium illorum contemnere? Scitote quòd deſpectus eorum dirigitur ad Deum, qui ſe de veſtris ulciſcetur ſacrilegiis, cauſam amplectens veluti ſuam honorem à vobis læſum in miniſtris ſuis, & injuriam à vobis illis irrogatam, *Qui vos ſpernit, me ſpernit* i, inquit eis ipſe. Offenditur Dominus in ſuorum perſonâ ſervorum; inhonoratur Deus in ſuis Sacerdotibus. Quomodo autem de tali non referret vindictam injuriâ? Quâ ratione impii illi & ſacrilegi irriſores & detractores condignas ſuis ſceleribus non luerent pœnas à Deo ipſis meritoriè infligendas?

f Galat. 1. 8.

g S. Chryſoſt. hom. in hunc locum.

h 1. Cor. 4. 13.

i Luc. 10. 16.

Mementote illius mulieris, *quæ ſanguinis fluxum patiebatur, & tetigit fimbriam veſtimenti* k Chriſti, ad quem convênit ipſa, ut ab eo priſtinam recuperaret ſanitatem. Hugo Cardinalis l, explicans hæc verba, *Tetigit fimbriam veſtimenti ejus*, & citans Iſaiam, *Adorabunt veſtigia pedum tuorum* m, ſubdit, *Scilicet, Gentiles Apoſtolos. Moraliter, in hoc notatur humilitas. Vel, Fimbria Apoſtoli; veſtimentum caro.* Veſtimentum eſt humanitas Chriſti, aut ſi vultis, Eccleſia quæ eſt illius Sponſa,

k Matth. 9. 21.

l Hugo Card. in hunc loc.

m Iſai. 60. 14.

quam

quam acquiſivit Sanguine ſuo n. Fimbria verò Apoſtoli, ſeu Sacerdotes. [n Act. 20. 28.] Nedum verò nunc adoretur hæc fimbria, conculcatur ferè ab omnibus. Hanc tamen oportet ut adores veſtem detractor, [o Pſ. 51. 4.] cujus *lingua ſicut novacula acuta dolum* o facit, ſi cœlum velis ingredi; ut coram ea e humilies; abſolutè neceſſarium eſt ut fimbria hæc, quam contemnis, illuc tibi pandat aditum. Oportet ut hic deſpectus mutetur in venerationem, & ut Poteſtates ſæculi ſua proſternant ſceptra & diademata, ſuaq; flectant genua præ magna reverentia coram hoc veſtimento, aut præ ejus fimbria, quam tanto contemnis deſpectu. Debemus ad eam accedere, Auditores, præ omni reverentia poſſibili, cum ab ea ſanitas noſtrarum pendeat animarum p. [p Ioan. 20. 21.]

Cùm igitur ſumendum ſit nobis conſilium, Deuſque illud intra ſe ceperit, & cœlum motu ſuo edoceat nos illud capeſſere, & ſua rotunditate inſtruat nos, ut conſulamus perfectiſſimos, *ſine conſilio nihil* q *faciamus unquam*; [q Eccl. 32. 24.] adeamus Sapientiſſimos, conſilium petamus à cælo, à Sacerdotibus interventu ſanctorum Sacramentorum; accedamus ad viros probatos, in quibus requieſcit *Spiritus conſilij* r, [r Iſai 11. 2.] id eſt, qui habent conſilium ut donum Spiritus ſancti, eoque utuntur ipſi, nihil unquam agentes contra jus, neque adversùs juſtitiam in diſpendium animæ, nec detrahentes reverentiæ, fidelitati, & ſubmiſſioni, quam exhibere debent Deo & voluntatibus ejus. Hoc autem donum Spiritus ſancti, qui habitat in viris probis, inducit eos ad tradenda bona conſilia rectæ rationi & legi Dei conſona, & ad præſcribenda media idonea attingendo fini, qui non eſt alius niſi noſtræ peregrinationis terminus, & æternæ noſtræ domicilium fœlicitatis s, [s Hebr. 13. 14.] quam vobis exopto.

FERIA II. POST DOMINICAM I. ADVENTVS

Cùmque aſcendiſſet Moyſes montem, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: Septima autem die vocavit eum de medio caliginis, Exod. 24. 15. &c.

ANima noſtra, quæ ſuam è Deo trahit originem, è quo omnimodam ſuam haurit excellentiam atque perfectionem, cùm viva illius ſit imago, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* a; [a Gen. 9. 6.] ab eo qualitates accipit proficuas & perutiles, quarum interventu & beneficio ab omnibus fœliciter declinet ictibus adverſariorum ſuorum æmulantium fœlicitatem, cujus patiuntur privationem, nedum illius ſibi conciliare valeant fruitionem; quique totalem ipſius ruinam machinantur & deſtructionem; eſt veluti arx tot validis circumvallata propugnaculis, quot viget ipſa potentijs, quibus mediis glorioſam de aggreſſoribus ſuis referre poſſit victoriam. Ipſa eſt invincibilis, nec aliquid eſt quod ipſam compellat ad ſubeundam deditionem, niſi penuria aquæ. Quod ſciens Moyſes, aſcendit montem opertum nube, quæ eſt vapor humidus, in ſublime elatus è terrâ per æſtum, qui utplurimùm imbres & aquas ſecum trahit, *Cumque aſcendiſſet Moyſes montem, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus.* Super quæ Cornelius ait, *Voluit Deus per hos ſex dies Moſen abſtrahi, & emundari ab omni terrenâ cogitatione & curâ, ſpeque & oratione elevari ad supernorum contemplationem, itaque ad Dei, vel Angeli potiùs, colloquium præparari* b. [b Cornel in Exod. 24. 16.] *Septima autem die vocavit eum de medio caliginis* Deus, aquis gratiæ ſuæ & amoris ſui irrigans illum, qui *vocatur per gratiam* ut explicat Thomas à Kempis c, [c à Kempis 2. p. tom. 1. conc. 15.] *aſcendit per obedientiam. Non expedit aſcendere, niſi præveniente gratiâ, quæ mentem ab omni infimâ delectatione levet: & tunc oportet tractum gratiæ ſequi uſque ad ſinibilem unionem Dei*, donec unum quid efficiamus cùm Deo, haurientes aquas Divinæ gratiæ ejus, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* d. [d 1. Cor. 6. 17.] JESVS Chriſtus, qui eſt *fons vitæ* e, [e Pſ. 35. 10.] *& fons aquæ ſalientis in vitam æternam* f, [f Ioan. 4. 14.] invitat omnes ſitientes ad bibendas aquas gratiæ ſuæ, quibus mediis de hoſtibus animæ infenſis glorioſum referent triumphum, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat* g. [g Ioan. 7. 37.] Ut ad eum accedamus, indigemus gratiis. Efflagitemus gratias Mariæ, cùm earum habeat ipſa penes ſe abundantiam, & ipſa ſit concha in quam omnes eæ confluunt, quin imò cùm ipſa in ſuum ſuſceperit ſinum h [h Luc. 1. 30. & 28.] hanc Divinam originem eo momento, quo dixit ei Angelus, *Ave Maria*

Si anima noſtra eſt arx, ideò quia oppugnandæ ſunt ei Poteſtates inimicæ; & vix in mundum veniens, fœdus & ſocietatem init cum corpore, cùm tale commercium diſſolvere cogitur cum illo veluti cum perfido, quod nihil æquè amat ac ſeditiones, neque in alia re magis ſibi complacet, quàm in rebellionibus formandis, aut fovendis, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* i, [i Iob. 7. 1.] ait Job, poſtquàm operatus eſt mirabilia in iſto certamine, poſt proſtratum inimicum ſuum ſuper ſterquilinium k, [k Iob. 2. 8.] quod fuit ipſi velut arcus triumphalis, ſuper quo meliùs elevaret, & majori ſplendore intuendas ſuas exhiberet victorias, & probroſiori offunderet pudore corpus ſuum, quod in hoc luctamine majores exerit conatus, & à quo idcircò cavere debemus veluti ab inimico domeſtico, omnium capaci conſiliorum deſtructioni ipſius machinandæ idoneorum, quæ poſſumus meditari, *Et inimici hominis domeſtici eius* l. [l Mich. 7. 6. & Matth. 10. 36.] Quoad inimicos aut hoſtes exteriores, Diabolum nimirum, & mundum, qui nobis certamen non indicunt niſi ſub ſpeciebus fallacibus & doloſis, ſimilibus his luminibus falſis, iſtis ſplendoribus ementitis, quæ non illuminant niſi ut ducant ad præcipitia, non eſt cur illos ſic reformidemus, & anima ſatis pollet viribus, in ſe collecta, quibus eorum impetus reddat irritos, niſi propriæ potentiæ ruinam ipſius & deſtructionem machinentur, ut meliùs Adverſario faveant; & niſi paſſiones ipſius veluti tot milites rebelles, excutiant jugum imperij ipſius, & adverſarij complectantur cauſam, ad ejus partes advolando.

Hæc arx eſt munitiſſima, nec eſt dubitandum omnes impetus adverſariorum futuros irritos, & eorum conſilia univerſa fore inutilia, quandiu potietur ipſa beneficio & refrigerio fontium gratiarum, unde ſubminiſtrabuntur ipſi novæ vires, quibus reluctetur eorum inſultationibus, & de illorum triumphet temeritate. Hæ aquæ, de quibus eſt nobis ſermo, cùm ſint ſpirituales, non minùs noſtris

neceſſariæ ſunt animabus, quàm materiales proficuæ ſunt corpori, cùm earum privatio utrique inferret interitum. Has ipſas gratiæ aquas pollicetur nobis Chriſtus, cùm ipſe venerit in mundum ut ſpecioſa origo, quæ iſtas ubertim effunderet in omnes homines ſalutem ſuam ſitientes, dicens, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant* m. Diabolus, qui eſt illis infenſus, conatur eos his aquis deſtituere, ſciens (ſicut verum eſt) quòd quandiu has biberint aquas homines, ſuſcipiendis pravis impreſſionibus ipſius erunt iuidonei, & veluti fortiores de ipſo ſint triumphaturi in omnibus certaminibus, nedum ipſi ſuperſit aliquid præter pudorem, quo ſuffundetur, à ſe illis fuiſſe prælium indictum, ſicut illis eveniet gloria de ipſo victoriam reportaſſe. Quemadmodum è contra his privati aquis quæ ſunt tota cauſa generoſitatis ipſorum, proculdubio efficientur præda ipſius, nihil habentes ampliùs niſi infirmitatem ex naturâ ſuâ, quæ impotentiam ipſorum meliùs exhibet intuendam. Videamus igitur primò utilitates & commoda harum ſpiritualium gratiæ aquarum. Secundò earum neceſſitatem, cùm nihil poſſimus ſine illis.

m Ioan. 10. 0.

Diviſio.

I. Pars.

Non immeritò gratiam aquæ nomine nuncupo, cùm in hoc conformem me ſententiæ Chriſti, qui eſt Dominus & *Magiſter* n meus, cùm diſcipulus *quem diligebat Ieſus* o ipſe, loquens de gratiâ, quam daturus erat ille, dicat, *Qui biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum* p. Appellat gratiam nomine aquæ, ait S. Chryſoſtomus q, *Appellat autem, ut ablutionem & refrigerium, quibus ipſum accipientes animi fruuntur*; ut denotet ejus effectus, qui ſunt ijdem quoad animam, qui aquæ quoad corpus, nimirum lavare, dealbare, purgare, & refrigerare. Nam cùm è peccato Protoplaſti noſtri, effecti fuerimus impuri, ſordidi, & jugiter comburamur igne concupiſcentiæ, ut queritur Apoſtolus r. *Vides aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*; hoc indigemus refrigerio, quod iſtas extinguat, aut ſaltem minuat flammas; & iſto ſapone ad purificandas animas noſtras à ſordibus, quas contrahunt ex hoc primo criminoſo fœdere inito cum corpore, quando in illud infunduntur, *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* s.

n Ioan. 13. 13.
o Ioan. 21. 20.
p Ioan. 4. 13.
q S. Chriſoſt. Hom 31. ex Ioan. 4. 13.
r Rom. 7. 23.
s Rom. 5. 12.

Ego autem non poſſum meliùs demonſtrare utilitates & commoda iſtarum aquarum gratiæ ſpiritualiū, quàm oſtendendo earum potentiam, cùm ſine illis nec ullam actionem aliquo dignam merito poſſimus exercere, imò nec ullam efformare bonam cogitationem, nedum aliquod utile proferre valeamus verbum; puſillanimi ſumus nos omnes, & omni virtute deſtituti, *Non quòd ſufficienter ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* †. Quidquid habemus capacitatis & idoneitatis, ex hâc fœcundâ procedit origine aquarum vivarum gratiæ, quæ eſt Deus ipſe. Sicci foremus & aridi ſine illo, & velut arbores ſteriles & infructuoſæ abſque irrigatione iſtarum aquarum cœleſtium, quæ nos fertiles efficiunt, & bonos præ nobis ferre efficiunt fructus operum meritoriorū, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis* t. Cujus rationem ſubdit Hugo Cardinalis u, dicens, *Quia aliter humorem gratiæ non recipietis Iſai. 59. 2. Peccata veſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum. Ideò dicitur Epheſ. 3. 17. In charitate radicati & fundati.*

† 2. Cor. 3. 5.
t Ioan. 15. 5
u Hugo Card in hunc locum.

S. Chryſoſtomus x ait, divinam gratiam eſſe armamentarium, è quo deſumimus arma defenſiva contra inimicos noſtros, & vires haurimus, quibus ab illorum declinemus ictibus, & irrita reddamus omnia conſilia, quæ in noſtram meditati fuerant moliendam ruinam, *Sic quandocumque voluerit Deus, licèt in ſolitudine ſimus, & in extremis afflictionibus, nullamque ſpem ſalutis habeamus, nullo alio opus habebimus, divinâ gratiâ omnia nobis ſuppeditante. Nam ſi eius gratiam nacti fuerimus, nullus nobis prævalebit, ſed nos potentiores omnibus erimus.* Ideò S. Paulus y omnes infernales deridet poteſtates, nec autumat ſibi aliquid metuendum, tali fultus auxilio. Iſmahel, etiamſi relegatus in ſolitudinem, omnibus deſtitutus ſibi neceſſariis, ita potens evaſit, ut *in gentem magnam* factus, fuerit multorum pater populorum, cujus ratio eſt, quia erat Deus cum puero, *Et fuit Deus cum eo; qui crevit* z. Hæc recens planta aquis cœleſtibus irrigata, quid poterat niſi creſcere? Sic gratia eſt eſſe divini participatio, *Ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ* a. Quid metuere poſſumus cùm ei ſociamur, effecti per eius communicationem parvi dij? *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes* b. Et per hanc eandem gratiam ſimiles ipſimet Deo.

x S. Chryſoſt. Hom 46. in Gen. 21. 19.
y Rom. 8. 35. &c.
z Gen. 21. 18. & 20.
a 2. Petr. 1. 4.
b Pſ. 81. 6.

Sic Patriarchæ antiqui Fœderis, & Eccleſia ſancta medios inter ardores ſuos immodicos, & preces ſuas ferventiſſimas nihil æquè poſtulant ac iſtam aquam, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum* c. Quia ipſa omnium refrigerium eſt ſitientium. Auſcultate quomodo Propheta ingenti æſtuans ſiti, clamet præ ardore poſt aquas hujus divini fontis, *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* d. Vocatur à Propheta Meſſias fons, ſicut & fons nuncupatus eſt poſt illum à S. Bernardo e, *Fons nobis eſt Chriſtus Dominus*, è quo confluunt in animas noſtras aquæ divinarum ejus gratiarum. Aqua præterea eſt, quia ſicut aqua lavat, ſic dicendum eſt de ipſo, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* f. Per peccatum noſtrum hanc denigraveramus ſpecioſam Divinitatis imaginem more carbonum, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum* g. Et hæc aqua eam in priſtinam reſtituit pulchritudinem. Ad illum miſericordiæ fontem anhelabat David, ad diluendas culpas ſuas, efflagitans has aquas indulgentiæ, dicens Deo, *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* h. Et Deus iſtas pollicebatur aquas, *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris* i. Sed non ſolus eſt hic effectus aquarum, lavare, ſed etiam ſitim explere & extinguere, *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur* k. *Aquâ ſapientiæ ſalutaris potabis illum* l.

c Iſai. 45. 8.
d Pſ. 41. 3.
e S. Bern. ſerm. 1. in Natal. Dom.
f Apoc. 1. 5.
g Thren. 4. 8.
h Pſ. 50. 9.
i Ezech. 36. 25.
k Eccleſ. 14. 22.
l Eccleſ. 15. 3.

Tertius effectus harum aquarum eſt irrigare recentes plantas, quæ ſine hoc ſubſidio brevi tempore areſcerent, nec validas unquam in terram figere poſſent radices, quibus Aquilonis violentiæ reluctarentur, ut ait idem S. Bernardus m, *Tertius aquarum uſus eſt irrigatio, quam profectò maximè neceſſariam habent novellæ plantationes. Alioquin aut minùs proficient, aut ex toto peribunt præ ſiccitate.* Heu! quid ageretur de tot animabus recenter converſis, de tot novellis plantationibus? Quomodonam reſiſterent illæ, hoc auxilio deſtitutæ, tot inſultationibus tentationum, quibus ipſas impetit adverſarius? ardori concupiſcentiæ, fomiti peccati, qui ipſas ſiccaret eò uſque ut ipſas ad cineres redigeret? Hæc pluvia cæli, hæc aqua gratiæ eſt maximè proficua ad extinguendum

m S. Bern. loco ubi ſuprà.

hunc ignem, & ad præbendum incrementum his plantis tecentibus valdè utilis, ut dicere poſſint cum S. Paulo n, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Nihil vereor, cùm irriger his aquis, quæ mihi vires impendunt ad triumphandum de meorum temeritate adverſariorum, & ad tot de iis reſerendas victorias, quot mihi ſunt indicturi certamina.

n Rom. 8. 35.

Dicuntur apes ſumere novas vires, cùm pluit; quod induxit quendam ut iſtud comminiſceretur emblema, pingendo apes quæ ſuum capeſſunt incrementum è pluviâ, præ hac ſpecioſa inſcriptione, *Crebris imbribus acutæ.* Sed, ut verum fatear, iſtud emblema meliùs decet animas, quæ veluti apes aluntur floribus virtutum. Cùm divinus iſte gratiæ ros ſupereas illabitur, pedetentim creſcunt illæ *in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo, omnibus diebus* o *ſuis*; robuſtiores ſemper efficienter ad ſuperandos Satanæ impetus, *crebris imbribus acutæ.* Sic gratia ſpecioſas præ ſe fert cum pluviâ convenientias. Quia ipſa, ſicut hæc, emanat è cœlo, & non ex nobis ipſis. Gratia affluenter nobis conceditur, ſicut pluvia ubertim nobis datur in neceſſitate conſtitutis à magnificâ liberalitate Dei. Gratia, non ſecus ac pluvia, præbetur nobis gratuitò, & abſque ullâ emptione, *Si autem gratia, iam non ex operibus*, ait S. Paulus p. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus q, poſt hæc verba ejuſdem S. Pauli immediatè præcedentia; *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt: id eſt, ſi per gratiam Salutem hanc conſecutæ ſunt, non propter merita propria ſunt ſalvatæ. Ideò dicit alibi Apoſtolus* r: *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos: ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit. Et Chriſtus; Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos* s. *Alioquin gratia iam non eſt gratia; id eſt, ſi dicantur ſalvæ factæ iſtæ reliquiæ per gratiam, & etiam propter merita, tunc gratia non erit gratia, quia non gratis præſtatur: ſed erit debitum* gratia, quæ eſt tota fœlicitatis noſtræ cauſa, & omnimodum animarum noſtrarum ornamentum, cùm ejus beneficio in vis perfectionis progrediantur, & eant *de virtute in virtutem* t, *crebris imbribus acutæ*, gratiæ ejuſdem.

o Luc. 1. 75.

p Rom. 11. 6.

q Dion. Carth. art. 13. in Rom. 11. 6.

r Tit. 3. 5.

s Ioan. 15. 16.

t Ps. 83. 8.

Non miror igitur ſi diabolus omnes ſuos inſumit conatus ut deſtituat nos fruitione hujus aquæ, quia cùm ipſa ſit tota cauſa fortitudinis noſtræ; ſic ipſa illius ruinam molitur omnimodam, ſicut ipſum id non latet. Idcircò præcidere conatur canales, per quos hæc ad nos defluit; velletque, ſi poſſet, exiccare totam originem; quæ non eſt alia niſi Dei Filius, qui *fons eſt qui nunquam poterit exhauriri*, ait S. Bernardus u; & impedire ne nobis ille ſuas communicaret gratias, quæ nobis conciliare debent paradiſi poſſeſſionem, qui non eſt alius quàm ipſemet; *Et paradiſus noſter Chriſtus Dominus eſt*; juxtà eundem S. Bernardum x. Idcircò, Auditores, ſedulò vigilare debemus ad declinandas inſidias hujus Adverſarij, qui jugiter noſtram meditatur ruinam. *Sublatâ cauſâ tollitur effectus*, ait adagium Philoſophicum. Gratia eſt tota cauſa fortitudinis noſtræ; amiſſâ gratiâ nihil amplius poſſumus peragere, omnes vires noſtræ ex hoc oriuntur principio, *Omnia poſſum in eo qui me confortat* y. Si iſtud deficiat in nobis principium, nihil amplius præ nobis ferimus virtutis quâ reluctemur; & ut ſic deditionem ſubire cogemur.

u S. Bern. loco ubi ſuprà.

x Idem ibid.

y Philipp. 4. 13.

Ideò nititur Diabolus eam nobis eripere, apprimè ſciens omnes victorias noſtras oriri ex ſuppetijs illius; nec poteſt ipſe perpeti eam, quæ eſt confuſionum ipſius cauſa. Statuit ipſe nos his aquis privare divinis, cùm poſt ereptas iſtas nobis aquas, pollicetur ipſe ſibi totalem virium noſtrarum deſtructionem, videns nos deſtitutos his propitijs ſubſidijs iſtius originis fœcundæ gratiarum divinarum, quæ nobis ſunt perutiles ad dealbandas animas noſtras, eaſque à ſordibus ipſarum purificandas; ad extinguendam noſtram ſitim, ad nos refrigerandos, & ad moderandos ardores concupiſcentiæ noſtræ, quæ eſt innumerarum cauſa deordinationum; & ad irrigandas novellas plantationes bonorum operum, ſanctitatis, & juſtitiæ, eiſque præbenda incrementa ad perfectionem uſque gloriâ æternâ dignam. *Quærat ergo devotionis aquas quiſquis ſeminaverit bonorum operum ſemina, ut irrigatus fonte gratiæ bonæ converſationis hortus non areſcat, ſed in perpetua viriditate proficiat*, concludit idem S. Bernardus z. Planè eſt omnimodam jacturam incurrere ac deſtitui auxilio harum aquarum ſupernaturalium, quæ noſtras faciebant vires totas media inter noſtra certamina; nihilque poſſumus polliceri nobis fauſtum iis abſentibus, ſine quibus nihil agere poſſumus, quod earum oſtendit nobis neceſſitatem abſolutam.

z S. Bern. loco ubi ſuprà.

II. Pars.

Ille eſt indubitatus fidei noſtræ articulus, quo credimus, quòd à lapſu Protoplaſti noſtri percuſſa natura noſtra hoc vulnere lethali, quod omnes in illius Oeconomiam introduxit deordinationes, & eſt fatalis cauſa omnium depravationum & rebellionum, quas in nobis experimur inviti, non poſſumus ex nobis ipſis ullam bonam, & rectæ rationi conſonam, ac gloriâ dignam exercere actionem, ſi gratia, quæ eſt ejus principium, ad illam faciendam non animet nos, nobiſque non præbeat vires ac facultatem ejuſdem perficiendæ. Et Concilium Tridentinum a anathemate percutit eum, qui auſo temerario aſſereret, poſſe nos hoc divino auxilio deſtitutos exercere aliquem actum fidei, ſpei, charitatis, aut pœnitentiæ ut expedit, ut mereri poſſimus noſtrã juſtificationẽ: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratiõe, atq; eius adiutorio hominẽ credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Eandem gratiæ neceſſitatem oſtendit fusè Concilium Arauſicanum II. b. *Si quis ſine gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſãtibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem divinitùs, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere, valeamus, per infuſionem & inſpirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec ut obediens & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes, quod non accepiſti* c? *Et, Gratiâ Dei ſum id quod ſum* d. Et ecce ratio Theologica; quæ probat impotentiam hominis ad faciendum bonum abſque auxilio gratiæ, ſtatim ac è gratiâ Dei ſui excidit.

a Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3.

b Conc. Arauſ. II. cap. 6.

c 1. Cor. 4. 7.

d 1. Cor. 15. 10.

Lethifero confoſſa natura humana vulnere ipſi inflicto à primo Parente, *in quo omnes peccaverunt* e; recedens à Deo, ut meliùs accederet ad creaturas, quod eſt cauſa totius infortunij ipſius, ſuam conſtituit felicitatem totam; & ultimum poſuit finem ſuum in rebus creatis, quem tamen collocare non debebat niſi in Deo ſolo; cùm ille ſit centrum, quod omni ſpei ipſius debeat limites imponere f, & requiem omnibus ipſius impertiri motibus. Unde fit ut cùm aliquid eſt illi

e Rom. 5. 12.

f Prov. 16. 4.

peragendum, aut omittendum, naturaliter ad malum inclinetur perpetrandum: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua* g. Quia cùm è nihilo educta fuerit h, deorſum inclinatur ad peragendum malum, niſi divina gratia ipſam contineat. Ideò neceſſaria eſt vis aliqua extranea, quæ imprimat ei fortitudinem, quâ mediâ reluctetur ipſa proclivitati depravatorum & damnabilium ſuorum affectuum, qui veluti equi indomiti laxatis habenis eam in præcipitium ſeu in jacturam propriæ ſalutis cæco projiciunt impetu. Hæc autem fortitudo, quæ non eſt alia niſi gratia, non eſt illi naturalis, ſed ordinis ſuperioris, & emanans è Deo velut è principio ſuo, ſubminiſtrat illi arma, quibus declinet ab ictibus adverſarij perpetiendis, & de omnibus illius triumphet inſultationibus, *Sine me nihil poteſtis facere* i; *nec etiam benè cogitare*, ſubjungit Hugo Cardinalis k.

g Gen. 8. 21.
h Gen. 1. 27.
i Ioan. 15. 5.
k Hugo Card. in hunc locũ.

Præterea, Docet nos axioma Philoſophicum, quòd *primum in unoquoque genere eſt regula & menſura cæterorum*. quæ agere non debent niſi ex motu impreſſo ſibi à primo ejuſdem generis; & quòd *modus operandi ſequitur modum eſſendi*. Id eſt, quòd operamur conformiter ad id quod nos ſumus. Non poſſumus per opera noſtra elevare nos ſupra id, quod ſumus. In puro ſumus nos naturæ ſtatu: ergo actiones & operationes noſtræ nihil habent ſupernaturale: nam *modus operandi ſequitur modum eſſendi*. Angeli producunt actiones omninò ſpirituales, operationibus incumbunt penitus à materia ſenſibili immunibus, & corporeæ concretionis & molis expertibus, quia ſunt puri ſpiritus, & nullum habent corpus; nos verò quia corporibus communicamus æquè ac ſpiritibus, corporeis vacare poſſumus actionibus æquè ac ſpiritualibus, ſed nunquam meritorijs, & æternâ mercede dignis, niſi charactere gratiæ inſigniantur; nec unquam præmiabitur illas Deus, niſi ut promanantes ex hoc principio, quod totum illis ipſarum impertitur valorem.

Sumus nos non ſecus ac apodes, quæ ſunt aves quædam ex genere hirundinum, ita dictæ quòd careant uſu pedum, quæ alas habent, nec tamen ex ſeipſis volare poſſunt, ita ut, ſi aliquando in terram demiſſæ ſunt, inde volatum non poſſint capeſſere, niſi beneficio venti flantia ſurſum eveliantur, & volare poſſint, alioquin omnes earum conatus ſunt inutiles, & pennæ illis ad nihil inſerviunt niſi ut eas onerent. Duo ſunt illis neceſſaria, nimirum ventus propitius, & ut ipſæ ſuas explicent & extendant pennas apodes. Sic neceſſaria eſt gratia Dei, & requiritur concurſus voluntatis noſtræ ut operemur. Habemus nos quidem noſtrum liberum arbitrium, quod poteſt nos ſurſum evehere, & ad Divinitatem uſque nos elevare; ſed neceſſarius eſt ventus propitius gratiæ, quia ex quo in terram demiſſum eſt, & infixum luto peccati, impoſſibile eſt ut illinc extrahatur niſi adjutum hoc divino ſubſidio, quod ſubminiſtrat ipſi quidquid ipſum habet virium. *Infixus ſum in limo profundi*, ajebat David l poſt peccatum ſuum, ut exponit Lorinus m, dicens, his verbis *denotari poſſe lutum fœtentis luxuriæ*; addens poſt hæc verba immediatè poſt ſequentia, *& non eſt ſubſtantia*, verſionem Aliorum dicentium, *& non eſt firmatus, ſtabilis, roboratus*. quam ipſe ſic explicat, *nempe limus, id eſt, non eſt induratus, ſed mollis, liquidus, lubricus, ut proinde nequeam in eo hærere, & conſiſtere, non valeam figere membrum ullum, ſi me coner ſuſtentare parte aliquâ corporis, ut extrahiam inde, meque totum extraham, non poſſim.* Idcircò *emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me* n. Hinc me educere poteſt gratia tua cum concurſu meæ voluntatis; ambæ unitæ, ad hunc eminentem effectum ſunt neceſſariæ mihi, nihil eſt quod non poſſim hoc adjutus ſubſidio. Apoſtolus verò, Auditores, qui ſibi ipſi diffidebat veluti infirmus & debilis, proteſtatur dicens, *Omnia poſſum in eo qui me confortat* o.

l Pſ. 68. 1.
m Lorin. in hunc locum.
n Pſ. 143. 7.
o Philipp. 4. 13.

Et quid cogitaſſetis de adoleſcentulis illis Virginibus è nobili progenie oriundis, ſexus delicati, naturæ infirmæ, ætatis teneræ, videntes eas intrepidâ fronte Tyrannos deridere, eorumque ſævitiam æquè ac potentiam ſpernere, libenti animo morti ſe exponere oppetendæ, in medios ſe projicere ignes non ſecus ac inter delicias, ſemper conſtantes ſub gladiorum aculeis, nedum exciderent unquam animo, aut conſilium mutarent? Unde procedebat in eis hæc firmitas ſic extraordinaria & inuſitata in ſexu, qui nihil habet niſi fragile & inconſtans? niſi ex gratia, quæ in illis hæc univerſa operabatur miracula, ita ut eſſent eæ veluti omnipotentes, hoc divino fultæ ſubſidio, quod omnes animas efficit generoſas, ſine quo nihil habent illæ niſi humanum & infirmum.

Mementote, ſi placet, mirabilium & heroicarum actionum, quas operabatur David, quæ propter ſuam magnitudinem & excellentiam ad miraculum propè accedebant, quæque induxerunt aliàs filias Iſraël ut carmen iſtud concinerent ad gloriam ejus reducis ex victoria relata de Goliath hoſte populi ſui, *Percuſſit Saul mille, & David decem millia* p; *quia manus Domini erat cum illo, percuſſit Philiſthæum, & abſtulit opprobrium ex Iſrael*, ſubjungit Eccleſia. Quod ſpecialiter gloriam Davidis miro extollebat modo. Sed unde oriebatur in eo hæc generoſitas, iſta magnanimitas? cùm nihil haberet præter fundam, quæ infirmũ fuit inſtrumentum, quo in terram pronum proſtravit inimicum ſuum, cùm *miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram* q. Eccleſia Sancta, quæ dirigitur à *Spiritu Sancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* r, hanc magnanimitatis ejus reddit rationem, *Quia manus Domini erat cum illo*. Omnes has victorias gratiâ muneris referebat; omnia poterat his inſtructus armis; cùm enim gratia ſit tota divina, omnes eos efficit heroes quos animat, nedum poſſit quis unquam aliquid operari glorioſum niſi his fultus ſuppetijs; quibus deſtitutus David per peccatum ſuum, nihil ampliùs eſt, & ſit, *Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi* s?

p 1. Reg. 18. 7.
q 1. Reg. 17. 49.
r 2. Petr. 1. 21.
s Pſ. 142. 3.

Nihil certius eſt, quòd dum à nobis abeſt gratia, nihil ampliùs habemus fortitudinis, & licèt generoſos & martiales præ nobis tulerimus animos, quandiu eâ potiti ſumus, eâ deſtituti puſillanimi efficimur non ſecùs ac ille *Therſites Græcorum omnium fœdiſſimus, quem Achilles ſibi procaciter convitiantem pugni ictu interfecit* t. En iſtius probatio valida in perſona ejuſdem Davidis, cujus præclara admiramini facinora, dum illum *quæſivit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum; & præcepit ei Dominus ut eſſet Dux ſuper populum ſuum* u. Sed vix è gratia Dei decidit per ſcelus adulterij perpetrati cum Bethſabee, & per crimen homicidij admiſſi in perſona Uriæ viri illius x, cùm deſtitutus hoc divino auxilio, quod erat tota cauſa fortitudinum illius, ſic evaſit

t Calepin. dictiona v. Therſites.
u 1. Reg. 13. 14.
x 2. Reg. 11. 4.

puſil-

puſillanimus & effœminatus, ut nullus ei ſupereſſet animus ampliùs, quo ſuos aggrederetur hoſtes, nec ullæ eſſent in eo vires, quibus eorum reluctaretur inſultationibus. Non erat ipſe ampliùs ille David, ad cujus honorem cecinerant laudes filiæ Iſraël præ tanto encomio; generoſum mutaverat cor ſuum in leporinum & timidum cor, cùm lepus nunquam meliùs prælietur quàm fugiendo. Inimici ejus, infirmitates illius noverant, ſeque invicem invitabant ad perſequendum eum, quòd adverſùs eum prævalerent, cùm non haberet ampliùs eum, qui illum tuebatur, quique erat tota victoriarum ejus cauſa, *Perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat* y. Ha! dicebant ij, Non habet amplius ille gratiam, de eo conclamatum eſt, nihil habet amplius virium, nobis non poteſt reſiſtere, gratia erat tota fœlicitatis ejus cauſa. *Quia manus Domini erat cum illo.* Et privatio ejus, infortunium illius cauſabit: *Quia non eſt qui eripiat.*

y Pſ. 70. 11.

Poſtquàm porrexiſſet *Ieſus intinctum panem Iudæ Simonis, Iſcariotæ, poſt buccellam introivit in eum Satanas* z. Quid ſibi vult iſtud? Quare poſt, & non ante? Reſpondet Theophylactus a, *Tunc invaſit eum ut à Domino derelictum, & à Divino Choro ſeparatum* diabolus. Ecce Judas omni infælicitatis genere impetitus, *Et projectis argenteis in templo, receſſit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit* b miſerè præ deſperatione. Offerens Abram in ſacrificium *vaccam, capram, arietem, turturem, & columbam; tollens univerſa hæc, diviſit ea per medium; aves autem non diviſit.* Et ſtatim Scriptura ſubdit, quòd rapaces *deſcenderunt volucres ſuper cadavera* c; *& diviſiones eorum* d, addit etiam S. Ambroſius. Quare hoc? Quia dæmones potiuntur illis qui ſunt diviſi à Deo, qui gratiâ ejus non fruuntur, eoſque ſuam efficiunt prædam; *Nam ſi ſe illa ſubtraxerit, cadit homo non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cœperit homo habere merita bona, non debet ſibi tribuere illa, ſed Deo, cui dicitur in Pſalmo* e; *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. Dicendo, ne derelinquas me, oſtendit quia ſi derelictus fuerit, nihil boni valet ipſe per ſe,* ait S. Auguſtinus f. Omne meritum noſtrum, omnis fortitudo noſtra, & univerſa virtus noſtra emanat è Deo, ſicut Luna quæ non eſt clara niſi eâ, quâ Solem intuetur, parte, quæque duntaxat eſt conſpicua quâ conſpicit. Ita verum eſt, quòd ſine gratia nihil prorſus valemus; nam *modus operandi ſequitur modum eſſendi.* Impoſſibile eſt ut abſque gratia aliquam producere poſſimus actionem naturæ vires excedentem, cujus ipſa eſt principium; aut ulli incumbere operationi ſupernaturali quæ mereatur mercedem, cùm illa privata ſit qualitate, quæ ipſi mercedem hujuſmodi impertiri queat. Illud igitur remanet omnino indubitatum, ut infallibile fidei noſtræ dogma, quòd ſine irrigatione harum aquarum cœleſtium gratiæ ſimus nos veluti arbores aridæ & infructuoſæ, ulli bono fructui producendo ineptæ. Requiritur igitur aqua gratiæ, quæ nobis præbeat incrementum, & producendi virtutem, quam ex nobiſmetipſis habere non poſſumus, *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* g. Quippe qui totius eſt Author boni.

z Ioan 13. 26. & 27.

a Theophylact. in hunc locum.

b Matth. 27. 5.

c Gen. 15. 9. &c.

d S. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 3.

e Pſ. 26. 9.

f S. Aug. lib. de Grat. & Lib. Arbitr. c. 6.

g 2 Cor. 3. 5.

Iſtæ aquæ divinæ igitur noſtras fœcundant animas; illiſque applicare jure poſſum merito hoc ſymbolum illius, qui repræſentabat ſalicem arborem ſterilem, quæ tota irrigata aquâ vireſcebat, & beneficio humoris, quem ex illa trahebat, tota erat fructibus onuſta, præ hac inſcriptione, *Dum flumina lambo.* Quaſi diceret, Cùm ſim infœcunda, medijs fertilis efficior aquis. Simile percipiunt animæ noſtræ beneficium ex aquis gratiæ ſupernaturalibus, arent illæ ut ſteriles, ſed revireſcentes illarum interventu, producendis bonorum operum gloriæ æternæ meritoriorum fructibus efficiuntur idoneæ, ita ut ſingulæ dicere poſſint, fertilis evado, *dum flumina lambo.* His divinis aquis gratiæ deſtituti, aridi ſumus nos omnes, & ardenti ſiti æſtuantes, & brevi ſperat diabolus ſe noſtram moliturum ruinam, nimirum ſtatim ac canalem, per quem aquæ iſtæ ad nos confluunt, machinamentis ſuis nobis præciderit. Ad iſtas jam redacti ſumus extremas anguſtias, Auditores. Heu! peccator, nonne verum eſt, quòd diabolus privaverit animam tuam, hanc arcem ſic apprimè potentijs ſuis omnibus munitam, his aquis gratiæ ſupernaturalibus, hoc ſpecioſo fonte? unde deſumebat ipſa ardoribus ſuis refrigerium præ tanto oblectamento & ſic ingenti ſatisfactione, ut ait Propheta Iſaias h, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hæc origo non eſt alia niſi Dei Filius incarnatus, è quo in ipſam confluebant aquæ ſalutares gratiæ. Heu! hic inimicus incidit canales, per quos tranſibant iſtæ aquæ, ut ait Deo alius Propheta i, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Hæc anima ardet, aret, ſterilis eſt, & facta eſt *tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ* k. Et ſic ſine gratia effecta eſt diaboli præda, & de illius ſalute prorſus conclamatum eſt. Anima miſeranda, in extremas redacta miſerias, ditioni ſuæ te tenet jam diabolus ſubactam, tu non habes ampliùs hanc fortitudinem priſtinam, quam amiſiſti præ culpa tua; ſalus tua non amplius à te pendet; non amplius habes virtutem illius operandæ; neceſſarium eſt tibi ſubſidium alienum; pete illud præ immodico ardore, & ex intimo corde tuo dic Deo cum Davide l, intuitu penuriæ harum aquarum,

h Iſai. 12. 3.

i Pſ. 142. 6.

k Pſ. 1. 4.

l Pſ. 62. 2.

Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Heu! tota ſiti exardeſco in te, cùm ſolus mihi poſſis ſatisfacere. Totus mundus, & omne quod in illo eſt, hanc non poteſt unquam explere ſitim meam, ideò ad te recurro. Tu es terminus omnium deſideriorum meorum, & centrum in quo meam invenire debeam requiem. Curro poſt te, qui es origo aquarum vivarum. De me eſt deſperatum, niſi ardoribus meis indulgeas refrigerium. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi,* è cœlo expectans pluviam, nec aliquid valens ſine his cœleſtibus influentijs. Deus meus, origo cœleſtis effunde has aquas, quas promiſiſti, cùm dixiſti, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat* m. Ad te venio ut ſitim meam expleam, & novas hauriam vires, quibus, meis relucter inimicis, quas ex me habere non poſſum. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus* n. Ecce morior, & cogor infamem ſubire deditionem, inimicis meis me tradendo ſine hoc auxilio & refrigerio, quod expecto à te, in has extremæ neceſſitatis anguſtias redacta. Et cùm ipſe ſis fons vivus, cujus aquæ ſaliunt *in vitam æternam* o, has aquas bibere volo ſacras, ut illis applicando os meum, ſitim meam omnino expleam, quam nihil in mundo poteſt extinguere præter te, cùm omne aliud ſit inutile, & explendæ ſiti meæ idoneum.

m Ioan. 7. 37.

n Pſ. 41. 2.

o Ioan. 4. 14.

idoneum. Omnes voluptates, cunctæ magnitudines, univerſæ divitiæ & proſperitates, hæc omnia ſitientem me deſerunt,

Quò plùs ſunt pota, plùs ſitiuntur aquæ.

Tu ſolus meam implere potes ſitim, ut dicebat tibi S. Auguſtinus p, *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te* in hoc mundo per tuam gratiam, & in altero per gloriam tuam.

p S. Aug. lib. 1 Conf. c. 1.

FERIA III. POST DOMINICAM I. ADVENTUS.

Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Exod. 24. 18. &c.

SI jure tædet aliquem merito, ſolvere ſemper, nec ullum tamen ſuis imponere negotiis limitem: ſi faſtidioſum eſt debitori ut omnia ſua eroget, nec tamen pacificè vivere ſinatur à ſuis creditoribus; quis ſtupore non concutietur, intuendo hos *homines ſeipſos amantes* a, qui nulli incumbunt alij labori niſi ut ſuis ſatisfaciant corporibus, licèt ipſis nunquam fiat ſatis? Omnes blanditiæ præcedentes, & univerſæ ſuaves exceptiones præviæ, ipſis ſunt occaſio querelæ, niſi ſint eæ continuæ; & ſic ingrati ſunt ut ſumentes ſemper, nihil unquam retribuant, niſi fortè fæces & ſordes. Beneficia eos efficiunt rebelles adversùs eos, à quibus, illis cumulantur; ita ut id ſit ſubminiſtrare vires inimicis, qui iis ad noſtram utentur ruinam machinandam. Benè eſſe eos reddit inſolentes, Infirmandi ſunt ut ſupplices efficiantur ac tractabiles, ne unquam potantiores evadent, quàm cum infirmiores facti fuerint b. Abſtinentia eos ad rem format militarem, nec aliquid illos ſic muniis exercet bellicis, aut bellicoſos reddit ac jejunium. Omnes eximii Viri his triumphaverunt armis inſtructi. Quinimò dæmones ipſi in ſuis obſtinati malitiis, huic cedunt virtuti, *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio* c. Ideò *Moyſes aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, quibus nihil comedit, & nihil bibit, (ut ipſemet aſſerit de ſe, *Quando aſcendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas pacti, quod pepigit vobiſcum Deus: perſeveravi in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens* d,) Ut de monte deſcendens, his inſtructus armis, *arripiens vitulum quem fecerant filij* Iſraël, combureret, *& uſque ad pulverem* e contereret. In monte *vivebat Moyſes tunc verbo & colloquio Dei, atque Dei virtute eum ſuſtentante*, ait Cornelius †, quæ non erat alia niſi gratia, quâ repleta erat Maria ad hæc verba, *Ave Maria.*

a 2. Timoth. 3. 2.

b 2. Cor. 12. 10.

c Marc. 9. 29.

d Deut. 9. 9.

e Exod. 32. 20.

† Cornel. in Exod. 24. 18.

Querebatur aliàs gladiator quidam, quòd certamina, quibus hoſtiliter lanceis concurrebatur, non ſatis frequenter inirentur Romæ, & quòd ſpecioſum ſineretur elabi tempus, quod iſtis applicari potuiſſet exercitiis. Sed ſanè non erant querelæ illius rectæ rationi conſonæ, cùm prælia non deſint nobis in vitâ, quæ nos æqualiter omnes ad tractanda obſtringit arma, & in quâ bella nunquam ſunt interrupta. Dico, omnes: Mulieres enim ab hoc non ſunt immunes bello; & natura, quæ eas viris infirmiores in lucem edit, voluit ut eæ eſſent Amazones, & diſtrictum præ manibus ſemper geſtarent gladium, ne forſan eſſent in mundo ſpectatores otioſi, quoadiu alij in retundendis occuparentur hoſtium inſultationibus & conatibus. *Militia eſt vita hominis ſuper terram* f. Huic noſtrum dedimus nos omnes nomen quatenus milites, cum in nobis habeamus inimicos, qui perutiles nobis ſubminiſtrant anſas arripiendas de ipſis inſignes referendi victorias. Bella noſtra non ſunt intermiſſa, *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum Spiritus autem adversùs carnem: Hæc enim ſibi invicem adverſantur* g.

f Iob 7. 1.

g Galat. 5. 17.

Job qui nihil præ ſe ferebat lenium in certaminibus ſuis, quique in iis magnâ ſe gerebat fidelitate, aſſerit ſibi nullas uſque ad diem reſurrectionis eſſe præbendas inducias, *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea* h. Uſque ad illud tempus in ſe ſeditiones experietur interiores, hæc bella civilia inter carnem & ſpiritum. Anima enim vel in ipſo cœlo vehementer concupiſcit ſuo denuò uniri corpori; & perfidum iſtud corpus abhorret ab hâc formâ, quæ ipſi præbet quidquid ipſum præ ſe fert jucundi. Novam inquirit formam, cùm aliquà eſt honoratum, formam appetendo cadaveris; & cùm in cadaver converſum eſt, formam terræ deſiderat; & poſt formam terræ, optat formam pulveris, divortium peragens cum anima perpetuum uſque ad reſurrectionem, *donec veniat immutatio mea.* Caro noſtra bellum nobis indicit in vita noſtra, & poſt interitum noſtrum. Alios habemus inimicos, quorum inſultationes ſunt omnes violentæ, cùm continuè anxiemur media malitia extraneorum, & proditione domeſticorum, impetiti ad extrà, & turbati ad intrà diſſenſionibus civilibus quæ interiùs nos diſcerpunt. Ego autem exiſtimo validiſſima arma, quibus eorum reluctemur conatibus, & de noſtris triumphemus inimicis exterioribus & interioribus, eſſe jejunium, quod Primò in hoc certamine induſtrios nos efficit, & vires nobis ſubminiſtrat: Et quod Secundò faciens nos triumphare, convertit nos in Deos more Moyſis.

h Iob. 14. 14.

Diviſio.

Cùm peccatum ſit nobiſcum congenitum i, nobiſque familiare, noſtris impinguetur lautis epulis; & cùm Scriptura k, quæ nos edocet originem hujus horrendi monſtri, illud è noſtra educat pinguedine, *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum*; ſuaſque hauriat illud vires è noſtro corpore, & ſanitas unius ſit valetudo alterius; quid mirum ſi Sancti, qui omnes ſuos adhibent conatus ut illud exterminent, pœnitentiæ incumbant exercitiis, quorum narratio percellit ſtupore delicatos, qui pavore concutiuntur ſolo vel audito auſteritatis nomine? Ideò Apoſtolus ſuum caſtigabat *corpus, & in ſervitutem* l redigebat tantam, ut videretur continuare in ſemetipſo perſecutionem, quam excitaverat adversùs fideles m, & ſua vetera proſequi conſilia; vexando hominem juſtum, qui evaſerat membrum Chriſti n præ profeſſione Chriſtianiſſimi. Sicut enim Medici uſum prohibent alimentorum, quæ corpus non poſſunt nutrire, quin foveant febrim; & natu-

I. Part.

i Rom. 5. 12.

k Pſ. 72. 7.

l 1. Cor. 9. 27.

m Act. 9. &c.

n Ephes. 5. 30.

naturam debilitant, ut moibo vires eripiant: Sic ſervi Dei ſuis ſubtrahunt corporibus id, quod peccato poſſet inſervire ad parandas ſibi potentiam & vites; & eorum adhærent prudentiæ obſeſſorum, qui ſuburbia civitatis ſuæ, & ſuas comburi ſinunt villas, quando verentur ne hoſtibus ſuis evadant receptus & domicilium poſſeſſiones ſuæ.

Jugis admittitur inter carnē & ſpiritum lucta *Caro concupiſcit adversùs ſpiritū; ſpiritus autē adversùs carnem.* Suum excipiebat S. Hilarion corpus non ſecus ac aſinum, ſolam ei ſubminiſtrans paleam. Non mitiùs ſuum tractabat Seraphicus Pater S. Franciſcus, quod nuncupabat fratrem aſinum. Et Evagrius ſolitudinis incola dicebat, *Quieſcat illud, & quieſcam ego.* Non mihi ampliùs paret illud inſidias, & ego arma deponam. Corpus eſt veluti alter Eſaü perſequens innocentem Jacob o, id eſt, ſpiritum; nec illud meliùs vincere poſſumus quàm jejunio, illud infirmando, ut meliùs ſpiritum roboremus. Non eſt igitur mirandum ſi juſti ſibi laborem procurent, cùm ab eo ſunt immunes, ſi corpora affligant ſua prolixis vigiliis, jejuniis continuis, abſtinentiis non interruptis, ut debilitent partem, quæ nunquam magis ſuſcipiendo peccato eſt idonea, quàm cùm eſt perfectè ſana; & ut declinent ab incendio ſibi imminenti, niſi procedant ei obviàm per ruinam & demolitionem. Hoc providæ eorum attribuendum eſt ſapientiæ, parate ſe ad pugnam per infirmitatem prudentem, ut triumphare poſſint de inimico, qui minori percellitur ſtupore ex noſtris vitibus, quàm ex noſtris certaminibus.

o Gen 32. 6.

Job eximius ille vir, ſpeculum illud ſanctitatis, non priùs manducabat, quin ſuſpitaſſet, *Antequàm comedam ſuſpiro* p, ut teſtaretur ſe invitum concurtiſſe per hanc actionem ad cuſtodiendam vitam ſuam. Efficiebat ut pateretur corpus ſuum id omne quod temperantia & extrema auſteritas ipſi poterant permittere; & cum ſe ad illud alendum compelli cernebat, ſubminiſtrabat ei præ lachrymis id, quod non potuiſſet ab eo retrahere, quin diſplicuiſſet Deo, ſeque homicidii exhibuiſſet conſcium. Querebatur David quòd proditorem domi ſuæ aleret, nec pati poterat ut homo qui ſuæ ſecum aſſidebat menſæ Regiæ, quemque ſuâ honorabat familiaritate, foret ipſi infidelis, *Homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem* q. Hæc infælicitas nobis eſt communis omnibus: excipimus enim paſſiones noſtras veluti domeſticos noſtros, noſtris vivunt illæ ſumptibus; & iidem cibi qui noſtra paſcunt corpora, illarum ſunt alimentum; lautæ, quas ſubminiſtramus carni noſtræ, epulæ, nihil aliud agunt niſi ut eam inducant ad rebellionem. Sic in nobis noſtrarum fovemus cauſam ruinarum; & corpus noſtrum oppiparè excipientes, videmur nobis complacere in perfidiâ, cùm perfidum foveamus, & in noſtris vitalibus, unde hoſtibus noſtris vires augeantur. Ut autem ruinam illorum machinemur inimicorum, opportunum medium eſt corpori noſtro cibos ſubtrahere, & illud ad famem redigere, ut conſulit nobis Apoſtolus r, *Fratres, ſobrij eſtote*, & abſtinentes, à vobis reſecando id, quod veſtris favet adverſariis, jejunium eos in fugam convertit, illorum molitur deſtructionem, & eſt tota ruinæ eorum cauſa. *Eſt quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Eſt ieiunium robur viventium, vigor animarum. Eſt ieiunium Eccleſiaſticæ via viaticum* s. Jejunium vires nobis præbet, & nos ad ſuſtinendos omnes impetus excitat, *Dicitur de multis Martyribus, quòd nihil guſtabant in die, in quâ coronam præſtolabantur martyrij, ſed ſicut ad nuptias præparati expectabāt occurrere gladio in ieiunio*, ajebat S. Iſaac t. His armis inſtructi invicti illi Athletæ audacter adibant tribunalia, non formidabant ampliùs rabiem Tyrannorum, illorum deridebant ſævitiam, ſuas invenientes delicias in ſuppliciis, quæ victores ipſos efficiebant de inimicis ſuis. *Viri Ninivitæ ieiunium* u exercentes, violentiam cœlo intulerunt, & induxerunt veluti Deum ad mutandum conſilium (ſi ita loqui ſit fas, & admittere in Deo mutationem, cùm ſit immutabilis in decretis ſuis, & dicat, *Ego Dominus, & non mutor* a) mitigaverunt ejus iram per bellum quod ſibimetipſis indixerunt; punientes corpora ſua alimentorum ſubtractione: Eodem ſe geſſerunt Hebræi modo y, ut revocandum ſatagerent decretum, quod in nationis totius ipſorum perniciem Aſſuerus tulerat z, triumphātes armis jejunii de Aman ſibi infenſiſſimo a.

p Iob. 3. 24.
q Pſ. 40. 10.
r 1. Petr. 5. 8.
s S. Chryſol. ſerm. 8.
t S. Iſaac. lib. de Mundi Cōtempt. c. 19.
u Ion. 3. 5. &c.
x Malach. 3. 6.
y Eſth. 4. 16.
z Eſth. 3. 10. & 12.
a Eſth. 7. 10. &c.

Omni tempore per ſanctam praxim punitum fuit corpus, & jejunium fuit illius mulcta. Magnus Sacerdos Eliacim victoriam pollicetur Bethulienſibus reportandam de Holoferne qui minabatur ipſis exitium, ſi jejunii muniantur armis, *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiuniis* b. Bellum eſt indictum inter Holofernem & Bethuliæ incolas, ſicut inter carnem & ſpiritum hominis, ut dicebat vobis modò S. Paulus, *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Ita ut carnem noſtram vocare poſſimus forenſe animæ indumentum: nam ſicut aliàs homines litigioſi nuncupabantur homines forenſes; ſic vocari poteſt caro noſtra forenſe animæ indumentum, quia ſemper litigat contra animam, quæ eſt ipſius pars, *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Ita ut vis unius vim minuat alterius. Inter certamina, quæ ineuntur in bellis, vires & potentiæ partis unius infirmant vires & potentiam alterius, & debilitas unius auget fortitudinem alterius: ſic in militiâ ſpirituali vires carnis minuunt vires ſpiritus, & vires ſpiritus detrahunt viribus carnis; idcò ſi jejunia noſtra & mortificationes noſtræ noſtram debilitant carnem, tunc noſter multò meliùs valet ſpiritus. *Elcana habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna* c. Illa erat ſterilis, hæc verò fœcunda; illa humilis & devota, hæc verò ſuperba & tumida; illa orabat Deum ut ſibi fœcunditatem indulgeret; hæc verò irridebat preces, quas illa offerebat cœlo; Deus autem qui novit caſtigare carnem ut vivificet ſpiritum, deprimere ſuperbos ut exaltet humiles, *Quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* d, arefecit fæcunditatem Phenennæ, eamque largitus eſt Annæ. Sic cum caro noſtra eſt fœcunda, anima noſtra eſt ſterilis; & cùm ſpiritus noſter eſt fertilis, caro noſtra eſt infœcunda. Cùm caſtigamus concupiſcentias carnis, augemus vires ſpiritus; & cùm mortificamus corpus, vivificamus animam. Defleat corpus, ſuſpiret, gemat, cùm medios inter iſtos gemitus ſuas inveniat delicias anima æquè ac ſua commoda. Pinguedo & ſana valetudo ſenſuum, inediâ conficit ſpiritum, ſed abſtinentia carnis eum extraordinario exhilarat modo.

b Iudith. 4. 12. &c.
c 1. Reg. 1. 2. &c.
d 1. Petr. 5. 5. & Iacob. 4. 6.

Nihil eſt potentius in mundo jejuno. Sed non ſatis jejunii gloriam magnificatur, ut ſit tutela militibus; Chriſtianorum Dux ipſe exercituum eo uſus eſt. Chriſtus declinaturus à tentationibus diaboli in deſerto jejunii arma capeſſit, hâc roboratur virtute, his munitur armis, *cùm ieiunaſſet* e, ut omnes diaboli in ſe inſurgentis retundat impetus. *Ieiunium, Fratres, ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti caſtra, murum Spiritus*, ait S. Chryſologus f. Cùm ſingulare certamen inivit Chriſtus cum diabolo in ſolitudine, ut adverſùs eum prævaleret, & meliùs de illius triumpharet temeritate, ſolo armavit ſe jejunio, & pòſt in arenam deſcendit, ſuum non aggrediens adverſariū, quin priùs hanc exercuiſſet, juxta morem Athletarum, virtutem, nec fortius habuit ſcutum, nec validiorem thoracem, quibus armis reluctaretur inferni, ipſâ abſtinentiâ. *In hâc armaturâ ab ipſo principio fuit homo formidoloſus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Princeps & Primogenitus victoriæ factus eſt, ut daret primam coronam victoriæ ſuper caput naturæ noſtræ*, ait S. Iſaac g. Et S. Baſilius h iiſdem ferè terminis ait, *Caput omnium velatorum Dominus noſter cùm per ieiunium carnem, quam pro nobis aſſumpſit, muniviſſet, ſic in ipſo Diaboli inſultus ſuſtinuit, quò & nos erudiret, ut per ieiunia ungamus ac exerceamus nos ipſos ad certamina in tentationibus, & adverſario per famem ac inopiam, accedendi velut anſam preberet.* Ita ut dicere poſſimus, jejunium ipſomet eſſe Deo fortius, cùm Chriſtus verus Deus & homo, ſuis veluti diffiſus viribus, licèt inviĉtiſſimis, & ſciens quòd diabolus validè ſe armaret in inferno ad ipſum tentandum in deſerto, voluerit munire ſe jejunio, ut reſiſteret furioſis huius inimici inſultationibus. Et idem Jeſus Chriſtus, qui ſuper Cruce vincere debebat diabolum, ut ipſe prædixerat per Prophetam i, *Morſus tuus ero inferne*, jejunio ſe roboravit ad ſuperandum eum; cùm enim Judæi qui eum ignominioſè cruci per milites ſuffixerant, invitaſſent eum ad bibendum, poſtquàm *dederunt ei vinum bibere, noluit bibere* k, renuens hanc potionem, ut meliùs poſſet jejunio ſuo diabolum vincere ſuper hâc arbore glorioſâ. Jejunium tandem eſt fortius ipſo Deo: efficit enim ut Deus revocet ſententias & condemnationes adverſùs peccatores à ſe latas l (ſi liceat his uti terminis) & juſtitiam Divinam mutat in miſericordiam (ſi etiam non veretur its loqui) & validè continet iram Dei ne ulciſcatur ſe de hominibus. Jejunium omnia poteſt. Jejunium roboravit Samſonem m. Jejunium n impedivit ne leones devorarent Danielem in lacu conſtitutum, & eorum dentibus expoſitum lacerandum. Jejunium o illæſos conſervat tres pueros nobiles in fornacem conjectos Babylonicam. Jejunium efficit ut Judith p victoriam de Holoferne referat glorioſam, unitum jejunio Bethulienſium q, quod diſponit hos incolas ad triumphandum de hoc hoſte ſuo, manu huius illuſtris Viduæ r.

Miror equidem quomodo diabolus videns quòd S. Joannes Baptiſta rudem exercebat pœnitentiam *in deſerto: Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos*; & quòd *exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua* s eiquem habebant ut Meſſiam; nunquam tamen petierit ab illo, utrùm ipſe eſſet Dei Filius. Et nihilominùs ubi advertit, quòd Chriſtus jejunaret, egreditur ex inferno, ut veniat petitū ab eo, *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant* t. Appoſitè S. Chryſologus u, *Diabolus Ioannem viderat urbium delicias ſqalentis eremi habitatione mutaſſe, mollitiem carnis veſtis aſperitate calcaſſe, agreſti cibo mundi totam ſtravaſſe luxuriam. Et, quod ſolum Deitatis inſigne eſt, hominibus dimiſiſſe peccata. Et tamen non ei dixit (ſi Filius Dei es) At ubi Dominum vidit iugiter ieiunantem, proclamat, Si Filius Dei es.* Diabolus magis metuit Chriſtum in deſerto, quàm S. Joannem cum totâ pœnitentia ipſius. Quare? *At ubi Dominum vidit iugiter ieiunantem*, eum agnoſcit Dei Filium, & ut ſic eum veretur: Joannes autem comedebat in ſolitudine, licèt ſolas locuſtas, & aquam bibebat, *Eſca autem eius erat locuſta, & mel ſylveſtre* x. Ut innuatur, quòd illi qui comedunt, non multi æſtimentur à diabolo, nec ullam apud eum ſibi concilient authoritatem.

Poſtquàm multoties agnoviſſet diabolus quòd Chriſtus eſſet æterni Patris Filius, videns tamen quòd poſt reſurrectionem ſuam *manducaſſet coram* y diſcipulis ſuis, dubitaſſe videtur hic humanæ naturæ hoſtis de Divinitate eius, & inquiſiviſſe modum parandæ ei ſecundæ crucis, cumque denuo patibulo affigendi, deſtinando illi alteram crucem, ſtatim ac eum intuitus eſt iterùm comedere, ſicut ante mortem ſuam conſueverat manducare *cœnam, & Martha miniſtrabat* z illi ſuſtentandæ vitæ ipſius neceſſaria utplurimùm; cùm non poſſet hic adverſarius communis credere, quòd Chriſtus eſſet Filius Dei, aut vires non haberet, quibus mediis, ab hoſtium aut inimicorum manibus ſe potuiſſet eripere. Unde clarè videmus, quàm valida ſint jejunii arma, cùm inferno tremorem incutiant, & Chriſtianis vires & animos addant, ita ut nemo poſſit eis nocere, aut ullum eis afferre damnum. Si igitur Sancti jejunii exercitio incumbunt, & ſi Author ipſe ſanctitatis eſſentialis, quippe qui eſt *Sanctus Dei* a, jejunio vacat; ſi Chriſtus quem ſcimus totius *plenum gratia*, & ejuſdem gratiæ Opificem, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* b, his munit ſe armis jejunii *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* c, ut iis infernum oppugnet, & de rabie illius triumphet: quid debemus agere nos impetiti à tot inimicis interioribus & exterioribus, qui nos ad intrà, ad extrà, & circùm circà aggrediuntur? Debemusne medias inter infirmitates noſtras, noſtrarum oppreſſi gravitate culparum, voluptatibus indulgere, & deliciis diffluere?

Univerſa ad noſtram concurrunt jacturam. Non ſunt in nobis tot vires, quot in Sanctis. Gratiis non potimur iis, quibus fruebatur Chriſtus, ut earum Artifex. Ha! nunquid non jejunabimus? blandiemurne nobis medis inter noſtra crimina? *Ille qui peccatum non habebat, ieiunavit. Tu non vis ieiunare qui peccas?* ait S. Ambroſius d. Heu! quàm miſerandi ſumus, cùm noſtræ conſentiamus ruinæ. Noſtros fovemus inimicos, & tota ſumus inſolentiæ eorum cauſa. Gula noſtram machinatur deſtructionem, concupiſcentia nos prodit more alterius Rahab propriâ tradentis hoſtibus civitatem ſuam Jerichuntinam e, modò promittatur ipſi favor & immunitas in deſtructione generali omnium virtutum, quam prævidet ipſa, quamque procurat, ſciens quòd noſtra conſilia ſunt ipſi accommoda ac proficua, & quòd nos malemus noſtram prodere fælicitatem, quam ipſi diſplicere.

Nihil

e Matt. 4. 2.
f S. Chryſol. ſerm. 12.
g S. Iſaac loco ubi ſuprà.
h S. Baſil. hom. 2. de Ieiunio.
i Oſee. 13. 14.
k Matth. 27. 14.
l Ion. 3. 5. &c.
m Iudic. 15. 11. & 19.
n Dan. 14. 16 &c.
o Dan. 3. 37. &c.
p Iudith. 8. 9. &c.
q Iudith. 4. 12.
r Iudith. 13. 32.
s Matth. 3. 5. &c.
t Matth. 4. 2. & 3.
u S. Chryſol. ſerm. 12.
x Matth. 3. 4.
y Luc. 24. 14.
z Ioan. 12. 2.
a Marc. 1. 24.
b Ioan. 1. 14 & 17.
c Matth. 4. 2.
d S. Ambr. ſerm. 35. ex 1. Petr. 2. 22. & ex Iſai. 53. 9.
e Ioſue 2. 1. &c.

Nihil eſt quod ipſi nnn promittant diaboli, & primum verbum horum victorum inſolentium, cùm poſſidendas noſtras ingrediuntur animas, idem eſt ac illud Iſraelitarum turmatim ingredientium Jericho, *Sit civitas hæc anathema: & omnia quæ in eâ ſunt*, internecione delcantur, *Sola Rahab meretrix vivat cum univerſis qui cum eâ in domo ſunt* t,
t Joſue.6, 17.
cognatis & affinibus ejus, cùm per eam noſtris fœlicem largiti fuerimus exitum conſiliis, ſolam reſervate gulam, cætera verò igni & ferro committite.

Quòd ſi noſtræ diabolum efficiunt inſolentem intemperantiæ, ut videtis; ſi gulæ noſtræ eum reddunt victorem de nobis ipſis; quis non videt jejunio nos evaſuros de illo victores, & his armis munitos de ejus temeritate triumphaturos? cùm jeiunium nos reddat invincibiles, & toti interno ac omnibus poteſtatibus eius formidabiles. Ait Evangeliſta g, quòd Chriſtus
g Marc.1, 13.
in deſerto, ubi ieiunabat, & in quo tentatus fuit à dæmone, *erat cum beſtijs*, converſabatur cùm feris, ut edoceat nos inde, quòd ille qui ieiunio vacat, ſecurus eſt medias inter ipſas beſtias ferociſſimas, cùm nihil ſit quod officere & nocere queat ieiunio, & quòd quiſquis his inſtructus eſt armis defenſivis, nihil metuere debeat, cùm omnia contemnere poſſit pericula, & deridere vanos conatus inimicorum, quia *non accedet* ad illum *malum* † ullum.
† Pſ.90.10.
Jeiunium igitur nos reddit invincibiles, *Hæc enim in nobis virtutum portio Dei eſt, ut ieiunemus frequenter, quoniam ſemper Deus ipſe ieiunat. In quocumque igitur plus operum ſuorum ineſſe perſpexerit, ipſi magis familiaris: intimus, & amicus eſt*, *ſicut Scriptura* h *dicit: Et Moyſes loquebatur cum Deo facie ad faciem, ſicut quis loquitur cum amico ſuo*, ait S. Ambroſius i.
h ex Exod. 33. 11.
i S. Ambr. Serm. 27.
Jeiunium igitur ſecundò nos parvos efficit Deos, inſtar Moyſis.

II. Pars.
Non ſolùm rorabat nos ieiunium in militiâ, cui noſtrum dedimus nomen; ſed in nobis etiam hanc admirabilem admiratur metamorphoſim, ut nos à materiâ purificans, omnino nos efficiat ſpirituales, & ex hominibus peragat nos evadere parvos deos, non viventes ampliùs niſi gratiâ, per quam efficimur *Divinæ conſortes Naturæ* k,
k 2. Petr.1, 4.
cùm gratia ſit participatio Divini eſſe; quæ nos ad Deum per ieiunium proximè facit accedere, ſicut *Horum dierum noctiumque ieiunio Moyſes ſanctus meruit cum Deo loqui, ſtare & conſiſtere, & de manu eius legis præcepta ſuſcipere. Quamvis enim illum ab obtutibus Dei conditio humana ſubtraheret, ieiuniorum tamen gratia proximum illum Divinitatis conſortio faciebat* l, ait S. Ambroſius.
l S. Ambr. Serm. 27.
Per ieiunium terræ adhæremus præ ſolâ neceſſitate; corpus noſtrum non delectatur ampliùs iis, in quibus aliàs ſuas inveniebat delicias; illud tantum ſumit quod ſibi eſt præciſè neceſſarium ad tuendam vitam, ne perpetrare videatur homicidium. Univerſa ſunt ei inſipida, & eò eſt redactum ut optimos faſtidiat cibos, ita ut per anticipationem, corporum glorioſorum potiri videatur dotibus m, quandiu animæ *converſatio in cælis eſt* n, & *non in ſolo pane vivit, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei* o, & ſic eſt tota Divina.
m 1. Cor. 15. 51. &c.
n Philipp. 3. 20.
o Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3.
Videte, Auditores, hominem jeiunum; Solis neceſſitatis legibus terræ eſt alligatus, ipſe eſt ac ſi non eſſet; nec diceretis eum hominem, niſi humanitatis aliquam præ ſe ferret adhuc apparentiam exteriorem. Sumeretis eum ut aliquam divinitatem, nullâ re indiget, & poteſt dicere ſicut quidam tranſiens per plateam civitatis, & videns plura volatilia in raſtellis appenſa, *Quantis non indigeo*; cùm ſit independens ab omni eo, cuius penuriam pati non poſſunt guloſi, profundentes omnia abdomini, quod adorant more divinitatis, *Quorum Deus venter eſt* p. Sed ieiuni ſolo paſcuntur Deo, cujus præ ſe ferunt qualitates, cùm jejunium ſit veluti pignus gloriæ, & ſymbolum beatitudinis, *Divinarum virium liniamenta*, ait Tertullianus q.
p Philipp. 3. 19.
q Tert. lib. de Reſurrect. Carn. c. 14.

Jejunium eſt medium convenientiſſimum poſſidendo Deo imò ex hâc vitâ, & ſuſcipiendis ab illo conſolationibus ſpiritualibus; quod maximum eſt privilegium inducens ad ſpernendaa omnes conſolationes ex carne & ſanguine provenientes. Ratio iſtius eſt, Quia cùm proprium officium Spiritus ſancti ſitum ſit in illis conſolandis qui ſunt *lugentes* r ob amorem ipſius; r Iſai. 61. 2.
ſtatim ac intuetur animam renunciantem omnibus conſolationibus carnis, illico replet eam deliciis ſpiritus; quia cùm anima vivere non poſſit ſine voluptate, cùm propter amorem Dei ipſa ſe privat deliciis terrenis, rectæ rationi conſonũ eſt ut provideantur ipſi cœleſtes, ſicut Deus ipſemet id præcipit, *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo: bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur ampliùs* s. s Prov. 31. 6.
Sanè iſtud vinum quo fuerunt inebriati Apoſtoli, *cùm complerentur dies Pentecoſtes* t, non præbetur iis qui ad ſatietatem deliciis & conſolationibus hujus mundi fruuntur, sed potiùs iis qui ab iis jeiunant propter gloriam Dei: quia ſicut nemo mittit Medicum domum illius qui ſanâ viget valetudine, ſed tantùm in domum illius qui æger eſt: ſic Deus, Spiritus hic *paraclêtus* u non mittitur domum eorum qui ſaturati ſunt; ſed eorum, qui ſunt afflicti, domum viſitare conſuevit, ut eos conſolationibus perfundat.
t Act. 2. 1. &c.
u Joan. 16. 7.

Non eſt diffitendum, diabolum ordinariâ & ſolitâ temeritate uſum fuiſſe, dum aggreſſus eſt tentare Dei Filium in deſerto, *cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, Licèt enim agnoſceret dæmon quòd Chriſtus *poſteà eſurijt* x; x Matth. 4. 3. &c.
ipſius tentatio fuit tamen temeraria, quia credere debebat, quòd homo jejunus aut erat Deus, aut proximè ad Divinitatem accedebat. Ubi obſervate, ſi placet, verba Toſtati y y Toſtat. quæſt. 10. in 2. Reg. 6. 7. &c.
in hæc verba Scripturæ. *Dominus percuſſit Ozam ſuper temeritate*, dicentis, *Hebræi dicunt quòd peccavit Oza, eò quòd voluit tenere Arcam: quia in hoc innuebat, quòd Arca poſſet cadere, & quòd indigeret ſuſtentari ab aliquo, ſed in hoc negligebat eam, quia ipſa à nullo indiget teneri, ſed potiùs illa portat portitores ſuos.* Quæ verba inſimulare videntur Ozam Hæreſis, quaſi temeritas ipſius fuiſſet Hæreſis. Sic Hæreticus fuiſſe videtur diabolus, cùm tentare eſt auſus Dominum noſtrum, quia credere debebat, abſtinentiam quadraginta dierum, & totidem noctium exercitam à Salvatore, qui nihil penitus comedit & bibit toto illo intervallo, quo deſertum incoluit, fuiſſe actionem corporis Divini, aut ſaltem hominis virtute pluſquàm humanâ, & omnino Divinâ præditi. Huic favet Sanctus Chryſologus z conceptui, z S. Chryſol. ſerm. 166.
dum conſiderans quòd, poſtquàm *quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comêdit, & aquam non bibit, cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinai, ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini* a, a Exod. 34. 28. & 29.

Digitized by Google

ſic eloquitur. *Moyſes ipſe dierum quadraginta ieiunio ita humano defæcatus eſt, & exinanitus à corpore, ut totus Divinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc noſtri corporis obſcuro tota fulgeret lumine Deitatis.* Quaſi diceret, jejunium eripuiſſe ei omnes mortalitatis notas, ita ut non videretur ampliùs eſſe homo Moyſes. Jejunium mutaverat ei qualitates hominis mortalis, & facies ejus apparuit penitus glorioſa, nullum præ ſe ferens veſtigium fragilitatis humanæ; ita ut videretur ipſe reſuſcitatus ad gloriam.

Quid utilius jejunio? quid glorioſius? quid potentius quàm mutare in nobis conditiones mortales in qualitates omnino cœleſtes, & nos convertere in parvos Deos? Quis poſt commoda & emolumenta ſic proficua jejunii exercitio renuet incumbere? Quis ita ſanctam non amabit virtutem, & ejus praxim non libenti amplexabitur animo, ſuam prodendo fœlicitatem, ut meliùs ſuæ faveat ſenſualitati? quæ ex hominibus tranſmutat nos in beſtias, ut accidit filiis Iſraël, quos, cùm

b Exod. 15. 27. aliquandiu manſiſſent ſub palmis *Elim* b, & ibi dulces fontium bibiſſent aquas; *profectique ſunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Iſraël in de-*

c Exod. 16. 2. &c. *ſertum Sin* c; invenientes ibi aliquam difficultatem, & aliquam defectum, pœnituit illico reliquiſſe carnes Ægypti, ut ingrederentur in ſolitudinem, ad quam tamẽ ipſos duxerat Deus, extrahendo ipſos è captivitate & tyrannide peccati. Hi guloſi repræſentati per filios Iſraël, viventes more beſtiarum, qui de nihilo unquam cogitant, niſi de carne & ſanguine, ſolam reformidant vel abſtinentiam. Jejunium quod eos ſimiles efficeret, non dico Angelis, ſed Deo ipſi, illos pavore percellit. Malunt ſe volutare in carne & ſanguine, & in ſterquilinio ſordium & horrorum non minùs ac ſues, quàm exiguam exercere auſteritatem, & dicunt cùm Iſraëlitis, *Utinam mortui eſſemus per manum Domini in terrâ Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: cur induxiſtis nos in deſertum iſtud ut occideretis omnem multitudinem fame?* Non pudet guloſos iſtos poſtponere Deum abdomini ſuo, nullam aliam agnoſcunt divinitatem præter ſuorum delicias ſenſuum, quæ ipſos terræ alligant non ſecus ac beſtias immundas; cùm medio jejunio evehere ſe poſſent ad Deum uſque, juxta cõ-

d S. Bern. ſerm. 66. in Cant. ſilium S. Bernardi d, ſi ſalutaris vellent ejus auſcultare, & in praxim redigere monita, dum ita

e ex Epheſ. 5. 18 loquitur, *Abſtineo à vino, quia in vino luxuria eſt* e. *Abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia.* Propoſuerat ſibi S. Bernardus abſtinere à vino, priùs ipſe ſecutus cõſilium Apoſtoli dicentis, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Cujus rationem Dionyſius Car-

f Dion. Carth. art. 5 in Epheſ. 5. 18. thuſianus f affert, ſubdens, *cauſaliter, quia calorem auget, atque libidinem concitat*; & ſic eſt cauſa impuritatis perpetrandæ; & non comedere ampliùs carnes, ne forſan cùm ejus caro carne paſcatur, in ipſo ſimiliter foveret crimina; ſed ſolùm panem moderatè manducare, ne cibis æquo graviùs onuſtus venter ipſum gravem exhiberet ad praxim ſanctorum exercitiorum, quæ ipſum unire poſſent

g 1. Cor. 6. 17. Deo, ipſumque eamdem rem cum Deo facere g. Ratio iſtius eſt, Quia homo cibis oneratus, paratior eſt ad ridendum quàm ad flendum, ad dormiendum quàm ad vigilandum, ad frequentandum cum hominibus quã ad converſandum cum Angelis, & cum Deo, uniendo ſe ei poſt peractum jejunium, & poſt humiliatum abſtinentiâ aliquâ corpus ſuum.

Jejunandum eſt igitur nobis, niſi velimus ſubminiſtrare vires inimico noſtro, & ipſum noſtris ſuperbum efficere blanditiis. Educendum eſt brachium noſtrum ex igne, ſi velimus ut illo non comburatur. Debilitandum eſt corpus noſtrũ, ſi deſideremus illud habere nobis ſubditum. Et,

h S. Aug. tract. de utilit. jejun. c. 1. ut ait S. Auguſtinus h, *Ne quiſquam fortè hoc faciens Eccleſiæ conſuetudine, cogitet apud ſe, & dicat ſibi ipſi, ut ſuggerentem intrinſecùs audiat tentatorem: Quid facis, quia ieiunas? Defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipſi ingeris pœnam, tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis. Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis eſt qui delectatur pœnis tuis. Reſpondes huiuſmodi tentatori: Excrucio me planè, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille ſubveniat, ut placeam oculis eius, ut delectem ſuavitatem eius. Et tali diſſuaſori malo ſervo ventris reſponde per hanc ſimilitudinem, & dic: Si iumento forte ſederes, ſi equo uterêris qui te geſtiendo poſſet præcipitare: Nonne ut ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares quem fræno non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt: iter ago in Ieruſalem, plerùmque me rapit, & de viâ conatur excludere: Via autem mea Chriſtus eſt* i: *Ita exultantem non cohibebo ieiunio?* i S. Ioann. 14. 6.

Jejunare ergo debemus. Ut autem jeiunium noſtrum efficiatur Deo jucundius, ſociam habere debet individuam eleemoſynam; oportet ut abſtinentia noſtra ſit pauperibus accommoda; tunc enim jejunium noſtrum erit potentiſſimum, medias nos inter occaſiones efficiet induſtrios, ſemperque victores in certaminibus, ut ait S. Chryſologus k, *Ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cùm duce miſericordiâ pugnat.* Om- k S. Chryſol. ſerm. 8. nia poteſt jeiunium, quod comitatur miſericordia; ſicut è contrà *ieiunium ſine miſericordiâ ſimulacrum famis eſt*, dicit idem. Quod ego dico intuitu illorum qui jeiunãt præ avaritiâ, ut ſuis pareant commodis; non autem præ virtute, ſuas non impendentes eleemoſynas in gratiam pauperum; hi ſunt hypocritæ & Deus illorum parvi facit jeiunia, *Qui non ieiunat pauperi, Deo fingit*, proſequitur idem. Jeiunium ſine charitate pauperibus erogata eſt imago famis: ſi pictor delinearet vobis imaginem famis, proculdubio repræſentaret vobis pœnitentem maceratum, oculos præ ſe ferentem infixos intùs, & palpebram tnanem & vacuam, lacrymis per fuſas genas, faciem colore terreno horridam & macie confectam, & verſùs cœlum directam, ac manus decuſſatas ſeu in modum crucis complicatas: quis verò non videt, quòd hæc pictura foret ingrata Deo? quia in ſolis ipſe ſibi complacet animatis rebus, *Quod eſt anima corporis, ieiunio largitas hoc habetur*, concludit S. Chryſologus. Sicut enim hæc imago non foret niſi repræſentatio mendax lacrymarum fictarum pœnitentiæ exterioris; ita hæc mortificatio non procedit è corde. Et hæc eſt ratio propter quam ſanctus ille Ravennas Antiſtes aſſerit, jeiunium ſuâ excidere virtute, cui non unitur charitas, quam commodè poſſit erogare is, qui jeiunio vacat, *Ieiunium ſine miſericordia ſimulacrum famis eſt.* Non poteſtis ieiunare? Eleemoſynam erogatis? iſta vobis ſufficit. Jeiunii praxi incumbitis, nec tamẽn eleemoſynam impertimini, cùm eam ſine diſpendio rei veſtræ familiaris largiri poſſitis indigentibus ad ſublevandas eorum miſerias & famem, illud vobis non eſt ſatis. Sociandæ ſunt ſimul ieiunium & eleemoſyna.

Jeiunemus igitur, Auditores, cùm ieiunium ſubminiſtret nobis vires, quarum interventu noſtrorum reluctemur inſultationibus inimicorum

Ieiu-

l S. Amb. Serm. 37.

Jejuniis enim laſcivia corporis caſtigatur, orationibus devota ſaginatur anima, vigiliis inſidiæ diaboli depelluntur, ait S. Ambroſius l: efficiat nos induſtrios, & de iiſdem inimicis victores. Cùmque ejus virtute evadamus parvi dii, nec valeat nos aggredi niſi ad confuſionem ſuam diabolus, his roborati armis, quæ nos reddunt invincibiles, jejunia noſtra animemus miſericordiâ, omnia poterimus in cœlo & in terrâ, & Deus qui præ deliciis intuetur nos incumbentes praxi operum miſericordiæ in gratiam pauperum jejunando, ſuarum exercebit profuſionem miſericordiarum erga nos in hoc mundo per gratiam ſuam, *& torrente voluptatis* m *ſuæ* & deliciis gloriæ æternæ potabit nos in altero.

m Pſ. 35. 9.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. ADVENTVS.

Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 7. &c.

a Matth. 9. 25. b Matth. 21. 5. c Ibid. d Matth. 8. 15. e Matth. 9. 7. f Matth. 9. 33. g Matth. 11. 5. h Ioan. 21. 20. i 1. Ioan. 3. 8. k Ioan. 1. 3. l Exod. 24. 18.

IN hunc mundum venit Dei Filius operatum mirabilia, ſuſcitatum mortuos a, erectum claudos b, illuminatum cæcos c, ſanatum ægros d, paralyticis e præbitum motum, mutis f loquelam, & ſurdis auditum g. Sed præcipuus finis, propter quem è cœlo in terram deſcendit noſtræ naturæ indutum infirmitates, is eſt, juxta id quod ait Diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* h, ut opera inimici noſtri deſtrueret. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* i. Hæc opera ſunt ſpeciatim peccatum. Deus fecit omnia quæ ſunt in mundo, *Omnia per ipſum facta ſunt.* Sed peccatum aliud agnoſcit principium, *Et ſine ipſo factum eſt nihil* k. Ideò ut deſtruat peccatum populi ſui, ait Moyſi, *Deſcende, peccavit populus tuus.* In monte l *devotio apud Deum eum tenebat, periculum populi redire ad externa cogebat. Aſcendit per contemplationem, deſcendit iterùm per compaſſionem. Charitas Dei ſurſum trahebat, charitas proximi deorſum revocabat* m, cùm vellet per eum Deus populum ſuum criminis idololatriæ ab ipſo patrati arguere. *Odio Deo impietas* n ſic eſt, ut Filium ſuum excipiat non ſecus ac reum, quia indutum *ſimilitudinem carnis peccati* o. Et Filius iſte qui *in hoc apparuit ut diſſolvat* illud, & ad nihilum redigat, miſer efficitur eo momento quo incipit eſſe homo in ſinu Virginis Deiparæ p, cùm dicit ei Angelus, *Ave Maria.*

m à Kempis 2. part. tom. 1. concion. 15. n Sap. 14. 19. o Rom. 8. 3.

p Luc. 1. 31. & 28.

Nihil eſt quod magis diſpliceat, & quod majorem cauſet dolorem animæ juſtæ, quàm peccatum. Si triſtatur Chriſtus, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* q, etiamſi eum aſſerat Scriptura *plenum gratiæ* r, & ejus animam nunquam deſeruerint voluptas & oblectamentum ob gratiam unionis quæ *non eſt in genere gratiæ habitualis, ſed eſt ſupra omne genus,* ut ait S. Thomas s; attamen ejus anima hâc voluptate & hoc oblectamento æquè ac iſta gratia unionis cumulata, afflictione & dolore affecta eſt propter alienum peccatum. Origenes t ait quòd peccatum Judæorum, qui ipſum per milites Pilati crucifigere debebant, ipſum dolore affecit, *Videns inſtans ſibi certamen adversùs Principes congregatos in unum* u *adversùs ſe, quantus nunquam, cœpit pavere, vel triſtari.* Quòd ſi peccatum extraneum afflictione impetivit animam gratia unionis æquè ac gratia habituali repletam, quantò plures afflictiones, triſtitias, & amaritudines cauſare debebit proprium peccatum animæ, quæ iſtis non potitur gratiis. S. Anſelmus & Seraphicus Pater S. Franciſcus jugibus perfundebantur lacrymis propter peccata quæ perpetrabantur, eò vel maximè quòd voluptas quæ percipitur ex peccato, non eſt ſolidum oblectamentum, neque ullo modo verum; Si enim conſcientia nos ſtimulat, ut quid mundus nos laudat? cùm hoc ſit exterius, illud verò interius.

q Matth. 26. 38. & Marc. 14. 34. r Ioan. 1. 14. s S. Thom. 3. p. q. 7. a. 13. ad 3.

t Orig. tract. 35. in Matth. 27. 33.

u Pſal. 2. 2.

S. Chryſoſtomus x ait ad hoc propoſitum; *Hoc eſt doctrina optima, atque adeò prima, ſcire nos eſſe inquilinos in vitâ præſenti. Quemadmodum inquilinus prædium aliquod ingreſſus, rurſus tranſit in aliud prædium, ſi jubeat dominus, ita nos per Baptiſmum Eccleſiam ingreſſi, qui eramus inquilini, ſuperni cives efficimur.* Inquilinus eſt ille qui alicubi domum conducit ad certum tempus, & ſtatim ac ea potiri incipit, in ea res ad ſuum ordinat placitum, dicens, Hæc aula vernæ tempeſtati erit accommoda, illa verò hybernæ, ibi erunt officinæ, iſte erit locus ſuſcipiendis & oblectandis amicis meis idoneus: Ita, ait S. Chryſoſtomus, in hoc mundo non ſolùm ſunt peregrini cœli, ſed etiam inquilini falſarum voluptatum, qui eas conducunt numeratâ pecuniâ, & ſua impendunt commoda in illud quod ipſis tandem comparare debeat infernum, more Jonæ qui *dedit naulum ejus* y, etiamſi poſteà *deglutiret* z ipſum, cete. Sic peccatores iſti, quaſi non eſſent morti obnoxii, & nulla ſupereſſet altera vita, diſponunt falſa ſua oblectamenta, & delicias ſuas doloſas, ac ſi nunquam deberent deficere, & ſi ipſorum duratio futura eſſet æterna. Hi non poſſunt imaginari ſe eſſe mortales, cæco currunt impetu poſt voluptates quæ nihil ſunt niſi apparentiæ; deduni ſe peccato quod non eſt aliud niſi nihilum, niſi vacuum quod nihil habet ſolidum & verum, cùm ſit privatio ipſius gratiæ. Et hoc eſt quod oſtendam vobis, Primò, Peccatum eſſe vacuum gratiæ, per convenientias quas habet cum vacuo. Secundò, Monſtrabo vobis rationes propter quas Deus fecerit hominem peccabilem, id eſt, peccato obnoxium.

x S. Chryſoſt. hom. in Pſ. 119. & hom. in Pſ. 14.

y Ion. 1. 3. z Ion 2. 1.

Diviſio.

1. Pars.

Nemo eſt qui inficias eat. Nihil eſt Eloquentiâ potentius. Operatur hæc Ars mirabilia, nec aliquid eſt quod non poſſit Orator, cùm ſibi propoſuit ejus lenocinia adhibere. Sanguinem accendit, animo vires addit, ad generoſas ſuſcipiendas impellit actiones homines timidos ad exiguas res tantùm natos, maximè tepentes ſurſum evehit, & maximas res eò uſque deprimit ut illarum ſuadeat contemptum, cùm earum meditatur & aggreditur interitum & ruinam. Non ſum facundus equidem, Auditores, ſed in hoc occurſu eloquentiam expeterem, non ut extollerem ſubjectum quod nihil meretur niſi depreſſiones,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

viliſſimum, deſpectiſſimum, & damnoſiſſimum eorum omnium quæ fuerint unquam, ſed ut horrorem illius æquè ac odium immortale adverſus illud vobis conciliarem; nimirum peccatum, quod eſt inimicum Dei & hominum, à quo declinare debemus, etiamſi nobis eſſet fundendus ſanguis, & mors appetenda ignominioſa æquè ac doloroſa. Loquuntur omnes indiſcriminatim & promiſcuè de peccato homines, & tamen quid ſit peccatum maxima pars hominum planè ignorat. *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*, ait S. Auguſtinus a. In nobis eſt lex, lumen b internus, ſeu ratio quæ debet eſſe conformis huic legi æternæ, quæ debet eſſe menſura & regula legis noſtræ, cùm iſta ab illa diſcedit, quod fit cùm peccatum perpetratur. Dicitur etiam à Theologis poſt Scripturam †, quòd *peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam*. Sed, ut verum fatear, peccatum nihil eſt aliud niſi nihilum, niſi privatio & vacuum gratiæ.

a S. Aug. lib. 2. contra Fauſt. c. 27.
b Pſ. 4. 7.
† Jer. 8. 5. & 6.

Jure ergo merito peccatum æquiparo vacuo, quod non eſt aliud niſi privatio, niſi nihilum mente conceptum; non eſt, & intellectus noſter illud apprehendere non poſſibile. *Vacuum eſt locus non repletus corpore, aptus tamen repleri*, ait Philoſophia. Vacuum eſt nihilum; peccatum quid eſt aliud niſi vacuum gratiæ & nihilum? *Ens & bonum convertuntur*, aſſerit eadem Philoſophia. Peccatum non eſt ens: Oportet igitur ut ſit nihilum & vacuum, cùm non ſit bonum. David c poſt peccatum ſuum huic authoritatem conciliaturus veritati, nonne dicebat? *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi*. Fateor equidem & ritè agnoſco errorem, quo deceptus eram, quandiu volui deſerere obſequium Domini & Dei mei, ut communicarem fœlicitati impiorum; meam promo palam ignorantiam, quæ meam propemodum machinata eſt ruinam, *& neſcivi*, & deprehendo me fuiſſe hominem nihili, quia nondum iſtud eximium edoctus fueram ſecretum, quòd omne quod eſt in hoc mundo, exigua quidem res eſt, intuitu gloriæ æternæ, quæ incomparabiliter multò major eſt fœlicitatibus terrenis, & voluptatibus & delicijs apparentibus, quibus fruuntur impij & peccatores in terra; *& non cognovi*, vertit S. Auguſtinus d, & ſubjungit. *Quid eſt, non cognovi? Quaſi pecus factus ſum ad te. Iſte quaſi pecus factus eſt deſiderando terrena, quando redactus ad nihilum non cognovit æterna.*

c Pſ. 72. 22.
d S. Aug. in Pſ. 72. 22. & 23.

Prima proprietas hujus nihili vacui eſt, ut ſit cœleſtium influentiarum incapax ſuſcipiendarum. Supponite v. g. quòd daretur vacuum in hoc templo, corpus quod intra iſtud vacuum concluderetur, cœli influentias non ſuſciperet; pervenirent illæ quidem ad extremam vacui ſuperficiem, quia maximè *natura abhorret à vacuo*, & ignis deſcenderet è ſphærâ ſuâ contra propriam naturam, cùm proprium ſit igni ſurſum tendere ob levitatem ſuam; eodem ſe gereret aër modo propter eandem rationem; terra & aqua, etiamſi graves & craſſæ, ſuæ vim inferrent naturæ, & ſurſum aſcenderent contra propriam inclinationem, ut impedirent vacuum, à quo ſic abhorrent elementa ut nulla inter ipſa admittatur ſocietas, affinitas, & communicatio; quin imò illud formidant ut rem ſibi oppoſitam & lethiferam, & ideò cavent maximè ne ad illud accedant. Homo qui eſt in ſtatu peccati lethalis conſtitutus, eſt veluti vacuum, incapax ut ſic ſuſcipiendarum gratiarum cœleſtium, & ſibi conciliandarum harum influentiarum, quas Deus diffundit *in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui* e *datur ijs*, qui ad eas ſe diſponunt, quia hujuſmodi diſpoſitio neceſſaria eſt in ſubjectis ad illas ſuſcipiendas, quæ tamen non invenitur in peccatoribus; *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* f. Omnes gratiæ, quæ accedunt ad eum, quæque illi præſentantur, cùm Deus indiſcriminatim ſufficientes omnibus gratias offerat hominibus ut media neceſſaria & adæquata fini, propter quem dedit illis vitam, ſiſtunt ad extrà, nec ultrà progredi poſſunt, & intima pervadere, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* g. Deus ſtat ad valvas cordis noſtri, pulſat, nec irritatur ob noſtros contemptus, ſemper contentus nobis exhibere probationes amoris ſui, non obſtante ingratitudine noſtrâ, quæ iram ipſius poſſet accendere; *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* h. Sed illæ non pertingunt uſque ad peccatorem, quin imò ſiſtunt, nedum eum intimè penetrent; ut enim intrent in vacuum, expellendum eſt inde peccatum, quia gratia ſupponit illius abſentiam, quoniam diſtantia admittitur infinita inter vacuum peccati & gratiam, ut ait Theologia, *Gratia & peccatum infinitè diſtant*. Et unum cum altera non poteſt ſociari i. Pulſare poteſt Deus, & ad ſanctam vocare peccatorem emendatæ vitæ frugem, ſed incaſſùm, ſi impius audire ejus vocem renuat k; ſi obſtinetur, ut *induratum eſt cor Pharaonis* l, non obſtantibus tot prodigiis & flagellis, quibus ipſum afflixerat Deus miniſterio Moyſis, quibuſque cor illud marmoreum emollire ſatagebat. Deus illum plurimis tangit virgis, ſed iſta gratia, hæc influentia non pertingit uſque ad intima, vacuum eſt, ſemper eſt obſtinatior in vacuo peccati ſui, *Induratum eſt cor Pharaonis*. Judas, perfidus ille, erat vacuum in ſtatu peccati. Quid non agit Dominus ejus ut illum inde eripiat? Lavat illi *pedes* m, proſternit ſe ante illum, loquitur ei ad cor, ſed perperam; præbet illi ſemetipſum in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quantus amoris exceſſus! Sed illud eſt inutile. Suam inſumit manſuetudinem, ſuam potentiam, offert munera, minas adhibet, hæ ſunt omnes viæ quibus ad debiti reduci poteſt terminos æquo liberius & nequam. Has omnes adhibet Chriſtus erga Judam. Corpus ei præbet ſuum, munus eſt. Lavat illi *pedes*, humilitas eſt. Suaviter eum alloquitur, dum capitur, *Amice ad quid veniſti* n? dulcedo eſt. Suam monſtrat potentiam, cùm poſt hæc verba, *Ego ſum*, *abierunt retrorſum* o. Minatur, *Ex vobis unus diabolus eſt* p. Et, *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur* †. Illud omne eſt inutile. Quare? Quia Judas eſt in vacuo peccati, incapax ut ſic ſuſcipiendarum gratiæ cœli influentiarum.

e Rom. 5. 5.
f Iſai. 59. 2.
g Apoc. 3. 20.
h Iſai. 12. 3.
i 2. Cor. 6. 14. & 15.
k Prov. 1. 24. &c.
l Exod. 7. 3. &c.
m Ioan. 13. 5. &c.
n Matth. 26. 50.
o Ioan. 18. 6.
p Ioan. 6. 70.
† Matth. 26. 24.

Secunda proprietas vacui, eſt, quòd homo qui foret in vacuo, nulli peragendo idoneus eſſet motui, quia res inferiores pendent à ſuperioribus. Si primum mobile ceſſaret à motu, omnes alij motus interrumperentur, & licèt homo principium motus haberet in ſeipſo, non poſſet tamen ſe movere, niſi hoc externo motu juvaretur: atqui in vacuo non ſuſciperet hanc impulſionem, cùm, ut jam dixi, influentiæ cœli non pertingant ad vacuum. Homo in hoc ſtatu foret ſine motu. Videte peccatorem immobilem in ſtatu peccati. Nequidem greſſum peragere poteſt ſaluti opportunum, nulli poteſt actioni bonæ vacare, quia non habens principium vitæ, cùm gratia non influat in illum in ſtatu peccati, eſt ſine vita; expers motus, cùm illius non habeat principiũ.

Com-

Comedat, bibat, dormiat, incedat, hæ ſunt actiones animales, motus brutis communes; ſed re verâ mortuus eſt quoad animam, cùm non habeat principium vitæ illius, quod eſt gratia, & illi poteſt dici, *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es* q. Vivis appatenter, ſed mortuus es realiter.

q Apoc. 3. 2.

Triplex datur gradus vitæ, vegetantis, animalis, & rationalis. Vita vegetans, quæ ptopria eſt plantis, eſt creſcere, nutriri, & generare. Peccator his tribus ptivatur vitæ gradibus. Non creſcit virtute. Quis autem progreſſus à tanto tempote? Fortaſſe nec unam conciliaſtis vobis à veſtro Baptiſmo r, licèt ad id teneamini, *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus, ſanctificetur adhuc* s. Si creſcit, augetur vitijs, quæ ſunt mors animæ t. Non alitur Sactamentis, cùm ijs ſit indignus, *Mors eſt malis* u. Non generat, ſterilis eſt, nullos producit filios ſpirituales bonorum operum emanantium à gratia & à virtute, quibus eſt deſtitutus. Cùm non habeat operationes vitæ, mortuus eſt, *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es* vitæ vegetativæ. Non habet gradum vitæ animalis, qui eſt, ſentire, & moveri. Nullus eſt in peccatoribus motus, ut dixi; nullus ſenſus, *Aures habent, & non audient* x. Inſenſibiles ſunt ad omnia cœli dona, aut flagella, obſtinati in ſuis vitijs ut Pharaones, Judæ, & reprobi. Dicite eis quidquid vobis libuerit, prædicate eis, minamini illis, proponite eis cœlorum *regnum, & ſupplicium æternum* y; gloriam, & infernum; inſenſibiles ſunt, mortui ſunt gratiæ, *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es* vitæ animali. Nullum pariter præ ſe fert peccator gradum vitæ rationalis, qui eſt ratiocinari. Nulla ratio, nec aliqua ratiocinatio eſt in peccatoribus. Sic enim ratiocinari deberent, Deus meretur honores, reverentias, & adorationes ut Creator z, Conſervator a, & Redemptor b; Peccatum verò dignum eſt ſupplicijs: ergo ille eſt adorandus c, & iſtud fugiendum. Virtus mercedem ſecum trahit: ergo eſt capeſſenda: *Declina à malo, & fac bonum* d. Non ratiocinantur ſic, ideò quia in vacuo peccati nullum præ ſe ferunt motum, & mortui ſunt, *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es* vitæ rationali.

r Ioan. 3. 5.
s Apoc. 22. 11.
t Ezech. 18. 4. & 20.
u S. Thom. in proſa de SS. Sacram. opuſc. 57.
ex 1. Cor. 11. 29.
x Pſ. 113. 6.
y Matth. 25. 14. & 46.
z Gen. 1. 1. &c.
a Luc. 12. 24.
b 1. Cor. 6. 20.
c Exod. 20. 3.
d Pſ. 36. 27.

Tertia proprietas vacui, eſt, quòd homo qui in eo eſſet, à nemine auxilium ſuſcipere poſſet; unuſquiſque enim fugit à vacuo ut ſibi infenſo. Et ſicut voluntas nunquam fertur in malum ut malum, quia *malum ut malum per ſe non eſt appetibile*; ſi voluntas ad id fertur, ideò quia trahitur apparentiâ boni, alioquin nunquam ferretur in malum, *Voluntas nunquam fertur in malum*: bonum enim eſt ejus objectum, aut reale, aut apprehenſum ut ſic. Ita omnis res fugit vacuum, & id quod eſſet in vacuo, foret ſine auxilio. Homo in peccato eſt ſine ſubſidio, circumdatus adjutorio, & deſtitutus ſuppetijs. Videte Davidem extra iſtud vacuum, *Particeps ego ſum omnium timentium te* e, ut membrum Eccleſiæ, aut Synagogæ, communicabat omnibus ejus commodis; ſed in ſtatu vacui peccati, derelinquitur ab omnibus, *Perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat* f. Non eſt ipſe ampliùs victor ille, de quo canebant filiæ Iſraël, *Percuſſit Saül mille, & David decem millia* g. Videte peccatorem in medio Sacramentorum, quæ ſunt auxilia & Clypei, & tamen ijs non utitur, hæc omnia ſunt ei inutilia, omnes creaturæ illum intuentur ut ſibi inimicū, vel illi inimicæ, & diſcedunt ab eo. Suas mutat cœlum coronas in fulmina, dulcedines ſuas in rigores; *Mare* h adverſùs Jonam intumeſcit; *Terra aperiens os ſuum* i, devorat Core Dathan & Abiron; *Reverſa aqua currus & equites Pharaonis* k operiunt; Aër inficitur, *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* l. Nullum ampliùs auxilium ſibi conciliare poteſt à Deo, ab Angelis, ab hominibus, à cœlo, à terra, ab elementis; omnia ſunt ei infenſa. Univerſa ſe armant contra animam peccatricem in ſtatu vacui peccati conſtitutam, *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in eâ* m.

e Pſ. 118. 63.
f Pſ. 70. 11.
g 1. Reg. 18. 6. & 7.
h Ion. 1. 11.
i Num. 16. 31. & 32.
k Exod. 14. 28.
l Sap. 5. 21.
m Pſ. 136. 7.

Deteſtabile vacuum peccati! Non ſuadeo vobis, Auditores, ut illud fugiatis, quia diſplicet Deo, quoniam iterum Chriſtum crucifigit, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* n. Hanc omitto conſiderationem, voſque exhortor tantùm ad illius fugam, veſtrorum intuitu commodorum. Ha! ſi tota natura ſic abhorret à vacuo ut mira operetur quò declinet ab eo; ut ſuis vim inferat inclinationibus, & omnes ſuas armet potentias ad illud impediendum; nunquid eodem non geremus nos modo, ut impediamus vacuum peccati, quod nobis ſic eſt injurioſum, & ſic funeſtum ut eripiat nobis omnem motum & inſpirationem operandæ ſalutis noſtræ, & infenſas nobis reddat omnes creaturas, quæ nobis indicunt bellum, ut cauſam ſui complectantur & tueantur Creatoris! Evitemus illud, Auditores, declinemus ab eo; & cùm mundus, caro, diabolus, iſtiſque adhærentes, ad peccatum nos inducere conabuntur; reſpondeamus eis ſicut reſpondit egregius quidem miles Joab Duci generali exercitus David, à quo invitabatur ipſe ut Abſalom filio Regis necem inferret, propoſitâ ipſi mercede, *Etiamſi appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis* o. Occidere Filium Dei? potiùs mori quàm iſtud ſacrilegium perpetrare, more Suſannæ ſenes impudicos alloquentis, *Melius eſt mihi incidere in manus veſtras, quā peccare in conſpectu Domini* p. Iſtud proponere nobis debemus, velle potiùs mori, quā labi in vacuū peccati, quod nobis ſic eſt funeſtū ut privet nos omni eo quod glorioſis noſtris inſervire poteſt cōmodis. Sed quare Deus hominem fecit peccabilem, ſeu peccato obnoxium? Id nobisupereſt videndū.

n Hebr. 6. 6.
o 2. Reg. 18. 11. & 12.
p Dan. 13. 23.

II. Pars.

Illud pro compertiſſimo eſt, juxta Theologiam, Deum produxiſſe creaturas intellectivas, ut Angelum; & rationales, ut hominem, capaces peccati, & huic obnoxias infirmitati, id eſt, ut poſſent peccare. Id teſtantur primus Angelus q, & primus homo r. Ex Angelis illi qui ſunt ſalvati s, confirmati deinde fuerunt in gratia, ita ut non potuerint ampliùs peccare per gratiam, non verò per naturam. Ratio autem peccabilitatis eorum fuit, quia è nihilo creati ſunt t, ſicut homines qui producti fuerunt in gratia u, & tamen deliquerunt ut defectibus obnoxij; gratia enim non deſtruit, nec cogit liberum arbitrium x, ſed illud perficit y. Ideò dicit Eccleſiaſtes z, *Solummodo hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum. & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Hæc rectitudo ſita erat in ſubjectione animæ Deo, ſed homo hunc pervertit ordinem, *quòd ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus* per peccatum; idcircò quæſtiones agit cum Deo, cum proximo, & cum ſemetipſo, *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus*, ait Deo S. Auguſtinus a. Et Job b, *Poſuiſti me contrariū tibi, & factus ſum mihi metipſi gravis.* Et ex hoc defectu, noſtrorū proceſſit peccatū Protoplaſtorum, quorum caſus fatalis fuit toti naturæ humanæ, eamq; ad malum tulit c: excepto enim Chriſto d, & Virgine ſanctiſſimâ Deiparâ e, nullus unquā fuit expers peccati originalis, quantūvis ſanctus deinde evaſerit.

q Iſai. 14. 12. &c.
r Gen. 3. 6.
s Apoc. 12. 7.
t Gen. 1. 1.
u Gen. 1. 27.
x Eccl. 15. 14. &c.
y Ezech. 18. 27.
z Eccl. 7. 30.
a S. Aug. lib. 1 cōf. c. 12.
b Iob. 7. 20.
c Rom. 5. 12.
d Marc. 1. 24.
e Cant. 4. 7.

Rationem peccabilitatis hominis eruo è Philoſophia, quæ ait, *Quod à natura eſt, ſemper ineſt*, ut nigredo corvo, albedo cygno, riſibilitas homini.

Atqui

Digitized by Google

Atqui ex utroque tam veteri quàm novo Fœdere patet, quòd *à naturâ ineſt* homini peccabilitas, non quidem quantùm ad conſummationem peccati, ſed quantùm ad inclinationem, & ad media illius. Tria enim ad peccatum concurrunt, principium, medium, & finis. Principium peccati procedit è ſenſu, id eſt, ex ſenſualitate, & inde omnis noſtra cogitatio & cognitio ſuam trahit originem. V.g. videt vir mulierem, & inde incipit peccatum; ſic de auditu, guſtu, odoratu, & tactu; illinc mens fertur ad cogitationem, & ſic ſenſus hominis eſt principium peccati, & cogitatio eſt medium illius. Senſus qui eſt principium, & cogitatio quæ eſt medium, naturaliter feruntur ad malum potiùs quàm ad bonum; *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* h. Patet igitur quòd principium & medium peccati ſint nobis naturalia; & hoc procedit ex corruptione peccati originalis, quod cùm ſit nobis naturale i, cauſat in nobis hanc inclinationem naturalem ad malum, & iſtam difficultatem ad operandum bonum k. Sed finis, id eſt, conſummatio peccati provenit ex pravâ voluntate noſtrâ; ſi enim conſentiat principio, & medio, tunc ipſa ſcelus perpetrat, & peccato ſe inquinat, *Peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem* l. Et juxta id quantùm ad conſummationem peccatum eſt contra naturam hominis. Et ratio iſtius eſt, Quia natura hominis provenit ex ipſius forma: Atqui forma hominis eſt anima rationalis: Ideò omnes res quæ ſunt contra naturalem rationem hominis, ſunt contra naturam hominis. Vitium & peccatum in hac collocata ſunt claſſe, & ſic ſunt contra naturam hominis, ſicut è contrà virtutes ſunt ſecundùm illius naturam. Conſtat igitur evidenti ratione iſtâ peccatum ineſſe homini ex natura quantùm ad principium & ad medium, *Alienati ſunt peccatores à vulvâ, erraverunt ab utero* m. *Ideſt, ab ipſâ origine, alienati ſunt peccatores*, vertit S. Auguſtinus n, & petit, *Vnde alienati? Ab ipſâ veritate. Vnde alienati? A patriâ beatâ, à vitâ beatâ.* In ſtatu innocentiæ & juſtitiæ originalis, in qua Protoplaſti noſtri fuerunt creati o, pars inferior ſubjacebat, morem gerens ſuperiori parti, & ratio ſubdita erat Deo, nedum aliquo modo cogitarent de malo, ſicut nec Adam & Eva, qui ſuarum erant dominii paſſionum; ſed poſt peccatum in illis inſurgere cœperunt concupiſcentiæ aculei, eoſque ſtimulare; & ipſos ſuæ puduit nuditatis, erubeſcentes *cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos* p. Peccatum igitur ineſt homini à natura ſua. Si autem ſcire velitis quare Deus hominem produxerit peccato obnoxium; plurimas illius veritatis afferunt Theologi eximias rationes.

Pro prima ratione, Sapientia Divina hunc univerſum formavit mundum ob manifeſtationem excellentiæ ſuæ, *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* q. Suæ intuendos exhibere vult effectus potentiæ, quia cùm ſit immutabilis, *Ego Dominus, & non mutor* r, motum præbet omni quod extra ſe eſt, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* s. *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia* t. Eò quòd, ut exponunt iſtum locum Theologi, omnibus rebus motum imprimat, eaſque moveri faciat: Atqui omnes creaturæ ſunt mutabiles ex natura ſua, tam ſpirituales ut Angeli, quàm mixtæ compoſitæ è corpore & anima, ut homines; & omnes corporeæ, ut cœli, &c. *Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient* u. Obſervate, ſi placet, iſtud verbum, *peribunt*, quantùm ad qualitates accidentales, non autem quantùm ad ſubſtantiam ſuam, *Statuit ea in æternum & in ſæculum ſæculi* x. Et, *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat* y. Et, *Vanitati creatura ſubjecta eſt* z. Quod intelligi debet de omni re creata; quia ſicut omnis creatura educta èſt è nihilo à Deo, ſic naturaliter tendit ad nihilum, niſi ab eo conſervetur, *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur* a.

h Gen. 8. 21.
i Rom. 5. 12.
k Rom. 7. 21.
l Iacob. 1. 15.
m Pſ. 57. 4.
n S. Aug. in Pſ. 57. 4.
o Gen. 2. 7. &c.
p Gen. 3. 6. & 7.
q Prov. 16. 4.
r Malach. 3. 6.
s Act. 17. 28.
t Sap. 7. 24.

Secunda ratio eſt propter oſtenſionem Sapientiæ Divinæ, quæ bonum è malo novit eruere, quia nunquam Deus malum permitteret evenire, niſi ex eo vellet bonum educere, ut ait S. Auguſtinus b, *Ita Deus omnipotens, Dominus univerſæ creaturæ, qui fecit omnia, ſicut ſcriptum eſt* c, *bona valdè, ſic ea ordinavit; ut & de bonis & de malis benefaciat.* Atqui majus evenit bonum naturæ humanæ ex peccato Adæ, quam ſi Adam nunquam offendiſſet; ideò enim *Verbum caro factum eſt* d, ſicque Deus factus eſt homo, & natura humana elevata eſt ſuper naturam Angelicam, *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit* e. Et hæc prærogativa communis fuit utrique ſexui, ut videmus in Chriſto, & in Virgine Deipara, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna*, ut cantat Eccleſia f. Et alibi, *O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem* g! Peccatum Adæ non fuiſſet expunctum Jeſu Sanguine, ſi ipſe Adam non peccaſſet, ſi non fuiſſet peccabilis & obnoxius peccato. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere* h. Hic fuit finis Incarnationis ejus, *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicinæ*, ait S. Auguſtinus i.

Tertia ratio eſt ad manifeſtandam magnam clementiam, quâ *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* k ad expianda peccata hominum, ſicut facit quotidie, parcens peccatis virtute paſſionis ejus, quod eſt maximum opus Dei, ut ait S. Auguſtinus l in iſta Salvatoris verba, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet. Quæ opera niſi ut ex impio juſtus fiat? Et majora horum faciet. Prorſus majus hoc eſſe dixerim, quàm eſt cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo & in terra.* Et David m, *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Et Eccleſia, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* Divina Bonitas majorem attulit utilitatem naturæ humanæ, quàm peccatum Adæ illi obfuerit; natura enim noſtra per peccatum Adæ, infecta fuit culpâ originali n ſolâ, quæ contrahitur per naturam, non peccata actualia ſunt productiones noſtræ pravæ voluntatis, ſed nos *lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberavit à lege peccati* o originalis, & actualis. Prætereà, Peccatum Adæ fuit cauſa propter quam natura humana peccatum contraxit. Gratia Chriſti non eſt ſola cauſa remiſſionis peccatorum, ſed etiam collationis virtutum & donorum. Peccatum Adæ fuit temporale uſque ad mortem Chriſti; Chriſto autem mortuo, omnes ab eo liberantur per Baptiſmum, *conſepulti ei in Baptiſmo: in quo & reſurrexerunt per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit à mortuis* p eos. Sed gratia Chriſti eſt æterna, quia nullum eſt habitura finem. *Non ſicut delictum,*

ita

u Pſ. 101. 26 &c.
x Pſ. 148. 6.
y Eccl. 1. 4.
z Rom. 8. 20.
a Pſ. 103. 29.
b S. Aug. lib. de Agon. Chriſt. c. 7.
c ex Gen. 1. 31.
d Ioan. 1. 14.
e Hebr. 2. 16.
f Eccleſia in feſto Aſſumpt. B. V. Mar.
g Sabbath. ſanct.
h 1. Timoth. 1. 15.
i S. Aug. ſerm. 9. de Verb. Apoſt. c. 1.
k Ioan. 3. 16.
l S. Aug. tract. 72. in Ioan. 14. 12.
m Pſ. 144. 9.
n Rom. 5. 12.
o Rom. 8. 2.
p Coloſſ. 2. 12.

ita & donum. Si enim unius delicto omnes mortui ſunt 1 *multò magis gratia Dei & donum, in gratiâ unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit* q. [q Rom. 5. 15.] Cùm in omnes diffundatur, & in plures extendi poſſit hominea, quàm peccatum Adæ. Si enim quis produceretur alia via quàm ordinaria generationis communis, virtute Divina ut Chriſtus r, aut digito Dei ut Eva s, non contraheret peccatum originale, & ſic peccatum Adæ ad illum non extenderetur, ritè quidem gratia Dei. [r Matth. 1. 18. & 20. s Gen. 2. 21. & 22.] Hinc igitur videtis quomodo Divina Miſericordia manifeſtetur per peccatum Adæ, quod non fieret, ſi homo non fuiſſet peccabilis, aut peccato obnoxius.

Quarta ratio fuit ad exhibendam Divinam Juſtitiam, quæ *reddet unicuique ſecundùm opera eius* t, [t Rom. 2. 6.] præmiando Bonos, & puniendo maloa. Atqui nullus fuiſſet homo malus, ſi nullus fuiſſet homo peccabilis, ſicut nullus bonus. Ut igitur Juſtitia parêret in mercede retribuendâ Juſtis, & in ſupplicio impendendo impijs, homo debebat poſſe peccare. Hanc rationem tangit S. Paulus u, [u Rom. 9. 22. & 23.] *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam* u, &c.

Quinta ratio eſt, ut oſtendatur virtus hominis. Quam enim laudem mereretur homo, ſi non poſſet peccare? Nullam. Et ſic homo non fuiſſet dignus gloriâ, nec ſupplicio; & conſequenter paradiſus non eſſet, nec infernus. Videte conſequentiam. Laus igitur & meritum juſti conſiſtit in hoc, ut non peccet, cùm peccati offertur occaſio, *Beatus qui inventus eſt ſine maculâ; qui potuit transgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit* x. [x Eccli. 31. 8. & 10.]

Sexta ratio eſt, ut Boni exerceantur à malis, & ſic meritum augeatur illorum patientiâ in perſecutionibus. Si verò non eſſent impij & peccatores in mundo, ibi deeſſent plurimæ virtutes, & magnis deſtituerentur Juſti meritis, quia *marcet ſine adverſario virtus. Tunc apparet quanta ſit, quantùm valeat polleatque, cùm quid poſſit, patientia oſtendit*, ait Seneca y. [y Senec. lib. Quare bonis viris mala accidant. c. 2.] Laborant igitur mali impietatibus ſuis, & injurijs quas Juſtis irrogant, ad texendas coronas, quæ Bonorum capitibus imponantur, & ijs ſunt occaſio comparandarum majorum virtutum, & conſequendorum ingentiorum meritorum. v.g. ſine Juda, Caipha z, Pilato, & Herode a non fuiſſet Dei Filius clarificatus per mortem ſuam b. [z Luc. 22. 47. &c. a Luc. 23. 1. &c. b Ioan. 17. 5.] *Propter quod & Deus exaltavit illum; & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen* c, [c Philipp. 2. 9.] merito ut ſic gloriam Corporis ſui. Præterea, Sine Quintiano Tyranno non fuiſſet S. Agatha martyrio coronata; & ita de alijs Martyribus, qui Martyres non fuiſſent, ſi nulli fuiſſent Tyranni. Unde ait illis Chriſtus, *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me* d, *&c.* [d Matth. 5. 11. & 12.]

Septima ratio eſt ob jucundam pulchritudinẽ & prædives ornamentum hujus orbis, quia *oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt*. Videte hanc veritatem in prato vireſcente tempeſtate vernâ, quàm gratum eſt illud, ob ſuorum diverſitatẽ florum, colorum, & odorum, & propter ſuarum varietatem formarum. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate* e. [e Pſ. 44. 10.] Sic impii, magis cōmendabiles reddunt Juſtos, eis oppoſiti; ſicut in picturâ adhibentur umbræ, ut ex illarum oppoſitione magis ſplendeat colorum vivacitas; & impij efficiuntur crimimoſiores Juſtis cōparati, nedum ſuam prætexere valeant infirmitatem, debilitatem, impotentiam, concupiſcentiã, cùm iſtæ omnes inventæ fuerint in Bonis, ſed iſti ſuis intulerunt vim paſſionibus, pravos ſuos repreſſerunt affectus per ſanctam virtutum praxim, & repugnantiam quam præ ſe tulerunt. Sic Salvator ait contra impios, *Viri Ninivitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſtâ, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ* f. [f Matth. 12. 41. ex Ion. 3. 5.] Si ante ſummum Judicem excuſare volens quis luxuriæ peccatum, prætexat concupiſcentiam ſibi ab ortu innatam, Chriſtus dicet ei, Quare tot Virgines, viri, & mulieres ab ea abſtinuerunt? Ut quid tot Religioſæ vitæ cultores & cultrices perpetuo ſe alligaverunt voto ſolemni caſtitatis g, [g Matth. 19. 12. &c.] quod inviolatâ cuſtodierunt fidelitate? Si alij metum mortis excuſationis loco in medium promant, *Iudex vivorũ & mortuorum* h, [h Act. 10. 42.] opponet eis tot Martyres i; [i Hebr. 11. 35. &c.] & ſic de alijs Sanctis qui mortem ſpreverunt.

Octava & ultima ratio eſt propter conditionẽ creaturarum, nimirũ, ne homo ſit pejoris conditionis quàm ſint reliquæ creaturæ, quas Deus ſic gubernat ac moderatur ut eas vacare ſinat exercitio propriæ libertatis, inclinationis, aut inſtinctûs ingeniti. Debuit igitur hominẽ proprio cōmittere arbitrio, nedũ coactionem & violentiã adverſus illum adhibeat. Unde cōmunicatum non eſt, nec cōmunicabile fuit ulli creaturæ, quòd non poſſet peccare ex conditione naturæ ſuæ. Hoc autẽ non accidit ex defectu Potentiæ Divinæ, ſed ex imperfectione creaturæ, quæ nō eſt capax illius impeccabilitatis poſſibilis ex natura ſua. Præterea, Quia inveniretur aliqua impoſſibilitas, quæ ex implicatiōe contradictoriorũ oriretur. Deus igitur producere & relinquere debebat hominẽ in uſu pleno libertatis propriæ, ſicut fecit, *Deus ab initio conſtituit hominẽ, & reliquit illum in manu conſilij ſui* k. [k Eccli. 15. 14. &c.] Id eſt, in exercitio liberi arbitrij ſui. Hæ ſunt rationes, ob quas fecit Deus hominem peccabilem, quarũ aliæ ad illũ pertinent, aliæ verò nos ſpectãt.

Cùm igitur homo obnoxius ſit peccato, ab illius declinare debemus occaſionibus, ne in illud impingamus. Niſi David vidiſſet Bethſabee *ſe lavantem, ex adverſo, ſuper ſolarium ſuum*, *cum eâ* l [l 2. Reg. 11. 2. & 4.] non dormijſſet. Niſi Suſannam vidiſſent *duo ſenes in pomario viri ſui quotidie deambulantem, in concupiſcentiam eius* m [m Dan. 13. 5. &c.] non exarſiſſent. Aliàs mercatores templum Jeroſolymitanum profanantes *Ieſus omnes eiecit de templo, oves quoque & boves* n. [n Ioan. 2. 15. & 15.] Quare ejectis mercatoribus, ejiciuntur etiam & merces? Reſpondet Toletus o. [o Tolet. in hunc locũ] *Prudenter Chriſtus omnibus eiectis, oves eorum & boves eiecit, ne redeundi relicta videretur occaſio. Tunc enim malo ſubvenitur perfectè, quãdo etiã mali occaſio amputatur.* Celebris eſt quæſtio agitata inter Doctores antiquos & modernos, utrùm Salomon ſalvatus ſit, an non. Alij dicunt quòd ſic, Alij verò aſſerũt quòd non. Quidã inter argumenta quæ ipſi afferunt ad probandum quòd Salomon nullã peregit pœnitentiã; dicunt. Scriptura p [p 4. Reg. 23. 4. &c.] ait quòd Joſias zelo ductus honoris Dei *combuſſit altaria* omnia profana, & idola falſorum numinum, & ea *quæ ædificaverat Salomon Rex*, Inaſua ab impudicia concubinis ſuis. Si Salomon à ſuis abhorruiſſet ſceleribus, deſtruenda ſategiſſet templa, & idola conterenda, quæ ipſe erigenda præceperat: Atqui illud non fecit, cùm illa ſic permanſerint uſque ad regnum Joſiæ: Ergo juxta id, videtur Salomon damnatus. Peccator non eſt verus pœnitens quandiu manet in occaſione peccati; ſicut ille qui magno conteri dolore debet ſuarum intuitu iniquitatũ, & ſibi propōere firmiter ab iis declinare, domi tamẽ cuſtodit concubinam; quis enim reſiſtere poteſt peccato, ſi occaſioni perpetrandi peccati ſit expoſitus?

Sed quia Salomon ab occaſione ſe non ſubtraxit, illi inferunt eum non fuiſſe pœnitentem; cùm difficile ſit creditu, peccatum fuiſſe penitus deſtructum quandiu occaſio peccandi integra perſeveraret. *Tunc enim malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur.* Unde videtis vim hujus rationis, qua ducuntur illi, ut concludant Salomonem nullam egiſſe pœnitentiam; & quanta ſit vis occaſionum inducendi nos ad peccatum. Eas vocat S. Chryſologus q *fumantes occaſiones.* Si in illis ſit fumus, ergo & ignis; fumus eſt ſignum naturale indicativum ignis latentis. Peccator hoc ſacro Adventus tempore, adveniente vigilia Nativitatis Domini fortaſſis confitebitur, ſed ab occaſione peccati ſui nolet diſcedere; at ſi ibi ſit fumus, ibi & ignis eſt, qui forſan comburet illum in inferno. *Tunc enim malo ſubvenitur perfectè, quando etiam mali occaſio amputatur.* S. Paulus r ait, *Ter naufragium feci.* Quare? Quia ſæpè navigabat, & ſicut mare eſt elementum infidele & inconſtans, mirum non eſt ſi toties naufragium fuerit perpeſſus. Si petatis à me ob quam rationem toties peccator impingatur in crimina. Ecce in promptu ipſa eſt; Quia verſatur in occaſione peccandi, nec ſe è periculo offendendi ſubtrahit. Si velimus eſſe ſecuri, fugiamus *fumantes occaſiones* offendendi Dei, declinemus à periculis amittendæ gratiæ Dei, qui eam nobis conſervabit in hoc mundo, & deinde gloriam ſuam impertietur nobis in altero.

q S. Chryſol. ſerm. 116.

r 2. Cor. 11. 25.

FERIA V.

POST DOMINICAM I. ADVENTUS.

Deſcende, peccavit populus tuus. Exod. 32. 7.

CUm homo ſic valido feratur cuſtodiendæ vitæ ſuæ deſiderio, ut omnia peragat, & nulli rei parcat quò ſemper vivat & nunquam moriatur, depellere à ſe deberet peccatum, quod eſt cauſa interitus ipſius. *In hunc mundum intravit per peccatum mors* a. Noſtram operatum eſt peccatum ruinam. Ipſum eſt quod pronunciandum ſategit adverſùs omnes homines mortis decretum, *Et ita in omnes homines mors pertranſiit* b. Si autem Dei Filius voluit nos ſalvare, oportuit ut ipſe perierit, moriens ut nos vivere faceret, non ſolùm in monte Calvaria infami crucis affixus patibulo c, imò verò in ipſis Virginis viſceribus d, in quibus mori cœpit eo ipſo quo Angelus dixit eidem Deiparæ, *Ave Maria.*

a Rom. 5. 12.

b ibid.

c Ioan. 10. 10.

d Luc. 1. 28. & 35.

Peccatum mortem cauſat, & nomen illius ſatis claram præ ſe fert effectus ipſius intelligentiam; non enim dicitur mortale, niſi quia mortem infert, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* e. Quæ mors nihil eſt aliud niſi privatio vitæ; nec meliùs poſſumus cognoſcere diſtinctionem unius quàm per diſtinctionem alterius, quia juxta Philoſophos, *contrariorum eadem eſt diſciplina.* Atqui anima duplici fruitur vita, una quam habet per naturam, altera verò quam tenet per gratiam. Vita naturalis animæ eſt illa qua vivit ipſa eſſentialiter in ſe, nedum illam unquam amittat, ubi eam poſſedit. Anima enim quæ habuit tempus quod ipſam præceſſit, ſemel creata nihil habet amplius quàm æternitatem quæ ipſam ſequitur, *Eſt æterna à parte poſt*, ut ait Theologia. Nec officit id quod enunciat Eccleſiaſtes f, *Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur.* Hæc enim verba non contradicunt veritati, quam propoſui vobis, cùm referantur ad corpus humanum ex eadem coaleſcens materia, qua brutorum ſunt compoſita corpora. Anima quippe hominis eſt immortalis, & tota ſpiritualis g, cùm creetur immediatè à Deo; è contrà verò anima beſtiarum communicat fragilitati & corruptioni ſubjecti è quo educitur, cum pars ſit ejuſdem naturæ cujus eſt totum.

e Ezech. 18. 4. & 20.

f Eccl. 3. 19.

g Gen. 1. 27.

Modus procedendi Dei in productione entium juſtificat & luce clariùs demonſtrat hanc veritatem, *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas* h. Quod clarè oſtendit horum entium materialitatem. Sed in creatione hominis, aliis Deus utitur terminis, & non dicit ampliùs, Producat terra hominem, ſed, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* i. Quod ſatis manifeſtat animam rationalem non educi è materia, ſed eſſe nobilioris conditionis, cùm ſit filia Dei, & oriatur è cœlo. Unde intelligere poteſtis quomodo anima hominis eſt immortalis quoad vitam æternam. Quoad verò vitam ſpiritualem gratiæ, quæ eſt unio animæ cum Deo per gratiam quæ eſt illius vinculum k, peccatum eam perimit; ſicut enim anima eſt vita corporis, ſic Deus eſt vita animæ, ut ait S. Auguſtinus, *Sicut vita corporis anima, ſic vita animæ Deus* l. Atqui Deus ſeparat ſe ab anima per peccatum, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* m, cui non poteſt ſociari peccatum, *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras* n? Et anima quam diligit Deus in ſtatu gratiæ conſtitutam o, in odium ejus incurrit ſemel ac in peccatum labitur, *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem* p. Peccatum igitur quod offendit Deum, animã ab eo ſeparat, & ex hac ſeparatione ſequitur mors, & inde peccatum vocatur mortale, quia occidit animam. Maledictum peccatum quod eſt cauſa ſic infœlicis effectus. Obſervate autem quòd eodem ictu quatuor magna operatur mala, duo in hac vita, & duo in altera. In hac vita cauſat Primò mortem ſpiritualem animæ. Secundò, Producit mortem temporaneam corporis, ut oſtendam vobis in gemina hujus diſcurſûs parte. In altera verò vita operatur Primò mortem gehennæ. Secundò, Cauſa eſt mortis æternæ corporis & animæ. Et hoc eſt quod in diem reſervo vobis craſtinam.

h Gen. 1. 24.

i Gen. 1. 26.

k Ioan. 14. 23.

l S. Aug. in Pſ. 70. conc. 2. ex Act. 17. 28.

m Iſai. 59. 2.

n 2. Cor. 6. 14.

o Ioan. 14. 21.

p Pſ. 5. 7.

Diviſio.

Nihil certius eſt peccatum mortem inferre animæ: quod duplici debet intelligi modo Priori, quòd peccatum privet eam vita, qua actualiter potiri poteſt in hoc mundo per gratiã. Poſteriori verò, quòd eam exhibeat criminoſam corã Deo, & dignã quæ morte plectatur æterna. De hoc poſteriori modo loquar vobis die craſtina. Quoad prio-

1. Pars.

priorem verò, innumera profert in medium ſacra Scripturæ loca quæ oſtendunt, peccatum formaliter mortem inferre animæ, *Homo occidit per malitiam animam* q. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos* r. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus ſ, *Dimitte mortuos ſcilicet morte culpæ*, *ſicut de viduâ delicioſâ dicit Apoſtolus* t, *Vivens mortua eſt* : *Et Ioannes in Apocalypſi* u, *Nomen*, *inquit*, *habes quòd vivas*, *ſed mortuus es*; *ſepelire mortuos ſuos morte naturæ*. Et, *Cùm eſſemus mortui peccatis*, *convivificavit nos in Chriſto* x. Et, *Si ſecundùm carnem vixeritis*, *moriemini* y. Et, *Peccatum*, *cùm conſummatum fuerit*, *generat mortem* z.

q Sap. 16. 14.
r Matth. 8. 22.
ſ Dion. Carth. art. 17. in hũc locum.
t 1. Timot. 5. 6.
u ex Apoc. 3. 1.
x Epheſ. 2. 5
y Rom. 8. 13.
z Iacob. 1. 15.

Sed audire mihi videor peccatores dicentes, animam eſſe immortalem, quippe quæ ſit ſpiritualis, & nullatenus conſtructa ex elementis & qualitatibus contrariis, ſicut corpora quæ ſingulis corrumpuntur diebus, & ad mortem tendunt; & quòd licèt S. Paulus a dicat Deum ſolum ut ſummum Dominum eſſe immortalem, quia eſt *Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem*; illud debet intelligi per naturam & per eſſentiam; ſed quòd per privilegium & per participationem Angeli & animæ noſtræ immortalitate verè potiuntur. Sicut enim ſolus Rex ſceptrum præ manibus, & diadema capiti impoſitum defert; & tamen ſi fiat imago aut ſtatua Regis, non omittit pictor aut ſculptor, imaginis aut ſtatuæ manui ſceptrum, & capiti coronam imponere, alioquin non repræſentaret illa verè Regem, niſi præ ſe Regiæ Dignitatis ferret inſignia; ita licèt Deo ſoli debeatur per proprietatem naturæ hæc immortalitas; tamen quia Angelus & anima rationalis ſunt vivæ imagines Dei b, oportet etiam ut illud Regium deferant immortalitatis inſigne. Deinde, Quomodo fieri poteſt ut verbum, quod pronunciamus, aut cogitatio, quã in noſtrâ formamus, mente, mortem animæ inferat? Cogitatio nunquid non eſt actio animæ, & nota manifeſta quòd illa adhuc vita fruatur? Quomodo igitur occidere poterit animam id, quòd non poteſt produci niſi ab anima, quæ adhuc vivit? Præterea, Innumeros videmus diebus ſingulis homines, qui multa perpetrant peccata; oporteret igitur ut toties moreretentur, quoties in peccata labuntur, & tamen eos videmus vivere & moveri. Aut dicendum eſt, dari metamorphoſim & mutationem in homine, qui ſcelus admiſit, & quòd ſtatim ac eo ſe inquinavit, data ſit ei alia anima loco illius, qua animabatur ipſe prius.

a 1. Timot. 6. 15. & 16.
b Gen. 1. & 27.

Ha! Intueor equidem illos non intelligere cujuſnam generis ſit illa mors, de qua diſſerimus; ſicut enim naturæ non prætergrediuntur limites, ſic aliam non poſſunt imaginari mortem, niſi naturalem interitum. Capax eſt igitur geminæ vitæ anima noſtra; vitæ naturalis, quæ præbetur ipſi per creationem; & vitæ ſupernaturalis quæ conceditur ipſi per juſtificationem. *Quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* c. Illa eſt principium actionum naturalium, ut ſunt intelligentia, voluntas, motus, nutritio, verbum, & ſimilia; iſta verò eſt origo actionum penitus Divinarum, & ſita eſt in gratia Dei. Prior vita animam facit *ad imaginem Dei* d. Poſterior verò eam efficit communicare eſſentiæ Dei, redditque illam *Divinæ naturæ* e conſortem. Secundùm priorem vitam homo eſt immortalis propter rationes allegatas, ſed ſecundùm poſteriorem poteſt quidem mori; ſi enim amittat gratiam Dei per peccatum mortale, ecce hæc anima mortua, cùm non habeat ampliùs hanc vitam; *Qui non diligit, maneat in morte* f. Sicut enim amor unit amantem rei amatæ, & ex duobus cordibus unicum efficit; ſic amor Dei unit animam Deo, & facit ut anima & Deus unum quid ſint, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* g, & vivat anima vita Dei, *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Chriſtus* h.

c Rom. 5. 5.
d Gen. 1. 6.
e 2. Petr. 1. 4.
f Ioan. 3. 14.
g 1. Cor. 6. 17.
h Galat. 2. 20.

Inde oritur ut ſuprà vocata fuerit à S. Auguſtino gratia anima animæ noſtræ, aut ſecunda vita animæ noſtræ; & ſic vita, ut ſatius eſſet ipſi mori penitus & exinaniri, quàm priorem habere vitam ſine poſteriori. Si enim ſaltem ipſa mortua eſſet, non ſubderetur judicio Dei; ſed quandiu vivit, & hâc non potitur gratiâ, quæ eſt ſecunda vita & melior vita, meretur ipſa *ſupplicium æternum* i. Et ſi diſcedat ex hoc modo niſi priùs vitam recuperaverit per debitam *Pœnitentiam* k, in æternum privabitur viſione faciei & præſentiæ Dei l, quam privationem appellamus mortem æternam, quia eſt privatio illius *apud quem eſt fons vitæ* m; & iſta mors æterna, de quâ locuturus ſum vobis die craſtinâ, eſt effectus aut ſequela neceſſaria ſcelerum quæ contra legem Dei perpetramus. Peccatum mortale igitur mortem cauſat animæ ſpiritualem. Hic eſt primus ex infortunatis illius effectibus. Per peccatum enim gratia amittitur: Atqui anima ſpiritualiter non vivit niſi gratiâ: Gratiâ igitur amiſſâ anima manet ſine vita, & hoc in ſtatu homo ſpiritualiter mortuus dicitur. Et licèt peccator lætetur & exultet mediis in circulis otioſorum hominum & nequam, ſicut ipſe æquo libertiot eſt; quàmvis comedat, bibat, & oblectamenta capeſſat exteriùs & apparenter; tamen anima illius mortua eſt interiùs, & fœtet; & ſi in nobis vigeret odoratus ſatis tenuis, manum applicaremus naribus, nedum fœtorem illius poſſemus ſuſtinere, ita ut jure merito exprobari poſſet huic peccatori, *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es* n. Infœlix & miſer homo exteriorem vitæ ſpeciem præ te fers, ſed re vera mortem oppetiviſti; ſimilis es iſtis tumulis candore ſuperpoſito renitentibus, de quibus loquitur Chriſtus, qui ementitam præ ſe ferunt formam, interiùs verò omni ſcatent ſordium & putredinum genere; *Væ vobis*, *quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis*, *quæ à foris parent hominibus ſpecioſa*, *intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum*, *& omni ſpurcitiâ* o.

i Matth. 25. 46.
k Luc. 13. 3
l Matth. 25. 41.
m Pſ. 35. 10.
n Apoc. 3. 1
o Matth. 23. 27.

Peccatum igitur occidit ſpiritualiter animam (loquor ſemper de mortali; veniale enim non infert mortem niſi diſpoſitivè) *Peccatum cùm conſummatum fuerit*, *generat mortem* p. Quod non intelligitur de morte animæ, cùm peccator non moriatur quantùm ad corpus ſtatim ac peccavit. Ubi obſervate, ſi placet, verba Apoſtoli, & explicationem, quam ſuper ea affert Dionyſius Carthuſianus q, *Peccatum verò cùm conſumatum fuerit*, *id eſt*, *foris ad effectum perductum*, *ita quòd ex conſenſu itur in opus*, *generat mortem*, *quia inducit ad conſuetudinem vitioſam & obſtinationem*; *deinde ad damnationem æternam*, *quæ eſt mors ſecunda* † *graviſſima*. *Unde quod ait*, *generat mortem*, *non eſt ſic intelligendũ*, *quaſi in ſolo exteriori opere conſiſtat peccatũ mortale*: *cùm in interiori cogitatione & affectione deliberatæ rationis conſenſum habente ſit culpa mortalis*. *Imò ratio meriti atq; demeriti in opere exteriori*, *dependet ab interiori*. *Sed ideò dicit ſic*, *quia in opere exteriori magis apparet deformitas vitij*, *& culpa augetur*, *ac prava conſuetudo incurritur*. In peccato eſt principiũ, progreſſus, & finis, qui eſt ejus conſummatio. Principiũ peccati eſt cogitatio, medium delectatio, & finis, qui infert mortem,

p Iacob. 1. 15.
q Dion. Carth. art. 2. in Iacob. 1. 21.
† ex Apoc. 2. 11.

eſt conſenſus qui præbetur huic cogitationi, etiamſi exteriori non tradatur executioni; cùm offendat quis cogitatione æquè ac opere, nec minùs peccatum interius mortem inferat animæ ſpiritualiter, quàm peccatum exterius, ut ait idem Dionyſius Carthuſianus r in verba ejuſdem Apoſtoli, *Concupiſcentia cùm conceperit, id eſt, ad conſenſum perduxerit, parit peccatum, id eſt, reum facit. Tunc enim eſt mortale peccatum interius, cùm plenus adeſt conſenſus de aliquo concupito contra præceptum.* V. g. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo* a. Principium in ſolà cogitatione eſt peccatum veniale, ſicut & medium, ſi mora non ſit in ea notabilis, nec voluntaria; etiamſi non ſit voluntas illius exequendæ; ſed conſummatio per conſenſum eſt peccatum mortale, ſi actus ille eſt ex naturâ ſuâ mortalis. Peccatum igitur illud eſt mortale, & conſenſus ille eſt lethalis coram Deo.

r Idem ibid.

a Matth. 5. 28. ex Eccli. 41. 17.

Duobus poſſumus ſpiritualem animæ interitum ex indiciis cognoſcere, quæ nos certos efficiunt de morte corporis temporanea, utputà ex immobilitate, & inſenſibilitate, quæ videri poſſunt ſenſibiliter in peccatore, qui per peccatum mortale ſuam peremit animam. Primò, immobilis eſt non ſecus ac lapis, *Fiant immobiles ſicut lapis* t. Sicut enim lapis nunquam movetur, nec creſcit, nec minuitur; ſic peccator quem *iniquitates diviſerunt inter ipſum & Deum* u, ſic durus eſt corde, & ſic gravis affectibus, ut ſemper terræ ſit alligatus, nedum creſcat in bonis operibus, & eat de *virtute in virtutem* x, neque minuatur in peccato & in malitia, *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper* y. Arrogantia, vanitas, & præſumptio eorum qui odio perſequuntur Deum obſtinato, ſurſum evehitur, augetur, & novis ſemper inflatur incrementis. Nullum habet peccator motum ad bonum. Si verò aliquem progreſſum edat, illum agit ad nova crimina. Omnes venti gratiæ, universæ Divinarum inſpirationum motiones, hæc omnia non poſſunt eum è loco in quo eſt extrahere, illùmque elevare è terra, cui adhæret. Immobilis eſt, cùm omnes motus ſacros, quos offert ei cœlum, dedignetur ſuſcipere; *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* z. Non ſolùm immobilis eſt peccator, ſed etiam ſecundò eſt inſenſibilis. Omnes amiſit ſenſus, cùm eorum non fruatur uſu. Non ampliùs viſus potitur beneficio, cùm incedat ut ignarus, quia *omnis peccans ignorans.* Ipſum cæcitate percutit ipſius iniquitas, nedum videat ineptias & culpas, in quas ſingulis impingitur momentis, & Sapiens a ait de Impijs, *Excæcavit illos malitia eorum.* Sic torvos habet oculos ut videre nequeat, *Oculos habent, & non videbunt* b. Non habet ampliùs auditum, ſic ſurdus inobedientiâ ſuâ evaſit, ut nullas habeat aures quibus audiat validam Dei vocem ipſum vocantem; & licèt hæc vox mortuos è tumulis *foràs* c eduxerit, & animas ex inferno, & mirabilia operata fuerit, quoties eam ipſe Deus adhibuit, eam tamen peccator non audit, *Aures habent, & non audient* d. Aures ejus ſunt ipſi inutiles, quia ijs non poteſt audire; & licèt Deus clamet, vocet, minetur e, peccator ſemper eſt idem, nedum unquam recedat ex infortunijs, quibus ultrò ſe immerſit, *Cor eius indurabitur tanquam lapis* f. Nunquid non prædurus foret ille lapis, qui malleorum contuſione non infringeretur, aut ignis ardore non diſcinderetur? Sic durum eſt cor peccatoris. Nulla obſervatur vitæ ejus emendatio. Suis fœnerator incumbit ſemper uſuris & commercijs illicitis. Suis indulget jugiter libidinoſus voluptatibus & concupiſcentijs infamibus; ſurdus eſt monitis Confeſſariorum, nec illum bona exempla ullo movere poſſunt modo. Concionatores, qui ſunt organa Dei, contentâ voce inclament quantùmcumque voluerint, dormit illis peccator, & renuit audire quidquid propriæ ſaluti eſſe poſſet accommodum. Videte quomodo peccata ejus privent illum auditu; ſecus de hominibus juſtis, qui primæ voci Dei ipſos vocanti præbent aurem, & ſuas diſponunt manus ad eam exequendam, *In auditu auris obedivit mihi* g. Præterea, Peccator excidit odoratu. Non amplius olfacit odorem virtutis. Invidia, quâ exiccatur, non ſinit ei ut complaceat ipſe ſibi in proſperitate & fœlicibus ſucceſſibus proximi ſui, *Nares habent, & non adorabunt* h. Non poſſunt nares illius ullum ſuſtinere commodorum odorem alienorum. Deinde, Peccator nullum præ ſe fert amplius guſtum, & vix comprobata peritus eſt experientia ſuavitatum cœleſtium, cùm eas nunquam fortaſſis deguſtaverit, ſicut nec bona ſpiritualia, quia in ſuam nunquam convertere novit utilitatem ſalutare iſtud monitum Prophetæ i dicentis, *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Idcircò Apoſtolus k non ſecus conſiderat eum quàm ut ſuem immundam, quæ majori perfunditur ſatisfactione in ſterquilinio & ſordibus, quam medias inter ſpecioſas aquas; aut non aliter quàm ut leonem voracem, qui delectatur magis carne, quàm floribus, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* Denique, Tactu deſtituitur, & puſillanimitas ejus illi manus alligat, ita ut eas nunquam bonis applicet operibus; & de illo verè dicere poſſumus æquè ac de ſimilibus, *Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt* l. Producendo alicui bono operi inidoneæ ſunt manus ejus, & pedes illius ſunt veluti claudi, cùm in via non incedant mandatorum Dei. In hanc funeſtam conjecit eum peccatum privationem; ita ut, ſi ſenſum præ ſe ferat exteriùs & apparenter, interiùs tamen nullum habeat, & crimina ejus ipſi eiuſdem eripiant ſenſus uſum, eumque in ſtatum obſtinationis & obdurationis redigant. Quod cùm ita ſit, quid non debemus agere ut ab hac declinemus morte? Sic eſt, Auditores: ſatius eſſet universa ſuſtinere mala poſſibilia, quàm unicum perpetrare peccatum, quod nobis eam cauſat. Quòd ſi ſaluti noſtræ infenſus diabolus velit ad illud nos inducere, aut aliqui impij ab eo inſtigati conentur ad ſcelus aliquod nos pertrahere, & nobis minas intentent infortunii, aut etiam mortis; reſpondere debemus cum Suſanna, *Si hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini* m. Eximium conſilium! Utinam omnes homines illud formarent, cùm illis ſeſe offert occaſio peccandi. Sed heu! quàm pauci inveniuntur qui ſatagant declinare à morte ſpirituali per peccatum mortale incurrenda, quamdiu tantam impendunt curam ad effugiendam corporis necem indeclinabilem, quæ eſt effectus peccati ſecundus.

t Exod. 15. 16.

u Iſai. 59. 2.

x Pſ. 83. 8.

y Pſ. 73. 23.

z Prov. 1. 24. & 25.

a Sap. 2. 21.

b Pſ. 113. 13.

c Ioan. 11. 43.

d Pſ. 113. 14.

e Ioan. 8. 21.

f Iob 41. 15.

g Pſ. 17. 45.

h Pſ. 113. 14.

i Pſ. 33. 9.

k 1. Cor. 2. 14.

l Pſ. 113. 15.

m Dan. 13. 22. & 23.

II. Pars.

Secunda mors cauſata à peccato, eſt mors corporis, & hæc pendet ab altera, & procedit à prima. Si enim homo nunquam peccaſſet, immortalis fuiſſet, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* n. Si verò mors animæ nunquam fuiſſet,

n Sap. 2. 23 & 24. ex Gen. 1. 27. & ex Gen. 3. 19. &c.

fuiſſet, mors corporis non fuiſſet ſecuta, non ex naturâ ſuâ, quia cùm ſit compoſitum è quatuor elementis, & è quatuor qualitatibus contrariis, habebat in ſe principium corruptionis; ſed per effectum & favòrem gratiæ, quæ reparaſſet in ipſo omnes ruinas qualitatum inimicarum, & poſt fœlicem vitam quam peregiſſet in paradiſo *voluptatis* o immunem ab omnibus afflictionibus
[o Gen. 2, 15.] & miſeriis hujus mundi, ſine ullo dolore & abſq; morte tranſlatum fuiſſet in cœlum, victurum ibi in æternum, & fruiturum *torrente voluptatis* ſempiternæ unâ cum animâ ſuâ, *quoniam apud* Deum
[p Pſ. 35. 9. & 10.] *eſt fons vitæ* p. Sed mors ſpiritualis animæ cauſavit ipſi homini mortem corporis temporaneam, & ſic miſer effectus eſt quoad corpus, cùm noluerit eſſe fœlix quoad animam, cùm prohibuiſſet Deus Adæ ne fructum tangeret vetitum; quòd ſi iſtud præceptũ tranſgrederetur, de morte infallibiliter incurrendâ ipſum faciebat certũ,
[q Gen. 2. 17.] *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* q. Ita ut è morte animæ orta fuerit mors corporis. Deus iſtud obſervandum præcepit Adæ mandatum, quò ipſum agnoſceret ut Dominum ſuum ſupremum. Ubi perpendite, ſi placet, repetitos hos duos terminos, *morte morieris*, qui duplicem nobis innuunt mortem, nimirum, mortem animæ, & mortem corporis. Sed quomodo, dicetis mihi, juſtificari poteſt hæc veritas? cùm Adam poſt comeſtum fructum prohibitum, & patratam inobedientiam ſuam, pluſquàm nongentos vitæ peregerit annos, priùſquàm mortem oppeteret, *Et factum eſt omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt* r. Reſpon-
[r Gen. 5. 5.] deo id intelligendum de neceſſitate moriendi, quam debebat ex tunc contrahere, & de itinere, per quod pergebat ad mortem, & quòd ubi Adam peccavit, ſtatim morti obnoxius evaſit. Datur enim differentia inter mori & mortuum eſſe, quòd nos non ſumus mortui, & tamen ſingulis morimur momentis, & properamus ad mortem per eumdem progreſſum, per quem contendimus ad vitam, ut teſtatur ſapiens *ingreſſa mulier Thecuitis ad Regem. Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur* s. Semper & quo-
[s 2. Reg. 14. 4. & 14.] libet momento aliquid noſtri ipſorum recondimus in tumulo; ad mortem properamus jugiter, elati à quatuor anni tempeſtatibus veluti totidem portitoribus noſtri funeris. Et ſic interrogati quidnam agamus, reſpondere poſſumus præ veritate quòd morimur; non ſecus ac Reus qui ad furcas ducitur patibulares, ibi ſuſpendio enecandus, dicere poteſt cum certitudine, ſe properare ad mortem; ſic contendimus nos ad mortem, vecti quadrigâ rotis inſtructâ quatuor, utputà Vere, æſtate, autumno, & hyeme, & à Sole ut aurigâ directâ, ut ſubeamus tandem executionem decreti adverſùs noſtram inobedientiam & infidelitatem pronuntiati, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* t;
[t Hebr. 9. 27.] Quod non fuit ſatum niſi intuitu peccati, quod mortem introduxit in orbem. *In hunc mundum in-*
[u Rom. 5. 12.] *travit per peccatum per mors* u, quæ eſt effectus cauſæ ſic infelicis; *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* x.
[x Ezech. 18. 4. & 20.] Et ſic mors nobis infligitur ut pœna, & ut noſtri punitio criminis. Obſervate enim, ſi placet, duplici conſiderari poſſe mortem modo, aut ut naturalem, aut ut pœnalem. Si intuemur eam per relationem ad cauſam efficientem præcipuam quæ eſt Deus, homo eſt immortalis, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*
[y Sap. 1. 13.] y, Deus non eſt Author illius: Sicut etiam per reſpectum ad cauſam formalem, quæ eſt anima

Tom. II.

immortalis ex naturâ ſuâ: & ſic mors eſt naturalis, ſed ſolùm in pœnam criminis quod illam præceſſit. Si verò inſpiciamus eam à parte cauſæ materialis, tunc illa eſt naturalis; quodcumque enim coaleſcit è materia quatuor elementorum, & quatuor qualitatum contrariarum, eſt corruptibile per naturam ſuam. Sicut ſi eam attendamus è latere cauſæ finalis, quæ eſt viſio Dei z, crea- [z Joan. 17. 3.]
tus enim fuit homo ad fruendum Deo. Atqui non poteſt iſtam ſibi conciliare fruitionem niſi per mortem ſuam, *Non enim videbit me homo, & vivet* [a Exod. 33. 20.]
a. Ergo mors illi eſt naturalis, & naturaliter ipſe debet mori. Videtis igitur quomodo mors gemina animæ & corporis oriatur è peccato; quomodo homo mortalis eſt, & immortalis per naturam; qua ratione mors eſt illi naturalis, & pœnalis, ita ut ab ea non poſſit declinare, cùm peccati demeritum hanc mortem effecerit omnibus communem hominibus.

Cùm igitur mors ſit nobis inevitabilis, nunquid non conari debemus eam efficere fœlicem per ſanctam diſpoſitionem, prævenientes & anticipantes id, quod non poſſumus effugere? Mors eſt infallibilis, & in ſua infallibilitate ipſa eſt incerta, cùm neſciamus, quando, aut quomodo, aut in quo ſtatu moriendum ſit nobis. Ideò paratos nos eſſe hortatur Chriſtus hujus intuitu incertitudinis, *Eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet* b. Maximi res eſt iſta momenti, [b Luc. 12. 40.]
nec negligentia poteſt eſſe noſtra niſi criminoſa, cùm ad æternum nos obſtringeret pœnitere. Ideò proficuum aſciſcere nobis debemus monitum Eccleſiæ ſuadentis ut purgemus noſtra crimina per emendationem vitæ noſtræ, quæ nos ad fœlicem agendam diſponet mortẽ, *Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, ne ſubitò præoccupati die mortis, quæramus ſpatiũ pœnitentiæ, & invenire non poſſimus.* Graviſſima res eſt, & periculum eſt in morâ differendæ pœnitentiæ, quia, ut dicitur, *Pœnitentia ſera, raròvera.* Juſti qui pœnitentiam egerunt ante mortem ſuam, moriuntur ut cygni canendo, quandiu impii rabie aguntur, eò quòd pœnitentiæ non vacaverint, deſperantes more Sirenum poſt ſuavem cantum per totam vitam editum; *Virum iniuſtum mala capient in interitu* c. Differentia quæ eſt inter cygnum & Sire- [c Pſ. 139. 12.]
nem, & cauſa hujus differentiæ eſt, quòd adventante morte ſanguis ſe recipit ad cor cum omnibus ſpiritibus vitalibus; ſicut ſanguis ſirenis eſt corruptus & plenus ſpiritibus venenatis, non eſt mirum ſi talis ſanguis eam mirò excruciet modo, illamque impellat ad gemitus; ſed cùm ſanguis cygni ſit generoſus & ſuavis, cor illius vehementer recreat mediis ſuis ſpiritibus jucundis quibus redundat, idcircò non eſt cur ſtupeamus ſi gaudio immodico inde perfuſus cygnus ſuum aperiat os, & ſuavem concinat melodiam. Eadem prorſus admittitur differentia inter peccatorem & juſtum ipſo mortis articulo. Tunc enim prætaritarum recordatio iniquitatum peccatori ſanguinem veluti glaciem conſtringet, & eum flere faciet, quandiu Juſtus canet, ſanguine virtutum ſe colligente ad cor ejus. Nec miror quòd impi- [d Joan. 11. 35 &c.]
us mortem jam jam obiturus defleat, cùm Evangeliſta d afferat, quòd *lachrymatus eſt Ieſus*, ſuſcitaturus Lazarum *jam fœtentem, quatriduanus enim* erat, qui ut ſic erat figura peccatoris: S Marcus [e Marc. 7. 31 &c.]
e autem obſervat ſpeciatim omnes ceremonias adhibitas à Chriſto ſurdum quendam ſanaturo, nam poſtquàm *miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius; ſuſpiciens in cœlum, ingemuit*

D 3

muit: & ait illi, Ephephta, quod eſt, adaperire. Unde videtis opera, verba, & ſuſpiria fuiſſe impenſa ad curandum hunc hominem; ut oſtendatur hoc exemplo quàm difficile ſit eductu peccatorem induratum è vitio ipſius, & mederi ægroto vitiis inveteratis laboranti.

Ingrediens Jeſus civitatem Jeroſolymitanam pro toto Regio apparatu nihil habebat præter aſellum, *Et duxerunt pullum ad Ieſum* f. Miratur Albertus Magnus quòd tres Evangeliſtæ referant, ſolum fuiſſe ductum aſellum ad Chriſtum, & quòd S. Matthæus g dicat, *Adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Ait ergo, *Solus Matthæus* h *dicit quòd miſit pro aſinâ & pullo: Sed omnes alij Evangeliſtæ Marcus* i, *Ioannes* k, *& Lucas hic non faciunt mentionem niſi de pullo. Alij Evangeliſtæ quaſi aſinam, Iudæam relinquunt, & pullum Gentilem adducunt* l. Ut intelligatur iſtud melius ad propoſitum noſtrum, Certum eſt hunc triumphum myſterioſum repræſentare eum quem refert Chriſtus de peccatoribus, redigens eos ad ſuarum notitiam legum, & è beſtiis, quales erant ob ſua crimina m, transmutans eos in homines rationales per gratiam quam illis præbet, cùm ad eam per *pœnitentiam* n ſe diſponunt ſuſcipiendam. Aſellus iſte ſignificat peccatorem, qui à paucis diebus præcipitavit ſe in abyſſum peccati; aſina verò quæ eſt ætate provectior, figurat nobis eum, qui ab aliquot annis abijt in vitii conſuetudinem. Non eſt igitur mirum ſi multi dicant, Chriſtum ingreſſum eſſe Jeroſolymam præ triumpho, inſidentem ſymbolo peccatoris paucorum dierum, & ſi id tres Evangeliſtæ recenſeant; ſed dicere, quòd triumphet ſuper figura peccatoris vitiis aſſueti à pluribus annis, vix illud credet quis, & unicus narret Evangeliſta, ut oſtendatur difficultas convertendi peccatoris contumacis, & in culpis obſtinati; quia in hoc ſtatu difficilè diſponi poteſt ad pœnitentiam, & periculoſum eſt ne *in peccato* o ſuo moriatur.

f Matt. 21. 7. &c.
g Matth. 21. 7. &c.
h ex Matth. 22. 23.
i ex Marc. 11. 2.
k ex Ioan. 10. 14.
l Albert. Magn. in Luc. 19. 30. &c.
m Pſ. 48. 13. & 21.
n Ezech. 18. 21.
o Ioan. 8. 21.

Cùm ſuum demulcere voluit Deus populum captivum ſpe libertatis priſtinæ citò recuperandæ, præcepit ei ut adiret Prophetas ſuos, qui aliquam ipſi exhiberent ſimilitudinem intuendam, quæ hanc ipſi certitudinem confirmaret, ita ut dixerit Jeremiæ p, *Deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et deſcendi in domum figuli, & ecce, ipſe faciebat opus ſuper rotam.* Et cùm voluit idem Deus indicare eidem populo, quòd labores, quos ipſe ſuſtinebat, nonnullum eſſent habituri finem, poſtquàm dixit propheta, *Et diſſipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis: converſuſque fecit illud, vas alterum:* ſubjungit ipſe Dominus, *Ecce, ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael.* Quod ex Hugone ſic exponit Cornelius q, *Quaſi diceret, Sicut figulus vas fractum renovat, ita ego vos è captivitate, quaſi fractos reducam, & renovabo Rempublicam veſtram; ſi reſipueritis. Deus enim mutabit ſententiam, ſi vos mutetis mentem.* Sed quod magis noſtro conſonat propoſito, eſt, quòd ubi ſemel cocta ſunt vaſa fictilia, & deinde confringuntur, tunc nullâ poſſunt emendatione corrigi propter duritiem, quam ex igne contraxerunt; cùm è contrà ſi aliquo caſu colliſa & perverſa fuerint vaſa nondum igne examinata, facile priſtinæ reſtituantur figuræ, figuli opificio; ſic dicendum eſt de peccatoribus, qui vivunt ſuarum oppreſſi jugo iniquitatum, ſeu, ut dicatur meliùs, qui mortui ſunt in peccatis ſuis; & de illis qui à pauco tempore ſe vitiis dediderunt: Iſti enim facile poſſunt corrigi, & priſtinam ſuam formam reſumere, ac reformari ad prioris emendatæ vitæ figuram; Sed illi qui pravis ſuis ſunt conſuetudinibus aſſuefacti, & indurati igne concupiſcentiæ ſuæ inveteratæ, nullâ emendatione niſi præ magna difficultate corrigi poſſunt; & periculoſum eſt ne in hujuſmodi iniquitatibus è mundo diſcedant ſine peractâ pœnitentiâ.

p Ier. 18. 2. &c.
q Cornel. in Ier. 18. 6.

Sapiens r ait, *Fœlix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Ut intelligatur conceptus Salomonis loquentis de anima juſta, Obſervandum eſt myſterium in his verbis contentum, *Quæ neſcivit thorum in delicto.* Thorus ſignificat ſtratum conjugatorum, ut multis in locis innuit Scriptura s, præſertim verò cùm ait, *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus* t. Anima quæ non nubit peccato, *habebit fructum*, quia iſti qui peccato non ſunt aſſuefacti, nec in eo ſiſtunt ut in cubili quietis, ex eo ſe facilè extrahunt: Sed ij quorum inveterata eſt conſuetudo, quique veluti nupſerunt peccato, ex illo non niſi difficilè ſe ſubtrahunt, ut pœnitentiam peragant. Idcircò Cretenſes antiqui acerbâ utebantur execratione contra eos quos odio proſequebantur, nimirùm optando ut mala conſuetudine ac pravis habitibus delectarentur; rati non poſſe eſſe majorem maledictionem eâ, quâ quis deſiderat ut inimicus ſuus in conſuetis ſuis complaceat ſibi, & perſeveret criminibus, quaſi ſic ratiocinarentur: Maximæ calamitates quibus infeſtantur Regna, proveniunt eis è vanitatibus ipſorum, & è ſceleribus quæ ibi perpetrantur contra Deum, quibus veluti tot Hoſtibus infenſiſſimis devaſtantur Reſpublicæ: Ut igitur Monarchiæ citò in omnimodam incurrant jacturam; tot inquinent ſe ſceleribus ut nunquam corrigi poſſint, & in obſtinatione ſua moriantur illarum incolæ, nedum illos depravatæ vitæ ſuæ anteactæ pœniteat, eorumque mors conveniat cum ipſorum vita præterita, & ſic de illis Monarchiis eſt penitùs conclamatum, earumque ruina eſt prorsùs infallibilis. Eodem veluti ductus affectu Oſee u, ait, *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis, qui non reverſatur*, ita ut redactus fuerit in carbonem, & nullius utilitatis effectus. Quid nobis iſtis vult Propheta verbis innuere? *Hoc eſt, non agit pœnitentiam*, exponit S. Hieronymus x. Non poteſt ſe convertere ad Deum. Sed unde provenit ei tanta obſtinatio? Propheta ſubdit, *Cani effuſi ſunt in eo.* Id eſt, inveteratus eſt in peccato, in eo multis annis permanens, *Id eſt, multo erravit tempore*, ait idem S. Hieronymus. Nō eſt igitur mirum ſi non revertatur ad Deum per ſuarum pœnitentiam culparum.

r Sap. 3. 13.
s Nū. 5. 19. & Iudic. 21. 23.
t Hebr. 13. 4.
u Oſee 7. 8. & 9.
x S. Hier. lib. 2 in Oſee 7. 8. & 9.

Videntes duo Angeli, quòd Sodoma viderentur nolle egredi Lot, uxor illius, & duæ filiæ ejus, *Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum uxoris, ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra civitatem* †. Quaſi diceret Scriptura, eum non egreſſum inde niſi per vim, ut ait S. Ambroſius y; *Et penè non profectus non evaſiſſet, niſi urgentibus Angelis, & tenentibus manum eius, egredi coactus eſſet.* Et doceret nos eadem Scriptura, quòd ubi agitur de extrahendo peccatore obſtinato ex abyſſo peccati, videatur Deus indigere potentia extraordinaria, immò auxilio alieno. Lazaro infirmitate lethali decumbente, *miſerunt ſorores ejus ad* Chriſtum *dicentes, Domine, ecce quem amas, infirmatur*, ut inducerent eum ad præſtandam fratri ſuo ſanitatem priſtinam. His ſuſceptis Chriſtus literis, ait diſcipulis ſuis, *Lazarus amicus noſter dormit: Sed vado ut à ſomno excitem eum. Illi autem putaverunt*

† Gen. 19. 16. & 17.
y S. Ambr. lib. 1 de Abrah. c. 6.

quia

quia de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo Ieſus dixit eu manifeſtè, Lazarus mortuus eſt: Sed eamus ad eum z. Cùm dixit Jeſus, *Lazarus amicus noſter dormit*; tunc vadit excitatum eum: ſed cùm *Lazarus mortuus eſt*, oportet ut diſcipuli ſocientur Chriſto & ſimul cum ipſo domum pergant Lazari. Hæc eſt differentia inter peccatorem recenter lapſum in crimen & peccatorem obſtinatum in pravis ſuis conſuetudinibus. Illi à diebus paucis in peccatum lapſo ſolus Chriſtus ſufficit ſuſcitando, eique è peccato eruendo; ſed quoad peccatorem induratum videtur neceſſarium auxilium, tanta invenitur difficultas in eo convertendo. Idcircò noſtram non differamus pœnitentiam, nec tardemus *converti ad Dominũ, & ne de die in diem* a procraſtinemus, ne mors nos imparatos in vitiis noſtris apprehẽdat, ſed potiùs eam citò in praxim redigamus, ut in ea invenire poſſimus gratiam in hoc mundo, quam deinde ſequatur gloria in altero ſeculo.

z Ioan. 11. 1. &c.
a Eccli. 5. 8. & 9.

FERIA VI.
POST DOMINICAM I. ADVENTVS.

Deſcende, peccavit populus tuus. Exod. 32 7.

DEus qui ab æterno ſalutem voluit hominum, qui *in charitate perpetua* a dilexit eos, illorum exhibuit ſe magiſtrum, ut meliùs illam operari edoceret eos. Propter hunc eminentem finem invenio eum quadruplicem erexiſſe Academiam. Prima Schola fuit Claſſis ſuavitatis in paradiſo *voluptatis* b. Secunda ſeveritatis *in arca* c. Tertia majeſtatis ſuper monte Sinai, *Erat autem ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens in conſpectu filiorum Iſraël* d. Quarta tandem juſtitiæ in inferno, ubi illi qui ipſius non fuerint uſi ſuavitate, ſeveritate, & majeſtate, experientur rigores juſtitiæ ipſius per æternitatem, euntes *in ſupplicium æternum* e, habituri eum Judicem ſeverum, nedum pergant *in vitam æternam* e; cùm renuerint eum habere Patrem miſericordem, cùm derelicto omni eo quod præ ſe ferebat rigoris, *Verbum caro factum eſt* f in ſinu Virginis ſacratiſſimæ eo momento quo dixit eidem Virgini Angelus, *Ave Maria*.

a Ier. 31. 3.
b Gen. 2. 15. &c.
c Gen. 7. 21. & 24.
d Exod. 24. 17.
e Matt. 25. 46.
f Ioan. 1. 14.

Peccatum mortale ſic nuncupatur propter mortem quam cauſat in anima, in quam ſuſcipitur, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* g. Cùm ipſa amittat per peccatum lethale vitam quam ſuſceperat à Chriſto qui eſt vita per eſſentiam, ut ipſemet ait de ſe, *Ego ſum via, & veritas, & vita*, h. Et, *Quod factum eſt in ipſo vita erit* i. Atqui per peccatum mortale Deus ſe ſeparat ab anima, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* k, per privationem gratiæ, quæ non poteſt ſociari peccato mortali in eodem ſubjecto. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras* l? Quia per gratiam diligit animam Deus, *& manſionem apud* m eam facit, & per peccatum *odio Deo* ipſimet eſt eadem anima impia, *& impietas eius* n. Quod malum eſt ſic immodicum ut ſatius eſſet habere diabolum in corpore, quàm peccatum in anima: poteſt enim quis eſſe in gratia licèt diabolum habeat in corpore? ſed gratiâ deſtituitur, quandiu eſt in ſtatu peccati, quod à gratia infinito diſtat modo, ut aſſerunt Theologi. Ideò magis deplorandus eſt peccator quàm ſit dæmoniacus; *Magnus enim dæmon peccatum eſt*, ait S. Chryſoſtomus o, ſed dæmon peſſimus. Atquid? danturne boni dæmones? Etiam, per accidens, cùm ſuggeſtionibus ſuis ſubminiſtrent nobis anſam merendi. Sic ſacra Scriptura p dicit de Saül, quòd *exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino*, quòd diabolus improbus animabat Saül derelictum à Spiritu Dei. Tunc Saül non erat ampliùs niſi ſpectrum ſui ipſius, & in ſua ſuſtinebat animâ infernum animatum flammis internis, & dæmonem ſævum & importunum, qui ipſum vehementer angebat, nec ullas ipſi die, nec nocte, quietis indulgebat remiſſiones. Et volens Deus punire inobedientiam cujuſdam Prophetæ, permiſit ut *eum leo in via occiderit*. Ubi Scriptura obſervat quòd *leo ſtabat juxta cadaver* q. Quare? petit Rupertus r, & reſpõdet, *Stat, nec poteſt ad nocendũ progredi ultrà*. Solum peremit leo corpus, non autem animam Prophetæ, quem ſuæ pœnituit inobedientiæ antequàm ipſe mortem oppeteret. Sed *magnus dæmon peccatum eſt*. Et ideò ut tale iiſdem meretur plecti pœnis, quibus afficitur in inferno diabolus. Et licèt Scriptura ſacra ſempiterna publicet tormenta, & ſancti Patres & Doctores Eccleſiæ prædicent æternitatem pœnarum, ad quam Deus damnat impios ac reprobos, & hæc doctrina ſit articulus fidei noſtræ indubitatus, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius: Et ibunt hi in ſupplicium æternum* s: tamen inveniuntur homines eò uſque increduli, ut malint ſcientiâ fatali & experimentali effici periti ignium inferni, quàm *in captivitatẽ intellectum in obſequium* t hujus veritatis redigere, & credere primæ veritati, quæ hanc ſubmiſſionem ab ipſorum exigit obedientiâ. Ut igitur ſtabiliatur hæc maximi veritas momenti, oſtendam vobis juxta promiſſum vobis heſternâ die à me factum, Primò quòd peccatum mortale nobis cauſat in alterâ vitâ mortem gehennæ, Secundò, Mortem æternam corporis & animæ, cùm peccatum mortale mereatur pœnarum æternitatem. Hæc duplex mors duplicem diſcurſus iſtius conſtituet portionem.

g Ezech. 18. 4. & 20.
h Ioan. 14. 6.
i Ioan. 1. 4.
k Iſai. 59. 2.
l 2. Cor. 6. 14.
m Ioan. 14. 23.
n Sap. 14. 9
o S. Chryſoſt. hom. 33. ex c. 9. Matth.
p 1. Reg. 16. 14.
q 3. Reg. 13. 24. &c.
r Rupert. lib. 5. de Victoriâ Verbi Dei c. 6.
s Matth. 25. 41. & 46.
t 2. Cor. 10. 5.
Diviſio.

I. Pars

Prior mors, quam peccatum cauſat in alterâ vita, eſt mors gehennæ. Statim enim ac anima diſcedit è corpore, peccato mortali inquinata, inimica Dei, privata ejus gratiâ, præcipitatur in abyſſos, ut ibi crucietur flammis, quæ *flante Deo, & ſpiritu iræ eius* u accenſæ, nunquam extinguentur. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt* x. Impii ſic ſunt fœlices in iſta vita, ut poſt tranſactam medias inter epulas & voluptates vitam, & poſt omnium fruitionem oblectamentorum, mors licèt ferox & inhumana quandam præ ſe ferre videatur erga eos urbanitatem & reverentiam; deinde inopinanter & vel unico momento gravi ſentiunt ſe morbo percuſſus, qui ipſos vulnerat, ipſis veluti blandiendo, quique ipſos occidit, ipſos ſopiendo, quaſi verò metueret illa eos dolore afficere; ſed ut tam mortem

u Iob 4. 9.
x Iob. 21. 13.

Google

tem ſequitur mors gehennæ, ita ut ſatius foret, ut dicebam modò, præ ſe ferre diabolum in corpore, quàm habere in anima pèccatum, quod cauſat nobis poſt hanc vitam mortem gehennæ.

Suam volens Deus intuendam exhibere potentiam Job, ait illi, loquens de diabolo in figurâ Leviathan, *Nunquid feriet tecum pactum* y? Poſſibilene erit ut diabolus tecum fœdus ineat, ſicut mecum? Sed quid eſt iſtud? S. Gregorius z reſpondet; *In pacto diſcordantium partium voluntas impletur.* Initne Deus fœdera cum diabolo, cùm adinvicem ſic ſint contrarii ambo? Reſpondet idem S. Gregorius, quòd in tentatione juſti, conveniant in licentia quam ei præbet Deus tentandi illius, *Tentationis licentia pactum vocatur, in qua & deſiderium tentatoris agitur, & tamen per eam miro modo voluntas juſti diſpenſatoris impletur.* Hoc innuit nobis, quòd poteſt quis habere diabolum in corpore, & eſſe gratus Deo, cùm poſſit eſſe in gratia, cùm per peccatum eâ ſit privatus. Et hoc modo diabolus nobis eſt perutilis, cùm caſtigans corpus, animam purificet. Sed non eodem habet ſe res modo intuitu peccati, quod deſtituens nos in hoc mundo vitâ gratiæ, producit in nobis in altero mortem gehennæ.

[y Job 40. 23. z S. Greg. l. 33. Mor. c. 13. in Job 40. 23.]

Rem notatu dignam de ficu ſylveſtri obſervant rerum naturalium curioſi Indagatores, quòd nimirum illa ſic pravo inficiatur humore, ut ille humor impediat ne ipſamet ad perfectam perveniat maturitatem; & quòd pro remedio quidam culices eam ſuis ſtimulent aculeis, qui proſunt ei, nedum illi obſint, hunc pravum humorem foràs extrahentes. Eodem ſe planè gerit diabolus modo adversùs Chriſtianos pravis conſuetudinibus affectos, veluti pravis humoribus repletos, eos ſic ſuis ſtimolat aculeis, eos tentando propter ipſorum emolumentum, ut veluti ficus hujuſmodi culicis ſtimulis perficiantur. *Sed magnus dæmon peccatum eſt*, aiebat modò S. Chryſoſtomus. Dicebat aliàs diabolo qui erat ingreſſus corpus cujuſdam virginis, *S.* Hilarion, *Quare auſus es ingredi puellam Dei*, quæ corpus præ ſe fert ita caſtum ac purum? Diabolus autem reſpondit illi, *Ut ſervarem eam virginem.* Perſæpè diabolus eſt cauſa bonorum, ſed peccatum ſemper eſt cauſa malorum, cùm ſemel eſt in anima, quia conſequenter infert mortem gehennæ, quod non agit diabolus qui eſt in corpore. Nullas habet diabolus vires præter eas, quas præbet ei peccatum, nervi illius ſunt culpæ, ideò *magnus dæmon peccatum eſt.* Solem & Lunam *in principio creavit Deus*, & vocavit Solem *luminare majus*, Lunam vero *luminare minus*, a. Quia Luna lucet luce alienâ mutuatâ à Sole, ſine qua illuminare nō poſſet, & obſcuritate & tenebris circumfuſa noſtros non valeret greſſus dirigere medias inter noctis tenebras: Sic admittitur diabolus ſuperior, & diabolus inferior. Lucifer ſuos omnes inſumens conatus ut nobis noceat tentationibus & perverſis ſuggeſtionibus ſuis, ut nobis inobedientiam inſpiret, noſque ad Divinorum inducat tranſgreſſionem mandatorum, eſt diabolus inferior, peccatum verò eſt diabolus ſuperior, *Magnus enim dæmon peccatum eſt.* Quia diabolus nullis viget viribus, niſi illis quæ ſubminiſtrantur ipſi à pèccato. Ideò deflendum eſt ſuper peccatum, quod deſtituens nos vitâ gratiæ, cauſat nobis mortem gehennæ, quam diabolus nobis inferre non poteſt.

[a Gen. 1. 4. & 16.]

Nihil magis eſt rectæ conſonum rationi, quàm ut mortem ſpiritualem animæ, quæ ſita eſt in privatione gratiæ Dei, poſt mortem corporis, ſequatur mors gehennæ. Si enim merces debetur Juſtis, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Index* b: per rationem contrariorum, pœnam merentur impij: Et ſicut Boni ſtatim pergunt in cœlum, potitum felicitate meritis ſuis debitâ; ita mali præcipitantur in infernum, expertum pœnas, quas Deus reſervat ad punienda ipſorum crimina & demerita. Hæc autem pœna eſt ipſis mors continua, minùs tolerabilis ſine comparatione quàm ſint omnia hujus vitæ ſupplicia. Iſta vocatur à David c *mors peccatorum peſſima.* Illa mors eſt mala, quæ hominem vitâ privat corporali. Illa peior eſt, quæ ei eripit vitam ſpiritualem per ſeparationem gratiæ, quæ faciebat unionem animæ ejus cum Deo, ſed illa *mors peſſima eſt*, quæ deſtituit eum vitâ æternâ, eumque damnat ad infernum, & ad gehennam.

[b 2. Timoth. 4. 7. & 8. c Pſ. 33. 22.]

Res autem verà iſtud ſanæ rationi & æquitati eſt congruum. Antiqui enim malefactorem multabant quantùm puniri poterat in eadem natura, intra quam delictum illius inveniebatur. *Qui percuſſerit, & occiderit hominem, morte moriatur. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium ſuorum: ſicut fecit, ſic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet: qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur. Æquum judicium ſit inter vos: quia ego ſum Dominus Deus veſter* d. Peccata, quæ committimus, ſunt injuriæ eidem Deo noſtro irrogatæ. Injuria autem eò gravior eſt, quò perſona offenſa eſt excellentior. Deus noſter eſt excellentiæ infinitæ, *Magnus eſt & non habet finem; excelſus & immenſus* e. Injuria igitur, quam ei inferimus, eſt infinitè criminoſa. Sed offendine poteſt Deus? dicetis mihi. Nonne ſcimus eum ſic eſſe in ſua ſtabilitum magnitudine, ut nullâ poſſit alteratione, aut viciſſitudine commoveri f? Nunquid non totam perfecerat æternitatem, nedum tamen aliquam experiretur offenſam? Ut quid creaturas in lucem edidiſſet, ut ab iis honori ipſius irrogaretur injuria? Offendi à ſeipſo non poterat. Sed Deus qui eſt immutabilis, *Ego enim Dominus & non mutor*, qui eſt ſubſtantia ſummè ſubſiſtens, *Ego ſum qui ſum* h; poteſtne jacturam ſuſcipere, aut diminutionem? Sed honor illius conſiſtitne in aliquo quod ſit extra ipſum, ut moveri poſſit iis, quæ creaturæ cogitare valeant, aut agere adversùs ipſius voluntatem? Et nunquid earum aliqua ſic potens eſt ut Deum tantæ majeſtatis præſumat aggredi? Impeteturne ab hominibus, qui nihil ſunt, comparati huic infinitæ magnitudini, niſi *putredo & vermis* i? Angeli, qui ſunt ſpirituales, & multò nobiliores hominibus, poſſentne ſibi proponere conſilium aggrediendi Dei? Ex illis aliqui eò uſque proruperunt temeritatis & præſumptionis ut aſſimulari voluerint *Altiſſimo.* Sed eorum punita fuit inſolentia, detracta *ad infernum ad profundum laci* k. At ſaltem in illis erat aliquid, ratione cujus meliùs ſuperbire viderentur. Non puto; dicetis mihi ſinguli, poſſibile eſſe ut Deus tantæ magnitudinis, & ſic *Omnipotens* l aliquam ab hominibus irrogatam ſibi perpetiatur injuriam. Iſtud quidem ritè uſurpatis, ſi intelligatis illud pro effectu. Deus enim noſter eſt impaſſibilis; & dato quòd paſſibilis eſſet & tolerantiæ obnoxius, nunquam tamen nocere ei poſſent homines, quippe qui nimis infirmi ſunt ac debiles; iſtæ nihilominùs infirmitates eorum non

[d Levit. 24. 17. &c. e Baruch. 3. 25. f Pſ. 101. 28. g Malach. 3. 6. h Exod. 3. 14. i Job 25. 6. k Iſai. 14. 14. & 15. l Eſth. 13. 9.]

impe-

impediunt quò minùs læſæ Divinitatis efficiantur rei. Peccatum namque lethiferum (ſi ritè expendatur) directè inſurgit in Deum, & authoritati illius ſupremæ adverſatur; & ſi præ ſe ferret os ita ut loqui poſſet, & peteretur ab illo quodnam ſit conſilium ipſius; reſponderet ſanè, ſe nihil aliud intendere, ſi poſſit, niſi deſtruere legem Dei; & quòd, ſicut ipſum vult Deus exterminare, & è cordibus humanis æquè ac è mundo procul ipſum amandare; talem ulciſci vult ipſum injuriam ſibi illatam ab eo, cujus deprimere intendit potentiam & authoritatem. Potentia Dei eſt voluntas ejus: Voluntas Dei idem prorſus eſt ac eſſentia illius: Peccatum vult deſtruere voluntatem Dei: Eripere vult ergo Deo vitam & eſſentiam ipſiuſmet. Et licèt peccator ſuum perpetrando peccatum, talem præ ſe ferre non videatur intentionem, ſic tamen eſt in ſemetipſo diſpoſitus ut complaceret ſibi ut nunquam ſuum Deus prohibuiſſet peccatum, nec ſuam præ ſe idemmet Deus ferret intentionem ad virtutem proſequendam. Si hoc foret, Deus non eſſet Deus. Vult igitur peccator peccando, ut Deus non ſit Deus. Mortem concupiſcitis æquè ac ruinam Dei? Ha! ſupplicio ſanè vos eſtis digni. Ut autem veſtro conformis aſſignetur mulcta crimini, minima quæ vobis poſſit evenire, eſt mora; & ſicut perſona Dei eſt infinitè potens, & ſummè æterna m, ſupplicium veſtrum debet eſſe ſine fine, & veſtra mors æterna. Vitam Deo voluiſtis eripere, æquum eſt ut æternâ privet vos Deus vitâ, damnando vos ad inferos, ad mortem gehennæ. Hanc privationem vitæ æternæ ſequitur mors æterna nunc quoad animam; poſt judicium verò univerſale quoad animam & quoad corpus ſimul. Et hæc eſt ultima mors, quam peccatum cauſat, ut ultio referatur de injuriâ, quam peccatum Deo irrogat.

m Dan. 13. 42.

Peccator quotieſcumque peccato te inquinas lethifero, ſi tibi indulgeres otium conſiderandi illius quod agis, forſan, ſi ſanâ mente & ſolido judicio polleas, retineret te horribilis infœlicitas mortis gehennæ, cui te addicis; te enim læſæ Divinæ efficis reum Majeſtatis, jacturam incurris amoris & benevolentiæ Dei tui, tu offendis eum, quem tuum latêre non poteſt delictum, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius* n, qui tuus *eſt Iudex* o, æquè ac tua Pars, qui nihil deſerit impunitum p, *Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum* q, ut ſuam ulciſcatur injuriam, & ſuam extollat gloriam, quam præſumis caligine offundere: tu te privas mediis reconciliandi tuiipſius cum eo, in tyrannidem te redigis diaboli, damnatorum te inſcribis catalogo. Hæc omnia nunquid non impedire poſſunt ne in peccatũ laxatis curras habenis perpetrandum? cùm privandus ſis vitâ æternâ, & deſtituendus in æternum amore & benevolẽtia Dei tui, & hanc privationẽ æternæ vitæ comitari debeat inſeparabiliter mors æterna quoad corpus & quoad animã ſimul, quæ eſt extrema mors.

n Hebr. 4. 13.
o Act. 10. 42.
p Malach. 3. 1.
q Sap. 5. 12.

II. Pars.

Sed mors terribilis, mors ſemper vivens, cùm jugiter vivant reprobi media inter ſupplicia, nedum mori poſſint unquam, *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis* r. Juſtitia Dei facict eos in ſempiternum vivere, ut in æternum poſſit eos punire. Si enim non obſtante peccato eorum, Deus remanet integer, immutabilis, & æternus, hoc non fit quòd voluntas eorum non feratur ad illum deſtruendum, ſed quia magnitudini Dei nullum poteſt inferri nocumentum. Sicut ille gravi plectendus eſſet ſupplicio, qui perſonam attentaſſet Regiam perimere, etiamſi Rex nimirum ſtipatus numeroſâ ac fidâ cuſtodiâ nullo fuiſſet impetitus damno; ſemper enim punienda eſſet intentio depravata illius æquè ac ſi Regem è medio ſuſtuliſſet. Quod à rectâ non diſſonat ratione. Si enim bona opera, quibus in hac vita incumbimus, quæque perpaucum durant tempus, præmium merentur æternum, eò quòd æterna Bonorum ſames ſempiternâ ſit digna ſaturitate, & homo juſtus firmiter ſibi proponit ſine intermiſſione ſervire Deo, etiamſi eſſet in æternum victurus, æquitati congruit ut propter exiguum iſtud tempus obſequio Dei impenſum, mercedem conſequatur æternam. Contrà verò peccator inſurgit in Deum, qui eſt æternus in vita ſua: Meretur igitur ob unicum delictum lethiferum, ſupplicium æternum; & hæc æternitas ſupplicii eſt id, quod nuncupatur mors animæ. Si enim Beatorum *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Deum* s, anima quæ hac viſione Dei privabitur, dici poterit mortua morte æterna; dico, Beatorum vita; Vita enim Juſtorum qui ſunt adhuc in hoc mundo, ſita eſt in gratia Dei, *Iuſtus autem ex fide vivit* t. Ille verò qui peccatum perpetrat, ſibiipſi mortem infert, hauriens venenum quod ipſum privat hac gratia, culpam committit, & ſibi pœnam infligit ſuſtinendam; offendit Deum ſuũ qui eſt æternus, & ſemetipſum deſtituit amore & benevolentia Dei ſui, qui ipſum damnat ad æternitatem pœnarum tolerandam, cùm peccatum ſequi mors debeat æterna.

r Apoc. 9. 6.
s Ioan. 17. 3.
t Rom. 1. 17. ex Habac. 2. 4.

Hanc igitur educo pœnarum æternitatem è proportione pœnæ & culpæ; qualis enim eſt merces meriti, talis eſt punitio demeriti, ſiquidẽ *contrariorum eſt eadem ratio.* Atqui meritum Juſtorum, quod non eſt niſi inſtantaneum, mercedem conſequitur ſempiternam, *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* u. Et, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam* x. Oportet igitur per ſequelam neceſſariam ut demeritum impiorum, licèt pauco tempore productum, ſupplicio plectatur æterno. Nec obeſt in contrarium id, quod ſcriptum eſt y, *Pro menſurâ peccati erit & plagarum modus.* Quia illud debet intelligi, juxta S. Thomã z, de menſura proportionis, non verò de menſura durationis; nam quò eſt offenſa gravior, eò ingentius debet eſſe ſupplicium. Obſervate autem, quòd licèt pœna quantùm ad durationem deberet menſurari ad culpam, tamen deberet illa eſſe infinita in inferno; nam quandiu animæ iſtas *habitant domos luteas* a, & corporibus immerguntur mortalibus, communicant eorum qualitatibus, nimirum mutabilitati, inconſtantiæ, triſtitiæ, & gaudio: *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* b. Ubi obſervate verbũ iſtud, *aggravat*, quod innuit, corpus attrahere animã ad ſuas propenſiones, illáq; ſuis facere cōmunicare qualitatibus. Nemo igitur, quandiu ſpirat in præcordiis ipſius anima, de ſua deſperare debet ſalute, cũ adhuc agere poſſit *pœnitentiam* c. Sicut etiã nemo, quantũvis juſtus, debet ſic eſſe ſecurus ut funeſtum aliquem non vereatur caſum d. Quemadmodum enim peccatum noſtra non privat nos libertate, ſic gratia non cogit nos ad faciendum bonũ e. Sed ubi eſt anima ſeparata, & tota ſui juris eſt, nec pẽdet à legibus corporis, nec ãpliùs ejus cōmunicar qualitatibus, immutabilis in natura ſua, ſive glorioſa ſit ipſa

u 2. Cor. 4. 17.
x Ioan. 3. 16.
y Deut. 25. 2.
z S. Thõ. 1. 2. q. 87. a. 3. ad 1.
a Iob. 4. 19.
b Sap. 9. 15.
c Ezech. 18. 21. & c.
d 1. Cor. 10. 12.
e Eccli. 15. 14. & c.

in cœlo, ſive miſera in inferno, tunc peragendæ incapax eſt ipſa pœnitentiæ; & quàmvis ipſam aliquo peccaſſe pœniteat modo, non ideò quia peccatis ſuis offenſus eſt Deus, ſed eò quod ſuppliciis crucietur & cruciandа ſit ſempiternis propter peccata ſua, quæ tales merita ſunt pœnas; ita ut ſi ſua oderit ipſa delicta, ea duntaxat ſuorum intuitu tormentorum odio proſequatur. Unde infero, quòd, cùm peccatum permaneat ſemper, pœna quæ illud ſequitur, debet eſſe æternæ durationis. Animæ enim damnatæ in inferno, nedum ſuorum agant pœnitentiam criminum, in illis è contrà ſibi complacent actibus reiteratis, *lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis* f, permanentes eâdem ſemper in voluntate, in qua erant è corpore diſcedentes g, in ſuis obſtinatæ malitiis, nedum ipſas ſuorum pœniteat delictorum; ſi enim peccatorum ſuorum pœnitentiam poſſent illæ peragere, proculdubiò earum miſereretur Deus; ſicut dicitur S. Martinus promiſiſſe diabolo, aſſerens, quòd ſi fieri poſſet ut ipſum pœniteret, Deus infallibiliter ipſi miſericordiam indulgeret, ex inferno ipſum extraheret, & ad paradiſum ſuum ipſum eveheret. Sed non poteſt illum pœnitere, imò ſemper ipſe dicit præ ambitione, *Similis ero altiſſimo* h. Atqui oportet ut illud, quod cauſam habet perpetuam & æternam, perpetuum ſit ipſum & æternum. Hæc maxima eſt veriſſima. Si enim lampas v.g. arderet ſemper in aliqua aula, claritas & lux, quæ ſunt illius effectus, in hâc jugiter perſeverarent conſequenter eâdem aulâ: Atqui peccatum, quod eſt cauſa pœnarum reproborum, ſine intermiſſione ullâ durat in inferis, *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper* i. Oportet igitur neceſſariò ut pœnæ durent, & conſequenter ut eæ ſint æternæ: Et ſicut culpa nunquam expungitur niſi per *pœnitentiam* k (loquor de pœnitentia vera & meritoria) quidquid agunt & patiuntur reprobi, ipſis eſt inutile, more veterum illarum monetarum quæ non ampliùs admittuntur. Infernus non eſt locus conſequendis meritis idoneus, cùm vel ipſæ res bonæ in ſeipſis ſuam in eo amittant bonitatem. Unde ſequitur quòd, cùm culpa ſemper remaneat, pœna etiam debet eſſe æterna; quod eſt verum non ſolùm de culpâ mortali, ſed etiam de veniali; damnatus enim in æternum punietur in inferis pro peccato veniali; non quòd peccatum veniale ex natura ſua pœnarum mereatur æternitatem, ſed per accidens tantùm, prout ſcilicet peccato mortali ſociatum.

f Prov. 2. 14.
g Eccl. 11. 3.
h Iſai. 14. 14.
i Pſ. 73. 23.
k Luc. 13. 3.

Ratio iſtius eſt, quia in inferno nulla eſt culpa quæ veniam ſuſcipiat, peccata ibi ſunt ſemper, & ideò in æternum illic punientur. Ratio autem præcipua propter quam peccata non remittuntur in inferno, hæc eſt, quia nedum animam damnatam ſuarum pœniteat culparum, è contrà vellet ipſa ſemper poſſe peccare, & habere linguam omnium hominum, quâ ſuas multiplicaret blaſphemias, omnia membra corporum ut ea proſtitueret. Eſt & alia hujus ratio, nimirum quòd nunquam peccatum dimittitur ſine gratiâ: Atqui in inferno non reperitur gratiâ: Cùm igitur cauſa ſit æterna, ſequitur effectum debere eſſe æternū. Si enim v.g. lateri veſtro inflictum eſſet vulnus, licèt ictus unico momento fuiſſet impoſitus, dolor tamen longo duraret tempore; & ſi plaga ictu inflicta erat æterna, dolor pariter eſſet æternus, cùm talis ſit effectus qualis eſt cauſa; ſic oportet ut talis quis in altero permaneat mundo, qualis ex hoc exierit.

Sed alia ratio quæ oſtendit mortem æternam animæ morientis *in peccato* l, aut æternitatem pœnarum illius; quamque obiter mox attigi, & quam clariùs explico nunc, eſt voluntas & intentio peccatoris, non autem actus exterior peccati, nam, ut ajunt Juriſperiti m, *Voluntas & propoſitum facientis diſtinguunt maleficia.* Licèt enim actus peccati ſit finitus, voluntas tamen peccatoris eſt infinita. Sic Deus non tam punit peccatum, quàm malitiam quæ reſidet in voluntate; illa enim eſt æterna, ſi ritè conſideretur. Et quare putatis, quòd peccator ſuis limites imponat ſceleribus? Nunquid propter amorem Dei? ob odium peccati? aut ratione horroris inferni? Nequaquam; ſed quia ſuam terminari videt vitã, quam ſi crediſſet potuiſſe ſemper durare, ſemper proculdubiò voluiſſet peccare, quod ſic probo. Quiſquis ob voluptatem momentaneam & tranſitoriam recedit à Deo, qui eſt ultimus *finis* n ſuus, quem debebat in æternum poſſidere, præferens fruitionem boni caduci poſſeſſioni illius qui eſt *omne Bonum* o, oſtendit reverâ ſe voluiſſe pro ſemper potiri illo bono temporaneo; & ideò juxta judicium Dei, qui intuetur potiùs intentionem & voluntatem, quàm actum ipſum externum, meretur æternitatem pœnarum & ſuppliciorum non ſecus ac ſi æternaliter peccaviſſet; cùm enim voluntas ſit æterna ſuo modo quoad malitiam ſuam, æquæ rationi conſonum eſt ut pœna pariter ſit ſempiterna: *Ad magnam ergo juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato*, ait S Gregorius p. Illud intuetur ſeveram Judicis æquitatem, ut illi qui nullos pravis ſuis voluntatibus impoſuerunt terminos, nullos pariter ſuis pœnis præſcriptos experiantur limites. Quotidianâ comprobamus experientiâ luſores aliquos tractandis & pertractandis ſic foliis luſoriis eſſe applicatos, ut ab incepto non deſiſtant proſequendo ludo priùs quàm candela, quæ ipſos illuminabat, extincta fuerit, donec per conſequens ipſis deficiat lumen, ne deinceps inter medias inveniantur tenebras; ſed deſiderium ludendi, voluntas continuandi ludi ſui non deeſt ipſis, quin imò ſummo anguntur faſtidio, ipſoſque maximè tædet non habere amplius temporis & mediorum proſequendo ei, quod ipſis maximè arridet ac ſatisfacit, idoneorum. Idem planè eſt dicendum de peccatoribus, qui vehementi ardore alligati huic ludo aleæ mundanæ, ſic hærent affectu vitiis & peccatis, ſic ſuas alligarunt voluntates voluptatibus & deliciis, quibus vacare & indulgere ſunt aſſueti, quandiu candela & lampas hujus vitæ, quæ ipſos illuminat, durat, ut, licèt extinguatur & deficiat, cùm vitam amittunt, & ex hoc mundo in alterum migrant, non recedant tamen à voluntate ceptâ proſequendi ludi ſui, & peragendi ſemper mali, ſed velint ſemper vitam agere, ut ſemper ſua poſſint vitia prolongare, *Voluiſſent utique, ſi potuiſſent, ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare*, ait idem Sanctus Gregorius q.

l Joan. 8. 21.
m L. Qui injuriæ cum c. omeot. in gl. ff. de furt. l. divus de ſicar.
n Apoc. 1. 8.
o Exod. 33. 19.
p S. Greg. lib. 4. dialog. c. 44.
q Idem. ibid.

Maledictum peccatum! cùm ad illud puniendum requiratur pœnarum æternitas. Cùm enim culpa debeat reſpondere pœnæ; cùm culpa ſit infinita, pœna nullum debet habere finem; cùm injuria ſit eò gravior, quò perſona offenſa

Digitized by Google

offenſa eſt excellentior, quia pœna taxanda eſt juxta dignitatem illius, cui injuria irrogata fuit. Unde fit ut ille puniatur graviùs qui offendit nobilem Virum, Principem, aut Regem, quàm ille qui iniuriam infert alicui homini plebeio ex infima progenie orto. Aqui quicumque peccato inquinat ſe lethifero, offendit Deum, cuius tranſgreditur præcepta, & gloriam profanat: Majeſtas Dei eſt infinita: Ergo quicumque Deum delicto offendit lethifero, pœnâ dignus eſt infinitâ: Atqui non poteſt illa eſſe intenſivè infinita, ut loquuntur Theologi, cùm creatura non ſit ſubjectum capax ſuſtinendi ſupplicij infiniti hoc modo, intenſivè nimirum: Oportet igitur ut illa pœna ſit infinita extenſivè, id eſt, longitudinis infinitæ, & durationis æternæ.

Hujus vim agnoſcetis rationis, ſi obſervetis paſſionem Chriſti fuiſſe neceſſariam ad ſatisfaciendum Patri æterno pro omni rigore juſtitiæ, pro primo peccato hominis r; quia cùm culpa infinita eſſet illius æquè ac cæterorum hominum, oportebat etiam ut perſona quæ ſatisfactionem aggrediebatur, foret infinitè potens, ut unum infinitum reſponderet alteri infinito; & ſicut injuria ab homine ruſtico illata alii homini plebejo, ab eodemmet qui injuriam irrogavit, reparatur; Rex ſatisfacit alii Regi; Sed infimæ conditionis homo non poteſt ſatis dignè reparare injuriam ſupremæ Poteſtati illatam, cùm gravitas offenſæ attendatur penes dignitatem offenſi, & crimen augeatur ex qualitate perſonæ læſæ, ut ait Lex s, *Perſonæ atrocior ſit iniuria, cùm Magiſtratui, cùm Parenti, Patronove ſit.* Deus igitur erat offenſus, & homo commiſerat offenſam; Deus qui eſt *omne Bonum* t, Homo verò nihil, *Omnes gentes quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei* u. Homo pro hâc ſatisfacere non poterat offenſa; illius ſatisfactiones erant finitæ, & nullam habebant proportionem cum Deo qui eſt infinitus x: Quapropter oportuit ut Deus hanc perageret ſatisfactionem, & ſic *Verbum caro factum eſt* y. Et ſic Dei Filius *oblatus eſt, quia ipſe voluit* z, ut pro hominis offensâ ſuo Patri ſatisfaceret.

r Hebr. 8. 12. & Apoc. 1. 5.

s Vlp. L. Prætor edixit. O. de Iniur. & Famos. Libell.

t Exod. 33. 19.

u Iſai. 40. 17.

x Baruch. 3. 25.

y Ioan. 1. 14.

z Iſai 53. 7.

Ut autem huic materiæ majorem concilіemus lucem, Dico quòd ſi peccatum lethiferum pœnam non meretur æternam & infinitam, Pater æternus eſt crudelis eò quòd Filium ſuum damnaverit ad mortem crucis, cùm eidem *proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* a. Quòd Filius eſt imprudens, mente ſanâ & judicio captus, eò quòd ſe tot *opprobrijs* † ultrò expoſuerit ſuſtinendis, *Tunc dixi, Ecce venio* b. Et quòd Spiritus ſanctus eſt injuſtus, eique injuriam irrogavit dum formavit ei Corpus è ſanguine ſacratiſſimæ Virginis Mariæ c, ut omnium theatrum fieret miſeriarum; cùm patrinus ejus fuit media inter certamina d, eumque ad omnia duxit tribunalia e. Quòd Sancti fuerunt Indiſcreti, eò quòd tanta ſuſtinuerint ſupplicia, S. Agatha, eò quòd permiſerit avelli ſibi ubera, S. Apollonia dentes, S. Lucia oculos, S. Bartholomæus pellem; & quòd omnes alij Sancti fuerunt inſani, eò quòd tanta tulerint martyria f. Si enim peccatum lethiferum ſic eſt exigui momenti, ut quid tot & tanta perpeti ut ab eo declinetur? Ut quid vitam profligare corpoream, ne illud committatur? Errorem deponite, Auditores. *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* Peccator attende ad iſta, & crede ea, attendendo. Peccatum meretur æternitatem pœnæ infelicem non tranſigendam niſi inter ignes & ardores. *Quis poterit habitare de vobis cùm igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis* g? Peccator cùm in peccatum cadere voles, ſeriò meditare hæc duo adverbia, *ſemper, & nunquam*; ſemper ignibus uri, & ex iis nunquam exire. Heu! quis peccare auderet, has mente revolvens cogitationes? In æternum cruciari ſine ullâ pœnarum intermiſſione. *Non dabit Deo placationem ſuam: & pretium redemptionis animæ ſuæ*, ait Propheta h. In inferis omnia ſunt æterna, vanæ ſunt ſpes univerſæ, *Non dabit Deo placationem ſuam.* Inutile prorſùs erit impiis oblatu Patri æterno Sanguinem Filii ſui effuſum in arâ crucis i propter ſalutem ſuam operandam, qui aliàs iram ipſius demulcebat, *Quia complacuit per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per Sanguinem crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* k. Prædives iſtud pretiũ ſic efficax, quod conſueverat eſſe animarum redẽptio, ſolutum aliàs *à Ieſu Chriſto, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* l, erit tunc inutile, & nullius efficaciæ. Idcircò ſubdit Propheta, *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.* Ecce mors æterna, æternitas pœnarum, damnatus *laborabit in æternum*, ſemper cruciabitur, nullos experietur unquam præſcriptos ſuppliciis ſuis terminos, quia quantùmvis gravia & diuturna perpetiantur reprobi tormenta, hæc omnia ſunt illis inutilia. Supplicia tolerent quantùm potuerint, ſuorum luere conentur pœnas criminum, eorum omnium nulla habetur ratio, nec aliqua computatio. Poſt mille annos, imò poſt centum millia annorum incipiendum erit denuò; *Vox tonitrui tui in rota* m. Æternitas eſt rota quæ ſemper gyrat, nec unquam quieſcit. Heu! Si ita interrogaretur ille fratricida Cain n, Infœlix, à quanto tempore immerſus es ſuppliciis? Reſponderet, A quinque millibus annorum, & ultrà. Si peteretur ab his ambitioſis Core, Dathan, & Abiron, Infortunati, à quot annorum curriculis deſcẽdiſtis *vivi in infernum, operti humo, & de medio multitudinis* o periiſtis? Dicerent, A quatuor millibus annorum & ampliùs. Et ſi diceret quis diviti epuloni, Miſer, annon à longo tempore cruciaris *in hac flamma* p, de qua ſic graviter quereris? Reſponſum non daret ille aliud niſi iſtud, A duobus annorum millibus, & plùs. Et ſic compelleretis hos omnes & ſingulos ut dicerent vobis, quantum ſuperſit ipſis temporis aut durationis perpetiendum inter ſupplicia, quibus anguntur: Reſponderent ſimul, Semper, æternum; infœlicitas noſtra nullum eſt agnoſcitura finem.

a Rom. 8. 32.

† Thren. 3. 30.

b Pſ. 39. 8. & Heb. 10. 7.

c Matth. 1. 18 & 20.

d Matth. 4. 1. &c.

e Ioan 18. 13. &c. & Luc 23. 7. &c.

f Hebr. 11. 33. &c.

g Iſai. 33. 14.

h Pſ. 48. 8. & 9.

i Ioan. 19. 18.

k Coloſſ. 1. 19. & 20

l Apoc. 1. 5.

m Pſ. 76. 19.

n Gen. 4. 8. &c.

o Num. 16. 33.

p Luc. 16. 24.

Heu! Fierine poterit ut poſt hæc aliquis ita ſit audax ut peccato ſe inquinare velit lethifero? Amamus vitam, peccatum verò nobis mortem infert. Tota noſtra fœlicitas ſita eſt in unione cum Deo; peccatũ verò nos ab eo ſeparat, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* q. *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* r. Nollemus pergere ad inferos; ſed peccatum nos illuc ducit. Declinamus à pœnis licèt temporaneis; at peccatum ad labores nos damnat æternos. Poſt veritates iſtas quis offendere volet Deum? Quis tam futurus ſic eſt injurioſus fœlicitati, ut eã profligare velit ſic exiguo pretio, eiq; renunciare intuitu voluptatis labilis & momentaneæ? Comprobemus

q 1. Cor. 6. 17.

r Iſai. 59. 2.

utiùm pet exiguum intervallum ſuſtiuere poſſimua ardorem candelæ accenſæ iu hac vita; & inde eruemua rigorem pœnarum quæ nunquam finientur; & videbimus an in uobis futurum ſit ſatis animi ut evadamus materia ignium æternorum, qui *flante Deo & ſpiritu ira eius* a ſunt accenſi ad (a Iob. 4. 9.) puniendos reos, *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis* b? (b Iſai. 33. 14.) Iſtarum recogitate exactè rigorem pœnarum, horum æternitatem inſortuniorum, hanc mortem quæ perpetuò eſt duratura. Si autem amor Dei non poteſt vos è veſtris educere vitiis, illinc ſaltem extrahat vos timor ſuppliciorum, & juſtitiæ ejus; ſaltem *vermis & ignis* c qui (c Iſai. 66. 24. & Marc. 9. 44.) nunquam morientur nec extinguentur, ſicut nec omnes inferni miſeriæ, curſum ſiſtant vitæ veſtræ criminoſæ, quæ vos ad æternas oppetendas damnat mortes. Nolite veſtram prodere fœlicitatem, indulgendo deliciis, quæ criminis conſciæ pronunciandum ſatagerent decretum adversùs puſillanimitates veſtras. Quin imò poſtulate à Deo ex intimis cordis veſtri præcordiis ne vobis habenas laxet, neve patiatur ut in has labamini infœlicitates, dicendo ſinguli ei, *Succurre mihi Domine*, & tibi polliceor, me potiùs electurum mortem, quàm peccatum lethiferum; *Libera me Domine de morte æterna*, quæ cauſatur à peccato mortali, Gratia tua eſt illius remedium præſervativum; largire nobis eam in hoc mundo, ut cùm vixerimus in gratia in tempore, vivere poſſimus in gloria in æternitate.

IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens? Cant. 6. 9.

HÆc eſt quæſtio quam proponunt Angeli, ſed quam non reſolvunt circa Immaculatam Conceptionem beatiſſimæ Virginis Mariæ. Magnitudines iſtius parvæ Puellæ, licèt ipſa duntaxat incipiat exiſtere in mundo, & quem Conceptione ſuâ lætificat, ſunt ultra captum notitiæ univerſi ſpiritus creati, qui non habet ſatis luminis ad eas detegendas: merita ejus excedunt omnes conatus omnium linguarum materialium quippe nimis profanarum, cùm nulla ſint verba ſatis pura, quæ ea dignè poſſint exprimere. De iis nihil dicunt Angeli, nec poſſunt meliùs aut eloquentiùs de iis habere ſermonem quàm tacendo: quid autem poſſent de illis homines dicere, ſi ipſi Cherubini cum omni plenitudine notitiæ ſuæ non poſſunt niſi illas admirari terminis iſtis, qui ſunt probationes ecſtaſeon ipſorum intuitu objecti ita eximii, quod totam ipſorum pulchritudinem offundit caligine, *Quæ eſt iſta?* Quæſtionem proponunt, ſed eam non elucidant. Peto à vobis Auditores, *Quæ eſt iſta*, quam Eccleſia nobis proponit hâc auguſtâ die Conceptionis ipſius, & quæ debet eſſe motivum reverentiarum noſtrarum, æquè ac admirationis Angelorum, qui intuentur in iſta ſancta Puella id quod non poſſunt cognoſcere, & admirantur illud quod non poſſunt comprehendere? Sic ipſa eſt deſtinata ab æternitate ad dignitatem, quæ accedens ad infinitum, cùm conceptura ſit ipſa Deum qui *non* (a Baruch. 3. 25.) *habet finem* a, magnitudine ſuâ *potentiam* b ex- (b Luc. 1. 32.) hauſtura eſt Omnipotentis. Ut autem illam perficiat *ubi plenitudo temporis* c venerit, nihil am- (c Galat. 4. 4.) plius exhibebit ipſa niſi conſenſum, quem exiget ab ipſa *miſſus Angelus Gabriel à Deo* d, & quem (d Luc. 1. 26. &c.) ipſa præbebit, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, poſtquàm ille dixerit ipſi reverenter, *Ave Maria*.

Sicut proprium eſt rebus raris, novis, inuſitatis, & extraordinariis ferre ſpectatores ſuos in admirationem; ita & eædem res ſtatim illos inducunt ad inquirendas ipſarum cauſas, quæ aliquam tribuere poſſunt ſatiſfactionem inclinationi naturali, quâ ducitur homo, ſciendi, juxta iſtud axioma Philoſophicum, *Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat*. Non eſt aliquid rarius, novius, & inuſitatius in mundo quàm glorioſa Virgo Maria in Immaculatâ Conceptione ſuâ, in qua lenociniis ſuis innocuis abripiens corda noſtra, exigit etiam jure merito poſt Deum omnes reverentias & admirationes noſtras. Commune eſt & ordinarium filiis Ada (nullum ex illis excipio) quòd concepti in peccato, *naturâ filii iræ* e, inimici (e Epheſ. 2. 3.) Dei, abortivi inferni, non veniant in mundum niſi funem habentes circum collum velut criminoſi, *In utero damnati antequàm nati, quia de peccato, & in* (f S. Bern. ſerm. 2. Pent.) *peccata concepti*, f. Ad veritatis illius probationem, Job præconiis evectus ab ipſo Deo, quique non fuit miſer, niſi quia probus erat; cùm nunquam ſæcula quæ ipſum præceſſerunt, vidiſſent virum infortunatum magis innocentem quàm eſſet ipſe, cùm ſola pietas ipſius fuerit motivum infortunii ipſius, nec infernus machinatus fuerit ruinam ejus, niſi quia virtus ejus ipſum pudore offundebat; nec cœlum permiſerit infelicitatem ejus, niſi quia magnanimitas illius ipſum afficiebat honore; *Vir erat in terrâ Hus, nomine Iob: & erat vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* g: tamen invehitur adversùs horam (g Iob. 1. 1. &c.) nativitatis ſuæ, æquè ac conceptionis ſuæ, *Pereat dies in quâ natus ſum: & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo* h. David autem, quem prop- (h Iob. 3. 3.) ter virtutem ipſius *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* i, nunquid non ait de ſeipſo, & in per- (i 1. Reg. 13. 14.) ſona ſua de omnibus mortalibus, intuitu infortunii ſui æquè ac iſtorum, Deum deprecans? *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis* (k Pſ. 50. 7. & Iob 14. 4.) *concepit me mater mea* k. Tandem, Nullus eſt homo qui non ſit miſer, quia nullus eſt qui non ſit peccator: unica eſt hæc ſancta Puella, quæ hodie ſine maculâ concipitur privilegio ipſi ſpeciali juxta deſiderium totius mundi, in quo incipit apparere præ tanto ſplendore & ſic ingenti gloriâ, ut ipſi vel Angeli admirentur rem ita raram, ſic novam, & ita extraordinariam, ut ipſos inducat ad inquirendam cauſam illius, & ad dicendũ, *Quæ eſt iſta, quæ* ex ipſa Cõceptione ſuâ Seraphinos charitate ſuperat, quæ ſcientiâ & notitia Cherubinos anteceſſit, quæ ſedẽ Thronorũ poſſidet, quæ præeſt Dominationibus, quæ habet opera miraculoſa Virtutũ, potentiam Poteſtatum, gubernationẽ Princi-

patuum

patrum, ſanctitatem Archangelorum, & puritatē Angelorum? *Quæ eſt iſta, quæ* eſt opus eximium naturæ, prodigium gratiæ, & miraculum gloriæ? *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: naturâ formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico cui prædicandæ cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum*, ait illi S. Epiphanius l. Et paulò poſt: *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & Mater* m. Hoc eſt planè, Auditores, offundere caligine lumina ejus, ac velle inſumere verba ad exprimendas magnitudines illius; deprimere merita eius, ac velle ea diſcurſibus extollere, cùm non honoret eam aliquid meliùs quàm ſilentium, quod eſt confeſſio magnitudinum eius, æquè ac inſufficientiæ Oratorum ad illas exprimendas; & dici poſſit de hac ſancta Puellâ id, quod S. Dionyſius n ait de Deo, quòd ſciatur meliùs id quod non eſt, quâm id quod eſt, & quòd cognoſcantur meliùs perfectiones eius per negationem, dicendo id quod non eſt, quàm per affirmationem volendo manifeſtare id quod eſt, *Negationes in divinis rebus veræ ſunt, affirmationes verò non conveniunt, nec dignæ ſunt maieſtate Dei omnium occultiſſimi* o. Ergo autem magnitudines eius taceo, cùm ratiocinatio mea non ſit ſatis valida, nec lumina mea ſint ſatis viva ad cognoſcendam eminentiam perfectionem eius: propterea interrogo illos qui quæſtionem propoſuerunt, *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*? Veſtrûm eſt, ſpiritus Angelici, interrogationibus iſtis ſatisfacere. Angeli, ſicut reor, Auditores, & ſi in me vigeat ſatis ſubtilis acies animi ad concipiendum conſilium eorum, & ſi ſim ſatis induſtrius ad illud explicandum, faciunt inſtar Echus ſpecioſæ quæ non repetit niſi ultima verba. Petunt, *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*? Et reſpondent, *Aurora conſurgens*. Vnde dixit de Ponte p, *Sicut de Chriſto Domino prædixerat Oſeas* q: *Quaſi diluculum (ſeu aurora) præparatus eſt egreſſus eius: quia in ortu ſuo novam erat allaturus lucem mundo: ita Mater eius ab inſtanti ſuæ Immaculatæ Conceptionis cœpit egredi, progredi, & apparere tanquam aurora conſurgens, non quidem expellens tenebras, quas vel unico momento habuerit, ſed quia à Sole iuſtitiæ poſteà ex ipsâ naſcituro* r, *in conſtanti illuminata eſt, & exinde cœpit creſcere, & progredi tanto ſpiritus fervore, ut dixerint Angeli, Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Ad juſtificandum autem oraculum Angelorum, volo vobis oſtendere duas ſpecioſas convenientias, quas B. Virgo Maria habet cum aurorâ conſurgente, quæ duplicem diſcurſus iſtius partem conſtituent.

l S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deipar.
m ex Luc. 1. 38.
n S. Dion. lib. de Cœl. hier. c. 2.
o ex Iſai. 45. 15.
p de Pont. lib. 5. in Cant. 6. 9. exhort. 5. parag. 4.
q Oſee 6. 3.
r ex Eccleſiâ & Malach. 4. 2.

Diviſio

1. Pars. Quantùm ad primam convenientiam, quam B. Virgo habet in Conceptione ſua cum aurora conſurgente, debemus obſervare, quòd, cum Deus, qui ſemper agit intuitu gloriæ ſuæ, *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* s: cùm ipſe ſit digniſſimum objectum operationum ſuarum; ſibimetipſi ſatisfecerit, imprimendo ſingulis creaturis ſuis aliqua veſtigia infinitarum perfectionum ſuarum; ſic affectaſſe videtur præ deliciis indidiſſe multis operibus naturæ, aliquas notas & aliquos charactêres excellentiarum & magnitudinum B. Virginis. Hæc eſt conſideratio S. Epiphanii t dicentis, *Virgo eſt lilium* u *immaculatum, quæ roſam* x *immarceſſibilem genuit Chriſtum: vitis* y *veritatis fertiliſſima, & quoad virginitatem minimè vindemiata, quæ licèt non foſſa, uvarum tamen feraciſſima, nempe quæ maturam uvam germinavit Chriſtum. Ovis immaculata quæ peperit* z *Agnum* a *Chriſtum.* Ad quod conformiter de Ponte b ſuper hæc verba Canticorum, *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, ſubdit, *Cùm beatiſſima Virgo Maria pulcherrima & pudiciſſima turtur, primam illam emiſit vocem: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* c? Ego autem dico cum Angelis, quòd ipſa eſt aurora propter officium quo perfungitur veri Solis iuſtitiæ d præcedendi, *Quaſi aurora conſurgens*. Sicut enim aurora generat nobis Solem, licèt ipſa ſit iſtius planetæ productio, quod planè eſt mirabile, cùm effectus producat cauſam ſuam, & cauſa pendeat ab effectu ſuo: ſic hæc ſpecioſa *aurora conſurgens* B. Virgo Maria dependet à Jeſu Chriſto ſpecioſo hoc Sole *iuſtitiæ*, ut effectus à cauſa ſua, ſicut opus ab Opifice ſuo, & velut creatura à Creatore ſuo; & tamen eſt Mater ejuſdem Solis qui pendet ab ipsâ in eſſe ſuo naturali, ut à Matre ſua, quæ ſubminiſtravit materiam concinnandæ humanitati ipſius accommodam, ut ait Evangelium e hodiernum, *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*. Proptereà S. Epiphanius f ſic illam alloquitur, *O beata Virgo, columba* g *pura, & ſponſa cœleſtis Maria, cœlum, templum, & thronus Divinitatis, quæ coruſcantem in cœlo & terrâ Solem habes Chriſtum Nubes* h *lucida, quæ fulgur de cœlo luc idiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum. Nubes cœleſtis quæ tonitruum Spiritus ſancti in ſeipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus ſancti in univerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demiſit.* Cùm B. Virgo Maria præceſſerit Jeſum Chriſtum, Divinus iſte *Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter* i, ubertim communicavit ei omnes radios ſuos, & univerſa lumina ſua, ut illorum beneficio pelleret tenebras è mundo, & in eum introduceret diem qui eis ſuccedit. Et hæc eſt prima convenientia quam hæc Puella incomparabilis habet iſtâ die Conceptionis ſuæ cum aurora, quæ eſt finis noctis præcedentis, & initium diei ſequentis. Sed ad majorem intelligentiam hujus primæ convenientiæ B. Virginis, quæ ejicit tenebras ignorantiæ & infidelitatis, ut ait Apoſtolus k, *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*, cum aurora,

s Prov. 16. 4.
t S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
u ex Cant. 2. 2.
x ex Eccli. 24. 18.
y ex Eccli. 24. 23.
z ex Luc. 2. 7.
a ex Ioan. 1. 29.
b S. Pont. lib. 5. in Cant. 2. 12. exhort. 10. parag. 3.
c Luc. 1. 34.
d Malach. 4. 2.
e Matth. 1. 16.
f S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
g ex Cant. 2. 10.
h ex Iſai. 19. 1.
i Eccleſia ex Malach. 4. 2.
k Galat. 3. 22.

Obſervare debetis, quòd omnia ſæcula quæ præceſſerunt fœlicem Conceptionem diei iſtius, vocantur nox ab eodem Apoſtolo l, *Nox præceſſit*. Sed nox, in qua non erant niſi tenebræ & obſcuritates, nox ignorantiæ, in qua non videbantur veritates ad ſalutem neceſſariæ, niſi fortè ex tranſverſis velis innumeris, opertæ umbris & ænigmatibus, quæ ipſorum intelligentiam eripiebant, *Omnia in figura contingebant illis* m. Nedum peritiſſimi quiq; Philoſophi earundem veritatum cognoſcere poſſent myſteria. Nox è qua exulabant omnia lumina, & qua non incedebant homines niſi manibus iter prætentantes, & in qua tot ferè inveniebant præcipitia quot greſſus agebant, *Si quis ambulaverit in nocte, offendit: quia lux non eſt in eo* n. Nox peccatorum, quia ipſa eſt tempus peccatis perpetrandis aptum: *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius* o. Nox impietatis amica, quæque committendorum ſcelerum fiduciam tribuit. Nox erroris, cùm eſſet tempus idololatriæ, æquè ac Paganiſmi p, quo auſu temerario & intolerabili creaturæ præbebat homo id, quod ſoli Creatori debetur q. Qualis cæcitas, ac reddere bovi, qui herbas comedit, adorationes,

l Rom. 13. 12.
m 1. Cor. 10. 11.
n Ioan. 11. 10.
o Ioan. 3. 20.
p 3 Reg. 18. 26. &c.
q Exod. 20. 3.

rationes, quæ nonniſi ſoli Majeſtati Dei ſunt debitæ! Et hâc nocte erroris populus ipſe Dei, id eſt, filii Iſrael in infœlicitatis iſtius præcipitium ceciderunt, *Et fecerunt vitulum in Horeb; & adoraverunt ſculptile, Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti ſunt Deum qui ſalvavit eos* r. Nox erroris tam injurioſa Deo, quàm damnoſa hominibus viventibus ſub tenebris & obſcuritatibus ipſius.

r Pſ. 105. 19. &c. ex Exod. 32. 4. &c.

Patriarchæ, Prophetæ, & Reges, quorum texturam legimus in Evangelio s hodierno, erāt quaſi tot horæ noctis iſtius obſcuræ, & faſtidiis oppreſſi cupientes ſcire ad quamnam horam perveniſſent, efflagitabant, *Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? Dixit cuſtos, Venit manè* t. Quaſi diceret eis, quòd macti eſſent animo, eò quòd aurora inciperet illuceſcere, *Dixit cuſtos, id eſt, reſpondit Dominus cuſtos ſuorum, Venit manè, id eſt tempus liberationis*, ait Hugo Cardinalis u. Et Cornelius x poſt S. Auguſtinum, *Myſticè, quaſi diceret Propheta, O Deus qui es Samaritanus, id eſt, cuſtos hominum, ad te clamat Seir, id eſt, populus Gentilis & peccator, Quid de nocte? quid de tantâ tribulatione fiet; quandiu in hac nocte ignorantiæ, peccatorum, & miſeriarū verſabimur? quando aderit manè, quo Sol juſtitiæ Chriſtus y oriatur? Quibus reſpondet Deus: Si ſincerè & ex animo quæritis Chriſtū, in quærendo perſeverate, & invenietis.* Id eſt, beneficio luminis auroræ iſtius illuceſcentis. Quaſi diceret eis Deus, Mortales, nolite ampliùs ſic contriſtari, ſalus, quam tanto ardore concupiſcitis, & quam tantâ inſtantiâ petitis, non eſt longè, cùm Mater eius aurora incipiat apparere, & emittere radios ſuos: horæ infortunatæ noctis iſtius tenebroſæ prætericrunt: Conceptio hujus ſanctæ Puellæ erit finis moleſtiarum veſtrarum, & principium fœlicitatum veſtrarum; erit terminus anguſtiarum veſtrarum, & initium gaudiorum veſtrorum; ipſa ergo diſſipans tenebras faſtidiorum veſtrorum, lætitiâ vos omnes perfundet incomparabili.

s Matth. 1. &c.

t Iſai. 21. 11. &c.

u Hug. Card in Iſai. 21. 11.

x Cornel. in Iſai. 21. 12. ex S. Aug. ſerm. 48. in Ioā. 1. 49.

y ex Eccleſiā & ex Malach. 4 2.

Pſalmiſta z Deum alloquens, meminit iſtius ſpecioſæ auroræ, cùm ait, *Tuus eſt dies, & tua eſt nox: tu fabricatus es auroram, & Solem. Tu feciſti omnes terminos terræ: æſtatem, & ver, tu plaſmaſti ea.* Sicut autem annos dividimus in quatuor tempeſtates, hyemem, ver, æſtatem, & autumnum; ſic dividere poſſumus diverſas tempeſtates Eccleſiæ in quatuor diverſos ſtatus, in hyemem legis naturæ, cùm *Sol Iuſtitia* a ſe minùs cōmunicabat; in ver Legis moſaicæ, cùm myſteris redemptionis noſtræ cœperunt apparere figuris b, cùm arbores gratiæ incipiebant ſolùm florere, & fructus producere, cùm *flores apparuerunt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum* c. Sed cùm æſtas Gratiæ advênit, iſti fructus habuerunt maturitatem ſuam: & tunc Sponſa Jeſu Chriſti poſtquàm diu requievit ſub umbra illorum, tandem eorundem fructuum ſuavitatem deguſtavit, *Sub umbra illius quem deſideraveram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo* d. Sed tempeſtate autumni, tempore Antichriſti, cùm *multi venient in nomine* Jeſu Chriſti, *dicentes, Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent* e, omnes iſtæ arbores areſcent, ſpecioſa cuncta iſta folia decident, & nullus ampliùs erit fructus. Intereà obſervate, ſi placet, quòd David duas tantùm tempeſtates commemorat, *Æſtatem, & ver, tu plaſmaſti ea.* Ut oſtendat nobis, quòd Deus præcipue fecerit hæc duo tempora Legis ſcriptæ, & Legis gratiæ: atqui, ut ait Apoſtolus, *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit* f, Lex ſcripta præteriit, & Lex gratiæ venit, & in hac *tu fabricatus es auroram, & Solem. Per auroram, beata Virgo poteſt intelligi. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora? Per Solem, Filius eius, ſcilicet, Chriſtus homo*, ſubdit Hugo Cardinalis g. Qui nimirum illuminavit hanc præclaram auroram, beatiſſimam Virginem Matrem ſuam, quæ cùm ſit finis hujus obſcuræ noctis Legis ſcriptæ, eſt initium hujus ſpecioſæ diei Legis gratiæ, producitque hunc ſpecioſum Solem juſtitiæ Jeſum Chriſtum Filium ſuum, qui ſuos circumquaque per totum mundum diffundit radios ut *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* h. *Id eſt, qui per nativitatem ingreditur orbem terrarum, vallemque lacrymarum. Vel, illuminat lumine gratiæ omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, omnem qui illuminatur gratiâ ſpirituali, quam nullus ſortitur niſi à Filio. Vel, illuminat omnem hominem, quantùm in ſe eſt, ſicut vult omnes ſalvari* i, *ita quòd nemo excuſetur, ſi non fuerit illuſtratus*, ait Dionyſius Carthuſianus k.

z Pſ. 73. 16. & 17.

a Malach. 4. 2.

b Exod. 12. 3. &c.

c Cant. 2. 12. & 13.

d Cant. 2. 3.

e Matth. 24. 5.

f Rom. 13. 12.

g Hug. Card. in Pſ. 73. 16.

h Ioan. 1. 9.

i ex 1. Tim. 2. 4.

k Dion. Cart art. 4. in Ioan. 1. 9.

Secundùm aliquod ethimon, idem eſt aurora ac aura rorans, id eſt, ventus producens rorem: ſic iſta beata Virgo *quaſi aurora conſurgens*, produxit nobis hunc ſpecioſum rorem, ad quem ſancti Patres antiqui jugiter ſuſpirabant, dicentes, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem* l. De hac etiam loqui videtur Iſaac cùm filio ſuo Jacob *benedicens, ait, Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam* m, Per rorem intelligens Jeſum Chriſtum, & per pinguedinem terræ, fœcunditatem B. Virginis, juxta ea quæ dixit mox Iſaias, cùm etiam B. Virgo ſit iſta terra, de qua loquitur David n, *Veritas de terra orta eſt.* Et ſicut vidimus, quòd è rore qui cadit è cœlo in concham marinam, tam virtute caloris & ſalſedinis, quàm temperamento & diſpoſitione ejuſdem conchæ generatur unio, ſeu margarita maximi pretii; ita conſpicimus quod è verbo Divino tanquam ſpecioſo rore decidente è cœlo cryſtallino pectoris Patris ſui æterni o in concham virgineā Matris ſuæ, virtute Spiritus ſancti cooperante, & virtute generativâ Mariæ concurrente p, facta eſt hæc inæſtimabilis margarita, quā negotiator Evangelicus q *inventâ pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Prædives margarita, cùm pretii ſit inæſtimabilis! Judicate qualis debeat eſſe aurora, quæ eam produxit, Auditores, *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit* r. In conceptione iſtius ſanctæ Puellæ diſparent omnes tenebræ, ceſſat cæcitas, & tantis fruimur luminibus, ut videamur nullam amplius in myſteriis noſtris habere materiam exercendæ fidei, quæ res petit obſcuras, *Eſt autem fides rerum argumentum non apparentium* s. Tot eſt Eccleſia repleta Doctoribus, ut videantur nihil ignorare eorum quæ ſciri debent, *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* Dum incipit illuceſcere hæc aurora, nox paganiſmi & idololatriæ finem accipit, non inceditur ampliùs inter obſcuritates & errores, radii eius nos illuminant ad hoc ut evitemus ſcopulos, ad quos homines allidebantur; obſtricti ſumus huic ſanctæ Puellæ, & luci quam ipſa tulit in mundum, eiiciendo ex eo tenebras, quæ erant motivum lapſuum & errorū noſtrorum, *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit: abiiciamus ergo opera tenebrarum*, concludit Apoſtolus, *& induamus arma lucis.* Ego autem termino hanc primam convenientiam B. Virginis cum aurora per eadem verba, Cum beneficio myſticæ iſtius auroræ fruamur luce, quam ipſa nobis tulit in hunc mundum,

l Iſai. 45. 8.

m Gen. 27 28.

n Pſ. 84. 12

o Ioan. 16. 28.

p Luc. 1. 35. & 38.

q Matth. 13. 45. & 46.

r Rom. 13. 12.

s Hebr. 11. 1.

dum, renunciemus operibus tenebrarum, quæ non ſunt aliud niſi peccata, quæ nobis eripiunt ſpecioſum diem Solis juſtitiæ, qui illuminat animas noſtras; deſeramus peccatum, quod cauſat nobis funeſtam noctem per receſſum Solis iſtius Divini, qui elongans ſe à nobis, deſerit nos in tenebris, quæ non ſunt minùs ſpiſſæ quàm fuerint *tenebræ ſuper terram Ægypti tam denſæ ut palpari quirent*, nec minùs terribiles quàm fuerint illæ *tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti* t, Fugiamus hæc peccata, declinemus ab his operibus tenebrarum, quæ nunquam meliùs committuntur quàm inter obſcuritates, conſtituentia interpoſitionem inter Deum & nos, & impedientia quin Deus ſuos nobis favores communicet; *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, ait nobis Iſaias u. Procul amandemus à nobis ſcelera ut injurioſa fœlicitati noſtræ, quam impediunt; incedamus ſemper ad intuitum radiorum ſpecioſæ iſtius auroræ; quæ illuſtrat nos luminibus ſuis, quæ ſociari non poſſunt tenebris, quas ipſa pellunt, quæque greſſus noſtros ſtabilient, ut fœliciter perducant nos ad finē noſtrum ultimum. Fugite; igitur, Auditores, has familiaritates ſuſpectas, hæc conſortia periculoſa quæ fugiunt lumen, ne videantur, hos circulos criminoſos qui quærunt noctem velut impietatis ipſorum conſciam, hæc omnia ſunt opera tenebrarum, quæ debetis abjicere. Vos verò; mulieres, fugite cœtus iſtos qui aliquam labem poſſent inurere famæ veſtræ, & poſteritatem veſtram aliquo dedecore offundere; declinate ab his obſcuritatibus dignis improperio: *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* x, ait Salvator. *Nox præceßit dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*. Hæc eſt prima convenientia, quam habet B. Virgo Maria cum aurora conſurgente.

[t Exod. 10. 21. & 22.] [u Iſai. 59. 2.] [x Ioan. 3. 20.]

[II. Pars.] Secunda cō venientia, eſt, quòd ſicut aurora incipiens illuceſcere, luminibus ſuis lætificat triſtes & afflictos, qui faſtidiis erant oppreſſi; roborat infirmos, qui per noctem erant abſque virtute, languentes in cubilibus ſuis, & vexati doloribus, qui facerent Martyres, ſi æquanimiter & propter cauſam Dei ſuſtinerentur; ita ut iſti infirmi conſolatione perfundantur, & cognoſcant ſe reſumere priſtinam ſuam ſanitatem, & antiquas ſuas vires, quas amiſerant morbo: ita B. Virgo, *quaſi aurora conſurgens*, operatur eoſdem effectus erga naturam humanam, cujus languores ſublevat. Debetis enim enim ſcire quòd ante adventum hujus ſanctæ Puellæ in mundum, totus orbis iſte non erat niſi valetudinarium. Quid in eo infirmius Adamo, hoc primo peccatore? Ipſe qui erat opus eximium manuum Dei y, debebat etiam potenter gloriæ ejus manifeſtandæ vacare: & tamen ita infirmus eſt, ut ad comedendum *mulieri de ligno* z vetito ipſum inducat. Nihil diſcimus ex hiſtoria ſacra ſanctius Davide; quem *quæſivit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum* a: Nihil fortius Samſone; *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit leonem, quaſi hædum in fruſtà dicerperet, nihil habens in manu* b. Et nihil ſapientius Salomone; qui ait de ſe; *Ecce præceßi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Ieruſalem* c. Ad triumphandum de ſanctitate David; & adproſternendum eum ſufficit una *mulier pulchra valdè, Bethſabee* d. Samſonē *Dalila dormire fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocavitque tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceßit* e. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas: his copulatus eſt ardentißimo amore: & averterunt mulieres cor eius. Cùmque iam eſſet ſenex, depravatum eſt cor eius per mulieres, ut ſequeretur deos alienos* f. Eſtne aliquid infirmius quàm nos captivos redditu ipſius infirmitatis, quæ leges nobis imponit, quæ nobis imperat, & cui noſtras recuſare non poſſumus obedientias, ita ardenter noſtras amamus catenas, poſt jacturam voluntariam quam incurrimus libertatis noſtræ? Sic eſt, Auditores; antequàm illuceſceret hæc aurora myſtica, nihil erat intueri in mundo præter languores: & omnes vires ſæculorum, quæ nos præceſſerunt, non erant effectivè niſi infirmitates: ſed vix hæc aurora cœpit illuceſcere in mundo, quem ipſa ſuis renovat luminibus, cùm ſtatim languores omnes mutat in vigores, cunctos morbos in ſanitatem, & univerſas infirmitates in fortitudinem, ita ut dicere poſſimus præ veritate, quòd in hoc fœlici adventu, *infirmi accincti ſunt robore* g. Nimirum, quòd puſillanimi, evaſerunt leones generoſitate: ipſæ puellæ tredecim aut quatuordecim annos natæ deriſerunt Tyrannos, & univerſa ſupplicia eorum, pergentes ad martyria præ eâdem lætitia, ac ſi ad nuptias properaſſent, ita ut illi tremerent quandiu ipſæ haberent oculos ridentes, & verba, quæ improperarent carnificibus infirmitatem & puſillanimitatem ipſorum. Quis fecit hæc omnia? quis tribuit huic ſexui vires extra ſexum? Hæc præclara *aurora conſurgens*; quæ roborat, & animat luminibus ſuis eos, qui erant anteà in funeſto ſtatu languoris. Sic non ſine myſterio concipitur ipſa tempore autumni, quando infirmitates; ut aiunt Medici, diuturnæ ſunt, aut lethiferæ; *Febres autumnales ſunt longæ, aut mortales*. Si autem videre velitis in quo ſtatu tunc erant morbi naturæ humanæ, ſufficit ut veſtros projiciatis oculos in Evangelium h hodiernum: & inde facilè vobis illorum comparare poteritis notitiam, *Liber generationis Ieſu Chriſti Filij David, Filij Abraham, &c.*

[y Gen. 1. 27. & 2. 7.] [z Gen. 3. 6.] [a 1. Reg. 13. 14.] [b Iudic. 14. 6.] [c Eccl. 1. 12.] [d 2. Reg. 11. 2. &c.] [e Iudic. 16. 15. & 19.] [f 3. Reg. 11. 1. &c.] [g 1. Reg. 2. 4.] [h Matth. 1. 1. &c.]

Ut autem iſtud benè intelligatur, obſervandum eſt cum S. Hieronymo i, quòd Evangeliū iſtud dividitur in ſingulas quartas decimas generationes Regum, Patriarcharum, & magnorum Ducum; ut diſcamus, quòd tanto mundus morbo laborabat, ut perveniſſet ad quartamdecimam diem infirmitatis ſuæ, quæ eſt terminus periculoſiſſimus, præſertim verò tempeſtate quæ eſt infirmis mortifera: ſed B. Virgo veniens hoc tempore in mundum, hæc aurora præclara ſuos incipiens radios diffundere; in eum affert ſanitatem, quam non habebat anteà: Sic mundus qui erat infirmus & languens hàc maledictâ infirmitate peccati; incipit reſumere novas vires; convaleſcere, & mutans hunc ſtatum infirmitatis, acquirit novum valetudinis, quem figurat; & probat lucta habita à Jacob cum Angelo, *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque manè* k. Hæc lucta eſt figura belli; quod erat inter Deum & homines; & Angelus in hoc certamine vices agebat Dei, Jacob autem in eo repræſentabat homines, qui habebant ſatis temeritatis ut congrederentur cum Deo. Natura humana inſurgit in Deum, terra diſputat cum cœlo, bellum eſt indictum, ecce præliantur ambo; ſed præ hoc ſucceſſu; quòd natura humana malè ſemper excipitur: quot enim aggreditur ipſa certamina, tot ſub-

[i S. Hier. lib. 1 in Matth. 1. 17. &c.] [k Gen. 32. 24. &c.]

miniſtrat ipſa victorias Deo, qui triumphat de malitis & obſtinatione hominum: *Deus* offenditur peccatis hominum, & homines puniuntur à juſtitia Dei: bellum eſt apertum, & quaſi prorſus irreconciliabile, natura humana victima ſit iræ Dei, Deus ſemper vincit eam, quis prævalet Angelus ſuper Jacob, & ſuper infirmitatem ejus. Sed vix hæc præclara aurora B. Virgo incipit illuceſcere, cùm homo tantas capit vires, ut ſe victorem reddat Dei ipſius, qui dicit *adeum: Dimitte me: iam enim aſcendit aurora.* Statim ac ipſa ſuis roborat te luminibus, meipſum infirmat, & me quaſi mutat in alterum: nam cùm eſ-

l Pſ. 93. 1.
m Ioan. 1. 29.

ſem *Deus ultionum* l, *Agnus* m nunc efficior: ipſa obſtringit me adveniam & ad deponenda arma juſtitiæ meæ, ut non inſumam deinceps niſi arma miſericordiæ in gratiam hominum qui

n Iſai 63.

erant inimici mei, eò quòd me offendiſſent: non ſum ampliùs iſte *Dominus Deus exercituum* n, *terribilis* o, ſed *parvulus Filius* l, quem hæc aurora præclara *pannis involvit* q. Et in hoc ſtatu unica lacryma ſufficit mihi mitigando inter ardentiſſimas iras meas. Re autem verâ ex quo cœpit hæc aurora illuceſcere, non videmus ampliùs infortu-

o Pſ 46. 3.
p Iſai. 9. 8.
q Luc. 2. 7.

r Gen. 1. 17. &c.
s Gen. 19. 24. & 25.
t Exod. 32. 28.

nia, ſicut ſæculis præteritis diluvia r, incendia s, occiſioneſque t, ſubminiſtrantia materiam tragœdiæ noſtris temporibus, *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora.* Quaſi diceret, quòd in Conceptione B. Virginis omnes miſeriæ deberent finiri, & cuncta prælia & diſſidia terminari. Sed ſicut Jacob dimittere noluit Angelum, quin ab eo duo inſignia ſuſcepiſſet beneficia, *Reſpondit, Non dimittam te, niſi benedixeris mihi:* primum, illuminationem intellectus, unde habuit nomen Iſrael, quo innuitur, Vir videns Deum, *Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael:* ſecundum, mortificationem carnis, *Qui cùm videret, quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris eius, & ſtatim emarcuit:* ſic illuceſcente hâc præclarâ aurorâ homines prævalentes adverſùs Angelum, & in illius perſonâ adversùs Deum, cœperunt ab eo illuminari, qui *erat*

u Ioan. 1. 9.
x Hebr. 1. 3.

Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum u, Et ab eo purgari, *cùm ſit purgationem peccatorum faciens* x. Vel, ſi vultis, *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora.* Antequàm illuceſceret hæc aurora B. Virgo, prævalebat Angelus adverſùs homines, illis eminebat dignitate, æquè ac naturâ: tremebant homines ſolo vel Angelorum intuitu, *Intellexit Manue Angelum Domini eſſe, & dixit ad uxorem ſuam, Morte moriemur, quia vidimus Dominum* y. Et ſi èt Apoſtolus a,

y Iudic. 13. 21.
a Luc. 6. 13. & 14.
b Ioan. 21. 20.

& diſcipulus, *Quem diligebat Ieſus* b, eſſet S. Joannes, tamen vult ſe proſternere coram Angelo, agnoſcens eum ut Superiorem ſuum, & ſuas exhibere volens ei reverentias, *Ego Ioannes*

c Apoc. 22. 8.

cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli. c. Sed hâc aurorâ illuceſcente, homo ſic potenter roboratur ut prævaleat adversùs Angelum, eumque præcedat, ſi non naturâ, ſaltem dignitate, cùm

d Ioan 1. 14.

Verbum caro factum d, naturam noſtram humanam elevaverit ad perſonam Divinam, quod Angelis non eſt conceſſum: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ait Apoſtolus e. *Dimitte me: iam enim aſcendit*

e Hebr. 2. 18.

aurora. Quaſi diceret Angelus, Amitto prærogativas, quibus vigebam ſupra naturam humanam. Videte, Auditores, quomodo nobis in hac luctâ cedant Angeli, & ſe victos ſateantur hâc aurorâ illuceſcente. Quantas haurimus inde vires, cùm triumphemus de Angelis. Sed quid dico? de Angelis: imò verò de Deo ipſo, *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?* ait Angelus Jacob poſt luctam. Ita ut Deus, quem timebat homo anteà ut terribilem, appareat ipſi nunc beneficus, & omnes iſtæ prærogativæ veniant ipſi ex hac aurora illuceſcente: *Iam enim aſcendit aurora.*

Nonne ſuſcepiſtis in vos, Auditores, hanc, quam annuncio, fortitudinem, id eſt, in naturâ humanam, cujus eſtis individua? Ut autem deſcendamus è generali in particulare. In Conceptione B. Mariæ nonne roborati eſtis in infirmitatibus veſtris? nonne levamen experimini à languoribus veſtris ad orientes radios hujus myſticæ auroræ, quæ fortificat, & ſanitatem ſuis mediis luminibus impertitur infirmis? Heu! illud video, ſed præ dolore: illud ſcio, ſed ſcientiâ quæ me affligit: B. Virgo eſt ſemper eadem erga nos; hæc aurora præclara non poteſt quin jugiter ſuis nos obſtringat beneficiis: ſed infœlicitas ſanguineis deflenda lacrymis! viribus iſtis uti noluimus, noſtra puſillanimitas eſt criminoſa, cùm ſit voluntaria; & nos non ſumus infirmi, niſi quoniam renuimus eſſe fortes. *Eliphaz Themanites dixit* Job, *Vbi eſt fortitudo tua* f? Peccator, *ubi eſt* f Iob. 4. 4. & 6.
fortitudo tua? Heu, audebone illud dicere ad confuſionem tuam! Nullam habes prorſus fortitudinem, tibi diabolus eam eripuit, ſpecies aliqua deceptrix & criminoſa à te illam abſtulit, aliqua inſana creatura eſt eam tibi ſuffurata. Hæc g Oſee 7. 9.
eſt querela Oſee g, *Comederunt alieni robur eius.* Domini mei Sacerdotes, ut *à Sanctuario* h inci- h Ezech. 9. 6.
piam, *ubi eſt fortitudo* veſtra? *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris* i 1. Petr. 2. 9.
vos vocavit in admirabile lumen ſuum i. Et ego vos k Ioan. 20. 23.
conſidero tenentes præ manibus ſceptrum ut inſigne authoritatis veſtræ, utimini ne poteſtate vo- l Exod. 7. 20. &c.
bis tradita k, ad proſternendos Pharaönes l, qui captivum tenent populum Dei? inſumitiſne authoritatem veſtram propter exinanitionem peccatorum, qui ſunt inimici illius, qui conſtituit vos Vicarios ſuos? Quin imò nonne palletis, cùm ante pedes veſtros habetis proſtratos peccatores ſceleribus inſignes, æquè ac ſanguine & dignitate, eò quòd non audeatis eos corripere de exceſſibus ab ipſis patratis? *Vbi eſt fortitudo* hæc, quam tribuit vobis character veſter, & quæ vobis eſt neceſſaria ad hoc ut veſtro officio ritè perfungamini? Ha! Domini mei, conſidero vos ut Reges: ſed adhibetiſne imperium veſtrũ ad domandos ſubditos rebelles, ad reprimendos pravos affectus paſſionum veſtrarum, quæ intendunt vobis dominari? Mortificatiſne hanc concupiſcentiam, quæ eſt cauſa tot ſeditionum, quas in vobiſmetipſis experimini, & quæ vos obſtringunt ad querendum de illis cum Apoſtolo, niſi ſitis minùs ſenſibiles in nixu illarum, quàm eſſet ipſe qui dicebat, auxilium inclamans? *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore* m Rom. 7. 23. & 24.
mortis huius m? Heu! illud dico præ dolore, illud autem dico, quia verum eſt, *Comederunt alieni robur* veſtrum. Nulla eſt in vobis fortitudo, adversùs quos infirmitas prævalet. Domini mei nobiles, qui arma profitemini, quique enſem defertis in ſignum magnanimitatis veſtræ, *ubi eſt fortitudo* veſtra? Unicum verbum malè intellectum, & ſine pravo conſilio pronunciatum, invehit in vos jacturam cœli, & illius, quod habetis pretioſiſſimum, ſcilicet animæ veſtræ, inducendo vos ad ineunda certamina ſingularia, & ad

funden-

fundendum ſanguinem veſtrum, æquè ac alienum, more hominum deſperantium: eſtne fortitudo & magnanimitas in veſtro procedendi modo, qui adverſatur voluntati Dei dicentis, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros* n: qui mori vos facit ut infames, quos Eccleſia ſacrâ privat ſepulturâ? Nequaquam: ſed rabies: *Comederunt alieni robur* veſtrum. Voluptuoſi, *ubi eſt fortitudo* veſtra? Noctes tranſigitis integras, æquè ac dies, ut conemini decipere aliquam ſimplicem creaturam, quæ non ſatis eſt edocta malitiam conſiliorum veſtrorum, quæ intenditis ipſi eripere id, quod ipſa non debet amittere niſi cum vitâ: eſtne in vobis fortitudo, ac ſubire deditionem ſexus, qui non eſt factus niſi ad obediendum? *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui* o. Accommodatis vos ad captum illius, ut melius ejus vobis devinciatis amicitiam: *Ubi eſt fortitudo* veſtra? Nulla prorſus eſt in vobis, cùm non requiratur in vobis ampliùs niſi colus & fuſus ad reddendos vos mulieres, voluptas eripuit vobis omnem fortitudinem veſtram, *Comederunt alieni robur* veſtrum. Non loquor de fortitudine mulierum, cùm eæ omnes conſtituant illam in vanitatibus ſuis, & earum vaniſſima habeatur ab ipſis ut generoſiſſima: vanitas eas abripit; & ſi mentis acie vigent, eam non inſumunt niſi ad ſe magnificandas, & maximorum conatuum ipſarum vanitas eſt ſemper principium, *Comederunt alieni robur* earum. Peccatores, quicumque ſitis, nullam habetis ampliùs fortitudinem cùm offenditis Deum; peccatum, quod eſt productio veſtra, cùm non ſit effectus, ſed defectus, probatio eſt infirmitatis veſtræ, *Comederunt alieni robur* veſtrum. Sed dicite mihi, Auditores, Numquid nõ prodimus fœlicitatem noſtram, cùm ſimus injurioſi favoribus iſtius auroræ præclaræ, quæ non venit in mundum niſi ad auxiliandum nobis, & ad diſſipandas tenebras noſtras beneficio luminum ſuorum? Nonne conſcij ſumus ingratitudinis, cùm renuamus opem, quam ipſa nobis offert? Hæc ſpecioſa aurora radijs ſuis ſublevare nos vult à languoribus noſtris: Heu complacêbimuſne nobis ſemper in infirmitatibus noſtris? Iſta glorioſa Puella producere vult in nobis omnes effectus auroræ materialis, qui ſunt illuminare ejiciendo tenebras, & corroborare tribuendo vires novas; ne renuamus auxilium ejus, quod eſt nobis ita neceſſariũ, concurramus cum eâ, ut *abjiciamus opera tenebrarum*, & vivamus deinceps in die gratiæ, quam ipſa nobis affert, *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit* p. Ut ſublevati à languoribus noſtris, vires noſtras inſumamus ad conciliandam nobis, interventu auxilij ipſius, gratiam Filij ipſius, & conſequenter gloriam ejus.

n Matth. 5. 44.
o Gen. 3. 16.
p Rom. 13. 12.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparavit viam tuam ante te. Matth. 11. 10. ex Malach. 3. 1.
Dixit autem Dominus ad Moyſen, Aſcende ad me in montem, & eſto ibi. Exod. 24. 12.

DEſcenderat jam Moyſes è monte, ut morem gereret Domino imperanti, *Deſcende, peccavit populus tuus* a, qui *egreſſus* erat è *corde* ſuo *per peccata*, *nec* poterat *ſpirituali exercitio in corde proficere*, *niſi rediret ad cor. Unde Propheta* b; *Redite prævaricatores ad cor*; ait Gerardus Zutphaniensis c. Deſcenderat, inquam, jam Moyſes præ compaſſione, miſertus populi ſui qui peccaverat. Nunc iterùm aſcendere compellitur, ut medeatur deſcenſui populi ſui ad peccatum mortale, & aſcendere eum faciat ſe rum redeundo *ad cor*, & ad Deum per gradus Confeſſionis, quam ipſemet Moyſes nobis figuravit, ſicut & alia Sacramenta in Lege naturæ, æquè ac in Lege ſcriptâ, quæ in Lege novâ deinde habemus exarata. Baptiſmus d figuratus fuit in Lege naturæ per arcam Noë e, & in Lege ſcriptâ per Circumciſionem f. Euchariſtia g in Lege naturæ per *panem & vinum* h Melchiſedech Sacerdotis, & in Lege ſcriptâ per Agnum paſchalem i. Pœnitentia verò, ſeu Confeſſio, quæ eſt illius pars eſſentialis, aut unus è gradibus, per quos ſpiritualiter ad Deum debemus aſcendere, redeuntes *ad cor*, in Lege naturæ, cum Adæ *Deus dixit, Ubi es* k? Non ignorabat Deus; *Verba increpantis, & ad Confeſſionem cogentis, & non ignorantis*, ait Gloſſa ordinaria. In Lege ſcriptâ l erant ſacrificia, & victimæ quæ offerri debebant à Sacerdotibus pro peccatoribus juxta qualitatem criminis. Oportebat igitur ut Sacerdotes cognoſcerent enormitatem & ſpeciem criminis, pro quo erant ſacrificium oblaturi, quod ſupponit liberam & voluntariam confeſſionem pœnitentis. Hodiernâ autem die Evangelium noſtrum ait, *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus m; *Ioannes dicitur Angelus, quoniam filius Sacerdotis* n, *& per conſequens Sacerdos fuit, ſaltem ſecundùm authoritatem vel poteſtatem. Quia exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua* o. Deinde proſequitur idem Dionyſius, *Qui præparabit viam viam tuam; hoc eſt, opera virtuoſa, per quæ Chriſtus ingreditur corda hominum, diſpoſitivè inducet in animas populi. Ante te, id eſt, antequàm tu ô Chriſte venias. Per hoc enim quod Ioannes diſpoſuit animas Iudæorum ad pœnitentiam peragendam, præparavit Chriſto ingreſſum ad corda audientium*, per gratiam, quâ repleta erat jam Maria, cùm audivit Angelum dicentem ſibi, *Ave Maria.*

a Exod. 32. 7.
b Iſai. 46. 8.
c Gerard. Zutph. lib. de ſpirit. Aſcenſ. cap. 22.
d Ioan. 3. 5.
e Gen. 7. 23.
f Levit. 12. 3.
g Ioan. 6. 56. &c.
h Gen. 14. 18.
i Exod. 12. 3.
k Gen. 3. 9.
l Levit. c. 1. & ſeqq.
m Dion. Carth. art. 21. in Matth. 11. 10.
n Luc. 1.
o Matth. 3. 5. & 6.

Nemo ambigit per confeſſionem, maximam Deo attribui gloriam, cùm per eam agnoſcatur ille ut id quod ipſe eſt, quæ cognitio eſt omnium altiſſima, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* p. Si enim quis ſua confiteatur peccata, ideò ut illorum ſibi conciliet abſolutionem, & indulgentiam. Nemo autem poteſt illa remittere præter Deum, *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus* q? Videtis quod per Confeſſionem agnoſcamus Deum omnipotentem, quòd his tribus verbis, *Ego te abſolvo*, & non ampliùs, parcit peccatis. Eſdras r exhortans populum ſuum ad agendam pœnitentiam criminis ſui, ait illi, *Date confeſſionem & magnificentiam Domino Deo*, ut nimirum darent gloriam Deo per ſuorum confeſſionem peccatorum. Et cùm tuliſſet *Achan aliquid de anathemate* s in obſidione Jericho, contra expreſſam prohibitionem quâ caverat filiis Iſraël Deus, *ne de his quæ præcepta ſunt*, *quidpiam* contingerent, *& prævaricationis Rei* t, eſſent: *ait Ioſue ad Achan, Fili mi da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Et cùm Salvator viſum præbuiſſet cæco nato; Scribæ & Phariſæi qui ferre non poterant ſplendorem Divinitatis ejus, quia caligine ſuffundebantur ipſorũ oculi, obviũ habentes hũc hominẽ redditũ perſpicacẽ,

p Ioan. 17. 3.
q Luc. 5. 21.
r 1. Eſd. c. 9. 8.
s Ioſue 7. 1. & 19.
t Ioſue 6. 18.

Dixerunt ei, Da gloriam Deo u. Quod idem eſt ac ſi dixiſſent ei, Confitere nobis quonam pacto ſe res egerit. Seu, ut exponit Hugo Cardinalis x; *Id eſt, Dic te mentitum fuiſſe de hoc, quòd dixiſti eum Prophetam eſſe, & te curaſſe: & ſic cognoſce peccatum tuum: quod eſt dare gloriam Deo.* Cùm confeſſio gloriam Deo afferat, cùm per eam potentia ejus & Divinitas manifeſtetur, cùm ſoli Deo competat peccata dimittere.

u Ioan. 9. 24. &c.
x Hugo. Card. in Ioan. 9. 24.

S. Thomas y petit utrùm juſtificare peccatorem ſit maximum operum Dei. Et reſpondet quòd ſic. Dicitur enim, *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius* z. Et, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas* a. Et S. Auguſtinus b exponens hunc locum S. Joannis, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet,* ait, *Quæ opera niſi ut ex impio iuſtus fiat? Prorſus maius hoc eſſe dixerim, quàm eſt cælum & terra, & quæcumque cernuntur in cælo & in terrâ. Et cælum enim & terra tranſibit* †: *Prædeſtinatorum autem, id eſt, eorum quos præſcit, ſalus & iuſtificatio permanebit.* Idem S. Thomas c objicit ſibi, quòd dare gloriam Angelis eſt majus opus quàm præbere gratiam peccatoribus, quæ non eſt niſi gloria incepta; & quòd creatio mundi, quæ eſt opus univerſale, major eſt juſtificatione peccatoris, quæ non eſt niſi opus particulare. Et ipſe reſpondet ſuæ objectioni, dicens, quòd Deus dans gratiã peccatori, præbet illi gloriam inceptam in hoc mundo, ut eam habeat in altero conſummatam. Prætereà quòd gratia collata peccatori, eſt majus donum gloriâ collata Juſto, ob demeritum impij, qui potius erat ſupplicio, quàm gratiâ dignus: Sed Juſtus ſtatim ac juſtificatus eſt, meretur gloriam. Eſt igitur opus majoris miſericordiæ juſtificare peccatorem, quàm creare Angelos d juſtos. Et licèt creatio ſit univerſalis, & bonum commune, & juſtificatio bonum particulare, tamen hæc eſt præferenda creationi, utputà conditionis ſuperioris, cùm bonum gratiæ unius ſit præferendum bono univerſali totius naturæ. Et licèt creatio mundi facta fuerit è nihilo e, & cum Deo nihil concurrerit, quod non eſt in juſtificatione peccatoris, cùm ea ſupponat concurſum & cooperationem illius, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum* f; Hoc non eſt niſi ut eum faciat agere; ſed in ſe juſtificatio peccatoris eſt major creatione mundi, & ipſa eſt etiam creatio g, cùm ex impio Deus eum faciat juſtum. Deus igitur ſe magis commendat per juſtificationem peccatoris, quàm per quodlibet aliud opus: Atqui juſtificatio ſupponit Confeſſionem: Confeſſio ergo res eſt quæ maximã Deo affert gloriam, & meliùs omnia illius attributa manifeſtat.

y S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. in concl.
z Pſ. 144. 9.
a Eccleſia
b S. Aug. tract. 72. in Ioan. 14. 12.
† ex Matt. 24. 35.
c S. Thom. ibid. in princ.
d Gen. 1. 3.
e Gen. 1. 1. &c.
f 1. Cor. 15. 10.
g Pſ. 50. 12.

Prætereà, Confeſſio reddit Chriſto honorem, quem ei eripere conati fuerant ipſius inimici tempore Paſſionis ſuæ, & aliàs. Illa juſtificat eum à calumniis ipſi ab illis irrogatis. Ob crimina imaginaria damnatur ut *reus mortis* i: infamatur ut ſeductor, *Seducit turbas* k; ut dæmoniacus, *Dæmonium habes* l; ut peccator, *Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt* m. Gentiles *ſtultitiam* n eſſe putant ac adorare Deum, hominem qui ob ſua ſcelera (ut dicunt) crucifixus eſt. Saturatur *opprobrijs* o. Sed per actum Confeſſionis proteſtamur eum eſſe Filium Dei, & quòd ipſe ſit *Sanctus Dei* p, cùm operante *Sanguine* quem effudit ob amorem noſtrum, lavemur & abſolvamur *à peccatis noſtris* q. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus qui eſt ſummus Pontifex, te abſolvat, & ego authoritate ipſius, quâ fungor, abſolvo te* r, &c. ait Sacerdos Chriſti Vicarius in tribunali conſcientiarum. Nihil igitur glorioſius Chriſto quàm eum proclamari innocentem, per Confeſſionem; & fatendo eum eſſe Sanctitatem ipſam, teſtimur ei honorem, quem eripere volebant ei: non ſecùs ac ſi nobili aliquo Viro falſi criminis accuſato, & ideò infamato cum totâ progenie ſuâ, aliquis ejus probans innocentiam, in ſe prætenſum ejus crimen ſuſciperet: idem peragit peccator erga Chriſtum, confitendo ſua peccata. Accuſatus fuerat Chriſtus s, *Et cum iniquis reputatus eſt* t. Damnatus fuerat ad mortem oppetendum inter duos latrones, quaſi verò eorum dux eſſet ſceleſtiſſimus, reus creditur; Peccator verò per Confeſſionem ſuam contentâ voce inclamat Chriſtum eſſe innocentem, & ſe pœnis illius perferendis obnoxium eſſe ut criminoſum.

i Matth. 26. 66.
k Ioan. 7. 12.
l Ioan. 8. 48.
m Ioan. 9. 24.
n 1 Cor. 1. 23.
o Thren. 3. 30
p Marc. 1. 24.
q Apoc. 1. 5.
r Eccleſia ex Ioan. 20. 22. & 23.
s Marc. 15. 3. &c
t Marc. 15. 28 ex Iſai. 53. 12

Non ſolùm autem Confeſſio præbet gloriam Deo, honorem Chriſto, ſed etiam utilitatem ei qui ipſam exercet &, ut ait S. Auguſtinus u, *Cùm cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium operum bonorum, confeſſio eſt operum malorum.* Si velimus vitam relinquere animalem, & capeſſere vitam ſpiritualem, & aſcenſiones facere ſpirituales, debemus per gradus bonæ Confeſſionis primos aſcendere. Mirum eſt conſcientiæ tribunal, in quo juſtitia litigat, & miſericordia præſidet, & quodcumque illa ſcribit, iſta delet. Sic virtute hujus Sacramenti medetur quis omnibus ſuis vulneribus. Imitatur pœnitens canem, cujus lingua lambens ulcera, præbet ipſi ſanitatem, ideò illi idem tribuo ſymbolum, & eandem inſcriptionem, *Mihi ipſe medebor.* Meorum ſum medicus malorum, cùm illa confitens, iis medear. David x ait peccatori, cui pudor labia æquè ac os clauſerat, *Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Lorinus y dicit, *De revelatione quâ quis manifeſtet ſe per Confeſſionem Deo, Heſychius innuit, &c.* Sed quid acturus eſt Deus ei qui confitebitur? Ait ſolùm Propheta, *Et ipſe faciet.* Quaſi diceret, quòd illi qui peccata ſua confitentur homini, merentur tantùm, ut videatur Deus non invenire ſatis quid dicat, nec quid agat ad exaggerandã verbis, & præmiandam operibus rem quæ præ ſe ſic eximium fert valorem. Quid igitur utilius bonâ Confeſſione. Ut autem proficuè ad magnum eam exerceamus emolumentum, Tractare volo Primò de diſpoſitionibus neceſſariis ad bonam Confeſſionem peragendam: Secundò de lachrymis quæ ei debent ſociari. Et hæ lachrymæ, æquè ac illæ diſpoſitiones, noſtrarum aſcenſionum ſpiritualium erunt gradus.

u S. Aug. tract. 12. in Ioan. 3. 21.
x Pſ. 36. 5.
y Lorin. in Pſ. 36. 5.
Diviſio

Eodem planè ſe gerit Deus modo in ſuis actionibus ſupernaturalibus & ſecundùm gratiam, quo in ſuis natura agit operationibus; ſic gratia imitatur naturam, quæ nullam unquam introducit formam, quin diſpoſitiones neceſſariæ ſint in ſubjecto quod debet eam ſuſcipere. Oportet ut ſiccitas uniatur ligno, & ab eo ejiciatur omnis humor, antequàm in illud introducatur ignis. Ad medendum morbo, & ad conſequendam ſanitatem oportet ut calor febris pravas cõſumat humores in materiâ præjacentes, cùm eodem tempore non poſſit haberi fruitio unius ex contrariis niſi per privationem alterius. Sic vitium & virtus, peccatum & gratia, quæ nunquam adinvicem inierunt fœdus, non poſſunt ſociari, cùm exiſtentia unius ſupponat ruinam alterius z. Ut introducatur gratia in aliquod ſubjectum, oportet ut illinc ejiciatur peccatum, & ut omnes diſpoſitiones ad illam ſuſcipiendam neceſſariæ in eo inveniantur: & ſicut duæ ſunt diſpoſitiones in naturâ, verbi gratiâ ad ſanitatem recuperandam requiruntur primò phlebotomia,

I. Punct.
z 2. Cor. 6. 14.

deinde

Digitized by Google

deinde evacuatio; ſic in gratia ab conſeqnendam animæ ſalurem requiritue Confeſſio, ſed priùs neceſſaria eſt præparatio,& præcedere debet examen; ſine examine enim nullam præ ſe fert quis diſpoſitionem Confeſſiooi idoneam; & Dens qui præcipit Confeſſionem, quæ eſt de Jure Di-
a Gen. 3. 9. vino etiam ab initio mundi a, jubet etiam diſpoſitionem, cùm ea ſit medium, & medium ſit neceſſarium ad attingendum finem, ſine quo iſte nunquam poſſideretur.

b Pſ. 50. 19. Neqne dicar quis ſe habere contritionem b; ills quippe non ſufficit. Suppoſito enim quòd in peccarum mortale inciderimus, etiamſi Angelus eevelaret indulgentiam illius, nobis eſſe conceſſam, non minùs propterea ad illud obſtringeremur confitendum: nunquam enim remittitue peccatum niſi in ordioe ad Confeſſionem, ubi opportuna ſe obtulerit occaſio, peragendam, & ad ſacram Synaxim accedentes inconfeſſi, in ſacrilegium incurreeemus, *Declarat ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantùmcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habitâ copiâ*
c Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 11. à ſeſſ. 13. cap 7. *Confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat* c, ait Concilium Tridentinum. Et citans d S. Pau-
d 1. Cor. 11. 28. lum, *Probet ſeipſum homo* e, ait, *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe.* Et ſtatim ſubjungit Apoſtolus, *Et ſic de pane illo edat.* Examinatus, & purgatus ab omni delicto per integram Confeſſionem, adeat ſacram Communionem. Deus præcipiens nobis Confeſſionem, jubet ſtatim media bonæ Confeſſioni agendæ apta, nec media nos minùs obſtringunr quàm finis, cùm ſine illis oon poſſimus eum conſequi. Examen eſt optima diſpoſitio, & optimum medium faciendæ bonæ Confeſſionis. Examen quinq; habet partes, gratiarum actionem, iovocationẽ, diſcuſſionem, petitionem, & propoſitum. In gra-
f Pſ. 115. 3. tiarum actione vices rependuntur laudum Deo
g Pſ. 42. 3. *pro* f beneficiis ab illo, eo die præſertim ſuſceptis. In invocatione efflagirat quis *lucem* g cœleſtem, quâ ſua peccara cognoſcar, eaque emender. In
h Iſai. 38. 15. diſcuſſione rationem petit quis à ſe *in amaritudine animæ* h ſuæ, pecurrendo ſingulas boras diei, cogitationum, verborum, operum, & omiſſionum.
i Pſ. 50. 1. In petitione poſtulat quis ſuornm veniam deli-
k Pſ. 76. 11. ctorum i. In propoſito ſtatuit quis in bonam ſe frugem tecipere, fultus auxilio gratiæ k.

Ut igitur fiar bona & valida Confeſſio, mente eevolvendum eſt omne tempus à prævia Confeſſione elapſum, memorando omninm locorum, in quibus eſt quis immoratus, perſonarum quibuſcum quis convixit, negotiorum quæ tractavir, peccatorum ad quæ fuit proclivis, quæque magis conſcientiam gravant, obſervando etiam, ſi fieri poſſir, eorum numerum. Nec mirum eſt ſi aliqui ad ſublevandam infirmam memoriam ſuam, evoluto compendio materiarum Confeſſionis, mandatorom Dei, præceptorum Eccleſiæ, ſeptem peccatorum capitalium, eorum omnium quæ ad ipſos ſpectant, ſummam colligunt præſertim in Confeſſionibus generalibus, Tantâ refertur Auguſtus Imperator prudentiâ præditus, ut cum uxore de aliquibus tractans negotiis, eam ſcriptis alloqueretur, ne forſam deciperetue. Poteſtne nimia Infumi cantela ad rem tanti momenti, quæ agitur cum Deo, quæque ſalutem noſtræ intuetur æternam animæ?

Petirur, quantum ſit inſumendum tempus ad iſtud examen diſcutiendum. Reſpondent aliqui tantum adhiberi debere, quantum neceſſarium foret ad tractandum maximi momenti negotiũ. At nullum eſt negotium majoris momenti iſto, cùm in eo de ſalute agatur æternâ conſequendâ. Alii quaotùm ad concinnandam aut componendam à Cauſidico litem, in qua de hominis capite agitur; in Confeſſione enim agitur non de vita corporea hominis, ſed de vita animæ multò nobiliori & excellentiori ſine comparatione; nam juxta quòd accedit ipſa ad hoc Sacramentum, in eo ſuſcipit ſententiam vitæ aut mortis l, con- l Ezech. 18. 21. &c.
formiter ad diſpoſitiones, quas in illud affert. Et ſicut *Deus* volens vitam præbere Adæ, *inſpiravit* m Gen. 2. 7.
in faciem eius ſpiraculum vitæ m; ita commuoicans n Ioan. 20. 22.
Sacerdotibus, qui ſunt hujus Sacramenti miniſtri, potentiam largiendæ vitæ, *inſufflavit* n. Halitus oritur è pulmonibus, è viſceribus, ut innueret quòd vita, quam nobis dabat, erat effectus amoris ſui, & miſericordiæ ſuæ, *Per viſcera miſericordiæ* o Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 8. & 6. 12.
Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens ex alto o; & quòd utraque vita æquali ipſi conſtaret.

Tempus hoic diſpoſitioni peragendæ opportunum eſt nox, *Qui fecit Lunam & Stellas in poteſtatem noctis* p. Illo tempore eſt quilibet quietior, p Pſ. 135. 7. & 9.
& mens minùs diſtracta; & tenebræ favent ut iis mediis quia intima peevadat clariùs ſua, *Et nox nocti indicat ſcientiam* q. Quandiu ſenſus objecto- q Pſ. 18. 3.
rum non ſunr occupati diverſitate, meliùs ſe colligit unuſquiſq;, & exactiùs attẽdit ad ea quæ vitæ ſunt præteritæ. In hoc igitur non eſt procedendũ ſuperficialiter examine; quia alioquin ſacrilegia perpetrarentur, nec imitandi ſunt illi qui Chriſtiani ſibi nomen vendicant, nec tamen Chriſtiani vices agunt, qui poſtquàm annum integrum permãſerint inconfeſſi, peoſternentes ſe ad pedes Confeſſarii, vix ſubminiſtrant ei ſufficientem materiam impendendæ ſibi abſolutionis ab eo; & fortaſſis innumera perpetraverint ſcelera. & erit r Thren. 4. 8.
denigrata ſuper carbones facies eorum r, ſeu anima. At unde oritur, ſi placet, hæc cæcitas, niſi è defectu examinis peccatorum? Expectant ut ſe Sacerdos interroget, ut ſibiipſis ſua dicat peccata, Sacerdos eſtne propheta? Eſtne Deus, ſicut *Do-* s Ierem. 17. 10.
minus ſcrutans cor, & probans renes s, ut ſciat quid egeritis? Oportet ut reflectatis vos ſupra voſmetipſos, & hac ſeria reflexiooe ſupra præteritum, veſtra ſcelera ac peccata cognoſcetis. Vobis eveniet idem quod accidit viatori, qui apprehenſus à latronibus, & in profundam æquè ac obſcuram foveam projectus; in principio nihil ibi intuetur, cùm è clarâ ſtatim exierit luce; ſed paulatim incipit ibi depeehendere brachium abſciſſum, illic capur præciſum, à tergo homines ſeminortuos, & extremum vitæ halitum agentes, ubique cadavera, & nihil præter oſſa; Heu! miſerandus ille homo tremore & pavore concutitur, & metu jam perit, ut ſemel realiter moriatur! Sic primo intuitu nihil videtis in interiori veſtro, ſed illuminati lampade rationis, & adiuti gratia, ibi deprehenditis tot homicidia volũtatis, tot detractiones, tot impuritates, & tot crimina, ut ea omnia tremore & pavore vos percellant, & Divinorum vobis incutiaot timorem iudiciorum.

Quòd ſi veſtrorum habentes notitiam peccatorum, ea ſilentio prætetitis, nec ea Sacerdoti revelatis, ſacrilegium peepetratis, nec ampliùs vitam gratiæ præ vobis fertis, & mortui eſtis. Conſuetum eſt, cùm dubitatur utrùm quis agonem vitæ extremum agens, emiſerit ſpiritum, an non, quandiu dicunt aliqui eum expiraſſe, alii verò minimè, offerri ei ſpeculùm; quod ſi illud babitu ſuo

Digitized by Google

inquinet, creditur adhuc vivere; ſi autem illud ſpiritu ſuo non inficiat, mortuus eſſe perhibetur. Confeſſio, Auditores, eſt puriſſimum ſpeculum, ſi peccator ante pedes Sacerdotis proſtratus, illud inficiat ſordibus ex ore ſuo prodeuntibus, medio ſpiritu ſuo corrupto ejiciens foràs quidquid eſt malignum in corde, ſignum eſt manifeſtum, eum non eſſe mortuum, ſed viventem. Si verò ſpeculum iſtud ipſe non maculet, ſi ſuum ipſe non emittat halitum, ſi ſuum retineat peccatum, nedum illud foràs ejiciat, non vivit, ſed mortuus eſt.

t Iſai. 14. 22. Iraſcitur Deus per Prophetam t ſuum adverſùs peccatores, & minitatur eis omnimodam deſtructionem, *Perdam Babylonis nomen .. & ponam eam in poſſeſſionem Hericij.* Inter alias convenientias, quas præ ſe fert peccator cum Hericio, una eſt, quòd ipſe totus oneratus eſt ſtimulis & aculeis. Si adit Confeſſarium, qui velit ipſi ſuaviter ſalutaria præbere monita, Quomodo Domine? irridesne Deum? veniſne præ ſic exiguâ reverentia ad Confeſſionem, quæ tantas requirit diſpoſitiones? Ecce ſtimulat, Imprudens eſt iſte Confeſſarius, nimium præ ſe fert rigorem; nihil magis placet his animabus pœnitentibus quàm mutatio. Dicuntur matronæ Romanæ tempore quo divortium erat licitum, ſuos computaſſe viros juxta numerum Conſulum, qui ſingulis mutabantur annis. Æquiori jure dici poteſt, illas pœnitentes metiri ſuos Confeſſarios juxta curſus Lunæ, ſingulis ferè menſibus aſſumentes novum; volunt illæ ut Confeſſarij blandientes & mercenarij ſuis inordinatis inſerviant conſiliis; & ſi inveniantur aliqui qui conſcientiam dilatent, qui doceant bonum per viam injuſtam acquiſitum retinere, favere affectibus, fovere libertatem, conciliare comœdiam cum Communione, amicitias cum virtutibus, & collocare peccatum veluti intra ſinum Theologiæ; Hi ſunt viri ſubtiles & periti, ac Prophetæ recentes, quorum ſequendæ ſunt inſtructiones, ſicut è contrà mutandi ſunt ij, qui nimis ſunt ſtimulati, ut importuni & æquo difficiliores.

Si Confeſſio ritè peracta gloriam Deo præbet; non poteſt ſacrilega niſi irritare iram ejus, cùm illa eum vilipendat & contemnat, *Perdam Babylonis nomen, & ponam eam in poſſeſſionem Hericij.* Conſtituam eam hæreditatem Hericiis miſeris concludentibus in viſceribus ſuis plures exiguos Herinaceos, qui ubi creſcunt, ſuos augent aculeos, & ubi Paſchale tempus accedit, & oportet ut ipſi ſua confiteantur peccata; Heu! quantus dolor? quàm ingens labor! quàm magnæ torturæ æquè quietis incapaces, ac ſunt idoneæ augendæ & ſtimulandæ conſcientiæ! Et ſicut dicuntur Herices, ſi deprehendantur prægnantes & onus deferentes, ſic ſeſe colligere ut nihil appareant, & veluti globum facere, in quo nihil ſit cernere præter aculeos, ore, pedibus, & omni eo quod eſt crudele & ſævum, abſconditis; Heu! peccatores, iſti infortunati Hericij deprehenſi tempore Paſchali criminibus onuſti, ſeſe ita colligunt ut nihil ipſorum appareat; Hæc manus quæ tot perpetravit homicidia voluntatis, hæc lingua quæ tot protulit blaſphemias, iſtud cor quod tot meditatum eſt & concluſit malitias, Hi oculi qui tot adulteria commiſerunt, hæc omnia remanent abſcondita, iſtorum nulla fit mentio, univerſa iſta

u Jer. 2. 12. ſilentio involvuntur. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* u! Quàm abominabile ſacrilegium, profanare præ tanto deſpectu hoc Sacramentum, quod ad optandam ſalutem eſt inſtitutum! Nihil eſt quod ſic offendat Deum ac mala conſcientia; ſicut nihil eſt quod eum ſic honoret ac bona conſcientia; ad eam igitur magnæ ſunt impendendæ curæ, diſpoſitiones ſunt illi neceſſariæ, & lachrymæ ab ea debent eſſe inſeparabiles.

II. Pars. Noſtram vituperant Hæretici noſtri Confeſſionem, quia partes ejus (quæ ſunt veluti gradus per quos noſtras aſcenſiones facimus ſpirituales) moleſtæ ſunt & importunæ. Confeſſio, ajunt illi, moleſta eſt, Satisfactio x oneroſa, &

x Luc. 3. 8. lachrymæ quibus innititur Contritio, inutiles. Duas illis concedo primas propoſitiones. Quòd Confeſſio ſit moleſta, quis de hoc dubitat? Se infamare coram Sacerdote, ſua homini reſerare peccata, aperire ei ſua crimina, quæ nec ipſe vel vidit Sol, quæque ſuiſpſorum conſcias habent ſolas tenebras, quàm rigidum eſt iſtud! Quòd puella verecunda, aut mulier exiſtimata pudica & honeſta, ſuas aperiat ſordes & infirmitates, Heu,

y Ioan. 6. 61. quàm moleſtum eſt illud! *Durus eſt hic ſermo* y. Et tamen aperienda ſunt hæc omnia, ne incurratur æterna damnatio, & claudatur paradiſi oſtium. Sed quàm oneroſa eſt Satisfactio! quantus labor in reſtituendo eo quod ſemel poſſidetur! quàm tenaces ſunt manus ne reddant id quod viâ illicitâ ſibi comparaverant! quàm difficile eſt abdicatu ſe à beneficio, aut ab officio, quo quis ſalvâ potiri non valet conſcientiâ! *Durus eſt hic ſermo.* Nihilominùs reſtituenda, & deſerenda ſunt hæc omnia, *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter*

z Luc. 13. 3. *peribitis* z. Valdè oneroſum eſt hoc. Idem ſentio cum Hæreticis. Sed quòd lachrymæ ſint inutiles, hoc eſt quod ego non concludo, cùm hæc propoſitio adverſetur Conciliis, Scripturis ſacris, ſanctis Patribus, Eccleſiæ, & toti Theologiæ. Inſeparabiles eſſe debent lachrymæ à Confeſſione; Huic ſociari debet dolor ille interior a, quo tædeat & pœniteat aliquem offen-

a Luc. 7. 47. diſſe Deum, cujus bonitas ſinceros noſtros exi-

b Matth. 22. 37. gebat affectus, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* b. Sed, inquiunt illi, non poteſt quin offendatur Deus. Et hoc eſt quod ad ſanguineas ciere deberet nos lachrymas; & efficere ut diceremus more illius patris, qui correptus ut quid tanto exceſſu mortem ſui defleret filij, quem ſuſcitare non poterat, nec ad vitam revocare; appoſitè reſpondit, ſe ideò fleviſſe, lachrymas fudiſſe, & ſuſpiria emiſiſſe, cùm hæc omnia priſtinam filio defuncto non poſſint vitam reſtituere. Refertur quòd ſiren, ubi animadvertit aliquem hominem juxta litus maris deambulantem, è mari exit, & rabie & furore percita eum laceret & in fruſta illum diſcindit, eâ ſolatatione ducta, quia ipſa illius præ ſe fert imaginem; & quòd deinde immodico affecta dolore, eò quòd illi necem intulerit, eique vitam eripuerit, ſemetipſam interimit, & ſibi mortem irrogat in ſui pœnam criminis. Heu! peccator cùm videt ſe occidere Deum ſuum, qui ipſum decoravit imagine & ſimilitudine ſua; *Ad imaginem quippe Dei factus eſt*

c Gen. 9. 6. *homo* c; cùm conſiderat ſe eum denuò patibu-

d Hebr. 6. 6. lo ſuffigere per peccata ſua infamis, *Rurſum cruci- figentes ſibimetipſis Filium Dei* d, ait S. Paulus, loquens de peccatoribus; Heu! conterere ſibi debet cor dolore criminis ſui. *Contritio conterit cor.*

Vera contritio ut ſit talis, tres præ ſe ferre debet conditiones. Primò, Debet illa eſſe univerſalis. Secundò, Debet illa eſſe ex toto corde. Tertiò, Oportet ut ipſa ſit continua. Primò, Expedit ut illa ſit univerſalis, Quia ſanctificatio,

jurti-

juſtificatio, & converſio peccatoris nunquam fit per partes; nunquam juſtificari poteſt peccator, nec gratiam habitualem ſuſcipere, quandiu peccatum aliquod lethiferum ipſe reſervat in anima; ideò debet illa omnia purgare, ea univerſa confiteri, illa cuncta expungere & delere lacrymis ſanctæ & amaræ Contritionis, nedum eorum vel unum relinquat, alioquin Contritio eſſet prorſus inutilis. Saül ratus ſe miſericordiorem Deo, qui eſt ipſa *Miſericordia* e, audito Divino mandato, *Vade & percute Amalec, & demolire univerſa ejus: non parcas ei*; contra iſtud expreſſum mandatum vitam ſervavit Cinæo Amalecitæ, *Dixitque Saül Cinæo, Abite, recedite, atque diſcedite ab Amalec: ne fortè involvam te cum eo. Et receſſit Cinæus de medio Amalec* f. Qui Cinæus ipſi Saüli deinde eripuit vitam, & mortis ejus nuncium Davidi tulit unà cum diademate illius Regio, dicens ei, *Stans ſuper eum, occidi illum: & tuli diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc. Filius Amalecitæ ego ſum* g.

e Pſ. 32. 6.

f 1. Reg. 15. 3. & 6.

g 2. Reg. 1. 10. & 13.

Ludebat aliàs Pharao Ægyptiorum Monarchà cum Moyſe adhuc infante, aut puero (*quem adoptavit in filium* h *filia ejuſdem Pharaonis*, Thermuthis nomine) *At ille poſtquàm acceptum ad pectus appreſſiſſet, filiæ gratificaturus, comiter diadema ſuum ejus capiti impoſuit. Moſes verò capiti pueriliter detractum prolabi in humum paſſus, pedibus etiam calcavit. Id quod mox ominoſum eſt viſum, & Regno nihil boni portendere. Mox illé Sacrorum Scriba qui nativitatem ejus Ægypto cladem allaturam prædixerat, occidere puerum volebat, vociferans: Rex, puer iſte per cujus necem, nobis ſecuritatem Deus pollicetur, vaticinium jam confirmavit, inſultando tuo Regno, & diadema calcando. Hoc interempto tam Ægyptiis metum, quàm Hebræis ſpem & fiduciam adime*; refert Joſephus, *Thermuthis verò confeſtim eum eripit Rege quoque non invito* i. Moyſes autem effecit tandem ut ille Pharao vitam ſuam æquè ac ſceptrum & diadema Regium amitteret k. Exercitus ſui Ducibus David *præcepit Rex Joab & Abiſai & Ethai, dicens, Servate mihi puerum Abſalom* l Heu! miſerande pater, Abſalom perſequetur te, & inſurget adversùm te, ſicut jam inſurrexit. Peccatores, quicumque ſitis vos, peccata in veſtrâ reſervatis animâ nedum ea confiteamini, nedum eorum vos pœniteat; nedum dolore aliquo interiori conteramini, eò quòd illa perpetraveritis: heu! miſerandi homines, peccatum iſtud, quod retinetis abſconditum, quod ſic amatis, more alterius Moyſis veſtram machinabitur ruinam, inſtar alterius Amalecitæ vobis mortem inferet, ut alter Abſalom vos perſequetur, & ſævum vobis indicet bellum. Univerſalem præ vobis ferre debetis contritionem omnium peccatorum veſtrorũ, nedũ vel unũ relinquatis; oportet ut de iis doleatis ex toto corde veſtro; dolor enim, quem experimur ob privationem rei amiſſæ, convenientiam habere debet cum eadem re perditâ. Res amiſſa per peccatum, eſt omnium maxima, nimirum Deus, gratia cœleſtis, paradiſus. Ideò dolor quo propter hanc jacturam affici nos convenit, non debet eſſe niſi immodicus. Sed quomodo iſtud? dicet mihi aliquis. Majori afficior dolore ex interitu filii mei, quàm ex morte animæ meæ per jacturam gratiæ quam incurro. Reſpondeo, quod duplex admittitur dolor, unus rationabilis, alter verò ſenſibilis. Amittit V. g. mulier aliqua nobilis & illuſtris Domina canem ſimul & adamantem; plangit illa catellum, nec queritur de adamante qui æquè & plus valet, iſte eſt amor ſenſibilis, non verò rationabilis. Debemus contriſtari de offenſa Dei, dolore rationabili, ſicut eum diligere debemus ſuper omnia *ex toto corde* m noſtro, amore appretiativo, eùm perſæpè illum non poſſimus diligere amore ſenſibili. Oportet igitur ut dolor noſter ſit rationabilis, ſi non poteſt eſſe ſenſibilis, cùm lacrymæ pendeant è tempore, è temperamento, & è diſpoſitionibus, quæ non ſunt ſemper in nobis: Sed dolorem ſemper præ nobis ferre poſſumus rationabilem, ſcientes quòd noſtris offenſus eſt Deus ſceleribus, quòd noſtra crimina eum denuò cruci ſuffigunt, licèt ipſe præ juſtitia omnes noſtros aſciſcere ſibi poſſit affectus, & univerſas noſtras exigere reverentias.

i Ioſeph. lib. 2. Antiq. Iuda. c. 5.

k Exod. 14. 27. & 28.

l 2. Reg. 18. 5. &c.

m Matth. 22. 37.

Præterea, Contritio ut ſit bona debet eſſe continua, non quòd ſingulis momentis noſtrorum nos conveniat pœnitere peccatorum, & quòd ſine intermiſſione producere debeamus actus doloris de ſceleribus adversùs divinam Majeſtatem à nobis perpetratis, ſed toties quoties noſtrorum meminerimus delictorum; Deus enim indulgens nobis & remittens peccata noſtra, abſolvens nos à reatu peccati & culpæ, & à ſupplicio pœnæ æternæ, obſtringit nos ad vinculum non intermiſſæ deteſtationis ejuſdem ſceleris; ita ut ſemper dolere debeamus, & jugiter continuare actus, in quorum exercitio & praxi ſita eſt noſtra fœlicitas, qui non ſunt alii niſi lacrymæ, ut exponit Dionyſius Carthuſianus n ſuper hæc verba, (*Beati qui lugent*) *propria vel proximorum peccata deflendo, & ad patriam ſuſpirando, vel Chriſto paſſo ac crucifixo compatiendo cordialiter. Oportet igitur ſemper pœnitere quantùm poſſibile eſt, nec unquam exceſſum metuere in exercitio ſic laude digno.*

n Dion. Cart art 3 in Matth. 5. 5.

Unde ſequitur neceſſariò nobis eſſe peragendam pœnitentiam à Confeſſario nobis ſalubriter impoſitam. Duplex autem injungi ſolet pœnitentia, una ſatisfactoria, altera verò medicinalis. Pœnitentia ſatisfactoria aliquando recuſari poteſt ob aliquas congruas rationes, ſed ſemper præ magna humilitate, ut ſi Viro negotiis publicis tractandis ordinariè incumbenti injungat Confeſſarius recitandas multas Coronas Beatiſſimæ Virginis Deiparæ; aut ſæpè percurrendum ejus Roſarium; ſi pauperi erogandas aliis præcipiat eleemoſynas; ſi ægrotum ad jejunii praxim velit inducere; ſi puellæ aut mulieri infirmæ ſuſcipiendas ordinet peregrinationes; tunc enim Confeſſarius ſuas ritè non obit vices, ſuis nequaquam apprimè fungitur muniis, quippe qui ſit imprudens; & tunc ſpecioſam poteſt pœnitens excuſationem prætexere, & hujuſmodi oblatam pœnitentiam humiliter renuere, eamque in alteram, quam poſſit ipſe commodè exequi, convertendam efflagitare. Et licèt ſentiant aliqui; quòd in rigore poſſit pœnitens quamlibet pœnitentiam ſatisfactoriam à Confeſſario ſibi imponendam recuſare, expectans donec illam peragat in altero mundo; dico ego quòd non erit rectæ rationi & ſanæ menti conſonum loco jejunii alicujus ſuſtinendi hic, velle perpeti fornacea ardentes ignium & flammarum Purgatorii, in quo Deus *ipſe quaſi ignis conflans purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum* o; cùm neſciat quid poſtulet is, qui Purgatorium efflagitat. Quoad pœnitentiam verò medicinalem, nunquam licet eam recuſare, ut; reſtituere bona per vias iniquas comparata, ſatisfacere injuriæ

o Malach. 3. 2. & 3.

proximo irrogatæ, deſerere prava conſortia ſaluti peragendæ adverſantia; declinare à *mala*, *& bonum* p facere; hujuſmodi tenetur pœni- p Pſ. 36. 27. tens acceptare pœnitentiam medicinalem, & eam inviolatâ exequi fidelitate; deficiens autem voluntate illius capeſſendæ; incapax eſt abſolutionis impendendæ ſibi à Confeſſario, qui ipſum è tribunali Confeſſionis debet ejicere ut indignum Sacramento.

Quod cùm ita ſit, Auditores, nimirum quòd Confeſſio requiſitis & neceſſariis peracta cum conditionibus & diſpoſitionibus prædictis, præbeat gloriam Deo, cùm per eam agnoſcat illum pœnitens omnipotentem, & præcellentem mundanis Principibus, qui nullâ vigent poteſtate ſupra ſuos ſubditos inducendorum eorum ad confitenda peccata ſua: Quòd reparet honorem, quem inimici Chriſti voluerunt ei eripere tẽpore paſſionis ipſius, & aliàs, proclamans eum innocentem, & declarans ejus ſanctitatem: Et quòd ipſa nobis futura ſit utilis, Confeſſionem totius vitæ noſtræ generalem agamus. Ad illam peragendam obſtringere videtur nos ipſa neceſſitas, ne forſan tempore præterito elapſum nobis fuerit aliquod peccatum mortale inconfeſſum, aut præ ignorantia criminoſa, aut præ timore, aut præ pudore, ſeu alio quolibet modo reprehenſibili. Quot enim invaliditates & nullitates Confeſſionum evenire poſſunt, modò ex defectu Miniſtri ſeu Sacerdotis adminiſtrantis hoc Sacramentum in tribunali conſcientiarum noſtrarum, qui fortaſſis ſufficienti inſtructus non erit authoritate ligandi, atque ſolvendi; mox ex indiſpoſitione noſtri ipſorum, qui forſan tanto non afficiemur dolore, & tam ingenti contritione qualem habere nos convenit, ut pœniteat nos offendiſſe Deum; nec qui firmum præ nobis feremus propoſitum recipiendi nos in bonam emendatæ vitæ frugem, & declinandi ab occaſionibus perniciosis quæ nos ſic perſæpè in crimen induxerunt patrandum; aliquando ex aliis circumſtantiis iſtud Sacramentum irritum efficientibus? Maximè igitur proficuum eſt, imò neceſſarium aliquando Confeſſiones peractu generales, quibus reparentur defectus qui evenire potuerunt in Confeſſionibus præviis ſive è Confeſſario, ſive è nobis. Præterquàm quòd ex eâ multa haurimus commoda; ex illa egredimur ut è fornace ſplendentes claritate, ut incipiamus vitam novam & ſanctis ardoribus plenam; ex ea educimus pacem interiorem, & tranquillitatem conſcientiæ, quæ quandam habet convenientiam cum *pulchritudine* q Iſai. 32. *pacis, & requiè opulentâ* q Beatorum. Tandem, 18. Confeſſio largitur nobis gratiam in hoc mundo, ut aliquando impertiatur nobis gloriam in altero.

FERIA II.

POST DOMINICAM II. ADVENTVS.

Deſcende, peccavit populus tuus, Feceruntque ſibi vitulum conflatilem, atque dixerunt, Iſti ſunt dii tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Exod. 32. 7. &c.

a Prov. 16. DEus qui media inter noſtra commoda ſuam 4. vult invenire gloriam a, quæ eſt objectum excellentiſſimum omnium operationum ſuarum ad extrà, præbens nobis eſſe, ditat illud omnibus qualitatibus, quæ ipſum poterant perficere, noſtramq; magnificans naturam ſupra omnia creata, nihil exigit à nobis pro his omnibus dignitatibus, quæ nobis ſunt propriæ, niſi gratiarum actiones. Propter hunc eminentem finem, liberum nobis linguæ largitur uſum, quæ eſt interpres cordis, ut medio hoc exiguo inſtrumento fungamur præcipuis muniis noſtris, & maximæ ſatisfaciamus obligationi noſtræ, quæ ſita eſt in rependendis ipſi pro beneficiis ab ipſo ſuſceptis, gratiarum & laudis actionibus. Et ſanè profanare foret hoc b. Iſai. 42. membrum, ad Deo laudes concinendas deſtina- 8. tum, ac illud uſui applicare profano, & Deus, qui ait, *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus* b, nunquam patietur ut ex origine benedictionem emanent blaſphemiæ, quæ animantes zelum ipſius, juſtiſſimam conſtituunt iræ ipſius cauſam. Si verò Themiſtocles capite plectendum decrevit Interpretem quemdam, eò quòd linguam Græcam adhibuiſſet ad explicanda mandata Legatorum quorumdam barbarorum in detrimentum propriæ nationis ſuæ, quomodo non puniret Deus eos, qui linguas, quas ſuſceperunt à Deo, inſumunt ad uſus profanos, impendentes organum gloriæ ipſius ad proferendas blaſphemias contra ſanctũ ipſius nomen? Re verâ nimio diceretur zelo, ne peccatum iſtud deſerat impunitum. Filii verò Iſraël hujus criminis conſcii, illius jure merito vereri debent ne ſibi infligatur pœna. Sed cùm dicat Deus, *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat* c; c Ezech. 33 ideò dicit Moyſi, *Deſcende, peccavit populus tuus.* 11. Moyſes *aſcendit* d *per contemplationem, iterùm de-* d ex Exod. *ſcendit per compaſſionem*, ait à Kempis e, ut me- 24. 12. deatur blaſphemiis populi Iſraël. Non imitemur e à Kempis part. 2. hunc populum, ſed adhæreamus Virgini Deipa- tom. 1. ræ, quæ nunquam ſuum aperuit os niſi ad laudes Medit. 15. Dei, componens ſuum *Magnificat* f, poſtquam f Luc. 1. 46 dixit ipſi Angelus, *Ave Maria.* & 28.

Deus, cujus voluntas g, potentia h, & g Pſ. 113. 3. ſcientia i ſunt una & eadem res cum ipſo, ſic h Pſ. 64. 7. *omnia in menſura, & numero, & pondere* k diſpo- i Baruch 3. 32. ſuit, quæ *cœli ambitu* l continentur, ut univer- k Sap. 11. 21. ſa operentur in mundo conformiter ad naturam l Eſth. 13. ſuam, & juxta ordinem ipſis ab eodem Deo con- 10. ſtitutum, *Ordinatione tuâ perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi* m. Sol ſemper eſt in motibus m Pſ. 118. ſuis regularis, nedum deſit diebus ſingulis ſuâ nos 91. illuminare præſentiâ. Luna quæ eſt ejus Vicaria in regno tenebrarum, ſuam nocte diffundit nobis lucem mutuatam à Sole; conſtans eſt illa ſemper in ſua inconſtantia, nedum diſcedat tantiſper ab ordine ipſi præſcripto à Deo: Sua obeunt ſtellæ munia: & ſuis cœli momentia ſingulis cumulant nos influentiis ſuaviſſimis, nedum continuus ipſorum motus ipſos inducat ad inclinandum ad quietem, quam non intendunt, ne aliquid peragant contrarium ordinibus ſibi à

Deo

Digitized by Google

Deo præſtitis, ſic exactam præ ſe ferunt obedientiam: Suas obſervat terra tempeſtates: Agri verno vireſcunt tempore: Prata variegatâ ornantur diverſitate florum, qui in admirationem noſtros rapiunt oculos ſicut & animos: Aves concinunt in ſylvis: Tandem, Nulla eſt creatura in cælo & in terra quæ ſuum non laudet Creatorem, *Cæli enarrant gloriam Dei* n. Solus homo prælatus à Deo omnibus creaturis, earum omnium eſt ingratiſſimus; & cùm plus ſuſceperit, minus reddit. Non enim Deo ſatis viſum fuit dare illi eſſe cum lapidibus, vitam cum plantis, ſenſum cum brutis, præbet ei etiam præ ſingulari privilegio intelligentiam cum Angelis, quæ ingratitudinem ipſius eò efficit majorem, quò beneficia erant inſigniora. Nam quæ prodigia majorem inducentia ſtuporem quàm effectus animi illius? Viſitat animus iſte univerſas orbis regiones, nec tamen locû mutat: Subſtantias pervadit indiviſibiles: ſuâ naturam vincit induſtriâ æquè ac perficit: Tempus anticipiat conſiliis ſuis, & illud memoriâ ſuâ revocat: In humanarum ingreditur commercium rerum, ut earum percipiat emolumenta, nec tamen experiatur jacturas quæ eas comitantur: Et quòd poſt hæc omnia his omnibus utatur prærogativis ad offendendum eum, qui iſtis ipsū cumulavit, crimen eſt minori veniâ dignum, quò majori ſcatet malitiâ. Inſigniſſima naturæ hominis proprietas, & differentia maxima quæ illum diſtinguit à brutis, ſita eſt in eo quòd ſolus inter creaturas inferiores notitiâ Divinitatis ſit inſtructus. Sicut omnes res maximos inſumunt virtutis ſuæ conatûs ut benè obeant actiones ipſis proprias; V. g. aër & ignis vim omnibus inferunt reſiſtentiis, ut concilient extenſionem calori ſuo adæquatam: Fluctus elevant ſuos fluvii, & magno impetu frangunt obſtacula, quibus impediri poſſent ne ad mare veloci fluctu pergerent: Magnes ſuam gravitatem ſuperat naturalem ut ſe coram ſuo polo conſtituat: Flores veluti è ſtupore excitantur & evigilant communi vegetantibus, ut ſe explicent, ſeque ſpecioſos exhibeant in conſpectu Solis: Sic omnes ſuas vincere deberet homo inclinationes, ut ei ſatisfaceret ſoli, quam Deus ipſi indidit, laudandi ipſum & reddendi ſe ſemper magis gratum Divinæ ipſius majeſtati. Sed heu! ingratus iſte in omnibus quærit excutere jugum obedientiæ ei reddendæ ut ſupremo Domino ſuo, qui efficit ut omnes creaturæ obſequium ipſi impendant, nedum tamen ipſe hæc agnoſcat beneficia. Nam cœlum ſuas præbet ei influentias, terra producit ei fructus, aër ſe pulmonibus ejus exhibet reſpirandum, animalia illi ſerviunt, omnes creaturæ labores ſuos in illius refundunt commoda, ut, ſicut omnia naturæ bona referuntur ad illum, ſicut eorum ſuſcipit emolumenta ac proventus, ita ſuas exhibeat reverentias ei qui eſt eorum primū *Principium* o. Ipſe qui eſt primum objectum Amoris ſui p, quique *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* q: illum *formavit de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ* r ob eum finem ut ſibi ſerviret; & ſibi eaſdem rependeret in terra laudes, quas ipſi exhibent in cœlo Beati s. Ita ut cùm habeat eſſe, nec illud ei conſervetur niſi cum illo penſo ut ſerviat Deo, facilè viſu ſit hanc functionem eſſe præcipuam ex muniis quibus debeat vacare; illum nullo jure vigere appropriandi ſibi ſuarum uſus potentiarum, nec faciendi eas inſervire ſuis commodis ſpecialibus, antequàm his graviſſimis ſatisfecerit obligationibus. Illis autem non poteſt meliùs perfungi quàm per actiones gratiarum & laudum quas exhibere debet Deo; qui ideò præbuit ei liberum uſum linguæ ut eam impenderet ad ſe laudandum & benedicendum, non autem ad ſe maledicendum & blaſphemandum, quod eſt maximum crimen, de quo ut ampliùs vobis diſſeram, Oſtendam Primò vobis gravitatem blaſphemiæ. Secundò, Exhibebo vobis horrorem ejus è gravitate pœnarum illius.

n Pſal. 18.

o Apoc. 1. 8.
p Ioan. 15. 26.
q Prov. 16. 4.
r Gen. 2. 7.
s Iſai. 6. 3. & Apoc. 7. 9. &c.

Diviſio

Sicut pro comperto eſt, eas virtutes ſublimiſſimas eſſe, quæ maximè nos efficiunt ad Deum accedere, qui eſt origo totius boni t, & principium omnium perfectionum u: Sic nemo ambigit ea peccata eſſe maxima & deteſtabiliſſima, quæ maximè nos ab eo elongant, cùm receſſus à Deo, averſio ab eo, faciat formale peccati, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* x; & ſit cauſa omnium infœlicitatum; & ſic nullus eſt qui non videat blaſphemiam eſſe graviſſimum & enormiſſimum crimen, cùm immediatè dirigatur ad Deum, quem intuetur ut objectum contemptus ſui; eum nobis reddat infenſum, & inducat eum ut recedat à nobis ut ab inimicis detrahentibus honori ipſius; ſive recuſando ipſi id quod debitum eſt perfectionis naturæ ipſius Divinæ, ſive ipſi imponendo id quod repugnat excellentiæ ipſius Divinæ, ſive attribuendo creaturæ illud quod ſoli convenit Creatori; quæ ſunt tria genera blaſphemiæ, quæ ſic gravis eſt ut Scriptura y dicat, quòd *Spiritus blaſphemia non remittetur.*

t 1 Part.
t Exod. 33. 19.
u Iacob. 1. 17.
x Iſai. 59. 2.

Prima ratio quæ oſtendit gravitatem hujus peccati, eſt, Quia Deus offenditur in propria perſona; inſurgit in eum blaſphemus immediatè. Cùm quis furatur, occîdit, fornicatur, offendit quidem Deum, cùm amor quo ipſe ſuas diligit creaturas, efficiat ut injurias illis illatas reputet veluti ſibi irrogatas, quia injuria illata ſervo, redundat in Dominum; ſed blaſphemus inſurgit in ipſummet Deum. Prætereà, Id quod iſtius extollit gravitatem peccati, eſt, quòd in aliis peccatis non offendit quis Deum niſi quaſi invitus, & præter intentionem, non habet ferè voluntatem peccandi; & vellet quidem poſſe non peccare: Voluptuoſus qui deliciis diffluit, cùm ſuis laxavit habenas concupiſcentiis, non cogitat de Deo, ſolis quærit ſuis ſatisfacere ſenſibus, & voluptates ejus ſunt criminoſæ & Deum offendunt quaſi præter ipſius invíti intentionem; Furando latro ſuam ſatagit ſublevare miſeriam; Iracundus ulciſci vult injuriam, cujus venia generoſitati ipſius detrahens, injurioſa foret honori ipſius, quem ipſe vult cuſtodire exponens ſe vitæ profligandæ periculo (hæc eſt opinio erronea, qua decipiuntur indiſcriminatim homines mundani) Deus autem non offenditur in iſtis, ut videtis, niſi indirectè; Deum impetit, inſurgit in illius attributa, & ulciſci ſe vellet de juſtitia, quæ ipſum punit. Tandem, Blaſphemia eſt peccatum reproborum & dæmonum, qui rabie & furore perciti æquè ac deſperatione nihil aliud agunt niſi ut maledicant & blaſphement Deum qui ipſos mulctat, *Commanducaverunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemaverunt Deum cæli, præ doloribus & vulneribus ſuis* z.

y Matth. 12. 31.

z Apoc. 16. 10.

Deinde, Peccatum iſtud eſt immodicum; quia rectæ adverſatur rationi, & è diametro eſt juſtitiæ oppoſitum. Contrarium eſt rationi, quæ inducit omne agens ut operationem ſuam ad aliquem dirigat finem, *Omne agens agit propter finem.* Superbus proponit ſibi honores, dignitates, magnitudines; ambitioſus aucupatur officia ſpecioſa; avarus theſauros quærit & divitias quæ ſunt finis laborum quos haurit, & ſudorum quos emittit; guloſus lautas concupiſcit dapes; voluptuoſus delicias carnales, ſatisfactionem ſenſuum animalem, & ſic de omnibus aliis qui ſibi proponunt fines, ad quos ter-

terminan-

Digitized by Google

minentur actiones ſuæ. Solus blaſphemus privatur voluptate, honore, ſatisfactione, divitiis, commodis, deliciis, nec iſtis potitur quantùm ad corpus, nec quantùm ad animam, cùm peccatum iſtud ad inhonorandum duntaxat Deum tendat. Quid magis rectæ diſſonum rationi? Adverſatur peccatum iſtud etiam juſtitiæ, cùm privet Deum honore & reverentiâ quæ ipſi debentur, quæque tenetur homo ei exhibere veluti vaſſallus ſupremo Domino ſuo, *Ego ſum Dominus Deus tuus* a, &c. Et propereà peccatum iſtud eſt omnium aliorum maximum & graviſſimum, ait S. Chryſoſtomus b, *Nihil ſceleſtius blaſphemiâ.* Et alibi c, *Omne peccatum remittitur, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittitur.* Et paulò poſt, *Blaſphemia irremediabile peccatum eſt.* Ita ut blaſphemum inducere veluti deberet ad deſperationem formalem de Divina miſericordia, aut ſaltem ad bonam emendatæ vitæ frugem, & ad flectendam juſtitiam Dei quem offendit.

a Exod. 20. 2. &c.
b S. Chryſoſt. hom. in Pſ. 95.
c Idem. hom. 10. ex c. 12. 31. Matth.

Non eo inficias quin omnia peccata ſint gravia, cùm privantia animas noſtras gratiâ, iis mortem inferant, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* d, & tandem eas *in ſupplicium æternum* e projiciant, ut ibi victimæ exhibeantur Divinæ juſtitiæ in æternum, niſi reſipuerint. Verû eſt, omnia peccata ſunt magna; ſed blaſphemiæ peccatum eſt omnium peſſimum, ait S. Thomas f, ea omnia ſuperat, univerſa antecellit, cunctis ſupernatat maliriâ. Majus eſt peccato Paganorum, Idololatrarum, homicidarum, hæreticorum, & Judæorum, quæ peccata ſunt maximè abominanda; majorem tamen præ ſe fert blaſphemia enormitatem, & conſequenter plus invehit ſecum criminis quàm ſupradicta. Paganus, Turca, Infidelis negant Chriſtum, Virginem Deiparam, & Sanctos; imaginantur ſe ritè agere; ſuam juſtificant fidem rectâ intentione quam præ ſe ferre autumant; gravi hallucinantur errore, & ignorantia eorum minus habet criminis, ut fatetur de ſe S. Paulus g, *Ignorans feci in incredulitate.* Sed blaſphemus credit in Chriſtum, in Virginem Dei Genitricem, & in Sanctos, & tamen eos negat, iis maledicit, & illos blaſphemat; & loco honoris, nihil eis exhibet niſi contemptus. Quid indignius? quid gravius? quid enormius? Idololatria ſolum eripit Deo honorem, ipſi debitum, & Virgini ſacratiſſimæ ac Sanctis reverentiam, ipſis jure merito impendendam; & præbet creaturæ id, quod ſoli attribuendum eſt Creatori; ſed blaſphemia non ſiſtit ibi, ultrà progreditur, quippe quæ dedecus addit, ac infamiam infert.

d Ezech. 18. 4. & 20.
e Matth. 25. 46.
f S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 3.
g 1. Timot. 1. 13.

Heu! quale monſtrum producit nobis infernus! Peccatum dæmonum evaſit ſcelus hominum, & ſola ſuperſunt ſupplicia ut iſti efficiantur diaboli. Hæreticus ſuo deceptus errore credit quòd id omne, quod ipſe ait, & ſentit de Chriſto, de Virgine beatiſſimâ, & de Sanctis, eſt veritati ſanæ conſonum, nec ullus eſt mentis compos integræ qui vellet aſſerere rem aliquam ut veram in materia fidei & religionis, niſi eam talem crederet. Si hæreticus dicat, Chriſtum non eſſe realiter in Euchariſtia, ideò quia ſic credit; error eſt in intellectu ipſius, alioquin non ita crederet; ſi autem ſuum errorem deponeret, proculdubio fidem omnino contrariam conciperet: Sed blaſphemus ut ſuæ adhæreat rabiei & phreneſi, dicit, & agit id quod ipſe non credit, atrociſſimum omnium perpetrat criminum, ut ſuæ ſatisfaciat paſſioni, quæ ipſum tranſmutat in dæmonem, in animam damnatam, cui proprium eſt jugiter blaſphemare. Heu execrabile peccatum! horrore infremo, & ſtupore cor, quomodo homo præ ſe ferat ſatis malitiæ ut illius ſe conſcium efficiat. Homicida rabiem ſuam expleturus, odio ſatisfacturus ſuo, vellet quidem ſe de ſuo ulciſci inimico, & furorem ſuum ad interitum illius terminare, hic eſt pravorum ipſius conſiliorum ſcopus, non cogitat de Deo, nollet eum offendere, ſi injuria unius non ſociaretur alteri. Iſtud eſt verum. Si autem hos alloqueremini deſperantes, qui arenam ſuorum purpurare volunt ſanguine inimicorum, idem prorſus aſſeverarent ſinguli. Vix blaſphemus cietur furore, cùm ſtatim vellet, dicamne hoc? audebone id enunciare, cùm vellet illicò ſe ulciſci de Deo directè; eum inhonoraret, ſi poſſet; illi veluti bellum indicit *contra Omnipotentem roboratus* h, vellet ei honorem ipſius eripere, gloriam, & Divinitatem, quam ad nihilum contendit redigere. Non puto Auditores, enormius eſſe crimen in terra, nec in inferno, peccato blaſphemiæ; quin imò illo gravius perpetrare non poſſunt ipſi vel dæmones, etiamſi ſuis ſint aſſuefacti malitiis.

h Iob. 15. 25.

Traditur Jeſus *ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* i à Judæis per milites, ſed ſemper prout homo mortalis, & paſſibilis, in ſtatu humilitatis & depreſſionis, cùm pati non poſſent ut ſe diceret *ſedentem à dextris virtutis Dei*, ejuſque Filium, ſumentes illa verba ut *blaſphemiam*, quâ *reus mortis* k, quam illi deinde per milites Pilati intulerunt, ab ipſis judicatus eſt. Sed blaſphemus illudit ei, illum contemnit & inhonorat non ampliùs ut hominem mortalem & deſpectui obnoxium, ſed immortalem l, impaſſibilem, & glorioſum in cœlis m. Judæi non agnoverunt eum Deum, alioquin nunquam tali ſe inquinaſſent Deicidio; illorum crimen ignorantiâ prætexit Apoſtolus n, *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Sed blaſphemi non peccant præ ignorantiâ; fatentur Divinitatem, quam ſuis irritant criminibus. Judæi Chriſtum ſemel cruci per milites ſuffixerunt o; ſed blaſphemi eundem *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* p, centies diebus ſingulis, imò millies linguis ſuis malignis ei mortem nefandam inferunt. Heu! miſer peccator toties renovas vulnera illius, dolores, & paſſiones, quoties eum offendis; toties eum ſuffigis cruci, quoties illum blaſphemas. De te, de tua injuſtitia, & de injuria à te ſibi irrogata, Patri ſuo queritur æterno, *Quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt; & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt* q. Tandem Blaſpheme maledicte, crimen tuum non eſt minus Judæorum facinore, imò poſſem ego aſſerere illud eſſe majus eo propter circumſtantias illud aggravantes. Ego autem jure merito exiſtimo infallibilem eſſe æternæ reprobationis notam ac illi blaſphemiæ vitio graviſſimo aſſueſieri, nec à recta ratione me aberrare, aut temerarium eſſe judicium meum autumo, ratus hos peccatores infames alterum jam pedem ſuum in infernum immiſiſſe, & in eo ſumpſiſſe domicilium, cùm ſic apprimè illius exerceant conſuetudines; eos converſari cum dæmonibus, cùm ſic articulatè & correctè illorum idioma pronuncient, & loquelam eorum in medium promant; & ſic verum eſt quòd nemo meliùs novit ſtatum damnationis & æternæ reprobationis alicujus quàm per blaſphemiæ peccatum, cùm ore ſuo infami has evomit imprecationes, quæ horrore ſuo ipſi vel inferno fremitum incutiunt. Dicite enim mihi, ſi placet; quomodonam poſſetis vos meliùs aliquem cognoſcere hominem, qualis ipſe ſit, & unde ſit ortus, quàm è ſermone ipſius?

i Matth. 20. 19.
k Matth. 26. 64. 65.
l 1. Timot. 1. 17.
m Pſ. 90. 10.
n 1. Cor. 2. 8.
o Ioan. 19. 18.
p Hebr. 6. 6.
q Pſ. 68. 27.

Miniſtri Pontificis, aut Paſſionis Chriſti nunquam cognoviſſent utrùm S. Petrus Galilæus eſſet, niſi locutus fuiſſet; verbum ipſius illum manifeſtavit, & vix dixit, *Non novi hominem*, cùm ſtatim dicti ei *dixerunt, Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua* mani-

Digitized by Google

r Matth. 16.73.

manifeſtum te facit r. Ingenuè vobis loquor, Auditores. Deus fecit & diviſit quidquid erat ilbus mundi, in quo continentur omnia, in tres Provincias præcipuas, quarum prima eſt cœlum, ſecunda terra, tertia verò infernus. Unaquæque ſuam habet loquelam propriam. In provinciâ cœli non fit ſermo niſi pacis, laudum, & benedictionum; Hæc eſt loquela Beatorum dicentium Deo, *Beati qui habitant in domo tuâ Domine; in ſecula ſeculorum laudabunt te* s.

s Pſ. 83. 5.

Sic *cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore: non eſt auſus iudicium inferre blaſphemia, ſed dixit, Imperet tibi Dominus* t.

t Iudæ v.9

Quia non eſt hæc loquela cœli, quod non novit niſi laudes proferre. In provinciâ mundi ſuper terrâ diſcurritur de rebus depreſſis., *Qui de terrâ eſt, de terrâ loquitur* u.

u Ioan. 3. 31.

Unuſquiſque ibi ſuo loquitur modo; & juxta morem nationis & patriæ, in mundo de divitiis, de honoribus, & de voluptatibus, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* x.

x 1. Ioan. 2.16.

In Provinciâ inferni loquuntur reprobi & damnati de maledictionibus & blaſphemiis, quas vomunt ipſi contra Deum, & Sanctos, ut ait Iſaias, *Cum eſurierit, iraſcetur, & maledicet Regi ſuo* y. Id eſt, *Chriſtum blaſphemando*, ait Gloſſa Ordinaria in Morali, poſtquàm verbo Iſaiæ, *corruet* z, ſuperpoſuit, *in damnationem.*

y Iſai 8 21.

z Idem Ibid.

Ecce, Auditores, tres Provinciæ, veſtrûm eſt nunc judicare cujuſnam ex tribus ſitis incolæ. Explorate conſcientiam veſtram, aut pulſum veſtrum. Si velitis ſcire ex quânam ſitis Provinciâ, intuemini quinam ſit ſermo veſter ſingulis diebus. Si loquimini de Deo præ reverentiâ, ſi veſtris eum honoratis laudibus, ſi hymnos illi concinitis, eſtis è Provincia cœli, vos eſtis jam per ſpem incolæ paradiſi. Si non loquimini niſi de vanitate, de ambitione, de honoribus conſequendis, de divitiis ſectandis, & de deliciis amplexandis, vos eſtis è Provincia mundi. Si nihil audiatur veſtris in domibus præter maledictiones & blaſphemias, injurias & infœlicitates, detractiones & ſeditiones inter virum & uxorem, & liberos & familiares, quid aliud dicere æquè ac inferre poſſum præ veritate, niſi vos eſſe è Provincia inferni, & animarum reprobatarum & dæmonum, cùm ſic apprimè damnatorum & diabolorum idioma loquamini?

Noſtris ſatisfaciamus, Auditores, obligationibus; noſtris æquum eſt ut perfungamur muniis, niſi ingratitudinis labe infici velimus; quia, ut ait Seneca a, *Ingratus eſt qui non reddit; ingratiſſimus omnium qui oblitus eſt.* Quicumque ſuſcepit beneficia, mutuas benefactori ſuo debet vices rependere ſaltem per actiones gratiarum, aut laudum, niſi poſſit aliter. Quid? eritne minus gratitudinis in nobis quàm ſit in brutis? Patiemurne ut illa edoceant nos, & ut praxibus ſuis noſtras damnent ingratitudines? cùm inter beſtias inveniantur etiam gratitudinis ſymbola, ut videre eſt in cane. Ha? tot & tanta ſuſcepimus à Deo beneficia, ſic ei obſtricti ſumus tot titulis, qui nos ad impotentiam redigunt eorum agnoſcendorum; inſumemuſne ejus beneficia ut iis illum offendamus? Quouſque exacerbabimus noſtris ingratitudinibus illum, qui nos tantis cumulavit beneficijs? Pro totâ gratiarum actione vult & exigit à nobis ut ipſum honoremus, ut ipſi reverentiam exhibeamus, ut præbeamus ipſi laudes, ut ora noſtra nihil aliud jugiter promant niſi benedictiones ad compenſandas modo nobis poſſibili gratias, quibus divina ſua Bonitas ſine ulla intermiſſione dignatur nos cumulare, cùm amor amore reciproco ſit compenſandus.

a Senec. lib. 3 de Benefic c. 1.

Et has debemus ei jure merito, *Omni tempore benedic Deum*, ajebat Tobias b filio ſuo. Propter hunc enim finem eminentem præbita nobis eſt lingua, *Dedit mihi Dominus linguam, in ipsâ laudabo eum*, dicebat Eccleſiaſticus c. Et S. Paulus d præcipit nobis ut benedicamus ei ſemper, & declinemus à maledictione & à blaſphemiâ ut ab atrociſſimo omnium criminum, & ab enormiſſimo omnium peccatorum, *Benedicite, & nolite maledicere.* Hæc erat praxis Prophetæ e dicentis, *Benedicam, Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Sicut etiam & ſancti Viri Job f, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Iob labiis ſuis: neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt.* Audiſtis gravitatem blaſphemiæ; ſupereſt nobis videndum qualis ſit illius horror è gravitate pœnarum ipſius.

b Tob. 4. 20.

c Eccli. 51. 30.

d Rom. 12.14.

e Pſ. 33. 2.

f Iob 1. 21. & 22.

II. Pars.

Horror blaſphemiæ ſic rectæ adverſatur rationi, ut nullus unquam fuerit populus, quantùm vis barbarus & inhumanus, qui decreta non protulerit de infligendis pœnis & ſupplicüs hominibus hujus peccati conſcijs. Quin imò ipſi Pagani ſolo lumine g rationis naturalis illuſtrati, & veræ fidei lampade deſtituti, eos nuncupabant ſacrilegos, qui nomen Dei præ deſpectu proferrent, illudque perjurijs inſervire facerent, & legibus ſuis caverant ut unuſquiſque in hujuſmodi profanatores nominis Dei inſurgeret zelo armatus, & licitè pœnas expoſceret, quin & vindictam capeſſeret de tali crimine quod præ horrore ſua ipſum Solem caligine & eclypſi poteſt offundere.

g Pſ. 4. 7.

S. Chryſoſtomus h ait & permittit idem, imò verò provocat nos ad puniendos delinquentes hoc genere blaſphemiæ, ad colaphos eis impingendos, niſi verba ſufficiant, & ad noſtras ſanctificandas manus alaparum inflictione, *Poſtquàm de blaſphemiâ vobis verba nunc facta ſunt, unam vos omnes petere volo retributionem pro concione hâc atque ſermone: ut in civitate blaſphemantes mihi caſtigetis. Et ſi quempiam in bivio & foro Deum blaſphemantem audieris, accede, increpa: & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes: ipſius faciem alapâ percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica. Et ſi ulli accuſaverint, & ſi in carcerem traxerint, ſequere: & ſi pœnas Iudex pro tribunali repopoſcerit, dic cum libertate, quòd Angelorum Regem blaſphemavit. Si enim Regem terræ blaſphemantes puniri oportet, multò magis illum contumeliâ afficientes.* Honor Dei vos ad hunc obſtringunt zelum, & hanc injuriam ſuſtinere non potetis, quin illius conſcij efficiamini præ veſtro ſilentio.

h S. Chryſoſt. hom. 1. ad popul. Antioch.

Hebræi ſic religioſè magnum Dei nomen Tetragammaton i reverentur, ut ne vel illud proferre audeant. Cujus reverentiæ rationem Cornelius k ſubdit, cùm ait, *Hoc nomen dici ineffabile, eò quòd ab Hebræis haberetur ſacratiſſimum, & ſummè venerabile, tanquam nomen Dei primarium, proprium & eſſentiale, quod eſſet fundamentum & radix aliorum omnium nominum Dei, eò quòd hoc nomen ſignificat ipſam immenſam eſſentiam & maieſtatem Dei incomprehenſibilem, à quâ cætera omnia promanant.* Heu! Auditores, ſi Judæi timore percelluntur, nec oribus ſuis ipſum Dei nomen audent pronunciare, ut ei vel laudes præbeant, quanam merentur pœnas ii qui ſacrilego illud profanant modo? Judicate quantus ſit horror hujus peccati blaſphemiæ è pœnis quas de illo

i Exod. 6. 3.

k Cornel. in Exod. 6. 3.

Digitized by Google

expoſcit & ſumit Deus. Lege Levitici l crevebatur, ut blaſphemus lapidibus impetitus, moreretur, *Educ blaſphemum extra caſtra, & lapidet eum univerſus populus.* Hujus Legis rationem reddit Theodoretus m, *Merito hiſce de blaſphemiâ legibus, homicidij legem aptavit: quia blaſphemator Creatorem cùm interficere non poßit, linguâ ferit.* Non vos latere debet quomodo ubi *Sennacherib Rex Aßyriorum* n blaſphemavit ſacrum Dei nomen in obſidione Hieroſolymitanâ, *factum eſt in nocte illa, venit Angelus Domini, & percußit in caſtris Aßyriorum centum octoginta quinque millia. Cùmque diluculò ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit. Cùmque adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech, & Saraſar filij ejus percuſſerunt eum gladio* o. Cur credetis quòd Judith Holofernis *percußit bis in cervicem, & abſcidit caput ejus* p? niſi ob blaſphemiam illius, quippe qui daret omnem gloriam Deo debitam, Regi Nabuchodonoſor, quem agnoſci volebat ut ſummum Dominum, & ſolum Deum, *Ut ſciat omnis gens quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt* q. Ha! qualem blaſphemiam quæ mortem illi manu mulieris infestendam ſecum invehit! Quin imò Moyſes, qui erat ipſa manſuetudo, *Erat enim Moyſes vir mitißimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* r, qui de monte *iterùm deſcendit per compaßionem*, ut ſupra dixi, juxta à Kempis, intuitu peccati populi ſui; zelo ductus adversùs blaſphemos, *ait, Si quis eſt Domini, iungatur mihi, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Levi iuxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ quaſi viginti tria millia hominum* s propter blaſphemiam ipſorum.

l Levit. 24. 14.
m Theodoret. q. 33. in Levit. 24. 14.
n 4. Reg. 18. 13. &c.
o 4. Reg. 19. 35. &c.
p Judith 13. 10.
q Judith 5. 29.
r Num. 12. 3.
s Exod. 32. 26. &c.

Julianus Apoſtata qui præ contemptu nuncupabat ordinariè Jeſum Chriſtum Mariæ filiū, vulneratus in bello Perſico plagâ deſuper ſum inflictâ fuit, ait Theodoritus t, *Ferunt porrò, ipſum Tyrannū, ſimul ac plagā acceperat, manū protinus ſanguine impleviſſe, illumq; proieciſſe in aërem, ac dixiſſe: Viciſti Galilae, & ſimul tum confeſſum eſſe victoriam & blaſphemiam (adeò enim à mente abalienatus erat) in Deum impudenter locutum.* Ablatus fuit aliàs puer è brachiis paternis, eò quòd os ſuum aperuiſſet ad blaſphemiam, antequàm liberū haberet uſum linguæ ad proferendam eam. Et S. Paulus zelo accenſus nonne excommunicavit Hymenæum & Alexandrum, & ſic expoſuit *excommunicatos poteſtati diaboli ut eos corporaliter* vexaret? ut exponit Dionyſius Carthuſianus u ſuper hæc ejus verba, *Quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Id eſt, *per experientiam pœnarum ſuarum.*

t Theodoret. lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. c. 20.
u Dion. Carth. art. 1. in 1. Timot. 1. 20.

Ab hoc ſic abhorrebant Hebræi blaſphemiæ crimine, ut ad oſtendendum dolorem ſuum, ſuas præ triſtitiâ lacerarent veſtes ad ſolam illius pronunciationem, ut fecit ſummus Sacerdos, cùm adjurato *per Deum vivum* Jeſu, ut diceret utrùm ipſe *Chriſtus Filius Dei* eſſet, & reſpondiſſet ei *Ieſus, Tu dixiſti; tunc ſcidit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemavit* x. Unde autem creditis, quòd eveniant nobis tot mala, tot jacturæ, tot infœlicitates, tot infortunia in familiis? tot ſeditiones, tot bella, tot inopiæ? Dicetis mihi, E peccato, *Propter peccata veniunt adverſa.* Verum eſt. Sed ſicut peccatorum omnium eſt blaſphemia maximum, ita illud exiſtimo eſſe omnium malorum noſtrorum infauſtam originem, ut refertur aliàs revelatum Roberto Gallarum noſtrarum Regi; Orante enim illo in templo coram Crucifixo, inde vox dicitur erupiſſe articulata, quæ ei enunciaverit, Regnum ipſius nunquam pace fruiturum, niſi priùs ab illo procul amandaſſet peccatum blaſphemiæ, quod erat tota cauſa quæ bellum fovebat.

x Matth. 26. 65. &c.

Magne S. Ludovice ubi eſt zelus tuus? Quid diceres, ſi iterùm redires in mundum, videns blaſphemias tuæ nationis? Ut quid non vigent adhuc decreta tua, quæ comprimant impudentiam tot criminoſorum, qui irritant cœlum, & inducunt illud ut ſua vibret jacula, quibus ipſorum multet ſcelera? Quare non perforatur eis lingua ferro calido? ſicut ſanctè decreveras fieri blaſphematoribus.

Peccatum iſtud ſic eſt horribile ut S. Matthæus y aſſerat, quòd *ſpiritus blaſphemia non remittetur.* Ubi eſt obſervanda differentia inter blaſphemiam & ſpiritum blaſphemiæ. Blaſphemia poteſt ignoſci, non autem ſpiritus blaſphemiæ, ſeu voluntas prava blaſphemandi non præ fragilitate, timore, aut ignorantiâ, ſed purâ malitiâ, quæ ſibi complacet & vult voluntariè permanere in hoc ſtatu præ damnabili conſuetudine, & ſic eſt irremiſſibilis; cùm nulla ſit venia ſine conſenſu voluntatis peccatum ſuū deteſtantis. Littera Græca loco, *Spiritus blaſphemia*, legit, *Spiritus blaſphemia.* Sic etiam vertit Dionyſius Carthuſianus z, *Itaque cùm dicitur, Spiritus blaſphemia, ſenſus eſt, ipſius Spiritus ſancti blaſphemia, ſeu blaſphemia contra eū.* Hæc *Spiritus autem blaſphemia*, ait idem Carthuſianus, *Hoc eſt, blaſphemia procedens ex certâ malitiâ, ex impugnatione agnitæ veritatis, ex invidentiâ fraternæ gratiæ, quæ vocatur blaſphemia contra Spiritum ſanctum, cui appropriatur bonitas, amor, & liberalitas, non remittetur, id eſt, ex ſe irremißibile crimen eſt, quoniam nullam habet excuſationem, & obviat principio, quo fit peccati remißio, ſcilicet bonitati, charitati, ſeu pietati. Ideò dicitur irremißibile, non quaſi nequaquam remißibile, ſed quoniam difficulter & rarò dimittitur: non ex immiſericordiâ Dei, ſed quoniam homines de tali peccato rarò & difficillimè pœnitent.*

y Matth. 12. 31.
z Dion. Carth. art. 24. in Matth. 12. 31.

S. Thomas a ait, peccatum contra Spiritum ſanctum eſſe irremiſſibile, aut quia poſt iſtam vitam nulla ſupereſt pœnitentia; aut quia nobis eripit id quod efficit ut veniam conſequamur; vel quia tantam præ ſe fert malitiam, cùm ſit voluntarium, ut nullam mereatur remiſſionem. Reſpondeo cum S. Thoma, quòd ſi per peccatum in Spiritum ſanctum intelligitis impœnitentiam finalem, verum eſt illud non remitti, non quòd Deus non poſſit illud dimittere, ſed quia veniam non meretur, cùm ſit peccatum malitiæ. Qui aliàs negabat divinitatem Chriſti nondum revelatam, aliquam præ ſe ferebat excuſationem, cùm ſolam videret ejus humanitatem; ſed qui negabat ejus divinitatem attribuens opera ejus diabolo b, nullam habebat excuſationem. Et hoc peccatum, ait S. Chryſoſtomus c, dicitur non remitti Judæis in iſto mundo, neque in altero, quia ſuorum pœnas luerunt criminum in hoc mundo per Romanos, & in altero torturas ſuſtinebunt inferni. Sanctus Athanaſius d affert exemplum eorum qui murmuraverunt e in deſerto contra Moyſen ob inopiam aquæ. Deus ſuſtinebat eos propter fragilitatem ipſorum; ſed cùm blaſphemaſſent, & attribuiſſent Divina beneficia idolis, dicentes, *Iſti ſunt dii tui Iſraël, qui eduxerunt te de terrâ Ægypti*, punita ſunt morte *cecideruntque quaſi viginti tria millia hominum.* Et pro futuro, *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum* f, ait Deus.

a S. Thom. 2. 2. q. 14. a. 3.
b Luc. 11. 15.
c S. Chryſoſt. citat. à S. Thō.
d S. Athanaſius Ibid.
e Exod. 17. 2. &c.
f Exod. 32. 7. &c.

Quod cùm ita ſit, Auditores, nimirum, quòd non

ſit

Digitized by Google

ſit peccatum enormius, nec horribilius blaſphemiâ, horreamus eam, moriamur potiùs quàm eo nos inquinemus peccato, nec patiamur unquam ut illud impunè coram nobis proferatur. Poſtquàm *Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit*; à Rege Nabuchodonoſor *poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abednego, diſpereat, & domus eius vaſtetur. Neque enim eſt alius Deus qui poſſit ita ſalvare* g. Ubi eſt zelus noſter? Patiemurne ut infideles edoceant nos munia noſtra? Superabuntne nos Judæi? qui ne audirent blaſphemias, *continuerunt aures ſuas* h, & ſcindebant *veſtimenta ſua* i, licèt hæ non eſſent blaſphemiæ, ſed blaſphemiæ creditæ & exiſtimatæ duntaxat. Fientne potent ut blaſphemias audiamus, quin blaſphemos corripiamus? nedum eis applaudamus. Quali vindictâ dignum eſt hoc crimen! Poſt hæc, mirabimurne ſi Deus noſtris deſerat nos in confuſionibus, ſi miſeriæ & infortunia nos circumquaque opprimant? Hæc omnia eveniunt nobis ex eo quòd honorem Dei & gloriam ejus non inquiramus. Nulla ampliùs eſt juſtitia quæ exerceatur intuitu offenſæ Dei. Diſſimulatis id quod peragitur, ut illud punire videamini non teneri, Domini mei Magiſtratus, quorum manibus ſuam commiſit Deus poteſtatẽ, cùm ſitis Vicarij ejus in terrâ; ſeveras expoſcet de vobis pœnas idem Deus. Ha! ubi eſt zelus veſter? Si injuria irrogetur alicui Viro nobili, unuſquiſque inclamat, *Tolle, tolle, crucifige eum* k. Leges non ferunt præ ſe ſatis rigoris ad puniendã hanc inſolentiã. Unuſquiſque cauſam honoris læſi Principis amplectitur, nec unquam melius jus exercetur. Abiſaï propriis manibus vult interimere Semẽi, quia maledicebat ſuo *Domino Regi* l. Non eſt zelus niſi in gratiam hominum; & nullus intuitu injuriæ Deo irrogatæ: *Canes muti non valentes latrare* m. Væ Superioribus ſuſtinentibus hæc crimina, quorum gravitas confuſione Solem operit, & efficit ut cœlum terræ ſit æneum. Væ Magiſtratibus, niſi ſuas acuant linguas, & ſuam inſumant potentiam ad amplectendam Dei cauſam. *Sagitta Potentis acuta, cũ carbonibus deſolatoriis* n. Unde S. Auguſtinus o, *Sagitta potentis acuta, verba Dei ſunt. Ecce iaciuntur & transfigunt corda: ſed cùm transfixa fuerint corda ſagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur. Accedunt carbones deſolatorij. Quare dicti ſunt carbones? Quia qui ſe convertunt ad Dominum, de mortuis reviviſcunt*, operâ linguæ charitativæ.

Heu! detrahitur Salvatori, & fama aufertur à *Ieſu Chriſto, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* p. Negatur Deus, ejus aſſumitur *nomen in vanum* q, & blaſphematur. Id ſcitis Domini mei Magiſtratus, iſtud auditis, & nihil dicitis. De veſtris queritur Deus conniventiis, *Nomen Dei per vos blaſphematur* r. Non aperitur os niſi ad proferendas blaſphemias execrabiles, & hæc omnia impunita deſeritis crimina. Heu! cumulum omnium infœlicitatum! opertos deſeret vos Deus confuſione & pudore, & omnia ſuccedent vobis ad jacturam veſtram. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Deum, blaſphemaverunt Sanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum* s. Declinemus ab his infœlicitatibus imminentibus capitibus noſtris, inſumamus linguam, quam nobis dedit Deus, ut benedicamus ei in hoc mundo, & aliquando in altero.

g Dan. 3. 49. &c.
h Act. 7. 54.
i Matth. 26. 65.
k Ioan. 19. 15.
l 2 Reg. 16. 9.
m Iſai. 56. 10.
n Pſ. 119. 4.
o S. Aug.
p Apoc. 1. 5.
q Exod. 20. 7.
r Rom. 2. 24.
s Iſai. 1. 4.

FERIA III. POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Sedit populus manducare, & bibere. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 6. &c.

Filii Iſraël luſuri die craſtinâ ludo impudicitiæ, ut exponam vobis tunc, ebrietatem præmittunt, *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Quæ ebrietas eſt tota & ultima diſpoſitio ad fornicationem, ut innuit Apoſtolus a, dicens, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Id eſt, *cauſaliter, quia calorem auget atque libidinem concitat*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus b. Ebrietati indulget populus, comedens *ex hoſtiis pacificis vitulo immolatis, ut ita eius feſtum & ſolemnitatem communi & ſacro convivio celebraret*, ait Cornelius c. Qui ſubjungit quòd *Gentiles inde ebrietates vocarunt μέθας, quòd μετὰ τὸ θύειν, id eſt, poſt Sacrificia, genio & ebrietati indulgerent*, quæ eſt parens fornicationis, cujus horror ſatis præ ſe fert enormitatem cauſæ ſuæ. Antiqui Philoſophi, licèt pluribus virtutibus moralibus præditi, locuti ſunt tamen ut homines animales, cùm rationi detraxerunt, ut nimis ſenſibus indulgerent, rati licere laxari habenas huic exceſſui medias inter ſolemnitates publicas, & in ſtatum redigere priſtinum ſpiritus atris melancholiæ humoribus depreſſos. Sed hoc eſt decretum irrevocabile, quod pronuncio ego ut Interpres illius qui eſt *Veritas* d infallibilis, non minus alicui licere rationem ſuam perimere, quàm corpus ſuum occidere e; nec permitti alicui ut ſe mente captum efficiat, quò ſaniorem ſe evaſurum imaginetur, *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens.* f. Hoc eſt perpetrare voluntate omnia crimina, & ultrò omnibus vitiis committendis habenas laxare, cùm quis ſibi propoſuit ſuo non ampliùs uti ſolido judicio. Sacra datur ebrietas, ad quam nos invitat Sponſa, *Bibite, & inebriamini chariſſimi* g. Hoc inebriati fuerunt Apoſtoli vino ſacro, & illud ad ſatietatem biberunt uſque. *Cùm repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: Alij irridebant dicentes, Quia muſto pleni ſunt iſti* h. *Veruntamen ſpiritualiter ebrij erant hi Sancti, introducti in cellam vinariam* i, *& torrente voluptatis* k *Deifica uſque ad plenum potati. In quibus illud ex Canticis fuit impletum, Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi* †. *Etenim fervor amoris, ſapientiæ ſapor, gaudiorum exceſſus, inebriaverant eos, biberantque vinum quod Chriſtus Sapientia Patris miſcuit eis* l, ait Dionyſius Carthuſianus m. Virgo Deipara ut *Mater pulchræ dilectionis* n, & ut talis omnium amantiſſima, & maximè amata, hoc vino, nimirum *gratiâ plena* o fuit tota, Angelus id aſſerit, & huic veritati reverentiis noſtris conciliamus authoritatem, cùm dicimus ei, *Ave Maria.*

a Epheſ. 5. 18.
b Dion. Carthuſ. art. 3. in Epheſ. 5. 18.
c Cornel. in Exod. 32. 4.
d Ioan. 14. 6.
e Exod. 20. 13.
f Prov. 20. 1.
g Cant. 5. 1.
h Act. 2. 4. & 13.
i ex Cant. 2. 4.
k Pſ. 35. 9.
† Cant. 5. 1.
l ex Prov. 9. 1. & 2.
m Dion. Carth. art. 2. in Act. 2. 13.
n Eccli. 24. 24.
o Luc. 1. 28.

Digitized by Google

Deus cujus adoranda conſilia noſtram promovendam eminenti modo ſolent ſatagere ſalutem, monent nos ut quantùm in nobis erit caveamus à validiſſimo & potentiſſimo illius obſtaculo, ut fugiamus ab ebrietate, quæ cùm ſit omnium deſtructio totalis virtutum, non poteſt eſſe per rationem contrariorum, & per ſequelam infallibilem, quæ nullam patitur omnino contradictionem, niſi univerſorum fatalis origo vitiorum, & cunctorum exceſſuum ac criminum infortunata parens, *Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapulâ & ebrietate* p, *Id eſt*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus q, *vitio gulæ, ſeu immoderantiâ cibi & potus. Quibus primò gravatur corpus, & ex conſequenti cor, ratio, voluntas, interioreſque ſenſus gravantur, & à virtutum operibus, à contemplationibus Divinorum, ſpiritualibuſque affectibus impediuntur.* Ut autem iſtud horreamus vitium, illudque deteſtemur, ſalutare nobis Antiqui ſubminiſtraverunt documentum, dicentes, oportere duntaxat cognoſcere funeſtos & deplorandos effectus illius, qui ad fugam ipſius inducunt audaciſſimos, & horrorem injiciunt in animos eorum, qui in crimina majori prorumpunt violentiâ perpetranda, cùm vitium iſtud ſit opprobrium naturæ, & macula quæ eripit ei quidquid habet ipſa ſpecioſi. Ideò conſuetudo fuit apud Lacedæmonios recepta, ut intuendos exhiberent liberis ſuis illos qui ebrietate & vino erant ſopiti, ut ſpectaculo ſic animali inſtructi majorem conciperent horrorem hujus vitii, quod hominem ratione deſtituens, convertit eum in beſtiam.

p Luc. 21. 34.
q Dion. Carth. art. 45 in Luc. 21. 34.

Hinc dixerunt Antiqui, vinum fuiſſe datum à Diis hominibus in vindictam, ut laberentur in furorem & in maniam: & Concilia ingentes ſtatuũt pœnas infligendas iis qui iſti vitio ebrietatis ſe dedunt, & ordinant ut Sacerdotes à celebrando ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, & laici à ſacra arceantur Communione capeſſendâ; quod obſervabatur aliàs, & quidem jure merito, *Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus præcipimus cavere, & qui hoc cavere noluerit, excommunicandum eum eſſe decernimus, uſquè ad emendationem congruam*, ait Concilium Moguntiacum r; ſic immodicum judicabat iſtud vitium, quod aperiebat oſtium omnibus aliis, & claudebat illud ſaluti operandæ. Non prohibet Concilium vini uſum, ſed ejus abuſum, cùm moderatus vini uſus hominibus virtuoſis proficuus ſit quantùm ad corpus, & quantùm ad animam. Quantùm ad animam, ob Sacrificium adorandum pretioſi Corporis & Sanguinis Chriſti s, quod peragitur ſub ſpeciebus vini, quod ſignificat parabola vineæ reſpondentis ſe non poſſe ſuum deſerere *vinum, quod lætificat Deum & homines* t. Primò, *Lætificat Deum*, qui ſe propitium & hilarem exhibet erga nos per oblationem Jeſu Chriſti factam ſub ſpeciebus vini, quæ nunc eſt ipſi gratior, quàm jucunda fuerint ipſi aliàs omnia Sacrificia Aaron, & Leges Moſaicæ, *Quia hoſtias & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur: tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam* u: *aufert primum, ut ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Ieſu Chriſti ſemel* x. *Quæ verba ſic exponit Dionyſius Carthuſianus* y, *Holocauſtomata, id eſt, Sacrificia quæ totaliter incendebant ad Divinæ Maieſtatis honorem, & erant cæteris digniora, & pro peccato, id eſt, Sacrificia pro remiſſione peccati oblata, non tibi placuerunt per ſe, ſeu propriâ efficaciâ, ſed ex devotione offerentis. Non enim poterant iuſtificare. Tempore autem novæ legis nullatenus placent Deo. Tunc, quando videlicet vidi tibi omnia illa diſplicere, & mihi corpus aptum adeſſe, dixi, Ecce venio paratus ad paſſionem, ut meipſum tibi pro hominibus offeram, ut faciam voluntatem tuam Deus Pater. Aufert primum, id eſt, legale ſacrificium. & per conſequens vetus Teſtamentum tanquã inutile. ut conſequens ſtatuat, id eſt, novæ Legis Sacrificium, ſcilicet Chriſti Sacramentũ ſtabiliat, iugiterq; frequentandum affirmet. In qua voluntate Dei, id eſt, Deo clementer volente, ſeu voluntate eius, quâ voluit Chriſtum pati ſanctificati ſumus effectivè ac principaliter, ſuſcipiendo remiſſionem culpæ, infuſionemque gratiæ, per oblationem Corporis Ieſu Chriſti ſemel, factam in crucis patibulo tanquam per cauſam meritoriam ac inſtrumentalem*, & quotidiè ſuper altaribus noſtris renovatam in Euchariſtiæ Sacramento ſub ſpeciebus vini, *quod* non ſolùm *lætificat Deum, & homines*, & iſtis non tantùm proficuum eſt quantùm ad animam, ſed etiam quantùm ad corpus, cùm *vinum lætificet cor hominis* z. Unde S. Auguſtinus a ait, *Eſt ergo vinum quod verè lætificat cor & non novit aliud niſi lætificare cor.* Multa alia Scripturæ teſtimonia huic veritati conciliant authoritatem, *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo: bibant & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordarentur amplius* b. Cùm vinum expellat melancholiam, &c. *Bibe cum gaudio vinum tuum* c. Et Serarius d affirmat quòd *hilaritas & lætitia res conceſſa & bona eſt. Licet nobis interdum, ob peccata noſtra, temporumque calamitates, multò plus expediret triſtari ac lugere. Hilareſcere ac gaudere neque vitioſum eſt, neque à Deo vetitum, ſed & corpori, animoque prodeſt.* Non me latet quidem, non oportere me tam multa oſtendere, ut exhibeatur vobis effectus vini qui ſitus eſt in lætificando Deo, æque ac in exhilarandis hominibus; ſed hæc ideò prætuli ut conſtaret vobis, vinum non eſſe ex ſe rem malam & pernicioſam; ſic non vituperatur niſi illius abuſus; Qui eſt Primò contrarius rationi; Secundò damnoſus gratiæ, ut videbitis in geminâ hujus diſcurſus parte.

r Conc. Mogunt. Can. 46.
s Matth. 26. 26. &c.
t Iudic. 9. 13.
u ex Pſ. 39. 7. & 8.
x Hebr. 10. 8. &c.
y Dion. Carth. art. 10. in Heb. 10. 8. &c.
z Pſ. 103. 15.
a S. Aug. conc. 2. in Pſ. 103. 15.
b Prov. 31. 6. & 7.
c Eccl. 9. 7.
d Serar. q. 22. in Iudic. 9. 13.
Diviſio
I. Pars.

Nemo eſt qui neſciat, differentiam eſſentialem, quæ homines nos conſtituit, eſſe rationem. Non ſumus homines, niſi quia ſumus rationis compotes; & cùm ſimus rationales, illico ſumus homines. Vinum deſtituens nos ratione, quæ ad altiſſimum nos evehebat ferè Intelligentiarum cœleſtium ſtatum; nos deprimit in abjectam conditionem brutorum; cùm pejores evadamus aſinis, qui cibo & potu aluntur juxta menſuram moderatam, nos autem iſtis ingurgitemus nos immodicè. Ebrius latinè ſignificat ſine regulâ rationis, ab e, id eſt, ſine, & bria, ſcilicet regulâ, nimirum rationis; loquor de ebriis præ exceſſu. Bruta capeſſunt id ſolum quod ipſis eſt abſolutè & præcisè ad ſuſtendandam vitam ſuam neceſſarium; ſed ebrij ingurgitant ſe vino, quod eſt tumulus rationis. Si verò temperantia efficit nos Angelos, quis dubitat quòd per rationem contrariorum exceſſus non convertat nos in beſtias ratione deſtitutas? Videte has veritates manifeſtas in perſonâ Noë, & Loth, etiamſi de cætero virorum proborum, & virtute præditorum; judicio deficiunt ſolido, nec ſatis illius præ ſe ferunt, eò quòd nimis hauſerint vini; *Noe bibens vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo* e. Et ubi *dederunt patri ſuo bibere vinum, conceperunt duæ filiæ Lot de patre ſuo* f. Ubi exceſſus hujus liquoris invenitur, non eſt ibi amplius rationis, *Inebriatus enim vino, quid gereret neſciebat*, ait S. Ambroſius g, loquens de Lot. *Neſciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, iacent ſepulti. Ideoq; ſi qua per vitium deliquerint, apud ſapientes iudices veniâ quidem facta donantur, ſed levitatis notantur authores. Quanta ipſa deformitas, ut ſolvantur vires, inceſſus vacillet! Multi ſe fortes putant: num fortiores quàm Lot?*

e Gen. 9. 20. & 21.
f Gen. 19. 31. & 36.
g S. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 6.

num

num continentiores quàm Noe? Non utique vitia Patriarcharum Scriptura expoſuit, quos victo vino legimus: ſed ut tu diſceres quod caveres. Ille nudus iacuit, iſte filiarum errori patuit. Vinum & ratio ſunt duo contraria, quorum unum expellit alterum, cùm non poſſint ſociari, ſi in vino ſit immoderantia, quæ ex hominibus nos convertit in beſtias, & ſic ebrius jure merito *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* h.

h Pſ. 48. 13. & 21.

Quòd ebrius ſit brutum, & inferior brutis, ſic probo. Sponſus ſuam alloquens Sponſam, vel Deus in ejus perſonâ ad omnes homines verba ſua dirigens, ait, *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres; egredere, & abi poſt veſtigia gregum* i. Sponſa mea, ſi ſis ignara perfectionum tuarum, & eximiarum neſcia qualitatum, quibus es inſignita, quæque præeminentiâ te ultra communem extollunt conditionem, non mereris ampliùs eas poſſidere, retrogrederis ignorantiâ tuâ ad ſtatum inferiorem, & ad claſſem brutorum redigeris, *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Non ait ut eat cum ſuarum gregibus ſociarum, ſed *poſt veſtigia gregum*, quaſi inferior ipſis brutis. Super quæ de Ponte k ait, *Sicut enim ſumma imprudentia eſt hominem in honore conſtitutum ſe comparare iumentis inſipientibus, ut imitatione ſimilis fiat illis: ita magna prudentia eſt ſe illis comparare, ut propriam magis cognoſcat præcellentiam, & vitam illis diſſimilem, & multò ſublimiorem agere inſtituat. Ad quod etiam non parùm iuvat quod hîc dicitur: Abi poſt veſtigia. Id eſt, conſidera ipſa gregum veſtigia, eorum naturales propenſiones ab Authore naturæ illis inditas, ſecundùm quas uniformiter; ſed mirabiliter operantur; ut ab illis diſcas multa, quæ ad tui cognitionem & perfectionem valdè conducunt.* Sed ad homines ignaros ſuæ nobilitatis dirigitur hæc veritas; & peccatoribus qui ſceleribus ſuis ſe infra beſtias deprimunt, improperatur iſtud, *Si ignoras te, egredere.* Niſi habeas cognitionem tuiipſius, in quâ ſita eſt virtus ſolidiſſima, & quam tanti ducebant Antiqui, & ſic difficilis exiſtimabant acquiſitionis, ut ad renovandam ejus memoriam, eam ſculpendam præ foribus templi Delphici præceperint γνῶθι σεαυτόν, *Noſce teipſum*, Non ſolùm ſimilis es beſtiis, ſed etiam conditione earum inferior es, *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Ideòque ait idem de Ponte l; *Unde ab illis noſtrî cognitionem ediſcere poſſumus. Præcipit ergo Dominus, ut abeat poſt huiuſmodi greges paſſibus conſiderationis, quoniam primò ipſa indicabunt tibi tuam ingenitam nobilitatem, & quam à Deus te fecerit, dum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam te creavit, & ſuper cuncta animantia te præfecit* m. Si autem cognitio noſtrî ipſorum efficit nos homines; ſic per rationem contrariorum ignorantia noſtrîipſorum bruta nos reddit, & brutis inferiores: Atqui ebrius præſertim ignorat ſemetipſum, cùm amiſerit & ſopierit rationem ſuam vino: Ergo inferior eſt beſtiis, quibus ſufficit neceſſarium ad ſuſtentationem vitæ, nedum ipſæ cogi unquam poſſint ad capeſſenda ſuperflua, quod tamen peragit ebrius, & ut ſic animalibus eſt inferior. Igitur *egredere, & abi poſt veſtigia gregum*, ebrias exeat è ſocietate hominum, ut vivat & alatur cum beſtiis, & doceatur ab eis temperantiam, ut illum monet idem de Ponte n, *Unde ſæpè etiam increpatur homo, quòd non eat poſt horum veſtigia, diſcendo ab eis, quæ ſibi utilia ſorent. Sicut cùm inquit per Iſaiam* o; *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognovit, & populus non intellexit. Et per Ieremiam* p; *Milvus in cælo cognovit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia conſtituerunt tempus adventus ſui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini*, ut diſceret à brutis ſobrietatem, quam non habet præ crimine, & quam habere deberet præ excellentiâ, prout rationalis, niſi rationem ſuam vino immerſiſſet, quod peccatum non poteſt eſſe niſi lethiferum cùm eſt voluntarium, juxta S. Thomam q.

i Cant. 1. 8.

k de Ponte lib. 3. in Cant. 1. 8. exhort. 16. parag. 1.

l Idem ibid.

m ex Gen. 1. 27. & 28.

n de Ponte ibid.

o Iſai. 1. 3.

p Ier. 8. 7.

q S. Thom. 2. 2. q. 150. a. 2. in cor.

Videte, Auditores, ex effectibus utrùm ebrij ſint rationales; cùm eant, redeant, gyrent, ex ore ſpumas emittant, circumquaque vertantur, greſſibus incedant titubantibus vacillando, loquantur ſed voce balbutienti, videant ſed obſcurè, oculis ipſarum caligine ſuffuſis more aſtrorum eclypſim patientium, *Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius*, ait Propheta †. *Nihil enim lætum, nihil ſtabile, nihil ſobrium eorum ſenſus habebat*, commentatur S. Hieronymus r. *Tremunt, & errant, iactantur, & nutant, exagitantur, & vacillant: movent ſe, raptantur huc, illuc, & mutantur*, dicunt Alii apud Lorinum s; *& omnis ſapientia eorum devorata eſt.* Quippe qui *præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt; neſcierunt præ ebrietate; abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate; neſcierunt videntem* t. Id eſt, ait Cornelius u, *Ex Hebræo verti poteſt, hallucinati ſunt videndo. Ebriorum enim oculi vino humidi ſpiritibus turbatis vacillant, ne rectè & certò aliquid videre poſſint.* Concludit tandem Iſaias, *Ignoraverunt iudicium.* Scilicet ait Cornelius, *Præ ebrietate rectè iudicare, diſcernere, & decernere nequiverunt, ſed in iudicando errarunt. Quare Alfonſus Aragonum Rex rogatus, cur vino dilutiſſimo ſitim expleret? Quia, inquit, vino ſapientia obſcuratur. Teſtis eſt eſt Panormitanus lib. 1. vitæ eius.* Ebrii nihil dicunt ad propoſitum, furioſi ſunt, & nihil ampliùs ferunt hominis præ ſe niſi ſolam apparentiam exteriorem. Nunquid non res eſt ſanguineis deflenda lachrimis viſu homines eximiâ præditos acie animi, qui ſolidiſſimo ratiocinantur modo, qui ferè tot proferunt oracula quot verba, quos admiratur unuſquiſque propter ipſorum eloquentiam, ſcientiam, prudentiam, & plures alias; quibus inſtructi ſunt, egregias qualitates, quæ in illis exhibentur intuendæ veluti tot ſtellæ per noctem in firmamento, cùm ſerenus eſt aër; qui tamē ſi exceſſui vini habenas laxēt, & ab hoc mordeantur ſerpente x venenato qui mortem infert, ſopiendo ſenſus; ſtatim ludibrio fiunt propter ſtultitiam ſuam omnibus hominibus aliis; qui eos præ deriſu digito demonſtrant ſubſannando? Nemo eſt qui illos non faciat ſuis inſervire joculationibus; univerſis tandem circulis aliorum hominum aut conſortiis efficiuntur fabula. Ecce ij, quos admiratus fuerat unuſquiſque propter ſapientiam ipſorum, quique hoſtes terrore perculerant, & in fugam eos converterant, effecti jocus puerorum in compitis & plateis, vulnerati abſque ferro, & à nullo victi inimico niſi forſan à vino immodicè hauſto, & præ exceſſu amaro, à quo exceſſu conſulit nobis Poëta ut caveamus æquè ac à Veneris amore;

† Pſ. 106. 27.

r S. Hier. in Pſ. 106. 27.

s Lorin. in Pſ. 106. 27.

t Iſai. 28. 7.

u Cornel. in Iſai. 28. 7.

x Prov. 23. 32.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Uno namque modo vina Venuſque nocent.

Hæc ebriorum damna recenſet S. Auguſtinus y ex immoderato vino ipſis provenientia, *Et quotiens nimium potum accipiunt, tanquam in paralyſim reſoluti, dum ſuis pedibus ambulare non poſſunt, fœdiſſima latera aliorum manibus portantur ad lectum. Et eſt in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio & dolor capitis, ſuffuſio vultus, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis ſtupor.* Revocate memoriam Alexandri Magni, qui fuit materia circa quam occupati ſunt omnes Hiſtorici ad extollendas ejus virtutes. Filius erat ille Martis, fulmen bellicum, qui circa annum ætatis ſuæ trigeſimum, univerſum ditioni ſuæ ſubjecerat orbem, omnes ſubjugaverat populos, & cunctas deviterat nationes, & neminem a-

y S. Aug. ſerm. 241. de Temp.

 gnoſce-

gnoſcebat magnanimitate ſibi ſimilem, ita ut ſemper victor eſſet; in materiâ tamen vini victus eſt, ebrius eſt, non eſt ampliùs Alexander, generoſus iſte dux, *Quantùm mutatus ab illo!* Crudelis eſt & ſævus more tigridis, non eſt ampliùs homo, cùm nihil ampliùs præ ſe ferat humani, non viget ampliùs judicio, nec memoriâ, nec ratione, quæ ſunt præcipuæ partes conſtituentes hominem. Deſtitutus eſt judicio, *Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius; & omnis ſapientia eorum devorata eſt* z. Nullam præ ſe fert rationem, *Ebrietas cadus mater, parens litium, furoru genitrix, petulantiæ deformiter eſt magiſtra: hanc qui habet, ſe non habet: hanc qui habet, homo non eſt: hanc qui habet, non peccatum facit, ſed eſt ipſe peccatum*, ait S. Chryſologus a. Cui concordat S. Auguſtinus b, *Inde lites & rixæ naſcuntur: inde nonnunquam homicidia perpetrantur.* Sic ebrietas eſt interitus memoriæ æque ac rationis, cùm vitium illud rerum omnium generet oblivionem. Ita Alexander ebrius cùm non eſſet ampliùs Alexander Magnus, iſte victor Provinciarum, Clitum, qui erat ipſi *inter præcipuos familiares chariſſimus, tum quòd filius eſſet nutricis ipſius, tum quòd ab illo in dubio vitæ diſcrimine fuiſſet ſervatus, tamen in convivio quodam liberiùs in Perſicos mores invectum iam temulentus ſpiculo traiecit*, judicio, memoriâ, & ratione deſtitutus, ait Calepinus c.

z Pſal. 106. 27

a S. Chryſol. ſerm. 26.

b S. Aug. ſerm. 231. de Temp.

c Calep. in Diction. v. Clitus.

d Prov. 20. 1.

Luxurioſa res vinum d. *Populus autem Iudæorum, de quo ſcriptum eſt, Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerũt ludere: poſtquàm vinũ plùs quàm oportebat accepit, idola ſibi fabricari fecit, & in honore ipſorum idolorum cœpit phrenetico choros ducere more, diverſis ſaltationibus membra torquere*, ait S. Auguſtinus e. Qui paulò ante dixerat, *Inde adulteria nonnunquam perpetrantur.* Videte has eaſdem virtutes in Holoferne Generali Duce exercitus Nabuchodonoſor, deſtituto judicio, nam dum *iacebat in lecto, nimiâ ebrietate ſopitus* f, cùm dixiſſet priùs *ad Vagao eunuchum ſuum, Vade, & ſuade Habream illam ut ſponte conſentiat habitare mecum* g; *ſtetit Iudith ante lectum orans cum lacrymis, & acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius qui in ea ligatus pendebat, exoluit. Cùmque evaginaſſet illum, apprehendit comam capitis eius, & percuſſit bis in cervicem eius, & abſcidit caput eius, & abſtulit conopæum eius à columnis, & evolvit corpus eius truncum* †, gratias agens Deo pro eo quòd ipſi placuiſſet adimplere manu ſuâ magnum illud conſilium, quod ipſa ſibi propoſuerat ſuper ebrium iſtum. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt homines ſapientes* h. Sapientiſſimi quique efficiuntur ſtultiſſimi, judicio privantur, & vinum eos à rectæ rationis ſede deijcit. *Ecce Cyrillus veſter filium habebat, ut ſcitis, quem corrigere negligebat, & luxurioſè vivendo conſumpſit partem bonorum ſuorum: ſed ecce ebrietatem perpeſſus, matrem prægnantem nequiter oppreſſit, ſororem violare voluit, patrem occidit, & duas ſorores vulneravit ad mortem*, refert S. Auguſtinus i. Eſtne hoc eſſe hominem? Nequaquam, ſed ipſis inferiorem beſtiis, quæ reverentiâ & amore ſuos proſequuntur parentes. *O ebrietas nunquid beſtialem & irrationabilem te diligentem tecum ducis* k? Heu! Auditores, quantam irrogamus nobis injuriam, amittentes id quod eſt diviſſimum naturæ noſtræ ornamentum, quodque nos extollens è brutorum vilitate & depreſſione, ad cœleſtes nos facit accedere Intelligentias, ut noſtram meliùs operemur ſalutem? *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc!* Quantam cæcitatem! quàm immodicam infœlicitatem! Si in nobis vigeret viſus ſatis perſpicax ad eam agnoſcendam. Nunquid nos *creavit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* m, ut viveremus non ſecus ac ſues, &

e S. Aug. ſerm. 231. de Temp.

f Iudith 13. 4. &c.

g Iudith 12. 10.

† Iudith 13. 6. &c.

h Eccli. 19. 2.

i S. Aug. ſerm. 33. ad ff. in Erem.

k Idem ibid.

Ier. 2. 12.

m Gen. 1. 27.

omnia tribueremus abdomini, quod eſt infinitorum cauſa malorum? cùm venter ſit veluti creditor importunus, qui ſuſceptâ ſæpiùs ſolutione, repetit tamen ſemper debitum: ſi enim lautè hodie excipiatur, cras denuò erit incipiendũ, & poſt hæc quid agetur de illo? Auſcultate Apoſtolum n, *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem hunc & has deſtruet.* Quid autem eſt de illis ventribus voracibus Eſau o, noſtrorum Iſraëlitarum dum eſſent in Ægypto p, Nabalis q, divitis epulonis r, Heliogabali, Sardanapali, & infinitorum aliorum naturæ monſtrorum, *quorum Deus venter* s erat? *Deus & hunc* deſtruxit, & illos, *ſubter quos ſtrata eſt tinea, & operimentum* quorum fuerunt *vermes* t, quiqui effecti ſunt objectum iræ Dei. *Crucior in hac flamma*, exclamat dives epulo. Poſt tantos exceſſus oris & ventris, nequidem ullam habet aquæ guttam, quâ ſuos refrigeret ardores. *Expergiſcimini ebrij, & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine* u. Nullus relinquitur vobis paradiſus, nulla fœlicitas, nulla gloria, ſed ſola reſervantur æterna ſupplicia vobis, *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum* veſtri, qui feciſtis vobis Deum qui regnat præ imperio apud vos, ſed Deum animalem, ſed vitulum animal impudicum, ut dicemus cras. Si autem velitis ſcire quiſnam ſit iſte Deus. Nullam habuit in ſe unquam rationis unciam, Deus eſt guloſus, qui omnia vorat, Deus immundus, qui omnia conſpurcat, Deus ebrius, qui vino immergitur; *Deus enim tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos cocus, & ſanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia vetus eſt*, ait Tertullianus x. Quòd honeſtè dici non poteſt. Et ecce Deus veſter; & ſicut enormis eſt in perſona ſua, non minùs in ſua eſt prodigioſus tyrannide; ubique ſuos habet miniſtros & obſonatores; propter eum bellum indicitur aëri & nubibus, & facies terræ convertitur in carnificinam, ut immodicis ejus aviditatibus fiat ſatis ſuperque.

n 1. Cor. 6. 13.

o Gen. 25. 34.

p Num. 11. 4. & 5.

q 1. Reg. 25. 36.

r Luc. 16. 19. &c.

s Philip. 3. 19.

t Iſai. 14. 11.

u Ioel. 1. 5.

x Tert. lib. de Iejun. advers. Pſych. c. 16.

Animæ capaces conciliandæ vobis fruitionis gloriæ cœleſtis, veſtram recogitate nobilitatem, & cavete ne nimiùm veſtris indulgentes voluptatibus & ſenſualitatibus, è ſpe operandæ veſtræ ſalutis excidatis. Ebrietas eſt omnimoda univerſarum veſtrarum virtutum jactura, eclypſis veſtræ rationis, omnium bonorum operum veſtrorum interitus, & cunctarum veſtrarum cauſa fatalis infœlicitatum. Interrogatus quid de ebrietate ſentiat S. Baſilius y, reſpondet, *Ebrietas Dominũ non ſuſcipit, ebrietas Spiritum S. fugat: fumus enim fugat apes, crapula autẽ fugat gratias ſpiritales.* Cũ eripiens nobis ebrietas rationis uſum, illius nobis tantùm deſerat potentiam, & in hac eclypſi, qua nos ſuffundit, ad perpetranda nos inducat ſcelera, de quibus nunquam cogitaſſemus committendis, hoc rationis Sole illuminari, ut ait S. Ambroſius z, *Sanè diſcimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cavere non poſſumus. Nam quæ ſobrij cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parùm eſt quòd ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis: ipſam quoque mentem ſubruit, & animum capit, ſenſum extorquet. Et Noë iuſtus deceptus eſt, quia vini vis adhuc ignorabatur: ſed in illo inſtructus es, ne tu ignorares. Lot filiabus ſe credidit, & per ſenectutem madidam vino ſolutus commiſit inceſtum ignorans. Tu ſic bibe, ne capiaris. Inſtruant Patriarchæ non ſolùm docentes, ſed etiam errantes. Ideò iteratum eſt exemplum ebrietatis, ut confirmetur magiſterium cautionis.*

y S. Baſil. conc. 1 de Iejunio.

z S. Ambr. lib. 1 de Abrah. c. 6 citatur ibid 13. q 1. c. ſanè. & Gen. 9. 20. & 21. & Gen. 19. 33. & 36.

Omnes egregij viri ſunt ſobrij, & planè detrahere eſt nobilitati ſuæ ac iſti eſſe vitio ebrietatis deditum. Igitur *væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum,*

a Iſai. 5. 22. *num, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem* a. Infœlicitas veniat ſuper eos qui ebrietati incumbunt, cùm ſic deſtituantur ratione, & hâc circunfuſi caligine id peragant, quod illâs non perpetrarent. Rerum verâ ex omnibus oris exceſſibus mihi videtur ebrietas eſſe majori nocumento, & ingentiori pudori, quia ſopiens ratione, hominem facit mori quantùm ad naturâ & quantû ad prærogativas hominis; & jure merito queri poſſumus, quòd in conſuetudinê & in neceſſitatê tranſeat potio ſuperflua, quâ æquè parû indiget corpus noſtrum ferè ac corpora brutorû, quòd tot inſumendi ſint ſumptus & labores ad conficiendum nobis alimentum, quod mentem turbat, eamque variis fumis & vaporibus exagitat juxta quod calor extraneus, quem excitat, in temperamentis invenit diſpoſitionem. Tandem, Omnia venena, & omnes malæ influentiæ cœli inveniuntur in exceſſu vini.

II. Part. Parum eſſet ſi iſti exceſſus oris ſoli corpori officerent, & niſi tantùm anticiparent pauliſper ruinam hujus partis deſtinatæ à ſuis natalibus ad corruptionem; ſed ebrietas ſuam extendit ſtragem ad animam uſque, & ſine miraculo agit illa validè ſuper potentiam ſpiritualem, quam privat gratiâ, quæ eſt totum illius ornamentum, ſicut omnis fœlicitatis ejus cauſa; hic exceſſus omnia obtenebrat illius lumina, omnes ejus paſſiones commovet, armat & protegit omnia crimina, opportunas conciliandæ æternitati eripit occaſiones, nec ullæ ſunt virtutes, quæ illius tyrannide non permaneant oppreſſæ. Ebrietas privat animam præſentiâ Spiritus ſancti eo ipſo quo illam privat gratiâ, cujus eſt ipſe principium, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* b. b Rom. 5. 5. Illa inducit eum ut recedat ab ea, cùm non ſit habitatio digna magnitudine ejus. Ebrietas & gratia ſunt duo contraria, præſentia unius ſupponit privationem alterius, *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* c. c Sap. 1. 4. Gratia & peccatum ſociari non poſſunt ſimul, *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras* d? d 2. Cor. 6. 14. Peccatum nos ſeparat à Deo, eripiendo nobis gratiam, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* e. e Iſai. 59. 2. Datur inter peccatum & gratiam diſtantia infinita, aiunt Theologi, *Gratia & peccatum infinitè diſtant*. Et Spiritus Dei ſuum non collocabit in homine domicilium, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum.* Et ſtatim ſubdit Scriptura rationem illius, *Quia caro eſt* f. f Gen. 6. 3. Id eſt, carnalis, & vitiis deditus carnis, inter quæ primas ſibi vendicat ſedes ebrietas, *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt ebrietas* g.

g Galat. 5. 19. & 21. h Eccli. 31. 39. i Ezech. 18. 4. & 20. Vinum præ exceſſu hauſtum omnimoda eſt animæ deſtructio, *Amaritudo animæ vinum multum potatum* h. Mortem ei infert, peccatum lethiferum occîdit animam, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* i. Ebrietas autem eſt peccatum mortale, quando eſt voluntaria. S. Auguſtinus k autem aſſerit, ſanius eſſe corpus gladio transfodere, quàm animam ebrietate profligare, & potiùs mortem oppetere, quàm inebriari, k S. Aug. ſerm. 231. de Temp. *Qui enim alterum cogit ut ſe plus quàm opus eſt bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem necaret.* Quod eſt contra illos qui ſæpè ſæpiùs quàm ſit par Domino N. propinant, iraſcuntur ſi ab eo ſibi non propinetur. Inter hos exceſſus derelinquit Deus hominem, ſicut eum deſerit ratio cùm vino eſt abſorptus; non eſt Deus ampliùs cum eo, ubi hoc eſt inquinatus peccato, efficitur ei inimicus, nec eum ampliùs intuetur niſi ut objectum indignationis & iræ ſuæ: *Si & te, & alium inebriaveris, habebis hominẽ amicũ, habebis Deũ inimicum. Et ideò ſapienter conſidera, ſi juſtum ſit, ut te à Deo ſepares, dum te ebrioſo coniungis.* In hoc ſtatu nullum habet ampliùs anima jus ad gratiam Dei, & eâ deſtituta formidare debet, & ſcire, *quia neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt* l. l 1. Cor. 6. 9. & 10.

Nati ſumus ad conſequendam immortalitatem, in qua corpora noſtra qualitatibus induentur ſpiritualibus in temperamento ſuſcipiendæ ampliùs alterationi imdoneo, quod tunc non indigebit ampliùs quiete, nec alimento; *Seminatur in corruptione: ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate: ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale* m. m 1. Cor. 15. 42. &c. Iſte eſt finis noſter, & ſtatus perfectiõis noſtræ, qui regulas debet præſcribere noſtro procedendi modo; ita ut, ſi hîc neceſſaria nobis ſint alimenta, ex iis capeſſamus duntaxat ea quæ noſtræ ſatisfacere poſſint neceſſitati; ſic magis approximabimus ad hunc beatum ſtatum, & longiùs recedemus à conditione brutorum, quæ morte abſumuntur ſine ullâ ſpe reditus. Ad has actiones neceſſarias eâdem attrahimur voluptate; ſed ſi ea præcipit appetitibus, debet ipſa noſtræ obedire rationi, juxta generalem mundi politiam, quæ minores naturæ gradus Superioribus ſubjicit, elementarem vegetanti, vegetabilem ſenſitivo, & hunc rationali.

Referuntur Gymnoſophiſtæ Indiæ, & Sacerdotes Iſidis in Ægypto liberaſſe aut præſervaſſe ſe à malis dæmonibus, & ſe diſpoſuiſſe ad familiarem communicationem habendam cum Intelligentiis, ducendo vitam maximè ſobriam; ideòque abſtinuiſſe ab eſu animalium, ſoloſque fructus inſumpſiſſe ad ſuî ſuſtentationem, ſolamque aquam potaſſe puram, iiſque non priùs prælibatis uſi, quàm poſt integrum diem contemplationis exercitiis deditum. Dicitur etiam quòd ubi quis eorum moriebatur, ſeparabantur ventriculus & viſcera à corpore illius, & tunc inſigniſſimus eorum qui aderant, hanc in nomine defuncti agebat orationem, O Sol, & vos aliæ Poteſtates, è quibus totus orbis vitam deſumpſit, in fœlix veſtrum admittite me conſortium. Meas exhibui vobis adorationes ut Diis majorum meorum, obſequia mea patriæ meæ, & obedientiam meam legibus civilibus. Si verò aliquæ ex his actionibus declinaverunt ab his muniis exercendis, has ego deteſtor partes quæ talis tranſgreſſionis fuerunt cauſa. His dictis, projiciebatur id quod erat ventris inferioris in fluvium vicinum. Hæc ceremonia, quam omnibus communem hi Pagani reddebant mortuis, oſtendit intemperantiam eſſe malum, quod ſequitur naturam noſtram: & eſt origo omnium ſcelerum quæ perpetrantur contra cœlum, & poſt ereptam nobis gratiam, nobis anſam ſubminiſtrat metuendi ne conſequenter gloriæ occludat nobis oſtium, *Quia neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt*, ut jam diximus. Cœlum non eſt prò ebriis, ab eo in æternum elongabuntur ut indigni fœlici illius domicilio, quod non debetur niſi temperantibus, & virtute præditis. *Sed dicet aliquis. Ego regnum Dei nolo, æternam requiem tantùm obtinere deſidero. Nemo ſe decipiat, Fratres: duo enim loca ſunt, & tertius non eſt ullus. Qui cum Chriſto regnare non meruerit, cum diabolo abſque dubitatione ullâ peribit*, ait S. Auguſtinus n. n S. Aug. ſerm. 232. de Temp.

Propterea cavete vobis, Auditores; auſcultate monitum ſalutare Chriſti, *Attendite, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate* o. o Luc. 21. 14. Cùm ſe inebriaſſent filii Iſraël, & æquo liberiùs cibo & potui indulſiſſent, ex ipſis *ceciderunt quaſi viginta tria millia hominum* p. p Exod. à 28. Et poſt mortem

corpo-

corporis, quam pertulerunt, mortui ſunt in æternum morte animæ ſità in privatione gratiæ in hoc mundo, & gloriæ in altero.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Edoceamur alieno periculo ſapientiam; declinemus ab hoc vitio, quod ex hominibus convertens nos in beſtias, privat nos fœlicitate, ad quam ſemper ſuſpirare debemus, cùm eâ obtentâ omnia lucrati fuerimus; & eâ amiſsâ nihil ſuperſit nobis ſperandum. Et cùm reconciliari debeamus Deo per media oppoſita illis, per quæ incurrimus indignationem ejus, nullum eſt inter ea opportunius temperantiâ. Moyſes q, Elias r, S. Joannes Baptiſta s, & Prophetæ t hâc uſi ſunt diſpoſitione ad obtinendos favores extraordinarios è cœlo. Quin imò Dux noſter *Ieſus cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus* u, ſobrietatem nobis præcipit. Imitemur eum in abſtinentia ipſius, & ſuam nobis dabit ipſe gratiam, & aliquando gloriam.

q Exod. 34. 28.
r 3. Reg. 19. 8.
s Matth. 3. 4.
t Dan. 1.
u Matth. 4. 2. & 3.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. ADVENTVS.

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 6. &c.

HÆc eſt omnium proclivitas malorum, & univerſarum propenſio infœlicitatum, quibus obrui poſſumus, æquo liberius voluptati & genio indulgendo, ac amare illud quod jure merito noſtrû meretur odium, & gloriari de eo quod homines honoris æmuli aſcriberent infamiæ. Extremum ſanè eſt cunctorum criminum ac pudere ſe non eſſe impudentem. Hæc eſt loquela hominum reproborum, infidelitatis charactere notatorum, quòd oblatam fronte capillatâ arripere oporteat occaſionem; & quòd nulli alteri hi poſſit gloriæ ac permittere ut elabatur illa & pereat, cùm jacturam illius ſequi non poſſit, ut aiunt, niſi confuſio, & opprobrium.

Videte filios Iſraël. Poſtquàm uſque ad vomitum ſe ingurgitare non erubuerunt, & ad menſuras abſque menſura bibere, horrendiſque ſaltationibus membra torquere, canendo, & choros agendo, impuritatis ludo luſiſſe referuntur, ut ſentiunt aliqui apud Cornelium a dicentem, *Hunc luſum impurum fuiſſe colligunt nonnulli ex eo, quòd in honorem vituli (quod maximè laſcivum & libidinoſum eſt animal) luſiſſe videantur.* A quorum ſententiâ non videtur recedere S. Ambroſius b, *Nemo ſe luxui committit, niſi qui recedit à præceptis Dei veri. Qui non ſequitur Dominum Deum ſuum, ingurgitat ſe luxuriæ, ac libidinibus, peſtiferis corporis paſſionibus. Sedit enim populus manducare, & bibere, & fieri ſibi deos alienos popoſcit.* Et Tertullianus c ait ſuper hæc verba. *Et ſurrexerunt ludere. Intellige ſancta ſcripturæ verecundiam, luſum niſi impudicum non denotaſſet.* Taceo quòd iſtum exponant apud Cornelium, terminum *Rabbini ludere, fornicari*, ut dicam quòd oporteat aliquem ad exceſſum uſque fieri miſerum ac vitium impuritatis committere præ neceſſitate, ut melius deferatur vitulo libidinoſo, aut Veneri Deæ impudicitiæ. Sancta fuit praxis obſervata in Lege gratiæ, in quâ S. Henricus Imperator cum S. Chunegunde conſorte ſua, Marcianus etiam Imperator cum Pulcheria cõjuge ſua, & S. Elzearius cum S. Delphina ſponſa ſua vivebant non ſecus ac fratres & ſorores, & veluti Angeli cœleſtes in corporibus carnis. Virgo autem Sacratiſſima ipſis purior d Angelis, vivebat cum S. Joſeph Sponſo ſuo majori præ puritate ſuper terrâ, quàm vivant Angeli in cœlo. Ideò nec ſuum præbuit illa cõſenſum ut Deipara efficeretur niſi interpoſitâ illâ cõditione quòd remaneret ipſa Virgo, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco?* Angelus eam certam reddit, nullam virginitati ipſius irrogandam eſſe injuriam, *Et reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideòque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei* e, eo ferè momento quo dixit ei illud, quod ei dicimus, *Ave Maria.*

a Cornel. in Exod. 32. 7.
b S. Ambr. lib. 6. Epiſt. epiſt. 36.
c Tert. lib. de Iejun. adverſus Pſych. c. 6.
d Cant. 4. 7.
e Luc. 1. 34. &c.

Antiqui loquentes de voluptuoſo, qui velut infamis indulget vitio impuritatis, aſſerunt eum eſſe deſtitutum mente, judicio, & prudentia, ſemel ac immerſit ſe huic peccato, quod eſt tumulus rationis, & eclypſis omnium luminum ipſius. Ideò nuncupaverunt voluptatem nomine Veneris, quæ eſt Dea impuritatis; quod nomen Veneris componitur è duabus particulis; Venus è ve, quæ eſt dictio privativa, quæ ſignificat, ſine, & è νοῦς, ſeu, νοῦς Græcè, qua ſignificatur mens, cogitatio, ſpiritus, ſine mente, ſine ſpiritu, ac ſi dixiſſent, voluptatem efficere homines ſtupidos, hebetes, ſine ratione & judicio. Alii vocaverunt eam Aphroniam, id eſt, ſine prudentia, & ſtultitiæ Deam. Sancti Patres & Eccleſiæ Doctores vocant eam cæcitatem mentis, & hebetudinem judicii. Re autem verâ Aſtrologi in terra notantes hoc aſtrum, quod nos collocamus in cœlo, repræſentant nobis globum cum cruce ſuperpoſita; quaſi innuerent, quòd Venus ſuis totum evertit orbem impuritatibus, & quòd iſtud aſtrum malignum totam ſuis influentiis corrumpit naturam, & totum hominis deſtruat microcoſmum, mentem ejus è propria dimovens ſede, & omnia lumina intellectus illius tetrâ offundens eclypſi. Non ſiſtit ibi, ſed ulteriùs progrediens, Chriſti Crucem proterit, ita ut inducat S. Paulum f ad dicendum præ lachrymis, *Flens dico inimicos Crucis Chriſti, quorum deus venter eſt.* Sic eſt, Auditores: Venus hæc omnia operatur mala, mundum evertit voluptas, & omnium fatalis eſt infortuniorum cauſa. Quod effecit ut dixerint aliqui, voluptatem eſſe omnium malorum originem: poſtquàm enim hominem mente privavit, & omnibus ejus luminibus obruit caligine, quid mirum ſi impingatur in perfidias, in crudelitates, in parricidia, imò & in ſacrilegia talis homo? & ſi cùm *non intellexit, comparatus iumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis* g, eorumdem vivat more brutorum? cùm non ampliùs vigeat ratione, quâ ab illis ſecernebatur, & eſſentialiter differebat.

f Philipp. 3. 18. &c.
g Pſ. 48. 13. & 21.

Duplicem admittit S. Thomas h ſtultitiæ ſpeciem. Unam vocat fortunæ, quæ caſu aliquo evenit ex pravio aliquo & valido ac acuto morbo, qui lædens & offendens organa interiora, non ſinit ut ea ſuis fungantur muniis ſolitis, *ſtultitia, quæ provenit ex impedimento corporali.* Et huic ſtultitiæ applicari poteſt medela pharmacis, aliisve mediis opportu-

h S. Thom. 2. 2. q. 46. a. 3. ad 3.

portunis. *Sed* altera, quam vocat S. Thomas voluptatis, *ſtultitia quæ provenit ex impedimento ſpirituali, ſcilicet ex immerſione mentis ad terrena*, quæ *maximè provenit ex luxuriâ*, quæ mentem è propria dimovet ſede, & confuſione operit omnes animæ potentias, deſtituens eas nobiliſſimis ipſarum operationibus, nullo curari poteſt modo, nec illi ullâ ſubveniri poteſt Medicorum arte, nec induſtriâ; requirit illa auxilium cœleſte; oportet ut circa eam operetur Deus, ut ſuam inſumat omnipotentiam, & miracula adhibeat, cùm aliter ſanari non poſſit. Hinc dicebat aliàs Philoſophus Antiſthenes, ſe maluiſſe laborare ſtultitia, quàm amore impudico. Quia, aiebat, ſtultitiâ (loquor de ſtultitia fortunæ, ſeu caſuali) congruis & perutilibus ſanari poteſt remediis; ſed amor eſt ferè inſanabilis, cùm eripiat nobis uſum rationis, & notitiam remediorum medelæ applicandæ ipſi conſonorum. Hæc paſſio omnium violentiſſima interturbat hodie filios Iſraël, poſtquàm ſe nimis ingurgitaverunt cibis, & vino incaluerunt immodicè hauſto. Nulla vigent ampliùs mentis & rationis acie, ſtatim ac huic impuritatis ſe dedunt vitio, & ejus ſe ſubjiciunt imperio. Quod inducit me ut vobis oſtendam Primò hominem qui vitio indulget impuritatis, non vigere ampliùs mente, judicio, nec prudentiâ. Secundò, Eum ut ſic magnis tractandis eſſe inidoneum negotiis. Diviſio.

I. Pars.

Veritas eſt, quam conſulta ratio nobis exhibet indubitatam, quòd quò paſſiones corporeæ ſunt fortiores & violentiores, eò minus habet mens virium & virtutis ad obeundas ſuas operationes. Et ratio iſtius eſt: Quia harum violentia paſſionum omnes illius hebetat acies, & acutiſſimis luminibus ejus eclypſim offundit ac caliginem; cùm mens nunquam meliùs aut perfectiùs agat quàm cùm minùs eſt materiæ immerſa, & magis à corporeæ concretionis mole immunis. Sic ipſa naturæ eſt omnino cæleſtis & ſpiritualis. Rabies igitur voluptatis, quæ eſt paſſionum omnium violentiſſima, eam ſic abripit ut exercitio rationis illam deſtituat. Omnes actiones violentæ officiunt menti, eamque propriis privant operationibus, ut improperabat, licèt immeritò, S. Paulo *Feſtus magnâ voce; Inſanis Paule. Multæ te litteræ ad inſaniam convertunt* i. Quàmvis non ſit diffitendum id quod ait Lorinus k, *Obnoxii ſunt præter modum ſtudioſi veſaniæ, videnturque mihi vocabulo uno, licèt non admodum eleganti, mentis ob literarum ſtudia emota hominem Aquitani Vaſcones expreſſiſſe appellantes letreferit, quaſi dicas, quem literæ ferierant, qui literis ipſis veluti percuſſus & perculſus eſt.*

i Act. 26. 24.
k Lorin. in Act. 26. 24.

Ut autem huic doctrinæ majorem afferamus lucem, Obſervate, quòd, cùm potentiæ animæ noſtræ ſint radicatæ in eadem eſſentia, & veluti eidem inſertæ trunco, accedit ut cùm facultates inferiores, ut concupiſcentia; abripi ſe ſinunt paſſionibus, & nimio ardore alicui adhærent objecto ſenſibili, oporteat neceſſariò ut potentiæ ſuperiores, ut ratio, laxentur & deordinentur in ſuis motibus; cùm impoſſibile ſit ut anima incumbat ſimul actionibus diverſarum potentiarum applicatarum præ ardore objectis differentibus,

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

V. g. cùm magno affectu aliquod ſpecioſum & jucundum contemplamur ſubjectum, non auſcultamus ea quæ prope nos dicuntur: ſic cùm loquimur præ voluptate, non advertimus ea quæ præ nobis peraguntur: Atqui in motibus impuritatis, appetitus inferior qui eſt concupiſcentia, valido agitur furore, & ingenti proſequitur rabie & ardore immodico objectum, quod ſibi proponit, quia voluptas carnis delectat ſenſus, propter quod vitium iſtud magnam injicit deordinationem in partem rationalem, in intellectum, & in voluntatem, & priùs mentem excæcat. Id innuunt nobis Poëtæ in pictura quam nobis exhibent amoris, eum comminiſcuntur nudum; ideò ut edoceant nos, hanc infamem voluptatem excæcare eos qui ipſam amplectuntur, eripiens eis notitiam proprij peccati, & infamiæ ipſorum.

Vel dicamus amorem venereum eſſe præcipitium, in quod qui incidunt, modò brachium, modò caput lædunt, donec in fruſta concidantur, *Fovea enim profunda eſt meretrix* l. Impudicij labentes in præcipitium meretricum, modò lædunt brachia, amittentes bona fortunæ, corporis, & animæ; modò caput, profligantes uſum rationis, donec ſanitatem mentis perdant æquè ac corporis. Et licèt repentè non cadat quis in præcipitium, ei tamen immoranti prope illud circumagi & gyrare incipit caput, ita ut quaſi invitus cogatur in illud cadere. *Et puteus anguſtus aliena* m. Scriptura vocat mulierem impudicam puteum anguſtum propter eandem rationem; ſicut enim qui cadit in puteum qui ſemper ſtrictus eſt, non poteſt non lædi in brachiis; in cruribus, in capite, antequàm ad aquam perveniat; ſic qui ad mulierem accedit impudicam, non poteſt quin lædatur modo ſupradicto ab ea. Ideò S. Chryſoſtomus n ait, quòd S. Joannes Baptiſta ſecurus erat inter beſtias & feras o, non autem prope Herodiadem p peiorem venenoſis beſtiis. Illi enim adulteræ non ſufficit præcipere ut amputaretur caput ſancto illi Viro, ſed eidem caput & linguam acu perforaſſe ipſa dicitur: *Dracones & aſpides cornuta Ioannem Baptiſtam in deſerto viventem ſubdità feritate tremuerunt. Herodias verò ei caput abſcidit, & tanti Viri mortem in pretium ſaltationis accepit.*

l Prov. 23. 27.
m Ibid.
n S. Chryſoſt. hom. 15. ex variis in Matth. locis in Decoll. S. Joan. Bapt.
o ex Marc. 1. 4. &c.
p ex Marc. 6. 19. &c.

Ritè Job q vocat amorem impudicum ignem, *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans.* Sicut enim ignis alicui adhærens domui, modò comburit parietem, &c. donec ad fundamentum perveniat, verùm & proximas domos incendat; ita ignis luxuriæ modò comburit bona fortunæ, modò corporis, modò animæ atque rationis. Et veluti Deus amoris nudus erat, & deſtitutus veſtibus; ita ſpoliat rationis bonis æquè ac fortunæ omnes ſuos captivos, *Qui nutrit ſcorta, perdet ſubſtantiam* r ſuam. Ideò cingulum vel funiculus crumenæ luxurioſorum debet eſſe è xylo ſeu goſſypio, ut faciliùs aperiatur; in illam enim ſæpè manus injiciendæ ſunt ab eis; ut vilem proſtitutionis mercedem ſcortis rependant. Et derelicta veſtis Joſeph, ſeu pallium deſertum in manibus Dominæ ſuæ s, repræſentans bona fortunæ (etiamſi fugiſſet Joſeph) ſignificat amitti bona temporalia inter manus impudicarum mulierum, quæ ſimiles videntur gallinis, & illarum manus ſimiles ungvibus iſtarum, quibus omnia diſſipant; & cùm obſerventur hæc animalia à curioſis rerum naturalium Indagatoribus magis & meliùs digerere quàm digerant cætera bruta; ita & meretrices bona impudicorum temporanea, poſtquàm ſuis lenociniis corda demulſerunt luxurioſorum hominum, eiſque rationem, judicium, & prudentiam ademerunt: *Favus enim ſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium* t. Dicitur *Favus ſtillans*, ſive ob dulcedinem, ſub quâ abſconditum eſt venenum; ſive ſicut examen apum omnino repletur furto, cùm mel omne ſit è furto: ita & illæ omnia ſuo lucrantur infami commercio. *Et nitidius oleo guttur*

q Job. 31. 12.
r Prov. 29. 3.
s Gen. 39. 12.
t Prov. 5. 3. & 4.

Digitized by Google

tur ejus. Significatur quòd ſicut novacula uncta oleo capillos radit ad radices uſque ita ſubtiliter ut nihil ſentiatur; ita meretrices radunt pilos bonorum, luxurioſorum rationis uſu carentium.

Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam,
Præda ſuis canibus non minùs ille fuit.

Non tamen querebatur: idem de luxurioſis dicendum in ſimilitudinem brutorum converſis ob amiſſam rationem. *Noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium*, non evacuando corpus pravis humoribus, ſed crumenam, & rationem.

[w Job 31. 12.] Vel luxuria vocatur *ignis* à Job w, ſicut enim ignis continuo indiget pabulo, quod ſemper devoret; ita ignis luxuriæ argentum conſumit, & aurum. Ideòque mendicus dicitur nunquam amaſſe luxuriam, quia non habet unde tanto igni pabulum ſubminiſtret. Et ſicut ignis lignum comburens, reliquias illius deſerit; ita ignis luxuriæ terribiles relinquit infirmitates, *Vita eorum inter effæminatos* x. [x Job 36. 14.] Ubi in Hebræo eſt, *Inter ſcortatores ſeu condictos*, [y Pſ. 30. 11.] id eſt, tactos gravi infirmitate. Teſtatur id David, [z 2. Reg. 11. 4.] *Infirmata eſt in paupertate virtus mea* y. Id eſt, in adulterio cum Bethſabee z. Idcircò dicitur de ſingulis ingredientibus domos meretricum, *Ignoravit* [a Prov. 9. 18.] *quòd ibi ſint gigantes* a. Ubi verſiones ferunt, *quòd ibi pereunt gigantes*, id eſt, multis infirmitatibus æquè ac ratione. Et in Hebræo eſt, *quòd manes ibi, ſeu mortui ibi ſunt.* Tales nempe domus non ſunt xenodochia pauperum, ſed ægrorum morbo incurabili poſt amiſſam rationem. Quod expreſſerant Antiqui per ſindones appenſas ante valvas templi Veneris, ut infames infirmitatum iſtarum notas. Ignis non poteſt eſſe ſine fumo, nec iſte ignis amoris profani ſine infamiâ, & contemptu honoris. Quo vitio homines rationis uſus jam expertes, vilium efficiuntur ſervi ancillarum, [b Eccli 19. 2.] *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes* b à rectâ ratione. Propterea [c S. Thom. 2. 2. q. 153. a. 5. in cor.] *cæcitas mentis filia luxuriæ* rectè dicitur prima à S. Thoma c.

Sol obſcuratur exhalationibus: ita Sol rationis fœtidis ſuffunditur caliginibus hujus vitii, ſicut etiam Sol gratiæ. Sol erat inter Judæos Samſon, qui huic veritati conciliat authoritatem nomine ſuo, Samſon enim idem eſt ac, Sol ejus: Sed Dalila cum obſcuravit & excæcavit, *Quem cùm apprehendiſſent Philiſthym, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & molere fecerunt* prius extractum è *ſinu* d mulieris, quam ardenter ama- [d Iudic. 16. 21. & 19.] bat. Quod erat ſtupendum viſu hominem ſic eximium, qui *in maxilla aſini mille viros* e percuſſe- [e Iudic. 15. 17.] rat, ſub voluptate proſtratum humi. Ille qui dila- [f Iudic. 14. 6.] ceraverat *Leonem*, *quaſi hædum in fruſta diſcerperet*, [g Iudic. 14. 14.] *nihil omnino habens in manu* f, ſuum ſuffocare non potuit amorem. Ille qui *vincula quibus ligatus erat* g, [i Iudic. 15. 4.] diſſipaverat & ſolverat; ea non potuit infringere, quibus amor ipſum alligaverat. Ipſe *ſegetes Philiſthinorum* i ſuccendit; ſed amor mulieris inflammans cor ejus, conſumpſit prædivitem virtutum & rationis illius meſſem. Immodicus igitur amor iſtius eximii viri erga Dalilam fuit cauſa ruinæ ipſius, & jacturæ oculorum ac rationis ipſius; ut cæcitas innuatur eſſe effectus ſeu filia damnabilis hujus vitii, [k Iudic. 16. 25. & 19.] quod omnia intellectus lumina obtenebrat, cùm illius lampadem, id eſt, rationem extinguat. Sic repræſentat nobis impudicos, quibus hoc vitium rationem cæcat. Sicut enim *Dalila raſit ſeptem crines ejus* k, & abſtulit fortitudinem illius; ita hoc vitium omnem fortitudinem eripit corporalem æquè ac ſpiritualem gratiæ, & rationis. Compedibus eum ligandum à Philiſthinis ſategit illa mulier; hoc vitium carneis & fortioribus, putà inſolubilibus vinculis impudicos conſtringit. Traditus ille fuit à perfida illa muliere in manus Philiſthiim; luxurioſi verò traduntur in manus dæmonum. Rota, cui alligatus fuit Samſon ut eam in gyrum verteret, repræſentat mala opprimentia homines impuros: & quia rota eſt circularis & rotunda, & ut ſic nullo concluditur fine, ideò ut ſic mala figurat æter- [l Pſ. 76. 19.] na, *Vox tonitrui tui in rota* l; more rotæ Ixionis nunquam ſatis verſæ; inſtar dolii Danaidum nunquam repleti; & ſicut lapis Siſyphi in montis cu- [m Pſ. 37. 11.] juſdam verticem nondum ſufficienter provolutus.

De hac queritur Propheta m oculorum ſuorum æquè ac virium ſuarum jactura, cùm ſic eloquitur, *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* Non deplorat Propheta corporeorum jacturam luminum, cùm non legamus in [n 2. Reg. 11. 4.] Scriptura illum viſu corporeo fuiſſe orbatum; ſed plangit amiſſionem luminis ſpiritualis animæ ſuæ, quod voluptas, cui ſe immerſerat cum Bethſabee n, ipſi extinxerat, privans ipſum gratiis cœleſtibus, æquè ac ratione. Si Spiritus ſanctus ſuas removet gratias ab anima quæ hoc ſe inquinat peccato, cùm impoſſibile ſit per legem contrariorum ut eximia puritas, qualis eſt gratia, ſubſiſtat cum impuritate vitii, & Sol cum tenebris maneat: *Quæ* [o 2. Cor. 6. 14.] *enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras* o? Idcircò voluptuoſi ſe intuentur deſtitutos hoc lumine intellectus & rationis, quod efficit ut in ingentes labantur incongruitates & ineptias. Quod mirum non eſt, cùm ſanâ mente ſint capti, & judicii inopes; quod accidit, ut vobis illius rationem promam ſpecialem, ex eo quòd perfectio operationum intellectus pendet ex receſſu imaginum corporearum & ſenſibilium, quibus quò magis eſt deſtitutus, eò purior eſt ipſius actio, & ipſe fortior & capacior ut applicet ſe omnino rebus maximi momenti. Hinc dicebat Anaxagoras, oportuiſſe ut intellectus exiſteret ſeparatus à corpore, ut ritè poſſet ratiocinari. Quandiu igitur voluptates attrahunt & alligant animam delectationi, quam ipſæ impendunt, præſertim verò deliciæ luxuriæ, quæ ſunt ardentes, & veluti ignem ſpirantes, noſtram retrahunt mentem ab altiſſimis ipſius functionibus, eamque tenebris offundunt, privantes illam omni prudentiâ guber- [p Pſ. 48. 13. & 21.] nationi peragendæ conſonâ. Quin imò ardor voluptatis nullum relinquens homini judicium, mutat eum è rationali in brutum p; ita ut non ſit ampliùs homo niſi penes nomen & apparentiam, cùm non habeat ampliùs uſum rationis, beneficio cujus ab ipſis ſecernitur animantibus.

Videte has omnes veritates manifeſtas in exemplo quod intuendum nobis offert Scriptura in perſona Holofernis voluptuoſi; examinate modum procedendi ejus, qui oſtendet vobis eum veluti mente captum. Quòd generalis Dux exercitus, qui ſiniſtra prævidere debet hoſtium conſilia, novaſque ſuſpicari inſidias, decipiatur à muliere, Ha! qualem prudentiam! Fœminam intue- [q Iudith. 10. 17 & c.] tur egreſſam ex urbe obſeſſâ q, viduam, quæ *in* [r Iudith. 8. 4. & 5.] *ſuperioribus domûs ſuæ fecerat ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur* r, quæ ci- [s Iudith. 10. 13.] vium ſuorum indicet ipſi *ſecreta, & quo aditu poſſit obtinere eos* s, ipſi oſtendat. Quòd mulier tradat civitatem, quænam apparentia?

Et

Digitized by Google

Et Holofernes id credit, quale judicium! quantam prudentiam! Illa ait illi, quòd obſeſſi nihil habeant ad bibendum, *& hoc ordinant, ut interficiant pecora ſua, & bibant ſanguinem eorum* t. Et tamen ipſa *impoſuit abræ ſuæ aſcopam vini, & panes, & caſeum* u, dum egreſſa eſt; quod eſt nota, civitatem Bethuliam non fuiſſe redactam ad extremas famis & ſitis anguſtias. Sic tamen eſt inſanus Holofernes ut has omnes non advertat ſimulationes; illud verum credit, quod jure merito ſuſpectum reputare debebat, nec ambigit de eo quod formidare debebat de hac muliere ſic ſtudioſè *omnibus ornamentis ſuis* x ornatâ, ſicut proprium eſt huic ſexui integras horas tranſigere coram ſpeculo ad ornandum ſe. Ha! Auditores, egredi è civitate obſeſſâ y, in qua nemo eſt qui mortis non percellatur tremoribus, ubi omnes incolæ quò ſe vertant neſciunt, nedum de rebus maximi momenti ſatagendis cogitent; & tantum mundum muliebrem ſecum trahere, tot ornamenta, tot lenocinia, tot artificia, & tot induſtrias, inſumere! Ha! ideò *ut videntes non videant* z; juxta Prophetiam, *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere* a. Mente captus erat Holofernes præ voluptate, *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes* b. Amor impurus eripit cor, nec habet ampliùs aliquis prudentiæ, ubi ſe in prædam dedit huic vitio.

t Judith 11. 10 & 11.
u Judith. 10, 5.
x Judith. 10 1.
y Judith 10. 6. &c.
z Luc 8. 10
a Iſai 6. 9.
b Eccli, 19. 2.

In omnibus vitiis oſtendit quis aliquam animi aciem, ſed in vitio voluptatis nullam. Fœnerator, ſanguiſuga populi, volens ſe implere ad diruptionem uſque, pecuniam tradit ad uſuram, & ex ea lucratur decem, aut duodecim pro centum, & plus, ſi poteſt, contra mandatum Dei expreſſum, & prohibitionem ipſi à Deo factam, *Mutuum date, nihil inde ſperantes* c; contra edicta fulminantia Chriſtianiſſimæ Majeſtatis; ſed in hoc commercio prohibito à Deo, & damnato ab hominibus, mentis præ ſe fert acumen; quia veritus ne puniatur, ſi forſan inquireretur, ſingulis annis contractū renovat, & denuò ſuos obligare facit creditores. Latro ſuum prætexet furtum neceſſitate, duelliſta occultſi duellum ſuum, & ſuam ſimoniam penſione ſimoniacus, &c. Ubique ſplendet aliquis prudentiæ radius, ſed in voluptate nullus; tota mens ſuis orbatur luminibus; quandiu ſe voluptuoſus vult excuſare, ſeſe condemnat; & ſi aliàs ſubtili præditus fuit ingenio & ſolido judicio, eo ipſo brutum efficitur, nec inde ſucceſſum ſortiri poteſt honorificum, unde vir mentis mediocris ſolidam ſibi conciliaret gloriam.

c Luc. 6. 35.

Videte David, quàm induſtrius ſit iſte exiguus Paſtor, *Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit, & proceſſit adverſum Philiſthæum*, cui oſtendens baculum, lapides illi abſcondit: *Prævaluitque David adverſum Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit, præciditque caput eius* d proprio ipſius gladio, triumphans ſic de ejus inſolentia & temeritate. Quid generoſius hoc adoleſcente? Sed vix voluptate ſe ſinit abripi e, cùm amittit id omne quod ſibi conciliaverat gloriæ. Non eſt ampliùs ipſe David, hic eximius Vir, ſed eſt Bethſabee, effœminatus eſt, puſillanimus, nullâ viget ampliùs prudentiâ, neque aliquâ mente ſanâ, eclypſim patiuntur ejus lumina, *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum* f.

d 1. Reg. 17. 40 &c.
e 2. Reg. 11. 4.
f Pſ. 37. 11.

Salomon qui dicebat de ſe, *Præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Ieruſalem* g: dicit alibi; *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum* h, & verum eſfatur, poſtquàm huic vitio ſe dedidit i. Ad illum undequaque currebatur ut ab eo ſalutaria capeſſerentur conſilia k; & inſpiciebatur ipſe ut ſpecioſus Sol, qui radiis ſuis omnes diſſipat tenebras, quæ luminibus ipſius non poſſunt ſociari: Sed ubi huic immerſus fuit vitio, ſic ſtupidus evaſit ac ſtolidus, ut nullo ampliùs vigeret judicio, quo ſuum crimen agnuſceret. Damnabilem voluptatem, quæ ditiſſimo hominem naturæ ipſius privat dono!

g Eccleſ. 1. 16.
h Prov. 30. 2.
i 3 Reg. 11. 4.
k 3. Reg. 10. 1. &c.

Duo ſenes Iudices l *vulnerati amore, volentes concumbere cum* caſta Suſanna, ut ſuis ſatisfacerent, quibus conſumebantur, flammis; cùm Suſanna ſe defenderet, & infirmitas ſexus ipſius de tota eorum triumpharet rabie & concupiſcentiâ; pudore ſuffuſi eò quòd prava ſua ad exitum perducere non potuiſſent conſilia, ultionem ſumpturi de reſiſtentia iſtius caſtæ fœminæ, calumniam ei irrogaverunt, quæ totam illius obſcuraſſet gloriam, ſi Deus, qui innocentes protegit, cauſam eius non fuiſſet amplexus, cùm *ſuſcitavit ſpiritum pueri iunioris, cuius nomen Daniel*, qui malitiam æquè ac inſanam mentem iſtorum ſenum voluptate allectorum, convicit falſitatis. *Et dixit, Separate illos ab invicem procul, & diiudicabo eos. Cùm ergo diviſi eſſent alter ab altero, vocavit unum de eis, & dixit ad eum, Si vidiſti eam, de ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi. Qui ait, Sub ſchino. Dixit autem Daniel, Rectè mentitus es in caput tuum. Et amoto eo iuſſit venire alium, & dixit ei, Dic mihi ſub qua arbore comprehenderis eos loquentes ſibi. Qui ait, Sub prino. Dixit autem Daniel, Rectè mentitus es & tu in caput tuum.* Calumnia eſt atrociſſima, Suſanna eſt innocens, & ſenes iſti merentur mortem, quam voluerunt ei inferre. Iſtos deceperat *ſpecies, & concupiſcentia cor* eorum ſubverterat. Sic voluptas, hæc Venus impudica, hæc Aphronia eripit homini ſanam mentem & judicium, & ut ſic gravibus tractandis ineptus eſt negotiis.

l Dan. 13. 5. &c.

II. Pars.

Illud eſt pro comperto, quòd ad aggrediendū & ad perficiendum magnum aliquod negotium mens, pars hæc ſuperior hominis magnâ debet potiri tranquillitate, magnâ frui pace, & quiete gaudere immodicâ, ut prævideat repagula, & occurrat obſtaculis quæ ſuorum bonitati officere poſſunt conſiliorum. Mens ſimilis eſſe debet monti Olympo, qui perſtrepentia audit tonitrua (Si auditus montibus poteſt dari) nedum eorum metuat violentiam, cùm ſuper omnes elevatus ſit turbines ac tempeſtates, & in eo conſtitutus ſtatu ut formari videat meteora (ſi neque viſus iiſdem renuivalet montibus) nedum malos eorum vereatur effectus. Agitata enim & turbata ſuarum violentiâ paſſionum, quæ omnia ipſius obtenebreſcere faciunt lumina, quomodo ritè ſuis perfungi poſſet muniis? Cùm igitur voluptuoſus impuritatis captivus ſuis immerſerit ſe ſordibus, nullam habet ampliùs notitiam gravibus tractandis negotiis accommodam, nullam ampliùs induſtriam quæ illis fœlicem largiatur ſucceſſum; rabies iſtius paſſionis eum efficit ut brutum, mentem ejus è proprio dimovit loco, ita ut nihil ampliùs videat ſic turbatus, & privatus luminibus prævus, quibus veluti lampade illuſtratus, clarè videbat in dirigendis negotiis quantùmvis ſpinoſis & difficilibus.

Id ſentiebant Romani cùm magnificum ſtategerunt Veneri ædificandum templum cùm hâc inſcriptione præ foribus ejus, *Veneri verticordiæ.* Quaſi dixiſſent, Templum Veneris evertentis corda, poſt obſcurata omnia mentis lumina. Convenientius non poteſt attribui nomen huic Furiæ infernali, quæ animam deſtruit æquè ac corpus. Eoſdem producit voluptas in homine effectus, quos ignis in fornace, cujus dealbat omnes lapides, excluſis ſuperioribus, quos denigrat. Voluptas dealbat hominem, faciens eum canum ante tempus, ejus ſubſtantiam diſſipat, omnia ejus bona, corporis, & fortunæ depopulatur; ſed quantùm ad intellectum, ad hunc mentis apicem, denigrat hanc ſuperiorem hominis partem, & obſcuritate ac tenebris eam

† Pſ. 10. 10.

operit, *Pones eos ut clibanum ignis* †. Et in hoc tractandis magnis inepti ſunt negotiis impudici ſtatu, & nihil vident in rebus mediocribus, quas ſic ritè

m Gal. 5. 7.

agebant. *Currebatis benè, quis vos impedivit* m? Heu! eximii viri, ſapientes more Salomonis, qui conſulebantur ut oracula, qui inſpiciebantur ut Soles orientes valentes radiis ſuis omnes dubiorum tenebras effugare, ita ut ad ipſos recurreret tanquam ad bonorum patres conſiliorum, qui erant refugiū populorum, quomodo tantâ percuſſi ſunt ſtupiditate, & tot obvoluti nebulis, quæ hæc omnia obtegunt lumina? *Currebatis benè, quis vos impedivit?* Voluptas ſanè, Auditores, hæc Venus, iſta Aphronia, privans hominem judicio, eum gerendis gravibus reddit inidoneum negotiis. Videtur alludere S. Paulus his ſpecioſis & cryſtallinis aquis, quæ inter duas valles decurrunt ſemper, nec unquam ſiſtunt; ſed vehementiâ frigoris in glaciem conſtrictæ condenſantur, & omnes hæ undæ quæ mutuò ſe impellebant, ſiſtunt. Sic, ait Apoſtolus, *Currebatis benè, quis vos impedivit?* Quis continuit decurſum ſpecioſarum aquarum iſtarum? quis caligine offudit iſta præclara lumina, quæ ſolido judicio ſuo tantum emittebant fulgorem? Voluptas reverâ, *Ut videntes non videant, & audientes non intelligant* n. Iſtud quidem vitium quod de-

n Luc. 8. 10. ex Iſai. 6. 9.

ſtruit hominem. *Ne dederis maculam in gloriâ tuâ* o.

o Eccli. 33. 24.

Hoc vitium obſcurat omnem impudicorum gloriam, eoſque ditiſſimo privat naturæ ipſorum ornamento, dum frontem illorum infami peccatorum

p Gen. 13. 13.

offundit nomine, *Homines Sodomitæ erant peccatores coram Domino nimis* p. *Mulier quæ erat in civi-*

q Luc. 7. 37.

tate peccatrix q. Et ſic gravibus agendis inepti ſunt negotiis. Idcircò Dei Filius perfecturus opus Redemptionis noſtræ, antequam lavaret *nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* r, accuſatus omnium alio-

r Apoc. 1. 5.

rum ferè criminum, nunquam tamen inſimulatus fuit iſtius vitii, quod eſt obſtaculum omnibus magnis negotiis peragendis oppoſitum, & Partes ſuas ipſas conſtituens ſuos Judices, generoſo dicit eis

s Joan. 8. 46. &c.

animo, *Quis ex vobis arguet me de peccato* s? Ut diſceremus, quòd infami huic vitio impuritatis, quod omnia lumina obſcurat, immerſi nihil generoſum valeant aggredi.

Electione Divinâ evectus Moyſes ad hoc officium ſublime Ducis populi Iſraëlitici t; ut ſtabi-

t Exod. 3. 10. &c.

liretur ipſius animus, qui medias inter infirmitates ſuas formidare jure debebat merito vires & ſævitiam Pharaonis, in cujus inſurgere debebat potentiam, cujuſque refragaturus erat conſiliis, mandatum accipit à Deo, ne metuat, & certitudinem, quòd ipſe ſuper Pharaonem eandem ſit habiturus poteſtatem, quam ipſemet Deus, *Conſtitui te Deum*

u Exod. 7. 1.

Pharaonis u, cum jam dixiſſet ipſi prius Deus: *Ego ero tecum, & hoc habebis ſignum quòd miſerim te* x.

x Exod. 3. 12.

Sic certus effectus Moyſes impoſita ſibi munia aggreditur. *Cùmque eſſet in itinere, in diverſorio, occurrit ei Dominus* y, *Angelus, humanâ formâ, ge-*

y Exod. 4. 24.

rens Dei perſonam. Unde Septuaginta vertunt, Occurrit illi Angelus, ait Cornelius z, *& volebat occidere eum.* Quid? reluctaturne ſervus conſiliis Domini ſui? Fortaſſis præſumptionis eſt conſcius Moyſes tale munus aggrediens. Nequaquam, cùm excuſationes prætexeret ſuā inidoneitate a. Deus id vult: Cur igitur Angelus qui tot utilia exhibuerat Tobiæ officia b, non favet conſiliis Moyſis, nedum illi minitetur mortem? Ratio iſtius eſt, Quia tanti negotium aggrediens momenti, uxorem ſuam ducebat ſecum tot operaturus mirabilia. Iraſcitur Deus, & ideò *Angelus volebat occidere eum.* Ita verum eſt, quòd voluptas magnis ſemper obeſt conſiliis, nec eorum fœlicem ſortiri poteſt quis ſucceſſū quandiu his immerſus eſt ipſe deliciis. Si verò (Obſervate illud Auditores) res quæ licitè exerceri poteſt, tanto arguitur rigore, & damnatur ut obſtaculum magnis negotiis aggrediendis oppoſitum: quid agetur de tot voluptatibus, exceſſibus, & deliciis criminoſis? quid dicetur de furore maledictæ hujus paſſionis? & quomodo quis bonum in hoc ſtatu præbere poſſet conſilium? Non poteſt hoc tunc fieri, cùm impudicus non habeat ampliùs mentem ſanam, & Venus omnia everterit in hoc microcoſmo, nulluſque ſit ampliùs Sol in hoc exiguo hominis orbe, cujus lumina offuderit caligine hæc Aphronia. Noluit S. Paulus ſororem ſuam ſecum ducere (licèt potuiſſet) à qua levamen ſuſcepiſſet aliquod externum medias inter peregrinationes ſuas æquè ac prædicationes; & ideò noluit, ne illa fortè offeciſſet ipſius conſiliis, *Nunquid non habemus poteſtatem circumducendi ſororem mulierem? Sed non uſi ſumus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti* c. Quod cum ita ſit, nihil ſuſcipi poſſe magni ab immerſis huic vitio.

z Cornel. in Exod. 4. 24.
a Exod. 4. 10. &c.
b Tob. 5.
c 1. Cor. 9. 5. & 12.

Prævaricatores redite ad cor d, revertimini ad vos ipſos, & cogitate quantam vobis irrogetis injuriam. Non viget ampliùs in vobis mens, eam profligaſtis. *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum* e, ajebat voluptuoſus quidam poſt crimen ſuum. Non eſtis ampliùs homines niſi nomine & apparentiâ, ſed bruta realiter, cùm ſic ritè eorum obeatis munia. Hæc eſt differentia inter intellectum & voluntatem, quòd intellectus attrahat ad ſe objectum, illudque ſibi uniat; ſed voluntas exit è ſeipſâ ut adhæreat rei amatæ, *Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat* †. Voluptuoſi efficiuntur ſimiles iis quæ ipſi amant, *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt* f. Fœtentia amant ipſi corpora & ſordes, ideò toti ſunt animales, & immundi, corda ſua habent cloacis alligata, nō vigent ampliùs ſanâ mente, ſed ſunt *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Et ideò camo & fræno coercendi, *In camo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te* g. Cùm igitur hoc vitium ſanâ deſtituat nos mente, & tractandis nos inidoneos efficiat negotiis, deſeramus illud, obſecro, & horreamus ipſum. Tres perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis habent ſingulæ aliquod attributum ſpeciale, Pater potentiam h, Filius ſapientiam i, & Spiritus ſanctus amorem k; ſed tres ſimul puritatem l. Cœli ſunt puri, & *non intrabit in eam*, id eſt, in Jeruſalem cœleſtem, *aliquod coinquinatum* m. Angeli ſunt omnino puri; & Sancti qui in eo ſunt, nihil habent immundi, cùm nihil æquè oderint in terra ac impuritatē. Loqui de ſordibus Seraphico Patri S. Franciſco, & Patriarchæ S. Benedicto, idem erat ac eos projicere in ignem, & in ſpinas eò uſque ut ex illorum corporibus Sanguis efflueret. Amemus puritatē in hac præſenti vita, cum ut ea conſtituat nos Angelos præ ſimilitudine. Amemus eam, cùm acquirat nobis gratiam, & debeat nos unire tandem ipſi Puritati, id eſt Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

d Iſai. 46. 8.
e Pſ. 37. 11.
† Dion. Carthuſ. 35. in Luc. 12. 4. de mot. S. Aug.
f Oſee 9. 10.
g Pſ. 31. 9.
h Pſ. 8. 4. 7.
i Sap. 7. 24.
k Pſ. 118. 68.
l Iſai. 6. 3.
m Apoc. 21. 27.

FERIA

FERIA V.
POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende : peccavit populus tuus. Exod. 32. 6. &c.

SIſara comiter & blandè invitatus à Jahele obviâ procedente ipſi fugienti, ut in tentorium ipſius ingrederetur, proditus ab hac muliere, (à qua petierat aquam ad extinguendam ſitim ſuam) porrecto ipſi lacte hauriendo, ab eadem interemptus eſt, clavo temporibus ſuis ab hac fœmina infixo, dum ipſe demulſus lacte ac ſopitus dormiret a. Iſta Jahel non eſt alia niſi caro demulcens lacte voluptatum, à quibus cavere nos admonet Salomon, *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis* b. Hoc eſt lac, quod Ahuiqui vocabant amarum dulce, & magis amarum quàm dulce, illud pro æternitate, iſtud pro momento. Et ſicut Clemens Alexandrinus c vocavit mel principium fellis, *Mel quidem cùm ſit dulciſſimum, bilem generat* : ita mel voluptatum pœnas procreat æternas. Lac propinatur Siſaræ à Jahele, *Cùm enim ſit lactis natura humidior, craſſior & fumoſior, ſolet, vini inſtar, caput petere, ſpiritusque ac fumo denſiore oppletum ſoporare. Vnde capitis dolore, aut vertigine laborantibus id à Medicis negatur, itemque bilioſis & febricitantibus*, ait Serarius d, citans pro prioribus Plinium, & pro poſterioribus Hippocratem. Dicebam vobis nudiustertius ebrietatem eſſe ultimam diſpoſitionem ad luxuriam, de quâ locutus ſum vobis heri, & oſtendi tam ebrios quàm luxurioſos, eſſe deſtitutos lumine rationis, judicij, & prudentiæ, vino immerſos, aut luxuriæ. Dormiebat Siſara, ſed ampliùs non evigilavit. Filii Iſraël ſopore deprimuntur vini ac luxuriæ. Deſcendit Moyſes è monte *per compaſſionem*, ut ait à Kempis e, ut eos ſuſcitaret à ſomno vini & luxuriæ. Sed cùm expergiſci nollent, mutatâ compaſſione in zelum juſtum Moyſes cùm dixiſſet, *Si quis eſt Domini, jungatur mihi, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum : Fecerunt filii Levi iuxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ quaſi viginti tria millia hominum*, qui poſt mortem temporaneam morte peremti ſunt æternâ. Sanctus *Spiritus* qui ſanctarum Author eſt inſpirationum, quippe qui *ubi vult ſpirat* †, ſacras nobis cogitationes inſpirabit, quibus puritatem perſuadere conemur, quandiu impuri iſti voluptatibus illicitis indulſerint. Ipſe *bonus & ſuavis eſt Spiritus in omnibus. Ideoque eos qui exerrant, partibus* corripit, *& de quibus peccant*, admonet & alloquitur : *ut relictâ malitiâ credant in Deum* f fide firmâ per opera caſta & pura; & innumeris cumulat conſolationibus eos qui voci ipſius præbent auditum. Ideò præbebit nobis lumina, quibus malitiam cognoſcamus impuritatis, ſi ad ipſum recurramus media interceſſione Matris illius qui eſt *Sanctus Dei* g, & ipſa Puritas; quæ ob amorem puritatis petivit ab Angelo, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco* h, cùm ſalutaretur ut Deipara mox futura ab eodem Angelo dicente ipſi eadem verba, quæ nos humiliter proſtrati ipſi offerimus, *Ave Maria.*

a Iudic. 4. 18. &c.
b Prov. 1. 10.
c Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 19.
d Serar. q. 20 in Iudic. 4. 19. ex Plin. l. 28. c. 4. & ex Hippoc. aphoris.
e à Kempis 2. p. tom. 2 Meditat. 25.
† Ioan. 3. 8.
f Sap. 12. 1. & 2.
g Marc 1. 24. & Luc. 4. 34.
h Luc. 1. 34. &c.

Referens David i infortunia, ad quorum ſe redactum intuitus erat anguſtias, quandiu in inimicitiam Dei incurrerat, ait, ſe peccatis ſic oppreſſum fuiſſe tyrannide, ut collocatus fuerit velut in carcere, & in loco, in quo ſepeliuntur mortui; & animam ſuam extremum egiſſe agonem, & cor ſuum dimicaſſe cum interitu : *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliavit in terrâ vitam meam. Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi : & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.* Non miror, Auditores, quòd Propheta ceciderit; nam peccatum quod eſt illi infenſum & inimicum, in ſuam jam redegerat eum ſervitutem ut captivum, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* k. Et ſtatim ac captivus eſt effectus, non fuit ampliùs illuminatus à Sole gratiæ Dei, nec lampade rationis, nec aliquo ſplendore aut lumine ullius conſiderationis, nec fultus baculo fidei, nec directus ab ullo è Conſiliarijs aut Aulicis ſuis; qui potiùs ſuis adulationibus, blanditiis, & conniventiis ipſum ad peccandum induxerunt l. Sed ſtupore ſum percitus, quòd cùm magnus eſſet Rex, plenâ fruens libertate, in voluntariam ſe injecerit ipſe captivitatem : quòd cùm Propheta ſic eſſet perſpicax, tot privaverit ſe luminibus : & quòd cùm ita foret potens per Sceptrū quod geſtabat præ manibus, baculum non haberet, cui innixus, ſuos firmaret ſtabiliretque greſſus : nec virum conſultorem & providum qui vias ipſius æquè ac pedes ipſius dirigeret.

i Pſ. 142. 3.
k Ioan. 8. 34.
l 2. Reg. 11. 3. &c.

Sed ut quid exempla inquirimus à longè? & cur potiùs noſtrum non continemus diſcurſum in perſona noſtrorum Iſraëlitarum, qui perfectâ potiri valebant libertate, & tamen ad obſcuri carceris inſanæ concupiſcentiæ ſe redegerunt captivitatem. Electi erant à Deo, *Et tu Iſraël ſerve meus, Iacob quem elegi, ſemen Abraham amici mei, ne timeas, quia ego tecum ſum : ne declines, quia ego Deus tuus : confortavi te, & auxiliatus ſum tibi* m. Et ſic magna hauriebant lumina à Deo, qui eſt magnus Sol æternus; & tamen ſic ab illo ſunt averſi, ut dicere poſſint præ veritate, *Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis* n. Duces habebant Moyſen & Aaronem, qui edocebant ipſos ut intra ſemitas ſe continerent rectæ rationis, neque à divinis declinarent ſequendis viis; & tamen ſic ſuam perverterunt mentem, ut nihil ampliùs ſupereſſit ipſis rationis, judicii, & prudentiæ ad ſua ſatagenda negotia. Infirmi erant quatenus homines : *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto* o : & prout tales præ ſe ferre debebant baculum, & aliquam validam conſiderationem, quâ fulti firmi & ſtabiles conſiſterent; & currere voluerunt innixi debilitati imaginationis ſuæ. Innumeri erant, & ſic ſibi mutuum impendere debebant auxilium; ſed malè ſociati ſunt, quippe qui erant omnes cæci, ut dixi jam vobis heri, & nudiuſtertius, *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt* p. Et deſtituti lumine, ratione, mente, baculo, & bonâ directione, redacti in captivitatem concupiſcentiæ, quaſi *in obſcuris* collocati, inde voluerunt exire, & incedere. Heu! non priùs aliquos peregerunt greſſus, cùm impinguntur in lapides validos ita fortiter, ut cadant in foveam infœlicitatis æternæ, & infamiæ quæ nunquam delebitur. Sed quid miramini? Auditores. Cæci ſunt, & ſtulti, ut multoties dixi vobis: *& dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt*

m Iſai. 41. 8. & 10.
n Sap. 5. 6.
o apud Senec. Epiſt. 95.
p Matth. 15. 14.

q Pſ. 13. 1. *Deus* q. Et cùm adorent vitulum aureum, qui nullos habet oculos, cùm ſit opus manuum hominum, imaginantur nullum eſſe alium Deum, aut ſaltem eum non habere oculos, quibus ipſos intueatur. Sed hallucinantur turpiter, rati Deum eſſe cæcum, quin imò ipſi duplici percutiuntur cæcitate ſicut & cæteri impudici. Divisio Primò enim impoſſibile eſt ut non videantur à Deo. Secundo, Periculoſum eſt ne videantur & deprehendantur ab hominibus, quandiu aſſerunt ſe nec ab eo, nec ab iſtis videri poſſe.

I. Pars. Veritas eſt manifeſta, peccatores deſiderare ſemper ab alienis declinare obtutibus, quandiu alicui indulgent peccato; *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius* r. r Ioan. 3. 20. Allegare enim quòd Deus ſit cæcus, idem dicere eſt ac Deum non eſſe Deum. Deſeramus igitur expoſitionem nominis iſtius, Deus, Θεὸς Græcè, quod oritur è verbo quod ſonat videre & cognoſcere, ut intelligatur, id quod magis videtur eſſentiale Deo, nimirum viſus & notitia; & inquiramus aliquas rationes, propter quas hoc nomen ei attribuitur. Philoſophi, qui notitiam Dei non habuerunt ſic certam, ac nos habemus illuſtrati fidei lumine, ſatentes tamen diſcurſu Philoſophico & ratione naturali Cauſam ſupremam, cœlorum Motricem, & elementorum Opificem (*Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & Divinitas* s) s Rom. 1. 20. illam nuncupaverunt primam Intelligentiam, quaſi dicerent, Impoſſibile eſſe ut mundus caſu aut fortuitò factus fuerit, & quòd oporteat ut eum Spiritus aut Intelligentia formet t, conſervet u, & regat: t Gen. 1. &c. u Sap. 8. 1. quæ Intelligentia, ſi ſit prima, nec pendeat ab aliâ, conſtituere poteſt unum Deum. Deus iſte qui novit omnia antequàm ea produceret, ea conſervat ſemper ubi illa produxit: Atqui non poteſt illa conſervare, niſi manum ſuam ibidem ſemper habeat applicatam, & ea diſtinctè cognoſcat: Deus igitur habet oculos.

Sed velletiſne cogitare quòd oculi illius noſtris ſimiles ſint oculis? *Nunquid oculi carnei tibi ſunt: aut ſicut videt homo, & tu videbis* x? x Iob. 10. 4. Ha! quàm magnâ ei irrogaret ille injuriâ qui id aſſereret, idem enim eſſet ac dicere, quòd viſus ejus poſſet infirmari præ longitudine vitæ ipſius, quod fieri nō poteſt; omnia quippe mutationi ſubjacent & incōſtantiæ, ille verò nullâ movetur viciſſitudine, *Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut veſtimentum veteraſcent: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient* y. Idem planè foret ac aſſerere, y Hebr. 1. 11. & 12. ex Pſ. 101. 27. & 28. quòd impediri poſſet intuitus Dei medio muro, aut alio corpore opponendo inter ipſum & rem, quam vellet ipſe conſiderare, quod poſſibile non eſt: nam quidquid poſſumus imaginari debere impedire viſum ejus, erit ſemper opus manuum ipſius. Cur igitur aliquod opponere ei obſtaculum? Idem eſſet ac contendere, illum videre tantùm exteriorem faciem noſtram, non autem interius cor noſtrum, quod falſum eſt: *Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor* z. z 1. Reg. 16. 7. Oculi ejus ſunt immateriales, & ſic rerum materialium lædi non poſſunt occurſu: Sunt univerſales, nec concludi poſſunt montibus aut muris veluti terminis: Sunt immortales, & ſic non poſſunt infirmari annorum longitudine, aut tempeſtatum viciſſitudine. Dico oculos Dei eſſe immateriales, cum non diſtinguantur à ſubſtantia Dei, & *Spiritus eſt Deus* a. a Ioan 4. 24. Et ſicut iſte Spiritus penetrat omnia corpora; ita oculi Dei univerſa intimè pervadunt corpora. Ajo eos eſſe univerſales; ſicut enim ſubſtantia Dei per ſuam immenſitatem ubique invenitur, b Ier. 23. 24. *Cœlum & terram ego impleo* b; oculi ejus intuentur circumquaque, *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu eius: Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius* c. c Hebr. 4. 13. Aſſero eos eſſe immortales; ſicut enim Deus eſt immutabilis, *Ego enim Dominus, & non mutor* d; d Malach. 3. 6. oculi ejus non poſſunt alterari aut mutari; & ſi ſemper vidit id, quod in mundo peragitur, non poteſt quin illud videat in permanentiâ æternitatis ſuæ beatæ, in qua ipſe eſt immortalis, *Ego ſum qui ſum* e. e Exod. 3. 14. Quomodo autem non videret illud? cùm omnia contineantur in eſſentiâ ejus tanquam in primâ ipſorum causâ, in omnipotentia illius ſicut in principio ſui eſſe, in ideis ejus ſicut in ſpeculo nitidiſſimo, in conſiliis quæ format ipſorum producendorum, eaque ſic clarè intuetur ac videt ſemetipſum. Dicendum eſt igitur, Deum aut non agnoſcere ſe, & ſemetipſum ignorare; aut ſi concedatur, eum ſe videre, & ſeſe penetrare ac ſcrutari, oportet ut aſſeratur, eum videre & intimè pervadere omnes creaturas. Id innuere volebat magnus ille ſtatuarius Phidias, cùm concinnans ſtatuam Jovis, aquilam manui ejus impoſuit, quaſi diceret, quòd ſicut nullum eſt animal præditum viſu ſic ſubtili & perſpicaci ac aquila; ſic omnes inter ſpiritus maximè intelligens eſt Spiritus Dei, etiamſi ſemper diſproportio & diſtinctio ſit infinita inter Deum & id quod Deus non eſt, inter Spiritum Dei & oculum aquilæ: aquila enim nihil videt præter id quod eſt in ſuperficie terræ, Deus autem antipodes uſque pervadit, & ipſas intuetur *abyſſos* f. f Dan. 3. 55.

Ubi ſunt nunc impudici noſtri; qui viſum præ ſe ferentes infirmum æquè ac oculos caligine offuſos, cogitarent Deum pariter eſſe lumine orbatum, more ipſorum qui veluti equi indomiti in verecundam aliquam virginem, aut in honeſtam aliquam mulierem opprimendam hinnirent, audentes aſſerere ſe à nullo videri, ut iſtius, aut illius pudicitiam corrumpant. Quomodo? Nunquid infames iſti validiorem in medium afferre poſſunt rationem quâ conſtantiam virginum, aut fœminarum concutiant ac labefactent? quàm ut ſic execrandam promant blaſphemiam, quâ Deum efficiant cæcum, & ſuarum inſcium actionum æquè ac blaſphemant cum illum annihilare contendunt, cùm poſt formatum *opere fuſorio vitulum conflatilem, dixerunt, Hi ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Non ſolùm ipſis non videtur ſatis pravum formare conſilium contra legem Dei g; g Exod. 32. 17. ſed volunt etiam deſtruere eſſentiam Dei, & imaginari Deum eſſe inſanum, aut ebrium, dicentes ſe à Deo non videri, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob* h. h Pſ. 93. 7. Volunt ut Deus ſit cæcus? Volunt igitur ut Deus non ſit Deus. Si enim Deus non videat omnia, non poteſt eſſe Deus; & æquè horribilem blaſphemiam evomunt, dicentes ſe non videri à Deo, ac cogitantes nullum eſſe Deum, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus* i. i Pſ. 13. 1. Saltem ſi finerent ut ſuâ Deus frueretur pace & felicitate k, k Pſ. 6. 7. & Ioan. 13. 16. quandiu ipſi ſuis ſatagunt indulgere voluptatibus, eumque offendunt qui ipſorum non interturbat delicias, illi prorſus non eruerent oculos, deberentque ſaltem permittere ut ipſos intueretur ille; nam cum ipſos non exterminet eo ipſo quo pravam ſuam conceperunt iniquitatem, ſignum eſt manifeſtum eum velle ipſis propriam condonare malitiam, cùm miſereatur *omnium, quia omnia* poteſt, *& diſſimulet peccata hominum propter pœnitentiam* l, l Sap. 11. 24. Quin imò dicere potiùs deberent, ſi ipſis ſupereſſet aliqua mentis acies, aut radius ullus luminis medias inter effrænes paſſiones ſuas; Ha! advertimus quidem Deū videre intentionem noſtram, & computaſſe hortendas omnes ſaltationes noſtras & impuras geſticulationes

culationes noſtras, & oculos habere ſemper apertos ut obſervet omnia verba noſtra, & opera noſtra; ſed ſicut cogimur confiteri ingeniiè, quòd Deus nos videt, & nos obſervat; ſic ita Divinæ illius confidimus bonitati, ut, quantùmvis peccatores & impuri, anſam poſſimus adhuc nanciſci ſperandæ veniæ ab eo, & conciliandæ nobis miſericordiæ illius; ſicut enim noſtrorum intuetur enormitatem delictorum, ita nec ignorat naturæ noſtræ fragilitatem, *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum* m. *Id eſt infirmitatem noſtram. Novit quid fecerit, quomodo lapſum ſit, quomodo reficiendum ſit, quomodo adoptandum ſit, quomodo ditandum ſit*, ait S. Auguſtinus n.

m Pſ. 102. 14.
n S. Aug. in Pſ. 102. 14.

Ha! ſi ita loquerentur, aliqua ſpes veniæ affulgeret, peccatum eorum non eſſet ſic deteſtabile, ſatiſque oſtenderent, quòd ſi ſuis vacaturi ſint delicijs & voluptatibus, non intendunt ipſi ut id officiat Deo, & quòd ipſos tædet gloriæ illius injuriam irrogari à conſiliis, quæ formant ipſi, adimplendorum pravorum appetituum ſuorum; ſed dicere ſe à nullo videndos, dum impuritati indulgebunt, ut pudorem puellarum aut fœminarum profligent, poſt ductas cum illis aliquandiu horrendas choreas, & infames editas ſaltationes, & cogitare quòd vela ſeu cortinæ ſtrati, aut janua ſeu muri diverſorij vel cubiculi impedire poſſint ne ipſorum impudicitias intueatur Deus; quanta blaſphemia eſt illa? Sed quid? detur quod muri domorum ipſorum ſint chalybei, & oſtia cubiculorum ænea, nunquid ea obtutibus Dei oberunt? Ille qui diebus ſingulis Angelos, qui *ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos qui hereditatem capient ſalutis* o, tranſverſos prætererire facit ſine ullâ fracturâ aut labefactione *cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt* p; inter alios verò illi qui *venerunt duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus civitatis, eduxeruntque eum, & poſuerunt extra civitatem* q jam jam miraculoſo incendio ob inauditas Sodomitarum impudicitias comburendam, (quibus Angelis repræſentabatur ipſemet Deus, ut exponit Cornelius r) indigebuntne aliquam edere labefactionem aut fracturam, ut puellas aut mulieres è manibus impudicorum iſtorum eripiant? Ipſe Deus, quo jubente (ut punirentur Core, Dathan, & Abiron, qui contra Moyſen murmuraverant, & ſui ſceleris pœnas luerent) *dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum, devoravit illos cum tabernaculis ſuis & universâ ſubſtantiâ eorum, deſcenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis* s; nunquid non aperiendum præcipiet oſtium cubiculi, niſi labefactandum decernere malit murum ejus, ut impuros iſtos homines apprehendendos ſatagat ab aliquibus juſtitiæ ſuæ miniſtris? Ipſe qui *mare abſtulit Dominus, flante vento vehementi & urente totâ nocte; & vertit in ſiccum; diviſaque eſt aqua; filij autem Iſraël perrexerunt per medium ſicci maris, & aqua eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris: liberavitque Dominus in die illâ Iſraël de manu Ægyptiorum; & viderunt Ægyptios mortuos ſuper litus maris* t: Et ipſe, quo jubente, *Iordanis ſteterunt aquæ deſcendentes in uno loco, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul: Populus autem incedebat contra Iordanem, & Sacerdotes qui portabant Arcam Fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis, accincti, omniſque populus per arentem fluvium tranſibat* u; ipſe, inquam, Dominus nunquid non confringere poterit januas, aut muros cubiculorum, ut educat virgines aut mulieres è poteſtate infamium iſtorum. Defendere ſe contendunt medijs oſtijs & muris;

o Heb. 1. 14.
p Iob. 37. 18.
q Gen. 19. 1. &c.
r Cornel. in Gen. 19. 1. & 18. 2.
s Num. 16. 31. &c.
t Exod. 14. 21. &c.
u Ioſue 3. 15. &c.

Sed nonne Deus eſt in cœlis? & nunquid non deſurſum ſuos deorſum projicit oculos meliùs quàm ſuos in noſtrum diffundat Hemiſphærium Sol viſibilis radios? *Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit* x. Ha! neſcij non ſunt præſentiæ Dei, nec illos latet notitia, quam Deus habet operum aut intentionum ipſorum: ſed ſicut ſciunt, quòd, ſi hæc divina præſentia æquè ac ſcientia benè conſideretur, efficere poſſet ut ipſi intra debitos obſervantiæ divinorum continerentur mandatorum limites; ideò allegare præſumunt puellis, aut fœminis, quas corrumpere intendunt, ſe nec à Deo videndos, ut meliùs eas decipiant, neve Divinam incurrere videantur iracundiam.

x Pſ. 101. 20.

Sed noverint, quòd *nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius* y, id eſt, declinare non poſſint ab igne juſtæ indignationis Dei, ut ait Lorinus z, citans S. Irenæum, *Irenæus addit, non eſſe qui ſe abſcondat à calore eius, quoniam non eſt qui iuſtum iudicium eius effugiat.* Quod judicium ſeu quam juſtam Dei iram repræſentat phiala illa, quã *ſextus Angelus effudit in flumen magnũ Euphraten: & ſiccavit aquam eius* a. Quod ut intelligatur, notandum eſt, quòd ubi diſtillantur flores, ponitur amphoræ aut phialæ os in extremitate clibani vitrei aut ærei, quæ guttas ſingulas inde defluentes ſuſcipit ex floribus jacentibus vapores coctos igne. Ita de impudicis. Clibanus eſt luxuria, flores ſunt voluptates animales momentaneæ; ignis conſumens eſt incendium amoris carnalis, vapores exillati ex ejuſmodi conſumptione ſunt peccata, quæ Deus colligit intra phialam iræ & juſtitiæ ſuæ, quam juſtitiam idem S. Joannes indicavit nobis per *phialas plenas iracundiæ Dei* b. Ubi obſervat Cornelius c ad propoſitum, quòd *Hæc ira non eſt in paterâ latâ, ſed in phialâ, quæ habet os arctum & anguſtum, inquit Viegas; quia hæc iudicia & decreta vindictæ Dei comprimit eiuſdem Dei miſericordia, ne profundant, ſed ſtantùm ſtillent iram Dei.* Hinc Ezech. 20. 46. dicitur, *Stilla ad Africum: ut non tota, ait ibidem S. Hieronymus, ira Dei videatur effuſa, ſed ſtilla quadam & parò. Si autem ſtilla tanta ſævitia eſt, quid in totis imbribus æſtimandum erit?* Sed heu! quàm fragilis eſt hæc phiala! ſufficit vel unicus halitus ut inde excutiatur & effundatur; quæ ubi effuſa eſt ſuper Euphraten, id eſt, ſuper aquas voluptatum carnalium; *Euphrates enim ſignificat torrentem deliciarum*, ait idem Cornelius d; *Vel per Euphratèn intelliguntur reprobi vitijs carnalibus ſervientes ac defluentes? Propter quod nomine Euphratis exprimuntur, quia in aquis ſuæ luxuriæ & propria impietatis demorabuntur*, dicit Dionyſius Carthuſianus; ſtatim illæ aquæ ſiccantur. *Et ſiccavit aquam eius, id eſt, delicias*, ait idem Dionyſius e. Quia ſtatim ac juſtitia Dei impudicum aggreditur, iſte ſiccatur in inferno.

y Pſ. 18. 7.
z Lorin. in Pſ. 18. 7.
a Apoc. 16. 12.
b Apoc. 15. 7.
c Cornel. in Apoc. 15. 7.
d Cornel. in Apoc. 16. 12.
e Dion. Carth. art. 17. in Apoc. 16. 12.

Sed contineamus, Auditores, tantiſper curſum indignationis noſtræ contra hos impudicos, & compatiamur eorum infirmitati, paſſione quippe abripiuntur, & quicumque aliquâ affectus eſt paſſione, nunquam ita eſt diſciplinæ aut correctionis capax ſumendæ; & fortaſſis non ſunt ita conſcij ut eos eſſe aſſerimus. Dicere enim quòd non lateat eos, hæc quæ aggrediuntur ipſi crimina patrare, eſſe contra legem Dei, hoc non impedit quominùs ſint homines ſicut & cæteri, & ideò obnoxij paſſionibus ſicut & reliqui. Et aſſerere quòd ſemper debeant meminiſſe Dei, & legis ejus, quoties offertur ipſis anſa & occaſio offen-

Digitized by Google

offendendi ejuſdem Dei, & declinandi ab obſervantiâ legis illius, foret quidem illud ipſis utile atque proficuum, ſi executioni id mandare ſatagerent. Sed non poſſunt præ ſe ferre ſemper animum ſic legibus rectæ rationis applicatum, ut ab iis nunquam aberrent aut divertantur. Et licèt vobis concederem, inveniri poſſe aliquos homines, qui nunquam obliviſcantur eorum quæ ſuorum ſunt muniorum, quique ita ſunt aſſueti ad obſervanda omnia quæ offeruntur, & ad examinandùm an res de quâ agitur, offendat Deum, necne; hos tamen juſtificare non exiſtimarem; non enim ſufficit bonum cognoſcere, ſed illud eſt peragendum cùm cognoſcitur. Non eſt ſatis poſſe judicare quidnam ſit virtuti conſonũ, & quidnam ſit ei diſſonum, oportet ut voluntas ſequatur conſilium intellectus,

Video meliora, proboque,

Deteriora ſequor.

Rom. 7. 15. &c.

Et S. Paulus f nonne dicebat? ſe cognoviſſe quidem bonum, quod ipſi fuiſſet peragendum, & quod ipſe voluiſſet reverâ facere; ſed tamen quòd illud non exequeretur; *Non quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Supra quæ verba miram affert idem Dionyſius Carthuſianus g expoſitionem, quam licèt ſatis prolixam non cenſui tamen eſſe omittendam, *Non quod volo bonum, id eſt, actum virtuoſum, quem ſecundùm rationis dictamen volo & approbo, hoc ago, quia carnalitati, vitiiſque ſuccumbo; ſed quod odi malum, id eſt, peccatum quod ſecundùm rationis cenſuram deteſtor, illud facio, paſſionibus cedens, & ſenſualitati conſentiens. Si autem quod nolo ſecundùm rationem, illud facio ſecundùm ſenſualitatem; conſentio legi, quoniam bona eſt, id eſt, legem approbo, quia quod illa prohibet, ratio mea malum eſſe cognoſcit: Nunc autem, id eſt, iſtis ſic ſtantibus, iam non ego operor illud malum, inquantùm homo, ſeu rationalis creatura, cuius eſt vitia abhorrere, virtutes diligere, & deprecari ad optima, ſed quod habitat in me peccatum, id eſt, fomes peccati, ſeu concupiſcentia firmiter radicata in me eſt cauſa mali impellendo ad ipſum* h: *tanquam dicat, Non ut rationalis, ſed ut brutalis ſeu beſtijs ſimilis* i *ago hoc malum, quod ratio reprobat. Ad horum intelligentiam pleniorem habendam, oportet advertere, quòd Apoſtolus aſſumit hoc loco perſonam duorum hominum, ſcilicet interioris & exterioris* k; *vel potiùs duplicis hominis, id eſt, eiuſdem ſecundùm duplicem portionem ipſius. Eſt enim in homine duplex pars, videlicet intellectiva, & ſenſitiva, ſeu ratio & ſenſualitas, quæ aliter appellantur ſpiritus & caro, homo interior atque exterior. Ratio autem competit homini ſecundùm propriam hominis definitionem; ſenſualitas verò ſecundùm id quo cum brutis communicat. Idcircò quod agit & vult ſecundùm rationem, hoc dicitur propriè velle & agere. Hoc enim agit & vult ſecundùm quòd homo. Quod verò agit aut appetit ſecundùm ſenſualitatem, ſeu partem ſenſitivam ſine rationis advertentiâ ſeu conſenſu, non dicitur propriè agere ſive appetere, quia non agit nec appetit illud inquantùm homo, ſed ut iumentis communicans. Sicque apparet quomodo homo dicitur agere quod tamen non agit, ſicut iam dixit Apoſtolus, Quod nolo facio, & iam ego non operor illud. Denique, non ita intelligendum eſt, quod ait; Iam ego non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, quaſi homo neqaaquam operetur illud, vel à vitio excuſetur, ſed quia non agit illud ut homo benè diſpoſitus,* ſic valida eſt præſentia objecti quando occurrit ſimul cum conſuetudine, aut cum naturali inclinatione aut propenſione ad aliquid. Hi impudici ſciunt apprimè, quòd illud, quod agere intendunt, non eſt rectæ rationi conſentaneum, & ideò latebras quærunt, & ut meliùs ad peccandum ſecum inducant eas, quas volunt corrumpere, dicunt ſe non eſſe videndos à Deo, cùm in cubiculo delituerint, cujus oſtium ſunt concluſuri, cùm ſolum ſit vitium quod tenebras inquirat. *Omnis enim qui malè agit non ſolùm ex infirmitate, vel ignorantiâ, ſed ex certâ malitiâ, ſeu habitu pravo, odit lucem, & non venit ad lucem, hoc eſt in publicum ex verecundiâ, aut timore pœnarum, ut non arguantur, id eſt, reprehendantur, ſeu corrigantur à Prælatis & iuſtis hominibus opera eius tenebroſa*, ait idem Dionyſius Carthuſianus l poſt S. Joannem.

g Dion. Carth. art. 10 in R. 7. 13. &c.

h ex Iacob. 1. 14.

i ex Pſ. 48. 13. & 21.

k ex 2. Cor. 4. 13. & 14.

l Dion. Carth. art. 9. in Ioan. 3. 20.

Sed ſanè impuri iſti homines ſic animali ſuæ ſunt alligati paſſioni, ut non ampliùs ſe ſinant dirigi à ratione m, aut à lege Dei n; uni ſoli extremo adhærent, nimirum timori hominum; & modò non videantur ab hominibus, non multùm curant utrùm aſpiciantur à Deo, more ſerpentum qui dummodò caput ſuum poſſint obtegere, de reliquo ſunt parùm ſoliciti. De cætero non videntur omnino profligati, cùm etiam oculos effugiant hominum, ſcelus ſuum patraturi; inveniuntur enim aliqui ita ſceleſti & nequam qui æquè impudenter ſua committunt flagitia coram hominibus, ac ſi nemo intereſſet qui facinoroſa ipſorum & ſcandaloſa obſervaret crimina, ſicut fecit Abſalom, qui *ingreſſus eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſraël* o, addens crimini ſuo graviſſimum ſcandalum. Claudere volunt iſti oſtium, ne deprehendantur in flagranti delicto à quocumque ſuperventuro. Sed non eſt diffitendum, magnam inveniri cæcitatem in eorum procedendi modo. Claudant januam quantùmcumque voluerint; ſed ſi pulſetur oſtium, erit illud ſtatim reſerandum, & ſi in eo inveniantur ipſi concluſi cum aliquâ puellâ, aut muliere, quodnam judicium de illis efformabitur? Nonne ſciunt quòd homines in deteriorem ſemper magis inclinentur cogitare partem adversùs proximum, quàm in gratiam illius? & quòd potiùs ſiniſtra forment ipſi judicia famæ proximi injurioſa, quàm honori illius tutando & cuſtodiendo accommoda?

m Pſ. 4. 7. n Exod. 20. 17.

o 2. Reg. 16. 22.

Videte quid ſit, Dominæ meæ, quantam admittans culpam, ſi forſan ſinatis vos in locis concludi, in quibus veſtram tentare quis contendat pudicitiam. Non vos latet, multas eſſe inter vos, quæ à peccato diſtrahamini perpetrando, potiùs veritæ intuitus & reſpectus humanos, quàm præ timore judiciorum Dei. Idcircò cavete ne unquam claudatur vobis oſtium, & edocete filias veſtras ut quantùm fieri poterit ab obtutibus non recedant maternis; neque ſinatis ut vel unico ſint eæ momento in aliquo cubiculo, aliove loco, ita ut non poſſitis videre eas, & alloquentes illas audire, & quidquid ibi ſint acturæ, obſervare; puella enim quæ clauſis delectatur amicitias fovere januis, periculum profligandæ famæ ſuæ incurrit manifeſtum. Conſulerem autem ego æquo animo omnibus mulieribus, ut, cùm claudere quis vult januam loci in quo ipſæ ſunt, idem agant reſponſum, quod fecit Senator quidam Romanus cuidam architecto, qui cùm advertiſſet quòd vicini intueri poſſent è domibus ſuis per feneſtras domus ipſius quidquid ipſe in ſuo perageret conclavi, dixit ei, Domine, ſi mihi mille velis erogare nummos, ita tuam ædificabo domum, ut illa vicinorum effugere planè poſſit aſpectus. Cui ille, Quin imò, libenter tibi decem millia largiar nummorum, ſi eam mihi velis ita conſtruere ut è totâ civitate quilibet obſervare poſſit ea quæ acturus ſum. Idem dicere deberent hæ mulieres illis amatoribus allegantibus,

quòd

quòd januæ ſint clauſæ, & quòd nemo ipſos videat: Tanto pejùs, deberent ipſæ ſingulæ dicere, & hoc eſt quod nolo. Malo enim ut unuſquiſque me videat; & ſi timor Dei non poteſt me retinere, fama mundi me continebit; & ſi præſentia Dei nihil poteſt ſupra me, aliquid obtinebit à me reſpectus humanus.

Peccatum enim præ ſe fert neſcio quid ſordidi & indigni viſu, & cùm validiſſimo affectu duceremini, aut graviſſimâ paſſione, ſi timeretis ne videremini, à propoſito deterreremini, præſertim verò mulieres quibus natura veluti in hæreditatem nativum quendam indidit pudorem quantùm ad hoc vitium, ſine quo plurimas ex iis, quæ videntur modeſtæ, videretis æquo liberiores ad agendum malum, quàm ſint viri; & ſi aliquando hunc poſſent infringere timorem, experientiâ comprobaretis, quòd, ubi dicunt vobis illæ, quòd Deus offenderetur, quòd illud eſſet grave peccatum lethiferum, quod ſalutari Confeſſione citò eſſet diluendum, & ſimilia; hæc omnia ſint puri prætextus, & quòd de lege Dei p minimè cogitent. Non enim ſubtiliori vigent acie animi quàm viri, neſciunt illæ meliùs quàm ſciant viri, utrùm id ſit contra legem Dei, aut non; nec minùs viri cupidi ſunt operandæ ſalutis ſuæ, & cuſtodiendæ gratiæ Dei, & niſi timore continerentur mundano; oſtenderent illæ ſanè quidnam vellent ipſæ agere. Iſte timor & hic pudor tantam non habent vim ſuper viros, & ideò faciliùs ſuas manifeſtant paſſiones; ſi verò mulier non timeret ne ſibi illud improperaretur palàm, & certa foret ſecretum ſervandum ab eo qui ipſam ad peccatum vult inducere, nec lætaretur *cùm malè* feciſſet, nec exultaret *in rebus peſſimis* q ſimul patratis; nec vereretur ne vicini viderent amaſium euntem & redeuntem nocte & die; nec formidaret ne ipſam puderet præ ipſis quos obvios habitura eſſet, aut qui ipſam eſſent examinaturi; Ha quàm multæ eſſent quæ primæ provocarent homines, ſeu ſaltem quæ citò oſtenderent ſe non magis cordi impreſſum præ ſe ferre timorem Dei, quàm habeant viri! Timor humanus eas ſæpè ſæpiùs continet, & Deus modeſtiæ ipſarum ſimulatæ eſt prætextus. Sed ſi ſemel eripiatis eis hunc timorem, & certas eas efficiatis, ipſas à nemine videri poſſe, & ſecretum ſervandum, videbitis quid eas retineret.

p Exod. 10. 24.

q Prov. 2. 14.

Qui equo inſidet, eumque coërcet fræno, ambas capeſſit habenas veluti ei moderando apprimè idoneas; ſi autem una ex habenis caſu confringatur, oportet ut ipſe alterâ utatur, & majori cuſtodia eam curâ, quàm illam ſervaret priùs, cùm habebat ambas integras; ſi autem ſic eſt imperitus ut iſtam laxet poſteriorem, aut illam ſinat infringi, præcipitabit ipſum equus proculdubiò, & ipſi cervices dirumpet. Corpus noſtrum equus eſt furioſus & indomitus; frænum quod habemus præ manibus ad regendum illud, eſt ratio, duæ ſunt habenæ hujus fræni, nam ratio partim conſtat è lege Dei, partim ex honore mundi; quandiu hæ duæ habenæ ſunt integræ, corpus noſtrum benè dirigitur; homo enim quem moderantur hæ duæ regulæ aut maximæ, pravum non poteſt agere greſſum. Aliquando habena legis Dei frangitur, & homo non dirigitur ampliùs regulis conſcientiæ; tunc cuſtodiat alteram habenam, quæ eſt fama mundi. Mulier quæ cordi ſuo non habet ampliùs impreſſum Dei timorem, quæque non gubernatur ampliùs niſi mundanis legibus, nec ducem agnoſcit niſi reſpectum humanum, & famam quam ſatagit ſervare; cuſtodiat hunc honorem, & vereatur ſemper ne delicta ſua prodeant in publicum & manifeſtentur.

Ipſi quippe domus muri hodiernâ loqui videntur die. Infans biennis aut triennis propalare poteſt id omne quod inhoneſtè à matre ſuâ peragi obſervaverit; nec blanditiæ, quibus eum demulcere poterit mater, valebunt efficere ut diſſimulet ille quod ſciverit & viderit. Ancilla quantùmvis vobis obſtricta ſit, aut familiaris, ſi forſan æquo ſeveriùs à vobis excipiatur aliquando, aut non obtineat à vobis id, quod intenderat, irreparabilem honori veſtro inurere poteſt infamiæ notam. Conſtituere honorem veſtrum, qui eſt ditiſſimum omnium, quæ poſſidere poſſitis unquam, monilium, præ manibus ancillæ? Veſtram conſignare famam puerulis, quibus fides adhibebitur ut ſimplicibus, quippe qui comminiſci non potuerint ea quæ ſint relaturi, niſi illa vidiſſent? Decus veſtrum committere mendicis foribus veſtris aſtantibus, qui videndo intrare & exire eos qui ad vos ad bonum non conveniunt finem, inde concinnabunt cantilenas, quas palàm concenturi ſunt per compita & per plateas? Dicitis, valvas veſtras feris eſſe occluſas; ſignum eſt manifeſtum, mundanum velle vos excutere timorem. Heu! ſi habena iſta vobis deſit, de vobis eſt conclamatum. Illi enim qui veſtrum inquirunt amorem, nihil magis ambiunt quàm ut vobis hunc eripiant timorem, ſcientes appoſitè, corpus veſtrum non eſſe marmoreum, nec vos à ſenſu immunes. Et ſi nulla validior allegetur vobis ratio quàm loci ſecuritas, & quòd à nemine videri poſſitis, hanc inanem deſpicite rationem, & ſalutarem præ vobis ferte ſemper timorem, quia *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus* r. Fœlix vir, aut mulier jugiter metuens, omnibus diffidens, nec ipſos muros culpis ſuis celandis judicans idoneos, & dicens Deo ſ *Confige timore tuo carnes meas; à judicijs enim tuis timui* s. *Hoc eſt, timore tuo caſto, qui permanet in ſæculum ſæculi* t, *carnalia mea deſideria comprimantur: à judicijs enim tuis timui, cùm mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare juſtitiam* u, quæ non eſt alia niſi gratia tua in hoc mundo, quam ſequatur gloria tua in altero.

r Prov. 28. 14.

s Pſ. 118. 120.

t Pſ. 18. 10.

u S. Aug. conc. 26. in Pſ. 118. 10.

FERIA VI.
POST DOMINICAM II. ADVENTUS.

Deſcende, Peccavit populus tuus. Exod. 32. 7. &c.

Vix ego crediſſem id quod refertur de clementiâ Marcelli, & de pietate Neronis, niſi ad illud pro certo tenendum nos inducerent Authores magni momenti, aſſerentes de priori, quòd vix ſibi poſſet proponere pœnas infligere alicui, ita alienæ compatiebatur miſeriæ, & infortunij miſerebatur proximi; & de poſteriori, quòd quinq; primis annis imperij ſui nullũ unquam protulit decretum, nec ullum damnavit ad mortem, quin priùs amaras præ compaſſione fudiſſet lachrymas, & ipſum tæduiſſet horæ, quâ ad imperij fuiſſet evectus apicem, cùm ipſi ex officiô incumberet impoſito pœnas criminoſis inferre, aut eis infligendas per Judices ſubalternos decernere. Deum autem, cujus bo-

bonitas excedit id omne quod de ipſâ poſſet enarrari, *pœnituis quòd hominem feciſſet in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ. Pœnitet enim me feciſſe eos* a. Id eſt, *Dicitur pœnitere & dolere, cùm ob hominum ſcelera, ſua dona & gratias revocare ſtatuit & decernit: cùm peccatores à ſe creatos, & beneficijs affectos, ob ſua peccata, occidit, & punit*, ait Cornelius b. *Et Verbum caro factum* c, prævidens futuras Ieruſalem ruinas, antequàm natare illam proprio ſuo videret in ſanguine, priùs illam ſuis immergere voluit lachrymis, *videns civitatem, flevit ſuper illam* d.

a Gen 6. 6. & 7.
b Cornel in Gen 6. 6.
c Ioan. 1. 14.
d Luc. 19. 41.

Dion Judex æquiſſimus, ſi ullus fuit unquam talis præteritis ſæculis, vix ſententiam tulerat capitis adversùs aliquem, cùm præ dolore fletus edebat, cùmque argueretur pro eo quòd ſic lachrymas funderet, cùm talem reum liberè & ſecundùm allegata & probata damnaſſet, reſpondebat, Quòd ipſe ſatisfaceret naturæ per lachrymas & compaſſionem, alienæ impenſam miſeriæ; officio verò ſuo per jus quo criminoſis pœnas inferebat. Deus qui eſt *juſtus Iudex* e, eodem ſe gerit modo, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi* f in omnibus operibus ejus, ſociæ incedunt ambæ, ſed miſericordia præcedit, *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* g. Juſtitia induerit Deum ad puniendos homines ob ipſorum crimina, in ſpecie verò Iſraëlitas propter adoratum vitulum aureum, & ob alios exceſſus ab eis patratos; ſed propter amorem quo eos proſequitur Deus, miſericordia facit eũ veluti pœnitere & dolere, & prævalet adversùs juſtitiam. *Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende, peccavit populus tuus.* Qui *deſcendit per compaßionem* i, imitatus miſericordiam Dei, quæ deinde per Incarnationem Verbi reparavit præ inſigni emolumento omnes ruinas, quas juſtitia intulerat; Hoc autem peregit eo momento, quo Angelus dixit Deiparæ, *Ave Maria.*

e 2 Timot. 4. 8.
f Pſ. 84. 11.
g Pſ. 144. 9.
i à Kempis 2. p. 1. tom. 1. Medita. 25.

Quàm deforme eſt peccatum! cùm denigret *ſuper carbones eorum* k faciem qui *ad imaginem Dei* l creati ſunt. Quàm infectus eſt ejus odor! cùm eum non poſſit pati Deus. Quàm abominabile eſt peccatum! cùm propter illud ſuorum pœniteat operum Deum. Et homo ratione vigens deberet potiùs millies mortem oppetere, quàm ſemel peccatum lethiferum perpetrare. Effectus eſt magis in cauſâ ſuâ, quàm in ſemetipſo, quàm in ſubjecto in quo eſt, v.g. calor, cùm calefio, magis eſt in igne, quàm in manu meâ. Peccatum eſt cauſa mortis, *Per peccatum mors* m. Mors igitur eſt magis in peccato, quàm in nobis. Et hinc ritè inferendum, ſatius eſſe mori, quàm peccato offendere Deum lethifero. Nihil eſt mors temporanea, & licèt repræſentetur nobis ut quid *terribilium terribiliſſimum mors*, non eſt ea niſi pura privatio, & *privatio nihil eſt*. Sed peccatum, quod eſt privatio gratiæ, hujus cœleſtis qualitatis, quâ allectus Deus, ait, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* n, quàm deteſtabile eſt, ſi ſo nobis viſus foret ſatis perſpicax, quo ejus horrorem intueremur! Mors ſolam cauſat diviſionem harum duarum partium, è quibus conſtat homo, quæ ſunt corpus & anima; ſed peccatum operatur diviſionem Dei ab animâ, quæ diviſionum eſt omnium maxima, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* o. Mors operatur diviſionem compoſiti, quod Antiqui exiſtimabant infortunium, cùm anima quæ eſt ſpiritualis, & dependens à Divinitate per quandam *ſimilitudinem* p, unita ſit rei corruptibili, id eſt corpori, quod ipſam ſuorum participem efficit infortuniorum; quodq; recipit ab eâ quidquid habet ipſum optimi, nihil exhibet ei niſi ingratitudines, privans ipſam luminibus ſuis, & libertate digniſſimarum operationum ſuarum; *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* q. Non eſt igitur hæc ſic deflenda privatio. Sed quæ cauſatur à peccato, eſt lethifera, cùm privet nos ea fruitione illius qui eſt *omne Bonum* r. Mors primus eſt greſſus quem peragimus, ut perveniamus ad verum fœlicitatis domicilium; ſed peccatum eſt ingreſſus in æternam infœlicitatem. Mors hâc privat nos vitâ miſeriis redundante, & voluptatum experte, ut nos introducat in alteram, in quâ *torrente voluptatis* s potabimur æternæ; ſed peccatum ex hâc vitâ aditum nobis pandit ad infernum, in eumque nos præcipitat ſine ullâ ſpe reditus. Non eſt mors objectum unde exacerbetur Deus, ſed peccatũ eſt objectum iræ ejus; & ſi diabolum odit Deus, ideò quia peccavit, nec *infernum* t fabricavit juſtitia ejus niſi ad puniendum illius peccatum. Ex Angelis fecit peccatum diabolos, & ex hominibus facit dæmones, *Magnus enim dæmon peccatum eſt* u; imò pejores diabolo, cùm magis obſtricti Deo, minùs illius agnoſcant favores.

k Thren. 4. 8.
l Gen 9. 6.
m Rom 5. 5.
n Prov. 8. 31.
o Iſai. 59. 2.
p Gen 1. 27.
q Sap. 9. 15.
r Exod 33. 19.
s Pſ 35. 9.
t Iſai. 14. 15. &c.
u S. Chryſoſt. hom. 29. ex c. 9. Matth.

Obſervate autem, ſi placet, quòd unicum peccatum lethale magis offendit Deum, quàm ſanguis omnium Martyrum, & univerſa illorum ſupplicia eum honorarunt. Et tamen peccator *abominabilis & inutilis homo bibit quaſi aquam iniquitatem* x. Ideò abhorret ab eo Deus. Nullum habet impius amicum in cœlo, aut in terrâ, & ſi peccato delinquat lethali, Deus decretum feret mortis adversùs eum; damnabit *in ignem æternum* y eos quos *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* z, ſi eorum *induratum eſt cor* a, *& in peccato* b ſuo moriantur. Et ſi S. Petrus Apoſtolorum ardentiſſimus c, in ſuâ mortuus fuiſſet negatione, æternam incurriſſet damnationem. Nec Deus unquam ſic dilexit vitam Filij ſui temporaneam, ac proſecutus eſt odio peccatum; ſicq; Pater æternus nunquam ita amavit Filium ſuũ, ac à peccato abhorruit, cùm ad deſtruẽdũ peccatũ Filium ſuũ morti tradiderit, *Propter ſcelus populi mei percußi eum* d. Mortuus eſt innocens Chriſtus, quia *in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* e; cumque damnavit ad mortem Pater, ut deſtruat peccatum, quoniam *ſimiliter odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* f. Si verò peccatum per impoſſibile in Virgine Deipara inventum fuiſſet, præcipitaſſet eam Deus in abyſſos: & ſi per impoſſibilitatem etiam delictum fuiſſet deprehenſum in humanitate Chriſti, ad flammas damnaſſet eam Pater cœleſtis æternas.

x Iob 15. 16.
y Matth. 25. 41.
z Apoc. 1. 5.
a Exod. 7. 22.
b Ioan. 8. 21.
c Matth. 26. 35. &c.
d Iſai. 53. 8.
e 1. Ioan 3. 8.
f Sap. 14. 9.

Hic idem Dei Filius qui perfectus eſt *ſicut & Pater cœleſtis perfectus eſt* g, ſic etiam abhorret à peccato, & illud tanto proſequitur odio, ut ſtatim ac incarnatus eſt in ſacris Genitricis ſuæ viſceribus, peragat indictum ei bellum, *in domum Zachariæ* h, & deſtructum peccatum originale Joannis Baptiſtæ, in quo iſte cõceptus fuerat i; atq; repletum eum *Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ*: ut vacuus effectus malitiâ illius, repleretur ſanctitate & gratiâ iſtius. Et in principio Paſſionis ſuæ talem peccati concipit horrorem, ut nulla habitâ ratione pudoris & interitus oppetendi in cruce, ſic peccatum vereatur, & ita timeat ne ipſe ut peccator habeatur, ut ſit *factus ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* k; Patremque ſuum enixè deprecetur, ut non permittat ut illud eveniat, *Pater mi, ſi poßibile eſt tranſeat à me calix iſte*: non recuſo perferre ſupplicia, *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu* l; non renuo tormenta ſuſtinere, *Quoniam ego in flagella paratus ſum* m: Sed cùm de peccato cogito, & quòd velut peccator ſim habendus, heu! toto corpore contreiſco, & iſtud ſuſtinere nequeo, ideò *trãſeat à me calix iſte.*

g Matth. 5. 48.
h Luc. 1. 39. &c.
i Rom. 5. 12.
k Luca 22. 44.
l Matth. 26. 39.
m Pſ. 37. 18.

Hæc

Hæc ſola cogitatio miro anxiat me modo, & inaudito afficere debet me labore in mari tribulationum, cui explicatis me committo velis, cùm intrabunt tolerantiarum & paſſionum amariſſimæ *aquæ uſque ad animam meam* n. Iſi aëliticus *peccavit populus* ; Ideò punire vult illum Deus. Sed quia *bonus* o eſt, monet eos per Moyſen, *Vade, deſcende*, mediaque adhibet emendandis iis, ſi velint, accommoda ; & cùm ſit miſericors nihil eſt quod ipſe nõ inſumat ut eruat nos è peccato. Hinc oſtendam vobis, Deum induci ad eruendos nos è peccato duabus rationibus, quæ ſunt gloria ipſius, & noſtra commoda. Deinde, Quòd, ut educat nos è nihilo peccati, injiciat nos in nihilum noſtræ nativitatis.

n Pſ. 68. 2.
o Pſ. 111. 61.
Diviſio

Obſtringitur Deus, quatenùs poteſt permittere ipſius independentia, in omnibus & ubique ſuam quærere gloriam. Sic etiam nihil niſi propter hunc eminentem ipſe peragit effectum, cùm gloria ipſius nobiliſſimum ſit quod ſibi poſſit ipſe objectum proponere, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* p. Si verò ageret ipſe quid propter alium; iſte major foret ipſo. *Ex uno igne omnia creata ſunt*, ajebat Phocion civis Athenienſis. Et ignis iſte, qui eſt principium è quo emanant univerſa, non eſt alius niſi Amor Dei, qui eſt cauſa omnium quæ ſunt. Deus ab æterno *ſemetipſum* eſt intuitus ut objectum operationum ſuarum, & in ſuis operationibus ſuam ſolam ſpeculatus eſt gloriam, quippe quæ foret finis nobiliſſimus, quem ſibi poſſet ipſe proponere; & ſicut ipſe rem quamlibet ad ſuum vult finem dirigere ſpecialem, eique præbet media eidem fini conſequendo accommoda, cùm hominis finis ſpecialis ſit cœlum, omnia largiri debet illi media comparando cœlo conſona, & ab eo removere omnia obſtacula huic acquiſitioni conciliandæ oppoſita, quæ non ſunt alia niſi peccata; & cùm hunc velit unum, contraria ei debet procul amandare impedimenta univerſa, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri* q, nec noſtræ conſentire poteſt jacturæ, niſi poſt conſulta omnia media operandæ ſaluti noſtræ poſſibiliter congruentia; *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* r.

1. Petr.
p Prov. 16. 4.
q 1. Timot. 2. 4.
r Sap. 1. 13.

Hoc ſuas refert ideò omnes induſtrias & curas, & illud nos pro certo tenere edocet, cùm ait, *Quid debui ultrà facere, & non feci* s? Nihil omittit, omnia peragit, ſi excipias, quod noſtræ violentiam nõ infert libertati t. Laborat, inclamat, ſuamque inſumit vocem ad raucedinem uſque, *Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ* u. Contentâ voce inclamat per Prædicatores, per Confeſſarios, per Directores, per monita interiora? Sed heu! dormimus nos illis omnibus x. Sui adhibet brachij fortitudinem, *Fecit potentiam in brachio ſuo* y. Tandem, Toto ſuo laborat corpore; videte quomodo *Ieſus fatigatus ex itinere, ſic ſupra fontem* a ſedeat ad lucrandam Samaritanam. Et maxima noſtræ fidelitatis nota, quam poſſimus ipſi exhibere, hæc eſt, ſi videat nos ſalvandarum animarum noſtrarũ zelo duci. Re enim verâ cùm Petrum è ſuo ſuſcitaſſet caſu b Chriſtus, ter ab eo efflagitat; utrùm ſe diligat, *Simon Ioannis diligis me? Dicit ei, Etiam Domine; tu ſcis quia amo te* c. Nihil eſt quod lateat te, cùm nemo meliùs cognoſcere poſſit magnitudinem amoris mei, quàm tu qui es *Dominus ſcrutans cor, & probans renes* d, ac intimas pervadens cogitationes, & ſecretas rimans intentiones; Jeſus *dicit ei, Paſce oves meas*. Validiſſima *probatio dilectionis exhibitio eſt operis* e, & amor tuus pendet è zelo quo duci debes erga ſalvandas animas, ita ut illarum ſatagenda ſalus, maxima ſit curarum & cogitationum tuarum.

s Iſai. 5. 4.
t Eccli. 15. 14. &c.
u Pſ. 68. 4.
x Prov. 1. 24. &c.
y Luc. 1. 51.
a Ioan. 4. 6. &c.
b Ioan. 18. 25.
c Ioan. 21. 15. &c.
d Ier. 17. 10.
e S. Greg. hom. 30. in Evang.

Hôc eodem animati fuerunt zelo Seraphicus Pater S. Franciſcus, Patriarcha S. Dominicus, SS. Antonius Paduanus, Bernardinus Senenſis, Bonaventura, Vincentius Ferrerius, Thomas Aquinas, & alij innumeri eximij Viri, ad deſerendum ſuavitatem contemplationis, (more Moyſis qui cùm aſcendiſſet f *per contemplationem, deſcendit per compaſſionem* g ad populum ſuum qui peccaverat) ut huic ſacro vacarent exercitio, quippe quod ſit gratiſſimum Deo, & illud quod ei majorem tribuit gloriam, & cui majori ipſe incumbit ardore, nihil omittens eorum quæ ipſe novit ſua poſſe efficacia reddere conſilia. Sed unde oritur ut univerſa obediant voci Dei? *Quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt* h. Quidquid eſt ſpecioſum & exquiſitum, unico tantùm conſtitit ei verbo, *dixit, &* ecce omnia iſta mirabilia quæ noſtros in admirationem & ſtuporem redigunt animos, *facta ſunt*. Præcipit, & univerſa illico ei morem gerunt, *Mandavit, & creata ſunt*. Cœlum ipſe alloquitur, & ſtatim hoc ſuas emittit influentias; & cætera ipſi obediunt, *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*. Sed quantùm ad hominem, non ſufficit ut loquatur Deus, dormit illi homo, ideòque Deus *fecit potentiam in brachio ſuo*. Oportet ut ſuam inſumat omnem potentiam ad productionem hominis; neceſſarium eſt ut ad illum formandum concurrat extremus conatus Dei (ſi fas ſit ita loqui.) Omnes creaturæ factæ ſunt unicâ voce, ſeu verbo Domini. *Dixit, & facta ſunt*. Loquitur tantùm Deus, & firmamentum omnibus ſuis coruſcat luminibus, & univerſis ſuis ditatur ornamentis, vox Dei trahit illud è nihilo, *Dixit Deus, Fiat firmamentum. Et fecit Deus firmamentum* i. Et, *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* k. Sed homo cariori conſtat Deo: non ſolùm loquitur Deus, ſuam adhibet potentiam, ſuum inſumit brachium, & ſi vult ut homo audiat, & vocem ipſius auſcultet, oportet ut iſtud idem brachium immittat fulgura, & tonitrua, & fulmina, ut percuſſus homo agnoſcat manum quæ ipſum impetivit, *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine* l. Neceſſarium eſt ut aliquod negotium non ſuccedat huic adoleſcenti ad votum; ut hæc puella, aut iſta mulier operiatur pudore, qui pariat illi contemptum, poſt impenſum multum ſtudium colendæ vanitati ſuæ adſeornandum, ut uterque ad ſuam redeat mentem, & ad meliorem emendatioris vitæ ſe recipiat frugem; requiruntur morbi, afflictiones, & miſeriæ, ut æquo liberior & nequam homo, qui aures ſuas verbo Dei obturaverit, qui annis integris mutus permanſerit, & ſacram Confeſſionem non frequentaverit, eò quòd ſatis præ ſe non tulerit animi ad propalandum crimen ſuum Confeſſario ſuo, qui ipſi medelam applicuiſſet opportunam; & qui nunquam de Deo cogitant, nec de paradiſo, reſipiſcere tandem mediis iſtis ſalutaribus compellatur. Impetatur igitur morbo, qui aperiat ei oculos, & os, ut ſui cauſam evomat infortunij: opprimatur infirmitate, quæ in memoriam illius revocet Deum, & ultimum finem ipſius, *Tribulatio & anguſtia invenerunt me* m, ait quidam peccator ægrotus. *Tribulatio igitur velut quædam gratia eſt. Denique, Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus* o. *Annon eſt gratia, quæ operatur patientiam* p? *Qui ergo noverat tribulationis profectum eſſe: quæſitus à tribulatione, inventus eſt, nec refugit*, cõcludit S. Ambroſius q. Sed quid ſequitur?

f Exod. 24. 18.
g à Kempis loco ubi ſuprà.
h Pſ. 148. 5. & 8.
i Gen. 1. 6. & 7.
k Pſ. 32. 6.
l Pſ. 82. 17.
m Pſ. 118. 143.
o Pſ. 50. 19.
p ex Rom. 5. 4.
q S. Ambr. in Pſ. 118. 143. o. ctou. 18.

Mandata tua meditatio mea eſt. *Non enim refugit, qui mandata Dei ſenſu operibuſque meditatur*, ait idem S. Ambroſius. Irruat ſuper hunc peccatorem podagra, quæ eum ſtrato alliget, & paupertas quæ ſuperbiam ejus deprimat.

Horum qualitas remediorum adæquari debet noſtrorum gravitati malorum, & Medicus cœleſtis qui noſtras novit infirmitates, ſua debet uti ſcientiâ, & ſuam inſumere potentiam, ut ex illis nos eripiat,
r Pſ. 143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me* r. Iſtud gloriam ipſius intuetur: Honoratur enim Deus ſalute animæ, non autem ejus jacturâ. Quis autem de hac ambigat veritate? *In inferno quis confitebitur*
s Pſ. 6. 6. *tibi* s? Deum tædet jacturæ illius, & non ignarus infœlicitatis ejus, eſt *tactus dolere cordis intrinſecùs* aliquo modo, & vix homines intuetur peccato immerſos, cùm ait, *Pœnitet me feciſſe eos* t. Illos quærit, dum ij ab ipſo ſe elongant, *Abſcondit ſe Adam, vocavitque Deus Adam, & dixit ei,*
t Gen. 6. 6. & 7. *u* Gen. 3. 8 & 9. *x* Rom. 10. 20. ex Iſai 65. 1. *y* Luc 15. 6. *Vbi es* u? Cogita infœlicitatem, quæ te impetivit, *Vbi es?* cùm ſis in peccato, extra gratiam meam. *Inventus ſum à non quærentibus me* x. Et ait, *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat* y. Quaſi agatur de gloriâ ipſius; quod agit ipſe curis ſuis, cùm perivimus peccatis noſtris.

In hoc ſtatu laborat ad reficiendum hominem quandiu propter ſuam agit gloriam; diſponit ſe ad reparandam imaginem, quam homo ſuo defor-
a Gen. 6. 7. maverat peccato, *Delebo, inquit, hominem, quem creavi* a. Quaſi diceret, *Delebo* in homine imaginem peccati, ut reſtituam ei imaginem gratiæ cum omnibus pulchritudinibus ejus; hoc à mea pendet potentia, & meam conſtituit gloriam. Verum eſt. Juſtificatio enim peccatoris majorem affert gloriam Deo, quàm creatio mundi; cùm juſtificatio eò ſit clarior ſuper creationem; quò gratia eſt excellentior naturâ. Creatio eſt productio quæ fit ex nihilo, ut ait Philoſophia, *Creatio ex nihilo eſt*, cùm peccatoris *juſtificatio ex nihilo peccati ad eſſe gratiæ* fiat, ut docet Theologia. Agitur igitur de gloria Dei ut nos eripiat è peccato. Sed ſicut gloria ejus à noſtris inſeparabilis eſt commodis, ut noſtra emolumenta pariter gloriæ illius debent ſociari, obſtringitur ex quâdam condecentia & congruitate è noſtro nos eruere peccato, & hæc ſecunda ratio, propter quam agit, eſt conſideranda.

Si verum eſt, objectum miſericordiæ eſſe infortunium, cùm ſciat Deus qualis & quanta ſit noſtra infœlicitas, non poteſt quin ab ea liberare nos ſatagat, quippe *qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ nos* b diligit,
b Epheſ. 2. 4. *c* Pſ 102. 14. cùm miſericordiæ proprium ſit à noſtris nos ſublevare miſeriis, *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum* c; non latet ipſum, nihilum noſtrum; novit ipſe apprimè quidnam ſimus; & ideò ad eum ſpectat noſtris ſuccurrere caſibus & infirmitatibus, & noſtrorum miſereri peccatorum, quæ iſtarum cauſa ſunt infirmitatum, videndo quòd noſtrum nihilum trahat nos ad nihilum pec-
d Pſ 41. 8. cati, *Abyſſus abyſſum invocat* d. Abyſſus fragilitatum trahere debet abyſſum miſericordiarum ipſius, *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt quoniam pulvis ſumus.* David cùm è peccato adulterij lapſus fuiſſet in homicidium, eripiendam præcipiens viro vitam, poſt ademptam uxori fa-
e 2. Reg. 11. 4. &c. *f* Pſ 50. 3. *g* Pſ. 118. 153. *h* Pſ. 72. 22. mam e, Deum alloquens; enixe precatur eum ut miſereatur ſui, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam* f. *Vide humilitatem meam, & eripe me* g. Et ratio, quam ipſe illius affert, eſt nihilum ſuum, *Ad nihilum redactus ſum* h.

Cùm nihilum naturæ redegiſſet ipſum ad nihilum peccati; & hoc nihilum effecit ut in ſanitatem reſtitutus fuerit ipſe priſtinam. *Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſſitatibus animam* *i* Pſ. 30. 8.
meam i.

Et hoc eſt quod inducit Deum ad impertiendam miſericordiam ſuam peccatoribus, quaſi diſſimulet *k* Sap. 11. 24.
ipſe *peccata hominum propter pœnitentiam* k, ad *l* Pſ. 55. 8.
quam expectat eos, *Pro nihilo ſalvos facies illos* l. Venit è cœlo Dei Filius ad expiandum peccatum, quod nihil eſt. Nihilum noſtrum è cœlo illum eduxit, & veluti è ſinu Patris illum extraxit, ſicut ipſe *m* Ioan. 16. 28.
fatetur, *Exivi à Patre, & veni in mundum* m, ut *n* Luc. 1. 38.
carnem ſumeret humanam in puriſſimis Virginis *o* Galat. 4. 4.
Mariæ viſceribus n; homo fieri voluit *ubi venit plenitudo temporis* o, ut noſtris compati poſſet miſeriis. Per miſericordiam ſuam poterat quidem in cœlo nos è noſtris eruere caſibus, ſed noſtris non poterat compati infirmitatibus, donec fieret homo in ſinu Mariæ, quæ ideò ait, *Reſpexit humilitatem* *p* Luc. 1. 48.
ancillæ ſuæ p; *quæ non tam virtus humilitatis, quàm* *q* Lorin. in Pſ. 50. 8.
humiliatio, abiectio, vilis conditio eſt, exponit Lorinus q. Cui conformiter, hunc terminum, *humilitatem*, Alij vertunt, *nihilitatem*. Deus intuetur nihilum. Et iſtud nihilum inducit eum ut educat nos è caſibus & infirmitatibus noſtris, & efficit ut expectemus poſt lapſus noſtros frui ſuavibus effectibus miſericordiarum ejus, nedum adhæreamus Angelo, cujus peccatum redegit ipſum ad *r* Iſai. 14. 13. &c.
deſperationis anguſtias r obtinendæ unquam indulgentiæ. Nihilum iſtud nobis fuit in hoc proficuum, cùm tanta nobis conciliaverit bona: Sed nihilum peccati non poteſt nobis eſſe niſi lethiferum, cùm ex eo ut è principio omnium infortuniorum, oriantur peſtes, fames, bella, & omnia alia incommoda, quibus ordinariè humana impetitur & opprimitur natura, *Propter peccata veniunt adverſa.* Quia cùm ſcelera noſtra iracundiam Dei exacerbent, hinc fit ut ipſe ſuis nos caſtiget flagellis.

Infauſti ſumus nosipſi noſtrorum artifices infortuniorum, quippe qui propriis fabricamus noſtram infœlicitatem manibus, & perſæpè laboramus, & omnes noſtras vires atque induſtrias inſumimus ut miſeriores evadamus, ita ut jure meritò dicere poſſimus non ſecus ac fratres Joſeph, *Meritò hæc pati-* *s* Gen. 42. 21.
mur, quia peccavimus s. Vel cum Antiocho Rege ſceleſtiſſimo, lethifero morbo percuſſo, *Nunc reminiſcor malorum quæ feci in Ieruſalem. Cognovi ergo* *t* 1. Mach. 6. 12. & 13.
quia propterea invenerunt me mala iſta: & ecce pereo triſtitiâ magnâ in terrâ alienâ t. Nihilum eſt cauſa omnium pœnarum noſtrarum, ſicut & omnis illius quod accidit funeſti in orbe; tandem eſt origo totius mali, quod eſt in vitâ iſtâ. Nihilum eſt velut equus Trojanus, è quo turmatim erumpunt homines armati. Peccatum nihil eſt, & tamen non deſinit eſſe cauſa malorum omnium, quibus impetimur, & quæ nobis intentantur, *Propter peccata veniunt adverſa.*

Sed ſi Deus vult exinanire peccatum, ſi vult eruere nos è nihilo, oportet ut redigat nos ad nihilum nativitatis noſtræ. Dico igitur præcipuam cauſam juſtificationis peccatoris eſſe afflictionem, quæ efficiens ut terga vertat ille creaturis, inducit illum ut revertatur ad Deum, & more altius prodigi, qui poſtquàm *diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè, in ſe reverſus dixit, Surgam, &* *u* Luc. 15. 13 &c.
ibo ad Patrem meum u cœleſtem; cùm afflictio obſtringat illum eò redire, unde proſperitas fallax ipſum eduxerat, videndo ſe ab unoquoq; deluſum, & contemptum ab illis, qui anteà ipſum venerabantur non ſecus

II. Pars.

ſecus ac idolum, fuctum iſtud format in mente ſuâ conſilium, *ſurgam, & ibo ad Patrem meum* Quænam autem eſt cauſa ita fœlicis conſilij? Afflictio, miſeria, quâ ſe intuetur oppreſſum & coactum ad paſcendum *porcos, & ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducant*, implendum. Vana mundi proſperitas eum excæcaverat, ne videret præcipitia quæ illi aperuerat, *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, ait Propheta. Et ecce conſequentia quam ſtatim illinc eruit, *Ideò tenuit eos ſuperbia* x. Extulit ſe ille, ſeque conſtituit in ſtatu pereundi in vanitate ſuâ, & in delicijs ſuis.

[x Pſ. 72. 7. & 6.]

Magnas perſæpè ſecum invehit afflictio virtutes, aperit illa oculos prodigo, ut ſuos deprehendat ipſe laqueos; eum ſuæ pœnitet vitæ; crimina ſua torrenti immergit lachrymarum, ſuas agnoſcit culpas, eaſque confitetur, ut illarum conſequatur indulgentiam, *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Fœlix afflictio! cùm ipſa ſit tanti cauſa boni. Projicit illa nos in fletus & in lachrymas; redigit ea nos in nihilum noſtræ nativitatis, *In nihilum redigam te* y, in ſtatum qui nos inducit ad emittenda ſuſpiria, ſed ut fœliciùs nos educat è nihilo peccati noſtri. Afflictio igitur eſt proficua, cùm ipſa ſit cauſa præcipua juſtificationis peccatoris. Eſt autem ea ſic perutilis ut magnos nos conſtituat Dominos. Nunquam enim Chriſtiani ſunt magis ſecuri, quàm cùm ſunt magis afflicti. Ideò S. Paulus intuitus ſe ſic elatum perſecutionum inſultationibus, gloriatur his honoris & nobilitatis titulis, quos conciliaverunt ipſi afflictiones, *Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus; maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus* z. Super quæ exclamat S. Chryſoſtomus a, *Pauli exiſtimarem eſſe fortiolem omnium divitiis paupertatem, omni gloria ignobilitatem, omnibus divitiis nuditatem, omni licentiâ illius impactos ſacro illi capiti colaphos, omni diademate quos excepit lapides.* Et S. Chryſologus b, *Paulus ſervitutis ſua titulos ſic ſcribebat.* Ita Apoſtolus afflictionibus hos ſibi conciliaverat titulos. Tertullianus c autem ſermonem ſuum dirigens ad Martyres, ait eos ſic præ afflictionibus veluti rebus bellicis exercitos ut ad eos accedere nec ipſe mereatur, *Nec tantùm ego ſum ut vos alloquar.* Illæ quippe ſic ſunt perutiles ijs, qui patienter ipſas ſuſtinent, ut eæ capiti ipſorum Regium imponant diadema. S. Matthæus d texens Chriſti genealogiam, David nuncupat Regem bis, *Ieſſe genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem.* Quid? habebatne David duo Regna? Sanè. Duo habebat David Regia diademata. Primam conciliaverat ſibi coronam, ſerviendo Deo, quando ipſum *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* e. Quia *ſervire Deo, regnare eſt*, ut vulgò dicitur. Secundum diadema conſecutus eſt, cùm perſecutionibus extulit ipſum *Saül inimicus David cunctis diebus* f. Nihil enim magis regium eſt in mundo, quàm ſunt afflictiones. Idcircò Chriſto cruci ſuffixo inclamant Judæi, *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce* g. Super quæ verba ait Hugo Cardinalis h appoſitè, *Mira ſtultitia! Si Rex eſt, ſceptrum dimittat, quod utique crux eſt. Factus eſt principatus ſuper humerum eius* i. *Si Rex eſt, dimittat baculum, in quo pro Iſraële pugnat valdè propugnator ad ſalvandum* k. Inſignem Judæorum dementiam! Chriſtus regnat in perſecutionibus & afflictionibus crucis, & impij iſti nolunt eum Regem agnoſcere habentem præ manibus ſceptrum Regium, nimirum crucem, & vera Regiæ dignitatis inſignia.

[y Ezech. 26. 21.]
[z 1. Cor. 4. 11. &c.]
[a S. Chryſoſt. hom. 11. in 1. Cor. 4. 11. &c.]
[b S. Chryſol. ſerm. 161.]
[c Tert. lib. ad Martyr. c. 1.]
[d Matth. 1. 6. & 6.]
[e 1 Reg. 13. 14.]
[f 1. Reg. 18. 29. &c.]
[g Matth. 27. 42.]
[h Hug. Card. in Matth. 27. 42.]
[i Iſai. 9. 6.]
[k ex Iſai. 63. 1.]

Docet nos David l, quòd afflictiones ad altiſſimam omnium quæ ſint in mundo, dignitatum nos evehant, *Intonuit de cælo Dominus. & Altiſſimus dedit vocem ſuam.* Quale eſt iſtud cœlum? Crux ſanè, ait S. Ambroſius m. *Dubitari non poteſt quòd Altiſſimus Chriſtus ſit, cùm dixerit de myſterio Paſſionis, Dedit vocem ſuam Altiſſimus.* Cum graviter afflictus, *circa horam nonam clamavit Ieſus voce magna, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* n? Quare non vis ut aliquid patiar magis? S. Cyprianus o ſcribens Epiſcopo Lucio afflicto & exuli, monet eum, quòd afflictiones majores ipſi conferant dignitates, quàm haberet anteà, *Non ut Epiſcopus relegatus & pulſus Eccleſiæ deeſſet, ſed ut ad Eccleſiam rediret*, ad ſtabiliendam ipſius dignitatem. Quaſi diceret, quòd ſi in Eccleſiâ major foret dignitas Epiſcopali, ea ſanè foret dignitas afflictorum pro Chriſto. Et Tertullianus p ait, quòd Martyres aliàs tantâ vigebant authoritate, ut, ſi qui à fide excidiſſent, & ab ipſis in carcere conſtitutis libellum extorſiſſent deprecatorium, virtute cujus in Eccleſiam recipi præciperentur; in Eccleſiæ illico admitterentur pacem, *Quam pacem quidam in Eccleſiâ non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueverũt.* Super quæ ejus Scholiaſtes Pamelius, *Vide quanta fuerit olim Martyrum etiam dum viventiũ authoritas.*

[l Pſ. 17. 14.]
[m S. Ambr. lib. 2. de fide c. 2.]
[n Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.]
[o S. Cypr. lib. 3. epiſt. epiſt. 1. n. 2.]
[p Tert. lib. ad Martyr. c. 1.]

Homo eſt quaſi opus acupictum, Pater æternus eſt veluti plumarius acupingens pannos ſericos, eoſque in fruſta ſcindens, ut ex ijs conficiat ornamenta & pulchritudines magni templi ſui, *Sophia iugulavit filios ſuos* q. *Sophia Sapientia eſt. Sapienter itaque iugulavit, dum in vitam, & rationabiliter, dum in gloriam. O parricidij ingenium! O ſceleris artificium! O argumentum crudelitatis! quæ idcirco occidit ne moriatur quem occiderit*, clamat idem Tertullianus r, & proprijs veluti divinizetur ſupplicijs; cùm ij, qui maxima patiuntur, maximas ſibi concilient coronas, & Deus renovet in illis fructus ſuæ Crucis, eoſque ſuæ cumulet effectibus paſſionis; ſicque injicit nos in nihilum nativitatis noſtræ, quod non eſt aliud niſi fletus, infirmitates, & miſeriæ.

[q ex Prov. 9. 1. & 2.]
[r Tert. in Scorpiac. c. 7.]

Quidam dantur morbi, ad quorum curationem requiritur ut debilitetur æger ferè uſque ad totalem evacuationem humorum & ſanguinis, ut renovetur, & in priſtinum redeat ſtatum, cùm ſit depravatus & corruptus. Redigendus eſt peccator ad nihilum, ut induat conſuetudines novas & oppoſitas priſtinis & crimінoſis ipſius propenſionibus, *Ad nihilum redegit valdè Iſraël* s. Quod fit per afflictionem, quæ eſt cauſa præcipua juſtificationis ipſius. Non loquor de his quatuor cauſis, formali, finali, efficiente, & materiali. Finalis enim, eſt gloria Dei, *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* t. Efficiens, eſt ejus bonitas, *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos Deus* u. Formalis, eſt gratia, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* x. Et materialis, anima Juſti, ait S. Bernardus y, *Anima iuſti ſedes Sapientiæ eſt.* Sed dico, quòd præcipua cauſa juſtificationis eſt afflictio. Impius in cœlum inſurgit, nullum alium agnoſcit Deum niſi fortunam ſuam, videns ſe ſupra alios elevatum; *Non ſum ſicut cæteri hominum* z. Nihil eſt quod illum magis inflet, quàm hæc cogitatio, ſe non eſſe more cæterorum, ſed immunem ab eorum pœnis, deliciarum illorum participem, nedum communicet ipſorum doloribus, afflictionibus, & incommodis, habendo roſas puras ſine ſpinis, *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur* †, ut dicebam vobis modò. Nihil habent impij commune cum hominibus. Quid ſequitur? *Ideò tenuit eos ſuperbia.* Ecce ſuperbiunt ſine menſurâ, temerarij ſunt ad exceſſum uſque,

[s Pſ. 77. 59.]
[t Prov. 16. 4.]
[u Epheſ. 2. 4.]
[x Rom. 5.]
[y S. Bern. ſerm. 1. de Purific. ex Sap. 7.]
[z Luc. 18. 11.]
[† Pſ. 72. 5.]

ut dij haberi volunt, & ſupremas aſciſcere ſibi volunt reverentias ut Divinitates, *Vt ſciat omnis gens,* a Judith 5. 29. *quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt* a. Quæ ſuperbia! Sed quale remedium tanto malo applicandum? Ecce, Auditores. b Pſ. 14. 4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus* b. *Deiecisti eos, dum* c Pſ. 72. 18. *allevarentur* c. Projiciendi ſunt in nihilum nativitatis ſuæ, humiliandi, pudore ſuffundendi, ut ſuas agnoſcant infirmitates, eoſque pudeat ſuæ temeritatis, quæ nullam mereretur veniam, niſi agerent cum Deo miſericorde, qui ipſos deprimit ut meliùs ipſos elevet, qui ipſos interimit ut ipſis meliorem impertiatur vitam, qui ipſos confuſionibus operit ut ipſos efficiat glorioſiores, qui eos perdit ut eos cœlo lucretur, *Imple facias eorum ignominiâ,* d Pſ. 82. 17. *& quærent nomen tuum Domine* d. Et ecce ſecretum iſtius totum. Vnica ſufficit huic ſuperbo injuria, confuſio huic ambitioſo, pudor unicus huic mulieri vanæ & unicum faſtidium ita ut deſpiciatur poſtquàm multas tranſegerit horas ad ornandam ſe & componendam, omnes ſuos inceſſus & geſticulationes ſuas ad ſpeculum exigendo; negotium quod non ſuccedat ſecundùm vota huic tumido qui populares aucupatur auras, quique per famam per omnia vivere vellet ſæcula, *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Ecce mutantur, & revertuntur ad Deum, cujus obliviſcebantur in proſperitate. Ut humilientur Alexandri, & agnoſcant ſe eſſe homines, requiruntur vulnera & ſanguis: *Sagittæ Domini in me ſunt,* ait Job e e Job. 6. 4. in perſonâ ſuperborum, *quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Ut humilienter hi ſuperbi, deprimendi ſunt exiccando eos afflictionibus, ut ſiccandum Cyrus perhibetur præcepiſſe fluvium, in quo demerſus dicitur amicus ipſius. Projiciendus eſt homo in nihilum nativitatis ſuæ, ut eruatur è nihilo peccati; oporterut omnes ejus fumi exhalentur per afflictiones, *quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Hoc eſt optimum medium, quo utitur Deus ut trahat peccatores ad ſe, & eorum operetur converſionem; ſicut fecit Abſalom Joab f generali Duci exercituum patris ſui David. Si verò f 1. Reg 14. 23. &c. nos Deus deſerat impunitos, nedum nos flagellis excipiat, non eſt iſtud ſignum profectò fauſtum.

Duplex admittitur genus hominum, æquè ac dolorum. Alij ſunt virtute præditi. Alij verò terreſtres & animales ac voluptuoſi. Sic dolorum alij ſunt voluntarij, ut ſunt jejunia, abſtinentiæ, macerationes, vigiliæ, &c. Horum impij non ſunt participes, ſeque nimis amant nedum ab iis non declinent; g Pſ. 72. 5. *In labore hominum non ſunt* g. Cavent ſummoperè ne hujuſmodi impetantur doloribus; non communicant laboribus hominum, ſed doloribus & ſupplicis æquè ac laboribus diabolorum, tot vermibus h conſcientiæ internis, tot h Iſai. 66. 24. & Marc. 9. 44. ſynderesibus quæ ipſos ſtimulis angunt, & cruciant. Seu, Horum præ ſe geminam faciem ferentium hominum alij ſimiles ſunt tabulis raſis abſque ullâ reſiſtentiâ, & hi ſunt homines virtutum ſtudioſi. Alij æquiparantur marmoribus, quæ reluctantur, cùm ipſis ſcalprum applicatur, & iſti ſunt peccatores inſignes. Induit Deus omnes formas ac figuras ad eos convertendos. *Stetit* poſt i Luc. 24. 36. Reſurrectionem *in medio eorum* i. Reclinatus *in* k Luc. 2. 7. *præſepio* k fuit. Sedit, docens, l Luc. 2. 46. *Invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum* l. In cruce m Joan. 12. 32. *exaltatus à terra* m. Omni vacavit arti, præſertim pictoris, & ſculptoris. Pictor fuit, cùm deprehendens hanc tabulam raſam, hos homines dociles, lapſos fragilitate, penicillum capeſſit, & vivis coloribus gratiæ ſuæ, & ſui pigmento Sanguinis, imaginem in priſtinam ſuam reſtituit ſpeciem, nec in eam multum impendit laborem, cùm in ea nullam oſtendat reſiſtentiam, *Qui dilexit nos, & lavit* n Apoc. 1. 5. *nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* n. Cùm Sculptorem agit, & ſuam inſumit operam in marmor, o Exod. 5. 22. ſuper hæc corda indurata o in peccato, quantus labor! quàm ingens reſiſtentia! oportet ut adhibeat ſcalprum & malleum, ut percutiat afflictionibus, & infortuniis & incommodis, ut laboret, ut ſudet, ut inſumat vocem ſuam, brachium ſuum, imò & totum corpus ſuum. Ideò & peccatoribus p Malach. 2. 17. Malachias p queritur, *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, in eo quòd dicitis, Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini.* Cùm eorum obſtinatio tota ſit laboris ipſius cauſa.

Quod cùm ita ſit, Auditores, quòd Deus propter ſuam gloriam, & ob noſtra commoda eruere nos velit è nihilo peccati noſtri, projiciens nos in nihilum nativitatis noſtræ; & utatur afflictionibus & anguſtiis ut mediis opportuniſſimis ut nos ad ſe trahat; efficiamus ut hæ ſagittæ vibratæ è pharetrâ Divini Amoris (cùm in noſtrum emittantur commodum, & noſtris inſervire debeant emolumentis) q 1. Reg. 20. 22. &c. ſicut *ſagitta* q Jonathæ, nunquam retrorſum redeant, id eſt, non revertantur contra ipſum, ſed remaneant in nobis, ita ut ex iis proficuam hauriamus utilitatem. In extremis his ſpiculis inveniemus, non ſchedulam belli, ſed ſchedam pacis, cùm r Joan. 19. 34. oriantur ea è corde illius, quod *unus militum lanceâ aperuit* r, ut meliùs exinaniretur peccatum, quod eſt maximum omnium malorum, quæ poſſint hîc evenire. Æquo amplectamur igitur animo afflictiones quaſlibet obvias, cùm eæ ſic nobis ſint perutiles, gaudeamus configi his ſagittis amantibus, & invehentibus ſecum ſchedam pacis & gratiæ in hoc mundo, quam ſequatur gratia in altero.

IN OCTAVA IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS B. V. Mariæ.

Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? Cant 6. 9.

NOn eſt hîc nativitas Herodis Regis, *Cùm dies opportunus accediſſet, Herodes natalis ſui cœnam* a Marc. 6. 21. *fecit Principibus & Tribunis, & primis Galilææ* a: ut b Epheſ. 2. 3. tantum præ nobis feramus gaudium, tantam teſtemur lætitiam, & ſic immodicam faciamus ſolem- c S. Bern. ſerm 2. Pent ex Pſ. 50. 7. & Job 14. 4. nitatem, cùm omnes *naturâ filij iræ* b homines, quippe qui *in utero damnati antequàm nati, quia de peccato, & in peccato concepti,* ut ait S. Bernardus c, ingreſſum in mundum faciant æquè deplorabilem, ac ipſorum progreſſus in eo futurus eſt fatalis, & futurus egreſſus ipſorum ex eo fœlix erit omnibus incolis illius. Non eſt hîc dies Mariæ ſororis Moyſis, dies infortunatus & plenus amaritudinis, cùm ex tunc, ut dicunt Doctores Hebræi, prædeceſſores ipſorum cœperint experiri rudem & crudelem d Exod. 10. &c. perſecutionem Ægyptiorum d; unde hæc puella edu-

Digitized by Google

eduxit nomen ſuum, Maria, à Mara, quod ſignificat amaritudinẽ, vel, amaritudinis mare, ſicut obſervavit Genebrardus e; *Mariâ conceptâ cœpit perſecutio, ſeptem annis ante Moſen natum.* Et in Indice ejuſdem Genebrardi dicitur, *Maria amarorem ſonat, quòd eâ natâ Ægyptij amaris operibus Iſraëlem oppreſſerint.* Sed dies iſte quem celebramus, dies hic alterius Mariæ, cujus honoramus Conceptionem Iṁaculatam, eſt dies fœlicitatis, gaudij & lætitiæ, cùm ex eo ut è principio ſuo cœperit noſtra fœlicitas, & ex eo procedant omnia motiva oblectamentorum noſtrorum, *Propter quod Conceptio & nativitas Virginis, ſicut canit Eccleſia, gaudium attulit univerſo mundo*, ait de Ponte f. *Quia Mariam interpretari ſolemus Dominam; atque etiam ſpem: peperit enim Dominum* g, *qui eſt ſpes* i *totius mundi, nempe Chriſtum. Rurſum, Nomen illud Maria interpretatur Myrrha maris. Myrrham verò aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eò quòd puritura eſſet gemmam immortalem, in mari, hoc eſt, in mundo. Mare autem dicet univerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum. Rurſum, Itaque præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit*, dicit S. Epiphanius k. Propter eandem rationem dicit idem de Ponte, *Sicut de Chriſto Domino prædixerat Oſeas* l: *Quaſi diluculum (ſeu aurora) præparatus eſt egreſſus ejus, quia in ortu ſuo novam erat allaturus lucem mundo: ita Mater ejus ab inſtanti ſuæ Immaculatæ Conceptionis cœpit egredi, progredi, & apparere tanquam aurora conſurgens, non quidem expellens tenebras, quas vel unico momento habuerit, ſed quia à Sole juſtitiæ poſteà ex ipſa naſcituro* m, *in eo inſtanti illuminata eſt, & exinde cœpit creſcere, & progredi tanto ſpiritus fervore, ut dixerint Angeli*: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* Hæc verba jam nuper expoſuimus: ſuperſunt nobis explicanda cætera quæ ſequuntur, quæque eò referuntur etiam, *Pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Ipſa ſuis illuſtrabit nos luminibus, ſi reverenter dixerimus ipſi cum Angelo, *Ave Maria.*

e Genebr. lib. 1. Chronol. ætate 1.
f de Pont. lib. 3. in Cant. 6. 9. exhort. 1. parag. 4.
g ex Matt. 1. 25. & ex Luc. 1. 7.
i ex Pſ. 41. 6.
k S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
l Oſee. 6. 3.
m ex Eccleſiaſt. & Malach. 4. 2.

Dicebam vobis nuper ſuper conſilium quod aggreſſus eram, & quod hodie proſequor, quòd res novæ & inuſitatæ nos ciere ſoleant admiratione, æquè ac omnes illos qui ipſarum incumbunt conſiderationi, & quòd, cùm ſit *nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram*, ut ait S. Bernardus n poſt Scripturam & LXX. cùm omnes mortales labem contraxerint originalem è communi Protoplaſto, *in quo omnes peccaverunt* o: id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus p, *non actualiter, ſed virtualiter, originale peccatum incurrendo, quod eis imputatur in culpam, inquantùm aliquo modo erant in primo Parente, & idem cum ipſo: erant autem in ipſo ſicut in primo principio generationis humanæ: & ſicut multa membra ſunt in uno corpore, & multa individua in unâ ſpecie, ſic quodammodo omnes eramus in primo Parente ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, ſeu materialem propagationem: porrò originalis juſtitia ſic data erat primo Parenti ut transfunderetur in poſteros: ideò primo Parente hâc juſtitiâ deſtituto, poſteri ejus juſtè privantur eâdem, nec tamen fit eis injuria, quia nec primo Parenti, nec eis iſta juſtitia naturaliter debebatur, aut competebat: ſed nec beatifica viſio Dei, quâ merebantur privari propter hujus juſtitiæ privationem*: Sola Beatiſſima Virgo Maria ſine ullo peccato concepta, in mundo incipiat illuceſcere; præ tanto ſplendore, ut Angelim agnitudines illius admirantes, dicant ad invicem, *Quæ eſt iſta?* Propter quod ait illi S. Epiphanius q, *O Virgo ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti!* Ipſa eſt fœlicior Sarâ, quæ mater fuit filij, qui erat riſus & gaudium familiæ Abrahæ, *Concepit, & peperit filium: Dixitque Sara: Riſum fecit mihi Deus: quicumq; audierit, corridebit mihi* r. Hæc autem eſt Mater Salvatoris totius orbis, *Peperit Filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Ieſum* s. *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* t. Unde exclamat idem S. Epiphanius; *Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, mulier amicta Sole* u: *ſtupendum miraculum in cœlis, mulier geſtans lucem in ulnis: ſtupendum miraculum in cœlis, mulieris Filius, qui & ipſius, & ſeculorum Pater eſt* x. Ipſa eſt prudentior Rebeccâ, quæ procuravit impendendam ab Iſaac viro ſuo benedictionem Jacob filio ſuo y: hæc autem ab inſtanti ſuæ Conceptionis benedictionem in omnes homines invehit, ut concinit ei Eccleſia, *Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo orbi: ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ* z *Chriſtus Deus noſter, qui ſolvens maledictionem, dedit benedictionem; & confundens mortem* a, *donavit nobis vitam ſempiternam* b. Ipſa eſt ſpecioſior Rachele: *Erat Rachel decora facie, & venuſto aſpectu* c. Huic verò dicitur à Sponſo ſuo, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* d. Ipſa eſt fœcundior Liâ, quæ fuit mater Patriarcharum e: hæc autem Mater eſt Domini Angelorum, æquè ac Patriarcharum, ut ait illi idem S. Epiphanius Epiſcopus, *Sancta Maria Virgo Deipara, Beata tu inter mulieres* †, *quæ genuiſti eum, qui olim in Paradiſo formavit Adam è luto* f. Et aliquantò infrà, *Stupendum miraculum in cœlis, Dominus Angelorum, Infans Virginis effectus eſt.* Ipſa eſt ſapientior Deborâ: *Erat autem Debora Prophetis, quæ judicabat populum* g. Hæc autem, Genitrix eſt illius qui venit non ad judicandum mundum, ſed ad eum ſalvandum: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum* h. Ipſa eſt fortior Judithâ, quæ Holofernis *caput abſcidit* i, & liberavit populum Dei ab illius tyrannide: hæc autem contrivit *caput ſerpentis*, ut ait Eccleſia k de eâ, & ipſo ſuæ Conceptionis Immaculatæ momento procuravit toti orbi impendendam liberationem à captivitate Holofernis infernalis. Ipſa eſt gratior Eſthere, quæ cõciliavit ſibi amicitiam Regis Aſſueri, *Quæ placuit ei, & invênit gratiam in conſpectu illius* l. Et de hâc dicit idem S. Epiphanius, *Pater miſit arrhabonem de cœlo Spiritum ſanctum, præparavit Virginem unigenito Filio cœleſti Sponſo, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa enim eſt Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit* m *Chriſtus.* Ipſa eſt humilior Abigaile, quæ ſuum *virum, iniquum Nabal, quoniam ſecundùm nomen ſuum ſtultus* n erat, reconciliavit Davidi: hæc autem Nabales peccatores in amicitiam Dei reduxit, ut ait idem S. Epiphanius: *Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit.* Majori ego cieor admiratione, quàm percellantur Angeli, & ſi iſti dicant, *Quæ eſt iſta?* ego cum eodem S. Epiphanio non audeo aggredi propalare laudes hujus ſanctiſſimæ Virginis, cùm cogitationes meæ nimis ſint depreſſæ, & acies mentis meæ non ſit ſatis ſubtilis ut annunciem vobis excellentias ejus: ſufficit mihi ut cum hoc ſancto Antiſtite Conſtantiæ fatear infirmitatem meam, *Quid dicam, aut quid loquar de præclarâ & ſanctâ virgine? Deſiderium me trahit ut de Deiparâ verba faciam, & formido me retinet in ſilentio, ut qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem*

n S. Bern. ſerm. 4. in Vig. Nat. Dom. ex Iob 25. 4.
o Rom. 5. 12. ex Gen. 2. 6.
p Dion. Carth. art. 8. in Rom. 5. 12.
q S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
r Gen. 21. 2. & 6.
s Matth. 1. 25.
t Luc. 19. 10.
u ex Apoc. 12. 1.
x ex Hebr. 1. 2.
y Gen. 27. 5. &c.
z ex Malach. 4. 2.
a ex Oſee 13. 14.
b ex Ioan. 10. 10.
c Gen. 29. 17.
d Cant. 4. 7.
e Gen. 29. 32. &c.
† ex Luc. 1. 42.
f ex Gen. 2. 7.
g Iudic. 4. 4.
h Ioan. 3. 17.
i Iudith 13. 10. &c.
k Eccleſia ex Gen. 3. 15.
l Eſth. 2. 9.
m ex Pſ. 18. 6.
n 1. Reg. 25. &c.

dem trahit me, iſte verò me abſtrahit. Cùm ergo ab utroque diſtinear, expedit mihi ut ſermonem habeam de percelebri & Sanctâ Virgine. Admiratione igitur Angelorum utens inſtar Echus; *Quæ eſt iſta quæ progreditur?* &c. cùm nuper videremus B. Virginem eſſe auroram per convenientias, quas ipſa habet cum aurorâ; videamus nunc Primò quomodo eadem B. Virgo ſit *Luna*, Secundò quomodo ſit

Diviſio

Sol, Tertiò quomodo ſit *acies ordinata*, per convenientias quas habet cum Luna, cum Sole, & cum acie ordinatâ, in tribus partibus.

I. Pars.

Inquirentes igitur Angeli præ admiratione de B. Virgine, *Quæ eſt iſta quæ progreditur?* reſpondent, *Pulchra ut Luna.* Perhibetur fuiſſe Luna ſymbolum nobilitatis inter Romanos aliàs: ſic B. Virgo deſcendens è tot Regibus, Patriarchis, & magnis Ducibus, quorum ſeriem texit Evangelium o hodiernum, ſatis oſtendit nobilitatem progeniei ſuæ Regiæ. Hoc habet proprium Luna ſuper alia aſtra, quòd cùm hæc diaphana ſint & pellucida, ipſa eſt opaca, nec poteſt omnino videri: B. Virgo Maria *pulchra ut Luna*, gratias ſuas tenet hominibus abſconditas, *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus* p. Licèt autem iſta verba dicantur communiter de Eccleſia, ut ait Incognitus q, aut de anima juſta, ut dicunt alij, *Transferri hæc ad virginum Virginem poſſunt*, docet Lorinus r. Non videtur niſi gratiarum illius ſuperficies, ſolus Deus perfectè cognoſcit prærogativas ejus; & ſi alii eas noverunt, illas nonnuli per revelationem ſcire potuerunt. Unde dicit de Ponte s, *Agnovit hoc Gabriel Angelus, qui ingrediens ad eam, dixit: Ave gratiâ plena* t *Quid eſt gratiâ plena, niſi pulchra ut Luna? & quidem plena omni plenitudine gratiæ quæ tali Virgini conveniebat, in qua nunquam diminutionem paſſa eſt, aut defectum, cuius pulchritudinem humana & Angelica natura mirantur.* Nam, ut inquit *Petrus Damianus: Quantùmcumque alia ſtella reluceant, Luna tamen & magnitudine præeminet, & ſplendore: ſic utramque naturam Virgo ſingularis exuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum. Et meritò comparatur Lunæ, de qua Eccleſiaſticus* u *ait: Luna in omnibus in tempore ſuo oſtenſio temporis, & ſignum ævi. Nam B. Virgo in omnibus nationibus in tempore ſuæ apparitionis in mundo, oſtenſio eſt illius temporis, de quo Paulus* x *ait: Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. Quæ etiam ſignum eſt ævi, id eſt, æternæ vitæ, & Regni cœlorum per Filium eius aperiendi. Unde de eadem ſubditur, A Lunâ ſignum diei feſti* y. *Quia ab ipſa inchoat omnis noſtra feſtivitas per adventum verbi Divini inter nos.*

o Matth. 1. 1. &c.
p Pſ. 44. 14.
q Incognit. in Pſ. 44. 14.
r Lorin in Pſ. 44. 14.
s de Pont. lib. 9 in Cant. 6. 9. exhort. 5. parag. 4.
t ex Luc. 1. 28.
Petr. Dam. ſerm. de Aſſumpt.
u Eccli. 43. 6.
x Galat. 4. 4.
y Eccli. 43. 7.

Tamen quàmvis Maria prædictas habeat cum Lunâ convenientias, in hoc ipſa non concordat cum ea, in quo eſt ſymbolum inconſtantiæ: *Nam ſtultus ſicut Luna mutatur* z. Luna apparet maculata ſordibus, & perſæpè menti officit, unde oritur nomen Lunatici: unuſquiſque autem metuit influentias ejus. Unde ait Dionyſius Carthuſianus a, *Lunatici nuncupantur, qui ſingulis vexantur lunationibus, & mente laborant: & accidit dum Luna eſt plena. Lunatio autem eſt tempus quo Luna recedit à Sole, & rurſus ſequitur eum.* Spiritus ſanctus igitur prævidens omnes iſtas objectiones, voluit Mariam comparare Lunæ, quantùm ad ea quæ ſpectant bonas illius qualitates: quantùm verò ad aliàs, ab ipſo conſtituta eſt *Luna ſub pedibus eius* b. Rationem diſpoſitionis iſtius Spiritus ſancti tribuit S. Bernardus c, cùm ait: *Nam & defectus omnis ſub ea; & quidquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſſimâ quâdam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit & ſupergreditur creaturis, ut meritò ſub pedibus eius Luna eſſe dicatur. Solet autem Luna non modò defectum corruptionis, ſed & ſtultitiam mentis, nonnunquam verò & Eccleſiam huius temporis deſignare. Illam quidem propter mutabilitatem, hanc ſanè propter ſuſceptum aliunde ſplendorem. Utraque verò, ut ita dixerim, Luna ſub Mariæ pedibus congruè ſatis ponitur, alio tamen atque alio modo. Siquidem ſtultus ut Luna mutatur, ſapiens autem permanet ut Sol* d. *In Sole nimirum & fervor & ſplendor ſtabilis; in Lunâ ſolus ſplendor, atque is omnino mutabilis & incertus, qui nunquam in eodem ſtatu permaneat.* e In quo comprehenduntur & latent multæ laudes B. Virginis: in rebus enim humanis nihil eſt ſtabile, in illis univerſa ſunt obnoxia mutationi: *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens* f. Seu ut ait Carthuſianus g, *Vanitati, id eſt, inſtabilitati, multiſque pœnis creatura ſubiecta eſt, id eſt, homo, quemadmodum ait Scriptura* h. *Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens. Non volens, id eſt, non ſponte, quia invitus hæc patitur. Vel, non volens, id eſt, propter originale peccatum, quod non eſt noſtrâ voluntate commiſſum, cuius pœnas cogimur tolerare.* Quin imò, ut dicitur apud Job †, *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Id eſt, Deus. Seu, ut ait Hugo Cardinalis i, *Ecce qui ſerviunt, id eſt, Angeli, non ſunt ſtabiles, id eſt, ſine mutabilitate: naturâ enim ſuâ ſunt defectibiles: ſed ex gratia ſtabiles. Et per hoc probat illud quod ſequitur. Et in Angelis ſuis, apoſtatis ſcilicet, reperit pravitatem ſuperbiæ. Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris* k?

z Eccli. 27. 12.
a Dion. Carth. art. 8. in Matt. 4. 24.
b Apoc. 12. 1.
c S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1. Signum magnum, &c.
d ex Eccli. 27. 12.
e ex Iob. 14. 2.
f Rom. 8. 20.
g Dion. Carth. art. 15. in Rom. 8. 20.
h Pſ. 38. 6.
† Iob. 4. 18.
i Hug. Card. in Iob 4. 18.
k Iſai. 14. 12.

Omnis mutabilitas referri poteſt ad tria capita. Primum eſt deteſtabiliſſimum, cùm ſcilicet mutatio fit à gratia in peccatum, à juſtitia ad injuſtitiam, *Filij Ephraim intendentes, & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli* l. Vel, ut ait Incognitus m, *Id eſt, ſecundùm Gloſſam, promittentes ſervare mandata in die auditionis, ſcilicet quando Deus de aliqua adverſitate eos clamantes audiebat: converſi ſunt in die belli, id eſt, defecerunt in die tentationis. Nihil enim aliud eſt tendere arcum, & mittere ſagittas, & converti in die belli, niſi attendere & promittere in die auditionis, & deficere in die tentationis: & hoc eſt quaſi præludere armis, ſed ad horam tentationis nolle pugnare. Et propter ipſorum culpam facti ſunt noviſſimi primi* n. Secundum eſt, cùm mutatio fit corporis in pulverem, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* o. Tertium eſt, cùm fit mutatio fortunæ, *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas* p. Et, *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole* q. Ut igitur oſtenderet Spiritus ſanctus, quòd B. Virgo corrigeret omnes iſtos defectus, conſtituta eſt ab eo *Luna ſub pedibus eius* r. Nunquam enim ſanctiſſima Virgo fuit obnoxia mutationi è gratia ad peccatum, *Quæ inceſſu affectuque venerabilis, non tam veſtigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret*, ut S. Ambroſius s. Cùm eſſet Mater gratiæ, & impeccabilis ab inſtanti ſuæ Conceptionis per privilegium ſpeciale. Neq; mutationi corporis in pulverem, cùm dicere poſſimus verè in ea completum fuiſſe id, quod Filius ejus petebat à Patre ſuo, & quod impetravit, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* t. *Id eſt, non permittes corpus meum immaculatum per corruptionem incinerari* u. Nec mutationi fortunæ, cùm meliùs dicere poſſet ipſa, quàm deinceps dixerit Apoſtolus x, *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Imò quàm priùs dixiſſet Sapiens, *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius* y. *Quid enim prodeſt ſtulto habere divitias, cùm Sapientiam*

l Pſ. 77. 9.
m Incognit. in Pſ. 77. 9.
n ex Matth. 20. 16.
o Gen. 3. 19.
p Eccl. 1. 2.
q Eccl. 2. 11.
r Apoc. 12. 1.
s S. Ambr. lib. 2. de Virginib. paulo poſt initio
t Pſal. 15. 10.
u Incognit. in Pſ. 15. 10.
x Philipp. 3. 8.
y Sap. 7.

Digitized by Google

tiam emere non poſſit? ſubdit S. Bonaventura z, honores, magnitudines, non ſunt niſi umbra inconſtãs & fugax: ſectatores ſæculi nihil æquè ac iſta concupiſcunt, quique ideò comparari poſſunt fabulæ lupi, qui intuitus imaginem lunæ in aqua putei, imaginatus eam fuiſſe caſeum, illuc deſcendit, ſed ad confuſionem ſuam: cùm enim deinceps non poſſet illinc aſcendere, lapidibus à paſtoribus ibi obrutus eſt: ſic filij hujus ſæculi, rati ſe inventuros eſſe voluptates in honoribus, nihil inveniunt ibi præter umbram: *Præterit enim figura hujus mundi* a. *Id eſt*, ut ait Dionyſius Carthuſianus b, *Diſpoſitio, pulchritudo, & ſtatus terrenarum ac temporalium rerum, quæ ſunt in tranſmutatione continuâ. Propter quod ait Ioannes* c, *Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus.* Sic illi operam ſuam amittunt, & miſerè moriuntur: B. Virgo non ſe gerit eodem modo, *Luna ſub pedibus ejus* d. Scilicet oſtendit inde hæc ſancta Deipara contemptum, quem ipſa rerum terrenarum facit adverſus morem conſuetum hominum, qui honores, divitias, & voluptates collocant ſuper capite ſuo, Solem verò *juſtitiæ* e Jeſum Chriſtum ſuis pedibus proterunt: quod infortunium deplorans Jeremias f, ait, *Conculcaverunt partem meam.* Id eſt, nihili æſtimaverunt leges meas. *Facti ſunt hoſtes ejus in capite* g. Eò prorupit hominum inſania, ut honores, voluptates, & divitias, & cætera bona tranſitoria, quæ ſunt ipſis maximè inimica, ſuper capitibus ſuis poſuerint: illi enim bona caduca ſuper capitibus ſuis conſtituunt, qui ea tanti æſtimant ut illa in eminentiſſimo loco collocent: ſed quia *Luna ſub pedibus ejus*, id eſt, Mariæ eſt, videtur ipſa B. Virgo clavum eidẽ Lunæ infigere ad ſiſtendam inconſtantiam ejus, aut ad hebetandos mucrones qui perſæpè apparent in hoc planetâ, qui lædere poſſent filios ipſius. *Pulchra ut Luna.*

Electa ut Sol. Sicut enim Sol apparet radijs coronatus: ita B. Virgo tota apparet fulgida, quippe orta è tot Patriarchis, Prophetis, Regibus, & magnis Ducibus, quos cõmemorat Evangelium h hodiernum. Unde S. Bernardus i ait: *Quod ſidereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex Regibus orta, quòd ex ſemine Abrahæ, quòd generoſa ex ſtirpe David. Si id parùm videtur, adde quòd generationi illi ob ſingulare privilegium ſanctitatis Divinitus noſcitur eſſe conceſſa, quòd longè antè eiſdem Patribus cœlitùs repromiſſa, quòd myſticis præfigurata miraculis, quòd oraculis prænunciata: hanc ſacerdotalis virga dum ſine radice floruit* k, *hanc Gedeonis vellus dum in medio ſiccæ areæ maduit* l: *hanc in Ezechielis m viſione, Orientalis porta, quæ nulli unquàm patuit, præſignabat. Hanc denique præ cæteris Iſaias* n *nunc virgam de radice Ieſſe orituram promittebat, nunc evidentius. Meritò ſignum hoc magnum in cœlo apparuiſſe ſcribitur, quod tanto antè de cœlo noſcitur fuiſſe promiſſum: Dominus, ait, ipſe dabit vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet* o. *Magnum profectò ſignum dedit, quia & magnus* p *ipſe qui dedit. Hujus ergo prærogativæ fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum?* Sicut Sol excedit omnia alia aſtra; ita Maria Sanctos omnes alios antecellit: *Agnovit hoc Gabriel Angelus, qui ingrediens, ad eam dixit: Dominus tecum* q, *quod eſt, electa ut Sol. Dominus enim fuit in Maria ſingulari quâdam ratione, quia elegit eam in Matrem, in qua per carnem eſſe & habitare decreverat: quare meritò electio ejus eſt ut Sol, id eſt, ad modum ipſius Chriſti, ut ſicut ipſe unicus eſt inter viros, ita illa unica eſſet inter fœminas: ille Deus & homo, cui nullus hominum, vel Angelorum poteſt comparari; hæc fœmina, ſed Mater Dei, quâ quiquis non eſt Deus, inferior invenitur, & minor*, ait de Ponte r. Quemadmodum Sol eſt pulcherrimum totius orbis ornamentum; ita Maria eſt præclariſſimum decus creaturarum in Eccleſia militanti, *Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus Dei* s. Non ſecus ac Sol per medias tranſiens cloacas, nullas ex ijs ſordes contrahit; ita B. Virgo tranſiens per parentes inquinatos, non contraxit ex illis peccatum originale in Conceptione ſuâ, *Propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti*, ait S. Epiphanius t. Sicut Sol occupat medium Planetarum, & tres habet ex illis ſuper ſe, & tres infra ſe: ita B. Virgo non habet ſupra ſe niſi tres Divinas Perſonas, & infra ſe tres hierarchias Angelorum, cùm ipſa ſit medium inter Deum & Angelos, ut ait illi paulò pòſt idem S. Epiphanius, *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: naturâ formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum. Etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabantur verò Angeli tanquam ipſi duntaxat Deum haberent, quibus ſanctiſſima Virgo ſuperior nata, Deum habitantem in cœlis concepit in terrâ: ut hâc ratione exercitus Angelorum traheret in terram & verſaretur cum hominibus. Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit.* Sicut Sol eſt hoc magnum horologium mundi, factum ab hoc magno Artifice u, ad dirigendas motu illius regulari actiones hominum, ut tempore fiant opportuno: ita Maria eſt velut horologium benè ordinatum, cùm nullam habuerit unquam cogitationem vanam, nec ullum verbum ſuperfluum unquam protulerit: Deus collocavit eam in Eccleſiâ ſuâ, ut homines, cujuſvis ætatis eſſent, inducerentur intuitu vitæ ejus irreprehenſibilis componere mores ſuos. Unde dixit S. Ambroſius x: *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque B. Mariæ. Et quæ velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendunt* Unde anſam arripio dicendi, quòd cùm unuſquiſq; bonum exemplum proximo ſuo præbere teneatur, *Deus mandavit illis unicuique de proximo ſuo* y; hoc ſpecialiter pertinet ad Prælatos, qui tenentur juxta regulam rectam vitam & mores ſubditorum ſuorum componere, & ipſimet eſſe debent ordinati, non ſecus ac horologia: Hæc eſt enim differentia inter cymbalum horologij & alia, quòd alia ſonant plus aut minus indifferenter, nedũ attendant homines ad numerũ ſonituũ illorũ; ſed ſi cymbalum horologij ſonet plus quàm oporteat, unuſquiſq; ad id attendit, & miratur, imò & trito dicit proloquio, Horologium ebrium eſt: ſic eadẽ datur differentia inter Paſtores & populum: illi ſunt inſtar Horologij, quod dirigere rectè debet actiones eorum, qui ſunt ipſis inferiores.

Non eſt aliquid liberalius, nec quod ſe magis cõmunicet quàm Sol, qui indiſcriminatim omnes homines illuminat, *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos* z. Sic, ait S. Bernardus a, *Maria omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus copioſiſſimâ charitate debitricẽ* b *ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinũ aperit, ut de plenitudo ejus accipiant univerſi. captivus redemptionẽ, æger curationẽ, triſtis conſolationẽ, peccator veniam, juſtus gratiã, Angelus lætitiam, deniq; tota Trinitas gloriã, Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiã* c, *ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus* d. Et David e dicit, *Memor ero Rahab, & Babylonis* Quaſi dicat, quòd licèt impudici implorent auxiliũ ejus, ipſa non deſpiciet preces eorũ, ſed effundet ſuper eos miſericordiæ ſuæ radios, & hoc innuunt verba ſequentia ejuſdẽ Davidis, *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopũ, hi fuerunt illic.* Nõ ſecus ac ſi aſſerat, quòd omnes peccatores recurrẽt ad illã ut ad aſylũ. Si autẽ petatis à Davide quare recurretur ad eã præ tantã fiduciã, ipſe reſpondebit vobis, *Hi fuerunt illic.* Vel, ut ait litera Hebraica. *Iſte natus eſt ibi.* Et Lorinus f poſt alios,

z S. Bon. in Sap. 7. 8.
a 1. Cor. 7. 31.
b Dion. Carth. ait. 7. 1. Cor. 7. 31.
c 1. Ioan. 2. 17.
d Apoc. 12. 1.
e Malach. 4. 2.
f Ier. 12. 10.
g Thren. 1. 5.
II. Pars.
h Matth. 1. &c.
i S. Bern. ſerm. de Verbis Apoc. 12. 1. Signum magnum, &c.
k ex Num. 17. 8.
l ex Iudic. 6. 38.
m ex Ezech. 44. 2.
n ex Iſai. 11. 1.
o ex Iſai. 7. 14.
p ex Baruch 3. 25.
q ex Luc. 1. 28.
r De Pont. lib. 9. in Cant. 6. 9. exhort. 5. parag. 4.
s Eccli. 26. 21.
t S Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
u Gen. 1. 16.
x S. Ambr. lib. 2. de Virginib.
y Eccli. 17. 12. & 13.
z Matth. 5. 45.
a S Bern. ſerm. de verb. Apoc. 12. 1. Signum magnum, &c.
b ex Rom. 1. 14.
c ex Galat. 4. 4.
d ex Pſ. 18. 7.
e Pſ. 86. 4.
f Lorin. in Pſ. 86. 4.

alios quos citat, *Ecce Palæſtini, Tyrii, Æthiopes accurrent, quia Chriſtus natus eſt ibi.* Et ideò agnoſcent illam ut omnipotentem: & ſicut *ingreſſus eſt Adonias ad Bethſabee matrem Salmonis* g, ut impetrare ſibi dignaretur Regina favorem ab eodem Rege Salomone: ſic & illi recurrent ad Mariam, quia, ut ait idem Lorinus poſt Nebienſem, & alios, *hic Rex unctus eſt ibi*, vel, *magnificatus*. Petitis à me rationem, propter quam omnes indifferenter recurrant ad Mariam. Reſpondeo vobis, Quia *Rex gloriæ* h unctus eſt in viſceribus ejus, non oleo materiali, more cæterorum regum, ſed oleo miſericordiæ, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis* i. Idem autem Deus Matrem ejus eodem oleo madefecit, magnificans illam in omnibus, operans mirabilia per eam: & hæc B. Virgo vidit Jeſum aliter quàm viderit eum S. Ioannes Evangeliſta: vidit enim hic Apoſtolus *ſimilem Filio hominis: & de ore eius gladius utrâque parte acutus exibat* k, ad percutiendos eo peccatores: ſed B. Virgo vidit eum unctum *oleo*, quod eſt ſymbolum miſericordiæ, ad curanda eo vulnera eorum. In cujus veritatis figuram in obſidione Jerichuntinâ *dixit Ioſue, Sola Rahab meretrix vivat* l. Unde S. Chryſoſtomus m ait, *Reſpice nova clementiæ prædicatorem. qui in Lege n dicit, Non mœchaberis: verbum tranſmutans de clementiâ clamat per beatum Ieſum Nave, Rahab meretrix vivat.* Nomen autem hoc idem eſt quod idem Jeſus Chriſtus ait, *Publicani & meretrices præcedent vos in Regno Dei* o. Sed ſi eſt proſtituta, quare vivere debet ipſa? Ha! quia Deo *proprium eſt miſereri ſemper & parcere* p.

Nunquam Sol eclypſim patitur niſi per interpoſitionem terræ inter ipſum & Lunam; & ſic impedimur ne videamus Solem in ortu ipſius: ſimiliter Hæretici non vident pulchritudines iſtius Solis myſtici, *Oculos habent, & non videbunt* q. Non quod eclypſi ſuffundatur in ſemetipſo, ſed quòd illi eclypſim ſuſtineant in malitiâ ſuâ. Dicitur Sol mitigare turbines & tempeſtates: ante adventum Solis iſtius myſtici, *diluvium* r, ignis & ſulphur *de cælo* s temporibus Noë & Lot omnia devaſtabant; ſed poſtquàm *ex* iſto Sole myſtico alter *ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter* t; tempeſtas ſedata eſt, ut concinit Eccleſia, *Hoc nauta vires colligit, pontique miteſcunt freta.* Sicut Sol non ſolum illuminat hunc mundum inferiorem, ſed etiam ſuperiorem: ita Maria illuminat Eccleſiam militantem, & triumphantem, ut ait illi Eccleſia, *Gaude Maria Virgo: cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Et Pſalmiſta u, *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam.* Hoc pertinet ad B. Virginem, *Ortus eſt Sol: & congregati ſunt*, nimirum dæmones, cogendo eos ad ſe recipiendos in ergaſtula ſua infernalia, ut nocere non poſſint hominibus. *Exibit homo ad opus ſuum*, roborat ipſa ſervos Dei, eoſque promptos reddit ad obſequium ipſius, *& ad operationem ſuam uſque ad veſperam*, illoſque perſeverare facit uſque ad finem; quod eſt eis maximè proficuum.

Terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Ut meliùs intelligamus iſtud, continuemus metaphoram Solis. S. Ambroſius x ait, *Leo gallum, & maximè album veretur.* Ratio iſtius eſt, Quia gallus magis quàm leo participat virtutem Solis: ita enim Sol dominatur gallo, & ſic influit in eum, ut mediâ nocte cùm ipſe revertitur è noſtris antipodibus ad hemiſphærium noſtrum; quaſi volens congratulari adventui ipſius, pluries cantare incipiat iſte gallus: unde videre poſſumus veritatem verborum iſtorum, *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Nam *diabolus*, licèt *tanquam leo rugiens* y, non ſolùm timet præſentiam B. Virginis, imò verò nec illius ſuſtinere poteſt vocem, abhorrens vel ipſum ejus nomen. Ratio hujus eſt, Quia Maria ſuſcepit plenitudinem radiorum gratiæ Divinæ, cujus intuitum diabolus ſuſtinere non poteſt. Unde de Ponte z dicit, *Agnovit hoc Gabriel Angelus, qui ingrediens ad eam dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* a. *Sed quod ſubditur, Benedicta tu in mulieribus, idem eſt quod terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Quod ne appareat novum, memento Deum, cùm primis Parentibus propter peccatum maledixit, unicam tantùm appoſuiſſe benedictionem, dicendo ſerpenti: Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum* b. *Ubi promulgatur bellum acre futurum inter diabolum & eius ſectatores ac inter mulierem & filios ab eâ progignendos, inter quos futurus erat unus Chriſtus, & una mulier Mater eius quæ hanc benedictionem obtineret: tantâque polleret fortitudine, ut ſerpentis caput contereret, regnum ac potentiam everteret. Benedicta ergo tu in mulieribus, quæ hanc diu deſideratam obtinuiſti benedictionem, ut ad Dei Filium concipiendum ſis electa, ideòque terribilis es ut caſtrorum acies ordinata; quia formidabilis eris diabolo, & Angelis eius, quorum vires conteres, ut omnem maledictionem à nobis propellas.* Huic conſonat litera Hebraica, *Terribilis ut vexillata*, aut, *caſtra cum vexillis.* Ita formidant eam diaboli, ut jugiter inclament, *Caſtra Dei ſunt hæc* c. Et aliàs Turcæ ſic verebantur invincibilem Ducem Chriſtianum Uniadem, ut ipſæ vel nutrices poſt mortem ejus, ut timore percellerent alumnos ſuos, ſolerent eis dicere, Ecce Uniades adeſt: ita nomen B. Virginis ſic eſt formidabile dæmonibus, ut non ſolum præſentia ejus, aut figura illius, ſed etiam & ipſum hoc nomen illos fremitu concutiat, *Non ita metuunt hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aëreæ Poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum*, ait S. Bernardus d.

Dicamus aliter, quòd Angeli comparant Mariam aciei ordinatæ, quia fortitudo, æquè ac pulchritudo exercitus non tam ſita eſt in multitudine armorum, quàm in eo quòd milites omnes ita ritè ſuas obeunt vices ut nemo exeat ex ordine ſuo, aut ſuum locum deſerat: cùm igitur in Maria omnes potentiæ ipſius tam interiores quàm exteriores ita perfectè ſint ordinatæ & compoſitæ, ut nulla ex illis tantillùm è ſuo exeat ordine, quod de nemine dicitur niſi de ipſa, cùm nullus inveniatur juſtus Lot, cujus *reſpiciens uxor poſt ſe* e, id eſt, cujus caro non converterit aliquando caput retrò: hæc beatiſſima Deipara ſic eſt dæmonibus terribilis, ut Spiritus ſanctus ſit dignatus eam comparare aciei ordinatæ, quæ victoriâ refert de Lucifero ab ipſo vel ſuæ Conceptionis inſtanti: conceptiones enim aliorum inquinatæ fuerunt peccato originali, ſicut fatetur de ſe David f, & in perſona ſua de cæteris omnibus mortalibus, Deum ſic deprecans: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sed Conceptio Mariæ fuit immaculata, ut proteſtatur Sponſus ejus; dicens illi, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* g.

Sed ſub ſilentio prætertire nolo, quare Sponſus poſtquàm comparavit Sponſam ſuam auroræ, Lunæ, & Soli, vocat illã tandè terribilem inſtar aciei ordinatæ; cùm acies nonnulli tremoré ſoleat incutere. Ego reor, quòd ideò illã omnibus iſtis nominibus inſignivit, ut oſtenderet gaudium, quo Conceptio Mariæ deberet mundũ perfũdere, cùm comparet eã auroræ, Lunæ, & Soli; quia aurora ſolamen affert ægris & infirmis, Luna juvamen viatoribus nocturnis, & Sol oblectamentum iis, qui ſunt in tenebris con-

g 1 Reg. 2. 13 &c.
h Pſ. 23. 7. &c.
i Pſ. 44. 8.
k Apoc. 1. 16.
l Ioſue 6. 12 & 7.
m Chryſoſt. hom. 5 de Pœnit.
n Exod. 20. 14.
o Matt. 21. 31.
p Eccleſia ex Sap. 11. 24.
q Pſ. 113. 13.
r Gen. 7. 17 &c.
s Gen. 19. 24 & 25.
t Eccleſia ex Malac. 4. 2. & ex Luc. 1. 78.
u Pſ. 103. 22. & 23.
x Pet. ... S. Ambr. lib. 6 Hexam. c. 4.
y 1. Petri. 5. 8.
z De Pont. lib. 4. in Cant. c. 9. exhort. 5. parag. 4.
a ex Luc. 1. 28.
b Gen. 3. 15.
c Gen. 32. 2.
d S. Bern. citat à Calmas. 10. 3. Sabbat. post Dom. 2. Quadr.
e Gen. 19. 26. &c.
f Pſ. 50. 7. ex Iob 14. 4.
g Cant. 4. 7.

conſtituti. Et ad majorem veritatis iſtius confirmationem, comparat illam etiam aciei ordinatæ: quia illi qui detinentur captivi ab inimicis ſuis, non poſſunt experiri aliquid gratius quàm viſu, quòd ingens turma militum veniat ad auxilium ſuum: & licèt hic exercitus ſit terribilis hoſtibus, eſt tamen gratiſſimus captivis: cùm igitur mundus captivus detineretur ſub crudeli tyrannide dæmonum, non poterat quin magna gaudia conciperet è Conceptione hujus. S. Virginis, quæ terribilior eſt dæmonibus, quàm omnes exercitus Angelorum ſimul uniti: de eâ enim ait *Dominus Deus ad ſerpentem, Ipſa conteret caput tuum* h. Et, *Orietur Stella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa poſſeſſio eius* i. Unde S. Bernardus k ait, *Ipſa eſt igitur nobilis illa Stella ex Iacob orta, cuius radius univerſum orbem illuminat, cuius ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & caleſaciens magis mentes quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia.* Et quia Iacob fuit luctator l, & ſupplantator Eſau m: ita Maria ut legitima illius hæres, valida ſemper fuit luctatrix adverſùs dæmones, quos ſupplantavit. Nolite autem exiſtimare, quòd *ſuper hoc nomine quod interpretatum maris ſtella dicitur*, ut ait idem S. Bernardus paulò antè, detrahatur aliquid magnanimitati ejus; cùm nulla ſint arma fortiora *adverſùs Principes & poteſtates, adverſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ* n, armis ipſius luminis: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis* o.

h Gen. 3. 14. & 15. — i Num. 24. 17. & 18. — k S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt. in fine — l Gen. 32. 24. — m Gen. 25. 25. — n Epheſ. 6. 12. — o Rom. 13. 12.

Præterea, Sponſus volens deſcribere pulchritudinem ſpiritualem B. Virginis, comparat eam auroræ, Lunæ, & Soli: quia res omnes iſtæ jucundâ pulchritudine ſunt præditæ. Et continuans eam æquiparare aciei ordinatæ, hoc ideò facit, quia nihil eſt ſpecioſius exercitu ritè ordinato militum validis & ſplendentibus armis inſtructorum, quod induxit Balaam videntem populum Dei diviſum in diverſas tribus, manentem ſub tentoriis, ad exclamandum præ admiratione, *Quàm pulchra tabernacula tua, Iacob, & tentoria tua, Iſraël* p. Inde monere cupio mulieres, ut uniant pulchritudinem ſuam terrori exercituũ, ita ut, quò majori erunt ipſæ præditæ ſpecie, eò terribiliores & generoſiores ſemetipſas oſtendant adverſus eos viros, qui præſumerẽt attentare in famam ipſarum, imitantes in hoc ſanctam Sponſam, de quâ Sponſus Sacer loquens, ait, *Quid videtis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* q Unde videtis quòd illam laudibus evehit, non ex eo quòd lenocinijs ſuis innocentibus attraheret, ſed ex eo quòd ipſa ſe terribilem exhiberet adverſùs eos, qui caſtitati ipſius labem volebant irreparabilem inurere, convertens illos in fugam, ne in aliquo Divinam offenderet ipſa Majeſtatem.

p Num. 24. 5. — q Cant. 7. 1.

Recurramus igitur ad Mariam, ad hanc ſpecioſam auroram, ad iſtam pulchram Lunam, ad fulgentem iſtum Solem: diſſipabit ipſa peccatorum noſtrorum tenebras, & ſuis nos illuſtrabit luminibus: & ſicut ipſa eſt *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*; ſic & erit nobis aſyli locus adverſùs inimicos noſtros. Vocatur à S. Epiphanio r *Virgo, ſpelunca, & præſepe.* Cùm venator clauſit aditum cuniculorum, ut eos intercipiat faciliùs interventu viverræ, natura providet his animalculis alteram ſpeluncam, in quam ſe recipiunt ut in locum ſecuritatis. Scriptura s loquens de Salvatore, vocat eum ſpeluncam leporum, aut cuniculorum, *Petra refugium herinaciis.* Lorinus t autem dicit ſuper hoc, *Alij, hoſpitium, opertorium, aſylum leporibus, aut cuniculis.* Id eſt, ſpelunca, in quam animalia rationalia, more leporum & cuniculorum ſe recipiunt: ſed cùm Deus irritatus offenſis noſtris, denegat nobis locum *in foraminibus petræ* u, id eſt, in vulneribus ſuis, quæ inſerviunt loco aditus, ut aſylum quæramus, unicum & ſaluberrimum remedium eſt, ut recurramus ad Mariam, quæ eſt *ſpelunca.* In eâ erimus ut in civitate refugij: per eam enim mitigabit Dominus *omnem iram* x ſuam: & ipſa ſuæ interceſſionis faciet nos experiri miſericordias. Vocatur etiam *Virgo præſepe* à S. Epiphanio alludente ad præſepe, *in* y quod ſuſceptus eſt Filius ejus, contemptus & derelictus ab omnibus: eſt igitur *Virgo præſepe* inſtar præſepis Bethleemitici: cùm enim ſe peccator intuebitur derelictum ab omnibus, deſtitutum omni genere bonorum, tam corporis, quàm animæ, deſolatum, innumeris infortunijs impetitum, pergat ad hoc præſepe B. Virginis, ipſi ſerviet ea loco refugij, & opertorij, cujus interventu genus omne conſolationis impetrabit ipſe, & ipſi *gratiam, & gloriam dabit Dominus* z.

r S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip. — s Pſ. 103. 18. — t Lorin in Pſ. 103. 18. — u Cant. 2. 14. — x Pſ. 84. 4. — y Luc. 2. 7. — z Pſ. 83. 12.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu quis es, Et confeſſus eſt, & non negavit; & confeſſus eſt: quia non ſum ego Chriſtus, Ioan. 1. 19. &c.
Moyſes aſcendit in montem Exod. 24. 18.

ORdinarium eſt naturæ ac proprium, ut abſcondat quidquid habet ipſa exquiſiti ac pretioſi, notitijs noſtris, & non exponat oculis noſtris intuendum niſi id, quod eſt magis commune ac vile, ut earum melius puniat cupiditatem, ut opinor. Terra non oſtendit nobis ut plurimum niſi montes, rupes, & colles; & noſtris ſubtrahit obtutibus foſſilia aurea, lapides pretioſos, & quidquid celat ipſa in ſuis viſceribus præditiſſimum. Mare nihil nobis exhibet niſi cete & delphines, & è noſtro eripit viſu quidquid continet in ſe exquiſitiſſimum, conchas unionem matres, quas in profundiſſimis ſuis abditas reſervat abyſſis. Cœlum ſeſe nobis offert intuendum claritate & aſtris renitens, ſed ejus nos latent influentiæ. Aër ſua propalat meteora, ſed eorum virtutes ignoramus. Ignis ſuas producit flammas, nedum ſuum nobis prodat calorem. Arbores & plantæ ſuas abſcondunt in terrâ radices, ex quibus ſuas omnes educunt virtutes; cùm nihil pretioſum ſit in naturâ quod non remaneat abſconditum. In gratiâ verò una ex notis infallibilibus ſanctitatis eſt, non apparere, nec manifeſtari, cùm proprium ſit virtuti ut abſcondita maneat, *Ama neſciri*, ut ait S. Bernardus a. *Ingreſſus Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* b extra ſtrepitũ, & in ſilentio, quod ipſe non interrumpit niſi poſtquàm *locutus eſt Dominus ad ipſum, dicens, Deſcende peccavit populus tuus* †. Et itatim ipſe *deſcendit per compaſſionem* c, ait Thomas à Kempis. Latet etiam S. Ioannes Baptiſta in deſerto incognitus, ibiq; exactum cuſtodit ſilentium, quod ipſe non infringit niſi ut dicat Sacerdotibus & Levitis legatis ad ſe à Judæis, *Non ſum ego Chriſtus. Ego vox clamantis in deſerto* d. Diſpenſat ſe à ſilentio ob gloriam Domini ſui, ſicut Virgo Deipara propter ſalutem noſtram Angelo dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* e, poſtquàm dixiſſet ipſi idem Angelus, *Ave Maria*.

a S. Bern. in Nat. Dom. — b Exod. 24. 18. — † Exod. 32. 7. — c à Kempis 2. part tom. 9. Meditat. 15. — d Ioan. 1. 23. ex Iſai. 40. 3. — e Luc. 1. 38. & 18.

Veritas eſt infallibilis, quòd ſicut nihil eſt magis cognitum quàm Deus, ſic nihil magis eſt incognitum quàm ſit ipſemet Deus. Nemo eſt quem lateat, quòd eſt *unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus nobis* f. Nullus eſt qui id non ſciat. Sed dicere quid ipſe ſit, *Tu quis es?* quis ſciat? Seſe viſibilem exhibet, & inviſibilis manet. Viſibilis eſt & inviſibilis more Gygis, qui annulo ſuo viſibilem ſe exhibebat, & inviſibilis erat ad placitum. Deus hunc præ ſe fert annulum, *Annulus in manu dextrâ meâ* g. Nec ſpecioſiorem novi imaginem, nec ſymbolum quod repræſentet meliùs Deum, quàm figurat nobis eum Sol. Nihil Sole viſibilius, ſed etiam nihil eo inviſibilius, cùm nemo audeat eum fixis oculis intueri. Et nos Theologia docet, nihil eſſe viſibilius & inviſibilius Deo; nihil eo magis abſconditum, ſicut nec illo magis cognitum. Eſſentia ejus mundum replet, *Cælum & terram ego impleo* h, & immenſitas ejus ſic eſt extenſa infinitè ut nihil producere poſſit, quod ipſa non complectatur. Omnes creaturæ ſunt imagines magnitudinis ejus, & notæ potentiæ illius; nec poteſt illas quis videre, quin ſtatim Deum cognoſcat, cùm ex ſuis nobis manifeſtent moribus eum i, quem Prophetæ ſuis ſcriptis indicant nobis.

f Ephes. 4. 6.
g Ier. 22. 24.
h Ier. 23. 24.
i Rom. 1. 20.

Attamen nihil ſecretius eſt & inviſibilius eo. *Ubique eſt, & nullibi eſt.* Præſentiæ ſuæ notas præbet, ſed noſtris non eſt obnoxius tactibus. Circundat nos, ſed non ſinit ut ad ipſum approximemus, *Qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimetur à gloria* k. Omnes populi ſciunt quòd ipſe eſt, & omnes Philoſophi ignorant quid ipſe ſit. Fides, quam habemus illius ſic intimè noſtræ impreſſa eſt eſſentiæ l, ut oporteret nos annihilandos ad delendam hanc ideam. Tamen mens noſtra non poteſt eum comprehendere, & iſte *Sol* m tanta effundit lumina, ut caligine omnes offundat oculos, qui ipſum præſumunt intueri. Nihil viſibilius eo per effectus ipſius, nihil inviſibilius ipſo in naturâ divinâ, *Deum nemo vidit unquam. Et Verbo caro factum eſt* n, ut ſe meliùs exhibeat intuendum. *Hic Deus noſter in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* o, ut noſtris ſenſibilis fieret notitiis.

k Prov. 25. 26.
l Pſ. 4. 7.
m Malach. 4. 2.
n Ioan. 1. 18 & 14.
o Baruch 3. 36 & 38.

In hoc ſtatu modò viſibilis eſt, modò inviſibilis. Inviſibilis *in utero* p ſanctiſſimæ Genitricis ſuæ; viſibilis reclinatus *in præſepio* q ſuper fœnum. *Et cùm factus eſſet annorum duodecim, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognoverunt parentes eius*, eis redditus inviſibilis, ut remaneret in templo, quò gloria *Patris* r ſui ipſum vocabat. Viſibilem ſe exhibet hoc miraculo, quo ſatiavit *acceptis quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis* s. Et ſe inviſibilem reddit *Ieſus, cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem.* Tunc enim *fugit iterùm in montem ipſe ſolus* t. Viſibilis eſt, cùm *aſcendit Ieſus in templum, & docebat* u. Inviſibilis, cùm Judæi *tulerunt lapides ut iacerent in eum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo* x. Viſibilis, & inviſibilis poſt Reſurrectionem ſuam. Recumbens *cum* diſcipulis ſuis, viſibilis eſt, & inviſibilis, *Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum* y. Viſibilis in confuſionibus ſuis z, & inviſibilis in ſuâ gloriâ, quam tenebat abſconditam in ſupremo animæ ſuæ beatæ domicilio, ſicut faciunt exemplo ejus allecti Juſti, qui humanis ſubtrahunt obtutibus id, quod habent virtutis, quodque ipſos poſſit egregiè commendare, quibus ait Apoſtolus a, *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Noſter *Moyſes aſcendit in montem.* Suam ventilare non vult virtutem; nec eam populare, ne eam profliget. Non agit more

p Matth. 1. 18. & Luc. 1. 31 & Iſai. 7. 14.
q Luc. 2. 7.
r Luc. 2. 42. &c.
s Matth. 14. 19. & 21.
t Ioan. 6. 15.
u Ioan. 7. 14.
x Ioan. 8. 59.
y Luc. 24. 30. & 31.
z Ioan. 19. 1. &c.
a Coloſſ. 3. 3.

hominum hujus ſæculi, qui præ exceſſu philautiæ & amoris proprij abſcondunt quidquid habent imperfectionis & criminis, & nihil exhibent intuendum niſi quod propriam poteſt alere vanitatem, & ſuperbiam fovere contra maximas S. Joannis Baptiſtæ qui vitam ducit abſconditam in deſerto, æquè ac Moyſis in monte. Quod obſtringit me ad diſſerendum vobis de vitâ abſconditâ, & oſtendendum vobis Primò, Proprium eſſe virtuti ut maneat abſcondita: Sicut ſecundò proprium eſt vitio vanitatis, ut conetur propalari.

Diviſio.

I. Pars.

Deus, qui eſt verus *Dominus virtutum* b, veriori non poteſt nuncupari nomine, quàm cùm *Deus abſconditus* c dicitur; quippe qui *poſuit tenebras latibulum ſuum* d. Verum enimverò quid cognoſcimus Dei? de divinis loquitur Theologus emanationibus, de relationibus, de proceſſionibus Divinarum Perſonarum, de earum pluralitate, de notionibus, de unitate eſſentiæ Dei, de Trinitate Perſonarum Divinarum. Diſcurrit quomodo Pater generet Filium per actum intellectus e; quomodo Pater & Filius producant *Spiritum* f ſanctum per ardorem voluntatis ſuæ, qui Spiritus ſanctus cùm ſit terminus amoris ipſorum, in omnibus eſt utrique æqualis. Docet quomodo Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, *Ego in Patre, & Pater in me eſt* g. Et Spiritus ſanctus in utroq; per circuminſeſſionem, ut loquuntur Scholaſtici. Tractat de Divinarum miſſionibus Perſonarum h, de earum notionibus, de illarum attributis i. Sed quid ſunt hæc omnia? Scimuſne propterea magis? Sumuſne doctiores? Nunquid non cæci media hæc inter permanemus lumina? Et nonne verè dicere debemus Deo? *Verè tu es Deus abſconditus.*

b Pſ. 23. 10.
c Iſai. 45. 15.
d Pſ. 17. 12.
e Pſ. 2. 7. & 109. 3.
f Ioan. 15. 26.
g Ioan. 14. 11.
h Iſai. 6. 8. & 9. & Ioan. 16. 7.
i Baruch 3. 15.

Si verò noſtros elevemus conceptus, & noſtrarum intuitus mentium feramus ad cœlum uſque, & Deum contemplemur in æternitate, Ha! quàm *abſconditus* eſt? Quis autem eum cognovit unquam totum? Poteſt dici quòd ſit Deus, ſed dicere quid ſit, Ha quantus labor eſt! Oportet ut efflagitemus tempus, dies, hebdomadas, menſes, annos, & ſæcula ut de eo ritè cogitemus; & tandem fateri cogemur confuſionem noſtram more Simonidis, noſque eſſe velut nycticoraces incapaces luminum, quæ effundit Divinus iſte Sol, & viſum noſtrum eſſe nimis debilem, notitiam noſtram non habere ſatis aciei ad cognoſcendam excellentiam hujus naturæ, quæ collectam ſe tenet in ſuis ſummis perfectionibus. *Ubi venit plenitudo temporis* k, Dei Filius naturam noſtram induit, ut noſtris ſenſibilis fiat cognitionibus. In hoc ſtatu humiliationis tres operationes agit, Divinas, humanas, & Divinas & humanas ſimul. Quid cognoſcimus Divinarum actionum ejus? Manet *abſconditus*, nedum ſe cognoſcendum exhibeat niſi ut hominem vulgarem, ut filium Joſeph & Mariæ l per ſpatiũ *quaſi annorũ triginta* m, donec aſcendit *in templũ, &* n doceat; & eligat *Apoſtolos* o, ut eos glorioſorũ conſiliorũ ſuorũ efficiat coadjutores. Et licèt omnes actiones ejus ab inſtanti Conceptionis illius ad extremum uſque vitæ ipſius halitum meritu fuiſſent infiniti, quia ipſe *non habet finem* p, & per eas potuiſſet ipſe innumeros mundos redimere, per minimam actionem iſtarum majorem præbens Deo gloriam, quàm per univerſas omnium hominum ſimul actiones; nihil tamen earum ipſe nobis exhibet intuendum, illarum nobis abſcondit excellentiam quæ poterat nos obſtringere ad impendendas ei omnes noſtras reverentias, *Verè tu es Deus abſconditus.* Latet ipſe, & ſuas omnes actiones Divinas operit velo, quod earum nobis obtegens lumina, illarum nobis eripit cognitionem.

k Galat. 4. 4.
l Matth. 13. 55.
m Luc. 3. 23.
n Ioan. 7. 14.
o Luc. 6. 13.
p Baruch 3. 25.

Et

Et de iis , quas tribus ultimis vitæ ſuæ operatus eſt annis, ſic pauca narrant Evangeliſtæ, ut nihil ferè videantur comparata iis , quæ egit , omnibus , *Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcriberentur per ſingula . nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos , qui ſcribendi ſunt , libros* q. Quantùm ad actiones ejus humanas , Divinas & humanas ſimul , quidnam earum cognoſcimus ? Illas velavit ſemper, impediens ſplendorem, quem poſſent illæ emittere , ita ut jure merito vocare poſſimus eum Deum abſconditum , & dicere ei cùm Propheta r, *Verè tu es Deus abſconditus.*

q Ioan. 21. 25.

r Iſai. 45. 15.

Nunquam auguſtum ſibi vendicit ipſe nomen Dei, ſed ſemper cùm loquitur de ſeſe, nomen aſſumit contemptibile , *Cùm venerit Filius hominis* s. Quod erat nomen quo nuncupabat Prophetas ipſemet Deus , *Fili hominis* t, ut humiliaret eos mediam inter miniſterij ipſorum magnitudinem. Si ſe intuendum exhibet Apoſtolis ſuis poſt Reſurrectionem ſuam, ſi eos alloquitur ſtans *in medio, & dicit eis , Pax vobis* u, ſuam non aperit eis gloriam; ſed manet abſconditus. Et Angelus interpres voluntatum ejus dixit ſanctis Mulieribus , quæ perſeverant ad ſepulchrum, *Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum* x? Non vocatur ab Angelo Chriſtus *Deus gloriæ* y, nec *Deus maieſtatis* z, ſed nomine contemptûs , confuſionis , & paſſionis , *Ieſum crucifixum.* Si apparet Saulo, ut è perſecutore efficiat eum Prædicatorem , è leone rugiente convertat illum in agnum manſuetum; ex inimico Dei, in legis ejus zelatorem , propter quam tuendam *pro nomine* ipſius multa paſſurus erat; è Saulo in Paulum , ex homine æquo liberiore & nequam in *vas electionis* a, ſi queritur de ejus furore , ſi exacerbatum ſe exhibet ob injurias illatas ab eo fidelibus qui ſunt *membra corporis eius* b; de iis non queritur ut Deus , ut majori hunc furioſum percellat terrore, oſtendens potentiam ipſius , quem tantâ perſequebatur ille rabie ; non ait, Ego ſum *Dominus virtutum , Rex gloriæ* c, *Dominus omnium , nec eſt qui reſiſtat maieſtati* d meæ , in quam temerario conatu audes inſurgere ; ſed utitur nomine ſuavitatis, & deſpectûs , *Ego ſum Ieſus , quem tu perſequeris* , alludens ad titulum confuſionis , quem ſuſcepit cruci ſuffixus e. Ita verum eſt quòd ipſe eſt *Deus abſconditus.* Semper abſconditus, abſconditus in æternitate , abſconditus in tempore , abſconditus *in ſinu Patris* f. Abſconditus in Deiparæ viſceribus g. abſconditus in vita ſua abſcondita, in qua ſuis *erat ſubditus* h Parentibus. Ubique abſconditus, *Verè tu es Deus abſconditus.* Sic proprium eſt virtuti ut maneat abſcondita.

s Matth. 25. 31.
t Ezech. 2. 1.
u Ioan. 20. 19.
x Marc. 16. 6.
y Act. 7. 2.
z Pſ. 28. 3.
a Act. 9. 1. &c.
b Epheſ. 5. 30.
c Pſ. 23. 10.
d Eſth. 13. 11.
e Ioan. 19. 19.
f Ioan. 1. 18.
g Luc. 1. 31.
h Luc. 2. 51.

Appoſitè loquitur S. Paulus i, cùm diſſerens de Juſtis, qui imitantur Chriſtum in vita ſua abſcondita , nuncupat eos mortuos , *Mortui eſtis , & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* Quod nomen eſt glorioſiſſimum omnium quæ poſſint illis unquam attribui. *Mortui eſtis* mundo, vanitatibus ejus & ineptiis illius univerſis , & viventes in ſolo Chriſto , in quo ſolo invenitur vera vita, & vita eſſentialis, cùm ipſe dicat de ſe, *Ego ſum via, & veritas , & vita* k. Tempore hyberno videntes arbores omnibus ſuis deſtitutas ornamentis, nihil præ ſe ferentes niſi rude & auſterum , eas illico judicaretis eſſe mortuas, non advertentes terræ infixam earum radicem , quæ eſt totum vitæ ipſarum principium : Videns quis Juſtos in mundo , quomodo non exiſtimaret eos eſſe mortuos ? Nullum habent ampliùs motum, aut ſenſum quantùm ad vitam animalem , mortui ſunt rebus terrenis , & deliciis ſenſuum, *Mortui eſtis , & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* : & ideò non vivunt niſi in Chriſto, qui eſt principium vitæ ipſorum. Sed ad eripiendam hominibus hanc cognitionem , quòd ipſi *mortui* ſint mundo, eorum illudunt oculis ſacrâ fabulâ. Induunt ſe quippe more aliorum , ut nulla interveniat diſtinctio in apparentiis exterioribus, frequentioribus interſunt circulis & conventibus, ibi comiter & æquo animo viſitationes impenſas ſibi ſuſcipiunt. Quis diceret, iſta videns, eos eſſe mortuos ? Sed in hoc eſt ſita eorum perfectio, ut abſconditi maneant more Domini ſui, & ſe exhibeant viventes apparenter , licèt mortui ſint re verâ. Et, ſi exactè obſerventur , agnoſcentur tales præ ſilentio, quod cuſtodient ſolicitè in occaſionibus, in quibus erumperent alii in querelas, aut in minas ; per immobilitatem , quæ efficit ut in eodem ſe contineant ſemper ſtatu , quæque omnes in illis ſiſtit inconſtantiæ motus ; per inſenſibilitatem in injurijs ſibi irrogatis ; & per hanc abſtinentiam, quæ ſæpè impedit ne manus admoveant iis quæ ſibi offeruntur , quæque facit ut conviviis interſint non ſecus ac ſtatuæ ; mortui ſunt , & habitus eorum exterior , qui non differt ab habitu aliorum , ſubſtituit loco ipſorũ imaginẽ vitæ, quæ ſuſcipit reverentias & obſequia quæ ipſis impenduntur ab hominibus, quæq; præ induſtriâ mortis ſuæ media obtegit ; ſicut mos eſt ut fiat Regibus mortuis, quibus in ſtrato publico & magnifico collocatis offeruntur fercula & dapes præ eadem ceremonia ac ſi adhuc viverent : idem peragitur de Juſtis, qui *mortui* ſunt , *& vita* eorum *eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Nihil habent ampliùs actionum intuitu proprij commodi , nulla proferunt ampliùs verba in laudem ſuam vergentia. Auſcultate eos diſcurrentes de uno ex his mortuis. Cùm loquitur S. Paulus l de miris ſuis revelationibus, & de raptu ſuo , de ijs in tertia diſſerit perſona , & ipſe manet abſconditus. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio , raptum huiuſmodi uſque ad tertium cœlum.* Videte quomodo maneat abſconditus. *Pro huiuſmodi gloriabor , pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis* Mortuus eſt mundo , ſic ſuas tacet laudes. Fratres Joſeph conſtituti coram Pharaone , interrogati de progenie ſua, non dicunt ſe eſſe fratres Proregis ipſius, ſeque ortos ex Abraham m, & ſpecioſa omittentes nomina , quæ ipſis gloriam conciliare potuiſſent, dicunt ſolùm , *Viri paſtores ſumus* n. Et David ad Regiam vocatus dignitatem , cùm *ait ad eum Saul , De quâ progenie es ô adoleſcens ? dixit , Filius ſervi tui Iſai Bethleemitæ ego ſum* o. Sic Virgo Deipara ut omnium abſconditiſſima , quippe quæ proximè omnium ad Filium ſuum accederet , ancillam *Domini* p ſe nominat , cùm annunciatur Mater ejus. Ita verum eſt quòd proprium virtuti eſt ut maneat abſcondita, cùm circumquaque inimicis cincta, inſignes pati poſſet ipſa jacturas ex illorum occurſu, cùm ipſam utplurimùm funeſti ſequantur effectus.

i Coloſſ. 3. 3.
k Ioan. 14. 6.
l 2. Cor. 12. 2. &c.
m Gen. 47. 3. & Gen. 47. 16 &c.
n Gen. 46. 34.
o 1. Reg. 17. 58.
p Luc. 1. 38. &c.

Quin imò has verita approximationes natura , manet abſcondita cum iis, quæ habet ipſa ditiſſima, ne congredi cogatur. Et ſicut gratia abſcondit id quod habet ipſa virtutis ; ſic natura claudit id quod habet ipſa exquiſiti , ſive ſuas diſſimulet ipſa divitias ad puniendam cupiditatem noſtram , ſive utatur illa artificio quo meliùs noſtrum ſtimulet deſiderium, inſtar fœminarum illarum criminosè formoſarum quæ non intendunt favere modeſtiæ ſub velo, quo operiuntur, ſed hâc negligentiâ ſtudioſâ & affectatâ ſuos aut obtegere volunt callidè defectus; aut magis curioſitatem excitare. Verum quidem eſt, quòd cùm elementa non intendant nobis placere, nec metuant nos offendere , ſi ſe deformant ; non ideò ut nos offendant ; ſed ut ſe defendant ;

ideò ſe ibi rugis onerat terra ubi aurum producit, ut oſtendat per rudem ſpeciem ſuam externam ſe non concludere meliorem internam, & quòd apparentia ſic indigens non poſſit operire theſaurum. Gemmæ naſcuntur in abyſſis, adamantes in ſilicibus, difficultas reperiendi ea, illorum extollit pretium. Quidquid poſſidet meritum, præ ſe ferre debet ſecretum, & ſuum virtus amittit ſplendorem, ſi eventiletur. Nemo vidit unquam ſubſtantiam entium, nec formas compoſitorum, hæc magna ſequela accidentium, quæ ea ornat, illa abſcondit, & nihil eorum noſtris ſe exhibet videndum obtutibus niſi id quod noſtræ ſe proſtituit ambitioni; ſpecioſiſſimæ qualitates & maximè propitiæ influentiæ ſunt occultæ, proſunt nobis dum latent; & magnes exigui duceretur, ſi ſuam vim attrahendi nobis propalaret. Quin imò naturam intuitam nos inſcios myſteriorum ſuorum, ſuæ pœnitet prodigentiæ, & noſtram punitura ingratitudinem, omnes operationes ſuas vitales in propria retinet origine, veritâ ne inſolentia noſtra de noſtro præſumat ſtudio in diſpendium beneficentiæ ſuæ. Natura latet, & gratia, Deus ipſe ſe abſcondit, & *in Sole poſuit tabernaculum ſuum* q, tam ut è radiis ſuis nobis tenebras pariat, quàm ut inquiſitioni noſtræ ſe eripiat. Si noſtris exponit ſe obtutibus, noſtris pariter ſe offert contemptibus. Virtus eſt pretioſa, debet illa latere, alioquin latronibus expoſita, fiet eorum præda. Deus vult ut ſervi ſui ſint abſconditi, & ut more Tabernaculi, quod erat opertum foris *pilis caprarum*, aut *pellibus arietum* r, cùm intus *auro mundiſſimo* s teneretur, nihil exhibeant foris niſi vile, cuſtodientes pro interiori dives & pretioſum. Sic mortui ſunt mundo, & non vivunt niſi in Chriſtò.

q Pſ. 18. 6.

r Exod. 36. 19.

s Exod. 37. 26.

Poſtquàm Moyſi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, cernens Dominus quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes ne appropies huc: Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt* t. Quæritur quare Moyſi iſtud præceperit Deus? Apud Cornelium u, *reſpondet Diodorus, Ut Moſes, terram hanc nudis pedibus calcando, eam ſuâ Sanctitate ſanctificaret.* Idem ſentit Theodoretus x, cùm iſtud præceptum examinans, ait, ideò hoc juſſiſſe Deum Moyſi, quòd aliqui credant, quòd, cùm Moyſes tantâ foret præditus ſanctitate, voluit Deus ut idem tactu ſuo Moyſes terræ ſuam impertiretur Sanctitatem aliquo modo, *Ut ex nuditate pedum terram ſanctificaret.* Ut igitur humiliaret eum Deus, & ne efferretur Moyſes vanitate, præcipit ei idem Deus ut ſuos ſolvat calceos, quaſi volens præbere terræ hunc honorem, qui ſoli debebatur Sanctitati illius, & ut ſic terra perciperet velum ſolutionem alimentorum quæ ipſa ſubminiſtraverat ei æquè ac gregibus illius annis quadraginta, per quos idem *Moyſes paſcebat oves Iethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian* y; ut clariùs oſtendit S. Lucas z, *Moyſes factus eſt advena in terra Madian, & expletis annis quadraginta, apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* Et quadraginta, ait Cornelius a, *Moſes hiſce annis vacavit orationi & contemplationi; quâ præparabatur à Deo ad populi regimen Iſraëlitici.* Et paulò pòſt ſubjungit: *Seceſſit Moyſes in intimam eremum, orationis & contemplationis ſilentiorum ſtudio, utque vota pro ſuis Hebræis liberiùs & ardentiùs nuncuparet; utque ſe exerceret in virtutis ſtadio ſub ratione magiſtrâ: quò ſe ad utrumque vitæ genus, activum ſcilicet & contemplativum compararet, ait Philo.* Quem geminum vitæ ſtatum exercet modò, nam poſtquàm hodie *aſcendit per contemplationem, deſcendit iterùm per compaſſionem*, & actionem, dicit à Kempis b. Unde patet Moyſis Sanctitas. Ne ergo ſuperbiret, jubet illi Deus, *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Deus noſter eſt abſconditus, Auditores: idcircò vult ut ſervi ſui pariter ſint abſconditi in actionibus ſuis quæ aliquam conciliare poſſent ipſis gloriam, & ideò intendit ut Moyſen ſua lateat Sanctitas; & propter hunc finem poſt annos quadraginta aut circiter, quibus *ex Madian rediens in Ægyptum, Dux fuit populi in deſerto*, ut ait Cornelius c, alloquens eum Deus, ait illi, *Videbis poſteriora mea* d, quod erat idem ac illum invitare ad ſe ſequendum. In Scripturâ enim ſequi ſonat imitari, *Vade, omnia quæcumque habes, vende: & veni, ſequere me* e. Imitandus eſt Deus in ipſius actionibus; & latêre oportet ſicut ipſe eſt abſconditus; & adhærere Moyſi in monte colloquiis fruenti Divinis, longè abſtracto ab hominum conſortiis, & ſolitudinem colere inſtar illius, æquè ac S. Joannis Baptiſtæ, qui in ſolitudine Judææ, in quam ſe receperat, deliteſcebat; à frequentiâ hominum impiorum declinare, circulis aut ſaltationibus modeſtiæ Chriſtianæ diſſonis non intereſſe, nec per vicos & plateas ſine neceſſitate vagari. Proprium eſt Juſtis ut maneant abſconditi, *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo* †. Virtus, vita devota eſt ſemper abſcondita, ſolitudinem colit illa jugiter. Vitium è contrà, vita indevota nihil aliud magis inquirit quàm ut manifeſtetur & veniat in palàm,

t Exod. 3. 2. &c.

u Cornel. in Exod. 3. 5.

x Theodoret. q. 7. in Exod.

y Exod. 3. 1.

z Act. 7. 29. &c.

a Cornel. in Exod. 3. 1.

b à Kempis loco ubi ſuprà

c Cornel. in Exod. 3. 1.

d Exod. 33. 23.

e Marc. 10. 21.

† Coloſſ. 3. 3.

Tanta præ ſe fert virtus lenocinia, ut vel inimici ejus æmulentur gloriam ipſius, & cùm nequeant illius ſibi conciliare meritum, ejus perſonam induere, & apparentiam ejus externam præ ſe ferre conantur: Exceſſus ſanè hic eſt amoris noſtri proprij at velle noſtra virtutis pallio operire vitia, & cùm nullam reverâ habeamus virtutem, velle præ nobis ferre ſanctitatis ſpeciem ementitam, & præ inſolentiâ indignâ veniâ veluti deificare noſtra crimina, & per vanam hypocriſim tribuere eis elogia, etiamſi ſolam mereantur confuſionem. Heu! quale ſacrilegium! violare virtutem filiam Divinitatis, eamque ſpoliare ſpecie ſuâ naturali, ut illâ induant vitium ei infenſiſſimum. Si detur exceſſus crudelitatis in plectendo aliquo vitio, ille nuncupatur juſtitia. Si dominetur ira, illa dicitur zelus. Si nobilitas cordis illuc irrepit, ea vocatur manſuetudo. Prodigentia mutuum accipit nomen miſericordiæ; avaritia, œconomiæ; puſillanimitas, prudentiæ; pertinacia, conſtantiæ; inconſtantia, facilitatis; timiditas, humilitatis: ſuperbia, libertatis; pigritia, tranquillitatis; inquietudo mentis, vigilantiæ; præcipitatio, fervoris; ſtupiditas boni conſilij; & ſi quis nemini ſervat fidem, dicitur ille æqualis eſſe omnibus. Quânam majorem corruptionem in materiâ morum! Auditores. Ratio iſtius eſt, quia vitium in palàm prodire intendit, ac eventilari.

II. Pars.

Quod autem majori percellit nos ſtupore, eſt videre imperium maledictæ hujus paſſionis vanitatis. Vix enim quis aliquâ præditus eſt qualitate, cùm eam ſtatim in lucem vult emittere, ſicut è contrà innumeris operire velis & involucris defectus ne prodeant in publicum, neve nos pudore ſuffundant. Davidem, quandiu ipſum *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* f, non pudet, eum alloquendo, ſibi illius nomen aſciſcere, deque eo gloriari, *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis eius* g. Sed poſt peccatum ſuum, illud tacet, non vult ut ſuum pareat crimen, *Miſerere meî Deus* h. Proprium eſt homini abſcondere id, quod ipſum poteſt pudore ſuffundere, & contentâ voce efferre illud quod ipſius gloriæ inſervire poteſt. *Vidit Saül caſtra Philiſthym, & timuit, & expavit cor eius nimis.*

f 1. Reg. 13. 14.

g Pſ. 131. 1.

h Pſ. 50. 3.

Con-

Conſuluitque Dominum; & non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas, qui erant tres modi ordinarij, per quos ſua Deus revelebat ſecreta: ſicque non exauditus, recurrens ad Pythoniſſam quæ ſuſcitavit ipſi Samuelem, ſuſcitato *ait Saul, Coarctor nimis: ſiquidem Philiſthiim pugnant adversùm me, & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per ſomnia* i. Nullam agitmentionem Sacerdotum. Ideò Toſtatus k ait, *Saül ſubticuit de Sacerdotibus propter verecundiam, quia ſciebat, quòd ideò Deus non reſponderet ei per Sacerdotes, quia ipſe occiderat Sacerdotes* l. *Ne ergo confunderetur, iſta confitendo, noluit dicere de Sacerdotibus: & hoc tenent Hebræi.* Cùm nihil æquè vereatur homo ac agnoſci in ſuo delicto; in omnibus vult apparere virtute præditus, ut ſibi majorem concilet gloriam; & licèt virtutis præ ſe non ferat merita, illius ſaltem habere vult apparentias, cùm ſanctitas ſimulata homines in admirationem rapiat, & efficiat ut jam conſtruantur altaria illis, quibus Deus parat patibula.

i 1. Reg. 28. 6. &c.
k Toſtat. quæſt. 17. in 1. Reg. 28. 15.
l 1. Reg. 22. 18.

Deſiderare laudum præconia, & ijs ſe indignum præbuiſſe, planè eſt ridicula formare deſideria, & res injuſtas & indebitas efflagitare. Cùm præclaris instructi ſumus aliquibus qualitatibus, quæ nos ſupra communem hominum ſtatum commendant, tranſeat, ſtipendium ipſius virtutis eſt honos. Quòd eximius aliquis Vir in palàm prodire concupiſcat, & ſubtilis animi ſui aciem eventilare contendat, eſto; cùm præ ſe ferat aliquid quod luce dignum ſit publicâ. Sed quòd ſtupidus homo & imperitus in publicum præſumat erumpere, hoc eſt intolerabile & miſericordiâ indignum. Sed quotnam inveniuntur hodiernâ die qui virtutem non habentes niſi in ſuperficie, Sanctos agunt apparenter? Juxta ſpeciem exteriorem videntur Angeli, ſed reverâ ſunt dæmones.

Samſon dilaceravit leonem, & poſt aliquot dies declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis m; ſed ſanguis in corde. Heu! quot ſimiles leones invenio hodie in civitate N. mel habent in ore, & cor eorum rubet ſanguine. Loquimini huic viro, huic mulieri ut ſe reconcilient cum inimicis, ut injurias condonent, earumque obliviſcantur; nihil præ ore ſuo ferunt niſi mel & ſuavitates; ſed nihil niſi rabiem, furorem, & ſævitiam in corde operiunt. Heu! quot virtutes apparentes! ſed quot vitia realia! quot homines dealbato in ſuperficie exteriori more nivis, ſed interiùs rubricati inſtar ſanguinis! quantas hypocriſes ſpecie virtutis ementitæ decoratas? quanta vitia pallio ſanctitatis operta!

m Iudic. 14. 6. & 8.

Dicuntur eximij illi Antiquitatis Viri laudari ubi non ſunt, ſed cruciari ubi ſunt. Univerſæ loquuntur buccis concrepantibus Academiæ de Ariſtotele, nemo eſt qui ſubtilem animi ejus non demiretur aciem, unuſquiſque illum laudibus evehit; laudatur ubi non eſt, ſed cruciatur ubi eſt, cùm innumeris torquetur ſupplicijs, eò quòd conſtitutus extra Eccleſiam meruerit *ſupplicium æternum* n. Heu! quàm meritò jure dicere poſſum pluribus hominibus! Laudamini ubi non eſtis, ſed cruciamini ubi eſtis. Judices, habemini ut Viri integri, & æquitatis amantes; conſideramini ut Juſtitia velum præ ſuis ferens oculis, quaſi non ſitis perſonarum acceptores, credimini ut Sancti, & ut tales publicamini, quaſi unicuique quod ſuum eſt reddentes; Laudamini ubi non eſtis, & tamen non latet vos contrarium, exagitat vos conſcientia veſtra, improperat vobis injuſtitias veſtras, & torturas veluo reis vobis infert, cruciamini ubi eſtis. Nobiles, divites, exiſtimamini magni eleemoſynarij, valdè charitativi, circumquaque veſtra publicantur bona opera, Laudamini ubi non eſtis, & conſcientia, quæ eſt teſtis interior, deponit adversùm vos, damnat vos, & oſtendit vobis has eleemoſynas erogari ex bonis injuſtis, ex ſudore pauperis, ex labore viduæ, & è ſanguine orphani, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum* o. Impietas eſt hoc, & non charitas, Cruciamini ubi eſtis. Eroganda eſt eleemoſyna è bono proprio, non ex alieno. Dominæ meæ, reputamini magnâ virtute præditæ, hi vultus attenuati, hæ genæ macie confectæ veſtras publicant auſteritates, veſtra jejunia, veſtras pœnitentias, Laudamini ubi non eſtis. Interim hæc omnia fortaſſis non ſunt niſi puræ vanitates, & hypocriſes. Heu! hæc omnia ſunt in vanum, vobis pereunt, nec ullam merentur mercedem. Non eſt iſtud totum niſi virtus ementita quæ ſolam præ ſe fert apparentiam exteriorem abſque ulla realitate. Miſſæ diebus intereſtis ſingulis, benè quidem: Sed ſi huic adeſtis Sacrificio præ vanitate, ut æſtimemini piæ, omne amiſiſtis meritum, & Deus minatur vobis damnare hanc ſanctitatem quæ eſt tantùm apparens p. Domini mei Sacerdotes, Monachi, nos qui magis virtutem profitemur quàm cæteri Chriſtiani, ſi poſt tranſactos decem, aut viginti, aut triginta, aut quadraginta, imò & quinquaginta in exercitio pœnitentiæ annos, ablactati & deſtituti delicijs mundi, in ſolitudinibus morantes, poſt hæc omnia præ infortunio nihil habuerimus niſi fictum & apparens, ad conciliandam nobis gloriam mundanam, & laudes hominum conſequendas, hæc omnia nobis ſunt inutilia, incaſſum laboraverimus, & recepimus *mercedem* q noſtram; quin imò Deus hæc bona apparenter damnabit opera exteriora, *Ego juſtitias judicabo* r. Coronas meremur, juxta mundi maximas, ſed Deus nobis patibula parabit & gehennam. Hi qui bonis operibus incumbunt, humanis ducti reſpectibus, & alijs conſiderationibus mundi allecti, ſimiles ſunt bovi Baal qui *in fruſta* s cæſus fuit in ſacrificio, nec tamen ignem è cœlo deſcendentem ſuſcepit: Iſti miſeri homines macerant ſe, & ſeſe veluti occîdunt ut ſe ſacrificent voluntatibus mundi, nedum guſtent unquam conſolationes Dei, cùm ijs jam renunciaverint, illiſque ſua hypocryſi ſeſe effecerint indignos.

n Matth. 25. 46.
o Ier. 2. 34.
p Matth. 6. 5.
q Matth. 6. 2. &c.
r Pſ. 74. 3.
s 3. Reg. 18. 23. &c.

Heu! quàm graviter hallucinamini! Fortaſſis imaginamini, quòd veſtris decipere Deum poſſitis induſtrijs. Sed errorem deponite, eum fallere non poteſtis, cujus oculus fulguribus repletus & luminibus intuetur *abyſſos* t, & facit ut confiteatur infernus, licèt invitus, ſe non habere ſatis obſcuritatum & tenebrarum ut è facie ipſius eripiatur u. Deus hanc ementitam damnat vitam, nec in eâ ſibi poteſt complacere. Propterea rejecit *cygnum* x non obſtante candore plumarum, & dulcedine ac ſuavitate cantus ipſius, nec eum in ciborum numero collocare voluit mundorum, quoniam ſub pennis albis carnem abſcondit atram. Propter eandem rationem *ſtruthionem* y ut cibum immundum noluit ab Iſraëlitis comedi, cùm haberet ſolam pennarum apparentiam abſque volatu, quia *hæc animalium immunditia arcebat Iudæos à miniſtratione & oblatione ſacrificiorum, atque ab introitu Sanctuarij*, ait Cornelius z. Sic deteſtatur Deus apparentias ſolas ſine effectu. Hypocritæ veſtra dirumpite viſcera, quandiu vobis placuerit, ut texatis, more araneæ, telam debilem alicujus apparentiæ exterioris, ut ſatisfaciatis oculis hominum, & eorum mereamini applauſus; cogitatis vos impensè laboraſſe ad operiendos vos, & *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua* a, ignominioſâ ſuffundemini nuditate, æquè ac pudore intolerando.

t Dan. 3. 55.
u Pſ. 138. 8.
x Levit. 11. 18.
y Levit. 11. 16.
z Cornel. in Levit. 11. 1.
a Matth. 25. 31.

Genera

Genera dantur actionum duo. Aliæ ſunt obligatoriæ. Aliæ verò ſunt ſupererogatoriæ. Priores ſunt peragendæ coram omnibus, oportet ut manifeſtentur, quoniam ad illas nos ſumus obligati. Nobiles Viri ac Dominæ, audiendum eſt Miſſæ Sacrificium flexis genibus, præ ſummâ reverentiâ, ut ij qui vos intuentur, exemplo veſtro allecti idem peragant, & veſtro adhæreant faciendi modo, & inde glorificetur Deus, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtram qui in cœlis eſt* b; ad illa ſanctam afferendo intentionem, & ut ait S. Gregorius c, *Sic autem ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto.* Alia bona opera ſunt ſupererogatoria; & quoad iſta, oportet ut, quantùm fieri poterit, ipſa ſint occulta, ut ſolus Deus ea ſciat; & ſufficit ut ipſum habeamus Teſtem. *Et Pater, qui videt in abſcondito, reddet* d nobis eorundem mercedem.

b Matth. 5. 16.
c S. Greg. hom. 11. in Evang.
d Matth. 6. 4.

Declinemus igitur, Auditores, à vanitate, colamus ſolitudinem, amantes ſimus receptûs, cùm proprium ſit virtutis ut maneat abſcondita; ſicut ſpeciale eſt vitio ut affectet ſe producere ad extrà, & ſe eventilare. Lateamus oculis hominum, ſi præ nobis feramus aliquid commendabile, ne fortaſſis illud publicè portantes, illud profligemus, ut conſulit nobis idem S. Gregorius e, *Deprædari deſiderat qui theſaurum publicè portat in viâ.* Sit nobis ſatis quòd Deus illud noverit, dicendo, *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi* f. Vel more iſtius emblematis, *Non appareat.* Natura, gratia, cœlum, terra nobis operiunt id omne quod habent ditiſſimum; & videntur omnes principales partes hujus mundi cæleſtis & elementaris communi conſpiratione abſcondere nobis omne illud, quod ipſe habent maximum & illuſtriſſimum, deferentes pro inſcriptione, *Parte ſui meliore latent.* Terra, quæ aurum producit, nihil exhibet intuendum niſi ſterile. Eodem geramus nos modo, Chriſtiani, fugiamus omnem oſtentationem, ædificemus ſalutem noſtram ſuper lapidem firmum veritatis, non autem ſuper novâ famâ, ſuper arenam mobilem apparentiarum humanarum. Imitemur hunc magnum Regem patrem S. Ludovici Regis Galliæ noſtræ, qui deferebat Sceptrum inſtar obeliſci in añulo præ hâc inſcriptione, *Volo ſolidum perenne.* Quaſi dixiſſet, omnes intentiones ſuas directas fuiſſe ad cælum, ad æternitatem perennitet beatam. Proferamus idem in omnibus actionibus noſtris ſinguli, *Volo ſolidum perenne. Æternitati pingo,* non famæ, & vanitati quæ momentanea eſt. Maneamus abſconditi oculis mundi, moriamur omnibus vanitatibus illius, noſtra ſit *vita abſcondita cum Chriſto in Deo* g. Vivamus in hâc, vitâ gratiæ, ut in alterâ, vivere poſſimus gloriæ vitâ.

e S. Greg. Hom. 12. in Evang.
f Iſai. 24. 16.
g Coloſſ. 3. 3.

IN FESTO EXPECTATIONIS partus B. V. Mariæ.

Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus? Pſ. 38. 8.

QUàmvis Eccleſia, quæ dirigitur à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines* a, multa feſta celebret in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, nullum tamen ex iis eſt, in quo ipſa meliùs colat excellentias mentis ejus, quàm in iſto, in quo veneratur ipſa amantiſſimos illius languores in expectatione partus ipſius. Verum quidem eſt, quòd Eccleſia reveretur multa feſta in honorem plurimorum Sanctorum, in quibus ipſa propalat actiones eorum eximias, & ſanctitatem vitæ ipſorũ; ſed nullum eſt, in quo honoret ipſa ſpecialiter cogitationes illorum: ſic celebrat ipſa multas ſolemnitates in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ, Conceptionem, Nativitatem, Præſentationem ejus, &c. Sed in omnibus iſtis feſtis non offert ipſa fidelibus niſi actiones exteriores beatiſſimæ Virginis intuendas: at in iſtâ ſolemnitate hodiernâ celebrat ipſa magnitudinem deſideriorum ejus ſub nomine Expectationis beatiſſimæ Virginis ad partum ſuum, & repræſentat nobis ardores cordis ejus ad pariendum Filium ſuum, applicans ei hæc verba, *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Sed ut dignè loquamur de magnitudinibus ejus, deprecemur eam humillimè ut dignetur nobis impertiri radium plenitudinis gratiæ, quam ipſa ſuſcepit; ipſa non denegabit nobis eum, ſi dixerimus ei, *Ave Maria.*

a 2 Petr. 1. 21.

Tres conſiderantur in Jeſu manſiones. Prima eſt in ſinu ſui Patris æterni, in quo producitur fœcunditate Divini intellectus illius, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* b. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus c, *Unigenitus Filius Patri conſubſtantialis, conſempiternus & coæqualis, qui eſt invariabiliter ab æterno, in ſinu Patris, id eſt, Patri intimè atque affectuoſiſſimè inſeparabiliterque conjunctus.* Secundus eſt in naturâ humanâ, in quâ eſt modo ſpeciali uniens ſe ei hypoſtaticè in myſterio Incarnationis, *Verbum caro factum eſt* d. Seu, ut dicit idem Carthuſianus e, *Verbum, id eſt, unigenitus Filius Dei verus Deus, in ſe æternaliter ſubſiſtens, caro, id eſt, homo verus factum eſt, aſſumendo humanam naturam ad propriam perſonalitatem, utpote ſubſtantificando eam in ſemetipſo, conferens ei ſubſiſtere in eodem eſſe, in quo & Verbum ſubſiſtit, ita quòd Verbi atque aſſumptæ humanitatis eſt una hypoſtaſis, eademque ſuppoſitalitas ſeu ſubſiſtentia perſonalis: nam & ipſum Verbum eſt ſuppoſitum ſubſtantificans humanitatis ſibi unita.* Tertia eſt in ſinu beatiſſimæ Virginis Mariæ, in quo conceptus eſt operatione interna Spiritus ſancti: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* f. Sive, ut ait idem Carthuſianus †, *Id eſt, proles, quam habet in utero, virtute & operatione Spiritus ſancti concepta eſt, non humano ſemine, ſed deifico lumine ſine virginitatis injuriâ.* Tres iſtæ manſiones ſunt tamen in ſemetipſis differentes: prima enim eſt æterna, ſecunda in tempore incipitur, & permanebit in æternum, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Tertia incipitur in tempore, die conceptionis ipſius, & poſt novem menſes finitur, cùm B. Virgo *peperit Filium ſuum primogenitum* g. Prætereà, Dicamus, quòd in his tribus manſionibus Jeſus Chriſtus dat vitam, & recipit vitam: in ſinu enim Patris ſui vitam recipit: *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo* h. Et ipſe cum Patre in unitate principii, vitam tribuit Spiritui ſancto, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre; Spiritum veritatis qui à Patre procedit* i. In myſterio incarnationis ſuſcepit vitam paſſibilem, & vitam tribuit immortalem ipſe qui *ſolus habet immortalitatem*

b Ioan. 1. 18.
c Dion. Carth. art. 5. in Ioan. 1. 18.
d Ioan. 1. 14.
e Dion. Carth. art. 7. in Ioan. 1. 14.
f Matth. 1. 20.
† Dion. Carth. art. 5. in Matt. 1. 20.
g Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
h Ioan. 5. 26.
i Ioan. 15. 26.

Digitized by Google

tem k. Et in ſinu Mariæ ſuſcipit vitam corporalem à Matre ſua, & communicat ei vitam gratiæ, ut innuunt hæc Angeli verba, *Ave gratiâ plena* l. Et ſic vitam præbet ipſe, & vitam ſuſcipit.

k 1. Timoth. 6. 12.
l Luc. 1. 28

Videtur tamen nihil eſſe minùs rationabile quàm ſit deſiderium beatiſſimæ Virginis: cur enim concupiſcit ipſa producere eum, quem ipſa poſſidet? nam cùm illum parturiverit, non poteſt eum collocare in nobiliori loco, cùm non ſit in terrâ locus ſanctior viſceribus ipſius ſacratiſſimis: poſtquàm ipſa illum pepererit, erit expoſitus ille tolerantijs, contemptibus, calumnijs, & morti m. Ratio deſiderij iſtius Mariæ eſt, quia ipſa erat plena gratiâ, & plena Deo; cùm eſſet plena Deo, erat plena charitate, & *Deus charitas eſt* n. Atqui proprium eſt charitati ſe communicare, ut ait S. Dionyſius, o *Bonum eſt diffuſivum ſui*. Sicut proprium eſt amori proprio trahere omnia ad ſe: Quemadmodum ergo erat ipſa plena charitate, ſic & ardenter deſiderabat dare Filium iſtum ſuum mundo, cùm veniret ad ſalvandum eum: *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* p. Ait igitur ipſa jure merito, *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Ego autem volo vobis oſtendere magnitudinem deſideriorum ejus. Primò per oppoſitionem deſiderijs & timoribus aliarum mulierum. Secundò per conformitatem deſiderijs earum. Tertiò per motiva ipſi ſpecialia. Iſtæ tres circumſtantiæ triplicem conſtituent diſcurſus iſtius partem.

m Ioan. c. 18. & 19.
n 1. Ioan. 4. 16.
o S. Dion. lib. de Div. Nõ. c. 4.
p Ioan. 3. 16.
Diviſio

1. Pars.

Antequàm probationem primæ partis aggrediar, ſuppono inſtitutionem iſtius feſti Expectationis partus B. Virginis, ſub nomine Annunciationis ſanctiſſimæ Deiparæ, factam in Concilio decimo Toletano, ut hæc verba ſequentia ejuſdem Concilij q innuunt, *Quoniam die, quâ invenitur Angelus r Virginis Verbi conceptum & nunciaſſe verbum, & indidiſſe miraculum, eâdem die feſtivitas non poteſt celebrari condignè, quòd interdum Quadrageſima, vel Paſchale feſtum videatur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, convenit celebrari: cùm ſecundùm ipſam incarnationem Verbi non conveniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat ipſum Verbum poſt mortem carnis gloriâ reſurrectionis attolli: ideò ſpeciali conſtitutione ſancitur, ut ante octavum diem, quo natus eſt Dominus s, Genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, ut ſicut nativitatem Filii ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita feſtivitatem Matris tot dierum ſequatur ſacra ſolemnitas. Nam quod feſtum Matris eſt, niſi incarnatio Verbi? Cuius feſtum ita debet eſſe ſolemne, ſicut eſt & eiuſdem nativitatis Verbi. In multis itaque Eccleſiis à nobis & ſpatio remotis, & terris, hic mos agnoſcitur retineri. Solemnitas itaque Dominica Matris die quintâdecimâ Calendas Ianuarias omnino celebretur.* Hoc Concilium celebratum fuit ſub Receſiuntho, anno octavo Regni ipſius, & anno ultimo Eugenij Archiepiſcopi prædeceſſoris S. Hildephonſi, qui ſtatuit ut iſtud feſtum Annunciationis B. Virginis celebraretur ſub titulo Expectationis partus ejuſdem B. Virginis Deiparæ. Vocatur etiam hoc feſtum, Domina O, quia hâc eâdem die celebres Antiphonæ, quæ incipiuntur per invocationem auxilii divini, nuncupatæ Antiphonæ O, concinuntur ſub finem Veſperarum, & continuantur uſq; ad diem Nativitatis Domini cũ magnis ceremoniis.

q Conc. Tolet. X. c. 1
r ex Luc. 1. 26. &c.
s ex Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.

Fundamentum feſtivitatis iſtius innititur promiſſioni, quam fecit Deus Protoplaſtis noſtris poſt lapſum ipſorum t, & ſpei quam dabat antiquis Patriarchis u futuri ſuccurſus ipſis impendendi, cujus præclaram nobis exhibet intuendam Scriptura figuram. Cùm propter crimina hominum non fuiſſet aliquot annis ros & pluvia x, erat fames vehemens in Samariâ, *Elias autẽ aſcendit in verticẽ Carmeli, & pronus in terrã poſuit faciẽ ſuam inter genua ſua, & dixit ad puerũ ſuũ, Aſcende, & proſpice contra mare. Qui cùm aſcendiſſet, & contemplatus eſſet ait, Non eſt quicquam. Et rurſum ait illi, Revertere ſeptem vicibus. In ſeptimâ autem vice, Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Qui ait, Deſcende, ne occupet te pluvia. Cũque ſe verteret huc atq; illuc, ecce cæli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis* y, quæ inundavit totam terram, eamque miro modo fœcundavit ad producendos multos fructus alendis hominibus accomodos, & ad ferenda multa paſcua nutriendis animalibus opportuna. Sancti Patriarchæ & Prophetæ veteris Teſtamenti expectabant præ ardoribus incomprehenſibilibus fœlicem adventum Filij Dei in terram, quam fœcundare debebat inſtar imbris, ad quæ ſuſpirabant. *Utinam dirumperes cœlos: & deſcenderes* z. Et, *Deſcendet ſicut pluvia* a. Id eſt, ad irrigandam totam terram gratiis ſuis. Elias repræſentat omnes Prophetas, ut obſervat Albertus Magnus b, dicens, *Elias, qui fuit Prophetarũ eximius*. Et ſic nubes iſta ſic im̃odicè deſiderata, figurabat ardentiſſimũ deſiderium quo omnes ſancti Patres ducebantur, adventus Meſſiæ, qui remediũ miſeriis ipſorum omnibus applicaturus eſſet opportunum. Hæc exterior ceremonia, quam obſervavit Propheta, procumbens in humum facie collocatâ inter genua ſua, oſtendebat conſuetudinem antiquorum Prophetarũ, qui ante adventum Filij Dei clauſos habebant oculos, ut ait Apoſtolus c, *Iuxta fidẽ defuncti ſunt, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutãtes*. Sicut Elias ſalutavit illas à procul. Servus Eliæ ſignificat populum Dei, quem Dominus vocat nomine ſervi, aut pueri per Oſee d, *Puer Iſraël, & dilexi eum*. Per Iſraël intelligitur populus Dei, juxta interpretationem S. Hieronymi e dicentis in perſonâ Dei, *Intantùm eum dilexi ut mitterem ſervum meum Moyſen: & ex Ægypto vocarem filium meũ: de quo dixit in alio loco: Filius primogenitus meus, Iſraël* f. Admonebant igitur Prophetæ hunc populum, ſeu filios Iſraël, ut eſſent ſoliciti de intuendâ attentè nube iſtâ, è quâ tandem viderent exire iſtam pluviam ita diu deſideratam, quam ipſa pareret. *Ecce nubecula parva. In nubecula beata Virgo ſignificatur: vel humanitas Chriſti: parva per humilitatem: levis, id eſt, ſine pondere peccati. Aſcendet Dominus ſuper nubem levem* g. *Quaſi veſtigium hominis. Quia quidquid eſt hominis, habuit Chriſtus præter ignorantiam* h, *& peccatum* i. *Aſcendebat de mari, de mundo ſcilicet, qui dicitur mare: quia tumet per ſuperbiam, ſpumat per luxuriam, ſervet per iracundiam, nubilum eſt per triſtitiam, omnia flumina in ſe recipit per avaritiam, maior piſcis ibi minorem devorat per rapinam, mortuos eiicit, vivos attrahit per invidiam, quæ ſemper mala aliorum revelat, & bona celat. In ſeptimâ autem vice. Quia ſeptiformis gratia Spiritu repletus aſcendit Chriſtus* k, ait Hugo Cardinalis l. Et ante eum S. Ambroſius m ſuper prædicta verba Iſaiæ, *Nubem dixit Mariam, quia carnem gerebat: levem, quia Virgo erat nullis oneribus gravata*. Propterea populus Chriſtianus expectat partum B. Virginis, nubis iſtius quæ eſt Mater; & Filij, qui eſt pluvia, quæ debet exire e ventre Mariæ quam totus mundus expectat. Ita ut mirandum non ſit ſi tempore deſcenſus iſtius pluviæ, ſeu felicis hujus nativitatis appropinquantis, omnes homines ſuſpirabant ad iſtum ſanctum partum, in quo conſiſtebat pretium ſalutis ipſorum, & tota ipſorum felici-

t Gen. 3. 15. &c.
u Gen. 12. 3. &c.
x 3. Reg. 17. 1.
y 3. Reg. 18. 1. &c.
z Iſai. 64. 1.
a Pſ. 71. 6.
b Albert. Magn. in Luc. 9. 30.
c Hebr. 11. 13.
d Oſee 11. 1.
e S. Hier. lib. 3. in Oſee. 11 1.
f Exod. 4. 22.
g Iſai. 19. 1.
h ex Coloſ. 1. 1.
i ex Iſai. 53. 9. & ex 1. Petr. 2. 22.
k ex Iſai. 11. 2. & 3.
l Hug. Card. in 3. Reg. 18. 44.
m S. Amb. in Exhort. ad Virgin.

fœlicitas, & ſi Eccleſia ſancta facit illius feſtum ſpeciale, repræſentans nobis ſanctos ardores, qui cingebant totam terram tempore fœlicis iſtius partus appropinquantis & ita diu deſiderati! quòd ſi omnes ſancti Prophetæ, & univerſi alii homines inſignes tanto ducebantur deſiderio videndi illius qui venturus erat *quærere & ſalvum facere quod perierat* n; quales erant affectus ſanctæ Matris°, quæ cùm eſſet Mater Dei, & miſericordiæ, erat etiam *Mater pulchræ dilectionis* o, quæ maximo erat illuſtrata lumine ad agnoſcendum futurum hoc beneficium? Et ſanè cùm eſſet *gratiâ plena* p, fieri non poterat quin fide repleta eſſet, cùm, juxta proportionem augmentorum gratiæ, conceſſa fuerit ei fides abundantiſſimè, & ardens charitas ad deſiderandum remedium ſublevandis noſtris calamitatibus apportunum. Unde S. Auguſtinus q ait, *Beatior Maria percipiendo fidem r Chriſti, quàm concipiendo carnem s Chriſti.* Quid non dicebat ipſa quæ ſciebat, quòd ille quem gerebat ipſa in utero ſuo, eſſet verus Filius ſuus, & verè Filius Patris æterni, & quòd jam iſta beata dies appropinquaret, quâ ipſa paritura erat, & exhibitura mundo intuendum Reparatorem ipſius? Qualis erat jubilatio animæ ipſius, dum videret gemitus omnium ſæculorum exauditos, vota nationum ſuſcepta, preces Juſtorum admiſſas, & quòd ſuæ lacrymæ & ſupplicationes impetraſſent id quod ipſa intendebat, cùm ipſa ſic eum fuerat inſtanter deprecata ut non tardaret ampliùs venire, ut appareret hominibus indutus carne eorum, ut ſpiritualizaret illos qui erant carnales; & efficeret eos filios Dei? Quales erant ecſtaſes hujus glorioſæ Virginis meditantis puncta ſacri amoris ejus, cùm videbat ipſa tempus ſui partus appropinquare virginei? Deſiderabat ipſa videre eum, ut adoraret eum ut Deum ſuum, ut honoraret eum ut Dominum ſuum, & ut oſcularetur eum ut Filium ſuum.

n Luc. 19. 10. & ex Matth. 18. 11.
o Eccli. 24. 24.
p Luc. 1. 28.
q S. Aug. lib. de S. Virginit. c. 3.
r ex Luc. 1. 45.
s ex Luc. 1. 38.

Fœminis eſt naturale concupiſcere habere liberos; & ordinariè non ineunt ipſæ Matrimonia, niſi ut illos producant: exiſtimant enim veluti ſpeciem infamiæ ſexui ſuo irrogari non habere liberos. Propterea filia Jephte priuſquàm immolanda eſſet à patre ſuo, *dixit ad patrem, Hoc ſolum mihi præſta quod deprecor, dimitte me, ut duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis* t. Sed licèt ipſæ ferantur hoc vehementi deſiderio, cientur ipſæ tamen tribus validis timoribus, qui adverſantur huic ardenti deſiderio. Primus eſt, quòd ipſæ ſint incertæ de ſucceſſu partus ſui: verentur ipſæ ne momentum partus ſui, ſit articulus mortis ſuæ, & ne vitam liberis ſuis tribuentes, interitum habeant ipſæ obvium. *Mulier cùm parit, triſtitiam habet* u. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus x, *Ex dolore qui inſtat.* Sicut re verâ *cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Egrediente autem animâ præ dolore, mortua eſt* y. Secundus timor eſt, quòd ipſæ ſint incertæ de qualitate fructus ſui, utrum ſit futurus cocles aut claudus, gibboſus vel deformis, vitioſus, inobediens, & nequam. Tertius timor eſt, quòd, licèt ipſæ ſint incertæ de ſucceſſu partus ſui, & de qualitate ſui fructus, ipſæ ſciant tamen certiſſimè, quòd ipſæ ſint pariturae prolem criminoſam, inimicam Dei, & ei rebellem: ſumus enim priùs filij diaboli quàm parentum noſtrorum, *In utero damnati antequàm nati: quia de peccato & in peccato concepti,* ait S. Bernardus z. Et hoc infortunium Pſalmiſta a deplorat in perſonâ ſuâ, ſic Deum deprecans: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Atqui univerſi iſti timores non poterant infirmare ardentia deſideria, quibus ducebatur B. Virgo pariendi. Primò enim, Erat ipſa certa de fœlici ſucceſſu partus ſui: habebat ipſa ſermonem Dei, æquè ac Angeli pro certitudine, *Ecce concipies in utero, & paries Filium* b. Et Dionyſius Carthuſianus c ſuper hæc verba S. Lucæ loquentis de partu Virginis Deiparæ, *Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involuit,* ait, *In Revelationibus beatiſſima Birgittæ Virgo Maria inducitur loqui ad Birgittam, quòd ſcivit ſe parituram in Bethleem, ut impleretur Scriptura* d, *idcircò de mundiſſimis & decentiſſimis lineis panniculis ſibi providit, quibus & Filium ſuum mox reverenter involuit, nempe (ut legitur) ibi credibiliter utique ſacratiſſima Virgo mox paritura genua devotiſſimè flexit, & mente ad Deum erectâ, velut in momento Puerum eſt enixa, viditque eum ante ſe in terrâ iacentem, & paulò poſt præ frigore palpitantem, cui illa tenerrimè condolens, ſuſceptum & amplexatum deoſculabatur; ſtringens ad pectus ſuum, & calefaciens ipſum. Deinde candiſſimis involuit pannis.* Prætereà, Non debebat ipſa aliquid timere de qualitate fructus ſui: ſciebat enim ipſa, quòd eſſet paritura Filium, qui eſt idem cum Patre, ut deinceps ipſe dixit, *Ego & Pater unum ſumus* e. Qui futurus *erat* ipſi *ſubditus* f. Et qui deſcribitur à Pſalmiſta g ut *ſpecioſus formâ præ filijs hominum.* Tandem, Minùs poterat ipſa timere, ne pareret ipſa criminoſum, cùm non ignoraret, quod deferret Salvatorem & Redemptorem omnium hominum, & eum qui debebat ipſam ſanctificare. Et hoc eſt quod Sponſo ipſiuſmet B. Virginis S. Joſepho dixit *Angelus, Pariet Filium, & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* h. *Id eſt, omnes Electos peccato obnoxios originali, & actuali,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus i. Et ſtatim ait, *Chriſtus enim merito ſuæ incarnationis, ſanctiſſimæ converſationis, atque diriſſimæ paſſionis, liberavit genus humanum ab omni peccato ſufficienter, quantùm in ſe eſt, ſolos autem Electos ſalvavit efficienter. Oportet tamen, ut meritũ Chriſti, ſeu virtus paſſionis eius nobis applicetur, per Sacramenta Eccleſiæ, ſeu fidem & charitatem, ad hoc quòd liberemur à Chriſto. Ieſus autem interpretatur Salvator, aut Salutaris: conſuetudo verò Iudæorum fuit, rebus imponere nomina ab aliquâ proprietate, quemadmodum Iſaias* k *dicit, Puer iſte qui ſpoliavit infernum, vocatur, Velociter ſpolia detrahe, Citò prædare. Convenienter ergo Filius Virginis, Salus mundi dictus eſt. In cuius figurâ Ioſue & filius Ioſedech Sacerdos magnus dicti ſunt Ieſus.* Rationabiliter ergo dicebat Maria, *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?*

t Iudic. 11. 37.
u Ioan. 16. 21.
x Dion. Carth. art. 40. in Ioan. 16. 21.
y Gen. 35. 16. &c.
z S. Bern. ſerm. 2. Pent.
a Pſ. 50. 7. ex Iob 14. 4.
b Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
c Dion. Carth. art. 6. in Luc. 2. 7.
d Mich. 5. 2.
e Ioan. 10. 30.
f Luc. 2. 51.
g Pſ. 44. 3.
h Matth. 1. 20. & 21.
i Dion. Cart. art. 3. in Matt. 1. 21.
k ex Iſai. 8. 1.

Sed poſſet hic aliquis petere: Cùm feſtum hodiernum duobus ſit inſtitutum titulis, quorum unus eſt O, & alter expectatio partus B. Virginis, eſtne aliqua oppoſitio inter deſideria hujus ſanctæ Dominæ prægnantis Deo, & alias mulieres prægnantes hominibus, quæ habent ordinariè deſideria, quæ vocantur deſideria mulierum prægnantium? Filius enim ejus, quo ipſa prægnans erat, factus naturæ noſtræ particeps, *debuit per omnia fratribus ſimilari* l. Et conſequenter Mater ejus debebat eſſe ſimilis alijs mulieribus fœtis in omnibus, præſertim quantùm ad hæc deſideria, quæ ſunt illis ordinaria. Fatendum eſt quidem, quòd B. Virgo ducta eſt deſiderijs (ſicut iis aguntur mulieres prægnantes) ſed deſiderijs ſacris, oppoſitis tamen deſiderijs aliarum mulierum fœtarum: ſi enim conſideremus quòd iſtud feſtum, quod celebramus, portat pro titulo O, & Expectationem ſacri partus Filij Dei; intuitu primi tituli ſatis oſtendit ingens deſiderium in Mariâ: iſtud enim verbum O videtur nihil aliud ſignificare, niſi deſiderium cibi, aut potus, ut patet in hoc ardenti deſiderio Davidis, *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſternâ, quæ eſt in Bethlem* m. Idè deſideriũ videtur inveniri in expectatione partus. Innu-

l Hebr. 2. 17.
m 2. Reg. 23. 15.

Innumeras mihi videor intueri mulieres prægnantes ductas deſideriis iſtis, nempe ſciendi, quodnam erat deſiderium B. Virginis. Sed ad reſolvendam earum curioſitatem, ſupponendum eſt, quòd hoc deſiderium Dominæ noſtræ fuit rei licitæ & honeſtæ, in quâ nihil erat reprehenſibile.

Fieri poterit ut ſint mulieres prægnantes, quæ dicturæ ſint, quòd hæc deſideria, quibus ducuntur, non ſunt tam ſua, quàm prolium, quas deferunt in uteris ſuis. Fortaſſis ita ſe res habet. Sed ſi iſtud eſt verum, fatendum eſt, quòd hoc eſt miraculoſum; admirandum eſt, inquam, quòd infantes qui ſunt in uteris illarum, appetant non ſolum cibum, quem illæ concipiunt, ſed etiam ſpecioſum veſtimentum. Aliqua mulier prægnans dicet viro ſuo, Vicinus noſter concinnandam ſpecioſam veſtem ſategit uxori ſuæ, ha quàm pulchra eſt! Confeſtim deprehendetis hunc virum turbatum, matremfamilias turbatam, domeſticos turbatos, totam familiam conturbatam, Deſiderium eſt mulieris prægnantis, inquiunt omnes unanimi conſenſu, ducitur ipſa deſiderio, maximoperè cavendum eſt ne accidat ei malum, ſatiſfaciendum eſt illi metu abortûs: emenda eſt ergo ipſi veſtis ſimilis veſti quam vicinus emit uxori ſuæ; & ſtatim ac iſtud peractum fuerit, ecce illius infans ſatisfecerit deſiderio ſuo, contentus erit, & deinceps quiete potietur.

Talibus & ſimilibus deſideriis agi ſolent utplurimùm mulieres prægnantes. Sed ſi vultis ſcire quodnam fuit deſiderium B. Mariæ fœtæ Filio Dei per oppoſitionem deſiderijs aliarum mulierum prægnantium hominibus; pro comperto eſt, quòd in eâ unicum duntaxat fuit deſiderium, quod in hoc erat ſitum, nimirum in videndo Domino ſuo nato inter manus ſuas, ut ei ſerviret, illum intueretur, poſtquàm ipſum peperiſſet, & hàc perfunderetur conſolatione fruendi ſacris aſpectibus illius. Quòd ſi deſiderium, quo ductus eſt David bibendæ aquæ hauriendæ è ciſternâ Bethleemiticâ, ad extremæ neceſſitatis & ſitis anguſtias redactus, non eſt vituperabile; aut ſaltem fuit deſiderium, cùm quælibet alia aqua, ſi inveniri potuiſſet, ſufficere potuiſſet extinguēdæ ſiti ejus; quare non vocabimus deſiderium votum bibendæ aquæ Divinæ, quæ eſt Deus? ut ait eidem David n, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* [n Pſ. 41. 2. & 3.] Quantò potiori ratione ſanctiſſima Virgo Deipara poterat hoc dicere, ipſa quæ habebat Deum ipſum in utero ſuo? quàm intimum & ardens erat deſiderium, quo ducebatur ipſa tenendi illius inter amantiſſima brachia ſua? *Quemadmodum*, inquiebat ipſa, *deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita*, & multò majori ardore incomparabiliter *deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum* te *fontem vivum: quando*, non dico, *veniam*, ſed quando exibis ipſemet ex utero meo, ut requieſcas inter brachia mea; *& apparebo ante faciem Dei*: non, ſed quando apparebis ipſemet ante faciem meam. *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* [II. Part.]

Non poſſumus meliùs comprehendere magnitudinem deſiderii, quo B. Virgo ducebatur pariendi Filij ſui, quàm per cognitionem deſideriorum ejus & per eorundem conformitatem cum deſideriis, quibus aguntur parentes producendorum liberorū. Prima eſt, ut iſti liberi ſibi ſint ſuperſtites: homines ſciunt quidem ſe eſſe mortales, *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur* o. *Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori* p. [o 2. Reg. 14. 14. p Hebr. 9. 27.] Sed quia ſecretâ ducuntur inclinatione vivendi diu, & hoc non poteſt eſſe in perſonis ipſorum, deſiderant habere liberos, qui hæreditent, & bona ipſorum, æquè ac ipſorum nomina, ut vivere poſſint in ipſis. Propterea ſic vehementer commendatur voluntas quam præ ſe tulit Abraham ſacrificandi filij ſui Iſaac juxta mandatum quod ſuſceperat à Deo q; [q Gen. 22. 2. &c.] quia præliabatur contra inclinationem naturalem, quâ ducuntur parentes vivendi in liberis ſuis.

Secunda ratio, propter quam concupiſcunt homines habere liberos, eſt, ut habeant ſubditos. Omnes homines naturaliter deſiderant imperare: ſub iſtis autem promiſſionibus decepit Protoplaſtos noſtros diabolus in paradiſo terreſtri, *Eritis ſicut Dij* r. [r Gen. 3. 5] Atqui proprium eſt Deo imperare, *Præcepitque ei*, id eſt, Adæ, *dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* s. [s Gen. 2. 16. & 17.] Homines igitur deſiderant habere filios, ut ſibi faciant ſubditos. Tertia autem ratio eſt, ut habeant ſubjecta, in quibus ſuum collocare poſſint amorem. Propter tres iſtas rationem magnam B. Virgo habebat anſam concupiſcendæ horæ partûs ſui, cùm tres iſtæ rationes inveniantur in eâ præ majori puritate quàm in filiis hominum. Primò enim, debebat ipſa deſiderare nativitatem Filij ſui, ut vivere poſſet in eo, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro*, ait Arnoldus Carnotenſis t. [t Arnold. Carnot. tract. de Laudibus Deip.] Ipſa vivebat in eo modo nobiliori & perfectiori quàm viveret in ſemetipſâ: vivebat enim in eo vitâ Dei: debebat ipſa rationabiliter deſiderare nativitatem Filij ſui; quia cum Filio acquirebat ſibi ſubditum, & cum qualitate Matris conciliabat ſibi titulum ſupremæ Dominæ: Debebat ipſa imperare non homini ſolùm, ſed Deo qui futurus *erat* ipſi *ſubditus* u. [u Luc. 2. 51.] Et in hoc ipſa communicabat dominio Dei Patris: licèt enim Pater æternus eſſet Pater Filij ſui, non erat tamen Deus illius, niſi in tempore per myſterium incarnationis, ſicut ipſe Filius fatetur, *Quia Pater maior me eſt* x. Id eſt, *Secundùm naturam aſſumptam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus y. [x Ioan. 14. 28. y Dion. Carth. art. 16. in 10. an 14.] Qui loquens de naturâ ejus divinâ, paulò pòſt ait, *Porrò quòd Filius ſit Patri verè æqualis, conſtat ex eo quod ait Apoſtolus* z, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſeipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* [z Philipp. 2. 6. & 7.] Ille igitur qui eſt *ſervus* a, æquè ac *puer* b Patris æterni, *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti* c, [a Iſai. 42. 1. b Matth. 12. 18. et Iſai. 42. 1. c 2. Cor. 1. 3.] fit etiam filius & ſubditus B. Virginis: magnam habebat igitur ipſa anſam dicendi, *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Habebat enim ipſa unde jure merito concupiſceret nativitatem Filij ſui, ut collocaret in eo univerſos affectus ſuos, hoc enim ajebat ipſa præ puritate non more cæterorum parentum, qui liberos ſuos non ſecus ac idola colunt, conſtituentes in eis amorem ſuum ſicut in ultimo fine ſuo: ſed beatiſſima Virgo diligere ſuum Filium poterat abſque exceſſu: erat enim infinitè amabilis. *Unus eſt bonus, Deus* d. [d Matth. 19. 17.] Tandem, Præterquàm quòd ille Filius ipſius erat, Deus etiam ipſius erat, qui legitimè merebatur omnem dilectionem ipſius, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ anima tuâ, & in totâ mente tuâ* e. [e Matth. 22. 37.] Videte num merito dicere non debeat, *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?*

Dixi, quòd Filius Dei præterquàm quòd erat Filius Mariæ, erat etiā Deus ejus, qui erat ſemper cum eâ, & ſic jure merito poterat exigere omnes amores ejus. Iſtud aſſeruit *Angelus* die annunciationis

ejus, cùm *ingreſſus, ad eam dixit Dominus tecum* f. Et licèt Deus ubique ſit, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* g, erat ſpecialiter in B. Virgine. Deus eſt ubique, quod & ipſi Ethnici agnoverunt, dicentes,

f Luc. 1. 30. & 28.
g Ier. 23. 24.

Iovis omnia plena.

Licèt Deus ſit ubique per præſentiam, per potentiam, & per eſſentiam, & in Juſtis per gratiam, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* h: omnibus iſtis modis erat in B. Virgine eminenter, & illi etiam ſtrictè unitus erat per humanitatem ſuam, *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis: primo modo eſſentialiter: ſecundo modo operatione: ineſt & illuminatione: quarto modo ineſt & uni creaturæ, videlicet, Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa*, ait Cardinalis Petrus Damianus i. Deus igitur erat unitus ei per humanitatem ſuam, & B. Virgo erat unita Deo, ſed ita ſtrictè ut ſemper ipſa fuerit cū eo, & ille cum eâ: & ſicut Jeſus Chriſtus ſemper futurus eſt homo, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*: ſic Maria ſemper erit Mater Dei. Ambo fuerunt ſimul in æterna prædeſtinatione k: ambo repræſentati figuris antiquis l: cùm naſcitur in ſpelunca Bethleemitica, ibique adoratur à paſtoribus m, & à Magis: cùm vadit *in Ægyptum*, & inde revertitur n: cùm ſedet *in templo in medio Doctorum* o: cùm *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, Mater Ieſu ibi & Ieſus* p ſunt, & ubique alibi.

h Rom. 5. 5.
i Damian. ſerm. 3. de Nativit. B. M.
k Rom. 1. 4. & Eccli. 24. 5.
l Iſai. 7. 10. &c.
m Luc. 2. 7. &c.
n Matth. 2. 2. &c.
o Luc. 2. 46.
p Ioan. 2. 1. & 2.
III. Pars.

Concepimus aliquid magnitudinis deſideriorum B. Virginis per oppoſitionem omnibus ordinariis mulieribus prægnantibus, & per conformitatem deſideriis earum: volo nunc vobis oſtendere exceſſum deſideriorum illius per tria motiva ipſi ſpecialia. Quorum primum erat, quòd ipſa haberet deſiderium Patris & Matris, & quòd id, quod erat diviſum in patre & in matre, eſſet unitum in ipſa. Habebat ipſa majus deſiderium videndi naſci Filiū ſuum, quàm habuerint unquam omnes ſancti Patriarchæ veteris Teſtamenti, qui jugiter ſuſpirabant, & continuas ad cœlum mittebant ſupplicationes, ut ad ſe mitteret Meſſiam, quem expectabant, *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem Filiæ Sion* q. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem: & iuſtitia oriatur ſimul* r. Et quàm omnes Angeli, & univerſi homines, quia majori lumine erat ipſa irradiata ad cognoſcendam excellentiam ejus, *Itaque præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit*, ait S. Epiphanius s. Et conſequenter ingentiori amore ardebat ad diligendam bonitatem illius. Secunda ratio, quæ extollit magnitudinem deſiderij B. Virginis ſupra deſiderium aliarum mulierum prægnantium, eſt, quòd expectabat ipſa per partum ſuum conſummationem Maternitatis ſuæ. Mulieres prægnantes non ſunt verè matres, niſi cùm pepererunt: ſic B. Virgo, licet Filium ſuum deferret in utero, nondum erat perfectiſſimè Mater Dei, habebat ipſa magnam anſam deſiderandi partùs ſui, quia ſic acquireret primam omnium dignitatum. In hoc concordat Juriſprudentia cum Theologia: Jus enim ſingulas mulieres prægnantes non computat niſi pro una perſona, & Theologia docet, quòd non tribuitur eis niſi unicus Angelus cuſtos, qui prolem, æquè ac matrem curat: cur igitur B. Virgo non deſideraret nativitatem Filij ſui, quæ deberet ipſam conſtituere in poſſeſſione hujus eminentiſſimæ qualitatis Matris Dei? Habet igitur ipſa unde dicat merito, *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Tertia ratio, quæ nobis aperit deſiderium B. Virginis, eſt, quòd Pater æternus communicaverat ei deſiderium ſuum, ſeu voluntatem ſuam dandi Filij ſui mundo t: at quale eſt deſiderium, ſeu quænam eſt voluntas Dei? Comprehendi non poteſt, *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* u. Sic deſiderium Beatæ Virginis eſt incomprehenſibile: Deus communicavit ei hoc deſiderium cùm communicavit ei propriam virtutem ſuam, tribuens ei capacitatem producendi in tempore ejuſdem Dei, quem ipſe in æternitate producit fœcunditate Divini intellectus ſui. Potentia Patris erat in Maria, virtute cujus parere poſſet eundem Filium cum ipſo, & dicere ei, ſicut ipſe, *Ego hodie genui te* x. Sapientia Filii erat etiam cum illâ, docens eam, illamque præparans & diſponens ad hoc ut eſſet digna Mater ejus. Inſuper & puritas Spiritus ſancti erat cum eâ, ut conſervaret eam in integritate ipſius, in conceptione, & in partu Filii ipſius. Propterea ſi aliàs pro eo quod *irruit Spiritus Domini in Samſon, dilaceravit Leonem, quaſi hædum in fruſta dicerperet, nihil omnino habens in manu* y idem Samſon: & ſi *cùm duceretur ad mortem* Suſanna, *ſuſcitavit Dominus Spiritum ſanctum pueri iunioris, cui nomē Daniel* z, qui ideò detexit ſententiam iniquam à ſenibus impudicis adverſùs eam latam: & ſi de S. Joanne Baptiſta dicitur, quod, quia *manus Domini erat cum illo, puer creſcebat & confortabatur Spiritu* a: quantò potiori ratione manus aut virtus Dei erat cum Mariâ, in qua ipſe potentiſſimus apparuit operando myſterium incarnationis, ſapientiſſimus, & miſericordiſſimus ſuccurendo homini in maximâ miſeria conſtituto, & fideliſſimus quantùm ad promiſſiones hominibus factas. Juſto igitur titulo *Angelus dixit ei, Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* b. Quæ verba duobus modis poſſunt intelligi. Primò, Quòd Deus omnipotens adjuvaret infirmitatē ejus, & animaret impotentiam illius. Nolite propter hoc mirari, Auditores, ſi placet, eò quòd impotentia hominum ſic eſt immodica, ut nullo modo ſuſtinere poſſint ſplendorem eorum qui frunti ſunt præſentiâ ejus. Inde fit ut Angeli noſtris apparentes conſpectibus, ſumant ſemper corpus aliquod, aut reale, aut imaginarium, *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus civitatis. Ingreſſique domum illius, fecit convivium, & coxit azyma, & comederunt* c. *Cùmque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Videntes autem Aaron & filij Iſraël cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere* d. Atqui B. Virgo quæ non debebat converſari cum hominibus qui frunti eſſent præſentiâ Dei, ſed cum Deo ipſo, nonne præveniri debebat virtute fortiori, ut ſuſtinere poſſet tantum ſplendorem? Secundò, Intelligi poſſunt hæc verba, quòd Pater æternus, qui eſt Altiſſimus, cùm ſit principium auguſtiſſimæ Trinitatis, cōmunicet ei virtutem ſuam. Theologi loquentes de virtute Patris æterni, dicunt eam eſſe triplicem in perſonâ ejus. Prima eſt virtus creationis e, quæ eſt ei communis cum Filio & cum Spiritu ſancto. Secunda eſt ea, quâ producit *Spiritum* d ſanctum, & hæc eſt ei communis cum Filio. Tertia eſt ea, quam habet ipſe ſolus, nedum communicet eam ulli è perſonis Divinis, quæ eſt virtus Patris, ſeu paternitas e: quam tamen prodigio inaudito communicat B. Virgini: ipſa enim Verbum incarnatum generat hâc communicatione, & hâc eâdem virtute, & eodem modo quo Pater æternus: nam Pater generat Filium ſuum verbo, & Virgo beatiſſima etiam: ſtatim enim ac *dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbū tuum* f, generat ipſa Filium Dei. Videtur autem, quòd ſicut

q Iſai. 16. 1.
r Iſai. 45. 8.
s S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deipar.
t Ioan. 3. 16.
u Ier. 32. 19.
x Pſ. 2. 7.
y Iudic. 14. 6.
z Dan. 13. 45. &c.
a Luc. 1. 66. & 80.
b Luc. 1. 35.
c Gen. 19. 1. & 3.
d Exod. 34. 29. & 30.
e Gen. 1. 1. &c.
d Ioan. 15. 26.
e Pſ. 2. 7.
f Luc. 1. 38.

ſicut non gignitur in cœlo niſi verbo, non poſſit etiam in terrà alio modo generari. Inde fit, ut, ſi Sacerdotes generent eum ſuper Altaribus noſtris, hanc productionem verbis peragunt, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei* g. Si in animabus noſtris, verbis abſolutionis, *Ego te abſolvo* h. Si in mentibus noſtris, *Per Evangelium* i. Præterea, Si Pater æternus producit Filium ſuum perfectum, *ſicut perfectus eſt* k ipſemet: B. Virgo etiam generat eum perfectum, *Fœmina circundabit Virum* l. Si pater æternus generat eum momento indiviſibili æternitatis, quod complectitur tres differentias temporis, præteriti, præſentis, & futuri; Maria etiam gignit eum unico momento: licèt enim corpus puerorum non formetur in utero matris niſi poſt quadraginta dies, Dei Filius tamen primo inſtanti ſuæ conceptionis habet id omne quod ſibi neceſſarium eſt. Productio fœlix, quam potiùs eligerem quàm æternã: ſi enim producitur *in ſinu Patris* m ſui, gignitur ibi propter ſemetipſum; cùm *in utero* n Matris ſuæ gignatur propter nos. Præterquàm quòd in ſinu Patris ſui eſt præ tantá majeſtate ut Angeli non audeant illum intueri abſque tremore, *Columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum eius* o. Cùm in utero Matris ſuæ ſit præ humilitate; & nedum tremorem incutiat Angelis, aut hominibus, amorem impertiatur iſtis, æquè ac illis, & nobis deſiderium ipſius ſuſcipiendi.

Excitare debemus in nobis deſiderium ſuſcipiendi Filij Dei, quem Pater æternus deſideravit, ſeu voluit ab æterno nobis dare: & ſicut hoc deſiderium, ſeu hæc voluntas in Deo *non habet finem* p: ita nec deſiderium noſtrum debet eſſe mediocre: ſperare debemus, inſtar B. Virginis, nihil aliud, niſi Deum, *Expectatio mea, nonne Dominus?* Et, *A cuſtodiâ matutinâ uſque ad noctem ſperet* anima mea *in Domino* q.

g Eccleſia ex Matth. 26. 26. & 28.
h Eccleſia ex Ioan. 20. 23.
i 1. Cor. 4. 15.
k Matth. 5. 48.
l Ier. 31. 22.
m Ioan. 1. 18.
n Matth. 1. 18. & 23. & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
o Iob. 26. 11.
p Baruch. 3. 25.
q Pſ. 129. 6.

Propterea cùm *vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam) dixit ad Noë, Fac tibi arcam. Feneſtram in arcâ facies; & oſtium* r. Super quod Hugo Cardinalis s ait, *Oſtium arcæ, Chriſtus, Ego ſum oſtium* t. *Feneſtra, per quam lux intrat in arcam, B. Virgo, per quam venit in mundum Chriſtus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* u. Debemus ſemper intueri per hanc feneſtram, ut cognoſcamus quando Jeſus Chriſtus eſt in nobis, aut quando venit ad nos; obſervantes utrùm feramus in nobis vitam, cor, & ſpiritum Jeſu, ſicut B. Virgo deferebat in ſe vitam, cor, & ſpiritum ejuſdem Filij ſui. Vita Jeſu Chriſti eſt vita ſpiritualis, *Spiritus eſt Deus* x. Vita mortificationis, *In laboribus à juventute* y ſuâ. Sic vita noſtra debet ſpiritualitati, & mortificationi vacare. Cor Jeſu Chriſti, eſt cor humilitatis, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde* z. Jeſus Chriſtus hortatur nos ad humilitatem cordis: Datur autem differentia inter humilitatem cordis & humilitatem mentis. Humilitas mentis, quæ eſt notitia defectuum ſuorum, eſt initium humilitatis, ſed non eſt vera humilitas: vera humilitas & perfectio ejus conſiſtit in humilitate cordis, in volendo excipi ut criminoſum & peccatorem, & hæc eſt humilitas Chriſti. Non poterat habere humilitatem mentis, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius* †. Humilitas mentis eſt humilitas dæmonis, qui licèt ſe agnoſcat criminoſum, non vult tamen excipi ut talis, ſed cum impatientiâ ſuſtinet pœnas à Deo ſibi inflictas; talis eſt & humilitas mentis malorum Chriſtianorum: dicunt enim ſe eſſe peccatores, & nolunt excipi ut tales, ſed murmurant contra Deum cùm ipſos affligit. Spiritus Jeſu Chriſti eſt ſpiritus unionis: Habete hunc ſpiritum ejus, *Et Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum* *.

r Gen. 6. 14. &c.
s Hug. Card. in Gen. 6. 16
t Ioan. 10. 9.
u ex Ioan. 1. 9.
x Ioan. 4. 24.
y Pſ. 87. 16
z Matth. 11. 29.
† 1. Pett. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
* 2. Cor. 13. 11.

FERIA III.

POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 7. &c.

QUale venenum peccatum mortale! cùm vel unicum inficiat ingentem oceanum omnium bonorum naturæ & gratiæ, præſertim verò peccatum ebrietatis, & luxuriæ delictum, quibus indulſit Populus Iſraël, dum ſuas vitulo aureo exhibuit adorationes, ut dicebam vobis nuper. Quale fel! quod amaritudinem affert mari conſolationum ſpiritualium. Quòd ſi unica guttula gloriæ ita mulſit tormenta Sanctorum Martyrum, præſertim verò S. Stephani, *cùm intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait, Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei* a; & ſufficeret ad mitiganda tormenta inferni, teſte Divite epulone, *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ* b: Quanta erit amaritudo compacta ex omnibus vitijs ſimul junctis, cùm una gutta peccati lethiferi tantam vim habeat ut omnia reddat amara per delectationem, vel per conſenſum.

Loquens S. Paulus c de exercitu vitiorum, quorum Dux eſt diabolus, ait, *Stipendia peccati mors*; faciens alluſionem ad id, quòd Romani non dabant pro ſtipendijs pecuniam, ſed victui neceſſaria: ita cùm *ſtipendia peccati, id eſt, retributio debita quæ pro peccato inſligitur, mors temporalis & æterna* ſit, ut exponit Dionyſius Carthuſianus d, & expoſui vobis nuper; privat nos omnibus requiſitis ad alimenta animæ noſtræ neceſſaria peccatum, quod eſt ſtipendium mortis naturæ, gratiæ, & gloriæ. Gratia amittitur per peccatum mortale, *Si averterit ſe iuſtus à iuſtitiâ ſuâ, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, numquid vivet? omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione quâ prævaricatus eſt, & in peccato quod peccavit, in ipſis morietur* e. Hîc accidit id, quod minatur Chriſtus incolis Jeruſalem, *Amen dico vobis: Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur* f. Imò aliquid majus, cùm anima annihiletur aliquo modo, quod eſt pejus morte, quæ non deſtruit ſubſtantiam, aut ſubjectum, ut annihilatio, *Ad nihilum redactus ſum* g, ait peccator, poſtquàm *diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè* h contra fidem, & Baptiſma, in quo Deus ipſum ſponſaverat ſibi *in fide* i. Hoc eſt quod Deus ſignificavit Adæ, cùm *dixit ei* poſt peccatum, *Vbi es* k? conformiter ad illud, *Memor eſto unde excideris* l. *Vnde excisus eſt? De charitate ſcilicet. Si de charitate excisus eſt; de Deo excisus eſt, quia Deus charitas eſt* m, ait S. Ambroſius n. Et ſic gratia ſemel

a Act. 7. 55. & 56.
b Luc. 16. 24.
c Rom. 6. 23. &c.
d Dion. Carth. art. 9. in Rom. 6. 23.
e Ezech. 18. 24.
f Matth. 24. 2.
g Pſ. 72. 22
h Luc. 15. 13.
i Oſee 2. 20.
k Gen. 3. 9
l Apoc. 2. 5.
m 1. Ioan. 4. 16
n Ambr. in Apoc. 2.

eſt

eſt gloriæ, & meritorum Chriſti, quæ per peccatum amittimus.

o Exod. 19. 12.

Moyſen in monte o *Devotio apud Deum tenebat, periculum populi redire ad externa cogebat. Aſcendit per contemplationem. Charitas Dei ſurſum trahebat, charitas proximi deorſum revocabat*, ait Thomas à Kempis p. *Ibi devotus & quietus erat, Hic mitis & patiens eſſe ſtudebat.* Cùm præ charitate corrigere volens populum Iſraëliticum, fortitudinem ſuavitati ſociare coactus fuerit. Redempturus genus humanum Deus, *fecit potentiam in brachio ſuo* q, cùm Mariæ *Angelus dixit, Ave Maria.*

p à Kempis part. 2. tom 2. Meditat. 6.
q Luc 1. 51. & 28.

Res eſt mirabilis obſervatu, quòd omnes virtutes nomine nuncupentur fœminino, juſtitia, pietas; temperantia, miſericordia. Quin imò iſtud etiam nomen ſibi vendicat fœmineum fortitudo, quam velut in quatuor dividunt Theologi ramos, ſeu in quatuor rivos, in fiduciam, in magnificentiam, in patientiam, & in perſeverantiam, quæ ſunt quatuor partes fortitudinis integrantes, juxta doctrinam S. Thomæ r, *Quatuor ſunt fortitudinis integrales partes, quarum fiducia ac magnificentia ad actum eius aggrediendi; patientia verò & perſeverantia ad ſuſtinendi actum ſpectant: quæ virtutes extra fortitudinis materiam extenſæ, etiam potentiales fortitudinis partes rectè dici poſſunt.* Fiducia & magnificentia ſunt neceſſariæ ad ſuſcipiendum aliquod grave conſilium, aliquod negotium difficile, & maximi momenti; patientia autem & perſeverantia requiruntur ut conſtanter ſuſtineantur difficultates, impedimenta, & obſtacula quæ opponuntur executioni eorum quæ quis propoſuit ſibi. Fiducia ad aggrediendum inducit, mentem diſponit præ ſpe futuri fœlicis eventus. Magnificentia efficit generoſum ne quis animum deſpondeat poſt ſuſceptum conſilium, neve à proſequendo deſiſtat incepto. Patientia agit ut aliquis ſuaviter ſuſtineat tædia, moleſtias, & difficultates, quæ in eo inveniuntur paſſim, & ſuperet quidquid in eo eſt reperire rudis. Perſeverantia firmum reddit, nedum aliquis nubet aut vacillet donec fruatur eo, ad quod aſpirat. De his duabus poſterioribus fortitudinis partibus integrantibus loquitur Apoſtolus s, cùm ait de patientiâ, *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamẽ.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus t, *Per potentiam, id eſt, omnia obſtacula atque adverſa fortiter tranſiliendo & ſuſtinendo, nec propterea à bono ceſſando, curramus animo prompto, & corde ſpontaneo, & ſi opus eſt etiam motu corporeo ad propoſitum nobis certamen, id eſt, ad prælium nobis iniunctum contra diabolum, carnem, ac mundum, vel ad martyrium ſeu iuſtitiæ defenſionem. Vnde legitur*; *Pro iuſtitiâ agonizare pro anima tua: & uſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te* u. De perſeverantia autem, *Vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Supra quod idem Dionyſius, *Vt non fatigemini propter tribulationes & labores vitæ præſentis, animis, id eſt, cordibus ſeu ſpiritibus veſtris deficientes, id eſt à bono ceſſantes, & adverſitatibus ſeu tentationibus ſuccumbentes.* Et hæ quatuor integrantes fortitudinis partes, quæ nomine vocitantur fœmineo, cùm magis heroïcum ſibi aſciſcere deberent nomen, quod ipſarum præ ſe ferret magnanimitatem & generoſitatem, inveniuntur in Moyſe.

r S. Thom. 2. 2. q. 128. a. 1. in cõc.
s Hebr. 12. 1. & 4.
t Dion. Carth. art. 11. in Hebr. 12. 1. & 4.
u Eccli. 4. 33.

Præ ſe quippe fert fiduciam, Deum ſuis propinquũ futurum conſiliis, & eorum ſucceſſum fortiturum, *Vtrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis: cauſam populi apud Deum precibus, cauſam Dei apud populum gladio allegavit. Intùs amans, Divina ira ſupplicando obſiſtit: foris ſæviens, culpam feriendo conſumpſit. Succurrit citiùs Omnipotens oſtenſâ morte paucorum. Et idcircò Omnipotens Deus fidelem famulum ſuum citiùs exaudivit agentem pro populo: quia vidit quid ſuper populum acturus eſſet ipſe pro Deo*, ait S. Gregorius x. Habet magnificentiam. Quid magnificentius? quàm cùm *reverſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex utraque parte; & factas opere Dei*; præ ſe ferens magnanimum animum, quo de rebellibus vindictam ſumeret, *Mox enim ut petitione primâ, ne delerentur, culpæ veniam obtinuit, ad eundem populum veniens, ait, Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, ite & redite de porta uſque ad portam, per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Cecideruntque in die illo quaſi viginti tria millia hominum. Ecce qui vitam omnium etiam cum ſua morte petijt, paucorum vitam gladio extinxit. Intùs arſit ignibus amoris: foris accenſus eſt zelo ſeveritatis*, ait idem S. Gregorius. Habet patientiam, *Tanta fuit pietas, ut ſe pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta ſeveritas, ut eos quos Divinitùs feriri timuerat, ipſe iudicij gladio feriret. Sic amavit eos quibus præfuit, ut pro eis nec ſibi parceret: & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt quos amavit, ut eos etiam Domino parcente proſterneret*, dicit idem S. Gregorius. Nec deeſt illi perſeverantia, *Ille ſemel & iterùm pro populo, cui præerat, obicem ſe ad impetum Dei opponens, ait, Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, Dele me de libro tuo, quẽ ſcripſiſti*, effatur idem S. Gregorius. Sed unde in eo potentia ſic extraordinaria provenit? niſi quia Deus vilibus inſtrumentis utitur ad ſuam gloriam manifeſtandam. Hinc oſtendam vobis Primo Deum in omnibus operibus ſuis ad extrà quæ ſunt præter naturam, aut contra naturam, infirma ſemper inſumere inſtrumenta. Secundò, Eum in operibus ſupra naturam etiam res viliſſimas adhibere ad producendos maximos effectus.

x S. Greg. lib. 20. Mor. c. 8.

Diviſio

Hæc vocant Theologi præter naturam opera, quæ ſunt naturalia in ſemetipſis, ſed ratione temporis, occaſionum, circumſtantiarum, occurſuum, & modi ſunt præter naturam. Secundùm naturam eſt ire ex hac civitate N. in civitatem N. Hoc eſt naturale, iſtud quotidianâ nos comprobamus experientiâ. Sed ſicut accidit, quòd ubi *dixit Angelus Domini ad Habacuc, Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum; apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui*; hoc eſt præter naturam quantùm ad modum quo delatus eſt Propheta ab ipſo Angelo apprehendente capillum ejus. Quid infirmius capillo? & tamen utitur illo Deus ad operandum iſtud miraculum in gratiam Danielis expoſiti furori leonum, qui obliti naturalis ſuæ ferocitatis eum ſuo venerabantur modo, *Et ecce Daniel ſedens in medio leonum* y.

1. Pars.
y Dan. 14. 33. &c.

Naturale eſt hominibus habere fortitudinem. Sed quòd fortitudo conſiſtat in capillis, ut in Samſone dicente, *Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut cæteri hominum* z; iſtud eſt præter naturam, cùm ſit extraordinarium. Arma habent, quibus ſeſe defendant, gladios, & ſclopeta: Sed cùm *inventam maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, in eâ interfecit mille viros* a idem Samſon, quis unquam effectus audivit ſic prodigioſos? Hi ſunt præter naturam, & Deus his infirmiſſimis utitur rebus ad operandos magnos effectus, ut tota gloria attribuatur ipſi ut præcipuæ mirabilium iſtorum omnium Cauſæ. Punire vult ipſe Pharaonem propter ſævitiam quam adverſùs populum exercebat Tyrannus iſte Iſraëliticum; irritatur ipſe ob blaſphemiam impij iſtius Monarchæ dicentis, *Neſcio Dominum, & Iſrael*

z Iudic. 16. 17.
a Iudic. 15. 15.

non

Digitized by Google

non dimittam b. Hanc plectere vult Deus arrogantiam; punitionem ejus aggreditur. Sed quomodo? Paratne exercitus integros? cogitne militum milliones ut bellum indicat huic Regi ſuperbo, & de eo glorioſam victoriam reportet? Nequaquam. Hos univerſos deſpicit apparatus, *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus* c. Ideò ipſe nihil adhibet præter *ranas, ſciniphes, omne genus muſcarum* d, *& locuſtas* e, ut triumphet de ſuperbiâ hujus Principis. Et hæc animalcula, hæ beſtiolæ, quæ ſunt milites, quibus utitur Deus, duritiem ejus confringent, deditioni illum ſubjicient, illum ad arma deponenda inducent, & ad agnoſcendam culpam ſuam, dicendo, *Peccavi in Dominum Deum* f.

Quid infirmius lagenis? quid minus incutiens ſtuporis quàm lampades accenſæ? Tamen his infirmis rebus instructi cùm eſſent *Gedeon & trecenti viri cum eo ſtantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtilium, omnia caſtra turbata ſunt; & mutuâ ſe cæde truncabant* g. Quare? quia *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* h. Superbe, efferto te, quandiu tibi libuerit; tuam reprimet Deus ſuperbiam. Inſurge in omnes homines, ſi vis; tua eleva cornua ad Empyreum uſque, tuam retundet Deus vanitatem. At quomodo? Rebus infirmis, gutta aquæ in œſophagum ſuſcepta, tibi necem inferre poterit. Veſpaſiani, qui videmini velle ſecare montes, & ferrum conſumere more ſtruthionum, cavete vobis, veſtram Deus comprimet arrogantiam. Dominæ meæ, hæ carnes tenues, quas tantâ fovetis curâ, intra dies paucos è cauſa admirationis efficientur objectum horroris; & ij, qui vos ut ſuorum contemplantur idolum affectuum, brevî vos intuebuntur ut motivum odij ſui, cùm veſtram ſuſtinere non poterunt ampliùs præſentiam, quando *ſubter vos ſternetur tinea, & operimentum erunt vermes* i veſtrum. Lautæ parantur epulæ, diſponit ſe quis ut iis interſit præ magna ſatisfactione, ideòque dentes acuit, ut ibi ſuis ritè fungatur munus; & ecce exigua formatur arena in renibus iſtius, qui ad extremas deſperationis uſque redigitur anguſtias, ſi hæc arena ad ureteres deſcenderit. *Digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ*, hæc verba, *Mane, Thecel, Phares*, tremorem Baltaſſari incutiunt, ita ut Rex nullâ perfundi poſſit conſolatione inter omnes lætitiæ cauſas, *Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur* k. Quid egit hæc? Umbra. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Chiragra aut podagra efficit ut audaciſſimi quique morbo articulari laborantes, deditionem ſubeant; & tamen in eis unica eſt mali gutta; nihil intereſt, oportet ut deditioni ſubjiciantur. Fumo inflatur Nabuchodonoſor, ut Deus vult apparere, & veluti independens, dicendo more aliorum, *Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia* l. Et tamen faciet *una mulier Hebræa confuſionem in domo Nabuchodonoſor* m ipſiuſmet. Holofernes æquè impius ac Dominus ſuus, eum ut talem proclamans, *Ut ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt* n; *præcepit exercitibus ſuis, ut aſcenderent contra Bethuliam* o, quam ferro & igni vult tradere. Nihilominùs de ſuperbia ejus triumphabit Judith, cùm percutiens *bis in cervicem ejus, caput ejus* p abſcindet. *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia.* Meritò igitur dixi, Deum in operibus ad extrà, quæ ſunt præter naturam, vilibus uti inſtrumentis ad producendos magnos effectus, ſicut & in operibus contra naturam, & hoc probo.

b Exod. 5. 2.
c 1. Cor. 1. 25.
d Exod. 8. 5. &c.
e Exod. 10. 13.
f Exod. 10. 16.
g Iudic. 7. 19. &c.
h 1. Cor. 1. 27.
i Iſai. 14. 11.
k Dan. 5. 5. &c.
l Deut. 32. 27.
m Iudith 14. 16.
n Iudith 3. 13.
o Iudith 7. 1.
p Iudith 13. 10.

Proprium eſt agentibus ut operentur conformiter ad naturam ſuam. Quòd calefaciat ignis, non eſt mirum, hoc illi eſt naturale, agit ipſe ſecundùm ſuam potentiam, & virtutem, quam præbuit ipſi Deus. Sed quòd refrigeret, ſicut cùm *Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem; & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem* q, hoc eſt contra naturam ejus. Deus ſuſpendit effectum illius, nedum ipſe ſuam producat actionem. Quòd ut meliùs ardeat, fundenda ſit aqua *ſuper holocauſtum & ſuper ligna, etiam ſecundò, etiam tertiò* r, quaſi verò humor eſſet ultima ignis diſpoſitio, hoc eſt contra naturam ejus. Quòd Joanna Virgo Aurelianenſis confuſione operiat caſtra Anglorum, non eſt hoc naturale. Quòd *omni populo vociferante & clangentibus tubis, poſtquā in aures multitudinis vox ſonitusque increpuit, muri illico corruerunt; & aſcendit unuſquiſque per locum, qui contra ſe erat; ceperuntque civitatem, & interfecerunt omnia quæ erāt in ea* s civitate Jerichuntinâ; quid videtis ibi naturale? Nihil eſt in hoc niſi mirabile, omne ibi eſt contra naturam, Deus in hoc ſuam vult manifeſtare gloriam, & oſtendere ſe eſſe Omnipotentem, cùm in ſuis operationibus ab alio non pendeat, nedum concurſu agentium indigeat naturalium, quibus è contrà ſuum ipſe præbet, *Non enim in multitudine eſt virtus tua, Domine, neque in equorum viribus voluntas tua* t, ait ei Judith.

Eligit Deus Moyſen, *de aquâ eum* fert mediâ Nili, cujus fluctibus commiſſus fuerat à propria parente, quæ *expoſuit eum in carecto ripæ fluminis* u. Illum vult Deus conſtituere *Deum Pharaonis* x. Ideòque non tantùm ei Dei præbet titulum, ſed effectum. Poteſt creare Moyſes id, quod ad ſolum Deum ſpectat. Sed quomodonam operatur: Verbis, virgâ, *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Quid his infirmius? Tamen *cùm elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta* y. Hoc inſtrumento pariter inſtructus, *cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & urente totâ nocte, & vertit in ſiccum; diviſaque eſt aqua* z. Sic *Moyſes elevans virgam, percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus; quæ verſa eſt in ſanguinem* a; multaque alia operatus eſt mirabilia b. Ipſe eſt omnipotens, licèt virtus ejus pendeat à virtute Dei; agit ut ſupremus Dominus, Deus eſt *Pharaonis*; imò & videtur eſſe Deus ipſius Dei, qui ait ipſi *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Quaſi diceret Moyſi Deus, ut exponit Cornelius Cornelij c ex Chaldæo, *Dimitte me, id eſt, intermitte deprecationem, quæ ſcilicet mihi ligat manus.* Vel, ſecundùm Theodoretum d, *Hæc verba, Dimitte me, dixit, pro eo quod eſt, Cohibe me.* Operatur mirabilia Deus medio Moyſe, qui eſt inſtrumentum, quo ipſe utitur. Sed quid eo infirmius? Infantulus erat derelictus; *de aquâ* † ſublatus mediâ, & Deus illum ad hanc elevat potentiam quæ noſtras ſtupore percellit mentes. Suam complacet ipſe ſibi in rebus infirmis oſtendere fortitudinem.

Ha! Auditores, quid faceret? ſed quid non ageret, ſi ſuum adhiberet brachium, ſi ſuam inſumeret potentiam? *Ex ungue cognoſcitur Leo*, communi proloquio. *David adoleſcens* proſternit Goliath, turrim illam carneam, coloſſum eum prodigioſum, qui totum populum pudore ſuffundere præſumebat Iſraëliticum. Sed quomodo? Ictu fundæ, quâ projiciens lapidem, frontem ejus contudit. Elegerat *ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum,* miſerat,

q Dan. 3. 49. & 50.
r 3. Reg. 18. 34.
s Ioſue 6. 20.
t Iudith 9. 16.
u Exod. 2. 3. &c.
x Exod. 7. 1.
y Num. 20. 8. & 11.
z Exod. 14. 21.
a Exod. 7. 20.
b Exod. 8. 6. & ſeqq.
c Cornel. in Exod. 32. 10.
d Theodoret. q. 67. in Exod. 32. 10.
† Exod. 2. 10.

Digitized by Google

ſerat, & cuilibet lapidi inſculpſerat nomen Patriarcæ, aut Ducis caſtrorum Dei, Abrahæ, Iſaac, Jacob, Moyſis, & Joſue; & primo, qui ictum inflixit, inſculptum erat nomen Joſue, figura nominis Jeſu, *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum*. Ideſt, *Confidens de virtute Divinâ* ſubdit Lyranus. Tremore concutiebantur gemini exercitus, & paſtor iſte tractandis armis inidoneus, eſt intrepidus: *Et miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte: & infixus eſt lapis in fronte eius, percuſſumque Philiſthæum interfecit, præciditque caput eius* e proprio ipſius gladio, tantâ cumulans Iſraëlitas gloriâ, quantâ operiens Philiſthæos confuſione. Dico igitur præ veritate, Deum ſuam oſtendere omnipotentiam mediis rebus infirmis in operibus præter naturam, & contra naturam. Eam etiam manifeſtat in operibus quæ ſunt ſupra naturam, & hoc nobis ſupereſt examinandum.

e 1. Reg. 17. 40. &c.

II. Pars.

Admirabilem ſe Deus exhibuit intuendum in operibus præter naturam, formidabilem in iis quæ ſunt contra naturam, & amabilem in illis quæ ſunt ſupra naturam, quæque ſunt ea ad quæ non poteſt natura pervenire, quæ virtutem eius tranſgrediuntur, & limites potentiæ eius tranſiliunt, cujus generis eſt gratia, quæ eſt ſtatus altioris & elationis. Hæretici noſtri dicunt, hanc gratiam nihil aliud eſſe niſi pallium pellucidum & diaphanum, quo operiantur peccata noſtra. Sed ego ab eis æquo efflagitarem animo, Aut iſtud operimentum impedit ne Deus noſtra videat crimina, aut non. Si non impediat: Tenetur ex debito juſtitiæ de iis ulciſci ſe. Ha! quàm exigui faciunt hi Reformatores exiſtimati ſeu prætenſi gratiam, quæ eſt Divinæ eſſe participatio, *per quam Divinæ conſortes naturæ* f efficimur. Nihil excellentius, nihil magnificentius gratiâ, quæ conſtituit Angelos g, cum eâ deſtituti, efficiantur illico dæmones h. Ipſa efficit Sanctos, ipſa eſt ornamentum, & omnis decor animarum noſtrarum, quas Sponſas efficit Chriſti dicentis ipſarum ſingulis, *Sponſabo te mihi in fide: & ſcies, quia ego Dominus* i. Et filias reddit Dei, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* k. Per illam, diligimur *à Patre* l cœleſti, & ad illius aſpiramus hæreditatem: *Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti* m. Ipſa eſt quæ diſtinctionem conſtituit inter filios tenebrarum & filios lucis, inter Electos & reprobos, quæque efficit ut ſuas veluti cognoſcat eos ut *Paſtor bonus* n oves, qui glorioſo illius ſunt inſigniti charactêre. Nihil igitur excellentius hâc Divina qualitate animabus noſtris inhærente. Et tamen ſi illam creare velit Deus, eamq; alicui infundere ſubjecto, humillimum ſemper inquirit, depreſſiſſimum, & maximè à faſtu & à vanitate alienum, *Super quem (inquit) requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum* o?

f 2. Petr. 1. 4.
g Gen. 1. 5.
h Iſai 14. 12. &c.
i Oſee 2. 20.
k Ioan. 1. 12.
l Ioan 20. 21.
m Rom. 8. 17.
n Ioan. 10. 14.
o S. Bern. hom. ſup. Miſſus eſt ex Iſai. 66. 2.

Quid depreſſius, quid minùs apparens, quid humilius nihilo? Tamen ex eo educit Deus id, quod eſt maximum in cœlo, & auguſtiſſimum in terra. Intuetur ipſe nihilum Virginis ſanctiſſimæ, ut ex eo faciat opus perfectiſſimum & magnificentiſſimum potentiæ ſuæ, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* p, ſeu, juxta verſionem, *nihilitatem*. Ex nihilo humilitatis maxima ſua eruit mirabilia, gratiam, quæ eſt ipſius filia primogenita q, in ſubjectis collocat humillimis, *Deus humilibus dat gratiam* r. In arcis viliſſimis apparenter & præ oculis mundi ſuos collocat theſauros; & ſubjecta humillima & maximè vanitate vacua, divitiis illius ſunt ſemper repleta. Quàm ſpecioſum eſt igitur contemplari animam ditatam hac Divina qualitate! Nihil habet huic æquale cœlum toto ſuo ſplendore circundatum; nec ad illam approximat natura cum toto decôre, quem præ ſe fert. Fulgor animæ, radii quos ipſa vibrat in gratia conſtituta, omnia firmamenti lumina caligine poſſunt offundere; omnes pulchritudines decôri illius comparatæ, non ſunt niſi deformitates. Nihil videmus ſpecioſæ formæ ejus, quia ſplendorem illius ſuſtinere non poſſumus, nec præ nobis ſatis ferimus meriti ut illius decôrem intueri valeamus. S. Catharina Senenſis ex ecſtaſi ſua reverſa, adhuc ſemielevata exclamabat, Non miror quòd Jeſus mortuus ſit s, paſſus ſit frigus t, ſudorem u, nuditatem x, & traditus *Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum* y; ſed ſtupore ſum percita quòd plura non ſuſtinuerit, nec totum pavimentum Jeroſolymorum ſuis lachrymis rigaverit, ut lucraretur animam capacem gloriæ ſuæ, & conciliandi ſibi majora merita, & conſequenter majorem gloriam in cœlo, quàm poſſideant Angeli, atque ſe æquiparandi Seraphinis præ ardore. Dicebatque hæc ſancta Virgo Confeſſario ſuo S. Raymundo, quòd ſi ipſe vidiſſet animam in gratia conſtitutam, in ſtuporem fuiſſet ipſe raptus intuitu decôris illius. Et tamen totam eruit Deus magnitudinem ſuam è nihilo humilitatis ejus, inſumens res viliſſimas quaſque ad producendos magnos effectus.

p Luc. 1. 48.
q Pſ. 83. 10.
r Iacob. 4. 6. & 1 Petr. 5. 5.
s Ioan. 19. 10.
t Luc. 2.
u Ioan. 4. 6.
x Ioan. 19. 18.
y Matth. 20. 19.

Nunquid non reverâ foret quid ſtupendum? ſi diceretur quod imago Henrici IV. aut Ludovici XIII fœlicis memoriæ, majorem cauſaret exercitibus terrorem, quàm incuſſerit unquam iſte, vel ille, cùm in propria perſona ipſis interfuit caſtris. Miraculum ſanè foret, & res omnino ſupernaturalis, ſi alter ex illis maiori percelleret hoſtes terrore, eoſque ad fugam capeſſendam canendo receptui obſtringeret mortuus, quàm dum adhuc viveret, etiamſi ab illis uterque formidaretur ut filius Martis, & Regum generoſiſſimus. Ecce, hoc miraculum apparet in perſona Chriſti, non habemus unde ambigamus ampliùs de hac veritate. Quia eo ipſo quo viliſſimus æſtimatur, crucis patibulo ſuffixus, effectus objectũ omnium rigorum & improperiorum, extremum jam vitæ efflaturus halitum, in hoc miſerando conſtitutus ſtatu, deriſus & derelictus ab omnibus, totum mundum pavore concutit, *Obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* z; *& terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt* a. Ad infernum uſque pergit, ut Regnum illud confuſionis deſolet, & Principes ejus conturbet, ut exponit Origenes b in hæc verba, *Tunc conturbati ſunt Principes Edom.* Gaudet cœlum de trophæis ejus, & mundus exultat de ſua redemptione.

z Luc. 23. 45.
a Matth. 27. 51. &c.
b Orig. Hom. 6. in Exod. 15. 15.

Si Eccleſiæ ſuæ vult conſtituere Monarchiam, & prima projicere Religionis ſuæ fundamenta, quid videtis ibi humanum? Totum eſt ibi mirabile, & vix *cùm factus eſſet annorum duodecim* c, incipit palàm teſtari, quòd *in hoc apparuit Filius Dei ut diſſolvat opera diaboli* d; *id eſt*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus e, *vitia tollat, ab operibus tenebrarũ homines revocet, tentamenta diaboli auferat, peccatores ſecundùm quòd tales diſſipet, id eſt, ſalubriter deſtruat, extinguendo in eis culpam, non naturam: ut iam de cætero non ſint tales, quales extiterunt.* Et conſequenter quòd carne noſtrâ indutus eſt, ut eriperet Regnum Patris ſui è violentiâ tyrannorum & injuſtorum uſurpatorum, cùm utitur rebus viliſſimis & depreſſiſſimis ad impertiendum conſiliis ſuis fœlicem exitum. Si ſuam Legem publicet, ſi eam velit ſtabilire, non adhibet poteſtates, non inſumit theſauros, exercitus non parat infinitos, quibus mediis

c Luc. 2. 42. &c.
d 1. Ioan. 3. 8.
e Dion. Carth. art. 4. in 1. Ioan. 3. 8.

diis inſurgat in Imperium potens, florens, & formidabile, quod totam terram ſuæ ſubjecerat ditioni; nullos habet redditus niſi paupertatem. Non habet milites innumeros ſtipendio conductos, ſed ut conſiliis ſuis faveat, *elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominavit* f, viros rudes, in rebus maritimis occupatos, deſtitutos viribus, induſtriâ, & armis. Facundos non coacervat Oratores qui peritiâ ſuâ æquè ac eloquentiâ & lenociniis ſuavium verborum demulceant populos; ſed homines ignaros & imperitos qui pergunt prædicatum Crucem, pervenientes ad honores per ignominiam, ad magnitudinem per ſupplicia maximè infamia, ad immortalitatem per interitus ſanguinolentos, *Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus* g. Deus ad ſtabiliendam gloriam ſuam noluit adhibere peritos & facundos homines, neque Principes; ſed *elegit* ſtultos, ignaros, & infirmos ad confundendam totius orbis malitiam.

f Luc. 6. 13. &c.

g 1. Cor. 1. 25. &c.

Humano non procedit Jeſus more ad cuſtodiendum Regni ſui ſtatum Politicum; Senſuum nequaquam pollicetur delicias externorum adimplendas; ad ſuas neminem attrahit partes, promittendo ei honores, gradus, & dignitates; ſolas proponit tolerantias, pœnas, & torturas, à quibus declinant ſenſus non ſecus ac à morte, *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini* h. Et tamen Eccleſia ejus creſcit ſub turbinibus, medias inter perſecutiones, & lanienas aliquorum ſæculorum, per quæ, nulla fuit machina quam non commoverit infernus, nullum fuit tormentum quod diabolus non fuerit commentus, nec ullum de novo inventum ſupplicium quod executione tradendum non ſategerint Magnates orbis unanimiter in ruinam Chriſtianorum conſpirantes, *Quis eſt enim exitus perſecutionis, quis effectus alius, niſi probatio & reprobatio fidei, quâ ſuos utique Dominus examinavit?* ait Tertullianus i. Eccleſia manſit inconcuſſa ſæviente tempeſtate ſanguineâ trium ſæculorum aut circiter, medias inter contradictiones innumerarum ſectarum; crudelitas Tyrannorum fuit veluti lenocinium fidelibus, & effuſus tot Martyrum ſanguis, poſteritatis propagandæ principium fuit. Hæc Eccleſia mediis armis opprobriorum, paupertatis, contemptus, auſteritatis, & tormentorum, mutavit ſtatum & faciem mundi; Crucem plantavit in clariſſima totius Imperij Romani civitate ſuper aquilis fulminantibus Imperatorum, & cineres deſpecti piſcatoris occiſi in contemptum Chriſtianæ Legis, ſuper diademate Regum; & Roma, in quam omnes Monarchiæ confluxerant, eique veluti concorporeæ quaſi quâdam liquefactione effectæ fuerant; in quam omnes ſe dæmones receperant veluti in arcem munitiſſimam, æquè ac edicta ſanguinolenta adversùs Chriſtianos lata; in qua acuebatur ferrum perſecutionis ad metenda eorum capita; ubi erat Pantheon officina univerſorum numinum falſorum, eſt modò hæc famoſiſſima Roma, ſedes ſummi Chriſtianorum Pontificis; & Eccleſia Petri piſcatoris eſt multò magnificentior quàm fuerit unquam ipſum Pantheon vetus.

h Ioan. 16. 20.

i Tert. lib. de Fugâ in perſec. c. 1.

Nunquid non ſunt hæc opera præ ſe ſtuporem ferentia, miraculoſa, ſupra naturam, & penitus Divina? Devicerunt Apoſtoli mediâ ſuâ infirmitate, de mundo inſignem ut ſic retulerunt triumphum, & illius Principes ſua in terram projiciunt ſceptra & diademata, ut ex iis conficiant ſcabellum, cujus interventu meliùs perveniant ad Crucem. Unde autem oriuntur hæc omnia prodigia? Niſi è Deo, qui rebus utitur viliſſimis ut maximos operetur effectus, & totam gloriam ſuam eruat ex ipſius humilitatis nihilo. S. Joannes Apoſtolorum natu minimus, ſed omnium illuminatiſſimus, ſic ſublimiter de Divinitate ſcripſit k, ut, ſi altiùs tantiſper aſcendiſſet, nec ab Angelis intellectus fuiſſet, ut dicitur; & tamen piſcator erat, ſicut & aliqui è Coapoſtolis ſuis †, qui projiciendis retibus, & naviculis dirigendis incumbere ſoliti erant, & ſic viri erant rudes & imperiti, & tamen ipſum & cæteros ad ſic excelſa & glorioſa evexit Deus obeunda munia.

k Ioan. 1. 1. &c.

† Matth. 4. 18. &c.

Dicamus igitur, quòd Deus, prout excellentiſſimus Artifex, ſuam meliùs magnificat peritiam atque potentiam ſuper ſubjectis minùs diſpoſitis: *Quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius* l. Conſuluerunt aliàs Romani Oraculum, ut ſcirent quandiu duraturum eſſet templum Pacis. Reſpondit Oraculum, illud nullum ſortiturum finem donec Virgo conceptura eſſet ac paritura. Exiſtimaverunt illico illud impoſſibile, & idcircò crediderunt Romani, nunquam periturum illud templum. Nihilominùs Virginem agnoſcimus Virginem & Matrem, & Dei Genitricem; & hoc myſterium ſic eſt ingens, ut magnitudo ejus huic pariat admirationem Virgini, quæ complendo ei cooperari debebat, & inducit ipſam ad dicendum præ ſtupore, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco* m.

l 1. Cor. 1. 26. &c.

m Luc. 1. 34. &c.

Effectus eſt ſupernaturalis & maximus omnium ac incarnatio Verbi, & ad operandum eum, Deus ab hac Virgine unicum exigit *Fiat* n. Quid hoc minus? Quid iſto infirmius? In ſtuporem me rapiunt Sacramenta noſtra, quæ gratiam producunt, cùm Deus ea elevet per virtutem obedientialem ad hos effectus ſupernaturales. Et tamen quid depreſſius & debilius illius quoad ipſorum formam æquè ac materiam? Forma eſt ferè tota ſita in verbis. Materia Baptiſmi, eſt aqua o; Extremæ Unctionis, oleum p; Ordinis, impoſitio manuū q; Matrimonij remota, corpora; proxima, & forma, conſenſus partium r; Pœnitentiæ, peccata s; Euchariſtiæ, panis & vinum, præ his quatuor verbis quæ formam faciunt Sacramenti, *Hoc eſt Corpus meum; Hic eſt ſanguis meus* t. Et Confirmationis, chriſma u. Nunquid non res eſt prorſus mirabilis, quòd Deus utatur his rebus infirmis ad producendos tantos effectus? Crimina punire vult ipſemet Deus Apoſtatæ, vindictam vult referre de inſolentia impij Imperatoris Juliani, impetit illum vulnere miraculosè inflicto, quo ſauciatus ſceleſtus iſte Tyrannus, ſanguinem inde erumpentem manu collectum ſurſum projiciens præ deſperatione contra cælum, extremum jam jam efflaturus vitæ halitum, exclamat, *Viciſti Galilæe*, refert Theodoritus x.

n Luc. 1. 38.

o Ioan. 3. 5.

p Iacob. 5. 14.

q Ioan. 20. 22. & 23.

r Epheſ. 5. 31. & 32.

s Luc. 13. 3.

t Matth. 26. 26. & 28.

u Act. 8. 17.

x Theodorit. lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 18.

Quòd ſi Deus, Auditores, non utitur modò niſi rebus depreſſis & infirmis, ut nos in extremas redigat anguſtias, & nos immodicis percellat terroribus, ut tremefecit Regem Baltaſſar, dum *apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum*

in ſuperficie parietis aulæ Regiæ : & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis y: Ha! quid faciet? ſed quid non actutus eſt *cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſuâ* z pronunciatum decretum mortis contra peccatores inſanos? Non inſumet ampliùs alienum miniſterium, non ampliùs *armabit creaturam ad ultionem inimicorum* a. Sed ipſe immediatè aget, ſuccendetur ejus *ignis in furore, & ardebit uſque ad inferni noviſſima, ſagittas ſanguine* b inebrians ſuas, totum furorem ſuum in eos vibrans. Ha! iraſcine vis Domine adverſùs hominem? Quænam res eſt ille? Nihil eſt infirmius, fragilius, & inconſtantius homine, rux non erit gloriæ proficuum ac in eum inſurgere. Et tamen *contra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris* c? Heu! peccator, id peragit Deus. Et ſicut potentiam ſuam manifeſtavit per voces; ſic tunc exhibebit magnitudinem iræ ſuæ mediis vocibus quæ audaciſſimos quoſlibet horrendis & lethiferis percellent terroribus & tremoribus, *A voce tonitrui tui formidabunt* d. Tunc loquetur, & verba ejus erunt tot fulmina. Heu! morior, & illorum ſuſtinere non poſſum ſtrepitum, qui totum facturus eſt infernum, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum* e.

y Dan. 5. 5 & 6.
z Matth. 25. 31. &c.
a Sap. 5. 18
b Deut 32. 22. & 42.
c Iob 13. 25.
d Pſ. 103. 7.
e Matth. 25. 41.

Ha! quis tremore non concutiatur, horribilem hanc audiens vocem? Suos pariunt fœtus cervæ audientes ſtrepitum tonitrui. Concipiamus ſalutaria conſilia & efficacia emendatioris vitæ, ut *à voce tonitrui* Dei, eundem Dominum formidantes, dicere poſſimus ei cum Iſaia f, *A facie tuâ, Domine, concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*. Et cùm Deus producat res maximas medijs viliſſimis, ne aggrediamur eum unquam per fortitudinem, ſed ſemper per infirmitatem, & proculdubio illum ſuperabimus, & adverſus eum prævalebimus. Sanctiſſima Virgo præ humilitate ſuâ efficit ut *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* g, illinc deſcendat, *Exivi à Patre, & veni in mundum* h, ut in ſuis humanam carnem ſumat viſceribus, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* i. Iacob luctans cum Angelo, ſuperat eum, *Invaluit ad Angelum* k, *id eſt, prævaluit Angelo, vel contra Angelum*, exponit Cornelius l. Sed quomodo? Præ humilitate, *Flevit, & rogavit eum* m, *puta Angelum Iacob*, ait idem Cornelius. Humiliemus nos coram Deo per humilitatem quæ producat in nobis gratiam in hoc mundo. Gratia eſt ultima diſpoſitio ad conſequendam gloriam in altero ſeculo.

f Iſai. 26. 17. & 18.
g Ioan. 1. 18.
h Ioan. 16 28.
i Luc. 1. 48.
k Oſee 12 4.
l Cornel. in Oſee 12. 4.
m Oſee 12 4.

FERIA IV.

POST DOMINICAM III. ADVENTVS.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicent, Vade, deſcende : peccavit populus tuus. Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum, Peccaſtis peccatum maximum. Exod. 32. 7. &c.

ARchimedes ita ſuis refertur fuiſſe abſorptus Mathematicis demonſtrationibus in obſidione Syracuſanâ, ut nihil eorum, quæ peragerentur, audiret; & cùm eſſet ſolus in loco excelſo conſtitutus, permiſit potiùs inferendam ſibi mortem, quàm ut loqueretur. Eo non ſegerit profectò Moyſes modo, nam poſtquàm *ingreſſus medium nebulæ, aſcendit in montem; & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* a; ubi audit Dominum dicentem ſibi, *Vade, deſcende : peccavit populus tuus*, ſuum ſilentium infringit, ut populi ſibi commiſſi ſalutem peragere contendat. *Nam & ipſe Moyſes, poſt diuturnam cum Domino habitationem, propter populi inſtructionem iubetur deſcendere, cui per paſtoralem præerat ſolicitudinem. Ibi ſupra ſe in ſpiritu rapiebatur, hic magno tædio propter eos vexabatur. Ibi Devotus & quietus erat, hic mitis eſſe ſtudebat*, ait à Kempis b, ut populum qui vitulum adoraverat aureum, ſuaviter corrigeret. Statim ac ipſe audivit adductam in periculum populi ſui ſalutem, ſuam deſerit ſolitudinem; bonum publicum inducit ipſum ad deſerendas ſpirituales, quibus in monte ubertim perfundebatur, delectationes; *Devotio apud Deum eum tenebat, periculum populi redire ad externa cogebat. Aſcendit per contemplationem, deſcendit iterum per compaſſionem. Charitas Dei ſurſum trahebat, charitas proximi deorſum revocabat*, dixit idem à Kempis, & ad loquendam eum invitabat; ſicut & ejuſdem amor proximi ad infringendum ſilentium induxit Sanctiſſimam Virginem in conclavi ſuo incluſam, ubi ſcivit, de ſalute humanæ naturæ conclamatum penitus, niſi Verbum Divinum veniret *quærere, & ſalvum facere quod perierat* †, & incarnaret ſe propter hunc eminentem finem in ſacris ſuis viſceribus, & ſi propterea ipſa non loqueretur Angelo, ſuum myſterio Incarnationis peragendæ in ſe, præbitura conſenſum, hæc verba, *Ecce ancilla Domini : fiat mihi ſecundùm verbum tuum* c, paulò pòſt ac dixit ipſi idem Angelus, *Ave Maria*.

a Exod. 34. 18.
b à Kempis part. 2 ſom. 1. Meditat. 15.
† Luc. 19 10.
c Luc. 1. 38. & 28.

S. Thomas d ait, *Quòd duplex eſt correctio. Vna quidem, quæ eſt actus charitatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per ſimplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, ſive ſit ſubditus, ſive Prælatus. Eſt autem alia correctio, quæ eſt actus iuſtitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non ſolum procuratur per admonitionem fratris, ſed etiam interdum per punitionem, ut alij à peccato timentes deſiſtant. Et talis correctio pertinet ad ſolos Prælatos, qui non ſolùm habent admonerere, ſed etiam corrigere puniendo.* Vtramque hanc exercuit Moyſes correctionem adverſùs populum Iſraëlitum. Poſteriorem iſtam correctionem, quæ ad juſtitiam pertinet, in praxim redegit, cùm juſto accenſus zelo his diebus proximè elapſis contra rebelles æquè ac ſacrilegos Iſraëlitas, qui vitulo aureo ſupremas exhibuerant adorationes, *Stans in portâ caſtrorum, ait, Si quis eſt Domini, iungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filij Levi, quibus ait, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Ponat vir gladium ſuper femur ſuum : ite :*

d S. Thom 2. 2. q. 33. a. 3. in concl.

& redi-

& redite de portâ uſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filii Levi juxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ quaſi viginti tria millia hominum. Priorem verò correctionem, quæ eſt actus charitatis, exercet hodiernâ die, cùm poſt editam hujuſmodi ſtragem *facto altero die, locutus eſt ad populum, Peccaſtis peccatum maximum.* Hæc autem correctio charitatis omnes indiſcriminatim obligat homines, ait idem S. Thomas e, *Correctio fraterna, quæ eſt actus charitatis, pertinet ad unumquemque reſpectu cujuſlibet perſonæ, ad quam charitatem debet habere, ſi in eâ aliquid corrigibile inveniatur.* Et ſtatim ſubdit illius rationem. *Actus enim ex aliquo habitu, vel potentiâ procedens, ſe extendit ad omnia, quæ continentur ſub objecto illius potentiæ, vel habitus, ſicut viſio ad omnia, quæ continentur ſub objecto viſus.* Sic actus charitatis extendendus eſt ad id omne quod correctione indiget: Omnes homines defectibus ſunt obnoxij perpetrandis: Debent igitur omnes corrigi: Et ſic unuſquiſque tenetur impendere correctionem præ principio charitatis; imò verò eam exercere debet filius in gratiam patris ſui. Et ſi *Philiſthiim percuſſerunt Jonathan* f filium Saül, eumque occiderunt, ideò (ſaltem ut aliqui opinantur) quòd patrem ſuum non corripuiſſet, cùm quærendam præcepit *mulierem habentem pythonem* g, & inventam conſulvit, quòd Deum ad iracundiam concitavit.

e Idem Ibid. a. 4. in concl.

f 1. Reg. 31. 2. &c.

g 1. Reg. 28. 7. &c.

Semper corrigi debet peccatum. Peccatum autem vel eſt contra Deum, & ſic debemus illud corripere; Vos enim & ego tenemur eum diligere, *Diliges Dominum Deum tuum.* Nec pati debemus ut offendatur. Vel eſt contra proximum; & idem præceptum quod jubet nobis ut amemus Deum, inducit nos expreſsè ad amandum pariter proximum, *Diliges proximum tuum tanquam teipſum* h. Cùm amor proximi nihil habere debeat inferius amore quo noſmetipſos proſequimur. Si verò talis impenderetur correctio charitativa, tot linguæ detrahentes, tot ora infernalia, honorem ejus non diſcinderent, bonæ famæ illius impudenter non inquinarent decus ac ſplendorem. Et hujuſmodi permittit quis detractiones perpetrari, quia non habet charitatem, quâ corrigat eos qui in hujuſmodi impinguntur detractionis exceſſus. Peccatum poteſt etiam admitti contra noſmetipſos, & illud debemus corripere conformiter ad illud Evangelicum i monitum, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Si enim taceamus, alieni participes efficimur peccati, & ſilentium noſtrum, non poteſt eſſe niſi criminoſum, & delictum noſtrum alieno pejus, ut docet S. Auguſtinus k, *Si neglexeris, pejor es; pejor es tacendo, quàm ille conviciando.* Iſtius nò eſt conſcius, Moyſes criminis, intuitus quòd Deo injuria fuiſſet illata ab Iſraëlitis ob adoratum ab eis vitulum aureum, ſed eos è contrà corripit. Sed ſicut correctio ſimilis eſt ſpecioſo flori, qui, ſi comprimatur, ſuum ſtatim amittit decôrem; ſic in agendâ correctione procedit Moyſes ſuaviter, *Peccaſtis peccatum maximum.* Quod inducit me ut oſtendam vobis Primò, Correctionem fieri debere præ ſuavitate, ut ritè peragatur. Secundo, Inquirendum eſſe tempus & locum ei exercendæ idoneum & opportunum.

h Marc. 12. 30. & 31.

i Matth. 18. 15.

k S. Aug. de Verb. Dom. ſerm. 16. c. 4.

Diviſio

I. Pars.

Correctio eſt expreſſio charitatis & juſtitiæ. Si in eâ ſit magis unius, quàm alterius, omnia depravantur. Si in illâ deprehendatur magis rigoris & juſtitiæ, quàm ſuavitatis & miſericordiæ, deſperatio eſt. Cor nunquam conciliatur niſi amore, violentia nihil poteſt adverſùs illud, & idem ſanè eſt oleum in ignem injicere, ac uti rigore contra ipſum. Flos eſt correctio (ut dixi:) corrumpitur, ſi nimis comprimitur; & omnis decor ejus ipſi abripitur, niſi ſuaviter pertractetur. Si adeuntes Judicem, aut Magiſtratum, diceremus ei præ irâ, Scio ritè, Domine mi, te ſolius intuitu agere lucri, quod eſt unicus vigiliarum tuarum ſcopus: quòd promoves lites Partium, aut illas retardas, juxta notitiam quæſtûs, judicando *quæ non oportet, turpis lucri gratiâ* l. Mercenarius es, nec aliud inquiris niſi tuam implere crumenam, evacuando alienam. Heu! Statim perit ille nobis, non eſt rectæ conſonus rationi noſter agendi modus, qui eum magis exacerbat, nec aliquid erga eum proficimus. Si verò è contrà accedamus ad eum inſtruendum *in ſpiritu lenitatis* m, dicentes, Vereor, Domine (ignoſce mihi, obſecro) ne exactè meas non examinaveris copias ſacculares & inſtrumentarias, malè procul dubio informatus fuiſti, ſic es *ingenioſus, ſortitus animam bonam* n, ut profectò redditurus ſis mihi juſtitiam, ut amator juris & æquitatis: Lis nobis eſt acquiſita, auferimus ab eo cor, quod non conciliatur niſi ſuavitate; *Corripe*, id eſt, *cor rape.*

l Tit. 1. 11.

m Galat. 6. 1.

n Sap. 8. 19.

Tria inveniuntur cordium genera. Aliud eſt lapideum, aliud cereum, & aliud carneum; & hæc tria corda ſuavitate conciliantur. Primum, eſt cor lapideum, quale erat cor Pharaonis, *Induratum eſt cor Pharaonis* o non minùs ac marmor. Populus Iſraëliticus in deſerto habebat cor lapideum, ut exprobrabat Moyſi Deus, *Cerno quod populus iſte, duræ cervicis ſit* p. Heu quantâ erga eum uti debuit Moyſes manſuetudine! *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* q. Quod ſi quoties populus ille deliquiſſet, virgam manu arripuiſſet Moyſes, cor illud lapideum diſciſſum fuiſſet in fruſtra, nedum flexum, erat enim inflexibile. Aliquando *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens; Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas* r. Quid? cogitabat Moyſes, quòd alloquar ego lapidem inſenſibilem? quòd dirigam ego vocem meam ad rupem ſiccam & ſterilem? Quomodo illud? Lapis iſte audirene poterit verbum meum ut ſtatim fundat ille aquam plurimam? ut quid? vox mea, quæ eſt infirma, poteritne emollire duritiem hujus lapidis, ut aquam exhibeat deſideratam? Non videtur hoc poſſibile. Ideò imaginatur majorem efficaciam habituram virgam ſuam, dicens intra ſe, Ecce virga, quâ tot operatus ſum in Ægypto mirabilia s, quâ *diviſa eſt aqua* t maris rubri; congruentius eſt ut hunc lapidem virgâ percutiam, quàm illum alloquar; poterit hæc iſtud æquè patrare miraculum ac alia peregit non minora, *Cùmque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron, Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Sed quid? Deus meus, tantumne commiſit Moyſes delictum, percutiendo petram virgâ ſuâ, ſciens apprimè virtutem illius non proceſſiſſe à ſe, ſed à te qui illam ipſi præbuiſſes? Cur igitur ſic iraſceris? Eſtne crimen hoc ſic enorme, ut propter illud tanto plecti mereatur ſupplicio, ac non ingredi terram promiſſam? Ha! Auditores, non intuetur Deus tam actionem, quàm illius circumſtantiam. Vultiſne corrigere proximum veſtrum, corripere eum, id eſt, cor rapere ei?

o Exod. 8. 19.

p Exod. 32. 9.

q Num. 12. 3.

r Num. 20. 7. &c.

s Exod. c. 7. & ſeqq.

t Exod. 14. 21.

Loquimini ad petram. Cor eſt lapideum, & ideò ſuaviter ipſum alloqui debetis, Domine mi, cave tibi, non ædificat tuus procedendi modus homines, qui inde ſcandali anſam arripiunt, non deſinis quin ſis vir probus, his incumbis incogitanter actionibus, non verò præ malina, *Lucratus eris fratrum tuum* u. Si verò è contrà virgam arripiatis rigoris, ſi utamini minis, Ha! irritatis ipſum, percuſſum cor iſtud lapideum non dabit niſi ignem, cùm ſola ſuavitas ipſum emolliat, *Reſponſio mollis frangit iram* x, *& lingua mollis confringet duritiam* y.

u Matth. 18.17.

x Prov. 15. 1.

y Prov. 25. [illegible]

Secundum cor eſt cor cereum, quale erat cor David, *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens* z. Videte quomodo liquefiat ſuavitate parabolæ quâ *Nathan cùm veniſſet ad eum* a, intravit veluti in cor ejus, cùm à Domino *miſſus eſt accuſatoris decoram induens perſonam*, ait Theodoretus b. Qui poſt ſuavem correctionem David à Nathan inpenſam, ſubjungit, *Hæc verba cùm audiſſet David, non agrè tulit ut qui argueretur ab homine. Noverat enim eum qui per ipſum loquebatur, ſed clamavit, Peccavi Domino. Sed ſtatim Propheta peccati acceptâ confeſſione, Dei fretus clementiâ, ſubiunxit. Et Deus abſtulit peccatum tuum; non morieris.* Sic Davidem ſui pœnituit criminis, ut lachrymis ſuis illud laverit, & idem ſtratum quod criminis ipſius veluti conſcium fuit, ſuis fletibus immerſerit, *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum* c, *natare faciam*, vertit Genebrardi d commentarius. Ita ut idem lectus e, pœnitentiæ ipſius quaſi teſtis extiterit. Quid ita ſibi conciliavit animum Regis hujus, niſi dulcedo Prophetæ, qui eripuit ei cor ſuavitate ſuæ correctionis? *Corripe*, id eſt, *cor rape*, rapiendum eſt cor. *Et vos Patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplinâ & correptione Domini* f præ dulcedine. Flexibilia ſunt eorum corda, & ſi ſuavitate pertractentur, exigetis ab eis quidquid volueritis. Superiores, *vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis* g corda cerea; nolite adhibere rigorem, qui animos exacerbat; & ne imitemini illos Philoſophos Cynicos qui zelo non ducebantur niſi ut propriis ſatisfacerent paſſionibus, quique nihil corripiebant in alijs, niſi id quod ipſorum non conveniebat affectibus. Hæ violentiæ ſunt damnabiles, & omnes hæ correctiones ſunt criminoſæ, quippe quæ charitate deſtitutæ. Oportet ut præ nobis feramus manſuetudinem in exercendis correctionibus noſtris, ne præ linguæ prurigine labamur in eundem defectum, quem corrigere volumus in aliis, & ne volentes mederi alicui malo, imprudentiâ noſtrâ illud magis aggravemus. *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*, ſubjungit S. Paulus Inſumenda eſt dulcedo ad concilianda hæc corda cerea. Sic videmus quòd ſtatuæ aut figuræ ex iſtâ materiâ confectæ cereâ, leviter pertractantur, ut concinnentur, aut reficiantur; ideòque admoventur ad ignem, ut flexibiliores efficiantur: Ita admovendus eſt frater noſter ad ignem Divinæ charitatis, ad hanc fornacem amoris; pertractandus eſt præ charitate & manſuetudine, & tunc *lucratus eris fratrem tuum* †.

z Pſ. 21. 15.

a 2. Reg. 12. 1. &c.

b Theodoret. q. 25. in lib. 4. Reg. 12. 1. &c.

c Pſ. 6. 7.

d apud Genebr. in Pſ. 6. 7.

e 4. Reg. 23. 4.

f Epheſ. 6. 4.

g Galat. 6. 1.

† Matth. 18. 15.

Tertium cor eſt cor carneum, *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum* h. Ad conciliandum autem iſtud cor requiritur etiam ſuavitas, & aliquando tantiſper acritudinis. Acor ipſis eſt condimentis conſonus, & appetitum acuit; ſolus non convenit, ſed dulcedine permiſtus, eſt valdè accommodus. Hoc exercita modo correctio, omnia poteſt, rapit illa cor. Nolite autem timere, ne importuni videamini affectui illius, quem corrigitis, improperandu ei actionem, è qua fortaſſis ſibi laudem ipſe aſciſcere cogitabat; conſcientia enim illius citò è veſtris ſtabit partibus, & monitis veſtris huic teſtimonio interiori unitis, inde judiciū ferens in gratiam virtutis. Efficientes ut ſuam agnoſcat ille culpam, ſatisfacietis vos muniis naturæ, quæ ſingulis præbet inſtinctum animalibus edendi clamores, quibus ſimilia ſibi moneant ad occurſum alicujus periculi: Graviſſimo perfungemini rationis officio, quæ præſcribere debet potiùs ordinem moribus, quàm materiæ, & reformare hoc nobile ſubjectum ſuper eadem principia, arte Divinâ: Suavi adimpletis modo id omne, quod Reſpublica ſuorum intendit agere authoritate Principum & Magiſtratuum ſuorum, & Legum ſuarum, hoc magno ſplendore armorum, & juſtitiæ: Satagitis ut Eccleſia militans non vincatur, nec inhonoretur ſuorum puſillanimitate militum: Organum vos eſtis Beatorum, qui gaudent videndo conſilia ſua ore veſtro exercita, cùm laboretis juxta deſideria ipſorum, cùm ſenſibilia veſtra monita ſecretis Angelorum inſpirationibus efficaciam præbeant, & quantùm ad curam, quam pro animarum ſalute ſuſcipitis, videntur illi non ampliùs eatum niſi tutores honorarij, *Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* i. Agitis tandem ſecundùm conſilia æterna Divinæ Providentiæ quoad converſionem hominum. In hoc conatibus favetis Verbi Incarnati: Nova affertis lumina: Pacem Evangelizatis, ſicut illud eam annunciavit in Nativitate ſua k: Triumphatis de morte, de peccato, & de inferno, ſicut de his triumphavit ipſum Paſſione ſua l: Hanc animam ad ſuſcipiendam gratiam diſponitis: Illam è ſervitute eripitis. Et licèt hæc bona officia ſuum non ſortiantur finem niſi ex infinitis Chriſti meritis, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* m: Hoc non impedit quin hæc anima vobis ſit multùm obſtricta, eò quòd hæc merita infinita ipſi applicaveritis, ita ut ipſius creatores aliquo modo effecti fueritis, & liberatores.

h Ezech. 36. 26.

i Luc. 15. 7. & 10.

k Luc. 2. 14.

l Oſee 13. 14. & 1. Cor. 15. 55.

m Apoc. 1. 5.

Jure igitur merito præcipit nobis Evangelium fraternam correctionem, quæ eſt complementum legum omnium n, quæ reſtituit animæ gratiæ pulchritudines; ſed requiritur ſemper dulcedo ad conciliandum cor iſtud carneum, quæ tamen ſit acritudine permiſta. Utramque miſcet Chriſtus, dum Apoſtolos de rebus terrenis nimis ſolicitos ita corripit, *Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis?* Ibi eſt rigor, quando mittit eos Dei Filius ad aves iſtas immundas: Sed ſtatim dulcedinem ſubdit, *Conſiderate lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent* o. Affert exemplum liliorum, quæ nihil habent niſi molle & ſuave. Miſcendæ ſunt ergo hæ duæ qualitates, ita tamen ut dulcedo ſemper præcedat.

n Rom. 13. 10.

o Luc. 12. 24. & 27.

Sancti Patres comparant Eliam cum Chriſto; re autem verâ inter eos obſervantur convenientiæ. *Elias perrexit in deſertum* p, & *Jeſus ductus eſt in deſertum* q. Ibi jejunabat Elias, hîc jejunabat etiam Chriſtus. Elias manebat *in ſpeluncâ* abſconditus, Chriſtus autem ſuam abſcondebat gloriam, *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius* r. Elias *zelo zelatus erat pro Domino Deo exercituum*, & Jeſum *zelus domus comedit* s Patris ſui. Elias perſecutionem ſuſtinebat Reginæ Jezabelis, Chriſtus autem Regis Herodis t. *Elias percuſſit aquas* u Jordanis, & benedixit illas; Jeſus autem ſanctificavit eas x. Ecce præclaræ convenientiæ, ſed nullæ dantur inter eos quantùm ad ſuavitatem. Ardens *Elias homo erat; & oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos*

p 3. Reg. 19. 3. &c.

q Matth. 4. 1. & 2.

r Habac. 3. 4.

s Pſ. 68. 10. & Joan. 2. 17.

t Matth. 2. 13.

u 4. Reg. 2. 8.

x Matth. 3. 13.

tres

tret, & menſes ſex y, ut puniret peccata Regis Achab, & ſubditorum ejus; Jeſu *erant autem appropinquantes publicani & peccatores ut audirent illum* a, qui expectabat eos à *triginta* b tribus annis, diſſimulans *peccata hominum propter pœnitentiam* c. Sic David miratus iſtam manſuetudinem, exclamat, *Deus meus, miſericordia mea* d. Domine, nominent te Alij quomodo voluerint, *Dominum exercituum* e, *Omnipotentem* f, mihi ſufficit ut nuncupem te Deum bonitatis & miſericordiæ, ſicut etiam filius meus Salomon g, *Miſereris omnium, quia omnia potes.* Requiritur manſuetudo ad correctionem ritè exercendam. Iſtud eſt pro comperto. Violentia animos exacerbat. Volet quis corripere Eccleſiaſticum, & dicet ei, Domine, cave tibi, Scandaloſus es; è depravatâ vitâ tuâ occaſionem ruinæ arripit tota civitas, ſita ſuper tuum caput vibrabit cœlum fulmina, & Deus de tuis condignum ſumet ſupplicium demeritis: Hæc correctio præ ſe nimium fert rigorem. Sed ſi dicat illi, Domine, de tuâ nunquam ambegi virtute, dignitas tua te ſurſum elevat, omnium oculis expoſitus es intuendus, & ad magnam obſtrictus es perfectionem; exigua culpa in te major apparet quàm in homine plebeio; ille eſt *lucratus fratrem* † ſuum. Non debet quis primâ fronte inſimulare mulierem aliquam criminis impuritatis, ſed illam prævenire; Domina mea, de tuâ certus ſum puritate; ſed non eſt diffitendum quòd depravato vivimus ſæculo, optimas actiones noſtras torvis intuentur homines utplurimùm oculis; ſapienter ages ſi à tali circulo aut conſortio frequentando declines; Hic eſt *lucratus* ſororem ſuam, & eripuit ei cor, corrigendo eam ſuaviter, & opportuno tempore, & loco.

S. Thomas h ait, *Correptio quæ eſt actus charitatis, ad quoſcumque charitatem habentes ſpectat.* Quaſi diceret, eſſe eam præceptum obligatorium ad peccatum. Duo dantur genera præceptorum i, alia affirmativa, alia negativa. Negativa prohibent id quod ex ſe malum eſt, vitium, peccatum, ut, non occidere, non blaſphemare; nunquam enim id eſt licitum. Hæc præcepta obligant ſemper, & pro ſemper, ajunt Theologi. Affirmativa, quæ jubent audiendam Miſſam Dominicis diebus, aliiſque feſtis, & ſua confitenda peccata ſemel ſaltem intra annum. Hæc autem præcepta non obligant ſemper, ſed quodam tempore, quâdam ſeſe offerente occaſione, *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus, & imprudens non ſervabit tempus* k. Obſervandum eſt tempus opportunum, alioquin nihil proficeret quis. Non eſt proficuum uſu remediis contra pravum humorem qui moveri incipit, & qui nondum in aliquâ determinatâ parte corporis ſedem ſumpſit. Hic agendi modus eſt rationi rectæ conſonus, ſi velit quis ut ſua monita fœlicem ſortiantur effectum, ut non aggrediatur reformare aliquem primo paſſionis fervore ductum, quandiu judicium non eſt planè liberum ad agnoſcendam gravitatem criminis, & conſilii. Si enim cùm quis adhuc irâ excandeſcit, aut vino æſtuat, & quandiu ratio caligine eſt offuſa, vellet alius ei dare monita, oleum & operam perderet, *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus.* Non eſt aggreſſa prudens Abigail corrigere virum ſuum Nabal, quando *erat ebrius nimis; & non indicavit ei verbum puſillum aut grande uſque manè. Diluculo autem cùm digeſſiſſet vinum Nabal, indicavit ei uxor ſua verba hæc* l. Unde S. Gregorius m ait, *Iracundos meliùs corrigimus, ſi in ipsâ iræ commotione declinamus perturbati enim quid audiant, ignorant. Sed cùm ad ſe redeunt, tantò libentiùs exhortationis verba recipiunt, quantò ſe tranquilliùs toleratior ibeſeunt. Mentis autem furore ebria omne rectum quod dicitur*

y Iacob. 5. 17. & 3. Reg 17. 1
a Luc. 15. 1.
b Luc 3. 23. &c.
c Sap. 11. 24.
d Pſ. 58. 18
e Iſai. 6. 5.
f Iob. 35. 05.
g Sap. 11. 24.
† Matth. 18. 15.
h I I. Part. S. Thom 2. 2. q. 33. a. 2. in concl
i Exod. 20. 3. &c.
k Eccli. 20. 7.
l 1. Reg. 25 36. & 37.
m S. Greg. citat à Gloſſ Ordin in 1. Reg. 25. 37.

perverſum videtur. Unde & Nabal ebrio culpam ſuam Abigail laudabiliter tacuit, quam digeſto vino laudabiliter dixit. Malum enim quod fecerit nocere potuit, quia ebrius non audivit. Et Salomon, qui dicebat de ſe, *Præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Ieruſalem* n, ſuis inſerere non dubitavit Proverbiis o correctionem ſibi à matre ſuâ impenſam, *Quid dilecte mi? quid dilecte uteri mei? quid dilecte votorum meorum?* Supra quæ verba refert Lyrannus †, *Quòd Hebræi dicunt, Salomonem in manè nimis dormiviſſe, intantùm quòd tranſibat hora offerendi juge ſacrificium matutinum, & claves templi erant ſub cervicali Salomonis: Propter quod mater ſua intravit eius cubilo; & cœpit arguere eum* comiter, Ha! chariſſime fili; memorare eorum, quæ peregi, ut pater tuus moriens, Regni te ſui relinqueret ſucceſſorem p, &c. Videte ſapientiam hujus prudentis matris: *Sapiens tacebit uſque ad tempus.*

Expectandum ſemper eſt tempus opportunum, nedum nos abripiat unquam violentia, *Si peccaverit in te frater tuus, vade* †, quod eſt iter agere. Quando quis eſt iter aggreſſurus, ad illud ſe diſponit, præſertim ſi citò non cogitur diſcedere. Idem dicendum dum de correctione, quæ eſt præceptum affirmativum. Expectandum eſt tempus impendendæ correctioni idoneum, nedum quis iræ locum præbeat commovendæ. Inter Romanos hæc erat conſuetudo, ut ipſos Conſules præcederent miniſtri deferentes ſecurim, cui alligati erant fortiter funes, & ſi fortaſſis puniendus fuiſſet aliquis, nihil peragerent præ irâ Magiſtratus, & ut tempus, quo infringendi eſſent hi nodi, & hi funes diſſolvendi, mitigando Conſulum furori inſerviret, *Date locum iræ* q. Quæ verba ſic exponit Abbas Joſeph apud Cornelium r, *Hoc eſt, non ſint corda ſic impatientia, & puſillanimitatis anguſtiis ſic coarctata, ut violentam commotionis procellam, cùm irruerit, ſuſtinere non poſſint: ſed dilatamini in cordibus veſtris, ſuſcipientes adverſos iracundiæ fluctus in illis extenſis ſinibus charitatis, quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet* s. *Et ita mens veſtra amplitudine longanimitatis ac patientia dilatata, habeat in ſe conſiliorum ſalutares receſſus, in quibus receptus quodammodo, atque diffuſus teterrimus iracundiæ fumus, protinus evaneſcat.* Nullus eſt unquam præ irâ corripiendus. Sic David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum* t, noluit punire inſolentiam Semëi, qui ipſi maledixerat. Et licèt non deeſſent Aulici (qui frequentiores æquo ſunt in aulis Principum) qui ipſum ad vindictam de Semëi ſumendam provocarent; prava tamen hæc repulit mitis iſte Rex conſilia, ne aliquid iracundiâ ductus videretur peregiſſe u.

Oportet ut correctio tempore exerceatur opportuno, quò utilis eſſe poſſit. Nobilis aliquando Vir aggreſſus eſt importuno arguere modo Cambyſen Perſarum & Medorum Regem, Cyri filium, Sacra Majeſtas, inquiens, non miror ſi ipſam non revereantur ipſius ſubditi, cùm ipſa ſemper ebria, vino madeat, & jugiter inter calices commoretur, quod ipsâ Regiâ planè indignum eſt Majeſtate. Cambyſes hac irritatus correctione, jubet vocandum nobilis iſtius filium, cujus capiti manum lævam imponens, & dexterâ ſpiculum tenens, ait patri ejus, Arteſes (ſic enim vocabatur) videſne quod ago? Medium confodio tui cor filij, mentis compos ſum ſanæ, & plenâ vigens deliberatione; & cùm apertum fuiſſet cor filij, inventum eſt ſpiculo perforatum medium. Indiſcreta & importuna patris correctio fuit cauſa infortunii filij. *Sapiens tacebit uſque ad tempus, & imprudens non ſervabit tempus* *. Expectandum eſt donec ſubjectum, cui impendenda eſt correctio, ſit diſpoſitum. Sicut enim Deus,

n Eccl. 1. 16
o Prov. 31. 2
† Lyran. in Prov. 31. 2.
p 3. Reg. 1. 15. &c.
† Matth. 18. 15.
q Rom. 12. 19.
r Cornel. in Rom. 12. 19.
s ex 1. Cor. 13. 7.
t 1 Reg. 13 14.
u 2. Reg. 19. 21 &c.
* Eccl. 20. 7.

qui animas creat, non infundit eas in corpora niſi benè diſpoſita ad illas ſuſcipiendas: Sicut diſtulit myſterium Incarnationis donec *venit plenitudo temporis* x, quando mundo utilior eſſe poterat hæc Incarnatio: Sicut gratiæ ejus non ſunt efficaces y, niſi quia accommodantur ad captum variorum habituum perſonarum, & offeruntur tempore quo animæ iis poſſunt uti proficuè, in quo differunt (ut ajunt Theologi) à gratiis ſufficientibus z: Sic exactè obſervandæ ſunt omnes circumſtantiæ perutiles monendo ſalutariter proximo, ut felicem correctio ſortiatur effectũ. Idcircò captandum eſt tempus idoneũ, *Vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum* in loco ſecreto, cùm pariter locus correctioni aptus eſſe debeat. Oportet ut hoc in occurſu cedat vanitas charitativæ correctioni, quam proximo noſtro impendemus. Non ait Chriſtus, ut ille, qui offendit, pergat domum ejus qui offenſus aut ſcandalizatus fuit, ut ab eo veniam expoſcat; ſed è contrà vult ut is, cui mali exempli deſumendi porrecta eſt anſa, contendat domum illius qui deliquit, ut conetur ſuavi & amicâ correctione eum monitis ſuis ſalutaribus Deo reconciliare, *Si peccaverit in te frater tuus, vade* †. Sed quid? nunquid non ſatius foret & rectiùs congruentius rationi ut ille, cui irrogata fuit injuria, domi maneret, & ſuo utens jure, expectaret donec ille, à quo ſibi fuit hujuſmodi injuria illata, ad ipſum conveniret, & ab ipſo veniam efflagitaret? non autem vice versa? Nequaquam. Non vult iſtud Deus, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Intendit Deus ut Chriſtianus honorem ſuum poſtponat charitati, qua ſuum proſequi debet proximum, nec ullo famæ ſuæ meminerit modo, cùm correctionem ſuam eſt ei impenſurus.

x Gal. 4. 4. & 5.
y Zach. 3. 5. 7.
z Hebr. 12. 15.
† Matth. 18. 15.

Acceſſit ad Jeſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpõdens autem Jeſus, dixit, neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meũ bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo a. S. Ambroſius b petit, Cur Chriſtus diſcipulos ſuos hac reſponſione apparenter rudi ſic excipit? Ha! non concipiebant illi rationem politicam, propter quam non decebat ut Chriſtus votis ipſorum annueret. Nã amorem præ ſe ferre, & tamen petitis non ſatisfacere, quomodo hæc ambo conciliare? Voluit ſuam Chriſtus diſſimulare potentiam, ne diſcipuli de ſuo ambigerent amore, malens apparere minùs potens, quàm minùs amans; *Noluit his, quos diligeret, videri quod peterent denegaſſe ſanctus & bonus Dominus, qui mallet aliquid diſſimulare de jure, quàm de charitate deponere.* Jus famæ cedere debet charitati, inſtar Chriſti exercitium iſtud ſuâ nos edocentis praxi, & adire debemus eum qui deliquit, illumque ſecretò corrigere.

a Matth. 20. 20. &c.
b S. Ambr. lib. 5. de Fide c. 3.

Volentes ulciſci ſe Philiſthæi de Samſone ob injurias ab eo ſibi illatas, propoſuerunt ſibi adire Dalilam, quam ardenter amabat ille. Conſilio inito, *venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt, Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere* c. Sed quare adeunt *mulierem meretricem Principes*? Reſpondet Serarius d, *Hi verò tanti, tantaque dignitatis cùm eſſent, venerunt tamen, ſeu, ut in Hebræo eſt, aſcenderunt ad hanc meretriculam, quia eos valdè publica gentis ſuæ utilitas & bonos ſtimulabat, ut nihil tam eſſet vile atque abjectum, ad quod ſeſe, illius causâ, non dimitterent.* At quare non vocabant eam ad ſe hujuſmodi Magnates? Eodem reſpondet Toſtatus e modo, quo Serarius, *Illi autem humiliabant ſe tantùm, ut venirent coram Dalilâ, quia erant nimis ſoliciti de ſalute terræ ſuæ & honore. Et tamen ipſi per Samſonem dehonorabantur, & terra eorum vaſtabatur.* Hæc duo intendebant Philiſthæi; primum liberare patriam ſuam; ſecundum, devincire ſibi hanc fœminam, ut deciperet Samſonem, ita ut ejus interventu, conſilia ſua ad exitum perducere poſſent ſibi propoſitum. Si ſalutem proximi noſtri promovere concupiſcamus, jus noſtræ non intuebimur famæ, ſed domum illius pergemus, ut conemur eum correctionibus noſtris in emendatæ vitæ ſtatum reducere.

c Judic. 16. 5. &c.
d Serar. q. 8. in Judic. 16. 5.
e Toſtat. q. 8. in Judic. 16. 5.

Incolæ patriæ ejuſdem, in qua diu fuerat immoratus Chriſtus, invidentes miraculis ejus, *ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat. Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ: ibique docebat illos Sabbathis* f. Super quæ S. Ambroſius g ait, *Vide clementiam Domini Salvatoris; nec indignatione commotus; nec ſcelere offenſus, nec injuriâ violatus, Judæam deſerit.* Volunt eum Judæi præcipitare, quod diabolus aggredi non eſt auſus; tamen non deſerit illam regionem, quæ ipſum ſic malè excipiebat. *Quin etiam immemor injuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc ſanando, infida plebis corda demulcet.* Infenſos ſibi ſic amanter docet, ut videatur non offenſus, efficiendo ut jus honoris ſui cedat charitati proximi.

f Luc. 4. 29. &c.
g S. Ambr. l. 4. in Luc. 4. 29. &c.

Hoc eſt etiam quod ait S. Paulus h, *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem* †; *noviſſimus Adam in Spiritum vivificantem.* Super quæ ſic loquitur idem S. Ambroſius i, *Vide clementiam Chriſti, Ipſe eſt primus & noviſſimus* k. *Qui primus erat, propter nos ſe noviſſimum fecit. Deſcendit enim, & projecit ſe ut caderet, infra omnes ſe faciens, ut omnes jacentes levaret, omnes ſuis imponens humeris homines.* Si verò Deus hoc ſe gerit modo, quid non debemus agere nos? Exemplum illius inducit nos ad ipſum imitandum. Ergo *vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Pergendum eſt domum fratris noſtri, qui nos offendit, aut ſcandalizavit, ibique eſt ille corrigendus à nobis tempore opportuno, & in loco idoneo ſeu ſecreto. Procedamus igitur, Auditores, in correctionibus noſtris fraternis eodem modo quo ſe gerit Deus in convertendis peccatoribus; accommodemus nos ad captum affectuũ illorum. Et cùm hæc verba ſint jam ſatis ex ſe faſtidioſa & inſipida, variemus ea, quantùm poterimus. Et ſicut temperantur validæ qualitates remediis correctivis, quæ ſubminiſtrantur ſub alimentis, quæ eorum operiunt amaritudinem, eundem obſervare debemus agendi modum, ut felicem ſortiantur charitativa monita noſtra ſucceſſum, præbendo ea præ exhibitionibus aliquibus affectus, & mediam inter occaſionem alicujus beneficij. Alioquin nunquam benè ſuſcipientur. Et ſicut gratiæ ſufficientes nunquam ſuum conſequentur effectum, niſi cum illis operemur ut eas noſtro concurſu reddamus efficaces; imitantes S. Paulum Apoſtolum l, dicere debemus more illius, *Omnibus omnia factus ſum,* id eſt, *applicando me ſingulis, ſecundùm capacitatem ipſorum,* exponit Dionyſius Carthuſianus, *ut omnes facerem ſalvos,* Scilicet, *inſtrumentaliter, operando ad converſionem ipſorum* m noſtrorum fratrum, corrigendo eos præ ſuavitate tempore congruo, & in loco charitati ſecretò impendendæ idoneo: con-

h 1. Cor. 15. 45.
† ex Gen. 2. 7.
i S. Ambr. lib. de Inſtit. Virg. c. 11.
k ex Apoc. 1. 18.
l 1. Cor. 9. 22.
m Dion. Carth. art. 9. in 1. Cor. 9. 22.

for-

formando nos eis præaffectu, & ſic eos lucrabimur; agendo in gratiam aliorum id quod vellemus nobiſmetipſis impendi; & exercendo erga illos charitatem, quam optaremus nobis erogari.

Superiores, Prælati lucramini inferiores & ſubditos veſtros Deo præ ſuavitate correctionum veſtrarum. Exercete eas ſemper tempore conſono, & in loco apto & ſecreto, niſi aliter fieri conveniat ex debito muniorum veſtrorum. Eſtote in terra agentes Dei, operamini ſicut ipſe operatur ad promovendam animarum ſalutem, & credite cum Apoſtolo n, vos non eſſe in vitâ communi, niſi ut divinam ejus honoretis majeſtatem per conſonantiam virtutum, *Dei enim ſumus adiutores.* Si videatis quòd objecta, quæ ſenſibus proximi veſtri favent, rationem ejus decipiant; & quòd indoles ad virtutem exercendam nata, gratias in rebus vanis profanat Divinas, & captivam ſe efficiat infamis alicujus paſſionis, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* o; & ei neceſſaria non præbeatis monita, majorem perpetratis defectum in materiâ charitatis, quàm ſi non oſtenderetis rectam viam ei, qui ab illâ aberrat; quàm ſi contentâ voce non inclamaretis, Ad ignem, ſi illo comburi adverteretis domum aliquam, quàm ſi non averteretis cæcum à præcipitio, in quod jam jam lapſurus eſt; quàmque ſi non moneretis amicum veſtrum veneni, quod ipſi paratur propinari, quia ſalus animæ incomparabiliter eſt præponenda bono corporis. Ergo *vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi iuſtruite in ſpiritu lenitatu* p. Ut autem meliùs ſuccedat vobis hæc ſancta praxis, eligite tempus opportunum, & locum aptum aggrediendæ æquè ac impertiendæ correctioni. Si autem ſalutaribus veſtris monitis autem præbens, vitium deſerat, eruitis eum ex idololatriâ, efficientes ut non immolet ampliùs cor ſuum objectis infenſis Deo, qualia ſunt dæmones: Siſtitis progreſſum mali infiniti in perſonâ ejus, & in illius exemplis, lucrati eſtis *fratrem* veſtrum; & completis conſilia Verbi incarnati, quod animam ejus *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* q. Tandem, Evaditis principium infinitorum bonorum, quæ peracturus eſt poſt converſionem ſuam. Conciliabitis ei gratiam in hoc mundo, quâ media conſequetur ipſe gloriam in altero ſeculo.

n 1.Cor 3. 9.

o Ioan, 8. 34.

p Galat. 6. 1.

q Apoc. 1. 5.

FERIA V.

POST DOMINICAM III. ADVENTUS.

Et reverſus eſt Moyſes de monte. Cùmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum & choros. Arripiensque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſrael. Dixitque ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper peccatum maximum? Exod. 32. 15. &c.

CONtentio ſanè celeberrima fuit illa, quâ Elias Propheta diſceptabat cum Sacerdotibus Baal a, Vter eſſet verus Deus; aut Baal qui ab ipſis colebatur Sacerdotibus, aut Deus Iſraël adoratus ab Elia. Viſum fuit Prophetæ ad componendum diſſidium inter ipſos ortum, ut ſumerent duos boves in partes diſſectos, quorum unus ſuperponeretur altari Baal, alter verò applicaretur aræ Dei Iſraël, ita tamẽ ut neutra è partibus diſſidentibus ignem ſupponeret ligno parato ad comburendum holocauſtum; intereà invocarent Sacerdotes illi deum ſuum Baal, & Propheta invocaret Deum Iſraël; & Deus qui eſſet exauditurus medio igne è cælo lapſuro, & holocauſtum paratum inflammaturo, foret ille verus Deus. Conditione utrimque acceptâ, ſecutus eſt effectus. Suum conſtruxerunt altare Sacerdotes Baal, ſicut & Elias ſuum pariter. Sacerdotes *invocabant nomen Baal de manè uſque ad meridiem, dicentes, Baal exaudi nos. Et non erat vox, neque qui reſponderet* eis qui errori & falſitati innitebantur. *Cùmque eſſet iam meridies, illudebat illis Elias, dicens, Clamate voce maiore: Deus enim eſt, & forſan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Et ædificavit altare in nomine Domini, & compoſuit ligna: diviſitque per membra bovem, & poſuit ſuper ligna*, quæ omnia circumquaque reſpergenda præcepit aquâ, ut oſtenderet nullum ſuppoſitum altari, holocauſto, & lignis ignem artificialem aut naturalem; & humi proſtratus enixè Deum eſt deprecatus, ut ignem è cælo emitteret in holocauſtum ſuum, ad manifeſtandam gloriam nominis ſui. *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquaductu, lambens*, mirantibus omnibus, qui agnoverunt, & laudaverunt verum Deum medio lumine iſtius ignis, & damnaverunt hos falſos Prophetas ut ſeductores populi. Non minùs commendabilis videtur contentio orta inter Moyſen & filios Iſraël abominabiliores ipſis Sacerdotibus & falſis Prophetis Baal, cùm Iſraëlitæ verum agnoſcerent Deum, quem tamen ignorabant iſti, Vter eſſet verus Deus, aut vitulus aureus opere fuſorio ipſis ab Aarone fabrefactus, aut Deus, à quo Moyſi deſcendendi *de monte*, datæ ſunt duæ tabulæ *Teſtimonij ex utrâque parte* ſcriptæ. Contendunt Iſraëlitæ, vitulum aureum eſſe deum, cùm *dixerunt, Hi ſunt dij tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Moyſes autem *iratus valdè, dixit ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum*, proponendo ei adorandum idolum loco veri Dei, quem tu & ego colimus? *Arripienſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël*, altero accenſus ipſe igne zeli, quo ductus *ait, Si quis eſt Domini, iungatur mihi, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filii Levi iuxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ quaſi viginti tria millia hominum. Et ait Moyſes, Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo*, qui correctus à me, in bonam noluit ſe emendatæ vitæ recipere frugem, *ut detur vobis benedictio*, ut miniſtretis eidem Domino impoſterùm, offerentes ei thymiamata & holocauſta ſuper altaribus ejus, in mercedem zeli veſtri igne cœleſti accẽſi. Spiritus ſanctus qui eſt *tanquam ignis* b ardens, illuminabit mentem meam, & linguam meam inflammabit, ut corripiam delinquentes, ſi eum exorem ut mihi id indulgeat interventu Sponſæ ſuæ c, *Ave Maria.*

a 3.Reg. 18.22.&c

b Act. 2. 3.

c Luc. 1. 28. &c. 3.

Nihil certius eſt, Deum audiendis Iuſtorum eſſe appli-

applicatum precibus, & eorum qui intuitu ipſius aliquâ anguſtiâ affliguntur orationes auſcultare, *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Hoc ſupremæ ipſius ac Divinæ obeſſet authoritati, ſi ſineret ipſe ut ſervi ſui impedirentur ne poſſent ad ipſum recurrere, *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum* d. Præ ſeſe non fert oculos, niſi ut ſuorum intueatur miſerias, *Oculi Domini ſuper Iuſtos, & aures eius in preces eorum* e. In quo differt à falſis diis, ab ementitis Gentium numinibus, quæ ad nihil erant utilia niſi ad decipiendum populos, nedum eis ſuccurrerent, & neceſſarium illis impenderent auxilium, cùm nihil eſſent. Sic eos falſos deridebat Moyſes Deos, alloquens illos qui ſpecioſis & apparentibus eorum ſe deludi ſinebant pollicitationibus, *Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Id eſt, ut exponit Cornelius f, *Ubi ſunt idola veſtra, in quibus ſperaſtis?* Specioſa iſta & ementita ergo numina *ſurgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant. Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego ſanabo: & non eſt qui de manu meâ poſſit eruere* g. Ut quid igitur dii iſti deſerunt vos in neceſſitatibus conſtitutos? Cur veſtris non interſunt miſeriis? Quare omnibus non annuunt veſtris ſupplicationibus? Si verò vobis dormiunt, ut dormiebat Baal Prophetis ſuis, quos non audiebat, unde illi *clamabant voce magnâ, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine* h; nec veſtri curam poſſunt agere, nunquid non inſanæ mentis eſtis? dum eos agnoſcitis ut deos, & illis veſtram commendatis fortunam, more Iſraëlitarum ſacrilegorum, qui *fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt, Iſti ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Scitote ergo quòd eſt *unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis* i. Quæ ſic exponit Dionyſius Carthuſianus k, *Id eſt, Deus Trinitas, Qui Deus dicitur propter creationem, Pater propter benignam gubernationem; qui eſt ſuper omnes incomparabili dignitate cunctis præſtantior, & per omnia ſpiritualiter extentus ſive diffuſus, cunctaque penetrans & includens. Propter quòd ipſe per Ieremiam conteſtatur. Nunquid non cælum & terram ego impleo* l? *& in omnibus nobis credentibus atque electis, eſt per fidem, charitatem & gratiam.* Et iſte ſolus Deus propitium ſuis ſeſe exhibet amicis. Habet enim legiones Angelorum, qui ad nihil aliud ſunt deſtinati, niſi ad deferendas ſupplicationes Juſtorum ad Sanctuarium ipſius æternum uſque, & inde ad referenda eis diplomata omni parte expedita, *Omnes, ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* m. Et cùm aliquem è ſervis ſuis inſigni cumulare vult beneficio, unum ex iſtis inſumit Angelis. Aliquando ad id exiguas & infirmas adhibebit creaturas, quæ Spiritu ipſius repletæ, opera peragent prodigioſa, & potentiam ipſius teſtabuntur. Teſtis eſt *Moyſes*, qui *paſcebat oves ſoceri ſui* n, cui tamen commiſit ipſemet Deus liberandum populum ſuum è captivitate Pharaonis, & cui ideò authoritatem præbuit delegatam, quæ tantum operata eſt effectum, quantum peregiſſet idem Deum, ſi ipſe in propriâ perſonâ liberaſſet eundem populum ſuum. Hodiernâ verò die juſſus è monte deſcendere, aggreditur corrigere populum iſtum peccati idololatriæ ab ipſo perpetrati. Et ego monſtrabo vobis Primò, Quòd ille qui vult corrigere defectus alienos, & præ ſe ferre zelum ob peccata publica, debet eſſe immunis ab iiſdem culpis, & nullo modo obnoxius cenſuræ, quam in alios vult peragere, Secundò, Loquar vobis de zelo, quo duci debemus erga honorem Dei, intuitu offenſæ illius, præ ſanctâ & laudabili irâ uſque ad injurias proferendas, quandiu ex convertendis inſervire poſſunt peccatoribus.

d Pſ. 90. 14 & 15.
e Pſ. 33. 16
f Cornel. in Deut. 32. 37.
g Deut. 32. 37. &c.
h 3. Reg. 18. 26. &c.
i Ephel. 4. 6.
k Dion. Carth. art. 4. in Epheſ. 4. 6.
l Ier. 23. 24.
m Hebr. 1. 14.
n Exod. 3. 1. &c.
Diviſio

1. Pars.

Omni tempore ſanguis Juſtorum injuſtè effuſus, vindictam clamavit in cœlum, pœnas expoſcens infligendas iis qui ipſum profunderent immiſericorditer. Et primò *vox ſanguinis* juſti Abelis *clamat ad* Deum *de terrâ* o. Ipſe Deus declarat ſe ultionem ſumpturum de iis, qui ſervis ſuis injurias & mortem irrogaverint, *Ulciſcar ſanguinem ſervorum meorum* p. Iſaias † improperat æquo liberioribus, ipſos præ ſe ferre manus ſanguine repletas, & quòd ſicut Juſti levantes manus in cælum, indè ſperare bona poſſunt & favores, è contrà mali ſanguinolentas habentes manus, eaſque aperientes coram Deo, ab eo non valent niſi infortunia ſuſcipere, *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Michæas q ait, Reges, Principes, Iudices, & Magiſtratus nimis conculcare populos, & injuſtis oneribus, quibus eos opprimunt, magnificare ſuas domos, & ædificare civitates ſanguine ſubditorum ſuorum, *Principes, & Iudices, qui ædificatis Sion in ſanguinibus.* Habacuc r magnam imprecatur maledictionem iis qui eo procedunt modo, *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus.* Et David memoratus ſe fudiſſe ſanguinem Uriæ s, temque ſuam auxiſſe familiarem oppreſſione ſuorum ſubditorum t, timuit ne tam variis accuſaretur à ſanguinibus, & antequàm inquireretur, Deum exoravit ut ab illorum inſtantiâ eximeretur, *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ* u.

o Gen. 4. 10.
p 4. Reg. 9. 7.
† Iſai. 1. 15.
q Mich. 3. 9 & 10.
r Habac. 2. 12.
s 2. Reg. 11. 14. &c.
t 2. Reg. 24. 1. &c.
u Pſ. 50. 16.

Aliquando nomine ſanguinis intelliguntur peccata, ſicut deplorat Oſee x multitudinem peccatorum omnis generis, quæ ita coacervabantur ut ſeſe invicem contingerent, *Sanguis ſanguinem tetigit.* Aliàs per nomen ſanguinis innuitur mors violenta alicujus quovis modo procurata, ſive ſanguinis effuſione, aut ſecus, ſicut cùm Judas unus è fratribus Joſeph non acquieſcens conſilio fratrum ſuorum, Joſeph interimere volentium, *Venite occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem, dixit fratribus ſuis, Quid nobis prodeſt ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celaverimus ſanguinem ipſius?* Id eſt, diſſimulaverimus interitum ejus. *Melius eſt ut venundetur, & manus noſtræ non polluantur: frater enim & caro noſtra eſt* *. In Lege veteri y, qui latronem in flagranti delicto deprehenſum occiderat, mortis ejus non erat conſcius, *Si ſic accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis.* In Lege Evangelicâ z Chriſtus iraſcitur adverſus Scribas & Phariſæos dicentes præ mera hypocryſi, *Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum.* Quin imò (ipſis improperat idem Dei Filius) *Ideò ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem: ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti* a *uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare* b. Sic illi qui ſe excuſant ſuper mortem alicujus, dicentes ſe ei non fuiſſe cooperatos, ſeque deſiderare ſuper illa non inquiri, proteſtantur ſanguinem illius non cecidiſſe ſuper ſe, nec illo ſe inquinatos fuiſſe; ſicut egit *Pilatus* qui nolens niſi ferè invitus ſubſcribere ſententiæ damnationis Chriſti ad mortem, quem agnoſcebat innocentem, lotis palàm manibus, proteſtatus eſt, ſe ſanguinis illius non fuiſſe reum,

x Oſee 4. 2.
* Gen. 37. 26. &c.
y Exod. 22. 2.
z Matth. 23. 30 &c.
a ex Gen. 4. 8.
b ex 2. Paral. 24. 22.

Lavit

Lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à Sanguine Iuſti huius c. Cui reſponderunt Judæi, ſibi placuiſſe ut hujuſmodi Sanguinem ſuper ſemetipſos rejiceret, & ſuper liberos ſuos, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Quaſi dixiſſent, quòd ipſorum parùm intereſſet, accuſari & inquiri de morte ejus. Potiori iure dicere debent omnes *filij Levi*, ſe eſſe innoxios à ſanguine tot millium hominum, quos peremerunt, quia id egerunt authoritate publicâ, juſto ducti zelo, nec metuere debent ne accuſentur aut inquirantur de interitu eorum, quia *fecerunt iuxta ſermonem Moyſi* ulciſci volentis Deum de illorum idololatriâ, cujus nec ipſe, nec ipſi filij Levi erant conſcij, cùm corrigi nollent iſti idololatræ. Quin imò hâc cæde ſuas conſecraverunt *manus Domino* hi filij Levi. Non habent iſti unde vereantur de morte illorum accuſari, aut inquiri æquè ac Moyſes, qui immunis à crimine idololatriæ, corripit fratrem ſuum Aaronem, ob quam rationem induxiſſet in talem populum *peccatum maximum*, fabricando ei vitulum aureum, & ei adorandum illum per conſequens exhibendo; quia omnis qui corrigit, immunis eſſe debet à dilicto, quod vult in alijs emendare. Ideò querebatur Deus de illis qui judicabant & damnabant alios, cùm tamen ipſi pluribus ſcaterent vitiis, & eſſent criminoſiores illis: *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos retrorſum. Exiſtimaſti iniquè quòd ero tui ſimilis: arguam te & ſtatuam contra faciem tuam* d. Exprobrabo tibi eadem quæ corripis in aliis, eaque faciei tuæ opponam, ut ea videns, pudore ſuffundaris. Videtur alludere velle Symbolo, quo repræſentaturi Antiqui omne perſonarum genus, pingebant hominem ferentem præ manibus ſuis ſphæram, cui fixè applicatos habebat oculos, & ſpeculum appenſum poſt tergum; quaſi dixiſſent, quòd iſte curioſiùs quàm eſſet par res mundanas & defectus alienos intuèretur, ſe tamen non agnoſceret, & ſui ipſius oblivisceretur. Ait igitur Deus huiuſmodi hominibus per Prophetam ſuum, Liberè & audacter corripitis eos, qui in aliquem labuntur defectum, quia omnia delicta ſcire vultis, obliviſcentes veſtrorum, quæ multò graviora ſunt, *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Scitote quòd ego convincam vos omnium iniquitatum veſtrarum, illaſque vultui veſtrò præ confuſione veſtrâ objiciam. Unde D. Auguſtinus e appoſitè, *Vis latère teipſum in dorſo tuo? Ibi es, non te vides, facio ut te videas. Quod poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam, videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas. Modò ergo tu fac quiſquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, diſſimulans à factis tuis, & conſtitue te ante te. Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat à te confeſſio, & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum ante me eſt ſemper* f. *Quod erat poſt te, fiat ante te, ne tu ipſe poſteà à Deo Iudice fias ante te & non ſit quò fugias à te.* Quòd idem eſt quod ait D. Paulus g, *Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique iudicaremur.* Judicium prævenire & evitare poſſemus divinum, ſi nobiſipſis judicium faceremus, & ſi conſideraremus quòd, cùm conſcij ſimus, non debeamus aliena intueri crimina, ut ea corrigamus.

c Matth. 27.24. & 25.

d Pſ. 49. 16. &c.

e D. Aug. in Pſ. 49. 21.

f Ex Pſ. 50. 5.

g 1. Cor. 11. 31.

Ancillam habebat Thales Mileſius, quæ meliùs ratiocinabatur quàm ipſe philoſopharetur; cùm enim aliquando advertiſſet quòd dominus ſuus habens præ manibus ſphæram, quam curioſè ſpeculabatur, non obſervaret foveam præ pedibus apertam, ideòq; in eam incidiſſet, in riſum erupit. Interrogata autem cur ſic derideret Dominum ſuum, nedum illius compateretur infortunio, reſpondit, Vt quid non vultis ut meum irrideam dominum, qui ſpeculatur aſtra, cùm ſatis non habeat oculorum, quibus præ ſuis videat pedibus? Quare non vultis, Auditores, ut ſubſannem illos omnes qui vitæ cenſores efficiuntur alienæ, & qui nec ipſis parcunt aſtris, id eſt, hominibus perfectiſſimis, etiamſi ipſi momentis ſingulis in præcipitia labantur longè periculoſiora.

Iſaias erat unus ex eis, quos conſtituerat Dominus cenſores & correctores populi; ait ergo illi, *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum* h. Sed ut quid vult Deus, Auditores, ut Propheta clamorem edat more buccinæ? Si vocem præ ſe ferat ſatis validam, nonne eadem planè res erit, dummodò ſe intelligendum exhibeat? Sed nunquid non meliùs intelliget populus quæ intendit Deus, ſi Propheta ſuam adhibeat vocem ordinariam & naturalem, quàm ſi eam in formā buccinæ perſtrepentis & validè inſonantis alteret? Ha! ait Deus, agitur ut cognoſcat populus meus delicta, in quæ impingitur, quæ ideò validè improperanda ſunt ei à Prophetâ, qui intentare debet ei minas judiciorum meorum. Volo ut iſta impoſita tibi munia à me, obeat Iſaias; ſed ut dignè illis perfungatur, intendo ut tubâ canat, non ſolùm ut populum meum voce & verbis corripiat (nihil enim proficeret) ſed etiam ut manum admoveat. Sicut enim qui tubâ canit, ultrâ quòd halitum ex ore promit, ipſam præterea buccinam manibus ſuſtinet, Deus ait Prophetæ, Si vis ut correctiones tuæ audiantur & proficuè ſuſcipiantur à populo meo, oportet ut tuis operibus ſuſtineas & probes id, quod illis annunciaturus es, & ut opera tua tam prædicent eis, quàm tua verba, conformando actiones tuas monitis tuis, ita ut dicere non poſſint, quòd tu peragas uno modo, quando loqueris alio, corripiens ipſos criminum, quorum ipſemet conſcius ſis. Si verò aliquando tubam arripuiſti, & noviſti te non habere manus inquinatas iiſdem ſordibus, à quibus eos mundare concupiſcis, *clama, ne ceſſes*, tunc iraſci tibi licet zelo ſacro. Sic diſcipulum Timotheum *hortatur Apoſtolus ad indeſinentem ac diligentiſſimam Evangelicæ veritatis prædicationem*, ait Dionyſius Carthuſianus i de S. Paulo eundem Timotheum ſic alloquente, *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrinâ.* Quod ſic exponit idem Dionyſius, *Prædica verbum Regni cœleſtis, quod eſt Evangelica doctrina, inſta prædicationis officio, opportunè quantùm ad auditores benevolos, importunè quantùm ad acedioſos, qui ſtimulatione & impulſione indigent, quibus moleſtum eſt Verbum Dei audire: unde & eis importunus videris. Sed verè opportunè diſcretèque agis. Argue negligentes, obſecra ſeniores & digniores, increpa induratos in omni patientiâ & doctrinâ, cùm perfectâ patientiâ & ſapientiâ cordis tui; quatenus totus ſermo oris tui ex Sapientiâ animæ tuæ procedat, & patientiâ adornetur. Vel omnia hæc verba ad eoſdem referuntur, Quoniam unus & idem interdum arguendus, interim obſecrandus, aliquando increpandus, id eſt, aſperè redarguendus eſt.*

h Iſai. 58. 1.

i Dion. Carth. art. 4. in 2. Timoth. 4. 1. & 2.

Sic aliàs idem *ſuſcitavit Dominus Spiritum ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel* k, ut

k Dan. 13. 45. &c.

tunc

eum cenſorem, correctorem, ac judicem conſtitueret duorum impudicorum ſenum judicum, qui injuſtè Suſannam innocentem damnandam fecerant ad mortem, dum more tubæ *exclamavit voce magnâ, Mundus ego ſum à ſanguine hujus.* Increpat parvus iſte Propheta populum, æquè ac ſenes, eò quòd more torrentis rapidi irruiſſet in damnationem injuſtè procuratam ab iſtis impudicis, & ut annunciet ei iniquitatem, quam perpetraturus eſſet, ſi ſententiam à ſe prolatam exequeretur, & Suſannam lapidibus obrueret; atque ut verba ſua proficuè audiantur, & correctio ſua utiliter auſcultetur, ſeſe criminis priùs fatetur expertem, & palàm proteſtatur, ſe non conſenſiſſe tam injuſtæ deliberationi vergenti ad interitum caſtiſſimæ hujus mulieris, *Mundus ego ſum à ſanguine hujus*, inquiens: conſcius enim mortis ejus efficeret. Appoſitè quidem loquitur Daniel. Iſte ſanguis ſuper ipſum caderet, ſi immiſceret ſe iis qui parati ſunt illum effundere. Nemo eſt qui de hoc ambigat, Depravaretur iſte adoleſcens, ſi ſociaretur hominibus iſtis effrænibus: nihil enim pejus eſt & periculoſius adoleſcenti quàm pravis intereſſe conſortiis; indignationem Dei incurreret, nec mortem effugere poſſet funeſtiorem, ſi sociando ſe eis, unà cum illis conſentiret morti infligendæ præ injuſtitiâ huic innocenti; & ſanguis ejus effundendus, æquè laberetur in ipſum ac in alios, & ita ipſum notaret, ut aliquando ipſius futurus eſſet inimicus & accuſator, & expoſciturus à Deo vindictam & pœnas contra ipſum & contra alios: Unde propoſuerat ſibi David à ſuo procul amandare Regno homines ſanguinarios, & eos omnes qui in Juſtos inſurgunt, ne Deum haberet ſibi infenſum, *Si occideris Deus peccatores, viri ſanguinem declinate à me* l. Daniel igitur agit apprimè, dum conſcius non vult effici mortis injuſtæ, ad quam damnata eſt Suſanna à populo. Sed cùm innocens ſit à ſanguine Suſannæ Daniel, æquè ac ipſa immunis eſt à crimine, ſanctâ excandeſcit iſte puer ira, & ſacro ductus zelo corripiens populum temeritatis ſuæ, eos his acribus & aſperis verbis increpat, *Sic fatui filii Iſraël, non judicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſraël?*

l Pſ. 138. 19.

Il. Patt.

Nunquam licet iraſci, nec contumelias inferre alicui propter injurias ab eo ſibi irrogatas, ex appetitu vindictæ, cùm illam ſibi reſervet Deus: *Mihi vindictam: & ego retribuam* m. Sed ſi projicientes oculos ſuper peccata, quæ perpetrari videtis, commotos vos experimini furore & indignatione ob injuriam, quæ Deo irrogatur, dummodò æquo ducamini juſtitiæ zelo, juſta eſt ira veſtra. Si verò Magiſtratus eſtis, aut Superiores eorum, quos in peccata labi videtis, non ſolùm ira veſtra æqua eſt, ſed etiam omnino neceſſaria. Si enim facinora quæ perpetrantur ab æquo liberioribus & nequam hominibus in civitate aliquâ, aut Provinciâ, juſtâ non multentur ſeveritate, quid agetur de tot innocentibus, qui ſic durè excipiuntur ab eis impunè? Quomodo ſperari poterit ut bonis imbuantur adoleſcentes & ignari inſtitutionibus & exemplis, ſi tolerentur ſcandal in provectioribus & peritis? Oportet ut ij qui cor præ ſe ferunt animale, quique non poſſunt induci ad emendatæ vitæ regimen ſpecie & excellentiâ virtutis allecti, coerceantur intra terminos debiti ſui, & compellantur evadere ſapientes punitionibus exemplaribus, & rigore ſuppliciorum criminibus patratis conformium. Certi

m Rom. 12. 19 & Hebr. 10. 30 ex Deut. 32. 35.

ſint autem Superiores, ſe ſacrificium Deo gratum offerre, quando ſuper ruinam malorum ædificant inſtitutionem bonorum, & educationem ſimplicium. Hoc autem fieri non poteſt abſque aliquo affectu paſſionis & iræ. Sed nihil intereſt; talis ira eſt juſta, paſſio eſt hæc meritoria, & iſtud ſupplicium eſt neceſſarium. Hæc igitur ira mirabiles operari debet effectus in perſonâ Magnatum, quæ tamen non detrahit ſuavitati, quæ ſemper decet Judices, Magiſtratus, Reges, & omnes Superiores.

Verùm enim verò nonne ſcimus quòd *erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* †? Hoc tamen non impedit quin zelum præ ſe ferat tempore opportuno, & in loco congruo. In eodem occurſu utrumque exhibet. Suavitatem & paternum affectum demonſtrat, cùm *reverſus ad Dominum, ait, Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et tali efferbuit irâ videns quòd talis populus vitulum adoraſſet aureum, ut ipſo jubente cæſa fuerint *quaſi viginti tria millia hominum.* Hæc eſt ira juſta, quæ nullum aliud habet objectum niſi offenſam Dei, nec aliud motivum niſi gloriam Dei, quæ lacerata excitat in corde Juſti motum extraordinarium, & in eo accendit velut vivam fornacem, aut ſicut ignē devorantem, *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* ajebat S. Paulus n. Statim ac adverto ſcandalum aut crimen committi, ſentio in intimis cordis mei penetralibus flammam ardentem, quæ me excitat, meque extra meipſum abripit, ut ferro & igni tradam eos qui illius ſunt authores, cùm dignum non exiſtimem vitâ eum, qui offendit illum, qui eſt ipſamet *Vita* o.

† Num. 12. 3.

n 2. Cor. 11. 29.

o Joan. 14. 6.

Hæc autem ira exprimitur aliquando verbis aſperis, & injuriis ſenſibilibus, quæ non procedunt ex odio, ſed ex indignatione contra vitium, & ex charitate erga eos qui ſunt criminoſi, ut procuretur illorum correctio & emendatio. Teſtis eſt Apoſtolus, qui edoctus, Galatas peregiſſe aliquid contra modeſtiam Chriſtianam, eis ſcribit Epiſtolam p, injuriam iracundiâ plenam præ ſe ferentem, *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati*, & non agnoſcere ampliùs lumen fidei? Imò verò ipſe Dei Filius quomodonam excepit duos diſcipulos *in Caſtellum Emmaus* contendentes? Illos nuncupat ſtultos ac ſtolidos, *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ* q! Dicendumne erit propterea, quòd Dei Filius & Sanctus Paulus ſuos oderint diſcipulos? Nequaquam. Sed per hæc verba aſpera teſtantur dolorem, quo afficiuntur ex offenſâ Dei, partim ob amorem ejuſdem Dei, partim propter amorem diſcipulorum eorumdem, quos intendunt ſuis correctionibus & monitis ad viam rectam reducere. Et propter hanc eamdem rationem objurgabat modò Daniel populum Iſraëliticum, ſancto zelo ductus, vocans eos ſtultos, *Sic fatui Filii Iſraël, non judicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſraël?*

p Galat. 3. 1.

q Luc. 24. 25 & 26.

Quàm laude dignos exiſtimarem ego eos, qui imitarentur iſtos, quique non deterrerentur ab humanis reſpectibus ne vitium corriperent, eodem zelo ducti quo iſti. Sed pariter illos autūo reprehenſibiles, qui eminentē præ ſe ferunt zelum, & apparētem induunt devotionem, quibus paſſionē prætexant ſuā

Adver-

Advertiſtiſne aliquando celebrem pœnam, quam inflixit Deus duobus Sacerdotibus Nadab & Abiu filijs Aaronis, cùm *egreſſus ignis à Domino, devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino* ? Nulla eſt iſtius ratio alia in Textu expreſſa, niſi quia *arreptis thuribulis, impoſuerunt ignem, & incenſum deſuper offerentes coram Domino ignem alienum; quod eis præceptum non erat* r. Erat alius *egreſſus ignis à Domino*, qui Aaronis *devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare* s; è cujus prunis debebant ſumere, illiſque ſua replere thuribula; & cùm iſtud non egiſſent, ſed igne profano ſua implevissent thuribula, ideò morte ſubitaneâ è medio fuerunt ſublati. At eratne illud ſic grave crimen, ut ſemel admiſſum tantùm, non foret veniâ dignum ? Si autem non erat illud eis condonandum, antequàm illius egiſſent pœnitentiam, erantne ſic citò puniendi, nedum concederetur eis otium expoſcendæ veniæ, aut peragendæ pœnitentiæ ? Si verò puniendi erant ſic velociter, oportebatne ut neceſſariò ſic rudi ſupplicio plecterentur, & funeſto concremarentur incendio ? Etiam, Auditores. Ut autem ritè intelligatur, conſideranda eſt figura magìs, quàm litera. *Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis: Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram* t. S. Gregorius u ſuper hæc verba Job, *Sicut olla ſuccenſa atque ſervens*, ait, *Velut olla ſervens eſt unaquæque anima, cogitationum ſuarum impetus quaſi ſpumas ardentium undarum ſuſtinens, quas & ignis zeli commovet. Unde Ioannes* x *quoque cum huius beſtiæ ſigna narraret, adiunxit; Ita ut ignem faciat de cœlo deſcendere. Ignem quippe de cœlo deſcendere, eſt de cœleſtibus Electorum animis ſancti zeli flammas emanare.* Et iſte idem zelus ſignificabatur per ignem, qui Aaronis *devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altari*. Cujus Scriptura reddit rationem, quia erat *egreſſus à Domino* y, qui præceperat ut perpetuò foveretur, *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari* z. Re autem verâ zelus aliquando nuncupatur etiam nomine ignis, *In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra* a. Et, *Uſquequò Domine iraſcêris in finem ? accendetur velut ignis zelus tuus* b ?

r Levit. 10. 2. & 1.
s Levit. 9. 24.
t 1. Cor. 10. 11.
u S. Greg. lib. 3. Mor. c. 7 in Ioh. 41 11.
x ex Apoc. 13. 13
y Levit. 9. 24.
z Levit. 6. 12. & 13
a Sophon. 3. 8
b Pſ. 78. 5.

Prætereà, Nomine ignis intelligitur aliquando vindicta & punitio, *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima* c. Et, *Effudit quaſi ignem indignationem ſuam* d. Ideò daturus Legem populo ſuo Deus, datâ operâ apparuit involutus igne & fumo ſuper monte Sinai, *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne* e. Quaſi diceret, eos, qui peccaturi eſſent contra Legem, igne puniendos, ut exponit S. Cyrillus f, *Mons autem erat ignis ad terrorem quidem craſſi populi, cui non erat ſpiritus filiorum adoptionis, ſed ſervitutis* g, *ad terrorem eius qui violenter & non voluntariè colit Deum.* Sed obſervandum eſt, quòd vindicta aut punitio peccatorum repræſentata per ignem, cùm fit miniſterio hominum, procedit aliquando è zelo honoris Dei, quem dicebamus modò, egreſſum *à Domino*. Aliàs verò oritur ex proprio ipſorum commodo, ex invidiâ, aut ex æmulatione, quæ inter illos invenitur, quæ non eſt minùs ardens quàm ignis, *Dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum* h. Hunc autem ignem vocare poſſumus *ignem alienum*, quippe qui non eſt *egreſſus à Domino*. Cauſa igitur combuſtionis duorum filiorum Aaronis, hæc fuit, quoniam *arreptis thuribulis, impoſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.* Ut ſignificetur, quòd, cùm ij qui ex debito officii ſui tenentur præ ſe ferre zelum, & accendi more ignis contra peccata, quæ perpetrantur in aliqua civitate, aut Provinciâ, nedum illuc afferant ignem zeli gloriæ Dei, & charitatis proximi; ibi è contrà collocant prunas ignis alieni & profani invidiarum, odiorum, & aliarum paſſionum ſuarum immoderatarum. Ignis iſte alienus eſt ab hac ſacra functione, magiſque idoneus comburendis proximis, quàm conſumendis eorum peccatis. Cùm illi, quibus incumbit ex officio complecti cauſam Dei, cùm vident eam laceratam; ſuum potiùs intuentur commodum, & totam ſuæ inſumunt vim fortitudinis, & furorem iræ ſuæ potiùs ad ſatagenda negotia ſua, ad aucupandas glorias ſuas, & ad deſtruendos proximos ſuos, quàm ad erigendum honorem Dei, & ad ædificandum proximum; tunc caveant ſibi; periculoſum enim eſt, ne, nedum alios comburant, ut intendunt, ſuis falſis zelis, emittat è zelo Dominus ignem, qui conſumat ipſos, ſicut *egreſſus ignis à Domino, devoravit* filios Aaronis. Et cùm zelum iſtum præ ſe ferent, quaſi bonum ignem magnificare eũ volentes, ducentur ipſi invidiâ, vindictâ, ambitione, reſpectu humano, vanitate, aliove neſcio qualiter illud nuncupem; quod ipſos ſtatim & æquè citò adversùs Juſtos commoveat ac contra impios; & violentias, quibus miſerum opprimunt populum; & perſecutiones, quibus probatæ vitæ impetunt homines, juſtitiæ, aut religionis ementito volent prætexere pallio: Ha! hoc eſt quod Deus ſuſtinere non poteſt, nimirum quòd illi faciant ipſum ſuis *ſervire in peccatis, laborem in iniquitatibus* i ſuis ipſi præbeant; quòd ignem cœleſtem & ſanctum zelum operire velint ſpiritu ſuperbiæ, aut vindictæ. Ha! citò aut tardè de iis vindictam ſumet ipſemet Deus, & *in ignem æternum* k projiciet eos, qui miſcuerint ignem paſſionum ſuarum correctionibus & punitionibus, quas exercere debebant duntaxat ob gloriam ipſius, & propter bonum proximi.

c Deut. 32. 22.
d Thren. 2 4.
e Exod. 19. 18.
f S. Cyrill. Alex. in Collect. c. 17. in Exod. 19. 18.
g ex Rom. 8. 15.
h Cant. 8. 6.
i Isai. 43. 24.
k Matth. 25. 41.

Hic autem eſt modus, quo utitur Deus ad protegendos amicos & ſervos ſuos, & eruendos eos è perſecutionibus. Licèt enim verum ſit, quòd *omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur* †; media tamen habet ipſa efficaciſſima, quibus illos in loco conſtituat ſecuro. Vidit eum Zacharias l habentem præ manibus funes & menſuras, *Et ecce in manu eius funiculus menſorum.* Et interrogans eum quid iſtis acturus eſſet, *Dixit, Ut metiar Ieruſalem, & videam quanta ſit latitudo eius, & quanta longitudo eius*, & ſciam an ipſa ſit ſatis magna ad continendum totum populum, & omnes greges animalium, quos in ea collocare volo. Et cùm inveniſſet quòd eſſet nimis ſtricta ad recipiendum hæc omnia, & quòd ipſa redigenda eſſet in ſuburbium, & deſtruendi eſſent illius muri, ait, *Abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.* Sed ſi Deus iſtam ſic amet civitatem, Auditores, & teſtetur ſe tantam illius curam ſuſcipere, quare deſtruere vult mœnia ejus, cùm iſte ſit modus illius citò profligandæ ? in eam enim ingredietur hoſtis, & illam ſuæ ſubjiciciet ditioni. Ha! dicit Deus, huic ego occurram infortunio, *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloriâ ero in medio eius*, eam glorioſam efficiendo. Sed ſi Deus eam tutam intendat, &

† 2. Tim. 3. 12.
l Zach. 2. 1. &c.

ideò ſe murum vult illius conſtituere, nonne ſatius foret ut munia obiret muri lapidei, quàm ignei? fortaſſis enim volens impedire ne ad illam hoſtes appropinquent, ipſos civitatis comburet incolas. Hoc eſt ſanè quod vos & ego ageremus, qui non poſſemus moderari efficaciam ignis. Sed qui poſſet ita dividere duas actiones ignis, quæ ſunt illuminare, & calefacere ſeu comburere, ut incenderet eos qui foris ſunt, & illuminaret eos qui ſunt intùs, nedum tamen eos combureret, nonne bonæ tutelæ loco eſſet? Hoc eſt quod Deus agit in gratiam Juſtorum, *Ego erò ei murus ignis in circuitu*, illis eſt ignis, qui eos circumquaque cingit, & comburet hoſtes undequaque veniant, ſed ignis eos illuminans, *Et in gloriâ ero in medio ejus*, ut eos lætificem & conſoler, nedum eis malum inferam. Hoc agit Deus in gratiam amicorum ſuorum, qui perſecutionibus impetuntur ab iis, qui falſo zelo ducti requiem ipſorum interturbant, dum correctionis beneficium illis impendere charitativæ ſe ſimulant. Hos hoſtes comburet Deus igne ſuo, quo illuminabit amicos & ſervos ſuos in iſto mundo mediâ gratiâ ſuâ, & gloriâ ſuâ in altero.

FERIA VI.

POST DOMINICAM III. ADVENTVS.

Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum, Peccaſtis peccatum maximum.

Exod. 32. 30. &c.

a S. Chryſoſt. hom. 73. in Mat. 23. 4.

S. Chryſoſtomus a explicans contra Phariſæos, qui non faciebant ipſi id quod aliis imperabant, cùm eſſent hypocritæ, hæc verba, *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere*, ait, *Audiant te homines parva mandantem, & grandia videant facientem. Talis eſt autem Sacerdos qui ſibi indulget, & ab aliis gravia exigit.* Lex quæ Moyſi data eſt, erat lex ignis, *In dexterâ ejus ignea lex* b; ſed

b Deut. 33. 2.

lex quæ erat in manu Dei qui dederat eam; vel, ſi vultis ad propoſitum, in manu Moyſis qui acceptam à Deo traditurus erat eam populo, ut innuatur, quòd manus illius qui præbet legem, debent eſſe ignis ardens contra ipſum, & aliis ignis lucens. Idcircò videtis, quòd lignum paſcens & fovens ignē, ſemetipſum comburit, & præbet illis qui ſunt extra ignem, calorem moderatum, & lumen jucundum. Sic Superior, & Magiſtratus debet eſſe plenus zelo in gratiam populi ſui, more noſtri Moyſis, ignis ardens curâ continuâ, & labore ordinario ſuſcepto etiam ſub periculo ſanguinis & vitæ, ſi ita expedit conſervationi & tutelæ eorum qui ipſius ſunt ſolicitudini commiſſi; & inſtar Filii Dei, qui venit amoris ſui *ignem mittere in terram* c ad illuminandos intellectus noſtros, & ad inflammandas noſtras voluntates, volens illum accendere in cordibus omnium hominum, præcipuè verò in pectore Virginis Sacratiſſimæ, ideò deſcendens in uterum illius d, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

c Luc. 12. 49.

d Luc. 1. 28.

Si ſciret quis quanti ſint oneris dignitates, eas ſanè non aucuparetur, quin imò oblatas illas recuſaret, cùm officium præcipiendi ſit ita moleſtum, ut ille qui id ſuſcipit, obſtringat eum qui illud ipſi impendit; & ille qui illud confert, laborem cauſet in eo qui illud recipit. Adrianus III. Pontifex Romanus dixiſſe refertur, quòd nemo miſerior in mundo foret Romano Pontifice, quòd cathedra ejus eſſet ſpinis referta, & talis eſſet ponderis, ut robuſtiſſimi quique vix eam ferre poſſent. Ideò jure merito ſummus Pontifex eſt re verâ *Servus ſervorum Dei*, ſicut talis eſt nomine. Cùm jaceret ſortem *Samuel* ad eligendum Regem Iſraël, *cecidit ſors tribus Beniamin.* Ubi in Hebræo eſt, *capta eſt tribus Beniamin.* Sed ſi Scriptura e ait, quòd *Samuel applicuit tribum Beniamin, & pervênit uſque ad Saül*, qui ideò erat coronandus, cùm eſſet è tribu Benjamin, cur litera Hebraica fert, quòd in captivitatem fuerit redacta? Non ſine ratione id peractum eſt; non eſt enim in orbe major ſervitus, nec ſævior crudelitas quàm regere & gubernare. Videte iſtud, obſecro. Cùm enim fuiſſet electus Saül Rex, *quæſierunt eum, & non eſt inventus. Et conſuluerunt poſt hæc Dominum, utrumnam venturus eſſet illuc. Reſponditque Dominus, Ecce abſconditus eſt domi.* Ubi in Hebræo dicitur, *Ecce ipſe latet ad vaſa.* Sed inter quæ vaſa? Refertur quòd inter ſarcinas & onera mercium eorum qui venerant ad electionem Regiæ dignitatis, ſe occultaſſet Saül. Sicut enim ipſe ſciebat ſe inungendum Regem, experiebatur & probabat ſeſe exercendo inter hæc onera, num hæc ipſe poſſet ſuſtinere, *Videbat enim poteſtatem ſuam excedere dignitatem*, ait Theodoretus f, & cognoſcebat quòd ille qui imperat, magnis pollere debet viribus quibus onus ſuſtineat ſuum, cùm ſit omnium ſuorum ſervus ſubditorum; onus ſanè maximum, ingentes & multas ſecum invehens vigilias æquè ac pericula; animarum regimen, quod eſt, ut dicam uno verbo cum Concilio Tridentino †, *onus Angelicis humeris formidandum.* Et ideò ille appoſitè locutus eſt, qui dixit, *Unuſquiſque qui non amens ſit, alium potiùs eligat ſibi præeſſe.* Quaſi diceret, quòd illi, qui populares auras aucupantur, honores ambiunt externos, dignitates conciliare ſibi inquirunt, & aliis præcipere & imperare geſtiunt, jure merito reponendi ſint in numero *ſtultorum*, quorum *infinitus eſt numerus* g. Quia cùm obſtringantur ex impoſitis ſibi muniis ad hoc ut ſint ſolicitò de eorum regimine, quorum eſt ipſis cura commiſſa, fieri non poteſt quin multis importunis ſeſe implicent negotiis, quæ ipſorum requiem interturbent.

e 1 Reg. 10. 20. &c.

f Theodoret. in lib. 1. Reg. 10. 19. &c. quæſt. 25.

† Conc. Trid. ſeſſ. 6 decret. de Reform. & Reſidentia c. 1.

g Eccl. 1. 15.

Commiſſurus ovium regimen ſuarum S. Petro Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam, ter ab eo quærit, num ſe diligat, *Simon Ioannis diligis me* h? Sed Domine, quid vis ei dare? cùm ſic examines ejus voluntatem, & amorem, quo te proſequatur. *Paſce oves meas.* Paſcendum ei committere volo gregem meum. Sed propter id eſtne ſic ſeverè examinandus circa dilectionem, quâ feratur erga te? S. Chryſoſtomus i ait, *Quantum autem ſit pietatis argumentum, quòd Deus illum tante Magiſtratu dignum judicarit, audi, Chriſtus excitatus à morte, quid dicit Petro. Poſtquàm enim illum interrogaſſet, Petre amas me? Iſque reſpondiſſet, Tu Domine ſcis quòd amo te; non dixit Chriſtus: Abjice pecunias, jejunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, dæmones abige: ſed, Si diligis me, paſce oves meas.* Unuſquiſque poteſt

h Joan. 21. 15 &c.

i S. Chryſoſt. Orat. de B. Philogon.

teſt jejunare, humi cubare, carnemque macerare; delicatiſſimæ quæque mulieres his ſuſtinendis non ſunt impares laboribus, ſeque delicijs vitæ ac voluptatibus privare poſſunt; ſed nullus, imò nec omnes homines gubernandis & regendis animabus ſunt idonei, & ideò præponendus eſt eis Petrus, qui præ ſe ferat nomen petræ, quippe qui vires habeat ponderi ſic terribili & oneri ita gravi ſuſtinendo accommodas.

k S. Aug. Serm. 49. de Verb. Dom. c. 8. & 4.

S. Auguſtinus k ſubtilitate ſuâ profundiùs pervadit, & petit, Uter eſt qui dat, aut recipit, Chriſtus, aut Petrus? Cùm enim deſidero ut quis aliquo cumulet me favore aut beneficio, examinare conor voluntatem & amorem illius qui me diligit, ut ab eo expoſcam id quod intendo, quia fultus hoc amore & affectu, audacter ab eo efflagitabo id quod concupiſco. Ter *ergo poſt Reſurrectionem ſuam Dominus interrogavit eum. Ergo hoc Dominus exigit à Petro, Petre amas me? Quaſi, Quid mihi dabis, quid mihi præſtabis, quia amas me? Quid erat præſtaturus Petrus reſurgenti Domino, & eunti in cœlū, atq; ſedenti ad dexteram Patris? Quaſi diceret: Hoc mihi dabis, hoc mihi præſtabis, ſi amas me, ut paſcas oves meas.* Sed quid? Domine, conſtituis Petrum Apoſtolū tuum l, Prælatum & Superiorem Eccleſiæ tuæ, tradens illi *claves regni cœlorum* m, & tamen ais quòd Petrus tibi det, & in hoc te ſibi addicat, *Hoc mihi dabis, hoc mihi præſtabis, ſi amas me, ut paſcas oves meas.* Videtur contrarium aſſerendum, & quòd Petrus tibi ſit obſtrictus, quippe qui favore inſignitur, nedum tu ab eo aliquid ſuſcipias, cùm eum magnum efficias Pontificem, & Vicarium tuum Generalem. Ha! penſum imperandi eſt officium ſic moleſtum, & onus ita grave & intolerabile, ut ille qui hujuſmodi curam ſuſcipit, obſtringat & devinciat ſibi eum, qui illam ſibi impertitur, cùm ille qui eam recipit, totum ſuſtinere cogatur officii ſui onus ac laborem. Illi autem qui gradus, honores, & dignitates aucupantur & ambiunt, ignorant prorſus quænam res ſint hujuſmodi penſa; & ijs jure merito poteſt improperari id, quod ſuis reſpondit Chriſtus diſcipulis, duas ſedes principes Regni ſui efflagitantibus, *Neſcitis quid petatis* n. Idcircò ipſemet *Ieſus cùm cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus* o. Illi autem ritè non noverunt quanta alligata ſit hujuſmodi dignitati pœna, & conjunctum periculum, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes* p. Iſtud invitat me ad oſtendendum vobis Primò, Quòd Superior, ſive Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis qui ſuos non corripit ſubditos, eorundem defectuum conſcius eſt. Secundò, Quòd ſubditi teneantur ei obedire.

l Luc. 6. 13. & 14.
m Matth. 16. 18. & 19.
n Matth. 20. 21. & 22.
o Ioan. 6. 15.
p Hebr. 13. 17.
Diviſio.

Salutare ſubminiſtrat S. Paulus conſilium Prælatis, nimirum, ut ſibi attendant, & invigilent exactâ ſolicitudine curæ animarum ſibi à Deo commiſſarum, ab eo earundem Paſtores conſtituti; ut meliùs oſtendat eis gravitatem oneris humeris ipſorum impoſiti, & valorem gregis ipſis commiſſi; ſubditque, quòd Chriſtus illum ſibi pretio ſui conciliavit Sanguinis, *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo* q. Superiores igitur, ſive Eccleſiaſtici, ſeu ſæculares aut Politici, duobus debent attendere, primò ſibi, deinde ijs, quorum regimen ſuſceperunt ſatagere. Primò debent attendere ſibi, nam cùm teneantur alios dirigere, non debent ipſi eſſe cæci, ne exponantur periculo labendi in præcipitium, *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt* r. Non oportet ut ſint illi inſtar candelæ, quæ alios illuminans, ſemetipſam conſumit; aut ſicut fabri lignarij, qui fabricaverunt s Arcam Noë & familiæ ejus, & tamen ipſi diluvio ſunt immerſi t, cùm ejuſdem Arcæ beneficio uti noluiſſent, quippe qui non voluiſſent reſipiſcere. Debent illi laborare pro ſalute ſubditorum, nam ſalutem illorum ſatagentes, ſuam ipſorum promovent; idcircò debent attendere, *Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus reddituri.* Superior quippe rationem reddere Deo debet, ſi incuriâ ipſius aliqua pereat anima, *Si dicente me ad impium, Morte morieris: non annunciaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à viâ ſuâ impiâ, & vivat: ipſe impius in iniquitate ſuâ morietur, ſanguinem autem eius de manu tuâ requiram* u. Ideò Superior ſui effici debet *forma gregis* x. Forma præbet eſſe & pretium ſubjecto, cui ineſt, *Forma dat eſſe rei*, ait proloquium Philoſophicum. Superior debet eſſe idea & prototypon, cui ſubditi debent conformari. Si autem Superiores non ſunt boni, ſi imperfecta ſint exemplaria, procul dubio obnoxia defectibus erunt illorum tranſſumpta.

q Act. 20. 28.
I. Pars.
r Matth. 15. 14.
s Gen. 6. 22.
t Gen. 7. 21. &c.
u Ezech. 3. 18.
x 1. Petr. 5. 3.

Quod autem meo congruit propoſito, eſt, quòd Prælatus qui ſuos non corrigit ſubditos, puſillanimitate ſuâ, conniventiâ ſuâ, & ſilentio ſuo, conſcius efficitur eorundem criminum, quorum ſunt illi Rei, idemque defectus ſubditorum ei imputantur. Diſcipulorum culpam imputaverunt Chriſto *Scribæ & Phariſæi, dicentes, Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas, cùm panem manducant* y: rati quòd ille, qui tenetur corrigere & punire vitia, neque ea corripit, neque mulctat, alieni particeps efficitur delicti; *Ad reprehendendum Dominum venerant* z. Verum quidem eſt, quòd ſi hæc omiſſio peccatum fuiſſet, & ſi Chriſtus eorum non fuiſſet Magiſter, Scribæ & Phariſæi vituperaſſent jure merito illorum Ducem & Dominum; quia cùm Superior ex officio ſuo teneatur ſubditos delinquentes corrigere, ille qui iſtam præ negligentiâ omittit correctionem, aut præ regimine pravo eorum defectus diſſimulat, eorundem peccatis oneratus remanet. Cùm *reverſus eſt Moyſes de monte, dixit ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum?* Etiamſi populus peccaviſſet adorando vitulum aureum, attamen omnem culpam imputavit Moyſes Aaroni, quem in ſuum ſubſtituerat ipſe locum ad regendum hunc populum, cujus peccato non oppoſuerat ſe Aaron eo modo quo tenebatur ei reluctari. Sic enim re diſcuſſâ, imputari debuit ſcelus Aaroni, quia illi conſenſum præbuerit, cùm illud impedire teneretur.

y Matth. 15. 1. & 2.
z Remig. citat. in Catenâ S. Thom. in Matth. 15. 4.

In obſidione Jerichuntinâ cautum erat, ut non contingeret *de his quæ præcepta ſunt, quippiam, & prævaricationis rei* a forent Iſraëlitæ milites. Tamen *Achan inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum concupiſcens* abſtulit: & propter hanc inobedientiam contra rem militarem, patratam, Joſue & milites ejus *percuſſi ſunt. Et dixit Ioſue, Mi Domine Deus quid dicam, videns Iſraëlem hoſtibus ſuis terga vertentem? Dixitque Dominus ad Ioſue, Peccavit Iſraël, & prævaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua* b. Licèt ſolus miles furtum commiſiſſet, dicit tamen Deus, quòd totus populus offendit. Quod Theodoretus c explicat, & ait, quòd Achan ſuum aperuit furtum aliquibus è commilitibus ſuis, & quia iſti non monuerunt hujuſmodi furti Ioſue Ducem Generalem exercitus, & Achan non accuſaverunt apud eum, fuerunt iſti omnes conſcij ejuſdem criminis, cùm tenerentur eum denun-

a Ioſue 6. 18.
b Ioſue 7. 1. &c.
c Theodoret. quæſt. 9. in Ioſue. 7.

denunciare: *Voluit igitur Deus & hunc reprehendere, & omnibus incutere metum, ut qui Divinarum Legum ſunt obſervatores, coarguant tranſgreſſores, alioqui infligendi ſupplicii ſint futuri participes.*

d Iſai. 49. 18.

Iſaias d vocat ſubditos veſtimenta Magnatum & Prælatorum, *Omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi ſicut ſponſa.* Ita ut ſubditi ſint veluti indumenta Superiorum & Præpoſitorum. Spiritus ſanctus loquens per os Prophetæ, fortaſſis hoc dixit, quia ſicut veſtimentum veteraſcit, & paulatim ſemper conſumitur, nedum ille qui ipſum defert, id advertat, & quoniam aliqui, ſunt homines ita ſordidi ut diſſipent intra ſex menſes veſtimentum, quo honorificè indui poſſent per duos annos; quique præ pudore coguntur aliud ſibi comparare novum loco illius, quod incuriâ ſuâ profligandum liverunt intra ſic exiguum tempus: Ita Propheta nuncupat ſubditus veſtes Superiorum, quia perſæpè hujuſmodi ſubditi rancidi efficiuntur in vitijs ſuis, & in illis veteraſcunt, nedum illorum vitiorum à ſuis corrigantur Superioribus, qui aliquando inter tantas verſantur tenebras, & in tali vivunt negligentiâ quoad hoc, & tantâ laxant licentiâ habenas regiminis, ut ſubditi eorum, qui per longum tempus vixiſſent in modeſtiâ Chriſtianâ, libertatem experientes effrænem, intra breve tempus pereant, & peccatis atque ſceleribus corrumpantur. Tunc Superior loco iſtius veſtis diſciſſæ & profligatæ, tenetur aliam ſubrogare, ideòque oportet ut etiam invitus aliam veſtem, id eſt, animam ſuam, loco illius veſtis, ſeu animæ tradat, ut crucietur in infernis pro ſuorum peccatis ſubditorum. Quia ille qui tenetur corrigere & caſtigare vitia, & hoc non perfungitur munere, de alienis æquè rationem reddet peccatis Deo, ac de ſuis.

e Orig. tract. 35. in Matth. 27. 29 & 30.

Origenes e ſuper hæc verba Evangeliſtæ, *Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dexterâ eius. Et exſpuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius,* ait, *Percutiunt eum hoc fragili & vano calamo Caput Ieſu venerabile, quoniã & ſemper Regnũ illud contrariũ cõvitiat & verberat Deũ Patrem Caput Domini Salvatoris.* Vt intelligantur hæc verba Origenis, Saltem quoad iſta tria, *Regnum illud contrarium*, obſervanda ſunt iſta quæ præcedunt paulò antè, *Calamus ille myſterium ſunt ſceptri vani & fragilis, ſuper quem incumbebamus omnes priuſquam crederemus ſceptrum maligni. Confidebamus enim in virgâ calamineâ Ægypti* f, *vel Babylonis, vel cuiuſcumque Regni contrarij contra Deum: & accepit calamum illum, & virgam fragilis Regni de manibus noſtris, ut triumphet eum, & conterat eum in ligno crucis: & pro calamo illo priore, ſuper quem priùs recumbebamus, dedit nobis ſceptrum Regni cæleſtis, & virgam, quæ corripiat eos qui eam habent correptione, de quâ dicit Apoſtolus* g, *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos?* Ita ut Origenes per Caput Chriſti intelligat Divinitatem, juxta eundem Apoſtolum i, *Caput Chriſti Deus*, & per conſequens Patrem æternum, & quòd milites percutientes Caput Chriſti intendebant verbera infligere Capiti Patris æterni, eique injurias inferre tam verbis, quàm verberibus, ut hæc verba innuunt, *Convitiat & verberat Deum Patrem Caput Domini Salvatoris.* Quaſi dixiſſent, Maledictus ſit Pater æternus, qui genuit Filium ſic perverſum, qui eum non punivit cùm poterat, nec eum corripuit tot fraudum, quas in hanc immiſit civitatem, conſcius eſt omnium proditionum Filij ſui, ideò *percutiebant Caput eius.* Quia idem eſt percutere Caput Chriſti, ac verberare Patrem æternum, qui genuit eum k.

f ex Iſai. 36. 6.
g 1. Cor. 4. 21.
i 1. Cor. 11. 3.
k Pſ. 2. 7. & 109. 3.

Hoc innuit, Superiores debere attendere ſibi, intuitu periculi in quod incurrunt perpetiendæ jacturæ animæ ſuæ, cùm culpa ſubditorum poſſit ipſis imputari, niſi eos corrigant, & ſalutare eis conſilium ſubminiſtrent. Cùm ageretur de creando aliquando Duce, aut Superiore, & offerretur hæc dignitas cuidam, *Princeps eſto noſter. Non ſum Medicus: nolite conſtituere me Principem populi* l, reſpondit ille. In Hebræo eſt, *Non ero alligans*: ſumptâ *tranſlatione à Chirurgo*, explicat Cornelius m. Et LXX. vertunt ibidem, *Non ero Princeps.* Ita ut oporteat ut Princeps, aut Superior Eccleſiaſticus, aut Politicus, ſit Medicus ſpiritualis animæ; ſit Chirurgus qui applicet cauterium diſciplinæ & correctionis ulceri fœtenti illius, qui ſe vitio depravari permittit. Oportet ut Prælatus ſit Medicus, & fortaſſis hic eſt ſenſus verborum iſtorum Evangelij n, *Vos eſtis ſal terræ, Vos eſtis lux mundi.* Qualitas ſalis in hoc eſt ſita ut impediat ne corrumpatur caro; & ut præſervet eam à putredine. Mordax eſt ſal: Si ſuis non perfungatur Superior munijs, corrigendo more Salis, inutilis eſt: *Quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultrà niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Sal iſtud myſticum contemnitur in officio ſuo, quo indignè perfungitur. Comparatur Medico, quia officium Prælati eſt curam habere ſpecialem ſanitatis animæ, ſicut bonus Medicus ſanitatem corporis fovere aut redintegrare ſatagit. *Vos eſtis lux mundi. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Superior dicere debet id, quod de ſuorum ſentit defectibus ſubditorum, eoſque corripere cùm opus fuerit. Ratio autem, propter quam comparatur Soli & lumini, hæc eſt, quia influentia eclypſis ſolaris per unam horam, cauſat ut plurimùm peſtem, aut alium morbum producit malignum ad aliquot annos, ita ut effectus funeſti hujus eclypſis efficiant ut per duos aut tres annos experiamur aliquando ipſius rigorem. Si verò Sol nullâ ſuffundatur eclypſi, fertiles efficit tempeſtates, & omnes curâ mirabili conſervat creaturas: Sic Superior ſi nullam vitij patiatur eclypſim, impedit exemplo ſuo ne ſubditi ſui labantur in peccatum: Si verò iſte Sol incidat in eclypſim per horam, mediâ interpoſitione alicujus peccati, effectus perniciosi hujus eclypſis, qui ſunt licentia peccandi ſubditis exhibita, mores ipſorum corrumpunt ad longum tempus, ita ut, ſi ſemel Prælatus offenderit, videatur ipſis licere impunè vitio indulgere. Multum igitur intereſt ut Prælatus, aut quilibet Superior ſit virtute præditus, quia

l Iſai. 3. 6. & 7.
m Cornel. in Iſai. 3. 7.
n Matth. 5. 13. &c.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Id innuit Chriſtus his verbis, cùm Petro ait, *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua* o. Cùm diabolus licentiam efflagitaverit tentãdi omnes diſcipulos, nec unum velit aggredi ſolum, utquid dicit Chriſtus, ſe oraſſe pro ſolo Petro? Videtur quòd fuiſſet congruentius ut Chriſtus rogaſſet pro omnibus, cùm omnes tentare aggredi vellet diabolus. S. Leo p ait, quòd orando pro eorum Prælato, ſi virtute præditus remanet, nec tentationi ſuccumbit, exemplum illius ſic eſt validum ut more ſalis reliquos præſervet à putredine tentationis, *Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & Divinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat eliddere; & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit.*

o Luc. 22. 32.
p S. Leo ſerm. 3. in Anniverſar. aſſūpt. ejus in Sum. Pontif.

Superior debet eſſe perfectus Chirurgus, quò

applicet

applicet cauterium partibus quæ corrumpuntur. Hujuſmodi erat noſter Moyſes, qui videns populum ſibi ſubditum cancro idololatriæ infectum ob adoratum vitulum aureum, *Stans in portâ caſtrorum, ait, Si quis eſt Domini, iungatur mihi, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Levi iuxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ viginti tria millia hominum. Et ait Moyſes. Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.* Super quæ ait Toſtatus q. *Secundùm quod vult Rabbi Salomon, & alij Hebræi, benedictio iſta fuit, quòd tribus Levi ſeiungeretur ab alijs in miniſterium Sanctuarij coram Domino.* Ita ut Superior videns perpetrari crimina contra Deum, qui cauſam ſuam ipſi commiſit amplectendam, ut inde fœlices hauriantur ſucceſſus, applicare debeat cauterium punitionis in diſpendium vitæ peccatorum ut juſti evadant, recedendo à viâ pravâ conſuetâ; ſi ritè artem velit exercere chirurgicam, reſecare debet membra putrida, ne reliquum abſumatur; ſi autem id non agat, adſcribendum eſt hoc ſævitiæ, non verò charitati. Non eſt parcendum propinquo, nec amico, nec affini, nec parvo, nec magno; ſed eſt impendenda correctio, cùm neceſſitas id exegerit; quia ſi aliter agant Superiores, alienorum efficiuntur delictorum conſcij: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri* r.

q Toſtat. q. 17. in Exod. 32. 29.

r Hebr. 13. 17. II. Part.

Cùm Superioritas oriatur à Deo, & ipſemet Deus ad dignitates eligat, *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo*, qui optimè novit quid agat, cùm omnia ſciat, & nihil ipſum lateat; ſic quidquid iſtâ peragit ipſe cognitione, perfectum præ ſe fert ordinem, *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt* ſ. Cùm *Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei* t, ſubrogavit nobis in locum ſuum ſuos Apoſtolos ut Vicarios ſuos, & poſt eos habemus Succeſſores illorum, qui ſunt Superiores noſtri, quibus tenemur morem gerere; Alioquin ſi ſine Superioribus ſuam deſeruiſſet Eccleſiam, in eâ bonum non conſtituiſſet ordinem, nec ei ſufficienter neceſſaria providiſſet, ſi tantùm eam ordinaſſet quandiu Apoſtoli vivebant in mundo; ſicut ſi aliquis Princeps longum iter aggrederetur, & Proregem conſtitueret loco ſui ipſius ad quoddam tempus, intra quod ipſe ſciret ſe non fore reverſurum, rectum ſuo ſtatui Politico ordinem non provideret. Cùm igitur Chriſtus aſcendens in cœlum, ſciret ſe non rediturum in mundum, niſi *cùm venerit in maieſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, ſuper ſedem maieſtatis ſuæ* u ſeſſurus, malè de ſuâ diſpoſuiſſet Eccleſiâ, niſi in eâ reliquiſſet Superiores uſque ad finem mundi per continuam ſucceſſionem: Illud erroneum eſſet cogitatu: Oportet igitur obedire Succeſſoribus Apoſtolorum, etiamſi mali eſſent. Nam ſi morem gerere teneremur duntaxat bonis & virtute præditis, juriſdictio Eccleſiæ nihil haberet ſtabile & certum. Neſcitur enim quiſnam ſit bonus, & quiſnam malus. *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor* x, quod eſt principium boni & mali. *Sunt iuſti, atque Sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo utrùm amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta, eò quòd, univerſa æquè eveniant iuſto & impio, Bono & malo* y. Eccleſia ſancta nullam præ ſe ferret firmitatem: qui enim malus eſt, unico inſtanti poteſt fieri bonus, & è contra; & ſic non deberet ei quis obedire.

ſ Rom. 13. 1. & 2.

t Marc 16. 19. & 20

u Matt. 25. 31.

x Ier. 17. 9. & 10.

y Eccl. 9. &c.

Præterea, Sicut pictor deformis ſpecioſam efformat tabellam, & vitium pictoris hanc non efficit imaginem deformem; ſic Superior vitioſus bona poteſt agere mandata, *Omnia ergo quæcumque dixerunt vobis, ſervate & facite, ſecundùm opera verò eorum nolite facere* z. Nullum eſt autem periculum ipſis inferioribus, ſi obediunt Superioribus vitioſis in eo, in quo tenerentur gerere morem Præpoſito virtutis ſtudioſo, cùm mali æquè ac boni eâdem vigeant authoritate. Dei Filius qui eſt værum prototypon obedientium, Patri ſuo *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* a, dixit Pilato, *Non haberes poteſtatem adverſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper* b. Atqui certiſſimum eſt, quòd Pilatus erat malus, præcipuè verò tunc: Obediendum eſt igitur cùm recta id exigat ratio, & Deus id præcipiat, hæc efflagitans noſtrarum munia reverentiarum in noſtrorum gratiam Superiorum.

z Matt. 23. 3.

a Philipp. 2. 8.

b Ioan. 19. 11.

Cæco nato Chriſtus *dixit, Vade, lava in natatoria Siloë* c, ut illum conſtitueret obedientiæ ſymbolum, ſicut poſt D. Chryſoſtomum, Theophylactum, & Euthymium aſſerit Maldonatus d, eum *non dubitaſſe apud ſeſe, quorſum in piſcinam lavandi cauſâ mitteretur:* nec excuſationem prætexuiſſe cæcitate ſuâ, ſed iter manibus prætentaſſe. Ille qui obedit, vincere debet omnes difficultates, quæ opponuntur exequendis Superioris mandatis. Iraſcitur Deus ob excuſationem Moyſis, *cui ait, Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Iſraël de Ægypto. Dixitque Moyſes ad Deum, Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto? Qui dixit ei, Ego ero tecum* e. *Ait Moyſes: Obſecro, Domine, non ſum eloquens. Dixit Dominus ad eum, Perge igitur, & ego ero in ore tuo. At ille, Obſecro, Domine, inquit, mitte quem miſſurus es. Iratus Dominus in Moyſen. Cùmque eſſet in itinere, in diverſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum* f propter tot excuſationes, quæ ipſi diſplicuerant, quia promptè eſt obediendum.

c Ioan. 9. 7.

d Maldonat. in Ioan. 9. 7.

e Exod. 3. 7. &c.

f Exod. 4. 10. &c.

Rupertus ait, quod Deus tanti æſtimavit obedientiam Abrahæ, cùm *ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi* g &c. ut videatur Pater æternus non potuiſſe dignius remunerari hujuſmodi obedientiam, quàm per determinatioem infallibilem deſcenſus verbi ſui, ut ſacrificaretur in mercedem hujus obedientiæ. *Quem mittam? & quis ibit nobis? & dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit, Vade* h. Sic autem loquitur Rupertus i. *Quæſivit miſericors Deus capitulum in homine, per quod poſſet iuſtè debitor ipſe teneri. Quæſivit, inquam, ab homine unigenitum ſibi filium immolari, ut ſuum ipſe Filium iuſtâ viciſſitudine deberet homini*, jure mercedis reciprocæ. Videte quanti Deus promptam ducat obedientiam. Præcipit Deus Ioſue ut Iordanem k prætereat ipſe cum toto ſuo exercitu. Non reſpondet Ioſue, ibi non eſſe vadum, nec pontem, nec ullam navem, ſed rectà Iordanem contendit. Quid accidit? *Ingreſſis eis Iordanem, & pedibus eorũ in parte aquæ tinctis, ſteterunt aquæ deſcendẽtes in uno loco, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant; Populus autem incedebat contra Iordanẽ: & Sacerdotes qui portabant Arcã Fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem fluviũ tranſibat* l. Eiuſdem Dei Spiritu motus Elias ſacrificium diſponit offerre, præcepitque Deus aquæ ut *ſuper holocauſtum & ſuper ligna* ſuperpoſita funderetur.

g Gen. 22. 2. &c.

h Iſai. 6. 8. & 9.

i Rupert. in Gen. 22. 2. &c.

k Ioſue 3. 7. &c.

l 3. Reg. 18. 30 &c.

Poterat

Poterat illa metuere jure merito deſtructionem ſui eſſe ex occurſu contrarij ſibi, nimirum ignis ſuperventuri, tamen deſcendens aqua ſuper ea, ibi invênit aliquo modo vitam, ubi interitum videbatur ipſa formydare; nam poſt conſumptum ſacrificium, in eo ſic Deus complacuit ſibi, ut diſcedens etiam, aquã quæ erat in canali lamberet, veluti obedientiam commendans, *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aqueductu. lambens* l.

l 3. Reg. 19. 30. &c.

Eandem iſtam magnificant obedientiam Patres, eamque ſuadent nobis ut adimpleamus. Tertullianus m aſcribit imprudentiæ, Superioris mandatum diſcutere, *Audaciam exiſtimo, de bono Divini Præcepti diſputare.* Et S. Hieronymus n inſtituens Ruſticum, ait ei, *Credas tibi ſalutare quidquid ille præceperit.* Eva aperuit oſtium ruinæ generis humani, dubitando de Divino Mandato ſibi præſcripto, *Morte morieris* o, Diabolum alloquens, de hâc ambigit ipſa veritate, *Ne fortè moriamur* p. Satagit ei perſuadere diabolus nè quid ipſa formidet. Deus aſſerit, fœmina ambigit, diabolus negat. Videte quanta ſit diaboli calliditas, quã deluſa *mulier* iſta, & circa obedientiam titubans & vacillans, *tulit de fructu. & comêdit: deditque viro ſuo, qui comêdit.* Idem dicendum eſt de ſubditis intuitu Superioris ſui. *Timeo autem nè ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutiâ ſuâ: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto* q, per quam obedire Superioribus veſtris debetis, non tantùm mandata eorum exequendo per voluntatem, ſed etiam rectæ rationi judicando ea conſona per intellectum, ut dicebat modò S. Hieronymus Ruſtico, *Credas tibi ſalutare quidquid ille præceperit.*

m Tert. lib. de Patientia. 4.
n S. Hieron. epiſt. 4 ad Ruſtic. n. 12.
o Gen. 2. 17.
p Gen. 3. 3 &c.
q 2. Cor. 11. 3.

Ne dicatis mihi, quòd, ut inducamini ad exhibendam hanc Superioribus obedientiam, iidem Superiores, qui ſunt Vicarii Dei, qui ferunt præ manibus ignem legis Dei, ſicut *in dexterâ ejus ignea lex* r, debent eſſe ſeveriores adverſùs ſemetipſos, quàm contra ſuos ſubditos; quòdque, cùm imitatores ſint Dei, eò digniores ſeſe debent hujuſmodi conditione exhibere, ut eos edocet Iſaias s, *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumniâ, & excutit manus ſuas ab omni munere.* Quiſnam valebit veſtrûm tenere præ manibus ſuis hanc legem Dei, quæ eſt ignis devorans, & ignis æternus, ſicut Verbum illius, ut eam præbeat populo? *Eſt enim Deus ignis comburens impios, juxta id quod in Deuteronomio* t *ſcriptum legimus: Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*, ait Pintus †. Ha! oportet ut ille incedat rectè, loquatur præ veritate, non ſinat ſe corrumpi muneribus, & non agat ipſe id quod prohibet, & punit in aliis. Hæc omnia non ſunt neceſſaria ut inducant nos ad obediendum Superioribus; ſed ſufficit ut ſciamus, eos à Deo fuiſſe inſtitutos. Verum quidem eſt, nec inficias eo, quòd ubi Superior præ ſe legem fert igneam, quòcumque poteſt pergere, & præ magna ſuavitate ſuorum exigere ſibi ſubditorum exhibendas obedientias. Sicut enim ignis eſt vivaciſſimus omnium elementorum, & ſibi locum pandit efficit, ubicumque invenitur, & ibi ſuæ notas relinquit generoſitatis; ita Superior, & Magiſtratus, qui præ ſuis fert manibus legem igneam, quòcumque audactèr poteſt contendere, Curiam convocare privatim, vel publicè, aut apud domum Principis, aut apud ſuam, vel apud alienam; apparebit ſemper ut bonus Superior, & ut integer Magiſtratus; ſicut enim legẽ in manu defert potiùs quàm in ore; ſicut actiones ſuas probat per ignem legis, ſicut ipſe ſe avertit ab exceſſibus, quos in alijs vult ipſe conſumere; ſicut ipſe vivere vult præ integritate, & ipſi ſit ſatis dummodò ſciant homines quidnam ipſe privatim peragat apud ſe, hoc inducit ſubditos ipſius ut ipſi æquo obedientias ſuas exhibeant animo. Idcircò ignem præ ſuis fert manibus, ut unuſquiſque videat opera manuum ipſius. Sicut nihil eſt in modo vivendi ipſius, quod contrarium ſit mandatis ipſius, ſic quòcumque ire poteſt, & unuſquiſque ſubjicietur ei; agnoſcetur ſemper ut bonus Superior & legitimus Magiſtratus, & relinquet notas ſapientiæ & æquitatis ſuæ, in quemcumque proficiſcatur locum, ibique inveniet ſedes & tribunalia juriſdictionis ſuæ. Obſervans enim ſemper legem, & eam præ manibus ſemper deferens, actum ſemper aget hujus primi Legiſlatoris, qui eſt Deus, qui eam noluit dare populo ſuo ſolo verbo, ſed etiam manibus. Unde fit ut dicatur, quòd, licèt Deus ſuam legem dederit palàm in monte Sinai filiis Iſraël, tamẽ eos è cœlo alloquebatur, *Dixit Dominus ad Moyſen, Hæc dices filiis Iſraël, Vos vidiſtis, quòd de cœlo locutus ſim vobis* u. Quaſi diceret, quòd quicumq; ad aliquam elevatus eſt dignitatem, aut Superioritatem, videtur vivere ſuper terrâ non ſecus ac vos, & vivere familiariter in veſtrâ ſocietate: tamen ſi in praxim redigit id, quod ipſe vobis præcipit adimplendum, poteſtis dicere, quòd ille eſt in cœlo; probitas & integritas ipſius inter Angelicos collocat ipſũ choros; & authoritas dignitatis ipſius eũ vobis exhibet ut exiguum deum, *Vſquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Ego dixi, Dij eſtis, & filii Excelſi omnes* x. Utquid diſſimulatas & commentitias induitis perſonas, dum vultus præ vobis fertis hominum plebejorum, quaſi verò vivatis ut hominum omnium profligatiſſimi? ait Propheta, cùm veſtræ vos ſic extollant dignitates, ut dij eſſetis, ſi velletis, exigendo ſubditorum veſtrorum vobis exhibendas obedientias (nam iſtud nomen Dei *attribuitur quandoque Iudicibus; Exod. 22. 8. Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos. Gloſſ. id eſt, ad Iudices: Attribuitur quandoque Prophetis, & Doctoribus, Ioan. 10. 35 Illos dixit deos, ad quos Sermo Dei factus eſt*, ait Incognitus y:) Legem enim pronunciare, & nationes judicare, ad ſolum pertinet Deum qui *judicabit in nationibus* z, *id eſt, diſcernet in nationibus tot homines, bonos & electos, quia de quâlibet natione aliquos elegit*, dicit idem Incognitus a: Nihilominùs vos, qui hoc eximio perfungimini officio, ſic vos deprimitis ut ordinem tenere non dedignemini inter homines peccatores, & effici conſcij eorundem criminum, quibus illi ſunt obnoxij? Illi ſanè non deferunt legem niſi ſuper linguam, nullam præ ſuis ferunt ignem manibus, quas habent cereas, quibuſlibet figuris imprimendis ſuſcipiendis idoneas, jus contorquent Patrium eo modo quo ipſis placet, efficientes illud longum & latum, ſtrictum & breve juxta ſuos affectus, licèt plerùmque non æquitati conſonos. Superiores, quicumque ſitis, Eccleſiaſtici, aut Politici, nolite pati ut intra diſtrictus juriſdictionis veſtræ inveniantur homines vobis probiores, qui legem ferant in manibus ſuis, obediendo vobis, quam vos præ ſolo fertis ore veſtro, præcepta inſtituendo. Sed quàm felices eritis, ſi legem, quam decernitis, præ manibus veſtris feratis; *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur* b apud eundem Deum, qui ſuam vobis tribuet gratiam in hoc mundo, & gloriam ſuam in altero ſeculo.

r Deut. 33. 2.
s Iſai. 33. 14. & 15.
t Deut. 4. 24.
† Pintus in Iſai. 33. 14.
u Exod. 20. 22.
x Pſ. 81. 2. & 6.
y Incognit. in Pſ. 8. 6.
z Pſ. 109. 6.
a Incognit in Pſ. 109. 6.
b Rom. 2. 13.

IN FESTO

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Inſer digitum tuum huc. Ioan. 20. 27. &c.

DEvinxit nos ſibi natura, eò quòd ipſa nos reſervarit ad mundi ſenectam uſque, cùm nobis duntaxat ſupereſt ut projiciamus oculos noſtros ſuper præclara majorum noſtrorum facinora, ut ijs tanquam regulis utamur, quibus vitam apprimè dirigamus noſtram, exemplis eorum adhærentes, ut mores componamus noſtros. Intuemur fidem in Abraham, obedientiam in Iſaac a, conſtantiam in Jacob b, pœnitentiam in David c, patientiam in Job d, zelum in Elia e, & manſuetudinem in Moyſe, *Erat enim Moyſes vir mitisſimus ſuper omnes homines* f. Sicut & in S. Thoma admirandum fervorem in conſiliis ipſius, conſtantiam in laboribus, & perſeverantiam in tolerantijs: imò verò infidelitas ipſius futura nobis eſt commodo & utilitati, cùm ad ſanandam eam permittat ipſi Chriſtus ut *digitum* inferat in proprium ipſius latus. Non eſt cur miremur iſtum Apoſtolum in hunc errorem eſſe lapſum; cùm natura nobis dies nunquam æquè ſplendidos ſubminiſtret ac ſerenos, quin eos ſequantur noctes; nullaque ſint aſtra ſine eclypſi, pulchritudo ſine labe, nec ulla veritas ſine aliquâ controverſiâ; licèt etiam verum ſit reſurrexiſſe Chriſtum cum vulneribus ſuis, ſicut verum eſt eundem factum fuiſſe hominem in ſinu Virginis ſanctiſſimæ eodem momento quo dixit ei Angelus, *Ave Maria.*

a Gen. 22. 1. &c. b Gen. 29. 18. &c. c 2. Reg. 12. 13. d Iob. 1. 21 e 3. Reg. 18. 1. &c. f Num. 12. 3.

Tota hominum infelicitas ex eo ortum ducit, quòd ipſi ſint Adæ filij g, Fœdus hoc infelix & lethiferum cum infortunato hoc Protoplaſto ipſos miſeros efficit æquè ac infælices: & ſi poſſent hoc importunum fœdus diſſoluere, nihil ipſis eſſet tolerandum ampliùs, cùm futura eſſet fælicitas ab ipſorum perſonis inſeparabilis. Chriſtiani verò eò ſunt fælices quòd ſunt *filij Dei; ſi autē filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti* h. Glorioſum hoc fœdus, quod cum Chriſto pepigerunt, eſt totum fælicitatis ipſorum motivum & cauſa, nec unquam efficiuntur miſeri, niſi cùm huic ſacro renunciant fœderi, quod ipſos ſingulari honorat prærogativâ filiorum adoptionis & gratiæ; unde vocant Deum Patrem ſuum, *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater* i. Beatum fœdus, quod ipſos introducit in communicationem Dei, & Filij ipſius naturalis Jeſu Chriſti, præventos eâdem charitate quæ ipſos inducit ut inferant non digitum, ut S. Thomas, in ſacrum latus ejus, & in cor illius, ſed cor ſuum in cor Jeſu, ut conforment actiones ſuas ſacris Jeſu actionibus.

g Rom. 5. 12. h Rom. 8. 16. & 17. i Rom. 8. 15.

Actio pretium ſuum, valorem, & meritum educit ex intentione, intentio è cogitatione, & cogitatio è corde. Cor enim eſt officina, in quâ formantur omnia deſideria ſive bona, ſive prava; *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemia* k. Et, *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris* l? Si autem cor eſt theſaurus, auſim aſſerere cogitationem ejus eſſe aurum purgatum; Si cor eſt firmamentum, cogitatio eſt ejus aſtrum ſplendidiſſimum; ſi cor eſt veluti concha unionum mater, cogitatio eſt ejus unio & margarita; Sol eſt cordis ipſa cogitatio; & ſicut non cognoſcimus cogitationem niſi per verbum, *Loquere ut cognoſcam te*, ajebat quidam Philoſophus cuidam, cùm cogitatio ſit abſcondita, oportet ut illam verbum aperiat. Et ſicut Verbum Patris nobis abſconditum erat & incognitum, cùm eſſet *in ſinu Patris* m: ideò *caro factum eſt* n. Et per hoc Verbum incarnatum pervenimus in cognitionem Dei, quæ nobis erat ita neceſſaria, ut tota noſtra felicitas ab hac dependeat penitus notitiâ Divinâ, ut innuit Salvator apud S. Joannem dicens Patri ſuo, *Hæc eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* o. Vt habeatur aqua in puritate, haurienda eſt è propria origine: Idcircò pergendum eſt uſque ad ipſum cor Jeſu. Sed priùs deſidero vobis oſtendere ante omnia rationes propter quas reſuſcitare voluit cum vulneribus ſuis, & cum latere aperto. Deinde, Quare apparere voluerit S. Thomæ cum his ijſdem vulneribus, & hoc corde aperto. Tādem, Cor noſtrum applicabimus cordi Jeſu per ſacram comunicationem perfectionibus hujus ſacri cordis à nobis faciendam. Attendite, ſi placet, dum incipio.

k Matth. 15. 18. l Matth. 9. 4. m Ioan. 1. 18. n Ioan. 1. 14. o Ioan. 17. 1.

Diviſio.

1 Pars.

Dico igitur pro prima ratione, Jeſum Chriſtum voluiſſe retinere vulnera ſua poſt Reſurrectionem ſuam pro gloria corporis ſui; ſicut ſe gerit miles, qui gloriam educit è vulneribus, quibus fuit medijs confoſſus in certaminibus ad tutandam Principis ſui rem, ut Marius inſignis ille Dux Romanorum, qui ſepties donatus fuerat Conſulatu in urbe Roma totius orbis Genitrice, reddens rationem nobilitatis ſuæ Senatui, nobilitatis, inquam, præclaris facinoribus & armis acquiſitæ (cùm ex humili loco fuiſſet natus, multoſque annos vitam ruſticam egiſſet procul ab urbanis delicijs:) Non poſſum, ait, vobis exhibere ullum nobilitatis meæ teſtimonium per imagines, neque per triumphos, nec per Conſulatus majorum meorum: Sed ſi agatur de ea vobis propalanda, oſtendam arma, vexilla, & alia inſtrumenta bellica, quæ ex hoſtium ſpolijs retuli, & inſuper, ſi opus eſt, in medium promam cicatrices vulnerum, quibus ſauciatus fui pro tutanda Republica. Hæc, ſunt præcipuæ imagines, & ſpecialiora meæ nobilitatis inſignia. Eodem ſe gerit Dei Filius modo, conſervans in corpore ſuo vulnera ſua ſacra, veluti præclara generoſi animi ſui ſpecimina, victoriarum ſuarum de mundo p, de carne q, & de diabolo r relatarum trophæa. Et ſicut imponuntur veſtibus ornamenta, quibus medijs earum pulchritudo major appareat; ita Chriſtus conſervare voluit ſua vulnera, & latus apertum in corpore ſuo, ut hinc gloria ipſius magis manifeſtaretur.

p Ioan 16. 33. q Rom. 6. 6. r Oſee 13. 14.

Secunda ratio iſtius eſt; Quia Deus qui ab æterno cœpit amare nos (ut loquamur noſtro concipiendi modo) *In charitate perpetuâ dilexi te* s, quique ex tunc amat nos in tempore, ut perſeveret hôc in amore in eadem æternitate, conſervare voluit vulnera ſua in ſuo corpore glorioſo, ut oſtendat nobis quanto nos redemerit amore, cùm noſtri memoriam præ ſe ferat continuā, propoſito ſibi ſine intermiſſione vulnerum ſuorū objecto, ut invitetur ad benefaciendū nobis intuitu proprij Sanguinis, quem abundè effudit in arâ crucis t pro redemptione animarum noſtrarum. Hæc eſt ratio S. Auguſtini u dicentis, Dei Filium nos omnes deſcripſiſſe in vulneribus ſuis, quæ corpori ſuo impreſſa in cœlum ferre voluit, ut memoriam noſtri continuam haberet, cùm nos continuè præ oculis habeat in ejus vulneribus ſuis tanquam rationarijs codicibus, in quibus ſcripta habet nomina Electorum, & omne pretium redemptionis ipſorum; & cùm natura amoris ſit, ut faciat bonum perſonæ amatæ, ob hunc finem adhibet

s Ier. 31 3. t Ioan. 19. 18 &c. u S. Aug. in Soliloq. Animæ ad Deum c. 1.

in cælo Dei Filius ſua vulnera ut remedium applicativum meritorum ſuorum, applicans nobis merita Sanguinis ſui, Vitæ, Paſſionis, & Mortis ſuæ, ut dicam in tertiâ ratione. Idcircò reſuſcitare voluit cum vulneribus ſuis, eaque ſecum deferre in cælum die Aſcenſionis x ſuæ ſacro, ut, quoties Pater æternus eſſet iraſciturus adverſus homines, & arma ſumpturus Juſtitiæ ſuæ, eaque vibraturus ſuper impia peccatorum capita, ut eorum ſcelera & rebelliones caſtigaret; habeat ipſe unde poſſit illi ſatisfacere, mitigare *omnem iram* ejus, & avertere eum *ab irâ indignationis* † ipſius, flectendo illum ad miſericordiam, exhibendo illi vulnera ſua, repræſentans illi dolorem ſicut & ignominiam mortis infamis, quam decreto Divinæ Juſtitiæ latam y, pro ſalute omnium hominum perpeſſus fuerat redimendorum. Tot vulnera, quibus Dei Filius in ſuâ fuit Paſſione confoſſus, ſunt voces, linguæ, & cauſidici cauſam noſtram tutantes, cùm nobis veniam impetrare poſſint ac indulgentiam. Hinc arripuit S. Joannes x occaſionem dicendi habere nos Advocatum apud Patrem æternum qui commodis noſtris invigilet; *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Quid autem nobis eſt timendum poſt curas tanti Advocati? *Securum acceſſum iam homo habet ad Deum, ubi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera; Maria Chriſto pectus & ubera; nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni linguâ diſertiùs, hæc clementiæ monumenta & charitatis inſignia*, ait Arnoldus Carnotenſis a. Quis de veniâ dubitabit, cujus commodis Perſonæ tam graves invigilant?

x Marc. 16. 6. & 19.
† Pſ. 84. 4.
y Pſ. 30. 0.
x 1. Joan. 2. 1. & 2.
a Arnold. Carnot tract. de Laudib. Deip.

Tertia ratio, propter quam Chriſtus reſurrexit cum vulneribus ſuis, & corde aperto, eaque adhuc conſervat in cælo, eſt, Ut iis utatur veluti remedio applicativo, ut dicebam vobis modò. Obſervandum eſt enim, Chriſtum, cùm adhuc in terris peregrinabatur, fuiſſe principium operativum meriti; pro nobis enim omnibus merebatur gratiam, cùm haberet omnes conditiones requiſitas, quibus mereri poſſet; ſed nunc cùm ſit beatus in cælo, cùm ſit in patria & in termino, nec ampliùs ſit viator, ſed comprehenſor; non poteſt eſſe ampliùs principium operativum, ſed applicativum meriti, tanquam conditio ſine quâ non eſſemus fruituri fructu laborum & pœnarum ipſius, quæ ſine dubio nobis debent applicari: Veluti pharmacum nihil nobis prodeſſet, ſi paratum & ſuper abaco collocatum duntaxat illud intueremur, ſed illud non ſumeremus; haurienda eſt potio, ſi velimus ut nobis proſit ipſa: Applicanda ſunt nobis merita Filij Dei, quod ipſe nunc in cælis agit: ea enim nobis applicat, quâ applicatione deficiente, ea nobis penitus forent inutilia. Et licèt peccatis noſtris efficiamus, ut Sanguis iſte pretioſus veluti congeletur perſæpè in venis Salvatoris; cùm ipſius Pater ſit *Sol* b calefaciens & *Ignis* c, ardens, opponens ea Patri ſuo, illiuſque oculis ea ſubjiciens, ea diſſolvit, & pluere ſuper nos facit ſua merita, quod magnus eſt exceſſus bonitatis. Eo enim ipſo quo crimina noſtra attrahere deberent ſuper capita noſtra omnia iracundiæ ipſius fulmina, tunc magis ipſe nobis favet. Hæc ratio Juſtis blanditur, cùm ipſis proficua ſit. Sed ecce quartam affero, quæ peccatoribus eſt terrorem incuſſura, cùm fieri non poſſit qui ipſis ſit detrimentum irrogatura.

b Malach. 4.
c Deut. 4. 24 & Hebr. 12. 29.

Eam deſumo è S. Auguſtino d dicente, Chriſtum conſervaturum ſua vulnera uſque ad diem reſurrectionis univerſalis omnium corporum e, ut ſicut hodiernâ die convicturus S. Thomam propriæ incredulitatis, oſtendit ei vulnera ſua, & cor ſuum apertum, manifeſtans ea etiam die ille ultimo Divinæ vindictæ, & iudicij extremi inimicis ſuis, poſſit eos ingratitudinis inſimulare, ac extremæ dementiæ illos convincere, dicens eis: *Ecce*, perfidi, *Homo* f, quem crucifixiſtis; videtiſne vulnera quæ infidelitatibus & perfidijs veſtris ipſi infixiſtis? An non agnoſcitis hoc latus apertum, quod maximâ præ impietate, *lanceâ* veſtrorum ſcelerum perforaſtis, & quod eum ob finem duntaxat fuerat vobis, & pro vobis apertum, ut illuc facilis vobis daretur acceſſus? Et tamen hanc oblatam vobis gratiam deſpexiſtis, cùm renuiſtis in illud ingredi tanquam in aſylum, ut declinare poſſetis à telis indignationis meæ. Huc ego, ut veniretis, vos invitabam verbis his ſuavitatem redolentibus, *Veni in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ* g. Et hunc favorem contempſiſtis præ ingrati animi incomparabili labe.

d S. Aug. l. 2. Symbol. c. 8.
e 1. Cor. 15. 52. &c.
f Ioan. 19. 5. &c.
g Cant. 2. 14.

S. Chriſoſtomus h ait, Filium Dei conſervare vulnera ſua uſque ad diem extremi judicij, ut confuſionem ac ignominiam imprimat fronti reproborum, qui agnoſcituri tunc temporis veritatem hujus propoſitionis à Davide i pronunciatæ, nimirum abundantem & copioſam apud Deum inveniri miſericordiam & redemptionem, *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*; permanebunt admiratione, confuſione, & ſtupore attoniti, videntes illum, quē toto vitæ ſuæ curſu contempſerant, & tantâ immanitate exceperant, eâ potentia vigentem ut futurus ſit ipſorum *Iudex* k; qui ſtupor augebitur, cùm viſuri ſint tunc temporis quanta ille pro ipſis fecerit, & tulerit. Tunc enim ipſos pœnitebit ita malè inſumpſiſſe tempus, & permiſiſſe ut elaberentur occaſiones proficuæ, quibus medijs ſaluti ſuæ potuiſſent invigilare ſatagendæ, & gloriam ſibi facillimè comparare ſempiternam; pœnitebit & ipſos, ſed incaſſum, facinoris, quod commiſerunt, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* l, blaſphemijs & impietatibus ſuis: tunc dentibus frement & tabeſcent, videntes deſideria Electorum completa, & ſua in fumum redacta, *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit* m. Tunc completa erit prophetia Zachariæ n, *Aſpicient ad me, quem confixerunt.* Et hæ ſunt rationes, propter quas Dei Filius conſervavit vulnera ſua in Corpore ſuo glorioſo, & apparere voluit cum illis, & cum corde ſuo aperto, S. Thomæ, ut reſtitueret ei fidem, quam amiſerat dubitans de hâc veritate; *Niſi videro in manibus eius fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus eius non credam.*

h S. Chryſoſt. Homil 49 in c. 24. Mat. & homil. 1. de Cruce & Latr.
i Pſ. 129. 7.
k Act. 10. 42.
l Hebr. 6. 6.
m Pſ. 111. 9.
n Zach. 12. 10.

Thomas autem non erat cum eis, quando venit Ieſus. Quàm malum eſt abeſſe à conſortio Bonorum & Juſtorum, cùm ij qui abſentes ſint à tali ſocietate, privētur viſitatione, quâ Deus ipſos honorat. Idcircò fidē adhibere noluit teſtimonijs eorum aſſerentium, ſe vidiſſe Dominum ſuum à mortuis reſuſcitatum, dicēs, ſe nihil crediturum eorum, quæ viderit, imò verò eò uſque *incredulus* eſt, ut altâ proteſtetur voce, ſe id nunquam crediturum, niſi priùs digitos ſuos vulneribus, *& manum* lateri ejus infixerit. Ha! Quamnam obſtinationem hujus Apoſtoli, qui nolit credere iis, qui veluti Præcones ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium & fidei noſtræ veritatem per univerſum erant annunciaturi mundum o! Id permiſit Deus ſummâ ſuâ Providentiâ p, ut unde nos magis confirmaret in fide realitatis vulnerum ſuorum.

o Pſ. 18. 5.
p Sap. 8. 1.

Si

Si enim D. Thomas non dubitaſſet, tantam non haberemus hujus veritatis certitudinem. Deus è propriis noſtris malis bonum educit; è ruinâ Iudæorum effecit oriri ſalutem Gentium q: & ex incredulitate D. Thomæ occaſionem arripit ſtabiliendi & confirmandi myſteria Reſurrectionis ſuæ, quia hoc Apoſtolo tangente vulnera Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanata fuit incredulitas noſtra.

q Matth. 21.43.

Ita ſentit D. Gregorius r, ratus id non eveniſſe fortuitò ut abeſſet D. Thomas, quando Chriſtus condiſcipulis ipſius apparuit; ſed ut veniens poſteà audiret, & audiens dubitaret, & dubitans tangeret, & tangens crederet; *Non hoc caſu, ſed Divinâ diſpenſatione geſtum eſt. Egit namque miro modo Divina Clementia, ut diſcipulus dubitans, dum in Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis ſanaret vulnera infidelitatis. Plùs enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides diſcipulorum credentium profuit. Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ, in fide ſolidatur.* Dubitavit hic Apoſtolus, ut corda noſtra confirmaret, & ab iis omnem dubitationem avelleret; & ut videntes hanc veritatem ita expugnatam, & ſic rigidè examinatam & cum tantâ obſtinatione à teſte priùs ita incredulo, fidei daremus manus, majoreſque non inquireremus probationes. Idem autem D. Gregorius addit paulò pòſt, quòd, ſicut Deus diſpoſuit ut D. Ioſeph foret Virginis Mariæ Deiparæ ſanctiſſimæ ſponſus ſ, eo fine ut teſtis eſſet puritatis ipſius illibatæ; ita voluit ut hic diſcipulus dubitaret, ut teſtimonium præberet ſuæ Reſurrectionis infallibile, ita ut nullus eam unquam ampliùs in dubium eſſet revocaturus

r S. Greg. Hom. 26. in Evang.

ſ Matth. 1.18.

Non deſunt qui excuſent hunc Apoſtolum, ac errorem ipſius, dicentes, infidelitatem ipſius nobis magis fuiſſe proficuam ad fidem noſtram confirmandam, quàm fuerit fides omnium aliorum Apoſtolorum citò credentium. Re verà admittendus eſt hic exceſſus ad defendendum hunc Apoſtolum. Sed cùm infirmitas ægroti meliùs commendet peritiam & induſtriam Medici, vix poſſim in animum meum inducere, D. Thomam non erraſſe, nolendo omnino acquieſcere, nec volendo fidem præbere teſtimonio illuſtrium decem Teſtium, qui ex tunc devicerunt mundum univerſum ſuper ſubjectum ejuſdem rationis infidelitate delinquentem. Quamnam obſtinationem! *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meum in latus ejus, non credam.* D. Thomas fervens fuerat, imò verò condiſcipulorum ſuorum ferventiſſimus omnium, quippe qui dixiſſet aliquanto tempore anteà præ amoris exceſſu, *Eamus & nos, ut moriamur cum eo* t. Sed per hanc incredulitatem effectus fuerat totus frigidus, & totus glacies. Ieſus autem videns illum ad hunc redactum ſtatum, manus ejus ei arripit, eaſque in cor ſuum defert, dicens ei, *Infer digitum tuum huc.* Impone manus tuas cordi meo, ut igne caleſias Divinarum flammarum mearum: & ſi torpidus es ac ferè inſenſibilis, immitte manus tuas frigore incredulitatis torpentes in Sanguinem meum, & in ſtatum redibis illico priſtinum, & ab infidelitate tuâ ſanaberis. *Sic pater indicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella*, ait D. Chryſologus u, loquens de patre prodigi. Eodem procedit Chriſtus modo erga D. Thomam; non repellit eum, nec rigorem adversùs eum adhibet; *Delicta non videt vis amoris: perdidi quod erat filij; ille quod patris eſt, non amiſit*, ait idem D. Chryſologus w loquens de prodigo, & de illius patre. Quis non demiretur exceſſum amoris Filij Dei, pectoris Jeſu Chriſti, unde erumpunt flammæ? Eo enim ipſo quo amor iſte videbatur extingui debere, majorem per ſacram antiperiſtaſim ſibi conciliat calorem, quem Thomæ communicet. Chriſtus ſibi devincit ingratum & infidelem, qui amiſerat inviolatam, quam debebat Domino ſuo, qui ipſum certum effecerat de futurâ Reſurrectione ſuâ, fidem; ipſum ſanat ab infidelitate. Frigidus erat Thomas, & totus glacies; in hoc ſtatu videbatur imminuturus & infirmaturus vires hujus Divini Amoris, ne dicam extincturus hujus ignis Divini flammas; ſed è contrà illas auget, & iſtas magis accendit, *Infer digitum tuum huc.* Quæ mirabilia! Die ſacro Dominicæ Reſurrectionis Mariæ Magdalenæ venienti ſummo *manè ad monumentum* aromatibus onuſtæ, ibique ſtanti cum lacrymis, apparet Chriſtus, cujus mox ut pedes vult ipſa amplecti, audit eundem Dominum dicentem ſibi, *Noli me tangere* †. Ne quidem ſinit ut Magdalena ſibi extremos tangat pedes; & tamen hodiernâ die apparens diſcipulo incredulo, non ſolùm illi permittit ut ſibi tangat pedes ſacros, ſed & illum invitat ad tangendas manus ſuas, & ad contrectandum latus ſuum; imò verò ut inferat digitum in proprium cor, *Infer digitum tuum huc.* Quanto honore inſignitus fuit hic Apoſtolus incredulus! *Maria* Magdalena *optimam partem elegit*, nimirum ſacros *pedes* Dilecti ſui, *quæ non auferetur ab eâ* n: D. Joannes diſcipulus *quem diligebat Ieſus*, habuit in portionem ſuam ſinum ejuſdem Domini ſui, *Qui & recubuit in cœnâ ſuper pectus ejus* o. D. Petrus *claves* Eccleſiæ, & *Regni cælorum* p. Dimas bonus latro, ipſius dexteram q. Sed ſicut aliàs *Beniamin quinque partibus* r *exceſſit partes fratrum ſuorum*: ita D. Thomas habuit in partem quinque vulnera Chriſti ſacra, & cor Jeſu apertum fuit ipſius theſaurus. Ibi guſtavit & vidit, *quoniam ſuavis eſt Dominus* ſ. Ibi menſus eſt immenſam t Chriſti charitatem, quæ excedit omnem cognitionem. Ibi libravit gravitatem u peccati, quod deletum eſt morte ipſius Dei. Admirabiles *theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* x in his ſacris vulneribus! Vivæ origines & ſacri canales gratiæ! *Quinque porticus* † myſticæ Paſſionis Chriſti! Sex refugij civitates y, quinque vulnerum, & cordis aperti Ieſu! Idcircò D. *Thomas* exclamavit; *Dominus meus, & Deus meus.* Sed *hæc mutatio dexteræ Excelſi* z. Quot & quanta mirabilia operatus eſt Chriſtus in diſcipulo ſuo! D. Thomas anteà erat *incredulus*. Sed nunc confitetur Divinitatem Domini ſui. Vidit hominem, & Deum credit; & ore plene publicat Chriſtum crucifixum eſſe mundi Salvatorem, & Deum ſuum. Non priùs oculos ſuos in hoc adorabile injecit objectum, cùm raptus admiratione, tanti momenti veritatem edoctus, exclamat, *Dominus meus, & Deus meus.*

t Ioan. 11.16.

u D. Chryſ. Serm. 1. ex Luc. 15. 20.

w D. Chryſ. Serm. 2.

† Ioan. 20.1. &c.

n Luc. 10. 39. & 42.

o Ioan. 21. 20.

p Matth. 16.19.

q Luc. 23.40.

r Gen. 43.34.

ſ Pſ. 33.9.

t Baruch 3.15.

u Zach. 5.7. &c.

x Col. 2. 3.

† Ioan. 5.2.

y Ioſue 20. 7. &c.

z Pſ. 76.11.

Voluit Jeſus Chriſtus ut ſua à diſcipulo ſuo tangerentur vulnera, ut illum edoceret, eo planè modo, quo Magiſter diſcipulum ſuum docet, ipſiuſque manum arripiens, & digito ejuſdem ipſi literas & characteres indicans, efficit ut dicat, A, B, C. Ita ſe gerit Chriſtus ſupremus iſte Magiſter erga Thomam diſcipulum ſuum. Qualem Magiſtrum! qualem ſcholam! qualem ſcientiam! *Infer digitum tuum huc.* Re enim verâ Sanctus hic Apoſtolus intuitu & conſideratione horum vulnerum, præter amorem infinitum, quem in ijs agnovit, ita animatus eſt ad martyrium, ut eodem, quo Dominus ipſius, ſupplicio conſummaretur.

a 1 Mach. 6. 14.
b Ioan. 19. 34.

Oſtenſum fuit aliàs vinum torcularis colorem præ ſe ferens ſanguineum elephantibus a, ut ad prælium animarentur, hic autem vires addebat eis intuitus. Ha! D. Thomas non priùs vidit lanceam b Chriſti Sanguine rubentem; ſeu, ſi velitis, non antè manum tulit in cor ipſius apertum, cùm totus generoſus evaſit, & repetitis lanceæ ictibus perforatus eſt tandem in urbe Calaminâ ſitâ in regione Indiæ Orientalis. Sed ſicut ei dixit Chriſtus ut propriam *manum in* ſacrum cor ſuum inferret; applicemus cor noſtrum huic cordi Jeſu Sacro, ut Sanctâ participatione communicemus perfectionibus huius cordis amore æſtuantis.

III. Pars.

c Ioan. 8. 50. & 49.
d Pſ. 39. 8. & 9.

Perfectio cordis Ieſu eſt unitas cogitationis, cùm Chriſtus unicam tantùm præ ſe tulerit cogitationem, quæ in eo erat ſita, ut Patrem ſuum glorificaret; intendens in omnibus actionibus ſuis ſolum honorem & gloriam ipſius, *Ego non quæro gloriam meam, ſed honorifico Patrem meum.* c. Cùm ex ipſo primo inſtanti ſuæ Conceptionis d ſe immolaverit, & perfectam oblationem ſuiipſius fecerit ſuo Patri cœleſti per integram ſubmiſſionem voluntatis ſuæ humanæ, voluntati Divinæ Patris ſui, & deinde dixerit, *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me* e. Eò duntaxat tendebat omnis ipſius cura, cunctus ipſius intuitus; & univerſa ipſius conſilia ſolam Patris æterni gloriam intuebantur; hàc ſolâ ducebatur cogitatione: *Quid eſt quòd me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe* f? Deus in ipsâ æternitate unicam tantùm habet cogitationem, & per totam æternitatem unicam illam habebit tantùm, *Semel locutus eſt Deus* g. Et illâ vice dixit quidquid ipſe dicere poterat, cùm produxerit Verbum ſuum, quod eſt terminus omnium cognitionum & cogitationum ſuarum, quippe quod eas omnes exprimit. Unitatem cogitationis Dei, *Qui fecit cœlos in Intellectu* h. Angeli, Seraphini, omnes ſpiritus beati unicam tantùm habent cogitationem, omnia ipſorum conſilia & actiones eò tendunt, putà ad unitatem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* i. Perfectio igitur cordis Chriſti in eo ſita eſt, ut unam duntaxat habeat cogitationem, quæ ſolam Patris Divini intuetur voluntatem adimplendam; quomodo poſſit illum honorare & glorificare in omnibus actionibus, concionibus, & miraculis ſuis. Quis autem videre potuiſſet cor Ieſu, & legere quid in eo ageretur ab ipſo inſtanti Conceptionis ipſius, & per triginta annos vitæ converſantis & abſconditæ, & per tres ultimos, quos inſumpſit ad converſionem mundi, & ad prædicationem doctrinæ ſuæ Evangelicæ?

e Ioan. 6. 38.
f Luc. 2. 49.
g Pſ. 61. 12.
h Pſ. 135. 5.
i Iſai. 6. 3.

Unitas igitur cogitationis eſt prima perfectio cordis Ieſu. Interea homines tot habent cogitationes, ita diviſi ſunt in ſuis cogitationibus. Cogitatione terræ alius ducitur, ille magnitudinis, hic proprii commodi, quod eſt magna mundi anima. Non eſt cur miremur, cor iſtud hominis, quod tantam habet extenſionem, tantâ agitari cogitationum diverſitate, quantus eſt obiectorum, quæ ipſi exhibentur, numerus; & ſicut nihil poteſt ipſi ſatisfacere, niſi Deus, ita eum facilè poteſt inquietare. Vagum eſt in cogitationibus ſuis, & ſicut infinitæ eſt capacitatis, ita obiectum requirit infinitum; & cùm Deus ſolus ſit infinitus k, idcircò dixit eidem Deo S. Auguſtinus l, *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Conſecratæ ſunt igitur primæ noſtræ cogitationes Deo, ut eas eius diabolus, cor noſtrum inveniat occupatum & repletum; *Cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi* m. Hæc unitas cogitationis eſt prima cordis

k Baruch. 3. 25.
l D. Aug. l. 1. Conf. c. 1.
m Pſ. 75. 11.

Ieſu perfectio, cui ſi conformetur cor noſtrum, hæc erit ipſius cordis noſtri perfectio, putà conformitas; *Martha, Martha ſolicita es erga plurima; porrò unum eſt neceſſarium* n. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro* o. Varias habet cogitationes quibus diſtrahitur erga virum, liberos, & familiæ totius œconomiam; cùm virgo cor ſuum non dividat, ſed illud integrum Jeſu, qui eſt totus purus, & *qui paſcitur inter lilia* p, conſecret.

n Luc. 10. 41. & 42.
o 1. Cor. 7. 34. & 32.
p Cant. 2. 16.

In nullam unquam incucurrit Jeſus ſuſpicionem; miracula operatus eſt, ut immaculatam conſideraret Virginis Matris ſuæ puritatem, ſicut & ſuam, naſcens è Matre Virgine q, totius naturæ ordinem interturbans. Virgo autem, præſertim ſi ſit perſona Religioſa, imitatur hanc puritatem; caſtitatis voto *. Obedientiam, nihil unquam obedientius corde Jeſu; *Sacrificium & oblationem noluiſti. Tunc dixi; Ecce venio* r. Et, *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* s. *Et erat ſubditus illis* t. Hanc obedientiam perſona Religioſa imitatur obedientiæ voto †. Paupertatem, *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives: ut illius inopiâ vos divites eſſetis* u. Totus nudus natus eſt in ſtabulo, *Quia non erat ei locus in diverſorio* x. Et, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* y. Pauper in vitâ, in cruce, in morte, *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuventute meâ* z. In tumulo alieno a. Privatus propriâ ſubſiſtentiâ, ut homo ſolâ ſubſiſtens Verbi ſubſiſtentiâ; ſicut & in Euchariſtia; ſub accidentibus b. Hanc imitatur perſona Religioſa paupertatem voto paupertatis *.

q Matth. 1. 23. & Luc. 2. 7.
* Matth. 19. 12.
r Pſ. 39. 7. & 8.
s Philipp. 2. 8.
t Luc. 2. 51.
† Matth. 19. 17.
u 2. Cor. 8. 9.
x Luc. 2. 7.
y Matth. 8. 20.
z Pſ. 87. 16.
a Ioan. 19. 41. & 42.
b Matth. 26. 26.
* Matth. 19. 21.

Præterea, Requiritur præſentia Dei, nimirum, ut quis habeat ſemper cogitationem Deo unitam & firmiter adhærentem; *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper* c. Oportet ſine intermiſſione Deum præſentem habere, noſtrum cor Ieſu cordi applicare, conſiderare Deum præſentem, in omnibus actionibus, in univerſis creaturis, quarum aliæ ſunt characteres ipſius & imagines d, aliæ verò duntaxat ipſius veſtigia e. S. Paulus f ait nos non cognoſcere Deum in hoc mundo niſi obſcurè & ænigmaticè; Cauſam ex ipſius effectibus cognoſcimus; *Videmus nunc per ſpeculum, in ænigmate; nunc cognoſco ex parte.* Duos affert modos Apoſtolus cognoſcendi Dei. Prior cognoſcendi modus eſt per ſpeculū creaturarū, cùm per eas, & ex illarum cognitione perveniamus in notitiam Dei; illæ quippe ſunt veluti ſpecula reflexionis, quæ ipſum nobis repræſentant pulchritudinibus, eximiis qualitatibus & perfectionibus ſuis. Refert hiſtoria Gallica Coſmum Mediceum Hetruſciæ Ducem obtuliſſe cuidam è noſtris Regibus ſpeculum tantâ compactum induſtria, ut ſi quis in eo ſe intueretur, undequaq; Coſmi Medicei in eo repræſentatam videret imaginem. Omnes creaturæ ſunt ſpecula reflexionis; non poſſumus eas reſpicere, quin ſtatim in eis videamus imaginē Dei, aut ipſius veſtigia, cùm omnes ſint ipſius characteribus inſignitæ. Sed vobis non conſulo, ut hoc utamini ſpeculo creaturarū, cū in iis ſit erroris periculum. Philoſophi veteres è creaturis Deum agnoverunt, ſed *cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis* g. Et creaturas ut Deos adoraverunt. Sed ſi addiſcenda ſit Dei cognitio ex creaturis, edoceri debemus eam ex ſola Chriſti humanitate, ex ſolo corde Jeſu: hanc veritatem enim & debitū noſtrum re vera nos edocebit illa, vel iſtud. Secundus cognoſcendi Dei & poſterior modus in hac vita, juxta S. Paulum, eſt per ænigmata, & per obſcuritates fidei Divinæ, quæ certè eſt medias inter

c Pſ. 15. 8.
d Gen. 1. 27.
e Rom. 1. 20.
f 1. Cor. 13. 12.
g Rom. 1. 21. &c.

tenebras

tenebras ſuas quolibet naturalis nationis die. Idcircò Chriſtus ait S. Thomæ; *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti. Beati qui non viderũt, & crediderũt.* Ratio deceptrix eſt, excipiẽda eſt ut captiva, & imperio fidei ſubjicienda; *In captivitatem redigentes omnẽ intellectum, in obſequium Chriſti* h. Ratio noſtra eſt Deo injurioſa; & ſanè eſſemus nos aliquid magis quàm Deus ſit, ſi poſſemus quidquid Deus poteſt, comprehendere: V. g. in Euchariſtiâ, ſenſus noſtri nos decipiunt: Aſtrologi admittunt impuritates in cœlo, Veneres agnoſcunt impudicas, Martes crudeles, ſcorpiones venenatos, nihil tamen eorum omnium eſt in cœlis. Si oculis noſtris fidimus, ipſi ſunt nuncij infideles: Sol videtur nobis ad ſummum ut diſcus lumine ſplendidus, licèt multoties totam terram magnitudine antecellat; aſtra. & ſtellæ veluti clavi argentei cœlo planetifero, & firmamento infixi; quorum alia nihilominùs ſunt univerſo mundo majora. Adhærendum eſt fidei, & ijs, quæ Divinum hoc lumen ſuggerit.

h 2. Cor. 10. 5.

Secunda perfectio cordis Jeſu eſt plenitudo & fœcunditas: Plenitudo Divinitatis; ſi enim, juxta S. Paulum, humanitas, Corpus Chriſti, eſt Corpus Divinitatis, *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*; ſi in ipſo *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* i; quare non dicemus cor Jeſu eſſe ipſum cor Dei, totum Deo repletum, ſapientiâ, ſcientiâ, & ſanctitate? Plenitudo gratiæ; quò omnes gratiæ confluxerant ut ad ſuum centrum, ut indeſuper omnes defluerent fideles, *De plenitudine eius nos omnes accepimus* k. Plenitudo meriti, & ſatisfactionis; & ex hoc corde exivit Eccleſia, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* †. Et, *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit* l. Lancea munia clavis obivit. Dicitur amor eſſe cæcus; idcircò Longinus, qui cæcus erat, latus Chriſti lancea perforavit: plenitudo meriti, & ſatisfactionis, *Et continuò exivit Sanguis & aqua* m. Hæc *aqua* eſt Sacramentum Baptiſmi n, *Sanguis* verò eſt Sacramentum Euchariſtiæ ſanctiſſimum o. Meritum ibi invenitur, etiamſi Chriſtus mortuus eſſet, & oporteat ut quis vivat ad hoc ut mereri poſſit; Chriſtus enim perfectum ſui ipſius Deo Patri obtulerat ſacrificium, ſingulorum Vitæ ſuæ momentorum, Paſſionis ſuæ, & Sanguinis ſui: Hæc omnia Pater æternus acceptaverat; Sanguis iſte eſt meritorius, & ſatisfactorius, Plenitudo meriti: & in hac plenitudine habemus fœcunditatem, cùm ex ea omnes fideles exierint, Chriſtuſque Patri ſuo ſicut & ſibi Sponſam comparârit, *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata* p. Iſte Sanguis produxit tot Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, & alios. Fœcunditas in plenitudine cordis Ieſu.

i Coloſſ. 2. 9. & 3.

k Ioan. 1. 16.

† S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103.

l Ioan. 19. 34.

m Ibid.

n Ioan. 3. 5.

o Ioan. 6. 51.

p Eph. 5. 27.

In corde humano nihil niſi vacuum deprehendimus, & in hoc vacuo nihil præter ſterilitatem. Cor hominis eſt vacuum, *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt* q. Vacuum veritate, vacuum virtutibus; repletum ambitione, vanitate, ſuperbiâ, præſumptione, amore ſui ipſius, & proprio commodo. Videte an Angelis Dei hanc vanitatem, quo hæc in eos illabatur modo. Qualem ambitionem, velle eſſe ſimiles *Altiſſimo* r! In paradiſo tentatri invenimi primum hominem, vel primam matrem noſtram, *Eritis ſicut dii* s. Spirituales autem huic tentationi magis ſubjacent; vitam ducunt ſpiritualem, cùm eam ſequi deberent, & non eam ducere ſecundùm propriam voluntatem; *Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt: non quæ ſunt Ieſu Chriſti* t. Directoribus ſubditi eſſe nolunt, ſeipſos illis peritiores autumant, *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Omnia pervadit vanitas, non ſolùm in rebus gloriam & honorem præſeferentibus, ſed etiam in aliis humilitatem importantibus. Quomodo enim exiſtimetis S. Paulum vocare cadaver? *Corpus humilitatis* u. Et tamen vanitas invenitur in funeribus & exequiis, ubi nihil præter pompam & magnum apparatum eſt intueri.

q Pſ. 93. 11.

r Iſai 14. 14. &c.

s Gen. 3. 5.

t Philipp. 2. 21.

u Philipp. 3. 21.

Tertia perfectio cordis Jeſu eſt applicatio, quam ipſe faciebat ejuſdẽ cordis, æternitati, proponens ſibi pro termino ipſam æternitatem; cùm è contrà homo & cor hominis, ſolum tempus intendat ac intueatur, quod ſequetur beata vel infœlix æternitas, quæ vel ex unico pendet momento; momentum enim pariturũ eſt æternitatem. Momentaneã voluptatem! Pœnam verò & tolerantiam æternam! *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum* x. Applicandum eſt igitur cor noſtrum cordi Jeſu per intuitum æternitatis felicis, vel infelicis, *deſcendant in infernũ viventes* y, ne cogantur tandem aliquando morientes deſcendere in æterna illa Divinæ Juſtitiæ ergaſtula ignea, in quibus tot animæ detinentur propter peccatum, eò quòd non benè cogitaverint æternam fœlicitatem z, è qua exciderunt; nec intuiti fuerint hanc infœlicem æternitatem, nec ſatis ſeriò rigores illius perpenderint, ſolumque tempus duntaxat ſibi propoſuerint; *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum* a. S. Hieronymus b ob nimiũ ſtudiũ legendo Ciceroni impenſum, ait de ſe, *Subitò raptus in ſpiritu ad tribunal Iudicis* c, *interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille, qui præſidebat, Mentiris ait; Ciceronianus es, nõ Chriſtianus. Illico obmutui, & inter verbera (nam cædi me iuſſerat) conſcientiæ magis igne torquebar, illum mecum verſiculum reputans; In inferno autem quis confitebitur tibi* d? Quis vero peccare auderet, ſi proponeret ſibi æternam infœlicitatem paratam animabus reprobis, quæ *in peccato* e moriuntur? *Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt qui recogitet corde* f. Quod accidit defectu hujus intuitus, & ſeriæ reflexionis iſtius.

x Apoc. 18. 7.

y Pſ. 54. 16.

z Pſ. 16. 15.

a Iob. 17. 11.

b S Hier. Epiſt. 22. num. 13.

c ex Act. 10. 42.

d Pſ. 6. 6.

e Ioan 8. 21.

f Ier. 12. 11

Inſpicienda eſt æternitas fœlicitatis, præ qua quidquid in mundo invenitur, nihili omnino duci debet; eſt intuendus paradiſus, qui in ecſtaſim rapiebat Seraphicum Patrem S. Franciſcum, & Fratrem Ægidium ipſius ſocium. Quid ergo non faciemus, ut hanc beatam æternitatem nobis comparemus? Pœna temporalis hujus vitæ exigua eſt, ac brevis; merces verò ei propoſita, nullis eſt circumſcripta limitibus; *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* g. Quàm benè meretur hæc æternitas beata ut operi incumbamus, quò nobis eam comparemus. Ibi omni deliciarum generi immerſi, potiemur ſine intermiſſione conſortio Beatorum, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos* h. Ibi Deo *ſimiles erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt* i. Poſtulemus igitur iſtud cor Jeſu, applicemus cor noſtrum cordi ipſius, ut communicemus omnibus perfectionibus illius. Mutavit aliàs cor ſuum Chriſtus cum corde Sponſæ ſuæ S. Catharinæ Senenſis, accepit cor ipſius, & dedit illi ſuum cor; tunc erant eædem amborum affectiones. Quænam fœlicitas! Petamus igitur illud à Deo, & cum ardore dicamus ei; *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis* k. Cor novum ſicut cor Chriſti, quod unicam habeat cogitationem; quod ſit plenum & fœcundum; & quod intueatur ſemper æternitatem, ſicut cor Jeſu; cujus omnes cogitationes dirigantur ad Deum ad ipſius gloriam & honorem; plenum Deo, fertile & abundans omni bonorum genere, ut poſſideat tandem æternitatis gloriam, ad quam anhelat, ſempiternam.

g 1. Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4.

h Pſ. 35. 9.

i 1. Ioan. 3. 2.

k Pſ. 50. 12.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, &c. Luc. 3. 2. &c. *Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum, Peccaſtis peccatum maximum*, &c. Exod. 32. 30. &c.

NIhil eſt magis timendum quàm ſit offenſa Dei, qui peccata nunquam deſerit impunita. Sic S. Chryſoſtomus nihil æquè metuebat ac peccatum, ut reſponſum fuit in gratiam ejus, Imperatrici Eudoxiæ, quæ præ injuſtitiâ & avaritiâ patiebatur ut opprimeretur vidua quædam pauper, cujus cauſam idem complectebatur S. Chryſoſtomus, teſte Metaphraſto, qui vitam ejus ſcribens, Imperatricem ſic alloquitur, *Ille homo eſt metu ſuperior & minis, & adverſus ipſam quoque mortem erigitur. Vnum ſolum timet, nempe peccatum, & ne Deum ipſum vel modicùm offendat.* Cui *ſimiliter odio ſunt, impius & impietas ejus* a. Ideòque non poteſt quin de peccatore, & de peccatis ejus vindictam referat. Cùm vidiſſet Baltaſſar Rex digitos *quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ; tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum; & compages renum eius ſolvebantur, & genua eius ad ſe invicem collidebantur* b. Sed cur tanto tremore concutiebatur, cùm nondum ſciret quidnam ſignificarent hæc verba, *Mane, Thecel, Phares*? Sed quid? nonne erat aliquis Aulicus, aut adulator, qui hujuſmodi timorem Regis potuiſſet compeſcere? & quare non exiſtimabat Rex ſupradicta verba futura præſagia inſignis alicujus victoriæ, nedum in tantam incurreret turbationem? Heu! Auditores, nihil eſt quod poſſit conſolari peccatorem, quandiu terret eum Deus; formidabilem ſeſe exhibet ipſe audaciſſimis. Sic per rationem contrariorum, cùm conſolatione perfundere vult aliquem, ab eo omnem amovet triſtitiæ cauſam. Virgo beatiſſima *turbata eſt in ſermone* c Angeli ad ipſam accedentis; ſed conſolatione ipſa perfunditur audito nuncio jucundo futuræ Maternitatis ſuæ Divinæ, poſtquàm idem *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave Maria.*

a Sap. 14. 9.
b Dan. 5. 5. &c.
c Luc. 1. 29 & 28.

Nihil eſt potentius pœnitentiâ. Eam nobis exhibet amplectendam tam Moyſes, quàm S. Joannes Baptiſta. Ex verbis Textus noſtri, & ſequentibus colligitur *Moſen altero die à ſuo deſcenſu de monte in quo fuerat per quadraginta dies* d, *rurſum aſcendiſſe in montem, ibique manſiſſe alios quadraginta dies, ut ſecundas tabulas acciperet*, ait Cornelius e. Et patet ex iſtis, *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: Panem non comedit, & aquam non bibit* f. Quibus verbis omnibus aperit nobis ipſe Moyſes tres conditiones, quibus inſigniri debet perfecta pœnitentia. Prima eſt cognitio peccati, quam inſpirare conatur Moyſes populo ſuo, *Peccaſtis peccatum maximum*; ut eos ad habendum dolorem, & contritionem de hujuſmodi peccato excitet, cùm tota virtus pœnitentiæ ſita ſit in hoc dolore interiori, qui eſt ſecunda ipſius conditio. Tertia, eſt ſatisfactio, maceratio, jejunium, abſtinentia, *Panem non comedit, & aquam non bibit.* Hanc eandem pœnitentiam prædicat S. Joannes Baptiſta in ſolitudine Judææ: *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Idcircò *baptiſmus pœnitentiæ dicitur*, *quia quos baptizavit, ad pœnitentiam hortabatur* 1 & *qui baptiſmum illum accipiebant, ſua peccata confitebantur, ſicque ſe pœnitere monſtrabant. Rurſum ad hoc baptizavit, ut baptiſmum ſuſcipientes, per illam lotionem in aquâ ad cordialem contritionem & humiliationem provocarentur, ſicque ad ſuſcipiendum devotè Baptiſmum Chriſti, & gratiam eius diſponerentur*, ait Dionyſius Carthuſianus g, mediâ peccatorum ſuorum cognitione, contritione; & ſatisfactione, *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos; eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylveſtre* h. Sed quia variæ ſunt pœnitentiæ, hunc diſcurſum in duas dividam conſiderationes, Quarum prior exhibebit vobis pœnitentiam interiorem, quæ ſpectat Deum. Poſterior vobis præbebit intuendam pœnitentiam exteriorem, quæ proximum reſpicit.

d et Exod. 24. 18.
e Cornel. in Exod. 32. 30. & 31.
f Exod. 34. 28.
g Dion. Carth. art 9. in Luc. 3. 3.
h Matth. 3. 4.
Diviſio.

Anima rationalis tota ſpiritualis, cùm ſit emanatio Divinitatis, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* i, non poteſt quin mirabilibus fruatur prærogativis ſupra corpus, quod eſt totum materiale. Sed, ut verum fatear, ipſa eſt in hoc, corpore conditione inferior, quòd corpus unica moritur vice, anima verò toties quoties peccat, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* k. Sed ſicut ipſa moritur voluntariè, cùm peccatum non ſit tale niſi ſit voluntarium, ut ait S. Auguſtinus l, *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium*: Sic ex ſeipſa cooperans gratiæ, reſurgit, *Vitâ vivet* m. Homo qui ſibi mortem intulerat per peccatum, ſibi vitam retribuit per Pœnitentiam, concurrendo cum gratia, *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſuâ, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit* n. Admittitur enim differentia inter hoc Sacramentum & alia, quòd alia non operantur, nec conferunt gratiam, quàm per formam ſuam materiæ unitam, iſtud autem materialiter & formaliter producit gratiam, cùm materia proxima Pœnitentiæ ſint actus interiores pœnitentis, dolor quem concipit, ſe offendiſſe Deum, quo medio reſurgit, jam mortuus; non quòd anima per peccatum exeat è corpore, ſed illa in eo eſt, & ibi non eſt mortua niſi quoad operationes ſupernaturales, cùm ſit deſtituta gratiâ quæ eſt ipſius principium & vita. Et ſicut *Verbum caro factum* o, mortuum eſt p, quando voluit, quia Dei Filius *oblatus eſt; quia ipſe voluit* q, & *ſurrexit* r, ex ſeipſo *propriâ poteſtate* †: ſic anima è morte ad vitam redit, ſeque ſuſcitat adjuta auxilio & concurſu gratiæ, & virtute Pœnitentiæ, quæ efficit ut deteſtetur ipſa peccatum, & intueatur illud ut objectum odii ſui, poſtquàm illud adoravit ut idolum.

S. Lucas ſ loquens de hac Pœnitentia interiori, quæ ſuſcitat animam poſt peccatum, ait, quòd abſentia & privatio ejus eſt noſtra mors, ſicut præſentia ejus eſt vita noſtra, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et paulò pòſt, *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Agere & habere differunt; agere pœnitentiam, eſt pœnitentia exterior; ſed habere pœnitentiam, eſt pœnitentia interior quæ reſpicit

i Gen. 9. 6.
k Ezech. 18. 4. & 20.
l S. Aug. lib. de Vero Relig. c. 14.
m Ezech. 18. 21.
n Ezech. 18. 27.
o Ioan. 1. 14.
p Ioan. 19. 30.
q Iſai. 53. 7.
r Matth. 28. 6.
† Dion. Carth. art. 45. in Matth. 28. 6.
ſ Luc. 13. 3. & 5.

Deum

Deum, quæque non poteſt eſſe ei niſi grata; eſt dolor hic cordis, quo quis conteritur, ſe offendiſſe Deum: ſed pœnitentia exterior, per quam ſatisfit pro peccato comiſſo, & pro pœnâ, quam quis incurrit per peccatum, etiamſi ſit bona, peracta præ bonâ intentione, poteſt eſſe mala, & ſæpè eam Deus non acceptat, ut pœnitentiam Judæ t. Quis autem non crederet, pœnitentiam illius non fuiſſe bonam? Suum palàm confitetur peccatum, altâ voce publicans innocentiam Jeſu, *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.* Pœnitentiam agit ſuæ proditionis, & ob eam dolore commovetur, *pœnitentiâ ductus.* Satisfactionem impendit, pretium venditionis ſuæ reddens, *Retulit triginta argenteos.* Et dolor quo angitur ob ſuum peccatum, ſic ingens eſt ut illud ſuſtinere non valens, præ deſperatione ſemetipſum interimat, *Laqueo ſe ſuſpendit.* Et pœnitentia ipſius non inſervivit ipſi niſi ut ex hoc mundo ſuum inciperet infernum. Erat hæc pœnitentia exterior, quæ non procedebat è corde, nec pro objecto habebat Deum, aut eius miſericordiam, quæ plùs poteſt parcere, quàm homo peccare. Pœnitentiæ falſæ, Eſau, & Antiochi. Prior *non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam* u. Quare? Non habebat veram pœnitentiam, nam *dixit in corde ſuo; Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum* x. Et? de poſteriori dicitur, *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus* y. Dolor enim eius ob crimen ſuum, non erat conceptus intuitu Dei offenſi, ſed quia morbo lethali valdè angebatur; & omnia promiſſa quæ offerebat Deo, ſolam ipſius reſpiciebant ſanitatem.

t Matth. 27. 1. &c.
u Hebr. 12. 17.
x Gen. 27. 41.
y 2. Mach. 9. 13, &c.

Pœnitentiæ dantur exteriores, quæ pro objecto ſolam habent vanitatem; pœnitentiæ Phariſaicæ a, quæ nihil præ ſe ferunt auſterum præter apparentiam; pœnitentiæ hypocriticæ quæ ſeſe contemplantium oculis placere geſtiunt. Cùm aliàs Diogenes hyberno tempore ſuper ſe hydrias aquâ plenas funderet, ſicque toto corpore contremiſceret, & populus clamaret, Miſerere tuî Diogenes; nec propterea Diogenes à fundenda ſuper ſe aqua deſiſteret, ſicut nec populus ab inclamando; illac tranſiens Plato, dixit eis, Recedite, non videat vos Diogenes, & ſtatim ſuam terminabit pœnitentiam, quæ ſolam reſpicit vanitatem, quæ ceſſabit cùm nullos habebit admiratores ampliùs. Ha! quot ſimiles inveniuntur in mundo pœnitentiæ! Quot pœnitentiæ hypocriticæ, quæ nihil niſi laudes & auras populares aucupantur! Pœnitentiæ exteriores, quæ nihil habent boni præter apparentiam. Et quoties Aulici in curiâ Principum poſt toleratos labores infinitos, poſt conceptas multas ſpes, quæ ſunt ſomnia ſine ſomno, videntes ſe abreptos à furioſo invidiæ torrente, & ab amicitia Principis lapſos, ſuſpirant in mari calamitatum! Intuitus Principis irati eſt illis magis formidabilis, quàm ſit oculus baſiliſci, immò tormenti bellici ictu terribilior. Sic turbatus eſt Abſalom, eò quòd viſu faciei nondum potiatur paternæ, ut ferè præ dolore ſit exanimis. *Obſecro ut videam faciem Regis; quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me* b. Heu! quantos dolores experiuntur hi pœnitentes, quot exercent humiliationes! Ubi autem inveniuntur animæ magis ad ſervitutem natæ, magiſque humiliatæ, quàm Aulicorum in Curiis Magnatum? Supplices fiunt more viminum, nec gloriam ſibi comparant niſi præ ſervitute. Quot contemptibus, quot faſtidiis impetuntur! Interrogatus aliàs Aulicus quidam quomodonam incanuerat in Curia, nonne reſpondit? *Iniurias accipiendo, & gratias agendo.* Plures ibi ſaginantur injuriis, ſicut canes fideles baculorum ictibus. Nunquid non rudis eſt hæc pœnitentia? Nonne hæc patientia poſſet Sanctos efficere, imò verò Martyres? Annon pœnitentia Religioſæ vitæ Cultorum & Cultricum ſuavior eſt pœnitentiâ Aulicorum? cùm vita in Curiis tranſacta, non ſit vita, nec debeamus vocare Aulicos homines viventes, ſed ſepultos vivos, quia toties moriuntur quoties audiunt quòd aliquis magis ſibi conciliaverit amicitiam Regis, quàm ipſi. Sed heu! omnes ipſæ pœnitentiæ ſunt exteriores, & non habentes Deum pro obiecto, ſunt inutiles, ſine fructu, & abſque merito. Hi miſerandi pœnitentes toto vitæ ſuæ decurſu crucem tollunt mali latronis c, nondum tamen evadant boni; & quod eſt magis deplorandum, ſua adorant ſupplicia, & ſugunt aquam maris inſtar lactis, & omnes amaritudines videntur ſaccharum guſtui eorum depravato, *Inundationem maris quaſi lac ſugent* d, more Judæorum tribus Zabulon. Hæ pœnitentiæ ſunt exteriores. Illas Deus non acceptat; non habent eæ illum pro objecto, eæ ſunt coactæ, nec oriuntur è corde, quod Deus expoſcit e.

a Matth. 23. 14, &c
b 2. Reg. 14. 12.
c Luc. 23. 19.
d Deut. 33. 19.
e Prov. 23. 26.

Cùm violaſſet Dinam filiam Iacob, *Sichem Princeps, vi opprimens virginem* f, advertit quidem quòd fratres eius talem injuriam ſibi in perſonâ ſororis ſuæ illatam ulciſcerentur, idcircò occurrit eis ut eos demulceat, *Sed & Sichem ad fratres eius ait, Inveniam gratiam coram vobis: & quæcumque ſtatueritis, dabo. Augete dotem, & munera poſtulate: & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc uxorem;* quin imò circumcidi me faciam, & veſtram profitebor Religionem, cùm aliter inter vos & nos fœdus iniri nequeat, Illud erat omne, ut videtur mihi, quod agere poterat Princeps. Et tamen Scriptura approbat vindictam, quam de tali injuria retulerunt *arreptis, duo filii Iacob, Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis, interfectis omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter* necando. Nam antequàm *Iudith* decollaret Holofernem, *proſternens ſe Domino, clamabat ad Dominum, dicens, Domine Deus Patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum qui violatores extiterunt in coinquinatione ſuâ* g. Quare Deus hanc vindictam approbat? Ha! ratio iſtius eſt, quia Princeps nunquam ſe voluit humiliare eò uſque ut fateretur ſe deliquiſſe; ſed è contrà perſuadere ſatagebat fratribus Dinæ, ſe eos multo affeciſſe honore, dum ſororem ipſorum ad diadema Samariæ eveheret, cuius ipſe erat Princeps. Peccator, dic quidquid volueris; nunquam tuis ignoſcet peccatis Deus, niſi diſponas te ad ſatisfaciendum ipſi per pœnitentiam interiorem, quæ procedat è corde contrito & humiliato, quia *cor contritum & humiliatum Deus* h requirit, id eſt, hanc Pœnitentiam è corde manantem. Sicut enim è corde procedit mors, *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ* i; ita ex ipſo vita *procedit* k.

f Gen. 34. 2. &c.
g Iudith. 9. 1. & 2.
h Pſ. 50. 19.
i Matth. 15. 19.
k Prov. 4. 23.

Gerit ſe Deus more aquilæ, quæ ſolum inquirit cor; poſtquàm enim volavit inter vepres, ſuperque prædam irruit, illico cor aggreditur: Sic Deus ex toto homine nihil vult niſi cor, quod eſt principium vitæ, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* l. Ut autem ille ipſe ſibi meliùs conciliet, ſciens illud collocatum in medio hominis, ipſe ſtatuit ſeſe ſemper in medio, ut illud obvium habeat. In Nativitate ſuâ m, *in medio duorum animalium* n eſt.

l Prov. 23. 26.
m Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
n Eccl. in Paraſceve ex Habac. 3. 2.

In

In morte ſuâ, in medio duorum latronum; *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Ieſum* o. Semper in medio, ut obvium habeat cor. Si poſt Reſurrectionem ſuam ſuis manifeſtatur diſcipulis, *ſtetit Ieſus in medio eorum* p: Ratio iſtius eſt, quia ipſe requirit cor, nec illud unquam ipſe meliùs poſſidet, quàm per Pœnitentiam interiorem.

o Ioan. 19. 18.

p Luc. 24. 36.

Obſervate autem, ſi placet, hanc Pœnitentiam interiorem debere eſſe ſemper in nobis, nec unquam nos deſerere, niſi cùm vita terminanda eſt. Semper pœnitere debet nos offendiſſe Deum; ſi enim in noſtris complaceremus nobis criminibus, nova perpetraremus. Oportet igitur ut de illis doleamus quotieſcumque in noſtram recordationem redierint, ut ait D. Auguſtinus q, *Pœnitentia dolorem ſemper expetit in pœnâ. Continuè enim dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt, pœnam tenere; ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando.* Sed quomodo? dicetis mihi; ſi peccatum eſt remiſſum, utquid de eo novos concipere dolores? cùm iſtud invehere videatur dubium in validitatem Sacramenti. Sic eſt, Auditores; eorum decet nos ſemper pœnitere, quandiu vivimus, firmè ſtatuentes nunquam ampliùs peccare. Peccatum autem præ ſe fert ſatis deformitatis ut ſibi conciliet odium, ſemel perpetratum, ita ut nunquam debeamus eſſe ſine dolore, cùm ſimus jugi expoſiti periculo; habemus enim ſemper in nobis hoc fermentum iniquitatis, iſtum peccati fomitem, hunc *veterem hominem* r. Sicut enim æger febri laborans quartanâ, non minùs dicitur febriens die quo febris ſuæ intermiſſione potitur, etiamſi dolore non angatur capitis, licèt comedat, bibat, & quieſcat ſuaviter dormiendo; hoc nihil intereſt, ajunt Medici, cùm habeat intra ſe morbum, qui velut causâ & principium in febrim eum denuò rejicit; ſic hominem debet pœnitere peccati præ horrore & deteſtatione eius, quia illud perpetravit, nec fieri poteſt ut eo ſe non inquinaverit: debet ipſe ſanguineas, ſi fieri poſſet, effundere lacrymas, ſciens ſe fuiſſe peccatorem, & talem poſſe eſſe denuò, habendo & videndo ſuis iſtam *legem in membris, repugnantem legi mentis, & captivantem in in lege peccati* ſ ipſum, id eſt, inclinationem ad vitium. Idcircò debemus ſemper habere hanc pœnitentiam interiorem, hunc dolorem de peccato præterito conceptum. Si autem hæc pœnitentia deficiat, ſi dolor iſte ceſſet, pœnitentia non eſt ampliùs, de nobis eſt conclamatum, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* t. Perſeverandum eſt in pœnitentiâ; nihil eſt ac incipere, *quia finis coronat opus*, ut dicitur. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* u.

q D. Aug. lib. de Verâ & Falsa Pœnit. c. 13. & 19.

r Coloſſ. 3. 9.

ſ Rom. 7. 2.

t Luc. 13. 3

u Matth. 10. 22.

Heu quotnam benè inceperunt, & malè finierunt! Non loquor de Iuda proditore. Tertullianus ſui ſtupor ſeculi, & noſtrorum admiratio, æſtimatus ab omnibus & ſuſpectus ut oraculum ob eximiam doctrinam ipſius; Origenes qui tot edidit volumina, qui refertur nihil ignoraſſe præter id quod neſcivit Eccleſia; ad quem ibat unuſquiſque ut ad aſylum errantium, & ad conſilium dubitantium, qui velut aſtrum pellucidum, & ſol ſplendens omnes diſſipabat tenebras mentium eorum; qui tanto erga fidem ducebatur ardore, ut ligandus eſſet ut impediretur ne in flammas ſe projiceret; quòd poſt hæc omnia, *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* †, Iſti viri eximij ſic infœliciter lapſi fuerint, malentes turbare totam Eccleſiam, quàm ſuum *in captivitatem, omnem intellectum in obſequium Chriſti*, x, ejuſdemque Eccleſiæ redigere! *Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire* y? Vanitas. *Stellæ cadent de cœlo.* z. Et quis ſecurus erit? heu! non habuerunt iſti inſignes viri pœnitentiam interiorem, quæ totâ durare debet vitâ, & ſolâ concludi morte: benè cœperunt, & peſſimè finierunt; non erat interior eorum pœnitentia, quæ ſola acceptatur à Deo,

† Ier. 2. 12.

x 2. Cor. 10. 5.

y Gala. 5. 7.

z Matth. 24. 29.

Cùm audiſſet Ezechias morbo decumbens lethali, Iſaiam dicentem ſibi, *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives; convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem* a templi. *Quia ad templum ire non poterat, convertit faciem ſuam ad parietem templi, iuxta quod Salomon palatium extruxerat* b, ait Cornelius c, unde expectabat ſalutem ſuam. Sed malo dicere cùm Pinto d quòd *hoc ideò fecit ut ſeipſum colligeret ad obſecrandum Deum, ut oraret ſecretiùs*, convertendo ſe ad Deum, qui *intuetur cor* e, & quòd pœnitentia eius fuit interior, cùm ei conciliaverit ſanitatem, & prolongationem dierum illius per *quindecim annos.* Hæ autem mortes inopinatæ, quas perſæpè videmus, non ſunt propterea damnandæ. Non debemus dicere quòd Simon Stylites, qui erat prodigium ſanctitatis, ſtans in columna, percuſſus & combuſtus fulmine è cœlo vibrato, ſit ideò damnatus. Abſit à nobis, Auditores, ut tam iniurioſum ei iudicium de illo promamus; & hoc ob duas rationes. Primò, Quia ſacrificium Simonis erat diſpoſitum, & ignis deſcendit è cœlo ad conſumendum illud, ſicut *accidit ignis Domini, & voravit holocauſtum* f Eliæ. Secundò, Quia habebat pœnitentiam interiorem, quæ eſt tota cauſa ſalutis. Et ille Propheta, qui miſſus à Deo ad Regem Jeroboam corripiendum idololatriæ, præ hâc prohibitione, *Non comedes panem, & non bibes aquam ibi*, deceptus ab alio Prophetâ dicente, *Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens, Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam; comedit panem in domo eius, & bibit aquam: qui cùm abiiſſet, invênit eum leo in viâ, & occidit* g; non eſt propterea damnatus; ſed in hoc ipſo pœnitentiam peregit ſuæ inobedientiæ, quod teſtatur alter qui *accurrit Propheta. Oſtendit autem pietatem eius. Dixit enim, inquit, Hic eſt homo Dei, qui exacerbavit verbum Domini*, ait Theodoretus h. Crederetiſne forſan quòd Ananias & Saphira forent damnati, eò quòd jaceant mortui *ante pedes* i D. Petri? Nequaquam, ut poſt D. Auguſtinum k, & alios exponit Cornelius, *neque Ananiam in æternum damnatum, ſed potiùs per carnis interitum* l *conſultum fuiſſe eius, & uxoris ſaluti ſpirituali & æternæ. Pœnituerunt ergo auditâ increpatione Petri, antequàm expirarent; & fortè contritione & dolore nimio expirarunt, uti contigit malefico illi audienti concionem B. Vincentij Ferrerij, ut in eius vitâ narratur* m. Non igitur malè judicare debemus de mortibus his inopinatis & ſubitaneis, quas comitari poteſt pœnitentia interior, quæ reſpicit Deum, ſicut exterior ſpectat proximum; quæ interior Pœnitentia eſt cauſa noſtræ ſalutis, cùm ipſa nos reſtituat in priſtinam amicitiam Dei, quam per peccatum amiſeramus; & dignos nos efficit miſericordia, quam pollicetur Deus peccatoribus verè contritis & pœnitentibus: Pœnitentia interior intuitu Dei, ſicut exterior reſpectu proximi, quam exercet Moyſes, dum *panem non comedit, & aquam non bibit* o, ſicut & D. Ioannes Baptiſta, *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos; eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylveſtre* p.

a Iſai. 38. 1. &c. ex 4. Reg. 20. 1. &c. & ex 2. Par. 32. 20

b Ex 3. Reg 9. 10

c Cornel. in Iſai. 38. 2.

d Pintus in Iſai. 38. 2.

e 1. Reg. 16. 7.

f 3 Reg. 18. 38.

g 3. Reg. 13. 1. &c.

h Theodoret q. 42 in 3. Reg. 13. 10

i Act 5. 1. &c.

k D. Aug. lib 3. contra Parmen. c. 1.

l ex 1. Cor 5. 5.

m Cornel. in Act 5. 4.

o Exod. 34. 28.

p Matth. 3. 4.

Lex

q II. Paral. 9. Matth. 11. 19. & 30. r Ioan. 1. 17. ſ Deut. 25. 2.

Lex gratiæ, quæ nihil videtur habere niſi *ſuave* q, ſicut Legiſlator, qui eam inſtituit r, præ ſe tamen fert aliquid rigoris Legis antiquæ, *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus* ſ. Cùm culpâ peccati remiſſâ ſatisfaciendum Deo ſit pro pœnâ eidem peccato debita juxta proportionem eiuſdem criminis condonati; quæ ſatisfactio eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ peccato propter injuriam, quam irrogavit Deo per bona opera laborioſa. Nam licèt culpa remiſſa ſit per Pœnitentiam, remanet ordinariè pœna, cùm dolor, qui concipitur de peccato, non habeat proportionem cum gravitate culpæ. & Sacramentum Pœnitentiæ primariò non remittat niſi culpam, & ſecundariò pœnam ſecundùm fervorem actuum pœnitentis, & qualitatem pœnitentiæ quæ illi imponitur. Et quia Deo ſatisfaciendum eſt pro tribus peccatorum generibus; ſic tria ſunt operum ſatisfactoriorum genera, *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna* t.

t Tob. 12. 8.

Oratio reſpicit Deum offenſum, & complectitur omne genus precum quæ ei offeruntur. Ieiunium ſeipſum, quò referuntur omnes macerationes & auſteritates corporeæ. Eleemoſyna verò proximum, ſub quâ continentur omnia opera miſericordiæ, quæ exercentur erga egenos. Hæc ſatisfactio præ ſe fert aliquid rigoris, & non poteſt eſſe niſi difficillima.

Satisfacere per pœnitentiam publicam ſcandalo publico, ita ut unum ſequatur juxta menſuram alterius, nunquid non hoc eſt valdè difficile & rude? Et tamen propter peccatum publicum & ſcandaloſum, iacebat aliàs pœnitens ante valvas templi, & conculcabatur ab omnibus qui illud ingrediebantur, per tres, aut quatuor dies, aut circiter, juxta quod videbatur conſonum ei, qui ex authoritate incumbebat talem pœnitentiam ſtatuere. Theſſalonicæ, ut refert Theodoritus u, *cùm fortè ſeditio concitata eſſet, Magiſtratus aliqui lapidibus obruti fuêre, & gravibus contumelijs vexati. Quibus rebus nunciatis, Theodoſius I. Imperator bile accenſus, flammam nequaquam repreſſit iracundiæ, neque fræno rationis eius impetum cohibuit: ſed illam arbitrio permiſit pronunciandæ ſententiæ de ſupplicio Theſſalonicenſibus irrogando poteſtatem. Iracundia igitur hanc authoritatem nacta, velut tyrannus omnia ſuo nutu gubernans, ruptis habenis, & iugo rationis excuſſo, gladios inique contra omnes diſtrinxit, & inſontes pariter cum ſontibus trucidavit. Nam ſeptem hominum millia, ut ferunt, interfecta fuêre: in quâ occiſione non iudicium antecesſerat, neque authores tam horrendi facinoris juſtâ & legitimâ ſententiâ condemnati: ſed omnes ſimul, veluti ſpica in meſſe deſecta, conciſi fuerunt. Hâc miſerandâ ac lugubri calamitate cognitâ, Ambroſius Mediolanum advenienti, & in ſacrum templum ingredi cupienti, extra ſacra veſtibula obviàm procedit, vetatque in templum intrare. Tum Imperator, Oro ut proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui eſt Dominus omnium* x *& ne mihi occludas ianuam, quam ille omnibus, quos peccatorum ſuorum pœnitet, patefecit* y. *Cui Ambroſius: Quoniam, inquit, iracundia permiſiſti iudicium, & non rectâ rationi, ſed animo irato obſecutus, ſententiam pronunciaſti: conſcribe legē, quâ deinceps ſententiæ per iracundiam pronunciatæ, irritæ ſint, & nullius momenti: cognitioneſque cauſarum de cæde, & publicatione bonorum, ad triginta dies ſcriptis proditæ maneant, ut rectâ ratione de illis iudicium des. Iſtud conſilium Imperator libenter amplexatus iubet extemplò legem conſcribi, ſuâque ſubſcriptione confirmat. Quâ re confectâ D. Ambroſius eius vincula ſolvit* z. *Itaque Imperator fideliſſimus in ſanctum templum ingreſſus, non ſtans Dominum precatus eſt, neque genibus flexis, ſed pronus humi abiectus* a, *verſum illum Davidis recitavit Adhæſit pavimento anima mea. vivifica me ſecundum verbum tuum* b *atque capillum manibus lacerans, frontem ferire, lacrymarum guttis ſolum rigare, veniamque ſupplex petere cœpit.* Ecce pœnitentiâ publica Imperatoris. Ecce alia Regis.

u Theodor. lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. c. 17.

x ex Eſth. 13. 11. y ex Ezech. 16. 22. &c.

z ex Matth. 16. 19. a Vide Legem in Ep. ph. & in iure Civil.

b Pſ. 118. 25.

Henricus II. Rex Angliæ cùm morti D. Thomæ Cantuarienſis Antiſtitis occaſionem præbuiſſet, medio crimine quod erat notorium & publicum (cùm mare ſit minùs furioſum, & *fel draconum, & venenum* quod inflat collum *aſpidum* c, tolerabilius verbo imprudenti elapſo ex ore Magnatum quod manus ſolvit violentiæ, & eas claudit juſtitiæ:) Sancto igitur Epiſcopo interempto, Rex ſatisfacturus ſcandalo, Cantuariam venit, & nudis inceſſit pedibus à templo S. Dunſtani uſque ad Metropolitanam Eccleſiam, in qua quieſcebat corpus ſacrum Archiepiſcopi interempti. Ibi proſtratus humi ante fores Eccleſiæ, oravit: Eccleſiam ingrediens, ſuis diluit lacrymis locum, in quo Sanctus Martyr occiſus fuerat, & facta Confeſſione Epiſcopo, acceſſit ad tumulum S. Thomæ, ardentes fundens lacrymas, ſicut & flebant omnes præ miſeratione; ibi ſuos nudavit humeros, & quinquies flagellatus fuit manu Epiſcoporum; deinde ter ictus flagelli à ſingulis octoginta Monachis, ſuis inflictos humeris ſuſcepit; & ſic ſolemniter fuit abſolutus, nudis pedibus *pavimento* adhærens jejunus, & inſomnis per totam noctem, & uberem lachrymarum abundantiam fundens.

c Deut. 32. 33.

Ecce, Auditores, ſatisfactio inſignis; eccè exemplum notatu dignum, Magnatibus proponendum, cùm ſint filij Eccleſiæ, more reliquorum fidelium, æquo ſuſcipiant animo pœnitentiam ſibi imponendam ab ea ut à bona Matre, ad expianda ſcelera ſua. Et David poſt peccatum ſuum cum Bethſabee patratum d, nonne ait? *Et fui flagellatus totâ die, & caſtigatio mea in matutinis* e. Heu! quàm rudes ſunt iſtæ ſatisfactiones. Non vigent ampliùs hæ pœnitentiæ publicæ, non eſt tantæ locus pœnitentiæ, cùm nimia ſint modò crimina. Sed quænam res eſſet, ſi pro quolibet peccato lethifero diluendo peragenda eſſet per ſeptem annos pœnitentia? Vita ſanè brevior eſſet. Quis autem perſeverat ſeptem annis, qui aliquod mortale patret ſcelus? Confeſſarius autem ſi pœnitenti Coronam B. Mariæ Virginis injungat recitandam, eundem pœnitentem diu ùs excipit; Ha! nimis auſterus eſt. Si ſeptem Pſalmos pœnitentiales pronunciandos, aut Sanctorum Litanias perorandas decernat, *Anima noſtra nauſeat* f, dicent pœnitentes æquo liberiores & delicatiores. Vnde autem, obſecro, oritur hujuſmodi nauſea? niſi ex eo quia perfectè non novimus pœnam, ad quam nos obſtringat peccatum; latet nos gravitas criminis, & quod debemus neceſſariò ſatisfacere pro eo, bonis operibus ſatisfactoriis, Deo, vel in hoc mundo, vel in altero, *Ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen per ignem* f. Id eſt pœnitens, qui pro peccatis non ſatisfecit.

d 2. Reg. 11. 4. e Pſ. 72. 14.

f Num. 21. 5.

f 1. Cor. 3. 15.

Hanc non admittunt Hæretici noſtri pœnitentiam exteriorem, in hanc oblatrant ſatisfactionem, quaſi verò detrahat ipſi Paſſioni Chriſti. Vtquid ſatisfacere Deo pro peccatis noſtris? inquiunt: Si Chriſtus Patri ſuo pro illis ſatisfecit, eſt meritis illius & Sanguini injuriam irrogare æquè ac tolerannis. Reſpondeo Chriſtum ſatiſ paſſum ſufficienter, non efficaciter. Oportet ut per bona noſtra compleamur opera. Si illud foret verum, non diceret Chriſtus, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* g. Cui enim bono eleemoſyna, niſi ut Deo ſatisfaciat pro pœnâ peccatis noſtris debita? Si nulla eſſet pœna

g Luc. 16. 9.

na toleranda, ſuperflua eſſet eleemoſyna, & non ſubjungeret idem Chriſtus, *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis* h. Certiſſimum eſt enim eleemoſynam non poſſe delere peccatum, ſed ſolam pœnam. Ideò poſtquàm David ſuum confeſſus eſt peccatum, *Peccavi Domino, dixit Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. Verumtamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur* i, ad impendendam Deo ſatisfactionem pro peccato tibi condonato. Confeſſarius autem, qui pro pluribus peccatis mortalibus unicum Roſarium recitandum imponet pro penſo, pœnitenti, perſolvendo, non eſſet ſic mitis, niſi ſuperabundantem intueretur abundantiam meritorum Chriſti, *qui cùm nec feciſſet peccatum, nec inventus dolus in ore eius* k eſſet, nihil habebat ſolvendum pro ſe; ſicut nec Virgo Deipara *tota pulchra* l, & ſine maculâ actuali aut habituali, quippe quæ ſine originali peccato concepta; neque tot ſancti Martyres m, qui ſuum fuderunt ſanguinem, propriamque prodegerunt vitâ pro Chriſto, quorum merita reſervantur in Eccleſiâ, in quâ *infinitus theſaurus eſt hominibus* n, & publicus, quibus ſummus Pontifex, ut eorum legitimus diſpenſator o, utitur pro neceſſitatibus fidelium ſublevandis. Et iſtud eſt, quod appellamus indulgentiam, quæ non eſt aliud niſi relaxatio & venia pœnarum temporalium, quas ſuſtinere debebamus in hoc mundo, aut in Purgatorio p, per applicationem theſauri Eccleſiæ, qui ſitus eſt præſertim in meritis Chriſti, & in communione Sanctorum, qui ſunt membra conjuncta cum Capite q, quod eſt Chriſtus, & influunt ſuper nos ut membra ejuſdem Corporis, quod eſt Eccleſia. Noſtras igitur contemnere non debent Hæretici indulgentias, nec deſpicere ſatisfactionem, pœnitentiam exteriorem quæ ſpectat proximum, ſicut Pœnitentia interior reſpicit ipſum Deum.

h Luc.11.41.
i 2 Reg.12.13.& 14.
k 1.Petr.2.22.ex Iſai.53.9.
l Cant.4.7.
m Hebr.11.33 &c.
n Sap.7.14.
o Matth.16 18. & 19.
p Malach.3.3.
q Epheſ.1.22.&23.

Errorem deponite, Auditores. Oportet ut ſatisfaciamus Deo pro peccatis noſtris: pœna quippe nobis manet, etiamſi per Sacramentum Pœnitentiæ nobis fuerit culpa condonata. Peragenda nobis eſt pœnitentia, quæ aliquam præ ſe ferat cum noſtrorũ gravitate criminum proportionẽ. Nolite hallucinari, nunquam in cœlũ intrabitis, quin priùs hanc perſolveritis pœnitentiã exteriorem in hoc mundo, aut in altero, aut in Eccleſiâ militante, aut in patiente, *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis* r. Vnde oritur autem ut modò ſic exiguæ peragantur pœnitentiæ? Dicamne id? ſed audebone illud aſſerere. Aliquando è Confeſſario, qui nimis quàm ſit par ſuis indulget pœnitentibus. Confeſſarij, veſtra peragite munia. Judices eſtis vos in hoc tribunali, & pronunciare debetis ſententiam, quæ aliquam præ ſe ferat proportionem cum gravitate criminis. Dulcedo eſt ac ſic peragere, cùm ſatius ſit ſatisfacere in hoc mundo, quàm in altero, in quo rigores ſunt majores, & tormenta graviora. Aliquando ex indiſpoſitione & indevotione pœnitentis, qui ſui criminis non agnoſcens enormitatem, ſatisfactionem recuſat pro eo peragere, licèt ad eam teneatur. Si Confeſſarius præcipiat ei ut jejunet pro multis ebrietatibus, & pro innumeris exceſſibus & diſſolutionibus, quibus indulſerit, *Anima noſtra nauſeat* s, inquit. Ipſe murmurat, nec ſuſtinere poteſt ut ullus de abſtinentiâ exercendâ ſibi fiat ſermo, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* t? Recedit è tribunali Confeſſionis mœrens & triſtitiâ affectus, more illius qui dimiſſus à Chriſto, *abiit triſtis* u. Si Confeſſarius tantillum præ ſe fert rigorem, Heu! nobis non eſt accommodus, quippe qui nimis quàm ſit par ſeverus, *Potaſti nos vino compunctionis* x, ait pœnitens. Alia verſio fert, *vino execrationis*; alia *vino amaritudinis*; & alia, *vino ſeparationis*. Ha mutandus eſt iſte Confeſſarius, & ejus loco alius ſumendus magis indulgens, & minùs auſterus; quæramus aliquem Confeſſarium ſemiſurdum, & cæcum, ſi poſſibile eſt, æquè ac imperitum; iſte nobis favebit, *Potaſti nos vino ſeparationis*. De ſuis non conteruntur peccatis, & ideò ſatisfactoriam pro illis renuunt acceptare & peragere pœnitentiam, quam ſuſtinere non poſſunt, in hoc ſimiles Davidi, quem *induit Saul veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius, & veſtivit eum loricâ. Accinctus ergo David gladio eius ſuper veſtem ſuam non ſic incedere* y poterat. Heu! quomodo jejunare? Non poſſum, nunquam jejunavi, mihi vires non ſuppetunt, *Non poſſum ſic incedere, quia non uſum habeo*. Saginare ſuum volunt abdomen, nihil ſuis renuere voluptatibus, ſe prædam tradere omnibus deliciis & diſſolutionibus, & eos pœniteret alicui vel minimæ incubuiſſe pœnitentiæ exercendæ. Si Confeſſarius jubeat eis ut ab aliquo recedant conſortio frequentando, ut à tali & tali re abſtineant, Heu! *non poſſum ſic incedere*. Haberet ut Hypocrita, aut ut comeſtor Crucifixi. Si inducere velit eos ad impendendam reſtitutionem boni injuſtâ viâ comparati, Heu! quantas experiuntur pœnas & difficultates, quàm innumeras prætexunt excuſationes! Quomodo? quòd uxor mea deponat ſpecioſas veſtes ſuas? quòd meum ſtatum deprimam? quòd è majori cubiculo meo aulæis ornato tapetes pretioſos removeam? quòd incedam ut homo plebejus? *Non poſſum ſic incedere*. Jejunium ſemidiei eos opprimit, extenuati ſunt, & vix incidere poſſunt ſicut David, qui ſingulis greſſibus in terram impingebatur. Hoc eſt, Auditores, quod Deus amat; iſtud eſt quod Aſſuero placet; cum enim jejunaſſet *Eſther* z, *placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Dixitque ad eam Rex, Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi* a. Aſſuerus cœleſtis eodem ſe gerit erga animam pœnitentem modo, illius amore ducitur, & pollicetur ei dare totum paradiſum, non autem *dimidiam partem regni* ſui ſolam.

r Luc.13.5.
s Num.11.6.
t Ioan.6.61.
u Matth.19.22.
x Pſ.59.5.
y 1.Reg.17.38.& 39.
z Eſth.4.16.&16.
a Eſth.5.2.&3.

Cùm igitur oporteat ut ſatisfaciamus, nec ſine ſatisfactione ſalvari poſſimus; expedit enim ardere, aut pœnitere; pœnitentiam agamus, Auditores, ſatisfaciamus Deo in hoc mundo pro peccatis noſtris, habeamus hunc dolorem interiorem conceptum ex offenſâ ejus; defleamus jacturam gratiæ, quam incurrimus. Sed non imitemur lacrymabundas illas mulieres, quæ modum faciebant lugendi plùs aut minùs juxta penſum ſibi perſolutum, nec unquam magis erant contentæ, quàm cùm magis flebant, quia plus lucrabantur; hæ lacrymæ nihil valebant, & nullius erant meriti, cùm non manarent è corde, nec Deum pro objecto intuerentur; non erant hæ lacrymæ pœnitentia vera, pœnitentia interior. Oportet ut fleamus mortem noſtræ animæ per peccatum, jacturam gratiæ, iſtam deflere debemus jacturam æquè ac mortem, ut nobis conſulit Propheta b, *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum*. Agamus pœnitentiam in hoc mundo, nec expectemus eam exercere in altero, *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis* c? Non differamus eam donec perveniamus in Eccleſiam patientem purgatorij d; faciamus pœnitentiam in militanti e hujus vitæ, ut poſſidere tandem poſſimus gloriam in triumphanti f alterius.

b Ier.6.26.
c Iſai.33.14.
d Malach.3.3.
e Iob 7.1.
f Apoc.21.2.&4.

FERIA II.
POST DOMINICAM IV. ADVENTUS.

Ait Dominus ad Moyſen, Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum. Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum. Exod. 32. 10. &c.

NIhil novi in mundo quod nos inducat meliùs ad incumbendum orationi, nec efficacius ad ſiſtendum noſtri motum cordis continuum, quàm agat certitudo, quam præbet nobis Deus, nos à ſe exaudiendos in orationibus noſtris infallibiliter, *Petite, & accipietis* a. Nihil eſt magis proprium & naturale Deo, quàm ut ſuas nobis communicet gratias, & ſua nobis largiatur dona præ immodicâ profuſione; favores autem, quibus nos cumulare dignatur, ſic ſunt continui, ut orationes noſtras, quæ ſunt petitiones, ſemper & ubique comitari debeat gratiarum actio, ne terræ inſimulentur ingratitudinis.

a Ioan. 16. 24.

Eccleſia Sancta, quæ dirigitur à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* b, quæ ideò non poteſt errare inter tot clara, quibus illuſtratur, lumina, huic reciprocæ incumbit grati animi exhibitioni, mutuas rependere vices ſatagens pro collatis ſibi beneficijs, cùm prolatis his verbis Officij Divini in fine Lectionum, *Tu autem Domine miſerere nobis* c, ſtatim reſpondet præ gratitudine, *Deo gratias.* d: ut nobis innuat, quòd obtinere & petere à Deo, non differunt, *Petite*, ecce petitio; *& accipietis*, en exauditio petitionis. Sanctis accenſi Patriarchæ ardoribus petierunt deſcenſum Juſti, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum* Et eorum oratio fuit exaudita; & Virgo Sacratiſſima iiſdem mota fuit affectibus, *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem* e. Et hæc terra innocens produxit nobis eum, qui eſt ſpecioſus *flos campi* f æternitatis, qui ait, *Exivi à Patre, & veni in mundum* g. Id eſt, *per humanæ naturæ aſſumptionem, atque cum hominibus piam converſationem*, ait Dionyſius Carthuſianus h. Quod peragi cœpit in ſacris ejuſdem Virginis ſanctiſſimæ viſceribus i, ſtatim ac Angelus illius exigens conſenſum ad ineundum iſtud mirabile fœdus, & hanc unionem Divinam Verbi cum carne noſtra, dixit ei, *Ave Maria.*

b 2. Petr. 1. 21.
c ex Tob. 3. 10.
d 1. Cor. 15. 57.
e Iſai 45. 8.
f Cant. 2. 1.
g Ioan. 16. 28.
h Dion. Carth. art. 40. in Ioan. 16. 28.
i ex Baruch 3. 38.
i Luc. 1. 28. & 31.

Veritas eſt indubitata, quæ negari non poteſt ſine blaſphemia, & cui contradici non valet abſque ſacrilegio, quòd cùm Deus ſit in eſſe phyſico & naturali Ens ſummum & independens, *Ens à ſe*, ut docet Theologia innixa Scripturæ, *Ego ſum qui ſum* k; & fatetur Propheta l, *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges*: Sic in eſſe morali eſt Ens bonum, ut teſtatur idem Deus Moyſi, dicens ei, *Ego oſtendam omne bonum tibi* m; & bonum communicabile, *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ait S. Dionyſius n. Et, ſicut dicunt Ethimologiſtæ nominum, nomen Dei eruitur à dando, nomen iſtud Deus poſſidet, quia iſtam eminentem poſſidet ubertatem dandi univerſis perfectionem, *Qui dat omnibus affluenter*, ait S. Jacobus o. Quod ſic fusè explicat Dionyſius Carthuſianus p, *Id eſt, liberaliter & abundè. Ipſe etenim abundantiâ ſuæ pietatis, merita ſupplicum excedit & vota: & ſicut infinita q eſt bonitas, ac opulentia Dei, ſic infinita eſt munificentia eius. Qui (ut Divinus Dionyſius r docet) per omnem naturæ vultum ſua dona diffundit, nec aliquid exiſtentium ſuæ bonitatis communicatione expers relinquit, & unicuique ſecundùm ſuam capacitatem diſpoſitionemq; influit. Omnibus quippe dat dona naturæ, neceſſaria vitæ: atque ad danda dona gratiæ ſemper exhibet ſe paratum, dummodò quod in ſe eſt, faciat homo. Imò quoſdam gratioſiſſimè prævenit, & omnem gratiæ obicem ac cordis duritiam tollit ab eis, gratiamque largitur eiſdem, non ſolùm ſupra eorum merita, ſed & contra eorum demerita.*

k Exod. 3. 14.
l Pſ. 15. 2.
m Exod. 33. 19.
n S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
o Iacob. 1. 5.
p Dion. Carth art. 1. in Iacob. 1. 5.
q ex Baruch 3. 25.
r S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 6. ex Pſ. 110. 3. & ex Pſ. 118. 91. & ex Sap. 11. 21.

Ab initio mundi, in iſtâ primâ entium productione, dedit Deus omnibus creaturis propriam formam ipſarum, quæ eſt tota earundem perfectio; hominem tamen excipio, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona* s. Generatim ſuarum intuetur opera manuum, ea contemplatur, & ſtatim illa laudat ut perfecta in naturâ ſua: ſed de homine non loquitur, ſeque æquè avarū adverſus eum exhibet (ſi dici fas eſt) ac liberalis fuerat erga reliquas creaturas. Dico autem Deum id effeciſſe ut induceret eum ad elevandos obtutus ſuos in cœlum, & invitaret eum quatenus egenum & mendicum ad efflagitandas à ſe res neceſſarias ſaluti & ultimæ perfectioni ipſius, quas propriis non poteſt ipſe habere viribus, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* t. Et ideò jure merito non impertitur illas ei Deus, niſi poſt orationes ab eo ſibi pro hujuſmodi rebus conſequendis offerendas.

s Gen. 1. 31.
t Ioan. 15. 5.

Cujus veritatis non ignarus Apoſtolus, quippe qui cœleſtia edoctus myſteria, *Quoniam raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* u; conſulit nobis ut indeſinenter fundamus preces, *Sine intermiſſione orate* x. Ratio autem propter quam vult Deus, ut ipſum deprecemur, hæc eſt, quam educo ex illius miſericordia. quam, ultra primam gratiam, quam nobis gratuitò impendit, quia *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* y; vult ipſe ut mereamur, ut teſtatur Apoſtolus, loquens de ſe, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum* z. Intendit igitur Deus ut dignos nos exhibeamus, prout in nobis erit, beneficiis, quibus ipſe vult nos cumulare, poſt erogatam nobis hanc primam gratiam: Atqui nihil eſt quod magis eū inducat ad benefaciendum nobis, quàm agat oratio, quæ cùm ſit actus religionis & latriæ, eſt meritoria, & una ex actionibus nobiliſſimis earum omnium, quibus poſſimus incumbere, tam ratione ſui objecti, quod eſt Deus, quàm propter ſubjectum ſuum, quod eſt anima. Præterquàm quod complectitur ea & includit in ſe tres virtutes Theologicas fidem, ſpem, & charitatem. Fidem, cùm credat illa omnipotentiam in eo, quem orat. Charitatem, cùm iſta ipſam animet, & ſuis flammis eam accendat. Spem item, cùm illa certa expectet fiduciâ, Deum futurum ſibi propitium. Vult ergo Deus ut ab ipſo etia-

u 2. Cor. 12. 4.
x 1 Theſſal 5. 17.
y Rom. 9. 16.
z 1. Cor. 15. 10.

efflagitemus res, quas nobis eſt pollicitus, & quas ſibi propoſuit ipſius providentia nobis impertiri; ſicut oportet ut aperiamus oculos, ut ſuſcipiamus Solis lumina; & ut aliquas obſervemus formas, ad conſequendos aliquos favores à Principe temporaneo. Deum deprecamur ut obtineamus ab eo illud, quod ipſe interventu amicorum ſuorum vult nobis erogare, ut nimirum efflagitando mereamur id ſuſcipere, quod Deus ab æterno nobis voluit dare. Idcircò *ait Dominus ad Moyſen, Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos.* Quod ideò facit, dicit Cornelius a,

a Cornel. in Exod. 32.10

primò, Ut oſtenderet quanti faciat Sanctos ſuos, & preces eorum. Hoc ſignificat τὸ dimitte me, id eſt, ut Chaldeus vertit (intermitte deprecationem) quæ ſcilicet mihi ligat manus. *Secundò, Ut oſtenderet immenſam clementiam ſuam; non enim abſolutâ & efficaci voluntate decreverat delere Hebræos, ſed conditionatâ, ſi videlicet nullus ſe ſequeſtrum & deprecatorem pro eis interponeret. quam conditionem ipſe poni voluit, ut clementiam ſuam pateſaceret; ideòque Moſi revelavit peccatum populi, ut Moſes oraret pro eo, ipſeque exoratus populo parceret.* Quod Cornelius deſumpſit ex Theodoreto b dicente, *Hæc igitur verba, Dimitte me, dixit pro eo, quod eſt, Cohibe me. Quia quum eximius ille Moſes ignoraret iniquitatem populi, hanc Deus illi pateſecit, atque ut pro eo intercederet, excitavit.* Sequeſtrum ſe igitur exhibet Moyſes, ut ipſe dicit de ſe alibi, *Sequeſter & medius fui inter Dominum & vos* c, populum Dei alloquens. Et poſt peccatum ejus orat *Dominum Deum ſuum. Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum. Ne ſcilicet deleret populum, uti deſtinarat,* ait Cornelius d. Qui ſubdit, *Vide quid unius Moſis preces hic apud Deum effecerint, quæ totius populi ſalutem impetrarunt.* Quod indicat, nos infallibiliter exaudiendos, ſi preces ad Deum direxerimus, meque invitat ut exhibeam vobis intuendum Primò, Quænam ſit potentia orationis, quæ omnia poſſit, & tantum quantum Deus. Secundò, Ut edoceam vos, cùm oratio ſit ita potens, unde oriatur quòd ipſa ſuum ſemper non ſortiatur effectum.

b Theodoret. q. 67. in Exod. 32.10

c Deut. 5.5.

d Cornel. in Exod. 32.14.

Diviſio

1. Pars.

Quòd oratio æquiparetur Deo, & eamdem habeat cum Omnipotente potentiam, propoſitio eſt alta, ſed non temeraria. Ratiocinatio meo favens propoſito, huic veritati conciliabit authoritatem. Ecce probationes quæ illi erunt loco fulcri. Si unum è duobus tantum poteſt quantum alterum, ſi oratio nihil habet inferius Deo in potentiâ, non ſine ratione illa æquiparatur iſti; & ipſe mihi videor non debere vituperari, ſi orationem Deo comparem. Antiqui vocabant validam ſpeciem magiæ, quæ poſſet Deum faſcinare, orationem, & meritò, cùm nihil ſit quod ipſa non valeat in cœlo & in terra. Omnia poteſt oratio, ignem è cœlo trahit, & inducit eum ut contra inclinationem ſuam naturalem deſcendat è ſua ſphæra, cùm orante Elia *cecidit ignis Domini; & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens* e. Efficit ut aër tonitruis perſtrepat, cùm poſt orationem, quam egit Moyſes in monte Sinai, *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem* f. Mitigat illa tempeſtates, cùm Dei Filius orans Patrem ſuum æternum, & *ſurgens imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna* g. Rupes diſcindit, & ex iis proſilire facit aquas; nam *cùm elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta* h. Aperit illa monumenta, *Ieſus autem elevatis ſurſum oculis, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus* i. Tandem, Omnia poteſt, & tantum quantum Deus, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum* k. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus l, *Hoc eſt, quidquid ſermone ſignificatur, Deus poteſt implere, ſi contradictionem non implicet.* Ecce objectum potentiæ Dei. *Petite, & accipietis* m, *quod petitis*, ſubjungit idem Dionyſius n. Ecce objectum potentiæ orationis. Vires & animos additurus Bethuliæ incolis *Eliachim Sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Iſraël, allocutuſq; eſt eos, dicens, Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in orationibus in conſpectu Domini. Memores eſtote Moyſi ſervi Domini* o, *qui Amalec confidentem in virtute ſuâ, & in potentiâ ſuâ, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando dejecit* p. Ecce potentia orationis, quæ omnia poteſt, & tantum quantum Deus.

e 3. Reg. 18.37. & 38.

f Exod. 19. 9. & 16.

g Matth. 8. 26.

h Num. 20. 11.

i Ioan. 11. 43. &c.

k Luc. 1. 37.

l Dion. Carth art. 1. in Luc. 1. 37.

m Ioan. 16. 24.

n Dion. Carth art. 40. in Ioan. 16. 24.

o ex Exod. 17. 12. &c.

p Iudith. 4. 11. &c.

Petitiſne confuſionem elementorum? depreſſionem cœlorum? receptum marium? fugam montium? Hæc omnia poteſt oratio; *Mare vidit & fugit: Iordanis converſus eſt retrorſum. Montes exultaverunt ut arietes: & colles ſicut agni ovium* q. Hanc veritatem confirmat Chriſtus, cùm ait, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet; & majora horum faciet* r. Per orationem fit quædam conjunctio hominis & Dei. Ille qui orat, eſt omnipotens, & infinita eſt ejus oratio ſicut Deus, & ſicut per communicationem idiomatum poteſt dici, quòd Deus ſpolians ſe magnitudine ſuâ, noſtras aſſumpſit miſerias, noſtram induens naturam; ſic per orationem ſpoliantes nos infirmitatibus noſtris, efficimur aliquo modo Omnipotentiæ Divinæ participes.

q Pſal. 113. 3. & 4.

r Ioan. 14. 12.

Dum *luctabatur* Jacob cum Angelo, vel cum Deo in perſona Angeli, nomen ejus fuit ei mutatum, *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël.* Quod ſignificat, fortis cum Deo, vel, prævalens Deo, ut indicant verba ſequentia, *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis* s. Sic potens evaſit in hoc certamine ut de Deo victoriam retulerit, hoc autem prælium non fuit aliud niſi potens oratio, *In fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo; & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt; flevit, & rogavit eum* t. Idem ſentit Apoſtolus u, cùm ſe omnipotentem magnificat, *Omnia poſſum*; ſed ne temeritatis & præſumptionis videatur inſimulandus, ſubjungit ſtatim; *in eo qui me confortat.* Nihil eſt quod non poſſim, non in infirmitate meâ, ſed auxilio fultus Dei mei, qui conatibus meis vires præbens, me extra meos evehit limites.

s Gen. 32. 24. & 28.

t Oſee 12. 3. & 4.

u Philipp. 4. 13.

Sola oratio in nobis hæc operatur mirabilia, quæ è terra nos elevat in cœlum catenâ aureâ, ut nos uniat Deo, qui eſt noſtrum *Principium, & Finis* x ultimus noſter. Ipſa eſt mons Thabor, ubi admirabilis fit animæ noſtræ transfiguratio in Deum, ut ait Apoſtolus y, *Nos omnes gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.* Efficimur dii, omnipotentes ut Deus. Quid facit hoc? Oratio quæ omnia poteſt, quæ eſt quædam magia, quæ Deum faſcinat, & quam ipſemet Deus veluti reformidat, præſertim cùm juſtitia ipſius vindictam inquirit ad pu-

x Apoc. 1. 8.

y 2. Cor. 3. 18.

Digitized by Google

puniedos reos & ſuis legibus rebelles. Ecce probatio valida, quæ mirum in modum potentiam orationis extollit. Iratus juſtâ de cauſâ Deus, inducitur ex debito juſtitiæ ſuæ pœnas ſumere de crimine populi ſui; ſed videns quòd Propheta Jeremias ſuis oppoſiturus eſſet ſe fulminibus per orationem tanquam per clypeum, ait illi, *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te* z. Propheta, ut video, tu me vis faſcinare, tuâ oratione mea vis infringere conſilia, & objces opponere iis quæ propoſui mihi; ſed ne preces fundas pro iſtis ingratis, ne meorum irritam facias juſtitiam conſiliorum; ſi enim loquaris, cùm nihil recuſare valeam cordi ſupplicanti, hanc punire non potero inſolentiam; ſine ut ulciſcar me de iſtis æquo liberioribus & nequam hominibus, & ut meam exerceam juſtitiam adversùs eos, qui illam ſuis ſceleribus exacerbaverunt. Sed quare, Auditores, ſic Deus Ieremiam videtur deprecari? Cur non ſinit ut Propheta ſibi preces offerat? Nonnè poterit ipſe, ſi velit, quantùmvis oret Ieremias, conſilium ſuum ad exitum perducere? Quid intereſt, utrùm Jeremias orationes fundat, aut non? ſi conſilia Dei ſunt immutabilia, *Ego enim Dominus, & non mutor* a. Ha! ratio iſtus eſt, quia oratio tantæ eſt virtutis, ut Deus nihil recuſare valeat ſuorum precibus ſervorum & amicorum, *Voluntatem timentium ſe faciet* b. Suavi violentiâ veluti cogitur eorum annuere voluntati.

z Jer. 7.16

a Malach. 3.6.

b Pſ. 144. 19.

Non ſiſtit ibi orationis potentia, ſed ipſa veluti ligat Deum, & cùm ſit abſolutus & independens per naturam, illa reddit Deum quaſi obedientem voluntati eius qui ipſum deprecatur, *Dimitte me*, aiebat ſuprà idem Deus Moyſi. Moyſes, plenâ ſinito me uti libertate. Quomodo? Auditores, quidnam eſt hoc? Eſtne Deus veluti vinculis conſtrictus & catenis? Sic eſt. Jure merito expoſcit Deus quaſi in libertatem reſtitui priſtinam, egredi velut è captivitate, cùm ſe quaſi ſub vinculorum intueatur redactum ſervitutem. *Dimitte me.* Puniendi facultatem velut à Moyſe expoſcit ille, qui Moyſen formavit c. Per orationem videtur Moyſes eripere Deo libertatem plectendi rebelles legibus ſuis, idcircò eundem *ait Dominus ad Moyſen, Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.*

c Exod. 32.

Nondum eſt iſtud ſatis ad commendandam orationis potentiam ut Deum veluti conſtringat vinculis; imò verò illa quaſi ei præcipit, *obediente Deo voci hominis* d, cùm magnus ille Dux exercituum populi ipſius *Ioſue* præmiſsâ oratione, *dixit coram eis, Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon: Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſeretur ſe gens de inimicis ſuis.* Obedientia & mandatum ſunt relativa; obedire & præcipere neceſſariam ſecum inuchunt relationem: Deus veluti obedit: Ergo aliquis quaſi ei imperat: Atqui præcipere eſt nota Superioritatis, quæ veluti debetur orationi. Quod aio, Auditores, nedum aliquid detrahan magnitudinibus Dei. Sicut enim cùm factus eſt homo e, infirmus evaſit, nec ſuam omnipotentiam amiſit; ſic in gratiam illorum quos amat, oratio velut ipſum ligat, & ipſi quaſi præcipit, nedum tamen potentiæ ipſius officiat, cum ipſe nobis præbeat vires, quibus mediis opponamus nos ipſi; & ſuæ fælicitati veluti obſit, ut noſtræ cauſæ faveat.

d Ioſue 10. 14. &c.

e Galat. 4. 4.

Poſtquàm *ingreſſus eſt Noë & filij eius, uxor eius & uxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluvij, incluſit eum Dominus deforis* f, ſeu ut vertit Eccleſia, *clauſit à foris oſtium Dominus.* Sed quare hoc? Nonne Deus præbere vult huic magno Patriarchæ Noë Iuſto libertatem aperiendi oſtii arcæ, quando ipſi libuerit? Myſterium eſt iſtud, Auditores, & ratio illius eſt, ut opinor; Quia ſi eximius iſte vir tot miſerias vidiſſet in hâc cæde & devaſtatione diluvij univerſalis, quo *conſumpta eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli, & deleta ſunt de terra, remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arcâ*; curſum profectò continuiſſet huius diluvii precibus ſuis; & Deus ipſos rebelles non puniviſſet, qui non erant in arcâ, propter ipſorum crimina, quæ erant innumera, *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram* g, & feciſſet tunc id idem Deus quod poſteà peregit, cùm *odoratus eſt odorem ſuavitatis, & ait, Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ: non igitur ultrà percutiam omnem animam viventem ſicut feci* h. Videtur pœnitere Deum puniviſſe peccatores ob eorum ſcelera, & ſi Noë clamaſſet ad ipſum antè, cùm eſſet ipſius amicus, quippe qui *invênit gratiam coram Domino*; Nam *Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* i; non ſolùm habuiſſet potentiam petendi, ſed etiam veluti præcipiendi; non tantùm fuiſſet uſus prece, inſtar Moyſis, ſed etiam quaſi imperio. Quantam potentiam orationis!

f Gen. 7. 7. &c.

g Gen. 6. 12.

h Gen. 8. 21.

i Gen. 6. 8. & 9.

Tanta vis eius eſt, ut, ſi diabolus poſſet orare, & de ſuo peccato dolere, exaudiretur in ſuis petitionibus, veniam impetraret, & ex teterrimis inferorum egrederetur ergaſtulis. Sed infœlix! pervênit ille ad ultimum obſtinationis ſuæ terminum k, unde nunquam exibit. Ne autem, Auditores, terrere videatur vos iſta propoſitio, quæ videtur inuſitata, conſiderare, quòd è tribus vicibus, quibus oraverunt diaboli, ſemper fuerunt exauditi ſingulis. Affligendi Iob, à Domino petit facultatem *Satan*, *Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerva* l. Secundò, Copiam petit tentandorum Apoſtolorum, *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* m. Quod miro exponit Dionyſius Carthuſianus n modo, *Id eſt, ſtudiosè quaſivit, licentiamque à Deo petivit, quia homines tentare non valet, niſi inquantùm à Deo & Angelis ſanctis permittitur, ut cribraret, id eſt, tentationis ſuæ impulſu agitaret, concuteret, & turbaret, ſicut triticum cribratur in cribro, ita quòd palea remanent, farinaque tranſit, ſic Iudas ut furfur remanſit diabolo ad tormenta, alij autem Apoſtoli tranſierant ad gloriam. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, hoc eſt, ne penitus extirpetur, aut finaliter deficiat, quàmvis ad tempus vacillet. Itaque Chriſtus oravit pro Petro, non ut non tentaretur, ſed ut in tentationis malo non relinqueretur. Nec dubium quin pro alijs quoque electis Apoſtolis Chriſtus idem rogaverit, ſed idcircò hæc ſpecialiter loquitur Petro, quia inter Apoſtolos principalior, ferventior, atque audacior erat, & quoniam in maiorem fuerat tentationem lapſurus, ac magis caſurus, propter quod eum magis præmunire dignatus eſt.*

k Iſai. 14. 21. & 14.

l Iob 1. 4. &c.

m Luc. 22. 31. & 32.

n Dion. Carth. art. 48. in Luc. 22. 31. & 32.

Tertiò, Quando Dei Filius *ab homine* quodam ejecit ſpiritũ immundum cui erat *Legio nomē, quia multi erãt, deprecabantur eum ſpiritus, dicētes, Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et conceſſit eis ſtatim Ieſus. Et exeuntes ſpiritus immundi, introierunt in porcos* o. Hinc inferri juſtâ videtur ratione, quòd ſi dæmones orare poſſent, bona opera facere, & de ſuperbia ſua dolere: veniam petentes à Deo, eam proculdubio conſequerentur, & in ſuis exaudirentur precibus.

o Matt. 8. 8. &c.

Hinc iſtam eruit S. Antiochus p conſequentiam fidelibus perutilem, argumentando à minori ad majus: *Dæmones ipſi, ne in abyſſum præcipitarentur, cùm obſecrarunt Dominum, ſuâ petitione fraudati non ſunt: Quantò dignius eſt eum exaudiri, Chriſtum qui per fidem induit* q, *ſuppliciter deprecantem, à ſpirituali morte ut liberetur*? Fraudare aliquem, eſt non dare ei illud quod ad ipſum pertinet, quaſi deberet Deus aliquid impendere ipſi vel orationi dæmonum. Quantam potentiam orationis! Jeſus Chriſtus qui eſt ipſa *Veritas* r per eſſentiam, hanc ſolemni jurejurando confirmat nobis veritatem, *Amen, amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* s. Quibus verbis ſubjungit Dionyſius Carthuſianus t, *Et ſi nō ſtatim, tamen tempore opportuno vel ſi non id quod petitis, tamen aliquid melius.* Nihil potentius eſt homine juſto Deum orante, qui triumphat de ipſo Deo, & omnia poteſt in cœlo, & in terrâ. Ideò datur ei pro emblemate ſagitta quæ ſuum attingit ſcopum, præ hâc inſcriptione, *Conſequitur quodcumque petit.* Oratione inſtructi infirmi corda præ ſe ferunt generoſa more leonum, *Adoleſcens David dixit ad Philiſthæũ, Ego venio ad te in nomine Domini exercituum. Dei agminum Iſrael; prævaluitque David adverſùm Philiſthæum in fundâ & lapide, percuſſumq́; Philiſthæum interfecit* u. Sic *Eſther quoque Regina deprecabatur Dominum Deum Iſrael* x. Et ſuâ oratione revocandum ſategit decretum, quod Rex Aſſuerus contra nationem Judæorum tulerat. *Et Iudith vidua* y, quæ nihil ſui habet ſexu infirmius, *orans cum lacrymis, Holofernis percuſſit bis in cervicem, & abſcidit caput eius* z; *& fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor* a. Tandem, *Eductus eſt Daniel de lacu, & nulla læſio inventa eſt in eo, quia credidit Deo ſuo* b, cicuratis ſuâ oratione leonibus, quos præ ſuis viderat pedibus proſtratos, & in agnos conversos, ita ut ipſum ſuo venerarentur modo. Ha! Auditores, quid expectatis plus aut melius ad animandos vos ad orationem? Vultiſne in infirmitate veſtrâ ſuperare Goliath infernalem, qui omnimodam minitatur vobis ruinam? Mitigarene cupitis iram Aſſueri cœleſtis adversùs iniquitates veſtras exacerbati? Deſideratiſne declinare à conſiliis Holofernis qui vos obſidet, & comprimit ad victoriam uſque? Eſtne vobis in votis exire *de lacu* leonum tot crudelium paſſionum, quibus exagitamini, & nihil eis relinquere virium niſi quantum illis fuerit opus ad gerendum vobis morem, & ad ſubminiſtrandam vobis capeſſendi anſam meriti? Tandem, Aſpiratiſne ad triumphum referendum de Deo ipſo, ita ut adeuntes *cum fiduciâ ad thronum gratiæ, miſericordiam & gratiam in auxilio opportuno* c inveniatis? Orate, Auditores, orate, hoc eſt totum, omnia habetis, univerſa poteſt oratio, *Conſequitur quodcumque petit.* Non majori vobis conſtat quàm efflagitare.

p S. Antioch. hom. 27 de Deſperatione ex Luc. 8. 31. & 32.
q ex Galat. 3. 27.
r Ioan. 14. 6.
s Ioan. 16. 23.
t Dion. Carth. art. 40. in Ioan. 16. 23.
u 1. Reg. 17. 45. &c.
x Eſth. c. 20. & ſeq.
y Iudith 8. 1.
z Iudith 13. 6. & 10.
a Iudith 14. 16.
b Dan. 6. 23. & 23.
c Hebr. 4. 16.

Sed audire mihi videor cenſorem dicentem mihi, Quòd, ſi verba mea, quæ non deberent eſſe niſi oracula, cùm conſtitutus ſim in cathedra, in qua non annunciantur niſi *verba vitæ æternæ* d, & ſempiternæ veritatis, tantam præ ſe ferrent veritatem, quantam perſuadere intendo; & quòd oratio ſic ingentem haberet virtutem & vim, ſicut vobis probare ſategi, proculdubio, poſtquàm ipſe toties & toties & ſic inſtanter Deum deprecatus eſt, orationes ſuæ non forent ſine fructu, cùm earum jam fuiſſet proficuos effectus expertus. Reſpondeo, Auditores, (& id, eſt ſecunda mea pars) Quòd ſi orationes noſtræ non exaudiuntur, ideò quia eſſentialia non petimus, *Si quid petieritis* dixit ſuprà Chriſtus, non quale, quod eſt accidens, aut qualitas, ut innuat petendum eſſe à Deo aliquid ſubſtantiale, permanens, utile, neceſſarium ſaluti noſtræ, *Salubre & decens*, ait Dionyſius Carthuſianus e. Plures nunc omitto, ne veſtrâ præ diſcurſu prolixiori, abutar patientiâ, conditiones, quæ bonam comitari debent orationem, ut ſuum conſequatur effectum, nimirum, ut quis ſit in ſtatu gratiæ, oret præ fide, humilitate, perſeverantiâ, quarum aliquas attingit idem Carthuſianus, dicens, *Ad exaudibilitatem nempe orationis (ut dictum eſt) hæc tria requiruntur atque ſufficiunt.* Primò, *Vt verè ſalutaria requirantur. Vnde, ſecundùm Damaſcenum, Oratio eſt petitio decentium à Deo.* Secundò, *Vt indeſinenter cum plenâ fiduciâ oret quis, dicente Apoſtolo* f, *Sine intermiſſione orate. Et Iacobus* g, *Poſtulet, inquit, in fide, nihil hæſitans.* Tertiò, *Vt oret pro ſe, quod dico, non quaſi non ſit orandum pro aliis, quum Iacobus* h *dicat, Orate pro invicem, ut ſalvemini: ſed quia oratio etiam Iuſti, quàmvis ſalutaris atque aſſidua, interdum non exauditur pro aliis, propter indignitatem, & incapacitatem eorum, quoniam indeſinenter obicem ponunt gratiæ Dei.* Dico igitur nos non exaudiri, quia res neceſſarias non efflagitamus, & quoniam illas non ritè poſcimus; *Petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis* i. Filij Iſraël incolæ Bethuliæ poſtulabant liberari ab obſidione, quâ circumcincti erant, triumphare de ſuperbia Holofernis, & non tradi manibus inimicorum Religionis ſuæ, Deum exorabant ardenter, humiliter, & perſeveranter. Iſtud erat juſtum; idcircò exaudivit *Dominus preces* k eorum, & petitionem ipſorum ſecutus eſt effectus ſuus. Efflagitandæ ſunt ergo res bonæ & neceſſariæ, & pro gloria Dei, & pro noſtrarum ſalute animarum. Opinabatur Socrates efflagitandum tantùm bonum in genere, & non in ſpecie, & recurrendum ad Deum ut ad Medicum, qui nobis impenderet ſanitatem, nedum determinaremus remedia. Amor enim proprius nos excæcat quoad electionem eorum quæ nobis ſunt utilia, & accendit nos ad illa proſequenda quæ odiſſe debet ſapiens, quæque nobis ſunt injurioſa; *Petitis & non accipitis; eò quòd malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.*

d Ioan. 6. 68.
e Dion. Carth. ar. 40. in Ioan. 16. 23.
f 1. Theſſ. 5. 16.
g Iacob. 1. 6.
h Iacob. 5. 16.
i Iacob. 4. 3.
k Iudith 4. 12.

Docent nos Theologi, quòd id omne quod petere debemus, debet eſſe *in ordine ad beatitudinem*, ob ſalutem æternam conſequendam, nimirum virtutes, gratiam, & gloriam, quia oranti *gratiam & gloriam dabit Dominus* l. Omne enim quod eſt in hoc mundo viſibili, nullam habet firmitatem; divitiæ pereunt, honores evaneſcunt inſtar fumi; voluptates fruuntur, & juſtitiæ Dei tandem nos addicunt ictibus ſuſtinendis. Salomon qui dicebat de ſe, *Omnia quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaveram* m; fateri cogitur, loquens in perſona impiorum; *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra; in malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus* n. Omnia ſunt in mundo lubrica, nihil ſtabile in terra permanet, *Generatio præterit, & generatio advenit* o. Planè eſt petere accidentia, ac petere hæc omnia caduca & terrena; & imitari ægros qui poſtulant id quod ipſis

l Pſal. 83. 12.
m Eccl. 2. 10.
n Sap. 5. 9. & 14.
o Eccl. 1. 4.

eſt

eſt maximè noxium. Deus autem nobis iſta renuens, non minùs obſtringit nos ad gratiarum actionem, quàm ſi re verâ nobis ea tribueret, cùm hoc ſit actus purus eius miſericordiæ, & exhibitio certiſſima amoris illius, qui manifeſtatur cùm nobis illa denegat.

Prævidet ipſe, cuius *omnia nuda & aperta ſunt oculis* p, quòd ſi bona nobis largiretur, foremus nos avari; ſi honores nobis impertiretur, ſuperbiâ efferremur; ſi magnitudines nobis daret, arrogantes evaderemus, unumquemque contemnentes; ideò non exaudit nos, quippe qui noſtram non vult ruinam, *Nec lætatur in perditione vivorum* q. Hæc omnia petere debemus ut media conſequendæ gloriæ accommoda; alioquin divitiæ, & illud omne quod expoſcimus, jacturam nobis molientur æternam. Expoſcit Rachel filios, eoſque vult parere, quidquid ſibi ſit eventurum; *& ait marito ſuo, Da mihi liberos, alioquin moriar* r. Rachel, parturies quidem filios, ſed dum illos enitêris, & præbebis eis vitam, illi tibi *præ dolore* mortem inferent. Sicut re verâ *mortua eſt Rachel* ſ, enixa filium ſuum Beniamin. Dives cupide, avare inſatiabilis, cor avidum bonorum terrenorum, tu nihil petis à Deo niſi divitias; eas tibi erogabit Deus: ſed attende tibi, quia bona terrena fortè efficient ut in cœleſtium incurras jacturam bonorum; ſi tuis annuit ipſe petitionibus; periculo exponis te perdendi illius in æternum. Divitiæ ſunt *ſpinæ*; *quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & divitiis, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum* t. Quia hæ ſpinæ ſacra gratiæ ſuffocant ſemina; & venena, quæ optimis quibuſque mortem deflendam inferunt animabus. Dignitates ambitioſos ad ſupremum evehunt honoris faſtigium, ut eos in profundam deiiciant confuſionum abyſſum.

p Hebr. 4. 13.
q Sap. 1. 13.
r Gen. 30. 1.
ſ Gen. 35. 18. & 19.
t Luc. 8. 7. & 14.

Tolluntur in altum,

Vt lapſu graviore ruant.

Dominatio eſt ſervitus ſplendens, in quâ ſolum retinetur libertatis nomen. Imperat aliquis per aliquantum tempus, ſed ut in æternum obediat. Conditiones, quæ videntur magis proficuæ, non efficiunt matrimonia fæliciora, nec fœdera fortunatiora; & pax profligatur in familijs, iiſdem medijs, quæ ipſi firmiter in ijs ſtabiliendæ videbantur magis idonea: ita ut hæc petere à Deo, idem ſit ac præ ſe ferre appetitus ægroti, qui concupiſcit ea quæ ſanitati ſuæ noxia ſunt; & deſideria viatoris, qui perpetuam vellet ſerenitatem, licèt hæc ſit terræ fructibus inutilis, & ideò *non accipitis, eò quòd malè petatis.*

Ha! Auditores, *& flens dico* u, finite, obſecro, ut exprobrem vobis id, quod aliàs Chriſtus ſuis improberabat diſcipulis, *Vſque modò non petiſtis quidquam* x. Cùm etiam eiuſdem conſcij ſitis defectus, & magis quàm eſſent illi abſque ullâ comparatione, quippe qui minori prædıti virtute, quàm ij. Heu! ſcitis vos apprimè quænam ſit omnium veſtrarum cauſa inquiſitionum, & cunctarum objectum veſtrarum petitionum; non ſanè honor Dei, nec veſtrarum ſalus animarum, ſed ſolæ deliciæ veſtræ, ambitiones veſtræ, & divitiæ veſtræ temporaneæ. Infælicitatem ſanguineis lacrymis deflendam viſu Chriſtianos creatos propter cœlum poſſidendum, capaces gloriæ conſequendæ, ſic rerum avidos terrenarum, ut nullo modo cor applicent cœlo, quod deberet eſſe unicum omnium cogitationum ipſorum objectum, ſicut ſcopus univerſarum actionum ipſorum, & motivum cunctarum victoriarum ipſorum! Non eſt aliquid extrà quærendum à Deo, ſed ipſemet quærendus eſt, quippe qui ſolus veſtrarum unicum eſſe debet orationum objectum, cùm poſſidentes eum, habituri ſitis omnia bona in eo qui eſt *omne Bonum* y. Sed infortunium! nihil ampliùs inquiritis quàm divitias; omnes ardores veſtri & maximi conatus veſtri ad ſolas tendunt opes coacervandas; ad ſplendorem auri pergitis, ſed ut conſumamini more papilionis, niſi attendatis vobis, & nihili Deum facitis, niſi onuſtus auro vobis occurrat. Sacrilegium inauditum!

u Philipp. 3. 18.
x Ioan. 16. 24.
y Exod. 33. 19.

Habuiſſe referuntur Stoici Deum qui crumenam lateri ſuo appenſam & adhærentem deferret; & hi populi invitati ut adorarent Deum Iſraël, qui eſt Deus *ſolus, & non alius Deus præter* z ipſum eſt, petijſſe, utrùm Deus Iſraëlitarum haberet marſupium, ſicut eo inſtructus erat ſuus; ſin autem noluiſſe ut ſibi de eo fieret ſermo. Heu! quantam maniam! Nonne ecce praxis Chriſtianorum hujus temporis, qui ferventiſſimas duntaxat Deo fundunt preces ut theſauros aggerent, ſicque ſe veluti Magnates ventilent influendos, ut ſplendere videantur more aſtrorum, & populorum conterant capita. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc* a! Quantam mortalium cæcitatem! quàm ingens ſacrilegium! Parvipendiunt illi Deum, imò eum omnino deſpiciunt, & merces aut lucrum eſt tota cauſa adorationis, quam ei illi impendunt. *Porrò ſi Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem deſideriorum*, ait D. Auguſtinus b. Heu homo miſerande, eum tuis communicare facis cupiditatibus, non autem tuis illum propitium efficis deſiderijs! Et nunquid non iſtud eſt eum potiùs provocare ad iram, quàm eum flectere ad miſericordiam? Et ideò iſtud non eſt rectè orare, *Vſquè modò non petiſtis quidquam* c. Hoc eſt unicum motivum propter quod, Auditores, non exaudimini; quidquid eſt extra Deum, non meretur poſtulari. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis* d. Iſtud eſt quod expoſcere debetis. Natura ſuos nobis abſcondit theſauros, ut innuat eos noſtris eſſe affectibus indignos. Quæramus gratiam in hoc mundo, quæ pariet nobis gloriam in altero.

z Deut. 32. 39.
a Ier. 2. 12.
b D. Aug. in Pſ. 85. ante med.
c Ioan. 16. 24.
d Matth. 6. 33.

FERIA

FERIA III.

POST DOMINICAM IV. ADVENTUS.

Et dixit Dominus ad Moyſen, Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quod ſenes populi ſint ac magiſtri: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris. Num. 11. 16. & 17.

SApiens revera conſilium fuit illud, quod ſibi propoſuit Deus in prima mundi conſtitutione, cùm eductis è ſinu potentiæ ſuæ his ſpecioſis quatuor originalibus rerum omnium capacium alterationis & mixtionis ſuſcipiendæ, nimirum quatuor elementis, & ordinaſſet omnia ritè, præcipiendo ut terra velum maxima œconoma præ cæteris elementis, produceret herbas & fructus omnis generis, in eum induxit tempeſtatum diverſitatem, & ordinaria viciſſitudine aſſignavit ibi dies & noctes ut pulchritudo quæ ex jucunda agrorum reſultat diverſitate, magis appareret, eòque majoris æſtimaretur, quò melius agnoſceretur; ut autem appoſitè recognoſceretur, oportebat ut aſpiceretur medias inter noctis tenebras, ut ex ea majus capeſſeretur oblectamentum, cùm apertior & ſplendidior media videretur luce. Propter hunc effectum eminentem, *fecit Deus duo luminaria magna: luminaria manus, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas, ut lucerent ſuper terram; & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras* a.

a Gen. 1. 16. &c.

Non latet vos, Auditores, quòd virtus ſemper comparatur lumini, vitium verò tenebris; & quòd ſicut virtus eſt præmio digna, ita vitium meretur pœnam. Conſidero populum Iſraël loco velut involutum tenebris ſimilibus iis quæ *erant ſuper faciem abyſſi* b, nedum agnoſceretur inter eos multa differentia, qua ſecernerentur Boni ab impiis, etiamſi ſuſcepiſſent legem à Deo interventu Moyſis c, & idonei eſſent producendis bonis fructibus & operibus ſalutaribus. Sed idem Deus huic occurrens neceſſitati, cùm priùs eundem Moyſen ſuper iſtum conſtituiſſet populum, Judicem, *ſedit Moyſes ut judicaret populum* eundem, nec tantum poſſet onus ſuſtinere, quia hic populus *aſſiſtebat Moyſi à manè uſque ad veſperam*; & conſuleretur ei à ſocero ſuo Jethro, ut provideret *de omni plebe Viros ſapientes & timentes Deum, in quibus* eſſet *veritas, & qui oderint avaritiam, &* conſtitueret *ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicarent populum omni tempore: quidquid autem majus* foret, referrent *ad* ipſum, *& ipſi minora tantummodo* judicarent: *leviuſque* ipſi eſſet, *partito in alios onere*: Et ſi faceret hoc, impleret *imperium Dei. & præcepta eius ſuſtinere* poſſet; *Quibus auditis, Moyſes omnia, quæ ille ſuggeſſerat* d. feciſſet: cùm prius, inquam, Deus conſtituiſſet Moyſen Judicem ſuper populum ſuum, & velit tantum onus illi ipſi à ſe impoſitum ſublevare, inſpirat eidem Moyſi ut eligat certum ac determinatum numerum Virorum, qui forent oracula aut interpretes legum ſuarum, provectæ ætatis, quos conſtitueret ipſe ſibi velut Conſilios & Aſſeſſores, aut Judices ſubalternos, quibus committeretur poteſtas & juriſdictio de ejuſdem populi delictis judicandi & diſcernendi, & ut ſic præmiandi Bonos, & infligendi pœnas improbis; quibus Judicibus communicaretur idem ſpiritus ipſius, ut impoſitum ipſi onus ſublevent ii ſenes; & ut ſic ſint veluti *luminaria magna, ut diei* præſint bonorum operum, & illis præmium poſſint decernere; *ac nocti* malorum, eiſque ſupplicia ſtatuere; ut ſpecioſi planetæ & præclaræ lampades; ſive etiam minores ſtellæ, id eſt, Judices ſubalterni, cùm eligendi ſeptuaginta ex Viris Iſraël, Moyſi facultas à Deo tribuatur, modò ſint è numero ſenum. Ideò oſtendam vobis Primò melius & decentius eſſe electu in Judices, Superiores, Magiſtratus, viros ſenes, quàm juvenes. Secundò, Edocebo eos, etiamſi ſenes ſint, quomodo dignè ſuis perfungi debeât muniis. Sed cùm quæſtio ſit de luminaribus, *Luminare majus* præſit *diei* Divinæ intelligentiæ mihi neceſſariæ; & *luminare minus nocti* præſit tenebrarum ignorantiæ meæ, quas diſſipet. Luminare majus eſt gratia Spiritus ſancti, luminare minus eſt interceſſio ſacræ Virginis, quæ gratiæ ſuſcepit plenitudinem, cùm dixit ipſi Angelus, *Ave* e *Maria*.

b Gen. 1. 2

c Exod. 19. 1. &c.

d Exod. 18. 13. &c.

Diviſio.

e Luc. 1. 28.

Illi omnes, qui docuerunt quomodo gubernandæ forent Communitates tam apud Hiſtorias ſacras, quàm apud profanas, ſuos exactiùs ſemper injecerunt oculos ſuper Viros ſenes, quàm ſuper juvenes, & commendaverunt aliis ut eos potiùs ad dignitates eveherent, & eis juſtitiæ & politiæ adminiſtrationem committerent. Sic erudiebat Job f, *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Sic loquebatur Salmon g, *Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Quod Deus ſic ſciebat eſſe verum, ut præciperet honorandos ſenes, & in omnibus eis deferendum, *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis* h. Et monere volens populum ſuum deordinationis, quæ ipſi eſſet eventura, minatur ſe daturum ei pueros Gubernatores, *Dabo pueros Principes eorum.* Et paulò pòſt ait, quòd pro notâ omnimodæ gubernationis & Monarchiæ eorum, pueri inſurgent contra ſenes, & plebeii homines rebellionem machinabuntur adverſus Viros in dignitate aut in nobilitate æquè ac in ætate conſtitutos, *Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem* i. Jeremias k verò numquid non rem allegat inauditam & inuſitatam præ omnibus illis quæ acciderunt civitati Jeroſolymitanæ inter omnia ejus infortunia? nimirum quòd ii qui civitatem depopulabantur, *facies Sacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.*

f Job 12. 12.

g Eccli. 25. 8.

h Levit. 19. 32.

i Iſai 3. 4. & 5.

k Thren. 4. 16.

Idcircò *dixit Dominus ad Moyſen, Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint ac Magiſtri.* Et conſequenter S. Joannes l vidit *in dexterâ ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et nemo poterat aperire librum.* Ideòque cùm fleret, eò quòd intelligentiam eorum quæ in eo ſcripta erant, ſibi conciliare non poſſet; e viginti quatuor, qui ſedebant juxta thronum, ſenibus ei *unus dixit, Ne fleveris: ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula eius*, & illius intelligentiâ tibi præbere poteſt *Agnus qui occiſus eſt.* Quaſi dicerent, Elegit nos quidem ut Conſiliarios & Aſſeſſores ſuos; & ut ſic poſſimus revera pronunciare decreta,

l Apoc. 5. 1. &c.

decreta, ut conſtituentes auguſtum Senatum, & reſerare coram omnibus librum legum ejus, ut explicemus eum, & illjus intelligentiam edoceamus populos: Sed cùm Agnus adſit, ipſe qui eſt Deus vivens, & ſuper nos regnans fœliciter, oportet ut ipſemet illum aperiat, & ut ſedens in ſuo throno Regio ſe agnoſcendum efficiat, & legem decernat prout ipſi libuerit, *Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Sed obſervate, Auditores, quòd omnes hi Conſiliarii qui aſſiſtebant juxta thronum Agni, non erant juvenes, ſed ſenes venerandi quatuor & viginti, qui juſjurandum præſtiterunt coram Agno præ omni reverentiâ. *Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum.* Ut innuatur, quod Deus ſemper ſatius & decentius ducit, ut officia & dignitates Magiſtratuum & Superioritatum exerceantur potiùs à Viris provectæ experientiæ æquè ac ætatis, quàm à juvenibus inexpertis. Sic eſt deferendum aliquid diuturnæ experientiæ, & ſupponendum ut certiſſimum, quòd in qualibet conditione animus hominis formetur & inſtituatur ſemper conſuetudinibus, quæ non niſi per longum comparari poſſunt uſum. Et licèt in bello, aliiſve exercitiis, quibus obeundis fortitudo & agilitas corporis eſt maximè accommoda, imò & neceſſaria, ſenes & provecti, rebus militaribus aliiſve ſimilibus peragendis non ſint ampliùs idonei; tamen quoad dignitates publicas, & officia Superioritatum juſtitiæ, aut politiæ, fatebimini mihi ſemper, quòd ſenes iis meliùs perfuncturi ſint muniis, quàm ea obirent juvenes, quippe quæ meliùs & potiùs ſint exercenda præ ſapientiâ, quàm præ fortitudine; eò quòd ſenes innumera tractaverint negotia, quæ præ ſe ferunt aliquam convenientiam cum iis quæ occurrunt, quæque ſunt veluti vehiculum ad facilem reddendam ipſorum inquiſitionem, & indicia infallibilia eorum quæ proponenda ſunt. Deinde, Quia ipſi majorem apud populos ſibi conciliaverunt æſtimationem, ita ut faciliùs eos inducere poſſint ad talem amplectendum vivendi modum, qui ipſis fuerit viſus congruentior.

Ratio illius. Quia qualitas Magiſtratûs & Superioritatis præ ſe fert neſcio quid Divinum; & ſtatim ac videt quis Virum ornatum inſignibus juſtitiæ, aut regiminis, imaginatur ſe videre in eo Vicariatum Dei, qui ei reverentias extra communes aſciſcat, & efficit ut unuſquiſque ſuſcipiat ejus verba inſtar legum, & leges illius non ſecus ac oracula. Unde videtur, quòd ii quibus hujuſmodi commiſſa ſunt munia, nunquam agnoſci debuiſſent in aliâ conditione, aliove apparatu, ut periret hominum opinio de illis concepta, quòd nimirum ipſi ſint homines formati more aliorum, cùm re vera jure merito dicere poſſint ſinguli Magiſtratus,

m apud Senec. epiſt. 95. *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto* m; nedum exiſtimentur veluti lapſi è nubibus, aut formati in cœlis; Hoc enim majorem eis conciliaret authoritatem. Cùm è contrà quo magis cogniti ſunt & familiariùs frequentati, antequàm ad hunc dignitatis elati eſſent ſtatum, plus detrahatur exiſtimationi, quam de illis habere debebant homines, reverentiæ, quam aliquo iis exhibuiſſent modo: Atqui credibilius eſt, quòd Superiores aut Magiſtratus, qui ſunt ætate provecti, minorem ineunt ſocietatem & familiaritatem cum ſuis inferioribus & ſubditis, quàm ſi juniores forent, nam cùm quadraginta annos aut circiter inter obeunda tranſegerint hujuſmodi munia, oporteret ut quis iis ſenior vel æquè ſenex ac illi eſſet, ut eos in ſtatu vidiſſet alio conſtitutos, quod inveniri non poteſt niſi in paucis hominibus: Satius igitur & decentius eſt, ſi in dignitate ſint conſtituti, ut in eâ perſeverent quandiu in illis eſt ejus pertractandæ & ritè obeundæ capacitas & induſtria; & ſi alii ſint eligendi, ut ſemper præferantur ſenes inter infinitos alios, qui de primatu cum ipſis contendere poſſent adipiſcendo.

Præterea, Ut quis appoſitè moderetur & gubernet populum, nonne debet eſſe totus collectus in ſe, & omnium ſuorum dominus affectuum? Et nonne veriſimile eſt, quòd hujuſmodi qualitates invenientur potiùs in perſonâ ſenis, quàm in perſona juvenis? Ubi enim vires incipiunt deficere in ſene, in eo ceſſat pariter pruritus vagandi, formandi tot conſilia, frequentandi tot genera ſocietatum & circulorum, amplectendi præ tantâ facilitate cauſas aliorum, cùm diſcutiendis illis vi annorum præ certamine ſingulari ſe agnoſcat tunc imparem præ virium defectu corporearum; denique ſolam inquirit tunc ille requiem, ſolitudinem, & tranquillitatem, & in hac requie & tranquillitate judicium poſſidet ſolidum, & mentem capacem examinandorum negotiorum quorumlibet, eorumque reſolvendorum. Tandem, Senectus gravioris ſemper eſt ponderis & conſiderationis, quæque, omnibus in æquilibrio & in juſtis ſtateræ lancibus, conſtitutis, præferri debet juventuti, cùm agitur de nominando, aut eligendo Judice, Magiſtratu, aliove quolibet Superiore.

Populus Iſraëliticus, etiam captivus Babylone, hanc apprimè agnoſcebat maximam politicam, & cùm eligendos haberet, juxta facultatem ipſi datam, Judices aut Magiſtratus, qui ſimul eſſent Sacerdotes, qui legem darent, eamque ſuis exponerent ſubditis, *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt* n; qui ſententiam mortis, aut pœnæ arbitrariæ contra ejuſdem legis prævaricatores pronunciaret, ſuos projecit obtutus ſuper duos Viros, quos advertit reverentiâ dignos, æquè ac ætate provectos, ratus quòd ætatem illorum confectam comitarentur qualitates quæ Judicum & Magiſtratuum ſociæ eſſe debent individuæ, *Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes Iudices in illo anno: de quibus locutus eſt Dominus, Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum* o.

n Malach. 2. 7.

o Dan. 13. 5.

Hic obiter dicam, Aliquos jure merito ſuper iſtius textus titubaſſe fidem, & rationes in medium adduxiſſe, quæ videntur nos obſtringere ut illum revocemus in dubium. Nam poſſibilene eſt, inquiunt, ut Judæi in ſuâ captivitate habuerint apud ſe tribunal, Judices, & Magiſtratus, quibus commiſſa eſſet poteſtas cognoſcendi, conſulendi, & reſolvendi ipſorum dubias cauſas & lites, immò verò cummoſas, & extremo plectendi ſupplicio eos, qui pravæ alicujus convincerentur actionis perpetratæ, cùm hæc omnia ſint actus liberæ juriſdictionis, quæ eſt omnino contraria conditioni captivorum ſervili? Si tempore, quo *Deus noſter in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* p; & quo Judæi non erant captivi, ſed manebant ſinguli in patria ſua, viventes præ conſcientiæ libertate, quia tamen ditioni ſubjiciebantur Romanorum, & juriſdictioni Cæſaris, qui eos regebat mediis Præſidibus & aliis Imperii ſui Miniſtris, non licebat eis aliquem ad ultimum damnare ſupplicium, *Nobis non licet interficere quemquam* q; quænam probabilitas ut patres eorum ſub Chaldæorum redacti captivitatem, hâc fruiti ſint authoritate plectendi morte eos, qui vi legum ſuarum r illam meriti fuerant?

p Baruch 3. 38. & 37.

q Ioan. 18. 31.

r Levit. 20. 10.

Reſpondet Cornelius s, *Id factum fuiſſe indulgentiâ Chaldæorum : permiſerunt enim ipſi Iudæis ut eas cauſas, quæ ad ipſorum legem pertinerent, ipſi iudicarent. Idem permiſerunt eis Romani, ut patet Ioannis 18. 31. Sic videmus Antuerpiæ Luſitanos & Italos mercatores ſuos, ſuæque gentis habere Magiſtratus & Iudices.* Quæ reſponſio curſum ſiſtit harum difficultatum, eò vel maximè quòd videamus perſæpè Principes temporaneos permittere populis, quos ſuæ ſubjecerunt ditioni, ut cuſtodiant leges ſuas, & ſuum vivendi modum, non ſolùm quoad ea quæ ſpectant Religionem & conſcientiam, ſed etiam quantùm ad illa quæ pertinent ad politiam & ad regimen temporaneum, ſive ut agant quò concilient ſibi famam clementium & miſericordium, ſeu ut eorum meliùs ſibi devinciant corda, & ut pacatiùs eos gubernent. Vel, ut exponit S. Hieronymus t in hæc verba, *Et conſurrexerunt adverſùs duos Presbyteros, & interfecerunt eos*: ſic enim loquitur, *Interfecerunt eos, ſic interpretamur pro eo, quod eſt, Regi Babylonis occidendos tradiderunt. Sicut & nos dicimus, quòd Iudæi interfecerunt Salvatorem, non quòd ipſi percuſſerint, ſed quòd tradiderint occidendum, & ſucclamantes dixerint, Crucifige, crucifige eum* u.

s Cornel. in Dan. 13. 3.
t S. Hier. lib. 1. in Dan. 13. 6. & 62.
u Ioan. 19. 6.

Quidquid ſit, Judæi ſecundùm leges ſuas judicaverunt hos ſenes morte dignos, & juxta eas lapidandos x; eò quòd ſuo abuſi fuerint officio; ſicut ipſi, ſi eam adminiſtraſſent, ut decebat, ſuam dignitaté, morte plectere poterant eos, ſive tales declarare, quos alicujus criminis capitalis convicerant, ut Officiales & Miniſtri Regis Babylonis, cujus erant captivi, id poſteà exequendam ſatagerent juxta ſuum decretum, aut ſuam deliberationem. Idcircò licebat eis propter hunc effectum habere Judices, eoſque eligere inter ipſos in perſonâ eorum, quos hoc officio exiſtimarent dignos. Sed ſicut populus perſæpè dirigitur apparentijs potiùs quàm veritatibus, & apparentiæ hujus mundi ſunt utplurimùm fallaces, accidit ut iſti duo homines ſolam præ ſe ferrent ſenum apparentiam; &, cùm canos haberent capillos, eſſet *denigrata ſuper carbones facies eorum* y, ſeu anima ipſorum; & deferentes togam Judicum aut Magiſtratuum ut admitterent ad dicendam cauſam eos *omnes qui habebant iudicia*, eſſent ipſimet criminoſi, quia erant *duo ſenes Iudices, de quibus locutus eſt Dominus, Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum* z. Nam, ut verum fatear, tota ſenectus non conſiſtit in ſolis canis capillis, ſed præſertim in ſapientiâ & in judicio ſolido, *Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis. & ætas ſenectutis vita immaculata* †.

x Levit. 20. 10.
y Thren. 4. 8.
z Dan. 13. 5. & 6.
† Sap. 4. 8. & 9.

Ha! Auditores, hic populus apprimè fuerat inſtitutus conſilio per quod propoſuerant ſibi eligere Judices, qui ſuarum omnium forent arbitri cauſarum, & Judices qui eſſent Sacerdotes, ut ipſos judicarent ſecundùm legem Dei, & in terminis conſcientiæ; Hoc enim erat medium fovendi inter ipſos unanimis conſenſus ita ut ſic durum ſervitutis ſuæ jugum ſuaviùs tollerent: conſultè egerunt, cùm ſuos projecerunt oculos ſuper viros provectæ ætatis, qui minùs paſſionibus & proprijs commodis eſſent obnoxij, & eò incorruptibiliores in exercitio muniorum ſuorum, & qui majorem ſuper ipſos ſibi conciliaſſent authoritatem ratione ſuæ ætatis, & diuturnæ ſuæ experientiæ. Hoc enim uſæ ſunt modo omnes Monarchiæ & omnes Reſpublicæ benè moratæ, & cùm Roma tot nationum exterarum Domina vellet Curiam inſtituere ſupremam, nuncupavit eam Senatum, qui ſignificat ſocietatem Virorum ſenum, & tractandis negotijs diuturnâ experientiâ comprobatâ idoneorum. Sapientes quippe judicaverant Romani, quòd oporteret expectare plus ſapientiæ & boni regiminis in peragendis negotijs à Viris, quos ætas matura, & longa experientia veluti ſemideos effecerant in ſcientia & in probitate, quàm ab iſtis juvenibus, qui ita facilè promoventur ad ſedendum in tribunalibus, ac aſcendit comœdus ſuper theatrum, qui perſonam ſeu actoris vices ſingulis mutat diebus, & componit ſe quoad veſtes ad modum hiſtoriæ, quæ repræſentatur, ut pronunciet, non proprio marte, ſed ad nutum illius qui eum loqui facit, ita hi juvenes Magiſtratus, qui citiùs habent dorſum togâ indutum, quàm lege caput inſtructum, ita diriguntur reſpectibus & commodis humanis, ut ipſis idem ſit, ſententiam ferre juſtè aut injuſtè; ſicut enim non habent legem niſi nutum ſuum, ſic præ nutu judicant, non præ lege. Sed populus Iſraëliticus captivus Babylone, volens habere Viros ſenes in Judices, attendere debebat ne præ ſe ferrent aliquod veſtigium, aut illam notam juventutis, & ut ſic paſſionum humanarum impetus retudiſſent, ut forent reverâ veluti ſemidij. Sed vereor ne ipſos citò pœniteat electionis quam peregerint; iſti enim futuri ſunt Judices, qui ſuis invigilantes commodis, tantas patrabunt violentias æquitati juris diſſonas, ut ipſi judicandi & damnandi ſint ab eodem populo ob iniquitates ſuas, nedum iſte populus ab ipſis judicetur & damnetur. Res inaudita & ſtupenda! quòd oporteat ut in ſua Judices ſuſtineant perſona judicia & ſupplicia, quæ ipſi decernere debebant alijs infligenda, eò quòd non vixerint præ integritate, quam præ ſe ferre debent Magiſtratus, officio perſungentes publico; & eadem perpetraverint ipſi crimina, quæ in perſona aliena debebant ipſi damnare, ut ritè ſua exequerentur munia.

II. Pars.

Sic eſt, Auditores; iſtud eſt officium Magiſtratus, & cujuſlibet dignitate perſungentis Eccleſiaſticâ, aut politicâ, ut obſervet primus ipſe id, quod à populo obſervandum intendit; & ut pronuntiet legem potiùs actionibus ſuis, quàm ore ſuo; ut exemplum ipſius confirmet præ ſilentio æquitatem legum atque decretorum ſuorum. Audiviſtiſne unquam id quod ſcriptum eſt? quomodo Moyſes ſuſcepit legem à Deo in monte Sinai. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dexterâ eius ignea lex. Dilexit populos, omnes Sancti in manu illius ſunt* a. Videtur præberi nobis anſa dubitandi, utrùm verum ſit quòd Deus Legem præ ſuis portaret manibus, quia *menſe tertio egreſſionis Iſraël de terrâ Ægypti, venerunt in ſolitudinem Sinai* b, in qua hujuſmodi ſuſcepit Moyſes ab eodemmet Deo Legem: & ſi legatis diſpoſitiones quæ interfuerunt ad dandam & ad ſuſcipiendam hanc legem c, invenietis Deum non tuliſſe in manu ſua ignem, nec legem; quin imò vivâ voce pronunciavit eam idem Deus; ut cunctus audiret eam populus, *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum* d. Quomodo igitur dicitur nobis? quòd *in dexterâ eius ignea lex* eſſet; niſi ut oſtendatur quod verus Legiſlator debet potiùs dare legem operibus ſuis, quàm ore ſuo, & quòd viva doctrina eſt vita ejuſdem Doctoris, & quòd ad hoc ut quis det vim atque efficaciam illi quod pronunciat, debet illud primus executioni mandare, ut loquebatur Propheta e, *Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.* Super quæ ait Lorinus f, *Ludit Hugo tropologice,*

a Deut. 33. 2. & 3.
b Exod. 19. 1. &c.
c Exod. 19. 16. &c.
d Exod. 19. 9.
e Pſ. 77. 2.
f Lorin. in Pſ. 77. 2.

logicè, ut aperire os in parabolas, ſit elucidare ſapientiam g, *aut facto declarare os & doctrinam Domini* h. Et alibi i, *Aperiam in pſalterio propoſitionem meam.* Super quæ idem Lorinus k ait, *Iſidorus legit, Aperiam in pſalterio ænigmata mea.* Quaſi diceret, Res obſcuras & ænigmaticas enuntio, ſed eas conceptu faciles efficio cithara mea; cano voce & manu ſimul, ut meliores concentus edam, & ſuaviores harmonias; Leges enim & præcepta, quantùmvis difficilia ſint, facilia inveniuntur, cùm is qui ea præbet, illa primus exequitur. Inde oritur ut ubi Latinus ait, *In dexterâ eius ignea lex*, LXX. vertant, *A dextris eius Angeli cum eo, & pepercit populo ſuo, & omnes ſanctificati ſub manu tuas.* Ita ut loco legis dicant illi fuiſſe Angelos, aut legatos in manu illius; & licèt videantur legatus & lex eſſe duæ res differentes, lex enim eſt quæ dat, & eſt legatus aut Magiſtratus qui eam tradit; tamen ad propoſitum noſtrum ſunt eadem res, nulla eſt enim melior lex vitâ & perſonâ illius, qui eam pronunciat, & dicens Moyſes, *In dexterâ eius ignea lex*, ut vi eorundem verborum, quòd haberet legiſlatorem, ſumens indiſcriminatim unum pro altero, ut dixit deinde Dei Filius, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde* l. Projicientes veſtros ſuper me obtutus, ibi tantum edocebimini ac ſi legem è meo ſumeretis ore. Ideò dicebat Origenes m, *Scit probare quod bonum eſt*, loquens de S. Paulo, *ut eſſet Dux & Doctor* n *Eccleſia ad illuminandos eos qui in ſcientiâ caci ſunt, & inſtruendos parvulos in Chriſto* o; *ne is, inquam, talis alios quidem velit docere diſtrictiùs, & de his quos inſtruit, ſummam diſciplinam caſtitatis exigere, ipſe verè intemperantia vitio & cupiditatis urgeatur. Ad huiuſmodi ergo hominem Apoſtolicus hic ſermo competenter aptatur, dicens ei, Tu qui doces alium, te ipſum non doces.* Hoc eſt quod nobis voluit dicere idem S. Paulus p, *Audaciùs ſcripſi vobis ex parte, tanquam in memoriam vos reducens; propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo, ut ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei.* Sed quomodo ſancte Apoſtole dicere potes, te ſanctificare rem, quæ ex ſeipsâ tota ſancta eſt? Propheta q dixit, *Lex Domini immaculata.* Quin imò ipſemet dixiſti, *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum* r. Et ſi illud quod benedictionem ſuſcepit ab alio, eſt aliquid minus, eo dicere poſſumus quòd ille qui annunciat Evangelium, ſi illud agat, facit illud ſanctum, ſi producit opera gratiæ conformia doctrinæ quam evangelizat, prodit in palàm ſanctitatem Evangelij; ſed ille qui exercet id quod docet alios, facit ſanctitatem illius quod prædicat. Videte quomodo Apoſtolus nihil audeat dicere eorum, quæ non agit, ne non recipiantur ea ut res bonæ & ſanctæ, *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium verbo & factis* s. Origenes t proſequitur, *Si verò etiam aperta occurrant opprobria, & de avaritiâ eius & temulentiâ publicam iam teneat notam, dehonoratur Deus in actibus eius: & cùm Doctor Eccleſiæ talis eſſe populis innotuerit, nomen Dei blaſphematur in Gentibus* u: *certi ſunt enim Magiſtris ſimiles eſſe diſcipulos.* Si ergo ille qui in praxim non redigit legem, ejus authoritatem deſtruit, ille è contrà qui eam cuſtodit, conciliat ei famam magnam, & eam ſanctam efficit.

g ex Eccli. 24. 31.
h ex Matt. 5. 20.
i Pſ. 48. 5.
k Lorin. in Pſ. 48. 5.
l Matth. 11. 29.
m Orig. lib. 2. in Rom. 2. 21.
n ex 1 Timoth. 2. 7.
o ex 1. Cor. 3. 2.
p Rom. 15. 15. & 16.
q Pſ. 18. 8.
r Rom. 7. 12.
s Rom. 15. 18.
t Orig. loco ubi ſuprà.
u ex Rom. 2. 24.

Auſcultate Malachiam x, *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inventa in labiis eius: in pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Obſervate, dicere eum, quòd prædicavit & publicavit legem Dei, & ſimul quòd cuſtodivit ſcientiam in labiis ſuis, quia erat legatus aut Angelus Dei. Illud, non eſt modus, Auditores, publicandæ legis, ac illam cuſtodire in labiis ſuis; & Propheta vult ut is qui legem pronunciat, ſit Angelus aut legatus Dei; oportet ergo ut loquatur, & conſequenter labia non poteſt tenere concluſa. Nam cùm Pſalmiſta y voluit tacere, veritus ne inconſiñum aliquod proferret verbum, neve peccatum ſuum aliquâ prætexeret excuſatione, Deum enixè deprecatus eſt, ut os ſuum ſerâ occluderet, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* Niſi forſan illud intelligatis modo jam expoſito, quòd modus, quo quis ritè doceat legem, & dignè perfungatur officio Judicis, Legiſlatoris, Superioris, aut Prædicatoris Evangelici, eſt, ut primùs obſervet ipſe ac cuſtodiat id, quod ſuis annunciat ipſe labiis.

x Malach. 2. 6. & 7.
y Pſ. 140. 3.

Quid cogitatis voluiſſe dicere Moyſen? cùm refert quòd ubi Deus ipſi dabat legem, *ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat* z: *cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ* a; niſi quòd lex æquè viſu ſuſcipitur ac auditu; & quòd ſi Magiſtratus habere velit poteſtatem & authoritatem ſuper populum, oportet ut ipſius decreta & præcepta ſint veluti tot *lucernæ ardentes* b; ita ut populus videat ſimul actualem praxim legis, quam ipſum edocere ſatagit idem Magiſtratus. Quot ſunt Judices, Magiſtratus, Gubernatores, Superiores, aut Prælati, qui in ſuas aſcendunt cathedras aut in ſua tribunalia, ut audire faciant populum tonitrua perſtrepentia, minas pœnarum, verba inflata rudium præceptorum! *Ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura*, ut oſtendant aulæa pretioſa ſeu tapetes divites quibus inſtructæ ſunt ipſorum cathedræ magnitudinis, & tribunalia ſplendent; *& nubes denſiſſima operire montem*, qui præ ſe ferri faciunt ac perſonare buccinas, cymbala, & alia inſtrumenta convocandis populis idonea, & diſponendis ad audiendam vocem ſuam, & ad auſcultanda ſua judicia, *clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat*, ideò tantùm ut terrore percellant populum qui ipſorum adorat pedes, & imaginatur aliquam ipſis ineſſe Divinitatem, *& timuit populus qui erat in caſtris*; ſed qui ſuas videndas non exhibent voces, ſicut ſuam videri faciebat Deus vocem, *cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ*; volunt audiri, ſed nolunt videri; intendunt ut tremant ſubditi ſui audientes verba ſua, non ſecus ac ſi ea tonitrua forent, & ut illi reverentur magnitudinem ſuam ob ſtrepitū, quem ipſi edunt in ſuis ſedentes tribunalibus, ſed non ſatagunt exhibere ſe obſervatores eorum quæ alijs ipſi imperant: eorum audiuntur voces, ſed nullus eſt modus videndi exempla & lumen bonorum operum eorum. Quin imò ipſi, qui ſunt in dignitate conſtituti, & qui ut ſic impedire deberent ne ſuis irrogarentur mala ſubditis ab alijs, eos perſequuntur primi; cùm deberent extinguere ignes & incendia civitatum, ut diſſenſiones, ambitiones, & concupiſcentias, ipſi apprehendunt tormenta bellica ut igni & gladio tradant univerſas Communitates pravo ſuo exemplo & vitâ ſuâ ſcandaloſâ, ut exclamat S. Bernardus c, *Heu! heu! Domine Deus, quia ipſi ſunt in perſecutione tuâ primi, qui videntur in Eccleſiâ tuâ primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion* d *occupaverunt, apprehenderant munitiones, & univerſam deinceps liberè & poteſtativè tradunt incendio civitatem.*

z Exod. 19. 16.
a Exod. 20. 18.
b Luc. 12. 35.
c S. Bern. ſerm. 1. de Converſ. S. Pauli
d ex 2. Reg. 5. 7.

Miſera eorum converſatio, plebis tuæ miſerabilis ſubverſio eſt. Cui bono, Deus meus, ut conſtruere voluĕris ædificium ſpirituale & Eccleſiam ſanctam, circumquaque eam cingendo munitionibus? Ut quid plantaſti ſpecioſum paradiſum, tot pulchris ornans eum plantis, & tot decoris floribus & fructibus illum inſigniens, quos tu, qui es præcipua illius planta e, tuliſti in perſonâ tuâ? cùm primus, quandiu nobis conſulis *mortificationem* f carnis, tuam flagellis tot lacerandam permiſeris, ſinendo ut confoderentur profundè humeri tui, quibus meliùs inniteretur ædificium conſtruendum hoc ſpirituale, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores* g. Heu! cui emolumento, ut leges conſtitueris, quibus mediis huic Reipublicæ Chriſtianæ proſperum largireris tu ſucceſſum? ut nobis præceperis caſtitatem h, humilitatem i, injuriarum condonationem k, & tot alia media opportuna, quorum interventu ab inſenſorum nobis declinare poſſimus inſultationibus, & ſecuros nos efficere adverſùs omnes impetus contra nos irruituros, ſi regimen commiſiſti hujus civitatis hominibus, qui nedum eam protegant, illam produnt & devorant? nedum eam defendant armis, quibus illam apprimè munivisti, eam perſequuntur & iiſdem percutiunt armis? & clangentes buccinâ, & pulſantes tympanum, ut tuæ civitatis hoſtibus terrorem incutiant, ſuarum mucrones lancearum & ſuorum acies gladiorum contra ipſos illius incolas convertunt? Illi, qui ex impoſito ipſis officio deberent alios ad certamen animare, imò etiam primos conatus efficere, & primos ictus infligere, ſunt aliis puſillanimiores: Ij, qui deberent non ſolùm publicare & pronunciare legem, ſed illius obſervatores ſe exhibere exactiores quàm ſe exhibeant alij; non ſolùm edicta ferre fulminantia, & ſevera prævaricatoribus minari ſupplicia, ſed etiam exercere ſuper ſemetipſos eadem ſupplicia & rigores, quibus alios volunt plectere, ſunt tamen primi qui actionibus ſuis detrahunt ſuorum veritati verborum, qui deſtruunt extra thronum aut tribunal ſuum id, quod ædificaverunt quandiu ſuper eo ſedebant; quique in converſationibus ſuis, quæ ordinariæ deberent eſſe converſiones, alios pervertunt, maximos perpetrant exceſſus, graviſſimas vomunt blaſphemias, & petulantiùs aliis currunt ad ineptias indignas officio, quo perfunguntur; *Pedes enim illorum ad malum currunt; & feſtinant ut effundant ſanguinem* l. Hi oculis ſcintillantes ſuper celſitudine tribunalis, qui aſtantes timore æquè ac reverentiâ percellunt, quique motibus ſuis menſuratis & ad ſtateram libratis apparenter teſtantur omnem æquitatem; deprædantur eorum *animam in cunctis ſilentibus urbis* m, & *omnia quæ ſunt* n proximi. Hæc labia & hæc lingua, quæ non videntur formata niſi ad pronuncianda oracula, & ad docendum quomodo vivendum ſit moraliter, politicè, & Chriſtianè; cogitant *totâ die injuſtitiam, ſicut novacula acuta dolum* faciunt o, falsè jurant, & detrahunt, ſicut ipſa videbantur concinnata ad exterminandum harum omnium iniquitatum uſum. Hæ manus, quæ non debebant eſſe mobiles niſi ad ponderanda ad libram merita & demerita uniuſcujuſque, & ad ejaculanda ſpicula & fulmina juſtæ vindictæ contra inimicos Dei, & depravatæ vitæ homines, æquè promptè ſuas cauſas vindicant perſonales, & ſuffurantur ſubſtantiam *animarum pauperum & innocentum* p, ſicut eſſe deberent validæ ad avertendas hujuſmodi malitias. Hæ aures, quæ non videntur apertæ niſi ut patienter audiant jus Partium afflictarum aut oppreſſarum, libentiùs audient dolos & falſa teſtimonia in ſuis colloquiis domeſticis, quàm juſtas viduæ & orphani querelas auſcultaverint. Hi pedes, qui debebant eſſe ut marmora firma & imobilia ſemper affixa ſcabello tribunalis, ut meliùs ipſos inducerent Magiſtratus ad procedendum more Judicum, & Superiorum juſtorũ, agiliores ſunt ad currendum, ad converſandum inter populum, & ad ſectandas diſſolutiones, quàm ſi nunquam Magiſtratuum corpora detuliſſent. *Egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum* q. Fierine poteſt ut qui *conſtituti ſunt Senes Iudices* ſuper regimen populi exercendum præ lege Dei, eodem vomant iniquitates ex ore, quod ad pronuncianda oracula & veritates juſtitiæ fuerat conſecratum?

Sed nunquid hæc omnia ſuſtinebit Deus? Diſſimulabitne has proditiones & perfidias? cùm ſcriptum ſit, *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, Oculos ſublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium ſanguinem, Cor machinans cogitationes peſſimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendacia, Teſtem fallacem, Et eum qui ſeminat inter fratres diſcordias* r. Nonne Deus eis opponet aliquãdo hos exceſſus, quos perpetrant adversùs dignitates & officia, quæ exercent? Et num illi, qui ut nocte pergant ad committenda ſcelera abominabilia præ effrænſ libertate, togam exuũt quæ eſt inſigne dignitatis aut officij ipſorũ, quã mediâ detulerant luce, ut ſibi populorum conciliarent reverentias & adorationes; eam poterunt denuò reſumere, ut eâ ſuas operiant culpas coram Dei tribunali? Nequaquam; illud eſt impoſſibile, ſed Deus propter ea aliquando, id eſt, ultimo judicij die, illos pudore ſuffundet, *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum? Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis; arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam* s. Sic eſt: merentur illi puniri primi, ait S. Bernardus ſuprà Deo, *Quia ipſi ſunt in perſecutione tuâ* t *primi, qui videntur in Eccleſia tuâ primatum diligere, gerere principatum.* Si autem, Auditores, actiones veſtræ verbis veſtris, & manus veſtræ linguæ veſtræ ſint conformes, conſilia & voluntates ejus adimplebitis, & ipſe ſuam vobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* u.

e Epheſ. 1. 9. & 18.
f 2 Cor. 4. 10.
g Pſ. 128. 3.
h Matth. 5. 21. exſ. Exod. 20. 4 & 7.
i Matth. 11. 29.
k Matth. 5. 44.
l Prov. 1. 16.
m Thren. 5. 11.
n Exod. 20. 17.
o Pſ. 51. 4.
p Ier. 2. 34.
q Dan. 13. 5.
r Prov. 6. 16 &c.
s Pſ. 49. 16 &c.
t ex Act. 9. 4.
u Pſ. 83. 12.

IN NATIVITATE DOMINI.

Parvulus natus eſt nobis; & Filius datus eſt nobis. Iſai. 9. 6.

Vix unquàm in animum meum potuiſſem inducere, futurum ut poſſet cœlum ſibi terram devincire, eique favorem aliquem ac prærogativam aliquam communicare; cùm ipſum terræ ſe veluti exhibuerit motivum infortunatum, vel ſaltem ei occaſio fuerit infelix infortunij perpetiendi, & ruinæ ſubeundæ. Angelus apoſtata nefandâ notatus ingratitudine, oblitus gratiarum inſignium, quibus à ſupremo ſuo fuerat cumulatus Opifice a, ſe Deo imitatiem ratus, ſuamque naturam Angelicam Divinæ Naturæ æquiparari potuiſſe præ ſuperbiâ inauditâ, & ingratitudine incomparabili, ob intolerandam præſumptionem ſuam deturbatus *de cœlo* Empyreo, detractus *ad infernum, in profundum laci*, nedum foret *ſimilis Altiſſimo* b, in pœnam ſui criminis, tota cauſa fuit, vel ſaltem occaſio fatalis totius, quæ in terra deinde viſa eſt, infelicitatis. Hodiernâ verò die cœlum effectum benignum, & præ miſericordia cõpoſiturum, ſeu reparaturum miſerias hominum, è quibus ipſi proprijs nunquã erant viribus ſublevãdi,

a Gen. 1. 3.
b Iſai. 14. 12. &c.

offert

c Gen. 1. 1. d Ioan. 1. 17.

offert terræ Authorem ipſius c, qui debet omnibus ipſius commodis & utilitatibus inſervire, ipſamque replere juſtitiâ & ſanctitate. Opifex & origo totius gratiæ d, deſcendit in terram, cujus plenitudinem tunc accepit Maria, cùm dixit ipſi Angelus, *Ave Maria*.

e Pſ. 87. 16. f Ioan. 19. 42. g Baruch. 3. 36. & 38.

Amor & potentia, quæ ſunt duo poli, circa quos gyrant & volvuntur univerſæ actiones Dei, ſicut & hominum, ingrediuntur intima & abdiſſima ejuſdem Dei ſecreta, & admirandum Incarnationis myſterium ſibi aſciſcunt. Aſſerunt alij, majora Verbum Divinum præbiturum fuiſſe amoris ſpecimina hominibus, ſi veniſſet in terram immortale & impaſſibile, quàm in eo ſtatu, in quo vidimus illud pœnis *& laboribus à juventute* e ſuâ ſubditum, mortale, ac in monumento f conclusum. Alii verò ſentiunt, quòd ſi *hic Deus noſter* g glorioſus in terris apparuiſſet, quando iiſdem *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*, magis hominum corda ſibi devinxiſſet ac voluntates, & ſibi conciliaviſſet animos ſplendoribus ſuis; & amor ipſius magis fuiſſet manifeſtus, ſi velut plenâ præditus poteſtate apud nos viſus eſſet, & potentiâ ſuâ rebellium vires inſolentes, & conatus temerarios infirmaſſet; quàm in eo ſtatu debilitatis

h Luc. 2. 7.

& depreſſionis, *in præſepio* h reclinatus. Si enim purè res amatur, ut ipſi bonum exhibeatur, procuretur, aut ſaltem deſideretur; ſi exponentibus nobis vitam noſtram pro amico, nobis mortuis, nullus ipſi ſupererit, cui ipſe innitatur, nulla ſpes ipſi relinquetur, nemo ſuperſtes erit, qui negotiis ipſius invigilet ſatagendis; ſed ſi viveremus ſemper, continuum ipſi præberemus auxilium: Ita Chriſtus

i Ioan. 19. 10. k 1. Timoth. 1. 17. & 6. 16. l 1. Cor. 11. 23. &c. m Matth. 28. 20. n Pſ. 64. 7.

hodie naſcitur, ut moriatur tandem i, licèt ſit immortalis k. Idcircò *nocte* l immediatè Paſſionem ipſius præcedente, hanc agnoſcens veritatem, ſanctiſſimum inſtituit Altaris Sacramentum, ut eſſet nobiſcum veluti fidelis amicus uſque ad mundi finem, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* m.

Accinctus potentiâ n, meliùs tutatur nos; opponit ſe violentiæ inimicorum; nihilominùs in ſtatu infirmitatis & depreſſionis, amor ipſius magis manifeſtatur. In mortalitate, bonitas ipſius cum majori gloriâ exhibetur. Nam veniens ut juſtitiam Chriſtianam & ſanctitatem ſtabiliret in terris, niſi eam ſummo comparaſſet ſibi labore, illam tanti non duceremus; ſed intuiti effuſum ipſius Sanguinem o

o Apoc. 1. 5. p Rom. 5. 12. q Matth. 25. 41.

pretioſum, & ab eodem Chriſto hauſtas tot tolerantias, ut eam acquireret, labori nobis eſt incumbendum, ut eam nobis comparemus. Prætereà, Eò major eſt amor, quò perſona quæ amatur, eſt indignior, homo erat inimicus Dei p, idcircò merebatur omnia iræ ipſius fulmina q. Deinde, Ratione effectus, cùm amor eò major ſit, quò major eſt effectus: Atqui

r Luc. 9. 31. ſ Rom. 8. 18. t Philipp. 2. 7.

id, quod Chriſtus patitur, & paſſurus eſt, omnium eſt exceſſivum cumulus, *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem* r. Tandem, Major amore Martyrum, qui patiebantur vel in expiationem pœnæ peccatis debitæ proprijs, vel intuitu gloriæ æternæ conſequendæ ſ; cùm Chriſtus amore ſolo patiatur, annihiletur t, licèt ſit maximè potens. Quod inducit me ut oſtendam vobis in hoc myſterio Incarnationis Primò annihilationem; Secundò amorem; Tertiò potentiam in triplici parte hujus diſcurſus.

Diviſio.

I Pars. u Ioann. 4. 5. &c. x Luc. 19. 5. &c. y Matth. 9. 9.

Hæc invenitur differentia inter adoranda Infantiæ Ieſu Chriſti & alia Vitæ & Paſſionis ipſius myſteria, quod in iſtis ipſe inquirat creaturas, veluti Samaritanam juxta puteum civitatis *Sichar* u; Zachæum tributis incumbentem x; *hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine* y; Magdalenam, *quæ erat in civitate peccatrix* z, vanitati, & voluptati indulgendo; & latronem Dimam ſecum cruci ſuffixum a. Sed

z Luc. 7. 37. a Luc. 23. 40. &c. b Luc. 2. 9. &c. c Matth. 2. 1. &c. d Pſ. 2. 7. & 109. 3. e Pſ. 64. 7. f Sap. 7. 24. g Hebr. 1. 3. h Ioan. 14. 28. i Hebr. 2. 9. k Pſ. 8. 7. l Iſai. 49. 6. m Ioan. 10. 30. n Iſai. 53. 6. & 4. o Coloſſ. 1. 26. p Iſai. 45. 15.

in illo; putà in Infantiâ, omnes creaturæ illum quærunt; Angeli è cœlo turmatim in terram deſcendunt; *paſtores* b in ſpeluncam Bethleemiticam ſummâ cū alacritate properant; & Regis Orientales è proprijs exeuntes ſoliis Iudæam proficiſcuntur c, ut Parvulo *nobis* nato, *&* Filio *nobis* dato adorationes ſuas & munera ſimul offerant; & illum & Angeli, & *Paſtores* & *Magi* in ſtatu humiliationis & annihilationis inveniunt. Filius Dei in ſuâ nativitate æternâ d eſt *Potentia* e, & *Sapientia* f Patris. Pater æternus facit *omnia Verbo virtutis ſuæ* g. Verbum verò induit ſtatum Infantiæ, qui ipſum ſubjicit naturæ Divinæ h, naturæ Angelicæ i & naturæ humanæ k. Exiens è ſolio magnitudinis ſuæ, ubi vivens eſt, deſcendit in terram. In gloriâ Filius Dei eſt *Servus* l Patris, licèt in Divinitate ei ſit coæqualis m, quod Chriſtus habet ſupra homines: licèt in hoc ſit infra homines, quòd *poſuit Dominus in eo iniquitatem omniū noſtrûm*, &, *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit* n.

q Ioan. 14. 10. r Ioan. 1. 18.

Iſtud myſterium Incarnationis eſt totum abſconditum. Præclarum verbum S. Pauli o, qui ait illud abſconditum in Deo ab æterno, *Myſterium quod abſcōditū fuit à ſeculis & generationibus*. Imò Deus vocatur abſconditus, *Verè tu es Deus abſcōditus, Deus Iſraël Salvator* p. Sed id ob plures manſiones quas habet Dei Filius. Prima manſio Filii Dei eſt in eſſentiâ Divinâ q, ibi erat abſconſio Verbi incarnati, ubi ſemper erat, quidquid ageret & operaretur, eundo & veniēdo, & miracula faciendo; videbatur quidem in illo vita exterior, perfecta, & Divina, ſed nihilominùs humana; alteram habebat in Eſſentiâ Divinâ vitam, quæ non videbatur. Secunda manſio Filij Dei eſt in ſinu Patris. Datur enim diſtinctio inter Eſſentiam Divinam & Perſonam, & hæc differentia manet; eſt igitur in ſinu Patris, ut ait S. Joannes r, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris*. Non ait Evāgeliſta ipſum eſſe in ſinu Spiritus ſancti, quia non procedit à Spiritu ſancto, ſed *in ſinu Patris* qui eſt ipſius origo ſ, ubi eſt Deus talis

ſ Pſ. 2. 7. & 109. 3.

qualis eſt ſuus ipſius Pater. Tertia eſt in ſinu matris ſuæ, ſicut enim *eſt in ſinu Patris* ſui, voluit etiā eſſe in ſinu Matris ſuæ, & ibi habere vitam (ſicut habet vitam *in ſinu Patris* ſui) ſed vitam abſconditā omnibus, Mariæ & Joſepho. S. Joannes Baptiſta cognovit hanc vitam Chriſti abſconditam in Virgine Deiparâ, priuſquàm ſuæ vitæ & proprij ſtatus notitiam haberet, cum priùs Deū cognoverit, quàm ſeipſum, & priùs vitâ Chriſti

t Luc. 1. 44. u Ioan. 1. 14. x Iſai. 11. 2. & 3. y Epheſ. 2. 14. &c.

vixerit, quàm propriâ t. In hoc ſinu erat Chriſtus gratiâ plenus, eum *vidimus plenum gratiæ* u. Plenus donis Spiritus ſancti, *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini* x. Ibi invenio etiam finem eminentem putà veniſſe illum ad conciliandam *pacem* y annihilationibus ſuis, quæ videntur inmedijs, quibus uſus eſt ad operandam ſalutem noſtram. Quarta manſio Filij Dei eſt Infantia ipſius, in qua omnia, quæ in hoc veniuntur ſtatu, paſſus eſt. Poterat quippe ab inſtanti Conceptionis ſuæ fieri vir perfectus, voluit nihilominus huic ſtatui ſubjici. Quinta tandem manſio eſt in Cruce, quæ humiliationum eſt omnium maxima, *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* z.

z Philipp. 2. 8. a Pſ. 2. 8.

Prætereà, Chriſtus exinanit ſe in hoc myſterio, quia in eo abnegationem facit ſui ſupremi dominij, non quoad proprietatem, ſed quoad uſum. Pater æternus præbuerat illi poteſtatem ſuper omnes creaturas, ut ait ei per David a, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Attamen hac poteſtate nonniſi rarò utebatur Dei Filius. Vaſſalli Regi

æquipatati, quaſi pro nihilo habentur, cùm æquè parùm poſſibile ſit Regibus propriâ ſpoliari magnitudine, ac diis, ajebat quidam Ethnicus: Sed hi Reges comparati Chriſto, ſunt etiam aliquid minus, cùm omnes ipſorum magnitudines ſint puræ depreſſiones, & ſatis oſtendant nullam eſſe veram magnitudinem præter magnitudinem Jeſu Chriſti.

Ut enim aliquis ſit verè magnus, oportet ut magnitudo ipſius nativitatem præcedat, quod non eſt in Regibus, cùm nativitas magnitudinis incipiat cũ magnitudine nativitatis ipſorum; perſæpè etiam cunas non ſequitur ipſorum. Sed non eſt ita dicendum de magnitudine Domini noſtri Jeſu Chriſti: Illa quidem infinitè temporalem ipſius præcedit nativitatem; unde fit ut longè ante nativitatem hanc tẽporaneã ipſe habeat Hiſtoriographos & Scriptores, qui pleno ore publicent magnitudinem Divini ipſius eſſe. Hiſtoriographi ſunt Prophetæ veteris Teſtamenti; & inter infideles Sibyllæ videntur contuliſſe cum Patre æterno de Adventu Filij ipſius. In hunc ordinem redigere poſſimus Poëtas, qui narrantes deorum ſuorum defectus, imperfectiones, & probra, diſpoſuerunt nos ad credendum, verum Deum omnibus perfectionibus eſſe conſummatum,
b Matth. 5. 48. ſicut re vera totus *perfectus eſt* b. Et prætereà ſæpiſſime hos Deos more hominum induerunt, quò inter homines converſarentur, ut viam nobis panderent ad perſuadendum nobis, Deum debuiſſe fieri hominem, & cum hominibus converſari. Unde factum eſt ut Imperatores Romani decôre & divitiis ornaverint, & Cæſar Auguſtus eam totam in pace conſtituerit c, non pro ſe, ſed pro gloriâ illius,
c Luc. 2. 1. qui erat in terra naſciturus, & redditurus eam civitatem totius Imperij maximè commendabilem. Hæ omnes magnitudines clarè oſtendunt Chriſti magnitudinem præcedere nativitatem ipſius, & idcircò jure merito vocare poſſemus eas, veſtimenta ipſius.

Prætereà, Magnitudo hominum eſt extranea; magnitudo verò Dei eſt naturalis. Si enim benè conſideretur poteſtas Regum & Principum, dependet illa partim è militibus, & ex alijs miniſtris ipſorum obſequio mancipatis. Si eorum bonitas, emanat illa à Deo, aut a Magiſtris, à quibus eam fuerunt edocti. Si illorum pulchritudo, ut plurimùm eſt ea ementita, & à fuco deſumpta. Si illorum miſericordia, ipſa eſt velut martyrium, quia quiſquis alienam vult ſublevare miſeriam, non poteſt quin miſeris compatiatur. In Deo verò omnes hæ magnitudines ſunt naturales, & ab ipſo ſolo procedunt: Deus enim à ſe ſolo pendet, homo verò è contrà à Deo penitus dependet, *Avertente autem te*
d Pſ. 103. 29. *faciem, turbabuntur* d, ajebat David, comparans hominem cum facie, quam intuetur ipſe in ſpeculo, quæ non priùs removetur è ſpeculo, cùm imago, quam ſpeculum repræſentat, diſparet, & evaneſcit. Licèt Filius Dei hac polleret poteſtate, ea tamen nonniſi rarò utebatur, pauca faciens miracula, & minus eorum quàm facerent Apoſtoli.

Exinanitio etiam fruitionis, & quoad animam, & quoad corpus. Quoad animam quidem, renunciando juri, quod habebat ipſa anima communicandæ propriæ gloriæ corpori ſuo; admittendo triſtitiam e fœlici Beatorum ſtatui penitus oppoſi-
e Matth. 26. 37 & 38 & Marc. 14. 34. tam, cùm dicat e David f, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo*
f Pſ. 90. 10. *tuo.* Quoad corpus verò, renunciando juri, quod habebat ad hanc gloriam, ejuſque patiendo privationem per totam vitam Jeſu quatenus viatoris, in qua renunciatione corpus, iſtud exercebat omnium, quæ fieri poterant, exinanitionum longè maximam; cùm eſſet id omnium bonorum, quæ huic accidere poterant corpori, maximum, putà eſſe glorioſum. Exinanitio in abnegatione, quam anima Chriſti fecit multorum effectuũ Divinitatis in ſeipſa, in unione naturæ creatæ cum natura increata; exinanitio infinita ob diſtantiam infinitam quæ eſt creati ad increatum; non ſolùm autem naturæ creatæ, ſed inter naturas creatas & intelligentes magis depreſſæ, qualis eſt natura humana. Uniri quidem poterat naturæ Angeli, & primi Seraphini, & creare aliam naturam intelligibilem, etiam digniorem ipſa natura Angeli, & huic unire perſonam ſuam Divinam ac naturam ſuam. Deinde, Uniens ſe naturæ è g Rom. 8. 3.
carne *peccati* g, id eſt Adæ extractæ, quæ quàmvis peccato non eſſet inquinata h, notas tamen pecca- h Pſ. 98. 2. & 44. 8.
ti præ ſe ferebat ac ſtigmata i. Si verò Virgo Deipara nullâ peccati labe fuit infecta, cùm fuerit concepta abſque delicto originali; hoc non habuit ex
natura, ſed ex gratia & ex privilegio ſpeciali k. k Eſth. 15. 12. & 13.
Idcircò Filius Dei noſtram aſſumpturus naturam, producere poterat alteram naturam humanam, ſicut
naturam Adami l ſine peccato; nec extractam è l Gen. 2. 7.
carne peccati, ſcilicet ex Adamo. Prætereà, Unitus eſt naturæ paſſibili, & ut omnibus exinanitionibus cumulum imponeret, cùm poſſet re vera efficere ut paſſibilitas rerum duntaxat levium foret; exinanivit tamen ſeſe uſque ad naturam paſſibilem, & patientem exceſſus dolorum, & ignominiarum; ad naturã tandẽ patientem mortẽ; mortem verò crucis, ſuppliciorum omnium maximè infamis; *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem: mor-*
tem autem crucis m. m Philipp. 2. 7. & 8.

Ille omnium potentiſſimus eſt, qui maximum in minimo poſuit, ajebat Quidam ſubtiliter. Quidquid in cœlis peragitur, in terris fit ſimiliter, & in abjecto præſepi. Sicut in exigua ſpeculi portione Solem intuemur integrum, ita in hoc parvo ſtabulo totum Solem Divinitatis adoramus. *Ergone credendum eſt quòd iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium neceſſitatum injurias patitur?* exclamat S. Bernardus n. Ha! Sol materia- n S. Bern. Hom. 3 in Vigil. natal. Dom.
lis neminem habet ſpectatorem, niſi priùs defecerit. Hæc eſt differentia inter effectus naturæ & gratiæ; quòd natura productiones ſuas elevet; eiſque novos progreſſus ſemper præbeat, quouſque ad ſtatum ſtabilitatis perveniant; gratia verò è contrà eas ſemper imminuat. Videte quò Deum gratia redigat; jacère facit eum in ſtabulo, quem minorem reddit Deo, Angelis, imò verò, auſim dicere, hominibus. Quid minus? Spiritus eſt minor, cùm maneat in puncto; cogitatio minor, cùm ipſa maneat in ſpiritu; Deus velut minor, cùm maneat quaſi in cogitatione, quæ Deum aliquo complectitur modo. Quantam annihilationem! *Univerſa propter ſemetip-*
ſum operatus eſt Dominus o in cœlo, duobus actibus o Prov. 16. 4.
voluntatis ſuæ & intellectus ſui (ut loquamur noſtro concipiendi modo) qui ſunt prædeſtinatio Juſto-
rum p, & impiorum reprobatio q; ab his, bla- p Rom. 8. 29.
ſphemijs impetitur r; ab alijs verò, laudibus *in ſecu-* q Rom. 1. 28
la ſeculorum s extollitur. Satisfit Juſtitiæ Divinæ r Apoc. 16. 9.
his duobus actibus, qui ſunt contrarij in ſeipſis, ſunt s Apoc. 5. 13.
uniti in Deo, & tendunt ſinguli ad eundem finem, putà ad gloriam Dei. Deus Pater in æternitate producit Filium ſuum intuitu omnium magnitudinum ſuarum ac perfectionum Divinarum, ſibi coæqualem, ſed in tempore producit eum in ſinu Virginis Deiparæ, intuitu omnium dolorum, paſſionum, & opprobriorum; non ſolo intuitu creaturarum intellectualium, hominum in ſplendore & ſtatu gratiæ conſtitutorum, ſed ipſorum è tali ſtatu lapſorum, & in claſſem brutorum, per peccatum redactorum

t; inte-

Digitized by Google

t Pſ. 48. 13. & 21. u Matth. 26. 39. x Ioan. 1. 14.

t; inferiorem ſe, paratum ad obediendum u, cùm obedientia ſupponat ſuperioritatem; paſſibilem, & mortalem, *Verbum caro* paſſibilis & mortalis *factum eſt* x.

Vbi obſervandum eſt vobis, ſi placet, aliquam rem fieri poſſe triplici modo; nimirum, converſione, confuſione, & unione. Converſione efficitur res aliqua, cùm aliquid convertitur ſecundùm ſuam ſubſtantiam in aliud, v.g. panis, qui comeditur, in ſubſtantiam hominis, qui ipſum comedit; vinum in ſanguinem illius, qui ipſum bibit; alimentata deſtinata ad vegetanda æquè ac ad nutrienda corpora, in eorumdem ſubſtantiam; aqua pluviæ in vinum; terra efficitur petra; & lapis ferrum, *Ferrum de terrâ tollitur* y. Hoc Deus non eſt factus modo, quia iſto pacto res, quæ in aliam convertitur, amittit ſubſtantiam ſuam quoad formam ſuam, nec ampliùs remanet eadem quæ erat anteà; ſed fit ea, in quam mutata fuit ac transformata: Atqui cùm Deus factus eſt homo, non proptereà deſtint eſſe Deus: quia ſemper remanſit id quod erat, ut ſancta Mater concinit Eccleſia; *Mirabile myſterium declaratur hodie, innovantur naturæ, Deus homo factus eſt; id quod fuit, permanſit; & quod non erat aſſumpſit.* Natura enim Divina nunquam mutatur, *Ego Dominus, & non mutor,* ait ipſe per Prophetam z. Etiamſi manens in ſeſe immutabilis ac ſtabilis, univerſis motum imprimat creaturis, ac mutationem; *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* a. Nihilominùs *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, manens idem quod erat ab æterno. Secundò, Aliquid fit aliud commixtione, cùm res aliqua confunditur & commiſceretur cum aliâ, quarum neutra remanet eadem quæ erat anteà, ſed ex utrâque reſultat tertia, v.g. cum è melle vino & cinnamomo fit nectar; & hoc ſecundo modo neque Deus factus eſt homo; Divina ſiquidem Natura eſt incorruptibilis; cùm natura humana & Natura Divina ambæ remanſerunt ſine ullâ confuſione in Chriſto, ut canit eadem Sancta mater Eccleſia, *Deus homo factus eſt, non commixtionem paſſus, neque diviſionem.* Tertiò, Res aliqua dicitur fieri alia, unione, ambabus ſubſtantiis remanentibus, veluti v.g. cùm homo fit Religioſus, aſſumẽs habitũ inſtituti alicujus Regularis; ſeu miles efficitur, armis ſe applicans bellicis. Hoc verò tertio modo *Deus homo factus eſt* unione perſonali, ſubſtantiis ambabus Naturâ Divina & natura humana inſuis perfectionibus, permanẽtibus, ita ut ritè de altero aſſeratur id, quod de altero enunciatur, Deus eſt homo, & viciſſim, Homo eſt Deus: Deus enim aſſumpſit aliquid, quod non habebat, puta habitum & veſtem naturæ humanæ; *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* b. Et S. Athanaſius c ait; *Qui licèt Deus ſit, & homo; non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Vnus autem non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum:* Ecce primus modus. *Vnus omninò non confuſione ſubſtantiæ:* Ecce ſecundus modus. *Sed unitate perſonæ:* Ecce tertius modus. Sed tandem declarat modum, quo totum efficitur: *Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo; ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Sicut enim, inquit, anima manens in ſua ſubſtantia, & caro in ſua, unitæ tamen faciunt unum hominem; ita divinitas & humanitas unitæ in perſona Filii Dei efficiunt unum Jeſum Chriſtum, eædem naturæ Divina & humana ſingulæ in ſua ſubſtantia permanentes.

y Iob. 28. 2.

z Malach. 3. 6.
a Act. 17. 28.

b Philipp. 2. 6. & 7.
c D. Athanaſ. in ſuo Symbol.

Intuemini eum in ſtabulo jacentem, Adoleſcentes qui obedientiam veſtris exhibere renuitis parentibus; diſcite ab hoc exemplo, ab hac exinanitione illius, qui *mitis* eſt, *& humilis corde* d, quomodo ſit vobis in humilitate permanendum. Dei Filius deſcendit infra Angelos, *modico quàm Angeli minoratus* e. In hoc exinanitionis ſtatu ne dicat aliquis ampliùs, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis* f. Sed potiùs; *Non eſt ſpecies ei neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus* g. Ille qui *aſcendit ſuper Cherubim, & volavit* h, modò jacet in ſtabulo, deſcendens quinque gradus, qui in diſtantiam abeunt infinitam. Primus gradus, eſt Divinitatis ad gratiam, ubi diſtantia datur infinita, infiniti ad finitum. Secundus, gratiæ ad naturam intellectualem. Tertius, naturæ intellectualis ad hominem quatenus rationalem. Quartus, hominis ad brutum, quatenus homo peccator eſt, Quintus tandem, peccatoris *ad nihilum* i. Quæ diſtantia Dei à nihilo! Hæc omnia facit Deus; has omnes peragit Deus deſcenſiones.

d Matth. 11. 29.
e Hebr. 2. 11. ex Pſ. 8 6.
f Pſ. 47. 2.
g Iſai. 53. 2.
h Pſ. 17. 11.
i Pſ. 72. 22.

Idololatræ habebant in templis ſuis falſa numina, quæ ori ſuo digitum imponebant, quaſi vellent adoratores ſuos ad ſilentium inducere cuſtodiendũ, eiſq; prohibere ne dicerent ſeipſos eſſe homines more cæterorum mortalium: Salvator adorande, intuitus te hodiernâ die in ſtabulo jacentem, digitum meum ori impono, ſolis que te circundatum advertens miſeriis, auſim ne dicere præ veritate te eſſe Deum, ſummum cœli & terræ Opificem k? Quidnam efficit hoc? Amor ſanè, qui Dei Filium in hunc ſtatum redigit exinanitionis ac depreſſionis; *Pietatis memor, immemor maieſtatis* l, *amor reverentiam neſcit* m. Tertullianus n videns Paganos extrahentes Deos ſuos è fodinâ Cæſaris; ajebat: *Puto autem, ha ipſa materia de metallis Cæſarianis veniunt, & tota templa de nutu Cæſaris conſtant: multi denique Dii habuerunt Cæſarem iratum. Facit ad cauſam, ſi & propitium, cùm illis aliquid liberalitatis aut privilegii confert. Ita qui ſunt in Cæſaris poteſtate, cuius & toti ſunt, quomodo habebunt ſalutem Cæſaris in poteſtate? ut eam præſtare poſſe videantur, quam faciliùs ipſi à Cæſare conſequuntur.* Deus meus, intuitus tè indigere manibus Matris tuæ ſanctiſſimæ veluti fulcro, & uberibus illius ut lactẽris, quomodo non auſim dicere te eſſe homine inferiorem, cùm ab homine dependeas; & tutelæ ſubjaceas & protectioni, ut dii pendebant à Cæſare? Quantam annihilationem! Avarus furore corripitur, eò quòd Chriſtus bona temporalia contemnat. Ambitioſus ſtomachatur, eò quòd Dei Filius flocci faciat honores mundanos. Et libidinoſus iraſcitur, & præ deſperatione deficit, eò quòd Verbum incarnatum hodiernâ die in ſtabulo jacens, miſeriis atque tolerantiis expoſitum, voluptates & delicias condemnet. Litem inſtituit Chriſtus contra vitioſos omnes divites, & adversùs eos ſententiam profert. Ingredimini hoc ſtabulum, & videte illud telis aranearum veluti tapetibus inſtructum, Vos, quibus ſunt domus pretioſâ ſupellectile & exquiſitis tapetibus ornatæ. Libidinoſi, qui ſolas ſenſuum veſtrorum delicias inquiritis, intuemini tolerantias hujus Parvuli frigore rigentis. Ambitioſi, qui vento & fumo paſcimini, ac ſi eſſet ſolidus cibus, humiliamini more Dei ſtius exinaniti, & exaltabit vos o; deſcendite, ſicut ipſe deſcendit, & elevabit vos. Longè hallucinamini conſtituentes totam gloriam veſtram in vanitatibus. Chriſtus unica tantùm vice Curiam adivit p, & illa ipſa vice ad eam violenter pergere compulſus eſt, ibique nihil præter opprobria & deriſiones à Herode, & ab ipſis Aulicis ſuſcepit. Deus ſemper eſt converſatus cum pauperibus & humilibus: & licèt ipſe amet omnes homines, magis tamen pauperes & humiles diligit. Diligite igitur abjectionem, quæ gloriam producit, & efficiemini objectum amoris ipſius.

k Gen. 1. 1.
l S. Bern. ſerm. 9. in Cant.
m Idem ſerm. 83. in Cant.
n Tertull. in Apologet. c. 29.
o Luc. 18. 14.
p Luc 23. 7. &c.

Qui

11. ratio. Qui in hoc myſterio præ alijs præſertim elucet. Alia enim miſta ſunt timore & pietate myſteria. Alia verò comitantur amor & timor. In Paſſione ſuâ Chriſtus totus eſt amore plenus, patiens acerba pro ſalute noſtra; ſed in hoc ſtatu dignus eſt ut ipſi compatiamur intuitu dolorũ ipſius. Qualitas, quam præ ſe fert, Domini ſupremi q, noſtrã exigit reverentiã; Patris r titulis magis honoratur, quàm amatur; Sponſi s nomen comitantur amor & timor; amor ipſum ſequitur, cùm Sponſa Sponſo eſt affectu alligata; timor, cùm Sponſa voluntatibus Sponſi non adhæret: Atqui in hoc ſtatu Incarnationis & Infantiæ Chriſti eodem ſeſe res non habet modo; in ipſo enim ita ſe conſtituit, ut omnes & ſinguli poſſint dicere; *Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* t; videntes ipſum *in præſepio* u, jacentem, in quo totus eſt plenus amore, & non timore. In veteri Fœdere non apparebat Deus hominibus niſi cum ipſorum tremore, præbens Legem Moyſi media inter fulgura & tonitrua x: Sed in Lege nova aliter ſe intuendum exhibet, cùm in ſua Infantia totus ſit repletus manſuetudine.

q Eſth. 13. 9. r Matth. 6. 9. s Pſ. 18. 6. t Hebr. 4. 16. u Luc. 2. 7. & 16. x Exod. 19. 16. &c.

In eo manifeſtus eſt amor ipſius, quòd non poſſet homo Divinæ Juſtitiæ pro peccatis ſuis ſatisfacere ſine morte, & confuſionibus leſis. Ratio verò iſtius è Theologia deſumpta, ea eſt; Quia culpa noſtri Protoplaſti erat infinita, eò quòd adverſaretur Bono infinito y, quod eſt Deus. Secundò, Quia nos privabat bonis infinitis. Tertiò, Quia nos ad pœnam damnabat infinitam z. Conſideratur quippe offenſa juxta qualitatem perſonæ læſæ. Offendere ruſticum & plebejum hominem, eſt quidem peccatũ, ſed majus, malè excipere nobilem aliquem Virum, præſertim ſi ſit Regis Miniſter, officio aliquo fungens publico; maximum verò, Regiam lædere Majeſtatem: Cùm igitur Deus ſit excellentiæ infinitæ, offenſa adverſus ipſum commiſſa eſt infinita, idcircò pœna debet eſſe infinita. Sicut enim offenſa juxta perſonæ læſæ qualitatem attenditur, ita pœna eſt infligenda juxta qualitatem culpæ, *Pro menſurâ peccati erit & plagarum modus* a. Et, *Quantùm glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctũ* b. Vnde ſic argumentor: Offenſa infinita meretur pœnam infinitã: Atqui pura creatura incapax erat tantæ pœnæ perpetiendæ (loquor de pœna ſatisfactoria, nam quoad pœnã condemnationis, illam ipſa patitur in inferno extenſivè, non quidẽ intenſivè, infinitam:) ideò nulla creatura Deo ſatisfacere pro culpa commiſſa poterat: Neceſſarium igitur fuit, ut Chriſtus morte ſua ſatisfaceret, cùm ipſius ſatisfactio ſit infinita propter perſonam Divinam, in qua erat unio Naturæ Divinæ & naturæ humanæ. Idcircò dicebat Iſaias c, *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos.* Notate, ſi lubet, *ipſe veniet.* Non mittet Angelum, aut Patriarcham, aut quemlibet alium illuſtrem Virum, ſed *ipſe veniet* in Filio ſuo, *& ſalvabit vos*, pro peccatis noſtris Juſtitiæ Divinæ ſatisfaciendo, pro nobis patiendo. Qualem amorem Dei noſtri erga nos!

y Baruch 3. 20. z Matth. 25. 41. &c. a Deut. 25. 2. b Apoc. 18. 7. c Iſai. 35. 4.

Secunda ratio deſumitur à Lege d, qua fertur, *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Atqui Adam ſurripuit fructum arboris *Scientiæ boni & mali* e. Deus dixit. Nunquam condonabo injuriam mihi irrogatam, quin fructus iſte ablatus reſtituatur mihi: Nec Adamus, nec ullus ex ipſius progenie mihi potuit illum reſtituere; Filius ejuſdem Dei, amore ſimul & miſericordia ductus ſemetipſum obtulit f ad exercendam illam reſtitutionem. Sed quomodo; Ingreſſus eſt ſinum Virginis g, factus eſt homo: Ecce fructus valdè dulcis, idcircò B. Virgini dicitur ab Eccleſia Sancta, *Benedictus fructus ventris tui.* Poſtea ſe poſuit in Cruce; & fructus iſte appenſus eſt in hâc arbore, quæ vocatur *Scientiæ boni & mali*; cùm crux ſit arbor boni pro Juſtis, & mali pro impijs.

d Reg. 4. q. 6. Si reſ. e Gen. 3. 6. & 2. 17. f Iſai. 6. 8. g Luc. 1. 38. &c.

S. Dionyſius Areopagita h ait Iuſtitiam tribus in rebus manifeſtari, quia videlicet, ornat, liberat, & conſervat. Ornat res maximi momenti, ut cœlos i. Eos tuetur ab ijs quæ poſſent ipſis officere. Et illos conſervat in ſtatu ipſorum illibatos, ita ut omnia inferiora ad ipſos referantur. Inter juſtitiam & amorem hæc invenitur differentia, quòd amor alias ſequatur vias; ornat non magis, ſed minùs dignum, Angelos, qui magis erant, quàm ſint homines, Deus deſerit, ut amor ipſius adhæreat homini, qui nihil eſt niſi limus k, *Nuſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit* l. Incarnatur pro homine, & dæmonum Judex ſeverus conſtituitur: Incarnatio Verbi Divini ſalvos facit homines, & dæmones cruciat in tenebroſis inferorum ergaſtulis. Ubi obſervare debetis, omnes res inferiores æquâ juſtitiæ politiâ referri ad ſuperiores, ad hominem v. g. quia homo eſt omnium creaturarum ſublunarium creatura nobiliſſima; ad hominem quippe referuntur omnes creaturæ, quia omnes propter illum factæ ſunt m. Hinc ait S. Paulus n; *Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors ſive præſentia, ſive futura; omnia autem veſtra ſunt; vos autẽ Chriſti; Chriſtus autem Dei.* Univerſa ad vos pertinent, ſive ad vos referuntur ut ad ſuum finem: & ab Incarnatione aſſerere poſſumus, omnia eſſe peccatoris, cùm omnia ad ſalutem illius referantur, ſive Petrus Eccleſiæ Caput o, ſive Paulus *Gentium Apoſtolus* p. Si Concionatores prædicent, ſi Confeſſarij Confeſſiones excipiãt, ſi Parochi Sacramenta adminiſtrẽt; hæc omnia propter peccatorem fiunt, ipſius ſunt, & ad ipſum referuntur. Re autẽ verâ propter illum ſunt omnia deſerenda; propriam requiem, & comeſtionem, imò verò ſeipſum oportet relinquere. S. Bernardus orationi, & colloquio Divino vacans, ea deſerebat vocatus ad excipiendas Confeſſiones, aut ad ſubſidium alicui præbendum; quia cùm ſimus omnes peccatores, debemus agere, & õnia deſerere propter illũ, imò verò Deum, ut S. Bernardus; *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti*; referre nos omnes ad Chriſtũ, omnes actiones noſtras, omnia verba noſtra, omneſque cogitationes noſtras, *Chriſtus autẽ Dei.* Quia omnia referẽda ſunt ad Superiorem. Sed amor effecit ut in Incarnatiõe Superior referatur ad inferiorẽ, & ut, cùm homo peccator, qui deſcenderat ad nihilum brutorũ, ſit unitus Deo, omnia ad ipſum referantur. Mirabile dictu! Refertur Deus ad hominem; venit ut uniatur homini, terra cœlũ attrahit, homo Deum, peccator Glorificatorem q. Totus Deus eſt hominis, Sanguis ipſius cum pœnis & laboribus, imò verò vult ipſe ſe delegere propter hominem. Tentare velle videtur Dei Filius Petrum, dicens ei ter, *Simon amas me? Et dixit ei: Domine tu omnia noſti; tu ſcis quia amo te. Dixit ei, Paſce oves meas* r. Ha! Quid eſt hoc? Amor facit unionem, hic verò diviſionem inducit; Vade, ſepara te à me, *Paſce oves meas.* Ratio hujus rei eſt: Quia ab Incarnatione omnia ad hominem referuntur; amor juſtitiæ interturbavit ordinem, majora referuntur ad minora, *Semetipſum exinanivit* †. Vel, *evacuavit*, fert alia verſio. Sicut cùm duo ſunt vaſa, quorum alterum eſt plenum, alterum verò vacuum; ut repleatur vacuum, evacuandum eſt plenum: Homo erat vacuus Deo, Deus replevit hominem; & quod erat ſubter, factum eſt ſuper; Homo elevatur ad ſolium; omnia referuntur ad hominem, Deus ipſe, pœnæ ipſius & labores, Circumciſio ſ, Vita, Paſſio, & Mors t.

h D. Dion. lib. de Div. Nom. c. 8. i Pſ. 118. 3. k Gen. 2. 7. l Hebr. 2. 16. m Gen. 1. 28. &c. n 1. Cor. 3. 22. o Matth. 16. 18. p Rom. 11. 13. q Rom. 5. 10. r Ioan. 21. 15. &c. † Philipp. 2. 7. ſ Luc. c. 2. t Ioan. c. 18. & 19.

Conſidera peccator, qui in cœno peccatorum tuorum, non ſecus ac animal immundũ in ſordibus, volutatur,

lutatis,

lutaris, te, cùm negligis aliquam inſpirationem interiorem, quam tibi Deus ſuggerit, & renuis reſpondere voci ejus qui ait, *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperverit mihi jannam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* u, te, inquam conculcare *Filium Dei, & Sanguinem Teſtamenti pollutum* x ducere. Vnica vel inſpiratio, una gutta Sanguinis Ieſu Chriſti, unica gratia, unicus motus internus, hæc omnia ſunt peccatoris. Idcircò *dixit Ieſus* ipsâ nocte cœnæ extremæ Judæ, *Quod facis, fac citiùs* y. Juda, tuus ego ſum, de me diſponito quomodocumque tibi libuerit, vende me, oppignera me veluti rem, quæ tua eſt; quidquid de me egeris, artidebit mihi, dummodò convertaris ad me. Ideò poſuit ſe Jeſus ad *pedes* z Judæ. Ubi eſt obſervandum, quòd, ſecundum Juriſperitos, *poſſeßio eſt pedis poſitio.* Cùm quis pedem conſtituit ſuper aliquâ re, innuit illam eſſe ſuam, & ſe eam poſſidere. In cujus rei confirmationem, Antiqui fundum aliquem poſſeſſuri, pedem terræ, in ſignum poſſeſſionis, imponebant: Jeſus ait Judæ, Tuus ſum ego, ſive vendendus, ſive pignori dandus, dummodò æternæ tuæ ſaluti ſubſerviam. Peccator, Deus dicit ſe totum eſſe tuum, dummodò ſaluti tuæ operandæ non obſiſtas; Sanguis ipſius & merita, tua ſunt, dummodò ijs utaris ad converſionem tuam; alioquin ſacrilegia committis, profanans ſanguinem quem ipſe pro te fudit. Sed quomodo? Chriſtus pro nobis ſuum effudit totum Sanguinem in arâ crucis, & nos delicijs diffluemus? Error ſanè maximus eſt id; incedendum eſt poſt illũ, ſequenda ſunt ipſius veſtigia, quæ proprio tinxit ipſe Sanguine. Imitemur Deum patientem, & moriamur, ut ſequamur Deumglorioſum, immortalem, & impaſſibilem, qui tandem pro nobis inſumit potentiam ſuam.

u Apoc. 3. 20.
x Hebr. 10, 29.
y Ioan. 13. 27.
z Ioan. 13. 5.

Quam paucis expedio, diſcurſum iſtum abſoluturus. Potentia hic elucet, ubi Chriſtus adoratur ab Angelis, à Paſtoribus, à Magis, & timetur ab alio Rege, nimirum Herode. Hic magnitudinem ſuam manifeſtat, & in hoc præſepi Magnatibus indicat ſupremam illam poteſtatem, quam ipſis ſtupore attonitis exhibiturus eſt ultimo iudicii extremi die; *Quid erit tribunal iudicantis, quando ſuperbos Reges cunabula terrebãt Infantis?* ait S. Auguſtinus a. Sed quod admirabiliorem efficit hanc infantiam ſacram, eſt, quia in eâ Chriſtus conatum efficit, qui oſtendit omnipotentiã ipſius, quæ ſuperat omnem alium potentiam adhibitam ad alia ipſius myſteria; imò verò potentiam ipſam, quam in adorando Crucis exhibuit myſterio; patiendo enim & moriendo fecit tantùm *filios Dei* b per adoptionem & gratiã, ſed naſcendo fecit Matrem Dei; quæ Maternitas Divina præ gratiarum & donorum prærogativâ ita elevatur, ut omnium creaturarum dignitates longè antecellat; cùm Deus potentiâ ſuâ abſolutâ, juxta S. Thomam c, aliquid maius eâ non poſſit moliri. Et ſicut mirabilia nativitatis æternæ Filii Dei includuntur in Paternitate Divinâ; ita in nativitate temporaneâ, eius mirabilia continentur in Maternitate Divinâ.

Ill. Pet.

a D. Aug. Serm. 1. de Epiph. ſeu 30. de Tẽp.
b Ioan. 1. 12.
c S. Thom. 3. p. q. 25. a. 6. ad 4.

Sed proferamus, ſi placet, unicum reflexionis verbum ſuper hanc ternam partem. Jeſus Chriſtus *in præſepio* † adoratur ab Angelis, agnoſcitur à Paſtoribus, & ſummos honores ſuſcipit à Regibus terræ*; ut edoceat nos quantam debeamus ipſi exhibere reverentiam. Et ſicut Filius Dei duas habet nativitates, alteram *in ſinu Patris* d ſui æterni à totâ æternitate, quæ nativitas eſt abſolutè infinita; alteram verò in ſinu Sanctiſſimæ Virginis Matris ſuæ *ubi venit plenitudo temporis* ‡, quæ omnia verba præcellit, omneſq; noſtras prætergreditur cogitationes, cùm Deus aliquid eâ maius potentiâ ſuâ abſolutâ non poſſit efficere; debemus illum producere in animabus noſtris, ipſique tertiam procurare in noſtris cordibus nativitatem, ſummumque in nobis laborem impendere, *donec formetur Chriſtus in* e nobis, humilibus noſtri ipſorum exiſtimationibus, ſinceris affectionibus, puris intentionibus, & ſupremis adorationibus, quas exhibebimus Divinæ ipſius majeſtati, cujus fruitio futura eſt tota noſtra fœlicitas in gloria f paradiſi.

† L. [illegible] &
* M. [illegible] &c.
d Io. [illegible]
‡ Galat. 4. 4.
e Galat. 4. 19.
f Pſ. 16. 15.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Non eſt inventus ſimilis illi. Eccli. 44. 20.

ADmittitur in Philoſophia axioma univerſim ſumptum, cui nemo niſi parùm rationis compos poſſit contradicere, quo dicitur, *Primum in unoquoq; genere, eſt regula & menſura cæterorum.* Quâ ſcilicet dirigenda ſint omnia inferiora ſub ipſo primo contenta. Si verò juxta hanc maximam ſcire velit quis, qualis & quanta ſit Sanctorum vel æternâ felicitatẽ per gloriam fruentium a, vel in terrâ degentium, & Deo per gratiam unitorum b, magnitudo; intuendus eſt glorioſus Chriſti Protomartyr S. Stephanus, qui eſt primus c, regula & menſura Martyrum. Altiſſimus amoris gradus eſt mors atque martyrum: Nobiliſſimus verò martyrij gradus eſt, ut quis ſit primus, & quem non præceſſerit exemplum, cui poſſet ille ſe conformare. Juxta hanc conceptionem auſim dicere S. Stephanum præ omnibus aliis Martyribus maximâ virtute, maximo amore erga Deum, & ingentiſſimâ charitate erga proximos ſuos inimicos præditum, & conſequenter eorum omnium nobiliſſimum, poſt Virginem Deiparam, cujus *animam gladius* d doloris pertranſivit in monte Calvariâ, quæ ideo vocatur *Regina Martyrum.* Sed ſi *iuxta crucem* e compatiens morienti Filio ſuo, martyrium paſſa eſt; longo tempore anteà gaudio perfuſa fuerat ad vocem Angeli dicentis ipſi, *Ave Maria.*

a Iſai. 58. 11.
b Ioan. 1. 12.
c Act. 7. 58. &c.
d Luc. 2. 35.
e Ioan. 19. 25.

Vt ſciamus certò utrùm aliquis unquam *inventus ſimilis* fuerit alteri, comparandi ſunt alij cum eo, cujus egregias virtutes & præclara facinora propalare volumus, & encomijs extollere; & obſervandus eſt Hiſtoriographorum procedendi modus antiquorum comparantium vel Magnates Græcos cum Imperatoribus & Ducibus Romanis; vel æquiparantium Oratores Græciæ eloquentiſſimos cum facundiſſimis Rhetoribus Romanorum. Roma habet Cæſares, Pompeios, Scipiones, Martes & fulmina bellica; non eſt diffitendum: Sed Græcia poſſidet Alexandrum, qui omnes iſtos præcellit illuſtres Viros. Roma habet quidem Catones, Fabios, Cicerones, oracula juſtitiæ, æquè ac eloquentiæ: At Græcia habet Demoſthenem illorum omnium longè ſapientiſſimum, & facundiſſimum Oratorem. Pari modo allegare poteritis: Antiquum Fœdus habet Abrahamos f, Iſaacos g, Jacobos h, Moyſes i, Joſues k, Davides l, Salomones m, Prophetas n, & Machabæos Duces o. Verum quidem eſt: Sed novum Teſtamentum habet S. Stephanum, qui omnes iſtos illuſtres antecellit viros.

f Gen. 12. 1. &c.
g Ibid.
h Gen. 28. 5. &c.
i Exod. 3. 2. &c.
k Ioſue 2. 1. &c.
l 1 Reg. 17. 34. &c.
m Eccli. 16.
n Iſai. 1. 1. &c.
o 1. Mach. 2. 2. &c.

Et ſicut Rex Saül miſſurus David ad ſingulare certamen cum Goliath incundum, unde pendebat tota Iſraëlitici felicitas populi, armis illum ſuis auratis æquè ac validis ornavit: Ita Chriſtus miſſurus in arenam S. Stephanum adverſus ſui Nominis inimicos, munivit eum omnibus armis ſuis, ſimul atque Sanctorum. Si enim Deus armavit Patriarchas ſpe p, Prophetas fide q, Apoſtolos Spiritu ſancto r,

p Rom. 4. 18 ex Gen. 17. 4.
q Rom. 11. 17 &c.
[illegible] 20
r Act. 2. 4.

Martyres fortitudine ſ, Doctores ſapientiâ t, Confeſſores ſanctitate & contemptu mundi u. & Virgines puritate Angelicâ x; Audite quomodo de S. Stephano loquatur S. Lucas y; *Plenum fide & Spiritu Sancto.* Et, *Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine.* Patriarchæ, Prophetæ audite, *Plenum fide.* Non dicit, *Fidem ſicut granum ſinapis* z, ſicut intuitu illorum Sanctorum, ſed, *Plenum fide, & Spiritu ſancto*, more Apoſtolorum: *Plenus fortitudine* ſicut Martyres; *Plenus* ſapientia & ſcientiâ, ut Doctores; *Plenus* ſanctitate, ut Confeſſores; *Plenus* puritate, ut Virgines. Herodes in faciem reſiſtit S. Ioanni Baptiſtæ, cui nemo poterat æquiparari a, illumque decollari præcepit b; & de Judæis ait S. Lucas c, *Non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui, qui loquebatur.* S. Bernardus d, *Ave, inquit fortitudo Domini, plena gratiâ* e, ſubiungit his verbis. *Quid autem de Stephano? Stephanus plenus gratiâ, & fortitudine. Nonne Lucas eiſdem penè literis de utriſque eloquitur? Sed licèt longè excellentior modus in Virgine prædicetur, ſecundariò tamen laudatur in Martyre. Habet igitur gratiam Stephanus ſublimiori genere, quàm reliqua Martyrum multitudo.* Concludit igitur S. Bernardus primum poſt Chriſtum & Virginem Deiparam eſſe hunc invincibilem Ducem Martyrum eiuſdem Jeſu Chriſti. Ego autem oſtendam vobis in hoc diſcurſu, Quòd *non eſt inventus ſimilis* ullus S. Stephano.

Incipientibus nobis elogium glorioſi noſtri Protomartyris, & viſuris quonam modo *non eſt inventus ſimilis illi* ullus, primâ fronte ſeſe offert Protoplaſtus Adamus omni perfectionis genere adornatus, & plenè conſummatus, qui tamen vel unico pomi impetitus ictu, arma deſeruit, & tergum ſtatim vertit, ut ait S. Bernardus f, Qui, id eſt, diabolus *Protoplaſtum dolo captum expulit de paradiſo.* S. Stephanus grandi ac numeroſâ lapidum grandine impetitur, & ſimul opprimitur, cùm illorum violentia ipſi vitam eripiat; nec tamen paradiſum amittit; quin imò illum invadit, & veluti partem muri oppoſitu diſiicit, & ruinis patefacit, *Ecce video cælos apertos.* Abel innocens eſt internecione deletus manu ſanguinaria fratris ſui natu maioris Caini, ſed ſanguis ipſius vindictam poſtulavit, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ* g. D. verò Stephanus veniam petit pro occiſoribus ſuis, & ſanguis ipſius vindictam penitus ignorat, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Henoch tranſlatus fuit in paradiſum h; verum eſt; ſed mortuus non eſt, quod ipſi fuit facile: At S. Stephanus in cœlum tranſlatus fuit; ſed priùs lapidibus obrutus. Noë totum orbem diluvij tempore ſalvavit i, benè quidem: Sed erat in loco aſyli, in arca conſtitutus: Atqui D. Stephanus diluvio lapidum immerſus eſt, & viam paradiſi pandit univerſis fidelibus. Abraham ſacrificavit *filium ſuum*, & Iſaac caput ſuum gladio huius patris ſui obtulit præcidendum k; nemo de hoc dubitat; ſed uterque duntaxat bona voluntate, quam nullus ſecutus eſt effectus: Sed D. Stephanus obtulit caput, corpus, vitam, & omnia, ac realiter illa immolavit univerſa. Jacob inter lapides vidit cœlos patefactos, & *Angelos*, non ſecus ac S. Stephanus; ſed dormiens ſuaviter l, nullo ictu lapidis impetitus. At S. Stephanus inter lapides *obdormivit in Domino.* Viditque cœlum, & Angelos; ſed illi lapides ipſi vitam eripuerunt. Ioſeph *in carcerem* coniectus eſt m, iam cruci ſuffigendus, eò quòd noluiſſet lubricis Dominæ ſuæ veræ inferorum furiæ acquieſcere deſideriis: nullus de hoc ambigit; ſed inde egreſſus eſt præ tanto honore n, ut primus poſt Pharaonem Regem, cuius cor ipſe poſſidebat, & authoritatem ſibi conciliaverat, dominaretur in tota Ægypto, in eaque ut parvus Deus adoraretur, & vocaret *eum* idem Pharao

ſ Hebr. 11. 33. &c. t Eccl. 15. 5. u Eccl. 31. 8. x Sap. 4. 1. y Act. 6. 5. & 8. z Luc. 16. 6.
a Matth. 11. 11. b Marc. 6. 26. &c. c Act. 6. 10 &c. d D. Bern. Serm. de S. Stephan. e ex Luc. 1. 28. Propoſitio
f S. Bern. Epiſt. 1. ex Gen. 3. 4. &c.
g Gen. 4. 8. & 10. h Gen. 5. 24 i Gen. 7. 23 k Gen. 22. 10. l Gen. 28. 13. m Gen. 39. 20 &c. n Gen. 41. 14 &c.

Salvatorem mundi. S. Stephanus, eò quòd renuiſſet obedire Synagogæ Dominæ ſuæ, lapidibus obruitur, & ſanguine cruentatur. Samſon maxillâ *aſini* occidit inimicos ſuos o, *leonem* lacerat p; carcerem ſuum dorſo ſuo imponit, & mirabilia operatur q: Sed D. Stephanus non occîdit inimicos ſuos; è contrà generosè mortem ſuſtinet; nec lacrymis Dalilæ r, nec precibus acquieſcit Synagogæ ſ. Joſue clangore tubarum evertit mœnia Jericho t: Et Gedeon teſtas frangens, & *lampades* accenſas oſtendens, vicit inimicos ſuos u; ſed neuter amborum mortuus eſt: S. Stephanus *ſeptem iubilæorum* x tubis cecinit, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*; & confregit teſtam corporis ſui, & ſui cordis ardentis accenſam oſtendit lampadem; non evertit quidem inimicos ſuos, ſed potiùs eos convertit y.

Obliviſcor Moyſis, qui mare rubrum traiicit z; qui petras percutit, ex quibus aquas emanare facit a; qui populum ducit Iſraëliticum in paradiſum terreſtrem terræ promiſſæ b; ſed mortuus non eſt: At S. Stephanus tranſiit mare rubrum ſanguinis ſui, lapidibus percuſſus; oſtendit paradiſum apertum terræ promiſſæ, *Ecce video cælos apertos.* Quid dicetis de Job patientiæ miraculo c, & viro incomparabili? Tamen cùm *uxor ſua* iniurias ipſi irrogavit, & in ipſum maledicta coniecit d; ſicut & cùm ipſius amici, verba quædam indiſcreta ad ipſum direxerunt e; illos omnes acriter obiurgavit f; ſed mortuus non eſt: S. Stephanus oravit pro inimicis ſuis, & infernum ad certamen invitavit. David unico ictu lapidis Goliath obruit, deiecit, *præciditque caput eius* g. Facilius autem eſt lapidare alios, quàm lapidari, ut S. Stephanus lapidatus eſt. Salomon ædificandum iuſſit Deo templũ lapidibus ita ſpecioſis, ut ad eos quadrandos & diſponendos *malleus & ſecuris non* ſunt *audita in domo, cùm ædificaretur* h. S. Stephanus ſenſit ictus petrarũ, & lapides pretioſos collegit candidos & rubicundos, & aliud fecit templum, unde rectà tendebatur ad paradiſum; & ſi dici liceat, *Et ecce pluſquàm Salomon hîc* i. Et pluſquàm omnes alii ſupradicti.

Ulteriùs progredior, & S. Stephanum comparo cum S. Petro; ipſe eſt Apoſtolorum facilè Princeps, & petra, *Et ſuper hanc Petram Eccleſiam* ſuam ædificavit Chriſtus, *Et claves regni cælorum* k commiſit eidem vel aperiendi, vel claudẽdi ad libitum. Quid dicam hoc in occurſu, niſi id, quod in gratiam D. Stephani ait D. Chriſologus l? *Petrus Apoſtolici chori vetuſtum teneat principatum, aperiat intrantibus regnũ cælorum: Stephanus eſt Martyrum primus, Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini ſui adhuc calente Sanguine ſuum ſanguinem avidus bellator effudit. Verè quem præſcivit & prædeſtinavit, ipſum nunc martyrij primum vocavit* m *ad gloriam.* Quid enarrabo? S. Petrum fugiſſe n? Quid dicam? Ipſum ſuper aquas incedentem, tremore correptum, & parùm abfuiſſe quin ſubmerſus eſſet, niſi ſuccurriſſet ipſi Dominus o? At S. Stephanus manet intrepidus, tergũ non vertit, generosè certamen ac conflictum ſuſtinet, pro carnificibus ſuis orat, incedit ſuper undas ſanguinis ſui abſque aliquo timore, nulloque eſt attonitus ſtupore; & ideò *non eſt inventus ſimilis ille.*

Deſeramus terrã, & aſcendamus ſuper firmamentum; & intuebimur S. Paulũ *raptum uſq; ad tertiũ cælũ*; videbimus *quoniã raptus eſt in paradiſũ: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* p. Fuit hoc D. Paulo vice prærogativæ conceſſum, ſed ſanè non fuit martyrium: S. Paulus fuit diſcipulus S. Stephani, & filius lacrymarum ipſius, *non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum* q. Vidimus S. Paulum *raptum uſque ad tertium cælum.* Sed cœli rapiuntur ut veniant viſum S. Stephanum; totus aperitur paradiſus; omnes Angeli è feneſtrâ, ſeu, ſi velitis, è ruinis eiuſdem paradiſi à

o Iudic. 15. 15. p Iudic. 14. 6. q Iudic. 16. 3. & 30. r Iudic. 16. 16. ſ Act. 6. 9. &c. t Ioſue 6. 20. u Iudic. 7. 19. x Ioſue 6. 6. y Act. 9. 6. &c. z Exod. 14. 29. &c. a Num. 20. 11. b Exod. 15. 22. &c.
c Iob. 1. 1. d Iob. 2. 9. e Iob. 2. 4. & 1. & 2. f Iob. 10. &c. 12. & 13. g 1. Reg. 17. 49. &c.
h 3. Reg. 6. 7. i Matth. 12. 42.
k Matth. 16. 18. 19. l S. Chryſol. ſerm. 154.
m ex Rom. 8. 29. & 30. n Matth. 26. 70. o Matth. 14. 31.
p 2. Cor. 12. 2. & 4. q Matth. 10. 24.

S. Stepha-

S. Stephano patefacti, intuentur ſtupore attoniti juniorem Diaconum, qui inter lapidum turbinem Deum laudat corde ſic alacri & læto, ac ij qui gloriâ potiuntur æternâ r. Iſtud habere videtur Sapiens, quo Deum videatur antecellere, eò quòd ille pro Deo poſſit perpeti: Deus verò non poſſit ſ. Sed dicamus melius, & veriùs: Homo habet quo Angelos ſuperet; quia homo pro Deo mortem pati poteſt atrocem, cùm iſto priventur honore Angeli. Quoad verò Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ipſe oſtendit effatum ſupradictum ore cuiuſdam Ethnici pronunciatum, non eſſe uſquequaque verum; ipſe enim exhibuit admirationem excellentiſſimæ charitatis ſuæ, quâ pro homine mortem omnium maximè infamem ac atrocem paſſus eſt; *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt* t. S. *Michaël cum dracone* u prælians in cœlo, dixit tantùm, *Quis ut Deus.* Sed nihil perpeſſus eſt: S. Stephanus verò in medio clamat lapidum, *Quis ut Deus?* & mori poteſt, vinci autem non poteſt; cùm S. *Michaël & Angeli* eius omnes ſint concuſſionibus imperuij. Idcircò *non eſt inventus ſimilis illi.*

r Pſ. 88. 5. ſ Pſ. 90. 10. t Rom. 5. 8. u Apoc. 12. 7.

Sed nonne quæſo, imprudentiæ & inſignis temeritatis inſimulabor, ſi ulteriùs adhuc progredi non verear? Neutiquam, cùm Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt *Veritas* x infallibilis & per eſſentiam, aſſeveret, *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet* y. Eum, qui crediturus eſſet in ipſum, opera facturum operibus ipſius conformia, imò verò maiora. Sed quomodo maiora? Vultiſne ſcire quomodo? Ratio iſtius eſt, ait S. Auguſtinus z, quia moriens Saulum convertit à Judaiſmo ad Chriſtianiſmum; *Nam ſi S. Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Cùm Chriſtus Verbum Divinum annunciat, unuſquiſque ei contradicit a. Dicens S. *Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, decollandus præcipitur, & allatum eſt *caput eius in diſco* b. De S. Stephano autem dicitur, *Non poterant reſiſtere ſapiētiæ, & Spiritui qui loquebatur.* Cùm pergebat Chriſtus ad mortem, ſudorem ſanguineum c emiſit præ triſtitia, dicens; *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* d. De S. Stephano verò dicitur, *Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Cœlum obſcuratum fuit in morte Domini noſtri Jeſu Chriſti e; Sed in morte S. Stephani gloriam ſuam exhibebat; & paradiſus ruinis patefactus, apertus eſt ac oſtenſus: ita ut placuerit Deo per S. Stephanum agere ea quæ per ſemetipſum agere noluerat. Sed tamen ipſe ſemper eſt, qui ea peragit; & per ipſum ea S. Stephanus operatur; & ſic tota eorum gloria ipſi Deo eſt attribuenda.

x Ioan. 14. 6. y Ioann. 14. 12. z D. Aug. Serm. 1. de S. Steph. c. 4. a Ioan. 10. 24. &c. b Marc. 6. 18. &c. ex Levit. 18. 16. c Luc. 22. 44. d Matth. 26. 38. & Marc. 14. 34. e Luc. 23. 45.

Re verâ non eſt diffitendum, hunc eſſe actum magnanimitatis incomparabilem ac pro ſuis orare carnificibus, quod ſolus feciſſe videtur D. Stephanus, dicens, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*, exemplum ſecutus Domini ſui Patrem æternum obſecrantis, & rogantis veniam inimicis ſuis indulgendam, *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* f. Ubi obſervandum obiter, ad efficiendum hominem magnanimum tria requiri, ſapientiam, fortitudinem, & generoſitatem. Fortitudinem, ad ſuperandas omnes difficultates quæ occurrunt in executione conſiliorum magni momenti. Generoſitatem ad ea ſuſcipienda. Et ſapientiam ad cognoſcenda media idonea, quorum interventu fœlicem quis eorum fortiatur effectum. Si verò hæc tria requirantur ad perficiendam & executioni mandandam aliquod gravis momenti conſilium, & ut poſſit quis magnanimus vocari; quis non videat id eſſe ideam S. Stephani, qui tribus his qualitatibus mirificè præditus fuit, ratione quarum jure merito dicendus ſit incomparabilis? *Non eſt inventus ſimilis illi.* Auſus eſt Quidam aſſerere, honorem & magnitudinem, totam eſſe animæ rationalis felicitatem. Sed re verâ longè hallucinatus eſt, illiuſque ſententia explodenda eſt, cùm illæ qualitates ſint veluti ejus ancillæ, quæ idcircò nullo modo poſſint eam beatam efficere, neque ejus felicitatem conſtituere; *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*, ait Deo S. Auguſtinus g. Sola virtus eſt animæ cibus & felicitas: & ſicut nulla eſt virtus ſine gratiâ, quæ eſt participatio *Divinæ Naturæ* h, & ubi altera invenîtur, altera etiam copioſiùs participatur; cùm S. Stephanus abundantiâ gratiæ perfuſus fuerit, *Stephanus plenus gratiâ*, virtutibus conſequenter inſignitus fuit omnibus, quæ ipſum incomparabilem efficiunt, ita ut de ipſo dicere poſſimus, *Non eſt inventus ſimilis illi.*

f Luc. 23. 34. g S. Aug. lib. 1 Cōf. c. 1. h 2. Petr. 1. 4. &c.

Virtutem poſſedit patientiæ in tolerantijs ſuis. S. Thomas i ait, virtutem patientiæ conſiſtere in ſuperandis difficultatibus, quæ occurrunt inter exequenda bona conſilia; *Patientia eſt virtus, quâ bonum rationis conſervatur contra triſtitiam, ne ei ſuccumbat.* S. Stephanus oſtendit patientiam ſuam, cùm omnes conatus inimicorum ſuorum fecerit irritos, *Impetum fecerunt unanimiter in eum*, invictuſque permanſerit, nullo modo illorum violentiæ ſuccumbendo; & ſic effectus eſt jucunda Divinæ Majeſtati hoſtia. Vt jucunda ſit victima tribus debet ornari qualitatibus, eſſe vivens, cognoſcens, & gratias agens. Nulla gratior eſt victima S. Stephano, qui copioſè tribus his illuſtribus inſignitus fuis titulis. Viventis; vivit gratiæ, quæ ipſi animos addit & fortitudinem, ac triumphos comparat, *Stephanus plenus gratiâ.* Cognoſcentis; inſanus quippe & mente captus, qui ignorat quid agat, Deo placere nequaquam poteſt: S. Stephanus eſt cognoſcens; *Conſiderate ex vobis viros plenos ſapientiâ, Et elegerunt Stephanum.* Gratias agentis; gratias agit Deo ob honorem, quo inſignitur, ut pati poſſit; *Poſitis autem genibus.* Imitatur Chriſtum primam hanc Regulam, ſeque veluti regulam proponit, quam ſequantur Martyres, *Qui erat diſcipulus gradu, Magiſter cœpit eſſe martyrio. Mortem enim, quam dignatus eſt Salvator pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori*, ait S. Auguſtinus k. Vnde vocare poſſumus eum veluti formam Martyrum. *Forma dat eſſe rei.* Et eſt cauſa omnium proprietatum & qualitatum, quæ pendent ab ipſa. Hæc magnanimitas S. Stephano provenit ex commiſtione proprij ſanguinis cum Sanguine Chriſti recenter effuſo, cùm ſit primus Martyrum. Vnus è militibus cujuſdam exercitus, intuitus aliàs Ducem ſuum in bello vulneratum, & hoſtes in illum irruentes, eum amplexus ut à morte tutaretur illum, proprium ſanguinem cum Ducis ſui ſanguine miſcuit, & morientes hoc in amplexu vitam ſimul ambo profuderunt. S. Stephanus intuitus honorem Chriſti Domini ſoi læſum, vitam ſuam exponit pro eo tuendo, eamque profundit, *Impetum fecerunt unanimiter in eum.* Propriumque ſanguinem cum Sanguine Ieſu miſcet. Gutta vini in mare projecta, ſuam amittit qualitatem, & ſumit qualitatem aquæ, quæ cùm ſit fortior, debilius in ſe convertit. Aqua in calice convertitur primò in vinum, ſecundò in Sanguinem Chriſti l; ita ſanguis S. Stephani in Sanguinem Ieſu ut fortiorem; & inde pretium ſuum educit, & ſic potenter influit poſt Chriſtum exemplo ſuo; cùm dicat de Chriſto S. Auguſtinus m, *Parum erat Dominum hortari Martyres verbo, niſi firmaret exemplo.*

i S. Thom. 2. 2. q. 136. a. 1. in corp. k S. Aug. ſerm. 3 de S. Steph. l Matth. 26. 28. m S. Aug. ſerm. 1.

Videtur hic locus Iob n de ſolo D. Stephano ſcriptus, *Dabit pro terrâ ſilicem; & pro ſilice torrentes aureos.* Ha! Quàm copioſam impertitur Deus laboribus & pœnis pro amore ipſius ſuſceptis mercedem! imò verò efficit ut ipſa merces præcedat merita, & obſequia anticipet. Cùm enim de concedendis agitur beneficiis, ipſe primum vult obtinere locum, & partes ſibi vendicare principes; huiuſque gloriæ ita cupidus eſt, ut vel in ipſis, quæ ipſi tenentur exhibere homines, penſis & obligationibus, velit ut ipſum præmium antecedat obſequia, ut videmus in D. Stephano, qui cœlos intuetur apertos, antequàm ſuum ſanguinem cū Chriſti Sanguine miſceat, & vitam reddiderit ei, à quo his ambobus donatus fuerat. Præceperat *Deus* Abrahæ ut immolaret ſibi ſuum *filium unigenitum Iſaac in holocauſtum* o. Sed cùm omnibus jam ad ſacrificium executioni mandandum paratis, elevaſſet Patriarcha brachium ad illud perficiendum, iuſſit eidem Deus ut à ſacrificio deſiſteret peragendo. Quare hoc? Ratio iſtius eſt, quia videbatur vereri Deus ne opus mercedem anticiparet, cùm operis non abſoluti, ſed inchoati duntaxat mercedem ſuſceperit Patriarcha. D. Paulus p dignè & laudabiliter hanc mercedem Patriarchæ impenſam expreſſurus, ait *Accepit eum in parabolam.* Illum, cùm duxiſſet filium ſuum ad altare ſacrificij, ibi immolandum, eundem filium inde reduxiſſe tantâ gloriâ inſignitum, ut dignus fuerit qui foret figura Filij Dei in Paſſione ipſius, & veluti alter Chriſtus myſticus. Et hoc eſt quod innuunt hæc verba, *Opera enim illorum ſequuntur illos* q. Licèt videantur ipſa obſequia mercedem exigere, nihilominùs non vult Deus ut ipſa præcedant, ſed ut Iuſtus progrediatur, & mercede donetur, & poſteà virtutum incumbat operibus; quia Deus ita promptus eſt atque velox in benefaciendo, ut mercedem obſequio præmittat, ſic ut obſequium ſequatur mercedem. Ideò *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius* r. *Quid eſt aſpexit?* petit D. Chryſoſtomus ſ. Et reſpondet ipſe: *Id eſt, approbavit, laudavit mentem, coronavit voluntatem.* Antequàm Abel ſua obtuliſſet ſacrificia, eorumdem mercede donatus fuerat, quia Deus ipſius coronaverat voluntatem, qua terminabatur ſacrificium, quod ipſi offerebat Abel ex pinguiſſimis proventuum ſuorum adipibus.

Propter hanc rationem inſtituit Chriſtus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ante mortem ſuam t, non autem poſt Reſurrectionem ſuam. (Omiſſis quatuor rationibus citatis in indice generali Summæ D. Thomæ, ubi dicitur; *Conveniens fuit & neceſſaria inſtitutio Euchariſtiæ in cœnâ Domini, non autem antè, nec pòſt, quatuor rationibus, Scilicet primò, Quia ad perfectionem noſtram exigebatur, ut Caput* u *noſtrum etiam realiter nobis iungeretur: Secundò, Quia tunc inſtitui debet, quando figura veteris Legis terminanda erat* x: *Tertiò, Ratione repræſentationis Paſſionis Chriſti: Quartò, Ex ritu, quo frequentendum eſt hoc Sacramentū, & ultimò traditum magis memoria teneretur;* quæ ad noſtrum non faciunt propoſitum) idem D. Thomas y ait: *Chriſtus non modò ſui Corporis Sacramentum inſtituit ſumendum alijs, ſed etiam ipſum ſumpſit. Quamvis autem gratia non fuerit Chriſto augmentata ex ſuſceptione huius Sacramenti; habuit tamen quandam delectationem ſpiritualē in novâ inſtitutione huius Sacramenti.* Maxima virtus Euchariſtiæ, quæ ſuavitatem afferat illi, qui eſt ipſa ſuavitas z; quæ conſoletur eum, è quo emanant omnes conſolationes a; quæque lætificet illum, è quo omnia oriuntur gaudia b! Hæc autem Communio ita fuit myſtica, ut auſim dicere, bonâ veniâ D. Thomæ, illum etiam communicaſſe, ut ſatisfaceret mercedi Paſſionis & Mortis ſuæ, ut oſtendo. Duplex in Deo conſideratur Iuſtitia, punitiva,

n Iob 22. 24
o Gen. 22. 2, &c.
p Hebr. 11. 19.
q Apoc. 14. 13.
r Gen. 4. 4.
ſ S. Chryſoſt. Hom. 18 in c. 4 Gen.
t 1. Cor. 11. 23 &c.
u ex Epheſ. 5. 29.
x ex Exod. 12 &c.
y S. Thom. 3 p. q. 81. a. 1. in corp. & in reſp. ad 3.
z Pſ. 33. 9.
a Pſ. 93. 19
b Iſai. 65. 18

& diſtributiva. Punitivæ exactiſſimè ſatisfactum fuerat Morte Filii Dei. Supererat ut diſtributivæ fieret ſatis. Huic ſatisfieri non poteſt niſi mercede pretij infiniti, præmio Paſſionis & Mortis Chriſti. Offerre ipſi præciſè redemptionem animarum omnium, hæc merces non eſt infinita, & conſequenter non habet proportionem cum magnitudine & meritis ipſius. Quæ merces igitur invenietur hoc digna beneficio? Oportet ut Dei Filius ſit merces Iuſtitiæ diſtributivæ impendenda, ut communicet ſemel, & recipiat vice mercedis infinitæ ſuum Corpus Sacramentaliter, ut ſit Redemptor c hominum. Non poterat igitur inſtituere hoc Sacramentum poſt mortem ſuam, cùm iā antè illud inſtituiſſet. Sed quare inſtituit illud Chriſtus ante Paſſionem & Mortem ſuam? Ratio iſtius eſt, Quia Pater æternus voluit ut merces obſequium præcederet. Moriturus quippe Dei Filius, inſigne Patri ſuo rependit obſequium Morte ſuâ, idcircò ante hanc Mortem Pater æternus mercedem ipſi largitur infinitam, præbens ipſi proprium ipſius Corpus in Sacramentum. Ideò S. Matthæus d loquens de inſtitutione huius ſacri myſterij fidei, ait, *Accepit Ieſus panem.* Sed à quo, quæſo, Dei Filius illum ſuſcepit? Sanè eum debet accepiſſe à ſuo Patre æterno e. Nihil eſt certius, Dei Filium accepiſſe panem à ſuo Patre æterno, ut illum conſecraret, quod patet ex iſto loco S. Joannis f; *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo; ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Noluit Pater æternus ut Filius ſuus pateretur dolores & ignominias mortis, quin priùs mercede ipſi debitâ donatus fuiſſet. Ita ut Dei Filius communicans, & ſumens ſanctiſſimum ſuum Corpus in Sacramentum, priùs ſuſceperit mercedem ob tormenta & mortem, quæ pro redimendis paſſurus erat hominibus; quæ tormenta & mors ita Patri æterno fuerunt iucunda, ut ea à mercede anticipari voluerit, idcircò panem in manibus Filij ſui poſuit ante mortem, ut illum conſecraret; & ſic ante tormenta Paſſionis ſuæ præmio laborum ſuorum donaretur omnium.

Pſalmographus g ait; *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Deus gloriæ meæ, & pœnarum laborumque meorum. Videtur, ni fallor, & ſalvo meliori iudicio, dicere debuiſſe David, *Dominus pars calicis mei, & hæreditatis meæ,* Deus pœnarum laborumque meorum, & gloriæ meæ. Quia poſt pœnas toleratas, & exhauſtas tribulationes propter amorem, præbetur acceſſus ad gloriam, quæ coronatura eſt omnia bona opera noſtra & merita noſtra, & miſeriis noſtris finem impoſitura, cunctis laboribus noſtris terminos præfigendo h. Hanc non obſervat Deus regulam: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris; & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* †. Sed vult ut dicatur: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Deus meæ fœlicitatis, & deinde, pœnarum mearum; ut ſciat unuſquiſque hunc eſſe ordinem à Divinâ Providentiâ i ſtatutum, ut obſequia exhibenda mercedes ipſæ præcedant ac anticipent.

Hanc videmus veritatem omnino manifeſtam in perſonâ D. Stephani, qui patentes intuetur cœlos, antequàm certamen, quod ingreſſus fuerat, abſolverit, curſumque ſibi præfixum conſummaverit; *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Sed videte ipſius finem, & curſus ipſius conſummationem. Genua flectit, pro perſecutoribus & pro carnificibus ſuis Deum orat, oculos ſuos & cor ſuum in cœlum dirigit, & poſteà moritur: *Domine Ieſu,*

c Apoc. 1. 5
d Matth. 26. 26.
e Pſ. 77. & 109. 1.
f Ioan. 6. 32.
g Pſ. 15. 5.
h Apoc. 21. 3. & 4. et Iſai. 25. 8.
† Iſai. 55. 8. & 9.
i Sap. 8. 1.

Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens; Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino. Ha! Felicem ſomnum, quem comitatur requies! Beatam requiem, quam ſequitur iṁediatè poſt voluptas! Voluptatē, à quâ inſeparabilis eſt ſaturitas! Saturitatem, cujus comes individua eſt ſecuritas! Securitas, cui unitur immediatè ſumma felicitas æterna! O finem beatum! O mortem gloriâ infinitâ, & voluptate ineffabili redundantem! O gloriam & voluptatem penitus incomprehenſibiles, ſed quas
k Pſ.16.15. guſtabimus ad deſiderium & ad ſatietatem k, cùm Divina Bonitas acceſſum nobis præbuerit ad magnificos theſauros ſuos! S. Stephanus adimplet in ſuo corpore ea, quæ deerant Paſſioni Chriſti, dicens, ſicut deinceps dixit S. Paulus l, *Adimpleo ea, quæ de-*
l Coloſſ.1. 24. *ſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ.* Id eſt, per meam lapidationem. Cùm eſſet jam jam lapidibus impetendus à Judæis *Ieſus abſcondit ſe, & exivit de tem-*
m Ioan.8. 59. *plo* m. S. autem Stephanus id adimplet in ſuo corpore, lapidatus pro tuenda veritate, ut charitatem ſuam maximè commendaret: & ſic *non eſt inventus ſimilis illi.* Charitatem igitur, ut omnia uno complectamur verbo, in ſupremo perfectionis poſſedit gradu, quæ ipſum reddit omnino incomparabilem; quæ faſtigium eſt & apex omnium virtutum, quibus impertitur ipſa ſplendorem, & ſine qua virtutes forent virtutes vacuæ, virtutes inanimatæ, virtutes ſine virtutibus n. Hanc virtutem uno ſibi comparat
n 1.Cor.13. 1, &c. greſſu. In perfectionem tendimus per gradus; in ea conſequenda attenditur primò initium, deinde progreſſus, tandem conſummatio. Ut pergatur ex hac cathedra ad januam Eccleſiæ, V. g. incipiendum eſt hinc, progrediendum per ſpatium interjectum, & tandem perveniendum ad finem. Ita in virtute admittuntur incipientes, progredientes, & perfecti. Sed S. Stephanus non aſcendit per gradus, ut ad charitatis perfectæ apicem ſibi pandat viam, ſed uno greſſu faſtigium illius attingit ac conſummationem. Cum enim familiares amicorum ſuorum miſerijs & adverſitatibus implicatorum obliviſcuntur, tunc S. Stephanus pro ſuis orat inimicis & velut ſuîpſius obliviſcitur; ſtat, pro ſe orans, *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Et genua flectit, pro inimicis ſuis deprecans, *Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino.* Quare hunc clamorem emittit, & poſteà moritur? Ratio iſtius eſt, Quia ipſe nihil perfectius efficere poterat, quod deſiderari valeat in homine, qui tendit ad perfectionem: cùm ergo non inveniat quò ulteriùs poſſit progredi, idcircò oportet ut moriatur.

S Stephanus vocatur à S. Auguſtino o Barba
o S. Aug. l. 2. cont. Literas Petiliani. c. 104. Chriſti, *Caput eſt ipſe Salvator corporis, de quo Apoſtolus p ait, Et ipſo eſt Caput corporis Eccleſiæ Per barbam non incongruè fortitudo intelligitur. Ergo ad eos, qui ſunt fortes in Eccleſia ejus, & adhærent ori ejus, ut ſine*
p Coloſſ. 1. 18. *timore prædicent veritatem, ab ipſo Chriſto tanquam à Capite ſanctum deſcendit unguentum, id eſt, ſanctificatio ſpiritualis.* Filius Dei procedens ex intellectu Pa-
q Pſ.44.2. tris, eſt *Verbum* q ipſius. Verbum egreditur ex ore; ſicut autem eſt unguentum omnino Divinum ex ore prodiens, primò barbæ communicatur, deinde toti corpori, *Sicut unguentum in capite, quod deſ-*
r Pſ.132.2. *cendit in barbam, barbam Aaron* r. Jeſus Chriſtus eſt
s Ioan. 1. 17. Caput gratiæ s, unde ipſa defluit velut ex ſua origine ſuper omnes fideles, qui ſunt mébra *corporis* ipſius myſtici; S. Stephanus eſt velut barba, quæ totum hoc corpus odore perfundit bono, idcircò eſt totus gratiâ repletus, *Stephanus autem plenus gratiâ.* S. Paulus vocatur vas electionis à S. Luca t, *Vas electionis eſt mihi iſte.* Quid eſt t Act.9.15.
hoc? Nonne quia portaturus erat nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti? *Ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël* u. Triplex eſt vas u Ibid.
electionis. Primum, eſt Jeſus Chriſtus, qui electus x Rom.1. 4.
fuit quoad humanitatem ſuam, *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute* x. Secundum, eſt S. Stephanus. Tertium, eſt S. Paulus. Atqui cùm vas aliquod balſamo, aut pretioſo alio liquore repletum eſt, ſi eo velis aulam, aut cubiculum aliquod reſpergere, non ſinitis ut paulatim & per guttas ex ipſo exeat vaſe, ſed ipſum vas infringitis, & ſtatim tota aulæ capacitas, vel totius cubiculi extenſio odore balſami, pretioſive alterius unguenti perfunditur: Ita Chriſtus, (qui eſt primum vas,) confractus, totum S. Stephanum bono odore perfundit; S. Stephanus verò repetitis lapidum ictibus contritus, effudit ſe ſuprà S. Paulum, qui ipſo toto remanſit plenus; *Nam ſi S. Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet,* dicebat ſuprà S. Auguſtinus.

Ecce charitas ad altiſſimum ſuæ perfectionis apicem ipſo inimicorum amore exaltata, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum* Imitatur Magiſtrum ſuum bonus diſcipulus, greſſus illius ſequitur, & veſtigiis ejus inhæret. Idem nobis eſt obſervandus procedendi modus, ut poſſimus referre coronam, more incomparabilis S. Stephani, qui replevit magnitudinem nominis ſui Stephani, quo ſignificatur corona; *Nam & qui certat in agone, non coronatur: niſi legitimè certaverit* y. Nemo coronam eſt immortalita- y 2. Timoth.2.5.
tis & gloriæ percepturus, niſi priùs affectus ſuos pravos debellaverit, & omnes vindictæ motus in rationem inſurgentes extinxerit Pugnandum eſt igitur animo intrepido adversùs omnes noſtras perverſas propenſiones adinſtar S. Stephani, quem nobis proponere debemus ut formam, exemplum, ac regulam, ſi coronas nobis comparare velimus ipſius.

Poſtquàm Romani ſubjugaſſent, ſuæque ſubjeciſſent ditioni Carthaginéſes, conſilium inierunt ad deliberandum, Utrum ſatius eſſet vel urbem Carthaginem funditùs evellere & omnino profligare, aut integram eam conſervare utilius foret. Cato z Cic. Epiſt. ad Attic lib. 2. citatus à Calepin. in Dictio. V. Cato.
Uticenſis, de quo Cicero z ait; *Quid Cato ille noſter qui mihi unus eſt pro centum millibus?* opinatus eſt eam à fundamentis radicitùs evellendam: Scipio verò Naſica, qui deſcribitur à Calepino a, *Eloquen-* a Calepin. in Dictio. V. Scipio.
tiâ primus, Iuris conſultiſſimus, ingenio ſapientiſſimus, unde vulgò Corculum dictus, meliùs ſenſit, aliorum & meo judicio: Nimirum, eam fuiſſe in ſtatu, in quo tunc erat conſtituta, deſerendam; dicens, cives illius, ut ulciſcerētur ſibi à Romanis irrogatam injuriam, rebellionem ſine intermiſſione meditaturos; & ſic eoſdem Romanos ſemper ita invigilaturos eo pacto, ut nunquam otio deſides eſſent futuri ipſorum generoſi animi, nec eorumdem arma rubigine forent conſumenda. Idem penitus dicere poſſum ego de unoquoque veſtrûm. Vos qui ſapientiam veſtram multùm ventilatis, eaque aliis omnibus vos autumatis præcellere, velletis, ut alii Catones, inimicos veſtros exterminare; tædet vos videre infeſtos homines ac importunos, qui veſtrum procedendi modum, & ſingulas actiones veſtras obſervent ſimul ac reprehendant (licèt, veſtro judicio, ſine ulla cauſa) Ha! ſinite illos vivere pacificè, adhærendo conſilio Scipionis, libenti animo patimini inimicos veſtros; vobis enim utiliores ſunt quàm exiſtimetis; virtutem veſtram exercent & probant; vobis inſtrumenta ſubminiſtrant, quibus medius veſtram firmiter ſtabiliant patientiam; & quandiu

ipſorum odium, indignationem Dei ſuper ipſos attrahit, patientia, quam exhibetis & præ vobis fertis; & venia, quam illis indulgetis, pretioſum vobis theſaurum acquirunt virtutum, quæ magis conciliabunt vobis benevolentiam Dei, quàm in hominum odia & inimicitas incurreritis.

Sed quàm appoſitè cecinit Pſalmographus b,
b Pſ. 118, 98. cùm Deo dixit; *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo.* (Intendebat loqui Propheta de præcepto, de quo deinde dixit ſalvator per Evangeliſtam c, *Diligite inimicos veſtros.*) Quaſi diceret
c Matth. 5, 44. Deo David; Domine præcepto tuo ſapientem me effeciſti intuitu inimicorum meorum. Hoc enim nomen, ſeu hæc præpoſitio, *Super*, in ſacris Scripturis ſignificat aliquando; *propter*. Ac ſi diceret Deo Propheta, *Propter inimicos meos* occaſione inimicorũ meorum effeciſti me ſapientem & diſcretum. Timor enim, quo angebar, ne ipſis intuentibus aliquid agerem, quod non foret rectæ rationi conſonum, laberer ve in aliquod peccatum, aliamne imperfectionem, etiamſi leviorem, cujus illi me potuiſſent inſimulare, efficiebat ut te ipſum ſemper præſentem haberem, *Providebam Dominum in conſpectu*
d Pſ. 15, 8. *meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commovear* d. Sic Chriſtus promiſit diſcipulis ſuis, ſe ſubminiſtraturum ipſis verba ita diſcreta, cùm Tyrannorum tribunalibus eſſent præſentandi, ut nihil ipſis foret metuendum, quippe qui nullius poſſent inſimulari inſipientiæ; *Ad præſides & ad Reges ducemini propter me, in teſtimonium illis & Gentibus. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini* e. Teſtis eſt e Matth. 10. 18. & 19.
S. Stephanus, cui *non eſt inventus ſimilis*. Qui ſermones proferebat ita radidos inter lapides in caput ipſius projectos, ut non poſſent Judæi curſum ſermonis ipſius ſapientiâ repleti continere, *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui loquebatur.*

Saulus, qui tunc temporis erat adhuc junior, quique expreſſè profitebatur intelligentiam Legis, & Scripturarum ſacrarum, *Secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ Legis, æmulator Legis* f, non f Act. 22. 3
eſt auſus aperire os, nec huic controverſiæ ſeſe ingerere diſcutiendæ, & coactus fuit ſeorſim remotus remanere, & indumenta cuſtodire lapidantium S. Stephanum. Confuſio pariter Philoſophorum coram S. Catharinâ Virgine & Martyre; unde procedunt hæc omnia? Saltem ex curâ, quam edocendorum ſuſcipit Deus eorum, quibus infenſi ſunt inimici; præſertim *in illâ horâ*, cùm obſervantur ab ipſis ut deprehendantur in aliquo flagranti delicto; ita ut, ſi verè ſapientes eſſemus, deberet nobis eſſe in votis habere ſemper inimicos, qui nos obſervarent; quia veriti ne ab illis deprehenderemur aliquid minùs honeſti agentes, vitam duceremus criminis expertem ac irreprehenſibilem, quam comitaretur gratia in hoc mundo, & quam coronaret cum S. Stephano, cui *non eſt inventus ſimilis*, gloria ſempiterna in altero.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI, & Evangeliſtæ.

Converſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cænâ ſuper pectus eius Joan. 21. 20.

M*Ater filiorum Zebedæi* a, quia Chriſto ſecun-
a Matth. 20. 20. & c dùm carnem propinqua erat b, aliàs autuma-
b Ioan. 2. 34. verat ſe duas ſedes principes in Regno Filii Dei, quod exiſtimabat ipſa fore temporale, impetraturam in gratiam duorum liberorum ſuorum Jacobi & Joannis. Sed non eſt diffitendum, diſcipulos illos duos magnam amori, quo Chriſtus omnes proſequebatur homines c, injuriam irrogaſſe, cùm ſe
c Ier. 31. 3. ſolos imaginarentur dignos quos Dei Filius talibus officiis exiſtimatis ac creditis honorare dignaturus foret. Videbat Chriſtus tres diſcipulos ſibi præ aliis chariſſimos, & à quibus credebat pariter ſe magis amari; horum tamen alius, putà, S. *Petrus* d, poſſeſſi-
d Matth. 17, 1 & c. onem petit gloriæ pro ſe in monte Thabor; alii verò duo, nimirum Jacobus & Joannes, totius terræ principatum poſt ipſum poſtulant. Mirabile dictu, hos tres diſcipulos aliquid noluiſſe pro aliis relinquere! Idcircò S. Lucas e dicit de Petro quòd erat
e Luc. 9. 33 *neſciens quid diceret*. Duobus autem fratribus reſponſum eſt à Chriſto, *Neſcitis quid petatis* f. Saltem S.
f Matth. 20. 22. Petrus iſtorum meminit duorum, *Faciamus hic tria tabernacula*. Hi verò ſuorum obliviſcuntur ſociorũ. Faciliùs deſideratur ſocius in cœlo, quàm velit quis admitto ſibi ſocium ſecundum, aut tertium in terra. Noſtras Deus nunquã exaudit ſupplicationes, niſi cũ videt nos dignos quos exaudiat. Recuſat Joanni ſedem, quam is ab ipſo petebat; ſed aliunde reddit ipſum dilectum cordis ſui; quod eſt imago amoris, quo Deus omnes proſequitur homines, quem oſtendit in Incarnatione Filii ſui, qui factus eſt homo in ſinu Virginis, cùm dixit ei Angelus, *Ave Maria*

Vix abſcondi poteſt amor. Si ignis ejus accendit, oportet ut pariter ſplendeat. Poëtæ & Pictores idẽ planè ſentientes, nobis illum repræſentant idcircò nudum; & licèt oculis ejus vittam imponant aut faſciam, cæcumq; eum figurent, relinquunt tamen illi lampadem aut tædam, quam manu geſtet; ut nobis inde inuant, eum, ſi ut plurimùm oculos non habeat, quibus ſuas intueatur actiones, ſecum tamen de- g Eſth. 15. 9.
ferre ſatis luminis, quo ſe aliis exhibeat intuendum. Deus ipſe, licèt ſit *omnipotens* g in conſiliis ſuis & in adinventionibus ſuis, non potuit in extenſione om- h Sap. 8. 1.
nipotentiæ ſuæ, nec in decreto ſapientiæ ſuæ h inve- i Ier. 23. 24.
nire modum, quo amorem ſuum abſconderet. Scivit k Luc. 2. 7
quidem abſcondere ſuam immenſitatem i ſub præſep- l Pſ. 94. 2.
is k parvitate, ſapientiam ſub infantiâ, *Verbum* l æter- m Pſ. 90. 10
num infantilibus ſub vagitibus, impaſſibilitatem m n Ioan. 19. 28.
ſub tolerantiis, potentiam ſub infirmitate, gloriam o Pſ. 84. 12
ſub infamia, miſericordiam ſub juſtitia o. Re enim p Marc. 5. 24.
vera apprimè velavit juſtitiam miſericordiâ, innocen- q Rom. 8. 3
tiam p ſimilitudine *carnis peccati* q, ſapientiam quaſi r 1. Cor. 1. 23.
ſtultitia crucis r, & vitam s tumulo t; ita ut dixerit ſ Ioan. 14. 6.
Iſaias u ipſum eſſe Deum abſconditum, *Verè tu es* t Matth. 27. 60.
Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator. Et David x, eum u Iſai. 45. 15.
tetendiſſe juxta thronum ſuum, tabernaculum lumi- x Pſ. 17. 12
nis & tenebrarum ſimul, quæ ſunt oculis hominum inacceſſabilia & impenetrabilia, *Poſuit tenebras latibulum ſuum*. Sed cùm voluit amorem ſuum abſcondere, ita malè ſucceſſit ipſi conſilium ipſius, ut oppoſitum operatus ſit ei, quod ſibi propoſuerat. Cùm e- y Ioan. 1. 18.
nim velut eduxiſſet hunc amorẽ è *ſinu* y Divinitatis, z Luc. 1. 15.
volebat illum abſcondere in humanitate, in ſinu beatiſſimæ Virginis Matris z. Sed quis ſucceſſus huic conſilio? Hic amor, nedum lateret, ita manifeſtavit ſe, ut ſi vel ſoli panni infantiles, & faſciæ, quibus ſtringebatur, fuiſſent remota, totus nudus eſſet viſus. Cùm igitur non ritè ſucceſſiſſet hoc ipſi conſilium primò hunc ingredienti mundum; illud experitur ipſe denuò è mundo exiturus; cùm in monte Calvariâ conſtitutus ſuper theatro, ſeu cathedra crucis, verus hic amantium Magiſter ſermonem amoris locuturus, os proprium claudens, aperuit nobis cor

ſuum

Digitized by Google

ſuum, quod eſt ſedes amoris. Si autem os aperiat, id ipſe efficit ut Matrem ſuam S. Joanni commendet Evangeliſtæ, *Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo; Ecce mater tua* a. Quod innuit nobis amorem, quo Deus omnes proſequitur homines per myſterium Incarnationis, quod eſt maximum omnium operum Dei, ut videbimus in priori parte hujus diſcurſus. In poſteriori verò oſtendam vobis, Deum amantem nos, ut nos redderet *filios* b ſuos adoptivos, feciſſe pro nobis id omne, quod ipſe poterat.

Adorandum Incarnationis myſterium vocatur à Patribus *Complementum Trinitatis*. Re autem verâ non ſine ratione, cùm Pater æternus videatur accepiſſe aliquod complementum, cùm per illud acquiſierit eam, quam in Filium ſuum habet, poteſtatem c. Filius etiam in eo accepit, putà Matrem. Spiritus ſanctus ſimiliter in illo habuit, quod non habebat ab æterno, cùm fœcundus factus fuerit, ipſe qui ſterilis erat in ſanctiſſimâ Trinitate, cùm in ea nulla ſit alia perſona producenda; ita ut Spiritus ſanctus produxerit in terrâ illum d, à quo ipſe producitur in cœlo. Filius igitur producit in Divinitate *Spiritum* e *ſanctum* in unitate principij cum Patre; nec tamen vocari poteſt Pater Spiritus ſancti, quem producit, ſicut Spiritus ſanctus producit Verbum incarnatum in humanitate, cujus tamen Spiritus ſanctus non poteſt vocari Pater. Unde fit ut Scriptura ſacra f loquens in perſona Chriſti, dicat, *Ego flos campi*. Cùm unicum in cœlo Patrem habeat, & unicam in terra Matrem; non ſecus ac flos matrem habet caulem, patrem verò Solem, qui ipſum producit ita naturaliter, ut Antiquus quidam vocaverit flores Solis imagines. Prætereà, Filius producit Spiritum ſanctum ut donum mutuum inter ſe & Patrem ſuum, unde fit ut Eccleſia ſancta vocet Spiritum ſanctum *Donum Dei Altiſſimi*: & S. Auguſtinus g. *Donum amborum*. Hinc quoque vocantur gratiæ, dona Spiritus ſancti: Spiritus verò ſanctus producit eundem Filium in terra ut donum, *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* h. Filius producit Spiritum ſanctum ut vinculum & veluti nodum ſuîpſius & Patris ſui, *Societas eſt quodammodo Patris & Filij ipſe Spiritus ſanctus*, ait idem S. Auguſtinus i. Spiritus autem ſanctus producit eundem Filium in terra ut vinculum Naturæ Divinæ cum natura humanâ, ut nexum hominis cum Deo: Homo enim incurrerat indignationem Dei, & Verbum ingreditur mundum, ut vinciat & reconciliet hominem cum Patre, *Interficiens inimicitias in ſemetipſo* k. Quod operatur propter amorem noſtrum per myſterium Incarnationis, quod eſt omnium operum Dei maximum.

Maximum eſt inter omnia Dei opera intuitu Patris æterni, eò quòd omnipotentia ipſius Divina in eo nobis perfectè declaratur. Omnia alia opera Dei ad extrà, ſunt *opera digitorum* l, aut *manuum* m ipſius; ſed iſtud, eſt opus brachij ipſius, *Fecit potentiam in brachio ſuo* n. Quod hâc ratione probatur; Quia ſicut Deus ad intrà non poteſt ſe magis communicare Filio ſuo quàm per generationem, per quam ſe totum ei communicat in identitate naturæ; ita extra ſe non potuit in Filio ſe communicare magis creaturæ quàm per myſterium Incarnationis, in quo Verbum Divinum unitum eſt noſtræ naturæ, unitate perſonæ, ita ut Deus ſit homo, & homo ſit Deus. Maximum eſt reſpectu Spiritus ſancti, cùm per ipſum divinitùs fœcundus efficiatur. Maximum eſt comparatione omnium aliorum myſteriorum, quia in omnibus alijs invenitur; Incarnatio enim fuit in Nativitate, & in cæteris alijs myſterijs. Ipſum, eſt fulcrum aliorum omnium; ſine hoc etenim nequidem Nativitatem haberemus, nec alia. Iſtud ſanctificat & deificat omnia alia. Per hoc enim myſterium Virgo ſanctiſſima Mater Dei efficitur o, & Nativitas quam celebramus, eſt Nativitas Dei. Durat iſtud myſteriũ diutiùs quàm cætera omnia; eſt enim permanens, quod alia non ſunt. Ita Nativitas temporalis Verbi incarnati fuit actio tranſitoria, quæ non eſt amplius; non enim ampliùs Dei Filius naſcitur in ſtabulo Bethlehem. Circumciſio p fuit actio tranſiens, nec ampliùs fit in Corpore Chriſti: Sed Incarnatio eſt permanens; quia quandiu Deus erit Deus, erit pariter & homo, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*. Maximum eſt intuitu omnium creaturarum; nam ante hoc myſterium Incarnationis illæ erant ad hominem relatæ, juxta conſilium Dei, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã: & præſit* q. Sed ab Incarnatione totæ ad Chriſtum confluunt, & ad illum pertinent, *Filius meus es tu: & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & poſſeſſionem tuam terminos terræ* r. Maximum reſpectu ſacratiſſimæ Virginis, cùm ipſam elevet ad ſuperexcellentiſſimam dignitatem Divinæ Maternitatis, quâ majus non poteſt ipſa Divina Omnipotentia aliquid efficere, ut ait S. Thomas s. Maximum eſt intuitu gloriæ, in qua homo fruitur Deo t, in qua non continet accidentia, ſed ipſam ſubſtantiam, è qua gloria emanat. Maximum reſpectu gratiæ, continens illum, qui eſt Author totius gratiæ, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* u. Maximum reſpectu naturæ, quam reparat x, quia reparatâ hâc naturâ mundus reparatur univerſus; uniente ſe Deo naturæ humanæ, univerſus orbis ei reperitur unitus, quia, juxta S. Gregorium. *Omnis creatura eſt homo* y. Maximum intuitu unius naturæ particularis, id eſt, humanæ, quia communicat illi Deus Divinam ſuam ſubſiſtentiam, & omnem plenitudinem Divinitatis ſuæ, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* z. Omnia alia opera manifeſtant aliquid Dei, ſed hoc non eſt ipſemet, ſed ipſius duntaxat umbra; ſolum Incarnationis opus, monſtrat eſſe tres perſonas in Trinitate a; Patrem, qui Filium ſuum dat præ amore, Filium, qui datur; & Spiritum ſanctum, qui hoc opus perficit: idcircò dicitur Deo, *Domine, opus tuum* b. Prætereà, Maximum eſt, quia Chriſtus ibi vivit triplici vitæ genere: vita Divina per ſubſiſtentiam: vita glorioſa quoad animam; & vita viatoris. Sed eſt obſervandum, quòd hæc eſt differentia inter Amorem, quo Deus in hoc myſterio nos proſequitur, & amorem, quo ipſum amamus; cùm amor hominum quoad ea quæ ſenſus ſpectant, in una tantùm corporis parte reſideat, nimirum in corde; ſpiritualis autem in unica tantùm potentiarum animæ, putà in voluntate: Sed in Deo Amor eſt Deus ipſe, ita ut verũ ſit dicere ipſius im̃enſitatem eſſe Amorem, & ſic dicendum de cæteris ipſius attributis, quia *Deus Charitas eſt* c. Et ſic ipſe amat nos per ſuam eſſentiam; nos verò amamus eum per ſolam operationem unius è potentijs noſtris. Vt autem honoremus ſuperexcellentiſſimam dignitatem hanc Amoris Divini, dicendum eſt cum David d, *Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tibi?* & deſiderandum, cùm membra noſtra ab exercendis functionibus ſuis ac obeundis munijs ſuis deſtiterint, reſurgere in ijſdem membris, quæ Divinæ Majeſtatis laudes concinant, ut omnia membra noſtra convertantur in amorem, quo *Deum* ſuper omnia diligamus, id eſt, *ex toto corde* noſtro, *& in tota anima* noſtra, *& in totâ mente* e noſtra.

Inſuper, Divinus Amor *eſt immenſus* †. Vbique nos amat, in cœlo, in terra, in omnibus creaturis.

Ecco

a Ioan. 19. 26. & 27.
Diviſio
b Ioan. 1. 12.
c Pat.
c Matth. 28. 18.
d Matth. 1. 18 & 20.
e Ioan. 15. 26.
f Cant. 2. 1
g S. Aug. lib. 5. de Trinit. c. 5
h Ioan. 3. 16
i S. Aug. Serm. 1. de Verb. Dom. c. 20.
k Epheſ. 2. 16.
l Pſ. 8. 4.
m Pſ. 101. 26. & Heb. 1. 10.
n Luc. 1. 51.

o Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
p Luc. 2. 21.
q Gen. 1. 26.
r Pſ. 2. 7. & 8.
s S. Thom 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.
t Pſ. 16. 15.
u Ioan. 1. 17.
x Luc. 19. 10.
y S. Greg. Hom. 29. in Evang
z Coloſſ. 2. 9.
a Iſai. 6. 8. & 9.
b Habac. 3. 2.
c 1. Ioan. 4. 16.
d Pſ. 34. 10.
e Matth. 22. 37.
† Baruch 3. 25.

Ecce effectus Amoris Divini. Ipſe eſt in corde inimicorum noſtrorum, ubi nos amat. Debemus in omnibus creaturis videre Deum, qui ibi nos amat, & ſic amare eum ubique, & in omnibus creaturis. Ipſe eſt æternus, *In charitate perpetuâ dilexi te* f. Ubi tria occurrunt conſideranda. Primum, Ipſum eſſe Amorem ſine principio & abſque fine. Secundum, Ipſum non eſſe tranſitorium, ut eſt noſter, qui momento elapſo non eſt idem qui fuerat anteà, putà, idem actus qui præceſſit: Sed æternitas Amoris Divini unico complectitur inſtanti omnes actus qui fieri potuiſſent, vel poſſent ab æternitate, & in æternitate, quia *æternitas eſt tota ſimul*. Tertium, Ipſius Amorem complecti omnem temporum differentiam; ſic Deus amabat nos ante creationem pro tempore præſenti, quandiu amor noſter eſt temporaneus, & perſæpè tardus, utplurimùm enim Deum amamus, cùm mundum ampliùs diligere non poſſumus. Prætereà, Deus amat per plenitudinem, cùm non indigeat objecto; quod Amorem ipſius mereatur; vel in quo ſit aliquid, quod Amorem ipſius cauſet; ſed amat præ purâ charitate, quia *Bonum eſt diffuſivum ſui* g. Homines amant præ indigentiâ; voluntas eſt mater amoris, objectum pater; voluntas concipit amorem, ſed non priùs quàm habeat objectum, quòd cùm amabile ſit, eſt veluti ſemen hujus amoris. Amor habet originem & principium (loquor de humano) in re amatâ, quæ quoſdam vibrat ſpiritus veluti tot ſagittas accenſas & quaſi jacula inflammata, quæ cor amantis vulnerent. Quod maximo dignum eſt honore & reverentiâ ſingulari in adorando Incarnationis Verbi Divini myſterio, eſt ipſius Amor, qui manifeſtus eſt & in ipſius depreſſione, & in communicatione, quam facit naturæ ſuæ & perſonæ Divinæ ſuæ naturæ humanæ, cui perſonaliter unit naturam ſuam Divinam.

f Jer. 31. 3.
g S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

Beneficia ſemper devinciunt eos, qui ipſa ſuſcipiunt; nihilominùs ipſa magis alliciunt, cùm ipſa hæ duæ comitantur circumſtantiæ. Prima, Cùm citò exhibentur. Secunda, Cùm perſona, quæ nobis ea impendit, ſola eſt quæ talium interventu beneficiorum poteſt in nobis cauſare bonum, quod appetimus. Hinc facilè inferre poſſumus quanta ſint bona, quæ colligimus ex Incarnatione Filij Dei, cùm ipſe nobis ita eſſet neceſſarius, ut ipſe ſolus eſſe poſſet cauſa Redemptionis noſtræ. Oportebat enim ut ipſe foret Deus, Deus & homo, & Filius Dei ſimul, qui ſalvaret nos. Oportebat ut ipſe eſſet Deus, cùm oporteret operari ipſum ſecundam creationem h multò priore difficiliorem, quia Deus non citiùs nihilo præcipit i ut educat è ſinu ſuo res, quibus utimur præſenti tempore cùm ſtatim ipſum, quod aures non videtur habere, obedit; Verbum autem ipſius Dei non ſufficit ad deſtruendum ſecundum nihilum*, oportet ut ipſum patiatur. Oportebat ut eſſet homo Deus, id eſt mortalis & infinitus k, quia peccatum erat infinitum; eò quòd peccatum feciſſet deos l novos in terra; deſtruens gloriam veri Dei, & Deum verum conetur deſtruere; in quo pejus eſt ipſis dæmonibus, qui cognoſcentes non eſſe poſſibile, Deum ad nihilum redigi, quia cùm non habeat principium, idcircò nullum poteſt habere finem; ipſius per conſequens non appetunt exinanitionem; cùm peccatum alio planè ſe gerat modo, & clamet Judæorum more, *Tolle, tolle, crucifige* m. Oportebat ut eſſet Filius Dei, quia peccatum in nobis duo produxerat mala, putà ignorantiam n, & mortem o; Solus autem Dei Filius his mederi poterat, & expellere ignorantiam, cùm ipſe ſit *Veritas* p, & ſic omnia faciens, & mortem eliminare, quia *Vita* q, & origo

h Pſ. 103. 30.
i Gen. 1. 1. &c.
* Pſ. 7. 12.
k Baruch 3. 15.
l Exod. 32. 1. &c.
m Joan. 19. 15.
n 4. Reg. 1. 19.
o Rom. 5. 12.
p Joan. 14. 6.
q Ibid.

vitæ, & *fons vitæ* r. Et hoc eſt, quod ipſe operatur per adorandum Incarnationis myſterium.

r Pſ. 35. 10.

Perpendentes aliàs Antiqui mirabilia & perfectiones exquiſitas mundi hujus univerſi, dicebant Deum totum fuiſſe in amorem transformatum; ita rapti fuerant in admirationem, intuiti totius hujus orbis pulchritudinem. Sed quanta, obſecro, fuiſſet ipſorum admiratio, ſi illuſtrati, ſicut nos, lumine veræ fidei, agnoviſſent novum mundum, Filium Dei unientem ſe naturæ humanæ, & totum ſe in amorem transformantem in Incarnatione ſua. Vidiſſent proculdubio, æquè ac nos, Magnitudinem Dei in ea transformatam in Amorem, neque Deum magnum exhibitū niſi in Amore, Potentia, Sapientia, & omnia ipſius attributa ibi transformantur in Amorem, ut videmus. Deprehendiſſent ibi Deum Filium non oſtendi potentem, neque ſapientem niſi per Amorem, & in Amore. Cognoviſſent tandem ipſum nihil eſſe præter Amorem in hoc admirabili Incarnationis myſterio.

Sed quid? Deus plenè æternaliter, & divinitùs occupatus ſeipſo, in ſeipſo, cognitione ſuâ, & amore ſuo, & fruitione magnitudinis ſuæ, æternæque ſuæ felicitatis, poteſtne occupari in re ita exigua, qualis eſt nihilum, de quo ait illi Propheta s, *Quid eſt homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Quid? Deus ſufficiens ſibi t, & ſeipſo perfectiſſimè contentus, Deus in plenitudine ſui eſſe, quod ipſum replet ſicut & omnia creata, poteſtne aliquid amare extra ſe? Amor enim ſupponere indigentiam videtur in eo, qui amat, quaſi verò non videatur contentus poſſeſſione rei amatæ, ſicut & ipſius fruitione. Sed quod majori percellit nos admiratione, eſt videre quòd *dum eſſet in accubitu ſuo* u Amor iſte, è ſuo throno egreditur, & *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* x, aſſumptâ humanâ naturâ, in ea operiens fortitudinem ſuam infirmitate noſtrâ, ſapientiam ſuam infinitam noſtris ſtultitiis, innocentiâ ſuam criminibus noſtris, ſanctitatem ſuam peccatis noſtris, & magnitudinem ſuam depreſſionibus noſtris. Et præ exceſſu amoris incomparabilis communicat huic Humanitati ſacræ id, quod eſt incommunicabile in auguſtiſſima Trinitate, nimirum hypoſtaſim ſeu ſubſiſtentiam, quæ eſt omnino incommunicabilis, & in commercium non ingreditur in myſterio Trinitatis. E duabus enim rebus, quas in Deo diſtinguimus & adoramus, eſſentiam ſcilicet & ſubſiſtentiam; eſſentia licèt ſit una y, eſt tamen æqualiter communicabilis tribus perſonis Divinis, & æquè propriè convenit Patri & Spiritus ſancto ac Filio, cùm ſubſiſtentia Verbi ſit perfectè una, & perfectè incommunicabilis in Trinitate; & ita eſt propria Verbo, ut illi ſoli conveniat: nihilominùs privilegio amoris incomparabilis, hæc ſubſiſtentia incommunicabilis in Trinitate, communicatur in eſſe creato Humanitati. Ultrà progredior, Omnes magnitudines Divinæ Eſſentiæ, excellentiæ ipſius & perfectiones ſubſiſtunt hac ſubſiſtentia Verbi æterni; ipſæ igitur ſubſiſtunt in hac humanitate, cùm ipſius ſubſiſtentia ſit eadem ſubſiſtentia, quæ hanc humanitatem terminat. Dixi, has perfectiones ſubſiſtere media ſubſiſtentia Verbi, & poſteà addidi, ipſas ratione hujus ſubſiſtentiæ ſubſiſtere in hac humanitate; & hæc verba non ſunt ſuperflua ullo modo; termini ſunt diverſi, & ſignificant magnitudines & perfectiones hujus Divinæ Eſſentiæ, inquantùm ſunt communicabiles enti creato, & omnibus modis, quibus ſunt illi communicabiles ſine converſione & confuſione alterius naturæ in alteram, abundanter, actualiter, & dignè huic humanitati communicari, ut perficiatur, dignificetur,

s Pſ. 8. 5.
t Exod. 6. 3.
u Cant. 1. 11.
x Baruch 3. 38.
y Deut. 6. 4.

cetur, & deificetur modo omnino proprio & integrè conformi Incarnationis myſterio. Atqui ſi vel unicus gratiæ gradus animam Deo dignam reddit, & confert illi excellentem deificationem, quænam communicatio Divina, quanta mirabilium extenſio invenietur in hâc Humanitate ſacrâ, quæ in ſeſe recipit non unicum gratiæ gradum, ſed gratiæ abyſſum; non abyſſum gratiæ accidentalis, ſed abyſſum gratiæ ſubſtantialis, originem & fundamentum totius gratiæ; non eſſe communicatum hominibus & Angelis, ſed eſſe increatum, ſed Divinitatem, quæ non convenit niſi perſonis Divinis, & quæ præ Amore ineffabili communicatur huic Humanitati, & huic Humanitati ſoli inter omnes res creatas, ſed prætereà omnes perfectiones Divinitatis, & totam earum plenitudinem, quatenus ipſa eſt earum capax recipiendarum: quod D. Paulus Apoſtolus z magnitudinem Jeſu dignus præco contemplans, ait, *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

z Coloſſ. 2. 9.

Sed quod eſt maximum in hoc myſterio, eſt, Quòd præ dignitate Divinæ perſonæ ſuæ Verbum eſt ſine indigentiâ, & ſine dependentiâ. Licèt enim emanaverit, & ſemper emanet à Patre æterno, & eum intueatur ab æterno ut originem ſuam ac principium ſuum, in hâc emanatione eſt ſine indigentia, & ſine dependentia. Et ideò Jeſus eſt abſolutus Dominus & ita ſupremus, ut nè vel ipſius eſſe & ſtatus in noſtrâ humanitate ab alio dependeat quàm à ſeipſo, quatenus eam perficit, eamque terminat. Hæc propoſitio fortaſſe videbitur paulùm audax: Sed conſiderandum eſt ſermonem Divinum ita à Patre æterno procedere, ut potentia & virtute originis Deus ſit æquè ac Pater, illi coæqualis †, & independens ſicut Pater; quandoquidem Pater æternus eſt quidem Pater ipſius, ſed non ipſius Dominus in æternitate; actiones enim huius Humanitatis quatenus procedunt ab hac natura creata, quæ ſemper manet creata in hac natura dependenti, & in accidentibus ipſius, ſunt quidem dependentes à ſanctiſſima Trinitate; ſed quatenus ipſæ ſunt propriæ Filio Dei, & pertinentes ad Verbum, & ſubſiſtunt in eodem Verbo incarnato mediâ ſubſiſtentiâ increatâ, quam ipſum, prout Verbum increatum, naturæ providet creatæ, quæ ipſas exerit ac producit, & quatenus ipſæ verè pertinent ad idem Verbum iure illo naturali, quod aſſignat ac applicat actiones ſuppoſitis ſeu perſonis agentibus, quia *actiones ſunt ſuppoſitorum.* In hoc ſenſu, & in hac qualitate illæ ad ipſum pertinent, ut eſt ſuppoſitum naturæ agentis, & hoc modo non pertinent ad Spiritum ſanctum, neque ad Patrem; ſed ea non dependent ab alio quàm ab imperio & dominio ipſius Verbi incarnati, hoc eſt, à magnitudine Divinitatis, quæ propter Amorem noſtrum naturæ noſtræ unitur.

† Ioan. 10. 30.

· II. Part.

Deus igitur amavit nos, & Amor ipſius erga nos habuit omnes effectus Omnipotentiæ Divinæ, ita ut poſſit dicere, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei a?* Quia nos amavit ab æternitate, *In charitate perpetuâ dilexi te* b. Et ſic dicere poſſumus, Deum ex tunc quo incepit ſemetipſum amare (ſi talibus uti nobis liceat terminis cùm non ſint nobis verba, quibus loquamur de hoc Principio c, quod nullum unquam habuit initium) & ab illo primo intuitu Amoris, quem habuit erga ſuum Filium naturalem, reſpexiſſe nos Amore electionis, ut faceret nos filios ſuos adoptivos, *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti: prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ* d. Cùm voluiſſet ſecundùm puram, liberam, & gratuitam determinationem voluntatis ſuæ, & ordinem immutabilem æternæ prædeſtinationis ſuæ, ut ipſius efficeremur filii adoptivi per merita Filii ſui naturalis Jeſu Chriſti, qui ſatisfacturus erat Iuſtitiæ Divinæ pro omnibus reis, eoſque eidem reconciliaturus Iuſtitiæ.

a Iſai. 5. 4.
b Ier. 31. 3.
c Apoc. 1. 8.
d Epheſ. 1. 4. & 5.

Quænam gratia conceſſa creaturæ infirmæ; exclamat R. P. Yvo Capucinus e, ut ſit ipſa ab æterno in ſinu huius Eſſentiæ infinitæ f, in quâ velut in origine requieſcit quidquid boni eſſe poteſt, & ametur eodem amore, quo Deus ſemetipſum amat! Amor, quo ſe diligit Deus, eſt neceſſarius, quia non diſtinguitur ab eſſentia ipſius infinita; ſed ille, quem concipit erga nos, eſt liber, quia eſt in perfectâ independentia à creatura, & purus effectus miſericordiæ ipſius, quæ præbet ipſi cum eſſe, capacitatem recipiendi quidquid ab ipſius benignitate ſibi ipſi paratur beneficiorum. Hanc veritatem mirabiliter confitetur S. Petrus g, *Redempti eſtis pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti & incontaminati; præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis.* Ita ut iſte Deus, hoc Verbum incarnatum, quod vidimus in tempore vagientem *in præſepio* †, fundere Sanguinem ſuum in Circumciſione *, in horto h, in prætorio Pilati, & in arâ crucis ſuper monte Calvariâ conſtitutâ †, inceperit hoc conſilium ab ipſâ vel æternitate, *Ab itineribus æternitatis eius egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo* i.

e R. P. Yvo Pariſ. Capuc. Miſericord. ...
f Baruch. 3. 21.
g 1. Pet. 1. 18. &c.
† Luc. 2. 7. & 12.
* Luc. 2. 21.
h Luc. 22. 44.
† Ioan. 19. &c.
i Hab. 3. 13. &c.
k Ioan. 19. 34.

Unde Evangeliſta k loquens de latere eiuſdem Domini noſtri Jeſu aperto in Paſſione, non ait militem hoc ſacrum latus lancea perforaſſe, ſed duntaxat ipſum aperuiſſe, *Sed unus militum lanceâ latus eius aperuit.* Quod evidenter oſtendit, Longinum non feciſſe vulnus, ſed illud aperuiſſe. Quaſi diceret, vulnus iſtud fuiſſe lateri infixum ab Amore, ſi dici fas eſt, ab æternitate; non ſecus ac ſi aliquis virga traheret velum operiens aliquam imaginem, non diceretur ille feciſſe talem imaginem, ſed eam tantùm aperuiſſe: ita Longinus non perforavit latus Jeſu, non inflixit vulnus cordi ipſius, ſed tantùm removit velum, quo ipſum erat opertum, diſcooperiuit duntaxat vulnus; quod ab æterno Amor illi inflixerat. Ita ut verum ſit dicere, quòd Amor iſte pro nobis fecit id omne quod operari poterat in gratiam noſtri, amans nos ab inſtanti, quo amare nos ipſe potuit, id eſt, ab ipſo indiviſibili fœlicitatis ſuæ æternæ, quæ eſt tota ſimul, momento. O Amor ineffabilis Dei mei incarnati pro me, ut liberaret à tyrannica inferni ſervitute, cui miſerandum in modum addictus eram l! O Amor adorande Salvatoris mei, hanc deprecor ut largiaris mihi gratiam nè vivis excedam, antequàm tibi grates rependerim pro univerſis beneficiis, quibus cumulatiſſimè me proſequi dignatus es, quæ te ad me compulerunt; præcipuè verò pro motibus illis ſacris, & inſignibus illis Amoris affectibus, qui radices habent in æternitate, cùm ab æterno amaveris me ut dares mihi eſſe, & benè eſſe, quod in æternum eſt duraturum, ita ut dicere poſſis, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei* †?

l 1. Ioan. 3. 8.
† Iſai. 5. 4.

Sed cùm ſemel cœpit amare nos, nedum in tali non debeat incepto Amore perſeverare proſequendo, cùm ab initio totius æternitatis (ſi fas ſit ita loqui, cùm æternitas, quæ *eſt tota ſimul*, ut aiunt Theologi, nullum habeat principium, neque aliquem progreſſum, ſicut nec ullum eſt habitura finem.) Perſeverat in tempore hoc in Amore, & nihil eſt quod iſtam extinguat Charitatem, *Quia fortis eſt ut mors Dilectio; dura ſicut infernus æmulatio* m,

m Cant. 8. 6.

Adam indignum ſe præbuit hac Amoris prærogativa, præceptum infregit n, quod ipſi factum
n Gen. 3. 6. fuerat à Domino, quodque prætergredi non poterat ipſe quin moreretur, *Præcepit ei Deus, dicens, De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quo-*
o Gen. 2. 16. & 17. *cumque enim die comederis ex eo, morte morieris* o. Sed Amor Dei mei fortior ipſa morte, nedum eriperet illi eſſe hominis, ſicut debebat, & poterat, ut condignam de tali tranſgreſſione atque inobedientia vindictam ſumeret; tantùm abeſt ut eum è medio tolleret, eſſe humanum auferendo ab eo; & collocaret illum in catalogo dæmonum; eum è contrà elevare voluit ſupra excelſam naturam Angelorum, parumque Deum conſtituere illum per hæc verba, *Ipſa conteret caput tuum* p.
p Gen. 3. 15. Inde ſignificans ei, victorem ipſum evaſurum de
q Gen. 3. 21. inimico ſuo, *Fecit quoque Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos* q. Oſtendens illi, ſe operturum nuditatem ipſius pelle *Agni imma-*
† 1. Petr. 1. 8. *culati* occidendi in monte Calvariâ, & ſordes ipſius loturum ejuſdem Filii ſui *pretioſo Sanguine* †, ſeque ipſum Verbi incarnandi adorandâ carne aliturum.

Quod educi poteſt etiam ex his verbis, *Ecce*
ſ Gen. 3. 22. *Adam quaſi unus ex nobis* ſ. Velut parvus Deus per adoptionem & per gratiam, quod nos ſumus per naturam, nimirum verus Deus: prædicens illi ſupradictis his omnibus myſterium ineffabile Incarnationis Verbi Divini; in quo re verâ hic Amor omnem exhibuit totius Omnipotentiæ Divinæ extenſionem. Primò enim oportuit ut ipſe ſe pugnæ ac certamini exponeret; cùmque magnos ipſe adhibuiſſet conatus, ſuaſque omnes vires inſumpſiſſet & exhauſiſſet, ut raperet unicum Patris æter-
t Joan. 1. 18. ni è *ſinu* t ipſius, & inde eum evelleret (ſi lubeat ita loqui) eumque ad nos in terram deduceret, in quâ remaneret obſes, ad concludendam pacem inter cœlum & terram, quæ bellaverant inter ſe per quadraginta ſæculorum circùm circà curricula, non potuit ipſemet Amor quin cum Dei ſanctitate iniret certamen.

Ubi obſervare debetis, quòd, licèt attributa Divina in Deo ſint una & eadem res, cùm identificentur cum natura ipſius ac eſſentia, habent nihilominùs ad extrà effectus diverſos, ſecundùm noſtrum concipiendi modum. Sanctitas enim Dei ipſum ſeparat ab omnibus rebus, Amor verò Dei ipſum rebus unit univerſis, cùm proprium ſit ſanctitati ſeparare, amori verò unire; quia per amorem ille qui amat, magis eſt ubi amat, quàm in ſe; ſanctitas verò è contrà ab omni te ſeparat, *agios ſine terrâ*. Sanctitas igitur Dei ipſum ſeparat ab omnibus rebus. Filius ipſius unicus Jeſus Chriſtus Dominus noſter ſimilitudine *carnis pec-*
† Rom. 8. 3. *cati* † indutus, de eodem Patre ſuo Deo à ſe ſe-
u Pſ. 21. 1. & 2. parato ita queritur per Prophetam [illegible] ſuum, dicens, *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Et ſtatim hujus querelæ juſtæ ſubdit ipſe rationem, *Tu autem in ſancto habitas.* Atqui Divinus hic Amans validè pugnans pro nobis triumphavit de ſanctitate Dei, eam vocavit foras in gratiam noſtrî, quibus interventu præliantis Amoris illius communicata fuit ipſa ſanctitas; ultimum ſuæ omnipotentiæ propter nos effecit conatum, ut res uniret inter ſe infinitè diſtantes & ſeparatas, Maternitatem cum Virginitate, finitum cum Infinito, tempus cum Æternitate, hominem cum Deo, & cor hominis cum Fide. *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei*
x Iſai. 5. 4. x? Amorem ineffabilem Dei noſtri, qui facit quidquid poterat erga nos! Quod eſt viſu facillimum in adorando Incarnationis Verbi Divini myſterio.

Ab omni igitur æternitate, Chriſtiane Auditor, te Deus mente & cogitatione complexus eſt: expende ea, quæ dico, Ab omni æternitate: & fortaſſis ne vel unam bonam cogitationem de Deo tuo efformaſti. Ab omni æternitate te Deus eſt intuitus ut objectum Amoris ſui, & pœnarum ſuarum: & forſan nondum cogitaſti, quomodo poſſes hunc amorem aliquâ tolerantiâ voluntariè ſusceptâ compenſare. Ab initio hujus temporis quod effluxit ab adventu Filii Dei in hunc mundum, imò verò ab æterno ſtatuit Deus ſe totum tibi dedere; & omnia quæ habet, Vitam, Sanguinem, & Mortem, ſeque totum conſumpſit pro te in plenitudine temporis: ad quid inſumpſiſti totum vitæ tuæ tempus? Heu! te verâ in infamibus negotiationibus, in commerciis illicitis, & in praxibus criminoſis ſectandis omnino totus fuiſti. Permiſit Deus ut Amor ſuus de ſuâ victoriam retulerit Sanctitate, ut ſeſe velut ſepararet à ſeipſo: tu verò omnes tuas inſumis vires, non quidem ut unias te Deo, & te ſepares à creaturis; ſed vice verſâ ut te à Deo disjungas, & cum creaturis ſocietatem ineas.

Deus omnipotentiam ſuam adhibet ut lucretur te: quandonam feciſti quod potuiſti ut lucrareris b Exod. 20. 3.
hoc *Bonum* [illegible] infinitum, quod non eſt aliud niſi Deus? Heu! infœlix, ſi potentia aliqua viguiſti, ea non uſus es ut bona ageres, aut ut affectus Dei tibi conciliares, ſed potiùs ut eos amitteres. Deus fecit quidquid potuit ob amorem tuî: quandonam feciſti, quod potuiſti ut hunc Amorem compenſares? Heu! poteras à malo declinare committendo, à vindictâ ſumenda; à rapinis, uſuris, & repetundis exercendis; & ab illis te non exemiſti patrandis: Sed è contrà quotieſcumque ſeſe tibi obtulit occaſio ruendi in peccatum, eam libentiſſimo animo arripuiſti fronte capillata, illamque amplexus es, nedum ab ipſa ſtatim reſilires. Quoties feciſti amplius quàm poſſes facere, ut Dei mandata tranſgrederis, ut vanum tibi comparares in circulis plauſum, in luxu indumentorum, in ludo, in diſſolutionibus, in commerciis infamibus, æquè ac illicitis, ultra proventus tuos, & in detrimentum egenæ familiæ tuæ, quam ad mendicitatem uſque ferè redigis? Quoties feciſti magis quàm potueris, cùm non valens adulterium realiter perpatrare, illud ſaltem cogitatione meditatus es, & in eo moroſè & criminoſè delectatus; cùm deficientibus tibi viribus quibus vindictam ſumere poſſes de proximo tuo, & in eum ſanguinarias tuas injicere manus; ſaltem vindictæ capiendæ deſiderium concepiſti pravum, quod proculdubio fuiſſes executus, ſi conſiliis ac votis tuis faviſſet opportunitas.

Parvi debet duci cognitio illius, quod pro nobis fecit Deus, niſi agnoſcamus ob quod conſilium illud eſt operatus; & quid agere debeamus ut hunc Amorem compenſemus. Ob quem, obſecro, finem venit in hunc mundum Dei Filius, niſi y Luc. 12. 49.
ut in eo Divini ſui Amoris *ignem* y accenderet? Notitia, quam habemus, Amoris, quo Deus eſt nos proſecutus, & eorum, quæ pro nobis eſt operatus, debet reciprocum in noſtris cordibus amorem producere, qui inducat nos ad amandum eum, qui nos ita amavit, & ad exinaniendos & conſumendos nos propter amorem illius, *qui ſemet-* z Philipp. 2. 6. & 7.
ipſum exinanivit z & conſumpſit ob amorem noſtrum. Ha! ſi conſumeremus noſmetipſos veluti holocauſta, ut huic amori debitas rependeremus vices! perficeremus in nobis conſilium, quod Deus ab æterno cogitavit, quod in eo ſitum eſt, ut benè inſumamus Chriſti merita ad ſalutem animarum noſtrarum operandam, nimirum ad impetrandam gratiam, & tandem gloriam.

In

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Herodes mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius. Matt. 2. 16 &c.

SI unquam matres habuerunt unde contriſtarentur ob mortem filiorum ſuorum, videntur gentrices iſtorum Innocentium jure merito triſtitiâ affici debere; cùm videndo eos hodiernâ die jugulari in cunis ſuis & in proprio ſinu ſuo à carnificibus immitibus, quos Herodes miſerat ad hunc effectum, credibile eſt quòd caro & ſanguis iſtis ſuggerebant lacrymas, & amor maternus ſubminiſtrabat ipſis ubertim ſuſpiria. Tamen ſi ipſæ conſiderent, quòd ipſorum mors eſt ipſis glorioſior & utilior quàm vita; ipſæ habebunt unde mitigentur, & non defleant ampliùs. Quòd ſi ad ampliorem ſatisfactionem ſuam ipſæ petere volunt ultionem de ſanguine effuſo filiorum ſuorum, ſanè hanc efflagitare poterunt ipſæ cum Eccleſiâ, & dicere cum eâ Salvatori noſtro recenter nato, *Vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum qui effuſus eſt* a. Salvator adorande, vidimus diebus iſtis præteritis, quomodo ad ſuccurrendum generi humano dignatus es te includere in *utero* b Virginis ſanctiſſimæ Genitricis tuæ; quod ita ritè ſucceſſit ad gloriam tuam, & ad utilitatem noſtram, ut poſt devictam mortem, ſicut ipſemet ais apud Oſee c, *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne*: aperueris cœlum, ad dandum illuc ingreſſum omnibus Electis tuis, & ad collocandos eos prope te ad dexteram Patris tui, juxta Prophetiam Micheæ d dicentis de te, *Aſcendet pandens iter ante eos: divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*: humillimè te obſecramus cum lacrymis præ oculis noſtris ut digneris exaudire ſupplicationes noſtras, *Vindica ſanguinem Sanctorum tuorum qui effuſus eſt.* Ulciſcere cum omni rigore juſtitiæ tuæ mortem parvorum filiorum noſtrorum, cum ſciamus quòd aliquando ſis venturus *in majeſtate tuâ, & omnes Angeli tecum, tunc ſuper ſedem majeſtatis* e tuæ ſeſſurus ad ulciſcendam injuriam quæ tuis fuerit Electis irrogata: attende Domine, quòd nulla alia habent arma ad ſe defendendos præter fletus & gemitus: Da ingreſſum in cor tuum lacrymis iſtorum Innocentium in cunis ſuis involutorum, *Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum* f. Auxiliare eis in neceſſitate conſtitutis, cùm iſtud poſſis, & hoc modo dabis nobis unde contentæ ſimus, & non fleamus ampliùs. Ego verò præ omni reverentiâ poſſibili te deprecor ut mihi ſuggeras rationes ad oſtendendam meis Auditoribus iſtius crudelis Tyranni cæcitatem. Iſtud eſt quod ſupplex à te efflagito interventu ſanctiſſimæ Matris tuæ, quæ nobis impetrabit hunc favorè ſtatim ac dixerimus ipſi, *Ave M.*

Obſervaverunt Philoſophi, quòd motus naturalis eſt eò velocior & vehementior, quò plùs accedit ad ſcopum ad quem tendebat ab initio: & id quod aliqui aſſerunt de motu corporum inſenſibiliũ, hoc ipſum aſſerunt alij de motu voluntatum noſtrarum & deſideriorum noſtrorum. Ratio hujus commũnis eſt iſtis æquè ac aliis. Quia ſicut motus, tam naturalis, quàm voluntarius, non eſt niſi inclinatio rei verſùs centrum ſuũ, quod eſt bonum ſuũ, & totalis perfectio ſua; inde ſequitur ut, quò plùs ad illud anima accedit, eò ampliorem repetiat ibi voluptatẽ, & plùs animetur ipſa ad proſecutionem & inquiſitionem hujus unici boni. Iſtius habeo manifeſtam probationem in Canticis g. ubi Eccleſia ſic dilectum ſuum alloquitur, *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Hæc ſacra Sponſa paulò antè

Marginal notes: a Apoc. 6.10 · b Matth. 1. 18. & 23. & Luc. 1.31 & Iſai. 7. 14. · c Oſee 13. 14. · d Mich. 2. 13. · e Matth. 25. 31. &c. · f Pſ. 78. 11. · g Cant. 1. 7. &c.

ptæ ſe tulerat aliquam ſpeciem deſiderij oſculandi Sponſi ſui oſculo pàcis, cùm experta fuiſſet ſuavem odorem cœleſtium unguentorum illius, dicens, *Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Non latet vos, Auditores, quomodo Patres antiqui noſtri ſuſpirabant ad adventum Meſſiæ, dicentes, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem* h. Quòd iſtud deſiderium erat motus univerſalis naturæ humanæ totius tendentis ad ſolum & unicum bonum ſuũ: ipſa jugiter exorabat ut Dei Filius indueret veſtem noſtram, nedũ requireret ipſa locum in quo myſterium iſtud eſſet adimplendum: ſed quia ipſa non ſatis accedebat ad ſcopum ſuum, & ad terminum ſuum, motus ipſius erat mediocris, & ipſius deſiderium non erat ſic valdè inflammatum: *At ubi venit plenitudo temporis*, quando *miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege; ut eos qui ſub lege erant, redimeret; ut adoptionem filiorũ reciperemus* i: tunc hæc Sponſa reduplicavit ſuſpiria ſua, & acceleravit ut accederet ad locũ, in quo occiderat ipſi iſtud bonũ, quod erat centrũ ſuum, & cumulus perfectionis ſuæ: tunc ipſa protulit hæc ſuavia verba; *Indica mihi, quẽ diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiã poſt greges ſodalium tuorũ.* Quaſi diceret, Nunc Sponſe mi chariſſime cũ nunciatum eſt mihi, quòd recenter deſcenderis in terram, & ſtatim in adventu tuo ſumere volueris comeſtionẽ tuam, & quietem tuã horâ meridianâ, fac ſi placet, ut illud ſciã, ne ampliùs te quærens, aberrem cum ſocijs tuis, & incurrã periculũ perdendi tuĩ ipſius. Re autẽ verâ, Auditores, hoc eſſet injuriã irrogare literæ, & tempeſtati ad quã pervenimus, niſi intelligeremus per hanc ſupplicationẽ quã Sponſa propoſuit, orationẽ generalem, quã Eccleſia militans faciebat eo tempore, quo *cùm quietũ ſilentiũ contineret omnia, & nox in ſuo curſu mediũ iter haberet, omnipotẽs Sermo exiliens de cœlo à regalibus ſedibus, in mediã terram proſilivit* k, de loco, & de *præſepio* l, ubi Maria hunc Salvatorem depoſuerat. Non latet vos, quòd Eccleſia includit in ſinu ſuo diverſa genera hominũ, & quòd non ſolũ boni ſunt illius membra, ſed etiã mali, *Quia mẽbra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius*, ait S. Paulus m. Et poſt eum Dion. Carth. n. *Quia membra ſumus nos Chriſtiani, corporis eius, id eſt, Eccleſia, quæ eſt myſticum corpus Chriſti. Sumus itaque membra de carne eius & oſſibus eius, id eſt, eiuſdem naturæ exiſtentes cũ Chriſto homine. Vel hoc ideò dicitur, quia fidelium qui à Chriſto inſtituti ſunt, quidam, putà infirmi, dicuntur de carne Chriſti, quæ ante paſſionem erat infirma †, quoniã indigent à fortibus ſuis ſuſtentari, quemadmodum caro ſuſtentatur ab oſſibus. Alij ſcilicet fortes ac perfecti, dicuntur de oſſibus Chriſti propter conſtantiã, & Dominicæ paſſionis ac patientiæ imitationem.* Prætereà, Scitis quòd, ſi ſumamus hoc nomen Eccleſiæ ſecundùm totam extenſionem ſuam, poſſumus in eâ comprehendere omnes illos qui habent aliquam fidem in Deum, licèt ſint, aut non ſint è lege Moyſis, quæ faciebat ipſos eſſe Filios Dei per progeniẽ, ſicut Judæis improperando dicebat *Ieſus, Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite* o. Vel ex lege Evangelicâ, quæ ipſos facit *filios Dei fieri** per gratiã. Quòd ſint Judæi, vel Gentiles, hoc parùm intereſt; dummodò credant Deum ſolum, poſſunt eſſe aliquo modo filij Eccleſiæ; unde ſequitur ut *paſtores*, quibus locutus eſt *Angelus Domini, & dixit illis, Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus*

Marginal notes: h Iſai. 45. 8. · i Galat. 4. 4 & 5. · k Sap. 18. 14 & 15. · l Luc. 2. 7. · m Epheſ. 5. 30. · n Dion. Carth. art. 3. in Epheſ. 5. 30. · † ex Matt. 26. 41. · o Ioan. 8. 39 · * Ioan. 1. 12.

p Luc. 2. 8 &c. *Dominus, in civitate David* p: & *Magi* qui *ab Oriente venerunt Jeroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum* q: perfectè repræſentare nobis q Matth. 2. 1. &c. poſſint legitimos filios Dei; & Judæi cum Herode improbos & ſceleſtos: & iſti æquè ac alij hodie ſcire deſiderant nuntia de Salvatore noſtro, ſed præ hâc differentiâ, quòd legitimi filii Eccleſiæ ſcientes quòd ſimilis eſt reliquis hominibus in omni eo quod eſt naturale in humanitate, volunt habere aliquam particularem notam ad diſcernendum eum ab aliis, ut eum diligant, eique ſerviant unicè; ideoque eum orant ut ipſis oſtendat præſepè ſuum, in quo reficiatur, & quieſcat. *Indica* nobis, inquiunt paſtores, *ubi* eſt locus paſcuorum tuorum, obſecramus te. Non latet nos, quòd locus iſte ſit præſepium, in quo jaces inter duo animalia, ut ibi paſcas omne genus animalium duplici genere ciborum qui ibi reperiuntur. Scimus te eſſe *paratum panem de cœlo ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſua-* r Sap. 16. 20. *vitatem* r. Id eſt, *panem Angelorum* s, qui es alimen- s Pſ. 77. 25. mentum congruum hominibus, qui non vivunt ut bruta: ſed præterea ipſe jaces ſuper fœnum, ut oſtendas hominibus quòd habent cor animale, & quòd nihil habent prætendere in te, ſed quòd excipere vis eos ut beſtias, dans illis ſolum fœnum, quod repræſentat bona & voluptates iſtius ſæculi, quibus communicant cum beſtiis: *Animalis autem homo non* t 1. Cor. 2. 14. *percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei* t. Similiter Reges Orientis dicunt ei, *Indica* nobis *ubi cubes in Meridie.* Vel, Monſtra nobis ſimul & Occidentem tuum & Meridiem tuum: ſcimus enim quòd ab omni æternitate ortus es è ſinu tui Patris æterni, qui ait tibi u Pſ. 109. 3. ab æterno *Ex utero ante Luciferum genui te* u. Ideòq; non ignoramus Orientem tuum: & licèt per totam hanc æternitatem fuerimus in tenebris noctis obſcuræ, ſive per primum nihilum, ſive per chaos primæ creationis x, ſive per ignorantiam vel errores Genti- x Gen. 1. 1. & 2. lium, expectantes ſemper ut tranſiens lineam Meridianam, quæ jungit juſtitiam tuam miſericordiæ tuæ y, venires occubitum in terram: occidendo e- y Pſ. 84. 11. nim nobiſcum, noctem noſtram mutas in ſpecioſam diem: dic nobis igitur in quemnam locum veneris occaſum, quia jam cœpimus experiri radios tuos: nobis velut digito demonſtra locum occaſus tui, qui eſt præſepium tuum, ne eamus poſt ſtellas ut illas adoremus. *Ne vagari* incipiamus, quia nolumus videre & revereri niſi unicum Solem *juſtitiæ* z, qui non z Malach. 4. 2. eſt alius niſi tu. Sed è contrà improbi Judæi, qui habebant animam malignam, præſertim verò Herodes, qui erat eorum Rex, concupivit ſcire locum comeſtionis & quietis Salvatoris ob pravum finem, quem tribus Magis diſſimulat verbis fictis amore & reverentiâ, dicens eis, *Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum* a. Quaſi diceret, *Indica mihi, quē* a Matth. 2. 8. &c. *diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum* Dic mihi, ubinam ſis, ne vagari cogar inter ſocios tuos infantes lactentes quem volo te adorare; & adoratio non debet eſſe mihi unius. Ha hypocrita, inimice illius quem quæris: tu quæris quidem Jeſum Chriſtum recenter natum, & deſideras ſcire locum in quo ipſe ſit, ſed non ideò ut illum adores, ſicut debes, ſed ut illum abhorreas; non ut agnoſcas eum ut Regem tuum, ſed ut extermines illum quaſi indignum qui ſit ſubditus tuus, & ſi autem vereris ne ubi vagandum ſit inter ſodales illius antequàm reperias eum, non ideò quod deſideres amare illum unicè, ſed quia vis illum morti tradere. Innocentes iſti ſunt victimæ tuæ diabolicæ intentionis, cùm non inveniens eum quem quærebas, vagatus fueris poſt greges iſtorum agnorum qui erant ſodales illius: ſed veritus ne non occideres illum quem quærebas cum tanto furore, omnes illos peremiſti in cunis, & in ſinu matrum ſuarum. Cæcitas inuſitata! Propterea deſidero mōſtrare Diviſio vobis, Auditores, in prima parte diſcurſus iſtius, quomodo hæc cæcitas, ad magnam illius confuſionem, affert tamen magnū bonum Ieſu Chriſto, & his parvis Innocentibus. In ſecunda verò vobis oſtendam, quomodo infantes iſti fuerunt veri Martyres.

Si Imperator Nero, Tyrannus hic immitis, tanti 1. Pars. ducebat ad magnificandam gloriam Regis, timeri & metui à populo ſuo, ut aliquando monitus ab uno ex amicis ſuis, quòd, ſi monſtraret ſe ſic crudelem adverſus ſuos ſubditos, ſive per impoſitionem legum importabilium, ſive per punitiones æquo ſeveriores, ſive tandem per alios actus tyrannidis, quibus utebatur, omnium odia ſibi conciliaret, reſponderit, *Oderint, dum metuant*; Parùm meâ intereſt, ut odia concipiant immortalia contra me, dummodò me timeant, & tremant ſub legibus quas ipſis impono: quia gloria mea, ſeu fœlicitas mea, non pendet ab illorum amore, ſeu potiùs ab eorum metu: ſi eſſem ſubjectum affectus illorum, ipſe me redderem eis æqualem, ipſi vellent æquiparari mihi: ſed cùm formider ab illis, ſicut metuor, ſic me reddo ſupremum illorum Dominum: illorum odium non poteſt me offendere; & timor illorum ſtabilit imperium meum: potiori ratione Salvator animarum noſtrarum, parvus Infans Jeſus recenter natus, uſurpare ſibi poteſt eamdem inſcriptionem, comparatione iſtius ſceleſti & abominabilis Tyranni Herodis. Actum fuit ut ipſe veniret in hunc mundum, b 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16. ut hîc agnoſceretur prout *Rex regum, & Dominus dominantium* b. Inſtituendæ fuerunt leges novæ, & fines imponendi fuerunt legibus Moyſis; *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum: per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis quas offerant indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere: alioquin ceſſaſſent offerri, ideò quòd nullam haberent ultrà conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati: ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam Deus voluntatem tuam* c. *Superiùs dicens, Quia hoſtias* c Hebr. 10. 7. &c. *& oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum, ut ſequens ſtatuat,* ait S. Paulus d. Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus e, d Hebr. 10. 1. &c. e Dion. Carth art. 20. in Heb. 10. 9. *Aufert primum, id eſt, legale ſacrificium, & per conſequens vetus Teſtamentum tanquam in[illegible], ut ſequens ſtatuat, id eſt, novæ legis ſacrificium, ſcilicet Chriſti Sacramentum ſtabiliat, jugiterque frequentandum aſſirmet. Unde per Danielem* f *inducitur, In medio* f ex Dan. 9. 27. *hebdomadæ deficiet hoſtia & ſacrificium.* Oportuit ut manifeſtaretur ipſe, prout *unigenitus Filius, qui eſt* g Joan. 1. 18. *in ſinu Patris* g, qui veniret apertum cœlos, ad collocandos in eo Prædeſtinatos; & ut *Dominus omni-* h Eſth. 13. 11. *um* h, qui confuſione operturus eſſet infernum, i Oſee 13. 14. æquè ac mortem i, ut ſolus & unicus Monarcha, ſub cujus imperium flecti deberent cœlum, terra, & inferi. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* k. Sed, Auditores, num- k Philipp. 2. 10. quid non Dei Filius attendere debet ſibi? cùm hoc modo ſibi ſit conciliaturus odia omnium hominum; cùm legis ipſius futuræ ſint æquo auſteriores, ſceptrum ipſius durius ſit futurum quàm ſit par, &, cùm putabit ſe conciliaſſe ſibi corda hominum, &

hos obſtrinxiſſe ad agnoſcendum amorem quo ipſos diligit, ſit ſeipſum redditurus ſcopum inimicitiarum illorum, quia non noverunt æſtimare amorem qui ipſum inducit ad hæc nova conſilia, quoniam conſueti ſunt omnia in pejorem partem interpretari. Ha quid? putatne quòd Herodes poſſit unquam æquo animo tolerare ſe videre extra thronum ſuum, & deturbatum è ſceptro ſuo? Sanè odio habebitur Salvator ut innovator conſuetudinum, & publicæ quietis interturbator.

Videtur tamen Jeſus Chriſtus reſpondere, *Oderint, dum metuant*. Quaſi diceret, Gloria mea ſtabilitur odio quo mali me proſequuntur, æquè ac amore quo Boni me diligunt: volo ut homines metuant me, ſi nolunt me diligere; & multum me facere exiſtimo ad ſtabiliendum imperium meum, ſi quandiu pannis infantilibus involutus ſum in cunis, Herodes terrore concutitur, & veritus ne ipſum ejiciam è throno ſuo, in mortem tradit omnes coætaneos meos, ut me nece eorum involuat. Sic eſt, Auditores: hoc erat ſignum timoris incomparabilis, videre quòd Rex terrore percellatur ob fletus Infantis vagientis in cunis; & puſillanimitas indigna animâ Regiâ, roborare cuſtodiam ſuam, eò quòd audiviſſet, quòd aderat Infans, qui turbaturus eſſet ipſius ſtatum Monarchicũ. Sed quis nõ deriderет animum ſic puerilem, ac velle inſurgere in infãtes lactentes? Quis ludibrio non haberet, videre quòd aquila bellum indicat culicibus? quòd leo irâ efferveſcat adverſùs agnos? quòd gigas paret acies contra parvum numerum Pygmæorum? Videre autem hodiernâ die quòd Rex metuat Infantulum, nunquid non hoc eſt detrahere evidentiæ ipſi, contradicere manifeſtæ Regiæ dignitati, & inde inferre quòd Herodes non ex ſeſe concipiebat talem pavorem, ſed quòd ad hunc inducebatur ab inimico noſtræ ſalutis, qui ſciens apprimè poteſtatem Regis iſtius recenter nati, uti voluit ut inſtrumento inhumanitate Herodis & aviditate Tyranni ad deſtruendum eum, ſi poſſet? Sed in vanum cruciatur, fruſtrà ciere mortem conatur ei qui eſt *Vita* l. Gloria Salvatoris mei major inde manet ſemper. B. Virgo igitur habet unde meritò jure cuſtodiat ſolicitè theſaurum iſtum ſacrum qui quæritur ad mortem, & conſervet hunc Infantulum qui tot habet invidos: in hâc enim invidiâ mica re video gloriam ejus; & quò magis ipſi invidetur, eò plùs ædificatur ipſi templum ad gloriam ſuam: hoc non eſt niſi principium invidiæ, quâ ipſum proſequentur invidi ſui. Hoc fuiſſet illi injuriam irrogaſſe ac illum habuiſſe obvium inter parvos hos Innocentes, quia ſi mortuus eſſet, eſto quòd mors ipſius nobis æquè proficua fuiſſet hâc ætate tenerâ ad impetrandam nobis veniam generalem culparum noſtrarum, ac ipſa fuit ætate triginta trium annorum, quâ ipſe dixit, *Conſummatum eſt* m: nunquam tamen fuiſſet ipſa ſic glorioſa; & fortaſſis ipſum non agnoviſſemus, ipſique gratias nõ egiſſemus eo modo quo facimus. Quia dici potuiſſet, quòd moreretur, quoniam non poterat evitare mortem, & quòd hæc mors ætate ſic tenerâ non poterat eſſe ſic voluntaria, nec procedere è tãto amore erga hõines, ſicut ætate provectiori. Sed cùm expectaverit uſque ad ætatem virilitatis, quâ voluntariè ſe morti crucis ignominioſæ obtulit ſuſtinendæ, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* n; ut nobis manifeſtaret exceſſum ſuæ dilectionis; inde major provenit ipſi honor & gloria, quàm ſi Herodes ipſum jugulaſſet cum cæteris Innocentibus. Heu! oportebat ut Jeſus Chriſtus citò vel tardè pro nobis moreretur; quod ſi ita res ſe habere debebat, videtur ipſi ſatius fuiſſe, ut citò perimeretur, ne moreretur centies diebus ſingulis ob timorem mortis infallibis. Sed heu! ipſe vult ut ſua mors nobis ſit utilior, & ipſi honorabilior: ipſe enim educit honorem ſuum ex eo quòd non moriatur ætate puerili, ſed ætate maturâ, quâ videtur præbere ampliorem voluntatem propriam & liberam electionem ſuo generi mortis. Sed quâlibet ætate mors hæc ipſi contingat, iſta ipſi eveniet ætate innocentiæ ſuæ, & quolibet tempore ipſe moriatur, dicere poſſumus quòd hæc mors ſit mors Innocentis: *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, ait D. Paulus o. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus p, *Talis enim decebat ut nobis, id eſt, ad noſtram ſalutem procurandam eſſet Pontifex, utpote ſanctus in animâ per omnis culpæ carentiam; innocens, quantum ad alios, quia non eſt inventus dolus in ore eius* q: *impollutus corpore; ſegregatus à peccatoribus, id eſt, à grege iniquorum remotus.* Quòd moriatur igitur, vel non moriatur in hâc cæde univerſali, quam facit Herodes, nos manebimus ei eò magis devincti, quò plùs ipſe delituit hâc vice, nolens occîdi cum tot Innocentibus in cunis, ad manifeſtandam meliùs aliquando mortem ſuam coram univerſo mundo.

Sed miror, Auditores, vehementer, quòd Salvator mori renuat inter Innocentes, & quòd reſervet ſibi mortem oppetere in medio latronum, ſicut revera *crucifixi ſunt cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris* r. Viſne, peccator, iſtius ſcire rationem? Ideò quia vult ipſe relinquere locum vacuum, ut videat num ſis ipſe voliturus effundere ſanguinem tuum inter Innocentes: quia ſi adſis eorum numero, eris verè innocens: ſed ſi mori malis inter latrones, habeberis & excipîeris ut latro: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris* ſ. Et quemadmodum ipſe erat Author ipſius innocentiæ, quippe qui *Sanctus Dei* t, non verebatur ne perverteretur à latronibus, ſed potiùs ſperabat eos à ſe convertendos: propterea moriens occupat locum qui erat inter eos, ut tu non te colloces in eo; & tibi locum ſuum relinquit inter Innocentes, ut annumereris cum illis, & moriaris innocens.

Sed quis poſſet nunc explicare fœlicitatem iſtorum parvorum amicorum cœli, per quam locum tenent in hac ſanguinolenta tragœdia quæ peragitur intuitu Salvatoris animarum noſtrarum? Si cauſa dolorum omnium, quibus affectus eſt Jeſus Chriſtus, fuit, ut ait Apoſtolus u, eò quòd operuerit formam Divinam, quam habebat, pallio humanitatis noſtræ, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: Vel, juxta Dionyſium Carthuſianum x, *Qui Chriſtus cùm in formâ Dei eſſet, id eſt, veram Deitatem haberet, ſeu unus cum Patre eſſentiâ eſſet, ſecundùm quod ait, Ego & Pater unum ſumus* y, *ſemetipſum exinanivit, id eſt, vehementer ſe humiliavit, formam ſervi accipiens, id eſt, naturam humanam atque ſervilem in unitate perſonali aſſumens, ita quòd natura aſſumpta, unita eſt Verbo immediatè atque in ipſo ſuppoſitata, ſeu eſſe perſonali Verbi immediatè conjuncta, ſicut caro conjungitur animæ: In ſimilitudinem hominum factus, id eſt, cæteris hominibus aſſimilatus ſeu ſimilis factus, aſſumendo indetrahibiles defectus, videlicet pœnalitates, non vitia. Fuit enim mortalis atque paſſibilis: Unde ad Hebræos* z *dicit Apoſtolus, Debuit per omnia fratribus ſimilari; Et habitu, id eſt, converſationis ſuæ habitudine, inventus eſt, id eſt, verè innotuit ut homo*: Dicendum eſt è contrà, quòd cauſa fœlicitatis & prædeſtinationis iſtorum infantium fuit, eò quòd reperti fuerint involuti pannis exiguis, qui erant apparatus iſtius Meſſiæ, hujus Redemptoris mundi Victoris inferorum, & deſtructoris Im-

[Margin notes: l Ioan. 14. 6. — m Ioan. 19.30. — n Iſai. 53. 7. — o Hebr. 7.26. — p Dion. Carth. art. 7 in Hebr. 7. 26. — q Iſai. 53. 9. & ex 1. Petr. 2.22. — r Matth. 27.38. — ſ Pſal. 17.26. & 27. — t Marc. 1.24. & Luc. 4.34. — u Philipp. 2.6. & 7. — x Dion. Carth. art. 3 in Philipp. 2.6. & 7. — y Ioann. 10.30. — z Hebr. 2.17.]

periorum mundanorum: nam invidia, quâ ipſe impetebatur, exonerata eſt ſuper ipſos Innocentes, quippe qui ſimiles ei erant; & ideò annumerati ſunt cum illis, quos mundus & diabolus oderunt, qui ſunt veri amici & legitimi filij Dei, quibuſque ipſe ait, *Si mundus vos odit: ſcitote quia me priorem vobis odio habuit* a. *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui*, ait S. Paulus b, loquens de Patre æterno.

a Ioan. 15. 18
b Rom. 8. 29.

Sed audebone nunc dicere id, quod cogito? Hoc dicam, Auditores, nedum tamen verear errare, & ſpero quòd illud nõ invenietis inuſitatum. Dico igitur quòd maxima felicitas quæ contingere poterat parvis iſtis Innocentibus, fuit quòd in mundum venerint eo tempore quo *Verbũ caro factum eſt* c. Videtis ordinariè, quòd quando Rex aliquis eſt ætatis teneræ, omnes viri nobiles qui habent filios ejuſdem ætatis, conantur illos ejus obſequio dedere, ut, cùm adoleverint cum illo, quando creſcent ætate, creſcant etiam favoribus: iſtæ enim antiquæ amicitiæ, quæ veniunt ab infantiâ, non poſſint niſi felicitatem afferre juvenibus iſtis aulicis: ſic videmus ordinariè quòd hi ſunt ſemper fideliſſimi Regi ſuo, & maximè diſpoſiti ad effundendum ſanguinem ſuum & ad tradendam vitam ſuam ad mortem pro obſequio illius, quod eſt maximum inſigne nobilitatis, quod poſſit prætendere vir nobilis: ecce *Rex regum, & Dominus dominantium* d, *natus in Bethleem Iudæ* e, ubi reperitur eodem tempore magna multitudo infantium recenter natorum: nonne juſtâ ducentur ambitione parẽtes eorum, ſi illos confeſtim mancipent obſequio Principis iſtius recenter nati, ut fiant amici ejus, & magni evadant in curiâ illius? Nemo eſt qui de hoc ambigere debeat; cùm Princeps iſte recenter natus gratum habeat illorum obſequium: nam peractis diebus aliquot à nativitate ſuâ, cogit ipſe milites ad indicendum bellum mundo, & ad proſternendum diabolum, hoſtem ſuum capitalem: & ſicut ipſe eſt ætatis teneræ, ut majorem de illis hoſtibus ſuis gloriam reportet, non vult inſumere niſi infantes iſtos lactentes, ut eorum fortunam ſtabiliat ampliorem, & magis illos nobilitet. Sic intueor hodiernâ die quòd ipſum ſequuntur, quòd mundo prælium indicunt innocentia ſua, quòd effundunt ſanguinem ſuum pro defendendo Principe ſuo tenero, & morte ſua ſibi cõciliant titulos nobilitatis, quos amittere nõ poſſũt.

c Ioan. 1. 14.
d 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16
e Matth. 2. 6.

Nolite ergo moleſtia affici, parentes, qui infantes iſtos in lucem edidiſtis: ne affligamini, ſi relinquant domos veſtras, & ſi videatis eos jugulari inter brachia veſtra à carnificibus iſtis immitibus. Non me latet, quòd caro & ſanguis ſuggerunt vobis querelas: non ambigo, genitrices, quin amor maternus ſubminiſtret vobis clamores & lacrymas, videndo quòd iſti tortores inhumani vobis eripiunt delicias veſtras: nõ ignoro quòd eſt conſuetudo matrum, cùm filij ſui peregrè proficiſcũtur, effundendarũ lacrymarum in diſceſſu ipſorum, ſicut ediſſerit Scriptura ſacra f de matre Tobiæ, *Flebat mater eius irremediabilib9 lacrymis, atque dicebat, Heu heu me fili mi, ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. Illa autem nullo modo conſolari poterat.* Sed matres afflictæ mitigate fletus veſtros, ſiſtite lacrymas veſtras; imponite modum clamoribus veſtris: quia ſi conſideretis quòd filij veſtri diſcedunt à vobis ut ſint pueri honorarij Regis regum, & deferãt illius inſigne quod eſt ſanguis & martyriũ, ampliorẽ capeſſetis anſã gaudij, quam triſtitiæ; reputabitis vos honoratas pro eo quòd peperiſtis filios, qui ſic eximiè ſuã fortunam promoverint. Imò verò dico quòd filij veſtri ſic ſibi Jeſum Chriſtum devinxerunt bonis

f Tob. 10. 4. &c.

ſuis obſequiis, ut aſſerere poſſint, ſe verè ſalvaſſe illi vitam, & quòd aliquo modo idem Jeſus Chriſtus debet ipſis vitam: & ſic ipſe non poteſt quin ipſos ſuæ coronæ & Regiæ ſuæ dignitatis faciat participes. Nunquid enim non eſt verum, Auditores, quòd Herodes putavit ſe occidiſſe Filium Mariæ inter tot Innocentes qui inveniebantur in civitate Bethleem? Opinio quam habuit, quòd Jeſus Chriſtus comprehendi debebat in ſic ingenti numero, reddit ipſum contentum, poſt neci deditos omnes illos infantes. & ſic deſtitit à quærendo Salvatore ad mortem, & illum vivere reliquit. Felices ſunt igitur iſti recentes Aulici cœli, cùm effundant ſanguinem ſuum pro ſui Principis obſequio, & moriantur ad ſalvandam ipſi vitam; qui beneficij iſtius non erit immemor, cùm ſit illius mercedem ipſis impenſurus; ideòque vel ex nunc ipſi collocentur in numero Martyrum.

Theologi loquentes de martyrio, ſic illud definiũt, *Martyrium eſt voluntaria mortis perpeſſio ſive tolerantia propter fidem Chriſti, vel alium virtutis actum in Deum relatum.* Vnde ſequitur primò, quòd illi qui non patiuntur mortem corpoream, non ſint planè Martyres: quia ſicut Martyr Græcè, idem eſt Latinè ac teſtis, id eſt, fidei Chriſtianæ, per quam contemnuntur & conculcantur omnes res viſibiles & mundanæ propter amorem rerum inviſibilium & cœleſtium, ſicut Salvator ſuis dicebat Apoſtolis, *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ* g: ſic inde ſequitur, quòd ad hoc ut aliquis ſit verus Martyr, oportet ut fidem proteſtetur operibus ſuis, monſtrans effectivè quòd poſtponit mundi res omnes fruitioni bonorum æternorum: atqui quandiu homo poſſidet adhuc vitam corporeã, non oſtendit effectivè quòd contemnat omnia pro defenſione Jeſu Chriſti, quin imò reſervat ſibi principale, quod eſt vita, pro quâ exponit unuſquiſque ſe voluntariè omni generi periculorum & malorum: & ſic oportet ad hoc ut quis ſit Martyr propriè, ut mors corporea ſequatur: ideòque omnes aliæ tolerantiæ, ut morbi, tormenta, exilium, jactura bonorum, flagellationes, incarcerationes, &c. non ſunt propriè martyria, niſi mors inde ſequatur, ſicut in S. Marcello, qui mortuus eſt fœtore carceris in quo incluſus erat.

II. Punct.
g Act. 1. 8.

Verum quidem eſt, quòd ſi aliquis privilegio ſpeciali ſic adjuvaretur gratiâ cœleſti, ut, poſt toleratum illud omne quod homo viribus ordinarijs & naturalibus ſuſtinere poteſt, ita ut inde mors ſequi deberet, tamen non moreretur, is non deſineret eſſe Martyr propter rationem ſupradictam: ideòque B. Virgo Maria dici poteſt perfectè Martyr, & reverâ vocatur ab Eccleſia *Regina Martyrum.* Quia ſtans *iuxta crucem Ieſu* h Filij ſui, tantam vim pertulit doloris, juxta id, quod prædixerat ipſi ſenex *Simon, Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* i, ut eſſet impoſſibile, loquendo naturaliter, ut ipſa diutius viveret, niſi Deus ipſam præſervaſſet propter majus bonum, ut ait S. Anſelmus k, ipſum ſic alloquens, *Pia Domina, non crediderim te ullo puncto potuiſſe ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere: niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus dulcedinis Filij tui, pro quo moriente tantoperè torquebaris, te confortaret, te conſolaretur, te intùs doceret non eſſe mortem eam abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubijcientem.* Et S. Hildephonſus l dicit, *Quòd ſi gladius uſque ad animam pervẽnit, quando ad crucem ſtetit ſulgentibus Apoſtolis* m, *cùm videret Dominum pendentem: etiam pluſquàm Martyr fuit: quia in animo non minùs amoris quàm mœroris eſt intùs gladio verberata. Parata enim ſtetit ſi non deeſſet manus percuſſoris. Beata Dei Genitrix vere pluſquam Martyr Mater eſt, quæ nimio amore vulnerata, Teſtis extitit Salvatoris.* Et S. Joannes Evange-

h Ioan. 19. 25.
i Luc. 2. 34. & 35.
k S. Anſelm. citat. à S. Bernardin. ſerm. 3 de Glor. Nom. Mar. a. 2. c. 4.
l S. Hildeph. ſerm. 2. de Aſſumpt.
m ex Matt. 26. 56

vangeliſta debet etiam vocari Martyr, quia pertulit tormentum olei ferventis, quod confeſtim debebat ipſi ſpiritum & vitam eripere, niſi ſpecialiter fuiſſet à Deo conſervatus, ſicut canit Eccleſia, *In ferventis olei dolium miſſus beatus Ioannes Apoſtolus, divinâ ſe protegente gratiâ illæſus exivit.* Præterea, Requiritur ut hæc mors ſit volũtaria: unde poſſetis inferre, quòd Innocentes iſti, licèt mortui ſint, non ſint tamen Martyres, quia non ſunt mortui voluntariè, ſicut innui videtur ex hoc quod objicit ſibi S. Thomas n; *Omnis enim actus virtutis eſt voluntarius: ſed martyrium quandoque non eſt voluntarium, ut patet de Innocentibus pro Chriſto occiſis.* Sed ad iſtud ipſemet reſpondet, dicens, *Quòd quidam dixerunt, quòd Innocentibus acceleratus eſt miraculosè liberi arbitrij uſus, ita quòd etiam voluntariè martyrium paſſi ſunt. Sed quia hoc per authoritatem Scripturæ non comprobatur, ideò melius dicendum eſt, quòd martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occiſi, per Dei gratiam ſunt aſſecuti. Nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum, vicem gerit Baptiſmatis. Vnde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occiſis propter Chriſtum, meritum martyrij operatur ad palmam martyrii conſequendam. Vnde Auguſtinus dicit in quodam ſermone de Epiphaniâ, quaſi eos alloquẽs, Ille de veſtrâ coronâ dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui etiam parvulis Baptiſmum prodeſſe non æſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, quâ in paſſurum Chriſtum crederetis, ſed habebatis carnem in quâ pro Chriſto paſſura paſſionem ſuſtineretis.* Et S. Bernardus o ferè dicit idem quod S. Auguſtinus. Ecce verba illius, *An verò de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos* p *in Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævos ſibi pueros, Puer ille, qui natus eſt nobis* †, *non contra nos, propter ſe pateretur occidi? Quod utique ſolo nutu poterat prohibere, niſi melius aliquid eis provideret, & quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circuncisio* q, *nunc verò Baptiſmus ſine ullo voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem, ſic nihilominùs pro eo ſuſceptum martyrium illius ſufficeret ad ſanctitatem. Si quæris eorum apud Deũ merita ut coronarentur, quære & apud Herodem crimina ut trucidarentur. An fortè minor Chriſti pietas, quàm Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios necidare, Chriſtus non potuerit propter ſe occiſos coronare? Sit ergo Stephanus Martyr apud homines, cujus voluntaria paſſio evidenter apparuit in eo vel maximè, quòd in ipſo mortis articulo tam pro perſequentibus, quàm pro ſeipſo ſolicitudinẽ gereret ampliorem* r, *vinceretque in eo ſenſum corporeæ paſſionis, internæ compaſſionis affectus, ut illorum magis ſcelera, quàm ſua vulnera plangeret. Sit Ioannes apud Angelos Martyr, quibus tanquam ſpiritualibus creaturis ſpiritualia devotionis eius ſigna certius innotuerunt. Cæterùm hi ſunt planè Martyres tui, Deus: ut in quibus nec homo nec Angelus meritum invenit, ſingularis tuæ prærogativa gratiæ evidentiùs commendetur. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem* s. *Gloria in excelſis Deo, Angeli dicunt, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* t. *Magna quidem, ſed audeo dicere, necdum perfecta laus, donec veniat qui dicat, Sinite parvulos ad me venire, quia talium eſt Regnum cælorum* u. *Et pax hominibus, etiam ſine voluntatis uſu in ſacramento pietatis. Conſiderẽt hæc, qui de opere & voluntate contentioſis ſolent diſputationibus corrixari: conſiderent & advertant neutrum negligi oportere, ubi non videtur deeſſe facultas, præſertim cùm utrumq; ſine altero (ubi tamen facultas deeſt) non modò ſalutem conſerve poſſit, ſed etiam ſanctitatem. Sed & hoc quoque firmiter teneant, prodeſſe quidem opus ſine voluntate, non tamen contra voluntatem: ut unde ſolvantur infantes, inde magis damnentur fictè accedentes.*

n S. Thom. 2.2. q. 124. a. 1.
o S. Bern. ſerm. in Nat. SS. Innoc.
p ex Ioan. 3. 5.
† ex Iſai. 9. 6.
q ex Levit. 12. 3.
r ex Act. 7. 57. & 58.
s Pſ. 8. 3.
t ex Luc. 2. 14.
u ex Matth. 19. 14.

Ex his omnibus, æquè ac ex illis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur in eodem ſermone S. Bernardi, obſervo ad concludendum totum diſcurſum iſtum, quòd admittitur triplex genus Martyrum. Alii ſunt Martyres voluntate ſine effectu, ſicut S. Joannes Evangeliſta, & Seraphicus Pater S. Franciſcus, cui canit Eccleſia, O *Martyr deſiderio, Franciſce,* &c. Alii ſunt Martyres effectu ſine voluntate, quemadmodum parvi noſtri Innocentes. Et alii ſunt Martyres effectu & voluntate ſimul, ſicut S. Stephanus, S. Laurentius, S. Sebaſtianus, & alij. Et hæc tria genera Martyrum nobis repræſentantur in tribus iſtis Feſtis, quæ nativitatẽ Domini noſtri ſequuntur. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni* x. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum y, *Hi ſunt qui venerunt ex magnâ tribulatione. Per multas enim tribulationes oportet nos ingredi* Regnum Dei z. *Et laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Id eſt, opera interiora & exteriora, quæ ſunt mentis & corporis ſpiritalia indumenta. Vel ſtolæ ſunt corpus, quo anima veſtitur, & anima quâ corpus ornatur. Has ſtolas ab inquinamento peccati mundaverunt in ſanguine Agni, id eſt, in fide & imitatione, in virtute & merito paſſionis Chriſti. Vnde non ait, rubricaverunt, ſed, dealbaverunt: ad innuendum, quòd de ſpiritali dealbatione fit ſermo: itemque, quòd omni carent immunditia culpæ, quæ nigredini comparatur. Præterea, Aliqui dicunt, hæc de ſolis Martyribus dici. Beda verò, & alij multi exponunt de cunctis beatis hominibus. Nam & aliqui Confeſſorum, longum, magnum, ac durum in mundo duxerunt martyrium, ſicut Hieronymus, & beatiſſimi Eremitæ.* Conemur igitur, Auditores, collocare nos in cathegoriâ aliquorum ex iſtis Martyribus: quòd ſi non poſſumus eſſe ſimiles his Iñocentibus, qui fuerunt Martyres effectu ſine voluntate; nec Martyribus effectu & voluntate ſimul, ut S. Stephano, & aliis; ſatagamus ut ſimus ſimiles aliis qui ſunt Martyres voluntate, licèt hanc non ſequatur effectus ſuus: deſideremus effundere ſanguinem noſtrum pro causâ Domini noſtri: & ſi non ſunt ampliùs Herodes ad probandam virtutem noſtrã, effundamus lacrymas, quæ ſunt ſãguis cordis, intuitu peccatorum noſtrorum, ut detur nobis gratia, & gloria.

x Apoc. 7. 14.
y Dion. Carth. art. 8 in Apoc. 7. 14.
z ex Act. 14. 21.

IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus.
Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.

DEus nullum nomen habet, quod exprimere poſſit naturam ſuam; & inſimularemur inſolentiæ, ſi vellemus ipſius magnitudinem quatuor exiguis literis comprehendere, cùm dicat Pſalmiſta a, *Magnitudinis eius non eſt finis.* Ens ipſius non ſubjacet comprehenſionibus noſtris, nec ulla ſunt verba quæ dare poſſint illius notitiam: natura ipſius eſt extra cognitiones noſtras, nedum poſſimus ei dare nomina; *Incõprehenſibilis cogitatu* b. Innominabilis eſt Deus ab æternitate, in cælo non habet ipſe nomen: in tempore datur ipſi nomen; & multùm Patri æterno devincti ſumus, eò quòd dederit Filio ſuo nomen, quod declarat nobis id quod ipſe eſt: eſt enim in vanum ſi in officinâ Pharmacopolæ, in quâ multa ſunt vaſa, non videantur tituli & inſcriptiones ad ſciendum quid hæc contineant: atqui dare hodie Filio Dei nomen, eſt illi imponere titulum, qui nos edocet remedia, quorum notitiam non habebamus.

a Pſ. 144. 3.
b Ier. 32. 20

Et

Etſi Pater æternus dat illi nomen, hoc largitur ei, poſtquam Filius iſte ſuus carnem ſuſcepit in ſinu B. Virginis *ubi venit plenitudo temporis* c. Et hodie vocatur Jeſus, *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Spiritus ſanctus etiam, & B. Virgo præbuerunt ei nomen iſtud; Spiritus ſanctus illud impoſuit, & B. Virgo quæ eundem *peperit Filium ſuum primogenitum, vocavit nomē eius Ieſum* d. Quem ipſa cōncepit, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* e *Maria.*

c Gal. 4. 4.
d Matth. 1. 25.
e Luc 1. 28. &c.

Nunquam potuerunt homines dare nōmen Deo, cujus non poſſumus concipere majeſtatem, minùs autem verbis enunciare; ſed oportuit ut ipſe ſibimetipſi nomen imponeret: & ſicut ipſe noluit ſimul dare notitiam ſui hominibus, ſic ipſe diverſa habuit ſucceſſivè nomina, quæ paulatim cognoſcendū ipſum exhibuerunt. Sic alloquens Danielem, & revelans illi quoddam myſterium, ait illi, *Tu autem Daniel, claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum.* Et ſtatim ſubdit effati ſui rationem, *Plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia* f. v.g. Si aliquis peteret à me quis ego ſim, reſponderem quòd ſum Gallus; poſt aliquot dies elapſos, quòd ſum è familiâ N. poſt aliquantum tempus, quòd ſum Religioſus; & tandem quòd ſum Capucinus: & ſic ſucceſſu temporis magnam darem meipſius notitiā. Deus eodem modo ſe gerit, *Dixit Dominus ad Abrā: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi. Faciamque te in gentem magnam* g. Quaſi innuens, quòd ipſe potens eſt ad gratificandum amicis ſuis. Hoc idem dixit ipſe Jacob Patriarchæ, *Iacob vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac* h. Aliquid amplius dixit ipſe Moyſi, cui revelavit id, quod aliis abſconderat ipſe Patriarchis, *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis* i. Et plus etiam Davidi k, qui ait ipſi, *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Prophetæ dederunt multa nomina Deo Ipſe vocatur ab Iſaia l *Princeps pacis.* Cùm ipſe veniret ad ſtabiliendam pacem in mundo, ejiciendo inde diabolum, qui erat cauſa omnium infortuniorum & bellorum quæ illum affligebant; ideòque veniret ad expugnandūm eum, & ad referendū de illo triumphum, ſicut ipſemet ait, *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras* m. Præterea, *Dominus Deus exercituum* n. Ut manifeſtetur potentia ipſius, cui nihil poteſt reſiſtere, ſicut *Mardochæus deprecatus Dominum, memor omnium operum eius, dixit, Domine, Domine Rex omnipotēs, in ditione enim tuâ cuncta ſunt poſita: non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati* o. Deinde, *Pater futuri ſæculi* p. Quippe qui nos in cruce parturire debuerat in Lege gratiæ, ubi ſe ita manifeſtavit, ut ſuis dixerit Apoſtolis, *Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis* q. Et quia ante Legem Evangelicam non habebamus ita claram notitiam Dei, ſic Deus non dederat nomina quæ ſuas omnes exprimerent excellentias, & adorabile myſterium redemptionis generis humani. *At ubi venit plenitudo temporis* r, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* s, ipſe cepit nomen quod oſtendit id quod ipſe eſt, & id quod ipſe fecit pro nobis: nomen ſibi proprium, *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Quod idem eſt ac Salvator. Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd ipſe tulit duo nomina, nimirum, Jeſu Chriſti, dictus *Ieſus, qui vocatur Chriſtus* t. Et quòd ipſe perfectè ſimul univit hæc duo nomina. Dantur nomina naturæ, & nomina officij, ut, ens ſpirituale, eſt nomen naturæ in

f Dan. 12. 4.
g Gen 12. 1. & 2.
h Gen. 28. 10. &c.
i Exod. 6. 2. & 3.
k Pſ. 50. 8.
l Iſai. 9. 6
m Ioan. 12. 31.
n Iſai. 6. 3
o Eſth. 13. 8. & 9.
p Iſai 9. 6.
q Ioan. 15 15.
r Gal. 4. 4.
s Philipp 2. 7.
t Matth. 1. 16.

Angelo; & nomen Angeli, eſt nomen officij, id eſt, eſſe miſſum: Chriſtus eſt nomen naturæ, quod ipſe habet ut Deus, prout unctus: fuit unctus Divinitate in viſceribus B. Virginis, ut ait et Pſalmiſta y, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Nomen Jeſu, ſeu Salvatoris, eſt nomen officij. Dantur nomina abſoluta, & nomina relativa. Subſtantia ſpiritualis, eſt nomen abſolutum in Angelis; eſſe Angelos eſt nomen relativum ad ipſorum miniſterium: ſic nomen Chriſti, eſt nomē abſolutum, & nomen Jeſu, eſt nomen relativū, quod ſpectat homines, quos ipſe debet ſalvare. Habere poteſt quis nomina vel ſortis, vel electionis: & hæc & illa replere debet, ut illa ferre poſſit cum gloriâ. Sortis, ut nomen Ducis exercitus, qui præ ſe nihil ferre debet puſillanimum, quod detrahat huic nomini Ducis, ſed è contrà ſe generoſum exhibere in quibuſlibet occurſibus, alioquin nō mereretur ferre præclarum nomen iſtud Ducis. Electionis, ut nomen Patris patriæ, qui laborare debet pro progreſſu patriæ, & ſtudere promovendæ fœlicitati ejus, non autem quærere ſeipſum, nec illam opprimere ad ſe elevandum, quod eſſet injuſtitia. Jeſus habet hodie nomen iſtud per electionem: debet igitur præ juſtitiâ illud replere, & facere id quod fert nomen iſtud. Videamus ergo Primò nominis iſtius excellentias. Secundò quomodo perfectè Dei Filius illud adimpleat. Diviſio

y Pſ. 44. 8.

Sacrum nomen Jeſu ſolum comprehendit omnia alia nomina, quæ Deus revelaverat Patriarchis, quæ omnia non ſatis exprimunt ipſius excellentias infinitas. Propterea *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis* z. Quaſi diceret, quòd illi qui plùs ipſum cognoſcebant, vocabant ipſum diverſis nominibus, ſed quòd nomen ſuum eſſentiale, ſeu ſibi proprium, nemini fuit unquam revelatum. Sicut autem videmus quòd multa vaſa è diverſis materiis compacta, v.g. ex auro, ex argento, vel ex ære, faciunt ſingula ſonitus exiguos cùm ſunt ſeparata; ſed cùm ſunt ſimul fuſa, & unita ſimul, faciunt magnum cymbalum, quod edit magnos ſtrepitus: ſic *in utero* a B. Virginis, quæ erat fornax amoris, cùm ſit ipſa, *Mater pulchræ dilectionis* b, hæc omnia nomina fuerunt veluti fuſa, & ex ipſis omnibus exivit ſacrum nomen Jeſu. Iſtud eſt, quod Deus promiſerat per Zachariam c, *In die illâ erit Dominus unus, & erit nomen eius unum.* In quo nomine omnes ipſius excellentiæ ſunt repræſentatæ. Sicut enim cùm magnificare volumus potentiam Monarchæ noſtri, vocamus illum multis titulis; ſed in titulo Regis Galliæ omnes alij comprehenduntur: ſic nomina antiqua Dei, ſignificabant aliquas è perfectionibus ipſius; ſed nomen Jeſu comprehendit eas omnes. Nam ſicut nomen tetragammaton, quod idem eſt ac Adonai, ut ait Cornelius d, *In Hebræo non eſt Adonai, ſed nomen tetragammaton,* ſignificat Eſſentiam Divinam, & tres perſonas Trinitatis, ſicut proſequitur idem Cornelius: Hoc idem ſignificat nomen Jeſu, & præterea nomē Chriſti, prout Dei & hominis, & prout Salvatoris. Propterea dixit S. Paulus e, *Deus donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

1. Para.
z Exod. 6. 2. & 3.
a Matth. 1. 18. & 23 & Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14
b Eccli. 24. 24.
c Zach. 14 9.
d Cornel. in Exod. 6. 3.
e Philipp. 2. 9. & 10.

Quòd ſi petatis, quare cùm Filius Dei vocetur ab Iſaia f *Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis,* Apoſtolus ait ſolùm ut revereamur hoc nomen Jeſu, & non alia: reſpondeo, quòd res quæ acquiruntur majori labore & difficultate, majoris æſtimantur quàm illæ quæ faciliùs cōparantur: unde procedit ut illi qui neſciunt quantis ſudoribus acquiſitæ ſint divitiæ, intra tempus exiguum diſſipent hæreditates opulentas, quia pauci æ-

f Iſai. 9. 6.

ſtimant

æſtimant id quod ſibi fuit acquiſitum ſine labore: ſic dicimus quòd tituli, quos Iſaias dat Filio Dei, ſunt tituli quos habuit per hæreditatem, licèt ipſe æſtimet eos infiniti, cùm ſint valoris infiniti: ſed quia ipſe acquiſivit hoc nomen Jeſu *in laboribus à juventute* g ſuâ plurimis, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* h: ipſe vult ut exhibeatur illi honor, & ipſe majoris illud æſtimat. Sic Romani multò pluris æſtimabant hæc nomina, quæ ipſi acquirebant per merita & facinora ſua glorioſa, quàm illa quæ ipſi per ſucceſſionem à majoribus ſuis hæreditabant.

g Pſ. 87. 16 h Philipp. 2. 8.

Nomen Jeſu comprehendit omnia alia nomina quæ Salvatori præfatus Iſaias attribuit, dicens, *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* Nomen Jeſu eſt admirabile, quia ſignificat Salvatorem, ſicut S. Joſepho ſponſo Virginis Deiparæ dixit *Angelus Domini, Vocabis nomen ejus Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* i. Nam quid admirabilius, quàm viſu Deum mori in patibulo crucis ad ſalvandos homines? Eſt etiam nomen conſilij inauditi: nam omnia conſilia hominum ſpectant bonum eorum qui ipſos conſulunt; & reſpondere ſolemus ijs qui petunt à nobis conſilium; In hoc conſiſtit utilitas veſtra, ut faciatis talem rem: propterea Reges tot habent conſilia bellica, politica, &c. ut id quod in eis concluditur, revertatur ad ipſorum emolumentum: ſed Deus, qui eſt, ſicut ait David k, *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*, cùm ſeipſum conſuluit de ſalute hominum, non quæſivit proprium commodum, nec utilitatem ſuam, ſed emolumentum eorundem hominum, ſtatuens ut proprius Filius foret immolandus pro eorum ſalute, cùm in conſilio cœli tota SS. Trinitas id decreverit l, ſcilicet, ut *Verbum caro* m fieret, & pro redemptione mundi moreretur. Præterea, Nomen *Fortis*, eſt interpretatio nominis Jeſu: nam fuit admirabilis fortitudo ſuperare *Principatus & Poteſtates* n inferni, infirmitatibus, paſſionibus, effuſione ſanguinis, *& lacrymis* o. Inſuper, Nomen Patris *futuri ſeculi*, eſt etiam explicatio nominis Jeſu: ipſe enim detexit nobis illius ſeculi divitias, ipſe nobis aperuit iter ad illud, & per ipſum illud ingredimur, juxta prophetiam Michææ p, *Aſcendet pandens iter ante eos: divident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis & Dominus in capite eorum.* Tandem, Jeſus idem eſt ac *Princeps pacis Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſuâ: legem mandatorum decretis evacuans: ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo* q. Uno verbo, Nomen iſtud ſacrum continet omnes theſauros gratiæ. Nomen è cœlo, & non è terrâ, nomen impoſitum à Deo, & non ab hominibus, *Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquàm in utero conciperetur*, ait Evangeliſta noſter. Solùm fuit prolatum, & non primùm impoſitum. Nomen electum & datum à Deo, plenum veneratione in cœlis, & adoratum ab Angelis. Deus dicens, facit id quod ipſe dicit; & dans nomen, dat etiam rem expreſſam per nomen: ſic Deus Pater vocans Filium ſuum Jeſum, facit eum eſſe Jeſum. Hic, *Filius* r Dei erat in æternitate, ſed non erat Jeſus ab æternitate: natus enim ex Mariâ *ubi venit plenitudo temporis*, ſ miſſus eſt ut Jeſus, teſtante S. Joanne t, *Ieſum Chriſtum in carne veniſſe.* Jeſus hâc ætate tenerâ voluit non ſolùm ſumere nomen & officium Jeſu, ſed etjam illud exercere, & producere effectus illius per

i Matth. c. 20. & 21.
k Pſ. 65. 5.
l Iſai. 6. 8. & 9.
m Joan. 1. 14.
n Coloſſ. 2. 15.
o Hebr. 5. 7.
p Mich. 2. 13.
q Ephes. 2. 14. &c.
r Pſ. 2. 7.
ſ Gal. 4. 4.
t 1. Ioan. 4. 2.

effuſionem ſanguinis ſui, ſe manifeſtans Jeſum, non per miracula, ſed patiendo, & ſanguinem fundendo.

Impoſitio nominis ſupponit cognitionem rei: *Appellavit Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ* u. Quia Deus ei indiderat quandam ſcientiam perfectam naturæ & proprietatum uniuſcujuſque ex illis animalibus: *Et nemo novit Filium niſi Pater: neque Patrem quis novit niſi Filius* x. Ideòque Pater ſolus poteſt nominare Filium ſuum Jeſum, quia ipſe ſolus cognoſcit eum, & quoniam Filius à Patre procedit in æternitate; & ſicut Pater reſidet in Filio ſuo, & Filius in Patre ſuo, *Ego in Patre, & Pater in me eſt* y; quod eſt intelligendum de identitate naturæ: ſic nomen ineffabile Dei, eſt in nomine Filij, prout hominis, & hoc per unitatem ſubſiſtentiæ duarum naturarum, ſecundùm quod de Angelo *magni conſilij* z ſcriptum eſt, *Et eſt nomen meum in illo* a. *Quaſi dicat, Æquè dicitur Deus ut ego*, ſubdit Cornelius b poſt Rupertum, S. Athanaſium, & Heſychium, quos citat. Id eſt, quòd nomen ineffabile Dei continetur in nomine Jeſu, in quo redditum eſt effabile. Hoc nomen primò prolatum eſt ab Angelo beatiſſimæ Virgini Mariæ, *Vocabis nomen ejus Ieſum* c. Deinde Maria, prima ex mandato Patris, juxta hoc idem verbum Angeli, *vocavit nomen ejus Ieſum* d. Angelus igitur ex ordinatione Dei, primus nominavit illud Mariæ, & deinde Maria nominavit illud hominibus, ſicut Jeſus à Patre æterno datus eſt Mariæ, & à Mariâ datus eſt hominibus: nomen enim reſpondet rei, *Vocabis nomen ejus Ieſum.* Jeſus accepit à Maria id quod ipſum facit eſſe Jeſum, id eſt, habitum ſuum corporeum: *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris* e. Id eſt, in cruce: ſic ut ipſe ſit Jeſus, quatenus factus eſt à Maria, ut Filius ſuus, prout Deus homo.

u Gen. 2. 20.
x Matth. 11. 27.
y Ioan. 14. 10.
z Iſai. 9. 6. juxta LXX.
a Exod. 23. 21.
b Cornel. in Exod. 23. 21.
c Luc. 1. 31.
d Matth. 1. 25.
e 1. Ioan. 2. 2.

Sed ad ritè concipiendum quomodo Filius Dei perfectè repleat nomen Jeſu, ſciendæ ſunt diſſolutiones Adæ, Patris iſtius infœlicis, cujus culpa nobis fuit ita fatalis, niſi reparatio nobis fuiſſet proficua. Infortunatus iſte Protoplaſtus incucurrit jacturam ſuam; & ſecum invexit totius ſuæ poſteritatis perditionem: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* f. Et ſic per crimen ſuum nos æquè reddidit inimicos Dei, ac ſervos Satanæ, ſuſpirantes ſub vinculis & catenis, cùm nos vendidiſſet peccato per inobedientiam ſuam, *Ego autem ſum venundatus ſub peccato*, dicit S. Paulus g. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus h, *Loquitur autem Apoſtolus in perſonâ hominis generaliter. Itaque ſum venundatus, id eſt, damnationi, ſeu dæmonis poteſtati ac iuri, vel miſeræ ſervituti expoſitus atque obnoxius factus, ſub peccato primi hominis, qui ſeipſum & poſteritatem ſuam vendidit hoſti, faciendo quod ille propoſuit.* In hoc ſtatu infortunij & ſervitutis quid facit hodie Filius Dei ad replendum hoc eximium nomen Jeſu, & ad agendũ officiũ Salvatoris, redimẽdo nos, conterẽdo vincula noſtra? Ipſe adimplet id quod erat Lege latum. Ad redimendum aliquid tres erant obſervandæ conditiones, quas Dei Filius perfectè cuſtodit ad implendum nomen iſtud præclarum Jeſu, quod ipſe defert. Prima eſt, Ad hoc ut quis aliquid redimat, debet eſſe propinquus ejus qui illud alienavit, ſecundùm Legem Levitici i, *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus ejus, poteſt redimere quod ille vendiderat.* Protoplaſtus noſter reddiderat nos ſervos diaboli eodem tempore quo nos conſtituit inimicos Dei: oportebat ut aliquis è propinquis noſtris nos redimeret: Deus dici poterat propinquus noſter, cùm per gratiam communicamus eſſe ejus: *Ipſe enim Spiritus,*

11. Rom.
f Rom. 5. 12. ex Gen. 3. 6.
g Rom. 7. 14.
h Dion. Carth. art. 10. in Rom. 7. 14.
i Levit. 25. 25.

tus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei k. Ipſe eſt Creator noſter, Deus noſter; nos ſumus opera ejus, creaturæ illius; nos pertinemus ad eum, ſed non ita ritè ac poſt Incarnationem: nam ex tunc ipſe ſe dicit fratrem noſtrum, *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari* l. Eandem ſumpſit nobiſcum naturam, & dicere poſſumus, quòd hæc caro, quæ format in nobis rebelliones m, elevata eſt uſque ad Divinitatem, *Verbum caro factum eſt* n. Antea Deus erat Dominus noſter; ſed ab Incarnatione ipſe eſt frater noſter: tunc erat diſtantia infinita inter Deum & nos; nunc autem dici poteſt, Deus homo: proptereà Eccleſia canit hodie in introitu Miſſæ, *Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis* o. Quaſi diceret, Deus & homo: ideòque prout propinquus, poteſt redimere nos qui eramus perdio: propter hunc magnum effectum datur ipſi nomen Jeſu, quod ipſe perfectè replet, redimendo nos, prout propinquus noſter, obnoxius omnibus miſeriis noſtris. Neſcio autem num dicere potero de ſecundo Adamo, quod de primo *Deus ait, Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt* p. Et, *Frater quaſi ferè alter.*

k Rom. 8. 16.
l Heb. 2. 17.
m Rom. 7. 23.
n Ioan. 1. 14.
o ex Iſai. 9. 6.
p Gen. 1. 21. & 22.

Benadab Rex Syria, congregavit omnem exercitum ſuum, & triginta duos Reges ſecum, & equos, & currus: & aſcendens pugnabat contra Samariam, & obſidebat eam. Egreſſi ſunt ergo pueri Principum Provinciarum, ac reliquus exercitus ſequebatur: & percuſſit unuſquiſque virum qui contra ſe veniebat: fugeruntque Syri, & perſecutus eſt eos Iſraël. Fugit quoque Benadab Rex Syria in equo cum equitibus. Necnon egreſſus Rex Iſraël percuſſit equos & currus: & percuſſit Syriam plagâ magnâ. Porrò Benadab fugiens ingreſſus eſt civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum, dixeruntque ei ſervi ſui, Ecce, audivimus quòd Reges domus Iſraël clementes ſint, ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad Regem Iſraël: forſitan ſalvabit animas noſtras. Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos in capitibus ſuis, veneruntque ad Regem Iſraël, & dixerunt ei, Servus tuus Benadab dicit, Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus eſt q. Deus dicit idem homini, ſi in eo ſit adhuc aliquis affectus erga Divinitatem, & tantiſper vitæ in illo ſuperſit. Homo inſurrexerat adversùs Deum: Deus illum proſternit: homo in cognitione ſui criminis recurrit ad Deum, dicens, *Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait, Si adhuc vivit, frater meus eſt.*

q 1. Reg. 20. 1. &c.

S. Bernardus r loquens de caſu primi Angeli, & de lapſu primi hominis, ait, *Poteſtatis ambitio Angelum felicitate privavit Angelicâ* ſ, *ſcientiæ appetitus hominem immortalitatis gloriâ ſpoliavit* t. *Quia ergo non erat quò aſcenderet, deſcendit Altiſſimus, & ſuo nobis deſcenſu ſuavem & ſalubrem dedicavit aſcenſum. Vides quàm multùm deſcenderit, quantùm à potentiâ ſuâ, quantùm à ſapientiâ ſuâ exinanierit ſemetipſum* †. *Nec mirum ſi deſcendendo Chriſtus aſcendit: quando priorum uterque cecidit aſcendendo.* Quaſi diceret Dei Filius Patri ſuo, quòd, cùm intuitu ſui ipſius, Angelus & homo incurriſſent jacturam ſuam, eò quòd voluiſſent ipſi aſſimilari, aſcendentes altiùs æquo, & ſupra quàm debebant, & erant; ipſe deſcenſurus foret infra quàm poſſet eſſe. Homo ſe facere voluit Deum: & Deus ſe fecit hominem: & in hoc ſtatu propinquitatis, prout frater noſter, ipſe redemit nos, ſumens nomen Jeſu, quod ipſe perfectè replet, oſtendens nobis iter ad cœlum, quò ipſe nos præcedit, *Aſcendet enim pandens iter ante eos* u.

r S. Bern. ſerm. 4. de Aſcẽ Dñ.
ſ ex Iſai. 14. 13. &c.
t ex Gen. 3. 5. &c.
† ex Philipp. 2. 7.
u Mich. 2. 13.

Secunda conditio requiſita ad hoc ut aliquis redimere poſſet aliquã rem, eſt quòd iſta debebat eſſe alienata & vendita alieno: atqui Adam nos alienavit morti, peccato, & diabolo, ſicut audiviſtis; mors autem, peccatũ, & diabolus non ſunt Domini noſtri legitimi, ſed tyranni alieni naturæ noſtræ, cùm creati fuerimus immortales, in gratiâ, & ſubditi Deo ſoli ut ſummo Domino noſtro: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilẽ, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum* x. *Invidiâ autẽ diaboli mors introivit in orbẽ terrarum* y, dixit Sapiens z. Protoplaſtus ergo noſter nos vendidit morti, cujus facti ſumus præda; ſubjecit nos peccato, quod exercet adversùs nos tot vaſtitates; & ſubmiſit nos diabolo, qui excipit nos ut tyrannus immitis: nam peccatũ non eſt dominus noſter; peccatum nihil eſt; & Deus, qui eſt *Creator omniũ* a, proteſtatur ſe non eſſe authorem illius, *Et ſine ipſo factũ eſt nihil* b. Et S. Auguſtinus ſubdit c, *Quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant.* Nihilum & ens ſunt oppoſita; peccatũ eſt nihil, & nos ſumus: ergo peccatũ non poterat habere imperiũ ſuper nos. Mors etiã non valebat dominari nobis, quia Deus dedit nobis animã, quæ eſt tota ſpiritualis, contra quam agentia naturalia nullã habent actionem: & fuiſſemus immortales per gratiã, niſi tranſgreſſus eſſet Adam mandatũ Domini ſui. Diabolus ſimiliter nõ erat Dominus noſter; ille nobis eſt nimis oppoſitus: ille eſt infœlix, nos autẽ expectamus æternã fœlicitatẽ; ipſe eſt extra ſalutem, nos ſperamus ſalutẽ nos conſecuturos. Unde procedit igitur quòd ſumus ſervi Satanæ, præda mortis, & victi peccati? Ex hoc quòd Adã nos alienavit. Pertinebamus nos õnes ad Deum, ut ad Dominum noſtrũ legitimum, fruebamur vitâ, eramus in gratiâ: Adam tranſgrediens d mandatũ Dei e, nos fecit ſervos Satanæ, nos redegit ſub vincula & catenas, nos reddidit prædã mortis, & victimas peccati, *Quia õnis qui facit peccatũ, ſervus eſt peccati* f. Et, *Magnus dæmon peccatũ eſt*, ait S. Chryſoſt. omnus g. Hodie verò nomen Jeſu datur Filio Dei, ut nos educat è peccato, & tribuat nobis *vitam* h, educendo nos è ſervitute Satanæ, qui ſuſpirat ut victus, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* †. Vocatur Jeſus, quod nomen ipſe perfectè replet.

x ex Gen. 2. 17.
y ex Gen. 3. 1. &c.
z Sap. 2. 23. & 24.
a Eccli. 24. 12.
b Ioan. 1. 3.
c S. Aug. tract. 1. in Ioan. 1. 3.
d Gen. 3. 6. &c.
e Gen. 2. 17.
f Ioan. 8. 34.
g S. Chryſoſt. hom. 11. ex c. 9 Matth.
h Ioan. 10. 10.
† Gal. 4. 31.

Tertia cõditio neceſſaria ad hoc ut quis redimere poſſet aliquam rẽ, erat, quòd reddendum erat tantum quantũ, vel æquivalẽs rei, quæ vendita erat, vel alienata. Et ratio iſtius eſt, quia virtutes non ſunt ſibi oppoſitæ, non enim debet quis alienũ bonũ ſuffurari, ut ex eo faciat eleemoſynã; nec patrari debet injuſtitia, adhoc ut exerceatur liberalitas: cùm igitur Adam nos vendidiſſet ſuperbiâ, voluptate, & inobedientiâ, Jeſus volens nos redimere, reddere debebat æquivalens; proptereà habet ſpecioſum iſtud nomen. Superbia impulit Adam ad volendũ ſe adæquare Deo, elevando ſe ſuper omnia: & Jeſus deprimet ſe infra id õne quod ipſe poterat eſſe. Adam eligente præ voluptate hunc fructũ qui ipſi fuerat prohibitus, inter tot alios qui erant innumeri in paradiſo terreſtri, & quibus uti poterat legitimè; *Dominus præcepit ei, dicẽs Ex õni ligno paradiſi comede: De ligno autẽ ſcientiæ boni & mali ne comedas: In quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris* i: Jeſus ſolvet, ſicut ipſemet ait, per Pſalmiſtam k alloquens Patrem ſuũ, *Quæ non rapui, tunc exolvebã.* Cùm hæc arbor ſit ipſi futura funeſta, & pro voluptate nõ ſit habiturus ipſe niſi mortificationes, & paſſurus mortẽ, non talem qualẽ, ſed ignominioſam mortẽ crucis inter duos infames *latrones* l, quaſi dux eſſet eorũ. Adam tulit brachia ſua, & manus ſuas ſuper iſtã arborẽ prohibitam: & Jeſus extendetur ſuper iſtud ignominiæ patibulũ, ſuper hãc arborẽ crucis. Inobediẽtia Adæ fuit inſignis, cùm Deus non prohibuiſſet ei niſi uſũ ſolius fructus ſciẽtiæ boni & mali: quid eo facilius? Jeſus obediet quãtùm ad rẽ difficilẽ, quæ eſt mors ignominioſa crucis, *Factus obediens uſque ad mortẽ, mortẽ autem crucis* m. Sic ut Jeſus in rigore ſatisfecerit juſtitiæ ſui Patris æterni, & paſſus ſit mortem ad dandam nobis vitam, & ad implendum nomen Jeſu, quod eſt idem ac Salvator.

i Gen. 2. 16. & 17.
k Pſ. 68. 5.
l Matth. 27. 38.
m Philipp. 2. 8.

Iſaias

Digitized by Google

n Iſai. 53. 10.

Iſaias n loquens de perſonâ Salvatoris, ait, *Si poſuerit pro peccato animam ſuam; videbit ſemen longævum.* Gloſſa Ordinaria legit, *Fideles in perpetuum regnantes.* Atqui ſicut Jeſus Chriſtus obſtrinxit ſe ad dandum vitam pro homine; ſtatim & eodem tempore quo ipſe natus eſt, Iuſtitia Divina requiſivit ab ipſo vitam: ſed ſicut noſtrâ intererat ut Jeſus Chriſtus viveret triginta tribus annis, converſando inter homines ad ipſo edocendos, ipſe compoſuit ſe cum Iuſtitiâ, & dedit ipſi vitam poſitis tribus terminis, *Quia anima carnis in ſanguine eſt* o. Atqui Jeſus Chriſtus dans ſanguinem peractis octo diebus à nativitate ſuâ, dedit tertiam partem vitæ. Deinde, Effundens ſanguinem in horto Olivarum, cùm *factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* p, tribuit alteram tertiam partem vitæ. Tandem, Ipſe impendit reliquam tertiam partem vitæ, cùm ipſum *apprehendit Pilatus, & flagellavit: Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius: Et crucifixerunt eum: Sed unus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exivit ſanguis* q. Et ad innuendum, quòd vita & ſanguis ſunt idem, ſtatim ac *conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum, ait Dominus ad Cain, Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ* r. Cùm anima non poſſet clamare, ſanguis ſupplevit hunc defectum, & ſubſtitutus eſt pro vitâ; clamavit ad Deum, & expetivit ulooonem. Sic ut Jeſus dans ſanguinem ſuum, diverſis terminis vitam ſolveret, ut juſtitia Patris ſui ſibi daret tempus vivendi triginta tribus annis in favorem hominum. Dicere ſolemus, cùm pluit inter menſem Majum & menſem Aprilem, Hæc aqua quæ cadit, totus imber iſte eſt frumentum, & alimentum pauperum: videtis ſanguinem qui fluit in Circumciſione; totus iſte ſanguis eſt Eccleſia, & nutrimentum animarum fidelium.

o Levit. 17. 10.
p Luc. 22. 44.
q Ioan. 19. 1. &c.
r Gen. 4. 8. &c.

Datur ipſi nomen Jeſu, quo idem ſignificatur ac Salvator. Dulce nomen Jeſu, quod conſtitit ſanguine Filio Dei! Ipſe ſumere voluit pro ſe ſenſum, & dolorem, & effundere ſanguinem ſuum; & pro nobis ſuavitatem. Dulcedo nominis Jeſu, cùm ipſe illud emat *pretio magno* ſ. Id eſt, ſanguine ſuo! Cùm paſtor ovem *illam quæ perierat*, inveniſſet, *& eam* impoſuiſſet *in humeros ſuos gaudens*, S. Lucas t ait, quòd Deus præcepit Angelis, ut inde lætarentur, & diem feſtum agerent, *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Videbatur quòd eſſet congratulandum paſtori, & dies feſtus eſſet agendus pro eo quòd ipſe haberet unam ovem plùs; & caſtiganda eſſet ovis, eò quòd erraviſſet. Sed videte quomodo cùm illam ſuis impoſuiſſet humeris, ipſe non vult pro ſe niſi laborem & fatigationem, & pro nobis quietem.

ſ 1. Cor. 6. 20.
t Luc. 15. 4. &c.

Quod adhuc probo: Nam cùm vocari deberet Chriſtus Jeſus, vocatus eſt *Ieſus Chriſtus* u. Nam nomen ſubſtantivum Chriſti, debebat eſſe prius quàm nomen Jeſu, quod eſt appellativum, quippe quod ipſi datum fuit pro eo quòd effudit ipſe ſanguinem ſuum pro homine. Lactantius x ait, quòd nomen Chriſti ſignificat Regiam poteſtatem, *Chriſtus non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis & Regni: ſic enim Iudæi Reges ſuos appellabant* y. Sed nomen Jeſu eſt id quod multùm intereſt hominum, quod idem eſt ac Salvator. Iſtud ipſe majoris æſtimat, in quo ipſe manifeſtè demonſtrat ingentem dilectionem quâ ipſe erga nos afficitur, & immodicum deſiderium quo ipſe ducitur operandæ ſalutis noſtræ: nam ipſe præfert utilitatem noſtram honori ſuo; & maximum apicem honoris ſui, qui eſt nomen Chriſti, ipſe poſtponit nomini Jeſu, ut illud perfectè repleat ad magnum emolumentum noſtrum.

u Matth. 1. 16.
x Lactant. lib. 4. de Verâ Sapient. c. 7.
y ex Reg. [illegible] 4. 7.

Quod confirmo ex eo quod Dimæ, ſeu bono Latroni ipſe *dixit, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* z. Quomodo dixit, *mecum?* cùm videretur debere dicere, *Hodie ero tecum in paradiſo.* Quia ſuppoſito quòd offerebat ei ſalutem, videbatur debere dicere, *tecum.* Cùm enim favorem promittimus alicui, dicimus ei, Ego ero tecum, & auxiliabor tibi. Is eſt ſtylus quem Scriptura cuſtodit. Mittens Deus Moyſen *ad Pharaonem, dixit ei, Ego ero tecum* a. Similiter Gedeonem mittens adversùs Madianitas, *dixit ei, Ego ero tecum* b. Et Jeremiæ, quem dedit *Prophetam in Gentibus, dixit, Tecum ego ſum* c. Quare ergo Dimæ *dixit? Hodie mecum eris in paradiſo.* Nedum diceret, *Hodie tecum ero in paradiſo.* Ratio iſtius eſt, quia Jeſus Chriſtus inceperat effundere ſanguinem ſuum; ſic cupidus erat ſalutis animarum, ut dixerit bono Latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Id eſt, quaſi mihi favens, & ſatisfaciens magno deſiderio, quo ducor, ſalvandarum animarum, & ponendarum earum in cœlo. Propterea ait, *Mecum eris*, & non, *Tecum ero.*

z Luc. 23. 43.
a Exod. 3. 10. & 12.
b Iudic. 6. 16.
c Ier. 1. 5. &c.

Ut autem videatis, quòd pœnæ & fatigationes ſunt unitæ nomini Jeſu, S. Joannes d ait, *Ieſus ergo fatigatus ex itinere.* Iſtud, *ergo*, eſt conſequentia neceſſaria quæ eruitur ex hoc antecedente, *Ieſus.* Cùm ſit *Ieſus: ergo fatigatus.* Id eſt, inde optimè infertur, quòd fatigetur propter hominem. Antequam eſſet Jeſus, cùm veniebat ad ſalvandum Adam, veluti deambulabat, *Cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem* e. Cùm fuit *Ieſus: ergo fatigatus.* Ita verum eſt id, quod dixi, ſcilicet, ad perfectè replendum nomen iſtud Jeſu.

d Ioan. 4. 6.
e Gen. 3. 8.

S. Paulus f ait, quòd Sanguis Jeſu Chriſti meliùs clamat quàm ſanguis Abelis, *Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel.* Omitto expoſitionem ordinariam, quòd ſanguis Jeſu Chriſti petit miſericordiam, & ſanguis Abelis juſtitiam; ideòque quòd ſanguis Jeſu Chriſti meliùs clamet. Et adhæreo interpretationi S. Chryſoſtomi g dicentis, *Sanguis ergo Abelis locutus eſt? Certè, inquit, & per ipſum mortuus adhuc loquitur. Et rurſus dicit Deus, Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me* h. *Aut hoc, aut illud, quod adhuc nunc quoque decantatur: ſed non ita ut ſanguis Chriſti. Hic enim omnes mundavit, & ſplendidiorem emittit vocem & ſignificantiorem, quò maius habet quod per res fertur teſtimonium.* Quaſi diceret, quòd ſanguis Abelis ivit clamatum ad cœlum, & petitum juſtitiam, querendo de tanto crimine; juſtitiam quæ cecidit ſuper caput miſeri Caini: videbantur enim Angeli eum retinere ad impediendum malum, quod imminebat Caino: ſed ipſe infringens omne genus obſtaculi, acceſſit ad tribunal Dei, ibi veluti flevit, & propoſuit querelam ſuam, nec tacuit, donec Divina Juſtitia, vindex facinorum, vibraretur ſuper caput Caini: ſed quòd ſanguis Jeſu Chriſti meliùs clamat; quia cùm Jeſus Chriſtus offenſus eſt, non adit tribunal Dei, ut expetat ab eo juſtitiam; ſed adit hominem qui peccavit, & petit ab eo ut fleat culpam ſuam, & proficuè utatur meritis & ſatisfactionibus ipſius, quæ ſunt pretij & valoris infiniti, ſicut idem S. Paulus immediatè pòſt ait, *Videte ne recuſetis loquentem.* Nam quia iſte ſanguis eſt unitus Verbo, linguam habet, & diſertus eſt ad perſuadendum peccatoribus. Quod idem eſt ac cùm quis habet diſſidium cum inimico ſuo: adit juſtitiam, proponit ei querelam ſuam, quæ juſtitia confeſtim proſequitur alterum. Alter diſputat cum amico ſuo, nedum adeat juſtitiam, pergit ad illum cum quo altercatur, amplectitur eum, & ait illi, Ineamus amicitiam. Iſtud eſt quod agit ſanguis Jeſu Chriſti;

f Hebr. 12. 22. & 24.
g S. Chryſoſt. hom. 32. in Hebr. 12. 24.
h Gen. 4. 10. &c.

adit homines, & quærit inire pacem cum illis. Atqui ſciamus rationem tantæ dulcedinis. Si proprium eſt ſanguini clamare, & queri, unde procedit ut ſanguis Jeſu Chriſti non requirat juſtitiam? Abel erat juſtus i; propterea S. Ambroſius k ait, quòd non efflagitavit juſtitiam, ſed ſanguis: nam licèt homo ſit juſtus, eſt naturale ſanguini queri, & petere juſtitiam: *Non accuſat frater, ne videatur parricida. Non accuſat vox ipſim, non anima eius, ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti.* Sed quare ſanguis Jeſu Chriſti non adit tribunal Dei ad efflagitandam contra peccatores juſtitiam? Ratio iſtius eſt, quia nomen Jeſu ſuperpoſuit ſe ſanguini Chriſti, aderat cùm effuſus eſt iſte ſanguis in Circuncisione, *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Videte, ſi placet, quomodo nomen iſtud ſacrum ſe ſuperpoſuit ſanguini, impoſuit ei modum, & veluti mutavit illius qualitatem. Propterea Sponſa dicit huic Sponſo Sacro, *Oleum effuſum nomen tuum* l. Proprium oleo eſt mitigare: ſic ſacratiſſimum nomen Jeſu, mitigat rigores ſanguinis. Ad cujus probationem, legimus quidem in Scriptura m, *Ira Dei.* Sed nunquam *Ira Ieſu.* Et hæc fuit ratio propter quam Salvator voluit ut hoc nomen poneretur in apice crucis ſuæ, *Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* n. Fortaſſis ad hoc ut iſtud nomen apprehenderet totum ſanguinem, quem ipſe effunderet, eumque mitem redderet, ſi fortè videns hanc ſævitiam quam inimici ipſius exercebant adversùs ipſum, clamare voluiſſet, & à Patre æterno juſtitiam requirere.

i Matth. 23. 35.
k S. Amb. lib. de Abel & Cain. c. 9.
l Cant. 1. 2.
m Pſ. 77. 30.
n Ioan. 19. 19.

Invenio quid ſimile in verbis iſtis, quæ Salvator dirigit ad Patrem ſuum per Pſalmiſtam o, *Salva me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.* Ipſe vocat unicornes carnifices qui ipſum crucifigebant: *Traditus enim Romanis Chriſtus eſt ad crucifigendum*, dicit Lorinus p Poſt Dydimum. Ratio iſtius eſt, quia, ſicut obſervant Naturales, cùm unicornis vulnerat, occîdit eum quem læſit: & quia cornu quo eum læſit, eſt medicinale, nullum cauſat apoſtema in vulnere, nec illud irritat ullo modo; ſed vulneratus moritur morte ſuavi: ſed Jeſus Chriſtus inimicos ſuos vocavit unicornes, ad innuendum, quòd, licèt eriperent ſibi vitam, eam ſibi eriperent ut unicornes, nedum cauſarent in majeſtate ſua ullum genus ultionis, nec ipſam irritarent. Et hoc attribui debet dulci nomini Jeſu, quod erat ſuper cruce, præſidens omni illi quod ibi peragebatur, & replens omnia pace & dulcedine, cùm Dei Filius perfectè nomen iſtud ſacrum repleverit.

o Pſ. 21. 22.
p Lorin. in Pſ. 21. 22.

En numiſma geminam præ ſe faciem ferens. Jeſus replevit nomen quod ipſe tulit: replemuſne nomen Chriſtianorum quod deferimus? Jeſus triginta tribus annis fuit *in laboribus* q, ad implendum id quod ſignificabatur per nomen ſuum: facimuſne id quod fertur per nomen noſtrum? Jeſus à primo momento conceptionis ſuæ cogitat replere nomen ſuum; hodie verò effundit ſanguinem ſuum ſub gladio Circuncisionis: Chriſtiani, immergite ſudarium veſtrum huic ſanguini: ecce ſtrena veſtra: & facite præterire hoc ſudarium ſuper quinq; ſenſus veſtros: Auditum, ut non audiatis ampliùs niſi res ſanctas: Viſum, ut non videatis ampliùs objecta profana: Guſtum, ut participetis *fel* r, & amaritudines paſſionis ejus: Odoratū, & tactum, ut abhorreatis res omnes ſenſuales: Et ſuper memoriam veſtram, ut recordemini debitorum veſtrorum erga ipſum: Immergite ſudariū veſtrum rurſus huic ſanguini: ipſe duos effectus habet, dealbare, æquè ac rubricare: *Stolas ſuas dealbaverunt in ſanguine Agni* ſ. Ipſe vos dealbabit puritate, ſanctitate, & innocentiâ. Facite ipſum præterire ſuper annum N. ut deleat omnes illius maculas & impuritates. Rubeus eſt ad vos animādos ad bonum in omnibus occaſionibus. In adoleſcentiâ veſtrâ tribuitis omnia vanitati: in virilitate veſtrâ dicitis, quòd, cū vita veſtra ſit brevis, oportet ut indulgeatis voluptatibus, & quòd ſit ſatis temporis ad agendam pœnitentiam; deinde, quòd, cùm ſit vobis numeroſa familia, eſt vobis cogitandum de educatione liberorū veſtrorum: & in ſenectute, quæ non eſt magnis virtutibus exercendis idonea, quòd vires vobis deſunt, & ſic nihil agitis.

q Pſ. 87. 16.
r Pſ. 68. 22.
ſ Apoc. 7. 14.

Concludo, dicens, quòd iſte ſanguis pretioſus & hoc nomen auguſtum nos obſtringunt ad hoc ut ipſis correſpondeamus cum amore, & bonis operibus. Aurifex qui elaborat rem mortuam, ſeu materiam inanimatam, cùm perfecit v. g. fontem argenteum, non applicat ampliùs ei manum, quia laboravit circa rem mortuam; ſed hortulanus qui concinnavit aliquem hortū inſignibus Paſſionis Jeſu Chriſti, in quo videtis diverſas figuras, quæ illam repræſentant, factas ex myrto, vel ex buxo, quia laborat circa rem viventem, nunquā retrahit inde manum ſuam, ſemper polit hortum, alioquin omnes ipſius figuræ delerentur ſtatim; ſic ſi ibi ſit figura hominis, confeſtim orietur ex ore eius ramus, &c. ſic niſi habeamus præ manibus forcipem mortificationis; ramus juramenti, blaſphemiæ, egredientur ex ore noſtro; & ex oculis noſtris ignis concupiſcentiæ, rabiei, &c. Ratio iſtius eſt, quia laboramus circa rem viventem: nam paſſiones, quæ ſunt in nobis, ſunt viventes; propterea debemus eas jugiter mortificare, ne imago & ſimilitudo Dei ſtatim deleatur: *Et nos enim, Fratres, circuncidi neceſſe eſt, & ſic nomen ſalutis accipere: circuncidi ſanè non litterâ* t, *ſed ſpiritu & veritate* u: *circuncidi non uno membro, ſed toto corpore ſimul*, ait S. Bernardus x. Non in exteriori & in apparentiâ, ſed in realitate; non quãtùm ad corpus ſolùm, ſed præcipuè quoad ſpiritum: nedum faciamus ſicut aliqui *Hypocritæ* y, qui exteriorem præ ſe ferunt apparentiam virtutis, interiùs verò ſcatent imperfectionibus & vitiis. Inſumere debemus forcipes ad reſecandum & circuncidendum id, quod eſt in nobis malum. Si iſtud agamus, nobis in iſto mundo *gratiam, & gloriam dabit Dominus* z in altero.

t ex 2. Cor. 3. 6.
u ex Ioan. 4. 24.
x S. Bern. ſerm. 1. in Circunciſ. Dom.
y Matth. 23. 27. &c.
z Pſ. 83. 12.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. &c.

SI eſt *Eccleſia Dei vivi, firmamentum veritatis*, ut ait Apoſtolus a, & Sancti micant ibi veluti tot aſtra; Jeſus eſt illius *Sol intelligentiæ* b, qui communicat ipſis omnibus lumen ſuum. Divinus iſte Sol ſic efficaciter emiſit radios ſuos die ſuæ nativitatis *in præſepio* c, ut S. Stephanus per communicationem ſplendorum ipſius apparuerit ut aſtrum præclarum ardens amore proximi, Deo dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum* d. Et S. Joannes, prout *diſcipulus, quem diligebat Ieſus* e, micans flammis Divinæ Dilectionis. Quòd ſi ſpecioſus iſte Sol viſus eſt offundi eclypſi ſub funeſtis apparentiis criminis, *In ſimilitudinem carnis peccati* f, *poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer* g: hodie apparet cum ſplendore, exiens ex eclypſi ſuâ, & lumina ipſius intimè pervadunt obſcuriſſimas Gentilitatis tenebras, lucem præbens Magis, qui illuſtrati novâ ſtellâ, veniunt adorarunt ipſum, & oblatum ipſi *munera* ſua. Quærentes Filium, inveniunt Matrem, *Et intrantes domum, invenerunt Puerum*

a 1. Tim. 3. 15.
b Sap. 5. 6.
c Luc. 2. 7. & 16.
d Act. 7. 60.
e Eccleſia ex Ioan. 21. 20.
f Rom. 8. 3.
g Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.

rum Mariâ Matre ejus. Vt edoceamur, quòd ad hoc ut eamus ad Jeſum, oportet ut tranſeamus per Mariam, ſicut ad hoc ut Jeſus veniret ad nos, tranſivit per Mariam, in cujus viſceribus manſit novem menſibus, poſtquàm ſumpſiſſet ibi carnem humanam, [h Luc. 1. 28. &c.] cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria*.

Rectæ rationi conſonum eſt, ut, cùm Jeſus Chriſtus ſit natus deferens coronam, & habitus in mundo ut Rex cum ſceptro in manu, prout ſolus [i Eſth. 13. 11.] *Dominus omnium* i, & unicus Monarcha mundi, [k 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.] è cujus unicâ Regiâ dignitate tota pendet orbis fœlicitas; hodiernâ die velit adorari ut *Rex regum, & Dominus dominantium* k. Cùm ex omnibus gubernationibus monarchica ſit omnium ſemper optima, cùm res ſe habere debeat de ſtatu Politico ac de Eccleſiâ, cujus omnia membra ſunt unita ſub eodem [l Epheſ. 5. 30.] Capite quod eſt Jeſus Chriſtus, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* l. *Et ipſe eſt* [m Coloſſ. 1. 18.] *Caput corporis Eccleſiæ* m. Cùm quotidianâ comprobemus experientiâ, quòd corpus non poteſt eſſe niſi monſtrum, ſi eſt velut hydra; quòd authoritas diviſa eſt principium diſſidii, quòd lineæ non poſſunt meliùs uniri quàm reſpondendo ad idem centrum, & quòd unicus Nauclerus unicæ navi dirigendæ ſufficit. Ante Incarnationem, Scriptura ſacra mentionem agit trium diverſorum Regnorum. Primum, eſt Regnum cœlorum, cujus incolarum numerus licèt videatur innumerus, tamen in tot ſubditis unicum eſt Regnum, cùm omnes obedirant ibi unico ſupremo Domino, qui eſt Deus: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies cente-* [n Dan. 7. 10.] *na millia aſſiſtebant ei* n. Et ſi omnes homines non vellent ſubdi niſi unico Monarchæ, non eſſet etiam niſi unicum Regnum in mundo, cùm non eſſet ibi niſi Caput unicum: ſed quemadmodum habent ipſi multas leges, & varios agnoſcunt Dominos: ſic & [o Pſ. 67. 33.] multa ſunt Regna. Iſtud eſt quod aſſerit Rex Propheta o, cùm ait, *Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino*. Ipſe petit conformitatem laudum in diverſitate legum; ipſe ſolicitat omnia Regna ad tribuenda Deo elogia honoris, & ad concinendas ei laudes: atqui inter omnes populos qui inhabitabant terram, duæ præſertim erant leges. Una ſcripta, ſub quâ vivebant ſoli Judæi, *Dedit Dominus Moyſi in monte Sinai, duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcrip-* [p Exod. 31. 18.] *tas digito Dei* p. Et altera naturalis, quæ erat pro [q Pſ. 4. 7.] Gentilibus, de quâ Pſalmiſtâ q dicit, Deum alloquens, *Signatū eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*. [r Tob. 4. 1. & 16.] Et *Tobias, Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias* r. Sicut, loquendo generaliter, non eſſent in toto mundo niſi duo Regna, Regnum Judæorum, & Regnum Gentilium: his addite Regnum cœlorū, de quo loquebar modò vobis, & habebitis tria Regna; unum ſpirituum beatorum in cœlo Empyreo, & duo hominum viatorum in terrâ: atqui bonum & pax omnium iſtorū requirebat unitatem ſupremi Domini, cùm, ſicut dicebā modò, gubernatio monarchica ſit ſemper omnium optima, & populis utiliſſima. Status non poſſunt pati poteſtatis multitudinem, *Pluralitas Principatuum mala*, ſicut ait Philoſophia moralis.

[s Ioan 4. 24.] Sed ſicut monarcha ſummus & legitimus horum omnium Statuum, qui eſt Deus, eſt purus Spiritus, *Spiritus eſt Deus* s: & Angeli, qui ſunt ſubditi [t Hebr. 1. 14.] ipſius, aliquo modo accedunt ad ipſum, cùm habeant eſſe ſpirituale, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorii* [u Ioan. 1. 14.] *ſpiritus* t? oportebat ad hoc ut homo meliùs induceretur ad amorem Dei, & majorem præſtaret voluntati ipſius obedientiam, ut *Verbum caro* u fieret, & ſumeret corpus ſicut homines; ut quemadmodum Angeli, qui ſunt toti ſpirituales, habent Regem in cœlo, qui eſt totus Spiritus, homines etiam in terrâ haberent in Regem Deum hominem, ut meliùs ipſius voluntati morem gererent. Et quia nativitas ſua cauſare potuiſſet aliquam contentionem inter duas iſtas nationes Judæorum & Gentilium, eò quòd Gentiles eſſent in majori numero, & Judæi haberent veram legem, Deus ſapientiâ ſuâ prævidens hoc diſſidium, terminavit illud antequàm eſ- [x Philipp. 2. 7.] ſet *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* x: ſatisfaciens duobus iſtis, naſcendo & è Judæis, & è Gentilibus: è Judæis è parte virorum, [y Matth. 1. &c.] cùm omnes avi & majores *Ieſu Chriſti* y fuerint Ju- [z Ioſue 2. 3. &c.] dæi: & è Gentilibus è parte mulierum: nam Ra- [a Ruth. 1. 4. &c.] hab z & Ruth a erant Gentiles. *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis*, hæc tria Regna ſe diſponunt ad veniendum cum agnitum per nuntios quos mittunt ad exhibendas ei adorationes ſuas ut ſupremo Domino ſuo: *Et ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo*. *Et Paſtores* (qui erant primitiæ Judæorum) *venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de Puero hoc. Et reverſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus* [b Luc. 2. 13. &c.] *quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos* b. Hodiernâ verò die *ecce Magi ab Oriente* (id eſt, ab extremis Gentilitatis oris) *venerunt Ieroſolymam, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Mariâ Matre ejus; & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*. Jeſus Chriſtus naſcitur Rex: ip- [c Pſ. 2. 7.] ſe talis eſt per naturam, cùm ſit *Filius* c Patris coro- [Diviſio.] nati. Quod inducit me ad oſtendendum vobis primò, quòd Jeſus Chriſtus eſt Rex. Secundò, Videbimus notas Regiæ dignitatis ipſius. Tertiò, Conſiderabimus obſequia, quæ debemus ei reddere ut ſupremo Domino noſtro.

[1. Pars.]

Hanc in medium affero propoſitionem, nedum intendam inſurgere in ſceptra, erga quæ afficior reverentiâ, & dico quod Jeſus Chriſtus eſt verè Rex, & legitimus mundi Monarcha præ omnibus aliis. Sicut nullus eſt pater in- [d Epheſ. 3. 15.] tuitu Dei, *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur* d: ſic nullus eſt Monarcha reſpectu Jeſu, iſtius recenter nati, qui poſſit ei diſputare ſceptrum ſuum: *Habet in veſtimento & in femore* [e Apoc. 19. 16.] *ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium* e. Oportet ut in natura ſit Ens univerſale, à quo pendeant omnia alia entia; ut ſit aliquis Superior, cui ſubjaceant ſubditi: requiritur etiam Rex, à quo abſolutè dependeant omnia ſceptra: iſte Monarcha non eſt alius niſi Jeſus Chriſtus, cujus Regnum eſt æternum, *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus: & regnabit in domo Iacob in æter-* [f Luc. 1. 32.] *num, & Regni ejus non erit finis* f. Quòd ſi Angelus Gabriel defert hoc nomen, quod attributum Verbo Divino, multa tamen differentia datur inter Dominum & ſervum; nec credendum eſt quòd iſte ſpiritus adæquet Dominum, qui ipſum mittit; licèt hoc nomen Gabriel, quod idem eſt ac fortitudo [g Iſai. 53. 1.] Dei, conveniat cum titulo, quem Scriptura g dat Jeſu Chriſto, cùm ipſum vocat brachium vel virtutem Patris ſui, *Et brachium Domini cui re-* [h S. Bern. Hom. 1. ſuper Miſſus eſt. Luc. 1. 26.] *velatum eſt*? Unde dicit S. Bernardus h ſuper hæc verba Evangeliſtæ, *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo. Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui quâlibet ex cauſâ, crebrò ſoleant ad terras fungi legatione: quod ex ejus nomine palàm intelligi datur, quod interpretatum fortitudo Dei dicitur: & quia non ab alio aliquo forte excellentiore ſe (ut aſſolet) ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur: Propter hoc ergo poſitum*

Digitized by Google

eſt, à Deo: vel ideò dictum eſt, à Deo, ne cui vel beatorum ſpirituum ſuum Deus antequàm Virgini revelaſſe pateretur conſilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele, qui utique tanta inter ſuos inveniri potuerit excellentia, ut tali & nomine dignus haberetur & nuntio. Nec diſcordat nomen à nuntio, Dei quippe virtutem Chriſtum, quem meliùs nunciare decebat, quàm hunc, quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo quàm virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, Dominum & nuntium communi cenſeri vocabulo: cùm ſimilis in utroque appellationis, non ſit tamen utriuſque ſimilis cauſa. Aliter quippe Chriſtus fortitudo vel virtus Dei dicitur, alter Angelus. Angelus enim tantùm nuncupativè, Chriſtus autem etiam ſubſtantivè. Sic licèt nomen Regis commune ſit multis Principibus, unicus tamen ſummè regnat in veritate; alij ſerviunt iſti ſub ſpecioſioribus veſtibus quàm liceat populo deferre; & id quod dici poteſt de glorioſiſſimis Regibus terræ, eſt, quòd ſunt miniſtri Jeſu Chriſti Monarchæ ſui, cujus *Regni non erit finis* i. Cùm ab æterno ſceptrum deferat ipſe, cùm

i Luc. 1. 33. Pater ſuus ipſum generans, dederit illi totum id quod ipſe eſt, producens ipſum Regem per naturã, ſicut ipſemet eſt Rex per eſſentiam. Ipſe eſt igitur

k Pſ. 2. 7. Rex, quia eſt *Filius* k Patris coronati, qui non potuit ipſi dare naturam ſuam, quin ipſi daret imperium ſuum. Alij Principes non naſcuntur Reges, ſed ſolùm capaces Regiæ dignitatis: & dici poteſt pi æ veritate, quòd mors & tempus ponunt ipſos in poſſeſſione dignitatis hujuſmodi, cùm ejiciant è mundo eos qui occupant thronos, quos ipſi replere debent. Ipſe eſt igitur Rex, & Rex ſummus, cùm hodie ipſe ſuſcipiat obſequia à Regibus, qui agnoſcunt ipſum ut ſummum Dominum ſuum jacentem in præſepi. Si autem conſideremus hunc recenter

l Matth. 1. 1. &c. natum, cujus facimus genealogiam l, per relationem ad humanitatem ſuam, prout ipſe homo eſt, Reges Iſraël & Juda ſunt ipſius majores: & licèt ipſius domus eſſet pauperrima, cùm ex eâ naſci dignatus eſt, tamen agnoſcebantur ex eadem, quæ dederat ſumos Sacerdotes templo, & Principes Paleſthinæ.

S. Auguſtinus m ad hoc propoſitum dicit ſuper

m S. Aug. in Pſ. 23. 6. hæc verſu Pſalmiſtæ, *Hæc eſt generatio quærentium Dominum. Sic enim naſcuntur qui quærunt eum. Quærentium faciem Dei Iacob. Quærentium faciem Dei, qui poſteriùs nato primatum dedit.* Quaſi diceret, quòd Jeſus Chriſtus eſt Princeps, & Filius Principis, & quòd licèt naſcatur ex Virgine ad faciendas omnes actiones proprias ſervo, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* n, ad ſumenda onera noſtra,

n Philipp. 2. 7. ad abſtergendas ſordes noſtras, & ad occupandum ultimum locum, *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis* o: &, *Verè languores noſtros ipſe tulit,*

o Matth. 20. 28. *& dolores noſtros ipſe portavit: Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* p: Hoc non impedit quin ipſe imperet ut ſu-

p Iſai. 53. 4. & 5. premus Dominus; & quin hæc obedientia, quæ reddit ipſum humillimum omnium hominum, reperiatur unita imperio, cujus interventu reddatur

q 1 Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16. ipſe *Rex regum, & Dominus dominantium* q.

In hoc ſtatu ipſe cum pompâ extraordinaria ſuſcipitur à naturâ, quæ oſtendit quidem quòd ipſa differentiam ſtatuit inter ipſum & reliquos homines. Angeli qui non habent corpus, ſibi concinnant corpora ut ſe reddant viſibiles paſtoribus, & juxta ipſorum verba videntur ipſi ſeipſos incarnaſſe ad ſe meliùs conformandos ſupremo Domino ſuo: non auditur niſi muſica: & quia terra non habet ſatis ſuave melos ad honorandum ingreſſum Principis iſtius, cœlum edit concentum, cujus textus eſt panegyris continens laudes ejus, & certitudines ſalutis noſtræ, *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* r. Quòd ſi Princeps iſte la- r Luc. 2. 13. &c.

crymas effundit in nativitate ſuâ, *Lacrymatus eſt Ieſus in ſuâ nativitate, ſecundùm ſanctos Doctores,* ait Dionyſius Carthuſianus s: Hoc ipſe non agit ex debito, nec ut perfungatur hoc tributo, quod ho- s Dion. Carth. in ... 19. 41.

mines ſolvunt ingredientes mundum, ſicut ajebat Salomon t, licèt filius Regis, *Et ego natus, pri-* t Sap. 7. 3.

mam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans: Sed ut oſtendat quòd miſeriæ noſtræ ipſum tangunt, & quòd afflictio populi ſui vulnerat ipſius cor compaſſione. Macte animo, mortalis, iſtæ lacrymæ ſunt præſagia tuæ fœlicitatis, & fletus Regis tui te certum reddunt, quòd ipſe non tardabit di- u Pſ. 115.

rumpere *vincula* u tua, ut procuret tibi libertatem, prout *Mediator Dei & hominum* x. Euge igitur, natura humana, gaude: ecce perveniſti ad terminum x 1. Tim. 2. 5.

calamitatum tuarum: Princeps miſertus malorum tuorum, non poteſt ea videre quin compatiatur eis; cor tuum habet unde dilatetur, cùm tibi magnitudines modo ſint ſociandæ: nihil habes ipſa timendum ampliùs, cùm fletus iſti tibi certum polliceantur auxilium, & ſint præſagia tuæ redemptionis, & perditionis inimicorum tuorum: cœlum accendit ignem lætitiæ, ut te certam reddat de juſtis exultationis tuæ motivis.

Jeſus igitur eſt Rex per nativitatem, & quantùm ad divinitatem, & quantùm ad humanitatẽ. Suffragium noſtrum non dat ei qualitatem Domini, ſed ipſius ſuffragiũ nos reddit ſervos ſuos. Ipſe eſt etiam Rex per electionẽ, *Electus ex millibus* y. Quòd ſi ipſe recuſat imperium, & fugit & ſe abſcondit ab eis qui y Cant. 5. 10.

ipſum quærunt ut collocent ipſum ſuper thronum, *Ieſus cùm cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus* z: inde declarat ipſe quòd neceſſarium non eſt ut ipſe introducatur in poſſeſſionem ſtatus, z Ioan. 6. 15.

cujus ipſe jam Dominus eſt; & quòd non poteſt tenere principatum niſi à Deo Patre ſuo. Poſthæc favor populi non requiritur ad hoc ut det ipſi dominium, quo ipſe fruitur antequàm naſcatur. In eandem abibat Marcus Aurelius Imperator ſententiam, cùm fategit fieri numiſma, quod, præ unâ facie deferebat ipſius imaginem, præ alterâ verò magnam aquilam; quæ ſumens uno ex unguibus ſuis ſceptrum è manu Jovis, hoc ipſi offerebat; quaſi vellet ille Imperator inde ſignificare toti poſteritati, quòd coronæ venirent à Deo coronato, *Per me Reges regnant, per me Principes imperant* a. Sic in ſi- a Prov. 8. 15. & 16.

gnum ſuæ dependentiæ, *procidebant viginti quatuor Seniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum* b.

Jeſus Chriſtus eſt ergo verus Rex, legitimus Rex, b Apoc. 4. 10.

& unicè Rex, cùm ab ipſo pendeât omnia ſceptra, & ipſi omnes coronæ ſubjici debeant. Omnia diademata, cuncta ſceptra, & univerſæ magnitudines ſunt ad pedes iſtius Infantis jacentis in hoc præſepi, qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium* c. Ipſe eſt qui coronas diſtribuit, quas accepit à Patre ſuo, dicens, c Apoc. 19. 16.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius d. Propter hanc etiam rationem Cæ- d Pſ. 2. 6.

ſar Auguſtus ad prima nuntia quæ data ſunt de nativitate iſtius Infantis, prohibuit edicto publico, ne deinceps aliquis foret ita temerarius ut auderet ſumere qualitate Domini in terris Imperij ſui Romani.

Et

Et ſi Evangeliſta non qualificat Magos noſtros nomine Regum, licèt eſſent verè Reges; ideò quia Rege regum naſcente oportebat ut alii exciderent qualitatibus ſuis Regijs, more ſolis, qui naſcendo ſuffundit eclypſi ſplendorem aliorum aſtrorum. Illi Magi non ſunt niſi veluti ſervus, qui parvipenditur coram Domino ſuo.

Cùm igitur Jeſus Chriſtus ſit Rex, & per nativitatem, & per electionem, & per naturam, & per veritatem, & prout Deus, & quatenus homo; ipſe eſt Rex noſter, & ſummus Dominus noſter, cùm ipſe nos acquiſiverit vi armorum, effuſione Sanguinis ſui, & iacturâ propriæ vitæ, educendo nos è tyrannide Satanæ, iſtius uſurpatoris injuſti, *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo* e: nunquid non ex juſtitiâ debemus ei omnes reverentias & obedientias noſtras? Verum eſt. Sed heu! hodiernâ die reperiuntur homines æquè criminoſi ac illi Judæi, qui contentâ voce inclamaverunt aliàs, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* f. Inſolentia intolerabilis! Peccator hanccine irrogas injuriam ita bono & ſic digno Regi ut renuas exhibere te ſubditum illius, poſt obedientiam generalem, quam omnia entia impendunt ei ut ſupremo Domino ſuo? Illud eſt quod agis quoneſcumque mortaliter peccas, ut obedias voluptati criminoſæ, commodo privato, paſſioni inordinatæ, per contemptum ſupremi dominij ipſius. quod renuis agnoſcere. Nonne hoc eſt imitari Herodem in exceſſu rabiei ſuæ, qui cùm non poſſit illius Regiam dignitatem ſuſtinere, vult illum perdere, quaſi verò indignus eſſet qui poſſideret imperium: *Ite, interrogate diligenter de puero* t *& cùm inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Sed apage calliditatis & nequitiæ monſtrum. *Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis.*

e Apoc. 5. 9
f Luc. 19. 14.

Infortunatus quidam Rex Portugaliæ, nomine Joannes, experiens ſubditos ſuos rebelles, coëgit milites, ſeu turmas congregavit, ut oſtenderet ſe inſtitutum à Deo ſuper illos ut Principem ipſorum legitimum, ſumens pro ſtemmatibus hanc inſcriptionem Evangelij S. Joannes g, quam exarandam ſategit in vexillis ſuis, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Sed rebelles, ipſum deridentes ſumpſerunt pro inſcriptione contrariâ id quod ſequitur in eodem Evangelio h, *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Jeſus Chriſtus dicere poteſt idem, juſto doloris affectu percitus: ipſe eſt Rex legitimus hominum, & homines affectant criminosè ipſum non agnoſcere, quandiu cæteræ creaturæ obediunt ei. Quid igitur? ait Jeſus Chriſtus; mihi flectetur *omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* i: elementa nihil agent ſine meâ permiſſione, cœlum cuſtodiet leges meas, animalia non recedent ab inſtinctibus quos ipſis ſum largitus, rupes agnoſcent meut ſupremum Dominum ſuum; homo verò nollet mihi exhibere obſequia, quorum omnia entia tribuunt ipſi exemplum per ſigna viſibilia ſuæ ſervitutis? Cor humanum, eſne ſolum inter omnia opera ejus, quod deſpicias Deum, nedum ſinere velis, ut ipſe te gubernet? Heu! tu excipis illum ut infamem, & poſtponis eum voluptatibus tuis. Nonne jure merito dicere poteſt intuitu ingratitudinis tuæ? *Regnum meum non eſt de hoc mundo* k. Cùm in eo non obedias ipſi, & renuas ipſum agnoſcere. Cœlum & terra, creaturæ inanimatæ, diſpenſate vos potiùs ab illius authoritate agnoſcendâ, & ſatagite ut homo obediat ei: ipſe quippe ſuſtinebit potiùs rebellionem omnium elementorum, quàm ingratitudinem cordis hominis, cùm ipſe ſit illius Rex. Et en ipſius notæ.

g Ioan. 1. 6.
h Ioan. 1. 11.
i Philipp. 2. 10.
k Ioan. 18. 36.

Politia dicit, quòd tria ſunt neceſſaria Regibus ad felicem conſervationem ſtatuum ſuorum, potentia, juſtitia, & amor, tres qualitates, quæ valdè Monarchas commendant. Potentia ſervit ad domandos impios & nequam qui ſe vellent opponere gloriæ Principum. Sapientia conducit ad directionem populorum. Et amor conciliat ipſis dilectionem omnium ſubditorum ſuorum. Jeſus poſſidet hodie tres iſtas qualitates, quæ ſunt velut tres notæ Regiæ dignitatis ipſius. Potentiâ ſuâ, quæ intuendam ſe exhibet in infirmitatibus ætatis & præſepis, ipſe tremore percellit impios, imò verò Reges, *Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Rex & omnis Status ipſius, metuunt hanc potentiam, quæ ſuſtinere non poteſt nequitiam impiorum, qui vellent ipſi diſputare gloriam ſceptri ſui: Princeps iſte naſcens, in præſepi jacens, civitates integras terrore concutit, formidabilem ſe reddit in parvitate ſuâ; & videntur ipſius lacrymæ diluvia, & ipſius ſuſpiria tonitrua; ſic vehementer ipſe terret impios. Heu! quid erit in tribunali formidabili juſtitiæ ſuæ, cùm ipſe ſic terribilis appareat in throno amoris ſui? Tremor Herodis ulteriùs protendi debet, cùm conturbatio totius Curiæ ipſius non ſit niſi imago tremoris, quem hic Infans recenter natus minatur inferno, cui imminet proxima jactura: *Dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim Tunc conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat ſuper eos formido & pavor in magnitudine brachij tui,* prædixit ſacer Textus l. Et Origenes m, *Si redeamus ad intelligentiam ſpiritualem, inveniemus quia Philiſthini, id eſt, cadentes populi, & Edom, qui interpretatur terrenus, trepidant, & horum omnium Principes curſitant, & pavent conſtricti doloribus, cùm vident Regna ſua, quæ in inferno ſunt, penetrata ab eo qui deſcendit in inferiora terræ* n, *ut eriperet eos qui poſſidebantur à morte. Hinc eos comprehendit timor & tremor, quia ſenſerunt magnitudinem brachij eius. Hinc etiam tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan, qui mutabiles interpretantur, & mobiles, cùm vident moveri Regna ſua, alligari fortem, & vaſa eius diripi* o. *Veniat ergo ſuper eos timor, & tremor magnitudinis brachij tui. Quid timent? Sine dubio crucem Chriſti, in quâ triumphati ſunt, in quâ exuti ſunt Principatu eorũ, & Poteſtates* p. Timete ergo, peccatores, potentiam Principis iſtius, qui ſuſtinere non poteſt impietatem in Regno ſuo, & qui ſanctitatem requirit à ſuis ſubditis, æquè ac à vaſſallis ſuis.

31. Pet. 1.
l Exod. 15. 14. &c.
m Orig. hom. 6. in Exod. 13. 14. &c.
n ex Ephes. 4. 9.
o ex Marc. 3. 27.
p ex Coloſ. 2. 15.

Quòd ſi potentia ipſius apparet in ſupplicijs impiorum, ſapientia ipſius intuendam ſe exhibet attrahendo Bonos, imò verò malos, ſi habent aliquas diſpoſitiones, aut bonam voluntatem recipiendi ſe in laudabilem emendatæ vitæ frugem, *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* q. Videtis quomodo in hoc ſtatu, qui præ ſe nihil fert niſi infirmum, hæc ſapientia trahit hodie Magos ad notitiam ſuam, & ad obſequium ſuum: intuemini quomodo ipſa inſumit media idonea conciliandis ſibi cordibus eorum, & referendæ de illis victoriæ, *Antequàm ſciat Puer vocare Patrem ſuum, & Matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci,* prædixit Iſaias r. Ipſe ſe accommodat ad captum & inclinationem eorum: hi ſunt Aſtrologi, & ipſe trahit illos interventu aſtrorum: ſtella ſervit ipſis vice pædagogi, ut inſtruat ipſos voluntate ſummi Domini ſui: hæc præcedit eos, & ipſi ſequũtur eam; hæc deducit illos,

q Sap. 8. 1.
r Iſai. 8. 4.

& ipſi

Digitized by Google

& ipſi perveniunt ad locum quem concupiſcunt, & inveniunt eum quem quærunt, *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Sapientia ipſius manifeſtatur etiam in hoc, quòd in infirmitate infantiæ ſuæ monſtrat Regiam magnitudinem ſuam, ut meliùs inducat hos novos adoratores ad reverentiam, & ad credendam Divinitatem ſuam. Proptereà Sponſa dicit de illo, *Venter eius eburneus, diſtinctus Sapphiris* s. [s Cant. 5. 14.] Quia in infirmitate micare facit Sapphiros, id eſt, aliquem ſplendorē ſuæ magnitudinis, ne iſti Magi, qui veniunt ipſum adoratum, fortè deſpiciant ipſum, videntes ipſum ſic humiliatum. Et hoc quod nunc ipſe facit in præſepi coram Magis, idipſum ipſe faciet in cruce, ubi obſcurabitur *Sol* t, *& terra* u tremet, ad oſtendendum, quòd ipſe eſt Deus naturæ, & ad eruendam hanc veritatem vel ex inimicis ſuis, *Verè Filius Dei erat iſte* x. [t Luc. 23. 45. u Matth. 27. 51. x Matth. 27. 54.] Hæc eſt etiam maxima Politicorum, quòd Principes cuſtodire debent dignitates ſuas Regias in quolibet eventu, exhibentes in infortunio ſuo maximo ſemper animam glorioſam, ſicut egit S. Ludovicus Galliæ noſtræ Rex detentus captivus ab inimicis fidei Chriſtianæ. Jeſus Chriſtus micare facit Regiam ſuam dignitatem jacens in paleâ, & Magi pergunt audacter ſe proſtratum ad pedes ipſius, ad exhibenda ipſi obſequia ſua ut ſupremo Domino ſuo.

Tertia nota Regiæ dignitatis Filij Dei manifeſtatur in amore ipſius, devinciendo ſibi omnes Vaſſallos ſuos beneficijs, quæ eos inducunt ad ipſum diligendum amore reciproco. Ipſe eſt *ſpecioſus formâ præ filijs hominum* y in hoc præſepi. [y Pſ. 44. 3.] Pulchritudine ſuâ ſtupere facit ipſe cœlum & terram: & iſte ſtatus abjectionis nullo modo detrahit magnitudini gloriæ ipſius: ipſe trahit omnia ad ſe, & faſciæ & panni infantiles ſerviunt ipſi vice funiculorum ad hunc effectum, ſicut ipſe promiſerat, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* z. [z Oſee 11. 4.] Ha! exclamat S. Bernardus a, [a S. Bern. ſerm. 64. in Cant. 2. 15.] *Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam! Denique, Semetipſum exinanivit* b, [b Philipp. 2. 7.] *ut ſciias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt.* Amor fecit eum hominem: & quomodo homines non amarent eum? cùm verum ſit proloquium commune, *Similitudo eſt cauſa amoris.* Non eſt aliquid amabilius infante? Jeſus nobis apparet in hoc ſtatu, & ut ſic regnat ut ſummus Dominus, & in hac qualitate Magi ſummo ducunt honori, quòd poſſint ei exhibere obſequia ſua, & quòd ille dignetur ipſos ſuſcipere & admittere ut Vaſſallos ſuos. Jeſus plures amore refert triumphos, quàm potentia reportaverit: non eſt aliquid quod deditionem non ſubeat coram amore: ipſe eſt cœleſtis magnes attrahens corda quæ ſtricta ſunt *quaſi malleatoris incus* c. Salvator adorabilis, effice ut diligamus te, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna* d. [c Iob 41. 15. d Pſ. 44. 5.] Rex amoris, poſſide corda noſtra; imperium tuū præ ſe non fert niſi dulcedinem; non habet aliquid quod non ſit amabile. Hoc eſt eſſe fœlicem ac eſſe è numero vaſſallorum tuorum, *intende, proſperè procede, & regna.* Ecce tres notæ Jeſu Regis, & legitimi Regis, & unici Regis in toto mundo; potentia ad incutiendum timorem; ſapientia ad directionem populorum; & amor ad conciliandam ſibi dilectionem. Exhibeamus ei obſequia noſtra ad exemplum trium Magorum, qui veniunt à longè oblatum ei ſuas reverentias, & ſua *munera*.

[II. Pars.] Juſtitia requirit, ut vaſſalli reverentiam reddant ſupremis Dominis ſuis; & nunquam coram eis apparere debemus manibus vacuis, niſi velimus ingratitudinis inſimulari. Rex noſter ante incarnationem ſuam noſtris non indigebat muneribus, ſicut proteſtabatur David e, [e Pſ. 15. 2.] ipſum alloquens, *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Sed ex quo *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* f, [f Baruch. 3. 38.] *in ſimilitudinē hominum factus, & habitu inventus ut homo* g, [g Philipp. 2. 7.] indiget ut vaſſalli ſui ſibi impendant è bonis ſuis ad gubernandos ſtatus ſuos: debemus igitur exhibere ei munera, ad exemplum Magorum, qui *aurum, thus, & myrrham* illi offerunt. *Vident enim hominem, & agnoſcunt Deum*, dixit S. Thomas h [h S. Thom. 3. p. q. 36. a. 8. ad 4. citans S. Chryſoſt. hom. 2. in Matth. 2. 11.] poſt S. Chryſoſtomum. Procul hinc igitur, animæ avaræ; exite ex iſtâ ſocietate, nolite amplius apparere die iſtâ liberalitatis, & actionis gratiarum, niſi velitis aperire corda veſtra, ut offeratis illa Regi cordium, qui ea requirit à vobis, quippe quæ debetis ipſi ex juſtitiâ, cùm ait ſingulis vobis, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* i. [i Prov. 23. 26.]

Animæ Religioſæ, inſignitæ characteribus Divinitatis, animæ Regiæ, ad vos ſolas pertinet facere tales profuſiones. Voco vos Reginas, cùm verum ſit proloquium cōmune, *Servire Deo regnare eſt.* Vos eſtis Reginæ, cùm obſtringatis populum rebellem ad obediendum imperio veſtro, id eſt, cùm regnetis ſuper paſſiones veſtras, tenentes affectus veſtros vinculis conſtrictos, more captivorum, qui inſurrexerant adversùs Dominum ſuum. Eſtis igitur Reginæ, & ut ſic exercentes Regiam dignitatem veſtram ſuper corpora veſtra, ſuper potentias veſtras, & ſuper paſſiones veſtras, ut has & illa ſubjiciatis imperio rationis, & rationem Deo, ſicut agunt Juſti & probatæ vitæ homines in mundo; nihil minus agitis quàm Magi, qui veniunt hodie adoratum Dei Filium jacentem in præſepi; offertis eadem munera, exercetis eaſdem virtutes: quid ſupereſt dicendum, niſi quòd expectare debetis eandem mercedem?

Iſti Magi præ ſe tulerunt magnam fidem, promptam obedientiam, & ſanctam intentionem. Magnam fidem in eo, quòd videntes novam ſtellam quæ apparuit ipſis, crediderunt ad hunc intuitum, prout periti notitiæ aſtrorū, quòd Dei Filius ſe incarnaverat, & quòd Infans faſciis cōſtrictus, & jacēs in præſepi, erat Salvator mundi, Rex & Deus ſūmus orbis, *Sed profectò, qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit: & qui per ſtellam foris admonuit, ipſe in occulto cordis edocuit*, ait S. Bernardus k. [k S. Bern. ſerm. 1. & 2. in Epiph. Dom.] Et aliquandò pòſt, *Mira res, & omni admiratione digna. Proptereà, rogo vos, intuemini & videte quàm oculata ſit fides: quàm lynceos oculos habeat diligentiùs conſiderate.* Qualis fides, & quàm ardens! Sed veſtra fides, Animæ Religioſæ, nihil habet inferius illâ; non audeo dicere quòd habet aliquid majus eâ, cùm credatis totum illud, & aliquid amplius, id eſt, Divinitatem & humanitatem Jeſu Chriſti ſub velis ſpecierum panis & vini in Euchariſtiâ, cui exhibetis omnes adorationes veſtras, nedum videritis, & nedum novum aliquod miraculum vos edocuerit iſtam veritatem. Magi vident ſplendorem ſtellæ, & ſentiunt illius ardorem: vos non intuemini ſplendorem illius, ſed ſolum ardorem ejus experimini: iſtam creditis veritatem, eamque publicabitis vel in diſpendium vitæ veſtræ. Quàm ingens eſt fides veſtra! *Beati qui non viderunt, & crediderunt* l. [l Ioan. 20. 29.]

Secunda virtus Magorum, eſt prompta ipſorum obedientia, *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Unicum eſt duntaxat, *&*, à mandato ad executionem. *Vidimus*, inquiunt ipſi Magi, *&*, id eſt, confeſtim, *venimus.* Ipſi obediunt invitationi ſtellæ, ipſi ſequuntur inſpirationem quâ Deus ipſos ad ſe trahit: tota difficultas viæ, longitudo itineris tepeſcere non facit ipſorum ardores; nec retardat

tardat ipſos intuitus diſcriminis & periculi cui exponunt evidenter ipſi vitam ſuam, quærentes novum Regem in terris Regis Herodis, cùm non ſit aliquid delicatius ſceptro, quod Monarchæ cum nemine volunt dividere: ſed promptè obediunt; *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Iſti Magi dereliquerunt terras ſuas, Status ſuos, commoda ſua, palatia ſua; & omnia ſua ad hanc primam inſpirationem ſibi exhibitam à cœlo per novam ſtellam ipſos inducentem ad quærendum hunc Regem recenter natum. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Vos autem, Animæ Relioſæ, ad hanc primam inſpirationem, ſeu vocem internam, quæ inſonuit auribus cordis veſtri; *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi* m: nunquid non eſtis imitatæ ſapientes iſtos Magos? nonne dereliquiſtis patriam veſtram, domos veſtros, propinquos veſtros, parentes veſtros, & vos ipſas, ut ſubjiceretis vos directioni alterius, intelligo hanc voluntatem, quam Deus veluti reveretur, cùm ſit coronata, ſceptrumque deferat, prout libera; commoda veſtra ad quærendum Jeſum Chriſtum in auſteritate Religionis, ſemper unitæ Deo, & deditæ obſequio ſancto ejus, nedum horrores vitæ ſic auſteræ deſpondere vos fecerint animum, vel vos averterint à propoſito veſtro? *Magi ab Oriente venerunt* n: domicilio vitij, à longo tempore inimico Dei, ubi culpæ ceperunt initium, ubi peccatum fecit omnes conatus ſuos, ubi hæc tria capitalia peccata, ambitio, avaritia, & voluptas, quæ ſunt origo omnium infortuniorum, ſuam ſumpſerunt nativitatem, Adam ſuccubuit ambitioni, deſiderans ſe reddere ſimilem Deo: quippe qui poſt hæc verba Serpentis, *Eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum, de fructu comêdit* o ob hunc effectum. Avaritia poſſedit Caitum, cùm fuerit avarus in ſacrificijs ſuis, nec meruerit ut illa Deus acceptaverit, *Factum eſt ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Et Dominus ad munera illius non reſpexit* p. Et Lamech ſe dedit in prædam voluptati, cùm fuerit primus bigamus mundi, *Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella* q. Magi elongant ſe hodie ab Oriente, domicilio peccati, & veniunt ad pedes Jeſu, ubi reperiunt gratiam: vos verò, Animæ Religioſæ, nunquid non eſtis ſecutæ exemplum Magorum iſtorum? nonne exiviſtis è mundo, regione peccati, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* r: ut veniretis domum Dei, & in portum ſalutis veſtræ? *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine* s:

m Gen. 12. 1.
n [illegible]
o Gen. 3. 5. & 6.
p Gen. 4. 3. &c.
q Gen. 4. 19.
r 1. Ioan. 2. 16.
s Pſ. 54. 8.

Tertiò, Magi præ ſe ferunt bonas intentiones; omnia conſilia ipſorum ſunt juſta & grata Deo, cùm tendant ad quærendum Deum, nec ipſi quærant illum niſi ad inveniendum eum, juxta quod ipſemet promiſit, *Quærite, & invenietis* t. Nullum alium habent ſcopum, quàm ut adorent Deum, ſe ſubjiciant imperio ejus, manifeſtentque gloriam illius ſuis reverentiis & obſequijs, ſe proſternentes ad pedes illius, *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Ipſi nullis ducuntur reſpectibus humanis, ipſi non metuunt Curiam Herodis, ſed parvipendunt illius amicitiam; ipſos non invitat curioſitas ad inquiſitionem ſuas: ipſi non quærunt niſi Jeſum, & omnes ipſorum interrogationes non tendunt niſi ad conciliandum ſibi notitiam Jeſu, ad hoc ut ei ſuas exhibeant adorationes: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Animæ Religioſæ, intentiones veſtræ ſunt ſanctæ, & ſolitudo veſtra *in domo Dei* u, non eſt niſi ad complacendum ei. Petiiſtis ab eo cum Sponsâ, *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie* x. Et inſtructæ, quòd habitaret ipſe præſertim in Religione, veniſtis vos proſtratum ad pedes ejus, ut offerretis ei in ſacrificium omnes potentias veſtras. Si Magi præſentant dona, quæ erant maximæ divitiæ regionum ipſorum, *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*: hoc idem vos facitis: quin imò ſuperatis eos, cùm ipſi dent bona, quæ ſunt ipſis exteriora, bona fortunæ; vos verò datis id, quod eſt vobis maximè proprium, ſcilicet, aurum voluntatis per obedientiam, myrrham mortificationis veſtræ carnis per caſtitatem, & thus paupertatis, quæ fecit vos relinquere *omnia* y, ad conſecrandas vos totas ei. Omnia deſideria veſtra ſunt pura, univerſæ cogitationes veſtræ ſunt cœleſtes, non habentes aliquid quod affectus veſtros alliget terræ, quam generoſo contemptu calcatis. Ecce munera incomparabiliter ipſi gratiora muneribus Magorum. Ipſe eſt amator cordium, & vos, ut caſtæ columbæ, offertis veſtra ei in perfectum holocauſtum; & datis illi id omne quod ipſe requirit, & totum illud quod habetis.

t Luc. 11. 9.
u Pſ. 91. 14.
x Cant. 1. 7.
y Matth. 19. 27. &c.

Tandem, Ad proficuè terminandas omnes iſtas convenientias veſtri cum Regibus iſtis: ſi Magi poſt exhibita obſequia ſua huic Regi Judæorum, quem repererunt ſuper throno ſuo, qui non erat alius quàm brachia S. Virginis Matris ſuæ; ſi poſt oblatum ei ſervitium ſuum, & promiſſam ſolemniter illi fidelitatem ſuam, *per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam*: ſi, cùm veniſſent per viam latam æquè ac ſpatioſam idololatriæ & infidelitatis, *quæ ducit ad perditionem* z: redierunt per viam Regiam ſanctæ emendationis, & veræ converſionis; Animæ Religioſæ, nonne ſapientes iſtos Reges imitamini? quia, cùm veneritis in mundum per peccatum, *Omnes eramus naturâ filij iræ* †, inde vultis exire per portam gratiæ, quæ eſt via prorſus oppoſita peccato? Veniſtis per viam imperfectionis; & ad quid tot labores, tot curæ, tot ſolicitudines, tot orationes, & tot recollectiones? Nunquid non ut exeatis in ſtatum perfectionis? Iſtæ ſecundæ viæ ſunt omnino differentes à primis: & ſi ingreſſæ eſtis Religionem per gratiam, ideò ut tandem ex illâ exeatis per gloriam.

z Matth. 7. 13.
† Epheſ. 2. 3.

In Feſto S. Franciſci Saleſij Epiſcopi, & Confeſſoris.

Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Gen. 2. 18.

DEliquiſtis, Dominæ meæ: ſuſtinete, ſi placet, hanc veritatem, & ſatagite ne ſit ipſa vobis importuna: ſic eſt, deliquiſtis, & neſcio num defectus iſte, cùm mihi ſit glorioſus, futurus ſit injurioſus Patri veſtro, qui habuit hanc *mulierum fortem* a Reverendam Matrem Joannam Franciſcam Fremiot Dominam de Chantal ſociam in conſilio glorioſo, cujus executio ſic manifeſtat gloriam Dei, tantam tribuit ſatisfactionem proximo, & tot bona largitur exempla toti mundi, intelligo Ordinem veſtrum, cujus S. Franciſcus Saleſius eſt Pater; & virtuoſa Domina de Chantal eſt Mater, ſecundùm hæc verba Geneſeos, *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Deliquiſtis, inquam, eò quòd inſumpſiſtis indiſertum Oratorem ad propalanda merita hujus magni viri, die iſtâ quæ ſic eſt illi auguſta; eò quòd induxeritis Prædicatorem inidoneum publicandis virtutibus, quæ non ſunt ordinariæ

a Prov. 31. 10.

ordinariæ nec communes; & eò quòd exegeris ab imperito pictore, ut depingeret imaginem vultus qui tantum ſplendorem emittit. Rhetorica cum omnibus figuris ſuis, eloquentia cum univerſis floribus ſuis, & pictura cum coloribus ſuis cunctis, non habent unde ſic perfectum repræſentent nobis prototypon. Ingenuè fateor: deſunt mihi verba, eloquentia mea eſt abbreviata, colores mei nimis ſunt obſcuri, penicillus meus non eſt ſatis ſubtilis, manus mea nimis gravis eſt, & mens mea, quæ formare debet illius ideas, nimis tenebroſa quoad conſilium ſic glorioſum. Divinus hic Alexander petit Apellen ad ipſam pingendum, & requirit Phidiam ad faciendam ipſius ſtatuam: mihi verò ſufficit pro omnibus elogijs exarare in baſi ejus, *Tibi ſilentium laus* Satius eſt ut laudes incomparabilis iſtius viri taceam, quàm de illis malè loquar, cùm ſilentium meum futuram ſit confeſſio reverentiarum mearum. Re autem verà quid indiget laudibus meis ille, quem omnia ora proclamant? Præterquàm quòd ab benè laudandum requiritur ut ille qui laudat, habeat in ſe aliquid dignum laude. Pertinet igitur ad te, Virgo ſanctiſſima, laudabiliſſima, prout perfectiſſima omnium creaturarum, laudare glorioſum noſtrum Prælatum. Ipſa proclamata fuiſti ſancta à totâ ſanctiſſimâ Trinitate, prout equidem *univerſum Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus ſanctus adveniebat atque hoſpitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero geſtatus inhabitabat* b. Angelus te certam reddidit de iſtâ ſanctitate, cùm tibi dixit quòd haberes in te eum qui eſt ipſamet Sanctitas eſſentialis, *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* c: ſicut innuunt hæc ejuſdem verba, quibus te ſalutavit, *Ave Maria*.

b Heſych. ſerm. de Laud. Deip. c Luc. 1. 35. d Luc. 1. 28.

Licet pictoribus depingere imagines Sanctorum, licèt ipſi non ſint ſancti: non ſum ego ſanctus, & ad confuſionem meam: ſic ſimilis excuſatio mihi ſervire non poteſt niſi loco vehementis probri: potenter tamen ſolicitor à tot linguis, quot ſunt perſonæ in hâc ſanctâ domo, quarum merita cùm mihi non ſint incognita, ipſarum deprecatio vices agit mandati ſuper mentem meam, ad concinnandam panegyrin ſancti Patris ipſarum. Tres virtutes cœleſtes & Divinæ requirunt iſtud obſequium ab obedientijs meis, & hoc non poteram ipſis denegare, quin committerem crimen veniâ prorſus indignum. Tres iſtæ virtutes, è quibus intendo educere colores ad depingendam imaginem S. Franciſci Saleſij, ſunt virtus, pietas, & ſanctitas. Dominæ meæ, imploro ſubſidium veſtrum, ut mihi ſuccedat feliciter conſilium meum. Jura veſtra vos inducunt ad hoc ut vos exhibeatis mihi favorabiles; & gloria ſancti Patris veſtri, quem vado depictum ſuper tabulam raſam mentium veſtrarum, me ſperare facit iſtam gratiam. Videbimus igitur primò virtutem in juventute ipſius. Secundò, pietatem in conditione ipſius Eccleſiaſticâ. Tertiò, ſanctitatem in ipſius ſtatu prælaturæ, in quo fuit & auxilium Reverendæ Matris de Chantal in omnibus conſilijs ſuis. En ipſe, idea perfecta juvenum in juventute ſuâ, ſpeculum Eccleſiaſticorum in ſuo ſtatu Clericali, & prototypon conſummatum Prælatorum in ſuo ſtatu prælaturæ.

Diviſio.

Non immoror in inſtituendis vobis de glorioſis majoribus, & de nobili progenie incomparabilis noſtri Franciſci, cujus virtutes, quæ ſunt ipſi propriæ, debent huic diſcurſui amplam largiri materiam, ſed ſolam.

I. Pars.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Nihil dico de nativitate ejus, cùm cœlum ſemper fuerit ipſius patria, ſic ut ipſe dicere poſſet cum Apoſtolo d. *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Nec de ſublimi & elevatâ conditione eorum, è quibus tenebat ipſe vitam: ipſe duntaxat æſtimavit glorioſum charactêrem, qui cùm feciſſet ipſum renaſci *ex aquâ & Spiritu ſancto* e, reddebat ipſum Chriſtianum: nec de mitrâ & baculo paſtorali, quibus ornavit Deus caput & manus ipſius. Ipſe propoſuit ſibi *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* f pro chariſſimo objecto cordis ſui, & oculorum ſuorum. Nec de ipſius prærogativis naturæ, cùm his ſemper ipſe prætulerit prærogativas gratiæ. Hæc omnia ſilentio prætereo, ut dicam uno verbo, quòd ipſe ſubjecit collum jugo Domini, & legi Dei à tenerrimis annis ſuis, juxta conſilium Spiritus ſancti, *Bonum eſt viro, cùm portaverit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ* g. Ipſe nunquam bibit Babylonis *poculum aureum plenum abominatione & immunditiâ* h. Quin potiùs ipſe ſuxit virtutem cum lacte, ſic ut ipſe reddiderit eam veluti naturalem per totum vitæ ſuæ decurſum.

d Philipp. 3. 20. e Ioan. 3. 5. f 1. Cor. 2. 2. g Thren. 3. 27. h Apoc. 17. 4.

A Clemente Alexandrino i vocantur *flores Matrimonij liberi.* Sunt liberi veluti flores tenues & delicati, qui reſiſtere non poſſunt injuriæ aëris, & quos minima procella facit areſcere unico inſtanti: ut edoceantur inde parentes dare bonam liberis ſuis educationem, cùm quales ſunt juvenes, tales futuri ſint cùm ad ætatem perfectam pervenerint, cùm juventus capax bonarum & malarum impreſſionum, faciat ordinariè è prima educatione regulam vitæ ſuæ, & perſæpè deferat uſque ad tumulum vitia, vel virtutes, quæ ipſis irrepſerunt à prima infantia ſua. Ha! Franciſcus, noſter parvus Franciſcus ſic ritè educatur à parentibus ſuis, ita modeſtus eſt, ſic ſubditus, ita obediens, ſic pius, ſic devotus, ita ſapiens, licèt puer, ut dici poſſet de ipſo id quod præ adulatione dicitur de liberis Magnatum & Principum, quòd non erat puer niſi innocentiâ, vel annis, ſed vir perfectus & abſolutus omni verâ virtute. Videte illum, reſpicite eum, conſiderate ipſum attentè: non eſt aliquid æquale Franciſco niſi ipſemet: omnia ſunt admirabilia in ipſo, &, ut verum fatear, videtur Angelus è cœlo deſcendiſſe, ad ſuſcipiendam directionem & inſtitutionem ipſius, ſic bonis inſtructus eſt ipſe moribus. Non eſt aliquid ipſo docilius, nihil perfectius: ipſe projectus eſt velut in typum virtutis: non hallucinor: ipſe eſt illius imago. Ipſe habet in ſe ſemina omnium bonarum qualitatum. Vultiſne videre eum apparere more Solis naſcentis? Ipſe mittitur ad collegium Annecienſe, in quo ipſe ſic proficit, ut Magiſtri ipſius, intueantur ipſum præ ſtupore & cum reverentia. Dici poteſt de eo ſicut de S. Joanne Baptiſta: *Quis putas, puer iſte erit* k? Condiſcipuli ipſius modeſtè ſe gerunt: nullus ex eis eſt, quantùmvis petulans, qui audeat aliquid à recta ratione diſſonum facere, vel dicere coram ipſo. Dicebatur de illo æquè ac aliàs de S. Bernardino, deinceps Religioſo Ordinis mei, quandiu adhuc puer erat, *En Bernardinus adeſt. Ecce Franciſcus adeſt.* Hoc ſufficiebat ad inducendum unumquemque ad ſe continendum intra terminos juſti & rationabilis obſequii. Quid infertis, Auditores, ex illis præmiſſis, niſi fœlices conſequentias

i Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 2. k Luc. 1. 66.

& quòd

& quòd ſe ſic ardenter applicans virtuti à teneris annis ſuis, proculdubio terminabit eos feliciter in ſanctitatem? E collegio Annecienſi poſt abſolutas infimas claſſes ſuas, profectus eſt in collegium Pariſienſe, ubi ſtuduit Philoſophiæ. Ibi juventus ordinariè jacturam ſuam incurrit, vacando diſſolutionibus: ſed Franciſcus noſter eſt ſemper idem, & innocentia ipſius ſic ingens eſt, ut dici poſſit de ipſo id quod dicebat Alexander de Hales de S. Bonaventurâ diſcipulo ſuo, qui ambo Religioſi fuerunt Ordinis mei, *Videtur Adam in hoc homine non peccaſſe.*

Quàm alta virtus eſt, non eſſe culpabilem cum criminoſis. Quæritis ne Franciſcum? Non invenietis eum niſi in templis ſacris, in exercitio virtutum, in praxi bonorum operum: ipſe perſæpè confitetur, frequenter accedit ad ſacram Communionem, aſſiduus eſt in audiendis prædicationibus, tandem, ipſe eſt totus Deo deditus, & *non in ſolo pane vivit homo hic, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei* l. Videte, ſi placet, quomodò ipſe ſemper u *de virtute in virtutem* m, progrediendo, & creſcendo. Ipſe ſtuduit deinde Juriſprudentiæ Patavij, ibique anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, & ætatis ſuæ vigeſimo quarto laureâ Doctorali donatus eſt ſub Pancirolâ. Studuit deinceps & Theologiæ privatim, cùm elegit ſtatum Eccleſiaſticum. In omnibus actionibus ſuis ipſe petit à Deo, ut poſſit in omnibus adimplere ſanctam ipſius voluntatem: & hoc idem eſt, quod dicere debet & efflagitare ab eo quilibet bonus Chriſtianus: *Notam fac mihi viam, in quâ ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* n. Loqui vobis nunc de omnibus aliis exercitijs, quæ ipſe ſibi præſcribebat, ut proficeret, & ſe perfectum in viâ Dei redderet, hoc eſſet æquo longius recenſere: ſufficiat vobis ut ſciatis & credatis, quòd ipſe ſemper progreſſus eſt more lucis donec pervenerit ad meridiem ſuum, juxta verbum Salomonis o, *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.* Seu, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum p, *Semita Iuſtorum eſt converſatio bonorum, & contemplatio virtuoſorum: in quâ lux gratiæ, ſplendor ſapientiæ, puritas cordis relucens. Hæc creſcit ſpirituali profectu uſque ad perfectum diem, id eſt, ad ſummum gradum doni ſapientiæ ac virtutum, & uſque ad diem æternitatis, de quo cantamus, Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia* q, *hoc eſt, de fide tranſit ad ſpem, de ſpe ad comprehenſionem, de charitate ad beatificam viſionem. De quâ viâ loquitur Iſaias* r, *Hæc via, ambulate in eâ: & neque ad dexteram declinetis, neque ad ſiniſtram.* *Et iterùm* s, *Semita Iuſti recta eſt.* Et Pſalmiſta t, *Pſallam & intelligam in viâ immaculatâ.*

l Matth. 4. 4. ex. Deut. 8. 3.
m Pſ. 83. 8.
n Pſ. 142. 8. & 9.
o Prov. 4. 16.
p Dion. Carth. art. 4. in Prov. 4. 16.
q Pſ. 83. 11.
r ex Iſai. 30. 21.
s Iſai. 26. 7.
t Pſ. 100. 2.

En ipſe multùm virtuoſus: ſed Deus qui nullam virtutem vult, quin probetur, *tanquam aurum in fornace* u probat ipſum. Non eſt aliquid delicatius puritate, nihil eſt difficilius cuſtoditu, æquè ac facilius amiſſu: *Inter omnia Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria*, dicit S. Auguſtinus x. Deus illum probat è parte infirmiſſima, ſed ideò ut meliùs extollat ejus gloriam. Triumphat caſtus iſte juvenis, & victor eſt in occaſione, in quâ generoſiſſimi quilibet arma deponerent, ubi fortiſſimi Hercules relinquerent clauas ſuas, ad ſumendum fuſum. Non eſt aliquid ſpecioſius noſtro Franciſco, ipſe ſtaturam corporis habet majeſtate plenam, modeſtiam ſuavem, loquelam jucundam, modum converſandi admirabilem, ipſe urbanus eſt & honeſtus, uno verbo, ipſe poſſidet omnes eximias qualitates quæ requiruntur ad conciliandum ſibi amorem & corda. En ipſe circa annum ætatis ſuæ vigeſimum, quandiu Patavij ſtudet, deducitur inſcius domum meretricis à ſocijs ſuis, ſub falſo prætextu quòd famoſus quidam Doctor advenerat in civitatem, qui ibi aliàs docuerat, & quòd urbanitas requirebat, ut ipſi irent illi ſuas exhibitum reverentias. Annuit huic propoſitioni urbanus noſter Franciſcus: ſed nedum deduceretur ab eis apud Doctorem, perducitur ab his domum iſtius proſtitutæ: & hi fingentes ſe expectare Dominum Doctorem, relinquunt illum ſolum cum hâc muliere diſſolutâ, quæ ipſum ſolicitat, quæ illum urget, & quæ omnia ſui ſexus adhibet artificia ad emolliendum & ſibi conciliandum cor ejus. Franciſce quid dices? quid ages? quomodo te geres? poſtulabiſne ſubſidium? Ha! implora auxilium Dei, *Eſto mihi in Deum protectorem, ut ſalvum me facias* y. Ad exeundum è laqueis iſtis S. Benedictus ſe volutat ſuper ſpinas quæ ſanguinem educunt è venis ipſius: & S. Franciſcus Aſſiſinas Patronus tuus ſe nudum projicit in nivem tempore hyberno: quid facies igitur ad hoc ut victor exeas ex iſto certamine? certamen eſt rude: in hoc fortiſſimi Samſones victi ſunt z, ſapientia Salomonis a ibi confracta eſt b, & ſanctitas Davidis c patris ejus ibidem reperit naufragium d: propterea S. Hieronymus e ſcribens Nepotiano, dicebat ei, *Nec in præteritâ caſtitate confidas. Nec ſanctior David, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quòd paradiſi colonum de poſſeſſione ſuâ mulier* f *ejecerit.* Franciſce, quid ages ad extinguendas flammas iſtas? Quid agam? Armabo me zelo, mutabo manſuetudinem meam in rigorem, conſpuam in vultum mulieris iſtius, ut in locum recipiendis ſordibus iſtis aptiorem. Quod & fecit, Auditores, re verâ: parum autem abfuit quin infamis hæc mulier rabie dirupta ſit ob deſpectum, quem caſtus iſte juvenis faciebat pulchritudinis ipſius, quam alij adorabant, ſumens hujuſmodi contemptum pro injuriâ: ipſa obruit eum contumelijs pro eo quòd conſentire noluerit voluntatibus ipſius. Qualis triumphus, Auditores! Judicate de eo è difficultate certaminis. Qualis favor & gratia cœli, manere inconcuſſum inter tot lenocinia, tali ætate, in tali occaſione! Quanta virtus, quàm ingens conſtantia generoſi noſtri Franciſci! Miraculum eſt naturæ, quòd Salamandra maneat in flammis incombuſta, & quòd *Pyrama, vel potiùs Phyrama lacryma genus ex Metopio arbore ſtillans pingue & reſinoſum* g, ſuam pulchritudinem cuſtodiat in medijs ignibus montis Ætnæ: & miraculum gratiæ eſt, quòd noſter Franciſcus non ardeat inter iſtas flammas: hoc, eſt effectus auxilij B. Virginis Deiparæ, quæ eſt Protectrix pudicitiæ ipſius, cùm ſuam caſtitatem poſuerit ſub protectione Dominæ noſtræ, æquè ac illam ſumpſerit pro bonâ Dominâ ſuâ.

u Sap. 3. 6.
x S. Aug. ſerm. 250. de Temp. c. 2.
y Pſ. 30. 3.
z Iudic. 16. 19. &c.
a Eccl. 1. 16.
b 3. Reg. 11. 1. &c.
c 1. Reg. 13. 14.
d 2. Reg. 11. 4.
e S. Hier. Epiſt. 2. ad Nepotiã. num. 16. & 17.
f ex Gen. 3. 6. &c.
g Calepin. in Diction. V. Pyrama.

Ecce, Juventus, exemplum præclarum. En, Auditores, idea veræ virtutis, quam vobis propono, & quam vobis imitandam ſubminiſtro. Parentes, magnam ſuſcipite curam inſtruendorum liberorum veſtrorum ad virtutem à teneris annis ipſorum ſanctâ & virtuoſâ educatione, cùm dicat Poëta,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Habete ſolicitudinem novarum iſtarum plantarum, cùm facilè flectere poſſitis eas ad virtutem. Liberi, date primos veſtros annos Deo, huic primo radio rationis qui vos illuminat h; convertite vos ad hunc ſolem *juſtitiæ* i, applicate vos obſequio ejus, colite bonos motus internos quos cœlum vobis inſpirat k, & bonas inclinationes quas natura vobis tribuit, fugite occaſiones quæ vos inducunt ad vitia, eſtote devoti B. Virgini Deiparæ, imitamini Franciſcum noſtrum, & eritis virtuoſi.

h Pſ. 4. 7.
i Malach. 4.
k Prov. 1. 24. &c.

II Pars. Virtus nunquam quieſcit quin pervenerit ad altiſſimum ſuæ perfectionis apicem: noſter Franciſcus non eſt contentus in ſtatu, in quo eſt, ipſe ſuſpirat ad ſublimiorem & perfectiorem, qualis eſt ſtatus Eccleſiaſticus. Videns eum, *qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens* l propter ipſius amorem; renunciat ipſemet libertati ſuæ, & ſtatuit ei ſervire toto tempore vitæ ſuæ, nedum quid aliud ſit quæſiturus, niſi gloriam ejus. Ipſe ſumit ſanctam Matrem ejus pro bonâ Dominâ ſuâ, & ſe collocat ſub ejus protectione, ut deinceps regatur ab eâ, & non agat niſi in dependentiâ ab illâ. Ipſe conſulit illam ſuper deſiderium quo ipſe afficiebatur eligendæ profeſſionis Eccleſiaſticæ; & ſe ſic fortiter experitur in hoc conſilio firmatum, ut abſolutè ſtatuat illud exequi quàm citiſſimè. Sed ſicut bona opera inveniunt ordinariè obſtacula, Franciſcus nonniſi vix inducere poteſt parentes ſuos ad conſentiendum deſideriis ipſius. Iſti reſpiciebant eum ut Solem orientem, qui totam progeniem ſuſpenſam tenebat intuitu futuræ ſuæ magnitudinis: hi reperiebant illum ſic ſpecioſum, ita doctum, ſic ſapientem, ita manſuetum, & ſic modeſtum, ut reſpexerint eum ſtatim ut ſubjectum capax primorum officiorum Status. Ipſe conſilium ſuum tenet adhuc abſconditum, & ipſius converſatio honeſtè hilaris, licèt ſemota ab omni libertate reprehenſibili, impedit ne conſilii ſui ulla habeatur ſuſpicio. Ipſe habet hoc gaudium Chriſtianum, quod modeſtiam ſemper habet comitem individuam, & quod jucundiùs oblectat alios, quàm lætitia inſolens mundi, quæ illos ſcandalizat, vel eos obtundit. Sed ipſe triumphat mediis ardoribus ſuis de omnibus obſtaculis quæ ipſi opponuntur. En ipſe factus Eccleſiaſticus. Quàm contentus eſt: ipſe ſibi videtur eſſe in ſtatu beatitudinis: & in hoc ſtatu præſertim ipſe manifeſtat pietatem ſuam, zelum ſuum, & quòd dat novum ſplendorem virtuti ſuæ. Vidiſtis illius virtutem in juventute ipſius, admiramini pietatem ejus in ſtatu ipſius Eccleſiaſtico. Avis quæ exit è laqueis, quibus capta erat; & captivus qui educitur inopinanter ex ergaſtulo ſuo, non perfunduntur tanto gaudio, quanto cumulatur Franciſcus videns ſe diſſolutũ ab omni eo quod ipſum retinebat in ſæculo. Ipſe ſtatim mutat veſtimenta: ſed expolians ſe *veterem hominem cum actibus ſuis, novum eum qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum* m, induit. Præcidendo capillos ſuos, ipſe renunciat omnibus prætentionibus mundi: *Spiritualiter verò, Capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ*, dicit Dionyſius Carthuſianus n. Sumens togam Eccleſiaſticum, induit ſpiritum Eccleſiæ. Evadens Caput Capituli ſui, prout Præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis Genevenſis, ſtatuit præcellere Confratres ſuos plùs virtute, quàm ſuperet eos dignitate. Ipſe confunditur videre ſe in capite eorum, priuſquàm fuerit membrum corporis illorum; & ſe continet in humilitate ultimi membri iſtius corporis, nullum cuſtodiens ſuæ dignitatis privilegium, niſi id quod ipſe relinquere non poteſt abſque peccato. Ipſe ſedet in primâ cathedrâ Chori; ſed ſpiritu ſe eſt ad pedes omnium. Ipſe primam vocem fert in Capitulo; ſed præ tantâ dulcedine, ut videatur ipſe nolle aliter conciliare ſibi res propoſitas, quàm vi rationis, & non authoritate. Sic vehementer attentus erat ipſe ſibi, ut agnoſceretur manifeſtè mutatus *in virum alium* o virtute ſecretâ, quæ operabatur in ipſum ſupernaturaliter, quod apparebat in facie, in oculis, in verbis, & in omnibus actionibus ipſius, in quibus emicabat neſcio quid Angelicum & Divinum, quod inducebat unumquemq; ad eum honorandum, & diligendum. Videns ſe honoratum dignitate Sacerdotali, ipſe ſe judicavit ſtrictiùs obligatum quàm anteà ad ducendam vitam ſanctiorem; ideòque mores ſuos ſic ritè ordinavit, ut ſtatim unuſquiſque agnoſceret, quòd ipſe ſingularis erat inter Sacerdotes, ſpeculum ſecularium, & balſamum totius Diœceſis. Ipſe ſæpè cogitabat, quòd perſona Eccleſiaſtica debet eſſe *ſal terræ, lux mundi* p, *lucerna ardens & lucens* q, directio errantium, exemplar pietatis, & idea probitatis. Et ſicut in templo Salomonis non erat aliquid quod non eſſet aureum r, vel opertum auro obrizo s: ſic, inquiebat ipſe, interius & exterius viri Eccleſiaſtici micare debent omni genere virtutum, cùm oculi populi intueantur eum, ut actiones ſuas exigant ad normam actionum illius, & defectus ejus facilè pertrahant inſpicientes ad ipſorum imitationem. Ipſe eſt veluti primum mobile, quod trahit omnes alios cœlos poſt ſe: *Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos* t. Sacerdos non eſt bonis inſtructus moribus; populus rapitur in libertatem patrandorum criminum; ſequitur exemplum ſibi datum à Sacerdote. Ecce reflexiones quas faciebat noſter pius Eccleſiaſticus, oſtendens evidenter, quòd ipſe erat, non ſolùm Sacerdos, ſed etiam templum, altare & ſacrificium Altiſſimi. Maximè ſeriæ ipſius occupationes, erant celebratio S. Miſſæ, aſſiduitas in Choro, in tribunali Pœnitentiæ, in exercitio prædicationis, ubi tot animas convertit, & redegit *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* u, tot errantium, *qui in tenebris & in umbrâ mortis* x hæreſis ſedebant. Clemens VIII. edoctus ipſius pietatem, miſit ad eum diploma, per quod ipſi commendabat, ut vacaret converſioni Bezæ, tertij Miniſtri Genevæ, poſt Calvinum, & Guilelmum Farel. Judicate de pietate noſtri Eccleſiaſtici, cùm ſummi Pontifices cõmittant ei negotium ſic grave. Quàm magnus vir eſt noſter Franciſcus! Cœlum non vidit ullum eò devotiorem, & ardentiorem zelo ſalutis & converſionis animarum. Domini mei Eccleſiaſtici, ecce ſpeculum quod vobis propono: in hoc videbitis id omne quod agere & imitari debetis, ut dignè veſtro perfungamini miniſterio. Character veſter vos obſtringit ad promovendam ſalutem proximi veſtris bonis exemplis, documentis veſtris, curis veſtris; debetis eſſe auxilia Dei, *Dei adjutores* y, ad dirigendas animas ad ultimum finem ſuum z, qui eſt æterna fœlicitas, ad imitationem iſtius ſancti Eccleſiaſtici, quem propono vobis pro ſpeculo & pro exemplari, quippe qui tantam præ ſe pietatem tulit, & tantum zelum manifeſtandæ gloriæ Dei, & promovendæ ſalutis animarum.

l Philipp. 2. 6. & 7.
m Coloſſ. 3. 9. & 10.
n Dion. Carth. art. 44. in Luc. 21. 18.
o 1. Reg. 10. 6.
p Matth. 5. 13. & 14.
q Joan. 5. 35.
r 3. Reg. 7. 48. &c.
s 3. Reg. 6. 20. &c.
t Iſai. 24. 2. & Oſee 4. 9.
u 2. Cor. 10. 5.
x Luc. 1. 79.
y 1. Cor. 3. 9.
z Prov. 16. 4.

III. Pars. Non eſt ſatis ad gloriam noſtri S. Franciſci, ut fuerimus admirati virtutes ejus in juventute ſuâ, pietatẽ illius in ſtatu ſuo Eccleſiaſtico; oportet etiam ad reddendam ipſius coronam ſplendidiorem, ut conſideremus eum perfectum in ſuo ſtatu prælaturæ. Eccleſiaſtici & Religioſi non ſunt niſi in via perfectionis, Prælati verò ſunt in illius apice, ipſi poſſident id ad quod nos aſpiramus, *Sunt in ſtatu perfecto.* Ideòque Apoſtolus a ait, *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* S. Thomas b loquens de ſanctitate, ait inter alia quæ ei cõveniunt, *Quòd nomẽ ſanctitatis videtur importare uno quidẽ modo munditiã.*

a 1. Tim. 3. 1.
b S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 8. in corp.

Et

Et huic ſignificationi competit nomen Græcum. Dicitur enim agios id eſt, ſine terrâ. Munditia enim neceſſaria eſt ad hoc, quòd mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc, quòd inferioribus rebus conjungitur, ſicut qualibet res ex immiſtione pejoris ſordeſcit, ut argentum ex immiſtione plumbi. Oportet autem, quòd mens ab inferioribus rebus abſtrahatur ad hoc quòd ſupremæ rei poſſit conjungi. Noſter prælatus eſt totus purus, ſine ullâ miſtione: ergo eſt totus ſanctus, quippe qui totus eſt in Deo, *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* c. Apoſtolus d nobis delineat verum Prælatum, cùm ait, *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, pudicum, modeſtum.* Iſtud eſt totum quod ſanctus noſter Prælatus eminenter poſſidet. Nemo eſt qui non laudet eum, & non proclamet eum ſanctum: quin imò ipſi vel Hæretici, inimici ipſius, propalant eum ut talem, & proteſtantur quòd ſi omnes Prælati eſſent tales, qualis ipſe eſt, nulli eſſent ampliùs Hæretici in Galliâ. Sic ſobrius erat, ut raptus in Deum, tranſigeret interdum comeſtiones in quibus nihil manducabat niſi panem innctum aquâ ovorum effoſſorum. Ita pudicus, ut palatium ipſius videretur domus Religioſa: ibi non ſuſtinebatur offenſa Dei; & hoc erat ab eo dimitti & ejici ac patrare aliquod crimen, præſertim contra puritatem, quod ipſe pati non poterat, ita caſtus erat. In loquelâ ſua, in inceſſu ſuo, in ſtatura ſua, in veſtibus ſuis, in omnibus modeſtus, nec erat quid in ipſo affectatum, nec vanum. Vno verbo, Totus ſanctus erat, ſine ulla miſtione carnis & ſanguinis, vel affectus erga divitias & bona terræ; totus applicitus cœlo, non adhærens terræ niſi vinculo neceſſitatis. Ipſe, erat velut avis paradiſi. Tandem, Nemo eſt in Europa, & ultrà, qui non ſciat apprimè meritum ſancti Antiſtitis Genevenſis, & quòd ætas noſtra invênit in vita & in libris ipſius, unde non indigeat ſeculis præteritis, & unde ditentur ea quæ debent nos ſequi. Innocentia aggreſſa eſt formare Abelem e, & producere in eo primum miraculum mundi; pietas elegit Enos f; tranquillitas Noë g; generoſitas Abrahamum h; obedientia Iſaacum i; patientia Jacobum k; bonitas erga proximum, Joſephum l; amor erga Deum, Moyſen m; religio Aaronem n; zelus Phineen o; magnanimitas Joſuë p; fortitudo animi Samſonem q; prophetia Samuelem r; manſuetudo Davidem s; diſcretio Nathan t; ſapientia Salomonem u; & bona fama Joſiam x: ſed omnes iſtæ virtutes ſe ſimul univerunt, ad reuniendum omnia miracula ſua in ſancto Præſule noſtro. Nemo meliùs unquam comprehendit veram devotionem quàm magnus iſte vir: nullus Author unquam depinxit eam ſuavitatibus ſapientiùs miſtis majeſtate, quàm ipſe: nunquam Prædicator ullus præ tanto ſucceſſu nobis perſuaſit ut legitimum faceremus illius uſum, præ quanto ipſe: nunquam Director aliquis meliùs convenire fecit linguam ſuam cum manu ſua; linguam ſuam ad inſtruendum, & manum ſuam ad agendum ſecundùm inſtitutiones ipſius, quàm ipſe. Animus ipſius fuitne languens, vel otioſus? Ipſius contenſiones & concordiæ voluntati Dei, & ipſius diſſolutio à creaturis, fuerunt ne duntaxat ſuper labijs ipſius? Nunquid non ipſius fatigationes veluti admiratione & ſtupore perculerût Alpes Diœceſis ipſius? Et populi qui vivebant ſub regione ſic rudi, nonne remanſerunt perſuaſi, ſi licet ita dicere, quòd ſuaves viſitationes Paſtoris ſui emolliverant rupes, & quòd fervor illius liqueſecerat glacies, & quòd torrentes intumuerant ſudoribus ejus? Eſtne igitur laus aliqua, quam poſſimus ei denegare? Si ſcribit, ipſe ſuam manum præbet Spiritui ſancto, & laborem ſuum tribuit animabus. Typis mandentur ſermones ipſius, ex ijs erigemus bibliothecas: enumeremus victorias ipſius ſuper hæreſim, in deducendis eis fatigabimur: obſervemus verba ejus, ipſa ſunt tot oracula: ſpeculemur actiones illius, unaquæque earum eſt miraculum: meditemur vitam ipſius, ipſa eſt ſubjectum noſtræ admirationis: memoriâ recolamus mortem ejus, hæc eſt objectum venerationis omnium Provinciarum noſtrarum. Summi pontifices eo uſi ſunt, Reges illum dilexerunt, ſummi Duces eum conſuluerunt, & nullus eſt in mundo, qui non laudet & amet ipſum. Ipſe fuit Epiſcopus & Princeps Genevæ; en ipſius qualitas. Non eſt aliquid in Theologiâ Myſticâ, quod ipſe non poſſederit; ecce ſcientia ipſius, ut omittam nunc alia lumina mentis ipſius. Ipſe expugnavit in occurſibus innumeris hæreſim, impietatem, libertatem æquo ſolutiorem, & omnia alia vitia; en ipſe potens. Non eſt virtus Apoſtolica, cujus ipſe fidelem & conſtantem non fecerit uſum; ecce divitiæ ipſius. Ipſe incanuit in iiſdem munijs, in quibus SS. Dionyſius, Athanaſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Paulinus, & Hieronymus; en ipſe glorioſus, & in ſerie Patrum Eccleſiæ. Quid majus? & quid glorioſius dici poteſt, quod ipſe non meruerit? Ipſe eſt totum, ipſe meretur totum, nihil ipſi defuit ad faciendum ipſum id quod ipſe eſt: natura & gratia inſumpſerunt in eum omne id quod habebant ipſæ cariſſimum & excellentiſſimum, ſic ut ipſe ſit opus eximium naturæ & gratiæ.

c 1. Cor. 6. 17.
d 1. Tim. 3. 2. &c.
e Gen. 4. 4.
f Gen. 4. 26
g Gen. 7. 9.
h Gen. 22. 3. &c.
i Gen. 12. 9.
k Gen. 32. 40.
l Gen. 41. 56.
m Exod. 34. 28.
n Exod. 28.
o Num. 25. 7. &c.
p Ioſue 1. 9.
q Iudic. 16. 21. &c.
r 1. Reg. 1. 31 &c.
s 1. Reg. 24. 6.
t 2. Reg. 12 1. &c.
u 3. Reg. 4. 29. & Eccl. 1. 16.
x 4. Reg. 21. 1. &c. & Eccl. 49. 1.

Et ne ſilentio præteream unum ex admirabiliſſimis effectibus ſanctitatis noſtri Præſulis digniſſimi, unum è glorioſiſſimis quoad Deum, unum ex utiliſſimis quantùm ad animas, & unum è laudabiliſſimis intuitu ipſius, is, eſt auguſtus Ordo, quem ipſe inſtituit, Monialium Viſitationis S. Mariæ, ſic ut dici poſſit, quòd qualis eſt Pater, tales ſunt filiæ, totæ ſanctæ ſicut Pater ipſarum. Hîc apparet Divina Providentia, dando tale adjutorium Reverendæ Matri de Chantal, *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* En imago virtutum ipſius, ecce ſpeculum faciei ipſius. Aquæ procédunt omnes è mari, licèt per canales & aquæductus ſic opertos ut percipi non poſſint; ſicut nec origo quatuor fluviorum exeuntium *de loco voluptatis* y. Omnes boni effectus emanant è Providentiâ: *Omne datum opptimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* z. Et omnes ictus percutiuntur manu ejus, licèt ipſa ſit abſcondita, nec videantur ipſius productiones. Hoc magnum conſilium, quod elevabatur ad cœlum usque, habebat arcana valdè recondita in ideis Dei: & iſti duo Architecti noſter S. Franciſcus & Reverenda Mater de Chantal non exiſtimabant ſe ita citò foſſuros fundamentum ſuæ ſanctæ ſophiæ: ſed voluntas & Sapientia Divina, quæ eſt rota principalis, & primum mobile, *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia* a, tribuit huic feliciter initium, cujus videmus hodie ſic fortunatos progreſſus, ut ſanè, niſi paſſio nos excæcet, admiratione nos percellant intuitu tot virtutum, & inducant nos ad venerandos Authores, qui principium præbuerunt ei, nimirum ſanctum Præſulem noſtrum, & ſociam ipſius R. M. de Chantal, *Adjutorium ſimile ſibi.*

y Gen. 2. 10.
z. Iacob 1. 17.
a Sap. 7. 24.

Quàm devinctus eſt mundus huic ſancto Prælato! quantas gratiarum actiones impendere debent ei civitates, quæ habent Monaſteria hujus Ordinis, qui ſic manifeſtat gloriam Dei, & tantam proximo præbet ædificationem interventu

vitæ

vitæ ſuæ exemplaris! Etiam, Auditores: Hoc dico ſine adulatione: hæc Religio componit exercitum Dei, [b Cant. 6. 9] *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata* b. Iſtæ Moniales excubias agunt cùm dormitis; ipſæ vigilant, & orant, & faciunt pacem veſtri cum Deo cùm illum offenditis; ipſæ mitigant eum cùm illum irritatis; ipſæ inducunt eum ad deponenda arma iræ ſuæ, interventu veniæ, quam ipſæ petunt ab eo, peccatorum veſtrorum; ipſæ plorant cùm ridetis, & nihil ipſas æquè contriſtat ac jactura veſtra; ipſarum domus eſt aſylum, quò recurrere poteſtis; armamentarium, quod providebit vobis arma offenſiva & defenſiva ad triumphandum de hoſte, & de omnibus conatibus ejus; inter moleſtias veſtras invenietis ibi gaudium; ſi tenebris eſtis involuti, reperietis ibi diem quæ vos illuſtrabit. Indigetiſne conſilio? Ite ad hanc originem lucis, quæ vos illuminabit, & reſolvet vobis dubia veſtra. Eſtiſne [c Ier. 5. 4.] *forſan ignorantes viam Domini* c? Ipſæ, ſunt Magiſtræ, quæ illam vos edocebunt; [d 2 Mach 1. 22.] inter glacies veſtras ibi accendetur *ignis magnus* d, qui vos ſic inflammabit ut dicturi ſitis præ veritate, & ſine adulatione ad laudem earum, quòd non eſt aliquid ſanctius hoc Ordine. Propterea jure merito approprio ei hæc verba Scripturæ [e Iudith. 15. 10.] e, *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri.*

Unuſquiſque devinctus eſt huic magno Prælato pro eo quòd revocaverit virtutem in mundum: ipſe malebat non habere virtutem, quàm habere eam agreſtem: triſtis & auſtera facies ejus ejecerat Aulicos è Curia ſua, ſed ſtatim ac magnus iſte vir ipſam polivit, & abſtulit ab ipſa hunc rigorem, demulcens ipſi vultum & loquelam, unuſquiſque denuò cœpit illam colere; & videtur ipſa redintegrata in ſtatus ſuos, & reſtituta in priſtinum Imperium ſuum. Mundus qui maluit perire quàm timere, & qui non ſubivit deditionem Principis ſui, niſi cùm amor concinnavit articulos compoſitionis; nec etiam ſtetit è partibus virtutis, niſi cùm erepta fuit ipſi ſepes iſta ſpinoſa difficultatum. Sanctus iſte Præſul pietatem ſevit in omnibus cordibus, reddidit mundum participem ſuæ ſanctitatis, adjuvit & ornavit Eccleſiam exemplis, prædicationibus, libris, orationibus, ſacrificijs, converſationibus, doctrinis, & infinitis miraculis ſuis. Quid ſupereſt nobis nunc cùm ipſe eſt in gloria, cùm cœlum nobis illum eripuerit è mundo, qui indignus erat honore fruitionis ejus, niſi ut invocemus eum ad auxilium noſtrum, imploremus ſuffragia ejus, commendemus nos potentibus meritis & interceſſionibus illius, deprecemur eum ut ſuper nos immittat benignos aſpectus ſuos, & oculo propitio intueatur opus hoc eximium, intelligo hunc ſanctum Ordinem, quem ipſe inſtituit, ut det ei ſucceſſum & incrementum, ſicut illi dedit animam & vitam; ut non renuat ei ſuam magnam benedictionem, cùm non ſolùm dederit ei eſſe, ſed totum benè eſſe, & totum ſpiritum ſuum? Hæc eſt oratio, quam dirigere debemus ad hunc glorioſum Prælatum, plenum virtute in juventute ſua, pietate in ſuo ſtatu Eccleſiaſtico, & ſanctitate in ſuo eminenti gradu prælaturæ; ſic ut dicere poſſim cum Eccleſia poſt Eccleſiaſticum f, *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi.* [f ex Eccli. 44. 20.]

Aliàs magnus iſte Prælatus in aliquo loco ſuæ Diœceſis miſertus eſt clamoris ruſticorum, qui metuebant ſterilitatem generalem, eò quòd cœlum effectum æneum, denegabat pluviam neceſſariam maturitati fructuum: terra dehiſcebat undequaque, ſic ingens erat ſiccitas, ipſa petebat aquam velut ore hianti, & quia renuebatur ipſi aqua, nullus erat ampliùs humor in plantis, in caulibus, in tubis, illarum plantarum medulla, ſuccus, & verna ſaliva corticis earum ferè deperibat: Sanctus hic Antiſtes oravit, &, licèt tempus eſſet ſiccum & ſerenum, ſtatim obtinuit imbrem, ſic ut terra biberit ſecundùm neceſſitatem ſuam totam, & productiones ipſius veluti ſuſcitatæ à morte ad vitam, novum vigorem reſumpſerint. Heu! magne Sancte, intuere oculis miſericordiæ tuæ ſtatum ad quem redacti ſumus, ſicci & aridi humore cœleſti, noſtra *anima ſicut terra ſine aquâ tibi* g. [g Pſ. 142] Impetra nobis abundantiam aquarum gratiæ, ſatage ut ros gratiarum Divinarum ſtillet ſuper nos: miraculum, quod feciſti tunc ſuper terram materialem, refice nunc ſuper territorium ſpirituale cordium noſtrorum: flexiſti tunc genua pro fertilitate agrorum; flecte nunc ea pro fœcunditate cordium: procuraſti tunc populo felicitatem temporalem & beatam tempeſtatem, procura nunc nobis fœlicitatem æternam & viſionem beatam. Fœlices Filiæ talis Patris, flectite genua coram eo, ut meliùs noſtris propitius evadat neceſſitatibus. Ego autem non poſſum niſi me excuſare apud ipſum, ſeu potiùs ab eo veniam petere, eò quòd caligine ſuffuderim gloriam ipſius obſcuris conceptibus, & rudibus verbis meis; hoc confiteor, & ad laudem ejus, & ad confuſionem meam: ægrè ſemper feram quòd ſic inops fuerim in materia ſic prædivite; ſed etiam confiteor, quòd ipſius abundantia me redegit ad egeſtatem, ſic ut dicere poſſim,

Inopem me copia fecit.

Vale igitur S. Franciſce, idea virtutis pro juvenibus, ſpeculum pietatis pro Eccleſiaſticis, exemplar ſanctitatis pro Prælatis, vir perfecte, honor illuſtris domus Saleſiæ, ornamentum Sabaudiæ, decus totius Eccleſiæ, Vir ſine paſſione, vir plene compaſſione, vir ſine felle, vir mellee, homo plusquàm homo, homo Angelice, homo divine, magne Epiſcope, qui totus es pedes, totus manus, totus oculi, totus cor: vale amice Dei, homo virtutis, vir pietatis, vir ſanctitatis, vale, unito nos Deo per gratiam in iſto mundo, ut aliquando poſſimus ei uniri per gratiam in altero.

JN FESTO PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ.

Et poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. 22. ex Levit. 12. 6. &c.

[a Apoc. 12. 1.] STupore videtur nos percellere S. Joannes a, cùm ait, *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Sed deſinant admirationes noſtræ, Auditores, cùm cœlum ſit domicilium Solis, Lunæ, & ſtellarum: & admiremur potiùs videre mulierem, quæ defert hodie Solem in brachiis ſuis, eumque reponit in terra inter brachia venerabilis Senis: *Stupendum enim eſt miraculum in cœlo; Mulier geſtans lucem in ulnis. Stupendum miraculum in cœlo, alter thronus Cherubicus* b. [b ex Pſ. 1.] *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem;*

Exten-

extendens enim ſanctas ulnas, Dominum portavit, ait S. Epiphanius c. Sed in æternitate, quæ eſt re verâ cœlum micans, & domicilium beatum Divinitatis adorabilis (*Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus* †) eſt ipſa Maria Sole gratiæ induta, quem ipſamet induit nube; ſicut ait illi S. Bernardus d, *Veſtis Solem nube, & ſole ipſa veſtiris.* Ipſa tenet Lunam ſub pedibus ſuis propter immunitatem ab impuritatibus omnium aliarum creaturarum: & apparet in templo coronata ſtellis, ut Regina cœli, ditata omnibus virtutibus, quæ ipſam extollunt ſuper univerſas creaturas, ipſamque liberant ab omnibus obligationibus terræ, quibus terrenæ creaturæ ſunt obſtrictæ: *Maria interpretatur Domina, & ipſa utique eſt cœli Regina. Domina mundi, quoniam Genitrix Dei*, ait Dionyſius Carthuſianus e. Iſtud eſt magnum myſterium, quod aſpiciendum eſt magnâ præ reverentiâ, efflagitemus eam à cœlo interventu ſanctiſſimæ iſtius Dominæ cœli; ipſa favebit nobis ſuis luminibus, confeſtim ac ipſi reverenter dixerimus, *Ave Maria.*

c S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
† Pſal. 10. 4.
d ex Habac. 3. 4. S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. Signum magnum, &c.
e Dion. Carth. art. in Luc. 1. 27.

Res inaudita, quòd Dei Filius, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* f; *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum exinavit, formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* g; & qui erat *finis legis* h; præ maximâ tamen humilitate ſe ſubmiſerit legi circumciſionis ignominioſæ, æquè ac doloroſæ adimplendæ, *Ut circumcideretur Puer* i: cùm lex iſta fuiſſet ab ipſo, prout Dei Filio, inſtituta propter peccatum, à quo erat ipſe immunis, quippe qui *Sanctus ſanctorum* k, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* l. Iſtius inuſitatæ humilitatis contemplatione raptus in admirationem S. Bernardus m, contentâ voce inclamat, *Pater ſi quo modo poſſet non agnoſcere Filium, in quo ei benè complacuit* n, *ex hoc maximè ſigno poterat ignorare eum, inventâ in eo circumciſione.* Sinite, Auditores, ut eodem modo ratiociner hodiernâ die, & dicam vobis, quòd ſi SS. Trinitatem poſſet aliquid latêre circa magnitudinē & perfectionē Mariæ, inde præcipuè quòd ipſa hodie more reliquarum mulierum immundarum adimpleat legem purificationis; Pater æternus non agnoſceret eam ut Filiam ſuam adoptatam & electam o modo ſupereminenti, Filius ut Matrem ſuam, & Spiritus ſanctus ut Sponſam ſuam ſigillo intemeratæ virginitatis obſignatam, *Pater miſit arrhabonem de cœlo Spiritum ſanctum, præparavit Virginem unigenito Filio cœleſti Sponſo, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit* p *Chriſtus*, ait S. Epiphanius q. Quin imò ipſa videtur ejuſdem ignorantiæ conſcia: ſi enim ipſa ſemetipſam agnoſceret omnino ſanctam & puram, quomodo manet ipſa per quadraginta dies in purificatione ſuâ? Sed iſtud non eſt attribuendum defectui ſanctitatis & puritatis, cùm de eâ dicat S. Epiphanius idem paulò pòſt. *Gratia Sanctæ Virginis eſt immenſa.* Imò verò declaret ipſamet apud eundem aliquantò pòſt *quâ ratione Mater Dei viſa ſit ſuper terram. Ego Virgo incorrupta, quæ in utero geſtavi, effecta ſum templum impollutum habitantis in me Verbi nuptiarum expertis. Emmanuelem geſtavi in utero* r *incorrupto, in ventre impolluto, ſimilis effecta throno Cherubico* s *in quâ caro factum eſt Verbum* t *Patris, qui Deus eſt initio carens: & licet inviſibilis* u, *ſpectabilis tamen per diſpenſationem aſſumpta carnis factus eſt. Non experta nec cognoſcens virum* x, *peperi Deum, qui eſt ante ſæcula, ipſum Chriſtum.* Nam etiam nunc ſum Virgo *poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm anteà: ſine labore puerperij, non ut omnes mulieres: diſſimiles enim fuerunt res meæ ac illarum. Non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo, qui in me habitavit.* Ego autem fateor hoc eſſe teſtimonium humilitatis ejus, & obedientiæ ipſius: humilitatis, inquam, quæ cùm illam induxerit ad confitendam ſe ancillam illius qui ipſam eligebat in Genitricem ſuam, & quam admiratur S. Ambroſius y, dicens, *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum: Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt: ſimul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendicavit, quæ faceret quod juberetur: mitem enim humilemque* z *paritura, humilitatem debuit ipſa proferre*: inducit eam hodie ut appareat inſtar aliarum mulierum immundarum, earumdemque veluti particeps impuritatum, ad exemplum Filij ſui qui in circumciſione ſuâ voluit apparere ſicut peccator, *in ſimilitudinem carnis peccati* a. Et obedientiæ, quæ efficit ut obediat ipſa legi purificationis, cui ipſa non erat obſtricta, ſicut nec Filius ipſius addictus erat legi circumciſionis adimplendæ. Credere igitur quòd Mater Dei mei eſſet obligata legi purgationis propter impuritates ſuas, iſtud eſſet crimen: imaginari quòd Filius ejus offerri deberet in templo more cæterorum hominum, iſtud eſſet impietas: & autumare quod neuter ex illis eſſet ſanctus, iſtud eſſet ſacrilegium veniâ prorſus indignum. Filius erat *Sanctus Dei* b. Id eſt, poſſidebat innocentiam per naturam ullius defectus incapacem: Mater verò cuſtodivit puritatem, quam aliæ mulieres amittunt in partu ſuo, *Ipſa eſt ager minime cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* c *ſuſcipiens, etiam manipulum germinavit*, ait S. Epiphanius d. Et cùm ille natus fuerit in puritate Matris ſuæ, & hæc eum mundo præbuerit in ſumma integritate, fateri debemus, quòd hæc duo præcepta, quæ hodie volunt ipſi adimplere, nullo obſtringebant eos modo. Quod autem illos induxit ad eorum obſervantiam, eſt obedientia Filij, ſubmiſſio Matris, humilitas amborū, & exemplū virtutis quod dare voluerunt hominibus. Si autem profundiùs iſta pervadere velim myſteria, & facere ut ſerviant magnitudini Matris, quæ geſtat & offert Filium ſuum, duas eximias & glorioſas invenio prærogativas in hac ſacratiſſima Virgine. Prima eſt, quòd ipſa ſe manifeſtat hoc modo veram Matrem Dei. Secunda eſt, quòd ut ſic ſe declarat Matrem hominum. Utramque videbimus in duplici parte diſcurſus iſtius.

f Coloſſ. 2. 3. & 9.
g Philipp. 2. 6. & 7.
h Rom. 10. 4.
i Luc. 2. 21.
k Dan. 9. 24.
l 1 Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
m S. Bern. ſerm. 3. in Circum.
n ex Matt. 3. 17.
o Eccli. 24. 5.
p ex Pſ. 18. 6.
q S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
r ex Matt. 1. 23. & ex Iſai. 7. 14.
s ex Pſ. 79. 2.
t ex Ioan. 1. 14.
u ex 1. Tim. 1. 17.
x ex Luc. 1. 34.
y S. Ambr. lib. 2. in Luc. 1. 38.
z ex Matt. 11. 29.
a Rom. 8. 3.
b Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
c ex Ioan. 12. 24.
d S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
Diviſio.

1. Pars.

Immodica ſanè & abſque exemplo eſt prærogativa illa quâ B. Virgo donata eſt, ut communicet, quantùm pura creatura cōmunicare poteſt, magnitudinibus & perfectionibus, quas ipſo felicis æternitatis indiviſibili puncto Pater æternus poſſidet, ita ut nihil videatur eſſe magnum, nihil eminens in Divina & æterna paternitate, quod Mariæ conceſſum nō fuerit favorabiliter in maternitate ipſius humana & tēporanea. Conſideremus, ſi placet quantū captus infirmitatis mentium noſtrarum permittere poterit, magnitudines & luces quæ decorant hanc ſupremā qualitatem Patris in Divinitate, & videbimus quòd hæc ſtabilitur generatione Filij, ſicut ipſemet Filius fatetur, *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodiè genui te* e. Et conſequenter obſervabimus ibi alteram excellentiā, quæ in hoc eſt ſita, ut iſte Pater qui generat hunc Filium, habeat etiam poteſtatem illius mittendi, *Miſit Deus Filium ſuum in mundum* f. Ita ut miſſio perſonæ in Divinitate, ſupponat ſemper productionem, nec ulla perſona mitti poſſit unquā niſi

e Pſ. 2. 7.
f Ioan. 3. 17.

ab eâ, quæ ipſam producit, ſive per generationem, ſicut Verbum ab intellectu Patris, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* g. Sive per ſpirationem, quemadmodum Scriptura h ſacra repræſentat nobis Dei Filium eundem ſic Apoſtolos ſuos alloquentem, *Paraclètus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Hoc addit Salvator, interpretatur Carthuſianus i, *ne putaremus, quòd à Filio duntaxat procederet Spiritus ſanctus, eò quòd dixit, Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed inquantùm ſunt unum in naturâ & voluntate. Eſt namque Spiritus ſanctus amor. Amor verò eſt germen atque proceſſio voluntatis. Quemadmodum ergo mundus creatus eſt à tribus perſonis, non inquantùm ſunt diſtincta ſuppoſita, ſed ut ſunt unus Deus in eſſentia, atque potentiâ indiſtincta, ita quòd tres perſonæ ſunt unus Creator: ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, per id in quo idem ſunt, ſcilicet per voluntatem, propter quod ſunt unus Spirator, unus fons, unumque principium Spiritus ſancti.*

Ex iſta veritate inviolatè ſuſcepta in Theologia, & in fide, hanc eruo conſequentiam, quòd nunquã Pater æternus manifeſtat evidentiùs æternam & divinam paternitatem ſuam hominibus, quàm cùm ad illos mittit Filium ſuum, & audire facit eos Verbum quod enunciavit ipſe, dicens per os Davidis k Filio iſti ſuo, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Id eſt, hâc die æternitatis. Quâ die æternitatis Filius iſte miſſus eſt, & datus ſicut Rex & Princeps populo ſuo, ut annunciaret ei voluntatem illius qui miſit ipſum, ſicut ipſemet fatetur immediatè ante, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctũ eius: prædicans præceptum eius.* Qui eſt ipſemet, de quo idem Pater æternus ait per Iſaiam l, *Ecce Teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus:* Et in cujus favorem fecit audiri vocem ſuam in monte Thabor, præcipiens hominibus ut audirent vocem Filii ſui ſui dilecti, à ſe miſſi ad oſtendendam ipſis ſalutis viam, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite* m. Et ſic ſignum quòd eſſet Filius ipſius, erat quòd miſſus eſſet à Deo; & ratio propter quam admittendus erat quantùm ad miſſionem ſuam, erat quòd eſſet Patris ſui *Filius dilectus.* Et iſtæ duæ operationes Dei, una in æternitate, quæ manet in Deo, ut generatio; altera in tempore, quæ tranſit ad creaturas, ut miſſio, reciprocè probantur adinvicẽ; nec unquam meliùs Pater æternus ſe manifeſtat eſſe Patrem, quàm cùm mittit Filium ſuum, cujus æterna generatio mentibus noſtris incognita, manifeſtatur per miſſionem peractam inter nos *ubi venit plenitudo temporis* n. Hæ ſunt eædem prærogativæ, quas ſumma Dei bonitas tribuit hodie B. Virgini, quæ offert Jeſum in templo, quæ ſola inter creaturas in plenitudine temporum Mater ſine patre meruit eſſe illius, qui in æternitate habet Patrem ſine Matre, *O ſanctiſſima Virgo Mater Salvatoris, quæ genuiſti principio carens Verbũ, Filium ſcilicet, eundem cum Patre habentem thronum, conſubſtantialem Patri & Spiritui ſancto, qui cum Patre & Spiritu ſancto eſt ante ſecula, qui concameravit cœlos, & terram condidit* o, ait illi S. Epiphanius p. Et qui cùm miſſione ſuam ceperit à Patre ſuo eodem, vult etiam ſumere miſſionem à Matre ſuâ, quæ communicat excellenter omnibus magnitudinibus Divinæ & æternæ Paternitatis, & oſtendit ſe eſſe verè Matrem Dei hominis, quem ipſa offert hodie in templo, & conſecrat Deo ad mortem pro ſalute hominum omnium, ſicut idem *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, ait S. Paulus q. Ad quod conformiter audiviſtis eundem S. Epiphanium di-

g Ioan. 1. 18.
h Ioan. 15 26.
i Dion. Carth art. 18 in Ioan. 15. 26.
k Pſal. 2. 7.
l Iſai. 55. 4.
m Matth. 17. 5.
n Galat. 4. 4.
o ex Gen. 1. 1.
p S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
q Rom. 8. 31. & 32.

centem ſuprà de Deiparâ: *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas; Dominum portavit.* Maria eſt vera Mater Dei: hæc eſt confeſſio generalis, publica, & quotidiana omnium bonorum Chriſtianorum: ſoli inimici Dei, & ſalutis ſuæ, diffitentur hanc veritatem. Jeſus Chriſtus eſt omnino Filius Dei, & penitus etiam Filius Mariæ; è ſubſtantiâ Divinâ Patris æterni & ex humanâ ſubſtantiâ B. Virginis non fit niſi unicus Jeſus Chriſtus Deus & homo, & perfectè Filius Dei, ut ait S. Bernardus r, loquens de Deo & de B. Virgine, *Ut de ſuâ Virginiſque ſubſtantiâ unum Chriſtum efficeret, vel potiùs unus Chriſtus fieret: qui etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei & totus Virginis eſſet, nec duo Filij, ſed unus utriuſq; Filius.* Sed tamen ipſa nunquam meliùs manifeſtat gloriam maternitatis iſtius, nec fortiùs claudit os illis, qui præſumerent ipſam impugnare, quàm cùm ipſa Filium ſuum præſentat in templo, & tradit illum voluntariè ut moriatur ipſe intra tempus aliquantum, in quo teſtatur ipſa jus quod habet ſuper eum, prout Mater illius. Ita ut dicere poſſimus, quòd ſi Pater æternus miſit Filium ſuum, ut Rex s, qui ſolus poterat nobis donum ſic opulentum tribuere; & ſi Filius ſeipſum tribuit ut Sacerdotem qui ſolus offerre poterat Patri ſuo ſic eximium & ita jucundum ſacrificium, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* u, *ſecundùm ordinem Melchidech Pontifex in æternum* x: Mater ejus præſentat illum hodie ut Regina, quæ ſola jus habebat ſuper hoc corpus formatum in viſceribus ipſius, uniens voluntatem ſuam voluntati Filii ſui mediâ pietate Sacerdotali, reponens illum hodie inter brachia S. Simeonis, ſicut Pater æternus illum repoſuerat in ſinu ipſius Virgineo, *Quia Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem: peperit enim Dominum, qui eſt ſpes y totius mundi, nempe Chriſtum. O Virginem, ſtupendum Eccleſiæ theſaurum, qui adeptus eſt ingens myſterium. Virginem appellat velut Sacerdotem pariter & altare, quæ quidem menſam ferens, dedit nobis cœleſtem panem Chriſtum in remiſſionem peccatorum*, ait S. Epiphanius z. Et ſicut fides nos docet, quòd ex tunc æternitatis quo Verbum Divinum generatur in intellectu Patris ſui, qui ipſum producit intuitu adorabiliſſim omnium perfectionum ſuarum, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum* a; deſtinatur ad veniendũ redemptum homines, & effuſum ſanguiné ſuum pro operandâ ſalute eorum, ſicut ipſummet Verbũ ei fatetur, *Tunc dixi, Ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* b: & quemadmodum eidem Patris voluntati ſatisfecit: *In quâ voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel: unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos* c: ſic idem Verbum æternum ſe faciens hominem in ſinu Virgineo Matris ſuæ, ex hoc inſtanti deſtinatur ad victimam à Matre ſuâ per oblationem interiorem quam hæc facit ipſius, quam dicere poſſumus expreſſam verbis conſenſus ipſius exhibiti Angelo myſterii incarnationis nuncio, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* d. Et hæc eadem oblatio illius fit hodie palàm & ſolemniter ab hâc eâdem Matre, quæ illam conſummabit cum Filio ſuo, quando ſtabit *iuxta crucem* e ejus ſuper monte Calvariâ, ubi offeret in ſanguine cordis ſui idem ſacrificium, quod Filius ipſius adorabilis eſt præſentaturus in ſanguine corporis ſui: ſicut deinceps dixit Arnoldus Carnotenſis f, *Fugientibus Apoſtolis* g, *in faciem Filij ſe oppoſuerat Mater, & gladio doloris anima eius infixo*,

r S. Bern. Hom. 3. ſuper Miſſus eſt.
s Eſth. 15. 9.
u Epheſ. 5. 2.
x Hebr. 6. 20. ex Gen. 14. 18. & ex Pſ. 109. 4.
y ex Pſ. 141. 6.
z S. Epiph. ſerm. de Laudib. Deip.
a Pſ. 109. 3.
b Pſ. 39. 8. & 9.
c Hebr. 10. 10. & 14.
d Luc. 1. 38.
e Ioan. 19. 25.
f Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.
g ex Matth. 26. 56.

vul-

vulnerabatur ſpiritu, & crucifigebatur affectu : & quod in carne Chriſti agebant clavi & lancea h, *hoc in eius mente, compaſſio naturalis & affectionis maternæ anguſtia. Stabat ante crucem, non minor quàm Matrem Chriſti decebat. Fortaſſe autem quia in morte Filij intelligebat redemptionem mundi, etiam ſuâ ipſa morte ſe aliquid æſtimabat publico muneri addituram. Sed Ieſus alieno adiutorio non indigebat, qui dixit, Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber* i. *Suſcepit quidem parentis affectum, non tamen quæſivit auxilium : imò ipſam inter reliquos pro quibus ſui ſanguinis Patri ſacrificium offerebat, illo generali beneficio complexus eſt.* Non indigebat Dei Filius hâc miſſione Matris ſuæ, tota authoritas adventus ipſius in mundum venit è mandato Patris ipſius, & omnis efficacia laborum ipſius egrediebatur è Divinitate, quæ habitabat perſonaliter in natura humana, quam eduxerat è Matre ſuâ per generationem temporalem; ſed in hoc puncto voluit extollere magnitudinem & gloriam hujus ſanctiſſimæ creaturæ, & nobis illam exhibere intuendam ut veram & legitimam Matrem ſuam, quæ communicat, quantùm creatura communicare poteſt, magnitudinibus Divinitatis. Illud autem quod extollit etiam meliùs hanc prærogativam Mariæ eſt, quòd ſi per impoſſibile voluntas ipſius non fuiſſet expreſſa ipſo die nativitatis ipſius, & præſentationis ipſius in templo, illa ſufficienter fuiſſet expreſſa per voluntatem Matris ipſius; non ſecus ac voluntas infantis qui renaſcitur *ex aquâ & Spiritu ſancto* k in Baptiſmo, ſuam ſuſcipit interpretationem à voluntate parentum qui ipſum offerunt Eccleſiæ tempore teneræ ætatis ipſius, quæ impedit ipſi rationis uſum. Non quòd intendam dicere, quòd hæc voluntas B. Virginis fuiſſet ſufficiens ad redimendum mundum, & ad ſatisfaciendum debito generali, cui perſolvendo juſtitiæ Dei omnes homines addicti erant propter crimina ſua : *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei : iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore : ut ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti* l : cùm propter hunc effectum requireretur voluntas infinita, quæ non poteſt eſſe niſi voluntas Dei, qui *non habet finem* m : ſed ſolùm fuiſſet interpretata voluntatem Filij, de quo dicere poſſumus, quòd ab ipſo ſuæ conceptionis inſtanti interiùs inſpirat Matri ſuæ id, quod ipſemet ait Patri ſuo ab ipſo fælicis æternitatis ſuæ momento, *Ecce ego, mitte me* n. Et quòd acceptat hodierna die miſſionem Matris ſuæ, ſicut acceptavit miſſionem Patris ſui cùm eodem exivit *à Patre, & in mundum* o venit, & quòd dicet ei extremis diebus vitæ ſuæ id, quod dicturus eſt Patri ſuo, *Non mea voluntas, ſed tua fiat* p. Et ſi *ſic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret* q; debemus agnoſcere & confiteri eximiam dilectionem Mariæ, quæ nobis eundem Filium dat, & dicere de ea per congruam applicationem, *Sic Maria dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret.* Hæc eſt miſſio, quam Dei Filius educit è Maria, quæ convenientiam habet cum miſſione quam ſuſcipit à Patre ſuo, & quæ extollit hanc eximiam Virginem ſupra id omne quod eſt in mundo, eamque noſtris dignam reddit reverentiis. Veneremur ex toto corde noſtro gratiam iſtam ſupereminentem, & proſtrati ante pedes hujus Reginæ totius orbis, exhibeamus illi omnes ſubmiſſiones quæ debentur magnitudini, quæ conſtituit illam ſupra omnem naturam creatam, ut ait illi S. Epiphanius r, *Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis : naturâ formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cæleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum.* Eò vel maximè ſi conſideremus, quòd ipſa propter nos hoc Divinum munus offert in templo, & quòd oſtendens ſe veram Matrem Dei per oblationem quam facit Filij ſui, eodem modo ſe declarat veram Matrem hominum pro quibus præſentat illum, ut mereatur eis interceſſionibus ſuis vitam, gratiam, & gloriam, & adimpleri poſſit id quod ait Filius ipſius, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant* s.

Sancti Patres & Doctores Eccleſiæ admirantes magnitudines, quibus ſic affluenter eſt cumulata Maria, tribuunt ei titulos, qui ferè ad infinitum uſque illam evehunt, quique probant, quòd nihil boni reperitur inter homines, quod non veniat è manibus illius, id eſt, interventu ejus, & præ illis S. Epiphanius, qui, ſicut audiviſtis in principio diſcurſus iſtius, vocat illam *Cælum, Thronum, ſimul & crucem.* Primò, Cœlum domicilium Divinitatis, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis* t. Cœlum incapax omnis alterationis, incorruptibile : *Manſit in virginitate ſancta & præclara Puella Maria, quæ eſt nubes lucida habens intùs Deum Verbum* : *ad quam vocaliſſimus Iſaias, Ecce nubes levis, & veniet in Ægyptum* u : *mons* x *nullatenus inciſus, præruptam habens petram Chriſtum, de quâ ſapientiſſimus Daniel* y *ait, Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, hoc eſt abſque viro ſolidam petram Chriſtum Virgo peperit*, ait idem S. Epiphanius. Cœlum ditatum omnibus virtutibus, *Multis virtutibus exornata Virgo, in lampade, geſtans Lucem inextinguibilem* z. *Sole ſplendidiorem*, ait illi ſanctus hic idem Conſtantiæ Præſul infulatus. Cœlum, è quo jugiter fluunt ſuper homines gratiæ & influentiæ ad operandam ſalutem ipſorum neceſſariæ, *Locuples eſt, Chariſſimi, virtutibus plena menſa virginea, optimis quibuſcumque cibis abundans, quibus terra fruatur*, inquit hic idem ſacer Antiſtes. Deinde, Thronum, cui inſidet ille, qui *habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* a : *Princeps pacis* b. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum : media charitate conſtravit propter filias Ieruſalem* c. *Ac ſi diceret*, ſubdit de Ponte d, *Non ſolùm Chriſtus hoc ferculum ſibi fecit, & tam mirabiliter ornavit propter ſe, ſed etiam propter filias Ieruſalem, tam terrenæ quàm cæleſtis, ut omnes in charitatem, quæ mediam illius occupat, reſpicerent, indeque magnum emolumentum reciperent : ſed maximè propter filias Ieruſalem terrenæ, quæ eſt Eccleſia militans, Deipara hanc ſortita eſt dignitatem. Propter nos, ô Virgo beata, facta es ferculum Chriſti, ſicut ipſe propter nos in in te factus eſt homo : propter nos dedit tibi columnas argenteas, fecit reclinatorium aureum, & aſcenſum purpureum; propter nos lapidibus pretioſiſſimis omnium virtutum te conſtravit, & ipſa Charitas increata requievit in utero tuo, ut ex plenitudine donorum tuorum nos etiam ditares; omnia denique tua mediâ ſummâ charitate conſtravit, ut ipſe Mediator Dei & hominum* e *ad ſeipſum te noſtram faceret Mediatricem. Opus* (*inquit Bernardus* f) *erat mediatore ad Mediatorem iſtum, nec alter nobis utilior quàm Maria. Hæc omnibus omnia facta eſt* g, *ſa-*

h ex Ioan. 19. 18. & 34.
i Pſ. 87. 6.
k Ioan. 3. 5.
l Rom. 3. 23. &c.
m Baruch. 3. 25.
n Iſai. 6. 9.
o Ioan. 16. 28.
p Luc. 22. 42.
q Ioan. 3. 16.
r S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
s Ioan. 10. 10.
II. Pars.
t Apoc. 21. 3.
u ex Iſai. 19. 1.
x ex Iſai. 2. 2.
y Dan. 2. 34.
z ex Sap. 7. 10.
a Apoc. 19. 16.
b Iſai. 9. 6.
c Cant. 3. 9. & 10.
d De Pont. lib. 6. in Cant. 3. 9 & 10 exhort. 4. paragr. 3.
e 1. Tim. 2. 5.
f ex S. Bern. ſerm. de Verbis Apoc. 12. 1. Signum Magnum, &c.
g ex 1. Cor 9. 22.

pientibus & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit h; *omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant univerſi* i, *captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, Iuſtus gratiam, Angeli lætitiam, denique tota Trinitas gloriam. Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore eius* k. Thronum, inquam, ſuper quo non damnet Dei Filius homines, ſed potiùs eis ſuam largiatur miſericordiam, condonando illis peccata ipſorum: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum* l. *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* m. Id eſt, unà cùm Mariâ, ut patet ex verbis iſtis ejuſdem S. Bernardi n Deum alloquentis, *Sed & mala circumdederant nos, quorum non erat numerus* o, *quia peccavi* (*Iuſtus loquitur*) *ſuper numerum arenæ maris* p. *Et, Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim* q. *Miſſus eſt coluber tortuoſus* r *à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipſius mentem transfunderet, & ſic refunderet in totius poſteritatis originem. Miſſus eſt interim Angelus Gabriel à Deo* s, *ut verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipſius eructaret* t, *ut eâdem viâ intraret & antidotum, quâ venenum intraverat. Verè vidimus gloriam eius gloriam quaſi Unigeniti à Patre* u, *quia totum Paternum eſt, quod de corde Patris Chriſtus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei niſi dulce, niſi Paternum humani generis trepidatio ſuſpicetur. A plantâ pedis uſque ad verticem non erat in nobis ſanitas* x: *erraveramus ab utero* y: *in utero damnati antequàm nati, quia de peccato, & in peccato concepti* z. *Chriſtus ergo ibi primum medicinam appoſuit, ubi primus vulneri patebat locus, & ſubſtantialiter utero Virginis illapſus de Spiritu ſancto conceptus eſt* a, *ut conceptionem noſtram mundaret, quam ſpiritus malus, ſi non fecerat, ſaltem infecerat, ut non eſſet etiam in utero vita ipſius otioſa, dum novem menſibus purgat vulnus antiquum, ſcrutans, ut dicitur, uſque ad imum putredinem virulentam, ut ſanitas ſempiterna ſuccederet. Et tunc iam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ* b, *in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terra medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei* c, *ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cœlo, ut reſarciantur; & qui in inferno,* id eſt purgatorio, *ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur* d; *qui ſequuntur, ut glorificentur. Ex beatam te dicent omnes generationes* e, *Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generationes cœli & terræ. Pater ſpirituum, ait Apoſtolus* f, *Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terrâ nominatur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, Iuſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.* Tandem, Crucem, quæ offert Deo Patri pretium redemptionis totius mundi. Jure autem meritò vocatur Maria Crux à S. Epiphanio: quia ſicut ſcimus, quòd crux aliàs infamis inter mortales, *Quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno* g, liberaliſſima fuit omnium creaturarum, non retinens in ſe Deum totius orbis, ſed tribuens illum Patri æterno pro redemptione omnium hominum, *Benedictum eſt enim lignum, per quod fit iuſtitia*, prædixit Salomon h: Poſtquam ait S. Bonaventura i, *Hoc autem lignum allegoricè poteſt dici lignum crucis, de quo dicitur: Peccata veſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum* k. *Per illud lignum facta eſt iuſtitia, quia unicuique redditum eſt, quod ſuum erat. Nam per illud lignum destructum eſt peccatum, ſecundùm illud quod cantat Eccleſia, Mors mortua tunc eſt, quando in ligno mortua Vita fuit. Et, O mors tua* l, *&c. Item, Per ipſum eſt Diabolus victus, ſecundùm illud Gregorij* m, *Qui per lignum quoque vinceretur. Item, Per ipſum eſt homo reconciliatus. Delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci* n. *Item, Pacificans per ſanguinem crucis* o. *Item, Infernus ſpoliatus, Spolians Principatus & Poteſtates* p, *&c. Item, Cœlum apertum, unde latroni dictum eſt, Hodie mecum eris in paradiſo* q. *Et, Dabo clavem domus David* r. *Item, Chriſtus exaltatus. Unde, Propter quod & Deus exaltavit illum* s, *&c. Hæc fuit virga Aſſueri* t *in ſignum clementiæ hominibus oſtenſa, vel porrecta.* Sic B. Virgo velut crux vera & viva, minùs tamen dura, ſed non minùs liberalis, vix ſuſcepit Filium ſuum, cùm eum reddit Patri æterno libentiſſimè, *Tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* Quod commendat liberalitatem iſtius ſanctæ Dominæ, quæ penes ſe retinere noluit hunc Filium, quem ſuſceperat è cœlo, ſed è contra voluit illum offerre in templo in pretium redemptionis hominum: quod ipſa non didicerat à primâ matre, quæ fuit verè crux, in quâ omnes mortui ſunt, *Quoniam quidem per hominem mors, & in Adam omnes moriuntur* u: quandiu B. Virgo eſt crux ſuper quâ recuperant omnes vitam per mortem Salvatoris, quem Maria præſentat ob hunc eminentem finem, & pluries offert in animâ ſuâ, quandiu ſuper cruce duntaxat *oblatus eſt, quia ipſe voluit* x. *Et per hominem reſurrectio mortuorum, & in Chriſto omnes vivificabuntur* y. Propterea dicit S. Epiphanius z, *Angeli accuſabant Evam, nunc verò Mariam gloriâ proſequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit, quæ lapſam Evam* a *erexit, & Adamum è paradiſo deiectum in cœlos miſit, quæ paradiſum clauſum aperuit, & per Latronem rurſum Adamum conplantavit: per te enim, ô ſancta Virgo, medius obſtructionis paries inimicitias diſſolvit; per te pax cœleſtis donata eſt mundo* b; *per te homines facti ſunt Angeli; per te homines appellati ſunt amici* c, *ſervi* d, *& filij Dei* e; *per te homines meruerunt eſſe conſervi Angelorum* f, *& cum eis familiariter converſari; per te notitia cœleſtis à terrâ tranſmittitur in cœlos; per te homines fiduciam habent in cœlo erga Altiſſimum; per te crux reſplenduit per univerſam terram, in quâ quidem cruce pependit Filius tuus Chriſtus Deus noſter; per te mors conculcatur; & ſpoliatur per te infernus.* Et juxta hunc ſenſum cùm conſidero hanc totius orbis Reginam deferentem Filium ſuum in templum, & offerentem eum Patri æterno, repræſento mihi id quod ait S. Lucas g, *Quæ mulier habens drachmas decem; ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter donec inveniat?* Quis ambigit quin Maria ſit Domina totius orbis, & Regina cœli, & Angelorum diviſorum in novem ordines inſtar novem unionum pretioſorum, & hominis qui conſtituit decimum unio-

h ex Rom. 1. 14.
i ex Ioan. 1. 16.
k ex Pſ. 18. 7.
l Ioan. 3. 17.
m Luc. 19. 10. & ex Matth. 18. 11.
n S. Bern. ſerm. 2. Pent.
o ex Pſ. 39. 13.
p ex 2. Paral. c. 36. in Orat. Manaſſ.
q Pſ. 24. 11.
r ex Iob 26. 13. & ex Gen. 3. 1. &c.
s ex Luc. 1. 26. &c.
t ex Pſ. 44. 2.
u ex Ioan. 1. 14.
x ex Iſai. 1. 6.
y ex Pſ. 57. 4.
z ex Pſ. 50. 7. & ex Iob 14. 4.
a ex Matt. 1. 18.
b ex Pſ. 73. 12.
c ex Pſ. 131. 8.
d Eccli. 14. 12.
e ex Luc. 1. 48.
f ex Epheſ. 3. 15.
g Deut. 21. 23.
h Sap. 14. 7.
i S. Bon. in Sap. 14. 7.
k ex 1. Petr. 2. 24. & ex Iſai. 53. 4. & 5.
l ex Oſee 13. 14.
m ex S. Greg. in Præf. de Cruce.
n ex Coloſſ. 2. 14.
o Coloſſ. 1. 20.
p ex Coloſſ. 2. 15.
q Luc. 23. 43.
r Iſai. 22. 22.
s Philipp. 2. 9.
t ex Eſth. 15. 15.
u 1. Cor. 15. 21. & 22.
x Iſai. 53. 7.
y 1. Cor. 15. 21. & 22.
z S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
a ex Gen. 3. 6. &c.
b ex Epheſ. 2. 14.
c ex Ioan. 15. 15.
d ex Iſai. 41. 8.
e ex Rom. 8. 16. & ex 1. Ioan. 3. 1.
f ex Apoc. 22. 9.
g Luc. 15. 8.

h Gen. 3. 6
i Ioan. 9. 5
k S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
l ex Zach. 4. 2.
m Pſ. 118. 105.

unionem, qui fuerat perditus incuriâ ſed curioſitate unius mulieris h, nedum tamen hæc unquam potuerit illum invenire præter Mariam, quæ accendit hodie lucernam, & in templum defert eum, qui eſt *Lux mundi* i, cujus beneficio hæc natura humana, priùs perdita, diligenter quæritur, & tandem fœliciter invenitur? *Sancta Virgo & Mater Chriſti, ſplendidam lucernam relucentem in cœlo & terrâ Chriſtum geſtavit*, ait S. Epiphanius k, *ad quam Propheta Zacharias* l, *Ecce candelabrum aureum, & facula ſuper ipſum.* *Quin etiam David in Canticum hoc ſuaviſſimum inclamat, Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* *O candelabrum Virgineum, quod illuſtravit tenebris involutos. O candelabrum Virgineum repellens tenebras, & lucem ſplendere faciens. O candelabrum Virgineum quod ignem & oleum inſeparabile ad illuminandum intulit. O candelabrum Virgineum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem, unum inextinguibilem* n, *conſubſtantialem, & ad illuſtrandam terram reſplenduit. O candelabrum Virgineum, de quo per Prophetam* o *Deus inquit, Illuc producam cornu David, paravi lucernam Chriſto meo.* Jeſus Chriſtus eſt hæc ſpecioſa *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* p: quæ accenſa eſt in humanitate noſtrâ, cùm ignis perſonæ Divinæ Verbi dignatus eſt inhabitare fragilitatem noſtræ carnis mortalis. *Etenim Deus noſter, ignis conſumens eſt* q. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis* r. Et cum eodem Maria quærit hominem perditum, evertens totum ordinem naturæ, ut dignè obſervavit S. Chryſologus s ſuper hæc verba, quibus *dixit Maria ad Angelum, Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco* t: *dicens, Mulier, quem virum quæris? Quem tu in paradiſo perdidiſti* u? *Redde virum mulier, redde depoſitum Dei, redde ex te, quem perdidiſti per te: prætermitte naturæ ordinē, recognoſce ordinem Creatoris.* Verū eſt quidē quòd ſenex Simeon obvias habuit in tēplo interdum ſanctas mulieres, & gratiſſimas Deo, ſed non ita ſanctas ut nō eſſent obnoxiæ impuritatibus in partubus ſuis; & conſequenter omnes illæ ſubditæ fuerunt legi purgationis adimplendæ: at ſola Maria immunis ab illis ſordibus, ditata radio paradiſi abſque miſtione ullius corruptionis, intuendam ſeſe exhibet in templo ut totius humanæ naturæ deperditæ Reparatricem, *Sola Virgo naturæ domo eversâ, naturam antevertens, perditi hominis Reparatrix in templo apparet.* In eundem ſenſum Heſychius x exclamat, *Vides, quanta & qualis eſt Deiparæ Virginis dignitas. Unigenitum enim Dei Filium mundi Conditor, velut infans geſtabatur ab eâ, & Adamum reformabat, Evamque ſanctificabat, excludebat draconem, & paradiſum aperiebat, ſigillum uteri munием. Meritò ſanè utrumque & juſtâ ratione. Aperiebat enim paradiſum, quoniam latronem introducturus erat in eum, cunctoſque Regni hæredes deducturus. Sigillum uteri muniebat, eò quòd is qui carnem aſſumebat, eſſet Deus & Verbum, nequaquam opus habens portu ingrediendi causâ* y, *aut egrediendi* z. *Tibi igitur, ô Virgo, Prophetæ* a *tribuunt laudes, & quiſquam Deiferam dicit, qui miraculorum myſteriis fidem habuerit.*

n ex Sap. 7. 0
o Pſ. 131. 17.
p Ioan. 1. 9.
q Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24.
r Ioan. 1. 14.
s S. Chryſol. ſerm. 142.
t Luc. 1. 34.
u ex Gen. 3. 9.
x Heſych. ſerm. 2. de Laud. Deip.
y ex Ezech. 44. 2.
z ex Ezech. 46. 2.
a ex Pſal. 86. 3. & ex Exod. 1. 2.
b Matth. 5. 15.

Tandem, Mementote, Auditores, illius, quod ait S. Matthæus b, *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Mirabile eſt viſu & conſideratu quomodo B. Virgo anticipativè eſt executa conſilium iſtud, nolens retinere penes ſe lucernam hanc ſplendentem divinitatis, quæ accenſa fuerat in carne noſtrâ, ſed exponens illam hodie omnibus hominibus inſpiciendam. Verum eſt; ipſa noluit eam cuſtodire abſconditam ſub modio privatæ ſuæ domus, aut Sponſi ſui S. Joſeph: ipſa jam detulerat eam in *domum Zachariæ, ubi ſalutavit Elizabeth. Et factum eſt: ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth* c. Et ſic ambo, mater & filius repleti ſunt hâc Divinâ luce quæ eſt *Vita* d hominum. Quin imò, *Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetavit* e, &c. Hodiernâ verò die hæc Domina mundi, defert hanc lucernam ſplendentem in templum, & ponit eam ſuper candelabrum, quod dicere poſſum cum fundamento & ratione eſſe S. Simeonem, ut ipſa ſuam diffundat claritatem per totum orbem *his qui in tenebris, & in umbrâ mortis ſedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis* f. Et ſic Maria ſe reddit Matrem omnium hominum. Si enim mihi liceret per otium, poſſem vobis intuendum exhibere hunc eximium virum ſicut *candelabrum de auro mundiſſimo*, quod erat aliàs in tabernaculo, elevatum magnanimitate ipſius, ſplendidū auro charitatis ipſius, ſuſtentum ſanctitate vitæ ipſius, fultum timore Dei, præ ſe ferens *haſtile & calamos* g, id eſt, ſeptem dona Spiritus ſancti h, qui requieſcebat in ipſo, cùm audieritis hodie Eccleſiam concinentem in laudem ejus, *Simeon juſtus & timoratus expectabat redemptionem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Super hoc candelabrum Domina mundi ponit hodiernâ die lampadem totius orbis, quæ debet illuminare Gentiles, & eſſe tandem gloria Synagogæ, *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Quia mereri debebat vitam & gratiam duobus iſtis populis.

c Luc. 1. 40. & 41.
d Ioan. 1. 4.
e Luc. 1. 67.
f Luc. 1. 79.
g Exod. 25. 31.
h Iſai. 11. 2. & 3.
i De Pont. lib. 4. in Cant. 3. 9. & 10. exhortat. 31. parag. 1.

Gaudeamus igitur, & gratias agamus Deo, qui talem nobis Mediatricem benigniſſimâ miſeratione providit, taleque ſibi propter filias Ieruſalem elegit ferculum, quod eum celeriter deferret ad fidelium animas, ut ſanctificaret illas. Tandem; Facta eſt propter filias Ieruſalem, ferculum Chriſti, ut ab ornatu illius omnes adiſcerent quomodo ſe ornare deberent, ut ipſum etiam Chriſtum in ſe dignè ferre valerent i per gratiam, & per gloriam.

Die 10. Febr.

IN FESTO S. SCHOLASTICÆ VIRGINIS.

Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Coloſſ. 3. 3.

a S. Greg. lib. 2. Mor. c. 30. in Iob 3. 16.

S. Gregorius a ſuper hæc verba Job, *Nequaquam ultrà iam vivam*, ait, *Sunt nonnulli Iuſtorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interiùs appetunt, exteriùs cuncta derelinquunt: qui rebus ſe habitis nudant, gloriâ honoris expoliant: qui internorum deſiderio, per aſſiduit. tem*

ſe amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus conſolationem nolunt, qui internis gaudijs dum mente appropinquant, vitam in ſe funditus corporea delectationis necant. Talibus namque per Paulum dicitur: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Horum vocem Pſalmiſta b expreſſerat, cùm dicebat: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* (b Pſ. 83. 4.) *Concupiſcunt enim, ſed non deficiunt; qui jam quidem cœleſtia appetunt, ſed adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè laſſantur. Concupiſcit verò, & in atrio Dei deficit, qui cùm æterna deſiderat, in amore temporalium non perdurat.* Hinc Pſalmiſta c iterùm dicit: *Deficit in ſalutari tuo anima mea.* Hinc per ſemetipſum Veritas d admonet, dicens, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum* e. *Et rurſum, Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus* f.

(c ex Pſ. 119. 81. d ex Ioan. 14. 6. e Matt. 16. 24. f Luc. 14. 33.)

Hanc lectionem perfectè didicit, & in praxim redegit S. Scholaſtica edocta in ſchola primæ Veritatis Jeſu Chriſti, qui ideò duxit illam in ſolitudinem, ut ibi familiarius ſuas edoceret eam lectiones, ſicut prædixerat per Oſee g, *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Unde Cornelius h ait: *Ut quis ergo eum audiat, recipiat ſe in ſolitudinem, & ſilentium, ubi mentem & aures à rebus aliis avulſas introvertat, & ad Deum qui in centro cordis eſt, reflectat: ibi ſilentem eius ſibilum & ſuſurrum i excipiet. Ita Chriſtus Dominus inchoaturus opus ſuæ prædicationis, & noſtræ redemptionis, ſibi à Patre impoſitum, à Spiritu ſancto ductus eſt in deſertum* k, *ibique ad illud quadraginta dierum meditatione, oratione, & ieiunio ſe comparavit: eodemque prædicaturus turbas eduxit, uti & Apoſtolos in montem, apicem Evangelii eos docturus* l. *Solitudo enim facit mentem quietam, ſibi præſentem, collectam, eamque compungit cogitatione rerum cœleſtium & æternarum.*

(g Oſee 2. 14. h Cornel. in Oſee 2. 14. i ex Iob 4. 12. k ex Matt. 4. 1. &c. l ex Matth. 5. 1. &c.)

Proptereà ſicut appoſitè ſanctæ Virgini noſtræ fuit datum nomen Scholaſticæ, eò quòd aperire deberet ſcholas, in quibus animæ innumeræ diſcerent doctrinam cœleſtem & divinam Religionis Chriſtianæ, æquè ac Monaſticæ, quam hæc Sancta doceret innumeras ſanctas Virgines quæ futuræ erant in Ordine S. Benedicti fratris ipſius, ut ait S. Bertarius m: ita S. Scholaſtica conformare ſe volens in omnibus Sponſo ſuo Jeſu Chriſto, quem Pater æternus dedit *Teſtem populis, Ducem ac Præceptorem Gentibus* n, dicens, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite* o: *Eſt enim forma quadam, forma non formata, ſed forma omnium formatorum, forma incommutabilis, ſine defectu,* ut ait S. Auguſtinus p: deſtinata ad edocendas ſanctas Virgines in ſolitudine, ad illud ſe diſpoſuit praxi omnium virtutum, elevando ſe magis ac magis in Divinas contemplationes, jejuniis vacans, & alijs macerationibus incumbens, adjuta gratiâ, quâ repleta erat jam Maria, cùm *Angelus ad eam dixit, Ave* q *Maria.*

(m S. Bertarius in ſerm. de S. Scholaſt. citat. in tom. 1. Chronic. Gener. S. Benedict. c. 1 anno Chriſt. 480. & S. Ben 1. n Iſai. 55. 4. o Matth. 17. 5. p S. Aug. ſerm. 38. de Verb. Dom. in Ioan. 1. &c. q Luc. 1. 28.)

Certum eſt, quòd exemplum habet vim inauditam, & quòd difficile eſt non ſecutu id quod præ oculis eſt jugiter poſitum: conſtantiſſimi quique homines, qui derident ſermones hominis vitioſi, ſenſim ſine ſenſu ſe ſinunt abripi ab actionibus ejus: & quotidianâ comprobamus experientiâ, objecta eſſe ipſis verbis eloquentiora: ideò liberi qui vivere habent cum parentibus ſuis, ſuccedunt potiùs modo procedendi eorum, quàm illorum patrimonio: nondum hæreditaverunt eorum bonum, cùm acquiſiverunt illorum malum, ſeque ſic promptos exhibent ad eos imitandos ut approprient ſibi eorum crimen, antequàm fruantur hæreditate illorum. Ideò nullo modo miror, cùm lego in Hiſtorijs vitam abominabilem illorum idololatrarum, qui nullam habebant aliam regulam actionum ſuarum, niſi voluptatem; cùm Dii quos adorabant, & quos imitari tenebantur, ut eſſent perfecti (juxta erroneam ipſorum opinionem) darent ipſis exemplum vitæ ſuæ. Sed magnoperè miror videre Chriſtianum vitioſum, qui laxat habenas omni generi criminum, cujus *Deus venter eſt* r, qui alitur inter ſordes, ſicut ſus in cœno, qui non quærit niſi ſua oblectamenta, qui non vadit niſi poſt voluptates ſuas, nec ſequitur niſi motum & impreſſionem paſſionum ſuarum animalium, præ ſuis jugiter habens oculis exemplum Filij Dei, qui deteſtatus eſt id omne quod maximi mundus æſtimat, nec aliquid magis abhorruit quàm delicias carnales & voluptates mundanas, qui mortuus fuit rebus ſenſibilibus; & quem nemo poteſt intueri ſic exemplarem, quin ſi ſanæ mentis ſit compos, æmuletur eum imitari: quis enim non commovebitur videre Jeſum Chriſtum, in quo nihil habet vitam præter amorem Dei & hominum, & qui ad inferendam mortem veteri Adamo, cruci voluit novum ſuffigere, ut mors ſua foret interitus alterius? *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati,* ait Apoſtolus s. Et S. Bernardus t ſuper hæc ejuſdem Apoſtoli verba, *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis,* dicit, *Duo homines ſunt, vetus & novus. Adam vetus, Chriſtus novus: ille terrenus, iſte cœleſtis: illius imago vetuſtas, iſtius imago novitas. Eſt autem triplex vetuſtas, & è contrario triplex novitas. Eſt etenim vetuſtas in corde, in ore, in corpore, in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione, & opere. In corde ſunt deſideria carnalia & ſæcularia, id eſt, amor carnis, & amor ſæculi. Similiter in ore eſt gemina vetuſtas, arrogantia, & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia, & facinora. Hæc omnia ſunt imago veteris hominis: & hæc omnia renovanda ſunt in nobis. Si non eſſet vetuſtas in corde, non diceret Apoſtolus* u, *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitiâ & ſanctitate veritatis. Item ſi non eſſet vetuſtas in ore, non diceret Scriptura* x, *Recedant vetera de ore veſtro. Et Apoſtolus* y *dicit, Omnis ſermo malus non procedat de ore veſtro; ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Sed & de vetuſtate corporis mentionem facit cùm dicit, Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem. De cuius renovatione etiam ſubiungit, Ita nunc exhibete membra veſtra ſervire iuſtitiæ, in ſanctificationem* z. *Renovetur ergo cor noſtrum à carnalibus & ſæcularibus deſiderijs, ut excluſis illis introducatur amor Dei, & amor patriæ cœleſtis. Recedant ab ore noſtro arrogantia, & derogatio; & ſuccedant pro his vera peccatorum noſtrorum confeſſio, & bona de proximis æſtimatio. Pro flagitijs & facinoribus, quæ vetuſtas eſt corporis, aſſumatur continentia, & innocentia; ut ſcilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. Hanc ſupradictam renovationem facit Chriſtus habitans in nobis per fidem* †, *ſicut ipſe ait, Ecce nova facio omnia* a. *Unde & ad Sponſam loquitur in Canticis* b, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum. Habitans igitur in corde eſt ſapientia: Habitans in ore veritas: habitans in corpore iuſtitia.* Cùm ergo exempla tantam vim præ ſe ferant, & ita ſint potentia ut deſidiam noſtram & infirmitatem vertant in magnanimitatem, & generoſus miles periculis vitam ſuam non ambigat exponere, intuitus Ducem ſuum depreſſo capite in medios hoſtium cuneos irrùpere: volens S. Scholaſtica adhærere in omnibus

(r Philipp. 3. 19. s Rom. 6. 6. t S. Bern. ſerm. 10. ex parvis. ex 1. Cor. 15. 49. u Ephes. 4. 23. & 24. x 1. Reg. 2. 3. y Ephes. 4. 29. z Rom. 6. 19. † Ephes. 3. 17. a Apoc. 21. 5. ex Iſai. 43. 19. b Cant. 8. 6.)

Spon-

Sponſo ſuo, quem, ut jam dixi, Pater æternus dedit *Teſtem populis, Ducem, ac Præceptorem Gentibus* c; quique, ut ait Dionyſius Carthuſianus d inter alias rationes, *in deſertum ductus eſt, ut ſolitariam vitam commendaret, atque eremiticæ, ac anachoriticæ converſationis exemplum præberet; ut pro noſtris peccatis in eremo pœnitentiam, id eſt, opera ſatisfactoria ageret; ut nos ad tentationes perferendas animaret, ut gratiam triumphandi nobis mereretur, ut formam vincendi oſtenderet, ut tentatoris virtutem debilitaret, noſque à tentationibus liberaret*: & qui ducit eam in *ſolitudinem & ad cor ejus* e vult loqui: firmiter ſtatuens mori potiùs quàm deſerere *Ducem, ac Præceptorem*, æquè ac Sponſum ſuum, ingreditur *in deſertum*, vel *in ſolitudinem* Religionis, æquè ac cordis ſui, ut expugnet & vincat ſenſus & affectus ſuos qui ſunt crudeliſſimi & rebelliſſimi ipſius inimici, æquè ac noſtri: *Mortui enim eſtis rebus mundanis ac vanis, id eſt, in talibus occupari non debetis*, ait Dionyſius Carthuſianus f. Iſta mors myſtica, ſeu victoria paſſionum S. Scholaſticæ, Primò tribuit gloriam Deo: Secundò præbet eidem S. Scholaſticæ novam vitam: Tertiò reddit eam utilem Reipublicæ Chriſtianæ.

Stoici ſolo lumine naturali rationis ducti, exiſtimabant, quòd terminus qui ſervire debebat loco mercedis virtutis ſuæ, in hoc erat ſitus, ut ipſi extinguerent omnes paſſiones ſuas, & univerſos motus partis ſenſitivæ; & eodem intuerentur oculo adverſitates, ac proſperitates, quia curſus affectuum illorum, inquiebant illi, eſt caſus præcipitatus, qui ſiſti non poteſt; rati quòd eſſet facilius clauſiſſe januam inimicis ſuis, quàm modum impoſuiſſe inſultationibus eorum, cùm ſemel irrepſerunt in aliquem; quòd non eſſet ire, ac abripi tempeſtate; quòdque non eſſet vivere, ac vivere vitâ ſenſuum. Verum quidem eſt, quòd hæc moralis videtur rudis, ſed ipſa eſt maximi momenti, & valdè neceſſaria. Intuemini, ſi placet, S. Paulum primum Eremitam, S. Antonium Abbatem, S. Hilarionem ſolitudinis cultorem, & Seraphicum S. Franciſcum, & deprehendetis quòd non vivebant quando videbantur vivere, ita ut ſinguli ex illis dicere verè poſſent cum Apoſtolo g, *Chriſto confixus ſum cruci. Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Seu, ut deinde dicit Dionyſius Carthuſianus h, *Chriſto confixus ſum cruci id eſt, clavis amoris, & pia compaſſionis ac cruciformis imitationis ſimul cum Chriſto confixus ſum cruci, ſeu propria mortificationis labori, ſequendo veſtigia ejus, prout ipſe ait, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me* i. *Unde alibi Apoſtolus* k, *Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Qui autem Chriſto crucifixo ſeipſum conformat, cruci ejus affigitur, & ardor peccati virtute Dominicæ crucis in ipſo extinguitur, habetque carnes Divino timore* l *confixas, ne membra ſua ad vitia ſolita extendantur. Vivo autem jam non ego; id eſt, poſtquàm Chriſto confixus ſum cruci, vivo, & non vivo. Vivo enim non ſolùm vitâ naturæ, ſed gratiæ: non vitâ humanâ, ſed Divinâ: non vitâ carnali, mundanâ & conſuetâ, ſed ſpirituali, cœliformi, ac novâ. Ideò ſubditur, Vivit verò in me Chriſtus, id eſt, non ſecundùm meipſum vivo, ſeu ago, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationem, voluntatem atque doctrinam. Chriſtus ergo vivit in me, id eſt, regnat in animâ meâ, & poſſidet me, facitque me in ſe vivere. Vivere autem eſt actum vitalem habere. Amor verò tranſponit & mutat amantem in amatum. Dum ergo homo in Chriſti amore ſuccenditur, creſcit,*

c Iſai. 55. 4.
d Dion. Carth. art. 9. in Matth. 4. 1.
e Oſee 2. 14.
f Dion. Carth. art. 1. in Coloſſ. 3. 3.
t Petr.
g Galat. 2. 19. & 20.
h Dion. Carth. art. 2. in Galat. 2. 19. & 20.
i ex Luc. 9. 23.
k ex Galat. 5. 24.
l ex Pſ. 118. 120.

& perficitur, moritur in ſemetipſo, quia non agit ſecundùm propriam voluntatem, ſecundùm naturalem inclinationem, ſecundùm privatum amorem, ſed ſecundùm Divinæ charitatis inſtinctum, & Chriſti juſſionem, atque conſilium. Videbantur illi Sancti vivere, ſed fatebimini mihi, quòd ipſorum ſpiritus deſeruiſſet commoda & qualitates corporis antequàm ab eo diceſſiſſet, ut iret converſatum cum Angelis, ſic ut ſinguli dicerent cum eodem Apoſtolo m, *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Et cum eodem Carthuſiano n, Id eſt, *Per contemplationem & deſiderium bonorum cœleſtium. Nunc enim noſtra converſatio in cœlis eſt per ſpem, ingem intentionem, & ratione objecti ſeu termini motus, quod eſt in cœlo, videlicet Deus & æterna felicitas. Anima namque ſecundùm Auguſtinum veriùs eſt ubi amat, quàm ubi animat. Denique, Ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum* o. *Eorum itaque converſatio eſt in cœlo, qui omnia temporalia atque carnalia tranſcendentes, cœliformem & Angelicam vitam ducunt in terrâ, illi Uni, quod ſolum neceſſarium eſt* p, *totâ mente intenti.* Sic S. Scholaſtica ſe diſſolvens à terrâ affectibus ſuis, inſtar Eliæ, non reliquit in eâ, niſi *pallium* q. Et privat ſe vitâ, nedum expectet hanc extremitatem, quâ morbo correpta commune naturæ ſolvat debitum, moriendo ſuis affectibus. Iſta mors myſtica, quæ occidit paſſiones, & quæ aufert corpori omnes functiones vitæ carnalis, ipſam elevat ad dignitatem incomparabilem, in quâ gloriam tribuit ipſa Deo, cùm reddat ipſam ſimilem Jeſu Chriſto, eò quòd moriatur ſicut ipſe, quemadmodum S. Paulus ait omnibus Juſtis: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Id eſt, electione ſuâ. Ratio in promptu eſt. Dicebat Dei Filius quòd ſibi nemo poſſet auferre animam ſuam. *Ego pono animam meam, ut iterùm ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo* r. Nihil obſtringit S. Scholaſticam ad hanc mortem myſticam paſſionum ſuarum niſi voluntas ſua, ipſa renunciat huic vitæ, quia ipſa ſic vult, & exiſtimat quod rectæ conſonum eſt rationi non vivere, & quòd ſanctitatem non poſſit adipiſci, niſi inſumendo contra ſe talem ſævitiam, occidendo paſſiones ſuas liberè & voluntariè adinſtar Sponſi ſui, qui *oblatus eſt, quia ipſe voluit* s. Et qui moriens hac morte electionis, tribuit ipſi exemplum moriendi paſſionibus ſuis morte electionis & voluntaria, præveniendo mortem temporalem. Propterea ſtatim ac ipſa diſcit, quòd frater ſuus Benedictus ſeceſſit in deſertum, tunc ipſa mota exemplo fratris ſui, quem ipſa tenerè diligebat, deprecatur patrem ſuum, ut ipſam velit Deo conſecrare, cùm ipſam vocaſſet Deus ab infantia ſua; quod & facit pater ipſius: fit igitur ipſa, Monialis in quodam Monaſterio, cujus ignoratur nomen: ſed poſteà audiens famam fratris ſui, Regulæ ejus, & diſcipulorum quos habebat, vadit ipſa commoratum prope montem Caſſinum, ubi fundat Monaſterium Plumbarolenſe diſtans quatuor milliaribus à monte Caſſino: & ſicut frater ferebat nomini ſuo impreſſam benedictionem cœli, quâ erat perfuſus, ait S. Gregorius t, *Gratia Benedictus, & nomine*: ita ſoror, nomine Scholaſtica, eſt opere, æquè ac nomine ſchola omnis virtutis. Felices parentes qui in lucem ediderunt tales liberos; Benedictum filium benedictionis; Scholaſticam verò filiam ſapientiæ:

m Philipp. 3. 20.
n Dion. Carth. art. 3. in Philipp. 3. 20.
o Matth. 6. 21.
p ex Luc. 10. 42.
q 4. Reg. 2. 13.
r Joan. 10. 17. & 18.
s Iſai. 53. 7.
t S. Greg. lib. 2. Dialog. c. 1.

ſunt

ſanè non videntur ſolùm parentes ſanguinis, ſed etiam morum. S. Scholaſtica non erat edocta in ſcholâ Philoſophiæ & ſapientiæ humanæ, quam frater ipſius dereliquerat fugiens Româ; ſed ab infantiâ ſuâ ſtuduit ipſa in academiâ *Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* u. Quem elegit ipſa non ſolùm ut Magiſtrum, ſed etiam in Sponſum ſuum; & ideò ipſa ſe conſecrat ei, promittens illi virginitatem, & religionem perpetuam, relinquens *omnia, & x ſequens illum*, qui *dedit illi ſcientiam Sanctorum* y. *Quâ Sancti eligunt temporaliter cruciari, & in æternum gloriari, ut dicit Bernardus*, ſubdit Hugo Cardinalis z. Jeſus Chriſtus eſt præcipuus Magiſter ipſius, & Magiſter cœli, cùm quo ipſa ordinariè converſatur; licèt, ne ipſa aberret, habeat etiam ipſa in terrâ fratrem ſuum ut ſubſtitutum & Vicarium, quocumque ſemel annis ſingulis converſatur, ut ait S. Gregorius a: *Soror namque eius Scholaſtica nomine, omnipotenti Domino ab ipſo infantiæ tempore dedicata, ad eum ſemel per annum venire conſueverat. Ad quam vir Dei non longè extra ianuam in poſſeſſione Monaſterij deſcendebat.* Sed iſta ſola lectio tanti Magiſtri ſufficit ita bonæ diſcipulæ Scholaſticæ: in hâc enim ipſa habet ſatis ſuperque quod conſideret per totius anni curriculum; & hoc modo ipſa eouſque pervenit, ut efficiatur ſchola ipſa recollectionis, ſilentij, orationis, & omnis generis virtutum, quæ reddunt Monialem perfectam. Adveniente die mutuæ viſitationis iſtius, ne uter ex ipſis nimis recedat à Monaſterio ſuo, reciprocâ conventione inter ſe initâ iter dividunt, ſimulque accedunt ad quandam villam montis Caſſini, ſitam ad ima ejuſdem montis: ſicut autem viſitationes iſtæ ſunt ita parùm frequentes, ſic etiam magis concupiſcuntur, & ideò ſunt certiores: vivit enim Scholaſtica hâc ambroſiâ cœleſti, & fovet vitam & exercitium virtutum lectionibus & ſanctis conſilijs fratris ſui, & incedit ſecurius per viam perfectionis: ita ut non opus ſit dicere ſanctis germanis iſtis geminis id, quod S. Petrus b commendabat fidelibus primitivæ Eccleſiæ, *Chariſſimi, obſecro vos tanquam advenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant adverſus animam, converſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, glorificent Deum in die viſitationis.* Cùm ambo vitam ſic ducerent exemplarem, & Benedictus ſanctitate ſua Gentilitatis ritus, qui adhuc ſeculo ſuo vigebant, ad nihilum redegerit, ut legitur in ipſius vita; ſed hæc verba ſunt explicanda in laudem utriuſque, retorquendo ea aliquo modo ad propoſitum noſtrum ex interpretatione Dionyſij Carthuſiani c dicentis poſt S. Petrum, *Chariſſimi, obſecro vos tanquam advenas & peregrinos. Fideles dicuntur advenæ, inquantùm degunt in terrâ non ſuâ. Sunt enim in mundo iſto quaſi in exilio, & quaſi peregrini: quia ad cœleſtem patriam gradiuntur. Abſtinete vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant adverſus animam, id eſt, à concupiſcentijs pravis animam impugnantibus. Quia inclinant ad illicita, quæ ſunt animarum ſaluti contraria. Converſationem veſtram inter Gentes ſitis habentes bonam, id eſt, virtuoſam & exemplarem, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus: carnales enim & impij vituperant iuſtos, & detrahunt eis, quorum virtutes aſſequi nolunt; quemadmodum in Proverbijs d legitur; Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur viâ: ex bonis operibus vos conſiderantes, id eſt, opera veſtra, evidenter excellenterque virtuoſa penſantes, & ex ea ipſâ veritate convicti, bonos vos eſſe recognoſcentes, glorificent Deum in die viſitationis, id eſt, Deum in ſuis ſervis collaudent, atque ex puritate & eminentiâ vitæ ſervorum, ſanctitatem Domini penſent ac fateantur, in die viſitationis, cùm corda eorum irradiaverit, ac viſitaverit gratiâ Spiritus ſancti, dum ſcilicet ex prædictâ conſideratione compuncti fuerint, & converſi.* Hoc eſt, quod Chriſtus docet, ac iubet, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona facta veſtra & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt* e. *Proximis enim debemus bonum exemplum, & Deo conſcientiam mundam: quia tenemur proximos ſpiritaliter ſemper diligere* f, *idcircò tenemur ipſos ædificare. Deum quoque tenemur pro viribus honorare in nobiſipſis, ac alijs. Ideò debemus alios pro poſſe ad Dei venerationem verbis & facta inducere, quod agendo, ipſum ſanctificare, magnificareque dicimur. Denique, Omnia, videlicet, à carnalibus deſiderijs abſtinere, exemplariter converſari, Deum in ſe ac alijs honorare, ad Prælatos & Sacerdotes, ad Religioſos & Prædicatores potiſſimè pertinent.*

Præterea, S. Scolaſtica morte paſſionum ſuarum myſtica honorat mortem Filij Dei, Sponſi ſui. Tria mirabilia reperimus in morte Jeſu Chriſti. Primum mirabile eſt, quòd in morte ejus multa ſunt motiva gaudij inter dolores ejus, cùm ipſe non approbaret lacrymas piarum mulierum, cùm *converſus ad illas, dixit, Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me* g. Sed vellet proculdubio ut ipſum intuerentur ſicut finem moleſtiarum noſtrarum, initium lætitiarum noſtrarum, & imaginem illius beatitudinis, quæ terminare debet aliquando noſtras miſerias omnes in gloria. Quis enim locus triſtitiæ capeſſendæ, videndo imaginem felicitatis, ad quam ſuſpiramus, & quæ ſola eſt objectum ſpei noſtræ? Secundum mirabile eſt, quòd tempus mortis ejus, fuit etiam tempus nuptiarum ipſius, quia, ut ait S. Auguſtinus h, deſponſavit ſibi Eccleſiam, quam eduxit è latere ſuo, eodem tempore quo vitam amiſit, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis.* Et, *Dormit Adam ut fiat Eva, moritur Chriſtus ut fiat Eccleſia: dormienti Adæ fit Eva de latere: mortuo Chriſto lanceâ percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia.* Tertium mirabile eſt, quòd mors ejus fuit triumphus ipſius; *Delens quod adverſùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians Principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* i. Rationi autem rectæ conſonum eſt, ut omnes homines gaudeant in expugnatione & deſtructione inimicorum ejus: ideò humiliavit ſuperbiam dæmonum qui uſurpaverant principatum *huius mundi* k, & iniurias irrogaverant imaginibus ipſius. Crux & dolores ipſius fuerunt arma, quibus uſus eſt ad eos expugnandos; & mors ipſius fuit complementum ruinæ illorum: ſic paſſio ipſius meretur meliùs palmas & acclamationes hominum, quàm *cùm intraſſet Ieroſolymam* l. Et ſi habemus fidem felicium ſucceſſuum & victoriarum ejus, celebrare debemus illius funera, ſicut honoraremus triumphos ipſius. Atqui S. Scholaſtica quæ renunciat vitæ carnali, moritur eo modo, &

morte

u Coloſſ. 2. 3. & 9.
x Matth. 19. 27.
y Sap. 10. 10.
z Hug. Card. in Sap. 10. 10.
a S. Greg. lib. 2. Dial. c. 33.
b 1 Petr. 2. 11. & 12.
c Dion. Carth. art. 4. in 1. Petr. 2. 11. & 12.
d Prov. 14. 2.
e Matth. 5. 16.
f Matth. 22. 37. & 39.
g Luc. 23. 28.
h S. Aug. Conc. 4. in Pſ. 103. ex Ioan. 19. 34. & tract. 9. in Ioan. ex Gen. 2. 21.
i Coloſſ. 2. 14. & 15.
k Ioan. 12. 31.
l Matth. 21. 10. &c.

morte ſuâ myſticâ honorat mortem Filij Dei quoad iſta tria mirabilia. Quantùm ad primum, quia mors S. Scholaſticæ meretur potiùs acclamationes & actus gaudij quàm lacrymas: quia mors ita felix facit ipſum prævalere contra adverſarium ſuum, & ipſam facit triumphare de Principatibus & poteſtatibus cum Jeſu Chriſto Sponſo ipſius: lætari debemus cùm illa expirat, & planè eſſet magnam injuriam ei irrogare, ic miſcere aliquid triſte ſolemnitati funerum ejus. Re autem verá homo qui exit è Confeſſione Sacramentali, ubi mortem vitijs intulit, aut qui actum aliquem virtutis exercuit occiſo aliquo pravo affectu, ſi lacrymas emittit ſuper hanc ſtragem, fletus iſti ſunt ploratus gaudij, quod experitur ſic immodicum, ut videatur ſe exonerasse aliquo magno periculo. S. Scholaſtica honorat morte paſſionum ſuarum, ſecundum mirabile, quod invenitur in morte Jeſu Chriſti, quia moriens vitio, ipſa fit Sponſa ejuſdem Filij Dei, cui ipſa poteſt dicere id quod dicebat aliàs Moyſi ſponſo ſuo *Sephora*, *Sponſus ſanguinum tu mihi es* m. Deſponſo te mihi inter ſanguinem & cædes, quia ut ſim digna Sponſa tua, mortem intuli omnibus paſſionibus meis inordinatis. Tandem, Honorem exhibet morte paſſionum ſuarum S. Scholaſtica tertio mirabili quod invenitur in morte Filij Dei, quia triumphat de inimicis ſuis, cùm mori & vincere quantùm ad ipſam idem ſit: cùm autem repræſentatur pompa triumphi ejus: intuendus exhibetur apparatus funerum ipſius: virtutes in eo incedunt ordinatæ, non ampliùs timidæ, ſed capite erecto: & ſi eas intueamur ſic alacres & lætas, ſanè judicamus eas exire ex aliquo magno infortunio, quod ipſas inducit ad ſic deguſtandas ſuavitates & delicias libertatis, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* n. *Id eſt*, ut ait Dion. Carthuſ. o, *per cuius libertatis communicationem, ſeu infuſionem, Chriſtus nos liberavit formaliter, ſicut per gratiam ſalvat. Liberavit (inquam) nos à iugo peccati, & dæmonis dominio. Vnde per Evangeliſtam Ioannem* p *Dominus dicit, Si Filius vos liberavit, verè liberi eritis.*

m Exod. 4. 25.
n Galat. 4. 31.
o Dion. Carth art. 4. in Galat. 4. 31.
p ex Ioan. 8. 36.

Anima victrix intuendam ſe exhibet in medio totius multitudinis, elevatam ſuper currum talem, qualem repræſentat eum nobis Ezechiel q, circumdatum ſplendore Divino, & cujus rotæ ſequuntur Spiritum Dei, qui ipſis motum imprimit, & directionem providet, *Quòcumque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu & rota pariter elevabantur ſequentes eum.* Vitia ſunt ei alligata catenis inſtar captivorum, gemunt videndo ſe vinculis conſtricta, & jugiter vertentia & reverſantia ſe inter funes ſuos, ut ab illis ſe expediant, ſatis oſtendunt quòd invita non faciant ampliùs ullum malum, & quod coactè perpetiantur hanc captivitatem. Paſſiones pudore ſuffuſæ ſequuntur, ut ſpectaculi loco ſerviant huic pompæ; queruntur ipſæ, quòd cùm ipſæ ſint captivæ militares, ita ſint honorabiliùs & mitiùs excipiendæ; ſed unuſquiſque deridet illarum infortunium: *Cur enim quod Dilectus repudiat, non irrideat inimicus?* ait S. Bernardus r. Quin imò & caput tyranni defertur in hoc triumpho ad commendandam hanc inſignem victoriam: voluptas enim in eo conſpicitur, non ampliùs regnans, ſicut anteà, cùm extinguebat omnes gratias, & ſuâ virtutes omnes opprimebat violentiâ, ſed ea eſt ibi mortua & occiſa cujus facies plena furoris & rabiei, minitatur etiam poſt ruinam ſuam generoſæ illi animæ, à quâ devicta eſt. Nunquam Juſtus moritur paſſionibus ſuis, quin triumphet præiſta gloria, & dicatur verè, quòd ſepulchrum ejus, ſicut tumulus magnorum Heroum, defert monimenta, hiſtorias, & inſcriptiones victoriarum ipſius, & quòd eſt opertum vexillis, quæ de ſuis ipſe retulit hoſtibus. Concludamus igitur quòd anima juſta, æquè ac S. Scholaſtica, moriens paſſionibus ſuis, dat gloriam Deo, & honorat mortem Filij ejus in his tribus mirabilibus quæ eam comitantur: & ideò quòd idem Deus ipſam vocat *in deſertum* s, ſeu ducit *eam in ſolitudinem* t, ut ipſa peragat ibi cædes iſtas, quarum ſævitia tam repleta eſt gloria, quàm merito.

q Ezech. 1. 20.
r S. Bern. ſerm. 46. in Cant.
s Matth. 4. 1.
t Oſee 2. 14.

Secundò, Mors myſtica paſſionem peracta à S. Scholaſtica, acquirit ipſi novam vitam, quia nulla fit generatio, quam corruptio non præcedat, ut ait Philoſophia, *Generatio unius eſt corruptio alterius.* Et quæ ſcientia privationem conſtituit inter principia rerum generalium. Fierine poſſet ut nulla res procederet è mortificatione appetituum S. Scholaſticæ, & è privatione voluntaria voluptatum ſenſibilium, quibus ipſa renunciavit? S. Ambroſius u ait, quòd damnati generantur tormentis, quæ ipſis mortem deberent inferre, & quòd Deus dedit flammis proprietatem producendi illos jugiter, ut ſemper patiantur in hac continua nativitate, *Vt ipſa pœna illos, quodammodo generet ſemper, quò conſumantur.* Sed veriùs quàm infelix ille Prometheus, cujus cor recenſetur à Poëtis, ſemper reparari, ut præda continua ſit aquilæ, quæ illud ſemper rodit, ut puniat ſacrilegium ejus, *Promethei fabulam ſic refert Servius, Prometheus (inquit) poſt factos à ſe homines dicitur auxilio Minervæ cœlum aſcendiſſe, & adhibitâ faculâ ad rotam Solis ignem furatus, quem hominibus indicavit. Ob quam cauſam Dij irati Prometheum in monte Caucaſo per Mercuriũ religaverunt ad ſaxum: & adhibita aquila eſt, quæ eius cor exederet*, ait Calepinus x. Cùm in inferno ſint pœnæ producentes, & cœlum totum repletum ſit illis, quos paſſiones genuerunt huic felici vitæ, quæ eſt objectum ſperum noſtrum, & deſideriorum noſtrorum, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* y: *De exilio enim*, ait Dionyſius Carthuſianus z poſt Scripturam, *non venitur ad patriam, niſi per diverſos labores: quotidianè quoque noſtra peccata caſtigationem Dei paternam requirunt: Caro etiam adverſatur ſpiritui* a: *& quò magis proficere cupimus & conamur, eò inviſibiles hoſtes graviùs nobis inſiſtunt*: nihil impedit quin dicamus poſt hæc oracula veritatis, quòd mortificatio, quæ eſt pœna, generat S. Scholaſticam novæ vitæ, eamque mortuo facit rebus mundi, ſicut & omnes Juſtos; & quòd rigores pœnitentiæ, qui apparent exteriùs, ſunt notæ viſibiles nativitatis illius, ſicut & illorum. Hæc tamen nativitas maximæ parti hominum eſt incognita, ſicut nativitatis Verbi, quod ab æterno naſcitur in ſinu Patris, licèt fideles primorum ſeculorum nondum plenam haberent notitiam illius myſterij, quod prædicatio Evangelij nobis manifeſtavit: *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit* b. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo*, ait S. Paulus, fideles alloquens. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus c ad propoſitum noſtrum: *Mortui enim eſtis rebus mundanis ac vanis, id eſt, in talibus occupari non debetis. Et vita veſtra, quam habituri eſtis in patriâ, abſcondita eſt, id eſt repoſita & latenter conſiſtens cum Chriſto in Deo, id eſt, in Deo Patre, in cuius corde & ſinu Chriſtus incomprehenſibiliter conquieſcit. Vel ſic, Vita veſtra, id eſt, vita gratiæ & gloriæ, abſcondita id eſt, ignota eſt omnibus viatoribus in Deo, qui eam cognoſcit, atque cauſaliter continet.*

u S. Amb. in 2. Theſſal.
x Calepin. in Dict. V. Prometheus.
y Act. 14. 21.
z Dion. Carth art. 14. in Act. 14. 21.
a ex Galat. 5. 17.
b Ioan. 1. 18.
c Dion. Carth art. 3. in Coloſſ. 3. 3.

Sum-

Digitized by Google

Similiter certum eſt, mortificationem eſſe vitam abſconditam in Jeſu Chriſto, quam mundani non intuentur; quia id omne quod apparet S. Scholaſticæ, & animabus ſanctis, anticipat mortem illius, ſicut & iſtarum; ſed iſtæ, æquè ac illa naſcuntur Deo tempore eodem quo moriuntur paſſionibus ſuis, licèt nativitas iſta non ſit minùs ſecreta quàm nativitas Salvatoris, quæ peragitur *cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet* d. Et nemo ſcire eam poſſit, niſi illam

d Sap. 18. 14. & 15.
edoceatur ab Angelo e, vel à ſtella f. Sic S. Scholaſtica ſciens, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* g: id eſt, gula, avaritia, & ſuperbia, & quòd Sponſus ſuus præliatus eſt contra hæc tria vitia præcipua, quæ comitantur deploratam conditionem naturæ noſtræ, & quæ dominantur ſenſibus noſtris, & de illis tres inſignes victorias retulit in deſerto: ſic ab eo ducta *in deſertum* h, vel *in ſolitudinem* i, Religionis, vel cordis ſui, bellum indicit tribus iſtis vitiis, exhibens ſe ei contra gulam, veram diſcipulam *in ieiuniis, in caſtitate, per arma iuſtitiæ* k, ab eo edocta id, quod S. Ambroſius l dicit, *Ieiunium continentiæ magiſterium eſt, pudicitiæ diſciplina, humilitas mentis, caſtigatio carnis, forma ſobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miſerationis expenſa, lenitatis inſtitutio, charitatis illecebra, ſenilis gratia, cuſtodia iuventutis, infirmitatis allevamentum, alimentum ſalutis, culpæ interfector.* Contra avaritiam: Sciens enim quòd Sponſus ſuus *Ieſus dixit diſcipulis ſuis, Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in Regnum cælorum: & iterùm dico vobis, Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cælorum*: ipſa relinquit *omnia, &* m ſequitur eum in paupertate Religioſa. Contra ſuperbiam: nam non ignorans, quòd idem Dilectus ſuus *Ieſus dixit, Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris* n: hæc bona diſcipula conſecrat ei omnes voluntates ſuas obedientiâ Monaſticâ; ut hâc morte myſticâ ſenſuum & affectuum ſuorum vivat vitâ novâ, & ſit utilis Reipublicæ, quod ſupereſt videndum.

e Luc. 2. 10. & 11.
f Matth. 2. 1. & 2.
g 1. Ioan. 2. 16.
h Matth. 4. 1. &c.
i Oſee 2. 14.
k 2. Cor. 6. 4. &c.
l S. Amb. lib. de Elia & Iejunio c. 3. & 10.
m Matth. 19. 23. &c.
n Matth. 11. 29. & 30.

III. Pars.
Hæc ultima propoſitio, quòd S. Scholaſtica morte ſuâ myſticâ ſit utilis Reipublicæ, videtur eſſe paradoxum, & adverſari ſenſui communi: & tamen nihil eſt eâ certius, cùm negari non poſſit quin Reſpublica ingentem jacturam incurrat in morte inſignium hominum, qui ſunt quaſi animæ Rerumpublicarum, & intelligentiæ horum magnorum corporum ſocietatis, quæ non poſſunt, non minùs quàm cœli, gyrare in hoc ordine præclaro, qui ita neceſſarius eſt propter bonum Imperiorum, niſi aliquæ formæ aſſiſtentes ſumant illorum regimen, & habenas moderationis eorum tractent: eorum mors eſt eclypſis in Statibus Politicis, quæ facit ut illi longas perpetiantur tenebras, donec oriatur aliquod aſtrum novum, quod ipſis diem reſtituat. Sed ſi mors eximiorum iſtorum hominum Politicorum nunquam accidit ſine diſpendio Reipublicæ, dico quòd mors paſſionum ſervorum & ancillarum Dei, immodica affert ei commoda & emolumenta; nec iſti majora exhibent illi unquam obſequia quàm poſt mortem iſtam myſticam; quia eorum præſentia pellit dæmones, qui poſſident eos qui adhuc vivunt in paſſionibus ſuis; & infirmi ſuam inveniunt ſanitatem, cùm ad eos accedunt: quot enim peccatores convertuntur ad Deum ob ſuavem converſationem hominis probi ipſis impertitam? familiaritas ejus eſt ſemper ſuſpecta Poteſtati *tenebrarum* o. Et omnes actiones ejus ſunt totidem exorciſmi, qui cogunt diabolos ad deſerendas animas, quas poſſident. Omnes afflicti currunt ad hominem mortificatum; ſi lateat, conveniunt eum in ſolitudines, ut ſe precibus ejus commendent, illumque fuſis lacrymis deprecentur ut calamitatibus, quibus impetiti ſunt, remedium afferat, quia majori viget authoritate apud Deum quàm cæteri homines. Vnde creditis, Auditores, quòd oriatur hæc magna fiducia erga ſervos & ancillas Chriſti? Sanè non oritur aliunde, niſi ex opinione quam habent homines, quòd illi non vivant ampliùs ſuper terrâ, & ideò quòd totum ſuum recurſum habeant non ampliùs ad homines viventes, ſed ad ſanctos defunctos: ſic turmatim concurrebatur ad Antonios, & ad Hilariones in ſolitudines, quia credebantur illi verè mortui ſibimetipſis, & appetitibus ſuis: ſic ad S. Scholaſticam edoctam à Sponſo ſuo, & à fratre ſuo Benedicto regulas iſtius mortis myſticæ, quam ipſa in praxim redigebat, innumeræ currebant virgines, quas edocebat ipſa lectiones quas didicerat à cœleſti Magiſtro ſuo, & à fratre ſuo; ita ut ſanctè viveretur in Monaſterio Plumbarioleñſi ab ipſa fundato, quod erat maximè auſterum, & bono odore ſanctitatis repletum. Propter hunc finem nati ſunt eodem die S. Benedictus & S. Scholaſtica ſicut duplex *lux mundi* p, ab Anicio Euproprio & Abundantiâ Italis, & Dominis Nurſiæ, quibus dedit Deus geminos iſtos liberos propter bonū Eccleſiæ ſuæ, & lumen totius mundi; & ſicut *cùm parturiret Rachel, egrediente animâ præ dolore, mortua eſt* q, & reliquit virum ſuum divitem; ſic Abundantia enixa duos iſtos ſanctos geminos, mortua eſt, Deo volente quòd domus iſta finem acciperet poſtquàm produxiſſet præclaros iſtos geminos, quia non poterat meliores eis, nec ſimiles producere, nec utiliores Reipublicæ, qui viventes & morientes ſimul morte myſtica, de qua loquimur, mortui ſunt ambo eodem anno morte naturali, & in eodem tumulo ſepulti, *Quo facto contigit, ut quorum mens una ſemper fuerat, eorum quoque corpora nec ſepultura ſepararet*, ait S. Gregorius r. Et ſic ambo iſti gemini *amabiles, & decori in vitâ ſuâ, in morte quoque non ſunt diviſi* s.

o Luc. 22. 53.
p Matth. 5. 14.
q Gen. 35. 16. &c.
r S. Greg. lib. 2. Dialog. c. 34.
s 2. Reg. 1. 23.

Viſis iſtis prærogativis quæ proveniunt ex morte myſtica, quis non ſatagat expugnare & vincere paſſiones ſuas, & ex earum triumpho eruere motivum gloriæ ſuæ, cùm earum mors honoret Deum; vitam novam tribuat, & nova Reipublicæ præbeat auxilia? Fœlix mors quæ nos generat ad ſic felicem vitam! fortunata mors, quæ producit nobis ſtatum ſic florentem, & in quo nonquam ſumus magis viventes Deo, quàm cùm mortui ſumus nobilmetipſis! *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo*, ait nobis, Auditores, & vobis Dominæ meæ, S. Paulus. Propterea offeramus nos omnes Deo, unuſquiſque ſecundùm profeſſionem ſuam, ſi fieri poteſt centies diebus ſingulis, occidamus carnem, non ſinamus eam vivere voluptatibus mundi, renunciemus huic vitæ carnali, valedicamus huic mundo fallaci, conſecremus nos penitus obſequio Jeſu Chriſti Sponſi animarum noſtrarum; & ut glorioſiùs id agamus, dicamus cum S. Scholaſtica: Vale munde, valete voluptates, divitiæ, vanitates, volo vos immolare ad pedes Salvatoris, ut poſt relatum de vobis triumphum, cum illo coronari merear in gloria.

IN

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Et dederunt ſortes eis. Et cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Act. 1. 26. &c.

DEi Filius qui exivit à *Patre, & in mundum* a iſtum venit ad redimendos homines, & ad indicendum bellum diabolo, & univerſis operibus ejus, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* b: aggreſſurus hoc opus redemptionis noſtræ, ut illud glorioſè perduceret ad exitum, *vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit* c. Voluit ut eſſent duodecim, nec plùs, nec minùs, quippe qui figurati per duodecim Patriarchas d, ut fusè infrà exponã: Per illos, per quos *Moyſes ædificavit altare ad radices montis, duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël* e. *Quaſi dicat*, ait Cornelius f, *Moſes duodecim rudia ſaxa in titulos & ſtatuas erexit; ut ſacrificia, quibus fœdus inter Deum & populum ſanciebatur, pro duodecim tribubus offerri ſignificaret.* Apoſtoli autem fuerunt lapides rudes collocandi in fundamento Eccleſiæ, cujus præcipuum fundamentum eſt Chriſtus, qui vocatur Petra æquè ac Mons, *Petra autem erat Chriſtus* g. *Et erit in novisſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* h. *Hic enim eſt mons in vertice montium, id eſt, Apoſtolorum & Prophetarum, quos ſuâ doctrinâ & gratiâ ſuperat & excellit*, ait Cornelius i. Et S. Paulus k alloquens fideles, ait illis, *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Quos figuraverunt etiam ſolitudinis *Elim duodecim fontes aquarum* l. Vt ait Cornelius m poſt S. Hieronymum, & Tertullianum, dicens, *Tertullianus per duodecim fontes duodecim Apoſtolos, per ſeptuaginta palmas ſeptuaginta diſcipulos Chriſti intelligit.* Qui Apoſtoli repræſentati ſunt pariter per *duodecim viros de duodecim tribubus Iſraël*, *Sacerdotes qui Arcam fœderis Domini Dei univerſæ terræ* n portabant. Quos ſimiliter figuraverunt illi qui *ſtabant ſuper duodecim boves, è quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem: & mare ſuper eos deſuper erat* o æneum in templo Salomonis. Sicut & *duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde* p in throno quidem Salomonis. *Per duodecim leunculos doctrina duodecim Apoſtolorum exprimitur*, ait Hugo Cardinalis q. Quos etiam repræſentaverunt nobis duodecim lapides pretioſi inſerti rationali ſummi Pontificis Aaronis r, æquè ac Jeruſalem cœleſtis *duodecim portæ. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim: & in ipſis duodecim nomina, duodecim Apoſtolorum Agni. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis* s. Quæ omnia deinde explicabo. Et quos tandem figuravit *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim* t. *Sive per caput Eccleſiæ*, ait Dionyſius Carthuſianus u, *intelligatur Chriſtus, de quo ait Apoſtolus* x, *Ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ: ſive ipſa mens Chriſtianorum, eo modo quo principale alicuius rei, caput eius vocatur: ſive primitiva Eccleſia, ſecundùm quod principium rei,*

a Ioan. 16. 28.
b 1. Ioan. 3. 8.
c Luc. 6. 13. &c.
d Gen. 49. 1. &c.
e Exod. 24. 4.
f Cornel. in Exod. 24. 4.
g 1. Cor. 10. 4.
h Iſai. 2. 2.
i Cornel. in Iſai. 2. 2.
k Epheſ. 2. 20.
l Exod. 15. 27.
m Cornel. in Exod. 15. 27. citans S. Hier. ad Fabiol. & Tert. lib. 4. cont. Marcion. c. 24.
n Iosue 3. 12. & 13.
o 3. Reg. 7. 25.
p 3. Reg. 10. 20.
q Hug. Card. in 3. Reg. 10. 20.
r Exod. 28. 17. &c.
s Apoc. 21. 12. &c.
t Apoc. 12. 1.
u Dion. Carth. art. 1. in Apoc. 12. 1.

caput eius aſſeritur: per coronam ſtellarum duodecim, intelliguntur duodecim Apoſtoli, eorumque doctrina & opera, qui Chriſto tam proximè adhæſerunt, ut capiti corona: Iuxta illud Eccleſiaſtici y, *Circa illum corona fratrum quaſi plantatio Cedri in Libano. His ſanctis Apoſtolis, velut ſplendisſimis ſtellis, fulgorem ſapientiæ, ardoremque charitatis mittentibus ornabatur Eccleſia: quorum doctrinâ ac imitatione decorantur animæ Chriſtianæ in mente. Quomodo autem hæc verba (quæ ad literam de Eccleſiâ militante dicuntur, ſicut ſequentia verba teſtantur) de beatâ Chriſtiferâ Virgine poſſint exponi, Bernardus* z *in quodam ſermone pulcherrimè docet.* Ipſa eſt, quæ vocatur ab Eccleſiâ *Magiſtra Apoſtolorum.* Quorum catalogo inſcribitur hodiernâ die S. Mathias, qui *Mathias idem eſt quod donum Dei, quòd donandus eſſet Apoſtolatu* a. Et hoc eſt quod ait Textus, *Et cecidit ſors ſuper Mathiam.* Id eſt, gratia Dei, quâ repleta erat Maria, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* b *Maria.*

Cœli non ſunt agentia particularia, ſed cauſæ univerſales in naturâ propter bonum univerſi orbis, cui ſuas ſubminiſtrant influentias mediis aſtris ſuis, & planetis, quorum interventu ſuos ſuper mundum effundit ſplendores & ardores; ita ut id omne quod deorſum eſt, dependeat ab influentiâ corporum ſuperiorum, quæ agunt in favorem corporum inferiorum. Inter quatuor elementa, quæ non ſolùm ſunt quaſi fundamenta cœlorum, ſed etiam concurrunt ad bonum univerſi; Ignis conſtitutus ſub Lunæ concavo, ubi ſubſiſtit ſine ullo pabulo, temperat nimium frigus iſtius planetæ: Aër diviſus eſt in tres regiones, ſupremam, mediam, & infimam. Suprema immunis eſt ab omnibus meteororum impreſſionibus, & tota pura. In mediâ videntur micare fulgura, & audiuntur perſtrepere tonitrua & fulmina. Infima vero inſervit reſpirationi, humectat terram, ut producat flores, grana, plantas, herbas, & fructus ad alendas aves, & beſtias, nimirum propter hominem. Contemplamini *mare*, quod videtur dolium perforatum, *unde exeunt flumina* c, fontes, & origines, quæ totam terram pervadunt, & illam fœcundant; & in quo tam ingentem eſt invenire piſcium numerum. Tandem, Quidquid eſt in mundo, communicat ſe propter bonum creaturarum, & ob hominis obſequium. Deus in gratiâ agit eodem modo, quo ſe gerit natura: ipſe facit cœlos qui influant in res inferiores, & communicent eis lumina ſua, & ardores ſuos, *Qui fecit cœlos in intellectu*, ait Pſalmiſta d. Et Incognitus e, *Per cœlum ſignificantur Apoſtoli, & ſancti Prædicatores, ut ibi, Cœli enarrant gloriam Dei* f. *Et tunc eſt ſenſus. Qui fecit cœlos in intellectu. Id eſt, qui fecit Apoſtolos, & alios iuſtos Prædicatores, habentes intellectum, intelligentes myſteria fidei, & viventes ſecundùm rationem.* Qui eximij viri ſingulari ſcientiâ ſuâ ignaros illuminant, eoſque poſt ſe bonis exemplis tanquam prima mobilia trahunt: & de his loquitur etiam Daniel g, *Qui docti fuerint, qui ad iuſtitiam erudiunt multos*, ut explicat

y Eccli. 50. 14.
z S. Bern. Serm. ſuper hæc verba Apoc. 12. Signum magnum, &c.
a Cornel. in Act. 1. 23.
b Luc. 1. 28.
c Eccle. 1. 7.
d Pſ. 135. 5.
e In Gen. 1. 1. & 6.
e Incognit. in Pſ. 135. 5.
f Pſ. 18. 2.
g Dan. 12. 3.

h Cornel. in Dan. 12. citãs S. Clemẽt, lib. 1. Cõſtit. Apoſtolic. c. 4. i ex Sap. 10. 10. k ex Luc. 1. 17.

Cornelius h, dicens inter alia, *Docti ſive intelligentes, putà qui veritatem intelligunt, ſacrumbue Dei nomen, ut ait S. Clemens, putà Deum, Deique legem, ut explicat Turrianus; hic intelliguntur non ſpeculativè tantùm, ſed & practicè, quæ eſt ſcientia Sanctorum* i; *& ſapientia ac prudentia Iuſtorum* k. *Hi ergo docti ſunt ij, qui eruditi ſunt in lege Dei, eâ ratione, ut eam in praxim deducant, & obſervent, ita ut quò ſunt doctiores, eò ſint & ſanctiores. Rurſum, Idem, qui actu non unico, ſed crebro & continuo ad iuſtitiam erudiunt multos, ſive, ut Hebraicè eſt, qui iuſtificant multos, id eſt, qui ſuâ doctrinâ & exhortatione, æquè ac exemplo peccatores convertunt, eoſque faciunt iuſtos, vel iuſtiores; ac nominatim qui in tentatione ac perſecutione alios in fide & iuſtitiâ confirmant; ſive publicè in ſcholis, uti faciunt Doctores; ſive in templis, uti faciunt Concionatores & Catechiſtæ; ſive privatim in Confeſsione, colloquio, menſâ, Domo, &c.* Non enim omnes æqualiter ſuſceperunt favores & gratias à Deo, ut ait S. Paulus, & cum eo Dionyſius Carthuſianus

l Dion. Carth. ar. 1. in 1. Cor. 12. 28.

l, *Quoſdam quidem, id eſt, paucos, reſpectu aliorum poſuit Deus per fidem & gratiam in Eccleſiâ, id eſt, inter fideles, primùm ordine dignitatis Apoſtolos, ſummos ac primos Chriſti Vicarios, Principes populorum ac Iudices. Secundò, id eſt, ſtatim poſt Apoſtolicam dignitatem poſuit Prophetas novi Teſtamenti, myſteria Scripturarum ac futura pronunciantes, quales in Actibus Apoſtolorum leguntur fuiſſe Agabus* m, *Silas* n, *& alij plures. Areopagitam quoque Dionyſium fuiſſe Prophetam teſtatur Epiſtola eius ad Evangeliſtam Ioannem. Tertio loco dignitatis poſuit Deus Doctores præcepta vitæ prædicantes, & alios imbuentes. De quibus in Actibus* o *legitur, Erant autem in Eccleſiâ, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores. Deinde poſuit in Eccleſiâ Virtutes, id eſt, operatores miraculorum in rebus extra hominem. Exinde poſuit gratias curationum, hoc eſt, ſanatores corporum humanorum ordine ſupernaturali. Certum eſt autem, omnia iſta convenire Apoſtolis. Erant enim ſummi Prophetæ, & primi Doctores Eccleſiæ ſignis præclari: ſed Apoſtolus ponit hic ordinem gratiarum, & gradus miniſtrorum, digniora dignioribus tribuens.*

m Act. 11. 28. n Act. 17. 11. o Act. 13. 1.

Diviſio.

Quod inducit me ad oſtendendum vobis primò, Quòd gratiæ non ſunt æquales in omnibus. Secundò, Quòd cùm S. Mathias gratiâ Apoſtolatûs donatus ſit, juxta nomen ſuum, & ſecundùm id quod recenſui ſuprà ex Beda, eandem gratiam Dei apprimè inſumpſit, æquè ac agnovit, hujuſmodi beneficij ſuſcepti memorem ſe exhibens, præpoſitus Barſabæ, *qui cognominatus eſt Iuſtus.*

1. Pars.

Illi qui inſurgunt in primam propoſitionem mox allatam, & contrarium ſentiunt, allegant ad conciliandam authoritatem ſententiæ ſuæ, quòd ſicut creatio & redemptio, quæ ſunt duæ primæ, & duæ maximæ gratiæ, ſunt omnibus cõmunes; eodem modo ſe res habere debet de alijs particularibus, dicentes cum S. Joanne; & cum Dionyſio Carthuſiano p Commentatore illius, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi peccatis, id eſt, pro culpis totius Eccleſiæ, toto orbe terrarum diffuſæ. Imò pro vitijs univerſi generis humani ſufficienter, quamvis pro ſolis Electis efficienter. Humanitas etenim Chriſti ex unitâ ſibi Deitate habuit idoneitatẽ ſatisfaciendi quodãmodo infinitã. Ex eminentiâ quoq; virtutum quas habuit, ineffabilẽ habuit efficaciã promerendi ac reconciliandi.* Atqui axioma Philoſophicũ dicit, inquiũnt illi, *Primũ in unoquoq; genere eſt regula & menſura cæterorũ.* Cùm iſtæ duæ gratiæ ſint primæ, aliæ debent ad illas cõmenſurari: ſicut igitur illæ ſunt æquales in õnibus, ita & aliæ gratiæ particulares debent eſſe æquales in univerſis. Prætereà addunt, Gratia habitualis & ſanctificans unit nos Deo, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* q. Id eſt, ut ait idem Carthuſianus r, *Qui adhæret Domino adhæſione amoroſâ & obedientiali, unus ſpiritus eſt, id eſt, Divino Spiritui per charitatem unitur, in Deum transformatur, eique indiſſolubiliter colligatur. Vnde aiebat Salvator loquens ad Patrem, Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis ſit, & ego in eis* s. *Amor namque eſt virtus unitiva diverſos coniungens, quàmvis eſſentialiter differant.* Atqui hæc gratia eundem habet in omnibus effectum. Præterquàm quòd ſcriptum eſt, *Puſillum & magnum ipſe fecit: & æqualiter cura eſt illi de omnibus*, ajunt illi apud Sapientem t. Et ſubdunt apud S. Bonaventuram u, *Nunquid non unus eſt Pater omnium veſtrùm? nunquid non unus Deus creavit nos?* Ego autem cum eodem S. Bonaventurâ, *Reſpondeo, dicendum, quòd loquitur de providentiâ naturali, non de gratuitâ.* Et dico prætereà concedendo, quòd ex parte Dei qui dat, hoc eſt verum; ſed non ex parte illius qui ſuſcipit, juxta proloquium Philoſophicum commune, *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.* Aliquis fons habet duos tubos æquales; ſed hydriæ quæ ſuſcipiunt aquam ex illis defluentem, ſunt inæquales: Sic Deus ſuas communicat gratias, ſed earum ſuſcipiunt aliqui plus, alij verò minus: omnes aulici accedunt ad perſonam Principis, ſed amici ſpecialiùs communicant ſecretis illius.

p Dion. Carth. ar. 2. in 1. Ioan. 2. 2.

q 1. Cor. 6. 17. r Dion. Carth ar. 6. in 1. Cor. 6. 17.

s ex Ioan. 17. 26.

t Sap 6. 8. u S. Bon. in Sap. 6. 8.

Hoc expreſſè docet S. Matthæus, & cum eo Dionyſius Carthuſianus x, *Sicut homo peregrè proficiſcens. Per hunc hominem intelligitur Chriſtus. Vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Parabola iſta ſpecialiter concernit Apoſtolorum ſucceſſores, Prælatos Eccleſiæ, quibus plus datum eſt, & creditum eſt, unde & plus exigetur ab eis* y. *Nihilominùs ad omnes poteſt homines pertinere: ſicque exponenda eſt, ut cunctis valeat applicari. Itaque homo iſte Dominus Ieſus vocavit, id eſt, ſibi applicuit ſervos ſuos, Prælatos aliorum, & unumquemque fidelium, & tradidit illis bona ſua, id eſt, beneficia ſua eis conceſſit, dona videlicet naturæ, & gratiæ, Sacramenta Eccleſiæ, & quidquid boni in fidelibus invenitur. Quid enim habes, quod non accepiſti* z? *Cùm omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum ſit, deſcendens à Deo* a. *Et uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum. Id eſt, uni largitus eſt dona plura atque maiora, alij verò minora ac pauciora. Alij quippe (ſecundùm Apoſtolum* b*) datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum. Aliquibus quoque dantur omnia iſta, & aliqui in naturalibus inclytè decorantur, qui ſortiti ſunt animam bonam* c, *& quaſi naturaliter ad virtutes diſpoſiti, ingenioſi, eloquentes, ſermoſi, ad aliorum gubernationem benè diſpoſiti. Per duo ergo talenta intelligere poſſumus ſubtilem intellectum, & affectum benè diſpoſitum, vel ſapientiam & charitatem. Vnicuique ſervorum largitus eſt Chriſtus, ſecundùm propriam virtutem, id eſt, ſecundùm ipſius capacitatem & dignitatem. Ex quo patet, quòd per iſta talenta, intelligenda ſunt maxime dona gratiæ gratum facientis, vel gratis datæ. Hæc enim ſuperadduntur naturalibus donis, & perficiunt ea. Et profectus eſt ſtatim, id eſt, diſtributione hâc factâ propriæ libertati eos dimiſit, ut negotiarentur. Abijt autem, id eſt, in opus proceſsit, & ivit quò Deus præcepit, qui quinque talenta acceperat. Per hæc quinque talenta intelligo quinquepartitam gratiam ad viros Apoſtolicos & perfectos pertinentem, videlicet, ſapientiam, ſanctitatem, eloquentiam, miraculorum operationem,*

x Dion. Carth. ar. 40. in Matth. 25. 14. & 15.

y ex Luc. 12. 48.

z 1. Cor. 4. 7.

a ex Iacob. 1. 17.

b ex 1. Cor. 12. 8. &c.

c ex Sap. 8. 19.

& diſ-

Digitized by Google

& diſcretionem in omnibus. Et operatus eſt in eis, id eſt, per ea, hoc eſt, benè uſus eſt eis, & fructuoſè ea expendit ad Dei honorem, & aliorum ædificationem, propriamque ſalutem. Et lucratus eſt alia quinque, id eſt, eiſdem donis multum profecit & crevit, vel alia quæ nondum acceperat eſt adeptus. Similiter qui duo talenta prædicta acceperat, lucratus eſt alia duo eo modo ſicut præcedens quinque. S. Paulus d autem

d 1.Cor. 12.16.

confirmat iſtud, dicens. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Quaſi diceret, quòd nos ſumus plantæ, & quòd gratia Dei eſt aqua quæ nos rigat; & quòd Spiritus ſanctus eſt veluti hortulanus qui tribuit hanc aquam, illamque dividit per diverſas vias aliis plùs, aliis autem minùs ſecundùm beneplacitum ſuum, ut cum doctis producat ſcientias ſolidas & veras, cum ſimplicibus & ignaris faciat actiones candidas & innocentes, cum magnanimis pariat zelum gloriæ Dei, cum puſillanimis timorem judiciorum Dei excitat, tandem accommodet ſe ad captum uniuſcuiuſque, & ſecundùm functionem ad quam unuſquiſque deſtinatus eſt à Divina Providentia.

Nam in Apoſtolis hæc gratia operatur varias virtutes, quas fusè repræſentant Dionyſius Carthuſianus e, & Cornelius f, & alii ſuper prædicta verba Apocalypſis, in quibus ſociant illos duodecim Patriarchis, ſicut ipſi ſunt duodecim Apoſtoli, ſingulis Apoſtolis, æquè ac Patriarchis adaptando eximias qualitates quæ in lapidibus pretioſis tum rationalis g ſeu pectoralis Aaronis, tum fundamentorum Jeruſalem triumphantis continentur, juxta diverſas ſingulorum virtutes. Sed quia virtutes illas varias nimis prolixum eſſet recenſitu, aliquid duntaxat referam ex iis quæ recenſentur à prædictis duobus Doctoribus, poſt alios. *Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim.* Super quæ verba Apocalipſis Cornelius ait, *Myſticè S. Hieronymus, Auguſtinus, & Rupertus per duodecim portas accipiunt duodecim Apoſtolos. Hi enim ſunt Patriarchæ, Duces, & Capita duodecim tribuum Iſrael, id eſt, omnium fidelium, & Sanctorum, qui eos ſuâ prædicatione & labore ad Eccleſiam primò militantem, deinde triumphantem vocarunt, & adduxerunt: quâ de causâ duodecim tantùm ſunt portæ, quia duodecim tantùm fuerunt Apoſtoli Chriſti, æquè ac Patriarchæ filii Iacob* h. *à quibus duodecim tribus prognatæ ſunt. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim: & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni. Et fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioſo ornata. Porrò quis ſit ordo Apoſtolorum, & quæ gemma cui Apoſtolo aſſignanda ſit, obſcurum & dubium eſt: probabile eſt quod cenſet Ribera, ſervandum eſſe ordinem Apoſtolorum illum, quo eos ponit & recenſet S. Matthæus* i. *Hic enim inter Evangeliſtas exactiſſimus eſt Hiſtoricus, & ordinis ac temporis cuſtos. Vnde ſic eos ordine inchoat & recenſet: Duodecim (inquit) Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius: Philippus, & Bartholomæus; Thomas, & Matthæus publicanus: Iacobus Alphæi, & Thaddæus: Simon Chananæus, & Iudas Iſcariotes: qui fuit proditor: unde in eius locum ſuffectus eſt Mathias. Eodem ergo ordine videtur S. Ioannes hic eis fundamenta & gemmas aſſignare: niſi quòd in combinatione S. Matthæi, commutandus ſit ordo Thomæ & Matthæi: præponendus eſt enim Matthæus Thomæ, uti alii Evangeliſtæ* k *præponunt: quia ipſe humilitatis causâ ſe Thomæ poſtpoſuit, ait S. Hieronymus. Iam gemmæ hæ ſingulæ notant ſingulas virtutes & dotes, quibus ſinguli Apoſtoli præ cæteris eluxerunt.* Qui eas in ſpecie videre voluerit fusè enarratas, conſulat eundem Cornelium, ubi illas deprehendet cum ſingulis Patriarchis combinatas. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis.* Super quod Carthuſianus petit, *Si ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, quomodo in unaquâque fuerunt duodecim margaritæ? Itaque ſecundùm Berengandum & Albertum, iſtud ſecundùm literæ ſuperficiem ſtare non valet. Idcircò dicendum, quòd licèt in unoquoque Sanctorum præfata ſint ornamenta virtutum, in quolibet tamen aliqua emicat virtus, à quâ & ſpecialiter commendatur ac nominatur, iuxta illud, quod de quolibet eorum cantatur, Non eſt inventus ſimilis illi* m. *Ideò ſingulæ portæ ex ſingulis margaritis conſtare dicuntur.* In Apoſtolis igitur & in Prædicatoribus hæc gratia operatur eloquentiam, & zelum; in Martyribus conſtantiam invincibilem, & fortitudinem inconcuſſam, ut firmi permaneant inter media tormenta, & derideant carnifices, æquè ac ſupplicia; in Virginibus puritatem; in Viduis patientiam; in Iudicibus & aliis juſtitiæ Officialibus integritatem; in Viris militaribus magnanimitatem; in Patribusfamilias curam domus ſuæ; in Servis obedientiam, & fidelitatem; in Sacerdotibus & Religioſæ vitæ Cultoribus & Cultricibus modeſtiam; & in Sæcularibus probitatem. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult* n. Hæc eſt eadem aqua, idem eſt Hortulanus, id eſt, Spiritus ſanctus, qui eam diſtribuit aquam gratiæ, ſed iſtius effectus ſunt diverſi ſecundùm diverſitatem perſonarum, quæ non ſuſcipiunt æqualiter gratias, cùm gratiæ ſint inæquales.

e Dion. Carth. art. 23 in Apoc. 21. 22. &c.
f Cornel. in Apoc. 21. 12. &c. citans S. Hier. in c. 48. Ezech.
g Exod 28. 17. &c.
h ex Gen. 49. 1. &c.
i Matth 10. 2. &c.
k Luc. 6. 13. & Marc. 3. 16
m Eccl. 44. 20.
n 1. Cor. 12. 11.

Themiſtocles auditis victoriis, quas Mithridates de ſuis retulerat hoſtibus, & Alexander Magnus trophæis ab Achille reportatis, noctes ducebant inſomnes, videntes quàm pauca ediſſent ipſi præclara facinora; & Julius Cæſar ſciens deinceps acta eximia eiuſdem Alexandri Magni, ſuas continere non poterat lacrymas præ æmulatione. Propterea ſolebant Lacedæmonii inter convivia ſua propalare coram juvenibus præclara facinora majorum ſuorum, & præmia quibus propter illa fuerant donati, ut deſiderio gloriæ & famæ ſibi comparandæ ducti juvenes huiuſmodi, ſimilibus aggrediendis eximiis actionibus vacare æmularentur. Evolvite, ſi placet, ſacros Codices, & ibi innumeros reperietis egregios Homines variis virtutibus emicantes, ſecundùm diverſitatem gratiarum, quas à Deo ſuſceperunt, unuſquiſque ſecundùm captum ſuum, ut eas imitari contendatis. Ibi invenietis Abelem innocentiâ commendabilem, æquè ac conſtantia. *Domino Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit: iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain. Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ* o. Ibi reperietis Enoch ferventem devotione, & cultu Dei, *Iſte cœpit invocare nomen Domini* p. Noë celebrem ſanctitate, *Noë verò invenit gratiam coram Domino. Noe vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* q. Lot hoſpitalitate præſtantem, *Venerunt duo Angeli Sodomam veſperè, ſedente Lot in foribus civitatis.*

o Gen. 4. 8. &c.
p Gen. 4. 26.
q Gen. 6. 8. & 9.

Digitized by Google

Qui cùm vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviàm eis: adoravitque pronus in terram, & dixit, Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi. Compulit illos oppidò ut diverterent ad eum: ingreſſiſque domum illius, fecit convivium, & coxit azyma: & comederunt r. Abraham ſingulari præditum obedientiâ, *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium. Cùmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum* ſ. Iſaac eximiâ fulgentem reſignatione & conformitate exhibitâ voluntati Dei à ſe, æquè ac obedientiâ à Patre ſuo hoc in occurſu Deo præſtitâ. Jacob ſimplicitate ſingularem, *Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis* t. Joſeph caſtitate renitentem, *Iniecit Domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, & ait: Dormi mecum, Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſuâ: nec quidquam eſt quod non in meâ ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Huiuſcemodi verbis per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum. Accidit autem quâdam die ut intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret: & illa, apprehensâ laciniâ veſtimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manibus eius pallio, fugit, & egreſſus eſt foras* u. Moyſen manſuetudine decoratum, *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* x. David charitate præcellentem, *Quæſivit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum* y. *Et, Saül venit ad caulas ovium, eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saül, ut purgaret ventrem: porrò David & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant. Et dixerunt ſervi David ad eum, Ecce dies de quâ locutus eſt Dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saül ſilenter. Poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül. Dixitque ad viros ſuos, Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit ut moriatur, aut deſcendens in prælium perierit: propitius mihi ſit Dominus, ut non mittam manum meam in Chriſtum Domini. Et confregit David viros ſuos ſermonibus iſtis, & non permiſit eos ut conſurgerent in Saül* z. Eliam zelo honoris Dei inſignem, *Dixit Elias, Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi* a. *Et, Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſraël: altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam ut auferant eam* b, ait ipſe Deo. Job patientiâ præclarum, *Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem: qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Dixit autem illi uxor ſua, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam, Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus? In omnibus his non peccavit Iob labiis ſuis* c. Et Machabæos ſeptem *fratres unà cum matre ſuâ apprehenſos*, magnanimitate commendabiles: nam dum compellerentur ab Antiocho *Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis* cruciati; *unus ex illis qui erat primus, ſic ait, Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? parati ſumus mori magis, quàm patrias Dei leges prævaricari. Iratus itaque Rex iuſſit ſartagines & ollas æneas ſuccendi, quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam: & cute capitis abſtractâ, ſummas quoque manus & pedes ei præſcindi, cæteris eius fratribus & matre inſpicientibus. Et cùm iam per omnia inutilis factus eſſet, iuſſit ignem admoveri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine: in quâ cùm diu cruciaretur, cæteri unà cum matre invicem ſe hortabantur mori fortiter* d, &c. Evangelium præconiis evehit ſanctitatem Zachariæ & Eliſabeth, *Zacharias & uxor illius Eliſabeth erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querelâ* e. Auſteritatem S. Joannis Baptiſtæ, *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylveſtre* f. Pœnitentiam Magdalenæ, *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti; & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Propter quod remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* g. Labores Apoſtolorum, *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati* h. Fervorem Martyrum, *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Alii verò ludibria & verbera experti: inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt* *. Fidelitatem Confeſſorum, qui ſinguli dicunt, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi* i. Et puritatem Virginum, *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocùmque ierit* k. Et in noſtrum debemus animum inducere, quòd in ſingulis illis eximiis hominibus invenimus verba, quæ Deus dicebat Moyſi, *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt* l. Conſiderate ergo, Auditores, Sanctorum eorum converſationem exemplarem, virtutes illorum, & victorias quas de ſuis retulerunt inimicis, mundo, diabolo, & carne, ſecundùm auxilium diverſarum gratiarum ſibi conceſſarum, & reddite vos imitatores victorum & virtutum ipſorum, *Quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem* m.

Exhibitam ſibi viſionem ſic enarrat Zacharias n, *Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & poſt eum equi rufi, varii, & albi.* Miſſis variis interpretationibus, quæ afferuntur ſuper hanc viſionem, ſiſto in myſtica Cornelii o dicentis, *Myſticè, Hic vir ſtans inter myrteta eſt Chriſtus, qui in carne quam ex myrto, id eſt, B. Virgine aſſumpſit, in medio*

Pa-

r Gen. 19. 1. &c.
ſ Gen. 22. 1. &c.
t Gen. 25. 27.
u Gen. 39. 7. &c.
x Num. 12. 3.
y 1 Reg. 13. 14.
z 1 Reg. 24. 3. &c.
a 3. Reg. 18. 40. &c.
b 3. Reg. 19. 14.
c Iob. 2. 7. &c.
d 2. Mach. 7. 1. &c.
e Luc. 1. 5. & 6.
f Matth. 3. 4.
g Luc. 7. 37. &c.
h Act. 5. 41.
* Hebr. 11. 33. &c.
i 2. Timot. 4. 7.
k Apoc. 14. 4.
l Exod. 25. 40.
m Hebr. 13. 7.
n Zach. 1. 8. &c.
o Cornel. in Zach. 1. 8. Citat Petrum Celleng. lib. de Panib. c. 19.

Patriarcharum, Prophetarum, ac Sanctorum veteris & novi Teſtamenti, quaſi inter myrteta conſiſtit. Equus rufus eſt humana natura, cui inſidet Deitas, quam ſumpſit ex primo Parente, qui à terrâ rufâ, ex quâ plaſmatus eſt à Deo, dictus eſt Adam p, *id eſt, rufus, quamque rubricavit ſanguine, tum ſuo, tum hominis, quem Victor ſparſit, juxta illud Iſaiæ* q, *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? &c. Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum? Torcular calcavi ſolus, &c. Ita Petrus Abbas* Cellenſis. *Sequuntur eum equi rufi, albi, & varij, id eſt, Apoſtoli, Martyres, & Virgines: item ſabri, id eſt, Doctores, & Prædicatores, qui omnes Eccleſiam Chriſti ædificarunt, Chriſtique hoſtes fabricam hanc impedire volentes dejecerunt.* Sic S. Joannes r aſſerit ſe vidiſſe in cœlo equum album, cui inſidebat Filius Dei, & quem ſecuti ſunt alij inſidentes equis albis: *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus: & qui ſedebat ſuper eum, veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine, & vocabatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.* In quo mirari non debetis ſi Zacharias vidit Filium Dei inſidentem equo rufo, S. Joannes verò equo albo: ſicut enim Zacharias hanc habuit viſionem in terra, in qua ſuum Chriſtus erat effuſurus Sanguinem, ut patet ex dictis, ideò jure merito erat *aſcendens ſuper equum rufum.* Ita cùm S. Joannes viderit illum glorioſum in cœlo, ritè inſidebat equo albo; atqui quòd iſtum equum ſecuti ſint *equi rufi, varij, & albi*; hoc docet nos etiam ultra expoſitionem ſupradictam Cornelii myſticam, quòd cùm Filius Dei aſcendit ſuper equum humanitatis ſuæ, inſidebat equo albo; & cù paſſus eſt, inſidebat equò rufo: ſic S. Matthias aſcendebat ſuper equũ rufum tempore martyrij ſui; S. Joannes Apoſtolus inſidebat equo albo ſuæ puritatis virginalis, & cæteri Apoſtoli, ſicut & reliqui fideles, equis varijs, rufis, & albis diverſarum virtutum juxta varias & inæquales gratias ipſis conceſſas. *Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum. Quod de civibus Eccleſiæ triumphantis Regem ſuum comitantibus accipi poteſt. Rurſus intelligi poteſt de fidelibus Eccleſiæ militantis, qui per vias præceptorum, & ſemitas conſiliorum, Chriſtum ſequuntur in equis albis, id eſt, mundis ſeu caſtis corporibus. Si autem de civibus triumphantis Eccleſiæ exponatur, per equos albos intelligendi ſunt ſancti viatores: quibus illi præſidebunt, & opem impendent, veſtiti byſſino albo & mundo, id eſt, juſtificationibus ſuis,* ait Dionyſius Cathuſianus s. Hæc eſt via per quam eundum eſt ad cœlum, quò ivit S. Mathias.

r Apoc. 19. 11. &c.

p ex Gen. 5. 2.
q Iſai 63. 1. &c.

s Dion. Carth. art. 20. in Apoc. 19. 14. 11. Part.

Qui gratiâ Apoſtolatûs donatus, eamdem gratiam apprimè adhibuit, & præpoſitus Barſabæ, *qui cognominatus eſt Juſtus*, tanti beneficij memorem ſe exhibuit, ne ingratitudinis foret inſimulandus, ſciens ritè quòd nihil æquè diſpliceat Deo ac ingratitudo, de quâ deinde dixit S. Bernardus t, *Eſt ingratitudo hoſtis gratiæ, inimica ſalutis, quoniam nihil ita diſplicet Deo quemadmodum ingratitudo.* Quò pluribus ingrati cumulantur beneficijs, eò magis illorum obliviſcuntur. In cujus pœnam ſtatuta erat Lex inter Romanos, quæ privabat ſervos libertate, quâ donati erant, ſi hujuſmodi favoris ſibi conceſſi erant immemores. Et Lege u Moyſis cavebatur, ut caro victimæ, quæ in gratiarum actionem immolabatur Deo, non reſervaretur in craſtinum, *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: ex quibus, unus pro primitijs offertur Domino, & erit Sacerdotis, qui fundet hoſtiæ ſanguinem, cujus carnes eâdem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam uſque manè.* Ut diſceretur quòd gratiarum actiones non eſſent in craſtinum uſque differendæ.

t S. Bern. in Floreib. c. 4.

u Levit. 7. 12. &c.

Interrogatus aliàs Diogenes, quidnam citiùs ſeneſceret inter homines, reſpondit ſtatim, *Beneficium.* Quia confeſtim oblivioni traditur. Sic Deus improperans favores, quibus cumulaverat populum ſuum, queritur ſic de illius ingratitudine, *Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas* x? Sed peſſima ſpecies ingratitudinis, eſt abſcondere favores ſpeciales, & gratias inſignes, quibus cumulatus eſt aliquis à Deo, præſertim cùm ex hujuſmodi gratiarum uſu legitimo poteſt ipſe Deus honorari, gloria ejus manifeſtari, & proximus noſter ædificari, & inde ſuæ ſalutis operandæ occaſionem capeſſere. Propterea Raphaël Archangelus utrique Tobiæ dixit, *Sacramentum Regis abſcondere, bonum eſt: opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum eſt* y. Confeſtìm ac Apoſtoli *ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam: & orantes dixerunt, Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum miniſterij hujus & apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas ut abiret in locum ſuum; & dederunt ſortes eis; & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis*: idem S. Mathias, ne videretur ingratus, ſuo perfungi cœpit officio, & prædicare populis myſterium Crucis cum magnâ vitæ ſanctitate, fervore mentis, & cœleſti doctrinâ. Nam præter id, quod didicerat à juventute ſuâ, Spiritus ſanctus erat Magiſter ipſius & Doctor, qui illuminabat intellectum ejus lumine ſuo, inflammabat affectum ejus ardoribus ſuis, & largiebatur ei linguam ignis Divini, ad inflammanda corda auditorum ſuorum. In diviſione, quam peregerunt Apoſtoli, Provinciarum, ad quas ſinguli perrecturi erant ut ibi prædicarent; Judæa cecidit S. Mathiæ, in qua miro prædicavit modo, & innumeros ad Jeſum Chriſtum convertit homines; imò verò doctrinâ & prædicatione ſuâ ad Æthiopiam uſque penetravit. Multos perpeſſus eſt labores in viis hujuſmodi aſperis. Quamplures ſuſtinuit perſecutiones à Judæis, & à Gentilibus, qui tandè lapidaverunt eum, & caput ei præciderunt, ut legitur in ejus vitâ. Ecce quomodo S. Mathias ritè inſumpſit gratiam Apoſtolatus propter honorem Domini ſui, & utilitatem ſui proximi, ſociando ſe paſſionibus ejuſdē Domini ſui, aſcendendo ſuper equum rufum martyrij ſui, juxta viſionem Zachariæ z præfatam; vel ſi vultis, inſidendo equo albo, ſecundùm revelationem prædictam S. Joannis a, inſcriptus catalogo eorum, qui *in cœlo ſequebantur eum amicti byſſino albo & mundo.* Non ait S. Joannes, inde nobis repræſentans veſtem immortalitatis, quâ Sancti ſunt amicti in gloriâ, eos eſſe indutos purpurâ, aut aliquâ veſte pretioſâ, ſed dicit quod ſint *amicti byſſino albo & mundo.* Licèt enim gloria cœleſtis ſit ita magna ut nulla res ſit ei comparabilis, tamen optimè repræſentatur per linum. *Nam ſicut byſſus multis tunſionibus perducitur ad candorem; ſic Electi per varias tribulationes pertingunt ad gloriam*, ait Carthuſianus b. Linum primò ſeritur, deinde germinat, ſed antequàm germinet, patitur frigus, calorem, tempeſtatem, pluviam, hæc omnia inſerviunt ad ejus incrementum: poſtquàm crevit, & maturum eſt, evellitur, aquæ immergitur, in qua aliquandiu manet lapidibus obtutum; cùm educitur ex aqua, exponitur radiis Solis exiccandum, deinde purgatur, poſteà pectinibus ferreis attenuatur, inſuper netur, deinceps texitur; ut autem tela ſit benè candida,

x Iſai. c. 4.

y Tob. 12. 6. & 7.

z Zach. 1. 8. &c.
a Apoc. 19. 14. &c.

b Dion. Carth. art. 20. in Apoc. 9. 8.

dida, iterùm immergitur aquæ, & lapidibus obruitur, tandemque inſumitur ad faciendum veſtimentum candidum Sponſæ Chriſti, quæ eſt Ecclesia, *Quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparavit ſe. Et datum eſt illi ut cooperiat ſe byſsino ſplendenti & candido,* ait S. Joannes c. Et Carthuſianus d, *Et uxor eius, id eſt, Eccleſia, quæ eſt Sponſa & Conjux Chriſti, præparavit ſe, id eſt, aptam & dignam ſe fecit in viâ iſtâ, uniri Sponſo ſuo in patriâ. Et datum eſt illi, id eſt, gratiâ Dei conceſſum, non proprijs viribus, ut cooperiat ſe byſsino candido ſplendenti. Byſsinum enim ſunt iuſtificationes Sanctorum. Id eſt, virtuoſæ operationes, & obſervantia præceptorum, &c.* S. Mathias multis perſecutionibus impetitus projicitur in torrentem paſſionis ſuæ, lapidibus obruitur, & ibi vitam amittit, & docet nos, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* e.

c Apoc. 19. 7. & 8.
d Dion. Carth. art. 20. in Apoc. c. 19. 7 & 8.
e Act. 14. 21.

IN FESTO S. COLETÆ VIRGINIS.

Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius. 1. Cor. 1. 27. &c.

NE imaginentur virgines, quòd ſuum nomen ſub cineribus oblivionis ſit ſepeliendum, & citò è memoriâ poſteritatis ſit expungendum, quia non edunt in lucem filios ſecundùm carnem: ipſæ pro certo tenere debent, quòd Deus qui ipſarum utitur infirmitate ad operanda magna mirabilia, efficiet ut ipſæ ſibi ſint comparaturæ recordationem, quæ nunquam delebitur ex archivo eorum, qui ipſis ſunt ſucceſſuri. Inviolatè ſuam cuſtodivit Elias virginitatem a: propterea à legibus interitus immunis recenſetur, & nondum mortuus dicitur b: *Elias nonne Virgo erat? Nonne Elias curru igneo in cœlum ſublatus eſt? An nocuit huic virginitas? an impedimento illi uxor & liberi?* ait S. Chryſoſtomus c. S. Joannes evangeliſta, quem *diligebat Ieſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum; quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit; in cruce denique moriturus, huic Matrem ſuam Virginem virgini commendavit* d: in hâc vitâ mortali ut immortalis habebatur à Coapoſtolis ſuis, ita ut de eo diceret *Petrus Ieſu, Hic autem quid* e? Maria Mater Jeſu erat Virgo, *Ioſeph non cognoſcebat eam donec peperit Filium ſuum primogenitum* f. Sic ipſa eſt immortalis; recordatio, nomen, merita, & merces ejus ſunt immortalitate plena, *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines* g. Quis autem dicet, quòd S. Coleta ſit mortua, quæ vivit in æternum? quis vocabit illam mortuam, quæ producit ſemper filias immortales? cùm iterùm parturiantur à matre immortali *donec formetur Chriſtus in* h ipſis. Et licèt hôc in regimine Deus utatur infirmitate ſexus ejus ad confundendam ſapientiam mundanam; adhibet etiam infirmitatem Mariæ ut reddat illam Matrem Filij ſui eò momento quo ſe ancillam ipſius vocat; hoc autem accidit, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* i *Maria*.

a 3. Reg. 18. 46.
b 4. Reg. 2. 11.
c S. Chryſoſt. Hom. de Evang. Nuptiæ factæ, &c.
d Eccleſia in Ioan. 19. 26 & 27.
e Ioan. 21. 21.
f Matth. 1. 25.
g Sap. 4. 1.
h Galat. 4. 19.
i Luc. 1. 28 & 28.

Hanc inviolatè cuſtodivit Deus maximam ab ipſius mundi naſcentis incunabulis, quòd uſus fuerit ſtultitia & infirmitate illius quod eſt depreſſiſſimū ad operandos magnos effectus. *Si in principio creavit Deus cœlum & terram* k, &c. hunc univerſum eruit orbem è nihilo, in quo erat idem mundus, cùm nondum exiſtebat. Si actum fuit de eodem orbe recreando & reparando, inſumpſit *arcam* l Noë, quam Sapiens m vocat *Contemptibile lignum.* Adhibuit *ranas, ſciniphes* n, *& locuſtas* o ad confundendam ſuperbiam Pharaonis indurati. Uſus eſt miniſterio Judith ad præcidendum *caput* p Holofernis, ad liberandum populum ſuum. Propter eundem finem inſumpſit Eſtherem: ſicut jam adhibuerat Davidem in ſimili occurſu, qui *prævaluit adverſùm Philiſthæum in fundâ & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit* q inimicum populi ejuſdem, velut interventu Eſtheris, ritus populi *Hoſtis & inimicus peſſimus Aman ſuſpenſus eſt in patibulo quod paraverat Mardochæo* r Judæo. *Elegit duodecim Apoſtolos* s, quorum aliqui *erant piſcatores retibus* t tractandis, & navibus dirigendis, remiſve agendis duntaxat idonei, alij verò rudes & imperiti, ad convertendum totum mundum, eumque reducendum ad obedientiam Evangelij. Quid dicam de Inſtitutoribus Religionum? Non latet vos quòd elegerit Seraphicum patrem S. Franciſcum, virum negotiationi & mercaturæ implicatum, ad fundandum hunc Ordinem, quem cognoſcitis. Propterea dixit illi Deus, quòd ipſum elegerat parvum, ne res magnæ, quas operaturus erat miniſterio ipſius, imputarentur merito ipſius, ſed referrentur ad gloriam ſuam ſolam. Nihil dico de S. Clarâ, quæ erat virgo infirma, cujus miniſterio poſt S. Franciſcum, veſtrum inſtituit Ordinem. Sed quis crediſſet, quòd foret inſumpturus S. Coletam, quæ erat etiam puella infirma, ad illum reformandum? Hoc inducit me ad dicendum Primò, Quòd reformatio alicujus Ordinis difficilis eſt, imò difficilior inſtitutione ipſius. Secundò, Quòd S. Coleta fuit inſtrumentum huic reformationi congruum, ut Mater multarum filiarum.

k Gen. 1. 1 &c.
l Gen. 7. 7. &c
m Sap. 10. 4.
n Exod. 8.
o & 17.
o Exod. 10 12. &c.
p Judith 13. 10. &c.
q 1. Reg. 17. 50 &c.
r Eſth. 7. 6. & 10.
s Luc. 9. 12. &c.
t Matth. 4. 18. &c.
Diviſio.

1. Pars. Nemo eſt qui neſciat, quòd reparatio mundi fuerit Deo difficilior, quàm fuerit illius creatio (ſi fas eſt ita loqui de Deo, qui eſt *accinctus potentiâ* u, quæ *non habet finem* x, æquè ac eſſentia ipſius, *Ego ſum qui ſum* y) cùm in eam majorem videatur impendiſſe laborem, quàm ad creationem: nam in hoc primo operum ſuorum ipſe nihil aliud egit niſi loqui, & imperare; *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt* z. Unico *Fiat* a, ipſe fecit univerſas extra creaturas ex abyſſo nihili ſui, & exiſtentiam tribuit actualem illi omni, quod non habebat eſſe niſi in Divinis ideis: ſed ad recreandum & reparandum mundum oportuit ut Deus fuerit reclinatus *in præſepio* b, *fatigatus ex itinere* c, *factus in agoniâ* d, *& inclinato capite* e *mortuus* f. Extremos ſuos duntaxat adhibuit digitos ad creationem mundi, *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum* g. Sed ad redemptionem inſumpſit totam manum, & fortitudinem brachij ſui, *Fecit potentiam in brachio ſuo*

u Pſ. 64. 7.
x Baruch 3. 25.
y Exod. 3. 14.
z Pſ. 148. 5.
a Gen. 1. 3 &c.
b Luc. 2. 7.
c Ioan. 4. 6.
d Luc. 22. 43.
e Ioan. 19. 30.
f Rom. 4. 10.
g Pſ. 8. 4.

ſuo h. Nam, ut ait Maldonatus i, *Brachium, Hebræorum idiomate, potentiam ſignificat, quòd in brachiis ac lacertis virorum, robur & vires eſſe ſoleant. Quod ergo dicit, Fecit potentiam in brachio ſuo, perinde eſt ac ſi diceret, Fecit potenter brachio ſuo, potenter manu ſuâ rem geſſit, aut declaravit, quàm potens brachium ſuum eſſet.* In creatione viſus eſt Deus ludere, *Cum eo eram cuncta componens ludens in orbe terrarum* k. *Id eſt, ſine labore, magnâ cum facilitate, & voluptate agens: neque enim tot rebus actitandis adeſſe, labore aliquo, ſeu moleſtiâ conſtabat mihi: ſed quaſi per ludum omnia perficiebam* l. At in recreatione aut redemptione orbis, mundus fecit eum ſicut ludum, illumq; deriſit: nam ſuppoſito decreto Divinæ Juſtitiæ, de quo ipſe ait Patri ſuo, *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi; holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi, Ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* m: oportuit ut ſaturaretur *opprobriis* n. Sicut re verâ *milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dexterâ eius: & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes, Ave Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius* o. Mitto, quòd Judæi in concilio ſuo, poſtquàm Caiphæ, qui erat *Princeps Sacerdotum, reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis; expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes. Prophetiza nobis Chriſte: quis eſt qui te percuſſit* p? Nihil etiam dico, quòd iidem *manè facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & ſeniores populi adverſùs Ieſum, ut eum morti traderent: & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi* q.

h Luc. 1. 51.
i Maldonat. in Luc. 1. 51.
k Prov. 8. 30. & 31.
l Salazar in Prov. 8. 31. n. 407.
m Pſ. 39. 7. &c.
n Thren. 3. 30.
o Matth. 27. 27. &c.
p Matth. 26. 65 &c.
q Matth. 27. 1. & 2.

Hinc inferunt Doctores quòd opus juſtificationis peccatorũ ſit difficilius Deo, (ſi ita loqui fas eſt) & quòd ex eo majorem ſibi vendicet gloriam, quàm ex opere creationis. Primò, Quia è parte creationis Deus nullam invenit contradictionem, nec ullam repugnantiam, ſicut reperit in juſtificatione peccatorum, id eſt, malam & depravatam eorum voluntatem, quæ eſt abſque ullâ comparatione magis contraria voluntati Dei, quàm nihilum ſit oppoſitum eſſe, aut voluntati, aut potentiæ Dei. Propterea S. Auguſtinus r ſuper hæc verba Chriſti, *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet & maiora horum faciet*: ait, *Apoſtolum* s *audiamus: Credenti (inquit) in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam. In hoc opere faciamus opera Chriſti, quia & ipſum credere in Chriſto opus eſt Chriſti. Hoc operatur in nobis, non utique ſine nobis. Audi ergo iam, & intellige: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet; priùs ego facio, deinde & ipſe faciet, quia facio ut faciat. Quæ opera, niſi ut ex impio iuſtus fiat? Et maiora horum faciet. Prorſus maius hoc eſſe dixerim, quàm eſt cælum & terra, & quæcumque cernuntur in cælo & in terrâ. Et cælum enim & terra tranſibit* t: *Prædeſtinatorum autem, id eſt, eorum quos præſcit* u, *ſalus & iuſtificatio permanebit. In illis tantùm opera Dei, in his autem etiam eſt imago Dei* x. Et hæc eſt ſecunda ratio, quia Deus in creatione cõmunicat creaturis ſimplex eſſe naturæ; in juſtificatiõe verò tribuit peccatoribus gratiã: atqui difficilius eſt productu hunc effectũ ita nobilẽ gratiæ, quã productu minùs ſublimẽ effectũ naturæ. Hinc dico etiã, quòd major ſit labor reformare Ordinem, quàm illum inſtituere. Fateor equidem, quòd multa gratia requiritur, multa virtus & perfectio immodica ad inſtituendam Religionem novam, & ad formandum vivendi modum, qui eſt mirabilis, & plùs Angelicus aut Divinus, quàm humanus; ſed multò major exigitur ad eum penitus reformandum, & reſtituendum ad obſervantiam Regularem ſuæ primæ fundationis. Verum quidem eſt, quòd inſumenda ſit induſtria & dexteritas ad hoc ut planta recens radices in terram figat, & inde incrementa deſumat ſucceſſu dierum & annorum; ſicut ad hoc ut hæc planta collocetur recta: ad hoc autem ut planta vetus, ſeu arbor curva dirigatur, major eſt labor adhibendus, majuſque ſtudium impendendum. Ariſtippus Philoſophus duplicem expetebat mercedem ab illis diſcipulis, qui ſub aliis ſtuduerant Magiſtris, allegans quòd ipſi duplex eſſet labor aſſumendus. Vnus, ut faceret illos obliviſci eorum quæ didicerant ab aliis. Secundus, ut edoceret eos novam doctrinã, & principia recentia. Sic videmus quòd magis ſit laborandum ad reformandos mores antiquos, qui profundas fixerunt radices in animam veteris athei, aut æquo liberioris mundani, quique longam contraxerunt conſuetudinem, & quaſi in naturam tranſierunt, quia homo proclivior eſt ad malum, quàm ad bonum: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* y: quàm ad dandas bonas impreſſiones homini juveni, innocenti, & puro, qui eas ſuſcipit ut charta pura, velut tabula raſa, & non ſecus ac cera mollis.

r S. Aug. tract. 72. in Ioan. 14. 12.
s ex Rom. 4. 5.
t ex Matth. 24. 35.
u ex Rom. 8. 29.
x ex Gen. 9. 6.
y Gen. 8. 21.

Omnes maximi politici inter graviſſimas ſuas maximas aſſerunt, quòd conſervatio ſtatûs politici, aut florentiſſimæ Monarchiæ in ſplendore ſuo, difficilior eſt & ſpinoſior quàm ſit illius fundatio, vel acquiſitio quæ ipſius fit: quid dicetur igitur de reformatione ejus, & cùm agetur de progreſſu & promotione illius? Sicut autem potentiſſima & florentiſſima mundi Regna ad ſuam ſemper vergunt ruinam, eximia requiritur magnanimitas, & virtus non vulgaris non ſolùm ad ea conſervanda, ſed etiam ad illa reſtituenda ad terminos perfectionis, è quibus exciderunt. Magnus Patriarcha S. Benedictus celebrem & omni parte abſolutam fundaverat Religionem; quod conſilium ab ipſo ſuſceptum ipſi feliciter ſucceſſerat; ſed cùm eſſet agreſſus reformare quoddam Monaſterium, cujus fuerat Abbas inſtitutus, ſanctam hujuſmodi voluntatem ſuam non potuit ad exitum perducere, & coactus fuit ab incepto conſilio deſiſtere. S. Carolus Borromæus, cùm eſſet Protector cujuſdam Religionis nuncupatæ Humiliatorum, cujus magna & opulenta erant aliquot Monaſteria in Archiepiſcopatu Mediolanenſi, multas impendit operas ad illam reformandam, ſed fruſtrà, & propter hunc effectum multas perpeſſus eſt conſpirationes contra famam ſuam, & adverſus vitam ſuam; quod induxit ſummum Pontificem illius ſeculi, ad ſupprimendam hujuſmodi Religionem Humiliatorum, eamque exinaniendam. Quis non mirabitur igitur gratiam, virtutem, & perfectionem S. Coletæ, quæ, cùm non eſſet Superior, nec Abbatiſſa, ſicut S. Benedictus erat Prælatus, & Abbas, ſed inferior; nec adjuta authoritate ſummi Pontificis, ſicut hâc erat fultus S. Carolus, ſed puella infirma, non obſtantibus contradictionibus ſociarum ſuarum, & Superiorum, ac Confeſſariorum ſuorum, qui obices & impedimenta opponebant ſanctitati conſiliorum ipſius, & conabantur ipſi animum eripere, glorioſè perduxit ad exitum conſilium illud, quod ipſa fœliciter ſuſceperat, invitis dæmonibus & inferno, ſuumque reſtituit Ordinem in antiquam ſuam perfectionem, & puram ſuæ paupertatis obſervantiam? Hoc idem eſt ac ſi quis vellet facere reaſcendere aut regredi fluvium, qui motu rapido

pido

pido & impetuoſo vergit in Oceanum, è quo ſuam deſumpſit origioem; aut facere juveneſcere, aut renovari inſtar aquilæ, aut more phœnicis, ſenem decrepitum, curvum, & rugis ſulcatum, capuloque vicinum; vel ſatagere ut retrocedat Sol è curſu ſuo quotidiano non decem horis, ſicut aliàs tempore Regis Ezechiæ, *in horologia Achaz, reverſus eſt Sol*
e Iſai. 38. *decem lineis per gradus quos deſcenderat* e: ſed centum annis, & revertatur ab Occidente caſus ſui ad Orientem nativitatis ſuæ, & principij ſui. Iſtud eſt quod peregit glorioſa S. Coletta reformando Ordinem ſuum, reſtituendo illum in antiquam perfectionem ſuam, & redigendo eum in terminos ſtrictæ ſuæ primæ diſciplinæ Regularis, in priſtinam obſervantiam ſuæ profeſſionis, ſed amore abſque ſecundo, fervore incomparabili, animo virili, qui præ ſe non ferebat aliquid infirmitatis fœminei ſexus, ſed propoſito firmo & incõcuſſo. Non latet vos, Dominæ meæ, quòd glorioſa S. Clara Mater veſtra multum laborem inſumpſit ad ſtabiliendum Ordinem ſuum à Seraphico Patre S. Franciſco ſuſceptum, quantas pertulit ipſa contradictiones, inſultationes, & anguſtias à parentibus ſuis; quanta inivit certamina cum mundo, & cum vanitatibus ejus: ſed S. Coleta majorem laborem exhauſit. Si illius tempore vixiſſet aliquis peritus, ſed ſpiritualis Aſtrologus divinitùs inſtitutus, vel, ut meliùs dicam, aliquis Propheta; ſanè conſiderans fœlicia illius principia, præſagiviſſet glorioſos eventus, ut manifeſtationem gloriæ Dei in converſione animarum: iſti enim flores verni pollicebantur ſpecioſos & uberes fructus interventu S. Coletæ, quà Deus uſus eſt veluti inſtrumento ad producendas ipſi multas filias.

II. Pars. Cùm electa eſſet à Deo ad aggrediendum opus ſic difficile & arduum, quale eſt reformatio Ordinis ſui; idem Deus tribuit ei gratias & perfectiones huic magno conſilio conſummando conſonas, & media iſti fini conformia. Veritas eſt, cui nemo ſanæ mentis compos poſſit contradicere, & quam conſequenter non poſſit ullus impugnare ſine crimine; quòd ubi Deus aliquam deſtinat perſonam ad aliquod miniſterium obeundum, confeſtim providet ei illud, quod eſt ipſi neceſſarium ad hoc ut iſtis fungatur appoſitè munus, *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non literâ, ſed Spiritu*, ait S. Paulus a. *Id eſt, efficaces & dignos Prædicatores*
a 2. Cor. 3. 6. *Evangelicæ Legis, non inſtructione literali, ſed illuſtra-*
b Dion. Carth. art. 3. in 2. Cor. 1. 6. *tione Spiritus ſancti, à quo vitam & ſapientiam nos ad tantum officium dignificantem accepimus* b. Poteſt quidem Papa aliquem elevare ad dignitatem eminentiſſimam Cardinalis: poteſt & Rex tribuere baculum Tribuni militum, aut Præfecti caſtrorum, vel coronam Ducis, Marchionis, aut Comitis cuilibet ipſi placuerit: ſed ſolus Deus eſt qui nos diligit, *In charitate perpetuâ dilexi te* c. Et nos eligit, *Elegit*
c Ier. 31. 3 *nos ante mundi conſtitutionem* d. Atqui ſicut amor
d Epheſ. 1. 4. Dei eſt cauſa originalis omnium bonorum, & origo primitiva cunctorum donorum, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminũ* e: inde oritur, quòd, cùm De-
e Iacob. 1. 17. us ab æterno S. Coletam dilexerit, illam cumulaverit omnibus gratiis quæ erant neceſſariæ ad effectum electionis ipſius, ut illam redderet dignam hac functione reformandi Ordinis ſui, illiuſque reſtituendi in antiquam ſuam obſervantiam exactæ & Regularis paupertatis, & præcipuè zelo manifeſtandæ divinæ gloriæ ſuæ. Philippus Rex Macedonum conſiderans magnanimitatem filii ſui Alexandri Magni, & mores illius bellicoſos, dixit illi, ut ſibi nova quæreret Regna, cùm Macedonia ſola glorioſas ipſius ſiſtere non poſſet ambitiones: intuitus ego zelum S. Coletæ, idem illi dico: Monaſterium, in in quo ipſa invenitur, ipſi non ſufficit, zelus ipſius eſt nimius, oportet ut ipſa reformet omnia Monaſteria S. Claræ, & denuò producat filias Jeſu Chriſto. Franciſcus Primus Galliæ noſtræ Rex ductus æmulatione conciliandi ſibi Imperij, ſi unquam è Chriſtianiſſimis Monarchis noſtris aliquis eo efferbuit deſiderio, volens dare probationes hujuſmodi ardentis deſiderii ſui, cudendã præcepit monetã, in qua duo inſpiciebantur orbes ſculpo præ hâc inſcriptione. *Unus non ſufficit orbis*. Hoc pertinet ad zelum S. Coletæ, quæ non contenta reformare ſuum monaſterium, convertere vult totum Ordinem S. Claræ ad obſequium Dei, eumque ad priſtinum ſtatum reſtituere.

Seneca, cùm jam jam eſſet ex iſto mundo diſceſſurus, cùm ipſi recuſaretur ultimas ſuas voluntates mandare ſcriptis, unde ſuum declarare potuiſſet hæredem, converſus ad amicos ſuos, dixit eis, Amici mei, videns me deſtitutũ bonis fortunæ, ſicut & vitâ, quæ mihi modò deſerenda eſt; non relinquam vobis bona caduca, ſed æterna, nimirum imaginem vitæ meæ, *Senecam habetote mentibus veſtris iugiter aſtantem.* Et ſic nihil vobis unquam continget indignum Philoſopho. S. Coleta exitura ex hoc tranſitorio mundo, nihil relinquit Ordini S. Claræ, quod non ſit æternum, ſicut Jeſus Chriſtus, *Diſcite à me* f. Quaſi diceret, Si vultis adire Cœlum, f Matth. 11. 29.
ſufficit ut mei memineritis. Ego autem dico de S. Coletâ id quod S. Bernardus dicebat de Aſcenſione Jeſu Chriſti, *Beatus qui ubique te ducem habet.* Beatæ filiæ S. Claræ, quæ ſancto ducentur zelo imi- g S. Bern. ſerm. 2. de Aſcens.
tandæ hujus ſanctæ Reformatricis Ordinis ſui, ad hanc allectæ imitationem ſuavi violentiâ exempli ejus, cùm dicat S. Cyprianus h, *Efficacius eſt vita, quàm linguæ teſtimonium: Habent & opera ſuam lin-* h S. Cypr. de Duplic. Martyr. num. 20.
guam, habent ſuam facundiam, etiam tacente linguâ. Huic veritati Jura conciliant authoritatem, cum ajunt, *Trahitur à minoribus, quod factum eſt à maioribus.* Id eſt, exemplum hominum erectorum ad aliquod officium, aut ad aliquam eminentem dignitatem, eſt validum motivum ad inducendos inferiores ut ipſis ſe conforment. Et, *Exemplari creditur, cùm originale caſu eſt deperditum.* Unde ſic argumentor: Jeſus Chriſtus eſt Prototypon omnium fidelium; *Ecce Teſtem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus* i. Et, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo* i Iſai. 55. 4.
mihi benè complacui: ipſum audite k. Atqui hoc k Matth. 17. 5.
Originale non exhibetur ampliùs oculis noſtris intuendum, ſicut cùm idem Dei Filius *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* l. Debetis
igitur, Dominæ meæ, credere & vos confor- l Baruch. 3. 38.
mare S. Coletæ, quæ eſt exemplar charactêre illius inſignitum; conſiderare debetis hanc ſanctam Reformatricem Matrem veſtram, quæ vos parturivit *iterùm donec formetur Chriſtus in vobis* m, ſicut avem iſtam paradiſi, quæ pullos ſuos recenter natos m Galat. 4. 19.
pennis ſuis ſuperponit, & cum hoc ſuavi onere hanc ſuſcipit inſcriptionem, *Meos ad ſidera tollo.* Conformiter ad hoc dicit appoſitè S. Bernardus n, *Cur-* n S. Bern. Epiſt. 251.
rentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit: & quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Sic currite ut comprehendatis o. *Ibi tu Chriſtiane fige tui curſus profectuſque metam, ubi Chri-* o 1. Cor. 9. 24.
ſtus poſuit ſuam. Factus eſt obediens uſque p ex Philipp. 2. 8.
ad mortem p. *Quantùmlibet ergo cucurreris: ſi* q ex 1. Cor. 9. 19.
uſque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis q. *Bravium Chriſtus eſt. Quòd ſi illo currente tu gradum ſiſtis: non Chriſto appropias, ſed te magis elongas* Idem, Dominæ meæ, dico vobis intuitu

ſanctæ

ſanctæ Reformatricis veſtræ, cujus imitari debetis exemplum, quia, ſecundùm Jus Civile, *Exemplum Principis ſequendum eſt.* Et, juxta Jus Canonicum, *Exemplum Dei tenemur nos ſequi, & quod ipſe fecit, tenemur nos facere.* Et, ſecundùm Theologiam, *Idea eſt forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* Dominæ meæ, cùm vos determinare debeatis ad praxim virtutis exercendam in obſervantiâ Regulari profeſſionis veſtræ, neceſſaria vobis eſt idea, & hæc non eſt alia niſi S. Coleta Reformatrix Ordinis veſtri, quam Deus elegit propter hunc effectum, & ad vos denuò Jeſu Chriſto producendas.

*Sap. 4. 1.

Sed quàm pura eſt hæc productio! *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate* *! Omnes creaturæ generant; ſed generant ſibi ſimiles, in quo conſiſtit particularis ipſarum perfectio. Meteora generant, quia, ut ait Philoſophia, *Corruptio unius eſt generatio alterius.* Lapides generant per augmentum, aut additionem, ſed cum diminutione aliorum corporum: Plantæ & arbores generant: germinant enim ſemper, ſed cum corruptione atque putrefactione ſeminum & granorum ſuorum: Animalia generant, ſed cum ſordibus: Propterea Pſalmiſta t hortatur homines ne imitentur beſtias in productionibus ſuis, *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Sed hoc non impedit, quin, ſi homines producant ſibi ſimiles, eos producant in concupiſcentiâ, & cum peccato originali, ut ipſemet David † fatetur, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.* Sed generatio S. Coletæ eſt tota pura & ſpiritualis, Deus qui eſt Spiritus purus, *Spiritus eſt Deus* s: *id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata* t, generat. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus* u? Ipſe generat ſibi ſimilem, putà Filium ſuum ſibi conſubſtantialem: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* x. Et, *Ego & Pater unum ſumus* y. B. Virgo Maria generat eundem Filium incarnatum in ſuis viſceribus in plenitudine temporum, *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* z. Sed cum maximâ puritate: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* a. S. Paulus b denuò fideles Jeſu Chriſto generat, ſed in puritate, *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et loquens de ſuo diſcipulo Oneſimo, ait de illo Philemoni, *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo* c. S. Coleta generat filias Ieſu Chriſto, reformando Ordinem S. Claræ, ſed ipſius generatio eſt tota pura, & abſque ullo defectu. Si ſol generat meteora, producit illa cum alteratione contrariorũ: ſi reliquæ creaturæ generant ipſæ generãt cum imperfectionibus & ſordibus: ſed generatio S. Coletæ denuò producentis filias IeſuChriſto, reformatione Ordinis S. Claræ, eſt tota virginalis: ego autem dicere audeo, quòd hæc generatio ſit ſimilis generationi Dei, poſt generationem B. Virginis Genitricis Filij ejus.

r Pſ. 31. 9.
† Pſ. 50. 7. ex Iob 14. 4.
ſ Ioan. 4. 24.
t Dion. Carth. art. 11 in Ioã. 4. 24.
u Iſai. 66. 9.
x Pſ. 2. 7.
y Ioan. 10. 30.
z Galat. 4. 4. & 5.
a Matth. 1. 20
b Galat. 4. 19.
c Philem. v. 10.

S. Thomas d ait, *Impuritas uniuſcuiuſque rei conſiſtit in hoc, quòd rebus vilioribus immiſcetur. Non dicitur argentum eſſe impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, ſed ex permixtione plumbi, vel ſtanni: Manifeſtum eſt autem, quòd rationalis creatura dignior eſt omnibus temporalibus, & corporalibus creaturis; & ideò impura redditur ex hoc, quòd temporalibus ſe ſubjicit per amorem; à quâ quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum ſcilicet tendit in id, quod eſt ſupra ſe, ſcilicet in Deum.* Anima noſtra diligens res creatas, miſcens ſe, evadit impura: ipſa enim nobilior eſt; & hæc mixtio fit amore: pura eſt, ſi miſceatur Deo; impura verò, ſi miſceat ſe inferioribus creaturis, *Pondus meum, amor meus, eo feror quòcumque feror*, aiebat S. Auguſtinus e. B. Virgo nullis ſe miſcuit creaturis, ſed ſoli Deo: non poterat ipſe ſe miſcere, quia non habebat concupiſcentiam, quæ in filijs Adæ eſt fomes peccati; ſed cùm non contraxiſſet peccatum originale, quòd eſt origo iſtius concupiſcentiæ f, ecce ipſa *tota pulchra, & macula non eſt in* g eâ. Si Deus nos dereliquiſſet abſque gratiâ, non poſſemus nos unire ei, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* h. Concupiſcentia nos traheret ad creaturam, & ſic diligere non poſſemus Creatorem. Sed non eſt ſic loquendum de B. Virgine: ipſa eſt ſicut hoc metallum, quod vocatur electrum, compoſitum ex auro & argento: natura argẽti eſt natura B. Virginis, quæ eſt natura creata; ſed ipſa erat aurea in omnibus ſuis Divinis qualitatibus; cùm eſſet in mundo B. Virgo, erat omnino pura *quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol* i, nedum contraheret ſordes ſtercoris in cloacis, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias* k. Ipſa eſt ſicut electrum conſtans auro & argento: habet ipſa potentiam Dei, quia generat *Filium* l Deum; habet ipſa puritatem Divinam, cùm Deum trahat in viſcera ſua virginalia puritate fidei ſuæ, ut illi conſanguinea ſua *Elizabeth dixit, Beata quæ credidiſti* m. Et S. Auguſtinus n ait, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Fides eius aliquo adæquat modo cognitionem Patris æterni: ſicut enim Pater æternus generat Filium ſuum cognitione, *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te* o: ſic B. Virgo Filium ſuum concepit fide, *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* p. Eius amor eſt ſimilis amori Patris æterni: Pater æternus enim diligit Verbum ſuum prout Filium: B. Virgo verò ipſum diligit ſimiliter ut Filium ſuum, quem producit in tempore, ſicut ipſum Pater cœleſtis producit in æternitate. Atqui S. Coleta eſt viva imago iſtius puritatis B. Virginis Mariæ, cùm ſit pura, immunis ab omni commixtione; ipſa, inquam, educata inter delicias & blanditias parentum ſuorum, in illis non ampliùs ipſa ſibi complacet, ſed in ſolitudine, in recollectione; & in reformatione; ipſa exercet, & inſpirat novis filiabus ſuis virtutes eminentes in hoc modo vitæ novæ quem inſtituit, unit ipſa ſe Deo ut Divina Salamandra: eſt enim *Salamandra animal, cui tantus rigor eſt, ut ignem nullâ ſui læſione tactu extinguat, non aliter quàm glacies*, ait Calepinus q poſt Plinium. Sic S. Coleta eſt incorruptibilis in medio flammarum, quæ accendunt & in cineres redigunt cæteros homines. Ipſa autem non ſolùm habet animæ ſuæ puritatem; ſed etiam hæc reſilit ſuper corpus ipſius, quod eſt totum purum. Sed ulteriùs progredior, & dico, quòd puritas ejus eſt fœcunda, ſicut puritas Dei ipſius.

d S. Thom. 2. 2. q. 7. a. 2. in corp.
e S. Aug. lib. . Conf. c. 9.
f Rom. 7. 11. &c.
g Cant. 4. 7.
h Ioan. 15. 5.
i Cant. 6. 9.
k Cant. 2. 2.
l Luc. 2. 7.
m Luc. 1. 45. &c.
n S. Aug. lib. de S. Virginitat. c. 3.
o Pſ. 109. 3.
p Luc. 1. 38.
q Calepin. in Dictiõ. V. Salamandra. citans Plin. lib. 10. c. 67.

Duæ conſiderantur in Deo fœcunditates. Una eſt interior, quâ Pater æternus ſemetipſum cognoſcens, generat Filium ſuum, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* r. Et quâ Pater æternus & Filius reciprocâ dilectione producunt Spiritum ſanctum, *Paraclêtum, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* ſ. Spiritus autem ſanctus eſt terminus iſtius fœcunditatis interioris, cùm nullus ſit alius in Deo. Altera fœcunditas eſt exterior, quâ Deus producit Jeſum Chriſtum,

r Pſ. 109. 3.
ſ Ioan. 15. 26.

ſtū,& per eum omnes alias creaturas extra ſe. B. Virgo duas iſtas imitatur fœcunditates. Ad interà ipſa concipit in anima ſua Verbum ſpiritualiter, concipit & illud corporaliter in viſceribus ſuis. Habet & fœcunditatem exteriorem, quia novem menſibus elapſis à conceptione ejuſdem Verbi, ad extrà ipſum produxit, *Et peperit Filium*
t Luc. 2. 7. *ſuum primogenitum* t. *Et virginitatis gloriâ permanente lumen æternum mundo effudit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*, ut canit Eccleſia. S. Coleta debet eſſe fœcunda duobus iſtis modis repræſentando duas iſtas fœcunditates: iſtud eſt quod ipſa agit producens luminibus ſupernaturalibus fidei, revelationis, & cognitionis rerum Divinarum, Verbum in anima ſua, ipſa exprimit hanc fœcunditatem, ipſa concipit Verbum, quod eſt cognitio Patris æterni: quia ipſa ſuſceperat è cœlo res Divinas, ideò ipſa illud concipit fide: ſi enim fides eſt cognitio Dei, & ſi notitia Dei unit Deum cogitationi noſtræ, & ex eâ producit quaſi Verbum in mente noſtra; cùm S. Coleta habuerit fidem, illud concepit fide, formavit conceptum Divinarum veritatum, & conſequenter formavit Verbum Divinum. Ipſa eſt etiam fœcunda ad extrà: ipſa eſt terra fertilior quàm ſit ſpecioſa, ſicut terra quæ producit aurum: innumeras ipſa produxit filias, reformando Ordinem S. Claræ. Ipſa eſt candelabrum myſticum, habens non ſolùm ut Tabernaculi *candelabrum ductile de*
u Exod. 25. 31, & 37. *auro mundiſſimo lucernas ſeptem* u: ſed luces innumeras, & Soles quaſi infinitos. Parturit ipſa Jeſum Chriſtum in corde omnium Filiarum ſuarum: innumeras dat Deo Filias reformatione ſuâ, & dicere poteſt id præ veritate, cùm dicat S. Paulus; Ga-
x Gal. 4. 19. latas x alloquens, *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et alibi nonne hic Apoſtolus ait, ſe genuiſſe Corinthios y, ſermoni-
y 1. Cor. 4. 15. bus ſuis? *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Vocatur ab Eccleſiâ S. Monica, *Sancti Auguſtini dupliciter mater, quia eum & mundo & cœlo peperit.* Quippe quæ *in aſſiduis ad Deum orationibus pro filio, qui in Manichæorum ſectam inciderat, lachrymas effundebat: quem etiam Mediolanum ſecuta eſt: ubi ipſum frequenter hortabatur, ut ad Epiſcopum Ambroſium ſe conferret. Quòd cùm ille feciſſet, eius & publicis concionibus, & privatis colloquijs Catholicæ fidei veritatem ab eodem edoctus, baptizatus eſt.* S. Coleta, Dominæ meæ, veſtra eſt *Dupliciter Mater, quia* produxit vos exhortationibus ſuis, quas ipſa reliquit vobis in regulis Reformationis, & præterea exemplis vitæ ſuæ, quæ ſunt prototypon, cui veſtram conformare debetis vitam. Nunc autem quandiu ipſa eſt in cœlo, mementote cujus vos eſtis filiæ, & à qua Matre productæ eſtis; in hoc eſt ſita perfectio, ut ſimilis res producatis: nolite detrahere nobilitati progeniei Matris veſtræ; producite & lucramini Jeſu Chriſto Sponſo veſtro animas bono exemplo irreprehenſibilis vitæ; Satagite ut conceptiones veſtræ ſint omnino puræ, & productiones veſtræ prorſus innocen-
z Iſai. 26. 17. & 18. tes, ut dicere verè Deo poſſitis cum Propheta z, *A facie tuâ, Domine, concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus Spiritum ſalutis.* Præ oculis mundi videmini ſteriles, & non habere hanc perfectionem & hanc virtutem pariendi communem alijs creaturis; ſed graviter hallucinatur mundus, *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios,*
a 1. Reg. 2. 5. *infirmata eſt* a. Et, *Lætare ſterilis, quæ non paris:*
b Galat. 4. 27. ex Iſai. 54. 1. *erumpe, & clama quæ non parturis: quia filij multi deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum* b. Sed
c S. Ambr. lib. 1. de Virginib. audite & S. Ambroſium c quaſi vos alloquentem, *Vos verò beatæ Virgines, quibus pudor ſanctus verecunda ſuffuſus ora, & bona caſtitas eſt decori, non humanis addicta oculis, habetis ſanè veſtræ militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma, non corporis, quam nulla extinguet ætas, nulla eripere mors poteſt, nulla ægritudo corrūpere: ſolus formæ arbiter petitur Deus, qui etiam in corpore minùs pulchro diligit animas pulchriores. Non uteri onus notum, non dolor partus, & tamen numeroſior ſoboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet, fœcunda ſucceſſoribus, ſterilis orbitatibus, neſcit funera, novit hæredes.*

Sed quoſnam poſſunt virgines generare liberos, ut dicere poſſint Deo cum Prophetâ? *A facie tuâ, Domine, concepimus, & quaſi parturivimus, & peperi-* d Orig. Hom. 16. in Num. c. 25.
mus ſpiritum ſalutis. Iſtud vos edocet Origenes d, cùm ait, *Inde naſcetur generoſa progenies, inde pudicitia orietur, inde iuſtitia, inde patientia, inde manſuetudo, & charitas, atq; omnium virtutum proles veneranda ſuccedet.* Ecce, Dominæ meæ, & vos Auditores, virtutes, quas exercere debetis, & liberi quos debetis producere: ſed auſcultate iterùm S. Ambroſiū, tam vos, Dominæ meæ, quàm vos, Auditores, ſic adhortantem, *Audiſtis parentes quibus erudire virtutibus, quibus inſtruere diſciplinis filias debeatis, ut habere poſſitis, quarum meritis veſtra delicta redimantur. Non utique diſſuadeo nuptias, ſi fructus ſacræ virginitatis enumero. Paucarum quippe hoc munus eſt, illud omnium. Nec poteſt eſſe virginitas niſi habeat unde naſcatur.* e Philem. v. 10.
Bona cum bonis comparo, quò faciliùs quid præſtet eluceat. S. Paulus e loquens de diſcipulo ſuo Oneſimo, ait, ſe genuiſſe illum inter catenas, ſcribens Philemoni ſic, *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo.* Super quod S. Chryſoſtomus f dicit, f S. Chryſoſt. hom. 2. in hunc locum.
Vinctus, inquit, illum genui; ut ex hoc amore dignior honore cenſeatur, quòd eſſet inter ipſa certamina, & in ipſis pro Chriſto tentationibus editus. Ita ut iſte diſcipulus non fuerit ſolus, quem S. Paulus genuit Chriſto, ſed & ei alios genuerit.

Ad vos redeo, Dominæ meæ; Vos eſtis filiæ S. Coletæ, & ſub hac auguſta qualitate tenemini perfectæ eſſe illius imagines, & ideò debetis illius habere puritatem: eſſe enim filias Matris puræ, & non habere puritatem, hoc prorſus eſſet indignum habere talem Matrem: ipſa ſeparata fuit ab omnibus delicijs mundi, inſtituens reformationem veſtram: juſtum ſanè eſt ut ab iis ſeparatæ & vos ſitis in clauſtris veſtris, & ut ſolitudines veſtræ non reſpirent niſi puritatem. Puritas dicit ſeparationem, craticulæ autem veſtræ, muri veſtri, veſter agendi modus, profeſſio veſtra vobis oſtendunt obligationem veſtram, & divortium quod habere debetis cum mundo cogitatione & affectu, ut ſitis veræ filiæ S. Coletæ, æquè ac cœleſtis Sponſi Sponſæ, *Primum quod nupturæ præ cæteris concupiſcunt, ut ſponſi decôre ſe iactent,* concludit S. Ambroſius, *eo neceſſe eſt impares ſacris ſe fateantur eſſe virginibus, quibus ſolis contingit dicere: Specioſus formâ præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Quis eſt iſte Sponſus? Non vilibus addictus obſequijs, non caducis ſuperbus divitijs, ſed cuius ſedes in ſæculum ſæculi, filiæ Regum in honore eius. Aſtitit Regina à dextris eius in veſtitu deaurato, varietate circumamicta virtutum. Audi igitur filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, quoniam concupivit Rex ſpeciem* g ex Pſ. 44. &c.
tuam, quia ipſe eſt Deus tuus g. Debetis igitur eſſe puræ, ſi ſociari velitis huic Divino Sponſo, & ab omni mundi mixtione eſſe immunes. S. h 1. Ioann. 2. 15.
Joannes h ait, *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Diligere mundum eſt miſceri mundo: ſed miſceri mundo eſt præ ſe ferre impuritatem: habentes autem impuritatem, nunquam videbunt Deum, *Beati mundo corde: quoniam ipſi*

Deum

Deum videbunt i. Proſequendus eſt igitur odio mundus, cùm amicitia mundi ſociari non poſſit amicitiæ Dei. Sed ut veræ ſitis filiæ S. Coletæ, non ſufficit ut ſitis puræ, ſicut illa fuit pura; ſed etiam oportet ut ſitis fœcundæ, ut ſuprà jam dixi vobis. Vos eſtis filiæ Matris, quæ vult ut ſitis magnæ, ſecundùm deſiderium aliarum matrum mundi, ſed magnæ ſanctæ, imitando ipſam in puritate & fœcunditate ipſius. Eodem ſe res habet modo de matribus ac de S. Paulo, qui erat veluti Mater, quæ non eſt contenta quòd peperit liberos, & quòd iidem liberi in eodem permaneant ſtatu, ſed etiam vult ut creſcant & magni evadant: ſic S. Coleta Mater veſtra curis ſuis, ſanctis exhortationibus ſuis, & bonis exemplis ſuis manigficare vos cōcupiſcit more S. Pauli k. dicentis, *Tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Non inſtar illarum matrum, quæ enixæ liberos ſuos, alienis eos committunt manibus, nedum ullam illorum curam ſuſcipiant. S. Coleta curis ſuis elevare vos vult in ſtatum magnitudinis, & ſanctitatis, ut fideles vos reddat virtututum ſuarum imagines, ut poſtquàm fueritis veræ ipſius imagines, æquè ac filiæ legitimæ, ſociari poſſitis gloriæ ipſius in cœlis.

i Matth. 5. 8.

k 1. Theſſ. 2. 7.

FERIA IV. CINERUM.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris, Eccleſia ex Gen. 3. 19.

QUàm exigua eſt intercapedo vitæ & mortis, gaudiorum & dolorum, oblectamentorum & triſtitiarum, tripudij & fletuum: & quàm immodica eſt differentia civitatis iſtius N. à ſemetipſâ. Incumbebat ipſa heri deordinationibus inauditis, & effrænibus indulgebat bacchanalium diſſolutionibus; hodie verò vacat ipſa exercitio modeſtiæ, & praxi pœnitentiæ: erat ipſa die heſternâ in luxu; hodiernâ autem humiliatur in pulvere & in cinere. Referunt Naturales, quandam eſſe avem, quæ licèt eximias habeat pennas, præ ſe tamen fert figuram ſepulchri, & nidum ſuum collocat in lauris ſemper viridibus, in domicilio mortis faciens apparere vitam, & è tumulo triumphare ſatagens immortalitatem. Hæc avis eſt imago mei ipſius, qui ſtatui oſtendere in diſcurſu meo immortalitatem in cauſa mortis. Virgo ſacratiſſima aſſimilata fuit etiam huic avi, cùm fuerit tumulus, in quo Deus mortem reperit, id eſt, mortalis effectus eſt; & homo vitam invênit, confeſtim ac *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* a *Maria.*

a Luc. 1. 28 & 38.

Poëtæ qui è maximis noſtris ſuas commenti ſunt fabulas, aſſerunt Orpheum lyræ ſuæ ſuavi modulatione motum præbuiſſe rebus inanimatis, & ferocitatem beſtiarum mutaſſe in mititatem, *Quam à Mercurio, ſive, ut alii habent, à patre Apolline lyram accepiſſe ferunt, eâque tantùm valuiſſe, ut illius cantu ſylvas & ſaxa moverit, fluviorum curſum prohibuerit, feraque mitiores reddiderit* b. Fabula eſt, eruta ex hâc veritate, quòd natura ſua conſervat entia contrarietate, & facit illa invenire vitam ſuam in ſinu mortis; ſic omnes greſſus ejus ſunt caſus; non poteſt ipſa facere generationes quin cædes patret, *Generatio unius eſt corruptio alterius.* Oportet ut ipſa mortem inſerat, quò vitam cauſet; & unio ejus non poteſt ſubſiſtere ſine hâc fracturâ. Pacem ſequitur bellum, & conciliatio non procedit niſi è contrarietate. Iſtam diſcutite veritatem in triplici ſtatu, naturæ, politiæ, & religionis. In naturâ videmus generationes præcedi à corruptionibus; nulli dat unquam ipſa vitam, quin illam eripiat alteri. Politia leges habet, quæ jugiter pœnas decernunt reis, quæ criminoſos multant; præ ſe fert vincula, manicas, compedes, & patibula, quibus ſiſtat curſum vitiorum, ſuoſque meliùs ſtabiliat ſtatus rigore earundem legum ſuarum: ſed ex altera parte habet ipſa mercedes & coronas, quibus præmiatur probatæ vitæ homines; ipſa vocat eos ad immortalitatem, proponens eis honores, dignitates, & mercedes.

b Calepin. in Dictiō. V. Orpheus.

Idem à ſuis exigit religio ſectatoribus, ipſa vult ut ii oculum jugiter habeant directum in cœlum, quod eſt locus originis ipſorum, & alterum verſum in terram, quæ eſt materia productionis ipſorum. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* c. Propterea Eccleſia dicit hodie ſingulis fidelibus, *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Et in Evangelio d currente elevat eos ſurſum, & fert illos in cœlum, ubi ſuos ſtabilire debent theſauros, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo.* Ideò vocatur homo Horizon æternitatis & temporis. Religio elevans hominem ad cœlum, oſtendit eum eſſe immortalem; inclinans autem illum ad terram, eum eſſe caducum, mortalem, & fragilem inſtar limi, è quo formatus eſt. Hæc veritas ſeſe noſtris ita ſenſibilem exhibet oculis, ut ſola ſufficiat cæmeteria intueri, ne deinceps de illa debeamus ambigere. Eccleſia nobis renovat memoriam illius quod evaſuri ſumus citò, cùm ait ſingulis nobis, *Memento homo*, &c. *In die quâ creavit Deus hominem, vocâvit nomen* illius *Adam* e. Id eſt, *homo*, *Terrenus.* Quò referuntur hæc verba S. Pauli f, *Primus homo de terrâ, terrenus.* Sic à Latinis vocatus fuit homo ab humo. Ita ut idem nomen ſignificet miſeriam & infirmitatem naturæ ejus quantùm ad corpus ipſius quod eſt materiale: ſed quia anima illius eſt ſpiritualis, deſidero vobis oſtendere in priori parte diſcurſus iſtius, eum habere ſpiritum immortalem. In poſteriori autem parte vobis monſtrare, illum habere corpus caducum.

c Gen. 2. 7.

d Matth. 6. 20.

e Gen. 5. 2.

f 1. Cor. 15. 47.

Diviſio.

Veritas eſt compertiſſima, & abſque ullâ controverſiâ ſuſcepta in natura univerſa, quòd effectus ſuum inveniunt fulcrum, ſuamque ſatisfactionem in cauſis quæ ipſos produxerant. Omnes fluvii revertuntur in mare, è quo exierant, & ſuam inveniunt quietem in loco nativitatis ſuæ: nec unquam dubitaverunt leges, quin infans ſuum reperiat fulcimentum in ſinu matris, ubi conceptus eſt. Non habet anima ſuum è corpore fulcimentum, non invenit ipſa in eo ſatisfactionem ſuam; quin potiùs operationes ipſius retardantur, nec agit ipſa niſi vix & lentè, captiva detenta in hoc corporis ergaſtulo, è quo inſtanter efflagitabat Apoſtolus liberari, cùm ajebat, *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* g? *Ex conſideratione tantæ miſeriæ, cui ſubiectus eſt homo, exclamat Apoſtolus,* dicit Dionyſius Carthuſianus h, *Infælix ego homo privatus fælicitate origina-*

I. Pars.

g Rom. 7. 24.

h Dion. Carth. art. 10. in Rō. 7. 24.

originalis iuſtitiæ, multiſque corruptionibus & vitiis plenus, quis me liberabit de corpore mortis huius? id eſt, de corpore iſto mortali, quod obligat ad mortem naturæ, inclinat ad mortem culpæ, exponitque periculo mortis æternæ: quatenus anima mea huic vitæ ſubtracta, ad patriam redeat, & liberè perfruatur, ſecurèque vivat. Intellectus omnino ſuffunditur caligine ab imaginationibus, quæ eripiunt ipſi ſerenitatem ob tumultum paſſionum quæ ipſum agitant & turbant, nec ullum ei quietis momentum indulgent. Voluntas quæ nata eſt propter cœlum, quæque non debet inclinari niſi ad poſſidendum ſummum & *omne Bonum* i, intuetur ſe perſæpe ferri, & velut trahi ineſcatam lenocinijs doloſis & *i Exod. 33. 19.* decipientibus ad amorem criminoſum creaturarum quæ ipſi blandiuntur, quæque ſuavitatibus ſuis ementitis & nullam ſoliditatem habentibus, projiciunt in deordinationem. Sic cùm Deus ſuis Prophetis gratificari voluit revelationibus, eiſque notitiam præbere adorabilium myſteriorum noſtrorum ſecretam, viſiones illis intuendas exhibuit in ſomno, quandiu anima eorum quieſcebat, & perfectâ fruebatur tranquillitate, nec erat agitata motibus corporis, ſicut videmus in ecſtaſibus: ita ut S. Paulus raptus in tertium cœlum, ubi audiverat ſecreta nunquam ab oculo corporeo viſa, nec ab aure humanâ audita, quæque in cordis humani non poſſunt cadere comprehenſionem, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* k: vix diſtin-
k 1. Cor. 2. 9. ex Iſai. 64. 4. guere poſſit, utrùm iſte raptus evenerit ſibi in corpore, aut extra corpus, ut ipſe fatetur, *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſmodi uſque ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* l. Et ani-
l 2. Cor. 12. 2. &c. ma nunquam ſuis meliùs potitur ſatisfactionibus, quàm cùm ipſa exit è corpore ſuo, ut meliùs uniat ſeſe Deo ſuo, in quo fruitur ipſa tranquillitate, quæ fœlicem ipſam facit per contemptum quem ipſa facit omnium rerum inferiorum, quæ blandiri poſſunt corpori. Omnes igitur effectus ſuum inveniunt fulcimentum, & ſuam ſatisfactionem in cauſis quæ ipſos produxerunt: è contrà cùm anima habeat delicias & ſatisfactiones penitus oppoſitas voluptatibus corporis, ſequitur quòd ipſa non dependeat à corpore, quòd ſit tota ſpiritualis, & conſequenter immortalis. Iſtud autem diſſidium continuum ſpiritus & carnis, quod nullas unquam admittit inducias, de quo loquitur Apoſtolus m,
m Galat. 5. 17. dicens, *Caro concupiſcit adverſùs Spiritum; ſpiritus autem adverſùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur*: oſtendit animam nihil habere commune cum corpore: & ideò intentiones illorum ſunt omnino diverſæ. Caſ-
n Caſſian. Collat. 6. 4. c. 11. ſianus n eximio deſcribit modo duellum iſtud inter carnem & ſpiritum, cùm ait, *Caro luxurijs ac libidine delectatur, ſpiritus ne ipſis quidem naturalibus deſiderijs acquieſcit. Illa concupiſcit ſatiari ſomno, repleri cibo; hic vigilijs & ieiunijs ita ſaginatur, ut ne ad ipſum quidem neceſſarium vitæ uſum ſomnum cibumque velit admittere. Illa cupit exuberare copijs univerſis, hic ne ipſius quidem anguſti panis ſubſtantiam quotidianam habere contentus eſt. Lavacris illa niteſcere, hic ſqualore inacceſſibilis eremi paſcitur, &c. Honoribus illa & laudibus hominum confovetur, hic irrogatis ſibi contumelijs iniurijſque lætatur.*

Philoſophia docet, quòd eſſe, actio, & voluptas quæ eam comitatur, habent eandem naturam: voluptas animæ, ſatisfactio quam ipſa capit in operationibus, eſt omnino oppoſita voluptatibus corporis: eſt igitur nota manifeſta quòd illa non ſit ejuſdem naturæ; non eſt illa corporea, & actiones ejus nunquam ſunt nobiliores, neque majores voluptates illius, quàm cùm ſunt magis à corpore ſemotæ. Ratio iſtius eſt, quia ipſa eſt tota ſpi- *o Sap. 9. 15.*
ritualis: ideò Sapiens o loquens de corpore, ait, illud gravitate ſuâ animam deprimere, *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Quaſi diceret, ſi mentem ejus ritè valeam exprimere, quòd corpus eſt velut obſtaculum animæ, & caligine offundit lumina intellectus ipſius, interventu imaginationum quæ pudore nos operiunt; & deprimit voluntatem ipſius ad affectum rerum, quarum vilitas detrahit magnitudini & nobilitati originis ipſius, quandiu amor Dei ad res cœleſtes proſequendas illam elevat.

Omne quod corpus habet pretioſum & exquiſitum, non eſt niſi velut exigua candela intuitu Solis: tota magnitudo & totum dominium hominis contingit illi ex excellentiâ animæ, ſicut rivus derivatur à fonte. Si corpus eſt ſpecioſa concha, anima eſt illius unio. Si corpus eſt velu- *p Cant. 3. 9.*
ti illud *ferculum, quod fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani* p: anima eſt Regina, quæ in eo ſedet, ut illud dirigat & gubernet. Si corpus eſt cinis, ut dicam modò, anima eſt ejus flamma. Si corpus eſt veluti muſcus viridis alicujus rupis marinæ, anima eſt veluti margarita quæ ibi ſplendorem ſuum occultat: ipſa eſt dilecta Dei, quæ ex ore ejus cecidit in hoc ergaſtulū mortale q, inſig- *q Gen. 2. 7.*
nita charactêre & imagine illius: *Ad imaginem* *r Gen. 9. 6.*
quippe Dei factus eſt homo r. Ipſa eſt, ſuper quam extendit Deus purpuram Regiam majeſtatis ſuæ, *s Ezech. 16. 8.*
ut ipſemet ait ei, *Expandi amictum meum ſuper te* s. Hæc autem purpura Regia non eſt alia niſi congregatio omnium perfectionum creaturarum breviatarum in animâ, ſicut eſſet figura mundi in rotunditate annuli. Et ſicut aliàs *in veſte podêris, quam habebat* ſummus Sacerdos Aaron, & ſucceſſores ejus conſequenter, *totus erat orbis terrarum: & Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum e-* *t Sap. 18. 24. ex Exod. 28. 2. &c.*
rant ſculpta, & magnificentia Dei *in diademate capitis illius ſculpta erat* t, & ſucceſſorum illius poſt ipſum: ita anima noſtra defert in inſignibus ſuis omnes excellentias creatas, quæ ſunt vivæ imagines perfectionis Creatoris.

Edocet nos fides, quòd anima eſt ſubſtantia immortalis, quæ non eſt educta ex elementis, ſed ſubſtantia creata à Deo ex nihilo, Verbo Dei, rationalis, ſpiritualis, intellectualis, ſemper agens, jugiter vivens, & extenſionis ſic immodicæ ut ſolus *u S. Bern. in Declamation. in med.*
Deus eam replere poſſit, ait S. Bernardus u, *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt: repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit.* *x Pſ. 72. 26.*
Iſta ut dicat Pſalmiſta x, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Ille qui vult plus illius ſcire, quàm de eâ Sapientia Divina revelaverit, & qui eam non vult credere immortalem propter glo- *y Matth. 25. 46.*
riam, ſentiet illam immortalem quantùm ad *ſupplicium æternum* y, ut ait S. Auguſtinus z, *Si* *z S. Aug. lib. 5. de Symbol. ad Catech. c. 8.*
credit, immortalis eſt ad vitam: ſi non credit, immortalis eſt ad pœnam. Legibus a prohi- *a Leg. 4. Cod. de Ædif. in Privatis*
betur Imperatorijs, ne oriantur agri in diſpendium civitatis, ſub pœnâ privationis poſſeſſionis ſuæ incurrendâ, *Si quis poſt legem hanc civitate*

ſpoliatâ

Digitized by Google

ſpoliatâ ornatum, hoc eſt, marmora & columnas ad rura tranſtuleris, privetur eâ poſſeſſione, quam ita ornaverit. Hæc anima noſtra eſt civitas Dei, decorata tot ornamentis, titulis, trophæis, & arcubus triumphalibus, *Ieruſalem quæ ædificatur ut civitas* b. *Iſte verſus intelligitur de ædificatione Eccleſiæ, quæ ideò Ieruſalem dicitur, quia in ipſâ per fidem videtur Deus, quæ Eccleſia dicitur ut civitas*, ait Incognitus c. Tamen perſæpè contingit nobis ut ædificemus turri, & deſeramus civitatem, id eſt, animam noſtram ſterilem, languentem, & ſpoliatam, quandiu omnes induſtrias noſtras impendimus ad ornatum, & ad commoda corporis: ideò meremur privari poſſeſſione noſtrâ, cùm ita malè colamus eam in Eccleſiâ, cujus filia eſt hæc anima noſtra.

b Pſ. 121. 3.
c Incogni. in Pſ. 121. 3.

Homo fertur ad res naturales violentas & extraordinarias. Vitium facit illum deſcendere, eumque demergit in infortunia, quandiu virtus illum abripit, eumque elevat in cœlum. Sed totum iſtud eſt violentum, & ſociatur extremis: oportet ut homo ſe teneat in medio,

Medium tenuêre Beati.

Et ſicut ipſe eſt Horizon æternitatis & temporis, expedit ut ipſe ſit in terrâ, ita tamen deſerat cœlum, neceſſaria providens alendo corpori, ita tamen ſubtrahat animæ cibum ſuum, ſpiritum ſuum ſemper habens in cœlum elevatum, ſicut ſuum habebat elevatum Apoſtolus quandiu corporeas procurare ſatagebat neceſſitates, dicens, *Noſtra converſatio in cœlis eſt* d. Id eſt, ut exponit Dionyſius Carthuſianus e, *Per contemplationem & deſiderium bonorum cœleſtium. Nunc enim converſatio noſtra in cœlis eſt per ſpem, ingem intentionem, & ratione objecti, ſeu termini motus, quod eſt in cœlo, videlicet Deus & æterna fœlicitas. Anima namque (ſecundum Auguſtinum) veriùs eſt ubi amat, quam ubi animat. Denique, Ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum* f. *Eorum itaque converſatio eſt in cœlis, qui omnia temporalia atque carnalia tranſcendentes, cœliformem & angelicam vitam ducunt in terrâ, illi uni quod ſolum neceſſarium eſt* g, *totâ mente intenti.* Hanc nos edocuit Dei Filius lectionem, & ideò debemus illum imitari, & veſtigiis ejus inhærere, ut conſulit nobis S. Petrus h, *Vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Cùm enim eſſet in terrâ viator, hoc non impediebat quin ibi eſſet comprehenſor: ipſe incedebat ſuper terram, & cogitationes illius intentæ erant ad cœlum. Sed heu videndo homines qui nuncupantur Chriſtiani, nunquid non judicaretur ex actionibus illorum, & è voluptatibus quæ eas comitantur, eos habere animam mortalem, corpoream, & corruptibilem? cùm in omnibus actionibus ſuis non quærant niſi voluptates corporis, & ſatisfactionem carnis ſuæ. Si eſſe, actio, & voluptas quæ eam comitatur, ſunt ejuſdem naturæ, cùm ſolis indulgeant voluptatibus corporis, quod velut idolum colunt, omneſque ſuas operas impendant ad meliùs blandiendum ei, quid dicere poſſumus niſi eos habere animam totam carneam, more beſtiarum, totam corpoream? Iſti exceſſus oris & ventris exerciti his diebus bacchanalium præteritis, iſtæ diſſolutiones effrænes, quæ pudore ſuffundunt cœlum, nonne oſtendunt quòd homo ſit totus corporeus? cùm ita ſolicitè ſatisfactiones quærat corporis hic *animalis homo* i. *Id eſt, carnalis & vitioſus, cujus affectus & intellectus in ſenſibilibus detinentur* k, æquè ac corpus.

d Philipp. 3. 20.
e Dion. Carth. art. 3 in Philip. 3. 20.
f Matth. 6. 21.
g ex Luc. 10. 42.
h 1. Petr. 2. 21.
i 1. Cor. 2. 14.
k Dion. Carth. art. 2. in 1. Cor. 2. 14.

Negari non poteſt quin omne illud, quod protendit ſe extra limites naturæ ſuæ, ſit multùm inordinatum. Videmus omnia elementa, plantas, animalia, & omnes creaturas univerſi orbis ſe conſtanter continere in ordine, quem præſcripſit ipſis Deus. Suum retinet ſemper ignis calorem; aqua ad priſtinum ſuum reſtituitur frigus, poſtquàm ſuper prunis ebullivit ardentibus; mel non ſumit naturam abſinthii; leo non agit ſimium; nec aquila evadit ſtruthio, ut pennas ſuas humi repere unquam ſinat: atqui natura animæ, quò nobilior eſt & elevatior, eò magis fertur ad conſiderationem rerum Divinarum, & ſcire ſatagit, unde veniat, quò pergat, & quid apud ſe peragatur, *Hoc habet argumentum Divinitatis ſuæ, quòd illum Divina delectant: nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis*, ait Seneca l, licèt Ethnicus, de homine. Hæc eſt nota infallibilis animæ Divinæ, cùm ipſa ſibi complacet in loquendo de rebus Divinis, & incumbit iſtis conſiderationibus, ſicut pertractandis negotiis graviſſimis domûs ſuæ. Iudicate igitur quanta ſit indignitas inſumere hanc Reginam ad res ipsâ indignas. Quis pudor, dicere, quòd Deus hominem coronaverit *gloriâ & honore, & eum ſuper opera manuum* m ſuarum conſtituerit: & tamen ipſe proditor evadens fœlicitatis ſuæ, æquè ac naturæ ſuæ efficiatur comœdus & hiſtrio omnium creaturarum, omnem agens perſonam, exceptâ bonâ, & eâ, ad quam excellentia ipſius ipſum obſtringit exercendam? *Ipſe homo omnium flagitiorum actor, non tantùm opus Dei, verum etiam imago eſt; & tamen corpore & ſpiritu deſcivit à ſuo Inſtitutore*, ait Tertullianus n.

l Senec. in præfat. lib. 1. Quæſt. Natur.
m Pſ. 8. 7.
n Tert. lib. de Spectacul. c. 2.

Applicare aliquod inſtrumentum prædives & pretioſum exercitio abjecto, & ſordido, actio eſt hominis non ſanæ mentis: anima eſt ditiſſima pars totius univerſi iſtius, & tamen ad quid inſumitur niſi ad res indignas magnitudine & nobilitate ipſius? Nero refertur complacuiſſe ſibi in fodiendâ terrâ paſtino aureo, quod exiſtimatur ridiculum ab hominibus ſapientibus: mihi verò videtur magis inuſitatum, quòd homo applicet ſe rebus inferioribus ſe: paſtinare enim ſeu fodere terram auro, hoc erat reducere aurum ad originem ſuam, cùm exierit è viſceribus terræ: ſed animâ totâ cœleſti fodere ſordes & ſtercus, hoc eſt intolerabile. Talis procedendi modus eſt ſacrilegium manifeſtum. Primò enim injuſtè retinet rem ſacram in uſu profano. S. Auguſtinus o ſcribens adoleſcenti cuidam nomine Licentio, præclarâ quidem prædito mente, ſed quâ abutebatur æquo liberiùs & nimiâ licentia inter mundi vanitates, cogit iſtud ſic argumentum, dicens ei, *Si calicem aureum inveniſſes in terrâ, donares illum Eccleſiæ Dei. Accepiſti à Deo ingenium ſpiritaliter aureum, miniſtras inde libidinibus; & in illo Satanæ propinas te ipſum.* Animam tuam in ſacrificium offers diabolo, poſtquàm illam effeciſti vas abominationis: nunquid non vereris ne incurras iram Dei ob hoc ſacrilegium? Deinde, Non ſolùm retinetis, Chriſtiani, vas conſecratum miniſterio Altiſſimi, ſed attentatis ſuper imaginem Dei ipſius: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* p. Hæc anima, quam dedit vobis Deus, eſt verus character Divinitatis ejus; vos autem illam proſtituitis, & ad infectiones publicas eam inſumitis. Scitote quòd aliàs ut crimen capitis reputatum fuit, deferre imaginem Imperatoris in locum parùm honeſtum: re autem verâ Paulus, eximius quidam vir, ſicut qui fuerat Prætor, accuſatus fuit, & inquiſitus criminosè pro eo quòd matulam ſumpſiſſet manu, habens adhuc in digito ſuo annulum, Imperatoris imagine inſignitum. Vos autem autumatis licere vobis deferre non

o S. Aug. Epiſt. 39.
p Gen. 9. 6.

imaginem mortuam, ſed imaginem vivam veſtri Patris cœleſtis ad ſordes & ad ſpurcitias, quas veſtræ paſſiones inordinatæ foras emittunt ut ſpumam inſaniæ. Improperium, quo Deus invehitur in animam ingratam, quæ iſto ſe modo proſtituit, eſt formidabile: *Et tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis. Et oleum meum, & thymiama meum poſuiſti corã eis* q. Ingratitudo incomparabilis! ſacrilegium quod ſatis atrocibus plecti non poteſt pœnis! Rè autem verâ Canones Apoſtolorum r, excommunicationis fulmen vibrant ac anathema maledictionis contra eos, qui duntaxat oleum deferunt ad Synagogas Judæorum, aut ad templa Ethnicorum. In quo autem ordine collocabimus Chriſtianos, qui perpetuum faciunt ſacrificium omnium facultatum animarum ſuarum vitijs & ſtultitijs mundi?

q Ezech. 16. 17. & 18.

r Canon. Apoſtol. c. 70.

Divinus Plato, inſignis ille vir, quem aliqui, non ritè intelligentes ſcripta ejus, præſumpſerunt inſimulare levitatis, ait homines hujus temporis non eſſe ampliùs niſi ſemihomines, quorum una pars ſit in terrâ, altera verò media ſit in cœlo: imaginati ſunt enim illi, eum dixiſſe, quòd Deus feciſſet hominem cum duobus capitibus, quatuor brachijs, & quatuor cruribus, & quòd conſtituentes eum in mundo, ab illo mediam ipſius receciſſet partem, quod ſanè eſſet error. Sed Ficinus s unus è diſcipulis ejus, Magiſtri ſui cauſam complectens, illum ab hac purgat calumnia, dicens, quòd homo creatus fuerit cum anima immortali, ſpirituali, & cum affectibus cœleſtibus & Divinis, & omnino vergentibus ad paradiſum ſibi comparandum, & ad omne id quod inſervire poterat acquiſitioni illius. Cùm enim anima ſit immortalis, æquum eſt ut immortalia quærat, quia talis eſt anima, quales ſunt affectiones ipſius: ſed hodie homines in hoc ſtatu diſſolutionis in quo vivunt, non ſunt ampliùs niſi ſemihomines, & videtur Deus retinuiſſe in cœlo portionem illorum ſpiritualem, cùm non ſint ij niſi corporei, ita delicijs ſenſuum & corporis criminoſis dediti, ut dicat Deus, *Pœnitet me feciſſe eos* t. Sed iſtud malum non eſt abſque remedio: ſicut enim in mari ſunt origines aquæ dulcis; ſic in infortunio noſtro invenîmus auxilium.

s Ficinus de Immortalitat. Animor. lib. 10. c. 2.

t Gen. 6. 5. & 7.

II. Pars

Eccleſia ſancta proponit nobis cineres, qui faciunt nos meminiſſe, quod deferimus ſpiritum immortalem in corpore caduco & corruptibili, *Memento homo*, &c. Ideò imponuntur nobis ſuper loco, in quo mens reſidet, quod innuit memoriam mortis ſecum trahere occaſionem felicitatis noſtræ, cùm ipſa ſit frænum deordinationibus noſtris coërcendis, *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis* u. E tumulo eruimus vitam, & cogitatio mortis inſervit nobis ut perveniamus ad fortunatæ æternitatis beatitudinem. Si Adam perfectam egit pœnitentiam, illi vacavit intuitu cædis à morte patratæ, quæ cùm ſuam feciſſet prædam Abel, quem *Cain interfecit* x fratricidio quod terram cruentavit, hoc ſpectaculo ſævitiæ Protoplaſtum noſtrum reverti fecit ad ſe, agnoſcere crimen ſuam, illius pœnitere, cogitare de morte, cùm ipſamet mors ipſum edocuiſſet officium, cui ipſe vacare deberet exercita jam in perſona filij ipſius Abelis. Sic nihil eſt eloquentius morte, & pro certo teneo, quòd ſi aliquando tantiſper ſuper eam nos reflecteremus, viveremus more Sanctorum, & noſtris limites imponeremus diſſolutionibus; caput mortui majores fructus produceret in nobis, quàm afferrent eloquentiſſimi Concionatores, & è tumulo ac domicilio mortis, vitam educeremus.

u Eccli. 7. 40.

x Gen. 4. 8.

Hoc eſt conſilium Eccleſiæ Sponſæ Jeſu Chriſti, *quam acquiſivit Sanguine ſuo* y: & Matris noſtræ, *Quia membra ſumus corporis eius* z: id eſt, ejuſdem Eccleſiæ, quæ divinitùs inſpirata à *Spiritu ſancto*, quo *inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* a: dicit ſingulis nobis in ſpecie, *Memento homo*, &c. Et incipere inde nos facit Quadrageſimam, unde natura incipere nos fecit eſſe noſtrum, & quà mors terminare nos facit vanitates noſtras, & jure merito, cùm meliùs humiliari non poſſit homo, quàm ſi repræſentetur ipſi principium ſuum, & finis ſuus, ut inducatur ad pœnitentiam. Cinis eſt excellentiſſimum remedium curandis omnibus vitijs accommodum, agger validiſſimus adverſùs omnes tentationes, quibus impetimur in hac vitâ, quæ *militia eſt ſuper terram* b. Eſtne homo inſanus ſuperbia? Cinis eum humiliat. Ardetne amore profano? Fateor illum eſſe ignem, *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans* c. Sed ignis non comburit cineres. Inſequiturne eum avaritia? Super cineribus hirudines ſeu ſanguiſugæ quæque aridiſſimæ diſcinduntur. Eſtne inflammatus vindictâ? Exiguus pulvis ſufficit ad ſiſtendos omnes ipſius impetus, quandiu ardentiſſimâ ipſe efferuet irâ. Omnia cedunt rei ſicexili, quia Deus utitur objecto infirmitatis noſtræ ut inſtrumento fortitudinis ſuæ.

y Act. 20. 28.

z Ephes. 5. 30.

a 2. Petr. 1. 21.

b Iob 7. 1.

c Iob 31. 12.

Referunt Naturales de capra fera, quòd eſuriens immodicè, ad venationem pergit, prædam inſequitur, ut famem, quâ abſumitur, compeſcat: propterea collocat ſe præ foramine antrorum & cavernarum, & exufflans ad ſe attrahit ſerpentes & colubros, quos promiſcuè & indiſcriminatim devorat, ut appetitum ſuum ſatiet inordinatum, æquè ac famu ſuæ ſatisfaciat: ſed confeſtim ac iſta devoravit animalia, deglutivit venenum mortiferum, quod corrumpit & inficit totum ipſius ſanguinem, & extinguens calorem ipſius naturalem, ſubitò ipſi vitam eripere parat: ſed illico hæc fera ſpem accipiens mutuam è deſperatione, projicit ſe in fontem, in quem ubi ſeſe pluries immerſit, ipſa ſibi impoſitam multam & pœnam ſuæ gulæ ſolvit præteritæ, & ſui appetitus inordinati; & inde exiens madida, & benè purgata, ſuas incipiens vires reſumere, currit per agros, diverſimodè comedens plantas & flores, quorum virtute formatur in ventre ejus quidam lapis pretioſus qui eſt venenum & antidotum, mors & vita iſtius animalis: agnoſcitis, Auditores, ex appetitu guloſi animalis iſtius inordinato ſtatum peccatoris tempore bacchanalium, cùm maledictos diſſolutionis dies iſtos tranſegit percurrendo vicos & compita diebus integris æquè ac noctibus, gyrando plateas larvatam præ ſe ferendo faciem, inſecutus eſt & aucupatus prædam, ut ſuis ſatisfaceret appetibus immoderatis, ſed quomodo? vultiſne illud ſcire? Hoc peregit exufflando præ foraminibus & cavernis inferorum, ut ad ſe traheret ſerpentes, viperas, & colubros tot peccatorum lethalium, quæ ipſe ſic turpiter perpetravit, & quibus animam ſuam inquinavit, mortem illi inferens hoc veneno, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* d. Sic eſt, Auditores: peccator mortuus eſt, niſi ſibi attendat, & niſi venenum ſuum evomat; de illo actum eſt, niſi recurrat ad cynoſuram ſalutis ſuæ, *ſi pœnitentiam non* e *egerit*, niſi è ſuis fluere faciat oculis fontes lachrymarum, & erumpere è corde ſuo ſuſpiria innumera in teſtimonium veræ converſionis ſuæ, petens à Deo humillimè ſuorum veniam peccatorum, eique dicens cum Davide f, *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam*

d Ezech. 18. 4. & 20.

e Luc. 13. 5.

f Pſ. 50. 1.

tuam

tuam. Sicut natura edocet capram feram remedium morbi ipſius curativum; ita ardenter ipſa concupiſcit conſervationem eſſe rei illius, quæ ipſam reddit commendabilem ob diverſitatem ſpecierum ſuarum: ita Spiritus ſanctus amans animarum noſtrarum, quas vult ſanctificare, edocet nos methodum earum convertendarum ex eo quod ait Propheta Joël g, Medicus iſte ſpiritualis, per quem, ſalutatem curandis infirmitatibus noſtris applicare volens idem Deus apparatum, conſulet nobis ut feriâ convertamur ad ſe pœnitentiâ, *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Ut exeamus è ſordibus noſtris, ut evomamus mediâ Confeſſione has viperas quæ nobis mortem inferunt, ut comedamus herbas & flores virtutum, cùm ex earum ſanctâ praxi formandus ſit in animabus noſtris Jeſus, lapis iſte pretioſus Divinitatis, quem ſatagebat formare S. Paulus in cordibus fidelium, *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* h. *Petra autem erat Chriſtus* i. Qui lapis erit mors peccati, & vita ſanctitatis. Homo igitur recedens à Deo, & lapſus in indignationem ejus propter ſuperbiam ſuam, eò quod non cognoverit ſe, audit ſibi poni præ oculis ab Eccleſiâ nihilum ſuum, ut humilitas per memoriam ſui eſſe aperiat ipſi januam ad hanc converſionem, quandiu hæc Eccleſia ipſi dicit, *Memento homo*, &c. Memoriam nobis renovat illa cineris: in principio enim Eccleſia erat ignis, *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una* k. Nunc non eſt ampliùs ipſa niſi cinis: quid enim erat aliud Eccleſia primitiva, niſi fornax charitatis? Fideles non erant niſi ut carbones accenſi: *Neque enim quiſquam egens erat inter illos* l. Hoc etiam fuit conſilium Filii Dei, cùm exivit *à Patre & in mundum* m venit. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* n? Spiritus ſanctus etiam deſcendit ſub formâ *ignis, ſeditque ſupra ſingulos* Apoſtolos. *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis* o. Qui inſtar ignis miſſi ſunt, quaſi toti accenſi, *Ignis à facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo* p. Juxta quod Lorinus q ait, *Interpretantur Nicephorus, Euthymius, Heſychius, & alij de igne Spiritus ſancti, qui à facie Dei, hoc eſt, à Chriſto, poſtquàm aſcendit, exarſerit in diſcipulis die Pentecoſtes, eoſque carbones ſuccenſos reddiderit, quando ille Spiritus deſcendit in linguis igneis.* Sed Chriſtiani non ſunt ampliùs niſi cinis, qui eſt ſola nota ignis qui præceſſit,

Nunc cinis eſt, ubi Troia fuit.

Aliàs fideles *erant perſeverantes in doctrinâ Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus* r, aliiſque hujuſmodi operibus bonis; vitam ducebant veluti Angelicam; & erant quaſi Nabuchodonoſoris Regis *ſtatua illa magna & ſtatura ſublimis: hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat* charitatis; nunc autem eſt *redacta quaſi in favillam* s. Nunquid non habemus anſam jure merito deflendæ infœlicitatis noſtræ? Non ſumus ampliùs ſimiles his primis Chriſtianis: non eſt ampliùs niſi ſeditio & bellum in nobis, & dicere poſſumus cum Jeremia præ lamentatione, *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea* t. *Egreſſus eſt à filiâ Sion omnis decor ejus* u. Nihil ampliùs ſupereſt in nobis boni, mutavimus aurum noſtrum in lutum, & ignem noſtrum in cinerem. Ideò adhæreamus conſilio ejuſdem Jeremiæ, *State ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ* x. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis* y. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* z. Ibi invenietis remedium malis veſtris, ſanitatem morbis veſtris, fortitudinem infirmitatibus veſtris, dulcedinem faſtidiis veſtris, & tandem vitam morti veſtræ.

g Ioël 2. 12.
h Galat. 4. 19.
i 1. Cor. 10. 4.
k Act. 4. 32.
l Act. 4. 34.
m Ioan. 16. 28.
n Luc. 12. 49.
o Act. 2. 3. &c.
p Pſ. 17. 9.
q Lorin. in Pſ. 17. 9.
r Act. 2. 42. &c.
s Dan. 2. 31. &c.
t Thren. 4. 2.
u Thren. 1. 6.
x Ier. 6. 16.
y 2. Cor. 8. 9.
z Coloſſ. 2. 3.

Duo invenio principia vitæ, Adamum, & Jeſum Chriſtum. Jeſus Chriſtus vadit ab immortalitate ad immortalitatem *in cœlum* a. Ex immortalitate ad mortem *in præſepio* b. Et è morte, cùm *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum, & inclinato capite tradidit ſpiritum* c, ad immortalitatem, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* d. Adamus eandem ſequitur viam. Ab immortalitate ad immortalitatem, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum* e. Ipſe, inquam, *qui ſolus habet immortalitatem* f. Ex immortalitate ad mortalitatem per lapſum ſuum cùm *de fructu comêdit* g vetito: quia dictum fuerat ei, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* h. Et è mortalitate ad immortalitatem per converſionem ſuam, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis: vitâ vivet, & non morietur* i. Nihil illû venire meliùs fecit deinceps ad pœnitentiam, ſi quod aliud peccatum commiſit poſt illam inobedientiam, quàm intuitus mortis Abelis filij ſui, quem *Cain interfecit* k. Quis enim non converteretur cogitans de morte, quam ſequi debet judicium, & judicium iſtud æterna fœlicitas, aut infœlicitas ſempiterna? *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis* l.

Deus vult convertere impium Regem obſtinatum in criminibus ſuis, ſolicitat eum internis inſpirationibus, & improperiis ſecretis! hæc tamen ſunt inutilia omnia: ulteriùs progreditur ad miracula. Ideò præcipit Moyſi ut pergat *ad Pharaonem* m, ut oſtendat ei quantùm deliquerit, & cognoſcere faciat illum delictum ſuum, niſi Divinæ velit gravitatem experiri Juſtitiæ. *Moyſes* à Deo petit aliquod inſigne miſſionis ſuæ. *Dixit ergo ad eum*, ut ſumeret virgam, quæ verteretur *in colubrum* n *coram Pharaone & ſervis eius, quæ verſa eſt in colubrum. Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos: proieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones. Induratumq; eſt cor Pharaonis. Dixit autem Dominus ad Moyſen, Ingravatum eſt cor Pharaonis. Dixit quoque Dominus ad Moyſen, Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, ut vertantur in ſanguinem. Feceruntque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus: & elevans virgam, percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis eius, quæ verſa eſt in ſanguinem. Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis: & induratum eſt cor Pharaonis* o. *Dixitque Dominus ad Moyſen, Loquere ad Aaron, Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ: & ſint ſciniphes in univerſâ terrâ Ægypti. Et extendit Aaron manum, virgam tenens; percuſſitque pulverem terræ, & facti ſunt ſciniphes. Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis ut educerent ſciniphes, & non potuerunt. Et dixerunt malefici ad Pharaonem, Digitus Dei eſt hic. Induratumque eſt cor Pharaonis* p. Deus convertere vult peccatorem obſtinatum in peccatis ſuis, alloquitur eum ad cor, tangit illum motibus ſacris & ſyndereſibus. Sed hæc ſunt inutilia: ideò veniendum eſt ad miracula. Sumit virgam, quam convertit *in colubrum.* Id eſt, permittit ut una è filiabus ejus abripiebatur morte; ut altera proſtitutione ſuâ notam dedecoris familiæ inurat; ut filius ipſius ſit obediens. Hoc illum tangit, ipſe ad ſe revertitur, de pœnitentia cogitat peragenda: ſed ecce *malefici*, id eſt mali conſiliarij, qui conantur ſuadere ei, quòd mors filiæ ſuæ venerit ex imperitia Medici, lapſus alterius ex incuria matris illius, & inſolentia filij ſui ex pravis conſortiis:

non

a Luc. 24. 51.
b Luc. 2. 7. & 6.
c Ioan. 19. 17. &c.
d Rom. 6. 9.
e Sap. 2. 23. ex Gen. 1. 27.
f 1. Timoth. 6. 16.
g Gen. 3. 6.
h Gen. 2. 17.
i Ezech. 18. 21.
k Gen. 4. 8.
l Eccli. 7. 40.
m Exod. 3. 10. &c.
n Exod. 7. 10. &c.
o Exod. 7. 10. &c.
p Exod. 8. 16. &c.

non videt cauſam iſtorum in Deo, qui ad ipſum mittit hæc infortunia: ideò *induratum eſt cor* illius. Deus ſua cauta præſtat miracula: vertit *aquā in ſanguinem.* Id eſt, aggreditur eum in propriâ perſonâ, morbis, jacturâ litium, &c. Diabolus ei nititur ſuggerere, quòd morbi ipſius proveniant ex pravo ſuo temperamento; quòd lites ipſi intententur ab inimicis ſuis, & quòd illarum jactura quam incurrit, orta ſit ex ignorantiâ Cauſidici, qui non ritè novit cauſam & negotia ipſius, *Et induratum eſt cor* ejus. Quid aget Deus? Percunt *pulverem, & ſciniphes* fiunt, qui ſtimulant hunc infortunatum, & inducunt eum ad dicendum, *Digitus Dei eſt hìc.* Illi autem ſciniphes ſunt peccata prætenta ipſius, quæ illum affligunt ſolâ vel memoriâ ſuâ, *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis* q! Anima mea cùm ſis immortalis, quære delicias æternas: tu es tota ſpiritualis, quære ſuavitates gratiæ, ut tibi aliquando detur gloria.

q Eccli 41 1.

FERIA V. POST CINERES.

Non inveni tantam fidem in Iſraël, Matth. 8. 10. &c.

DIes & nox certatim æmulantur adinvicem utra ex ipſis meliùs extollat gloriam Creationis ſui. Sol, iſtud quod *fecit Deus luminare maius, ut præeſſet diei* a, velum credit intentis ſuis feliciter ſatisfacere, emittendo radios quibus eſt coronatus, totus lumine glorioſus, quandiu nox ſolas denſas apparere facit tenebras & obſcuritates in atro ſilentio; & in hoc ſtatu tenebrarum & obſcuritatis manifeſtat meliùs gloriam ſui Artificis: nec unquam Sol meliùs ſuum obivit hoc officium, quàm in eclypſi totali luminum ſuorum, intuendam exhibens medio iſto velo & luctu tenebrarum quo ſe operuit, Divinitatem Dei morientis ſuper cruce, *Et obſcuratus eſt Sol* b. Chriſtianus verò Deo maiorem non poteſt darè gloriam, quàm caligine & eclypſi offundens lumina rationis ſuæ, & redigens *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* c, ut meliùs ſe ſubjiciat obſcuritatibus fidei, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* d. Si autem Virgo ſanctiſſima illum concepit, non priùs Mater ejus effecta eſt, quàm obumbraverit ipſam *virtus Altiſſimi* e. Et, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti* f. Quod factum eſt ſtatim poſt iſta verba, *Ave Maria.*

a Gen. 1. 20.
b Luc. 23. 45.
c 2 Cor. 10. 5.
d Hebr. 11. 1.
e Luc. 1. 35. &c.
f S. Aug. lib de S. Virginit. 03.

Etiamſi natura & gratia eumdem habeant Authorem, & productæ ſint in eodem ſinu, & ambæ tendant ad eundem finem, varias tamen ſequuntur vias. Natura vult cognoſcere, ut amet; nec unquam amat niſi id quod ipſa cognoſcit: amor in ea eſt filius cognitionis, *Nihil volitum niſi præcognitum.* Oportet ut intellectus velut Lucifer illuminet voluntatem, nec unquam fertur hæc affectu ad aliquod objectum, quod ipſa non cognoſcit. Iſtam diſcutite propoſitionem in triplici vitâ, in vita privata, in vita civili, & in vita philoſophica. In hoc triplici genere vitæ oportet primùm cognoſcere, ut ſcientes efficiamur. In vita privata priùs ſumus nobiſmetipſis quàm aliis; ut autem noſtris invigilemus commodis, oportet ut illa cognoſcamus, requiritur ut prudentia nos dirigat, & quaſi manu nos ducat, alioquin tot caſus ſuſtinebimus quot greſſus agemus, & cæco impetu incedentibus nobis ſuccedere non poſſunt conſilia noſtra ad deſiderium noſtrum. Homo fertur ſuper currum quatuor ſubvectum rotis, & currus iſte, æquè ac rotæ ipſius, ſcatent *oculis,* ſicut Ezechielis *rota. Spiritus enim vitæ erat in rotis* g. Ut meliùs detegantur pericula, quibus ſe deprehendit homo involutum in vita privata. Prudentia quaſi dux detegit. Temperantia refrænat inſolentiam paſſionum, eaſq; ſiſtit medios inter ipſarum impetus. Fortitudo efficit ut ipſe omnes vincat obices, qui opponuntur ſanctitati conſiliorum ipſius, univerſas ipſa calcat difficultates, & cuncta vitia conterit, ut meliùs accedat ad thronum virtutis; ſed ſemper præcedere debet cognitio, ne homo adeat extrema, quæ vitium ſecum invehunt. Tandem, Juſtitia decernit id omne quod eſt neceſſarium, & facit nos tenere in medio, in quo minus eſt periculi. Et hæ ſunt quatuor rotæ, quibus defertur homo in vita privata, quæ non ſunt aliæ niſi quatuor virtutes Cardinales. Si verò cognitio requiritur in vita privata, non eſt ea minùs neceſſaria in vita civili: quomodo enim fœliciter tot perfungi poterimus negotiis, ad quæ pertractanda bonum nos inducit publicum, ſi deſit nobis notitia, quâ felices illis præbeamus ſucceſſus? Quâ ratione extricabimus nos è tot difficultatibus, quæ cognoſci non poſſunt ſine lumine, & lumine notitiæ, quæ hujuſmodi negotia ad felicem debet finem perducere? Sed præcipuè cognitio neceſſaria eſt in vitâ philoſophicâ: nam quomodo inferri poſſent conſequentiæ, ſi ignorarentur principia quæ ſunt illarum fulcimenta? & ad quid tendunt, ſi placet, omnes iſtæ ſublimes ſpeculationes Philoſophorum, niſi ut meliùs cognoſcant, & illuminentur ſcientiâ, quam affectant addiſcere? Stoici ſemper fuerunt differentes à Peripateticis. Illi fœlicitatem hominis in tranquillitate paſſionum conſtituebant, ita ut nullis unquam cieretur contrariis affectibus. Iſti verò illius beatitudinem collocabant in certamine earundem affectionum. Nam *militia eſt vita hominis ſuper terram* h. Et, *Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certaverit* i, ajunt Job, & S. Paulus. Utrique inquirebant veritatem, quam volebant cognoſcere. Ita verum eſt quòd natura ut ſciat, vult cognoſcere, & nunquam amat aliquid quod priùs non cognoverit. Sed gratia è contrà credit, ut ſciat, & amat ut meliùs cognoſcat, *Si non credideretis, non permanebitis,* ait Iſaias k. Quæ verba LXX. ſic vertunt, *Niſi credideritis, non intelligetis.* Animam excæcat, ut eam reddat perſpicacem, ut ſe geſſit aliàs erga Saulum, *Subitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris? Surrexit autem Saulus de terrâ, apertiſque oculis nihil videbat* l. Claudit ipſa oculos, ut aperiat cor, quod ipſa elevat in cœlum. Videte quomodo Centurio noſter credat, nedum tamen cognoverit; *Tantùm dic verbo.* Elevat ſe in cognitionem Dei, etiamſi non videat niſi hominem. *Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël.* Ipſius fides facit ipſum credere id quod non cognoſcebat, eumque elevat ad cognitionem Dei quem non videbat. Et hæc ſunt duæ qualitates, quas Apoſtolus m attribuit fidei, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Quas videbimus in duplici parte diſcurſus iſtius. Primò, Ipſa nos facit credere, antequam cognoſcamus, *Argumentum non apparentium.* Secundò, Elevat

g Ezech 1, 18. &c.
h Iob 7, 1
i 2. Tim. 2. 5.
k Iſai. 7. 9.
l Act. 9. &c.
m Hebr. 11 1.
Diviſio.

Elevat ipſa nos ad res cœli, quas non videmus. *Sperandarum ſubſtantia rerum.*

l. Pars.

Tantam præ ſe ferunt noſtri ſenſus infidelitatem, ut credere non poſſimus teſtimonio illorum quin decipiamur; infideles ſunt in relationibus ſuis, & nihil habent certum in annunciationibus ſuis. Oculi qui ſunt nobiliſſimi, quippe qui ſitu elevatiſſimi, intuendum nobis exhibent totum corpus Solis in ſpeculo: ſi credatur ei, quod illi deponunt, aſtra firmamenti præ ſe majorem non ferunt ſplendorem, quàm habeat corpus candelæ: eſt igitur æquo animo velle decipi ac fidem præbere ſenſibus. Aſſerunt Poëtæ, quòd in inſulâ Sirenum eſt quædam rupes ſic elevata, & tantâ Majeſtate plena, ut, ſi quis ad eam præſumat accedere, temeritatis ſuæ confeſtim luat pœnas, quaſi tactus illius eam inhonoraret, ſtatim enim rupes illa ex ſe erumpere facit nubem, quæ tantum projicit pulverem, ut eum cæcitate percutiens, illum inducat ad recedendum longè ab ipſa: quandiu ſumus in hâc vitâ, in medio verſamur mari tempeſtatibus perculſi, præcipitijs circumcincti, continuis expoſiti periculis perpetiendi naufragij, ingentem habemus rupem ſimilem ei (de qua loquimur) ſitæ in inſulâ Sirenum, in qua Veritas ſuum conſtituit thronum; ſi æquo propriùs ad eam accedamus, tantos emittit ipſa radios ſplendoris ut ſufficiant ad offundendos nos caligine & cæcitate, & ad exigendam à nobis temeritatis noſtræ pœnã,

n Prov. 25. 27.

Qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimetur à gloriâ n. Eò non debemus inſolentiæ procedere ut ad eam æquo propiùs præſumamus accedere, & velimus illam tactibus noſtris profanare; expedit ut credamus eam ad hoc ut illam cognoſcamus: in hac vita præbendæ ſunt aures noſtræ veritati, ut illius fruitio conciliari poſſit oculis noſtris in altera vita, *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti* o. Et, *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniã videbimus eum ſicuti eſt* p. Sermo Dei autem proponitur nobis ſub certitudine infallibili revelationis Divinæ, nedum quæramus alias certitudines, niſi quia ipſe Deus dixit. Quod allego contra quoſdam qui ſe ſubtiles ventilant, ideòq; cenſurâ notare præſumunt auguſtiſſima quæque fidei noſtræ myſteria: quin imò ipſæ vel fœminæ ſuam non ambigunt in circulis de illis proferre ſententiam, quaſi verò mens illarum præ ſe ferret ſatis peritiæ & luminis ad pervadendam ſimplici ratiocinatione intimam myſteriorum noſtrorum intelligentiam. Debet unuſquiſque Chriſtianus credere, ut cognoſcat, & nemo poteſt eſſe fidelis ſi cognoſcat, nec ibi fides ampliùs habet locum, ubi ratio ſuam intendit conſtituere ſedem, *Eſt autem fides rerum argumentũ non apparentium. Id eſt ſupernaturalium veritatum, quæ per rationem comprehendi nequeunt, vel videri*, ſubdit Carthuſianus q. Deus nullos vult fideles qui ratiocinentur, dies mentis illorum eſt nimis breviatus, lumina eorum ad anguſtos redacta ſunt limites, cùm præ ſe ferant infirmitatem principij à quo producuntur: ipſe vult & requirit cor, quod poſſidere poteſt *omne bonum* r, quod *non habet finem* s. Ideò exigit humilitatem mentis, quandiu relinquit cordi libertatem agendi in tota ſua extenſione, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequiũ Chriſti* t.

o Rom. 10. 17.
p 1. Ioan. 3. 2.
q Dion. Carth. art. 31. in Hebr. 11. 1.
r Exod. 33. 19.
s Baruch. 3. 25.
t 2. Cor. 10. 5.

Obſervate autem quòd in triplici ſtatu neceſſariò eſt credendum antequàm ſciatur, nimirum in ſtatu ſcientiæ, politiæ, & religionis. In ſtatu ſcientiæ: ſi enim vellet quis ſemper ambigere de præmiſſis, nec illi credere unquam, ſic nec unquam aliquid ſciret, & ſub finem curſus Philoſophici dici poſſet Argumentator, & non Doctor; Sophiſta, & nõ Philoſophus. Credenda ſunt principia, quæ Magiſter poſuit; etiamſi noſtræ adverſentur menti, ea ſunt credenda, & nõ ſtatim cognoſcenda: & hæc eſt ratio propter quã mulieres ſunt quantùm ad maximam ipſarum partem ignaræ, & vix ex iis reperitur una docta: cùm enim omnia ſcire velint, nihil ſciunt; ſic mobilem habent mentem ut difficultates circa omnia inveniant, & cùm nullam rem credant; ideò omnia ignorant. Quòd ſi in ſtatu ſcientiæ priùs eſt credendum, quàm cognoſcendum, potiori ratione in ſtatu politiæ: niſi enim credamus, continuis agitabimur inquietudinibus, & res certiſſimæ nobis erunt incertæ: oportet igitur ut eas credamus, ad hoc ut illas ſciamus: alioquin enim non poſſumus illas meliùs ſcire. Pater ambiget utrùm filius ſuus ſit adulterinus, vel legitimus: quin imò & mater dubitabit an ipſe ſit idem quem ipſa peperit, aut alter ab obſtetrice ſuppoſitus. Videte periculum quod ſitum eſt in non credendo. Quomodo autẽ vir erit certus de fidelitate uxoris ſuæ, ſi nõ credat teſtimonio ejus? Et quomodo ſcietis, vos habere pulmonẽ, quẽ non videtis, niſi credatis? Si verò ad ſciendũ fides eſt neceſſaria in ſtatu ſcientiæ, & in ſtatu politiæ, quæ ſcientiã ſupponit; hæc eadem fides præcipuè requiritur in ſtatu religionis, quæ ſtabilit ſcientiam, & politiam. Credendum eſt, nedũ cognoſcatur id quod Deus nobis proponit in religione, cùm ipſe verbũ ſuum alligaverit, & jusjurandum præbuerit ad cautas præſtandas veritates ſuas, *Amen dico vobis, Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt* u. Quàm fœlices ſumus, eò quòd habeamus vadem fidei noſtræ Deum ipſum qui eã inſtituit: ſed infœlices, cùm non credamus in Deũ, niſi ut meliùs eum offendamus fide noſtrâ. Credimus in Deũ, & blaſphemamus adverſùs eũ, ita ut hæc fides non inſerviat nobis niſi ut criminoſiores nos reddat: oportet igitur ut credamus ad hoc ut ſciamus, fides autem ſola peritos nos reddit eorum quæ ſpectant religionem noſtrã, & magnitudinem myſteriorũ ejus. Anima noſtra eſt inſtar trunci, qui dividitur in tres ramos, in ſcientiã, opinionẽ, & fidem. Scientia eſt evidens, & infallibilis. Opinio eſt obſcura, & tremula. Fides autem, quæ eſt in medio collocata, participatq; è geminis extremis, habet certitudinẽ cũ ſcientiâ, & obſcuritatẽ cum opinione, ita ut ſit infallibilis & certiſſima in obſcuritate ſuâ; nec unquã doctiores ſumus in materiâ religionis, quàm cùm ſumus fideliores: oportet ut ſcientia & opinio cedant fidei; & ratio nihil videt ibi, ubi fides aliquãdo ſuũ collocavit thronum: ita certum eſt quòd in hâc vitâ priùs ſit credendum, quàm cognoſcẽdum, & fides noſtras præcedere debeat cognitiones, *Petrus & alius diſcipulus venerunt ad monumentũ. Currebant autẽ duo ſimul: & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentũ: nõ tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eũ, & introivit in monumentum.* Per illum *diſcipulũ quem amabat Ieſus* x, id eſt, Joañem intelligitur cognitio naturalis habita mediis luminibꝰ rationis: cùm enim agitur de rebus naturæ, ratio præcedit fidẽ, priùs eſt cognoſcendũ quàm credendũ, Joannes antecedit Petrũ, ratio denotata per Joañem præcedit: Joañes enim multas habuit cognitiones, & doctiſſimus fuit, quod indicant ipſius Evangeliũ, Epiſtolæ, & Apocalypſis, in quâ ipſemet ait de ſe, *Ego Ioannes particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ in Chriſto Ieſu, fui in inſulâ quæ appellatur Patmos, propter verbũ Dei, & teſtimonium Ieſu. Fui in ſpiritu in Dominicâ die, & audivi poſt me vocẽ magnã tanquã tubæ dicẽtis* y, &c. Sed cũ agitur de tenebris fidei, oportet Petrũ priorẽ ingredi in ſepulchrũ Divinorũ myſteriorũ: fides præcedit cognitionẽ: & Amans ſacra punitur ob ſuã incredulitate, ipſa priùs vult ſcire, quàm credat, & tangere Dominũ ſuum præſumit, qui apparet ipſi velut *Hortulanus. Dicit ei Ieſus, Maria. Converſa illa dicit ei, Rabboni (quod dicitur Magiſter.) Dicit ei Ieſus, Noli me tangere* z. Quaſi diceret ei, Magdalena, fides tua non eſt firma, cùm quærat fulcimentum cognitionis ſenſuum, præcipuè verò tactus, credere debes, ut cognoſcas. Credendum eſt igitur priùs, Auditores, quàm cognoſcendum, *Beati qui non viderunt, & crediderunt* a. *Eſt autem fides argumentum non apparentium* b.

u Matth. 24. 34. & 35.
x Ioan. 20. 2. &c.
y Apoc. 1. 9. 10. &c.
z Ioan. 20. 15 &c.
a Ioann. 20. 29.
b Hebr. 11. 1.

Fides habet ſecundum effectum, & claudens oculos, aperit cor, & illud elevat ad amorem cœleſtium, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum* c. Cor noſtrum eſt veluti bilanx: ratio poſita in unâ è duabus lancibus ſtateræ, illam deprimit; fides verò in altera lance collocata ſtateræ, eam elevat: ratio enim intuens res caducas, bona temporalia, in illa facit inclinari cor affectu, cùm ſola fides illud elevet ſuper res creatas, ut illud uniat Deo, *Fide purificans corda eorum* d, ait S. Petrus. S. Thomas e dicit; *Quòd impuritas uniuſcuiuſque rei conſiſtit in hoc, quòd rebus vilioribus immiſcetur. Non enim dicitur argentum eſſe impurum ex permiſtione auri, per quam melius redditur, ſed ex permiſtione plumbi, vel ſtanni.* Sic S. Petrus videtur velle dicere, ſi mentem ejus ritè valeam explicare, Miſtio quæ fit cordis cum rebus terrenis, reddit illud impurum, quia affectus terrenorum illud deprimit, cùm cor ſit ſuperius naturâ ſuâ omni re caducâ & creata; ideò vileſcit deprimendo ſe ad res iſtas inferiores: ſed nobilitatur unione quæ fit ipſius cum fide, quæ ipſum elevat è terra, totumque ipſum fert ad Deum ſuum, ipſumque ei ita unit ut nullum habeat ampliùs deſiderium & ardorem niſi propter eum, omnes ſuos conatus dirigit ad illum, & ipſum intuetur ut Sponſum ſuum, *Sponſabo te mihi in fide* f. Hæc anima nihil ampliùs diligit niſi Sponſum ſuum, ipſa eſt tota cœleſtis, tota Divina, & cogitationes ipſius non tendunt ampliùs niſi ad cœlum; ubi eſt Dilectus ipſius, *Dominus in cœlo ſedes eius.* g. Fides igitur, quæ eſt donum Dei, & qualitas infuſa animabus noſtris, eſt lucifer intellectus noſtri, ut illum dirigat ad cognitionem Dei, cujus ignorantia eſt origo & principium omnium malorum,

c Ibid. (margin: II. Pars)
d Act. 15. 9.
e S. Thom. 2. 2. q. 7. a. 2. in corp.
f Oſee 2. 20.
g Pſ. 10. 4.

Primæ ſcelerum cauſa mortalibus ægris,
Naturam neſcire Dei.

Fides elevat nos ſupra noſmetipſos ad Empyreum uſque, ut meliùs nos uniat Principio noſtro, quod eſt Deus, *Ego ſum Principium, dicit Dominus Deus.* h. Et homo ſine hac divina qualitate eſt *ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo* i, quo pervenitur ad Deum, & ſine quo acceſſus ad illum nobis omnino prohibetur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit* k. Sine fide verò fœlices iſtos operari non poſſumus acceſſus: Hæc eſt ſtella l fortunata, quâ cœlum gratificatur nobis, ut nobis ipſius iter oſtendat: ipſa eſt lingua quæ nos illuc vocat: re autem verâ ſi hodierna die *acceſſit ad* Jeſum Chriſtum *Centurio*, ideò quia Deus illuſtravit animam ejus, & internâ fidei luce illum illuminavit.

h Apoc. 1. 8.
i Prov. 23. 34.
k Hebr. 11. 6.
l Matth. 2. 2.

Fides eſt radius derivatus à lumine o gloriæ, emanatio lucis procedentis ab eo qui eſt *Sol Iuſtitia* p, quia credimus id, quod Sancti intuentur in cœlo, *Contemplatio quippe merces eſt fidei*, ait S. Auguſtinus q. Illi poſſident, & nos ſperamus: ipſi vident, nos autem credimus: & ipſa eſt eadem lux, ſed ipſa meliùs illuminat ſurſum, quàm deorſum, & ipſa eſt & procedit ab eâdem cauſâ æquè ab eodem principio; & dici poteſt de viatoribus & de comprehenſoribus id quod narratur de illis populis qui manent ſub polis, qui habent ſex menſes continuos diei, & totidem noctis poſt elapſos illos ſex, quòd per noctem ſuam tantas non habeant tenebras, ſed videant aliquem ſplendorem obſcurum Solis, qui gyrans circum polum, ipſos illuminet, licèt mediocriter, & tantiſper hoc eodem fruantur Sole, qui alios illuminat, & gloriari poſſint ſe illuminari ab eodem Sole: ſic in iſtâ vitâ viatores habent idem lumen, quod comprehenſores habent in cœlo, ſed non ita perfectè. S. Paulus r ait, quòd *eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* Id eſt, quod ipſa elevat nos ad credendas res cœli, quas non videmus. Sed ille qui melius videtur locutus de fide, eſt Propheta Iſaias s, cùm dixit, *Repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes.* Alij vertunt, *Fide Domini plena eſt terra, ſicut aqua mare operientes, vel operientis maris.* Vocamus enim mare terras illas quæ continent aquas; & ſicut aquæ, & mare operiunt terram, ita fides operit totum mundum, *Repleta eſt terra ut cognoſcat Dominum, ut aqua multa operiat mare*, vertit S. Auguſtinus t.

o Pſ. 15. 10.
p Malach. 4. 2.
q S. Aug. lib. .. de Trinit. c. 8.
r Hebr. 11. 1.
s Iſai. 11. 9.
t S. Aug. lib. de Unitat. Eccleſ. c. 7.

Mare tria habet, ſalſedinem ſuam, undas ſuas, & fluxum ſuum ac refluxum: fides habet etiam tria, naturam ſuam, operationes ſuas, & objectum ſuum. Salſedo maris obſtringit Philoſophos ad inquiſitionem ſui, fluctus ejus inducunt illos ad admirationem, & fluxus illius ac refluxus ad deſperationem. Quærunt igitur unde procedat hæc ſalſedo. Et reſpondent, eam provenire ex exhalationibus calidis & ſiccis, ex humiditate aquæ, & calore Solis qui aquam calefaciens, in eâ cauſat hanc ſalſedinem, ſicut ſalſugo, quæ ſapit acrimoniam, oritur in locis humidis, & infimis. Alij dicunt, Deum aquas maris ita creaviſſe, ut illas præſervaret à corruptione. Fluctus illius, montes hi fluidi, qui elevantur ad nubes uſque, & confeſtim deprimuntur uſque ad abyſſos, homines rapiunt in admirationem. Videntur iſti fluctus debere totum mundum immergere, & tamē exigua arena, quam digitus Dei collocavit in maris litore, retundit omnes illorum impetus, cùm hæc arena ſit limes ipſis præſcriptus, nedum illum audeant prætergredi, quaſi iſtud elementum aliquâ vigeret notitiâ ad obediendū ita exactè, *Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia. Et dixi, Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* u. Sed fluxus maris ac refluxus homines inducit ad deſperationem, ſicut Ariſtoteles dicitur præ deſperatione ſe projeciſſe in Euripum. *Fretum, id eſt, mare anguſtum, quod eſt inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eubœam inſulam, quod unius diei & noctis ſpatio recurrit eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis plena ſecum rapiat* x. Eò quòd hujuſmodi fluxum & refluxum recenſeatur ipſe comprehendere non potuiſſe. Aliqui dicunt, quòd iſte fluxus & refluxus procedat ex ſympathiâ, quam iſtæ aquæ habent cum illis *quæ ſuper cœlos ſunt* y. Et quòd, cùm illæ contendant uniri iſtis, nec poſſint eas continere, revertuntur in locum ſuum. Alij aſſerunt, quòd motus iſte fiat virtute attractivâ poli, ſicut magnes trahit ferrū, & ſuccinum paleā, & quòd polo aquas attrahente, & deinde eas continere non valēte, eædem aquæ redeant eò, unde exierant. Alij attribuunt hunc fluxū & refluxū virtuti centri. Sed videmus contrariū, quia ſi lapis inveniretur extra centrū ſuum, in illud pergeret magnâ velocitate, ſed ulteriùs nō progrederetur, ſiſtēs ibi, cùm centrū ſit in infimo terræ. Moderni ſentiūt, quòd aër cōdenſatus frigore recedit, & quòd aquæ ob contiguitatē ſequantur; & quòd rarefacto deinde aëre interventu caloris, ipſæ recedunt. Et hoc eſt quod inducit homines ad deſperationem.

u Iob 38. 10. 11.
x Calepin. in Diction. V. Euripus
y Pſ. 148. 4.

Hanc habet fides cum mari convenientiam, quæ Theologos inducit ad inquiſitionem naturæ ipſius: operationes ipſius illos cient admiratione: & objectū ipſius, quod eſt Deus, quò ipſa eos elevat, illos cōfuſione operit neſciētes quid de eo dicere. Theologos ipſa defert ad inquiſitionē naturæ ſuæ. Omnes de eâ dicunt mirabilia, & ex illis aliqui eam cæteris aliis videntur præferre virtutibus Theologicis: licèt enim S. Paulus dicat, *Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc; maior autem horum eſt charitas* z: Ipſe tamē dicit, *Eſt autē fides ſperandarū ſubſtantia rerū* a. Apoſtolus ait, fidem eſſe fundamentum quod defert totum ædificium ſpirituale; & ſicut ſine fundamento ædificium rueret, ita abſque fide ædificium ſalutis noſtræ collaberetur. Fides jacit fundamenta,

z 1. Cor. 13. 13.
a Hebr. 11. 1.

ſpes

ſpes elevat ædificium, & charitas illud perficit. Operationes fidei homines inducunt ad admirationem. Omnes curationes miraculoſæ attribuuntur fidei, *Omnia poſſibilia ſunt credenti* b. Ipſa eſt quæ ſanitatem impertitur puero Centurionis paralytico; & tanta eſt ut miretur ipſam vel ipſe Dei Filius, *Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Quoad objectum illius, quod eſt Deus, ipſos confuſione operit homines. Cognoſcimus quòd Deus *eſt* c. Quòd *Deus unus eſt* d. Id eſt, exiſtentiam eius, ſed non poſſumus eſſentiam illius cognoſcere. Quidquid de Deo dicimus, eum eſſe immenſum, infinitum, &c, iſtud omne eſt inferius Deo: linguæ noſtræ eum profanant, & meliùs de Deo loquimur ſilentio, quàm verbis. Imponendus eſt igitur digitus ori noſtro, cùm ſola fides quæ eſt fundamentum rerum quas ſperamus, ad cognitionem illius nos elevet.

b Marc. 9. 20.

c Exod. 3. 14

d Deut. 6. 4.

Et ſicut fides comparatur mari, quæritur utrùm mare majores nobis afferat utilitates, quàm jacturas. Pro eo, & contra ipſum militant ſententiæ. Illi qui loquuntur contra ipſum, dicunt quòd dãna illius majora ſint quàm eius commoda, cùm in eo tot ſint ſcopuli, tot ita perſæpè oriantur tẽpeſtates & procellæ, & tot eveniant naufragia, & & hominũ æquè ac mercium pretioſiſſimarum jacturæ. Alloquimini hunc mercatorem, qui omnia bona ſua in mari concluſa perdiderit, maledicet huic elemento, contra illud invehetur; & dicet ſe pœnitere ſeſe aliàs mari explicatis velis cõmiſiſſe, imitar illius Philoſophi quem pœnitebat triũ, nimirum, quòd die quâdam modicum tẽporis amiſiſſet, quòd ſecretum ſuum uxori ſuæ commiſiſſet, & quòd mari ſe expoſuiſſet, cùm per terrã aliter poſſet iter agere. Ii qui loquuntur in favorẽ eius, aſſerunt, quòd illud ſit nobis proficuum ob communicationẽ quã ipſum facit nobis aquarum ſuarũ, quæ noſtros irrigãt agros, nobis inſerviunt ad cõmercia, cùm eamus per mare, & per fluvios ad ultimas uſq; regiones orbis, & participemus ea, quæ ibi ſunt exquiſitiſſima. Pro fide, & contra fidẽ pugnant etiã opiniones. Aliqui dicunt, quòd ipſa ſit nobis damnoſa: nihil enim habemus pretioſius ratione, experientiã ſenſuũ, & libertate; & omnes iſtas prærogativas amittimus per fidem. Circa myſterium Trinitatis noſtrã amittimus rationẽ; dicimus enim quòd in Trinitate ſit una natura, & tres ſint perſonæ; quòd Pater eſt Deus, Filius etiã, pariterq; Spiritus ſanctus, *Quoniã tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cælo, Pater, Verbũ, & Spiritus ſanctus: & hi tres unũ ſunt* e. In Euchariſtiâ ſenſus noſtri decipiuntur: non videmus in eã niſi panem, tamen ibi nulla eſt ſubſtantia panis, ſed ſola accidentia panis ſunt ibi abſq; panis ſubſtantiã, & ſola ſubſtantia Corporis, & Sãguinis Jeſu Chriſti poſt hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum. Hic calix novũ Teſtamentum eſt in meo Sanguine* f. Per fidem perit libertas. Puella aliqua complacet ſibi in amicitiis, quo liberiùs indulget libertati: Fides ait illi, Jacturam animæ tuæ incurris, deſerenda ſũt hæc colloquia, &c. Alii aſſerunt quòd fides ſit nobis accommoda, quia ipſa nos reddit õnipotentes, & elevans nos ad res quæ ſunt ſupra nos, cõſtituit nos in eodem throno cũ Deo, ibiq; cõmunicamus imperio eius. Fidelis omnia poteſt. Videte quomodo Seraphicus Pater S. Franciſcus, & S. Gregorius Thaumaturgus, & alii innumeri poſſint univerſa interventu fidei. Non eſt quid quod nõ poſſit fidelis; imò verò plus poteſt quam Angeli & diaboli. Licèt enim dicatur de diabolo, *Non eſt ſuper terrã poteſtas quæ comparetur ei* g: nullum tamen poteſt diabolus inferre nocumẽtum interiori, nec me obſtringere ad malã actionem patrandam invitum: nihil poteſt ſuper cauſas univerſales; poteſt quidẽ aliquid applicando activa paſſivis, ſed non cùm diſpoſitiões ſunt corruptæ, ſicut in cæco, qui nullam habet diſpoſitionem ad recuperandũ viſum, quippe in quo *nervi optici, per quos ſpiritus viſivus defertur in pupillã* h, ſunt corrupti: velut in brachio paralytico, arenti, in quo nullæ ſunt ampliùs arteriæ ad deferendos ſpiritus vitales, nec ulli nervi ad traducendos ſpiritus animales. & ut in mortuo, *A privatione ad habitũ non datur regreſſus.* Sed fidelis qui fidẽ habet, poteſt univerſa, *Omnia poſſibilia ſunt credẽti* i. Quin imò umbra illius ſufficit ad impertiendam infirmis ſanitatem, ſi non poſſint ipſum ijdẽ infirmi tangere, ut fiebat in Eccleſiâ primitivâ, *Magis autem augebatur credentiũ in Domino multitudo virorum ac mulierũ: ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obũbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Ieruſalem, afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes* k. Cuncta poteſt quicumq; habet fidem. *Ioſue dicit, Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea & poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael* l. Unde oritur tanta poteſtas? Cùm inter ſponſum & ſponſam omnia ſint cõmunia, ſic, quia anima fidelis eſt Sponſa Dei, *Sponſabo te mihi in fide* m: communicat imperio eius, in eodem ſedet throno cum illo, cùm ſit elevata per fidem ad res quæ ſunt omnino ſupra ipſam.

e 1. Ioan. 5. 7.

f 1. Cor. 11. 24. & 25.

g Iob 41. 24.

h Calepin in Ordi. ſ. V. Opticus

i Marc. 9. 10.

k Act. 5. 14. &c.

l Ioſue 10. 12. &c.

m Oſee 2. 20.

Fides igitur facit nos credere res cœli quas non videmus; & ſanè eſt eſſe fideles ac illis fidem præbere. Eſtiſne tales, Auditores? Reſpondete, In quo cognoſcemus vos eſſe fideles. Nunquid in loco? Ha non video vos niſi in diverſoriis vino immerſos inter crateres! Eſtne hoc eſſe fideles? Quomodo cognoſcemus vos? Nonne verbo? Nequaquam, cùm poſſitis aliquid dicere, & aliud mente ſentire. Ha! porrigite mihi manum veſtram, & vobis prædicam bonam ſortem veſtram; judicare volo de vobis per voſmetipſos, per opera veſtra. Actiones veſtræ ſuntne actiones fidelium? quonam modo geſſiſtis vos hoc tempore bacchanalium? diſſolutiones veſtræ annon condemnant vos, & ſatis oſtendunt vos non ferre niſi ſolum nomen fidelium? Unde cognoſcemus adoleſcentes amaſios? an ex vultu? Nullo modo, cum inter eos inveniantur qui illum fucant. In quo cognoſcemus hanc mulierem eſſe fidelem? in veſtimentis? Heu! incedit illa pectore nudato præ exceſſu, qui diſſolutiſſimos quoſque facit erubeſcere. Eſtne hoc eſſe fidelem? Quomodo iſte modus incedendi eſt conformis gravitati Chriſtianiſſimæ? In verbis? in linguâ? Heu! non profert ipſa niſi impuritates & ſordes: & ſic nihil habet fidele, niſi nomen.

Iſtam præ ſe fert fides prærogativam, ut nos faciat Prophetas. Nihil eſt quod magis concupiſcant homines quàm ſcire futura; omnia conſulunt ut ſciant quid futu-

Digitized by Google

futurum ſit de ipſis, etiam Dei Filius dixerit, *Non eſt veſtrûm noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate.* n. Imò nec ipſam ambigunt conſu- n Act. 1.7. lere magiam. Pyromantiam quæ fit per ignem; ſed fides nos docet, quòd Apoſtolis, *cùm complerentur dies Pentecoſtes, apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis* o. o Act. 2. 1. &c. Aëromantiam quæ fit per aërem; ſed eadem fides inſtruit nos, quòd idem Spiritus ſanctus venit eodem tempore manifeſtandis conſilijs ſuis duntaxat idoneo ſub formâ venti (quem Philoſophi aliqui dicunt eſſe aërem excitatum) ſuper eoſdem Apoſtolos, *Et cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cœlo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes.* Hydromantiam quæ fit per aquam; ſed fides nos inſtituit, quòd p Ioan. 3. 5. ſola aqua Baptiſmatis lavet, *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei* p. Geomantiam quæ fit per terram; ſed fides edocet nos, quòd ſimus terra, & in terram reverſuri ſimus, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* q. q Gen. 3. 19. Catoptromantiam quæ fit ſpeculo: hæc eſt ſcientia veſtra, Dominæ meæ; ſed ſpeculum veſtrum debet eſſe lex Dei ubi cognoſcetis utrùm eam cuſtodieritis, num criminoſæ ſitis, aut fideles: ſi autem fideles, dicere poteritis Deo cum Pſalmiſtâ r, *Et lex tua* r Pſ. 118. 174. *meditatio mea eſt.* Necromantiam per evocationes umbrarum, & per diabolorum colloquia, unde Necromantici, quorum incantationibus mortui reſurgere, divinare, & interrogationibus ſatisfacere videntur, ſicut cùm *dixit Saül ſervis ſuis, Quærite mihi mulierem habentem pythonem. Et ait illi, Divina* s 1. Reg. 28. 7. & 8. *mihi in pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi* s. Et cùm *cecidit Ochozias per cancellos cœnaculi quod habebat in Samariâ, & ægrotavit: miſitque nuntios, dicens ad eos, Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate meâ hâc* t. Scitote t 4. Reg. 1. 2. autem, quòd ſi dæmones conſulatis, diſcedetis *in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius* u. u Matth. 25. 41. Si autem velitis ut prædicam vobis, quæ vobis eventura ſint. Ecce, Domini mei Judices, Cauſidici, Procuratores, Tabelliones, ſi defenditis cauſas viduarum, & orphanorum, ſi primæ copiæ ſacculares & inſtrumentariæ viſitatæ, ſunt chartæ pauperum, prædico vobis bonam ſortem, *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternum* x. E contrà verò ſi x S. Athan. in Symbo. ex Matth. 25. 46. ictu calami tot familias in egeſtatem redigitis, tot contractus fœneratorios peragitis, cauſas pauperû, qui nummos non habent aureos vobis dandos, negligitis, & ideò ſuſturamini, ecce fortuna veſtra, *Neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt* y. Domini y 1. Cor. 6. 10. mei prædico vobis futurum, Eſtiſne charitativi? Vobis aliquando Filius Dei *dicet, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* z, &c. Eſtiſne immiſericordes? Vobis *dicet,* z Matth. 25. 34. &c. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* a, &c. Adulteri, fornicatores, &c. *Neque adulteri, neque fornicarij,* &c. *Re-* a Matth. 25. 41. &c. *gnum Dei poſſidebunt* b. Declinate à malo, & bonum b 1. Cor. 6. 10. c facite. Hæc eſt bona ſors veſtra. c Pſ. 36. 27.

Invenio Chriſtianum eſſe criminoſiorem triplici genere perſonarum, quibuſcum illum comparare poſſumus, infideli, hæretico, & dæmonibus. Infidelis nullam habet legem quæ prohibeat ipſi vitium, quæque ipſum inducat ad virtutem; ſi peccat, hoc agit præ ignorantiâ: ſed Chriſtianus habet leges d quæ ipſi prohibent vitium ſub gravibus pœnis in- d Exod. 20. 3. &c. currendis, ipſique virtutem proponunt amplectendam ſub immodicis præmijs. Habemus legem omnino ſanctam, & nos vivimus ut profligati; legem penitus puram, & in impuritate volutamur: non ſufficit ut lex ſit ſancta: hoc enim oritur ex purâ liberalitate Dei qui nobis illam eſt impertitus; ſed virtus educi debet è bonitate vitæ noſtræ, & morum noſtrorum, quæ bonitas pendet à nobis. Vter eſt criminoſior, aut infidelis qui neſcit, & non cogitat ſe malefacere, quippe nullus habet ſcripturas, quæ ipſû doceant contrarium, nullum Prædicatorē qui ipſum corripiat: aut Chriſtianus qui ſcit ſe malefacere, ſe offendere, ſe damnari à Scripturis? Sanè Chriſtianus: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi* e. Ideò Chriſtiani civitatis N. condem- e Iacob. 4. 17. nabuntur ab infidelibus, *Viri Ninivitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſtâ, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ* f. *Et* f Matth. 12. 41. *crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore uſque ad minorem* g &c. Infideles pœnitentiæ vacant audientes g Ion. 3. 5. &c. vocem Prophetæ, & jejunio generali incumbunt: & Chriſtianis jugiter prædicatur, *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim Regnum cœlorum* h. Et h Matth. 3. 2. ipſi pœnitentiæ vacare renuunt, ſed è contrà luxui ſemper indulgent. Infideles jejunant, Chriſtiani verò diſſolutionibus oris & ventris diffluunt adhuc hoc tempore ſacro Quadrageſimæ, quo rationem ſuam vino immergunt præ ebrietate: ideò infideles ſententiam dicent contra Chriſtianos, cùm fideles criminoſiores ſint ipſis infidelibus, imò verò & & Hæreticis. Sed quomodo? nunquid non hæretici eadem habent Evangelia, & eoſdem Prophetas? Annon eidem Deo credunt? Obſervate, ſi placet, Auditores. Evangelium hæreticorum non eſt Evangelium Jeſu Chriſti, ſed evangelium Calvini: Calvinus illud fecit, malitioſè ab eo reſecuit, illique addidit quidquid voluit; illud eſt evangelium hominum: ſed Evangelium Chriſtianorum eſt ipſum Evangelium Jeſu Chriſti, Scriptura in totâ ſuâ puritate, ijdem Prophetæ ſine alteratione: ideò Chriſtiani qui agunt contra Evangelium, & Scripturam, graviùs peccant quàm hæretici, qui offendunt contra evangelium hominum, quandiu fideles agunt contra Teſtamentum Dei; ideò ſunt criminoſiores infidelibus, & hæreticis, cùm graviùs offendant, imò i Iacob. 2. 19. verò & ipſis dæmonibus.

Dicetis mihi ſinguli, quòd credatis. Ego autem reſpondeo vobis cùm S. Jacobo i, quòd vel ipſi diaboli credant etiam, atque tremore concutiantur, *Tu credis quoniam unus eſt Deus. Benefacis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.* Intereà quandiu inſolentes agitis, & ad ſacra noſtra Templa acceditis cum ſacrilegio, nec ad Eccleſias venitis niſi ut eas profanetis impuritatibus veſtris, annon criminoſiores eſtis dæmonibus? Nunquid non hodiernâ die Eccleſiæ ſunt deſtinata ad aſſignationes loca, ad quæ confluunt ob prava conſilia adoleſcentes amaſij veſtigiis inhærentes mulierum & puellarum? Scitiſne quomodo Patres vocent hujuſmodi genus hominum? *Canes venaticos.* Advertiſtiſne aliquando iſtam venationem? Ipſa eſt admirabilis. Canis intuetur leporem, illum inſequitur gradatim, lepus detegit aliquem agrum, in quo ſe ſecurum imaginatur, & ecce canis illum invadit, eumque prædam ſuam facit: amaſius iſte expectat donec hæc mulier, aut puella exeat domo ſuà, tunc illam gradatim ſequitur, ingreditur illa Eccleſiam ut aſylum ſacrum, rata ſe ibi tutam in loco ſecuritatis, & ecce canis ille illam impetit, & ex ea prædam ſuam facit. *Canes*

vena-

venaticæ ! Heu inſœlices,ſiccine domum Dei profanatis ſordibus veſtris ? acceduiſtne ad altaria ut illa inhonoretis ? *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Vos eſtis proculdubio ipſis criminoſiores dæmonibus.

Deus meus, reforma Chriſtianiſmum noſtrum, & cùm nobis priùs ſit credendum, quàm cognoſcendum, effice ut credamus id omne, quod à noſtris exigis obedientiis, ut ratio eclypſi offundatur in nobis, ut non ſequamur ampliùs niſi lumina fidei, quæ ſola nos facit peritos eorum quæ ſunt religionis, & ſacrorum myſteriorum illius: eleva nos à terrâ, ut feras nos ad cœlum, in quo cor noſtrum omnes ſuos collocare debet affectus, ita ut te diligat in hoc mundo, ut te cognoſcat & diligat in æternum in altero ſæculo.

FERIA VI. POST CINERES.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Matth. 5, 44.

ANnunciat nobis Deus pacem, & iſtam nobis facit dilectionis legem, ut aſcendere nos faciat ad hunc fœlicem ſtatum, ad quem natura non poteſt pervenire; neceſſarium eſt auxilium gratiæ ad faciendum hunc conatum, & ad ſiſtendum impetum paſſionum inordinatarum quæ illum impediunt. Natura ſequitur appetitus corporis, illudque defert eò, quò inclinationes eius ipſum attrahunt, nedum unquam contradicat ei, quod inſervire poteſt illius oblectamentis: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* a. Sed gratia ſubjicit hominem rationi, appetitus ejus refrænat depravatos, ſubmittit potentias illius, & præbet eis motus contrarios motibus naturæ; ipſa redigit *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* b. Id eſt, ut credat id quod non videt; nec reddit illum peritum niſi interventu propriæ ignorantiæ: ipſa inducit voluntatem ad amorem rerum, quæ ſunt objectum horroris ipſius; exigit ab ipſius obedientiâ dilectionem inimicorum, ſpoliat illam omni affectu malo, ut relinquat illi ſolam poteſtatem benefaciendi. Sic Verbum Divinum exivit *à Patre, & in mundum* c venit; & deſeruit in cœlo, ubi erat *Deus ultionum Dominus* d, quidquid præ ſe ferebat ipſum rigoris, ut non ampliùs aliquid haberet præter miſericordiam, eò uſque ut efflagitaverit vitam impertiendam ijs, qui ipſi vitam eripiebant, *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* e. Fœdus peregit cœli cum terrâ, Dei cum homine, *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus; qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* f. Et incœpit ſe offerre in ſacrificium in templo ſacri uteri ſanctiſſimæ Virginis, in quod *ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ* g inſigne ferens intravit, ſtatim poſt hæc verba Angeli, *Ave* h *Maria.*

a Gen. 8. 21.
b 2. Cor. 10, 5.
c Ioan. 16. 28.
d Pſ. 93. 1.
e Luc. 23. 34.
f 1. Timot. 2. 5. & 6.
g Pſ. 85. 5.
h Luc. 1. 28 & 38.

Etiamſi oſtium honoris ſit apertum omnibus indifferenter hominibus, qui ſe ingreſſu illius dignos exhibent; & virtus promiſcuè offerat coronas nobilibus & ignobilibus, cùm ipſa gratificetur ijs ſolis qui illa merentur, atque videamus quòd virtus ordinariè meliùs ſuſcipitur in caſis ruſticorum & hominum plebeiorum, quàm in palatia Magnatum, ubi non invenitur niſi rarò, & per quandam miraculi ſpeciem, cùm Magnates tantùm laborent ad expellendum à ſe vitium, quantùm pauperes ad illud inveniendum; & virtus inveniatur ſæpiùs ſub pannis vilibus quam ſub purpurà: continua fuit iſta lis inſtituta inter nobiles & ignobiles. Nobiles omnia tribuunt ſanguini, quandiu ignobiles de ſola gloriantur virtute, & ſua duntaxat producunt merita. Sanguis nobilis & ſanguis ignobilis, dicunt ignobiles, ſunt ejuſdem coloris, & vix poſſet judicium inter utrumque diſcernere: præterquàm quòd illud quod acquiritur medijs aliquibus glorioſis actionibus, eſt præferendum ſemper illi quod eſt naturale, cùm non concurrerit aliquid è nobis ad id quod ſuſcipimus à naturâ, & hoc ſit purum donum, quo gratificata nobis eſt iſta ſapiens mater; quandiu in ignobilibus attenduntur ſola merita, quæ ipſos evexerunt: ſic viſa ſunt aratra inſervuiſſe aliquibus loco graduum, per quos ſuper thronum aſcenderent.

Videte quomodo cœlum intendat oppugnare terram, & quomodo ignobiles induſtrios ſe exhibeant ad tuendam cauſam ſuam, etiamſi negari non poſſit, quòd ſanguis nobilis faciat Martes, & glorioſa ſemper inſpiret conſilia. Virtutes parentum noſtrorum hæreditamus, æquè ac eorum ſanguinem; & per eundem canalem ab illis ſuſcipimus qualitates ipſorum, æquè ac ipſorum ſubſtantiam; & filius ſemper intendit pervenire ad exercendum officium, quo functus eſt egregiè pater ſuus. Filij Regum non aſpirant niſi ad coronas, quandiu ignobiles omnes cogitationes ſuas ad exigua duntaxat dirigunt officia, quæ convenientiam habent cum depreſſione originis ipſorum. Romulus inter Romanos Regem agit; in medio paſtorum intuendum ſe exhibet ut Ducem exercitus, ibi acies ordinare videtur, nec ullam capeſſit requiem donec pedum ſuum paſtorale mutaverit in ſceptrum, & inſederit throno, quem prædeceſſores ipſius repleverant. Aſpiramus omnes ad hoc ut ſimus tantum, quantum patres noſtri: & filij Magiſtratuum intendunt ſedere ſuper ſedibus illorum, quandiu ignobiles ſolas volvunt in mente ſuâ cogitationes depreſſas & repentes.

Talis eſt contentio ambarum conditionum iſtarum, nobilium & ignobilium; & cùm intendam unire corda hominum, oportet ut conciliem iſtud diſſidium, ut ſciam uni è duabus aſſignanda ſit palma conditionibus iſtis, aut ſanguini, aut inſtitutioni. Pro comperto eſt nobilitatem magis communicare magnanimitati, & regimini, quandiu inſtitutio, quæ perficit id quod natura incepit duntaxat, eiſdem ultimam applicat manum. Ambabus igitur iſtis ſatisfacio conditionibus, eas uniendo: ſanguis enim ſine educatione eſt impetus, & rabies, inſtitutio verò ſine ſanguine eſt depreſſio; una ex iſtis conditionibus abſque alterâ eſt inutilis, & ambæ faciunt hominem commendabilem. Dei Filius qui in Evangelio noſtro vult inſtruere generoſum bellatorem ornatum omni eo quo indiget ut ſit ipſi gratus, inſignit eum duabus iſtis qualitatibus, quæ excellentiſſimos componunt homines, nimirum ſanguine, & inſtitutione, quæ faciunt Chriſtianos virtute, & Martes magnanimitate. Inſtituit eos lege ſuâ, *Erunt omnes docibiles Dei* i. Ecce educatio. Præbet illis nobilitatem, *Facti eſtis propè in Sanguine ejus* k. *Hoc eſt Deo per charitatem uniti eſtis per per pretioſi Sanguinis Chriſti effuſionem* l. Ecce Sanguis. Educatio, & ſanguis erunt gemina dicentus illius pars.

Deus qui *bonus* m *Pater noſter* n *eſt*, bonam præ-

i Ioan. 6. 45.
k Epheſ. 2. 13.
l Dion. Carth. art. 8 in Epheſ. 2. 13 Diviſio 1 Pars.
m Pſ 118. 68.
n Matth. 6. 9.

præbere nobis volens educationem, inſtituit nos pace, & poſtquàm illam publicari fecit in nativitate Filii ſui temporali, *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* o: vult ut eam ipſe annunciet toto tempore vitæ ſuæ, eamque prædicare ſuos edoceat diſcipulos, *In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite, Pax huic domui: & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra: ſin autem, ad vos revertetur* p. Et ut poſt reſurrectionem ſuam commendet eam iiſdem diſcipulis ſuis ut unam è graviſſimis rebus, quas ipſi & in eorum perſonâ fideles exercere debeant. *Pax vobis* q. Pax quæ eſt ceſſatio belli, pax quæ debet eſſe character legitimæ magnanimitatis ipſorum; & una è ſenſibiliſſimis notis generoſitatis ipſorum erit, ſi patientiam præ ſe ferant in occaſionibus, in quibus minùs generoſi in invectivas loquelas irrumperent. Sic ait Salomon r, *Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* Qui impetitur, fortior eſt aggreſſore, quia ille qui aggreditur, credit ſe fortiorem eo, quem ipſe aggreditur; alioquin enim eum minimè aggrederetur, & magnæ adſcriberetur dementiæ inſurgere in fortiorem ſe: impetitus igitur, patientiâ ſuâ tantam conciliat ſibi gloriam, quantâ ſuffunditur aggreſſor confuſione, intuitus ſe victum à debiliori ſe, quem que ipſe talem imaginabatur. Proprium fortitudinis conſiſtit potiùs in ſuſtinendo, quàm in aggrediendo, ut docet S. Thomas s. Ex illis omnibus infertur, quòd plus ſit gloriæ, & fortitudinis, ac magnanimitatis quantùm ad illum qui ſuſtinet, quàm quoad eum qui aggreditur: ſic videmus homines, qui ad primum belli ſtrepitum, generoſos agunt, & Martes; ſed cùm agitur de ictibus ſuſcipiendis, deſpondent animum, quod eſt nota manifeſta puſillanimitatis illorum: cùm igitur Chriſtianiſmus obſtringat nos ad patiendum, tantùm abeſt ut reddat nos puſillanimos, quin è contrà edocet nos ut ſimus generoſi & magnanimi, & producamus actiones quæ nos exhibeant commendabiles coram hominibus, & memoriam noſtram celebrent ſeculis futuris, cùm præcipua pars fortitudinis ſita ſit potiùs in ſuſtinendo, quàm in aggrediendo, ut jam dictum eſt ſuprà; & ille qui magnam præ ſe fert patientiam inter rigentis fortunæ impetus adverſos, validior ſit bellatore quantùmvis generoſo; & ille qui impetitus, generoſior eo qui ipſum aggreditur.

o Luc. 2. 14.
p Luc. 10. 5. & 6.
q Luc. 24. 36.
r Prov. 16. 32.
s S. Thom. 2. 2. q. 123. art. 6. ad 1. citans Ariſt. 3 Eth. c. 8.

Lex mundi præcipit, ut, confeſtim ac quis ictum recipit, ictum rependat, in murmurationes erumpat, & ignem evomat ac flammas præ appetitu vindictæ de injuriâ ſibi illatâ capeſſendæ: ſed lex Dei nos docet ſilentium perpetuum, nec ad aliam nos obſtringit vindictam ſumendam præter patientiam. Hanc à longo tempore ſategit Deus nos edocere legem, & ſenſibiliſſimas lectiones ſuas ipſe peregit ſuper Calvariâ, *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius* u. Ibi nos dilectionis ſuæ fecit diſcipulos. Quin imò eandem nobis tradidit lectionem in lege x ſcriptâ, ſed non præ tantâ efficacia, quantâ in Lege gratiæ, *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum ſicut te ipſum. Ego Dominus. Leges meas cuſtodite.*

u 1. Pet. 2. 21.
x Levit. 19. 18. & 19.

Ideò conſiderare poſſumus hominem in triplici ſtatu, peccati, Legis ſcriptæ Moyſis, & Legis gratiæ Jeſu Chriſti: *Quia Lex per Moyſen data eſt, Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* y. In ſtatu peccati, homo erat in deordinatione paſſionum, derelictus pravis ſuis affectibus, ad rabiem proclivis: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* z. In Lege ſcriptâ Moyſis, Deus iram penitus non extinguit, non abolet omnino vindictam, ſed ei modum imponit duntaxat, *Animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges* a. Hæc erat lex talionis: ſuſceptâ alapâ, poterat tunc quis alapam impingere: ſic enim Judæi ad vindictam erant proclives, ut pro minimo verbulo viſcera hominis voluiſſent diſcindere; Deus huic iræ modum imponit lege talionis; illam omnino non deſtruit, ſed illam reſecat in Lege gratiæ, id eſt, in monte Calvariâ, præbens legem amoris, qui ad ipſos extenditur inimicos uſque, *Ego autem dico vobis.* Ipſe Deus eſt qui nos alloquitur, *Diligite inimicos veſtros.* Deus iſtam non condit legem ad renovandam animam, quia cùm anima ſit tota pura, non ingreditur compoſitiones frigoris & caloris, & in eſſe ejus omnia contraria inveniuntur unita; ſed ad accendendum in ea hunc ignem amoris, qui fuerat veluti extinctus; ad excitandas flammas, quibus cum cor humanum creatum fuit, cùm *Deus inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ* b. Ideò iſtam publicat amoris legem, *Diligite.* Intendit Chriſtus ut hoc verbo diſtinguantur diſcipuli ſui ab aliis, & quòd charitas ſit etiam inſtituta ob iſtam rationem, *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem* c. Conſtantinus Imperator volebat ut milites ſui agnoſcerentur ex ſigno Crucis, quod ſuper omnia illorum arma exarandum ſategit: ſed iſta ſola nota ſufficientem non conſtituit diſtinctionem inter turmas Filii Dei & turmas Satanæ; & iſtud nobis eſt inviſibile *Thau ſuper frontes* d Electorum ſignatum manu Angelorum. Si ſoli probatæ vitæ homines vitam ſuam medias inter tranſigerét afflictiones, Crux ſatis deſignaret eos qui pertinerent ad Jeſum Chriſtum; ſed cùm improbi patiantur, æquè ac Juſti, requiritur aliud ſignum quo cognoſcantur illi qui ad illum pertineant, *Ego autem dico vobis: Diligite.* Et tunc ſcietur quinam ſint. Dilectio eſt inſigne filiorum Dei, *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* S. Catharina Genuenſis vocabat diabolum creaturam deſtitutam amore, quia totum vellet mundum perdere, ſi per ipſum ſtaret, nec amat illos qui cuſtodiunt ipſi inviolatam fidelitatem. Deus è contrà vocatur à S. Paulo e *Deus dilectionis.* Quia *in charitate perpetuâ* f dilexit nos. Si è ſcriptura diſcipuli inferri poteſt à quonam Magiſtro literas formare didicerit; ſi diſcipuli Platonis agnoſcebantur ex modeſtia quam præ ſe ferebant; quis ambigit quin diſcipuli diaboli ſint tales propter odium quo ſuos proſequuntur inimicos; & diſcipuli Jeſu Chriſti diſcernantur per charitatem mutuam? Cùm homo patitur, ſicut David paſſus eſt Semei g, non eſt dubitandum quin ſit è domo Dei, cùm apud illum diſcamus illam patientem, quam *aquæ multæ non poterunt extinguere, charitatem* h.

y Ioan. 1. 17.
z Gen. 8. 21.
a Deut. 19. 21.
b Gen. 2. 7.
c Ioan. 13. 35.
d Ezech. 9. 4.
e 2. Cor. 13. 11.
f Ier. 31. 3.
g 2. Reg. 16. 11. & 12. & 13.
h Cant. 8. 7.

Deus alloquens populum ſuum ore Prophetæ ſui Iſaiæ i, ait illi, *Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet quaſi flumen pax tua.* Quid ſibi vult iſtud? quidnam vult nobis Deus innuere per illam fluvii comparationem? Hæc eſt differentia inter rupes arbores & fluvios, quòd cùm rupes & arbores impetitæ fuerunt ictu aliquo, & offenſæ, illius percuſſionis notas in ſe cuſtodiunt; videtis adhuc magnitudinem ictus ſecuris arbori inflicti, & foramina in rupe quæ ſunt veluti tot ora, quæ ipſæ habent aperta quaſi ad expetendam vindictam de injuriâ ſibi irrogatâ, quamdiu aquæ fluviorum, ſi ipſas percutiatis, ſua abſcondunt vulnera, & ſuper ea ſuas faciunt undas fluere, quaſi nulla ipſis eſſet injuria illata, tantùm abeſt ut querantur. Ha! popule meus, ait illi Deus, ſi ſolicitè & inviolatè cuſtodires hanc legem dilectionis, quam tibi præbui

i Iſai. 48. 18.

Digitized by Google

bui, tantùm abeſt ut quæreres vindictam inſtar rupium, & arborum, quin è contra pro comperto eſt, pacem tuam futuram ſimilem fluminibus, quæ ſibi inflicta abſcondunt vulnera in undis ſuis, ne teneantur de illis vindictam expetere, & ideò de illis non queruntur: atqui differentia quæ datur inter rupes & arbores à fluvijs, eadem admittitur inter homines manſuetos & inhumanos, qui non reſpirant niſi ſævitiam & cædem. Iracundi confeſtim vindictam expetunt, inimicis ſuis illico vitam vellent eripere, & illis eſſet in votis ut omnes cauſam ſuûpſorum amplecterentur propter ſatisfactionem ſuã: hi nunquam parcunt, quandiu mites patienter ſuſtinent, nedum aliquas promant querelas: atqui ſicut omnium paſſionum animæ noſtræ ira eſt violentiſſima; ita qui eam refrænat, & impetus ejus retundit, majorem præ ſe fert generoſitatem, *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium* k. Sed quomodo (dicetis mihi) flammas habere poterimus erga eos qui corda præ ſe ferunt glacida adverſus nos? quânam ratione diligere valebimus eos qui noſtram machinantur jacturam, quique fortunam ſuam ſuper ruinam noſtram ſtabilire quærunt? Diceminne quod in præcepto, quo mandat nobis Deus ut diligamus, ſit aliquis rigor? *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto* o? Abſit à vobis ſingulis, Auditores, hæc cogitatio? Deus reales abſcondit ſuavitates ſub rigoribus apparentibus: hi rigores ſunt figmenta picturæ: videte pictorem, quomodo pinget vobis is excidium alicujus civitatis, aut aliquod rude certamen: ibi videbitis fluvios ſanguinis qui tremitum vobis incutient; Ducem aliquem, qui aſcendit labefactionem lanceis & haſtis quaſi hirſutam, & tormentis bellicis circumcinctam, Martemque agit ad celebrandam magnanimitatem ſuam, nec aliquid timet ut ſe commendabilem exhibeat in tali occaſione, quandiu unuſquiſque tremore mortis concutitur. Non eſt hoc niſi pictura: forſan Dux iſte qui videtur ſic ardens in certamine, dormit, aut nunquam tractavit arma; nec aliter eſt rei militaris peritus niſi ex lecturâ librorum, tantùm abeſt ut ictibus ſuſcipiendis ſeſe expoſuerit: hoc eſt figmentum, non autem realitas: Deus facit picturam quantùm ad hoc præceptum de diligendis inimicis: in eo videmus rigores & difficultates apparentes duntaxat, *Fingis laborem in præcepto.* Sed dulcedines in illo ſunt reales. Sic eſt, Auditores; ſuavitas invenitur in adimpledo hoc præcepto dilectionis, & illud obſervare debemus, niſi velimus deprimere qualitatem hominis ad qualitatem beſtiarum, eumque comparare *jumentis inſipientibus* p. *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo*, ait Eccleſiaſtes q. Quin imò obſervate quòd vel ipſæ res inſenſibiles & inanimatæ hanc cuſtodiunt amoris legem, benefacientes eis, à quibus mala ſuſceperunt. Suos emittit Sol radios ad devinciendam ſibi terram influentijs ſuis quandiu ipſa ſuas ſurſum facit aſcendere exhalationes, quibus medijs lumina illius offundat caligne; & tantùm abeſt ut ipſe ceſſet illi benefacere, quin è contrà ſuos eoſdem colligit & roborat radios, eoſque ſuper eam majori effundit ardore. Mare, etiamſi in ipſum immittantur naves, & intimum ipſius ſinum pervadant tormenta bellica, non propterea queritur, quin è contrà ea omnia ſuſcipit, illa conſervat, nedum murmuret, ſuas abſcondit aperturas & plagas, quas ab iis ſuſcepit: & turbines iſti, flatus hi ventorum immodici formantur in aëre qui eſt regio tempeſtatum, nedum eos mare cauſaverit, cùm ab illis ipſum maximam perpetiatur agitationem. Nux, hæc arbor benefica, cui unuſquiſque bellum indicit, repetitis ipſam lapidum ictibus impetendo, ut ipſa ait per Poëtam.

k Prov. 16. 32.

o Pſ. 93. 20.

p Pſ. 48. 13. & 21.
q Eccl. 12. 13.

Nux ego juncta viæ, cùm ſim ſine crimine vitæ,
A populo ſaxis prætereunte petor:

quomodo ſolvit injurias ſibi irrogatas ſic ingenti lapidum grandine, & baculorum aut arundinum percuſſione? Non aliter ſanè quàm percuſſoribus ſuis ſuavem fructum ſuum exhibendo. Quæ cùm ita ſint, Auditores, ſinemuſne ut res inanimatæ & inſenſibiles edoceant nos munia noſtra, & accuſent nos vindictæ, poſt mandatum dilectionis, quod fecit nobis Deus? *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Si autem documentis illius morem gerere renuitis, audite ſaltem vocem Sanguinis ejus, alioquin egredimini è Chriſtianiſmo.

II. Pars.

Sapiens r loquens de Cruce quæ fuit inſtrumentum ſupplicij illius, & theatrum dolorum ejus, vocat illam *Benedictum lignum, per quod fit juſtitia*. Quomodo hoc? Auditores. Quânam ratione Crux fuit tribunal juſtitiæ? Nonne potiùs fuit illa thronus miſericordiæ? quippe in quâ *Deus Rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ* s. Unde Incognitus t ait, *Per ſalutem intellige Chriſti mortem, per quam liberati ſumus, quam operatus eſt in medio terræ. Nam, ut ait Beda, mons Calvariæ directè in medio terræ habitabilis eſſe dicitur, quia ideò ibi voluit Chriſtus pati, ut paſſionem ſuam omnibus offerret æqualiter.* Quare igitur Salomon vocat Crucem tribunal juſtitiæ? Obſervate, ſi placet, quòd juſtitia in hoc eſt ſita, ut reddat unicuique quod ſuum eſt: collocemus in unâ lance ſtateræ juſtitiæ Deum, in alterâ verò lance peccatorem. Quid credimus deberi peccatori? *Ignem æternum, ſupplicium æternum* u. Ecce id quod debetur ei. Sic eſt, peccator; ſi Deus in ſua vellet juſtitia, quoties inſurgis in Divinam ipſius majeſtatem peccando, mitteret te in infernum, ut ibi in æternum arderes. Deo autem quid debetur? Unaquæque res menſuratur ſecundùm naturam ſuam: natura Dei non eſt niſi *bonitas* x, *& miſericordia* y. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam* z. Et, *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere* a. Quid igitur debetur ei? Veniam dare, indulgentiam concedere, miſericordiam impertiri. Hoc eſt quod illi debetur, & quod ipſe agit in Cruce, quæ ideò jure merito vocatur à Salomone *Benedictum lignum, per quod fit juſtitia.* Deus moriens reddit Deo id, quod ipſi debetur, Deus juſtitiam facit ſibimetipſi: mons Calvaria eſt theatrum in quo redditur jus, & patibulum Crucis eſt ipſius tribunal, *Benedictum lignum, per quod fit juſtitia.* Deus reddit Deo id quod ipſi debetur, ibi Deus moriens pro ſuis orat perſecutoribus, nec ſuum inſumit Sanguinem niſi in illorum favorem: ſua brachia habet extenſa, non ut ſua vibret fulmina ſuper impia capita illorum, ſed ut illos amplectatur: ad nihilum puſſet eos redigere, ſi vellet; nec ſuam adhibet linguam, cui illi perſecutores *& milites acetum* offerebant, niſi ad impetrandam iiſdem veniam, *Jeſus autem dicebat; Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* b. Pergamus Chriſtiani ad Scholam iſtam dilectionis, diſcamus ab iſto Deo moriente benefacere illis à quibus mala ſuſcipimus: Jeſus Chriſtus nobis iſtius exercitij præbet exemplum, & mons Calvaria eſt theatrum manſuetudinis ejus. Ideò dico vobis ſingulis id, quod *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt* c.

r Sap. 14. 7.

s Pſ. 73. 12.
t Incognit. in Pſ. 73. 12. citans Bedam in lib. de Imagine.

u Matth. 25. 41. & 46.

x 4. Eſdr. 8. 14.
y Pſ. 24. 6.
z Sap. 11. 24.
a Eccleſia.

b Luc. 23. 34. &c.

c Exod. 25. 2. & 40.

Quæritur cur Dei Filius eligere voluerit hoc genus mortis ad redimendum mundum, cùm poſſet aliquo alio modo redemptionem illius operari. Quatuor obſervantur myſterioſa in Cruce, ſupremũ, infi-

infimum, & duo latera. Supremum intuetur Deum Patrem, cui reconciliat hominem, *Pacificans per ſanguinẽ Crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* d. Infimum eſt limbus, unde eduxit animas ſanctorũ Patrũ, *Ut diceres his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini* p. Latus dextrum eſt pro Juſtis & amicis illius. Et latus ſiniſtrum, in quod vergit cor, eſt pro inimicis ipſius: ideò cor ſuum eis offert, ut eos convincat & trahat ad ſe dilectione ſuâ; cor, in quod ipſe vulnus ſuſcepit, *Sed unus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua* q. Et ex hoc Sanguine egreſſa eſt Eccleſia, ut docet S. Auguſtinus r, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*. Hoc eſt, mediâ gratiâ, quam Spiritus ſanctus in fideles effudit, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* s. Ita ut ſimus filij pretioſi Sanguinis iſtius, per quem *Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis* t. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* u. Quomodo igitur ut filij non imitabimur Patrem noſtrum? cur non diligemus inimicos noſtros? cùm ipſe eos ita dilexerit, ut eos in latere cordis collocaverit. Iſtud ipſe debitum à noſtris exigit obedientiis, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt* x. Dilectio illius debet eſſe menſura charitatis noſtræ; & ſicut ipſe ſuos amavit inimicos, ita & nos amare debemus inimicos noſtros, ne injuriã irrogemus huic Sanguini, per quem *Deus regeneravit nos*: Huic Sanguini Filij Dei, *qui ſemetipſum exinanivit* y ad impetrandam nobis hanc veniam: Patri æterno qui nobis eam indulſit: Spiritui ſancto qui nos fecit filios Eccleſiæ gratiis ſuis, & meritis hujus Sanguinis adorandi, *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* z.

d Coloſſ. 1. 20. — p Iſai. 49. 9. — q Ioan. 19. 34. — r S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103. — s Rom. 5. 5. — t 1. Petr. 1. 3. — u Apoc. 1. 5. — x Luc. 6. 36. — y Philipp. 2. 6. & 7. — z 1. Cor. 6. 11.

Nunquam lego verba Protomartyris S. Stephani niſi præ timore: mox eſt lapidibus obruendus malitiâ perſecutorum ſuorum mortem ipſi machinantium, & tamen ad eos converſus, illis ait, *Viri fratres & patres audite* a. Sed quare S. Stephanus inimicos ſuos amans, nuncùpat eos nomine fratrum & patrum? Ratio iſtius eſt, quia memorabatur loci originis ſuæ, nimirum, quòd exiiſſet è latere Chriſti morientis, quod fuerat ſinus, in quo ipſe ſpiritualiter conceptus erat, & conſequenter omnium injuriarum, quæ ſibi tunc inferebantur, penitus obliviſcebatur. Ha! Auditores, pudeat nos quotieſcumque de vindictâ cogitamus capeſſendâ, reflectendo nos ſupra Sanguinem pretioſum, quem Deus effudit ad nos regenerandos, præ noſtræ mentis oculis ponendo locum nativitatis noſtræ, ut hoc intuitu & ad exemplum Patris noſtri ſiſtamus omnes impetus iræ, ut benefaciamus iis à quibus mala ſuſcepimus: quomodo enim egreſſi ex eo, qui eſt *Agnus Dei* b præ manſuetudine, audebimus vivere ut tigrides præ ſævitia, contemnentes *Teſtamenti novi Mediatorem Ieſum, & Sanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel* c?

a Act. 7. 2. &c. — b Ioan. 1. 29. — c Hebr. 12. 24. ex Gen 4. 10.

Sponſa conſiderans Sponſum ſuum ſub rigoribus Calvariæ, comparat eum racemo, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi* d. Non eſt aliquid ſpecioſius racemo cùm palmiti adhæret: viſu jucundus eſt; & cœlum laborat ad gratificandum ei influentiis ſuis, Sol blanditur illi radiis ſuis; ſed ſtatim ac è ſuo præciſus eſt palmite, areſcit, nec ſuos ipſi cœlum ampliùs communicat favores: at torculari ſuppoſitus, ibi intuendam ſuam exhibet virtutem, quam priùs tenebat abſconditam; inde videmus fluere hunc gratum liquorem, qui *lætificet cor hominis* e.

d Cant. 1. 13. — e Pſ. 103. 15.

Jeſus Chriſtus eſt pulcher iſte *Botrus*. Eumque conſiderare poſſumus in hoc triplici ſtatu, in vinea, extra vineam, & in torculari. In vinea conſiderari poteſt ſicut *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* f. Non eſt aliquid eo ſpecioſius. *Sol iuſtitiæ* g ei blanditur, *cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* h. Sed ſtatim ac exivit *à Patre, & in mundum* i venit, aruit *Vidimus eum, & non erat aſpectus* k. Sed ſi videamus hunc racemum ſuppoſitum torculari Crucis, *Torcular calcavi ſolus* l: ſtatim inde fluet liquor iſte, quo tanquam pretio infiniti valoris ſalvati ſumus, *Empti pretio magno* m. Pater æternus illum intuetur quaſi præ admiratione, & intuitu illius arma ſuæ deponit iracundiæ, & homines ſibi reconciliat videns *Sanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel* n. Vox illa dicitur melior aliâ, quæ longiùs protenditur, & meliùs ſe facit audiri: Scriptura o refert, vocem Abelis occîſi ferri à terra ad cœlum uſque, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ*, ait Deus Caino. Quomodo igitur dicere poteſt Apoſtolus præ veritate, quòd Sanguis Ieſu Chriſti potentior ſit ſanguine Abelis, quòd meliùs ſe faciat audiri? Sanguis Abelis ſe facit audiri à cœlo, ſuam defert ad cœlum uſque vocem, & Sanguis Jeſu Chriſti non ſe poteſt facere audiri à terra. Sanguis iſte nonne contentâ voce veniam inclamat & miſericordiam? Et tamen homines terræ vocem illius non audiunt. Intuitu Sanguinis iſtius, *petræ ſciſſæ ſunt* p, etiamſi ſint imagines ipſius inſenſibilitatis: lapides contriti ſunt ſuper monte Calvariâ, & hodierna die corda peccatorũ duriora ipſiſmet lapidibus & marmoribus manent inſenſibilia ad vocem Sanguinis iſtius. Heu! quàm exiguam habet iſte Sanguis poteſtatẽ, cùm ſe non faciat audiri à terra, ſuper quam ita liberaliter effunditur. Iracunde implacabilis reſponde mihi, obſecro te *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens, ex alto* q. Nunquid non Sanguis iſte tibi loquitur profundiſſimè ad cor? num te non ſolicitat, ſed potenter ad veniam inimicis tuis indulgendam? Unde ergo oritur ut Sanguis hic adorandus præ ſe ferens virtutem quæ *non habet finem* r, quique ſic potenter vocem ſuam magnificat, non audiatur niſi à tua obſtinatione & induratione, quæ ipſius omnes impedit effectus? Terra quaſi compaſſione mota intuitu ſanguinis Abelis, *aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem* s eundem in ſinum ſuum; & niſi cœlum cauſam Abelis amplexum eſſet adverſùs Cain, vix idem Cain fratricîda illius credi potuiſſet: *Sanguis* t iſte pretioſus Dei ſuſcipitur in pectus Chriſtiani qui communicat; & tamen inſenſibilis manet Chriſtianus iſte ad vocem ipſius, *Quia vocavi, & renuiſtis* u. Quomodo igitur credimus oraculo Apoſtoli? *Meliùs loquentem quàm Abel.* Sic eſt, Auditores, niſi certus eſſem de ſanctitate religionis meæ, vix crederem quòd Sanguis Chriſti morientis totum convertiſſet mundum, cùm videam eum convertere non poſſe unicam vel animam, quæ ipſum ſuſcipit in ſacra Cõmunione. Qui non poteſt majus, nõ poteſt minus, ecce quomodo argumentor. Si brachiũ meũ non poteſt centum libras è terra ſublevare, multò minus tollet ex ea ducentas: Sanguis Jeſu Chriſti lucrari non poteſt animam: quomodo igitur totum potuit mundum convertere? Heu! *Petræ ſciſſæ ſunt* x ad aſpectũ effuſionis illius Sanguinis pretioſi, nos verò manemus inſenſibiles. Sanguis iſte reconciliavit terrã cœlo, homines Deo, *Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eũ reconciliare omnia in ipſum, pacificãs per Sanguinẽ Crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* y. Et non poteſt nunc reconciliare hominẽ cum homine, propinquũ cum propinquo, patrem cum filio, uxorem cum viro ſuo. Væ nobis qui fovemus has diviſiones præ injuriâ

f Ioan. 1. 18. — g Malach. 4. 2. — h Hebr. 1. 3. — i Ioan. 16. 28. — k Iſai. 53. 2. — l Iſai. 63. 3. — m 1. Cor. 6. 20. — n Heb. 12. 24. — o Gen. 4. 10. — p Matth. 27. 51. — q Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 9. & 6. 12. — r Baruch. 3. 25. — s Gen. 4. 11. — t Ioan. 6. 57. — u Prov. 1. 24. — x Matth. 27. 51. — y Coloſſ. 1. 19. & 20.

quam adorando iſti irrogamus Sanguini. *Sanguine hircino adamas frangi dicitur. Sed heu Sanguine Chriſti cor tuum non frangitur!* exclamat S. Bonaventura z. Et ante illum S. Bernardus a, *O duri & obdurati Adam filij. quos non mollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris!* Corda adamantina, rupes animatæ, ecce pretioſus Sanguis *quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati* b, nunquid non contereminì ad tactum ejus? Sanguis iſte nonne ſenſibiles vos reddet, Auditores, quoad impendendam inimicis veſtris dilectionem? Sic eſt; oportet ut ſitis uniti proximis veſtris medio Sanguine Jeſu Chriſti, niſi notabilem velitis ei injuriam inferre, inſurgere in Patrem æternum, qui veſtrorum vobis impertiit indulgentiam ſcelerum per merita iſtius Sanguinis pretioſi; & offendere Spiritum ſanctum, qui fecit vos filios Eccleſiæ gratijs ſuis hauſtis è meritis illius infinitis, cùm odium, quo veſtros proſequimini inimicos, adverſetur incarnationi, in qua *Verbum caro factum eſt* c. Imò Trinitati, in qua *Tres unum ſunt* d. Dei filius ita ſibi complacet in unitate, ut animas noſtras creare voluerit *ad imaginem ſuam* e, ut eſſet quid unum nobiſcum, cùm non ſit aliquid magis unum quàm id quod eſt ſimile. Ipſe per incarnationem ſuam univit unione hypoſtatica duas naturas in eodem ſuppoſito; ſemetipſum fecit unum in utero Virginis ſanctiſſimæ Genitricis ſuæ, cùm mater & filius in hoc ſtatu ſint una & eadem res; omnes ipſe nos vult unire, ſicut ipſe Patrem ſuum rogat, dicens ei, *Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* f. Et maxima & adorabiliſſima ipſius myſteria ſub figura continentur unitatis ſymbolica. Pane *Corpus, Sanguis* g pretioſus calicis vino tanquam ſymbolis unitatis coaleſcunt: panis enim è plurimis granis frumenti unitis conficitur, ſicut vinum è multis acinis in unum congregatis effluit. *Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater, ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* h. Quod non eſt niſi unum, & cujus diviſio ipſum penitus deſtruit: ſi igitur ipſe Patrem ſuum orat, hanc ab eo deprecatur unitatem in gratiam noſtrî, *Quia membra ſumus corporis ejus* i. Ideò ait ei, *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: ut ſint unum ſicut & nos* k. Quanta unio! Vult ut in nobis ſit eadem voluntas, & iidem ſint affectus, propereà iiſdem nutrit nos alimentis, omnes nos in eadem continet domo, & in eâdem vivere facit nos ſpe conciliandi nobis paradiſi, cùm idem objectum nos omnes reddere debeat fœlices, *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint, mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionē mundi. Et ut dilectio quâ dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis* l. Illud eſt præceptum, quod ſuis dat Chriſtus diſcipulis, *Mandatum novū do vobis, Vt diligatis invicem: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem* m. Sed quale eſt illud præceptum? Non aliud ſanè niſi unionis quæ fit per dilectionem, *Vt diligatis invicem.* Converſio populorum, operatio miraculorum, & cætera hujuſmodi poſteriora ſunt tali mandato amoris, ipſa dilectio eſt nota fundamentalis, eſſentialis, & differentialis Chriſtianiſmi, ut dicebam vobis in priori parte poſt eundem Magiſtrum noſtrum, *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem* n. Quaſi diceret, Non poſſum meliùs cognoſci ut Deus, quàm per iſtam unionem, quæ cùm non ſit naturalis; oportet ut ipſa procedat à Deo, qui tantam præbet Diſcipulis ſuis gratiam ut illos ſic ſtrictè uniat: Hæc unio majorem dat meî notitiam quàm incarnatio mea, & miracula mea. Si ergo dilectio inſtituit & ſtabilit Chriſtianiſmum, ſi unitas eſt illius nota, eam cuſtodire debemus cum proximis noſtris, niſi injuriam inferre velimus incarnationi Verbi Divini, imò verò toti Sanctiſſimæ Trinitati. Hoc certum eſt, Vindictam exercere adverſùs proximum eſt injuriam irrogare toti Divinitati, quæ una eſt. Deus eſt unus, & non ſubſiſtit niſi in unitate, pluralitas eſt illius deſtructio, *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt* o. Ipſe unus eſt in natura ſua, & in operationibus ſuis tam internis, quàm externis. Quantùm ad internas, Pater æternus ſemetipſum cognoſcens, producit Filium ſuum, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te* p. Iſte Filius eſt idem cum Patre, ut ipſemet ait, *Ego & Pater unum ſumus* q. Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum, qui eſt idem Deus, eadem unitas naturæ, cùm procedat ab ipſis per viam unici principij voluntatis ipſorum; *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* r. Unus eſt etiam quantùm ad operationes externas, cùm illæ non tendant niſi ad unitatem, ad quietem quæ conſiſtit in fruitione ipſius: vindicta verò, ſeu odium hanc diſſolvere vult unitatem, & in eam introducere diviſionem; adverſatur Spiritui ſancto, cui dilectio attribuitur, *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus* s! Dilectio oppoſita diviſioni. Et licèt Spiritus ſanctus nihil producat in æternitate, producit tamen aliquid in tempore: unde enim oritur ut aliquando alienâ commoveamur miſeriâ, niſi quia Spiritus ſanctus hunc in nobis producit compaſſionis affectum? *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* t. Qui verò odit, impedit hunc effectum Spiritus ſancti, & reddit illum ſine operatione. Ha! *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei* u. Quid agemus igitur de iſtis iracundis? Conſtituemuſne eos in vita civili? Non. Excidium illius molirentur. Collocabimuſne illos in cœlo? Minimè. In eo deordinationem machinarentur. Quid faciemus de illis, quorum unuſquiſque *Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit* x; Chriſtianiſmi notas fregerit, in SS. Trinitatem inſurrexerit, & privaverit Spiritum ſanctum operationibus ipſi propriis? Collocandi eſſent in inferno, *ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat* y. Quia non habentes dilectionem, non complacent ſibi niſi in diviſione, *Qui non diligit, manet in morte* z. Heu! miſeri renuitis unionem, amatis diviſionem, *Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur* †. Unite vos inimicis veſtris mediâ dilectione, & Deus uniet vos ſibi in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam.

Marginal notes: z S. Bon. ſerm. 4. in Paraſc. — a S. Bern. ſerm. 2. de B. V. Mar. — b 1. Petr. 1, 19. — c Ioan. 1, 14. — d 1. Ioan. 5, 7. — e Gen. 1, 27. — f Ioan. 17, 22. — g Matth. 26. 26. & 28. — h Epheſ. 1. 17. &c. — i Epheſ. 5. 30. — k Ioan. 17. 11. — l Ioan. 17. 24 & 26. — m Ioan. 13. 14. — n Ioan. 13. 35. — o Deut. 6. 4. — p Pſ. 2. 7. — q Ioan. 10. 30. — r Ioan. 15. 26. — s Sap. 12. 1. — t Rom. 5. 5. — u Epheſ. 4. 30. — x Hebr. 10. 29. — y Iob 10. 22. — z 1. Ioan. 3. 14. — † Luc. 11. 17.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Cineres.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

TRiſte ſanè reſponſum reddidit Tobias ſenior Archangelo Raphaëli, qui ſe obtulit ipſi quaſi *iuvenem ſplendidum, ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum,* & ad exhibenda ipſi obſequia ſua. *Ingreſſus itaque ſalutavit eum, & dixit, Gaudium tibi ſit ſemper. Et ait Tobias, Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video? Cui ait Iuvenis, Forti animo eſto, in proximo eſt ut à Deo cureris* a. O mirabilis vis amoris boni patris! Venerandus iſte ſenex habebat Filium, qui perrecturus erat in civitatem Rages quæ ſatis illinc diſtabat, & non reſpondens Archan-

Marginal note: a Tob. 5. 1. &c.

Quæ eſt iſta quæ progreditur, pulchra ut Luna c? Sed quòd nunc patitur eclypſim *iuxta crucem Ieſu* d. Si dicis ei, *Dominus tecum* ipſa tibi reſpondebit id quod Gedeon reſpondit alteri Angelo, *Apparuit ei Angelus Domini, & ait, Dominus tecum, virorum fortiſſime. Dixitque ei Gedeon, Obſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia* e? Si dicis illi, *Benedicta tu in mulieribus*: ipſa reſpondebit tibi, quòd ipſa talem non poſſit habere benedictionem, cùm Filius ſuus ſit maledictus à cœlo & à terrâ, *Factus pro nobis maledictum: quia ſcriptũ eſt, Maledictus omnis qui pendet in ligno* f. Sic ut ſuavia verba tua aliàs habuerint aliquẽ locum, cùm ipſa cœpit tenere *in utero* ſuo Filium Dei, qui ipſã reddebat beatã inter omnes mulieres: ſed nunc cùm amiſit hunc Filium triſti diſceſſu, videtur ipſa dicere ei qui volet ipſam conſolari, *Nunquid poteris perducere Filium meum in Rages & cùm redieris, reſtituam tibi mercêdem tuam?* Sicut enim dolor meus non provenit niſi ex hoc funeſto diſceſſu; ſic nullo perfundi poſſum oblectamento niſi ab eo, qui mihi reſtituet eum ſanum ut unicum objectum omnium amorum meorum, & lumen oculorum meorum.

c Cant. 6. 9.
d Ioan. 19. 25.
e Iudic. 6. 12. & 13.
f Galat. 3. 13. ex Deut. 21. 23.

Nolite autem putare, Auditores, quòd Angelus iſte, qui procuravit aliàs tantum oblectamentum huic Sacræ Virgini, annuncians ei incarnationem ſic excellentis Filij peragendam *in utero* ipſius, amiſerit primam urbanitatem ſuam, & videns eam hodiernâ die ſic immodicè afflictam propter ſeparationem ejuſdem Filij, non petierit licentiam à Patre æterno exhibendi obſequium ſuum ita Sanctæ Dominæ ad tantam neceſſitatem redactæ; & pro comperto tenete, quòd eâdem familiaritate quâ *ingreſſus ad eam*, eſt illam allocutus in conclavi ipſius, quod nunc eſt ſanctum Sacellum Lauretanum, ait illi hodie: Ecce ego paratus, B. Virgo, ad exhibenda tibi quælibet obſequia pro poſſe meo; & cùm non exigas à me in teſtimonium amoris quo diligo Filium tuum, ſimul ac te, niſi ut illum comiter euntem & redeuntem, pro certo tene quòd *ego ducam, & reducam eum ad te.* Interim ſine ut aggrediatur hanc peregrinationem, quò obediat Patri ſuo, qui illam ei præcipit, eâdem reſignatione, quâ mihi reſpondiſti aliàs, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Si verò, Auditores, tanti æſtimatis honeſtatem iſtius Angeli, non minoris ducere debetis reſignationem B. Virginis; & tenere debetis pro certo, quòd ipſa conſenſum præbuit voluntati Patris æterni annuntiatæ ſibi ab Angelo, & conſilio quod Filius ipſius ſtatuerat, eadem promptitudine & humilitate ac propter incarnationem ejuſdem Filij. Sed quia cum qualitate humillimæ ancillæ Dei, & obedientiſſimæ mandatis eius, ipſa erat etiam Mater optima & amantiſſima, non poterat ipſa niſi compati doloribus, quibus impetendus erat Filius ipſius in peregrinatione ſuâ, quorum apprehenſione dicebat ipſa more matris Tobiæ, *Heu heu me fili mi*, &c! Quod inducit me ad adhærendum ſtrictùs ei; & quandiu Angelus iſte ibit, & redibit; comitabitur Filium & veniet conſolatum Matrem, & allatum ei nuntia de eodem Filio, noſtræ pietatis eſt, Auditores, ut immoremur præ contemplationibus noſtris prope iſtam ſanctam Dominam, & nos adhibeamus ei ſocios uſque ad reditum Filij ipſius, quod peragemus ſex iſtis primis diebus Veneris, vel Sabbathi Quadrageſimæ. Hodiernâ verò die videbimus quomodo ipſa jure merito dolebat de paſſione & morte Filij ſui, examinantes ſuccinctè præcipuas rationes, quæ poterant illi cauſare hanc triſtitiã, quæ totius diſcurſus iſtius conſtituent materiam.

Propoſitio

Vnum è potentiſſimis motivis, quæ excitare poterant in animâ Virginis ſanctiſſimæ acerrimum dolorem intuitu paſſionis & mortis Filij ipſius, erat ardentiſſimus amor quo illum proſequebatur, & quo ſemper erga eum fuerat affecta. Non latet nos, Auditores, quòd amor habet vim reddendi animas, æquè ac corpora ſic communia inter amicos, ut bona & mala unius percipiantur æqualiter ab altero, & quòd vera & ſolida amicitia obſtringit eos qui ipſâ ducuntur, ad abrenunciandum omnibus ſuis commodis privatis, ut amplectantur cauſam amicorum ſuorum, & communicent, quantùm poſſunt, malis & moleſtiis eorum. Re autem verâ didicimus à Calepino g poſt Ciceronem, quòd *Oreſtes amicum habuit Pyladem, perpetuum omnium ſuarum profectionum comitem, periculorumq; omnium ſocium, cum quo tam ſanctè amicitiam coluit, ut alter pro altero mori non recuſaret.* Et Hiſtoriæ recenſent, quòd Evadne, cùm didiciſſet quòd vir ſuus, *Capaneus Argivus, qui unâ cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, cùm ſcalas muris admovere vellet, à Thebanis lapidibus fuit obrutus*, ut ait idem Calepinus h, & quòd corpus illius projiceretur in lignile accenſum ut combureretur, juxta conſuetudinem Antiquorum, projecerit & ipſa ſeipſam in flammas, & mori voluerit cum illo, cujus ipſa poſſidebat cor, & participabat affectus. Amor parentum erga liberos eſt etiam violentior præfatis amoribus. Nonne ſcitis amorem quo Julia Agrippina proſequebatur filium ſuum Neronem, qui ſic violentus erat, ut cùm quidam Aſtrologus, quem ipſa conſuluerat ſuper ſortem aut fortunam filio ſuo eventuram, dixiſſet ipſi, quod filius ipſius infallibiliter perveniret ad imperium, ſed inſuper quòd ſic immanis futurus eſſet, ut mortem ipſi inferendam præciperet (ſicut re verâ hæc *tandem infinitis nobiliſſimorum virorum cædibus graſſata, immiſſis Neronis juſſu percuſſoribus, multis vulneribus confoſſa eſt, illud identidem clamitans, Feri ventrem, qui monſtrum tam ferum tulit*, ait idem Calepinus i) ipſa reſponderit; *Occidat, modo imperet.* Sed deſeramus hiſtorias profanas, ne qualitas paganorum quam illi poſſidebant, reddat eos indignos qui ſerviant exempli loco perſonæ iſti ita ſacræ: & ideò recurramus ad hiſtorias ſacras, æquè ac ad homines, qui verum Deum colebant. Nonne ſcitis quòd cùm *filiis & filiabus* Job *veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos* ejus; & quòd *tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua* k ad iſtud nuntiũ ſibi allatũ, præ dolore immodico, quo tunc correptus eſt? tantus eſt amor patris erga liberos ſuos. Nunquid non audiviſtis aliquando, quòd *Abſalõ erexerat ſibi, cùm adhuc viveret, titulũ qui eſt in valle-Regis? dixerat enim, Non habeo filiũ: & hoc erit monimentũ nominis mei* l. Iſtud egit Abſalom cùm ſtatuit perſequi patrẽ ſuum David m. Quaſi dixiſſet: Solus amor quo afficerer erga filiũ meũ, ſi quem haberẽ, ſuffeciſſet ad revocandũ è mente meâ conſiliũ quod mihi propoſui perſequendi patris mei, ne occaſione peccati mei ſuſciperet in ſe aliquam punitionẽ, ſed quia non habeo filium, non ambigo me periculis omnibus mortis exponere, dummodo moliri poſſim id quod aggreſſus ſum. Videte quomodo Abſalom filij ſui (ſi aliquem habuiſſet) cõmodum præferebat propriæ vitæ, cùm ſe libenter periculo mortis exponeret oppetendæ (ſicut & illam invênit) quod non auſus eſſet agere ob perſonã filij ſui (ſi quis ipſi fuiſſet filius.) Sed quis neſciat quòd amor erga liberos majorẽ habuit vim adverſus Pharaonẽ flectẽdũ

g Calepin. in Dictiõ. V. Oreſtes. citans Cic. de Amic.
h Idem Ibid. V. Capaneus.
i Idem Ibid. V. Agrippina.
k Iob 1. 18. &c.
l 2. Reg. 18. 18. &c.
m 2. Reg. 15. 10. &c.

quòd advertit quòd ille præ manibus ferret calicem qui ſignificat punitionem, aut afflictionem. TuncGabriel annunciavit ipſi, quòd ipſa eſſet futura Mater Dei, nuntium gratum quod præ ſe ferebat aliquid ſpecioſum & auguſtum intuitu ipſius: ſed verita ne hæc conceptio ſuæ obeſſet integritati, non eſt auſa ipſa ſuum præbere conſenſum huic Divino myſterio, donec Angelus ſuper illud ipſam plenè inſtituiſſet: hìc verò vidẽs quòd Angelus prædicebat Filio ſuo, quòd redempturus eſſet mundum, ipſa in eo ſibi complacebat, hoc enim officium erat glorioſum; ſed ipſa verebatur ne idem opus eſſet æquè laborioſum ac erat ſplẽdens & ſicut ipſa audivit quòd Angelus loqueretur ei de flagellis, & de morte, *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta loquela*: cogitavit ipſa intra ſe quidnam ſuper hoc eſſet actura; num ipſa conſentire deberet, quòd talis irrogaretur iniuria Filio ſuo, quem ipſa ſic tenerè diligebat: aut num deprecaretur ipſa Patrem æternum ut præciperet ut huiuſmodi recederet Angelus à Filio ſuo, ne eundem Filium ſuum magis urgeret, eò vel maximè quòd ipſa videret quòd Filius ſuus eſſet in aliquâ perplexitate, & ſudore jã ſanguineo perfuſus, *Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Vidiſſetis igitur hãc B. Virginem præliantem inter duos amores, qui ipſam tenebant in ſtaterâ æquali. Amor Filij ſui inducebat ipſam ad deſiderandam conſervationẽ vitæ eius; & amor ſalutis hominum perſuadebat ipſi ut voluntati Patris æterni obediret: amor Filij ſui efficiebat ut ipſa diceret, Non oportet ut Filius meus moriatur: eſt enim *ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* i. Et amor ſalutis hominum ſuggerebat ipſi id, quod *Caiphas cùm eſſet Pon-*
i Hebr. 7.26.
tifex anni illius, dixit, Expedit ut unus moriatur homo
k Ioan. 11. 49. & 50.
pro populo, & non tota gens pereat k. Amor Filij ſui dicebat, Quomodo potero videre pati & mori Filium meum? & amor ſalutis hominum dicebat ipſi, Quomodo potero reſpicere totum mundum perditum? amor Filij ſui deſiderabat ut ille quem ipſa ſic tenerè diligebat, nõ crucifigeretur: & amor ſalutis hominum concupiſcebat ut ſacrificaretur, quò per eum Pater æternus mitigeret *omnem iram*
l Pſ. 84. 4.
ſuam l. Et quandiu ipſa verſabatur inter has incertitudines, neſciebat ipſa adquid ſeipſam determinaret, donec ipſa videret quidnam ſtatuetet ſuper hoc Filius ſuus. Heu! ſtatim ac ipſa vidit, quòd ille præbuit conſenſum ſuum, ipſa quæ profitebatur unire æquè ſtrictè voluntatem ſuam voluntati Filij ſui, ac ambo erant uniti in eodem ſanguine, & in eâdem carne, *Et omnino tunc erat una Chriſti &*
m Arnold. Carnot. tract. de L... Deip.
Mariæ voluntas, ait Arnoldus Carnotenſis m, qui ait conſequenter, *Vna eſt Maria & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas: & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeveravit promiſſum & donũ*: ſine majori conſultatione præbuit conſenſum ſuũ tantâ prõptitudine & reſignatione quantâ tribuit eum primâ vice: & amor Filij ſui qui præliatus fuerat adverſùs amorem ſalutis hominum, ſe reddidit velut infirmiorem: non quòd Filius ipſius non mereretur magis diligi quàm omnes homines ſimul, & quòd re verâ ipſa non diligeret illum pluſquàm reliquum genus humanum: ſed quia amor quo ipſa afficiebatur erga genus humanum, invenit ſe adiutum & roboratum ab obedientiâ quam ipſa debebat voluntati Patris æterni, qui iſtud ſic decreverat, ipſa ſuis ſtatim abrenunciavit propriis commodis, ne diſpliceret Deo. Sed ſicut cùm duo tauri præliantur ſimul, ille qui victus eſt, non ceſſat mugire, & ſic oſtendere moleſtiam quam experitur, eò quòd intueatur ſe ſuperatum ab inimico ſuo: ita cùm iſti duo amores qui erãt in B. Virgine, generoſè dimicaſſent, unus in favorem ſui Filij, & alter in gratiam hominum, ſicut primus victus eſt à ſecundo, & coactus illi cedere locũ certaminis, non ceſſavit illam inducere ad effundendas lacrymas & lamentationes amore plenas, & compaſſione dignas, videndo quòd oporteret ut oblivi ſceretur ipſa commodorum Filij ſui, ut hominum redemptioni conſentiret, lacrymas, inquã & lamentationes, quæ nunquam ipſam deſervẽrunt. Ha! debuit ipſa dicere ab exitu orationis, quam Filius ſuus peregerat in horto: ſcio equidem quòd Filius meus eſt perfectè reſignatus ad voluntatem ſui Patris æterni, & firmiter ſtatuit non defendere ſe, ſi inimici ipſius veniant apprehenſum ipſum, aut ad intendendum ei proceſſum, aut ad illum repentè perimendum: ſed non me latet, quòd habet ipſe diſcipulus qui diligunt eum, quique ſunt illi obſtricti: hi non viderunt iſtum Angelum, & neſciunt utrùm Filius meus neceſſariò mori debeat, poſito decreto Patris eius, vel non, fortaſſe tuebuntur eum, vel ſaltem ei ſic propè ſe ſociabunt ut inimici eius auſuri non ſint illum apprehendere: non deſinet ipſe propterea ſibi vendicare meritum obedientiæ, quia jam determinatus eſt ad omnes eventus; ſed fidelitas diſcipulorũ ipſius, faciet ipſius vitam ſalvam Ipſa videt, quòd *ecce Iudas unus de duodecim venit* n, *& loculos habẽs, ea quæ mittebantur, portabat* o. Macta animo, ait
n Matth. 26.47.
ipſa ſibi, En unus qui vadit ei oblatum obſequium
o Ioan. 12.6.
ſuum, & exhibitum ei juſiurandum ſuũ fidelitatis, ſicut mox fecit Petrus, dicens illi, *Etſi omnes ſcanda-*
p Matth. 26.33.
lizati fuerint in te, ego nunquã ſcandalizabor p. Multi quidem æſtimabam hanc proteſtationẽ, licèt ipſe ſit ſenex qui plus habet magnanimitatis, quàm virium: ſed cùm videam Iudam qui eſt robuſtus, & præ manibus ſuis fert crumenam, ab eo majus auxilium ſpero: ſi enim vi brachiorum reſiſtere nõ poſſit illis qui apprehendere volent Filium meũ, offeret pecuniam ad ſolvendam eius redemptionem; & fortaſſis numeroſa pecunia ab ipſo erogata militibus iſtis ac juſtitiæ miniſtris, ſiſtet eorum furorem, & conſervabit hunc innocentem. Ha! B. Virgo, magnum deſiderium quo duceris, ut filius tuus evadat è manibus eorum qui quærunt illũ ad mortem, tibi non præbet otium perpendendæ ſalutationis Iudæ, ſicut aliàs examinaſti ſalutationẽ Angeli. Incipit ille orationem ſuam per unum *Ave*
q Matth. 26.49.
Rabbi q. Ipſa verò quæ gratũ habuiſti *Ave*, quod ad te tulit Archãgelus, putas quòd illud, *Ave*, pronuntiatum à quolibet, annunciet ſemper fœlicitatem & benedictionem: ha! iſtud verbũ nonquam bonum eſt niſi ex ore Angeli; nec unquam verum eſt niſi cùm profertur ab aliquo nuncio Dei, qui eſt Pater totius benedictionis r: ſed ſcito quòd
r Iacob. 1.17
cùm diabolus miſiſſet in cor, ut traderet eũ Iudas Simo-
ſ Ioan. 13.2.
nis Iſcariotes ſ, iſte venit nunc ut illum actu tradat in manus illorum qui non concupiſcunt niſi mortẽ
t Gen. 27. 19. & c.
illius. & ſicut cùm *Iacob acceſſit ad Patrem, palpato eo dixit Iſaac; Vox quidem, vox Iacob eſt, ſed manus manus ſunt Eſau* t: ſic attende quòd *vox quidem, vox Iacob eſt* iſta quam profert Iudas, ut habeat benedictionem Domini, æquè ac Patris ſui, dicens, *Ave Rabbi. Sed manus, manus ſunt Eſau* qui perſequitur fratrem ſuũ qui eſt innocens: *Oderat erga ſemper Eſau Iacob*. Proditor iſte non eſt vir probus niſi apparẽter, & ex tono vocis, ſed habet manus corruptas, & indutas pelle diaboli, ſicut Jacobi mater *Rebecca pelliculas hædorũ circundedit manibus* eius. Nedũ enim perfidus iſte pecuniã hanc exiguã quam habet, eroget ad redimendum Dominum ſuum; ècontrà intendit ipſe replere hanc crumenam denariis quos lucrabitur

Digitized by Google

crabitur ea eius venditione, *At illi conſtituerunt ei trigiuta argenteos* u. Et non obſtante iſtâ fraude non denegabit ei Filius tuus benedictionem ſuã, excipiens illum benignè, dicens illi, *Amice, ad quid veniſti* x?

u Math. 26.15. x Matth. 26.50.

Ha! Auditores, injuriam inferremus B. Virgini, æquè ac ſolicitudini quâ ſatagebat ipſius Filius ipſi revelare omnia myſteria noſtræ redemptionis, ſi putaremus quòd ipſa fuiſſet æquo promptior ad uſurpandam in bonam partem ſalutationem Judæ: ipſa ſciebat apprimè quòd *omnis homo mẽdax* y, & quòd non convenit ita facilè credere: ſed tantùm ipſa putavit fuiſſe ſatis, ſi intra ſe cogitaret quidnã poſſet illum inducere ad faciendam hãc ſalutationem illo modo proditorio, qualis eſt, *Ave Rabbi*: experiens interim in ſe aliquã perturbationem ex illâ, *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermõe eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Sed nõ licet illi multum ſuper illam philoſophari: *Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum: & tenuerunt eũ* a. Heu B. Virgo, ecce fructus iſtius ſalutationis diabolicæ, quam Iudas ei obtulit. *Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignũ, dicens, Quemcumq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum* a. Signum datum eſt, *Et oſculatus eſt eũ* b. Effectus inde ſecutus eſt: ſed ſcito B. Virgo, quòd Filius tuus hoc ita voluit: quemadmodum enim *ut dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum: & ceciderunt in terram* c: ita præcipitare poterat iſtos miniſtros juſtitiæ in profundum inferni: & ſi faciendo illos cadere, uſus eſt potẽtia ſua, & fecit illos experiri efficaciam verbi ſui; erigendo illos, eiſq; permittendo ut ipſum apprehenderent, fecit actũ ſervi, volens ut verbũ Iudæ eſſet efficax, quaſi diceret ei ad imitationem tuam, *Ecce ſerva Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

y Pſ. 115.11.

z Matth. 26.57. a Matth. 26.48. b Matth. 26.49. c Ioan. 18.6.

Hîc Auditores, B. Virgo vidit executionem illius quod Angelus annunciaverat ipſius Filio in horto; in hâc capturâ ipſi aperta eſt quàm parùm fidendum ſit amicis mundi, qui ſic exciperent illum. Quod autem auget dolores B. Virginis, eſt cognitio quam ipſa habet innocentiæ Filij ſui; eſt videre, quòd *diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt* d. Licèt ipſa benefeciſſet õnibus, univerſos ſibi devinxiſſet operibus ſuis miraculoſis, curatione infirmorum e, reſurrectione mortuorum, liberatione dæmoniacorum f, conſolatione afflictorũ, &c. Ipſa videbat quòd nationes omnes conſpiraverant adverſùs eum: Romæ Tyberius Imperator per miniſtrũ ſuum Pilatum, qui damnat eum ad flagella & ad crucem g: Jeroſolymis Rex Galilææ, *Sprevit autem illũ Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ* i. Et ibidem omnes Iudæi qui Pilato *clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum* k. Quod autem eam majori dolore angebat, erat videre Petrũ qui *negavit* l illum, & quòd *Iudas tradebat eum* m. Ipſa videbat quòd hæ injuriæ erãt eò majores, quò perſona, cui inſerebantur, erat excellentior: atqui ipſa ſciebat meliùs quàm omnes dignitatem perſonæ Filij ſui, & quantùm ad humanitatem ipſius, & quantùm ad ipſius Divinitatem: ipſa ſciebat igitur apprimè id omne quod ille perpetiebatur in corpore & in anima, & generalem illius cõmunicationem habebat ipſa in anima ſua: & ſi matres ſunt ſolicitæ de liberis ſuis, & currere ſatagunt ad eos, cùm iſti ictum aliquem ſuſceperũt, aut aliquo morbo ſunt correpti: cõſiderate, ſi poteſtis, dolorem, quo affici debuit B. Virgo non ſolùm intuitu vulnerum & dolorum Filij ſui, ſed etiam videre ſe impotentem ad exhibendum ei aliquod obſequiũ, ad afferendum aliquod remedium curãdis, aut ſaltem ſublevandis illius malis opportunum: *Magna conſolatio eſt matri, quando aſſiſtit filio morienti, & in aliquo poteſt ſubvẽire illi. Sed Virgo beata in nullo poterat ſubvenire Filio ſuo. Audiebat illũ ſitire* †, *nec poterat ei porrigere potum. Videbat corpus eius vulneribus laceratũ, nec poterat eius vulnera alligare, & aliquod remediũ adhibere. Cernebat corpus illius cruentatũ, nec poterat linteo abſtergere & providere. Conſiderabat ipſum malè tenere caput, & illud non poterat ſuſtentare. Conſpiciebat eũ in cruce flentem* n, *& lacrymas eius tergere non valebat. Proſpiciebat ſanguinem eius in terram fluentẽ, & illum recolligere non poterat. Contẽplabatur ipſũ animam expirantẽ, & illum non poterat oſculari & amplexari*, ait S. Anſelmus o. Nunquid autem non credetis, quòd hæc omnia augere poterãt afflictionem hujus bonæ Matris? Sanctiſſima Virgo, afflictio tua non poteſt exprimi: ſola conſideratio dolorum Filij tui erat pluſquàm ſufficiens ad vulnerandum cor tuum: nos enim qui non diligimus illum tantùm quantùm tu, & qui non ſumus matres ejus, & qui non vidimus hoc magnum ſpectaculũ, ea ſola mentione illius quæ nobis fit, omnino cõpaſſione movemur: ego autẽ exiſtimo quòd nemo ſit ex iis omnibus qui ſunt in hac concione, qui, ſi adfuiſſet, non inſumpſiſſet omnes vires ſuas, & univerſas induſtrias ſuas ad eripiendum eum è manibus carnificũ, & ad reſtituendum illum in priſtinam libertatem: non enim ſuſtinere poſſemus ut hæc omnia pateretur canis; potiori ratiõe homo, juſtus, Deus. Ha! *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus* p, qui compaſſione non afficietur intuitu tormẽtorum, quæ patitur Salvator meus; & conſideratione dolorum Matris ejus, quæ ea experitur omnia in corde ſuo. Compatiamur utrique, ſi cum utroque glorificari velimus. *Si compatimur, ut & conglorificemur* q.

d Matth. 26.56. e Matth. 4.23. &c. f Matth. 9.32. &c. g Ioan. 19. &c. i Luc. 23. 11. k Ioan. 19. 15.

l Matth. 26. 70. &c. m Ioan. 18.2.

† Ioan. 19.28. n Hebr. 5.7.

o S. Anſel. citat. à S. Bernardino ſerm. 2. de Gloria Nom. Mar. a. 3. c. 4.

p Iob 41.15.

q Rom. 8.17.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ

Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.1. &c.

CAll ditates ſunt per ſæpè utiliores ipſa fortitudine, & utplurimùm comparatur medis aſtutia id quod generoſitate nõ adeptus fuiſſet quis: hæc induſtria bellica ſæpè ſuccedit meliùs quàm generoſus animus: iſtis utitur hodierna die Dei Filius armis, & media vincit aſtutia id, quod potẽtia brachij ſui ſuperare noluit; dæmoni bellum indicit, cumq; propter iſtũ finem trahit ad ſolitudinem, & abſcondens ſuam naturam, cum eo præliatur ut homo, & ſic dæmon experitur ictus Divinitatis eius. Cùm creaturæ debeant eſſe conformes ideæ, ſecundùm quam fuerunt productæ, & Jeſus Chriſtus ſit prima illarum Idea, juxta quam Pater æternus ipſas in lucem edidit, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ* a: & ut ſic primus præliis fuerit expoſitus ſuſtinendis; debẽt ipſæ conſequenter continui certaminis exercitio incumbere, ut exhibitiones magnanimitatis & virtutis ſuæ præ ſe ferant, certæ ſibi non defuturum auxilium Divinum Spiritus ſancti, quod impenſum fuit Chriſto, ut ait Dionyſius Carthuſianus b, *Ductus eſt rationali ſuggeſtione atque internâ inſpiratione Ieſus in deſertum à Spiritu ſancto, qui Animam Chriſti induxit ad hoc, ut ingrederetur deſertũ propter rationabiles cauſas. Chriſtus quippe, ut homo, pleniſſimus fuit ſeptẽ donis Spiritus ſancti, quemadmodũ in Iſaia* c *legitur, Requieſcet ſuper eũ Spiritus Domini, &c. Sicut autem virtutes morales efficiunt hominẽ promptè mobilem à ratione, ut eius ſequatur iudicium: ſic dona Spiritus ſancti reddunt*

eum

a Hebr. 1.3.

b Dion. Carth. art. 7. in Matth. 4.1.

c Iſai. 11. 2.

eum faciliter mobilem à Spiritu ſancto. Idcircò *Chriſtus homo à Spiritu ſancto directus, ductus & motus eſt, ut introiret deſertum.* Et poſt allatas aliquas rationes, ob quas *Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo*, addit ad propoſitum quod aggredior, *Voluit quoque Chriſtus tentari, ut nos ad tentationes perferendas animaret, ut gratiam triumphandi nobis mereretur, ut tentatoris virtutem debilitaret, noſque à tentationibus liberaret. Aliam rationem tangit Apoſtolus* d. *Debuit, inquit, per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum. In quo enim paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt eis qui tentantur auxiliari* beneficio gratiæ ejuſdem Spiritus ſui ſancti, quâ replevit Matrem ſuam, cùm *Angelus ad eam dixit, Ave* e *Maria.*

d ex Hebr. 2.17.&18.

e Luc. 1. 28.

Propenſionem non impreſſit homini natura fortiorem, quàm erga quietem; nihil eſt quod ſuam non impendat operam ad conciliandam ſibi ejus fruitionem; & honor mundanus, cujus affectu tanto ducuntur homines, nullum alium ſibi proponit finem: omnes tumultus non tendunt niſi ad tranquillitatem, & bellum non indicitur, nec peragitur, niſi ut ex illo oriatur pax, quæ ejuſdem eſt belli filia. Non miror ſi tota natura continuis eſt expoſita certaminibus ineundis, ſi conclamationes ad arma ſunt illi ordinariæ, ſi inſultationes indeſinens de eâ capeſſunt experimentum ac exercitium, cùm Dei Filius in cœlo inſultationibus fuerit impetitus, & in terrâ ſit tentationibus obnoxius ſuſtinendis ad conciliandam ſibi pacem ex utroque certamine, ad quam comparandam ſibi anhelat eadem natura, prælius non intermiſſis propter hunc finem incumbens. In cœlo certamen init Dei Filius cum Lucifero, qui renuens ipſum adorare, ſuo dicebat *in corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum in profundum laci* f detractus eſt ab eodem Filio Dei, qui ex iſto prælio pacē adeptus eſt. In terra verò hodiernâ die congreditur cum eodem Lucifero in deſerto, *Ut tentaretur à diabolo. Et accedes tentator, dixit ei. Iſte tentator & dæmon ſertur fuiſſe Lucifer, quod Magiſter ſententiarum ſentire videtur. Hilarius quoque teſtatur, quòd fuerit dæmonum Princeps. Acceſſit autem ad Chriſtum in formâ viſibili & humanâ, & fortè in formâ hominis Religioſi, ut ſimulatâ ſanctitate circumdatus, citiùs ſalleret*, ait Dionyſius Carthuſianus g. Pater præliatur in cœlo pro Filio ſuo, & præcipit ut eidem Filio ſummæ exhibeantur adorationes, *Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei* h. Filius autem congreditur in terrâ cum eodem diabolo ad tuendam gloriam Patris ſui, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* i. Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus k, *In hoc apparuit Filius Dei, id eſt, ideò factus eſt homo, & venit in mundum, ut diſſolvat opera diaboli, id eſt, vitia tollat, ab operibus tenebrarum homines revocet, tentamenta diaboli auferat, peccatores ſecundum quòd tales diſſipet, id eſt, ſalubriter deſtruat, extinguendo in eis culpam, non naturam: ut jam de cætero non ſint tales, quales extiterunt, juxta illud Proverb.* l, *Verte impios, & non erunt.* In primo certamine, boni Angeli ampleſtuntur cauſam Principis ſui, *Et factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli eius præliantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius* m. Et ſecundo prælio interſunt iidem Angeli ad honorandum præſentiâ ſuâ Ducis ſui triumphum, *Tunc reliquit eum diabolus.* Id eſt, *Confuſus & victus recedens, nec aliquid certi de Chriſti perſonâ cognoſcens. Et ecce Angeli acceſſerunt motu repentino ad Ieſum in monte, & miniſtrabant ei, non quaſi inferiori aut indigenti, ſed ut Domino, cum humilitate & reverentiâ*, ait Dionyſius Carthuſianus n. Primum certamen terminatur per actum juſtitiæ, quo Dei Filius ſpiritus iſtos rebelles ad ignes damnat æternos, *Et non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt* o. Secundum verò per actum miſericordiæ, præbendo hominibus exemplum incipiendi, & perſeverandi in bello à vita humana inſeparabili, id eſt incumbendi pœnitentiæ, quia ipſe inter alias rationes, *ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo, ut pro noſtris peccatis in eremo pœnitentiam, id eſt, opera ſatisfactoria ageret*, ait Dionyſius Carthuſianus p. Non eſt igitur mirandum ſi inter perpetuas mundus verſatur conclamationes ad arma, cùm Dei Filius, qui eſt illius Idea, iis ſubjacuerit. Sed ſi Chriſtianiſmus non intermiſſo commoveatur bello, ſperare debemus fruituros nos pace quæ fructus illius eſt.

f Iſai. 14. 13. &c.

g Dion. Carth. art. 7. in Matt. 4.

h Hebr. 1. 6. ex Pſ. 96. 8.

i 1. Ioan. 3. 8.

k Dion. Carth art. 4 in 1. Ioã. 3. 8.

l Prov. 12. 7.

m Apoc. 12. 7.

n Dion. Carth art. 7. in Matt. 4. 11.

o Apoc. 12. 8. & 9.

p Dion. Carth art. 7 in Matt. 4. 1.

Omnes contrarietates in natura non tendunt niſi ad unionē, & omnia bella nonniſi ad pacem terminãtur. Hæc veritas patet in corporibus, inanimis, & in cordibus. In corporibus: Contrarietas quæ invenîtur in corporibus, eadem corpora in bono cuſtodit ſtatu. Bellum quod peragunt feræ, devorando alia animalia, paci inſervit ipſis conciliandæ, & earum quieſcit venter qui erat totius cauſa belli, cùm ipſæ habeant unde ipſi ventri fiat ſatis, & coërceatur impatientia ejuſdem ventris, qui repleri deſiderat, & cujus inanitas cauſata à fame, erat totius principium commotionis. Non potiuntur animi pace niſi poſt bellum; & diſputationes quæ non fiunt niſi ad agnoſcendam veritatem, ſecum ſemper invehunt quietem confeſtim ac animi quæſitâ fruuntur veritate. Quin imò ipſa corda non fruuntur tranquillitate niſi per conturbationem, quam mala cauſat in ipſis conſcientia, *Frequenter enim præoccupant peſſima, redarguente conſcientiâ. Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia* q. Synderesis bellum peccatoribus indicit, nec illos quiete frui ſinit, quin ſua purgaverint crimina ſanctitate Pœnitentiæ, quæ pacem introducit in animam, quæ ipſius vacat exercitio, *Secura mens quaſi juge convivium* r. Turbationem paſſionum ſequitur tranquillitas, cum modum imponit illis mortificatio: & ſi cœlum pace fruitum eſt, ideò quia in illo certamen initum eſt, *Factum eſt prælium in cœlo: & facta eſt ſalus* s. Quia pax eſt filia belli.

q Sap. 17. 10 & 11.

r Prov. 15. 15.

s Apoc. 12. 7. & 10.

Videri poteſt etiam veritas iſta in foro, in ſcholis ſcientiarum, & in Conciliis. In foro clamatio Cauſidicorum, diſceptatio Procuratorum non tendit niſi ad pacem, & ad compoſitionem Partium. Propterea Aſtræa juſtitiæ Præſes præ unâ manu ſtateram defert, quâ jus ſui uſcujuſque ad trutinam exigat & ponderet; & præ altera gladium, quo unicuique reddat quod ſuum eſt. Scientiæ non ſunt inſtitutæ niſi ad afferendam lucem animis, & ad largiendam illis requiem per notitiam veritatum, medio certamine linguarum, in quo mentes innocua miſcent prælia inter diſputationes. Sic *Pallas ſapientiæ Dea, quæ alio nomine dicitur Minerva, ex Iovis cerebro ſine matre progñata. quod ideò à Poetis fingitur, quia liberalibus artibus, & honeſtis diſciplinis creditur præſidere, quæ non ex invento humani ingenii, ſed ex inexhauſto ſapientiæ fonte creduntur dimanaſſe, ſolet ita pingi, ut haſtam*

mana

Digitized by Google

t Calepin. in Dictiõ. V. Pallas.

manuteneat, tamque veluti vibrare videatur t, & caſſide ſit armata, ut innuat, quòd bellum præcedat pacem. Et quare tot Concilia congregata niſi ad debellandas hæreſes, cùm Deus eximios naſci ſemper fecerit homines ad expugnandum infernum, & ſuppoſita illius? Omnia iſta bella ſecuta eſt pax, hæreſis autem ſic eſt proſtrata ut extremum videatur agonem agere: ſi verò Deus coronam nobis parat ut noſtrorum mercedem laborem, ſupponit illa certamen, quod ipſam præceſſer t, *Nam qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certaverit* u. Volo autem vobis oſtendere, quòd Spiritus Dei vocans nos ad certamen, ſuum nobis ſemper præbet auxilium, ut inde victores egrediamur.

u 2. Timot. 2.5.

Propoſitio x Exod. 3.14.

Deus eſt totus ſine homine, *Ego ſum qui ſum* x. *Id eſt, unus ſum, qui ab ſbeo eſſe ex me*, ſubdit Cornelius ſcribens in hunc locum. Homo nihil eſt ſine auxilio Dei dicentis, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* y. Nihil eſt quod non poſſit homo iſto fultus ſubſidiò Divino. Inſtrumenta quibus utitur Deus ad nos trahendos ad ſe, non ſunt alia niſi gratia, quam Theologi diſtinguunt in gratiam ſufficientem & in gratiam efficacem. Gratia ſufficiens habet poteſtatem, nedum tamen unquam habeat effectum; & in hoc differt à gratiâ efficaci, quam ſuus ſemper ſequitur effectus. Gratia ſufficiens aliquas in homine ſemper relinquit difficultates, quæ ipſam retinent inter veteres ipſius affectus, quæque eam efficiunt negligentem eò uſque ut nunquam integrè exequatur id, quod ipſa debet agere, ut in meliorem emendatoris vitæ ſeſe recipiat frugem: non producit ipſa niſi ardorem imperfectum inter plurimum lumen, & poſt præbitas intellectui illuſtrationes Divinas, quas ipſis etiam communicat Deus vel infidelibus viventibus inter errores idololatriæ, ſemetipſam vinci ſinit à malitiâ voluntatis, inſtar exhalationum illarum calidarum & ſiccarum, quæ jam jam accendendæ poſt emiſſa multa fulgura, quæ intuendam exhibuerunt diſpoſitionem, quam ipſæ habebant ad concipiendum ignem, ſubitò ſuffocantur à frigore, nubis ipſas circundantis. Sed gratia efficax affert calorem, quando largitur lucem & radius ejus ſemper urit, quantumvis glaciem inveniat in animâ, dum ad illam accedit.

y Ioan. 15.5.

Hæc igitur gratia ſuum ſemper habet effectum, voluntas conſentit ſuavitatibus ejus, quæ ipſam devinciunt ſibi dulciter, & ipſam compellunt amanter. Propterea Deus, quem nobis repræſentat Evangelicus *Paterfamilias, dixit ſervo ſuo, Compelle intrare, ut impleatur domus mea* z. Propter eandem rationem ait Sponſa ſacra Dilecto ſuo, *Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum* a. Deprecatur ſe trahendam, ne ea tractione ipſa ſibi complaceat, & deinde ipſa currit, & reddit hanc gratiam efficacem concurſu ſuo, quamdiu ſufficiens poteſtatem habet, nedum unquam ſuos ſortiatur effectus. Sponſus idem intuendam nobis exhibet differentiam duplicis iſtius gratiæ, cùm ait huic Sponſæ ſuæ, *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* reſpondet illa. Advertens, quòd aperire ſibi renueret Sponſa, *Dilectus miſit manum ſuam per foramen*, ut oſtium aperiret. Quod videns Sponſa, ſurrexit ipſa *ut Dilecto* b ſuo oſtium reſeraret. Inſtantia Sponſi eſt gratia præveniens & excitans; ſed Sponſa ſurgens reddit hanc gratiam efficacem concurſu ſuo. *Sed cur rogat, cùm Dominus ſit, & in cujuſque domum intrare poſſit etiam clauſis januis?* petit de Ponte c. Et ipſemet reſpondet, *Sed rogat, quia neminem cogit, nec invitum ad ſe trahit, ſed qui voluntate propriâ Deo cordis fores clauſit, liberâ voluntate aperire debet. Nam qui creavit te ſine te, ait S. Auguſtinus, non juſtificabit te ſine te. Scilicet, liberè volente & conſentiente. Hoc tamen eſt diſcrimen, quòd homo ſolâ ſuâ voluntate per peccatum claudit oſtium cordis Deo, at illa ſola nequit aperire, niſi à Dei gratiâ præveniatur, ut diffinitur in Tridentino. Hæc autem gratia excitans & præveniens omnibus offertur, ut pœnitere & converti poſſint, ſi velint ei conſentire, & ideò Apoſtolus inquit. Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. Non ait, Ne alicui deſit gratia Dei, nam gratia omnibus præſto adeſt, ſed, ne quis deſit gratiæ, quia nos pro noſtrâ libertate gratiam Dei repellere poſſumus, & vocanti non conſentire, ut in eodem Tridentino decretum eſt.*

z Luc. 14. 21. & 23.

a Cant. 1.3.

b Cant. 5. 2. &c.

c De Ponte lib. 1. In Cant. 1. exhort. 8. parag. 1. citans S. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſtol. c. 11. & Cõc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 5. & Hebr. 12.15.

Videte quomodo cùm *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem: & cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco; & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo: & cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris? dixit, Quis es, Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine quid me vis facere* d? Videte, inquam, quomodo cùm adhuc rabie percitus eſt adverſus Chriſtianos eliminandos, Deus proſternit illum, loquitur ei ad cor, eumque fortibus gratiis ſuis æquè ac ſuavibus conciliat ſibi. *Itaque durum eſt contra ſtimulum calcitrare, id eſt, potentiori reſiſtere: cui qui reſiſtit, nihil proficit. Et Chriſti Maieſtate cognitâ & expertâ, mox in verba perfectæ converſionis ac plenæ obedientiæ prorupit, dicendo, Domine quid me vis facere? Tanquam dicat: Tuum eſt imperare, meum parère*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus e. Hæc eſt gratia fortis, quam de Ponte f fuſè explicat ſuper parabolam ſuperiùs allatam, dum ait, *Dixit igitur Paterfamilias ſervo, Exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. Quid eſt introduc, niſi voca, & duc tecum, nec dimittas donec intrent in domum, ut guſtent cœnam meam? Quo peracto dicit iterùm, Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Quid eſt compelle, niſi non admittas excuſationem eorum, ſed vehementi vi impello, & fac ut ingrediantur domum meam? O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei* g! *Quàm terribilis eſt, & admirabilis in deferendo vel trahendo filios hominum. En tibi duplex mira efficaxque Dei vocatio, quæ gratia trahens dicitur, una quæ vocari poteſt gratia introducens, altera compellens; de quibus Sponſa ait, Trahe me. Et, Introduxit me Rex in cellaria ſua* h. *Exhibetur autem diverſis hominum generibus, prout eorum expoſtulat ingenium & conditio, ut ad Deum perveniant. Triplex eſt autem modus compellendi. Primus, per ſuperabundantè & extraordinariam illuſtrationem mentis, & impulſum vehementem voluntatis, quæ ita cor immutet, ut quâdam vi cœleſti ac Divinâ repellat omnem vim carnalem, terrenam & mundanam, quam à vitiis & paſſionibus, & à paſſione rerum temporalium patiebatur, incipiatque alacriter poſt Chriſtum currere. Hâc mira vi traxit ad ſe Chriſtus tres inſignes peccatores, ſcilicet, Magdalenam* i, *Matthæum* k, *& Saulum* l, *in quibus prædominabatur concupiſcentia carnis, divitiarum cupiditas, & ſuperbia*

d Act. 9. 1. &c.

e Dion. Carth. art. 9. in Act. 9. 5. & 6.

f De Pont. lib. 1 in Cant. 1. 3. exhort. 4. parag. 2. ex Luc. 14. 21. &c. & ex Matth. 22. 9.

g Rom. 11. 33.

h Cant. 2. 1. & 4.

i ex Luc. 7. 37. &c.

k ex Matth. 9. 9.

l ex Act. 9. 6. &c.

m 1. Ioan. 2, 16. *bia vitæ* m, *qui facillimè ruperunt hæc vincula per copioſam illis infuſam gratiam, quæ illos ad Chriſtum duxit, traxit, & intrare compulit.* Ha! cùm anima tracta & compulſa ſuaviter & fortiter à gratiâ, dicit Deo inſtar Sauli, *Domine quid me vis facere?* confeſtim reddit ipſa eandem gratiam efficacem concurſu voluntatis ſuæ unito cum eâdemmet gratiâ: Deus autem qui nobis ſuos offert favores, noſtræ relinquit libertati ut eos ſuſcipiamus, aut illos reſpuamus; omnibus nobis & ſingulis gratias impertitur, ſuum nobis impendit auxilium, ſuâ nobis intereſt præſentiâ in neceſſitate conſtitutis: ſicut autem noſtrum invadere diabolus conatur animum, tentans nos imaginatione, quæ tranſit ab animo ad cor, & à corde ad carnem; ita Deus noſtrum roborat eumdem animum, eique ſuis præſentem ſe exhibet luminibus.

n Pſ. 81. 1. David n loquens de Judicibus terræ, ait, *Deus ſtetit in Synagogâ Deorum; in medio autem deos dijudicat.* Si petatis quænam ſit iſta numinum congregatio, reſpondet vobis Lorinus o, quòd *nomen, Deorum, cuivis politico Magiſtratui, Principique* o Lorin. in Pſ. 81. 1. *tribui poßit.* Non quòd Judices, Magiſtratus, aut Principes ſint dii realiter & per naturam; ſed quoniam diſponunt de bonis noſtris, & vitæ noſtræ ſunt arbitri, cùm hæc omnia authoritati eorum ſubjaceant, eaque ipſi præ ſuis habeant manibus: Deus ergo invenitur *in medio* Magiſtratuum, Judicum, & Principum, ut inſpiret eis æquitatem, & confirmet illos quoad ea quæ officii ſunt ipſorum, ut nihil formident, oculos præ ſe ferant clauſos favori, proprio commodo, nihil intueantur præter jus, & agant præcisè præ virtute, non autem præ acceptatione perſonarum, & præ conſideratione & reſpectu Magnatum, propinquorum, amicorum, aut factioſorum. Judices debent eſſe æquè integri ac antiquus ille Senator, qui exoratus ab Imperatore Veſpaſiano ut ſententiam ferret in gratiam ipſius, reſpondit ei magnanimiter, ſe proceſſurum ſecundum jus. Cùmque denuò rogaretur per procuratorem ab eodem Imperatore, ut, niſi ipſi favere vellet quantùm ad petitionem ſuam, ſaltem non intereſſet Senatui eo die, quo eidem Senatui imperatoria proponenda eſſet ſupplicatio; exhibitæ ſibi hujuſmodi propoſitioni audax iſtud præbuit reſponſum, Meo deſtituat me Imperator officio, illo me privare poteſt, ſi velit, ſed quandiu eo inſtitutus ero, tandiu illo perfungar, ad quod ipſum me obſtringit agendum ſecundùm æquitatem. Eximium Magiſtratum, qui favorem non intuebatur, præ timore non agebat, nec propriis ullo modo invigilabat commodis! Domini mei Magiſtratus, & Judices attendite vobis, *Deus ſtetit in Synagogâ deorum, in medio autem deos dijudicat.* Cavete ne aliquid agatis contra jus & æquitatem, veriti nè è veſtris excidatis officiis, ſicut verebatur Pilatus, ne officium Præſidis amitteret, niſi Chriſtum, quem ipſe buccis concrepantibus innocentem & à crimine immunem ventilaverat, ad mortem crucis ignominioſam æquè ac doloroſam condemnaret, dicens, *Ego non invenio in eo cauſam. Iudæi autem clamabant, dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, tradidit* p Ioan. 19. 6. &c. *eis illum, ut crucifigeretur* p. Chriſtiani eſtis vos, luminibus gratiæ æquè ac fidei inſtructi eſtis à Deo, ut ritè veſtra obeatis munia: non minùs *Pilatus & ipſe jam pro ſuâ conſcientiâ Chriſtianus* erat, ait Tertullianus q. Qui ſubdit, *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper* q Tert. in Apolog. c. 21. *Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.* Sed iſti æquè ac ille propriæ vanæ gloriæ inhiantes, & ſuperbiâ ducti ac cupiditate imperandi & præſidendi, multa agêtes contra jus; à Deo condemnati ſunt; & vos pariter ſubibitis decretum condemnationis ab eo proferendum, ſi illorum veſtigiis inhærentes, & ſuperbiâ elati ſubſiſtere velitis in officiis veſtris, & quid contra æquitatem peragatis, ne fortè ab illis decidatis. Videte quomodo Deus illabatur animo, quâ ratione illum illuminet, & à ſuperbiâ vitæ mundare eum ſatagat. Nam inter alias rationes, quas affert Dionyſius Carthuſianus r, propter quas r Dion. Carth art. 7. in Matt. 4. 1. *Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo*, ponitur *tertia. Vt formam vitandi laudem hominum demonſtraret. Mox enim ut à Ioanne tam magnificè commendatus eſt populo* s, *ſeceſſit in eremum.* s ex Matt. 3. 11. & 12. *Et nos ergo laudati, quæramus abſcondi, amantes neſciri.* Hoc priùs ſalutare nobis ſubminiſtravit monitum S. Bernardus t, *Ama neſciri.* t S. Bern. ſerm. 3. in Nat. Dñi. Sicut & iſtud, *Magna prorſus & rara virtus, humilitas honorata* u. u S. Bern. Hom. 4. ſuper Miſſus eſt. Chriſtus certamen cum diabolo initum, tribus inſignibus victoriis ſuper illum terminavit, referendo eas de tribus præcipuis vitiis, quæ miſerandam naturæ noſtræ comitantur conditionem, quæque noſtris dominantur animis æquè ac ſenſibus, ſunt autem hæc, gula, avaritia, & ſuperbia, quæ continentur in Evangelio hodierno, & de quibus loquens S. Joannes x, ait, x 1. Ioan. 2. 16. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Gulam devicit jejunio *quadraginta* dierum. Avaritiam ſuperavit contemptu, quo deſpexit oblata ſibi ab eo qui *in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo: & qui cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius* y. y Ioan. 8. 44. Sicut & hodie cùm hic *aſſumpſit eum in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia Regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei; Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Et ſuperbiam proſtravit humilitatione Dei Filius, cùm ipſe qui eſt *Sanctus Sanctorum* z, z Dan. 9. 24. *Sanctus Dei* a, permiſerit ſe excipiendum quaſi peccatorem, a Marc. 1. 24. & humiliandum ab eo, qui *eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ* c. c Iob. 41. 25. Qui *aſſumpſit eum in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei, Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Res inaudita! quòd Deus qui eſt ipſa Sanctitas eſſentialis, & cujus natura eſt Puritas ipſamet, ſiverit ſibi bellum indicendum circa id, quod magis naturâ ipſius impugnat, nimirum honorem ipſius & gloriam, cùm ipſe dicat, *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus* d. d Iſai. 42. 8. Mortificemus igitur ſuperbiam noſtram, allecti exemplo Filii Dei, qui ſeſe humiliandum permiſit à ſpiritu ſuperbiæ; deprimamus hanc vanitatem, quæ nos ſupra noſmetipſos elevat, quæque efficit ut contemnamus æquales nobis, noſtroſque deſpiciamus ſocios, & meminerimus, quòd vanitas jacturam molita eſt ſpiritus iſtius ſuperbi, qui nos ad iſtud ſolicitat peccatum, ut ſibi nos ſimiles efficiat: nec obliviſcamur, quòd eâdem ductus vanitate Protoplaſtus noſter, & ab hoc ſerpente deluſus, cùm hic ipſi *dixit* in perſonâ uxoris ipſius, *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum, de fructu comêdit e vetito*, e Gen. 3. 4. &c. ſuam machinatus eſt perditionem, ſicut & omnium poſteriorum ſuorum, *In quo omnes peccaverunt* f. f Rom. 5. 12.

Poſtquam illuminavit Deus animum, ipſe deſcendit in cor, illud corroborat & generoſum efficit, ad audenda omnia, & nulla formidanda. Appoſitè locutus eſt ille Ethnicus qui dixit, ſapientem hominem eſſe fortiorem Sole. Obſervate, ſi placet, Solem: videtur pavere Sol; cùm enim ſit inceſſurus per duodecim ſigna Zodiaci, quæ ſunt variæ illius domus, obvios habet in itinere ſuo inimicos, quot

formidare videtur, nimirum ſagittarium qui expectat illum cum ſagittis ſuis, arietem cum cornibus ſuis, taurum iracundiâ percitum, & ſcorpionem qui jam jam eſt ipſum percuſſurus caudâ ſuâ in quâ ſuum defert venenum. Pavore perculſi videtur Sol, quandiu homo ſapiens & probatæ vitæ nihil timet medios inter inimicos ſuos, ubi vultu intrepido ſecurus ait, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro* g [g Rom. 8. 35. &c.]. Et; *Si ambulavero in medio umbra mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es* h [h Pſ. 22. 4.]. Quidnam operatur iſtud? Ratio iſtius eſt, Quia Deus eſt in medio hominis ſapientis & probi eumque efficit fortiorem quàm ſit ipſe Sol in cœlo, & ſecurum reddit eum media inter pericula. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* i [i Act. 17. 28.]. Et, *Stetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis: ego ſum nolite timere* k [k Luc. 24. 36.]. In medio corde reſidet Deus ut illud ſibi conciliet quod petit, *Prabe, fili mi, cor tuum mihi* l [l Prov. 23. 26.]. Ne illud demus avaritiæ, quæ *eſt concupiſcentia oculorum* m [m 1. Ioan. 2. 16.]. *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* n [n Matth. 6. 21.]. Sed è contra mortificemus hanc avaritiam more Filij ipſius Jeſu Chriſti; & recordemur quòd in collegio Apoſtolorum, quod erat Schola perfectionis, unicus *loculos habebas Iudas* o [o Ioan. 13. 29.]. Et ideò unicus *laqueo ſe ſuſpendit* p [p Matth. 27. 5.]. Quòd divitiæ hujus mundi obſunt maximè comparando cœlo q [q Matth. 19. 21. & 24.], & ideò quòd theſaurizare nobis debemus *theſauros in cœlo* r [r Matth. 6. 20.] eodem.

E corde deſcendit Deus in carnem, illam ſuâ corroborat præſentiâ, *Pone me iuxta te, & cuiuſvis manus pugnet contra me* s [s Iob 17. 13.]. Quod agit per S. Euchariſtiam, per quam venit ad nos, *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo* t [t Ioan. 6. 56.]. Suas nobis ipſe communicavit qualitates, & noſtras ſumpſit infirmitates in Incarnatione, cùm *Verbum caro factum eſt* u [u Ioan. 1. 14.]. Suamque præbet nobis fortitudinem & magnanimitatem in Euchariſtiâ: propterea S. Jacobus x [x Iacob. 1. 21.] ait nobis, *Suſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Et S. Chryſoſtomus y [y S. Chryſoſt. hom. 61 ad Popul.], *Tanquam leones ignem ſpirantes, ab illâ menſâ recedamus, facti diabolo terribiles.* Unde videtis, quomodo Deus nos ad certamen inducens, ſocium luctaminis ſe nobis exhibet individuum, nobiſcum luctatur adverſus inimicos noſtros, & quòd hæc bella fœlici pace terminantur. Sed ſicut inter rationes, quas affert Dionyſius Carthuſianus z [z Dion. Carth. art. 7. in Matt. 4. 1.], ob quas *Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo*, ut dixi jam ſuprà, eſt ſecunda, *Ut pro noſtris peccatis in eremo pœnitentiam, id eſt, opera ſatiſfactoria ageret*, mortificando gulam, quæ *concupiſcentia carnis eſt* a [a 1. Ioan. 2. 16.]: & hoc peregit Chriſtus ad exemplum nobis dandum ut diſceremus mortificare paſſiones noſtras, ſicut ipſe eas mortificare primus nos edocuit; mortificemus hunc inſatiabilem gulæ appetitum jejunio, quod Apoſtolus aſſerit eſſe validam armaturam ad debellandos inimicos noſtros, *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientiâ, in ieiunio per arma iuſtitia* b [b 2. Cor. 6. 4. &c.]. *Voluit quoque Chriſtus tentari, ut nos ad tentationes perferendas animaret, ut gratiam triumphandi nobis mereretur, ut formam vincendi oſtenderet, ut tentatoris virtutem debilitaret, noſque à tentationibus liberaret*, concludit idem Carthuſianus conformiter ad mentem S. Pauli.

Nunquam exponit nos Deus tentationi, quin efficiat ut de illâ victores exeamus: ſed cùm ex nobiſmetipſis in eam ingredimur, ſemper vincimur, nec auxilium polliceri nobis poſſumus, ſi periculo perpetiendi nos immiſceamus naufragij, *Qui amat periculum, in illo peribit* c [c Eccli. 3. 27.]. Illudit nobis diabolus, cùm impendendum nobis promittit ſubſidium, ut ait hodie Chriſto, *Angelis ſuis mandavit de te* d [d Matth. 4. 6. & Pſ. 90. 11.]. Malitioſus eſt, nec ſubdit id, quod immediatè poſt ſequitur, quodque majoris eſt momenti, & magis meo eſt conſonum propoſito, *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Nihil formidetis ibi, quò Deus vos ducet, & quò Divinum ejus vos vocabit obſequium, curam veſtri ſataget, nec veſtrum permittet caſum. Hanc veritatem videmus manifeſtam in Joſeph Patriarchâ tentato, & ſolicitato; præbet ei Deus vires ad reſiſtendum lenocinijs, quæ ipſas emollivisſent vel rupes e [e Gen. 39. 12. &c.]. Idem dicendum de Suſannâ, prodigio caſtitatis f [f Dan. 13. 22. & 23.]. Non quæſiverant homines iſti eximij tentationem: ideò Deus eos protegit, ab eâ illos eruit: ſed ſi eam quæratis, in eâ naufragium ſuſtinebitis; & ſi mediis exponatis vos flammis, illarum ardoribus comburemini, & inde parabitur vobis ingreſſus *in ignem æternum* g [g Matth. 25. 41.].

Scriptura h [h Gen. 19. 1. &c.] ſacra refert, quòd ubi *venerunt duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus civitatis: eduxeruntque eum extra civitatem: Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: reſpiciensque uxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Quare mulier iſta ſic mutata fuit? Ideò quia tentatione ſuâ induxiſſet virum ſuum ad reſpiciendum retrò contra voluntatem Dei, *Noli reſpicere poſt tergum.* Deus iſtud prævênit infortunium: & ideò uxorem ejus ſic convertit: nec enim Lot fortior fuiſſet Adamo in paradiſo terreſtri, ubi peccavit in conſortio uxoris ſuæ, cui diſplicere noluit † [† Gen. 3. 6.], & ideò infœlicitatem in totam poſteritatem ſuam criminosè invexit. Quod innuit, fugiendas eſſe occaſiones: idcircò David, qui noverat quantùm illæ eſſent damnoſæ i [i 2. Reg. 11. 2. &c.], ſupplex poſtulabat à Deo non ſolùm ſe liberandum ab iniquitate, ſed etiam ab omni viâ, quæ ad illam ſibi pandere poſſet aditum, *Viam iniquitatis amove à me* k [k Pſ. 118. 29.]. Heu infœlices, vultis igitur perire, cùm moliendæ veſtræ quæratis occaſionem ruinæ! Iſtæ amicitiæ, hæc colloquia ſuperflua, hujuſmodi viſitationes inutiles, & tot alia quæ peraguntur à vobis, quæ non debeo dicere, nonne veſtram machinantur jacturam? Et poſt hæc omnia audetiſne dicere Deo? *Et ne nos inducas in tentationem* l [l Matth. 6. 13.]. Poſtquàm *perierant aſinæ Cis patris Saül, & dixit Cis ad Saül filium ſuum, Tolle tecum unum de pueris, & conſurgens vade, & quære aſinas*; & pergerent ambo, id eſt Saül & puer iſte ad conſulendum Prophetam, *invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam; & dixerunt eis, Num hic eſt Videns? Quæ reſpondentes, dixerunt illis, Hic eſt: ecce ante te: feſtina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo.* &c. Petebat duntaxat Saül ubinam eſſet Propheta, & illæ puellæ tot inutiles, ut videtur, cum eo nectunt ſermones. Videte, Auditores; ſuam puellæ inveniunt ſatisfactionem in confabulando cum hoc adoleſcente, qui ſpecioſus erat, & *ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum* m [m 1. Reg. 9. 2. &c.]. Ha! hæc colloquia ſuperflua, perſæpè & ut plurimùm ſunt pernicioſa. Parentes, attendite filiabus veſtris, & nolite ſinere ut unquam otioſorum interſint conſortio; vigilate ſuper illas; cùm dormitis, non dormiunt omnes, ſed puellæ veſtræ per feneſtras confabulantur cum amaſijs, his horis ſuſpectis. Scriptura n [n Eccli. 26. 10.] fœminã comparat ſcorpioni, *Qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem.*

nem. Cùm capiendus eſt ſcorpio, nocte adeuntur foramina parietum, in quibus delitescit, fit ſtrepitus, imaginatur ſcorpio ſe prædam arrepturum, egreditur, & ipſe apprehenditur: non dicendum de fœminâ, cui à luce nimios haberet oculos qui eam advenerent. quid agitur? Pulſatur oſtium ejus nocte, adiuntur illius feneſtræ; *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius* o. Exit ipſa, innuendam ſeſe exhibet, & ipſa intercipitur. Invigilate, parentes, liberis veſtris, ne neghenna veſtra ſit commeotia. Intereà otioſi adoleſcentes & nequam, ac miniſtri Satanæ, in diſcrimen æternæ inducitis damnationis has animas, quas Christus *dilexit & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* p. Laqueos paratis illis intercipiendis: ſed numquid non veremini ne juſtas de vobis ſumat Deus pœnas ob injuriâ quam ipſi irrogatis, ut inimico eius faveatis? Ha! Domine, iſtas coerce inſolentias, & abſtrahe à nobis omnes occaſiones, quæ nobis poſſent eſſe funeſtæ: effice per gratiam tuam ut tibi ita famulemur in hoc mundo, ut illud obſequiū exhibere tibi poſſimus æternum in gloriâ.

o Ioan. 3. 20.
p Apoc. 1. 5.

FERIA II. POST DOMINICAM I. Quadrageſimæ.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes. Matth. 25. 31. &c.

IN hoc eſt ſita prudentia hominis intuiti aliquod periculum imminere, ut quærat aliquem locum, in quo ab illo declinare ſatagat: in Evangelio noſtro apparet Deus totus iratus, præ ſe brachium ferens quaſi ferreum, & armatum fulminibus exterminium & ruinam homini peccatori minitantibus. In cœlo *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* a, erat in throno juſtitiæ ſuæ; nullus ibi mitigare eum poterat, cùm illic eſſet *Deus ultionum* b. Et nemo poterat iracundiam ejus compeſcere, niſi ipſe iram ſuam deſerens *ubi venit plenitudo temporis* c, *mitis* d effectus eſſet, & ſuavitatem induiſſet in ſinu Beatiſſimæ Virginis, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* e, cùm ſic illam ſalutavit Archangelus, *Ave Maria.*

a Ioan. 1. 18.
b Pſ. 93. 1.
c Galat. 4. 4.
d Matth. 11. 29.
e Philipp. 2. 7.

Res eſt inaudita quòd homo qui eſt ſubjectum magnitudinis, quiq; tot intra ſe concludit mirabilia, à ſemetipſo exeat ut adhæreat creaturis in deſpectū Creatoris, qui ipſū hujuſmodi cumulavit favoribus. Homo eſt omnium Rex ſublunarium, *Gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi; volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris* f. Hæc omnia agnoſcunt eum ut ſuum Dominum ſupremū, cui Deus ſceptrum præbuit: ſed hæc eadem manus quæ eum evexit, illum deprimit, & proprii ipſius ſubditi efficiuntur ipſius inimici, cùm ipſe criminoſè tenuit ſuas exhibere obedientias Creatori rerum omnium: tunc enim Deus illas omnes ſtatim armat adversùs hominem, *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Nec ulla ex illis eſt, quæ cauſam ſui non amplectatur Creatoris, quæque ruinam non machinetur peccatoris, cùm ſupremo Domino ſuo morem recuſat gerere, *Et pugnabit cum illo orbis terrarū contra inſenſatos* g. Abſque judicio & ſine conſultatione pars peſſimè, ut totius tuitioni & commodis invigilet, & creatura ſeſe libenter exponit periculo propter conſervationē honoris Creatoris, cùm ipſam non lateat, quòd ipſam extinctā ille qui diligit *omnia quæ ſunt, & nihil eorū quæ* h fecit, odit, vivificare poſſit; & qui eſt *accinctus potentiâ* i, valeat ipſam reficere: ſed quòd ſi per impoſſibile ipſe, *Qui eſt*, k, exinaniretur, conſeſtim ipſæ omnes añihilarētur, nedū ſubſiſtere poſſent ſine auxilio iſtius brachij, quod ipſas cōdidit, & conſervat ipſas. Hoc videmus in nobiſmetipſis, & quomodo brachiū ictui infligendo capiti ſe opponit, ut meliùs conſervet hanc partem, in quâ vita reſidet: cùm ergo peccator inſurgit in Deum, omnes creaturæ peccatori eidem bellum indicunt, ut ulciſcantur ingratitudinem filij inhumani, & naturæ hoſtis, qui edens Patris ſui cœleſtis *panes*, *ſuper* eum magnificare ſatagit *ſupplantationem* l, *contra* illum levando *calcaneum ſuum* m. Dum perſequeretur Abſalum David patrem ſuum, *accidit ut occurreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo: cùmq; ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput eius quercui: & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus cui inſederat, pertranſivit* n. Videte, ſi placet, Auditores, quomodo omnes creaturæ videntur machinatæ ruinam hujus filii rebellis & immitis: advertiſtis mulum pertranſeundo reliquiſſe Abſalonem ex ephippio ſublatum, & in quercu ſuſpenſum; cæſaries ipſius ipſum eidem arbori alligat, & totum corpus ejus in uno illius ramo detentum eſt, quandiu *Ioab tulit tres lanceas in manu ſuâ, & infixit eas in corde Abſalom: cùmq; adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem juvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerūt eum.* Omnia perſequuntur peccatorem ſtatim ac Deus ſuum vultum avertit ab eo, *Avertente te faciem, turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur* o. Heu quid aget peccator, cùm Deus ſic eſt futurus iratus quando *ſedebit ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ*? Qualis eſt futura ſors illius? Videamus hodiernâ die quidnam futurum ſit de impio, inſtruentes proceſſum ejus, ſicut & Juſti. Craſtinâ verò die Judex adversùs eum pronunciabit decretum ſicut & in gratiam Juſti.

f Pſ. 8. 7. &c. & ex Hebr. 2. 7. & ex Gen. 1. 28.
g Sap. 5. 18. & 21.
h Sap. 11. 25.
i Pſ. 64. 7.
k Exod. 3. 14.
l Pſ. 40. 10.
m Ioan. 13. 18.
n 2. Reg. 18. 9. &c.
o Pſ. 103. 29.
Propoſitio

S. Paulus ait, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Hæc verba ſeriam merentur reflexionem. Conſiderare poſſumus Deum, aut ſicut eſt *unigenitus Filius in ſinu Patris* q. Aut ſicut eſt homo mortalis *in utero* r Virginis Matris ſuæ, ut viator in hoc mundo. Sicut is *qui ſolus habet immortalitatem* s cū Patre ſuo, erat in throno juſtitiæ ſuæ: & ſicut in Deo (ſecundùm noſtrum intelligendi modum) duæ ſunt potentiæ, intellectus t & voluntas u; ita duæ ſunt viæ, per quas ſe cognoſcendū exhibet, nimirum miſericordia & juſtitia, quæ ſunt velut duo brachia, quibus iſtum Deus regit & gubernat mundum, *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes unicuiq; juxta opera ſua* x. Cùm igitur eſſet factus homo, & eſſet Deus moriens y, totus erat *mitis* z. Unumquemque ſuis devinciebat ſibi gratiis, maximorum conſcii criminum, eorundem veniam ab eo facilè impetrabant. Audit ab illo *mulier deprehenſa in adulterio*; *Vade, & iam ampliùs noli peccare* a. *Unus autem de his qui pendebant latronibus, Hodie mecū eris in paradiſo* b. Non eſt cur miremur, quòd Deus indulgentiam ita facilè tunc impertiretur, quia tunc erat Deus moriens, qui ſolas effundebat miſericordias: ſed poſtquàm *ſurrexit* c, nobis eſt imposterùm cū eo agendū ut cū Deo vivente *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorū & mortuorum* d. Ideò ne blandiamur nobis, nec noſtrā machinemur ruinā quandiu alij ſuā ſunt operati ſalutē, nec tardemus *converti ad Dominū, & ne de die in diem* e ad ultimū uſq; differamus, ſicut diſtulit Dimas, ſeu bonus Latro, qui unico ſuffuratus eſt paradiſum

p Hebr. 10. 31.
q Ioan. 1. 18.
r Matth. 1. 18. & 19.
s 1. Timot. 6. 16.
t Pſ. 7. & 109.
u Ioan. 15. 16.
x Pſ. 61. 12. & 13.
y Ioan. 19. 18. &c.
z Matth. 11. 29.
a Ioan. 8. 4. & 11.
b Luc. 23. 39. & 43.
c Matth. 28. 6. & Marc. 16. 6.
d Act. 10. 42.
e Eccli. 5. 8.

diſum momento. Habebat ille rem cum Deo moriente, qui erat *ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* f [f Pſ. 85. 5. & ex Ioel. 2. 13.] ſe: nos verò cum Deo vivente, qui *reſurgens ex mortuis, iam non moritur* g. [g Rom. 6. 9.] Ideò ait S. Paulus, *Horrendū eſt incidere in manus Dei viventis.* Heu peccator quid ages? Ecce ſedet *ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ* ad judicanda tua crimina: *Pater omne iudicium dedit Filio* h. [h Ioan. 5. 22.] In hoc peragitur judicio quidquid in ſæcularibus exercetur tribunalibus: denunciatur, aut accuſatur reus; ſi crimen non ſit notorium, fiunt inquiſitiones illius, & teſtes coram eodē reo componuntur; in judicio Dei, ſeu ſpeciali, ut ultimo vitæ momento; aut generali, hæc omnia fiunt: denunciatur impius.

Vocatur à Jobo i [i Iob 40. 14.] diabolus *principium viarum Domini.* Non quòd fuerit initium Dei, vel author viarum ejus: ſed quia cùm Deus eum ſuis devinxiſſet ſibi gratiis, quas tamen hic ingratus non agnovit, indignum ſe reddens favoribus eius, meritus eſt ſupplicia ejus; ideò jure merito debuit illum Deus è throno cœli deturbare: atqui Deus in ſe totus *bonus* k [k Pſ. 118. 68.] eſt, natura eius inducit ipſum ad benefaciendum omnibus: ſi autem ſupplicium de reo aliquo capeſſat, *alienum opus eius, peregrinum eſt opus eius ab eo* l. [l Iſai. 28. 21.] Quippe quod initium ſumat à nobis, & noſtra crimina inducant eum ad nos puniendos, *Uſq; ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus; exinde Iudex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt ſævus*, ait Tertullianus m. [m Tert. lib 2. adverſ. Marcion. c. 11.] Diabolus igitur, qui fuit primus peccator, induxit Deum ad ipſum puniendum, & cùm priùs non exercuiſſet Deus niſi miſericordiam, & bonitatem quæ ipſi eſt ordinaria, inductus eſt ex debito juſtitiæ pœnas ſumere, & ſic juſtitia ejus cœpit exerceri, quæ priùs erat ſine exercitio; ideòque diabolus, ut ait Job, aperit oſtium Deo, & viam pandit juſtitiæ eius, quæ ipſum ejicit è cœlo: ſed ſtatim ac ſpiritus iſte nequam inde à Deo ejectus eſt, Scriptura n [n Apoc. 12. 10. &c.] Sacra fidem facit, auditam eſſe *vocem magnam in cœlo dicentem, Nunc facta eſt ſalus & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Nimirum, *Draco magnus, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram.* Id eſt, trahere ſatagens homines ad inferos dæmon, illorum ſcelera ante Deum accuſatorem ſeſe exhibet, *Id eſt, diabolus ſemper intentus quomodo hominum peccata coram Deo allegando poſſit obtinere licentiam tartareas miſerias inferendi*, ait Dionyſius Carthuſianus o. [o Dion. Carth. art. 13. in Apoc. 12. 10.] Quaſi diceret Deo dæmon, homines accuſando, *Obſecro Domine Deus magne & terribilis* p, [p Dan. 9. 4.] ecce peccator ingratus, qui poſt ſuſceptos tot favores à bonitate tuâ, ſuam neglexit operari ſalutem; tuas omnes contempſit gratias; vocaſti enim eum, & renuit; tuam extendiſti *manum, & non fuit qui aſpiceret*: deſpexit tuum *omne conſilium, & increpationes* q [q Prov. 1. 24. & 25.] tuas neglexit: te conculcavit, *& Sanguinem Teſtamenti pollutum* duxit, *in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam* r [r Hebr. 10. 29.] fecit: nec tuis eſt uſus beneficiis niſi ad bellum tibi indicendum: quomodo tuam poſſet ſibi miſericordiam polliceri, poſtquàm illam ita contempſit? *tibi Domine iuſtitia: illi autem confuſio faciei* s. [s Dan. 9. 7.] Promittebas ei *vitam* æternam, & tibi noluit morem gerere ut illam poſſideret, præcepta tua obſervando, & *mandata* t [t Matth. 19. 17.] adimplendo. A me nihil ſperare poterat præter flammas æternales ipſi inferendas, & tamen eſt me ſecutus, & meis obedivit ſuggeſtionibus, agnovit me dominum ſuum, & reliquit te *Dominum Deum* ſuum, confringens tuum *iugum, vincula* tua rumpens, *& dicens, Non ſerviam* u. [u Ier. 2. 19. & 20.] Paradiſum mutavit pro exiguo commodo, pro voluptate momentanea, *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum* x. [x Pſ. 118. 137.] Condemna hunc miſerum: unicum duntaxat ego perpetravi ſcelus *in corde. Veruntamen ad infernum in profundum laci* y [y Iſai. 14. 15. &c.] detractus ſum à juſtitiâ tuâ, nedum illinc unquam exire poſſim: peccator autem ita perſæpè te offendit, ſua multoties reiteravit crimina. Hæc & ſimilia denunciabit diabolus, quæ vos ſcitis eſſe veriſſima: & licèt verum ſit, quòd *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius* z; [z Ioan. 8. 44.] hoc tamen non impedit quin aliquando dicere poſſit veritatem.

Sed quia hic *accuſator* ſecundùm Dionyſium Carthuſianum, a [a Dion. Carth. art. 13. in Apoc. 12. 10.] eſt *ſemper intentus quomodo hominum peccata coram Deo allegando poſſit obtinere licentiam magis tentandi, nocendi, perimendi, atque tartareas miſerias inferendi*: ita quandiu vivimus inducere nos ſatagit ad peccatum, ut inde majorem capeſſere poſſit anſam accuſandi nos ultimo die coram eo *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorū* b. [b Act. 10. 42.] Propterea præ noſtris ponit oculis juſtitiam Dei, quaſi non ſit ſevera; & miſericordiam ejus nobis exhibet eſſe maximam: perſuadere conatur nobis, juſtitiam illius eſſe exinanitam: ſed cùm horror criminis noſtri inducit nos ad pœnitentiam, tunc ſuggerit nobis miſericordiam ejus non poſſe nobis illud condonare, & juſtitiam illius eſſe inflexibilem, ut contemplantes Deum veluti Judicem inexorabilē, de veniâ deſperemus nobis ab eo impertiendâ, & ſic torpeamus *in volutabro luti* c [c 2. Petr. 2. 22.] peccatorum noſtrorum, ubi ſpe exciderimus exeundi è ſtatu culpæ, & intrandi in ſtatum gratiæ. Ut igitur diabolus habere poſſit unde nos magis ſit accuſaturus, cùm videt nos paratos ad perpetrandum ſcelus aliquod, Juſtitiam Divinam nobis repræſentat veluti deficiētem; ſed cùm horror criminis à nobis commiſſi, ad agendam nos inducit pœnitentiam, eandem Juſtitiam nobis exhibet ſeveram, & è contrà Divinam miſericordiam quaſi ad parcendum nobis impotentem. Advertens Daniel d, [d Dan. 4. 24.] quòd Rex Nabuchodonoſor vitiis indulgeret, ait illi, *Conſilium meum placeat tibi: & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Sed quare facit Propheta veniā Regis contingentem, dicens, quòd, ſi in bonam emendatæ vitæ ſeſe recipiat frugem, fortaſſis ſit inventurus miſericordiam in tribunali Divinæ Juſtitiæ; & conſulit ei ut agat pœnitentiam ad conciliandam ſibi Dei clementiam? Quodnam dubium intereſſe poterat de remiſſione peccatorum ejus? cùm ſcriptum ſit, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor: in iuſtitiâ ſuâ quam operatus eſt, vivet* e. [e Ezech. 18. 21. & 22.] Quare ergo Daniel indulgentiam Regis conſtituit incertam? Hanc reſolvit S. Chryſoſtomus f [f S. Chryſoſt. hom. 29. in Act.] difficultatem, dicens, *Hoc ſibi dixit non ambigens; valdè enim perſuaſum erat Prophetæ, ſed volens illum ampliùs terrere, & cogere ut hoc faciat. Si enim affirmando dixiſſet, negligentior factus eſſet ille.* Inde fit ut Propheta loquatur indeterminatè de remiſſione indulgendâ peccatis Regis, ut incertitudo veniæ induceret illum ad peragendam pœnitentiam, cùm exhibuit illi Propheta miſericordiam quaſi deficientem, & juſtitiam ſeveram, ut intra terminos obſequij ſui ſeſe Rex contineret; *Metus enim à dubitatione profectus, magis impellit*, concludit idem S. Chryſoſtomus. Propter eandem rationem *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraq; parte oraculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero. Utrumq; latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantq; ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium quo operienda eſt Arca* g. [g Exod. 25. 1. &c.] Officium iſtorum duorum Cherubinorum productilium in hoc erat ſitum, ut operire deberent duo latera Arcæ & propitiatorii, ita ut non

nisi

Digitized by Google

niſi vix apparerent. Sed quare iſti Cherubini operiebant propitiatorium, & alæ eorum erant obices oculis hominum ne viderent miſericordiam Dei, cùm officium bonorum Angelorum conſiſtat in defendendis nobis à malo, & conſervandis in bono? Videtur iſtud eſſe potiùs exercitium rigoris, quàm clementiæ: tamen quia homo videns miſericordiã Dei, inde capeſſeret occaſionem faciliùs peccandi, propterea maximæ pietatis indicium eſt operire illi miſericordiam, exhibendo ei rigorem juſtitiæ ac ſeveritatem, quâ velut fræno coërceatur ne in criminâ æquo liberiùs labatur. Contrarium autem omnino peragit *diabolus accuſator*, oſtendens nobis miſericordiam Dei maximam, ut inducat nos ad peccatum, & juſtitiam ejus veluti ad nihilum redactam: & omnes ſuos conatus inſumit ad moliendam jacturam noſtram iidem viis, quibus ipſe ſuam eſt machinatus ruinam, ait Euſebius Emiſſenus h, *Nititur autem eos, quos tentat, ad excelſa ducere, & in altũ elevare, ut ſicut ipſe elevatus cecidit; ſic & alios exaltando ruere faciat.* Quaſi diceret diabulus, volens inſurgere in Deum, Quid meâ intereſt ſi eum offendam, me exaltando, cum ſit *ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* i ſe? Nec propterea ſit exacerbandus ob peccatum meum, eò vel maximè quòd opus illius ſim k, quod deſtruere ipſe nollet? Sic ex miſericordiâ Dei deſumpſit anſam ſuæ rebellionis diabolus; & ideò intendit ut unuſquiſq; noſtrum eodem ſe gerat modo, & præ ſuæ mentis oculis hanc funeſtam ponat conſiderationem, Quale incommodum mihi poteſt accidere, ſi Divinæ Majeſtatis reus efficiar? nunquid non *ad imaginem Dei factus* l ſum? Nonne ſum Chriſtianus? annon Chriſtus me *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* m? Nonne *tradidit ſemetipſũ pro me oblationem & hoſtiã Deo in odorem ſuavitatis* n, vitam ſuam fundens, ut me à morte eriperet æternâ? Quid? credibilene eſt ut Deus *bonus* o, qualis ipſe eſt, ſinat ut ſuæ in abyſſum inferorum præcipitentur creaturæ? Sed poſtquàm Deum offendimus, aperit nobis diabolus juſtitiam Dei, Dominum noſtrum nobis repræſentat iratum, & inexorabilem, ut in deſperationis barathrum nos detrudat atque præcipitet. Verum quidem eſt, quòd Jeſus Chriſtus ſit paratus ad ſuccurrendum ſuis, licèt homines non deſinant eum offundere; non eo inficias; ſed tamen inde homines non debent occaſionem capeſſere ſolvendorum beneficiorum illius, ingratitudinibus, eum offendendo. Ipſa die Reſurrectionis Dominus noſter feſtinavit ad conſolandos diſcipulos ſuos: & eâdem die illi diffiſi ſunt verbo ipſius deſperantes de reſurrectione ejus, nedum expectare vellent diem ſequentem, & quàmvis dixiſſet eis, *Filius hominis tertiâ die reſurget* p: tamen ſpem Reſurrectionis ejus amiſerunt *duo ex illis ipſâ die, & dixerunt, Nos autem ſperabamus* q. Iſraëliticus *videns populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus adversùs Aaron dixit, Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dixitq; ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de uxorum filiorumq; & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me* r. S. Auguſtinus s ait, Aaronem rem ſic difficilem Iſraëlitis præcepiſſe, *Vt hoc modo eos ab illâ intentione revocaret.* Et Cornelius t, *Eâ intus hoc, puta idolum, recuſare omnino non audebat Aaron, ne occideretur à tumultuante plebe, ſed hâc poſtulatione divertere conatus eſt, flagitando inaures uxorum & filiorum aureas, quas ægerrimè avaras & ornatus ſtudioſiſſimas fœminas ſibi detracturas, idoloque daturas putabat, ſed vicit hæc omnia earum improbitas & præpoſtera liberalitas, aliàs avariſſimarum.* Unde videtis quàm faciles ſint filii Adæ ad offendendum Deum, & parati ad peccandu: cùm enim Aaron petiiſſet ab Iſraëlitis moram uſque ad diem craſtinam, quâ ſciebat Moyſen fratrem ſuũ è monte deſcenſurum, illi diluculò ſurrexerunt, *Surgenteſq; mane.* Ita ut homines prompti ſint & diligentes ad offendendum Deum; non ſolùm autẽ ſurgunt diluculò ut Divinam lædant Majeſtatẽ, ſed etiam noctes integras inter peccandũ tranſigãt, ut diabolo accuſatori humani generis majorẽ ſubminiſtrent anſam ſuiipſorum accuſandorum corã ſupremo Judice, cujus beneficia ſolis agnoſcunt ingratitudinibus, more Iſraëlitarum, de quibus dicit ide Cornelius, *Nota hic mirã populi erga Deum ingratitudinem, pariter & cæcitatem: nam aſpernantur Deum verum, qui eos per tot tantaq; miracula, è durâ Ægypti ſervitute liberaverat, qui eos ducebat in Chanaan.*

Sic dum *venerunt duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus civitatis, priuſquàm irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum à puero uſque ad ſenem omnis populus ſimul: vocaveruntque Lot, & dixerunt ei, Vbi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoſcamus eos* u. Ita ut homines non ſolùm diluculò ſurgant ad offendendum Deum, ſed etiam media inter ſcelera noctes integras prætereant, imò verò omni tempore vitijs indulgeant, ut ex eâdem Scripturâ x colligo. Quoad tempus præteritum, *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Quantùm ad præſens, *Videns autem Deus, quòd cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum.* Quod verò ſpectat ad futurum, Textus addit ſtatim, *Omni tempore.* Hoc modo inveniuntur homines, qui nullâ habitâ ratione reverentiæ Deo debitæ, aut ullius temporis, vitijs & peccatis indeſinenter vacant, in hoc complacentes diabolo, qui ex ipſorum ſceleribus majorem deſumet anſam accuſandorum ipſorum, *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ.* Deus è contrà nobis ſemper benefacit non obſtantibus peccatis noſtris continuis, *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper Iuſtos & injuſtos* y. Ut autem videatis quomodo ſint peccatores qui offendant quantùm ad tempus futurum, & ſuos retrocedere faciant dies ut peccent tẽpore futuro, memẽtote illius, quod refert S. Lucas z. *Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe, dicens, Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea.* Quæ conſiderans S. Baſilius a, ait illi, *Longa tibi ipſi vitæ tempore præfixiſti, vide ne te id antevertat, quod præfinitum ex ſtatuto tibi imminet.* Dives iſte peccabat hodie pro die ſequenti, intendens replere granaria ſua frumẽto, & illud vendere pauperibus cũ uſuris, ita ut fœnora patraret pro futuro. Idẽ legimus de Eſau, qui minas intentans fratri ſuo Jacob, dixit *in corde ſuo, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum* b. Sic peccans pro futuro, inſtar otioſorũ illorũ & nequam, qui ſuos omnes diſſipaverunt redditus, antequàm redditium eorumde ſit elapſus terminus; quiq; dicunt apud Iſaiam c, *Venite fruamur bonis, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie ſic & cras.*

Sed ſicut dolor de peccato conceptus propter Deum, facilem reddit indulgentiam obtentu ab eodem Deo; ita voluptas quæ ſequitur offenſam, & quæ ad nova patranda diſponit crimina, majorem præbet diabolo occaſionem accuſandorum impiorum coram Deo, & graviora ſuper eos attrahit ſupplicia: & ſic illi qui ſemper de Deo cogitant offendẽdo, plurium accuſabuntur criminum, & ſeveriora per conſequens experientur juſtitiæ & iræ Dei tela. Dolor proveniens ex offenſo Deo, ut pœnitentiæ parens, ab eo commiſſorum peccatorum facilè veniam conſequitur, ut ait S. Paulus d, *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Et, *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Hoc etiam myſticè dicit Salomon e, *Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus.* Omnes illius voluptates ſunt ex tunc cum Deo, in illo ſuas invenit delicias univerſas, cæteraque ab eo procul ſunt remota corde. Et Eccleſiaſticus f inter alia nobis iſtud ſalutare tribuit monitum, *Fili peccaſti? non adjicias iterùm, ſed & de priſtinis deprecare ut tibi dimittantur.*

h Euſeb. Emiſſ. Dom. 1. Quadrag. ex Matth. 4. 3. & ex Iſai. 14. 13. &c.
i Pſal. 85. 5.
k Gen. 1. 9.
l Gen. 6. 9.
m Apoc. 1. 6.
n Epheſ. 5. 2.
o Pſ. 118. 68.
p Matth. 20. 18. & 19.
q Luc. 24. 1. & 21.
r Exod. 32. 1. &c.
s S. Aug. lib. 2. Quæſt. ſuper Exod. quæſt. 141.
t Cornel. in Exod. 32. 2. & 1.
u Gen. 19. 1. &c.
x Gen. 6. 12. & 5.
y Matth. 5. 45.
z Luc. 12. 16. &c.
a S. Baſil. hom. in hæc verba Lucæ.
b Gen. 27. 41.
c Iſai. 56. 12.
d 2. Cor. 7. 10. & 9.
e Prov. 14. 10.
f Eccli. 21. 1.

tantur. Id eſt firmiter propone te emẽdare, ita ut peccatum tuũ ſequatur plenitudo; alioquin enim reditus ad gratiam tibi erit difficilimus, V.g. cùm quis oppigneravit aliquid, quò plus recepit, eò plus pignori dedit; eò magis peccator animã ſuã diabolo accuſatori ſuo obligavit, quò majora patravit ſcelera, ex iſto citò debet exire ſordium ſuarum volutabro, niſi in eo ſemper torpere velit, nã *abyſſus abyſſũ invocat* g. Ideòque dicere debet cum Davide h, intuitus ſe demerſum in profundam peccatorum ſuorum abyſſum, *Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me.* Nedum expectet diem craſtinam, minùs autem de peccatis cogitet patrandis iiſdem, aut enormioribus exceſſibus. Res eſt momenti graviſſimi, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* i. Sed tamen cùm diſſimulet *peccata hominum propter pœnitentiam* k: ideò dicit, *Nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* l. Eâ tamẽ conditione, ut illũ peccati ſui pœniteat; dolor de peccato, veniam illius reddit facilem; qui verò in eo ſibi placet, illud aggravat.

g Pſ. 41. 8.
h Pſ. 143. 7.
i Sap. 14. 9.
k Sap. 11. v. 24.
l Ezech. 33. 11.

Cùm Iſraëlitæ *ſurgentes manè, obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere: locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti. Receſſerunt citò de viâ, quam oſtendiſti eis: feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt, iſti ſunt dii tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti. Rurſumque ait Dominus ad Moyſen Cerno, quòd populus iſte, duræ cervicis ſit: Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos* m. Videbatur Deus quaſi vinculis conſtrictus propter orationem Moyſis pro reatu populi ſui ipſũ deprecantis, quaſi non poſſet exequi id quod intendebat. *Placatusq; eſt Dominus ne faceret malũ, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum. Et reverſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas Teſtimonii in manu ſua, ſcriptas ex utrâq; parte, & factas opere Dei: ſcriptura quoq; Dei erat ſculpta in tabulis. Audiens autem Joſue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moyſen: Ululatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit, Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: ſed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum & choros; iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis. Videns ergo Moyſes populum, quòd eſſet nudatus (ſpoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat) & ſtans in portâ caſtrorum, ait, Si quis eſt Domini, jungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filij Levi, quibus ait, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite, & redite de portâ uſque ad portam per medium caſtrorũ, & occidat unuſquiſq; fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Levi juxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ quaſi viginti tria millia hominum. Et ait Moyſes, Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio* n. Ego autem peto nunc, Cùm Deus condonaſſet huic populo peccatum idololatriæ, & Moyſes interceſſiſſet pro illo erga Deum, *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terrâ* o: quare hanc ingentem ſtragem tot Iſraëlitarum præcepit edendam idem Moyſes, quippe qui manſuetiſſimus eſſet? Ratio illius eſt; Quia illi idololatræ, nedum ipſos ſuorum pœniteret ſcelerum, poſt perpetratũ ſic enorme facinus, de tali gaudebãt peccato, & ignes lætitiæ erigebant impietati ſuæ; quod ita exacerbavit Moyſen ut cædem tã immodicam juſſerit peragendam, *Vidit vitulum, & choros, iratusque valdè* eſt. Non efferbuit ira Moyſes ob vitulum, ſed propter choros, quia de ſuis gaudebant peccatis, ſicut omnes impij *lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum* p.

m Exod. 32. 6. &c.
n Exod. 32. 6. &c.
o Num. 12. 3.

Poſtquàm ſua Eſau vendidit primogenita; *& ſic accepto pane & lentis edulio comẽdit, & bibit, abiit, parvipendens quòd primogenita vendidiſſet* q. Multùm deliquit Eſau, quia ſimoniacus fuit, vendens Sacerdotiũ quod erat annexum primogenituræ, *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſraël* r. Præterea, Quia poſt patratum tantum ſcelus, contentus permanſit & lætus, unde magnum contigit illi infortunium, quod recenſet S. Paulus s, *Ne quis profanus ut Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua. Scitote enim quoniam & poſteà cupiens hæreditare benedictionem* t, *reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lacrymis inquiſiſſet eã.* Res inaudita, quòd cùm pœnitentiam egerit, & lacrymas fuderit, damnationem tamen incurrerit! Illius rationẽ damnationis dat S. Thomas u, dicens, *Quia non dolebat de peccato venditionis, ſed de damno perditionis.* Quoniam poſt peccatum ſuum gaviſus erat, nedum triſtaretur, permiſit Deus ut veram non egerit pœnitentiam, quia lacrymæ ejus non oriebantur ex dolore concepto de peccato, ſed ex jacturâ bonorum temporalium, quam patiebatur.

p Prov. 2. 14. & 15.
q Gen. 25. 33. & 34.
r Exod. 13. 2.
s Hebr. 12. 16. & 17.
t ex Gen. 27. 38.
u S. Thom. lect. 3. in Hebr. 12. 17.

Dixerunt aliàs Babylonij Iſraëlitis ſedentibus *ſuper flumina Babylonis, Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ* x? reſponderunt iſti. Super quod Lorinus ait y. *Ante iſta verba in textu Chaldæo apud Nebienſem, illa alia extant, Subitò præciderunt ſibi Levitæ pollices dentibus ſuis, et dixerunt, Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* Conſiderantes enim filij Iſraël, quòd captivitas in quâ detinebantur tunc, ſignificaret ſervitutem durã peccati, & quòd in hujuſmodi ſervitute cõſtitutus nemo gaudere deberet, maluerunt ſibi pollices mordicùs averruncare, quàm concinere, & ſua inſtrumenta muſica pulſare, ſanus rati fletu, quàm gaviſu in hujuſmodi ſtatu poſiti, *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion. In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra: quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.* In ſtatu enim peccati poſitus debet unuſquiſq; ſua flere ſcelera, de illis dolere in hoc mundo, non autem exultare; debet illa ſalutari pœnitentiâ diluere, & *lacrymis* z ſuis ea rigare. Si verò illa non purgaverit peccator; eadem objiciet illi *diabolus* coram ſupremo Judice tanquam *accuſator*, eo modo quo ſuprà dixi: ſi autem peccator ea negare velit objicienda ſibi tunc ab hoc accuſatore, eumq; recuſare ut naturæ humanæ inimicũ & adverſarium, illorum inquiſitionem peragamus.

x Pſ. 136. 1. &c.
y Lorin. in Pſ. 136. 4.
z Pſ. 6. 7.

Cùm ultimum vitæ peccatoris momentum immediatè ſequatur æternitas, ſic ejuſdem participat peccator qualitates æternitatis, quæ eſt indiviſibilis & *tota ſimul*, ut ajunt Theologi, & infinita. Ut infinita, cõplectitur illa tẽpora præteritum, præſens, & futurum. Ut indiviſibilis & *tota ſimul*, ea omnia comprehendit indiviſibiliter, ita ut ultimo momento vitæ peccatoris, quæcumque ipſe unquam peregerit, omnia opera ejus, magna aut parva, bona aut mala, ad exiliſſimam uſq; cogitationem illius, intuenda exhibẽda ſint et tanquã in tabella depicta, aut in ſpeculo repræſẽtata, unico intuitu. Heu peccator, quid agetur de te: Nunquid hæc repræſentatio non tibi jam mortẽ infert præ dolore jacturæ tibi imminentis: Propter enormia ſcelera ſua *Antiochus manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtatus; ita ut de corpore impij, vermes ſcaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur* a, extremo hoc morbo laborans, nullam ſuſcipere poteſt conſolationem ab Aulicis ſuis dicentibus ipſi,

a 2. Mach. 9. 9.

Nun-

Google

Nunquid non ſunt induſtrij Medici in Regno tuo, qui cóſonos ægritudini tuæ applicandos ſatagant apparatus, teque in priſtinam reſtituant ſanitatem? Heu, reſpondet eis ille, non tam anxiat me dolor corporis, quàm exagitat me præteritorum ſcelerum meorum cogitatio, præſertim cùm tentavi *expoliare templum, quod* etiam expoliavi! Heu! peccator, cogitatio peccatorum tuorum immodicâ te vexabit afflictione, omnia peccata tua diſtinctè tibi præſentabuntur, univerſa ſcelera tua cubile tuum circuncingent, hæc concubina, lectus iſte qui fuit veluti theatrum in quo tuis indulſiſti laſcivijs, hæc omnia juſtitiam & pœnas expoſcent tibi infligendas; à te univerſa tuæ *vanitati creatura ſubiecta, non volens* b, contentâ voce ad Deum inclamabit adverſùm te, *Iuſtus es Domine* c: *iudica cauſam tuam* d. Atqui ſicut Juſtus ſecundùm rectam rationem præmia virtuti, vitio verò debet ſupplicia decernere: vitium fuit honoratum, virtus verò deſpecta fuit; vitium punietur, & virtus mercede donabitur: vitium regnavit in mundo, maximi fuit æſtimatum; ut autem aliquis ſibi honorem & famam apud homines conciliaret, ejuſdem vitij indutus eſſe debebat characteribus & inſignibus; & ſi quis virtute præditus erat, idem planè erat ac ſi foret criminoſus: nunquid non igitur oportet ut virtus glorioſum de vitio triumphum referat? ut miſericordia recedat, & ſola remaneat juſtitia, quæ condigna de criminibus & de criminoſis capeſſat ſupplicia?

[a Rom. 8. 20. b Pſ. 118. 137. d Pſ. 73. 22.]

Si verò componendi ſunt teſtes cum impijs, omnes Sancti, univerſi Innocentes oppreſſi ab illis, teſtimonium dicent contra illos animo intrepido coram ſupremo judice, *Tunc ſtabunt Iuſti in magnâ conſtantiâ adverſùs eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum* e. Orphanus, impie, quòd bonum ſuum ipſi eripueris; vidua, quòd ipſam oppreſſeris quantùm ad ſubſtantiam domus ſuæ; artifex, quòd debitam operæ ſuæ mercedem non impenderis; mercator, quòd mercibus ſuis, quas ipſi non ſolueris, vanitatem tuam foveris, & ipſum ad cedendum foro, non ſolvendo ipſi debita ſua, induxeris; & omnes Innocentes oppreſſi clamabunt *voce magna, dicentes, Uſquequò Domine (ſanctus, & verus,) non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum*? Cùm tunc verificari poſſit id quod prædixerat Ieremias g de te, peccator, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum.* Quin imò: ipſi Angeli deponent adverſùs impium, annunciabunt quantam curam adhibuerint ad revocandas animas peccatrices à via perditionis ad iter ſalutis, medijs inſpirationibus quas illis ſuggerebant, & quas illæ contempſerunt, *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam* h. Si autem omnes iſti teſtes non ſufficiãt, eò quòd intra veſtrã nõ contineantur Præfecturam ſeu Diœceſim judiciariam, ipſemet Jeſus Chriſtus, Deus iſte moriens deponet contra vos ſuper iſta Cruce, *Ego ſum Iudex & Teſtis* i. *Revelabo pudenda tua in faciem tuam* k. Heu peccator quidnam ad iſta omnia reſpondebis teſtimonia?

[e Sap. 5. 1. f Apoc. 6. 10. g Ier. 2. 34. h Ier. 51. 9. i Ier. 29. 23. k Nahum 3. 5.]

Cùm Adamum *emiſit Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de quâ ſumptus eſt* l; collocavit illum prope eundem paradiſum, ut pœna ejus eſſet gravior, videndo felicitatem quam propriâ amiſerat culpâ, ita ut loci proximitas ſupplicium illius augeret, *ut per eius eiectionem de loco voluptatis, cognoſceret ſenſibiliter quanta bona ſpiritualia amiſiſſet per culpam,* ait S. Bonaventura m. Propter eandem rationem diaboli aliqui ſunt in aëre; ſuum enim infernum trahunt quocumque pergunt, & continuâ cruciantur gehenna; & quò magis ad iſtum accedunt locum deliciarum, eò ſeverius cruciantur.

[l Gen. 3. 23. m S. Bon. in 2. ſent. diſt. 17. dub. 2.]

Poſtquã *mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno; elevans oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius: & ipſe clamans dixit, Pater Abraham, rogo te ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum* n. Quid? Auditores. Eſtne in inferno charitas, quæ de alienâ miſeriâ declinandâ ſit ſolicita? Nequaquam; ſed verebatur epulo ille infelix ne conſortium fratrum ſuorum ſuas augeret pœnas; improperium enim mali exempli quod ipſis ſubminiſtraverat, & quo in ipſum fuiſſent invecti fratres ſui, ipſi immodicam intuliſſet afflictionem: at præcipuè cupiebat eripi ſuis conſpectibus iſtud objectum beatudinis quod ipſe videbat oculis ſuis: intuitus Lazari magis illum angebat, quàm cruciarent eum omnia tormenta inferni; ideò deprecatur patrem Abraham ut mittat illum in mundum. Quãnam confuſione operietur, & quâ rabie ciebitur impius, cùm gloriam intuebitur Beatorum? *Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit* o.

[n Luc. 16. 22. &c. o Pſ. 111. 10.]

Dixit aliàs S. Philippo *Ieſus, Philippe, qui videt me, videt & Patrem* p. Quicumque reſpicit hominem, intuetur Deum, cùm Deus velit unum contrarium opponere alteri: ſicut enim in Deo inveniuntur immortalitas q, immenſitas r, æternitas s & dilectio t; in homine verò mortalitas, menſura & locus, tempus, & odium ſeu rabies: ita *cùm venerit Filius hominis in Maieſtate ſuâ, tunc* odio hominis opponet dilectionem Dei, & ingratitudini ejuſdem hominis, favores & gratias ipſius Dei. Ha! ingrate, inquiet, quomodo agnoviſti beneficia & dona mea? Videſne quomodo *plagæ iſtæ in medio manuum* u mearum, quaſi tot ora juſtitiam expoſcant adverſùm te? Quidnam egeram ut tanta ſuſtinuerim? Quodnam ſcelus patraverant iſtæ manus, ut clavis perforarentur, & *unus militum lanceâ latus* x meum aperiret? Nunquid non ideò ſic dirè iſtud & illæ excepta ſunt, ut pro tuis rapinis & oppreſſionibus juſtitiæ Patris æterni fieret ſatis, æquè ac pro tuis odijs? Iſtud os quid fecerat ut daretur *ei vinum bibere cum felle miſtum* y? Quidnam reſervatur ori tuo, quod non protulit niſi blaſphemias adversùs Deum, & detractiones contra proximum tuum? Quid commiſerat iſtud caput, ut *milites Præſidis plectentes coronam de ſpinis, ſuper* z illud ponerent? Heu quid agetur de capite tuo, quod non eſt commentum niſi cogitationes proximo tuo noxias? Si ille *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius* a, tanta pertulit; quid agetur de impio & criminoſo?

[p Ioan. 14. 9. q 1. Timoth. 1. 17. & 6. 16. r Baruch. 3. 25. s Dan. 7. 9. t Ier. 31. 3. u Zach. 13. 6. x Ioan. 19. 28 & 34. y Matth. 27. 34. z Matth. 27. 29. a 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.]

Omnes igitur creaturæ accuſabunt peccatorem; ſed quantùm ad Juſtos, infernus & terra deponẽt in gratiã illorum. Terra oſtendẽt eorũ oppreſſionẽ patienter ab illis toleratam. Infernus teſtimonium perhibebit invictæ eorum conſtantiæ & magnanimitatis. Cœlum quod non ignorat ipſorum virtutes & merita, illa in lucem prodet publicam, quandiu omnes creaturæ inſurgent in peccatorem, & contra ejus inobedientias & rebelliones juſtitiam expoſcent à Deo, de quo ſcriptum eſt, *Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum* b. Quot igitur ſunt in mundo creaturæ, totidem tunc erunt partes, quæ teſtimonium dicent adversùs impium. Ha! Domine, noli oblivìſci pretioſi Sanguinis tui; memorare hoc *pretio magno* c emptas fuiſſe noſtras animas: noli excipere nos ut Judex, ſed ut Pater filios tuos; caſtiga nos in hoc mundo, ut nihil reſerves nobis niſi blanditias in altero mundo. Declinemus, Auditores, ab iſtis infortuniis. Deus ait, *Ego quos amo, arguo & caſtigo Ecce ſto ad oſtiũ & pulſo* d. Suas offert nobis gratias; gratiæ iſtæ diſponent nos ad conciliandam nobis aliquando illius gloriam.

[b Sap. 5. 18. c 1. Cor. 6. 20. d Apoc. 3. 19. & 20.]

FERIA III. POST DOMINICAM I. Quadrageſimæ.

Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes. Tunc dicet his qui à dextris ejus erunt, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Et his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. 31. &c.

CUm Eccleſia unumquemque fidelium alloquens, ait illi, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* a, idem eſt ac ſi illis diceret ſingulis, eos ſuam ſortituros finem incendio generali, quod ipſos reverti faciet ad primam materiam, è quâ educti ſunt, *Expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent* b. Cùm unumquodque ad ſuum pergere debeat centrum. Sed quid? ardebuntne omnes flammis, Boni, æquè ac mali? Sic eſt, Auditores; iſto comburentur reprobi igne qui eſt in centro terræ, quando Electi experientur flammas illius ignis, de quo ait Dei Filius, *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi ut accendatur* c? Quemque ipſe accendit *in utero* Matris ſuæ, in quo ardere cœpit cùm *Angelus ad eam dixit, Ave Maria.* d

a Gen. 3. 19.
b 2. Petr. 3. 12.
c Luc. 12. 49.
d Luc. 1. 28. &c.

Quàm immodica eſt hominis mobilitas, nihil præ ſe fert conſtantius homo propriâ inconſtantia, quæ ſervit ipſi loco theatri omnibus ipſius exercendis actionibus accommodi: unâ deſtruit manu, quod ædificat alterâ; & tempus quod ſequitur, perſæpè videt proſtratum id quod maximis fuerat erectum curis, ita ut actiones præcedentes corrigantur ſemper à ſequentibus, & antiquiores cedant recentioribus: Deus è contrà ſicut nihil habet ipſâ glorioſius firmitate, *Ego enim Dominus, & non mutor* e: Nec in ſuis inſtabilis eſt conſilijs, licèt *accinctus potentiâ* f, nunquam tamen ſuâ utitur fortitudine in detrimentum illius quod ipſe ſtatuit. Suum unaquæque res ſervat ordinem, nedùm tamen ipſe aliquando iſtas alteret, ut gratificetur alijs. Sequimini conceptus meos, & iſtam veritatem videbitis manifeſtam in naturâ, in politiâ, & in gratiâ. Politia quæ ſequitur naturam, eam debet perficere; gratia verò ut nobiliſſima deberet etiam ſemper & ubique præcedere: hoc tamen Deus non agit ſemper, ne alteret ordines quos ſtatuit: virtus deberet ſemper triumphare, & lauris ornari, perſæpè tamen opprimitur. Regum noſtrorum Sanctiſſimus fœlicem proprio ſuorum ſortiri debebat ſucceſſum conſiliorum, cùm non ageret niſi propter cauſam Dei, quam fuerat amplexus, & ſolis Divinis invigilaret obſequiis; nihilominus de illo triumphat impietas, Saracenus adverſùs S. Ludovicum Galliæ noſtræ decus & ornamentum prævalet, pius iſte Rex in captivitatem traditur, & ſævâ tandem enecatur peſte inter hos infideles. Alexander magnus, qui magis quàm unum ambit orbem ſibi conciliare, quique lachrymas fundit cùm audit enarrari dari mundum alterum, totum iſtum ſuæ ſubjicit ditioni, & licèt Ethnicus ſit, omnes tamen homines habet ſubditos: neque Julio Cæſari conſilia ſua unquam melliùs ſucceſſerunt ad deſiderium, quàm cùm magis injuſtè agebat, deprimens Romam quæ ipſum evexerat, ſuamque impendens operam ad moliendam totius ruinam corporis, ut meliùs ſtabiliret & firmaret partem. Quare iſta omnia? ut quid elementa non favent juſtitiæ? cur ſanctitas non triumphat de vitio, & virtus de crimine? Ratio iſtius eſt:

e Malach. 3. 6.
f Pſal. 64. 7.

Quia Deus non vult pervertere ordinem à ſe ſtatutum; propterea infirmitas perſæpè cedit fortitudini, etiamſi injuſtæ, politia naturæ; & iſtæ duæ ut primogenitæ, ipſi gratiæ, eam ſæpè præcedunt: & quàmvis gratia ſit ſtatus ſuperioris, non agit tamen Deus ſemper miracula in favorem ejus, ſed perſæpè dilectioni ſuæ videtur eſſe injurioſus, ne ullo modo à ſe ſtatutos pervertat ordines. Mulier prægnans ſuum enititur fœtum, periculum eſt ne infans moriatur abſque Baptiſmo, neve non renaſcatur *ex aquâ & Spiritu ſancto* g, & ſic tollatur è medio antequàm iſtam ſuſceperit aquam, quæ corpus abluens, animam ſanctificat, æquè ac purgat; unuſquiſque de eâ recuperandâ eſt ſolicitus, & ad iſtud quærendum properat elementum, ſuſpiria edit puerpera, vellet ipſa videre perire in æternitatem eum, quem mox in mundum edidit, nemo eſt qui vota Deo non offerat in gratiam infantis: ut remedium eſt illi jam jam applicandum, ecce moritur innocens iſte reus, & peſſumit. Quid, Deus meus, nonne *pretio magno* h hæc anima à te redempta eſt? Quare non prolongabas ei vitâ corporeâ ad aliquot momenta, quorũ interventu vitam animæ ſuſcepiſſet ſpiritualem? Utquid non attendiſti ad diligentiam, quam præ ſe tulit unuſquiſque ad remedium quærendum illi proficuum? Cur parere non diſtulit eum ad aliquot momenta mater ejus? Propter quam rationem tot ſupplicum non exaudiſti vota & obſecrationes? Dicemuſne quòd ſis impotens, aut quòd nolueris illud facere? Deus hoc poterat, Auditores; & illud noluit agere, nec ſemper patrat miracula; ſed ordinariè cauſas ſinit agere ſecundas, ne à ſe conſtitutum pervertat ordinem. Natura præcedit gratiam, ideò moritur hic infans priuſquàm gratiâ ſuſceperit; propterea cùm *Deus* liberũ homini fuerit impertitus arbitrium, dìtiſſimum naturæ noſtræ ornamentum, *reliquit illum in manu conſilij ſui; adiecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi* i. Iſtorum nobis datur optio; abſolutè quidem poſſet nos ſalvare Deus, ſi vellet; ſed noſtro non vult officere libero arbitrio; itaut à nobis pendeat noſtris adhærere paſſionibus, aut eas mortificare; vitio indulgere, aut virtutem amplecti; totum vitæ noſtræ tempus penes nos eſt, illud inſumere poſſumus ut nobis placet; ſed poſt mortem noſtram Deus *reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati credunt autem iniquitati, ira & indignatio* k Divina adveniet. *Tunc dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Et his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Quonam dolore afficietur Deus, videns ſe tenori ſuas perdere creaturas; ſed

g Joan. 3. 5.
h 1. Cor. 6. 20.
i Eccli. 15. 16. &c.
k Rom. 2. 6. &c.

quod

quod infortunium creaturæ videntis ſe damnatam *in ſupplicium æternum.* Compatimini, Auditores,
Diviſio.
in priori parte diſcurſus iſtius, dolori Dei, æquè ac infortunio creaturæ. In poſteriori verò videte fælicitatem creaturæ poſſeſſuræ paradiſum è liberalitate Dei propter ſua bona opera.

I. Pars.
Quandiu dehiſcit terra ad devorandos reprobos, noſtros aperiamus oculos ut videamus ſtragem peccati, & impreſſiones infirmitatum creaturæ, quas fecit ipſi Creatori. Tribus obnoxia eſt creatura mutationibus, quas peccatum impreſſit Creatori. Prima mutatio eſt ab eſſe ad non eſſe. Secunda eſt ab uno loco ad alium. Tertia verò à minori perfectione ad majorē. Angeli creati in gratiâ l, medio exercitio libertatis ſuæ, quam inſumpſerunt in amplectendam cauſam Dei contra Luciferum, *Michaël & Angeli ejus prælaabantur cum dracone* m, gloriam meriti ſunt, tranſeuntes à minori perfectione ad majorem, à gratiâ in gloriam, à bono incepto ad bonum conſummatum. Mutatio ipſis proficua, cùm ipſos conſtituerit in ſtatu felicitatis, è quâ nunquam excident. Cœli continuos peragunt motus ab uno loco in alium locum, & ſuper noſtra jugiter gyrant capita. Tandem, Creaturæ ſublunares & corporeæ motui illi ſubjacent qui fit ab eſſe ad non eſſe, à vitâ ad mortem. Atqui peccatum tres hujuſmodi motus aut mutationes peragere Deum effecit. Ab eſſe tranſivit ad non eſſe, à vita ad interitum, propterea *Verbum caro factum eſt* n. Ideò is *qui ſolus habet immortalitatem* o, morti ſubjacere voluit efficiens ſe hominem & mortalem ſicut nos. Secundum motum præ ſe tulit, *Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat* p. Id eſt, è loco in locum: zelus autem illius qui inducebat ipſum ut operam ſuam in ſalutem hominum ſatagendam impenderet, hôc ipſum ciebat ſecundo motu. Tertium tandem habuit motum, dum tranſivit à ſtatu mortalitatis ad immortalitatem, à temporaneâ infelicitate ad felicitatem æternam, *Mors illi ultrà non dominabitur* q. Sed imprimis obſervate ad videndum melius horrorem peccati, quòd cùm in ſe duas habeat Deus qualitates, quæ videntur ipſius gloriam conſtituere, nimirum gaudium, & dilectionem, qualitates quæ ſunt veluti inſeparabiles ab eſſentiâ ipſius, tamē peccatum inducit ipſum à gaudio ad triſtitiam, & à dilectione ad odium. Qualis mutatio, qualis dolor erit in hoc corde amante, cùm tenebitur perdere id, quod tantâ cura efformaverat, dicendo, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

l Gen.1.3.
m Apoc. 12.7.
n Ioan. 1.14.
o I Timot. 6.16.
p Luc. 4.30.
q Rom. 6.9.

Cùm eximius pictor aliquam perfecit tabellam, in quam omnem ſuam inſumpſerit induſtriam, ſi forte ſplendorem hujuſmodi imaginis aliquis tyro præ inadvertentia, aut præ ignorantia obſcuret; ſi ipſemet pictor virtute eſt præditus, ſuas coercet paſſiones, eiſque violentiam infert, exhibendo intuendum præ pallore vultus ſui, dolorem, quo afficitur videndo obſcuratum opus ſuum; ſi verò tantam præ ſe non ferat virtutem, irâ cietur immodicâ & flammas iracundiæ emittit ex oculis; unde ſigna præbet manifeſta doloris quem ſuſcipit; intuendo opus ſuum è primo ſuo excidiſſe decore: cœlum & terra non ſunt niſi opus digitorum Dei, *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum* †. Homo verò eſt opus eximium manuum illius; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ait Scriptura r. Et Tertullianus s, *Recogita totum illi Deum occupatū, ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, providentiâ, & ipſâ imprimis adfectione, quæ lineamenta dictabat.* Videns igitur hanc imaginem excidiſſe à pulchritudine ſuâ, malitiâ Luciferi, hunc ſpiritum nequam maledixit in figurâ ſerpentis t, deinde oſtēdit dolorem quo afficitur ſe produxiſſe hominem, *& tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ. Pœnitet enim me feciſſe eos* u. Dolor iſte Dei ſic eſt ingens ut inducat eum ad puniendos illos, qui illam deformaverant imaginem, ideò ab eo *cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus* x. Quæ hujuſmodi terrā purgavit diluvio univerſali, quod ſolus fuit effectus doloris, quo ipſe affectus eſt videndo, quòd *denigrata ſuper carbones facies eorum* y, aut imago ſua eſſet. Si autem pictor iſte ſuam ipſemet caperet imaginem, eamq; propriis laceraret manibus, & in ignem illam projiceret, proculdubio dolor ejus irâ miſtus, eſſet immodicus, cùm opifex ſuum deſtrueret opus, & pictor ſuam picturam: Heu! Auditores, judicate quantus ſit dolor Dei, ex irâ illius: ſumus nos opera ejus, ipſe eſt Opifex noſter; nos ſumus imagines ejus, ipſe eſt Pictor, aut Sculptor qui eas concinnavit: ipſe eſt *Pater noſter* z. Nos verò filij illius: quali dolore, quantâ triſtitiâ afficitur cor iſtud amantiſſimū Dei noſtri, vidēdo ſe teneri perdere id quod ipſe fecit, eò vel maximè quòd ipſe *in mundum* * *venit quærere & ſalvum facere quod perierat* †, *& lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* a. Quanto igitur dolore afficietur, cùm pronunciabit hæc verba, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

† Pſ. 8. 4.
r Gen. 1. 26.
s Tert. lib. de Reſurrect. Carn. c. 6.
t Gen. 3. 14.
u Gen. 6. 6. & 7.
x Gen. 7. 11. &c.
y Thren. 4. 8.
z Matth. 6. 9.
* Ioan. 16. 28
† Luc. 19. 10. & ex Matth. 18. 11.
a Apoc. 1. 5.

Secunda ratio, quæ oſtendit dolorem Dei, in hoc eſt ſita, quòd ipſemet proprios filios ſuos patibulo affiget, & ore proprio decretum condemnationis ipſorum pronunciabit. *Cùm ingreſſa fuiſſet mulier Thecuitis ad Regem* David, quem à Joab Duce exercituum ejus generali didicerat iratum fuiſſe adversùs Abſalom filium ſuum, *dixit ad Regem, Quare cogitaſti hujuſcemodi rē, & locutus eſt Rex verbum iſtud, ut non reducat ejectum ſuum? Nec vult Deus perire animam, ſed retractat, cogitans ne pœnitens pereat qui abjectus eſt* b. Quaſi diceret, Sacra Majeſtas, quare iſtud formaſti conſilium filio tuo injurioſum, cujus ruinam machinans? Non ita ſe gerit Deus, cujus es imago viva; & quàmvis propoſuiſſet pœnas de aliquo ſumere, certum eſt illum ſe retractare, quia nullius vult interitum, ut ipſe ait, ſed uniuſcujuſque emendationem, ſi in bonam ſeſe recipiat peccator frugem, *Nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* c. Utitur hæc mulier ſapiens comparatione patris amantis, qui habens filium otioſū, diſſolutum, & nequam, firmiter ſtatuit illum hæreditariâ privare ſucceſſione, nec ullum ei nummum dare quandiu ipſe vixerit, nec aliquid illi poſt mortem ſuam relinquere; & interim meditatur eum domo ejicere: tunc intuetur diſſolutiones ejus quæ ipſum exacerbant, quæ juſtâ ipſum accendunt irâ, & virgas præ manibus ipſius ponunt; ſed paulò pòſt reflectens ſe ſupra ſemetipſum, & ſupra paternam qualitatem, ſuo innixus cubito, variis diſcerptus cogitationibus, ait intra ſe, Ipſe tuus filius eſt, ſi illius ſuſtinere non poſſis diſſolutiones, quis petulantias ejus ſuſtinebit? ſi ejicias illum domo, ſe pravo alicui conſortio ſociabit, quod illum tecum ducet ad ſuſpendium; in bonam emendatæ vitæ ſeſe poterit recipere frugem, umbra tua erit illi loco pædagogi; & hoc modo proponit anteactas illius diſſolutiones ei condonare, memoratus ſe eſſe patrem. Videte quomodo prodigus non fuit inſcius iſtius praxis bonitatis, *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe; & poſtquàm omnia conſummaſſet, ipſe cœpit egere; & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci māducabant, & nemo illi dabat. In ſe autem reverſus, dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo! Surgam & ibo ad patrē meum, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum, & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Et ſurgens venit ad pa-*

b 2. Reg. 14. 1. &c.
c Ezech. 33. 11.

d Luc. 15. 13. &c. e S. Chryſoſt ſerm. 2 de Prodig.

trem d. Sed quò pergis prodige? nonne ſcis te patrem tuum diſſolutionibus tuis exacerbaſſe? petit ab eo S. Chryſologus e, *Quâ ſpe? quâ fiduciâ?* Et ipſe reſpondet ore ejuſdem S. Chryſologi, *Quâ ſpe? illa qua pater eſt. Ego perdidi quod erat filij: ille, quod patris eſt, non amiſit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus eſt in patris pectore ipſe qui intervenit, & exorat affectus.* Advocatus eſt in corde patris mei, qui cauſam meam dicit, amor. Qualitas patris omnem prætergreditur exceſſum. Si verò, Auditores, non obſtante hoc amore pater proprium filium patibulo ſuffigeret, & eum ſuſpendio enecaret, nonne immodicum exiſtimaretis illius dolorem eſſe, & viſcera illius diſcindenda præ compaſſione? Veruntamen hoc idem eſt quod peragit Deus adversùs creaturas ſuas, quæ ſunt filiæ ipſius, parat illis patibula, damnat illas *in ignem eternum.* Præcipitat illas *in ſupplicium æternum.* Unde nunquam illæ exibunt. Quanto dolore afficietur Deus cùm pronuntiabit hæc verba, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed quantum erit infortunium creaturæ quæ ibit *in ſupplicium æternum* ex decreto Creatoris, qui inde immodico afficietur dolore, videndo ſe teneri perdere creaturam ſuam rebellem.

f Ioan. 19. 30.

Advertiſtiſne unquam differentiam quæ admittitur inter mortem Filij Dei & interitum aliorum hominum? Homines moriuntur antequàm caput inclinent, ſed Chriſtus ſuum Caput inclinavit, & deinde mortuus eſt, *Jeſus inclinato capite tradidit Spiritum* f. Ratio hujus differentiæ eſt, Auditores, quia ſi Chriſtus intuitus eſſet, antequàm efflaviſſet Animam, nihil vidiſſet coram ſe niſi inimicos, carnifices, & Judæos, & ſic obijſſet iræ ductus affectu, & in ſtatu qui ipſum induxiſſet ad expoſcendam à Patre ſuo vindictam de injuriâ ſibi irrogata; ſed *inclinato capite* non habuit pro objecto niſi Pectus ſuum flagellis diſciſſum, & Sanguine cruentum præ amore propter ſalutem hominum, & Corpus ſuum ſic ſauciatum ut tot haberet ora quot vulnera, quæ ideò inſumpſit, colligendo exiguas, quæ ipſi ſupererant, vires ad impetrandam à Patre ſuo perſecutoribus ſuis veniam, *Pater dimitte illis* g.

g Luc. 23. 34.

Nihil præ ſe fert niſi miſericordiam & ſuavitatem ſuper monte Calvariæ, pro objecto habens Pectus ſuum laceratum, quod erat fornax dilectionis: ſed iſto tempore rigoris, die ultimi judicij nihil habebit niſi iram, nihil expetet niſi juſtitiam adversùs peccatores, ſua intuebitur vulnera, & *plaga iſta in medio manuum* h & pedum ejus, & *lanceâ latus ejus* i apertum, contestatâ voce inclamabunt vindictam contra impios: Sangvis iſte vocem extollet adversùs reprobos, nulla ſupererit eis ſuavitas, compaſſio, miſericordia eroganda. Intuens brachia ſua, petet ab eis, num impiis ſit impendenda indulgentia: Ha, dicent illa, peccatores huic te ſuffixerunt patibulo, & poſt tot ingratitudines vellesne eis gratificari? Conſulet ipſe latus ſuum, Erogabimusne veniam peccatori? Ha! te ſic perſæpè conculcavit, *& Sanguinem Teſtamenti pollutum* duxit, *in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam* k fecit. Indignus eſt miſericordia, & omni juſtitia dignus, *Tunc dicet his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Heu! *Diſcedite.* O miſeria! *Maledicti.* O Compaſſio! *In ignem æternum.* O Rabies! O furor! *Diſcedite.* O elongatio & receſſus! *Maledicti.* O horror *In ignem æternum!* O Deſperatio! *Diſcedite.* Heu quònam pergemus! *Maledicti.* O infortunati! Quis autem unquam audivit pronunciari decretum cum improperiis & maledictionibus? *Maledicti.* Id eſt, à Deo, à totâ SS. Trinitate, ab Angelis, ab hominibus, & ab univerſis creaturis. *Diſcedite.* Si aulicus propter intuitum parùm ſeverum à Rege ſuo adversùs ſe projectum, deliquium ferè patitur animi; ſi è Curia ejus ejectus, extremum penè vitæ agit agonem, heu quid agetur de reprobis? *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Quale domicilium, ſociari in æternum diabolis! *Dives ſepultus in inferno, elevans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, & ait, Rogo te Pater ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres ut teſtetur illis ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum* l. Ha! ſi veniret ipſemet epulo, qui cupiebat ut Lazarus iret prædicatum fratribus ſuis, ipſe inquam, qui clamat præ rabie, *Crucior in hâc flammâ*, edoceret nos quanti ſint rigores infœlicis æternitatis. Sed tranſeamus ad poſteriorem partem.

h Zach. 13. 6. i Ioan. 19. 34. k Hebr. 10. 29. l Luc. 16. 22. &c.

II. Pars.

Tempeſtatem ſequitur tranquillitas, aërem non ſemper circundant nebulæ, nunquam apparet Sol ſpecioſior quàm poſt eclypſim ſuam, nec aër ſerenior niſi poſtquam venti ab ipſo fugarunt nebulas, quæ ipſum obſcurabant, modò totus erat ignitus aër quandiu *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* m fulminibus armatus non vibrabat ex ore ſuo niſi decreta maledictionis, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed nunc totus majeſtate ſplendet, & ſpecioſus apparet animabus juſtis, nec ulla præ ſe fert verba niſi ſuavia & conſolatoria; nihil pollicetur niſi mercedes & felicitates, cælum eſt totum gaudio inſtructum, & non exerceret Deus niſi miſericordiam erga Electos ſuos, quos ad ſuæ vocat fruitionẽ gloriæ præ liberalitate ſuâ intuitu bonorum operum illorum, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

m Eccleſia ex Malach. 4. 2.

Sed fatendum eſt, infelicitatem eſſe ſeculis noſtris ordinariam, ut unuſquiſque fulcra quærat, quibus innixus, meliùs erroribus ſuis authoritatem conciliare ſatagat: loquitur quiſque de eo quod ignorat, & de rebus judicat juxta quod imaginatur: unuſquiſque in proprium debachatur commodum, & authorem ac vindicem profert S. Paulũ, quem non intelligit, dum ait, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die, juſtus Iudex* n. Litem ei inſtituit, nedum ipſum cognoſcat; & ipſum condemnat, nedum ſciat quare. Proprium commodum tyrannus eſt, dicit unuſquiſque. Non diffiteor, ſed dulcis tyrannus, tyrannus honorabilis qui efficit ut captivi ſua adorent vincula, & illi, quos conjicit in captivitatem, priſtinam ſuam reſumere renuant libertatem. Proprium commodum eſt rex qui potenter agit; anima quæ optimas animat actiones; calcar quod nos ſtimulat; & motivum quod inducit nos ad agendum. Videte quomodo non agitur niſi proprij intuitu commodi in ſtatu naturæ, politiæ, & religionis. In ſtatu naturæ, loquitur Deus, & totum mundum iſtum educit è nihilo, *Ipſe dixit, & facta ſunt* o. Deinde, Præcipit terræ ut herbas producat & fructus, & ſtatim coronat ſe ipſam terra floribus & fructibus, & arbores efficiuntur fertiles, *Et ait, Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum: & factum eſt ita* p. Ita ut commodum inveniatur in executione mandatorum Dei. In ſtatu politico non promovetur quis ad officia, neque ſedet in tribunalibus ſublatis niſi ob commodum privatum, aut publicum, ad glorioſiſſimas iſtud motivum inducit actiones, & hæc conſideratio efficit ut unuſquiſque omnia aggrediatur, ut ea ſuccedant ſibi ad deſiderium. Imò in ipsâ religione, quæ tota ſancta eſt, nonne

n 2. Timoth. 4. 7. & 8. o Pſ. 148. 5. p Gen. 1. 11.

Deo

Deo David q dicit *p Inclinavi cor meum ad facien-das juſtificationes tuas in æternum propter retributionẽ.* Non me latet differentia quæ eſt inter commodum honorabile & comodum profanum quod meretur ſupplicũ : nolle pervenire ad dignitates & ad officia niſi ad peragendas oppreſſiones, ad vendendã juſtitiam, hoc eſt mereri patibulum ; in iis non quærere niſi honorẽ, & captare auras populares, iſtud eſt ſe exhibere crimmoſum ; ad illa ſuas operas impendere propter ſe tantum, res eſt indigna Chriſtianis ; & in eos qui comoda publica ſuis privatis inſervire faciũt comodis in diſpendiũ illorum vel altariũ, invehitur S. Paulus, *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti* r. Sed quòd quis publica quærat comoda, & in obſequiũ altariũ ſe ſacrificet more Solis, quod eſt maximè glorioſũ. *Quis eſt hic, & laudabimus eũ* s?

p Pſ. 118. 112.
r Philipp. 2. 21.
s Eccli. 31. 9.

Non eſt ita exigui momenti comodum privatũ ut non inducat nos ad deſiderium æternorum: propterea hodie Dei Filius ſuum non tribuit paradiſum niſi propter bona opera. Locutus eſt ſupra Apoſtolus de hoc comodo privato, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Quod complectitur præſcientiam Dei cum noſtrâ libertate, & prædeſtinationem t ejus cum meritis noſtris. Sed ſicut in diverſis motibus qui habentur in conſiliis publicis aliquod ſemper eſt punctum privatum quod concludit pacem; ſic in diverſis ſententiis quæ habentur de Divinâ Prædeſtinatione, unam ſtabiliemus, quæ claram iſti lucem afferet veritati : atqui quemadmodum veritas conſervatur in medio ; ita perit ipſa in extremis. Calvinus adhæret uni extremo ; propterea opinio illius eſt erronea : ait enim, quòd Deus deſtinans nos ad gloriam, vim nobis inferat, nedum nobis agendi relinquat libertatem ; totum tribuit Deo, & nihil homini ; & ut Deum faciat omnipotentem, creaturam ad impotentiam redigit : dicit, eſſe irrogare injuriam meritis Chriſti ac ea credere inefficacia ad ſalvandos nos : totum Deo dat, & totum aufert à creaturâ. In alterum vergit Pelagius extremum, dicens, hominem habere in ſe principia fidei & meriti, & ex ſeipſo poſſe credere, & ſuam mereri juſtificationem, & conſequenter glorificationem ſuam, *Liberum autem arbitrium defendendo præcipitant, ut de illo potiùs ad faciendam juſtitiam, quàm de Domini adjutorio confidatur, atque ut in ſe quiſque, non in Domino glorietur*, ait S. Auguſtinus u, ſcribens contra duas epiſtolas Pelagianorum. Catholicus medium tenet ut certiſſimũ, homini dat, nedum Deo noceat, homo eſt coadjutor Dei quoad ea quæ ſuæ ſunt ſalutis, *Non ego autẽ, ſed gratia Dei mecum* x. Calvinus igitur totum tribuit gratiæ, & ut filios Dei nos reddat, beſtias nos efficit, deſtituens nos libertate : Pelagius è contra totum adſcribit libero arbitrio : Catholicus verò & gratiæ & libero arbitrio, concurſui noſtro & gratiæ ſimul : ego autem adhærebo hoc in occurſu ſententiæ S. Auguſtini qui linguæ meæ æquè ac mentis meæ dux erit. Sciendum eſt ergo cum Philoſophis, quòd in omnibus conſiliis, quæ quis aggreditur, duo inveniuntur, intentio, & executio. Intentio præcedit ſemper executionem, intentio non reſpicit ſimpliciter niſi finem, nedũ aliquid aliud intueatur. Executio verò capeſſit media attingendo huic fini opportuna : V. g. propono Romam pergere. Roma eſt finis quem mihi conſtituo, prima ipſa eſt in intentione meâ; & quia ut ad illam civitatem eatur, ſciendum eſt per quam viam, per mare aut per terram, peditando aut equitando, per talem Provinciam aut per talem, diſpono media, quod intuetur executionem, quæ ſemper ſequitur intentionem, *Quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione.* In Deo duas iſtas obſervare poſſumus vias quoad ordinem Divinæ prædeſtinationis, cùm habeat coram ſe & in ideis ſuis, omnes homines præſentes præ bonitate ſuâ. Quia *bonum eſt diffuſivum ſui* y, vult illis quidem gratis ſuum dare paradiſum, quoniam cùm ſit *Dominus omnium* z, de eo agere poteſt prout vult : hanc igitur habet intentionem, *Omnes homines ſalvos fieri* a *volo.* Non intuetur niſi finem, qui eſt gloria ſua, quam vult illis dare gratis, & ut purum donum : ſed cùm agitur de executione, ipſe reſpicit media per quæ pervenire poſſit ad iſtum finem, ad quem eos vocat, ideò præſcribit eis bona opera, *Elegit nos ut eſſemus ſancti* b. Non quia ſancti eramus, aut eſſe debebamus, ſed quia volebat *ut eſſemus ſancti, id eſt, puri in animâ, & immaculati in opere*, ait Dionyſius Carthuſianus c. Nimirum, ut bonis incumberemus operibus ; ita ut id quod erat purè gratuitum, in bonis operibus efficiatur meritorium quoad executionem. In quo mirari debemus bonitatem Dei ſuam volentis gloriam ſuæ comunicare creaturæ, & unire infirmitates brachij terreni, fortitudini brachij omnipotentis. Poterat, ſi voluiſſet abſque concurſu noſtro ſuum nobis tribuere paradiſum, ſed vult ut illum mereamur, & ut prædeſtinatio ſua noſtris ſocietur meritis; ſicut in Incarnatione intuetur infirmitates hominis, & eas unit fortitudini Dei, potentiam Creatoris infirmitati creaturæ, nedum noceat Deo hæc miſtio, aut officiat creaturæ, quandiu Deus *fecit potentiam in brachio ſuo* d. Sic quantùm ad prædeſtinationem, concurſum capit hominis, nedum ſuæ officiat gloriæ, & vult ut ſui ſimus coadjutores quoad ſatagendam ſalutem noſtram, *Unuſquiſq; propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Dei enim ſumus adjutores* e. Et, *Sumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis* f. Philoſophi aiunt, *Creatio fit ex nihilo.* Deus creans iſtum mundum, eduxit illum è nihilo, *Sumus creati in Chriſto Ieſu.* Et, *Deus prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum* g. Id eſt, per ſola viſa merita Filii ſui, antequàm aliquid eſſet in nobis, imò verò priùſquàm eſſemus, *ſumus creati in Chriſto Ieſu.* Nihil erat noſtri in hâc primâ intentione, quam habuit dandæ nobis gloriæ ſuæ : & hæc eſt differentia quæ datur inter creationem & alia opera h, quæ ipſe fecit ex præjacente materiâ licet à ſe creatâ, in quam ſuam impendit operam. Si adeatis ſartorem, & dicatis ei ut vobis pallium, aliudve veſtimentum concinnet, confectum à vobis pannum expetet : ſi vultis ut faber lignarius faciat vobis abacum, aut ſedilia, requiritur ut provideatis ei lignum, quia oportet ut ſit aliquod ſubjectum quod iſtorum ſuſcipiat actionem opificum : nihil contribuimus ex nobis quoad iſtam primam intentionem Dei, ſed ad executionem concurrere debent bona opera, oportet ut manum applicemus praxi actionum virtutis & ſanctitatis, *Sumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* Oportet ut brachium noſtrum uniamus brachio Dei, & concurſum noſtrum gratiæ ejus, cùm verum ſit id quod ait S. Auguſtinus i, *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te.*

t Rom. 8. 29.
u S. Aug. lib. 1. ad Bonifac. c. 2.
x 1. Cor. 15. 10.
y S. Dion. lib. de Divin. Nom. c. 4.
z Eſth. 13. 11.
a 1. Timot. 2. 4.
b Epheſ. 1. 4.
c Dion. Carth. art. 1. in Epheſ. 1. 4.
d Luc. 1. 51.
e 1. Cor. 3. 8. & 9.
f Epheſ. 2. 10.
g Epheſ. 1. 5. & 5.
h Gen. 1. 9. &c.
i S. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſt. c. 11.

Oportet ut in quolibet Regno ſint officia, dignitates, & mercedes ad præmiandos eos, qui hujuſmodi præmia ſunt meriti, quique iſtis allecti lenociniis ad glorioſiſſimas trahuntur actiones peragendas ; & Deus non reliquit noſtris in cordibus vacuum niſi ut nos induceret ad illud replendum mercede, quam vult nobis impendere ob noſtra bona opera : ſic maximum infortuniorum quæ accidere poſſint hominibus magnanimis & ad ſublimia natis, eſt ut habeant jure natalium id, quod magnanimitas ipſis daret, niſi illud alio jam poſſiderent titulo, & cùm nihil ſit circa quod generoſum ſuum exercere poſſint animum, nec ulla ſit merces quæ coronare debeat præclara, quæ ipſi patraturi forent facinora, proptereà otio torpent.

k Pſ. 1. 7 & Ioan. 17. 24.

Tres naturæ capaces ſunt gloriæ poſſidēdæ, divina, Angelica, & humana. Natura divina eſt ſummo modo beata k, & felicitas eſt illi naturalis, cùm nihil fuerit ei neceſſarium ad eam conſequendam, eò quòd eam ab æterno poſſideat. Angelus, ut ſpiritualis, unico velut greſſu, id eſt unicâ actione meritoriâ hanc cō-ciliavit ſibi felicitatē l, è quâ nunquam excidet. Homo verò corporeus ſuum promovere debet pedem, & multos greſſus agere ut iſtam ingrediatur hæreditatem, quam Deus ipſi dare vult, ſi eâ bonis operibus ſuis dignum ſeſe exhibeat. Sicut enim in ordine naturæ poterat Deus illuminare per ſemetipſum abſque miniſterio Solis, Lunæ, & ſtellarum, nedum faceret *duo luminaria magna; luminare majus ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti; & ſtellas* m: veruntamen cauſis vult uti ſecundis; ita in ordine gratiæ & gloriæ ſuum dare nobis poterat paradiſum abſque concurſu noſtro, ſed eum à nobis exigit, ut nobis communem reddat ſalutis noſtræ gloriam: & licèt Sanguis ejus & merita ipſius ſint infinita n, ea tamen nunquam efficacia erunt niſi merita ejus nobis medio concurſu noſtro ea applicuerimus. Sic eſt, Auditores: quidquid operatus eſt Chriſtus in gratiam noſtri, foret inutile, niſi ei noſtrum ſociaremus concurſum, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea* o.

l Apoc. 21. 7.

m Gen. 1. 16.

n 1 Cor. 6. 20.

o Coloſſ. 1. 24.

Oportet ut ſedulo labori incumbamus, cùm paradiſus non ſit nobis impendendus niſi propter noſtrum laborem, *Homo naſcitur ad laborem* p. Obſervat Scriptura, quòd quandiu ſolus manſit Adam in paradiſo terreſtri, nō laboravit; ſed quod cùm *dixit Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi; immiſit ſoporem in Adam* q. Super quod ait Cornelius r, *LXX. ecſtaſim vertunt: unde patet non tantùm ſomnum hic Adæ immiſſum eſſe; ſed etiam ſimul cum ſomno eum raptum eſſe in ecſtaſim mentis, quâ mens eius non tantum naturali modo ſoluta erat à corporis & ſenſuum functionibus, ſed & divinitùs ita elevabatur, ut videret ea quæ gerebantur, & ſpiritu prophetico cogniſceret myſterium per ea ſignificatum.* Nimirum, quòd nec ipſe (ſicut nec homo) poſitus eſſet in mundo ad ducendam uxorem, ad indulgendum voluptati, comedendum, bibendum, & dormiendum; ſed ad procurandam ſalutem ſuam, & ad cogitandum de rebus cœleſtibus ſibi comparandis: ſi enim Adam in paradiſo terreſtri laborare debuit; potiori ratione nos, qui ſumus ſuper terrâ innumeris impetiti occaſionibus moliendæ ruinæ noſtræ.

p Iob 5. 7.

q Gen. 2. 21 & 22

r Cornel. in Gen. 2. 21.

Salomon ſuum terminat Eccleſiaſten s his verbis, *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obſerva: hoc eſt enim omnis homo. Id eſt, ad hoc natus, ſictus, & factus eſt omnis homo, ut ſcilicet Deum timeat, & mandata eius obſervet: hoc eſt enim omnis homo; id eſt, ad hoc obſtringitur omnis homo iure naturali, Divino, & humano,* ſubdit Cornelius t. Et S. Bernardus u cōcludit, *Ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil omnis homo.* Si autem hoc eſt officium hominis, multò fortiùs hominis Chriſtiani; ſi illud non exequimur, non ſumus homines, ſed beſtiæ. Ha eſtne exercitium conſonum homini, non dico, Chriſtiano, dies tranſigere inter comedendum, bibendum, dormiendum, & voluptati æquè ac ludo indulgendum? Non deſunt homines quadraginta aut quinquaginta annos nati, qui ne vel ullum fortaſſe diem inſumpſerunt ad cogitandum ſeriò de peragendâ ſalute ſua, quorum ſinguli dici poſſunt, *Puer centum annorum* x. Philoſophia ait, *Actiones ſpecificantur à fine.* Non judicatur de homine niſi quatenùs ad exercitia ejus; miles agnoſcitur quis, cùm enſem defert, haſtam, aut catapultam; ſi autem negotiaretur, mercator haberetur, & non miles, ſicut ſi mercator armis exercendis vacaret, non reputaretur mercator, ſed miles: ſi Chriſtianus ſolis incumbat ineptijs & vanitatibus, diceturne Chriſtianus? Opera ejus ſunt exercitia Ethnici; quomodo igitur cœlum poterit ipſe prætendere?

s Eccl. 12. 13. & 14.

t Cornel. in Eccl. 12. 13.

u S. Bern. ſerm. 20. in Cant.

x Iſai. 65. 20.

Intereſſe mihi videor judicio, & intueri unumquemque eò ſuam inferre ſarcinam, *Vnuſquiſque onus ſuum portabit* y. Primus qui illuc accedit, eſt vir copioſâ ſcientiarum inſtructus ſupellectile; aperiamus, ſi placet, peram ejus; in illa multi inveniuntur libri; ex eâ unus educatur, primo intuitu videtur eſſe liber S. Auguſtini, ſed eſt Platonis; illinc eruitur alius, apparet hic liber eſſe Granatenſis, ſed eſt Ariſtotelis, qui conciliandis idonei ſunt magnis Philoſophis, ſed non bonis Chriſtianis: ecce alius qui videtur eſſe liber Philotheæ, ſed eſt Juſtiniani, alius eſt Machiavelli, libri apti efficiendis hominibus magnis Juriſperitis, & Politicis, ſed infelicibus Politicis, cùm doceant modum decipiendi, & ferendorum criminum ad altaria uſque, nec ullus in eis ſit qui alios doceat exercere virtutem, & modum peragendæ ſalutis æternæ, ita ut non videatur amplius quis homo probatæ vitæ confeſtim ac peritus ſcientiarum efficitur; &, licèt multùm ſtudeat, non edoceatur tamen *ſcientiam Sanctorum* z. Scriptura ſacra homines doctos ſtellis comparat, *Qui docti fuerint, quaſi ſtellæ.* Lucifer in cœlo ſtellas habebat ſub ſe, *Et ecce draco magnus rufus, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram* b. Id eſt, eas habet adhuc ſub ſe in inferno, cùm homines ſcientiarum periti non ſint tales niſi ad meliùs decipiendū, & ad reddendos lapſus ſuos probroſiores, juxta id quod dicitur,

y Galat. 6. 5.

z Sap. 10. 10.

a Dan. 12. 3.

b Apoc. 12. 3. & 4.

Tolluntur in altum,
Vt lapſu graviore ruant.

Heu miſerrimos homines, qui præ ſe non tulerunt oculos, niſi ad machinandam ruinam ſuam! Ariſtoteles æquè ac Plato, & tot alij eximij viri, propter exquiſitas ipſorum qualitates laudibus & encomiis evehuntur ubi non ſunt, & diris torquentur ſupplicijs ubi ſunt. Genij naturæ vocabantur, & tamen apertos non habuerunt oculos ut declinarēt ab abyſſis, in quas lapſi ſunt. Periti erant illi, ſed illius ſcientiæ, quæ ipſis viam aperuit ad perditionem. Induſtrii erant, & nihil ignorabant eorum quæ homini congruebant inſtituendo juxta rectam rationem, ſed defecerunt quoad ea, quæ æternam ipſorum intuebantur ſalutem, exercenda, *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* c. Quid dicemus igitur ipsâ judicij ultimi die, cùm ſcientia noſtra condemnabit nos? Reſeratur theca alterius; quidnam invenitur in ea? Pulveres aromatici, odores, & unguenta. Fortaſſis ille eſt aliquis unguentarius. Nequaquam, ſed vir nobilis. In illa ſunt exigua emplaſtra nigra, quæ vulgò vocantur muſcæ, forſan hæc theca eſt mulieris. Nequaquā, ſed viri. Res indigna viro ac mutare qualitatē viri in qualitatē mulieris, & ſexui injuriā irrogare! Certū eſt, hoc eſſe indiciū puſilli animi, ac tēpus impendere ad hujuſmodi ineptias, quæ pudorē ſuffūdūt Chriſtianiſmū, cùm ſint actiones Chriſtiano indignæ. Si ſolicitanda vobis eſſet lis, è quâ pēderent honos veſter, bona, imò & vita veſtra, nunquid veſtrū nō adiretis Conſiliariū, Conſultū, aut Procuratorē, ut ejuſdē cauſæ cōmendaretis ei æquitatē? Omnes noſtras operas ad cœlū nobis conciliandum convertere debemus: quomodo igitur his audebim⁹ ineptiis vacare Chriſtiano indignis? Intueor etiam ibi illuſtrem Dominum deferentem ciſtulam ſuam ad judicium, faxit autem Deus, ne

c Rom. 1. 21. & 22.

ſicut

ſicut aliàs in pera cujuſdam Cynici, tempore Diogenis, inventa eſt imago mulieris, in qua tantùm ſperabantur reperiri panis ſubniger & fabæ, in iſta ciſtula hujus mulieris vanæ recondita ſint folia luſoria, ſpeculum, & imago amaſij, hæc autem omnia, & quid amplius in illa inveniuntur. Quid ergo reſpondebitis, Dominæ meæ, cùm ita otioſè tempus ſalutis veſtræ triveritis, nihil amplius afferentes ad judicium Dei? Putatiſne quòd Deus ſuū vobis erogabit para ſiſum? Quin è contrà imperans vobis *dicet, Eſurivi, & non dediſtis mihi mãducare; ſitivi, & dediſtis mihi potum; hoſpes erã, & non collegiſtis me; nudus, & non operuiſtis me; infirmus, & nõ viſitaſtis me.* Sed vice verſa Electis *dicet, Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mũdi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me.* Ingredimini igitur ad poſſidendam gloriam meam in æternum.

Feria IV. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, Matth 12. 14. ex Ion. 3. 5.

INter plura motiva, quæ ad exercendam nos inducere poſſunt pœnitentiam, invenio quòd juſtitia Dei ad illam nos ſpecialiter obſtringat: ſed ſicut pœnitentia eſt prima exhibitio dilectionis, qua erga Deum poſſumus affici, hoc timore juſtitiæ eius ducti, non debemus tamen deſiſtere ab illo amando & ab offerendo ei penitus corde noſtro, quod ipſe expoſcit à nobis ſingulis ad capeſſendam amoris noſtri erga ſe probationem, dicens, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant* a. *Id eſt, per omnia præcepta & documenta mea intentis oculis perge, ne ab illis aut deflectas, aberret*, ait Salaz. b. Unde S. Gregorius concludit ſuper hæc verba, *Si quis dilig t me, ſermonem meum ſervabit. Probatio ergo dilectionis, exhibitio eſt operis. Hinc in epiſtolâ ſuâ idem Ioannes* d *dicit: Qui dicit, Diligo Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Verè etenim Deum diligimus, & mandata eius cuſtodimus, ſi nos à noſtris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita deſideria diffluit, profectò Deum non amat, quia ei in ſuâ voluntate contradicit.* Imò verò ſi noſtras exigere velimus devotiones ad ſolam gloriam Dei manifeſtandam abſque intuitu proprii commodi, aut amoris privati, inveniemus noſmetipſos magis obſtrictos ad diligendam juſtitiam eius, quàm illius miſericordiam, cùm miſericordia ſolum intueatur hominis commodum, *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ* e. Juſtitia verò ſoli commodo Dei invigilet, & in hoc prævaleat adverſus omnia Divina attributa, quòd ipſa præ omnibus maximo ducatur zelo honoris illius propalandi, & manifeſtandæ gloriæ eius, *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus* f. Cæteræ autem Divinæ perfectiones ſolis incumbant humanis commodis fatigendis, ut *Sapientia* g, *quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* h, conſervationi hominis, ſicut & reliquarum creaturarum: Potentia creationi eius, *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* i. Vel, ſi velitis, myſterio Incarnationis eidem homini valdè proficuo, *Et ait Maria. Fecit potentiam in brachio ſuo*, poſtquàm *Angelus ad eam dixit, Ave* k *Maria.*

a Prov. 23. 26.
b Salazar. in Prov. 23. 26.
c S. Greg. Hom. 30. in Evang. Ioan. 14. 24.
d ex 1. Ioã. 4. 20.
e Pſ. 22. 6.
f Iſai. 42. 8
g Sap. 7. 24
h Sap. 8. 1.
i Gen. 1. 27.
k Luc. 1. 46. &c.

Qualitas hominis certiſſima, antiquiſſima, & ab eo maximè inſeparabilis, eſt qualitas peccatoris. Qualitas eſt illius certiſſima: certius eſt enim nos eſſe peccatores, quàm certum ſit, me intueri vos. Prima veritas eſt de fide, & ideò eſt infallibilis, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt* l. Cùm certitudo, quam habeo videndi vos, pendeat è viſu meo, qui decipi poteſt? non intueor vos, niſi quia vos meis præſentes eſſe conſpectibus exiſtimo, & oppoſitos oculis meis, qui aliquo faſcinari poſſunt præſtigio, ita ut credens me intueri homines, non videam niſi phantaſmata. Cùm mulier eſt prægnans, imò verò ipſa ſui partus horā ignorat ipſa prorſus utrùm enixura ſit maſculum aut fœminam; num parvulus iſte futurus ſit mercator aut Cauſidicus, miles aut Dux exercitus; an hæc puella conjugio ſit ſocianda aut futura Monialis; virtutis exercitio aut vanitatis praxi ſit vacatura; ſed iurare poteſt præ veritate, ſe enixuram reum, aut criminoſam; & quòd ſuum in lucem edens fœtum, terram ſit oneratura peccatore, aut peccatrice, & auctura numerum inimicorum, aut inimicarum Dei: ita verum eſt, quòd certiſſima hominis qualitas, eſt peccatoris qualitas. Ea eſt etiam qualitas antiquiſſima, quippe quæ naſcitur cum illo: quid dico? Imò verò cùm eam præ ſe ferat eo ipſo quo fertur ipſe in utero matris ſuæ, ab ipſo ſuæ conceptionis momento, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* q. Peccatum formatur in anima noſtra confeſtim ac noſtro unitur corpori, ait David, de quo S. Auguſtinus r dicit, *Suſcepit perſonam generis humani David, & attendit omnium vincula, propaginem mortis conſideravit, originē iniquitatis advertit, & ait: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. Quid eſt quòd ſe dicit in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Mater quæ nos parturit, iſtius maculæ participes nos efficit hæreditariæ ab ipſo inſtanti primo noſtri eſſe, ita ut priùs damnationem incurramus quàm naſcamur, priùs privemur vita animæ quàm corpus noſtrum intuitu potiatur lucis, & deſtinemur ad inferos antequàm nobis cœlos liceat aſpicere, ut ait S Bernardus ſ, *Secundùm exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui me antè fecerunt damnatum quàm natum.* Non ſolùm autem hæc infamis æquè ac infelix peccatoria qualitas eſt certiſſima, & antiquiſſima hominis qualitas, verùm etiam maximè ab eo inſeparabilis. Quis enim ſine peccato eſt? *Nemo mundus à ſorde, nec infans cuius eſt unus diei vita ſuper terram*, ait idem S. Bernardus t. Qui paulò antè dixerat, *In ipſâ radice & origine meâ infectus & inquinatus ſum, immunda eſt conceptio mea.* Ut veritati conciliet authoritatem propoſitæ, quòd qualitas hominis antiquiſſima, æquè ac ab eo maximè inſeparabilis, eſt qualitas peccatoris. Hic excipio, ſi placet, cum S. Auguſtino u ſanctiſſimam Deiparam abſque originali peccato conceptam, *Exceptâ ſanctâ Virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini nullam prorſus cùm de peccatis agitur habere volo quæſtionem.* Cùm Eccleſia attribuat ei hæc verba Canticorum x, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Dicetis mihi, quòd infans iſte, qui modò eſt *renatus ex aquâ & Spiritu ſancto* y, innocens eſt: convenio vobiſcum, ſed conſcius criminis poteſt effici, & cùm à peccato purgatus fuerit interveniente dono gratiæ, non amiſit tamen poteſtatem cuius infœlici adminiculo poſſit effici peccator: manus iſtæ faſciis conſtrictæ poterunt

l 1. Ioan. 1. 8.
q Pſ. 50. 7.
r S. Aug. in Pſ. 50.
ſ S. Bern. lib. Medi. c. 2.
t S. Bern. ſerm. 4 in Vigil Dñ, ex Iob 25. 4. iuxta LXX.
u S. Aug. lib de Nat. & Grat. contra Pelagian. c. 36.
x Cant. 4. 7
y Ioan. 3. 5

terunt aliquandu cædes & ſtrages edere: os iſtud modò mutum, poterit aliquando proferre mendacia pernicioſa, imponere calumnias, & blaſphemias evomere: oculi iſti modo ſolis effundendis lacrymis idonei, poterunt aliquando ignes & flāmas vibrare, & aſpectibus impudicis accendere prunas amoris obſcœni; cor iſtud, ſedes innocentiæ, domicilium gratiæ, thronus Jeſu Chriſti (*Templum enim Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos* z) illicitas
z 1. Cor. 3. 17.
tempore futuro concipere poterit cogitationes, execrabiles machinari proditiones, formare hæreſes, & medio peccato effici inſtrumentum Satanæ, opitulante etiam concupiſcentiâ quæ eſt veluti ſulphuratum eiuſdem peccati, quæque remanet in hoc infante poſt remiſſum ei peccatum beneficio Baptiſmatis; quæ quidem diminui poteſt, ſed nullo modo finiri, ut ait S. Auguſtinus a,
a S. Aug. lib. 6. contr. Iulian. c. 16.
Concupiſcentiam quis ambigat in hâc vitâ poſſe minui, non poſſe conſumi? Licèt autem multi in gratiam reſtituti priſtinam, in peccatum non impingantur lethiferum, hoc tamen non impedit quin aliquando venialiter peccent: re autem verâ ſingulis offenderent momentis abſque auxilio gratiæ & miſericordiæ Dei. Ita verum eſt, quòd qualitas hominis certiſſima, antiquiſſima, & ab eo maximè inſeparabilis eſt qualitas peccatoris. Unde
Diviſio.
infero Primò neceſſitatem quam habemus agendæ pœnitentiæ ad operandam ſalutem noſtram. Secundò, Impoſſibile eſſe ut Omnipotentia Divina (ſuppoſito peccato) ſalvet nos abſque pœnitentiâ.

1. Pars.
Non videtur mihi aliud pœnitentia (propriè loquendo) niſi reditus animæ ad Deum, niſi Sunamitis quæ à rectâ divinorum mandatorum via aberraverat, reverſa ad Deum, qui ſolicitavit ipſius converſionem his verbis *Revertere, revertere*
b Cant. 6. 12.
Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te b. Nec niſi prodigus, qui poſtquàm *peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe; in ſe reverſus dixit, Surgam, & ibo ad Patrem meum: & ſurgens venit ad patrem ſuum* f. Nec niſi reunio cordis noſtri principio ſuo, quod eſt Deus, *Ego ſum Principium & Finis* h. Cordis, inquam, irrequieti propter peccatum, quodque quietem invenire non poteſt niſi in gratia, ut innuunt verba ſequentia Evangeliſtæ, *Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens, cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Pœnitentia igitur eſt coagmentatio creaturæ priùs disiunctæ à ſuo Creatore per peccatum, cum eodem ſuo Creatore beneficio ignis charitatis, & glutinis Sanguinis effuſi *à Ieſu Chriſto; qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* n. Ut teſtatur eodem Sponſa, *Ego dilecto meo, & ad me converſio eius* o. Optimæ animæ ſunt inſtar optimorum armorum, illa arma ſunt optima quæ flexibiliſſima ſunt, induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* q ſtrictum, præ ſe iam defert *characterem beſtiæ* r, & notam reprobationis: & *ipſi rebelles lumini, neſcientes vias eius, nec per ſemitas eius* ſ revertentes, percutiunt *fœdus cum morte, & cum inferno pactum* t faciunt. Pœnitentia eſt myſticus exitus ex Ægypto, & à ſervitute peccati, liberatio à tyrannide dæmonis, maledicti huius *Pharaonis, per medium maris* rubri Sanguinis Jeſu Chriſti, quandiu lacrymarum *aqua* ſunt nobis *quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris, de manu Ægyptiorum* u evadentibus. Ipſa eſt ſpiritualis deſtructio Jerichuntinæ civitatis vitii, qua capta interficiuntur *omnia quæ erant in eâ* y peccata uſque ad ultimum. Tandem, *Univerſa vaſa bellica Ho-*

f Luc. 15. 13 &c.
h Apoc. 1. 8
n Apoc. 1. 5
o Cant. 7. 10.
q Iob 41. 15.
r Apoc. 13. 17.
ſ Iob. 24. 13.
t Iſai. 28. 15.
u Exod. 14. 20. &c.
y Ioſue 6. 20. & 21.

loſernis in anathema oblivionis z offert, renunciare nos faciens carni, mundo, & diabolo. z Iudith 16. 23.

Cùm navis in aliquem illiſa fuit ſcopulum, tempeſtate commota, & rabie ventorum & turbinum immodicè agitata, & mox in profundum maris demergenda eſt, capeſſere ſatagunt nautæ ſinguli aliquam tabulam, cui ſuperpoſiti, ad litus appelli contendunt, ſi præipſos ſtet: peccatum eſt ſæva tempeſtas, quæ naufragium moliri nobis poteſt æternum, & atris abyſſi maribus nos immergere, niſi unuſquiſque noſtrûm invadat, & amplexetur *alicuius tabulæ fidem*, ait Tertullianus a, id eſt pœnitentiæ, quæ *ſecunda poſt naufragium tabula eſt*, dicit S. Hieronymus b. Sicut enim periculo fuimus obnoxii, explicatis velis commiſſi duobus maribus æquè ferventibus ac intolerandis, peccato originali, & culpæ actuali; cùm Baptiſmus ſit prima tabula, cuius beneficio à primo liberamur naufragio, cùm ibi renaſcamur *ex aquâ & Spiritu ſancto* c: Pœnitentia *ſecunda poſt naufragium tabula eſt*. Cuius adminiculo appellimur ad portum gratiæ poſt toleratum naufragium per peccatum actuale patratum poſt Baptiſma, *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* d.

a Tertul. lib. de Pœnit. c. 4.
b S. Hier. epiſt. 47. n. 4.
c Ioan. 3. 5
d Luc. 13. 3

Super quod obſervandum nobis eſt, quòd inter Sacramenta, duo ſunt abſolutè neceſſaria ad operandam ſalutem, nimirum, Sacramentum Baptiſmi, & Sacramentum Pœnitentiæ: & quòd ſicut Baptiſmus eſt neceſſarius omni homini concepto in peccato originali, neceſſitate ſalutis ſatagendæ; ita Pœnitentia eſt neceſſaria omni homini lapſo in peccatum mortale poſt ſuſceptum Baptiſma: ita ut non ſit abſolutè neceſſarium ad operandam ſalutem meam ut ſuſceperim Confirmationis Sacramentum, & propterea ſuas Epiſcopus impoſuerit *manus ſuper* me, *& acceperim Spiritum ſanctum* e: Nec Sacramentum Extremæ Unctionis, ſatis unctus *oleo in nomine Domini* f: Neque cætera Sacramenta, modò cùm tempus & occaſiones ea à nobis ſuſcipienda exegerint, illa non contemnamus; ſed è contrà ea honoremus, revereamur, & recipiamus prout uniuſcuiuſque profeſſio requiſierit, & ab eo recta ratio expopoſcerit ut illa ſuſcipiat: ſed impoſſibile eſt ut ſalutem meam peragam, niſi peccatum originale deleatur in me beneficio Baptiſmatis, & niſi peccata actualia ſalutaribus Pœnitentiæ lacrymis & aliis actibus diluantur. Hinc verba iſta ſtupore nos cient, ſed veritatem præ ſe ferunt, cùm illa pronunciaverit prima *Veritas* g per eſſentiam, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei* h. Non minorem nobis incutiunt iſta ſtuporem verba, *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* l. Quæ ſic exponit idem Carthuſianus m, *Niſi pœnitentiam habueritis, id eſt, dolorem veræ contritionis de peccatis veſtris, omnes ſimiliter peribitis, hoc eſt, æternaliter condemnabimini.* Notate, ſi placet, illud, *niſi*, & neceſſitatem quam infert: conſiderate hoc, *omnes*, id eſt, divites & pauperes, nobiles & ignobiles, Reges & ſubditi, Domini & famuli, ſapientes & inſipientes, docti & ignari: regula generalis eſt, neminem excipit, & ab ea nullus ſe poteſt eximere, nec negligentiam ſuam circa exercitium peragendæ Pœnitentiæ ullâ poteſt excuſatione prætexere.

e Act. 8. 17
f Iacob 5. 14.
g Ioan. 14. 6.
h Ioan. 3. 5.
l Luc. 13. 3
m Dion. Carth. art. 17. in Luc. 13. 5.

Quicumque ad cœleſtem gloriam aſpirat, capere uſum debet innocentiæ, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine maculâ, & operatur iuſtitiam* n. Innocentiæ ſemitam capeſſimus, maculam diluimus originalem Baptiſmo, in peccatum n Pſ. 14. 1 & 2.

tum

num relabimur, & noſtram denuò inquinamus peccatis animam, eorum ſordes abſtergere lacrymis debemus Pœnitentiæ, & pro iis divinæ ſatisfacere Juſtitiæ. Ita ut ſicut ſunt Sacramenta ſine quibus noſtram poſſumus operari ſalutem, ita etiam ſunt virtutes ſine quibus etiam gloriam conſequemur. Salvus ero abſque jejunio, ſi infirmitas mea ei ſuſtinendo ſit inidonea; *Non enim habemus Pontificem, qui nõ poſſit compati infirmitatibus noſtris* o. *Id eſt condeſcendere atque clementer ſuccurrere*, ait Dionyſius Carthuſianus p. Sed ſalutem veſtram non operabimini, Auditores, ſi pro cuſtodiendâ vegeta corporis veſtri valetudine, ab abſtinentiæ & jejunii praxi vos diſpenſetis. Pauperes, quibus obeſt indigentia, ne opera exerceant miſericordiæ corporalis, ſalutem ſuam operari tamen poterunt; ſed non illi, qui præ avaritiâ pauperibus in neceſſitate conſtitutis auxiliari noluerint; & hunc defectum charitatis improperabit illis *Ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum mortuorum* q, *cùm venerit in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo.* Et ſic nullo modo participabunt Electis *paratum Regnum à conſtitutione mundi* r.

o Hebr. 4. 15.
p Dion. Carth. art. 4. in Hebr. 4. 15.
q Act. 10. 42.
r Matth. 25. 31. &c.

II. Petr.

Sed licèt abſque diverſis virtutibus noſtram poſſimus operari ſalutem, illam tamen peragere non valemus abſque Pœnitentia, dico abſolutè, imò verò ulterius progredior, & ecce propoſitio quæ ſubitaneo ciebit vos ſtupore, ſed quæ proptereà non deſinit maximam præ ſe ferre veritatem. Dico igitur, ſic abſolutè neceſſariam eſſe Pœnitentiam ad operandam ſalutem, ſuppoſito peccato, ut impoſſibile ſit, omnipotentiam Dei ſalvare peccatorem, eumque perducere ad beatum gloriæ terminum, propter quem illi vitam tribuit s, abſque auxilio Pœnitentiæ. Audiviſtis jam Scripturæ locum, qui huic veritati conciliat authoritatem, *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* En authoritas, ſed ecce iſtius ratio.

s Prov. 16. 4.

Cùm peccavit homo, vertit *ad* Deum *tergum, & non faciem* t. Et ſe convertit ad creaturam, avertens ſe à Creatore, *Peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam*, ajunt Theologi & Patres ſuis Scripturâ, *Quare averſus eſt populus iſte averſione contentioſâ? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti. Nullus eſt qui agat Pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium* u. Quid igitur oportet ut faciat homo ad reparandam culpam iſtam? Expedit ut avertat ſe à creatura, & ſe convertat ad Creatorem: Deus confeſtim illum vocabit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos* x. *Aperi mihi ſoror mea* — *quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium* y. *Vocavi* z. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo* a. Sed oportet ut peccator reſpondeat, *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* b. Deus extendet illi manum ſuam, ut ipſe teſtatur, *Extendi manum meam* c. Sed requiritur ut peccator ſuam det etiam manum, ut cooperetur ex parte ſua ex omnibus viribus & induſtriis ſuis, ut dignum ſe exhibeat qui in priſtinâ Dei gratiam deperditam redeat, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum* d. *Scilicet, cooperata & auxiliata eſt mihi, ſuitque principalior cauſa bonorum, quàm ego, ſeu natura mea. Gratia autem ſe habet ad liberum arbitrium, ut ſeſſor ad equum*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus e. Deus illi lumina providebit ſufficientia ad fugandas eas, quibus eſt involutas, tenebras, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* f. Sed expedit ut peccator ſuos aperiat oculos, *Illuminat omnem hominem quantùm in ſe eſt, ſicut vult omnes ſalvari* g, *ita quod nemo excuſatur, ſi non fuerit illuſtratus*, ait idem Carthuſianus h. Aquæ fontis gratiarum Dei effluent, ſed neceſſarium eſt ut peccator cor ſuũ ad eas ſuſcipiendas aperiat, contemplans *ne deſit gratiæ Dei* i. Et tunc *fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã* k. Ventus Spiritus ſancti perflabit ut *ſibilus auræ tenuis* l. Sed oportet ut peccator funem nauticum animæ ſuæ diſſolvat, & vela explicet, ut alto ſe committens pelago Divinæ gratiæ, feliciter poſſit appelli ad portum beatitudinis. Divinus Medicus, qui *venit quærere, & ſalvum facere quod perierat* m, offeret illi medicinam ſanandis omnibus infirmitatibus ejus accommodam, & illuſtribus manibus ſuis ei medebitur præ ſplendenti apparatu exquiſitiſſimorum quorumcumque remediorum: ſed eſt abſolutè neceſſarium ut ſuum aperiat os ad hauriendum hujuſmodi potum ſalvificum peccator, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti* n. Super quod Cornelius o ait, *Paſſio Chriſti in ſe fuit plena & ſufficiens, illique quoad valorem & pretii ſufficientiam nihil defuit. Chriſtus enim ſuâ Paſſione comparavit pretium ſufficiens toti mundo redimendo, imò mille mundis redimendis: eidem tamen Paſſioni aliquid defuit, & deeſt in nobis, nimirum communicatio & participatio Paſſionis ac meritorum Chriſti.* Hoc autem eſt agere Pœnitentiam, & conſentire voluntati Dei qui ait, *Vivo ego: nolo mortẽ impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ & vivat* p. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* q. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri* r. Hoc eſt cooperari gratiis ejus, & adimplere mandatum illius, *Pœnitentiam age, qui huc uſque tam negligens fuiſti. Nam & ego paratus ſum tibi ſuccurrere*, ait illi Deus in Apocalypſi per Commentatorem illius Dionyſium Carthuſianum s. Licèt enim nos omnes formaverit *Dominus Deus de limo terræ* x abſque concurſu noſtro, quia tunc non eramus; non poteſt tamen nos ſalvare quin concurramus ad opus ſalutis noſtræ, *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te* y.

t Jer. 2. 27.
u Jer. 8. 5. & 6.
x Matth. 11. 28.
y Cant. 5. 2.
z Prov. 1. 24.
a Apoc. 3. 20.
b Ibid.
c Prov. 1. 24.
d 1. Cor. 15. 10.
e Dion. Carth. art. 18. in 1. Cor. 15. 10.
f Joan. 1. 9.
g ex 2. Petr. 3. 9.
h Dion. Carth. art. 1. in Joan. 1. 9.
i Hebr. 12. 15.
k Joan. 4. 14.
l 3. Reg. 19. 12.
m Luc. 19. 10. & ex Matth. 18. 11.
n Coloſſ. 1. 24.
o Cornel. in Coloſſ. 1. 24.
p Ezech. 33. 11.
q Sap. 1. 13.
r 1. Timoth. 2. 4.
s Dion. Carth. art. 4. in Apoc. 3. 19.
x Gen. 2. 7.

Non me latet quidem, Deum gratiâ ſuâ converſiones edere poſſe prodigioſas, & veluti arte chimicâ admirabili è Saulo perſecutione efficere Paulum Prædicatorem, ita ut *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, vas electionis* evadat, *ut portet nomen* ipſius Dei *coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael* z. Et *lupus rapax* præ *ſtam* à comedere ovilis Dominici quærẽs, fiat agnus manſuetus, qui ſuum effundat ſanguinem pro peccatis ſuis, ut Dei juſtitiæ faciat ſatis, tranſeat per juſtitiam hominum, ſed iniquam, & operetur ad conciliandam ſibi gloriam: ſed propter hunc magnum effectum *ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo: & cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris?* Sed hæc motio externa æquè ac interna prorſus eſſet inutilis, niſi de terrâ Saulus diceret *tremens ac ſtupens, Domine quid me vis facere?* Et teſtaretur hoc reſponſo conſenſum ſuum voluntati Domini ſui exhibitum. Verum ſanè eſt, converſionem Sauli referri debere ad gratiam, quæ illius principium ſunt; ſed voluntas ejus elevata hoc auxilio ſupernaturali, produxit tamen actum ſibi proprium; ut ex unione duarum iſtarum potentiarum, gratiæ quæ debiles Sauli corroborabat conatus, & vo-

y S. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſt. c. 11.
z Act. 9. 1. &c.
a Gen. 49. 27.

& voluntatis Sauli quæ ſubminiſtrabat conformitatem voluntati Domini ſui, quæ conformitas eſt ad meritum adipiſcendum neceſſaria, elevari poſſet ad poſſidendam jure merito coronam *juſtitiæ* b, propter quam Divinæ Miſericordiæ grates exhibere debuit. Ita verum eſt, quòd Pœnitentia ſic eſt ad ſalutem neceſſaria, ut ſine eâ Deus ſalvare non poſſit nos. Poſt authoritatem, & rationes, en exempla.

David vidit mulierem ſe lavantem, erat autem mulier pulchra valdè, Bethſabee uxor Vriæ Hethæi. Miſſis itaque David nuntijs tulit eam: quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum eâ. Et ſcripſit David epiſtolam ad Ioab: miſitque per manum Vriæ, ſcribens in epiſtolâ, Ponite Vriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium: & derelinquite eum, ut percuſſus intereat. Et mortuus eſt etiam Vrias Hethæus c. Huic duplici crimini, adulterij, & homicidij addit hic Monarcha aliud vanitatis & ſuperbiæ, *Dixitque Rex ad Ioab Principem exercitus ſui, Perambula omnes tribus Iſrael à Dan uſque Berſabee, & numerate populum, ut ſciam numerum ejus* d. Iratus Deus immittit flagellum iræ ſuper domum ejus æquè ac ſuper populum illius, *Percuſſit Dominus parvulum, quem pepererat uxor Vriæ David, & deſperatus eſt. Accidit autem ut die ſeptimâ moreretur infans* e. *Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël, & mortui ſunt ex populo à Dan uſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum* f. Pharao, impius ille monarcha Ægyptiorum, dirè populum excipit Iſraëliticum contra juſtitiam & leges æquitatis, eumque tyrannicâ opprimit captivitate. *Poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron, & dixerunt Pharaoni, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto. At ille reſpondit, Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam* g. *Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum. Et elevans virgam, percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in ſanguinem* h. His & ſimilibus flagellis k Deus excepit Pharaonem. Scio Davidem fuiſſe ſalvatum, *Inveni David filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* l. Et Pharaonem damnatum, quem cum Ægyptiis *involuit Dominus in medijs fluctibus* m. Sed unde oritur hæc differentia inter tantas æqualitates? Si enim attendatur natura, erant ambo homines; ſi qualitas, uniuſquiſque erat Rex; unus coronā deferebat, alter verò ſceptrum gerebat, uterque ſubditos habebat; ſi modus procedendi Dei erga utrûque conſideretur, uterque fuit monitus, & flagellis juſtitiæ Dei impetitus: & tamen unus ſedet *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* n. Alter verò deſcendit *in profundum quaſi lapis* o, *in ſupplicium æternum* p. Iſtius differentiæ rationem ſolvit S. Auguſtinus q, dicens, *Quid fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quòd unus manum Dei ſentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit; alter libero contra miſericordiſſimam Dei veritatem pugnavit arbitrio?* Ratio igitur eſt, Quia Davidem pœnituit peccatorum ſuorum, *Peccavi Domino* r. *Ego ſum qui peccavi; & ego iniquè egi* s. Et non ceſſavit ſua toto vitæ ſuæ tempore deflere peccata, *Quia cinerē tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam* t. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo* u. *Induratumq; eſt cor Pharaonis* x.

Dei Filius elegit *Apoſtolos Petrum & Iudam Iſcarioten* y. Eum conſtituit Caput collegij ſui Apoſtolici, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* z. Illi verò ſuos commiſit *loculos* a. *Ait illi Ieſus, Amen dico tibi, quia in hâc nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis* b. Iſti verò *ipſe reſpondens, ait, Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet* c. *Ille negavit coram omnibus ter* d Dominum ſuum. Iſte *autem tradidit eum* e. *Converſus Dominus reſpexit Petrum* f. Intuetur etiam Judam, dignatur *lavare pedes* g ejus, majorem affectum demonſtrat ei quam erga cæteros, illi Corpus & Sanguinem ſuum ſumendum præbet, illum oſculatur, & amicum eum vocat h: interim Petrus *beatus* i eſt, & *Iudas laqueo ſe ſuſpendit* k. Ille principem locum tenet in cœlo præ cæteris Apoſtolis, & habet in manibus *claves Regni cœlorum* l. Iſte verò in infernalibus concluſus ergaſtulis, non ſociatur niſi dæmonibus, ubi à ſuſpendio diſceſſit *in ignem æternum* m. Illud, ſi placet, conſiderate ſeriò: Dei Filius plures inſumit vias ad educendum Judam ab obſtinatione ſuâ, quippe qui erraverat *ſicut ovis quæ perijt* n: & ad conandum imponere hanc ovem *quæ perierat, in humeros ſuos* o, & in ovile Apoſtolicum illam reducere, quàm ad oſtendendam Petro cæcitatem quâ iſte Apoſtolus percuſſus erat; nam unicum duntaxat intuitum projecit in Petrum, Judam verò intuetur, alloquitur, tangit, amplectitur, oſculatur, & amicum vocat. Quare iſta omnia? Ha! tentare voluit Chriſtus iterùm vocando illum amicum, verè poſſet illum amicum efficere omnipotentiâ ſuâ, quâ *ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt* p omnia. Sed Judas cùm non eſſet ampliùs è populo *paſcuæ ejus, & ex ovibus manus ejus, vocem ejus* q audiens, obduravit cor ſuum, æquè ac aures ſuas obturavit ibi, ubi Malchus amputatam à Petro, recuperavit *auriculam* r à Chriſto ſanatam. Infœlix hic apoſtata à Collegio Apoſtolico, ſpiritu Satanæ repletus, nullum reliquit locum Spiritui Dei, *propter cæcitatem cordis* s ſui, ſeque tradidit poteſtati illius qui *eſt Poteſtas tenebrarum* t. Et ſic ſuſcipiendorum erat incapax radiorum lucis Divinæ, ſeu gratiæ, quam præſentabat ipſi Salvator: cùm è contrà Petrus ſuos aperiens oculos ad aperturam oculorum Domini ſui, qui propriam manifeſtaverunt ipſi infidelitatem, in gemitus erumpit ac ſuſpiria, pectus ſibi diſcindit præ dolore, eò quòd ita puſillanimiter ſuum negaverit Dominum, oculos ſuos damnat ad lachrymas, cor ſuum ad contritionem & ſic ingentem de trina negatione ſua concipit dolorem, ut aula domus Pontificis, ejus immenſitatem continere non potuerit, ita ut coactus ipſe fuerit egredi *foras* †. Non priùs impetitus eſt fulgure procedente ex oculis Domini ſui, cùm volens retundere conatū hujuſmodi fulgoris, confeſtim quæſivit in corde ſuo & in oculis ſuis aquas ad illum extinguendum. Hoc innuit, quòd ſi Petrus ſuam eſt operatus ſalutem, & æternam Judas incurrit damnationem; ideò quia Petrus pœnitentiam peregit, Judas verò infœliciter in ſua mortuus eſt obſtinatione.

Pergamus ad montem Calvariam uſque; & licèt verum ſit quòd moriente Domino *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram* u: hoc tamen non impedit quin ibi videamus clarè veritatis iſtius diem. *Poſtquā miniſtri Pilati venerunt in locum qui vocatur Calvaria, ibi crucifixerunt eum, & latrones unum à dextris, & alterum à ſiniſtris* x. Salvatorem intueor cruci ſuffixum in medio duorum latronum die magno Miſericordiarum Divinarum, cùm tali die deſponſaverit ſibi Eccleſiam in Sanguine ſuo, ita ut *allegoricè hoc dicat Chriſto verus Chriſtianus, Sponſus ſanguinum tu mihi es, ò Chriſte, quia tuo Sanguine animam meam tibi coemiſti & deſponſaſti*, ait Cornelius y. Video Sanguinem ejus exprimi è venis ipſius omnibus præ ſævitiā in-

b 2. Timot. 4. 8.
c 2. Reg. 11. 2. &c.
d 2. Reg. 24. 2.
e 2. Reg. 12. 15. & 18.
f 2. Reg. 24. 15.
g Exod. 5. 1. & 2.
h Exod. 7. 10. & 20.
k Exod. c. 8. & ſeqq.
l Act. 13. 22. ex 1. Reg. 13. 14.
m Exod. 14. 27.
n Iſa. 32. 18.
o Exod. 15. 5.
p Matth. 25. 46.
q S. Aug. lib. de Prædeſtin. & Grat. c. 15.
r 2. Reg. 12. 13.
s 1. Reg. 24. 17.
t Pſ. 101. 10.
u Pſ. 6. 7.
x Exod. 8. 19.
y Luc. 6. 13. &c.
z Matth. 16. 18.
a Ioan. 12. 6.

b Matth. 26. 34.
c Matth. 26. 23.
d Matth. 26. 70. & 71.
e Matth. 26. 48.
f Luc. 22. 61.
g Ioan. 13. 5.
h Matth. 26. 26. &c.
i Matth. 16. 17.
k Matth. 27. 5. &c.
l Matth. 16. 19.
m Matth. 25. 41.
n Pſ. 118. 176.
o Luc. 15. 4. & 5.
p Pſ. 148. 5.
q Pſ. 94. 7. & 8.
r Luc. 22. 50. & 51.
s Ephes. 4. 18.
t Luc. 22. 53.
† Matth. 26. 75.
u Matth. 27. 45.
x Luc. 23. 33. &c.
y Cornel. in Exod. 4. 6.

Google

inauditâ à carnificibus, & præ exceſſu amoris ab ipſo Chriſto effundi, & circumquaque ſalire; ſed licèt æqualiter effundatur ſuper duos latrones lateribus ipſius adhærentes, obſervo tamen quòd ſuper unum effluat proficuè, ſuper alterum verò inutiliter pretioſus iſte Sanguis: quòd unus moriatur rabie & deſperatione percitus, alter verò inſtar Sancti; quòd unus aſſumat crucem ſuam tanquam ſcalam per quã aſcendat ad paradiſum, alter verò utatur ſuâ ut illius adminiculo deſcendat in profundum abyſſi. Quare hoc? Quia unus eſt malus latro, qui nihil artis ſuæ callet; alter verò eſt bonus latro, artis ſuæ peritiſſimus; cùm ille in articulo mortis conſtitutus, neſcierit ſuffurari eum qui eſt, *Vita* z, & ſic vitam æternam adipiſci: iſte verò opportunam nactus occaſionem, ſurripuerit illum *apud quem eſt fons vitæ* a. Et ut uno verbo omnia dicam, quia unus manet obſtinatus, alter verò pœnitentiam agit; unus blaſphemias edit *Unus autem blaſphemabat*. Alter verò ſupplicationes proponit, *Alter dicebat ad Ieſum, Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum*. Unus cupit deſcendere è cruce; alter eã utitur ad aſcendendum: unus avertit faciem ſuam; alter ſe convertit ad Chriſtum, qui promittit ipſi paradiſum, *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo*.

z Ioan. 14.6.
a Pſ. 35.10.

Peragenda eſt igitur Pœnitentia, cùm ipſa ſit ſalutis janua, *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet, & non morietur* b. Et ſine illâ ſola remaneat æterna damnatio, ut dicebat ſuprà S. Lucas c, *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. Poſſetis à me petere quare Evangeliſta ait, *habueritis*, & non, *egeritis*? Ad hoc reſpondeo, quòd datur differentia inter actum & habitum; quia agere pœnitentiam propriè eſt producere actum contritionis exteriorem; habere verò pœnitentiam eſt exercere actum contritionis interiorem (licèt plerùmque Scriptura hos terminos confundat, ut patet ex Textu Ezechielis, imò & ex ſequelà ejuſdem S. Lucæ d, *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*.) Ideò illi qui patiuntur in inferno, non habuerũt pœnitentiam, cùm neceſſarium ſit ad ſalutem illam habere.

b Ezech. 18. 21.
c Luc. 13. 3.
d Luc. 13. 5.

Saül & David Deum offenderunt, Saül reſtagando Deo, nec ei obediendo e; David autem adulterium & homicidiũ patrando f. Monitus à Samuele Saül, ait, *Peccavi*. Hoc, eſt actus pœnitentiæ. Monuit pariter Davidem Nathan, *Et dixit David ad Nathan, Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris* g. Iſte veniam meretur, cùm Saül, qui ore tantùm dicebat, *Peccavi*, reprobatus fuerit, *Porrò Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt ut agat pœnitentiam*.

e 1. Reg. 15. 6. &c.
f 2. Reg. 11. 4. &c.
g 2. Reg. 12. 1. &c.

Catuli viperæ cùm à matre ſuâ in lucem emittuntur, mortem inferunt illi à quâ vitam ſuſcipiunt: ſic peccata conceptam animâ, niſi pœnitentia diluantur, mortem eidem animæ irrogant, *Anima, quæ peccaverit ipſa morietur* h. *Deinde, Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum. peccatum verò cùm conſummatum fuerit generat mortem* i. Scorpio blandiri videtur iis, quos brachiis ſuis ambobus apprehendit, & paulo pòſt caudam ſuam elevat venenatam, qua mortem hominibus infert: peccata adulari videntur hominibus, eos amplectuntur duobus brachiis ſuggeſtionis, & delectationis, & aculeo venenato conſenſus interitum eis irrogant. Nemo eſt qui habitare velit cum ſcorpionibus, & tamen nullus eſt qui non foveat peccata, nedum ab iis ſe eximere ſatagat per pœnitentiam, licèt illa ſint ſcorpionibus periculoſiora, imò & Salamandra, quæ eſt animal ita frigidum ut incedens ſuper carbones accenſos, eos extinguat, & ſic venenoſum, ut ſi tranſeat ſub aliquâ arbore, fructus illius ex ipſa cadere perhibeantur; peccata glacie ſuâ ignem extinguunt amoris Dei, & ſi tranſeant ſub arbore conſcientiæ noſtræ, ab ea excutiunt fructus bonorum operum, ſed præ hâc differentià, quòd fructus qui cadunt ex arboribus, in illis non denuò poſſunt reponi; ſed fructus bonorum noſtrorum operum poſſunt iterùm collocari in arbore conſcientiæ noſtræ, beneficio Pœnitentiæ, *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſuâ, ipſe animam ſuam vivificabit* k. Agamus igitur pœnitentiam, & nobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* l.

h Ezech. 18. 4. & 20.
i Iacob. 1. 15.
k Ezech. 18. 27.
l Pſ. 83. 12.

FERIA V. POST DOMINICAM I. Quadrageſimæ.

Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſraël. Matth. 15, 24.

IUſtitia ſua habet decreta, & amor ſua. Decreto juſtitiæ fertur, quòd *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius* a. Nimirum quòd ibi ſit domicilium gloriæ illius, & ſocietas Angelorum ipſius qui conſtituunt Curiam ejus, ut ait Cornelius, exponens hæc eadem verba Habacuc, *Dominus autem in templo ſancto ſuo* b. *Quaſi diceret, Deus in cœlo, quod eſt eius ſolium & templum, glorioſus habitat ab omni ævo; eſt enim æternus* c. Decretum verò amoris è contra pronuntiat, quòd ipſe exibit *à Patre, & in mundum* d veniet converſatum cum hominibus, deſerendo Angelos ſuos in cœlo, ut dicit Dionyſius Carthuſianus e, explicans hæc verba Evangeliſtæ, *Exivi à Patre & veni in mundum*, hoc modo, *Exivi à Patre iuxta illud Eccleſiaſtici* f, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Et veni in mundum per humanæ naturæ aſſumptionem, atque cum hominibus piam converſationem.* Et hoc eſt quod prædixerat Baruch g, *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* Id eſt, *In terris viſus eſt, ſcilicet Deus, qui eſt ipſa Sapientia, dum carnem induit, & cum hominibus per triginta tres annos converſatus eſt: viſus eſt, id eſt, naſcetur & videbitur: converſatus eſt, id eſt, converſabitur: loquitur enim propheticè*, ait Cornelius h. Qui ſubdit, *Vide hic quanta ſit concordia & paritas Prophetæ cum Evangeliſtâ S. Ioanne* i: *quod enim Propheta hîc futurum prædicit, Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus, hoc Evangeliſta factum narrat, aitque, Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quaſi Unigeniti à Patre.* Amet igitur cœlum quoſcumque voluerit, blandiatur Angelis quantùmcumque ipſi libuerit: ego autem æquo animo Angelos deſero, & in terrâ hominibus ſociari geſtio. Sed abſit ut aliquis in hâc electione & hoc in occurſu me ſatis delicatũ judicet, cùm Deus in terra cum hominibus ſocietatẽ & fœdus ineat, poſtquàm deſeruit cœlũ cum Angelis ſuis.

a Pſ. 10. 4. & ex Habac. 2. 20.
b Habac. 2. 20.
c Cornel. in Habac. 2. 20.
d Ioan. 16. 28.
e Dion. Carth. art. 40. in Ioā. 16. 28.
f Eccli. 24. 5.
g Baruch 3. 38.
h Cornel. in Baruch. 3. 38.
i Ioan. 1. 14.

Ubi *unâ Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum*, quæſitum Dominum ſuum, non multùm curavit videre *duos Angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat Corpus Ieſu*. Quin imò ad illos *converſa eſt retrorſum* k. Quàm fortunata eſt hominum conditio! Maria eſt *refugium peccatorum* l. Et Mater Dei poſtquàm *Angelus ad eam dixit*, *Ave* m *Maria*.

k Ioan. 20. 14. & c.
l Eccleſia.
m Luc. 1. 28. & 38.

Diſcutere non aggredior ampliùs hanc quæſtionem, quæ in Scholis noſtris plus cauſavit ſtrepitus quàm fructus, Utrùm Deus factus eſſet homo, ſi homo ſe non feciſſet peccatorem: ſed dico cum S. Auguſtino n, quòd ſicut remedia ſunt probationes mali ſanandi, ſic viſitatio Medici ſupponit ægritudinem infirmi, *Hoc & Paulus Apoſtolus dicit, cuius verba ſunt iſta: Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicina. Si venit de cœlo magnus Medicus, magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus. Ipſe ægrotus genus humanum eſt. Venit ergo, ut ipſe alio loco dicit, Venit Filius hominis quærere & ſalvare quod perierat* o. *Totum enim perierat ex quo peccavit unus. Ubi erat totum, periit totum ſed venit unus ſine peccato* p, *qui ſalvos faceret à peccato.* Et, *Ægrotare iam cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis ſumus: ſed non deſperemus. Quia enim ad Medicum venire non poteramus, ipſe ad nos venire dignatus eſt* q. Hoc ſuppoſito, & benè intellecto, peto ſolùm, poſito, quòd homo lapſus ſit, ſicuti revera fuit, cùm vetito *de fructu comedit* r, *ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* s; an Deus potiùs unire ſe debuerit homini, ad eum ſublevandum, & ab hujuſmodi morte educendum, quàm alteri ſe naturæ ſociare, nimirum potiùs naturæ Angelicæ, quàm naturæ humanæ multùm inferiori naturâ Angelicâ. Hæc eſt magna lis juſtitiæ & amoris. Juſtitia cauſam amplectitur Angelorum, & ait Deum nõ debere ſe ita deprimere ut uniat ſe homini; hoc enim eſſet, inquit, detrahere magnitudini ejus. Duas affert illa rationes, per quas ſententiæ ſuæ conciliet authoritatem, ſcilicet excellentiam Dei, & malitiam hominis. Deus eſt *Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat maieſtati* t ejus, & ut ſic omnium creaturarum ſuarum ſibi debet aſciſcere reverentias, ait juſtitia, & quòd multùm agat Monarcha cùm manum præbet ad ſuſcipiendas vaſſallorum ſuorum reverentias & obſequij debiti exhibitiones; & quòd throno ejus irrogaretur injuria, & majeſtati ejus contemptus inferretur, ſi ipſe deſcenderet & ſe deprimeret ad excipiendos comiter indigniſſimos ſubditos ſuos, quòd natura humana eſſet rebellis, & eò uſque temeraria ut inſurrexerit & arma apprehenderit adverſùs legitimùm Dominum ſuum; & quòd ut ſic dignior eſſet quæ ſupplicijs exciperetur, quàm favoribus & gratijs donaretur. Præterquàm quòd proprium eſt illis qui alijs injurias intulerunt, ut conveniant ad illos, quibus eas irrogaverunt; nec ulla unquam lex obſtrinxit perſonam læſam ad eundum ſe humiliatum aggreſſori ſuo. Natura humana eſt rea: debet igitur illa adire Deum, ſeſe humiliare coram throno ejus; & ſicut eſt criminis conſcia; ita ſui ſceleris indulgentiam ab eo expoſcere. Hominis ergo eſt, inquit juſtitia, adire Deum; non autem Dei humiliare ſe homini.

n S. Aug. ſerm. 9 de Verb. Apoſt. c. 1. ex 1. Timot. 1. 15.
o ex Luc. 19. 10. & ex Matth. 18. 11.
p ex 1. Petr. 2. 22. & ex Iſai. 53. 9.
q S. Aug. ſerm. 18 de Verb. Dom. c. 7.
r Gen. 3. 6.
s Rom. 5. 12.
t Eſth. 13. 11.

Eaſdem amor allegat rationes ut ſuæ faveat parti, & ſuam cauſam juſtiorem reddat; & ait, quòd tantùm abeſt ut, ſi Deus deſcendat è throno ſuo ad deprimendum ſe uſque ad hominem, hæc depreſſio gloriam ejus offundat eclypſi & caligine, quin è contrà potiùs ſit illam exaltatura: quòd Ephæſtion participavit magnitudines Alexandri Magni, & quòd Rex iſte Macedonicus deſcendebat è throno ſuo, ut in illum poſſet meliùs amicus ipſius aſcendere; & quòd amor ſit iſtius naturæ ut omnibus claudat oculos magnitudinibus; & quòd Hercules non dedignaretur colum capeſſere, & fuſum nendo ducere ut ſuis præ amore complaceret amaſijs mulieribus, *Nec verendum ne diſparitas perſonarum claudicare in aliquo faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam neſcit: ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret ſanè qui horret, qui ſtupet, qui metuit, qui miratur, vacant hæc omnia penes amantem. Amor ſibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in ſe omnes traducit & captivat affectus* u. Et quòd Principi aſcriberetur ad honorem ac elevare ſuos ſubditos, cùm nunquam poſſet homo pervenire ad Deum, niſi Deus ſe deprimeret ad hominem. Præterea, Inter duos æquales, fortior amborum debet aliquando cedere infirmiori, ſaltem ad aliquantum tempus: Homo ſe credebat æqualem Deo, & in paradiſo terreſtri, tentavit iſtius experimentum capeſſere, ſolicitatus à ſerpente, qui ipſi dixit, *Eritis ſicut dij ſcientes & bonum & malum* x. Id eſt, *Eritis ſicut dij, non eſſentiâ: Hoc enim eſt impoſſibile; ſed ſimilitudine quâdam ſapientiæ & omniſcientiæ, ut ſequitur. Scientes bonum & malum, id eſt, Scietis omnia, quæcumque bona ſunt vel mala, neceſſaria vel contingentia, ut diſcernere poſſitis quid utile ſit, quid inutile, quid agendum, quid fugiendum in rebus omnibus*, ait Cornelius y. Debebat igitur Deus humiliare ſe homini, & licet Deus eſſet offenſus, maximæ tamen regulæ amoris ferunt, ut offenſus adeat aggreſſorem: nec unquam Sponſa meliùs blanditur dilecto ſuo, quàm cùm ab eo, aut ab alijs, illo ſic permittente, majore rigore excipitur, *Quæſivi, & non invêni illum: vocavi, & non reſpondit mihi. Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem: percuſſerunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo* z. Flammæ ejus irritantur magis his glaciebus apparentibus, quæ materiem ſubminiſtrant & ſulphuratum majori igni accendendo. E partibus igitur Dei ſtabat ut ipſe veniret ad hominem, & fieret homo, ut offenſam ſequeretur ſatisfactio, & ut Deus ſatisfaceret Deo: nunquam enim homo ſatisfacere potuiſſet Deo quin ſatisfactio fuiſſet inferior offenſâ: oportebat igitur ut Deus ſatisfaceret Deo, ut Deus humiliaret ſe Deo: atqui non poterat Deus ſatisfacere Deo, prout Deus; proptereà factus eſt homo; & quatenus Deus & homo ſimul plenè ſatisfecit Deo pro offenſâ hominis. Videtis igitur quomodo amor litem ſuam perduxit ad victoriam contra juſtitiam, quòd Deus deſereret cœlum & Angelos, & veniret in terram converſaturus cum hominibus, Hoc eſt primum quod ait Evangelium hodiernum, *Non ſum miſſus*, &c. Secundùm eſt, Quòd inter homines, relinqueret Juſtos ut iret ad peccatores. Hæ duæ injuſtitiæ amoris erunt ambæ diſcurſus iſtius partes.

u S. Bern. ſerm. 8 ſup. Cant.
x Gen. 3. 5.
y Cornel. in Gen. 3. 5.
z Cant. 5. 6. &c.
Diviſio.

I. Pars.

Cùm cogito de Prophetâ Oſee, ſtupore me percellit immodico modus procedendi illius, nec ſatis mirari poſſum, dum intueor illum inſequi id, quod homines vulgaris conditionis contemnunt, & quod ipſi vel puſillanimi generosè & intrepidè expugnare contendunt, *Dixit Dominus ad Oſee: Vade,*

ſume

Digitized by Google

ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. Et abiit, & accepit Gomer a. Deſpondet ſibi mulierem publicam meretricem, proſtitutam, *Id eſt, multu fornicationibus deditam & infamem, inſignem fornicariam, publicam meretricem vel in tabernâ, vel in lupanari, vel alio loco corpus pro turpi lucro cuilibet proſtituentem*, ait Cornelius b. Ipſe, inquam, qui uxorem eligere poterat inter plures fœminas nationis ſuæ & maximâ virtute præditam, æquè ac ditiſſimam, & ſpecioſiſſimam. Hoc in occurſu verè dici videtur, quòd amor cœcus eſt, & quòd impetus paſſionum ita interturbet mentem, ut imaginetur qualitates ineſſe alicui ſubjecto, quod illis eſt planè deſtitutum, & inducat voluntatem ad amanda objecta quæ præ ſe bonum non ferunt niſi apparens, & ad deſpondandam ſibi proſtitutam, quæ ſemper horrorem incutit animabus puris, quæque, licèt ditiſſima, & decôre eximio ornata, ſemper eſt contemptibilis, & poſtponenda alteri minùs diviti, & deformi, & jure merito, cùm virtus ſit præferenda vitio, & pulchritudo innocens tanto ſit amore digna, quanto criminoſa ſpecies ſit odio. Intereà Propheta contrarium penitus peragit, & quis non non miraretur modum faciendi illius? Uxori ſe ſociat publicæ meretrici, & proſtitutæ, ecce cauſa admirationis meæ: ſed inſtructus ab eodem Cornelio, ad me revertor, & ſummâ proſequor reverentiâ id quod admirabor, eò quòd illud non cognoſcerem, laudibus extollo id, in quod invehebar, & approbo hoc, quod contemnebam, defectu notitiæ. Ait igitur Cornelius inter alias cauſas, quibus inductus fuit *Oſee juvenis, virgineus, ſanctus, & in flore ætatis, ac puritatis & virtutis, dum meretricem duxit: Allegorica cauſa eſt, ut Oſee per connubium cum fornicariâ repræſentaret ſimile, ſed myſticum, atque duplex, Chriſti conjugium. Prius cum carne noſtrâ, quæ erat fornicaria, id eſt, caro peccati, quam depuratam ſibi univit & deſpondit per Incarnationem.*

a Oſee 1. 2. &c.
b Cornel. in Oſee 1. 2.

De poſteriori Dei Filii connubio, ſecundùm eundem Cornelium, loquar vobis in parte poſteriori, cui congruit. Interim videtis, quomodo Oſee non erat niſi figura Jeſu Chriſti (hoc enim ſonat nomen ejus, Oſee, id eſt, Salvator) qui ductus amore naturæ humanæ impuræ, proſtitutæ, fœdus ejus inquirit, *Et Sponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitiâ & judicio, & in miſericordiâ & in miſerationibus* k. *Quaſi dicat, In miſericordiâ ſumma miſerationis, in miſericordiâ maximâ, utpote profectâ ex intimis viſceribus, & ex viſcerali commiſeratione. Hæ ſunt viſcera miſericordiæ* l, *quæ in nos effundit per Chriſtum*, ait Cornelius m. Cùm eligere poſſet ipſe innocentiſſimas & ſpecioſiſſimas mundi pulchritudines, ipſos neglexit ſpiritus cœleſtes, ut hominibus ſociaretur, *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit* n. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, id eſt, nunquam legitur Angelos apoſtatas ad gratiam reduxiſſe, aut Angelicam naturam aſſumpſiſſe; ſed ſemen Abrahæ apprehendit, id eſt carnem humanam ex ſemine Abrahæ ſibi univit, & populum Judæorum ſpecialiter revocavit, de quibus locutus eſt, Non ſum miſſus, niſi ad oves quæ perierunt, domus Iſraël.* Quare autem voluit Deus deſponſare ſibi naturam humanam præ deſpectu naturæ Angelicæ? Quis autem petere poterit rationé propter quam Deus iſtud ſic voluerit? Nonne ſummâ viget libertate ad agendum id omne quod ſibi placuerit? Nunquid non poteſt, ſi velit, paſtorem ex exiguâ ipſius casâ evehere ſuper thronum? & Reges deturbare è thronis ipſorum in abyſſos cõfuſionis & dedecoris, nedum ille de ſuâ ſuperbire poſſit magnitudine, neque iſti de ſuo queri valeant caſu jure merito? Ipſe eſt abſolutus & ſummus *Dominus omnium, nec eſt qui reſiſtat majeſtati* p *ejus.* Et ut ſic *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyſſis* q. Et facere poteſt quidquid ipſi libuerit, nedum alicui teneatur modi ſui procedendi reddere rationem. *Unde fatuum eſt de aliquo quærere voluntatis Dei cauſam, utputà dicendo: Quare Deus hoc voluit facere? cùm ipſa Dei voluntas ſit omnium cauſa, & nullam ſuperiorem cauſam habeat*, ait Incognitus r.

k Oſee 2. 19.
l ex Luc. 1. 78.
m Cornel. in Oſee 2. 19.
n Hebr. 2. 16.
o Dion. Carth. art. 1. in Heb. 2. 16.
p Eſth. 13. 11.
q Pſ. 134. 6.
r Incognit in Pſ. 134. 6.

His eximiis tamen rationibus non obſtantibus ſi comparare velimus nobis notitiam voluntatis Dei, eam non poſſumus meliùs addiſcere quàm ex Scripturâ, quæ eſt regula veritatis infallibilis, cùm dictata fuerit à Deo, qui eſt *Veritas* x per eſſentiam. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum* y. Diſcimus autem ab hâc Scripturâ, quòd *ſic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret* z. Nimirum, quòd Deus amore inductus fuerit ad peragendam hanc electionem, & ad præferendum hominem Angelis, non propter merita noſtra, ſed ob ſolam charitatem ſuam. Amor Dei erga ſuam creaturam ad altiſſimam ſuam pertingere debebat perfectionem: atqui ad illam non poterat meliùs & præ majori ſplendore pervenire, quàm amando res minùs dignas, & quæ potiùs ad horrorem inducunt quàm ad amorem. Amare id quod ſpecioſum eſt, iſtud eſt naturale: amicos ſuos amore proſequi, nihil eſt in hoc extraordinarium, eò uſque pervenit natura, & infideles iſtum rependunt amorem ſuis amicis, *Nonne & Ethnici hoc faciunt* o? Sed ſuos diligere inimicos, amor eſt generoſus; benefacere iis, à quibus quis injurias ſuſcepit, in hoc eſt ſita dilectionis perfectio: Deus amando Angelos, diligebat ſubjecta eximiâ pulchritudine prædita, creaturas quæ præ ſe ferebant omnia amoris lenocinia, quæque corda ad ſuum amorem poterant obſtringere, magnos amor Dei non operabatur effectus; ſed amando homines, dilexit objecta horroris, & quæ jure merito Divinæ Juſtitiæ ſuper ſe attrahebant jacula: Deus amando Angelos, amabat amicos ſuos; ſed amando homines, ſuos dilexit inimicos; & in hoc amor ejus ſuam conſecutus eſt perfectionem, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos* p. Id eſt, non terminantem ſed conſummantem, ut ait S. Thomas q. *Abſit ut dilectionem morte finierit, qui non eſt morte finitus; niſi fortè ſit ita intelligendum; Uſque ad mortem dilexit eos, id eſt, uſque ad mortem illum dilectio ipſa perduxit.*

x Joan. 14. 6.
y 2. Timot. 3. 16.
z Joan. 3. 16.
o Matth. 5. 46. & 47.
p Joan. 13. 1.
q S. Thom. in Cat. Aurea in Joan. 13. 1. citans S. Aug. tract. 55 in Joã. 13. 1.

Secunda ratio quæ extollit & perficit amorem Dei in præferendo homine ipſi Angelo, eſt quòd feratur ad egenum, illius dilectio. Angelus copioſâ perfruebatur gratiâ, in qua confirmatus eſt, & conſequenter gloriæ abundantia r, quandiu homo in ſtatu lapſus ſui & in miſeriis infortunii ſui erat conſtitutus s, ut ſic immunis ab omni bono, & univerſis obnoxius malis, effectus theatrum omnium infœlicitatum: atqui amor meliùs manifeſtatur dum miſero ſuam impendit opem, ſic Dei Filius *oves relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit* t. Quod ſic explicat ad propoſitum noſtrum Dionyſius Carthuſianus u, poſtquàm interpretatus eſt verſum im̃ediatè præcedentem S. Matthæi, *Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat*, ſic, *Venit enim per Incarnationem Filius hominis ſalvare, id eſt, Paſſione ſuâ redimere quod perierat, id eſt, perditum genus hominum. Quòd autem Chriſtus venit ad ſalvandum quod periit, probat per ſimile. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, id eſt, centum oves habuerit; & ſi er-*

r Apoc. 21. 7.
s Gen 3. 6. & Rom. 5. 12.
t Matth. 18. 12.
u Dion. Carth. art. 32. in Matth 18. 11. & 12.

raverit, *id eſt*, *ſi perdita fuerit una ex illis*, *nonne relinquit nonaginta novem in montibus*, *in quibus paſcuntur*, *& vadit quærere eam quæ erravit? Myſticè verò*, *homo iſte eſt Chriſtus*, *qui habuit centum oves*, *id eſt perfectum numerum Electorum. Cùmque una erraſſet*, *id eſt*, *humanum genus peccando periſſet*, *reliquit nonaginta novem*, *id eſt*, *novem ordines Angelorum in montibus*, *id eſt*, *in cœlis*, *de quibus legitur*, *Levavi oculos meos in montes* x, *& venit in mundum quærens*, *& ſalvans genus humanum.*

x Pſ. 120. 1.

Videris quomodo amor Dei aliquo modo fuit injurioſus fœlicitati ipſius, cùm ipſum eduxerit è cœlo, domicilio gloriæ ſuæ, & è ſocietate Angelorum ſuorum, ut ipſum deprimeret ſuper terram, quæ eſt ſubjectum miſeriarum inter homines. Unde infero quod Deus majoris æſtimaverit hominem, licèt peccatorem, quàm Angelum. Ratio iſtius eſt: Quia majoris quis ducit id, quod majori ſibi labore conciliavit; unde videmus quòd paterfamilias qui amplam laboribus ſuis æquè ac curis ſuis comparavit hæreditatem, eam majoris facit quàm filius qui eam intra exiguum tempus diſſipat, quia non ſudavit ad acquirendam illam, nec ſcit quanto conſtiterit; ideò eam exigui ducit; ſed illam conſervat pater ſolicitè, quia illam multo comparavit ſibi labore: non multo conſtiterunt Angeli Deo, ſed unico duntaxat fiat interiori & mentali, *Dixit Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux* y. Sed majori homines & peccatores illi conſtant, cùm ad eos faciendos inſumat manus ſuas, imò verò omnes potentias ſuas, ut ait de homine Tertullianus z, *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum*, *manu*, *ſenſu*, *opere*, *conſilio*, *ſapientiâ*, *providentiâ*, *& ipſâ imprimis adfectione quæ lineamenta ductabat.*

y Gen. 1. 3.
z Tert. lib. de Reſurr. Carn. c. 6.

Propterea mirum non eſt ſi illum tanti æſtimet, & majoris eum faciat quàm Angelos, cùm ei etiam majori conſtiterit. Hinc concludo quòd ipſe majori dolore afficitur (ſi dolor in Deo ſit admittendus, loquor noſtro modo) ex jacturâ unius peccatoris, quàm ex ruinâ omnium ſimul Angelorum novem ordinum. Cùm draconis *cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cœli*; *& projectus eſt draco ille magnus*, *ſerpens antiquus*, *qui vocatur diabolus & Satanas*, *qui ſeducit univerſum orbem*; *& projectus eſt in terram*, *& Angeli ejus cum illo miſſi ſunt*: tantùm abeſt ut cœlum caſum ejus luxerit, & de eo Deus doluerit, quin è contrà narrat Scriptura fuiſſe factam *vocem magnam in cœlo dicentem*, *Nunc facta eſt ſalus*, *& virtus*, *& regnum Dei noſtri*, *& poteſtas Chriſti ejus* †. Totus paradiſus lætitiâ exultat in caſu Luciferi & malorum Angelorum: ſed in morte peccatoris Deus lacrymas effunderet, ſicut aliàs ipſius Filius Jeroſolymam *ut appropinquavit*, *videns civitatem*, *flevit ſuper illam* a, quæ erat figura ejuſdem peccatoris; & dolore afficeretur ob jacturam illius, ſi ſtatus fœlicitatis ſuæ ipſum ab hujuſmodi non eximeret infirmitatibus, cùm ſcriptum ſit, *Non accedet ad te malum*, *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* b. Ideò voluit in ſignum doloris ſui exiſtimari, ut omnes creaturæ lugerent jacturam ejuſdem peccatoris in morte Filii ſui, *Et obſcuratus eſt Sol*: *& velum templi ſciſſum eſt medium* c. *Et terra mota eſt*, *& petræ ſciſſæ ſunt*, *& monumenta aperta ſunt* d. Dum cadens de cœlo *Lucifer*, *ad infernum in profundum laci* e detractus eſt, non ſatagit Deus illum quærere, ſed eum relinquit in ſtatu caſus ſui: ſed poſtquàm homo vetito *de fructu comêdit* f, & ſic aberravit à viâ Divinorum mandatorum de eo quærendo multùm ſolicitus, exit *à Patre*, *& in mundum* g venit, deſcendens in uterum Virginis ſacratiſſimæ h; è visceribus Mariæ pergit in præſepe Bethleemiticum i;

† Apoc. 12. 9. &c.
a Luc. 19. 41.
b Pſ. 90. 10.
c Luc. 23. 45.
d Matth. 27. 51.
e Iſai. 14. 12. & 15.
f Gen. 3. 6. &c.
g Ioan. 16. 28.
h Luc. 1. 31.
i Luc. 2. 7.

è præſepi *in Ægyptum*, *ex Ægypto* k in templum l, è templo ad fluvium Jordanem m; è fluvio Jordane *in deſertum* n. E deſerto *in eum qui dicitur Calvaria locum*, *ubi crucifixerunt eum* o. E cruce *deſcendit in inferiores partes terræ* p ad inveniendum eum, *Ut diceres his qui vincti ſunt*, *Exite*: *& his qui in tenebris*, *Revelamini* q. Circumquaque quærit, nec requiem capeſſit, donec eum invenerit, *Quæ mulier habens drachmas decem*, *ſi perdiderit drachmam unam*, *nonne accendit lucernam*, *& evertit domum*, *& quærit diligenter*, *donec inveniat eam* r? *Spiritualiter per mulierem hanc intelligitur æterna & increata Sapientia Dei*, *quæ ob ſuam amabilitatem*, *ſpecioſitatem*, *pietatem & fœcunditatem*, *Sponſa & mulier appellatur. De quâ Sapiens* s *proteſtatur*, *pudicus & purus amator*, *Hanc amavi*, *& exquiſivi à juventute meâ*, *& quæſivi Sponſam eam mihi aſſumere*, *& amator factus ſum formæ illius. Porrò*, *Per lucernam intelligitur Chriſti humanitas*, *quam Verbum æternum eodem quo eam aſſumpſit inſtanti*, *accendit*, *hoc eſt*, *Divinæ charitatis fervore*, *totius ſapientiæ ſplendore*, *omnique virtute nullam imperfectionem in ſuâ ratione includente implevit*, *ſicque Sapientia incarnata inter homines converſando evertit domum*, *hoc eſt*, *populum Iudæorum multipliciter excitavit*, *movit*, *deduxit*, *docendo*, *exemplariter converſando*, *miracula perpetrando*, *qui*, *ut in Actibus* t *loquitur Petrus*, *pertranſiit benefaciendo*; *& quæſivit diligenter hominem perditum ſummi Regis imagine inſignitum* u, *ſicque per drachmam congruè deſignatum. Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* x, *Donec invênit*, *id eſt*, *ſuâ Paſſione redemit genus humanum*, *quemadmodum apud Ioannem* y *loquitur Patri*, *Opus conſummavi*, *quod dediſti mihi*, *ut facerem*, ait Dionyſius Carthuſianus z. Ratio autem iſtius ſic exactæ inquiſitionis, eſt, Quia homine perdito, Dei Filius omnia perdit, cum Angelo pereunte, nihil ipſe amittat, cùm perditio Angeli ſit ipſi Dei Filio exterior; è contrà verò homine pereunte, pereant cum ipſo Dei Filio pariter Sanguis ipſius, Vita, mors, labores, vigiliæ, ſudores, & merita omnia, cùm iſtorum omnium *pretio magno* a ſalutem hominum emerit.

k Matth. 2. 14. & 15.
l Luc. 2. 21. &c.
m Matth. 3. 13.
n Matth. 4. 1.
o Ioan. 19. 17. & 18.
p Epheſ. 4. 9.
q Iſai. 49. 9.
r Luc. 15. 8.
s ex Sap. 8. 2.
t Act. 10. 38.
u ex Gen. 9. 6.
x Luc. 19. 10. & ex Matth. 18. 11.
y ex Ioan. 17. 4.
z Dion. Carth. art. 18. in Luc. 15. 8.
a 1. Cor. 6. 20.

Heu! peccator niſi temetipſum intuearis, attende ſaltem ad Sanguinem & ad merita Dei tui, quæ amittit ipſe propter peccatum tuum. Quale crimen perpetras, cùm extinguis omnes illius motus internos & ſacras inſpirationes b? Tu conculcas *Filium Dei*, *& Sanguinem Teſtamenti pollutum* ducis, *in quo ſanctificatus es*, *& ſpiritui gratiæ contumeliam* c faciendo, inducis eundem Filium Dei ad dicendum, *In vacuum laboravi*, *ſine causâ*, *& vanè fortitudinem meam conſumpſi* d. Miramini ne igitur ſi Deus tanto afficiatur dolore ob mortê peccatorum, & ſi tantam impendat operam ad eos recuperandos, cùm eos perdens, ipſe omnia amittat? Atqui per rationem contrariorum ſi Deus affligatur ex jacturâ peccatorum, conſequens eſt ut gaudeat in paradiſo, eos inveniendo, *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* e. Nolite igitur mirari ſi Deus deſerat Angelos, & veniat ad homines qui ſunt ipſi chariores Angelis, & quos majoris ducit quàm iſtos cœleſtes ſpiritus.

b Prov. 2. 24. &c.
c Hebr. 10. 29.
d Iſai. 49. 4.
e Luc. 15. 7.

II. Pars.

Secunda injuſtitia amoris eſt, quòd cùm Deum eduxerit è cœlo ut induceret illum ad converſandum cum hominibus, efficit ut deſerat homines juſtos ut adeat peccatores; non quòd velim dicere, quòd pœnitens ſit plus quàm Juſtus, & proſtituta plus quàm virgo: nequaquam; ſtatus enim integritatis prævalet ſemper adverſus ſtatum peccati. Si verò Scriptura dicit, *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, *quàm ſuper nonaginta novem juſtis*,

qui

qui nõ indigent pœnitentiâ; non ideò præferat ſtatũ peccati ſtatui ſanctitatis, ſed quia peccator è ſuis caſibus occaſionem capeſſit maiori animo reſurgendi è ſuis peccatis, & prævidendarum occaſionum, quæ ipſi fuerunt funeſtæ, quandiu *iuſtus*, qui nunquam labitur, aut ſi in leves aliquas imperfectiones *ſepties cadet, & reſurget* f ſtatim, lentus eſt, & velut tepidus, nihil veritus ſicut nunquam graviter lapſus, nec aſtutias expertus inimicorum. Deus igitur ſimiles permittit caſus ob maius bonum, *Neque enim Deus omnipotens* g, *quod etiam infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus* h *ſit, ullo modo ſineret malum eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo*, ait S. Auguſtinus i, & confirmat Magiſter ſententiarum k. Et hoc, ſecundùm Cornelium loco ubi ſuprà, *poſterius Chriſti connubium eſt cum Eccleſia, quod Oſee ſuo hic repræſentat. Ita S. Ambroſius* l, *Meretrix* (*inquit*) *iſta Eccleſia typus eſt, aliquando in Gentibus conſtituta, idolorum cultibus vitiata, quam vana ſuperſtitionum ſtupra polluerant, quam falſorum Deorum adulteram fecerat multitudo: laſciviſque ac turpes incompoſitum motibus ſaltus, nemorum & lucorum inculta luſtrabat, dedita luxuria, pompa Gentilium mancipata. Hanc poſt aquàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus puro Baptiſmatis fonte perfudit* m, *ablutionem & criminis accipit & nominis. Ita S. Auguſtinus* n, *imò S. Paulus* o. *Vnde S. Hieronymus in Proœmio, per fornicariam hanc tropologicè accipit S. Magdalenam, quam, pœnitentem ſibi Chriſtus deſpondit. Hæc* (*inquit*) *eſt meretrix & adultera, quæ in Evangelio p pedes Domini lavit, crine deterſit; & confeſſionis ſua honoravit unguento.* Videtis quomodo è lapſibus Deus glorioſas educat reſurrectiones. Magdalena *dilexit multum*. Sed priùs *mulier erat in civitate peccatrix* s. Id eſt, proſtituta, & totius civitatis ſcandalum, *Ipſius civitatis facta peccatum*, ait S. Chryſologus t. Interea videte quomodo illa surg r, dum audiet, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ego autem dico poſt Chriſtum, qu eam ſibi deſpondit, *Dilexit multum*. Quoniam ipſam pœnituit multùm; in poſterum dubitat illa de omnibus, & ſuo edocta experimento quàm fatales ipſi fuerunt occaſiones, ab illis cavet & d cimat ut à ſcopulis priſtinæ ſuæ pudicitiæ deperditæ, nec ſuorum frequentat amplius loca præcipitiorum. David, quem *quæſivit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum* u; in peccatum labitur x, de eo pœnitentiam agit y, & ſimiles ſemper veretur caſus, & memoratus ſe alienam rapuiſſe uxorem, *dum erat in præſidio, & ait, O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem, & attulerunt ad David, noluit bibere, ſed libavit eam Domino* z. Quaſi ventus ne aqua è caſtris Philiſthæum aſportata, & ſic bonum velut alienum denuò ipſum ad offendendum Deum induceret, ideòque illam effudit, licèt periculo trium è ducibus ſuis ſibi allatam.

Videte quomodo peccator, qui è ſuis ſurrexit caſibus, attendat ſibi, *Recordatus Petrus verbi Ieſu quod dixerat, Priuſquàm gallus cantet, ter me negabis: & egreſſus foras, flevit amarè* a, retrahens ſe ab occaſionibus. *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia* b. Itaut dicere poſſimus, *Virtus in infirmitate perficitur* c. Nimirum, quòd caſus aliquibus fuerint proficui ut ſtiorum interventu ad ſanctitatem pervenerint, *Virtus in infirmitate perficitur*. Imò in ſtatu naturæ, & politiæ, æquè ac gratiæ. In naturâ, febres ſunt aliquando neceſſariæ, quia illarum adminiculo conſumuntur humores pravi, in ſtomacho geniti. In politiâ, miles qui tergum verterat, in ie reverſus, & de ſua erubeſcens puſillanimitate, capite depreſſo in medios iruit hoſtium cuneos, ut pravam de ſuâ eâdem puſillanimitate conceptam ab aliis opinionem deleat. In gratiâ, peccatores reſurgunt, ut ardentiùs in viâ virtutis, quam deſeruerant, incedant, quandiu Iuſti lento procedunt greſſu, nec attendunt ſibi ab occaſionibus, à quibus eſt ſemper declinandum. Hæc mulier lapſa eſt, aliis attendit ſibi & cavet ab occaſione caſus ſui, quandiu hæc puella imprudenter in occaſionem impingitur, & horis ſuſpectis periculoſos frequentat circulos, quia nondum inimicorum aſtutias & conatus eſt experta. Petit S. Anſelmus à Virgine Deipara, ubinam eſſet ipſa *tunc* cùm Filium ipſius relinquentes in horto Gethſemani *diſcipuli omnes, fugerunt* d. *Dic piiſſima Domina fuiſti tunc cum illo? Non. Quare, cùm eum tantùm diligeres? Non inſtabat, & non expediebat ut mulieres tunc foris invenirentur* e. Quod docet nos, non intereſſe nos debere ulli unquam occaſioni ſuſpectæ loci, aut ſocietatis, cùm non ſimus ſanctiores Deiparâ, quæ occaſiones vereri videbatur.

Iuſti formidate, Iuſti cadunt, *Stellæ cadent de cœlo* f. *Hoc eſt, multi literati avertentur à fide*, iuxta interpretationem myſticam Dion. Carthuſiani g, & Cornelij h dicentis, *Docti ſive intelligentes, puta qui veritate intelligunt, ſacrorum, Dei nomine, intelliguntur non ſpeculativè tantùm, ſed & practicè quæ eſt ſcientia Sanctorũ, & ſapientia ac prudentia Iuſtorũ* k. Et iſti *docti, quaſi ſtellæ* ſecundùm Danielẽ, *cadet de cœlo*, iuxta S. Matthæũ, quãdiu peccatores reſurgunt è caſibus ſuis, & talis eſt hodie in gratiâ conſtitutus, qui ante Solis occaſũ in peccatum labetur; & talis in vitio torpet, qui ex eo glorioſè reſurget præ conatibus, qui cœlum ſtupore cibunt, quandiu ille qui virtutis incumbit exercitio ignominioſè in terram impingetur. Unus è diſcipulis S. Antonij Abbatis, qui ſanctitatem invexit in ſolitudines, vidit aliàs in viſione thronum prædivitem in cœlo paratum, & interrogatus, cuinam crederet huiuſmodi ſedem auguſtam reſervatam, reſpondit illico, Patri ſuo Antonio fuiſſe repoſitum. Hallucinans, reſponſum eſt illi; locus iſte magnificus reſervatur Thaidi, huic famoſæ peccatrici Alexandrinæ. Sed lupa eſt æquè ac proſtituta, Thais iſta, reſpondit ille diſcipulus. Nihil intereſt, dictum eſt illi; in bonum emendata eſt modò ſeſe recepit vitæ frugem, & ſancta evaſit. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei*: *quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius* l. Iuſti pereunt, peccatores ſalvantur; Iudas Apoſtolus m eſt, in menſa comedit Filij Dei n, chori *loculos* o cuſtodit Apoſtolici, miracula operatur ſicut Coapoſtoli ſui p, & tamen damnationem incurrit: Magdalena eſt famoſa *peccatrix* q. Quandiu *Iudas* r recedit à domino ſuo, Magdalena ad eum accedit s. Iudas venditionem Domini ſui meditatur, Magdalena verò honorare eũ ſatagit; *Iudas laqueo ſe ſuſpendit* t. Magdalena autem ſuam operatur ſalutem. O Domine *iudicia tua abyſſus multa* u. Hinc S. Auguſtinus ait x, *Multi etiam qui apertè foris ſunt, & Heretici appellantur, multis & boni Catholicis meliores ſunt. Quid enim ſint hodie, videmus; quid eras futuri ſint, ignoramus.* Quia Deus prævidet huiuſmodi Hæreticorum converſionem, antequàm iſti *rebelles lumini, per ſemitas eius* y reverti firmiter ſtatuant. Mirabimini igitur ſi Deus diligat peccatores, ſi eos quærat, cùm ſancti evaſuri ſint præ virtute, quandiu Iuſti è ſua excident ſanctitate, & magni efficientur peccatores. Iuſti timete, peccatores nolite animum deſpondere, Deus quærit vos, ſuum vobis offert auxilium: animæ peccatrices, quæ in veſtris torpetis criminibus, ſurgite, exite è vitiis veſtris, Deus ſuam vobis præbet *gratiam* in hoc mundo, & ſi ei iuxta ut expedit, *gloriam* ſuam vobis *dabit* z in altero.

Marginal notes: f Prov. 24.16. — g ex Sth. 21.9 — h ex Pſ. 118, 68. — i S. Aug. in Enchirid. c. 11. — k Magiſt. ſentent. lib. 1. diſt. 46. — l S. Amb. lib. de Salomone, c. 4 — m ex Propheſ. 5. 26. &c. — n S. Aug. lib. 22. contra Fauſt. c. 89. — o Rom. 6. 24 & 25. ex Oſee 2. 24. & ex 1. Petr. 2. 10. — p ex Luc. 7. 37. & 38. — q Luc. 7. 47. & 37. — s S. Chryſol. ſerm. 93. — u 1. Reg. 13. 14. — x 2. Reg. 11. &c. — y Pſ. 50. — z 2. Reg. 23. 14. &c. — a Matth. 26. 75. — b Rom. 5. 20. — c 2. Cor. 12. 9. — d Matth. 26. 56. — e S. Anſelm. in Dialog. de Paſſ. Dom. — f Matth. 24. 29. — g Dion. Carth. art. 31. in Matth. 24. 29. — h Cornel. in Daniel. 12. 3. — k ex Sap. 10. 10. — l ex Rom. 11. 33. — m Luc. 6. 16. — n Matth. 26. 21. — o Ioan. 12. 6. & 13. 29. — p Matth. 10. 8. — q Luc. 7. 37. — r Matth. 26. 14. — s Luc. 7. 47. &c. — t Matth. 27. 5. — u Pſ. 35. 7. — x S. Aug. lib. 4. de Bapt. contr. Donatiſt. c. 3. — y Iob 24. 13. — z Pſ. 83. 12.

FERIA

Feria VI. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſtina, quinque porticus habent. In his iacebat multitudo magna languentium, &c. Ioan. 5. 2. &c.

VIr, quo *maior inter natos mulierum Propheta nemo eſt* a; quippe qui repletus *Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ* b, S. Joannes Baptiſta cùm veniſſet in mundum tempore, quo inordinatio erat in moribus, corruptio in vitâ civili, profanatio in ſanctuario, nullam ampliùs habentibus Sacerdotibus ſanctitatem; hæreſis in Religione, in quâ ſectæ erant Sadducæorum, uſurpatio Regni peracta ab Herode c, & quo cæcitas & error ita regnabant ut veritas non cognoſceretur ampliùs, ſic à Jeſu petivit *Pilatus, Quid eſt veritas* d? Et id, quod Prophetæ prædixerunt, erat adimpletum, *Corruit in plateâ veritas* e. Et *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum* f. Ita ut crimina illius temporis viderentur inducere debere Deum admittendum ſecundum diluvium, *In diebus illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudaea, & dicens, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* g. Deinde, Ingreditur civitates, imò & ipſos adit thronos, veritates Religionis proponit, & depravatos Regum mores corripit, *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui* h. Prædicat praxim pœnitentiæ, cuius tunc ignorabatur nomen, nedum illa exerceretur. Deus meus, præbe mihi zelum hunc ſimilem hoc infelici tempore, quo crimina regnant, & virtus eſt depreſſa in hâc civitate N. ut inducam peccatores ad pœnitentiam figuratam per piſcinam noſtram, ut intrent in ſenſum Dei, in vitam Dei, in merita Dei, & in ſatisfactiones Dei. Ut iſtud impetremus, adeamus S. Matrem Dei, *Ave Maria*.

a Luc. 7. 28
b Luc. 1. 15
c Marc. 6. 14.
d Ioan. 18. 38.
e Iſai. 59. 14.
f Pſal. 11. 2.
g Matth. 3. 1. & 2.
h Marc. 6. 18. ex Levit. 18. 16

Admiratione cicor videns quòd inter innumeros homines Chriſtianos ita pauci ſint ſancti; quòd ſanctitas eſt ita rara ſeculis quibus vivimus, etiamſi intimo cordi noſtro eſſe deberet impreſſa, cùm Chriſtiani præ ſe ferre debeant illius notas & charactêres, & vivæ illius eſſe imagines, prætereqoàm quòd ipſa eſt id, quod à nobis Deus exigit, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum* i. Deus vult ut ſancti efficiamur, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctiſicatio veſtra* k. Et profeſſio noſtra Chriſtianiſſimi ad iſtam nos obſtringit ſanctitatem. In Baptiſmo duplicem ſuſcipimus ſanctitatem, unam conſecrationis, & alteram ſanctitatis formalis, renati *ex aquâ & Spiritu ſancto* l. Prior ſanctitas eſt conſecrationis, cùm ibi conſecremur unctiona, quam in eo ſuſcipimus. Chriſtianus idem eſt ac unctus, ſicut & Chriſtus unctus in ſinu ſanctiſſimæ Virginis Genitricis ſuæ, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis* m. Atqui omne quod eſt conſecratū, eſt ſeparatum: Sacerdotes ſunt cōſecrati: ergo debent eſſe ſeparati à vitiis, ab imperfectionibus, à divitiis temporalibus, non cogitantes niſi de Deo, non vacantes niſi rebus cœleſtibus; uno verbo, ſeparati à terrâ; quia ſunt conſecrati, debent eſſe ſancti, & tales ſunt per ſanctitatem conſecrationis, quæ ipſos à mundo elongat, æquè ac à deliciis carnis, *Abrenuncias ſatanæ? Abrenuncio. Et omnibus operibus eius? Abrenuncio. Et omnibus pompis eius? Abrenuncio* n. Et tria vota, quæ Religioſæ vitæ Cultores & Cultrices emittunt o, non ſunt niſi publica proteſtatio illius, quod jam promiſerunt in Baptiſmo. Poſterior ſanctitas Chriſtianorum eſt ſanctitas formalis interior, quam ſuſcipiunt à Jeſu Chriſto, quem Deus, eiuſdem *Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* p: in quod influit hâc ſanctitate interiori *per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* q: quæ efficit ut omnes actiones Chriſtianorum, cunctæ loquelæ, & univerſæ cogitationes debeant eſſe ſanctæ ſanctitate formali, quam ſuſceperunt per myſterium Incarnationis. Unde oritur ergo ut non ſint ſancti? Pſalmiſta r loquens de ſingulis Chriſtianis, ait, *Lex Dei eius in corde ipſius*. Sed iſtud non ſufficit ad hoc ut quis ſit ſanctus, ſed requiritur ut cor ſit in lege eius, ad illam adimplendam, ad exequendam voluntatem Dei in eâdem lege manifeſtatam, ut nimirum intret in ſenſus Dei, id eſt, Verbi Incarnati, *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu* ſ, &c. Hoc eſt, in dolores, in humiliationes, & in infamias eius; quod agemus per Sacramentum Pœnitentiæ t, per contritionem u, confeſſionem x, & ſatisfactionem y. Per contritionem ingrediemur dolores eius, per confeſſionem humiliationes illius, & per ſatisfactionem infamias ipſius, ut videbimus in primâ parte diſcurſus iſtius. In ſecundâ, Quòd Verbum iſtud incarnatum velit nos omnes ſalvare. Et in tertiâ, Quòd ſi ſumus in peccato, præbet nobis remedium, virtute cuius ab eo exire poſſimus.

i Levit. 11. 44.
k 1. Theſſ. 4. 1.
l Ioan. 3. 5
m Pſal. 44. 8
n Eccleſia
o Matt. 19. 12. & 27
p Epheſ. 1. 17. &c.
q Rom. 15
r Pſal. 36. 31.
ſ Philipp. 2. 5. &c.
t Luc. 13. 3
u Pſal. 50. 19
x Iacob 5. 16.
y Luc. 3. 8 & Matth. 3. 8.

Diviſio. I. Pars

S. Paulus z ait, quòd id, quod non fecit lex, cùm eſſet vacua & infirma, Jeſus Chriſtus peregit per Incarnationem ſuam, *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Lex non dabat nobis ſanctificationem interventu victimarum, ſacrificiorum, & holocauſtorum cruentorum: Jeſus *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* a. Et hâc oblatione ſuiipſius pro nobis ſatisfecit Patri ſuo per Baptiſmum, quem inſtituit ut lavacrum in quo ipſius *Sanguis emundat nos ab omni peccato* b. Et poſt hanc gratiam ſeu ſanctificationem deperditam, habemus Pœnitentiam, quæ *ſecunda poſt naufragium tabula eſt*, ait S. Hieronymus c, & Tertullianus d, dicens, *Ita invade, ita amplexare ut naufragus alicuius tabulæ fidem.* Dei Filius, ut deſtrueret peccatum, noſtras omnes ſumpſit iniquitates, quas Pater æternus impoſuit illius humeris, *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* Ex his verbis Marcion formandæ hæreſis anſam arripuit, dicens, Chriſtum non ſumpſiſſe carnem humanam, ſed corpus phantaſticum, aut ex aëre formatum, & ſolam corporis præ ſe ferens ſimilitudinem, *Marcion ut carnem Chriſti negaret, negavit etiam nativitatem: aut ut nativitatem negaret, negavit & carnem*, ait idem Tertullianus e. Sed apage blaſphemiæ monſtrum Chriſtus noſtræ ſuſcepit veritatem naturæ, infirmitates noſtras, ſed *in ſimilitudinem carnis peccati* apparentis: & Pater æternus illum in hoc ſtatu intuitus, vibravit in illum omnia indignationis ſuæ iacula, quia ſolam præ ſe ferebat apparentiam & nutam exteriorem peccatoris,

z Rom. 8. 3. & 4.
a Epheſ. 5. 2.
b 1. Ioan. 1. 7.
c S. Hier. Epiſt. 47. num. 6.
d Tert. lib. de Pœnit. c. 4
e Tert. lib. de Carne. Chriſt. c. 1

ris, *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* f. Datur homo, & homo peccator: Jeſus Chriſtus eſt verus *Homo* g. Et peccator apparens, & ut ſic exceptus eſt quaſi reus, *Et crucifixerunt eum* h. Pater æternus ſe geſſit eodem modo quo agunt Magnates, qui ulciſci volentes aliquod enorme facinus patratum, & non valentes apprehendere authorem illius, damnant eum ad mortem ſub effigie oppetendam, & tunc iſte homo è palea compactus idem patitur ſupplicium ac ſi eſſet ipſemet verus reus; ſi decollandus erat, præciduntur ei cervices; ſi ad furcas trahendus erat, in patibulo ſuſpendio enecari videtur: ſic homo peccator ob demerita ſua omne debebat ſuſtinere pœnarum genus: quid egit Pater æternus? Fecit peccatorem effictum, apparentem, *In ſimilitudinem carnis peccati*. Et in hoc peccatore iſte emeritus ſuſcepit ſupplicium pro peccatore, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* i. Excepit illum Pater æternus quaſi reum, *Et de peccato damnavit peccatum in carne*. Et per carnem caſtigavit carnem, per lignum, lignum k; & per peccatum deſtruxit peccatum. Peccatum habebat corpus, cuius diabolus eſt caput, peccatores membra, ſeu officiales: Jeſus Chriſtus per corpus ſuum deſtruxit corpus peccati, *Ut deſtruatur corpus peccati* l. Hoc poſito.

f Iſai. 53. 5. g 1. Tim. 2. 5. h Ioan. 19. 17 & 18. i Iſai. 53. 8. k Gen. 3. 6. l Rom. 6. 6.

Obſervo cum Theologis duplex mali genus poſt ſcripturam, *Malum* m pœnæ, & *malum* n culpæ. Malum pœnæ eſt malum doloris, ſeu dolor ipſe quem experimur. Malum culpæ eſt maximum omnium malorum, cùm eripiat nobis *omne Bonum* o. Iſtud malum peccati lethiferi dolere facit Salvatorem in horto, *Cœpit pavere, & tædere: & ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* p. Quam tandem hoc peccati malum illi infert. Impeccabilis erat Dei Filius, & tamen peccati pœnam ſuſtulit, cruci ſuffixus, *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius* q: S Paulus r ait, *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*, &c. Ingredimini in ſenſus Jeſu Chriſti, id eſt, in dolores eius, ſed per veram contritionem, non ſenſibilem, eò quòd Deum offenderitis, & pœnas Jeſu Chriſto intuleritis, ſed interiorem & ſpiritualem; illa enim procedit è temperamento, & ſenſibiliter unuſquiſque iacturas ſuas experitur; oportet ut dolor iſte ſit interior, & procedat è ſpiritu, qui inducat vos ad contritionem ſpiritualem, *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* ſ. Datur autem contritio una perfecta, & altera imperfecta: imperfecta eſt attritio, perfecta verò eſt contritio, & fieri poteſt ut hæc ſit ita magna, ut poſſit Deo ſatisfacere pro omnibus peccatis noſtris, & pro pœna, quam pro iis expiandis ſuſtinere tenebamur in hoc mundo, aut in purgatorio, & talis fuit contritio illa perfecta Magdalenæ, de qua Dei Filius dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* t. S. Paulus ſcribens Corinthiis u, ait illis, *Gaudeo, nō quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad Pœnitentiam*. Datur dolor imperfectus propter iacturam quam quis paradiſi incurrit; ſed dolor qui fert ad veram Pœnitentiam, hæc contritio, qua quis dolet ſe offendiſſe Deum, eſt perfectiſſima. Ha! ſi ſatis eſſem felix, qui ferrem aliquem ad concipiendam veram de peccatis ſuis contritionem, quàm ratè inſumptum laborem meum exiſtimarem. *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, ait S. Paulum, eoſdem Corinthios ſcriptis alloquens. *Operatur ſolicitudinem*. Id eſt, curam non relabendi, attendendi ſibi, occurrendi obviàm peccatis ne ampliùs perpetrentur, & præveniendi ea propter eundem finem. *Sed defenſionem* Hoc eſt, opponendo ſe criminibus, reluctando eis, utendo ardore & fortitudine contra omnia blandimenta & ſuggeſtiones. *Sed indignationem*. Scilicet, contra corpus criminoſum, quod animam trahit in lutum. *Sed timorem*. Nimirum, permanendo in timore, inſidias ſemper metuendo. *Sed deſiderium*. Ut putà, in meliorem emendatioris vitæ frugem ſeſe recipiendi. *Sed æmulationem*. Nempe, meliora ſemper proſequendo. *Sed vindictam*. Utpote, pœnas infligundo carni. Per contritionem debemus ingredi in dolores Jeſu.

m Amos 3. 6. n Gen 39. 9. o Exod. 32. 19. p Marc 14. 33. & 34. q 1. Pet. 2. 21 & 22. ex Iſai. 53. 9. r Philipp. 2. 5 &c. ſ Rom. 8. 26. t Luc. 7. 47. u 2. Cor. 7. 9. &c.

Sed per confeſſionem ſatisfacere debemus humiliationibus illius, *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* x. Et, *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ* y. Ab inimicis ſuis *peccator eſt* z habitus, & *ſeductor* a Oportet ut confeſſionibus noſtris illum eripiamus ab his opprobriis, confeſſio noſtra erit mulcta honoraria, & ut publica proteſtatio innocentiæ eius, & quòd nos ſumus rei qui meremur tali confuſione operiri. Requiritur igitur confeſſio, ſed integra quantùm ad omnia peccata perpetrata; quia confeſſio invalida nullas facit omnes confeſſiones ſubſequentes, niſi reparetur. Sed humilis ante pedes Sacerdotis, ibi debet peccator manere proſtratus, ſicut reus coram Iudice, quantùmuis nobilis, potens, & peritus. Ideò *Ieſus dixit, Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* b. Saulus, ille eximius *vir Iudæus, ſecus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis* d; procumbit ante pedes Ananiæ, quem S. Auguſtinus e cenſet fuiſſe Sacerdotem, dicens, *Itaque & Paulus voce Domini auditâ: Quid me perſequeris? & ego ſum Ieſus quem tu perſequeris: ad Ananiam tamen miſſus eſt, ut illo ſacerdotio, quod in Eccleſiâ conſtitutum eſt, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color*. Ibi, id eſt, ante Sacerdotes flectenda ſunt genua. Sed pudor eſt, revelare eis ſecreta cordium. Non erubuiſtis inſurgere contra Deum, & illum inhonorare, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur* f. Sacerdos homo eſt: tantò melius: infirmus eſt & peccator, ſicut vos: reparate injuriam quam Deo irrogaſtis, confeſſione humili; intrate ſic in humiliationes eiuſdem Dei hominis.

x Philipp. 2. 8. y Hebr. 12. 2. z Ioan. 9. 24. a Matth. 27. 63. b Matth. 18. 3. d Act. 22. 3. e S. Aug. lib. 2. Quæſt. Evangel. quæſt. 40 ex Act. 9. 4. &c. f Sap. 11. 17.

Satisfaciemus ignominiis eius ſatiſfactionibus noſtris. Ut autem huiuſmodi infamias ingrediamur, æquum eſt *ut ſobriè, & iuſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo* g. *Piè* erga Deum, *iuſtè* intuitu proximi noſtri, *Sobriè* quantùm ad noſmetipſos. Debemus pietatem Deo, humanitatem & charitatem proximo noſtro, & nobis metipſis ſanctitatem. Deo debemus magnum ſenſum illius quod ipſe eſt; & ingentem cultum ſeu reverentiam; *Sentite de Domino in bonitate* h. Non imitando ſcupuloſos illos, qui eum ſibi figurant fulminibus armatum, quæ ſuper nos in flagranti delicto deprehenſos vibret: hoc enim eſt iniuriam irrogare miſericordiæ eius, quâ diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam* i. *Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum* k. S Dionyſius habebat ianitorem ſeverum, qui zelo ductus indiſcreto cùm advertiſſet quendam faventibus tenebris ingreſſum Eccleſiam, Sacerdoti fuiſſe

g Tit. 2. 12 h Sap. 1. 1. i Sap. 11. 24. k Pſ. 102. 14.

con-

confeſſum, in eum inde exeuntem dura invectus eſt reprehenſione, dicens ei, quòd inhonoraſſet domum Dei: & cùm S. Dionyſium iſtius modi procedendi monuiſſet; reſpondit ipſi S. iſte Antiſtes appoſitè, *Quære tibi alium Pontificem: non habemus Deum Iudicem, ſed Patrem.* Ipſe recipit nos ut prodigos l: ipſe Salvator prodigus eſt ad conferendas nobis gratias ſuas præ inſigni liberalitate, & magis ſibi complacet in exercendâ miſericordiâ, quam iuſtitiâ. Proximo noſtro debemus humanitatem & charitatem. Ut autem cognoſcamus id quod debemus illi retribuere, videamus id quod illi eripuimus, bonum, honorem, famam; reddamus ei bonum ereptum, *Non dimittitur peccatū, niſi reſtituatur ablatū.* Ei, inquam, non autem aliis, ad quos non pertinet. Imitemur Judam *qui tradidit* Dei Filium, qui ſuo ſatisfaciens debito, *retulit triginta argenteos. Et proiectis argenteis in templo, receſſit* m. Sunt aliqui, qui poſtquàm ſuffurati ſunt, è furtis ſuis volent eleemoſynas facere, Eccleſias reparare, ſacella conſtruenda ſatagere. Si elemoſynas vultis tribuere, eas è veſtro erogate bono, non ex alieno. Quoad honorem, ſi detraxiſtis famæ proximi veſtri, quodnam remedium illi reparandæ conſonum? Vix ullum reperiri poteſt: niſi fortè dicatis, vos circa talem rem malè fuiſſe informatos, &c. Quoad nos ipſos, debemus ſanctitatem animæ noſtræ, puritatem corpori noſtro. Si corpus præcipitarit animam in aliquam cloacam, ponendum eſt ut criminoſum graves imponendæ ſunt ei pœnitentiæ, ſicut ſi auriga vexiſſet mulierem aliquam illuſtrem in curru conſtitutam, in cœnum & in ſordes. At ſatisfecimuſne huic triplici generi perſonarum? Deo pro tot irreverentiis, & criminibus, & defectibus fidelitatis. Proximo, quem offendimus. Et nobiſmetipſis, quibus plùs quàm eſſet par blanditi ſumus. Pro quibus debemus nobis pœnitentias imponere. Ubi obſervate, ſi placet, quòd pœnitentias poſſumus ſuſcipere à triplici genere perſonarum, à Deo, à Sacerdotibus, & à nobiſmetipſis. Deus imponit nobis pœnitentias mediis afflictionibus, ſiccitatibus, tentationibus, ſicut cùm de Job idem *dixit Dominus ad Satan, Ecce, univerſa quæ habet, in manu tuâ ſunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam* n. &c. Sed quàm leves ſunt iſtæ pœnæ, comparatæ illis, quas ſuſtinere deberemus in purgatorio, aut in inferno. In purgatorio, quia, decretum eſt iam pronunciatum, *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum* o. Et, *Pro menſurâ peccati erit & plagarum modus* p. Juſtitia Divina mittit nos in hæc ergaſtula ignea cum iſto decreto quod illa ſequitur, *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem* q. Quod eſt intelligendum de purgatorio, non autem de inferno, in quo non ſatisfit, cùm pœnæ ſolvendæ ſint infinitæ, & in hoc ſitum ſit infinitum, ut quò plus ipſi detrahitur, eò plus ipſius remaneat, & poſt centum millia annorum medias inter pœnas tranſactorum, ſemper novi incipiant anni tolerantiarum ſubeundarum in ſæcula uſque infinita. Fœlices igitur nos ſi ſciamus utilitatem haurire è pœnis quas Deus mittit ad nos, cùm eæ ſatisfacere poſſint pro illo quod iuſtitiæ ipſius debemus reddere. Deinde Sacerdos iniungit nobis pœnitentias. Domini mei Sacerdotes, vos eſtis œconomi Dei, præ veſtris habetis manibus ſanguinem eius, & merita illius. *Iam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur* r. Illa diſponite fideliter, & prudenter. Sed attendite; criminoſi evaditis, ſi pro peccatis gravibus leves impoſuitis pœnitentias; ſi pro peccatis mortiferis recitanda aliqua quinque *Pater noſter*, & *Ave Maria* iniungitis; ſi eum, qui cibum comēdit prohibitum, nec conſequenter ieiunavit toto tempore Quadrageſimæ, obſtringitis duntaxat ad ieiunandum unica die Veneris poſt Paſcha, *Quantùm in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Indulgentia veſtra eſt illi damnoſa, anima illius præ veſtris manibus eſt; & ideò dicere vobis poſſum id, quod dicebat Deus diabolo de Iob, licèt ſub alio ſenſu, *Ecce in manu tuâ eſt, veruntamen animam illius ſerva* ſ. Satiſfacere poſſumus nos Deo ieiunando, orando, & eleemoſynas erogando, *Bona eſt oratio cum ieiunio, & elemoſyna* t. Sed quàm breves ſunt orationes veſtræ, quàm anguſtæ ſunt manus veſtræ, & nimis delicati eſtis nedum flagellis carnem veſtram maceretis. Quid igitur agendum vobis eſt, ne excuſationem refundatis ſuper veſtri teneritudinem temperamenti? Diligite: nemo eſt qui à diligendo ſe poſſit diſpenſare: diligite *Dominum Deum in toto corde, & in tota animâ, & in totâ mente;* & *proximum ſicut* u vosipſos. Dicite igitur Deo cum S. Auguſtino x, *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi.* Diligam te, Domine, in tempore, cùm *in charitate perpetuâ* y dilexeris me, & velis ut amem te per totam æternitatem; & cùm ideò *Verbum caro factum* z ſis pro hominibus, ut omnes ſalvares eoſdem homines.

l Luc. 15, 20.
m Matth. 27. 3. & 5
n Iob 1. 12.
o Apoc. 18. 7.
p Deut. 25. 2.
q Matth. 5. 26.
r 1. Cor. 4. 2.
ſ Iob 2. 6.
t Tob. 12. 8.
u Matth. 22. 37. & 39.
x Aug. lib. 10. Conf. c. 27.
y Ier. 31. 3.
z Ioan. 1. 14.

II. Pars.

Illi qui promiſſam *exploraverunt terram, pergentes uſque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum uvâ ſuâ, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt. Reverſique exploratores terræ poſt quadraginta dies, omni regione circuitâ, venerunt ad Moyſen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſraël. Locutique eis, & omni multitudini oſtenderunt fructus terræ & narraverunt, dicentes, Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ reverâ fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt; ſed cultores fortiſſimos habet.* Inter hæc *Caleb compeſcens murmur populi qui oriebatur contra Moyſen, ait, Aſcendamus, & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alij verò qui fuerant cum eo, dicebant, Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. Detraxeruntque terræ quam inſpexerant, apud filios Iſraël, dicentes, Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos: populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt: ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur* a. Retulerunt illi mirabilia terræ illius, fœcunditatem, & commoda eius; ſed cùm acceſſus ad illam eſſet difficilis, & contineret illa gigantes, à quibus devorarentur ipſius incolæ; ideò animum deſpondebant Iſraëlitæ, futurum ut in illam unquam pervenirent: eodem ſeres habet modo de *terrâ viventium* b, de cœlo, de paradiſo gloriæ, de ſalute æternâ: quantæ ſunt ibi deliciæ fœlicitatis! *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen* c. Sed quantæ difficultates delicatis perviæ, ad quarum occurſum animo excidunt illi, futurum ut illam poſſint aliquando conſequi, *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam & pauci ſunt qui inveniunt eam* d. Videtur ipſis quaſi impoſſibile ut eò perveniant, etiamſi ipſorum deſideria obtinendæ terræ illius nullis circumſcribantur terminis. Re autem vera non eſt deſiderium univerſalius voto

a Num. 13. 33. &c.
b Pſal. 26. 13. & 141. 6.
c Pſ. 35. 9. & 10.
d Matth. 7. 14.

ſalu-

ſalutis adipiſcendæ: & nullus eſt, ſive Juſtus, ſive impius, qui non concupiſcat eſſe beatus : inclinatio iſta communis eſt, & ipſi vel ſceleſtiſſimi homines, qui vixerunt inſtar dæmonum, mori concupiſcunt non ſecus ac Angeli, ſeu Juſti, ut ſeductor & impius Pſeudoprophera dixit Balaam, *Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia* e. Omnes volunt ſalutem, & tamen de ea ſibi conciliandâ deſperant multi, quaſi impoſſibile eſſet eam conſecutu, nec vellet Dei Filius omnes homines ſalvare, & eſſet ſalus hæc impoſſibilis & ex parte Dei, & ex parte ipſorum.

e Num. 23. 1. &c.

Suppono quòd noſtra ſalus oriatur à Deo ut causâ primâ & principali & à nobis; à gratiâ & à noſtra voluntate: noſtra enim ſalus non eſt purus effectus noſtri ipſorum, non ſumus opifices felicitatis noſtræ, ſed illius Deus eſt cauſa præcipua, *Neque qui plantat eſt aliquid, neque rigat: ſed qui incrementum dat, Deus* f. *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate* g. Noſtram excitat ipſe voluntatem, *Salvum me fecit, quoniam voluit me* h, Voluntas noſtra eſt ſicut circumſtantia neceſſaria, conditio ſine qua non; ut ad recipiendum calorem oportet ut ad ignem accedam; ignis eſt cauſa caloris ſed approximatio eſt conditio neceſſaria, ſine qua non fruerer caloris beneficio : ſic quantùm ex Deo eſt, ipſe univerſos vult homines ſalvare: cautam nobis præſtat ipſe voluntatem ſuam bonam in Scripturis ſuis, operandæ ſalutis noſtræ generaliter, *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum* i. Et illius *Bonitas* k, quæ *non habet finem* l, extenditur ſuper omnia ſecula, præterita, præſentia, & futura: propterea ipſe ſuas expandit *manus tota die ad populum incredulum, qui in viâ non bonâ poſt cogitationes ſuas* m gradiebatur. Id eſt, ut exponit Cornelius n poſt Theodoretum & Forerium, ſuas expandit *præſertim manus in Cruce* Quæ intuebantur omnes partes mundi, eò quòd bonitas ipſius infinita omnes amplecteretur homines abſque ulla exceptione, ſicut ipſemet ait apud eundem Cornelium, *Vt eos ad me etiam moriens, licèt ab eis occiſus, allicerem, & amplecterer.* Nemo eſt qui non experiatur effectus amoris illius, quantùm ex ipſo eſt: quantùm verò ex nobis eſt, auxilio illius adjuti noſtram ſalutem conſequi poſſumus infallibiliter, & debemus fulti gratiâ quidem Dei, *qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* o. Vbi S. Paulus intendit loqui de omnibus, hominibus in particulari, cùm ait, *Vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et alibi p, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Apoſtolus exprimit in hoc loco charitativã voluntatem Redemptoris, ut confuſione operiamur, ſi deſit in nobis voluntas diligendi eum, & ſerviendi illi. Sed ſi S. Paulus ſolam vellet innuere ſufficientiam pretij abſque voluntate applicandi illius, argumentum illius non eſſet multum validum ad excitandos nos ad dilectionem Redemptoris, cùm ſola poteſtas ſeparata à voluntate, in nulla re nos ſibi poſſit devincire; alioquin ipſe eſſet etiam Redemptor dæmonum, cùm ſufficiens ſit ad eos omnes redimendos, ſi diaboli eſſent in ſtatu, in quo gratias ejus poſſent ſuſcipere, *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut, & qui vivunt, iam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit* q. Iſte loquendi modus Apoſtoli ſatis exprimit voluntatem Redemptoris omnibus ſalvandis hominibus accomodam, non autem ſolam ſufficientiam redemptionis quoad omnes :

f 1. Cor 3. 7.
g Philipp. 2. 13.
h Ps. 17. 20.
i Luc. 1. 50
k 4 Eſdr. 8. 16.
l Baruch 3. 25.
m Iſai. 65. 2.
n Cornel. in Iſai. 65. 2.
o 1. Tim. 2. 4. &c.
p Rom. 8. 31. & 32.
q 2. Cor. 5. 15.

dicere enim duntaxat, quòd Sanguis Jeſu Chriſti eſt pretium ſufficiens pro ſalvandis omnibus hominibus, non ſatis eſt ad probandũ, quòd omnes homines illum diligere teneantur ut Redemptorem, niſi dicatur quòd ipſe omnes redimere voluerit homines.

Præterea, Tridentina r *declarat ſancta Synodus, quòd cùm omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent* s, *facti immundi, &, ut Apoſtolus* t *inquit, naturâ filij iræ, uſq; adeò ſervi erant peccati, & ſub poteſtate diaboli, ac mortis, ut non modò Gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam literam Legis Moyſis inde liberari, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licèt attenuatum & inclinatum.* Quaſi diceret Concilium, quòd ſicut juſtitiam amiſimus in Adamo; ita adoptionem nos omnes in Jeſu Chriſto recuperamus, *Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, ait Apoſtolus u. Et hoc eſt quod conſequenter dicit idem Concilium x, *Vt & Iudæos, qui ſub Lege erant, redimeret; & Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiã apprehenderunt* y, *atque omnes adoptionem filiorum reciperent* z, *Hunc propoſuit Deus Propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris: non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi* a. Vt autem oſtendat Concilium b quonam ſenſu intelligenda ſint hæc ultima verba S. Joannis, ſtatim ſubdit, *Verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis eius beneficium recipiunt, ſed ij duntaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur.* Hæc decisio Concilij ita expreſſa eſt, ut non indigeat expoſitione, ſi ſincerè examinetur: declarat enim Chriſtum non ſolùm mortuum eſſe pro ijs, quibus mors ipſius fuit utilis, ſed etiam pro omnibus univerſim.

r Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1.
s ex Rom. 5. 12. & ex Gen. 3. 6.
t Epheſ. 2. 3.
u 1. Cor. 15. 22.
x Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 2.
y ex Rom. 9. 30.
z ex Galat. 4. 5.
a ex 1. Ioā. 2. 2.
b Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 3.

S. Auguſtinus c his verbis Apoſtoli d, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, ſubdit, *Non quòd nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet: ſed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quaſcumq; differentias diſtributũ, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adoleſcentes, iuvenes, ſeniores, ſenes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus.*

c S. Aug. in Enchirid. c. 103.
d 1. Timot. 2. 4.

Inter alias rationes, quas afferre poſſem poſt authoritates Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, hæc unica mihi videtur ſufficere, quæ oſtendit potentiã, & bonitatem Jeſu Chriſti: cùm enim venerit pro omnibus, opus redemptionis illius eſt perfectius: ſicut enim dæmon omnes homines ſervos effecerat in Adamo, *In quo omnes peccaverunt* e: ita & omnes ac ſinguli libertatem ſuſceperunt in perſonâ Jeſu Chriſti, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* f. Magna gloria tribuitur Liberatori, cùm ne vel unicus captivus excipitur ab ipſius liberatione; ſicut & magno pudore Tyrannus ſuffunditur, cùm videt omnes è ſuâ erui tyrannide, niſi ipſi ſua affectent vincula. Et in hoc Deus ſuam oſtendit bonitatem, æquè ac potentiam ſuam: non enim ſolùm Sanguis ipſius fuit ſufficiens pro omnibus, ſed illum voluit & omnibus applicare.

e Rom. 5. 12.
f Galat. 4. 31.

Sic autem argumentor. Vt peragatur opus ſalutis noſtræ, oportet ut Deus illud ſciat, illud poſſit, & illud velit; ut nos illud ſciamus, illud poſſimus, & illud velimus: atqui Deus illud ſcit, illud poteſt, & illud vult; nos illud ſcimus, & illud poſſumus; ergo ſi illud non facimus, dicere poſſumus quòd illud nolumus,

lumus, & noſmetipſos inſimulare debemus infœlicitatis noſtræ artifices: Deus illud ſcit: quis de hoc ambigit? Deus ſcit id omne quod concurrere poteſt ad operandam ſalutem noſtram; gratias eidem ſaluti peragendæ opportunas: ergo illud poteſt: ipſe enim eſt *omnipotens*, æquè ac *cuncta* g novit ad illud operandum, nedum noſtræ officiat libertati h, quaſi feciſſet ipſe creaturas ad perdendas eas, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* i. Et quia omnis cauſa diligit effectum ſuum, ut pictor tabellas ſuas, & ſculptor ſuas ſtatuas, & has ſicut illas uterque conſervat. Non diffiteor, quòd ſtatuarius invenit aliquando lignum ita nodoſum, & ſubjectum ſic fragile, ut illud repellat ſcalprum, illud verò dirumpatur, ita ut teneatur ſculptor utrumque in ignem projicere: eodem agit Deus modo adverſus eos, qui *fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias; nec reverſi ſunt per ſemitas eius* k. Cùm ab eo inveniuntur corda indurata *tanquam lapis* l, ſtatim illa projicit *in ignem æternū* m. Et quaſi Sanguis ipſius omnibus redimendis non ſufficeret hominibus, imponēdi nō ſunt limites *pretio magno* n & infinito; nec inducēdi ſunt homines ad deſperationē, & quaſi eſſet *acceptio perſonarū apud Deū* o. & obſtringerentur ad crimina, & ad efrænē libertatē; ſi ex ſuppoſitione, nō poſſet homo ſuæ ſalutis opus agere, nec Deus illud vellet. Deus illud ſcit, illud poteſt, & illud vult, *Quoties volui cōgregare filios tuos, quē admodū gallina congrgat pullos ſub alas, & noluiſti* p? Non igitur per Deū, ſed per nos ſtat, qui illud nolumus. Si enim duntaxat requiritur ſcire, poſſe, & velle; nos ſcimus, poſſumus, & perîmus; ideò quia nolumus opus noſtræ ſalutis agere. Illud ſcim⁹, ſaltē illud ſcire poſſũus, *Quod ab aliquo oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias* q. *Declina à malo, & fac bonum* r. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* s. Illud poſſumus, quis de hoc dubitat? Si eſſet circa illud impoſſibilitas, Deus eſſet crudelis; quippe qui impoſſibilia nobis præciperet, *Dilata os tuum, & implebo illud* t. Pollicetur nobis Spiritum ſuum fortificantem, ſi velimus illum ſuſcipere, *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem* u. Et ſicut eſt *Spiritus fortis* x. *potens* y, *Sanctus* z: efficimur ſicut ille, ſi velimus: poſſumus *omnia in eo qui confortat* a nos, quantùm ad ſalutem noſtram peragendam, & ad ſanctitatem adipiſcendam, *Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt* b. Si enim inveniretur aliquis qui eloqueretur ut Cicero, qui ratiocinaretur ut Ariſtoteles, & qui prædicaret ſicut S. Paulus; diceremus quòd ille haberet eandem eloquentiam quam Romanæ facundiæ Parens, eandem mentem quam ille ſectæ Peripateticæ Princeps, & eandem efficaciam quam illud *Vas electionis* c. Hoc non facimus, quia non habemus facundiam illius eximij Rhetoris, acumen ingenij ſubtilis illius Philoſophi, nec ſublimitatem incomparabilis illius Apoſtoli; ſi autem iſtud omne haberemus, idem perageremus: ita ſi haberemus Spiritum Dei, eſſemus fortes, potentes, & ſancti ſicut Deus. Illum promittit ipſe nobis, *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Poſſumus igitur noſtræ ſalutis opus peragere; ſi autem illud non perficimus, dicamus quòd illud nolumus. Quale monſtrum in natura! nolle ſuæ ſalutis opus facere. Deus illud ſcit, poteſt, & vult; homo etiam illud ſcit, poteſt, & non vult: cùm igitur poſſimus opus ſalutis noſtræ agere, faciamus illud, cùm illius executio ſita ſit in voluntate noſtrâ. Deus ſuas unicuique offert gratias, *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret* d, &c. Hic eſt tormentum reproborum in inferno, non videre ſe damnatos, eò quòd cooperari noluerint gratiæ ſibi oblatæ, *Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit* e. Ha quid non agerent nunc animæ iſtæ reprobatæ, ſi poteſtas daretur ipſis agendæ pœnitentiæ, ſicut aliàs ſalutem ſuam ſciebant, & poterant operari, ſed noluerunt? Solam requirit à nobis Deus bonam voluntatem, & ut eam ad exitum perducamus, ut iſtam ſalutem operemur.

g Eccl. 39. & 12.
h Eccl. 15. 14 &c.
i Sap. 1. 13
k Iob 24. 13.
l Iob 41. 15.
m Matth. 25. 41.
n 1. Cor. 6. 20
o Rom. 2. 11.
p Matth. 23. 37 ex 4 Eſdr. 1. 30
q Tob. 4. 16
r Pſ. 36. 27.
s Matth. 19. 17.
t Pſ. 80. 11.
u Ioel. 2. 28
x 1 Reg. 19.
y Pſ. 23. 8.
z Iſai. 6. 3.
a Philipp. 4. 13
b 1 Cor. 6. 17.
c Act. 9. 15
d Prov. 1. 24 &c.

III. Pars.

Ut habeatur ſanitas, quærenda ſunt remedia eidem recuperandæ opportuna: peccator qui eſt in ſtatu criminis, è quo vult ipſum Deus eruere, illa non vult, quia illa non quærit; remedia renuit, ideò in hoc ſtatu periculoſiſſimo *Ieſus dicit ei, Vis ſanus fieri*, ſicut hodie ait paralytico noſtro: aut ſicut cæco Jerichuntino, *Quid tibi vis faciam* f? Non vult remedia ſuſcipere. Loquimini ei de pœnitentiâ peragendâ; ſuo ſic eſt immerſus peccato ut nolit *intelligere ut benè* g agat. Deinde, Oportet ut quis agnoſcat ſe ægrotū, ut efflagitet ſanitatē: peccator non ſe cognoſcit infirmum, pervênit ad inſenſibilitatē; propterea omnia ſpernit, *Impius cùm in profundum venerit peccatorū, contemnit* h. Nimirum, *peccare, id eſt, non curat peccare. Vel contemnit ſe; quia pro quolibet vili dat ſe, ut avarus pro obolo, luxurioſus pro momentaneâ voluptate, ſuperbus pro vaniſſimâ laude. Vel contemnit Deum, quia à peccatis abſorbetus, ipſum nec veretur, nec timet. Profundum peccatorum poteſt dici contumacia, pertinacia, defenſio, iactantia, deſperatio, præſumptio, excæcatio intellectus, corruptio affectus*, ſubdit Hugo Cardinalis i. Nondum dictum eſt, quòd mala corporis benefaciant, qualia ſunt dolor dentium, &c. Nemo eſt qui ambigat ea eſſe mala in naturâ, quia tunc mens eſt ſana, & ſanè de rebus judicat: ſed quantùm ad morbos animæ, erit aliquis languens, & ſe ſanum imaginabitur, quare? Quia intellectus qui judicare debet, eſt infirmus: hâc igitur languens imaginatione ductus, infirmitatē ſuā non ſentit, & ideò remediū ſanandæ ſuæ ægritudini conſonū non quærit, & ſic morbus fit quaſi inſanabilis, *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus Dei verbū, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiā* k. *Impoſſibile*, Id eſt, non omnino, ſed difficillimùm.

Sed Salvator adorande nunquid non erit aliqua *piſcina*? aliquis *Angelus* ad movendā aquā? aliquis homo qui habentē *triginta & octo annos in infirmitate ſuâ, cùm turbata fuerit aqua, mittat in piſcinā*? Sic eſt: in Eccleſiâ enim Romanâ, cujus Jeſus Chriſtus *eſt Caput* l, invenîtur *piſcina*. Ecce convenientia illius cum antiquâ illâ piſcina Probatica, ad quam omnes aquæ, quibus ablutæ fuerant victimæ, confluebant. Illa vocabatur tribus nominibus, Græcè *Probatica*, Latinè *piſcina*, *Hebraicè Bethſaida. Scripſit autem & titulū Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptū, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorū, Hebraicè, Græcè, & Latinè* m. Illa erat ſolùm *Ieroſolymis*. Hæc autem piſcina Pœnitentiæ eſt tantùm in Eccleſia Romana. Erat illa *piſcina quinque porticus habens*. In noſtra ſūt quinque vulnera, è quibus exit *continuò Sanguis & aqua* n meritorum ſatisfactionis, quibus omne genus morborū curatur *continuò* ac iſte *Sanguis & aqua* hæc infirmis applicantur. *Angelus Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam: & movebatur aqua: & qui prior deſcendiſſet in piſcinā poſt motionē aquæ, ſanus fiebat à quâcunque detinebatur infirmitate.* Sed in noſtra eſt aliquid amplius: non enim ſemel annis ſingulis, ſicut ibi, ſed ſingulis diebus, imò & momentis, quibus offendimus, *magni conſilij Angelus* o movet interius noſtrū, alloquitur cor noſtrū inſpirationibus ſecretis, & ſuas nobis offert gratias: in nobis eſt ut illas ſuſcipiamus, & ex iis utilitates noſtras hauriamus, nedum ipſum unquam tædeat contemptus noſtri intuitu earundem gratiarum, dicendo, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum* p. Dicebat ille *languidus, Hominem*

e Pſ. 111. 10.
f Luc. 18. 41.
g Pſ. 35. 4
h Prov. 18. 3.
i Hug. Card in Prov. 18. 3
k Hebr. 6. 4. &c.
l Coloſſ. 1. 18.
m Ioan. 19. 19. & 20.
n Ioan. 19. 34. & 34.
o Iſai. 9. 6 iuxta LXX
p Apoc. 3. 20.

non

non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Sed hîc non poteſt iſtud dici, quia tot ſunt Confeſſarij, qui immergant peccatores in piſcinam Pœnitentiæ: ſufficit autem ut velimus, quò opus noſtræ ſalutis peragamus: lancea Longini fuit veluti clavis opportuna aperiendo lateri Salvatoris, *Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit* q. Sicut *ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem* r, quæ egreſſa eſt de latere ejus: ſic *facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis,* ait S. Auguſtinus s. *Et continuò exivit ſanguis & aqua* meritorum ſatisfactionis noſtræ ex iſto latere aperto. Recipiamus igitur ſcrupulum contritionis, plenam manum confeſſionis, & accipientes ſummo manè, ſanabimur. Sed, *Tolle grabatum tuum.* Deſerendæ ſunt occaſiones inducentes ad peccatum, ſi cuſtodire ſuſceptam velimus gratiam, & aliquando mereri gloriam.

q Ioan. 19. 10
r Gen. 2. 22.
s S. Aug. conc. 4 in Pſ. 63.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Dominicæ I. Quadrageſimæ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28.

SI verum eſt, ſicut eſt proculdubio, cùm nemo contradicere poſſit huic veritati, quam quotidianâ comprobemus experientiâ, quòd ſtatim ac aliquem noſtris proſequimur affectibus, cauſam illius amplectimur, & communicamus omnibus quæ ad ipſum pertinent, maximè verò doloribus ejus: & quòd quò violentior amor eſt, quo erga illum afficimur, eò & acrior eſt dolor quem experimur intuitu eorum quæ ipſe patitur, cùm dicat S. Dionyſius a, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur:* & Dionyſius Carthuſianus b, *Secundùm Auguſtinum, anima potius eſt ubi amat, quàm ubi animat*: magnam die Veneris, vel Sabbatti, præcedenti habuiſtis, Auditores, anſam inferendi quàm immodicus eſſe debebat dolor B. Virginis Deiparæ ſtantis *juxta crucem Ieſu* c, & videntis mori hunc charum Filiũ ſuum, quem ipſa diligebat præ omnibus rebus mundi; & quòd dolores illius erant abſque menſurâ, ſicut paſſiones Filij ipſius erant ſine numero; cùm credatis quòd ipſe expertus eſt in ſe omnes miſerias, quas incurrerat natura humana propter peccatum Protoplaſti, qui vetito *de fructu comêdit* d, *in quo omnes peccaverunt* e conſequenter homines, ut omnino ſatisfaceret juſtitiæ ſui Patris æterni, perſolvendo ei illorum debita, *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus* f. Heu quantos labores & dolores! quis poſſet illos explicare? imò verò quis valeret eos comprehendere? Ipſe ſatisfecit pro omnibus peccatis quæ unquam commiſſa ſunt, vel quæ patrabuntur unquam ſeculis futuris, cùm cauſam noſtram cautam præſtiterit, & univerſas culpas noſtras futuras, æquè ac præteritas ſuis humeris impoſuerit, ſicut ait Iſajas g, *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* Quotnam ſupplicia quæ merentur tot crimina! Et ipſe pertulit in ſe illa univerſa. Soluit ipſe pro pœnis æternis: nam cùm cuilibet peccato mortifero pœna debeatur æterna, oportebat etiam ut ipſe qui *non habet finem* h ſecundùm Divinitatem ſuam, ita pateretur in humanitate ſua, ut in rigore ſatisfacet et omnino Juſtitiæ Divinæ pro pœnis hujuſmodi. Ipſe ſatisfecit eidem Juſtitiæ pro jactura, quam incucurreramus deliciarum paradiſi, cùm oportuerit ut ipſe ſuſtinuerit tot moleſtias & faſtidia, quot univerſi ſimul homines perpeti debuiſſent, ſi ſatis habuiſſent luminis ad cognoſcendum infortunium ſuum, & bonum quo erant privati *propter ſcelus* ſuum, cujus intuitu Pater æternus percuſſit *eum* i tanto rigore, imò verò majori quàm puniat dæmones inferni: puniuntur enim dæmones, & damnati in inferno citra condignum, id eſt, minùs quàm merentur; Hic verò *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* k, ultra condignum, ſcilicet, magis quàm merentur. Ipſe ſatisfecit in toto rigore Juſtitiæ Divinæ, cui nunquam ſatisfiet in inferno. Perpendamus, Auditores, pœnas iſtas, quas noſtra peccata merentur, & videamus quomodo Jeſus Chriſtus eas voluntariè pro nobis ſuſtinere voluerit, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* l. Et compatientes ſimul doloribus Matris ejus ſenſibiliter afflictæ intuitu paſſionum illius, non dicamus et hodie quòd ipſa ſit *gratiâ plena*, quòd *Dominus* cum ipſa ſit, & quòd ipſa ſit *benedicta*, id eſt, omni benedictionum genere cumulata, ſed ſufficiat nobis ut dicamus ei duntaxat, *Eia Mater.*

a S. Dion. lib. de Div. Nô. c. 4.
b Dion Carth. art. 91 in Luc. 1. 14.
c Ioan 19. 25. &c.
d Gen. 3. 6. &c.
e Rom. 5. 12.
f Iſai. 53. 4. & 5.
g Iſai. 53 6.
h Baruch 3. 25.
i Iſai. 53. 8.
k Hebr. 7. 26.
l Iſai. 53. 7.

Tres naturæ ſunt immunes ab inſultationibus mortis, ſed non ſunt expertes ictuum amoris. Natura humana, ſaltem quoad unam è partibus ſuis eſſentialibus, quæ eſt anima rationalis, prædita immortalitate: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* m. Natura Angelica, quæ nulli ſubjacet compoſitioni ex forma & ex materia, quæ eſt principium corruptionis, *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, ait Pſalmiſta n, Deum alloquens. Et Natura Divina, *apud* quam *non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* o. *Ego enim Dominus, & non mutor, dicit Dominus exercituum* p. Homo moritur amore, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* q. Cùm, ut patet ex dictis ſuprà poſt S. Dionyſium, & Dionyſium Carthuſianum juxta S. Auguſtinum, anima egrediatur è perſona quæ amat, ut eat in ſubjectum, erga quod ipſa afficitur: & fortè non lateat vos, quod nobilis quidam peregrinus, viſitans loca ſancta, quæ Dei Filius myſterijs ſuæ mortis, æquè ac vitæ ſuæ conſecraverat, mortuus eſt amore in monte Olivarum, ad oſcula veſtigiorum quæ rupi Salvator impreſſerat, cùm *aſſumptus eſt in cœlum* r. Angeli ſic ſunt unti Deo ut ſemetipſos deſerant, quò tot ſint ei. Et nunquid non Deus amore mortuus eſt? *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* s. Amor carnifex illius eſt, amor fecit illum deſcendere è cœlo, *Exivi à Patre, & veni in mundum* t. Amore ductum *Verbum, caro factum eſt* u in utero x B. Virginis, in qua invenio triplex genus amoris, nimirum, ſubmiſſionis decretis Patris æterni, complacentiæ erga Filium ſuum, & ſubventionis vel auxilij intuitu hominum. In ea eſt amor ſubmiſſionis decretis juſtitiæ Patris æterni, *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* y. Et ſuppoſito hoc adorabili decreto, ipſamet fuiſſet illius peremptrix, ſi carnifex defuiſſet illi occidendo: *Parata enim ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris*, ait de illâ S. Heldephonſus z. Vt adimpleret voluntatem Patris æterni, ſic ipſa ſubjacebat ei: ſicut enim *Primum in unoquoque genere eſt regula & menſura cæterorum*, ut ait proloquium

m Gen. 6. 9
n Pſ. 103. 4.
o Iacob. 1. 17
p Malach. 3. 6. & 7.
q Cant. 8. 6.
r Marc. 16 19.
s Epheſ. 5. 2.
t Ioan. 16. 28.
u Ioan. 1. 14.
x Matth. 1. 18. & 23. ex Iſai. 7. 14.
y Rom. 8 32.
z S. Hildeph. ſerm. 2 de Aſſumpt. B. M.

Philoſophicum. & voluntas Patris æterni eſt regula & menſura omnium aliarum voluntatum; ſic cùm Pater æternus immolat Filium ſuum, debemus adhærere voluntati ejus, cui ideò B. Virgo perfectè ſubjacebat. Amor complacentiæ erga Filium ſuum: ſciebat enim ipſa quòd Filius ſuus iſtam cognoſceret mortem, cùm ipſe dixiſſet, æternum Patrem ſuum alloquens, *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, Vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* a. Hoſtiæ & holocauſta antiquæ Legis non erant ſatis magnæ efficaciæ ad expiandum peccatum, quòd univerſos homines morti tenebat addictos: illa ſatisfacere non poterant huic redemptioni, nec auferre mundi ſcelera: illa vetera ſacrificia tibi non placuerunt, niſi inquantùm erant figura ſacrificij, quod ipſemet tibi oblaturus eram, mihi *bajulans crucem in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi* b crucifigendus eram: illa non habuiſti accepta propter ipſorum merita, quæ habere non poterant è ſemetipſis, ſed ſolùm quia erant umbra, cujus ego ſum corpus verum, & ideò venio ad offerendum tibi idem corpus quòd tribuiſti mihi (*Ideò ingrediens mundum, dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi*, ut de illo Apoſtolus c poſt Pſalmiſtam.) In Maria duæ res erant. Affectus naturæ, quia ipſa erat Mater, & Mater Filij ita perfecti, & Filij unici. Et complacentia, ſciendo quòd iſte chariſſimus viſcerum ſuorum Filius eſſet omnino reſignatus ad bibendum *calicem, quem dedit Pater* d æternus ipſi, ut perageret ipſi ſolutionem omnium debitorum noſtrorum, ſicut legimus de Job, quòd cùm ejus *filijs & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos illius, & mortui ſunt: tunc ſurrexit, & ſcidit veſtimenta ſua*, præbens ſic ſenſibiles notas doloris intuitu jacturæ liberorum ſuorum. Sed tamen quòd præ ſe tulit complacentiam, reſignationem decretis Divinæ providentiæ, *Et corruens in terram, adoravit, & dixit, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Iob labijs ſuis: neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt* e. Amor ſubventionis auxilij erga homines, qui incurrerant inimicitiam Dei propter crimina ſua, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* f. Et pro quibus criminibus ipſi Deo non poterant ſatisfacere, cùm univerſæ ipſorum ſatisfactiones eſſent finitæ: ſolus Deus ipſe *iniquitates* g noſtras delere poterat, & B. Virgo conſentit morti ejus, ita ut dicere poſſimus ei, æquè ac Patri æterno cum Eccleſia h; *O ineſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti.* Sed ſicut hic eſt Filius ejus, ita dolor quem ipſa expertus eſt ex morte ejus, eſt ingentior, Primò, quò amor ipſius erga eum eſt magnus. Secundò, quò tormenta, quæ ille patitur, ſunt extrema.

Ingenuè meam fateor impotentiam, eò quòd non habeam unde ſufficienter exprimam amorem Mariæ erga Filium ſuum: ſicut enim, ut ait S. Epiphanius i, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*: ita & amor ipſius erga Filium ſuum erat immenſus: *Quò magis amabat, ſævior fiebat in Matre.* Id eſt, *gladius mortis Chriſti ejuſdem Filij ſui. Ipſa enim erat quam dolor tenebat. In mente ejus creverant immenſi dolores, nec poterant extrà refundi*, dicit S. Bernardus k. Cùm dolor menſurandus ſit ad amorem: & ideò cùm amor illius eſſet immenſus, & vobis aliquid amoris iſtius delineaverim die Veneris vel Sabbathi præcedenti, nec poſſit exhauriri, revertor hodiernâ die ſuper greſſus meos, ut agam conatum novum, & probem vobis veritatem iſtius amoris rationibus quæ aliquã habeant cum primis convenientiam. Hunc igitur eruo à tribus principijs. Primò, Ex amore naturali Matris erga Filium ſuum, & Filium ſic amabilem, & ita perfectum. Secundò, E gratiâ infuſâ, quæ fuit plenè conceſſa Mariæ cum omni genere ſuperabundantiæ. Tertiò, E longâ converſatione & familiaritate, quæ eſt cauſa amoris inter amicos, qui vixerunt per aliquantum tempus in ſancta ſocietate, & in commercio amicitiæ inviolato. E ſingulis autem tribus his principijs oritur amor ita fortis & ſic violentus, ut lingua humana nequeat ipſum exprimere, imò verò nec mens noſtra ſatis habeat ſubtilitatis ad ipſum concipiendum.

Quantùm ad primum, is non poteſt eſſe niſi magnus, cùm Deus hominibus exhibere volens probationes amoris infiniti, quo ipſos *in charitate perpetuâ* l dilexit, compararet illum amori matris erga Filium ſuum, imò verò exaltet eum ſuper hunc amorem naturalem, qui à maternis avelli non poteſt viſceribus, *Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce, in manibus meis deſcripſi te* m, ait nobis ſingulis Deus. Is meliorem non habuit adinventionem ad examinandam fidelitatem inviolatam ſervi ſui Abrahæ, quàm præcipiendo ei ut ſibi ſacrificaret filium ſuũ Iſaac, quem amore tenerrimo diligebat, *Tentavit Deus Abrahã, & dixit ad eũ: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in Terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi* n. Fortaſſe didiciſtis quomodo Patriarcha *Iſraël diligebat Ioſeph* filium ſuum: ſed forſan ignoratis quãto dolore correptus eſt, cùm putavit quòd eundem devoraſſet *beſtia Ioſeph: Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere: ſed ait, Deſcendam ad filium meum lugens in infernum* o. Nunquam flevit ille Patriarcha inter labores quibus *ſervivit ſeptem annis, & ſeptem annis alijs* p Laban ſocero ſuo: ſed viſus filium ſuum Joſeph crudeli morte peremptum, nullâ perfundi poterat conſolatione. Heu! fili mi Joſeph, non tam deploro mortem tuam, quàm jacturam quam incucurri tui, imò in vita tua, cùm æquo citiùs te miſerim extra domum meam. Deinde, Quo genere mortis crudeliori mihi poteras abripi? Saltem ſi ego teſtis aſtitiſſem huic funeſto infortunio: & ſi tuum corpus remanſiſſet apud me, haberem hoc triſte depoſitum ad leniendam triſtitiam meam. Si morbus aliquis te de medio ſuſtuliſſet coram me, univerſa tibi exhibuiſſem munia quæ non poteſt pater denegare filio; oſculatus fuiſſem os tuũ, & clauſiſſem oculos tuos, & ſuſcepiſſem ultima verba tua, & extrema ſuſpiria tua: nunc haberem in tumulo cineres Phœnicis, & erigere potuiſſem ſuper ſepulchrum ejus ſigule & altare ad accendendas ſpes meas, & ad vovenda vota mea. Summus Sacerdos Heli, audito funeſto nuncio quòd ſui *duo filij mortui ſunt, Ophni & Phinees, cecidit de ſellâ retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt* q. Et quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd amor matris erga filium ſuum ſic violentus eſt ut inducat ipſam ad multas ineptias, & ad vocandum eum, modo Regem ſuum, Principem ſuum, Dominum ſuum, modò ſponſum ſuum, amicum ſuum, & totum ſuum. Quòd ſi verum eſt, inveniri quandam ſpeciem inſaniæ in amore, ut ſenſerunt Platonici; dico illam præcipuè reperiri in amore matris erga filium ſuum. Ha! Auditores, ut loquamur ſanius & ſanctiùs, quis amor fortior inveniri poſſet amore Mariæ Dei-

parat

a Pſ. 39. 7. &c.
b Ioan. 19. 17. & 18.
c Heb. 10. 5. ex Pſ. 39. 7.
d Ioan. 18. 11.
e Iob 1. 18. &c.
f Iſai. 59. 2.
g Iſai. 43. 25.
h Eccleſia in Præfat. Sabb. S. Domini.
i S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
k S. Bern. tract. de Lament. B. V. M.
l Ier. 31. 3.
m Iſai. 49. 15. & 16.
n Gen. 22. 1. & 2.
o Gen. 37. 33. &c.
p Gen. 29. 20. &c.
q 1. Reg. 4. 18. &c.

parte erga Filium ſuum? Sed quare? Quia Genitrix erat, *Ieſu Mater* r. Corda humana ſerviunt loco certaminis amori: in illis amor explicat valorem ſuum, & ſuam fortitudinem exhibet intuendam: ſed maximi conatus ipſius magnificantur in cordibus matrum. Scio equidem quòd patres amant fortiùs, ſed non me latet etiam quòd matres diligunt teneriùs: hæc amoris teneritudo facit ut afflictio ſit ſenſibilior in cordibus matrum quàm patrum. *Flebat mater* Tobiæ *irremediabilibus lacrymis, atque dicebat, Heu heu me fili mi, utquid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis* s. Plorabat illa bona genitrix filium, ſed filium unicum, quamvis duntaxat abſentem: ſed B. Virgo Maria deflet, quia ipſa eſt Mater unici Filij, quem præ ſuis pati & mori videt oculis. Cùm mater aliqua multos habet liberos, amor ipſius qui eſt diviſus ad illos multos, non eſt ita integer: ſed cùm B. Virgo non haberet niſi unicum *Filium* t, totum poſſidebat iſte Filius unicus cor ipſius. Et Deus exprimere volens ingentem luctum, manifeſtat illum per luctum matris intuitu filij ſui unici, *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum* u. *Id eſt, vehementiſſimum, qui ſolet fieri mortuo unigenito*, ſubdit Cornelius x. Re autem verâ, ipſa magis afflicta eſt ex jacturâ filij ſui, quàm aliæ matres affliguntur ex amiſſione liberorum ſuorum, cùm ipſa magis diligeret Filium ſuum, quàm iſtæ ſuos ament liberos; eò vel maximè quòd tot res concurrerent ad perfectionem iſtius amoris: ſicut enim Jeſus Chriſtus nullum habebat Patrem in terrâ, Maria inſerviebat ipſi loco Patris & Matris: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* y: ſic amor Patris & Matris ſimul in ipſâ erat unitus, ſimulque concurrebat. Iſte Filius erat unicus, primogenitus, *Peperit Filium ſuum primogenitum* a. Erat *ſpecioſus formâ præ filijs hominum* b. Et ſimillimus Matri ſuæ, quod potenter attrahebat amorem ipſius. Videte, ſi placet, Auditores, quot res in Jeſu Chriſto concurrant ad hoc ut diligatur à Matre ſuâ ſanctiſſimâ. Non habet niſi iſtud quòd illi ſimillimus eſt in naturâ humanâ, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* c, ſicut ſimilis eſt Patri ſuo in naturâ divinâ, quemadmodum ipſemet ait, *Ego & Pater unum ſumus* d: Hæres omnium bonorum & divitiarum illius, *Quem conſtituit hæredem univerſorum* e. Totus amabilis, & qui trahebat ad ſe oculos omnium. Angeli circumdabant eum, ſtupore perciti intuitu pulchritudinum ejus. Non priùs Maria ipſum peperit, cùm *facta eſt multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* f. Quòd ſi Filius Dei ſic ſtrictè addicit amori ſuo Angelos, qui *ſunt adminiſtratorij ſpiritus* g, qui novum inveniunt paradiſum in contemplatione perfectionum ipſius; quid non aget erga Matrem ſuam? eritne minùs liberalis in favorem illius? myſticus iſte *Sol juſtitiæ* h, diffundetne minus radiorum in proprio cœlo? Quod autem extollit amorem ſacræ Virginis ſupra alias matres, eſt, quòd ipſa erat certa, quòd amor ſuus habens Deum ipſum pro objecto, non habebat opus limitibus, cùm eſſet in exceſſu, quia diligens Filium ſuum, diligebat Deum ipſum, nec poterat illum diligere juxta quòd amabilis erat; & quò magis ipſa ſe illi uniebat hoc vinculo amoris, ſic per accretionem dilectionis quam hæc B. Virgo debebat Filio ſuo propter beneficia, quæ ab ipſo ſuſceperat, ab ipſo Mater ipſius effecta, & Virgo ab ipſo cuſtodita in conceptione, ſicut & in partu, quod nulli fuit unquam matri conceſſum, quia majus quâ

r Ioan. 19. 25.
s Tob. 10. 4. & ſe.
t Matth. 1. 25.
u Ier. 6. 26.
x Cornel. in Ier. 6. 26.
y Matth. 1. 20.
a Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
b Pſ. 44. 3.
c Philipp. 2. 7.
d Ioan. 10. 30.
e Hebr. 1. 2.
f Luc. 2. 7. &c.
g Hebr. 1. 14.
h Malach. 4. 2.

ut ipſa eſſet Virgo & Mater, & Mater Dei? Nonne id eſt dicere totum quod poteſt dici, imò concipi?

Sed ecce ſecundum principium amoris, nempe, amor ſupernaturalis, qui procedit à gratiâ & à charitate. Charitas enim eſt fortis & vehemens inclinatio, quam Deus tribuit animæ ad ipſum meliùs diligendum; & ita fortis eſt ut excedat & ſuperet omnem amorē naturalem. Hoc autem comprobamus experientiâ: nullus enim unquam amor naturalis patrum fecit ut filij agerent, & paterentur pro ipſis id, quod Martyres fecerunt, & perpeſſi ſunt pro Jeſu Chriſto, qui vocatur ab Iſaia i *Pater futuri ſeculi*. Quippe *qui per fidem, vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ* k. Et cùm amor ſupernaturalis indicit certamen amori naturali, & ambo prælium ineunt, amor ſupernaturalis eſt victor & triumphans: hic autem amor ſupernaturalis erat in Mariâ in altiſſimo gradu ſuo: tantam enim ſuſcepit ipſa gratiæ plenitudinem, ut privilegio ſpeciali cùm ipſa erat vel in iſto mundo, charitate præcederet omnes Sanctos & Beatos: *Quia cæteris per partes præſtatur; Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Quia etſi in ſanctis Patribus & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena: in Mariam verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt plenitudo* l, *venit, quanquam aliter*, ait S. Hieronymus m. Quòd ſi hoc amore ſupernaturali ductus Apoſtolus n, dicebat, *Vivo autem iam non ego vivit verò in me Chriſtus*: B. Virgo potiori ratione poterat hoc dicere, cùm ipſa haberet majorem amorem, qui ipſam ſtrictiùs uniebat Deo?

Pro tertio principio habebat ipſa amorem acquiſitum continuâ ſocietate quâ fruebatur ipſa jugiter cum Filio ſuo. Converſatio & familiaritas concurrunt ad fovendum amorem non ſecus ac oleum & lignum ad alendum ignem: unde videns, quòd Sancti, qui familiariter cum Deo converſantur in contemplatione, deſerunt ſocietatem & conſortium creaturarum, ut, ſicut ſuum *concaluit cor intra ſe*, ſic ſuâ *& in meditatione ignis* p iſte Divinus magis ac magis exardeſcat: Maria autem habuit hanc glorioſam prærogativam vel ab ipſo ſuæ conceptionis inſtanti uſque ad ultimam vitæ ſuæ periodum: ipſa enim individuam habuit cum Filio ſuo ſocietatem. Quòd ſi Filius ipſius ita vehementer ſibi devinciebat extraneos, ut S. Petrum, cui dixit, *Paſce oves meas* q; S. Joannem, qui proptereà ſemetipſum vocat *Diſcipulum, quem diligebat Ieſus* r: & Magdalenam, de qua Simoni Phariſæo loquens ipſemet *Ieſus, dixit ad illum, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* s, ſicut dicebam vobis die Veneris, vel Sabbathi præcedenti: quid non aget erga Mariam? quomodo ea, quæ ipſe *verba vitæ æternæ* t habet, non inflammabunt eam, *quæ velut rubus intellectualis abſque combuſtione* u *divinitatis ignem tenet*, ut ait S. Epiphanius x, & quæ eſt *clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitæ* y *calidum mundo in eſum attulit, de quo Salvator mundi Chriſtus ait, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum* z, *quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum*? illam, inquam, quæ habebat virtutem ſic potenter attrahendorum deinceps aliorum ſingulis diebus, horis, & momentis. Hic

i Iſai. 9. 6.
k Hebr. 11. 33. &c.
l ex Ioan. 1. 14. & 16.
m S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. B. M.
n Galat. 2. 20.
p Pſ. 38. 4.
q Ioan. 21. 17.
r Ioan. 21. 20.
s Luc. 7. 40. &c.
t Ioan. 6. 69.
u ex Exod. 3. 2.
x S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
y ex Ioan. 6. 41.
z Matth. 26. 26.

amor naturalis, & iſta ſupernaturalis charitas augebantur incremento meritorum, & novâ additione gratiarum, ita ut ipſa ſuperaret omnium Hierarchiarum Angelos, ſicut illam ſalutat aliquantò antè idem S. Epiphanius, *Ave gratiâ plena, quæ Cherubicum thronum a divinitatis fulgore ſuperas. Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: naturâ formoſior ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum.* Et aliquantò pòſt ſubdit: *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla b digna & Mater.* Gratia autem & charitas erat in ipſa principium meriti: Maria magis merebatur, *Filium ſuum in præſepio reclinando*, eumque faſciis infantilibus conſtringendo, quàm deinceps meritus fuerit S. Sebaſtianus poſitus *quaſi ſignum ad ſagittam* d, & telis confoſſus, ſicut hericius c & quàm S. *Laurentius dum in craticulà ſuperpoſitus ureretur*, ut canit Eccleſia, & examinatus *igne, & non eſt inventa in ipſo iniquitas* e. Amor iſte reddebat illam ſummoperè jucundam Deo. Sed eadem motiva amoris, fuerunt & ipſi motiva doloris, & iſtud nobis ſupereſt examinandum.

a S. Epiph. ... b ex Luc. 2. 12. c Luc. 2. 7. &c. d Thren. 3. 12. e Pſal. 16. 3.

II. Pars. Cùm una è præcipuis rationibus & regulis doloris ſit amor, quicumque vehementer amat aliquam rem, non poteſt quin ardenter affligatur ob jacturam quam illius perpetitur; & impoſſibile eſt ut quis videat pati rem illam quam amat, quin ſtatim cor ſuum dolore percitum experiatur intuitu illius; & quò major eſt ipſius amor; & eò ingentior eſt ipſius dolor qui inde reſultat, & ſuſtentu difficilior: ſicut autem B. Virgo dilexit unicum Filium ſuum pluſquàm omnes matres ſuos amaverint unquam liberos, mirum non eſt, ſi dolor ipſius eſt eò vehementior, quò tormenta quæ chariſſimus iſte Filius patiebatur, erant acriora, æquè ac amor quo ipſa erga eum afficiebatur, major erat: proptereà ſicut *una eſt Maria & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas: & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeveravit promiſſum & donum*, ait Arnoldus Carnotenſis f; ſic, dicit idem Abbas aliquantò antè, *& omnino tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis, Hic in ſanguine carnis.*

f Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.

Primò enim, Quantum ad amorem naturalem, cùm ipſa naturaliter diligeret Filium ſuum, & pluſquàm omnes matres liberos ſuos: quis enim propinquior erat ipſi quàm ille, quippe qui formatus eſſet *de Spiritu ſancto* g è puriſſimis guttis ſanguinis ipſius? quanto dolore angebatur hæc Mater amantiſſima, videns quod hæc eadem pura & innocens caro ſua tantâ ſævitiâ exciperetur. O quàm ſenſibiliter *ipſius animam gladius* h pertranſibat iſte, *Hoc eſt, amariſſimus dolor compaſſionis, cùm ipſa videbat ſuum Filium occidi, & perſecutiones pati*, ait Dionyſius Carthuſianus i. Aliæ matres dividunt amorem liberorum ſuorum cum patribus illorum; ſed B. Virgo Maria ſola concucurrit ad generationem Filii ſui abſque viri ullius auxilio, *Ipſa eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* q *ſuſcipiens, etiam manipulum germinavit*, ait de illa S. Epiphanius r: eſt etiam terminus & objectum omnium affectionum illius, & ſubjectum quod pervadit & perforat gladius iſte myſticus, ſeu ſcopus ad quem dirigitur ſagitta Divini Amoris: ita ut ipſa dicat de Dilecto ſuo, *introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo* s. Seu, juxta LXX. *Quia vulnerata charitate ego ſum.* Huius m...

g Matth. 1. 18. & 20. h Luc. 2. 35. i Dion. Carth. art. 9. in Luc. 2. 35. q ex Ioan. 12. 24. r S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. s Cant. 2. 4. & 5.

tendiſſe videtur Iſaias a, cùm Dei Filium ſic introducit loquentem, *Et poſuit os meum quaſi gladium acutum: & poſuit me ſicut ſagittam electam.* Super quod dicit S. Ambroſius b: *Quia ſagitta eſt Dominus Ieſus, cui dicit Pater, Poſui te ſicut ſagittam electam: & quia ipſe eſt charitas c, ſunt utique iacula charitatis, quibus vulnerat ſuos quærentes.* Ideò nullam reliquit in B. Virgine partem, quam non repleverit amaritudine, ſicut repleta erat charitate.

a Iſai. 49. 2. b S. Ambr. Exhort. ad Virg. poſt med. c ex 1. Ioh. 4. 8.

Amor ſupernaturalis, quo ipſa proſequebatur Filium ſuum, erat etiam incrementum doloris: nam juxta gratiam quam habemus, magis diligimus eum, & acriùs experimur dolores illius, mutantes nos in Deum virtute amoris, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror*, ajebat S. Auguſtinus d. Et S. Paulus e, *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Et ideò qui magis habet amoris ſupernaturalis, magis habet compaſſionis, & meliùs experitur dolores perſonæ amatæ: cùm B. Virgo ſuſcepiſſet magis gratiæ, majorem habebat amorem ſupernaturalem, & conſequenter ampliores experiebatur dolores. O quis ſatis diſertus eſſet ad explicandum iſtud! Sicut ipſa ſuſceperat abundantiam omnium gratiarum; ſic ipſa ſuſcepit omnium dolorum abundantiam: & ſicut perfectio hominis in hoc eſt ſita ut ſit unitus Filio Dei in doloribus ipſius: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui* f, id eſt, Pater æternus: cùm B. Virgo fuerit omnium hominum perfectiſſima, ſic & præ illis omnibus afflicto Filio ſuo ſimillima fuit, cùm majores fuerit experta dolores quàm omnes Martyres, ut diceमus aliquando: & cùm audieritis ſuprà quòd *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*, dixit S. Epiphanius g, & amor menſuretur ad gratiam, & dolor ad amorem: ſic dolor B. Virginis erat immenſus, ait S. Bernardus h loquens de illa, ſicut & de S. Joanne qui ambo *ſtabant iuxta crucem Ieſu* i, dicens, *Solus illis dolor luctuſque remanſit amicus. Amabant flere, & flebant amarè. Amarè flebant, quia amarè dolebant. Nam gladius mortis Chriſti animas utrorumque tranſibat* k. *Tranſibat ſævus, ſævus perimebat utrumque. Quò magis amabat, ſævior fiebat in Matre. Vulnera Chriſti morientis erant vulnera Matris dolentis. Dolores ſævi fuerunt tortores in animâ Matris. Mater erat laniata morte chari pignoris. Mente Mater erat percuſſa cuſpide teli, quo membra Chriſti ſervi foderunt* l *iniqui.*

d S. Aug. lib. 13. Confeſ. c. 9. e Gal. 2. 20. f Rom. 8. 29. g S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. h S. Bern. tract. de Lament. B. V. M. i Ioan. 19. 25. k ex Luc. 2. 35. l ... 37.

Tandem, Ipſa patiebatur eò plus, quò familiaritas & ſacra converſatio, quam ipſa habuerat cum Filio ſuo m, ſtrictior erat. Cogitate quàm doloroſa eſſe debuit hæc ſeparatio Matris à Filio. Hoc planè fuit ipſi avellere medium cordis ipſius, illudque relinquere ſemivivum ac ipſam privare intuitu objecti amoris ipſius, & omnium oblectamentorum ipſius. Si autem tot difficultates experimini in ſeparatione quam incurritis amicorum veſtrorum, quibuſcum aliquandiu vixiſtis, ob unionem ſtrictum, quæ erat inter vos & illos ut ſæpè proptereà ſitis inconſolabiles, & inde procedebat amor, quo David afficiebatur erga Jonathan, dicens ei poſt mortem ipſius, *Doleo ſuper te, frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum: Sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam* n: quàm ingens erat amor ſacer & ſupernaturalis, quem B. Virgo contraxerat ab ita longo tempore per ita diuturnam & ſic familiarem converſationem cum Filio ſuo! ſed etiam quàm ſenſibiliter doloroſa fuit ipſi ſeparatio ab eodem Filio ſuo ſic charè dilecto! Videmus igitur hinc, B. Virgo, quòd idem amor, qui reddit te gratam Deo, te reddit etiā ſubjectum doloris: amor enim iſte eſt carnifex cordis tui, qui ſic

m Luc. 2. 51. n 2. Reg. 1. 26.

acriter

ſtiter illud angit; & quò violentior eſt, eò & majora tibi cauſat ſupplicia: nam cùm proprium ſit charitati *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* o; [o Rom. 12. 15.] menſura doloris eſt amor: quis igitur explicare, imò verò concipere poterit dolorem tuum infinitum, ſicut amor tuus eſt immenſus? Sed memorare B. Virgo illius quod dixit quædam Mater, cùm didiciſſet quòd filius ſuus, quem habebat unicum, mortuus eſſet in bello, *Genueram illum, ut haberem aliquem qui moreretur pro patriâ.* Sic Virgo ſacratiſſima videns Filium tuum unicum pergentem ad bellum crucis, ut ibi moriatur *ſemel pro peccatis noſtris, juſtus pro injuſtis* p. dic te genuiſſe eum propter hunc eminentem finem, nimirum, ad redimendum totum genus hominum. [p 1. Petr. 3. 18.]

Sed, Deus mi, ſi non habemus puritatem & ſanctitatem Matris tuæ, quæ eſt *gratiâ plena*, juxta verba Textus mei, ut tibi dignè compatiamur; ſumus tamen onerati criminibus latronum, ut tecum crucifigamur *à dextris & à ſiniſtris* q. Et ſi non ſumus *velum templi*, ut ſcindamur *in duas partes*; ſumus tamen *monumenta* r fœtentia, ut debeamus aperiri [q Matth. 27. 38.] [r Matth. 27. 51. & 52.] poſtquàm tuum *unus militum lanceâ latus aperuit* s. Si in morte tuâ *petræ ſciſſæ ſunt* t, eſt induratum noſtrum *cor tanquam lapis* u, & magis: effice igitur ut molleſcat. Si *terra mota eſt* †, & tremuit; non ſumus nos niſi *terra, terra, terra* x Noſtras ergo *confige timore tuo carnes: à judiciis enim tuis* y timemus, cùm prædixerit Pſalmiſta z tuis, *Terra tremuit, & quievit, cùm exurgeret in judicium Deus.* Et ſi non ſumus cœleſtes, ut tibi compatiamur, ſi non poſſumus eclypſim pati, ſicut *obſcuratus eſt Sol* a: ſumus ſaltem converſationis infernalis, ut digneris *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitaſti nos, Oriens ex alto* b, *illuminare his qui in tenebris, & in umbrâ mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis* c. Igitur, Auditores, *eamus & nos, ut moriamur cum eo* d, æquè ac cum Matre illius: ſatagamus eſſe cum Matre, ſi velimus nobis conciliare & poſſidere Filium, cùm iſte non detur ſine illâ: compatiamur utrique, Filio patienti, & morienti, & Matri condolenti, ſi gloriæ utriuſque velimus eſſe conſortes, *Si compatimur, ut & conglorificemur* e.

[s Ioan. 19. 34.] [t Matth. 27. 51.] [u Iob. 41. 15.] [† Matth. 27. 51.] [x Ier. 22. 29.] [y Pſ. 118. 120.] [z Pſ. 75. 9.] [a Luc. 23. 45.] [b ex Zach. 1. 9. & 6. 12.] [c Luc. 1. 79.] [d Ioan. 11. 16.] [e Rom. 8. 17.]

Dominica II. Quadrageſimæ.

Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17. 1. &c.

SEntentiam meam non exiſtimo injuſtam, etiamſi non ſit illa communis, cùm dico quòd lumina noctis nobis ſint utiliora luminibus aſtrorum; & quòd dies Bethleemiticæ ſpeluncæ, in quâ Maria *peperit Filium ſuum primogenitum, & reclinavit eum in præſepio; quia non erat ei locus in diverſorio* a: ſicut & dies *Calvariæ, ubi crucifixerunt eũ, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum* b: melius nobis cognoſcendum exhibent Deum, quàm illa quam nobis affert Sol: ita ut, ſi aliàs aſpiciendum erat cœlum, ut conficerentur horoſcopi, deinceps non ſit ampliùs quid intuendum præter terram. *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethlem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum* c. Reges iſti qui veniunt adoratum Deum natum in ſtabulo, ſua flectunt genua coram eo, & ſuas exhibent illi reverentias, ut innuatur, quòd omnes ſcientiæ diem ſuam deſumunt à nocte, & quòd inſignes horoſcopi quoad ea quæ nos ſpectant, erui debent ex actionibus noſtris, & omnes gloriæ noſtræ ex humiliationibus noſtris. Vt autem cognoſcamus gloriam Sanctorum, eorumque magnitudinem, inſpicienda ſunt illorum bona opera: ut illorum concinnare poſſimus horoſcopum, non eſt ampliùs intuendum cœlum, ſed aſpicienda eſt terra, id eſt, conſiderandæ ſunt ipſorum actiones, virtutes, humiliationes, num virtutis humilitatis praxi incubuerint, ſicut Virgo ſanctiſſima, quæ futura mox Mater Dei, inter ancillas illius ſe collocat, reſpondens Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum* d. *Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt*, ait S. Ambroſius e de ea, poſtquàm audivit ipſa ſibi dici ab illo, *Ave Maria.*

[a Luc. 2. 7.] [b Ioan. 19. 17. & 18.] [c Matth. 2. 1. & 2.] [d Luc. 1. 38] [e S. Ambr. lib. 2. in Luc. 1. 38.]

Homo ingrediens mundum, in eum venit ut in domum pictoris, ubi admirans diverſitatem imaginum, inde cognoſcit excellentiam artificis qui illas pinxit: omnes creaturæ ſunt totidem tabellæ, in quibus excellentia Dei manifeſtatur, *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & Divinitas* f. Sed, ut verum fatear, omnes effectus iſti non ita publicant potentiam Authoris ſui, quin aliquam relinquant anſam improperii, cùm ubique in iis aliquem defectum obſervem. Nihil eſt perfectè conſummatum. Non priùs ſuos emittit Sol radios, cùm nebulæ elevantur ad offundenda illius lumina cùm vapores contendunt obſcurare majeſtatem iſtius planetæ, opponentes ſe ſplendori ejus. Homo ſuos non producit liberos æquè perfectos ac vellet: ſi enim poteſtas ipſius reſponderet ipſius deſiderio, ipſum non tæderet intueri monſtra ut effectus ſuarum productionum. Sed iſtas ſiſtere volo murmurationes, has omnes procul amandare intendo querelas: hæc enim ſunt figmenta amoris qui intendit ſuam excellentiam magnificare his defectibus, velut umbris diem his oppoſitionibus manifeſtando. [f Rom. 1. 20.]

Iſtam videmus veritatem in triplici ſtatu, fortunæ, pœnitentiæ, & innocentiæ. Videtur quòd Juſti deberent eſſe fortunatiſſimi, & quòd fœlicitas inſeparabiliter adhærere deberet perſonæ hominum probatæ vitæ; & tamen contrarium omnino videmus: innocentia eſt velut theatrum, in quo infortunia ſeſe exponunt oculis noſtris inſpicienda; nec ullus eſt miſer, niſi quia eſt innocens; & id, quod vocatur communiter Fortuna, Fatum, eſt Divina *Sapientia* g, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* h. Hoc eſt conſilium amoris, qui manifeſtari vult dirigendo Juſtos per iſtam viam. Deus Author eſt iſtorum malorum omnium pœnæ quæ accidunt, *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* i? Quis autem fuit unquam innocentior Jeſu Chriſto? *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius* k. Et quis tamen majora pertulit unquam, quam ipſe ſuſtinuerit l tormenta? Sed intendit Deus ſuos deformare, ut illos transfiguret; illos deprimere, ut eos elevet; illorum lumina obſcurat, ut eos reddat ſplendidiores; eos miſeros facit, ut illos glorioſiores exhibeat: & Salvator ſe deformavit in præſepi, & in monte Calvariâ, ut ſe transfiguraret ſuper monte Thabor. Videamus igitur quomodo deformari debeamus ut transfiguremur, ſicut hodie *Ieſus transfiguratus eſt*, poſtquàm deformatus fuit, ſeu defiguratus. Propoſitio

[g Sap. 7. 24] [h Sap. 8. 1.] [i Amos 3. 6.] [k 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9] [l Ioan. 18. & 19.]

Theologia

Theologia aſſerit, quòd id omne, quod fecit Deus, illud peregit propter honorem ſuum & gloriam ſuam; ſeipſum intuitus eſt ut objectum operationum ſuarum, *Universa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* m. Deus intuens divinitatem ſuam, præcisè universa fecit propter ſe & propter gloriam ſuam; ita ut in duobus actibus glorioſis (loquor noſtro concipiendi modo) intellectus ſui, & voluntatis ſuæ, qui ſunt prædeſtinatio Juſtorum, & reprobatio impiorum, qui gemini actus ſupponunt prævisionem meritorum illorum, & demeritorum iſtorum, ut patet in Jacob & Eſau: *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui* n: in hoc, inquam, actu duplici, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, quæſiverit gloriam ſuam; & ita benè laudetur in inferis; quàm benedicatur in cœlis; & æquè magnificetur à reprobis qui blaſphemant *nomen* o ipſius in inferno, ac per *canticum novum* p, quod ipſi concinnunt Electi in paradiſo. Sed quoad ea quæ ſpectant ipſius humanitatem, tantùm abeſt ut honorem ſuum, & gloriam ſuam quæſiverit, quin è contra eò tantùm intendit ut paſſiones ſuper eam ingereret, omnigenis exponens illam miſeriis. Facere poterat ut emitteret illa radios gloriæ, cùm à primo inſtanti ſuæ conceptionis eſſet illa beata, & frueretur interventu unionis hypoſtaticæ, beatitudine gloriæ cœleſtis quantùm ad animam; & tamen ipſa fuit ſemper deformata, ut tandem transfiguraretur.

m Prov. 16.4

n Rom. 9. 12. &c. ex Gen. 25. 21. & ex Malach. 1. 2. & 3.

o Apoc. 16. 9.

p Apoc. 5. 9.

In Chriſto fuit compaſſio quoad affectum, & paſſio quoad effectum. Compaſſio, quæ nihil eſt aliud niſi affectus teneritudinis quo cietur quis intuitu mali proximi ſui, & deſiderium ſublevandi illum ab eo. Contendebant Stoici, quòd ſapiens ab iſtis immunis eſſe deberet commotionibus; ſed ipſi committebant idipſum, cujus inſimulabant alios, & medios inter occurſus obſervati ſunt ipſi fleviſſe; & dato, & non conceſſo quòd res ita ſe non habuiſſet, eorum maxima eſſet falſa, cùm Jeſus Chriſtus qui eſt prima *Sapientia* q, *cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* r; *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* s; fleverit intuitu alieni infortunii, ut mortis Lazari, *Et lacrymatus eſt Ieſus* t. Et deinceps prævidens futuram Jeroſolymorum cladem, *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam* u. Si verò S. Paulus x aſſerat, quòd nullus è ſuis fratribus eſſet afflictus, cujus afflictioni ipſe non compateretur, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* quantò potiori ratione noſtrarum Salvator animarum, qui majori proſequitur homines charitate abſque ullâ comparatione, quàm afficeretur Apoſtolus erga fideles? Si unica ſcintilla tantum accendit ignem, quantum non debet fornax accendere? Compaſſionem habuit quâ compateretur aliis, & paſſio erat theatrum omnium dolorum, quibus ipſe ſe ſubmiſit. Et licèt Dei Filius eſſet *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* y: tamen eum tolerantiæ ſic deformaverant, ut non haberet ampliùs illam priſtinam & naturalem pulchritudinem, *Non eſt ſpecies ei, neque decor* z. Videte quomodo compatiebatur, & conabatur afferre remedium malis noſtris: ideò ſe comparat gallinæ quæ pullos ſuos deducit. Non eſt amor teneribilior amore gallinæ; ſi milvus aliquem è pullis ipſius conetur arripere, erigit ipſa ſe, ignem quaſi ac flammas emittit, unguibus & roſtro percutit, æquè ac illius avis rapacis ictibus ſeſe exponit ſuſcipiendis, eo uſque ut adducat ſe in mortis obeundæ pro ſalvandis pullis ſuis diſcrimen, nitendo eos liberare ex unguibus illius: ſic Salvator noſter erepturus nos è poteſtate diaboli, quaſi ex unguibus ejus, ictibus expoſuit ſe mortis ictibus, totum ſuſtinuit inferni rigorem propter amorem noſtrum, & more gallinæ omnia peregit & pertulit ob amorem filiorum ſuorum, dicens illis ſingulis, alloquendo civitatem Jeroſolymitanam, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos* a? Fuit igitur totus deformatus compaſſione, & paſſione.

q Sap. 7. 24.

r Hebr. 1. 3.

s Coloſſ. 2. 3. & 9.

t Ioan. 11. 35.

u Luc. 19. 41.

x 2. Cor. 11. 29.

y Pſ. 44. 3.

z Iſai. 53. 2.

a Matth. 23. 37. et 4. Eſdr. 1. 30.

Pſalmiſta c ait, quòd Deus *in Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Sicut enim iſtud, quod *fecit Deus luminare maius, ut præeſſet diei* d, è ſuâ exiens eclypſi, multò ſpecioſior apparet quàm anteà, luminibus coruſcat, radiis ſe coronat, imaginem ſuam format in cryſtallo aquarum, ubi videntur natare piſces, volare aves, & aſtra cœli adhærere luto: ita *Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter* e in paſſione ſuâ & in tolerantiis ſuis eclypſim patiebatur luminum ſuorum, æquè ac ſuarum pulchritudinem eodem tempore, quo materialis ille *obſcuratus eſt Sol* f. Sed hæc deformatio eum reddidit ſplendidiorem, *Sol refulſit qui priùs erat in nubilo* g. Hæc depreſſio illum altiùs evexit: Hæc abjectio auxit gloriam ejus, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris* h. Et, *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum* i. Nec unquam ſe exhibuit amabiliorem & imitabiliorem quàm in hoc ſtatu contemptûs & humiliationis, ibi noſtra ſibi devincit corda, & nos ſenſibiliùs obſtringit ad amorem & ad imitationem ſuî, *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius* k. Et ſi hodiernâ die ipſe audit vocem Patris æterni ipſum publicantis Filium ſuum dilectum, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: ideò quia ſuper monte Calvariâ ipſe debet eum agnoſcere ut Patrem ſuum, & manibus ejus commendare animam ſuam tempore ſui extremi agonis, & maximæ ſuæ deformationis, *Et clamans voce magna Ieſus, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum* l. Æquè benè Patrem ſuum agnoſcit deformatus ſuper monte Calvariâ, ac gloriâ coronatus ſuper monte Thabor coram diſcipulis ſuis, *Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Ut edoceat nos, quòd, ſi velimus eſſe filij Dei, ſicut illam *charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus* m: hanc qualitatem debemus manifeſtare ſemper, & ubique, quibuſcumque ſeſe offerentibus occaſionibus, in adverſitatibus per quas Deus noſtræ capeſſit experimentum dilectionis, æquè ac in proſperitatibus per quas omnia ſuccedunt nobis ad deſiderium, quandiu nihil eſt quod noſtris adverſetur affectibus.

c Pſ. 18. 6.

d Gen. 1. 16

e Eccleſia ex Malach. 4. 2.

f Luc. 23. 45

g 2. Mach. 1. 22.

h Philipp. 2. 8 &c.

i Hebr. 2. 9.

k 1 Petr. 2. 21.

l Luc. 23. 46. et Pſ. 30. 6.

m 1. Ioan. 3. 1.

Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit Puerum & Matrem eius nocte; & ſeceſſit in Ægyptum: & erat ibi uſque ad obitum Herodis. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto, dicens, Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam Pueri. Qui conſurgens, accepit

Puerum

Puerum & Matrem eius, & venit in terram Iſraël n. Aliqua verſio fert, *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ipſi Ioſeph.* Sed quid? erantne diverſi Joſephi? Eximia moralitas! D. Chryſoſtomus o obſervat vitam S. Joſeph fuiſſe texturam pœnarum & conſolationum, *Miſericors Deus mæſtis rebus quadam etiam iucunda permiſcuit* Quænam maior gloria, quàm eũ ſanctiſſimam Virginem Mariam habuiſſe ſponſam? *Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria, Ioſeph* p. Sed etiam quæ maior pœna eâ, quà anxiatus eſt, cùm *antequàm convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* q? nedum tamen ipſe myſterium iſtud ſciret. *Videndo quippe ſanctus Ioſeph gravidam ſponſam, in conturbationem incidit maximam: ſed affuit repentè Angelus* r *timorem hunc prorſus extinguens,* ait iſte S. Patriarcha Conſtantinopolitanus. Quænam maior gloria Joſeph, quàm videre Salvatorem mundi natum, adoratum à cœlo ſ, & à terrâ t? *Deinde, Videns Puerum natum, maximâ exultatione repletus eſt.* Et quænam maior pœna, quàm quòd nativitas eius totam commoverat Curiam Jeroſolymitanam, æquè ac turbaverat Herodem Regem, & totum confœderat populum? *Sed rurſus huic etiam gaudio periculum grande ſucceſſit cùm tota utique civitas turbaretur, ipſe Rex fureret, & ad necem Puerum quæreret.* Quænam ingentior gloria Joſeph, quàm videre ſtellam quæ ducebat Magos, qui accedunt ad præſepe, in quo iacebat Chriſtus, eique ſua reddunt ſceptra, offerunt illi diademata ſua, in terram proſternunt ſe, adorant hunc Infantem, eumque agnoſcunt ut Dominum & Salvatorem ſuum? *Sed & hunc tumultum alia rurſus lætitia ſubſecuta eſt, apparitio videlicet ſtellæ, & adoratio Magorum.* Quænam maior pœna Joſeph poſt tot exultationes, quàm ſuſcipere mandatum ab Angelo, ut cum Puero & Matre illius fugeret in Ægyptum, ut à furore Herodis quæſituri mortem inferre Puero, declinaret: *Poſt hanc quoque iucunditatem, iterùm periculum, iterùmq; formido. Quærit, inquit, Herodes animã Pueri: & fugere neceſſe eſt, & in longinqua tranſire, hominis inſtar.* Vilane ſunt unquam gaudia tot pœnis intertexta? Tamen S. Joſeph ſemper fuit idem, nec unquam fuit ſuperbus propter tantas gratias, nec etiam magis afflictus inter tot labores. Non igitur ſine myſterio ſupradicta verſio legit, *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ipſi Ioſeph.* Quia ille qui vult eſſe verus filius Dei, debet eſſe ſemper idem, in adverſitate, æquè ac in proſperitate, & eum agnoſcere & diligere ut Patrem ſuper ignominia Calvariæ, æquè ac inter gloriam Thabor; deformatus, æquè ac transfiguratus.

n Matth. 2. 1. &c.
o S. Chryſoſt. Hom. 8. in Matt.
p Matth. 1. 18.
q Matth. 1. 18.
r ex Matth. 1. 19. & 20
ſ Luc 2. 7 &c.
t Matth. 2 1. &c.

Fuit vir unus de Ramathaim-ſophim de monte Ephraim, & nomen eius Elcana: & habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi. Annam diligebat u. Quia erat honeſta, ſolitudinis amans, ſed ſterilis: Phenenna verò habebat liberos: afflictus erat Elcana ob ſterilitatem Annæ, & voluiſſet ut fuiſſet illa fœcunda inſtar Phenennæ. Sed quare lacet Textus de eo non ait? Fuit vir quidam. Myſterium eſt, ait Origenes x, Elcana erat juſtus, & ut diſtingueretur à peccatoribus, Scriptura ait de eo, *Fuit vir unus* Ideò Mendoca Origenem ſic introducit loquentem, *Cur, inquit, non omnes unus dicantur? quorum cor & anima una* y *eſſe deſcribitur; unam ſemper omnes ſapientiam meditantur; unum ſentiunt; unum Deum venerantur, unum Dominum Ieſum Chriſtum confitentur; uno ſpiritu Dei replentur. Unde meritò & ipſi omnes non ſolùm unum, ſed & unus dicuntur: ſicut Apoſtolus* z *deſignavit, dicens: Omnes quidem currunt, ſed unus accipit palmam. Vides manifeſtè, quia omnes iuſti, unus eſt?* Quandiu nos non ſumus unus, ſed plures; modò gaudentes, modò triſtes; mox quieti, mox iracundi; *Fuit vir unus Elcana.* Id eſt, omnino conformis Voluntati Divinæ circa ſterilitatem uxoris ſuæ Annæ.

u 1 Reg. 1 1. &c.
x Orig. Hom 1. de Elcanâ, citatus à Mendoc. in lib. 1. Reg. 1. 2. ſect. 1. n. 14.
y ex Act. 4. 12.
z ex 1. Cor. 9. 24

Hanc ritè S. Paulus a obſervabat legem, dicens, *Scio & humiliari ſcio & abundare: (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* Proprium eſt peccatoribus ſemper murmurare, & in paupertate & in abundantia, & in adverſitatibus & in proſperitatibus: è contrà Juſti, ut S. Paulus, ſemper ſunt ijdem, & meliùs diligunt Deum deformati, quàm transfigurati.

a Philipp. 4 12.

Sponſa Canticorum e ait, *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Quare Amans ſacra duos alloquens ventos, non dicit? Perflate, ſed, *Perfla:* cùm iſti duo venti ſint contrarii: Auſter enim ſuavis, & quietus; Aquilo verò eſt rudis, impetuoſus, & frigidus. S. Juſtus f reſpondet, *Quoniam in duobus unus advertitur, non ait, Perflate, ſed, Perfla.* Ratio iſtius eſt: Quia omnia ſunt ei indifferentia, ſive vento afflictionum figuratarum Aquilone imperatur, ſive ſuavi Zephyro conſolationum perſundatur, *Quoniam in duobus unus advertitur* Juſtus qui eſt ex illis, quibus Deus *dedit poteſtatem filios Dei fieri* g, ſemper eſt idem in quacumque conditione inveniatur, ſive deformatus, ſive transfiguratus. Et S. Paulus h loquens de Jeſu Chriſto, dicit, *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit?* Ut edoceat nos, quòd ſemper debeamus eſſe iidem, & cùm Deus nos deprimit, & quando nos elevat; & quòd debeamus nos deformare, ſi velimus transfigurari, ſicut & ipſe *transfiguratus eſt*, poſtquàm deformatus eſt *in præſepio* i, & alibi ubique. Dei Filium igitur ſuper montẽ Thabor, ubi transfiguratur coram diſcipulis ſuis, ſequi debemus, hac ducti cogitatione, quòd ſi deformemur cum illo ſuper monte Calvaria, cum eo transfigurabimur ſuper monte Thabor, ſuper quo intuendũ ſemetipſum exhibet luminibus & ſplendoribus circumdatum. Sed quare potiùs ſuper hoc monte, quàm ſuper aliquo alio? Ratio iſtius eſt: Quia Deus ordinariè aufert ignominiam à rebus, quę inhonoratę fuerunt, *Duxerunt illum uſq; ad ſupercilium montis ut præcipitarent eum* k. Aliqui dicunt hunc montem fuiſſe Thabor: ut igitur Chriſtus hanc auferret ignominiam, quam moliti ſunt Judæi eidem monti; eundem montem eligit, ut in eo ſuam pręſplendore gloriam manifeſtet, ſecundùm hãc ſententiam.

e Cant. 4 16.
f S. Iuſtus in Cant. 4. 16.
g Ioan. 1. 12.
h Ephes. 4. 9.
i Luc. 2. 7 &c.
k Luc. 4. 29.

Cùm natus eſſet Ieſus in Bethaleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam l, &c. Verbum iſtud, *ecce*, aliquod denotat myſterium. Sed quale? Secundùm aliquos, ſi Dei Filius nõ eſt priùs incarnatus quàm *ubi venit plenitudo tẽporis*, quando eundem *miſit Deus Filium ſuũ factũ ex muliere, factũ ſub lege: ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* m: ſuam ad illud uſq; tempus diſtulit incarnationẽ propter peccata Regum, quorũ fuſè meminit Scriptura: ideò, cùm ſceptra & diademata fuiſſent offenſa, eò quòd ornaſſent manus, & cinxiſſent capita Principum ita impiorum & crimino ſorum, quales erant illi qui retardaverant adventum Filii Dei in terrã, & remedium cõmune naturæ noſtræ, quid agit Deus? Mittit ſtellã quæ ducit iſtos tres Magos ad eundũ adoratum ipſum, & ipſum agnitum ut Dominum ſuum legitimum; ut ſic nobilitarentur coronæ, quę è ſuâ exciderant magnitudine & excellẽtia, & honorarentur ſceptra quæ permanebant infamia, eò quòd inſerviiſſent illis, quorũ actiones & perſonæ erant

l Matth. 2 1, &c.
m Galat. 4. 4. & 5.

Digitized by Google

erant ignobiles. Et hoc eſt myſterium iſtorum verborum, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymã, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorũ? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Sed quare tres Reges, potiùs quàm quatuor, pergunt adoratum cunas & infantiam Salvatoris? Ideò quia è ſeptendecim generationibus, quæ inveniuntur in genealogiâ Salvatoris, S. Matthæus n recenſet tantùm *generationes quatuordecim*, prætereuns ſub ſilentio tres Reges, Ochoziam, Joam, & Amaſiam; quia iſti tres Reges, Ochozias o, Joas p, & Amaſias q ita fuerunt impij & ſacrilegi, ut fuerint indigni qui collocarentur in genealogiâ Jeſu; & ideò meruerunt excludi è numero illorum qui collocari ſunt in ordine generationis Verbi incarnati: propterea cùm tres coronæ & tres majeſtates fuerint inhonoratæ in perſonis & in moribus iſtorum trium Regum, per adorationem & ſubjectionem prædictorum trium Magorum exhibitam Chriſto Regi recenter nato, reſurgunt à dedecore ſibi illato. Tres Reges deleti ſunt *de libro viventium, & cùm Iuſtis non* r non ſunt ſcripti: & tres alij Reges reparant caſus & injurias præcedentium, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt*, &c.

n Matth. 1, 17. &c.
o 3. Reg 22. 52. & 4. Reg. 1.
p 4. Reg. 12. 1. &c.
q 4. Reg 14. 1. &c.
r Pſ. 68. 29

Poſtquàm filius prodigus *in ſe reverſus, venit ad patrem ſuum; dixit pater ad ſervos ſuos, Manducemus, & epulemur* s. Quibuſnam loquitur pater iſte? Non eſt conſuetudo ut ſervi vocentur ad menſam Dominorum ſuorum. Sed hoc innuit communes epulas, & communem lætitiam tam ſervis, quàm patri, & filio reduci. Sed ut iſtud intelligatur, ſciendum eſt quòd poſtquàm *congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè; & omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illâ.* Nimirum quòd tota regio fuerit afflicta occaſione illius. Ideò S. Chryſologus t ait, *Luxuria, ventre, gula, fames tortor apponitur.* Id eſt, ſævitia famis caninæ ſucceſſit impuritatibus, crapulis, & diſſolutionibus quibus indulſerat: ſicut igitur multi afflicti fuerant propter eum, hoc pater illius agnoſcens, communes parandas ſatagit epulas, & fit univerſale gaudium, cui communicant ſervi, æquè ac pater & filius.

s Luc. 15. 17. &c.
t S. Chryſol. ſerm. 2.

Iſtud eſt principium ab omnibus admiſſum, quòd eadem actio diverſos habere poteſt fines. Hoc ſuppoſito, quænam fuit cauſa præcipua, quæ induxit Dominum noſtrum ad ſemetipſum nobis tradendum ſub ſpeciebus panis & vini, cibi & potus in perſonâ diſcipulorum ſuorum u? Nulla alia cauſa eum ad iſtud peragendum impulit, niſi ut indemnes efficeret homines: gloriabantur enim Angeli in Lege antiquâ ſe interfuiſſe & aſſediſſe menſæ & convivio, cujus erat communicatio hominibus denegata. Et hoc eſt quod utrique Tobiæ Raphaël *dixit Angelus, Ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor* x. Quaſi dixiſſet illis, Vos exiſtimaſtis, quòd, cùm viderer vobis ſimilis, ſolicitus fuerim de cibis veſtris & potibus materialibus ſumendis; ſed hallucinabamini; & ideò errorem deponite, & ſcitote, quòd in cœlo habemus panem Divinum, & nectar ac ambroſiam, quorum homines non poſſunt eſſe participes: ita ut inde homines contemnerentur ab Angelis. Sed quid facit Deus? Ipſe qui eſt *omnipotens: in ditione enim ejus cuncta ſunt poſita* y, ſuâ utens poteſtate, res mutat; & homini, qui priùs fuerat æmulus menſæ Angelorum, hujuſmodi cibum providet; & ſic ejuſdem hominis æmulatores evadunt Angeli: ipſemet in Sacramento Euchariſtiæ noſtras ſeſe exhibet epulas, ut concinit Eccleſia, *O Sacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur.* Ad quod licet Angelis ſuſpirare, ſed non illi aſſidere: poſſunt Chriſtum intueri, & adorare, ſed non illum comedere, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* z.

u Matth. 26. 26. &c.
x Tob. 12. 17. & 18.
y Eſt. 13. 9.
z 1. Petr. 1. 12.

S. Joannes a refert, quòd poſtquàm *Ieſus inclinato capite tradidit ſpiritum, unus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.* Suppoſito quòd Matrimonium Jeſu Chriſti cum Eccleſiâ factum fuerit interventu ſanguinis & aquæ exeuntium ex iſto vulnere, ut ait S. Auguſtinus b, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*: petit S. Ambroſius c, poſtquàm dixit, *Vnus de militibus lanceâ tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & ſanguis. Quare aqua? quare ſanguis? Aqua ut emundaret, ſanguis ut redimeret. Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per fœminam, gratia per Dominum Ieſum Chriſtum.* Latus iſtud inhonoratum fuerat in Adamo, quia præbuerat materiam, è quâ formata fuit Eva, quæ initium præbuit omnibus miſerijs naturæ noſtræ, *Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem* d, quæ *tulit de fructu* ligni vetiti, *& comedit* e. Atqui Jeſus Chriſtus in Cruce dat ſuum latus ad reparandos defectus de primi lateris, ut ex eodem loco, unde Eva exierat, nativitatem ſuam ſumeret Eccleſia, quæ cœlum repletura erat tot filijs, quot lapſus iſtius primæ matris effecerat miſeros. Et Pſalmiſta f loquens de adventu Salvatoris animarum noſtrarum, ait, *Tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum à facie Domini, quia venit.* Sed quare hæc exultatio arborum? Reſpondet Lorinus g, *Theodoretus illud habet de ligno crucis ex ſylvâ decerpendo.* Omnes arbores iſtæ injuriam pertulerunt in arbore paradiſi terreſtris, cujus fructus cauſavit omne malum, cui obnoxia eſt natura noſtra, *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt* h. Sed altera arbor, quæ ſacrum debebat eſſe noſtræ ſalutis inſtrumentum & noſtræ redemptionis organum, reparavit maledictionem incurſam à primâ, & injurias, quæ fuerant aliis irrogatæ. Hoc innuit, quòd, ſi deformemur, aliquando transfigurabimur in gloriâ: ſed hæc deformatio, quæ eſt nota dilectionis, quâ erga Deum afficimur, non fit niſi poſt adhibitum laborem immodicum, vim inferendo affectibus noſtris; & ſi hodiernâ die *Ieſus transfiguratus eſt*, certum eſt, quòd privatio, quam ipſe ſuſtinuit, gloriæ corpori ipſius debitæ (ſi excludatur dies iſte transfigurationis ipſius) fuit conatus perpetuus, quem ipſe exercuit ſuper corpus ſuum, ſuper animam ſuam, ſuper gloriam ſuam, & ſuper Divinitatem ſuam. Super corpus ſuum, quia corpus iſtud adorabile, corpus iſtud deificatum tendebat ad gloriam, ſicut lapis ad centrum ſuum, & ignis ad ſphæram ſuam ſurſum, quia hæc gloria illi legitimè triplici jurium genere debebatur, & quia naturaliter unitum erat animæ glorioſæ, & quoniam ſupernaturaliter conjunctum erat Divinitati, & eò quòd divinitùs eſſet ſubſiſtens in Verbo, & conſubſiſtens cum Divinitate: Verbum enim ut terminus ſubſiſtentiæ ejus, Divinitas ut forma Deificationis illius, & anima ut ipſius forma informans & animans, debebant ei communicare hanc gloriam, & unuſquiſque ex iſtis titulis (ſi ſeparari potuiſſet ab aliis) erat veluti origo viva, & cauſa ſufficiens glorificationis corporis Jeſu. Conatus, quem fecit Jeſus ſuper animam ſuam propter unionem quam habebat cum corpore. Conatus ſuper ſtatum gloriæ, qui tamen fuit retentus, & quaſi coactus,

a Ioan. 19. 30. & 34.
b S. Aug. conc. in Pſ. 101.
c S. Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 1.
d Gen. 2. 22.
e Gen. 3. 6
f Pſ. 95. 12
g Lorin. in Pſ. 95. 12.
h Rom. 5. 12.

quique

quique auxit tolerantias Jeſu, quia hæc gloria debebat lumen beatificum animæ Jeſu cum exprimento ſive ſenſu magni boni, quo erat ipſe privatus. Conatus denique ſuper Deum ipſum, quia hypoſtaticè unitus huic corpori, debebat illud glorificare. Conatus omnes, quos ipſe fecit non præ neceſſitate, ſed præ dilectione, quæ exigit ut nobiſmetipſis violentiam inferamus, *Charitas Chriſti urget nos* i. Quid eſt hoc? Nunquid infertur nobis neceſſitas diligendi Dei? Nonne liberi ſumus? Hæc eſt differentia inter Sanctos cœli & homines terræ, quòd Beati paradiſi præ neceſſitate diligunt Deum, quia tot vident mirabilia in Deo, quem intuentur *facie ad faciem* k, ut neceſſariò eum diligant, nec poſſint quin ament objectum felicitatis ſuæ: ſed homines terræ qui non vident Deum niſi *per ſpeculum in ænigmate* l, diligunt eum liberè, & ad eum diligendum non compelluntur: & iſti duo modo diligendi, Sanctorum cœli, & hominū terræ non ſunt perfecti, quia neceſſitas Sanctorū cœli eſt ſine merito, & libertas hominū terræ eſt ſine neceſſitate: ideò Jeſus Chriſtus unit in ſe neceſſitatem & meritum, neceſſitatem Beati & meritum viatoris; cùm eſſet beatus ex inſtanti conceptionis ſuæ, anima ipſius jugiter fruebatur præſentiâ Dei, & præ neceſſitate diligebat hoc objectum omni dilectione dignum: Jeſus igitur diligebat neceſſariò & meritoriè, quæ ſunt duæ perfectiones amoris. Charitas igitur imponit nobis quandam ſuavem neceſſitatem, ſed neceſſitas iſta non eripit nobis meritum. Triplex datur lumen, diei, candelæ, & noctis. Lumen diei eſt illud, quod habemus à creaturis, *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divitas* n. Lumen candelæ, quod habet plus umbræ, quàm radiorum, eſt lumen fidei, quæ ſuas habet obſcuritates, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* o. Sed clariſſimum lumen eſt illud quod educimus è nocte paſſionis Chriſti: lumen iſtud ardentiſſimam nobis aperit Dei noſtri dilectionem, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* p. Hæc autem dilectio devinciens ſibi corda noſtra, voluntates noſtras accendit ita ut neceſſitate quâdam ſuavi inducamur ad diligendum Deum: hæc verò neceſſitas eſt cum merito, quia ſumus adhuc viatores in iſto mundo. S. Catharina Senenſis ornans ſe aliquando paulò curioſius quàm fuiſſet ſolita, ut ſuæ placeret ſorori, intuita *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* q, tanto fuit pudore ſuffuſa, ut confeſtim ſemetipſam ſitæ vanitatis immolans, Quomodo, inquit, Salvator adorande, tu crucis es patibulo ſuffixus, ego verò de me ornandâ ero ſolicita? Abſit hoc à me, nec prævaleat conſideratio ſororis ſuper honorem, quem impendere debeo Deo meo, ita ut nullo unquam ducar affectu niſi erga te Deum meum. Quidnam fecit hoc? Intuitus Crucifixi, viſus Dei contempti & humiliati *uſque ad mortem, mortem autem crucis* r. Cùm deformatio ſit cauſa transfigurationis. Obſervate enim, ſi placet, quòd ſuam nunquam Jeſus melius manifeſtavit Divinitatem, nec melius conciliavit ſibi & attraxit ad ſe corda quā in profundiſſimis ſuis hūiliationibus. Quandiu ipſe vult manifeſtari mediis operibus, quæ ipſi poterant devincire homines indociles, eoſq; inducere ad cognoſcendā Divinitate, illi tunc magis irritātur; miracula quæ peragit, reputātur ab illis ut incantationes, & è mirabilibus operibus ejus anſam capeſſunt ei detrahendi, *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia* s. Illique contumeliæ inferendæ, *Dæmonium habes* t. Sed cùm intuentur eum medias inter humiliationes cruci ſuffixum, factum theatrum omnium infortuniorum, & ab omnibus derelictum, inde eruunt illi probationes manifeſtas Divinitatis ejus, quæ emittit radios qui inducunt ipſius inimicos peccatores ad publicandam hanc veritatem, *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Verè hic homo juſtus erat. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant percutientes pectora ſua, revertebantur* u. Videtis, Auditores, veritatem propoſitionis meæ, quòd depreſſio Dei, ſublimiter elevat gloriam ejus, quòd humiliationes illius inſerviunt ad manifeſtandam ipſius Divinitatem, & quòd deformatio Calvariæ inſervit transfigurationi Thabor: ita verum eſt quòd priùs oportet deformari quàm transfigurari, & quòd talis eſt praxis Dei, quam in tribus obſervare poſſumus effectibus, naturæ, fortunæ, & gratiæ, qui ſinguli ſunt diſcutiendi.

i 2. Cor. 5.14.
k 1. Cor. 13.12.
l Ibid.
n Rom. 1. 20.
o Hebr. 11.1.
p Ephes. 5.2.
q 1. Cor. 2.2.
r Philipp. 2.8.
s Luc. 11.15.
t Joan. 8.48.
u Luc. 23. 47. & 48.

In naturâ quotnam inveniuntur homines, quos Deus cæcitate percuſſit, qui ſi fuiſſent perſpicaces, in æternam incurriſſent animarum ſuarum jacturam? Quot mulieres ſalvantur propter deformitatem ſuam, quæ fuiſſent damnatæ propter pulchritudinem, ſi decoræ fuiſſent? Quàm ingens eſt numerus creaturarum ſpecioſarum ardentium in inferno, quæ ſi fuiſſent deformes, ſalutem æternam ſuam ſanè fuiſſent operatæ. Deus meus, utquid cæcitate non percutis adoleſcentes iſtos, qui ſuis non utuntur oculis niſi ut perniciem ſuam machinentur? Cur non immittis catarrhum in hanc puellam, vel mulierem diſſolutam, ut eam deformem exhibeas oculis eorum, quos ipſa ſuis profligat obtutibus venenatis, qui mortem inferunt more baſiliſci? Quot homines ſuam operati ſunt ruinam propter mentem ſubtiliorem, qui ſalutem inter mediocria fuiſſent adepti lumina? Omnes Hæreſiarchæ ſuæ perditionis ſunt orſi telam propter nimium ingenium. Deus ergo deformat illos, quos vult transfigurare: deformat eos in naturâ.

Imò verò deformat illos in fortunâ. Deſtituit divitem theſauris ipſius, quibus cor ſuum habebat alligatum, & in quibus ſpes ſuas collocabat chariſſimas, quique erant idola affectuum ipſius, *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* x. Eripit illi bona terrena, & fortunæ cōmoda; mittit ad illum jacturas, afflictiones, infortunia, ſicut ad juſtum Job y, & ad bonum Tobiam z, quorū ille percuſſus *ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem, teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio* a. Iſti *contigit autem ut ex nido hirundinum dormienti calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretque cæcus* b. Iſtos deformavit Deus, ut illos transfiguraret, & ſplendidiores eos redderet, faciens ut lucidiores emitterent radios poſt eclypſim ſuam, mutans eorum jacturas in lucra c, & humiliationes illorum in glorias d. Inveniuntur aliqui in mundo, qui ſuos projiciunt amicos in abyſſos confuſionis, ut eos illinc educant, ut ipſis illi ſint obſtricti propter hujuſmodi beneficium ementitum; eos efficiunt miſeros & infortunatos, ut illos reddant felices: iſte procedendi modus eſt ſævitia, non autem charitas, nec amicitia; ad ſolum Deum ſpectat eo modo procedere, *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat. Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem: ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat* e. Ipſe nos deformat, ut meliùs nos transfiguret.

x Matth. 6.21.
y Job c. 1. & ſeqq.
z Tob c. 2. & ſeqq.
a Job 2.7. & 8.
b Tob. 2. 10. & 11.
c Tob. 11. 15. &c.
d Job. 42. 10. &c.
e 1. Reg. 2. 6. &c. et Deut. 32. 39.

Idem videmus in gratiâ, in quâ ſuorum lapſus permittit amicorum: illorum nollet quidem caſus, ſed eos permittit: *Neque enim Deus omnipotens* f, *quod etiam infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus* g *ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo*, ait S. Auguſtinus h. Magdalena, cujus eminentia chariſmata & merita nobis ſunt ita cognita, cùm ipſa ſit honos Provinciæ noſtræ, in quam tulit ipſa fidem, & quam ſuis decoravit reliquijs; erat una è prædeſtinatis, & tamen Deus ſinit ut ipſa cadat, *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix* i. Illam deformat, *Denigrata eſt ſuper carbones facies* k illius. Sed ideò ut illam transfiguret, & reddat eam ardentem inſtar Seraphim, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* l. Vt edoceat nos, quòd oporteat ut deformêmur ad hoc ut transfiguremur; ut deformemus nos tolerantijs, humiliationibus & depreſſionibus voluntarijs; & credamus quòd, ſi Deus permittat ut nobis aliquod infortunium accidat, illud provenit è manu illius amantiſſimâ; quòd non ſumus innocentiores Jeſu Chriſto, qui eſt *Sanctus Dei* m. Et tamen tot & tanta pertulit: *ſi transfiguratus eſt* ſuper Thabor, deformatus ſuit ſuper Calvariâ: ſic deformari debemus in hoc mundo, ut in altero transfiuremur in gloriâ.

f ex Eſth. 13. 9. g ex Pſ. 118. 68. h S. Aug. in Enchirid c. 11. i Luc. 7. 37. k Thren. 4. 8. l Luc. 7. 47. m Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.

FERIA II. POST DOMINICAM II. Quadrageſimæ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Ioan. 8. 21.

VNa è prærogarivis Legis gratiæ ſupra Legem Moyſis in hoc eſt ſita, quòd in Lege Judæorum Deus illos poterat ſic deſerere, & ab iis recedere, ut quæſitus ab illis inveniri non poſſet, ut minatur eis Evangelium noſtrum, *Quò ego vado, vos non poteſtis venire* a. Et. *Quæretis me, & non invenietis, & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire* b. Sed in Lege gratiæ, Deus noſter non poteſt nos deſerere; ſi autem recedat à nobis, poſſumus illum invenire, ſi ſequamur vias, quas cœlum nobis oſtendit; nec ita poteſt latêre quin inveniri valeat: & ex quo Mariæ *Angelus dixit, Dominus tecum* c, ita Deus fuit cum illâ ut illam nunquam deſeruerit; & nobiſcum ſemper futurus eſt, eumque ſemper inveniemus in Virgine ſanctiſſimâ, quæ cuſtodit eum, ſi cum eodem Angelo dicamus ei, *Ave Maria*.

a Ioan. 8. 21. b Ioan. 7. 34. c Luc. 1. 28

Appoſitè locutus eſt ille, qui dixit quòd homo eſt horizon æternitatis & temporis: cùm enim anima ſit ſpiritualis d, ipſa eſt ſicut Deus, ſaltem tota eſt Divina, & immortalis, ſicut Deus e; tota agens in operationibus ſuis, elevat ipſa ſe uſque ad æternitatem, ultra tempus vadit, non pendet à loco; ſed ſtatim ac hæc anima eſt in corpore incluſa, & fœdus inivit cum luto, lumina ipſius extinguuntur, nihil ipſa videt niſi in ſe, ipſa eſt ſubdita tempori, loco, & corpori, obnoxia eſt infirmitatibus corporis quod ipſa animat, dimidiam duntaxat cognoſcit, *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus* f. Si cognoſcere velit Deum, oportet ut illi membra tribuat, repræſentans ſibi Patrem æternum ut ſenem g, Angelos ut adoleſcentes h, quia cùm ſit ſubdita corpori, non videt niſi res corporeas. Obnoxia eſt etiam tempori, nec ferri poteſt ad æternitatem niſi per comparationem variarum ætatum, infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, juventutis, virilitatis, & ſenectutis: & ſicut ſunt duo tempora quæ præcidunt dies noſtros, vita & mors; ita hæc duo tempora ſequuntur æternitas & tempus. Æternitas ſequitur mortem, & tempus comitatur vitam noſtram, & totum iſtud tempus datur nobis inſumendum ad ſalutem noſtram, & vocatur *Tempus acceptabile, dies ſalutis* i. Nam *omnia tempus habent* k. Atqui tempus iſtud operandæ noſtræ ſaluti opportunum ritè debemus inſumere; ſi enim ſinâmus illud effluere, nunquam ampliùs penes nos erit: ſunt enim quædam momenta favorabilia, quæ ſemel elapſa, nunquam redeunt. *Tempus plantandi, & tempus colligandi.* Si colonus ſeminaret æſtate, calores omnia conſumerent, & ſi meſſem differet uſque ad hyemem, frigora profligarent univerſa. Quin imò litigantes ſuum *tempus habent*. Sunt enim aliqua momenta, quibus ipſi Judices ſuos inveniunt diſpoſitos ad cōcedendum ipſis quidquid ab iis efflagitaverint, quibus elapſis reperiunt illos rigidiores. *Tempus tacendi.* Id eſt, in Eccleſia quandiu peraguntur Officia Divina, coram altaribus noſtris, ubi inſolentiæ ſunt ſacrilegia. *Et tempus loquendi.* Nimirum, in Confeſſione, in quâ ſilentium eſſet reduplicatio criminis. Verùm & ipſe Chriſtus ſuum habebat tempus peragendis miraculis ſuis opportunum, *Quid mihi & tibi eſt, mulier: nondum venit hora mea* l. Ego autem dico, quòd ſit quoddam tempus, quo ſuas Deus nobis offert gratias, & quo, ſi eas renuamus, ipſe deſeret nos, oblatos ipſe retrahet ad ſe favores ſuos à nobis, quæremus illum, nec inveniemus; & non invenientes eum, *in peccato* moriemur. Et hoc eſt quod volo vobis oſtendere. Primò, Quòd ſit quoddam tempus, quo Deus vocat nos. Secundò, Quòd iſto tempore abutentibus nobis, ipſe recedit à nobis, *& in peccato* noſtro morimur.

d Gen. 1. 27 e 1. Timot. 1. 17 & 6. 16. f 1. Cor. 13. 9. g Dan. 7. 9 h Gen. 19. 5. i 2. Cor. 6. k Eccl. 3. 1. &c. l Ioan. 2. 4 Diviſio.

Homo propriis viribus non poteſt ſe elevare in cœlum: corpus ejus eſt nimis grave, & anima illius nimis eſt debilis ad faciendum hunc conatum: ſed ſicut ſol materialis ſuos immittens in terram radios, inde elevat exhalationes, & perducens eas ad mediā uſque aëris regionem, eas lucidas efficit: ita *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* m ſuas mittit in hunc mundum gratias, & illis tanquam catenâ alligat homines, & eos in cœlum elevat. Hæc catena tres habet orbiculos, vocationem, juſtificationem, & glorificationem. Per vocationem Deus nos dormientes excitat, & nos eruere vult è limo infortunij, cui nos videt immergi. Primus iſte orbiculus eſt totus à Deo; alij verò duo ſunt à Deo & ab homine. Deus vocat nos à peccato ad gratiam, juſtificatio in ea nos ſtabilit, & glorificatio collocat nos in ſtatu fœlicitatis. Iſte eſt ordo, quem S. Paulus n obſervat in œconomiâ noſtræ ſalutis, *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

1. Pars. m Eccleſia ex Malach. 4. 2. n Rom. 8. 30.

Omnes indiſcriminatim vocat Deus, & nemo eſt qui non ſit ei obſtrictus ob favorem iſtum, *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius* o. Ipſe eſt *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* p. Et ſi Ethnicus qui nunquam audiviſſet quemquam loqui de religione noſtrâ, nec de vero Deo, moraliter benè viveret juxta *lumen* q rationis ſibi inditum, Deus mitteret Angelum ad illum inſtruendum, aut Sacerdotem ad illum baptizandum, aut ipſe immediatè loquens *ad cor eius* r, oſtenderet ei errorem religionis, aut ſectæ, cui adhæreret, ita ut nunquam ſineret ut anima illius periret: ſic

o Pſ. 18. 7. p Ioan. 1. 9 q Pſ. 4. 7 r Oſee 2. 14.

mitte

miſit *Philippum* ad inſtruendum & baptizandum eunuchum *Candacis Reginæ Æthiopum* s. Sic nemo eſt qui non recipiat gratiam vocationis, quique ſalutem ſuam non poſſit operari, ſi velut uti hoc momento quo ſuas Deus offert ipſi gratias. Sed heu! Deus vocat nos, & nos dormimus ei, *Vocavi, & renuiſtis* t. Et inducimus illum ad nos deſerendos, & ad recedendum à nobis.

Tribus vocat nos Deus viis. Inſumit Prædicatores u, qui monent, qui minantur & tonant vocando peccatores à vitio ad virtutem, ab animalitate ad ſanctitatem. Avare, cujus *in alis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentium* x, quoties violentiarum & rapinarum fuiſti monitus tuarum? Impudice, qui es tanquam *ſus in volutabro luti* y, nonne tibi ſæpè dictum eſt, quòd *neque fornicarii, neque adulteri Regnum Dei poſſidebunt* z? Hæc erat vox Dei quæ vocabat te per Concionatores ſuos. Deus utitur etiam miniſterio Angelorum, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* a? Plures inſpirationes, motus interni, & ſyndereſes ſunt voces Angelorum, & ſi iſta non ſufficiant, Deus ipſe peccatorem in medio cordis alloquitur, illud pulſat, & in illud vult ingredi, & ab eo uſurpatorem ipſius eliminare, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* b. Et, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta* c. *Ego vado.* Quid autem agetur de animâ quæ perdiderit Deum? Erit illa infœlix, cùm Deus, qui eſt cauſa omnis fœlicitatis, non ſit ampliùs futurus cum eâ, *Ego vado.* Quaſi diceret Deus, Tradam illam *in deſideria cordis* d ejus. Quod eſt graviſſimum ſuppliciorum omnium, quibus plectere poteſt Deus animam, *Exacerbavit Dominum peccator*, ait Pſalmiſta e. Quomodo ulciſcetur ſe Deus de peccatore? Nunquid præcipiet ut ignis deſcendat è cœlo ad conſumendū eū? ſicut *Dominus pluit ſuper Sodomā & Gomorrhā ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has* f. Aut jubebit terræ ut aperiat ſinum ſuū ad devorandū illū, quemadmodū aliàs hæc *aperiens terra os ſuū devoravit Core morientibus plurimis, quando cōbuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* g? Nequaquam, reſpondet idem Pſalmiſta, ſed *ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret*. Non corripiet eum ampliùs, non utetur ampliùs minis, non ampliùs alloquetur eum, ſed illum deſeret, *Multùm iraſcitur Dominus, dum non exquirit, dum quaſi obliviſcitur, & non attendit peccata*, ait S. Auguſtinus h. Hæc miſericordia apparens eſt ſevera juſtitia, nec unquam eſt magis Deus iratus, quàm cùm minùs videtur iratus: Deus iſtam deſerit animam, & ipſa moritur in peccato ſuo.

Ratio propter quam voluit Deus redimere hominem k, & non Angelum l, illum ſublevare à lapſu, & iſtum deſerere in ſtatu peccati, nedum iſti impenderet veniam, ſicut induſit miſericordiam illi poſt tot crimina iterùm ac iterùm repetita, hæc eſt, quia Angelus mentem habet ita fortem ut adhærens alicui objecto illud arripiat, eique ſeſe uniat inſeparabiliter: ſi aliquando diligit, ſemper diligit; ſi verò odit, in æternum odit; ideò inflexibilis eſt in voluntate ſuâ, nunquam ſe ſeparat ab objecto quod elegit, nunquam vadit à malo ad bonum, & à bono ad malum, poſtquàm illud elegit: ſed homo qui non adhæret ita fortiter bono ut illud non poſſit deſerere, & ab eo affectus ſuos diſſoluere, ut eat ad malum ductus impetu paſſionis & cæcitate voluntatis, flexibilis eſt, *Propterea expectat Dominus ut miſereatur* m ejus. Vocat illum, & exaudit homo vocem ipſius, Deus ei ſuam impendit miſericordiam, *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omniū iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor* n. Atqui inveniūtur peccatores, qui à triginta vel, quadraginta, aut quinquaginta annis torpent in peccatis, inveterati in illis, obſtinati & indurati in ſordibus ſuis, non ſecus ac dæmones ſunt inflexibiles, propter conſuetudinem quam contraxerunt faciendi mali: poſt hæc mirabimini ne, ſi Deus illos deſerat, cùm more dæmonum induratorum in ſuis ſint obſtinati malitijs? *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Tempore peccator uti noluit operādæ ſaluti ſuæ opportuno, quo ſuas offerebat ipſi Deus gratias, Deus ab illo recedit, & is *in peccato* ſuo morietur.

Si verò petatis à me quid ſit mori *in peccato*. Diſtinguendum eſt duplex genus morientium. Aliqui moriuntur ob peccatum, & non moriuntur in peccato. Rex Iſraël & Juda *Ioſias mortuus eſt* o ob peccatum, eò quòd non obedivisset Prophetæ: ſed non eſt mortuus in peccato, ſed in gratia, ut tuetur Juſtinus Martyr p. Prophetam, quem Deus miſerat ad Jeroboam, *invênit leo in viâ, & occidit* q propter inobedientiam ipſius, & tamen erat *vir Dei*, & ſanctè mortuus eſt. *Et leo ſtabat iuxta cadaver ejus*, quod honorabat. Alij moriuntur ob peccata ſua in peccatis ſuis: Propter infames ſuas abominationes peremptus eſt Judæ filius *Onan: Et idcircò percuſſit eum Dominus, eò quòd rem deteſtabilem faceret* r. Ardebant adhuc Sodomitæ igne concupiſcentiæ ad violandos Angelos ſub formâ adoleſcentum ſuſceptos à *Lot ſedente in foribus civitatis*, cùm Divina Vindicta involuit eos globo infortunij, ut ſepeliret illos in æternitate pœnarum, *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & univerſos habitatores urbium* s.

Graviter hallucinatus eſt Origenes, ratus quòd Divina vindicta ſiſteret in primo ſupplicio, & quòd punitiones exemplares Dei peractæ ad plectendos eos qui moriūtur in peccatis, eſſent ad expiandas eorum culpas. Innitebatur huic verbo Scripturæ t, *Non conſurget duplex tribulatio.* Quod LXX. u. vertunt, *Non vindicabit bis Deus in idipſum in tribulatione.* Et poſt illos S. Cyprianus x. *Neque bis in idipſum iudicat Deus.* Hunc errorem refutat S. Gregorius y fuſè, *De his quos damnant flagella, & non liberant, dicitur: Percuſſiſti eos, nec doluerunt: attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam* z. *Hæc flagella, ab hâc vitâ inchoant, & in æterna percuſſione perdurant. Vnde per Moyſen a Dominus dicit: Ignis exarſit ab irâ meâ, & ardebit uſque ad inferos deorſum. Quantùm ad præſentem etenim percuſſionem ſpectat, rectè dicitur: Ignis exarſit ab irâ meâ. Quantùm verò ad æternam damnationem, aptè mox ſubditur: Et ardebit uſque ad inferos deorſum. Licèt à quibuſdam dici ſoleat illud quod ſcriptum eſt: Non iudicat Deus bis in idipſum. Qui tamen hoc quod per Prophetam* b *de iniquis dicitur, non attendunt: Et duplici contritione contere eos. Et quòd aliàs ſcriptum eſt: Ieſus populum de terrâ Ægypti ſalvans: ſecundò eos qui non crediderunt, perdidit* c. *Quibus tamen ſi conſenſum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non poſſe: Hoc ex peccato percuſſis, atque in peccato ſuo morientibus debet æſtimari: quia eorum percuſſio hic cœpta, illic perficitur: ut incorrectis unum flagellum ſit quod temporaliter incipit: ſed in æternis ſuppliciis conſummatur: quatenus ei qui omnino corrigi renuunt, iam præſentium flagellorum percuſſio, ſequentium ſit initium tormentorum.* Non eſt igitur bis caſtigare peccatum ac illud plectere in hoc mundo morte, & in altero pœnâ æternâ, non eſt hoc niſi idem judicium quod

incipit

Marginal notes:
s Act. 8. 26. &c.
t Prov. 1. 24. &c.
u Iſai. 58. 1
x Ier. 2. 34
y 2. Petr. 2. 22.
z 1. Cor. 6. 10.
a Hebr. 1. 14.
b Apoc. 3. 24.
c Matth. 23. 37. & 38. ex 4. Eſdr. 1. 30.
d Rom. 1. 24.
e Pſ. 9. 25.
f Gen 19. 24. & 25.
g Num. 26. 10.
h S. Aug. in Pſ. 9. 25
k Petr.
l Apoc. 1. 5
(?) Iſai. 14. 15.
m Iſai 30. 18.
n Ezech. 18. 21. & 22.
o 2. Par. 35 20. &c.
p Iuſt. Martyr. quæſt 79. ad Orthodox. in reſp.
q 3. Reg. 13. 24. &c.
r Gen. 38. 8. &c.
s Gen. 19. 1. &c.
t Naum 1. 9.
u LXX. in Naum 1.
9 citatis in indice Script. S. Greg.
x S. Cypr. de Paſſ. Chriſt. n. 9
y S. Greg. lib. 8. Mor. c. 12. in Iob
z 7. 14. (?)
a ex Ier. 7. 1.
a ex Deut. 32. 22
b Ier. 17. 18
c Iudæ V. 5. ex Num. 14. 18.

incipit in hoc mundo, *Et in peccato veſtro moriemini*: & in æternũ continuatur in altero: non eſt ergo gemina vindicta, *Non conſurget duplex tribulatio* Odiũ, quo Deum proſequuntur peccatores in hoc mundo, & odium quo adversùs eum afficientur in altero, non eſt niſi idem inceptum hoc in mundo, & continuandum quantùm ad totam ipſorum damnationem uſque æternam: dilectio Bonorum erga virtutem, & erga Dominum *virtutum* d, eſt eadem dilectio cum dilectione cœli; eam tamen incipiunt in hoc mundo, ut illam in æternum exerceant in altero e: ſic vindicta & Punitio Divina incipit in hoc mundo, ſepeliendo peccatorem in propriis offenſis, *Et in peccato veſtro moriemini.* Et continuatur in æternum, obruendo eos æterno furore. Mori igitur in peccato, eſt mori in ſtatu damnationis, mori in peccato, eſt mori obſtinatum; mori in peccato, eſt mori impœnitentem, fruſtratum propitiis effectibus Divinæ Miſericordiæ, *Nihil ita repugnat Deo, quàm cor impœnitens. Solum crimen eſt quod veniam conſequi non poteſt: ſi enim ei ignoſcitur poſt peccatum qui peccare deſiſtit; & ille flectit iudicem, qui rogat; impœnitem autem omnis ad iracundiam provocat iudicantem*, ait S. Hieronymus f. Mori tandem in peccato, eſt mori in numero reproborum, inter brachia Satanæ, quæ peccatorem deferent in infernum, ut perpetiatur ibi *ſupplicium æternum* g. Quandiu ſumus in hoc mundo, *expectat Dominus ut miſereatur* h noſtri, & noſtra diſſimulat *peccata propter pœnitentiam* i. Continuis ipſe cor noſtrum alloquitur inſpirationibus, brachia jugiter habet aperta, quibus nos amplectatur; & veniam nobis indulgeat: *Porrò, Ut ſcias Deum quotidie peccatores ad pœnitentiam provocare* (ait idem S. Hieronymus, alloquens Sabinianum) *qui ſi rigidi perſtiterint, de clemente eum ſeverum & trucem faciunt: audi Iſaia* k *verba dicentis: Et vocabit, inquit, Dominus Sabaoth in die illâ ad fletum, & planctum magnum, & decalvationem, & accinctionem cilicioꝛum. Ipſi verò fecerunt lætitiam, & exultationem, mactantes vitulos, & immolantes oves, ut comederent carnes, & biberent vinum, dicentes: Manducemus, & bibamus: cras enim moriemur. Poſt quas voces, & perdita mentis audaciam, Scriptura* l *commemorat, dicens: Et revelata ſunt hæc in auribus Domini Sabaoth: non remittetur vobis hoc peccatum, donec moriamini. Si enim peccato mortui fuerint, tunc eis remittetur peccatum; quod, quandiu in peccato vixerint, non dimittitur.*

[d Pſ. 23, 10.]
[e Ioan. 17. 3.]
[f S. Hier. epiſt. 48. ad Sabinianu. n. 5. & 6.]
[g Matth. 25. 46.]
[h Iſai. 30. 18.]
[i Sap. 11. 24.]
[k ex Iſai. 22. 12. & 13.]
[l ex Iſai. 22. 14.]

Cùm igitur peccatores impœnitentes extremum vitæ agonem peragunt, Deus, *qui omnes homines vult ſalvos fieri* m, huic ultimo intereſt tranſitui, repræſentat miſeris iſtis coronas æternas, offert eis ſuum Sanguinem, cujus *pretio magno* n ſatisfaciat juſtitiæ ſuæ pro peccatis ipſorum, eoſque ſingulos ſic alloquitur in hoc periculoſo tranſitu, in quo agitur de ſempiternâ illorum felicitate, aut de æterna eorum jacturâ, Peccator, aperi oculos mentis tuæ ſaltem in hoc anguſto tranſitu: uſque nunc ut talpa infamis fuiſti ſepultus in ſordibus & impuritatibus terræ: aperi igitur oculos tuos ut agnoſcas Creatorem tuum, conſidera coronas æternas, quas paravi veris pœnitentibus: audebiſne perſeverare in criminibus tuis: me conculcare, *& Sanguinem Teſtamenti pollutum* ducere, *in quo ſanctificatus es, & ſpiritui gratiæ contumeliam* o facere? Si mercedes habeo impendendas pœnitentibus, vindictam habeo vibrandam in induratos & obſtinatos p. Ex alterâ parte diabolus proponit his obſtinatis parum deliciarum, exiguas divitias, & aliquantulos honores, & his lenociniis doloſis ineſcatus peccator contemnit Deum, proterit pretium Sanguinis ejus, rejicit coronas, renunciat gloriæ ejus, ut tradat ſe in brachia diaboli. Miſerum hominem! Non habet alium tumulum niſi eum, quem aſſignat ei Jeremias q, *Tui verò oculi, & cor ad avaritiam, & ad ſanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad curſum mali operis.* Suam peccator impendit vitam ad rapinas, & ad ſcelera, & rebellavit contra majeſtatem Principis ſui legitimi, ut rebellis Abſalom contra David Patrem ſuum r: & poſt hæc quid poſſet prætendere? *Propterea hæc dicit Dominus, Non plangent eum, Væ frater, & væ ſoror: non concrepabunt ei, Væ Domine, & væ inclite* s. Nemo lugebit infortunium ejus, dæmones exultabunt quòd evaſerit ipſorum præda, quaſi diem feſtum agent Angeli videntes eum plecti ut inimicum Dei; ſicut & Juſti, *Lætabitur Iuſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris* t. Gaudio perfundentur homines immodico, videndo quòd terra ſit purgata ab abominationibus ejus. Sed quid tandem continget ei? *Sepulturâ aſini ſepelietur, putrefactus, & projectus extra portas Ieruſalem* u. Non habebit alium tumulum niſi ſterquilinium, cùm vixerit more beſtiæ, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* x. Adhæſit paſſionibus ſuis *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus* y. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* z. Sepulchrum animalium refertur ad ejus demerita. In corruptione peccati torpent *putrefactus*. Vermes erunt illius tumulus, *Operimentum tuum erunt vermes* a. Talis erit tumulus illius confeſtim ac *in peccato* ſuo mortuus fuerit. Noluit communicare meritis Eccleſiæ, nec uti remediis operandæ ſaluti ſuæ opportunis; morietur abſque remedio, *projectus extra portas Ieruſalem.* Id eſt, reſectus à corpore myſtico Eccleſiæ, excommunicatus tanquam membrum putridum. Iſte eſt tumulus animarum damnatarum, quem Jeremias b nobis depinxit in tumulo *Ioacim filii Ioſiæ Regis Iuda.* Quique figuratus fuit per tumulum Abſalom filii David: nam poſtquàm *adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſivit: tulit Ioab tres lanceas in manu ſuâ, & infixit eas in corde Abſalom: cùmque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. Et tulerunt Abſalom, & proiecerunt eum in ſaltu, in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis* c. Poſtquàm Scriptura deſcripſit hunc funeſtum tumulum, addit ſub finem funerum miſeri iſtius Principis, *Porrò Abſalom erexerat ſibi cùm adhuc viveret, titulum qui eſt in Valle Regis: dixerat enim, Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Erigendum ſibi ſatageret iſte Princeps adhuc vivens ſepulchrum, in quo more Regio recondendus eſſet, & memoria ipſius æterna eſſet reddenda: ſed judicium Dei privavit illum Regiis iſtis magnitudinibus, & hoc apparatu funereo, ut ſepeliretur more fœtidi cadaveris. Erat igitur Abſalom imago peccatoris: in vita ſuâ rebellaverat contra Patrem ſuum & legitimum Dominum ſuum: oportet ut ſit convenientia inter funus illius & tumulum reproborum. Ille ſepultus eſt in foveâ grandi: iſti verò ſepeliuntur in ingenti cloacâ peccati ſui finalis, *Et in peccato veſtro moriemini.* Lapidibus obrutus fuit Abſalom; & peccatorum obſtinatorum induratum cùm ſit *cor tanquam lapis* d; obruuntur iidem peccatores, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum* e, lapidibus Divinæ Vindictæ in foveâ grandi peccati ipſorum, *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum* f. Sed quid eſt hoc? Si Deus non plueret niſi *laqueos*, quis ab illis poſſet declinare

[m 1. Timot. 2. 4.]
[n 1. Cor. 6. 20.]
[o Hebr. 10. 29.]
[p Matth. 25. 34. &c.]
[q Ier. 22. 17.]
[r 2. Reg. 15. 10. &c.]
[s Ier. 22. 18.]
[t Pſ. 57. 11.]
[u Ier. 22. 19.]
[x Pſ. 48. 13. & 21.]
[y Pſ. 31. 9.]
[z 1. Cor. 2. 14.]
[a Iſai. 14. 11.]
[b Ier. 22. 18. & 19.]
[c 2. Reg. 18. 9.]
[d Iob 41. 15.]
[e Rom. 1. 28.]
[f Pſ. 10. 7.]

clinare ? Iſtâ vult nobis Deus oſtendere metaphorâ ſtatum infortunatum reproborum, quidquid habent, quidquid eis accidit convertitur in manicas ad illos vinciendos, & hæc omnia quæ habent vel illis eveniunt, tondem ſunt laquei, quibus illos diabolus intercipit, quorumque interventu ducit illos ac projicit *in foveam grandem* obſtinationis. Si divitias habent, abundântia eſt laqueus, qui docit illos ad effrænem libertatem, & ad diſſolutiones : ſi pauperes ſunt, iodigentia inducit illos ad furta, & ad eripienda bona aliena Hæc omnia oon ſunt niſi laquei, & peccata, ſigna evidentia animæ reprobatæ, quæ non habebit alium tumulum niſi proprium peccatum, brachia diaboli, ignes & flammas infernales, *Et in peccato veſtro moriemini.*

Adverſarij noſtri volunt, quòd Divinum Decretum ducat nos in ſoveam tot infelicitatum, & obruat nos lapidibus ita ſeveræ vindictæ, dicentes, nudo Dei arbitrio ad malum nos deſtinari: quaſi verò Deus, ut ſentit Calvinus & ſequaces illius, ad oſtendendam potentiam ſuam nulla habitâ ratione meritorum, aut dementorum noſtrorum, involvat nos flammis iræ ſuæ, ſepeliat nos in inferis, ut ibi nos obruat infortunijs. Deus igitur, ſecundùm dogma iſtud erroneum oovatorum noſtrorum, haberet voluntatem determinatam perdendæ alicujus è creaturis ſuis rationalibus, cùm, ex ſuppoſitione ſecundùm illos, ex nudo ſuo arbitrio decretum ferat condemnationis earum: & tamen Vicarius Jeſu Chriſti S. Petrus, cui idem Jeſus Chriſtus dedit *claves Regni cælorum* g, ait, *Dominus patienter agit, nolens aliquos perire* h. Et S. *Paulus, ſervus* ejuſdem *Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus* i illius, dixit, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri* k. Iſtæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, Deus neminem vult perdere, hoc eſt quod ait S. Petrus. Vel, Deus vult ut omnes homines ſalutem ſuam conſequantur, iſtud docet nos S. Paulus. Et, Deus perdere vult aliquem ex nudo ſuo arbitrio, hæc eſt blaſphemia Calvini & ſequacium illius. *Deus, quantùm in ſe eſt, non vult quemquam perire, ſed omnes ſalvari. Nam omnes ad pœnitentiam ac ac ſalutem hortatur, & pœnitentibus ſemper paratus eſt indulgere, nec alicui quod in ſe eſt facienti, denegat gratiam: imò per Angelos ſanctos cuſtodit ac dirigit homines, nec ex parte Dei eſt defectus ſalutis cuiuſcunque pereuntis: cùm Deus varijs modis homines ad meliora invitet*, ait Dionyſius Carthuſianus l poſt S. Petrum. Et explicans prædictum locum S. Pauli, varia affert Scripturæ loca ad conciliandam veritati iſti authoritatem, dicens, *Hoc idem alibi ſæpè teſtatur Scriptura, Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, ut pereat unus ex puſillis iſtis* m. *Et rurſus per Prophetam* n: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non ut convertatur à vijs ſuis, & vivat ? Imò intantùm vult & quaſi deſiderat Deus noſtram ſalutem, ut per alium Prophetam* o *populo impio dicat, Vtinam attendiſſes mandata mea.* Deus igitur vult ut omnes ſalventur homines, hanc veritatem docent unanimiter Apoſtoli, æquè ac Prophetæ. Deus non vult ut omnes homines ſalutem ſuam conſequantur, iſtud Calvinus ait, & ſequaces illius. Deteremuſne hæc inconcuſſa & præcipua fidei noſtræ fulcra, ut innitamur tabulæ putridæ ? extinguemuſne lumen virtutis ut innumerarum nos immergamus tenebris blaſphemiarum ? Suppoſito enim fundamento Calvini, inde infinitæ eruuntur conſequentiæ blaſphematoriæ. Sic autem illum introducit Bellarminus p loquentem, *Non ſolùm permiſſu, ſed etiam voluntate Dei homines peccare, ita ut nihil ipſi deliberando agitent, niſi quod Deus apud ſe decreverit, & arcanâ directione conſtituit.* Deinde addit Bellarminus ex eodem q, *Et dicit, Dei non ſolùm præviſione & permiſſione, ſed etiam voluntate in peccatum lapſum eſſe Adamum.* Et tandem hæc verba illius r refert, *Quod aliqui verbum Dei audire contemnunt, ipſorum eſt pravitas, ſed in hanc pravitatem à Deo addicti ſunt, ut in eis potentiam ſuam & ſeveritatem oſtendat.* Si Deus ex ſemetipſo deſtinat nos ad damnationem, parare debet media, & nos inducere ad illorum inquiſitionem : ſi prædeſtinat nos ad gloriam, dirigit nos ad media, facit nos incedere per gradus vocationis, elevat nos ad juſtificationem : ſuppoſitis autem prædictis à Calvino, inde clarè infertur, quòd Deus nos excitet ad peccatum, ſubminiſtret nobis media peccandi, & tandem quòd ſit author peccati, cùm peccatum ſit unica via ad damnationem. Innumeras ſecum trahit error iſte Calvini, blaſphemias, Quia Deus eſt Deus, ideò aliquem adjudicat ad pœnam. Blaſphemia, quæ deſtruens Divinitatem, omnia deſtruit illius attributa. Sed vellem ut diceret Reformator iſte prætenſus Eccleſiæ collabentis, qui annihilat miſericordiam Dei, & adverſatur juſtitiæ ejus, contra id quod dicitur, *Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur* s: quiſnam ſit qui condemnet nos nudo arbitrio. Eſtne Pater æternus ? Nequaquam : creavit enim nos propter gloriam ſuam, *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* t. Eſtne Dei Filius ? Non: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* u. Eſtne Spiritus ſanctus ? Minimè. *O quàm bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus* y! Invenienda eſt igitur alia via, quam docet nos Jeremias z, *Defecit ſufflatorium in igne, conſumptum eſt plumbum, fruſtrà conflavit conflator: malitia enim eorum non ſunt conſumpta. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Deus eſt ſicut aurifex, qui noſtras purgare vult animas tanquam argentum interventu ignis, ut eas reddat vaſa *electionis* a. Prophetæ & Prædicatores ſunt flabella: accendunt enim ignem Verbi Dei, *Defecit ſufflatorium.* Heu! Concionator fatigatus eſt, dirupit ſibi pulmones inter clamandum, *In igne conſumptum eſt plumbum.* Omnes induſtriæ ejus conſumptæ ſunt in fornace peccatorum, & in concupiſcentia mundi, *Fruſtrà conflavit conflator.* Invanùm operam ſuam impendit Deus, hæc maſſa, quæ credebatur argentum, manſit inter cineres, nedum purgata fuerit, eſt maſſa corruptionis, *Argentum reprobum vocate eos.* Et propter hâc impuritatem aurifex rejecit iſtud argentum falſum, *Dominus proiecit illos.* Videtis quomodo Deus neminem rejiciat, quin priùs illum examinaverit, *Malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ.* Et quomodo nihil ducat nos ad reprobationem, niſi miſeriæ noſtræ. Iſtæ ſunt viæ quæ ducunt nos ad tumulum, & æternâ nos obruunt damnatione, *Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* b.

S. Joannes c ait de Filio Dei, qui eſt *Fidelis, & Verax, & cum iuſtitiâ iudicat, & pugnat, Oculi eius ſicut flamma ignis.* Ratio iſtius eſt : Quia illuminat Prædeſtinatos luce veritatis, & accendit eos calore juſtitiæ : reprobos verò terrore concutit ſeveritate minarum ſuarum, & æternæ damnationis igne illos comburit : Deus habet lumen & amorem erga omnes ſuas creaturas, ſed illi qui manent peccati tenebris obvoluti jugiter, indigni ſunt qui contemplentur hoc lumen, & malitia ipſorum privat ipſos hâc dilectione: Deus non dignatur eos amplius intueri ſcientiâ ſuâ practicâ approbationis ; & ſi eos intuetur, ideò ut illos jaciat in flammas, *Et in peccato veſtro moriemini.*

Hæc derelictio, quam fecit Deus peccatoris, oritur è duplici causa, è majeſtate illius, & è vilitate noſtrâ, Majeſtas ejus deprimitur, & vilitas noſtra extol-

g Matt. 16. 18 & 19.
h 2. Petr. 3. 9.
i Rom. 1. 1.
k 1. Timot. 2. 4.
l Dion. Carth. art. 9. in 2. Petr. 3. 9. & art. 9. in 1. Timoth. 2. 4.
m Matt. 18. 14.
n Ezech. 18. 23.
o Iſai. 48. 18.
p Bellarm. tom. 1. lib. 4 de Notis Eccl. c. 9. citans Calvin. lib. 1. Inſtit. c. 18 par. 2
q ex Calvin lib. 1. Inſtit c. 23. par. 24.
r Calvin. lib. 1. Inſtit. c. 24. par. 14 citatus ibid.
s Pſal. 114. 5.
t Prov. 16. 4.
u Epheſ. 5. 2.
y Sap. 12. 1.
z Ier. 6. 29. & 30.
a Act. 9. 15.
b Oſee 13. 9
c Apoc. 19. 11. & 12.

extollitur. Cùm Deus vocat nos, quodam modo humiliat ſe, cùm efflagitet ut ipſum in cor noſtrum a Apoc. 3. 20. ſuſcipiamus, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* a. Agit quidquid poteſt ut flectat nos, & ut annuimus ipſi quod petit à nobis, de noſtra queritur ſævitiâ, & offenditur ob contemptum noſtrum: & videns inutiles omnes iſtas percuſſiones malorum quibus emollire conatur corda noſtra, quæ indurata ſunt *tanquam* c Iob. 41. 15. *lapis, & quaſi malleatoris incus* c, ſtricta, & ſibi recuſari à nobis in illa introitum, recedit à nobis. & deſerit nos in hâc induratione, quæ eſt cauſa infelicitatis noſtræ. Nunquam abiret à nobis, niſi eum ejiceremus, ſuſtinere non valens ut in eodem corde collocemus inimicum ipſius, cujus conſortio non poteſt ipſe ſociari, *Quæ enim participatio juſti-* f 2. Cor. 6. 14. *tiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras* f? In hoc differunt Sol corporum & Sol ſpirituum, quòd Sol corporum, illuminat indifferenter omnia; ſi autem intendenti ei cubiculum veſtrum ingredi claudans oſtium, propterea ipſum non tædet, quia g Malach. 4. 2. inſenſibilis eſt: ſed *Sol* g animarum ſua offerens lumina, ſi intuetur ſibi præcludi januam, quaſi tædio affectus ob injuriam ſibi irrogatam recedit, & deſerit peccatorem, qui ipſum renuit ſuſcipere, *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

A nobis recedit ob tres rationes. Prima eruitur à juſtitiâ ejus: Deſerit enim Deus peccatorem, videns omnes ſuas curas inutiles ad convertendum eum, & propter hanc rationem non reparavit Angelum poſt lapſum illius, ſed ſolum hominem, ut ſuprà dictum eſt. Secunda educitur è bonitate ejus: Non enim tribuitur gladius phrenetico, qui eodem perforaret gladio viſcera illius qui eum ſibi tribuiſſet: videns Deus, quòd ſi ſuas tribuit gratias peccatori, iiſdem utetur ad ipſum offendendum, & adversùs ipſum bellabit propriis bonis, bonitas ipſius ipſum inducit ad recuſandas ei eaſdem gratias, & ad illum deſerendum. Tertia oritur è ſapientiâ ejus: Sapientia, quâ mentes ſunt præditæ, cùm ſint intelligentiæ capaces, prævidet omnia quæ debent evenire; & in principio conſiliorum debet cognoſcere exitus illorum, & media iiſdem exitibus conſequendis opportuna: Deus igitur qui eſt Mens intelli- h Ioan. 4. 24. gens, *Spiritus eſt Deus* h, & qui *appendit tribus di-* k Iſai. 40. 12. *gitis molem terræ, & libravit in pondere montes, &* l Sap. 11. 21. *colles in ſtaterâ* k: & qui *omnia in menſurâ, & numero, & pondere* l diſpoſuit; ſtatuit dare gratias peccatori, quibus utatur ad operandam ſalutem ſuam; eas illi offert; ſed ſi illis uti nolit peccator, Deus ſapientiâ ſuâ videns gratias ſuas contemni à peccatore indurato, nec ſua conſilia ſortiturа ſuum finem, ſolicitatur ad illum deſerendum: quot enim ſunt homines hâc ipſâ hora, quâ vos alloquor, qui ſi non utantur gratiâ ſibi à Deo miſericorditer oblatâ, damnationem ſuam incurrent; & ſi eam utiliter inſumant, ſempiternam ſibi conciliabunt ſalutem? Sapiens intuitus quòd omnia media, quæ tentavit ad conſequendum finem ſuum, ſunt inutilia, nec ſibi ſuccedunt, ſtultus eſſet, niſi omnia deſereret: videns Deus quòd omne quod ipſe agit ad lucrandum peccatorem, eſt inutile (ignoſcat mihi Deus, ſi dicam quòd ſapienter non ageret proſequi id quod ipſe nunquam poſſet obtinere) ideò inducitur ad eum deſerendum, *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Sed cur quærimus rationes ibi, ubi quotidianam habemus experientiam? Videte hunc infirmum extremum vitæ agonem jam agentem; ſanæ mentis eſt adhuc compos quoad ea quæ ſpectãt negotia ipſius, condendum teſtamentum, diſponendas res familiares & domeſticas: ſed quoad animam ſuam, omnes ſermones ſpirituales faſtidit. Sed Domine? Nulla eſt tibi cura de animâ tuâ? Dormit, & ſurdus eſſe videtur. Ratio illius eſt: Quia renuit gratias oblatas ſibi à Deo, Deus autem nunc illum deridet, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui* m Prov. 1. 24. &c. *aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo* m. Peccatores ne vel unum momentum inſumunt ad cogitandum de Deo. Sed quid non facit amor poſſidens cor aliquod? Videte hos amaſios inſanos mundi allectos amore alicujus caducæ pulchritudinis, quotnam comminiſcuntur adinventiones ut placeãt idolo ſuo? nõ eſt aliquid cujus obliviſcantur, & quod non inſumant, atque perpetiãtur, innumeras induunt formas, nec unquã magis affliguntur quàm cùm ſuas curas intuẽtur contẽptas. Inuſitata eſt fabula illius amaſii, qui advertens, quòd ſua amaſia exigui faceret obſequia ipſius, hoc ultimum ſtatuit conſilium ut illam ad ſe amandum induceret. Quodam veſpere ivit plantatum patibulum præ foribus amaſiæ ſuæ, & in eo ſemetipſum ſuſpendit, dicens, quòd, cùm illa non amaſſet obſequia ipſius viventis, forſitan foret ea vincenda hoc ultimo affectûs teſtimonio. Deus amore noſtro ducitur, & noſtram requirit dilectionem, & videns quòd omnes curæ ſuæ ſibi ſint inutiles, ipſemet mori vult, & tentare num hâc adinventione inducere nos poterit ad ſe diligendum, & ad agnoſcendum amorem ipſius amore reciproco, *Chriſtus dilexit* n Epheſ. 5. 2. *nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* n. Corda marmorea numquid non diligetis eum, qui tantùm vos amavit ut moreretur pro vobis? Eritiſne obſtinata in criminibus veſtris? Et quomodo nõ deſereret vos? o 2. Mach. 9. 3. &c.

Mementote hiſtoriæ o quæ vobis terrorem incutiet. *Antiochus ita ſuperbè locutus eſt, ſe venturum Ieroſolymã, & congeriem ſepulchri Iudæorum eam fa-* p ex 2. Par. 14. 9. *cturum. Sed qui univerſa conſpicit* p *Dominus Deus Iſrael, percuſſit eum inſanabili & inviſibili plagâ. Vt enim finivit hunc ſermonem, apprehendit eum dolor viſcerum, & amara internorum tormenta: & quidem ſatis juſte, quippe qui multis & novis cruciatibus aliorum torſerat viſcera, licèt ille nullo modo à ſuâ malitiâ ceſſaret. Super hoc autem ſuperbiâ repletus, ignem ſpirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & gravi corporis colliſione membra vexari. Iſque qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbiâ repletus, & montium altitudines in ſtaterâ appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans: ita ut de corpore impij, vermes ſcaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fætore exercitus gravaretur: & qui paulò antè ſidera cæli contingere ſe arbitrabantur, eum nemo poterat propter intolerantiam fætoris portare. Hinc igitur cæpit ex gravi ſuperbiâ deductus ad agnitionem ſui venire, Divinâ admonitus plagâ, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus. Et cum nec ipſe jam fætorem ſuum ferre poſſet, ita ait, Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Sed numquid non dixiſti, Deus meus? *Vivo ego, nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius* q Ezech. 33. 11. *à viâ ſuâ, & vivat* q. Antiochũ pœnitet peccatorum ſuorũ. Quid plura? *Et civitate ad quã feſtinans veniebat, ut eã ad ſolũ deduceret, ac ſepulchrũ cõgeſtorũ faceret, nũc optat liberã reddere: & Iudæos quos nec ſepulturâ quidem ſe dignos habiturum, ſed avibus ac feris diripiendos traditurum, & cum parvulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur:*

tur: templum etiam ſanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis præſtiturum: ſuper hæc & Iudæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei poteſtatem. Antiochus nullam veniam conſequetur, quia ipſum non pœnitebat ex corde, ſed apparenter tantùm, timendo ne diadema amitteret, bona, & vitam; ſolamque intuebatur terram; ideò mirum non eſt ſi adverſus eum Deus eſt inexorabilis, qui ei indulgentiam fuiſſet impertitus, ſi ille verè cōtritus fuiſſet. Ha! Auditores, quandiu ſpirat in præcordijs noſtris anima, noſtrorum conſequi poſſumus indulgentiam peccatorum; ideò ritè inſumamus iſtud tempus peragendæ noſtræ ſaluti opportunum, & quo ſuas miſericordias nobis offert Deus gratias, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* r. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum* s. Quando poſſumus vacare exercitio bonorum operum, nolumus; cùm volemus iiſdem bonis operibus exercendis incumbere, non poterimus. Ideò confuſione operiamus nos & pudore, eò quòd proficuè non inſumpſerimus remedium, quod præ noſtris erat manibus, dicentes Deo, Domine, miſerere creaturæ tuæ, inſpirationibus tuis cor illius tange, ut utiliter adhibeat opportunitatem temporis iſtius, quo tuas offers illi gratias, ut tuos ita favores agnoſcat præ gratiarum actione, ut nunquam propter peccata ſua à te deſeratur, ſed ſemper tecùm ſit in hoc mundo per gratiam tuam, & in altero per gloriam tuam.

r 2. Cor. 6. 2.
s Galat. 6. 10.

Feria III. Poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Matth. 23. 3.

CUm cœlum & terra ingrediantur compoſitionem hominis, qui ex illo coaleſcit æquè ac ex iſtâ, oportet etiam ut utrumque concurrat ad benè eſſe illius, cœlum præbendo ſanctitatem, terra verò ſubminiſtrando apparentiam. Sola ſanctitas interior nobis non poteſt eſſe perutilis, oportet ut ſemetipſam exhibeat intuendam, ut unumquemque ad ſui trahat imitationem, nec illius imitari poteſt id quod ipſius oculos non ferit. Dei Filius qui erat ab æternò *Sanctus* a in cœlo, prout *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* b: cùm vellet eſſe *Sanctus Dei* c in terra: *ubi venit plenitudo temporis* factus eſt *ex muliere*, factus *ſub Lege: ut eos qui ſub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* g: ſemetipſum ſenſibilem exhibuit, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* h. Vt homines, quos volebat inſtruere cœleſtibus inſtitutionibus, intuentes ipſum, poſſent ipſum meliùs imitari, quem Pater æternus promiſerat ſe daturum *Ducem ac Præceptorem Gentibus* p. Quemque præcipit nobis ut audiamus; & Divina illius auſcultemus documenta, *Ipſum audite* q. Sanctitatem cœli ſuſcepit Dei Filius, & apparentiam terræ, factus homo in ſinu Virginis, cum *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* r *Maria.*

a Iſai 6. 3.
q Ioan. 1. 18.
c Marc. 1. 24.
g Galat. 4. 4. & 5
h Philipp. 2. 7
p Iſai. 55. 4
q Matth. 17. 5.
r Luc. 1. 28 & 38.

Prodigus ſatis demonſtravit ſe non fuiſſe magnum Philoſophum, cùm ſuo dixit Patri, *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit* s. Non efflagitat nomine iſtius ſubſtantiæ, divitias & poſſeſſiones ſuas, quas S. Joannes t nuncupat *Subſtantiam hujus mundi*, ſed ſuam libertatem, qua uſus non eſt niſi ad vivendum otioſè, & ad machinandam ruinam ſuam, ut ait S. Bernardus u, *Eſt enim anima ſub ſeipsâ, cùm propriam ſequitur voluntatem; libertate perniicioſa gaudens. Hic eſt filius prodigus, qui portionem paternæ ſubſtantiæ quæ ſe contingebat, accepit; ingenium ſcilicet, memoriam, vires corporis, cæteraque ſimilia bona naturæ: quibus non ad Divinam, ſed ad ſuam uteretur voluntatem; eſſetque tanquam ſine Deo in hoc ſæculo.* Sicut enim ſubſtantia eſt fulcrum accidentium, *Subſtantia, quia ſubſtat accidentiis*, aiunt Philoſophi: ſic libertas eſt ſubjectum omnium actionum laudabilium, aut vituperabilium hominis. Pingitur V. g. in hoc pariete miles, qui capite depreſſo in medios hoſtium cuneos irruens, pergit adducturn vitam ſuam in diſcrimen: ſeu victoria glorioſe de hoſtibus reportata; hæc ſunt accidentia, & his accidentibus paries eſt fulcri loco, minus iſte eſt ſubſtantia cui adhærent hæc accidentia, ſeu quæ iſta ſuſtentat accidentia: & ſicut videmus quòd accidentia induunt figuram ſubſtantiæ, ut color qui nullam habet figuram, capit figuram parietis cui applicatur, quadratus eſt, triangularis, ovalis, &c. ſicut paries cujus captui ſeſe accommodat; ita quidquid homo peragit, accommodat ſe libertati ejus, quæ eſt illius velut ſubſtantia; & divitiæ, & ſcientiæ non ſunt bonæ niſi ex bono uſu, ad quem inſumuntur à libertate; & inter tria genera bonorum, quæ conſtituunt Philoſophi, utile, honeſtum, & delectabile, & inter tria genera malorum quæ iſtis ſunt oppoſita, nulla ſunt laudabilia, aut vituperabilia, niſi inquantum libertas illis benè, vel malè utitur, quippe quæ illis pretium impertitur laudis, aut vituperij menſuram: omnes enim actiones ſuam deſumunt perfectionem, aut ſuum defectum; ſuum bonum, aut ſuum malum à libertate, cui ſeſe accommodant ut accidentia ſubſtantiæ. Iſtud autem quod videmus in natura, debemus etiam in praxim redigere in morali, in ſtatu politico, in œconomico, & præcipuè in Chriſtiano. In natura, videmus quòd cor reddit ſibi quodcumque ſimile; cùm ſanum eſt, convertit omne in ſe & in naturam ſuam, & communicat omni illi, quod proximè accedit ad ipſius qualitates; imò & ipſæ paſſiones, atque peccatum mutantur in bonum, & utilia ſunt bonæ voluntati, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* x. Super quod ait S. Auguſtinus y, *Quid eſt omnia, niſi & ipſas terribiles ſævaſque paſſiones? Sarcina quippe illa, quæ infirmitati gravis eſt, levis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit eſſe ſuam ſarcinam levem* z: *qualis Petrus fuit quando paſſus eſt pro Chriſto* a, *non qualis fuit quando negavit Chriſtum* b. In quo manifeſtatur Divina *Sapientia* f, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* g. Et Divina *Bonitas* h, quæ nunquam ſineret malum evenire, niſi ex eo bonum educeret, ut docet idem S. Auguſtinus i. Sicut videmus Solem lumine ſuo ſecedentes reddere exhalationes, quæ non elevabantur è terra ſurſum niſi ad ipſius radios caligne offundendos; eaſque efficere totas claras & luminoſas non ſecus ac alios Soles; apem convertere in mel quaſque res amariſſimas; è contrà verò veſpam mutare in fel ipſos flores, & ex rebus odoriferis ſuum conficere venenum, imitando mare quod in ſinum ſuum dulciſſimos ſuſcipiens fluvios, ſuam communicat illis amaritudinem: idem dicendum eſt de libertate;

s Luc. 15. 12
t 1. Ioan. 2. 17.
u S. Bern. ſerm. De Diverſ. Affect. Animæ.
x Rom. 8. 28.
y S. Aug. lib. de Grat. & Lib. Arbitr. c. 17.
z ex Matt. 11. 30.
a ex Act. 12. & c.
b ex Matt. 26. & c.
f Sap. 8. 1
h 4. Eſdr. 6.
i S. Aug. in Enchiridion. c. 11.

bertate; ipſa omnia mutat in ſeipſam, & qualis ipſa eſt, talis ſunt etiam res illæ, quas ad ſuum inſumit uſum, *Adiutorium Dei prorsùs ſi deſuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adiuvante liberâ voluntate, ſed malè. Ad hoc idonea eſt voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Cùm dicatibi, ſine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dica. Nã ad malè agendum habens ſine adiutorio Dei liberam voluntatem; quamquàm non eſt illa libera. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus n eſt*, ait idẽ S. Aug. o.

n ex Petr. 2. 19. & ex Ioan. 8. 34. & ex Rom. 6. 16. o S. Aug. ſerm. 11 de Verb. Apoſt. Rom. 2. 18.

Cùm aliàs Demetrius quendam Philoſophum in captivitatem reduxiſſet, eumq; ſpoliaſſet bonis omnibus, recenſetur petiiſſe ab illo, annon affligeretur ex eo quòd in talem miſeriæ ſe intueretur ſtatũ, redactũ. Nullo modo, reſpondit ei Philoſophus ille; quod cũq; extra me eſt, nullo me poteſt dolore afficere. Sed amiſiſti bona tua omnia, liberi tui ſũt vinculis conſtricti, filiæ tuæ inhonoratæ. Nihil mea intereſt, dũmodo libertas mea ſit integra, cùm reliquũ ſit extra me, illud ſiccis aſpicio oculis. Quid autem non deberet agere Chriſtianus meliùs edoctus in ſchola, quæ ipſum obſtringit ad ſolidã virtutem amplectẽdam, & ad dicendum, quòd libertas noſtra iiſdem perfungitur munijs erga res quæ ſunt extra ipſam, & quas ad ſuos inſumit uſus, quibus ſubſtantia intuitu accidentium, quæ ipſa fulcit, & quibus ſuam tribuit figuram. Atqui hoc quod libertas & ſubſtantia faciunt in morali, & in natura, idem Superiores, Sacerdotes, & Magiſtratus peragunt in vita civili, ſicut & Parentes in œconomica; ipſi ſuper ſe trahũt oculos alienos, & tot ipſi habẽt imitatores quot ſpectatores, qui facilè ſe accõmodant omnibus quæ ab ijs vident fieri & quales ſunt Superiores, Sacerdotes, & Magiſtratus, tales ſunt ij qui illos imitantur. Inferte hinc, Auditores, vim boni exempli, & quantùm proficiat habere bonos Superiores, bonos Eccleſiaſticos, & bonos Magiſtratus, quod probare aggredior.

Propoſitio

Siſtere in externâ creaturarum cortice, iſtud non eſt ſanè earum eximias agnoſcere qualitates: ſi in nobis ſatis perſpicaces eſſent oculi, tria intueremur in operatione omnium entium, etiam inanimatorum & inſenſibilium, finem, cauſam exemplarem, & efficientem. Finem, qui ipſa facit agere. Efficientem cauſam, quæ manum applicat operi. Et exemplarem, quam imitari intendunt. Videamus iſtud in arte, in naturâ, & in gratiâ. Incipiamus ab arte, quæ eſt omnium imperfectiſſima. Pictor aliquis ad veſtram accedit civitatem, famam ſibi vult comparare interventu alicuius operis eximii, quod agere intendit; ecce finis, quem ipſe ſibi proponit: deinde manum penicillo applicat, & tabellam aliquam elaborat, ecce cauſa efficiens: exemplaris autem eſt, cùm hanc ipſe tabellam efformat conformiter ad prædives aliquod prototypon; aut ipſe illud ſibi proponit in mente ſuâ, & ipſe eſt cauſa exemplaris eiuſdem imaginis. In natura, Granum in terram proiectum intendit ſe perpetuare, ecce finis eius; ſuum elevat calamum, ſuper quo intuendum ſe exhibet præ fronte ſpicæ maieſtate plenæ, hæc eſt cauſa efficiens: exemplaris autem cauſa eſt, quia infinita intendit producere alia grana, quæ aſſimilentur ipſi in naturâ & in ſpecie. In gratiâ Deus producit hominem, ipſe eſt illius cauſa efficiens, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* p. Manum ſuam applicat ſtructuræ huius nobilis creaturæ operandæ, ait Tertullianus q. *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, & ipſâ imprimis adſectione, quâ lineamenta* dictabat. Eiuſdem hominis finis Deus eſt, quippe qui illum propter ſuam gloriã manifeſtandam condidit, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* r. Illius eſt etiam cauſa exemplaris, quia *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* t. Cauſa eius eſt finalis, efficiens, & exemplaris, per creationem, per iuſtificationem, & per glorificationem. In creatione, producit illum, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginẽ ſimilitudinis ſuæ fecit illum* u. In iuſtificatione, inveniens quòd *denigrata eſt ſuper carbones facies* x illius per peccatum, capeſſit penicillum, id eſt; clavos ſuos, & Sanguine ſuo veluti coloribus, deformatam huiuſmodi hominis imaginem reficit, *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* y. *Et hæc quidẽ fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* z. Tandem, in glorificatione nos ſibi penitus aſſimilat, ibi veluti imagines noſtro conformes efficimur Prototypo, *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt* a.

p Gen. 2. 7. q Tert. lib. de Reſurrect. Carn. c. 6.

r Prov. 16. 4. t Gen. 1. 26. u Sap. 2. 23. x Thren. 4. 8. y Apoc. 1. 5. z 1. Cor. 6. 11. a 1. Ioan. 3. 2.

Deus igitur *qui fecit nos, & non ipſi nos*; c; & qui eſt noſter *Finis* æquè ac *Principiũ* d noſtrum, vult eſſe Exemplar noſtrum: ſed quia eſt inviſibilis, & *inviſibili* e videndo ſociari ſeu uniri non poſſunt oculi corporei, quia *Spiritus eſt Deus* f; Deos fecit viventes, id eſt, Sacerdotes, Superiores, Magiſtratus, præcipuè verò Eccleſiaſticos, quibus ipſe ait, *Ego dixi, Dij eſtis* h. Et ut ſic apparere debetis ſuper terrã inter homines ut Divinitates, vosmetipſos exhibere debetis eis exẽplar, ut, ſi ſitis perfecti in vita veſtra, & populi ut tales, id eſt, perfectos, intueantur vos, adhærẽtes moribus veſtris, ad eandẽ animẽtur perfectionẽ: quales enim ſunt Sacerdotes, talis ordinariè eſt populus; &, ſi Sacerdotes ſunt ſancti, populus utplurimùm eſt virtutibus inſtructus. Non loquor de Dominis Sacerdotibus huius Eccleſiæ, eos exiſtimo maximis inſignitos virtutibus, & quòd unuſquiſque eorum ſit *lucerna ardens & lucens* t. Dico ſolùm, quòd Sacerdotes vices agentes Dei in terra, ſemetipſos exhibere debent exemplar virtutis hominibus: ſi enim aliquid dicant, & contrarium peragant, aſſimilabuntur Scribis & Phariſæis, qui ſanctitatem præ ſuis labiis ementitam ferunt, & improperium morum ſuorum præ fronte; & virtutem non habebunt niſi apparentem, ſed vitia vera: *Dicunt enim, & non faciunt*. Populi autem qui intuentur potiùs manus, quàm linguam, qui magis attendunt ad opera, quàm ad verba, videntes quòd Sacerdotes aliquo liberiùs otio & voluptatibus, ne dicam diſſolutionibus, indulgebunt, facilè adhærebunt illis qui ipſis propoſiti ſunt ut exemplaria imitanda, rati ſe debere ſuas imitationes illis, quibus ſuas omnes exhibere tenentur reverentias.

c Pſ. 99. 3. d Apoc. c. 1. 8. e 1. Timot. 1. 17. f Ioan. 4. 24. h Pſ. 81. 6. t Ioan. 5. 35.

Aliàs *in Synagogâ erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magnâ, dicens, Sine, quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? Scio te qui ſis, Sanctus Dei. Et increpavit illum Ieſus, dicens, Obmuteſce* t. Quare Dei Filius ſilentium imponit diabolo? Nonne id, quod dicit dæmon, bonum eſt? Ratio iſtius eſt: Quia homines intuentur potiùs opera quàm verba, manus quàm linguam, & ſi homines audiviſſent loquentem diabolum, etiamſi ad propalandam gloriam Dei, ſcientes malitiam eius, potiùs adhæſiſſent modo procedendi & agendi illius, quàm utilitatem hauſiſſent è verbis eius: imitamur enim potiùs id quod videmus agi, quàm id quod audimus; ſic dicimus opera eſſe diſertiora verbis, ea perſuadere meliùs & efficaciùs quàm ſermones: quòd ſinnit,

t Luc. 4. 34. & 35.

quòd

quòd ſi Sacerdotes Deo conſecrati, & exhibiti ut ſpeculum populo intuendum, non vacent ſanctitati, & bonorum morum praxi, in vanum loquentur, & populus faciet ſicut ipſi faciunt, & non eo modo quo dicunt, & ſic tranſſumptum adhærebit imperfectioni ſui prototypi.

Sacerdotes in Scripturâ vocantur Angeli u. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Atqui ſicut Angeli ſita ſibi adinvicem communicant lumina, ut ait S. Dionyſius x, nimirum ſuperiores inferioribus: ita mali Angeli pravarum ſuarum participes efficiunt qualitatum eos qui ipſis ſunt inferiores. Videte quomodo Lucifer, qui cùm eſſet altiſsimus Angelus primæ hierarchiæ, quique ut ſic cæteros inferiores ſe debebat illuminare; tamen illos in Deum fecit inſurgere, & illorum omnimodam machinatus eſt ruinam, æquè ac ſuam conſiliot am probroſo, quàm fatali. Probroſo, quia eò audaciæ & temeritatis prorupit ut in Deum ipſum inſurgeret: ſed juſtas luit pœnas temeritatis & præſumptionis ſuæ, confuſione opertus, eò quòd tentaſſet im, oſſibile, rebellionem formando contra Dominum ſuum, ſicut cavillatur cum Iſaias y. Fatali, quoniam tertiæ partis fratrum ſuorum æquè ac ſuam molitus eſt ruinam, ut dicitur in Apocalypſi z. Quale infortunium illis contigit Angelis: imitati ſunt id quod viderunt peragi à ſuo ſuperiore, id eſt, Lucifero, & rati ſunt, ſibi licuiſſe agere eo modo, quo faciebat ipſorum Anteſignanus, & imitatio illius fuit cauſa lapſus ipſorum. Domini mei Eccleſiaſtici, conſtituit vos Deus *Principes ſuper omnem terram* a, Id eſt, veluti ſuperiores inter homines, vos eſtis inſtar illius Angeli, cavete ne illum imitemini, cùm illud probroſum vobis foret, & aliis fatale. Probroſum, quia veſtro abuteremini charactère, qui ad colendam obſtringit vos ſanctitatem, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini* b. Et *Sacerdos, quia conſecratus eſt Deo ſuo, ſit ſanctus, quia & ego ſanctus ſum Dominus, qui ſanctifica vos* c. Et injuriam irrogaretis miniſterio veſtro, quod obſequio Altarium vos alligat, recedentes ab honorabilibus officii veſtri muniis, ut vacaretis exercitiis quæ illud inhonorant: probroſum, inquam, vobis. Et fatale aliis, qui perditionem incurrunt, veſtris inhærentes veſtigiis. Parentes, liberos veſtros projicitis ſuper campanilia aut ſpeculas tintinnabulares Templorum noſtrorum brachio argenteo, attendite vobis; ad obſequium Eccleſiæ deſtinatis filios veſtros pravis inſtitutos moribus, obeundis Eccleſiaſticis miniſteriis inidoneos, otioſos & nequam adoleſcentes: quid autem expectare poteſtis ab illis? Nihil ſanè niſi fortè formidare ut ab illis oriantur ſcandala: ad reddendum *rationem* d ſcandalorum, quæ illi patraverint, vos compellet Deus. Suam operantur ruinam, & ſecum invehunt aliorum iacturam malis ſuis exemplis: Angeli ſunt, ſed Luciferi trahentes *tertiam partem ſtellarum cœli* Eccleſiaſtici, cùm nihil ſit damnoſius Eccleſiaſtico ſcandaloſo & malo Sacerdote.

Monet nos Dei Filius ut fideles nos exhibeamus obſervatores doctrinæ illorum; ſed ne operibus eorum noſtras conformemus actiones, *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundùm verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* Obſervat Evangelium, quòd duabus vicibus, quibus eſt locutus Pater æternus in gratiam Filij ſui, in fluvio Jordane, cùm baptizavit eum S. Joannes Baptiſta; & in monte Thabor in glorioſâ eius transfiguratione, ſingulis illis vicibus ambabus, dixit, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* e. Sed in monte Thabor, verbis prædictis addit, *benè*, &, *ipſum audite* g. Quare autem non dicit Pater æternus in fluvio Jordane, *Ipſum audite*, ſicut dicit illud in monte Thabor? Ratio iſtius eſt: Quia in fluvio Jordane Salvator apparet ut peccator, remedium capeſſit peccatorum, cùm baptiſmus, quem ſuſcipit, eſſet propter peccatores inſtitutus: & licèt ipſe *eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*: apparebat tamen ut peccator, & talis erat apparenter, cùm peccatoria præ ſe ferret inſignia, & remedium ſuſciperet. Propterea non ait Pater æternus in fluvio Jordane de Filio ſuo q, ſicut in monte Thabor, in quo *transfiguratus eſt, & reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix, Ipſum audite* r. Quia hîc in monte Thabor, apparet totus innocens, totus divinizatus, & ut ſic illum nobis exhibet Magiſtrum; ut diſcamus, quòd illi, quos imitari debemus, debent eſſe ſancti & innocentes ab omni maculâ, inſtar Filii Dei, ſi fieri poſſit. Propterea S. Chryſoſtomus f ſalutaria iſta ſubminiſtrat Sacerdotibus monita ſingulis, *Meminerit ſe ſpeculatorem eſſe cunctorum, ut ovibus paſcuas ſalubres tribuat, agnis puri fontis undas exhibeat, exterminet ab ovibus lupos, ab agnis nocivas beſtias excludat, vulneratos curet, errantes revocet, ignaros inſtruat, erigat lapſos generaliter omnes, ſpecialiter ſingulos doceat, ſua vita provocet univerſos exemplo. Sit eius doctrina duplex, ut verbis facta conveniant, actus doctrinæ reſpondeant, in nullo ſit minor, qui cunctis eſt potior. Chariſmatibus fulgeat, ſplendeſcat officiis. Sit cum authoritate humilis, cum humilitate ſublimis. Nec ideò ſit melior, quia maior; ſed ideò maior, quia melior. Multiplicet populos, & eos docendo meliores faciat, quàm accepit. Sic fit, ut dum hominibus ferventer inſiſtit, Dominum ſibi conſtituat debitorem.* Sic præcipit nobis hodie Dei Filius ut attendamus nobis à Scribis & Phariſæis, ne ſcilicet adhæreamus modo agendi eorum, ſciens apprimè quòd exemplum Superiorum & Sacerdotum magnam ſibi vendicat authoritatem ſuper animos inferiorum, qui facilè ſe accommodant captui illorum, quæ vident peragi ab illis, qui ipſis propoſiti ſunt ut exemplaria imitanda. Sic obſervat Scriptura, quòd *poſtquàm crucifixerunt* Dei Filium carnifices, *obſcuratus eſt Sol* t. Id eſt, eclypſi miraculoſâ, quam vidit & obſervavit S. Dionyſius u cùm eſſet tunc Heliopoli civitate Ægypti cum Apollophane qui illam pariter advertit, qui Divinus Doctor ait, loquens Polycarpo de Apollophane iſtâ *de defectione Solis, quæ cùm Servator in Crucem actus eſt, extitit, Eramus enim unà ambo, & ſtabamus ad Heliopolim, ac cernebamus nec opinatò, cùm Luna ſe Soli obijciebat: neque enim coniunctionis tempus erat: rurſuſque cùm eadem ab horâ nonâ ad veſperum ſe media Solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat. Hæc ſunt mirabilia illius temporis, quæ Chriſtus Author rerum omnium efficere ſolus poteſt, qui facit magna & mirabilia, quorum non eſt numerus* x. Peto autem; quare obſcuratus eſt Sol. Ipſe, quem fecit Deus *luminare maius, ut præeſſet diei* y. Ratio illius eſt: Quia Sol quaſi conſiderans quòd homo eſſet Dominus ſuus in terrâ, *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius* z: & quòd ipſe non eſſet deſtinatus niſi ad obſequium eius, & utilitatem; intuitus eum ut ſuperiorem ſuum, con-

u Malach. 2.7.
x S. Dion. lib. de Cæl. Hier. c. 7.
y Iſai. 14. 12. &c.
z Apoc. 12. 3. &c.
a Pſ. 44. 17.
b Iſai. 52. 11.
c Levit. 21. 8. &c.
d Luc. 16. 2.
e Matth. 3. 17.
g Matth. 17. 5.
q Hebr. 7. 26.
q Matth. 3. 17.
r Matth. 17. 1. &c.
f S. Chryſoſt. Hom. de eo qui incidit in latrones, ex Luc. 10. 30. &c.
t Luc. 23. 33. & 45.
u S. Dion. epiſt. ad Polycarp. contra convicia Apollophanis.
x ex Iob 5. 9.
y Gen. 1. 16.
z Pſ. 8. 7.

conabatur in omnibus illi adhærere, & captui ejus ſe omnino accommodare: videns igitur quòd tempore Paſſionis Salvatoris, defecerat ab obedientia Deo debita homo, ipſe ratus eſt ſibi licuiſſe ſeſe diſpenſare ab illuminanda terra, etiamſi id agere deberet præ miraculo, nec iſtum defectum luminis ſibi imputandum in crimen, eò vel maximè quòd adhæreret exemplo illius, qui ſibi Dominus fuerat conſtitutus, *Sol occidit ſacrilegio, vel refugit, ut funeſti ſpectaculum ſceleris obumbraret*, ait S. Ambroſius †. Sua judicavit ſuo modo ſe potuiſſe detrahere lumina Sol, & deſiſtere ab exequendo officio ſuo, quod ſitum eſt in illuminandis hominibus, æquè ac cæteris rebus ſublunaribus, cùm homo, quem agnoſcebat aliquo modo ut Dominum ſuum, ab obedientiâ veri Domini ſui receſſiſſet. Unde videtis quantùm noceat malum exemplum eorum qui ſunt in aliquâ dignitate conſtituti, quomodo ſuos poſt ſe trahant inferiores & ſubditos, qui ipſos intuentur ut prototypon ſuarum actionum, & autumant licere ſibi imitari id omne, quod adverterint ab illis exerceri & peragi.

† S. Ambr. l. 10. in Luc. 23. 45.

Ingens eſt infœlicitas Magnatum, & Magiſtratuum, & Superiorum videre quòd exemplum ſuum vitio conciliet authoritatem, & neminem pudere ampliùs malum agere confeſtim ac credit ſe participare fortunam Magnatum, communicando vitiis eorum. Bonus Magiſtratus oſtendit ſubditis ſuis quomodo benefacere debeant, & licèt magnus ſit ſuperioritatis titulo, major etiam & potentior eſt vi boni exempli ſui. Sic eſt, vos *qui docti* eſtis, fulgere debetis *quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* a. Ex honore veſtrarum influentiarum pendet tota diſpoſitio orbis univerſi: ſi eæ ſunt bonæ, ſanitatem ipſæ ſecum invehunt, lætitiam, & vitam in totum orbem; ſi verò malæ ſunt, ipſæ peſtem & venenum in ipſam vel Dei domum inferunt. Populus eſt veluti mare, vos verò eſtis quaſi venti qui illud mare elevatis & deprimitis cùm vobis placet. Populus & inferiores aſſimulantur polypo piſci marino, qui colorem mutat juxta diverſitatem objectorum, vos verò eſtis ſicut rupes quibus illi adhærent, eiſque colorem tribuitis quem vultis: populus habet cor teſteum, aut cereum, vos autem eſtis quaſi figuli, qui illi figuram imprimitis eam, quæ magis vobis arridet. Heu quale crimen! cùm vitium tranſire facitis in legem malis exemplis veſtris. Neminem pudet ampliùs ei vacare, confeſtim ac intuetur vos illi indulgere impunè, & præ gloria, *Deſinunt eſſe probri loco purpurata flagitia*, ut dicitur. Vitia non apparent ampliùs vitia cùm diademate ſunt redimita, & purpureo operta pallio in illis, *qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum* b. Eſt collocatis ſuper theatro ut ibi honores & applauſus ſuſcipiant, illis conciliatis authoritatum interventu praxeom pravarum veſtrarum, quæ ducunt in perditionem omnes illos, qui vos imitantur. Præcipitium aperitis, & Deus à vobis exigit *rationem* c animarum quæ in illud labentur.

a Dan. 12. 3.

b Prov. 2. 14. & 15.

c Luc. 16. 2.

Nunquam fortiorem præ ſe tulit infernus machinam ad provehendum genus humanum in confuſiones innumeras, & in libertatem patrandorum omnium criminum effrænem, quàm proponere ei pravum Magnatum exemplum. *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* d. Facilè inducuntur ad imitandum id, quod vident fieri, & exiſtimant ſe poſſe impunè agere id, cui vacant Superiores: dæmones igitur ut abſque horrore facilem eſſe perſuadeant vitiorum pratticam, intuendos exhibent deos qui illa perpetrant, ut gloria evitatur ex eorum imitatione. Propterea aliàs propoſuerunt Ethnicis Iovem adulterum, Venerem impudicam, & Martem ſanguinarium, quaſi dixiſſent, Dii, quibus altaria erigitis, & quibus ſupremas exhibetis adorationes, perpetrarunt hoc & illud, eſtiſne meliores illis, nedum ſimilia perpetretis? Ita ut unuſquiſque clauſis oculis & laxis habenis ad vitium currat, illudque quaſi velo obtegat aureo, *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium* e. Eſtne aliquis adulter? Jovem intuetur adulterum, & ex idolo falſi numinis ſui, concupiſcentiæ ſuæ fomitem eruit, & alit. Quid fatalius Magnatibus quàm ſeſe ſubditis exhibitu quaſi tabulam, per quam ad vitium tranſeant ipſorum inferiores? Parentes, elevare vultis liberos veſtros, promovere ſatagitis eos ad dignitates, in illis meliùs ſuam oſtentabunt inidoneitatem, ibi meliùs ſuos manifeſtabunt defectus, cùm hoc infortunium ſecum invehat magna fortuna ut nihil abſconditum poſſit perpeti. In vitâ privatâ non attenduntur imperfectiones hominum, ſed confeſtim ac quis in dignitatem elevatus eſt, omnium oculos ſuper ſe attrahit. Et ſicut videmus, quòd nemo attendit ad eclypſes ſtellarum; ſed ſi Sol eclypſim ſuſtineat, unuſquiſque eum admiratur, & tot habet ipſe teſtes defectus ſui luminis, quot ſunt homines qui illius ſe exhibent ſpectatores: ſic Domini mei, vos eſtis Soles myſtici, *Vos eſtis lux mundi* f. Si eclipſis vos ſuffundat quoad ea quæ virtutis ſunt, nemo eſt qui non intueatur vos, & conſcii eſtis ſcandali, quod pravo veſtro ſubminiſtratis exemplo. In hoc quippe eſt infortunata Magnatum conditio, ut nihil poſſint agere, quin cenſuræ omnium ſubditorum ſuorum exponatur, totque habeant teſtes, quot oculos qui ipſos inſpiciunt: ſi vitioſi ſunt illi, univerſim omnes inferiores illud ſciunt; ſi verò homo in privatâ vita conſtitutus, circa aliquid delinquat, ad illud nemo attendit. Si celebris aliquis Magiſtratus, aut Nobilis, aliquem locum adeat infamem, unuſquiſque de eo loquitur, famuli ejus ſciunt quàm illicita ſint illius commercia, quæ celare non poſſunt, ſed è contrà illa propalant; Dominus N. pergit illuc, prætereuntes vicum, & intuentes currum ante aliquod proſtibulum, petunt, Cujus eſt iſta quadriga? Eſt Domini N. Quid eſt hoc? Utquid Dominus N. talem convenit domum? Quid habet ibi pertractandum. Omnia ſcire volunt, occultas illius pervadunt intentiones, de conſiliis ejus judicant, & notitiam criminis illius ſibi comparant. Sic cùm obſervatur aliquis Eccleſiaſticus, Sacerdos, aut Religioſæ vitæ Cultor frequentiùs quàm ſit par aliquam adire domum, vulgò dicitur, Quid habet ille ibi agendum? Eſtne in eâ fortè aliquis infirmus, cui adminiſtranda ſint ab eo Sacramenta? Nequaquam. Quid igitur? &c. Si quis conditionis elatioris frequentet aliquam puellam ſortis depreſſioris, dicit unuſquiſque, Non vult ille eam ducere uxorem, nulla eſt proportio inter utriuſque progeniem; quare ergo? &c. Infœlices homines complaceitis vobis in amicitiis veſtris? Placetis vobis ergo in ruinâ veſtra, unuſquiſque de vobis ſermones vobis injurioſos miſcet, quandiu autumatis vos occulta eſſe commercia veſtra.

d Gen. 8. 21.

e Jer. 8. 6.

f Matth. 5. 14.

Scriptura ſacra loquitur de illuſtri muliere quæ ſuos tranſegerat dies nedum detractio aliquid deprehendiſſet arguendum circa famam ejus, quia erat illa valdè de honore ſuo ſolicita, æquè ac ipſa erat valdè honeſta: tamen *cùm duo Presbyteri pleni iniquâ cogitatione adverſus Suſannam, ut interficerent eam*, teſtimonium falſum protuliſſent, *credidit ei* multi-

multitudo quaſi ſenſibus, & Iudicium populi, & condemnaverunt eam ad mortem g. Unde videtis quomodo exemplum Magiſtratuum potenter agit ſuper animos populi, qui ſemper imitatur id, quod intuetur ab illis agi, & illas conformat actiones ad prototypon, quod ipſis eſt propoſitum.

g Dan. 13. 41. & 41.

Theologia docet, quod Deus beatus eſt intuendoſe h, totam ſuam habens conſtitutam fœlicitatem in ſe, in quo omnia alia inveniuntur, cùm ipſe ſit Idea omnium quæ extra ipſum ſunt, eſſe in lapidibus, vegetativus in plantis, ſenſibilis in animalibus, rationalis in hominibus, & intelligentiæ in Angelis: Parentes, idem de vobis peragitur in domibus veſtris, liberi veſtri, domeſtici & famuli veſtri intuentur vos ut ſuum prototypon; quomodo autem vultis ut liberi veſtri bonis ſint inſtituti moribus, niſi eis bonum ſubminiſtretis exemplum? Parentes jurant, liberi addiſcunt blaſphemare: patres tabernis ut plurimùm interſunt inter eſculenta & poculenta, & filij, inſtar eorum, ebrietati indulgent, æquè ac crapulæ, talis eſt filius qualis eſt pater: mater verò quæ pompaticè inducit ſe coram filiâ ſuâ; quæ fucis, pigmentis, & ſtibijs faciem ſuam lavat & inungit, nunquid non exemplo ſuo pravo filiæ ſuæ perſuadet ut ſuo procedendi adhæreat modo? nunquid non edocet eam, imò verò nonne præcipit illi ut vanitati incumbat? ipſa verò videns quòd mater ſua ſibi complacet in amicitiis ineundis cum amaſiis, ſibi pariter & ipſa illud licere autumat, & ſe poſſe facere id, quod matrem ſuam videt agere. Heu infœlices! produxiſtiſne liberos ut illorum latera gladio perfoderetis, & eis mortem inferretis animæ æquè ac corporis? Heu matres infortunatæ ſiccine virtutem amplecti filias edocetis veſtras? Illas in vitia immergitis antequàm illorum ſibi ex notitiam comparaverint. Deus mi, eripe creaturam è conſpectu noſtro, non eſt illa, fidelis idea, cùm in errorem nos poſſit inducere; nullum volumus prototypon præter te, qui es *Sanctus* i cœli, & ut ſenſibilis fieres, apparens effectus es, homo factus; tuis adhærere volumus actionibus, imitari exempla tua, conformare nos huic Prototypo, ut poſtquàm imitati te fuerimus per gratiam tuam, participes efficiamur gloriæ tuæ.

h Pſ. 2. 7.

i Iſai. 6. 3.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. Quadrageſimæ.

Dic ut ſedeant hi duo filij mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit, Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem Ego bibiturus ſum? Matth. 20. 21. &c.

Sicut corpus quod eſt terrenâ mole prægravatum, & corruptibile, terram habet pro centro ſuo; ita mens quæ tota eſt ſpiritualis, & à corporeæ concretionis labe eſt immunis, cœlum ſibi vendicat pro ſuo centro: & veluti oportet ut ſpiritus aſcendat, quò perveniat ad centrum ſuum; ſic requiritur ut corpus deſcendat, quò accedere poſſit ad ſuum. Deus qui eſt omnium ſpirituū longè nobiliſſimus, *Spiritus eſt Deus* a: hunc immutavit ordinem, cùm deſcenderit in infimas centri terræ regiones, ut inde edoceret hominem capeſſere viam humiliationis & deſcenſus, qui conatu ambitionis immodicæ ſurſum volebat aſcendere; cùm deſcenſus via ſit ad aſcenſum, & humiliatio pandat aditum ad exaltationem, ut ſuo demonſtrat idem Dei Filius exemplo, *Quòd autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cœlos* b. S. Bernardus g ait, Mariam fuiſſe centrum Dei in terrâ, *Chriſtus operabatur ſalutem noſtram in medio terræ* h, *in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cœlo, ut reſarciantur: & qui in inferno*, (id eſt, in purgatorio) *ut eripiantur: qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur* i: *qui ſequuntur, ut glorificentur.* Propter hunc eminentem finem in hoc centro Mariæ invenit Archangelus Dei Filium cùm *ad eam dixit, Ave* k *Maria.*

a Ioan. 4. 24.

b Epheſ. 4. 9. & 10.

g S. Bern. ſerm. 2. in die Pent.

h ex Pſ. 73. 12.

i Eccl. 16. 18.

k Luc. 1. 28.

Cæmeteria noſtra, quæ turgent corporibus, quibus morbi intulerunt mortem, & vaſtitates quæ ipſe noſtris intuendas exhibent oculis in univerſo orbe, quæque cauſatæ fuerunt à ſtrage peſtis alicujus quolcumque obvios depopulantis, multos inveniunt homines qui ipſis adhærentes, contendunt febres eſſe aliquando utiles vitæ humanæ, juxta ſententiam aliquorum Medicorum, & morbos eidem perſæpè proficuos. Soli Stoici in ſcholis ſuis paſſiones damnant, eaſque veluti hominis noxias exſturbant, *Stoicis, cadere ullas omnino paſſiones in Sapientem non placet: eò quod nullum bonum volunt eſſe hominis præter virtutem tanquam artem benè vivendi*, ait S. Auguſtinus. Licèt verè ſint illæ veluti aculeus qui nos ſtimulet ad virtutem majori ardore amplectendam, cùm puſillanimi, qui perſæpè deperirentur, animentur ad illam proſequendam ſuo fulti ſubſidio, ut docet idem S. Auguſtinus l, *Mens eis ipſa dominatur, eiſque non conſentiendo, ſed potiùs reſiſtendo regnum virtutis exercet. Non eſt nunc neceſſe copioſè ac diligenter oſtendere, quid de iſtis paſſionibus doceat Scriptura Divina, quâ Chriſtiana eruditio continetur. De eo quippe illam ipſam mentem ſubjicit regendam & adjuvandam, mentique paſſiones ita moderandas atque frænandas, ut in uſum juſtitiæ convertantur.* Inter paſſiones dantur aliæ quæ lentè procedunt, ut ſpes, triſtitia, & timor, & iſtæ indigent calcari, quo ſtimulentur: aliæ impetu rapiuntur ac violentiâ, ut amor, ira, & odium, & hæ requirunt frænum quod ipſas coerceat, iſtud autem peragit prudentia. Quòd ambitio ſit juſta, utilis, & neceſſaria, hoc videmus in artibus, in ſcientiis, & in generoſis animis quos ipſa inducit ad eximias aggrediendas actiones, quique otio torperent & humi reperent, deſtituti hoc motivo quod ipſos facit agere. Videte quomodo miles capite depreſſo in medios hoſtium cuneos irruat intrepidus, advertens ſe aſpici à ſuo Principe, qui generoſitati ipſius poſſit debitam mercedem impendere, & magnanimitatem ipſius ore pleno propalare. Abſque hoc motivo nullum eſt amplius bellum, & pax eſſet pudor & puſillanimitas, milites è prælio regrederentur, nec ullus eſſet qui vitam ſuam vellet in diſcrimen adducere, & periculo exponere inter gladios, catapultas, haſtas, & tormenta bellica: unuſquiſque in vita tranquillâ quietem quæreret, nec ſe occaſionibus implicaret medijs; quæ illam ſolitæ ſunt eripere: Hæc ambitio glorioſa generoſiſſimos quoſque Duces medias pervadere facit labefactiones munium haſtis & lanceis velut hirſutas, & catapultis ac tormentis bellicis circumcinctas & muni-

l Aug. lib. 9. de Civit. Dei. c. 5. & 4.

tas: illuc eos non inducit merces, cùm ſolos ictus ſibi prævideant infligendos lethiferos. nec ſolus reſpectus humanus efficit ut vitam ſuam in manifeſtum profligandæ illius diſcrimen adducant; ſed ſolâ ducti ambitione, generoſi animi ſui ſpecimen exhibere intuendum contendunt. Singulis operatur diebus ars prodigia, & quaſi miracula, cùm videamus artifices ambitione ductos certatim opera peragere eximia, quæ veluti tubæ evehant & propalent gloriam & induſtriam ſuorum authorum: & Gallia perhibetur obſtricta propter ſuam ſcientiam Franciſco I. qui recenſetur in Regnum ſuum peritiſſimos & doctiſſimos viros tempore ſibi ſoppares vocaſſe; qui omnes viri literati deſcribendis ejus incubuerunt mentis; & deinde ij qui ſecuti ſunt, intuitô virtutem ſic pompaticè ſuſceptam, hoc ſtimolati gloriæ calcari, operati ſunt mirabilia, nec ullus eſt qui prædivitem aliquam fortitus fuerit mentis qualitatem, qui eam per pennam ſuam tranſire non ſatagat, ut auras populares aucupetur, & famam ſibi conciliet, cujus interventu omnibus ſecuturis deinceps vivere poſſit ipſe ſeculis. Ita ut ambitio ingentes iſtas impellat naves ad committendas ſe alto pelago, cùm explicata ſemel turgere facit hic ventus ambitionis, ipſarum vela: folliculi ſunt, qui nunquam meliùs à terrâ elevantur, quàm cùm meliùs ſunt vento repleti; aut ſimiles ſunt organis, quæ nunquam reſonarent, niſi intra ipſorum tubos perflaretur. Quin etiam ipſæ virtutes vel Ethnicæ hoc ſpiritu vanitatis & ambitionis fuerunt animatæ; & ſi Gentiles à veræ virtutis viâ, æquè ac notitiâ aberrantes, aliquid peregerunt boni, ad illud exercendum inducti ſunt ab hoc principio. Ita verum eſt quòd in politiâ, & in morali, ambitio operatur id omne quod eximium eſt. Quomodo igitur renueret ſuum aliquis applauſum cauſæ, quæ tot ubique operatur mirabilia, & ſine quâ omnia entia torperent otio, quod ipſis ſuo modo improperaret impotentiam ipſorum ad agendum, & crimen, quaſi non auderent aliquid aggredi? Etiam ſi illud ita ſit, dico tamen quod ambitio in Chriſtianiſmo crimen ſit, & quòd nemo poſſit ſe elevare mediâ illius viâ quin criminoſus evadat, quia Dei Filius *humiliavit ſemetipſum*, ut nobis exemplum præberet humilitatis, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* m. Propterea hujus humiliationis ſuæ futuræ ſeriem exponit hodie diſcipulis ſuis, *Et ait illis, Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandū, & crucifigendum.* Ut humiliatione ſuâ eis propoſitâ, pandat eis viam ad ſectandā humilitatē, & ad fugiendam ambitionē, his verbis, quibus invehitur in duos ambitioſos ex illis: *Neſcitis quid petatis.* Quia Primò ambitio eſt contraria quieti corporis. Secundò, Quia noxia eſt ſaluti animæ, ut oſtendam vobis in duplici diſcurſus iſtius parte.

m Philipp. 2, 8.

Diviſio]

I. Pars.

Conſilia naturæ & gratiæ ſunt ita differentia, ut ſolæ cognoſcendæ ſint earum diverſæ viæ, ut earumdem agnoſcantur variæ affectiones. Natura quæ naſci nos facit in ſterquilinio, id eſt, in conditione miſerâ & egenâ, elevat nos, ut meliùs ſuas abſcondat miſerias, quaſi ipſam pudeat priſtinæ ſuæ impotentiæ; & conatu, qui ipſi ſuccedit aliquando ultra ipſius expectationem, æquè ac ipſius conſilium, educit nos è caſulis, ut collocet nos in palatiis, & efficit ut vomerem aratri mutemus in ſceptra & in diademata, volens hâc recenti magnitudinis novitate offundere caligine id omne quod erat priſtinæ noſtræ conditionis ignobilis, quod primæ noſtræ nativitati probroſum erat; elevat nos igitur è depreſſione ad magnitudines, & è caſulis ſuper thronos, quandiu gratia viam ſequitur oppoſitam, & ab iſta naturæ via valdè differentem: nobis enim dans *poteſtatem filios Dei fieri* †, & noſtram educens è cœlo originem, projicit nos è magnitudine ad depreſſionem, & è vita ad tumulum: ſic enim Evangeliſta inſignit Baptiſmum nomine regenerationis ſpiritualis & tumuli ſimul, ſecundùm expoſitionem Dionyſii Carthuſiani q, & mentem Apoſtoli r. Gratia igitur reclinari fecit Dei filium in *præſepio* s. Et è *throno Regni* t ſui idem *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* u, gratia duce deſcendit, *Et baiulans ſibi Crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* x. Quæ Crux fuit ipſius thronus, *Dominus regnavit à ligno*, ut vertunt S. Auguſtinus y, S. Cyprianus z, & Tertullianus a, &, ut Eccleſia canit,

Regnavit à ligno Deus.

E fœlicitate, qua fruebatur Dei Filius ab ipſo primo ſuæ nativitatis exordio, imò etiam qua potiebatur *in ſinu Patris* ſui, gratia eum addicit miſeriis ſubeundis in Cruce, quam deſignavit ei ut propriæ thronum magnitudinis.

† Ioan. 1. 12.
q Dion. Carth. art. 8. in Ioan. 3. 5.
r Rom. 6. 3. & 4.
s Luc. 2. 7.
t Dan. 7. 9.
u Ioan. 1. 18.
x Ioan. 19. 17. & 18.
y S. Aug. in Pſ. 95. 10.
z S. Cyprian. de mont. Sinæ & Sion. n. 49.
a Tertul. lib. 3. contr. Marcion. c. 19. ex pſ. 95. 10.

Natura igitur ſuas extollit productiones, gratia verò ſuas deprimit, è magnitudine projiciens eas in depreſſiones, quandiu natura ſuas è depreſſionibus ſuper thronos evehit. Videte quomodo illa ſit ambitioſa, ut colligitur ex Evangelio noſtro, ſecundùm expoſitionem Dionyſij Carthuſiani b, Videte cæcitatem matris iſtius æquè ac filiorum ejus, qui pervenire voluerunt ad honores per viam contemptûs, & comparare ſibi magnitudines mediis depreſſionibus. Præcipuè verò admiramini temeritatem hujus mulieris ambitioſæ petentis duas ſedes principes pro filiis ſuis. Magdalena, hæc amans ſacra, quæ *dilexit multùm*, quæque tantis diffluxit *lacrymis*, *pedes* g Domini ſui poſſidere ſategit & collocavit ipſa ſe in hoc throno honoris, *Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Maria optimam partem elegit, quæ non aufertur ab eâ* h. Quantùm ad dexteram, pertinet illa ad Chriſtum, *Dominus Ieſus ſedet à dextris Dei* i. Sive conſideretur quatenus Deus, ſeu attendatur prout homo Deus: ſicut Deus enim, æqualis eſt Patri ſuo, *Ego & Pater unum ſumus* k. Suam ſuſcipit ab æterno Filius à Patre naturam, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* m. Debet igitur Filius eſſe propè Patrem, & ſedere *à dextris* n ejus. Quatenus homo Deus etiam per admirabilem hanc unionem hypoſtaticam, qua *Verbum caro factum eſt* o. Cum natura humana Chriſti nullum habeat ſuppoſitum niſi Verbum, debebat eſſe cum illo: ſicut Jeſus Chriſtus prout Deus, eſt propè Patrem ſuum, ita Verbum, humanitas illius, & Virgo Deipara, è qua humanitas hæc ſacra educta eſt: propterea dextera Dei debetur etiam Virgini ſanctiſſimæ; & tamen *mater filiorum Zebedæi* ita eſt ambitioſa ut petat illam pro filiis ſuis. Ratio illius eſt: Quia ambitio ſemper vult aſcendere, non reſpicit ipſa quod habet, ſed quod intendit habere, ſemper inquieta, ſemper commota, ita ut etiam corpus alteret, ut patet ex dictis ſuprà de decem reliquis diſcipulis, qui *indignati ſunt de duobus fratribus, hoc eſt, contra eos commoti ſunt*, &c. Hinc exclamat S. Bernardus p, *O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques, & omnibus places? Nil acerbiùs cruciat, nil moleſtiùs inquietat: nil tamen apud miſeros mortales crebriùs negotiis eius. An non limina Apoſtolorum plùs iam ambitio, quàm devotio terit? An non vocibus eius veſtrum totâ die reſultat palatium? An non quæſtibus eius tota Legum, Canonumque diſciplina inſudat? An non ſpoliis eius, omnis Italica inhiat inexplebili aviditate rapacitas?*

b Dion. Carth. art. 34. in Matt. 20. 20. &c.
g Luc. 7. 47. & 38.
h Luc. 10. 39. & 42.
i Marc. 16. 19.
k Ioan. 10. 30.
m Pſ. 2. 7.
n Pſ. 109. 1.
o Ioan. 1. 14.
p S. Bern. lib. 3. de conſid.

In

Digitized by Google

In hoc eſt ſita quies ut quis ſuis limites præfigat conſiliis & deſideriis: atqui ambitioſus intuetur ſemper id quod non habet, nedum ipſi faciat ſatis id quod poſſidet: quomodo igitur perfectâ potiri poſſet requie? Agricola ſuum deſerit aratrum, ut catapultam capeſſat milites; miles ſuam mutare vult catapultam, & ſui Ducis haſtam ſibi vendicare; Dux effici deſiderat Tribunus militum, aut Magiſter equitum; & iſte evadere cupit totius exercitus Dux Generalis: poſt hæc ſuntne contenti? fuitne factum ſatis illorum deſiderijs? Nequaquam. Ambitio eſt genus ſcabiei, ipſa eſt morbus ferè inſanabilis, nobis innatus ab ipſis vel incunabilis, & nos ad tumulum uſque comitans: ſemper volumus aſcendere; multum, eſt parum ambitioſo; & totum, ei non ſatisfacit.

Alexander, generoſus ille Monarcha, ſed ſic ambitioſus, totum ditioni ſuæ ſubjicit orbem, nec tamen eſt contentus; leges vult etiam mari decernere, & poſt ſubjectam dominio ſuo univerſam terram, maris etiam ſibi vult reverentias conciliare, quod intendit ipſe vaſſallum ſuum conſtituere, & ab eo veluti obſequia ſuſcipere; propterea in lacrymas erumpit, eò quòd novos Regno ſuo non habeat mundos ſubjiciendos. Quàm inquietum eſt triumphatoris cor! Omnes orbis magnitudines cordis hujus vaſtas explere non poſſent extenſiones, nulla fruitur requie, aſpirat ſemper ad id, quod nõ habet præ deſpectu illius quod poſſidet. Nemo potiri valet quiete, niſi conſilijs ſuis præfigat terminos, & deſiderijs ſuis ambitioſis limites imponat: & qui hoc firmiter ſtatuerit in corde ſuo, felicitate potitur inexplicabili, quantùm poteſt quis experiri eam in terrâ; immunis ab ambitione, contentus eſt, licèt ſuper palea ſit conſtitutus, & in ſterquilinio jaceat, & felicior in hoc ſtatu miſeriæ apparentis, quàm ſint ſupremi Principes in thronis ſuis, & quilibet Magiſtratus, Superiores, & Officiales in præfecturis, ſuperioritatibus: & officijs ſuis. Etiam, Domini mei, voſmetipſos obteſtor; ad præpoſituras, dignitates, & officia aſcendiſtis poſt exhauſtos multos ſudores & labores, poſt impenſas multas operas in factiones, & ſubornationes: eſtiſne contenti? re autem verâ inveniſtiſne requiem in eminentijs, ad quas aſcendiſtis? Certus ſum, quòd ſi ſincerè ſecundùm mentem veſtram mihi reſpondere velitis, confitebimini vos eſſe miſeros, & conditionem veſtram eſſe infelicem: ſi autem veſtra amatis vincula, ideò quia aurea ſunt, & non poteſtis vos extricare à catenis ſervitutis, in quam vos intromiſiſtis, non vocati, cum tanto ſudore & labore, niſi præ confuſione ac pudore; ita ut, ſi in ijs permaneatis, ſpeciem quandam coactionis in illis perpetiamini inviti; ſed quoad quietem, nullam ibi invenîtis. Vera quies omnibus eſt præferenda magnitudinibus, & in hoc conſiſtit, ut quis deſiderijs ſuis terminos præſcribat ambitioſis; qui hoc eſt conſecutus, ſuo beatus eſt modo; qui autem id non eſt adeptus, miſer eſt, quia non ſolùm ambitio contraria eſt quieti corporis, ſed etiam noxia eſt ſaluti animæ.

Ambitio ſimilis eſt charitati per quaſdam quas habet cum illâ convenientias. Charitas tres habet manſiones ſecundùm tres varios ſtatus, juxta quos conſiderare poſſumus eos, qui in illâ immorantur. Alij poſſunt deſcendere, & non aſcendere. Alij poſſunt aſcendere, & non deſcendere. Tandem, Alij poſſunt aſcendere, & deſcendere. Illi qui poſſunt deſcendere, & non aſcendere, ſunt Angeli, qui verè deſcenderunt lapſu ſuo in perſonâ Luciferi, ſeu potiùs in conſortio illius, quem ſubſannat Iſaias q. Peccatum eorum fuit cauſa præcipitij ipſorum r, Sed non poſſunt aſcendere, quia ipſo creationis ſuæ inſtanti, cùm *dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux* s, ſuſceperunt Angeli omnes gratiæ gradus, quos unquam habebunt, cùm in illis adæquaverit Deus gratiam naturæ eorum; ſecundùm menſuram unius præbuerit illis alteram, ut docent Theologi, & Patres; ita ut valentes deſcendere, non poſſint tamen aſcendere. Virgo Deipara poteſt aſcendere, & nunquam deſcendere. Aſcendere poteſt ipſa, & re verâ ſemper aſcendit, cùm ſemper fuerit *gratiâ plena* t, & in eâ jugiter creverit, imò dormiendo merita ſibi aſciverit, & aliàs incumbens operi bono, reduplicatas iterùm atque iterùm ſibi gratias comparaverit: ſed non poteſt deſcendere, cùm ſit impeccabilis per privilegium ſpeciale, juxta piam opinionem Eccleſiæ quæ attribuit ei hæc verba Sponſi ipſam in perſonâ Sponſæ ſuæ alloquentis, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* u. Homo poteſt aſcendere, & deſcendere, cùm ſit talis naturæ ut peccare poſſit, & à peccato reſurgere, ut quotidie accidit; *Septies enim cadet juſtus, & reſurget* x. Videamus modò charitatis & gratiæ convenientias cum ambitione. Triplex hominum genus invenio. Alij ſunt puſillanimi, qui ſemper deſcendunt, quique depreſſis & abjectis actionibus ſuis detrahunt gloriæ ſuæ nativitatis, nihil unquam peragentes laude dignum, & illi requiem non adipiſcuntur, neque gloriam. Alij ſunt ſapientes, qui aſcendunt, & deſcendunt. Aſcendunt præ magnanimitate in infortunijs & miſerijs vitæ, & deſcendunt in proſperitatibus & blanditijs fortunæ, nedum ſe ſinant abripi inſolentia, aſcendunt in depreſſionibus & in adverſitatibus per ſpem, & deſcendunt in magnitudinibus & proſperitatibus per timorem; & illi potiuntur quiete, quam nunquam amittunt, præ conſtantiâ mentis ſuæ medias inter Fortunæ rigentis adverſitates, aut ridentis proſperitates, ſemper permanentes integri, & in ſemetipſis inalterabiles. Denique, Alij ſunt ambitioſi, qui ſemper volunt aſcendere, nedum Fortuna ipſorum ſit unquam ſatis excelſa, cùm ipſi ſemper novas ſitiant magnitudines,

Quò plùs ſunt pota, plùs ſitiuntur aquæ.

Et ideò nunquam quiete potiuntur, cùm nullos ſuis imponant deſiderijs limites, per quos ipſis fieri poſſit ſatis.

Obſervationem ingenio ſuo dignam peragit S. Auguſtinus y ſuper magnitudinem Romanorum, qui per univerſum orbem ſuam longè latèque extenderant dominationem, & omnes homines ditioni ſuæ ſubjecerant, & vaſſallos ſuos effecerant. In civitate Romanâ triumphante, in cujus ambitu tot erant templa, quot colebat illa Divinitates, ita ut ſingula falſa numina haberent ibi delubra, in quibus, incolarum ipſius reverentias & cultus ſuſciperent, Deæ Quieti nullum erat dedicatum templum, ſed illud erat extra mœnia civitatis ædificatum. Quid eſt hoc? petit S. Auguſtinus; Romani, qui ſingulis dijs ſuis templa ædificanda ſategerant in civitate ſuâ, nullum curarunt conſtruendum intra eandem civitatem ſuam deæ Quieti, ſed illam extra mœnia ſuæ civitatis collocandam voluêrunt. Iſtud eſt myſteriũ, ait Sanctus Doctor iſte, nimirum quia Romani in omnibus magnitudinibus ſuis quiete non fruebãtur. *Miror plurimùm, quòd cùm Deos ſingulos ſingulis rebus, & penè ſingulis motibus attribuerent, vocaverunt deam Agenoriam, quæ ad agendum excitaret: deam Stimulã, quæ ad agendũ ultra modum excitaret: deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murci-*

q Iſai. 14. 12. &c.
r Apoc. 12. 3. &c.
s Gen. 1. 3.
t Luc. 1. 28.
u Cant. 4. 7.
x Prov. 24. 16.
y S. Aug. lib. 4. de Civit. Dei c. 16.
3I. Pa

murcidum, id eſt, nimis deſidioſum, & inactuoſum: deam Strenuam, quæ faceret ſtrenuum: his omnibus diis & deabus publica ſacra facere ſuſceperunt. Quietem verò appellantes, quæ faceret quietem, cùm ædem haberet extra portam Collinam, publicè illam ſuſcipere noluerunt. Vtrùm indicium fuit animi inquieti, an potiùs ita ſignificatum eſt, quòd qui illam turbam colere perſeveraret, non planè deorum, ſed dæmoniorum cum quietem habere non poſſe: ad quam vocat verus Medicus, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris z.

z. Matth. 11.29 Leonardus Coquæus autem Commentatur S. Auguſtini ait ad propoſitum utriuſque partis diſcurſus noſtri, ſuper hæc verba illius ſupradicta, *Quietem habere non poſſe. Quidam eo differre volunt quietem & tranquillitatem; quòd quies corporis ſit, tranquillitas animi: quæ tamen differentia perpetua non eſt, atque nonnunquam quies tranquillitatem ipſam animi ſignificat, ut hic apud S. Auguſtinum quod de Alexandro*

a Arrian. lib.7. *ſcribit Arrianus a, eum nunquam quieviſſe (Quòd gloria cupiditas tranſverſum eum rapiebat.) Idem de Romanis dici poteſt, quos nimia ambitio, ac imperij proferendi cupiditas quieſcere nunquam ſinebat.*

Requies igitur non invenîtur in magnitudinibus, in dignitatibus, in officiis, nec in magnis fortunis ullus unquam invenîtur contentus. Unicus Rex, qui propriis meritis ad thronum fuerat evectus, non autem ſubornationum & factionum artificio, in illo ſuam inveniebat requiem, cujus ipſemet reddit rationem, dicens, eò quòd rectitudini & æquitati conſonos ambitioni ſuæ præſcripſiſſet limites, neque ſemetipſum unquam elevaſſet ſupra id quod videbat in ſe, *Neque ambulavi in magnis, neque in mi-*

b Pſ. 130.3 *rabilibus ſuper me* b. Hic eſt unicus modus quietis inveniendæ.

Ubi obſervate, ſi placet, ambitionem peragere miracula in triplici genere ſtatuum, naturæ, for-

d Matth. 6. 27. tunæ, & gratiæ. In naturâ, Scriptura d ſacra recenſet, quod à nemine ſtaturæ ſuæ poſſit vel unicus adjici cubitus, *Quis veſtrûm cogitans, poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Et ideò requiritur brachium omnipotens ad faciendum hoc miraculum, quod excedit vires naturæ: hoc tamen idem miraculum peragere videntur mulieres ambitioſæ, quæ cum hoctè ſint exiguæ ſtaturæ, dic ita calceos ſuos elevant ut majorem præ ſe ferant ſtaturam, quaſi ſuper grallas incederent. Quidnam facit hoc? Ambitio, quæ inducit illas ad aſcendendum ſuper hujuſmodi calceos elevatos, quaſi ſuper grallas, ut cæteris ſexus ſui emineant fœminis. Hoc eſt unum è naturæ miraculis. Eadem Scri-

e Jer. 13. 23 ptura e aſſerit, Æthiopem non poſſe convertere colorem ſuum atrum in candidum, & impoſſibile eſſe ut omnis ſapo poſſit illi tribuere albedinem, cujus incapax eſt ille ſuſcipiendæ, *Si mutare poterit Æthiops pellem ſuã:* Propheta Jeremias iſtud proponit ut miraculũ; & tamen hoc miraculũ ambitionis, quod naturæ captum excedit, mulieres aggrediuntur & faciunt fuco ſuo: cùm enim atræ ſint inſtar carbonum, candidas ſemetipſas efficiunt mediis pigmentis, fucis, ſtibijs, & aquis artificialibus, quibus facies ſuas & corpora ſua inungunt & lavant; quod manifeſtum ſpecimen eſt deformitatis ipſarum: ſtatim enim ac mulier ſe fucat, & ungit, apertè demonſtrat ſe eſſe deformem; nec auderet vultum ſuum Soli exponere, ne videret diffluere fucum ſuum, & intuendas exhibere rugas faciei ſuæ fucatæ.

Secundum miraculũ, quod agit ambitio, eſt in fortuna. Quidnã eſt hoc quod miraculũ vocamus? Miraculum eſt, ut quis agat & faciat plus quàm poſſit agere: & hoc eſt quod videmus hodie mulieres agere præ ambitione: earum reddititus ipſis permittere non poſſunt ut ita pretioſis induantur veſtimentis hoc tempore miſero, quo nemo eſt qui non deberet operiri ſaccis & ciliciis: & tamen nunquam ſæculis præteritis ſic pompaticè indutæ ſunt mulieres ambitioſæ, quæ agunt plus quàm poſſint, & captum redditum ſuorum excedunt. Sed quomodo fiunt iſta miracula? Duo tantùm dantur eorum peragendorum modi, aut ſuffurando marito, aut conveniendo amicum. Hæc ſunt miracula Calvini: non latet vos quid egerit iſte miraculorum patrator ementitus, ut fictæ ſanctitatis ſpeciem ſibi conciliaret apparentem, & auras aucuparetur populares medio miraculo quod peragere præſumpſit, ſed quod verè illum pudore & dedecore ſuffudit. Suſcitare ſe voluiſſe ſimulavit mortuum, & ideò in feretro viventem collocandum ſategit hominem, quaſi efferretur falſus ille defunctus; & huic viventi mortem intulit, tantum abeſt ut mortuum hujuſmodi ementitum, ſed re verâ in feretro collocatum viventem, ad vitam fuiſſe revocatum verbo ſuo, ſpectatoribus perſuaderet, ut ambitioſè tentaverat. Ecce miracula Calvini. Hæc eadem miracula facit ambitio, mutat illa mulierem honeſtam in proſtitutam: aut enim ſuffurandum eſt marito, aut accommodandum ſibi eſt ab amico, proſtituendo ſe.

Miratur S. Cyprianus f quomodo mulieres incedere valeant, cùm fulcris innixæ alienis, etiam vacillent & titubent. Quare hoc, ait ſanctus iſte Pater? Ratio iſtius eſt: Quia ſic ſunt oneratæ, ut ad ferenda onera ſua auxilio indigeant alieno, *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara crucietur, ut poſteà de aurium cicatricibus & cavernis pretioſa grana dependeant, gravia etſi non ſuo pondere, mercium quantitate?* Ferunt enim ſuper ſe mulieres illæ villas integras: in unicâ enim margaritâ, in ſolâ inaure pretium aliquando deferent, ne dicam tantùm redditum, villæ integræ: miramini ne ergo ſi illæ fulcra ſibi ſocient aliena, quibus innitantur inter incedendum? Res inaudita! Mulieres ſunt viris delicatiores, & tamen illæ plus portant, quàm ferant iſti. Centum nummi ſufficient viro alicui pompaticè induendo, quandiu mille nummi vix erunt ſatis adornandæ mulieri, ita ut ipſius vanitas & ambitio reddat eam fortiorem viro. Hæc ſunt miracula ambitionis, quæ efficiunt ut mulieres plus agant quàm agere poſſint, & ludant plus quàm habeant, & perſæpè famam ſuam, quam proſtituunt, ut vanitati & ambitioni ſuæ pompaticè fovendæ inſerviant.

f S. Cypr. tract. de Diſciplin. & Habitu Virg. num. 15.

Miracula operatur etiam ambitio in gratiâ. Miraculum eſt pervenire ad aliquem finem per vias ei contrarias; atqui nihil eſt magis oppoſitum virtuti quàm ſit vitium; & tamen intuitur unuſquiſque hodie vitium ut perveniat ad virtutem: talis apparet homo probatæ vitæ, qui probus non eſt niſi ſecundùm ſpeciem exteriorem, cùm pallio ſanctitatis ementitæ ſe induat, ut vitio meliùs indulgere valeat. Unuſquiſq; vult aſcendere, ſed ut meliùs deſcendat,

Tolluntur in altum,
Vt lapſu graviore ruant.

Hæc miracula ſunt ſimilia miraculis Simonis Magi, qui ſanctitatem præ ſe ferens ementitam, cùm ſurſum aſcendere volando præſumpſiſſet, oratione S. Petri dejectus, in terram crurifragio proſtratus eſt: idem accidit ambitioſis, eorum elevationes non ſerviunt ipſis niſi ad meliùs metiendos caſus ſuos; & cùm nullâ fruantur quiete quoad corpus ſuum, nullam ſalutem naciſcuntur quantùm ad conſcientiam ſuam; & ipſorum corpus & anima pereunt, & ipſorũ ambi-

ambitio eſt ſcopulus, in quem impinguntur, & circum quem naufragium perperiuntur corporis, æquè ac animæ. Hæc omnia miracula emenſita ambitionis funeſta ſunt, & non niſi ad abyſſos perducunt confuſionis.

Diſcite, Auditores, humiliare vos, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus* g. Efficite ut elevationibus veſtris ſuccedant humiliationes veſtræ maximæ; eſtote eò humiliores, quò ad majora evecti eſtis celſitudinis faſtigia: iſtam natura & gratia vos edocent lectionem. In natura, arbores quò excelſiores ſunt, eò profundiores in terram figunt radices ſuas, & ubi elevant ſe ſuper terram, confeſtim ſe deprimunt etiam in terram; nec ſurſum elevatur ædificium niſi juxta proportionem profunditatis ſuæ, fundamenta eius ſunt fulcrum totius ædificii, neque ſubſiſtit altitudo niſi per profunditatem; ut diſcamus, quòd veram magnitudinem & virtuoſam elevationem ſequi debeat & comitari profunda depreſſio, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*. Idem videmus in gratia: & S. Ludovicus, Galliarum noſtrarum decus & ornamentum eximium, nunquam maior fuit quàm in profundis humiliationibus ſuis; magis ſplendebat hic Monacha incomparabilis in xenodochiis inter pauperes ſublevandos & conſolandos, quàm in throno ſuo; & gloria eius magis manifeſtabatur in ipſius depreſſionibus, quàm in ipſius maximis elevationibus.

g Eccli. 3. 20.

Deus humiliare ſe videtur. Ut intelligatur hæc propoſitio, obſervanda eſt duplex humilitas. Una quæ oritur è notitia alicuius defectus, hæc autem non eſt in Deo, qui *perfectus eſt* i. Altera verò provenit ex amore; & hoc modo videtur Deus ſe humiliare, cùm ipſius Filius pondere amoris erga nos ductus, in terram venerit. Arbor tempore hyberno ſuos ad nubes uſq; ramos elevat, & cælo bellum videtur indicere: ſed tempeſtate autumni, fructibus onuſta eoſdem ramos ſuos ad terram uſque deprimit propter fertilitatem & abundantiam ſuam: ſic Deus totus *bonus, bonitate* k onuſtus, inclinatur ad nos, pondere amoris & charitatis ductus, quatenus Deus, æquè ac prout homo in terra. Videte eum genibus prevolutum coram diſcipulis ſuis, quibus lavat *pedes*, inter quos *unus* l erat ipſum traditurus, ita ut iſti, æquè ac aliis præ exceſſu humilitatis incomparabilis ſe veluti miniſtrum exhibeat. Superbia hominum poſt exemplum iſtud geminæ humilitatis, ſeu charitatis Dei, renueſne te deprimere? Eſne aliquid plus quàm ſit Deus? Temeritas intolerabilis hominum, quos non pudet ſeſe exaltare quandiu Deus qui *magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* m, deprimit & humiliat ſe præ amore æterno, *In charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te, miſerans* n. *Quantò magnus es humilia te in omnibus* o. Cùm igitur Deus humiliet ſe in magnitudine ſua, hinc concluditur, quòd vera gloria ſita ſit in abiectione & depreſſione, & quòd quò qualitatibus erimus præditi eminentioribus ſupra vulgares homines nos extollentibus, eò magis Dei Filio adhærentes, humiliare debemus nos; & quia præ humilitate, æquè ac dilectione exivit *à Patre, & in mundū p venit*, ſurſum extollere nō debemus nos vanitate & ambitione, quæ noſtrā moliretur ruinam. Amemus igitur humiliationes voluntarias, cùm veras nobis cauſent magnitudines & exaltationes q, quæ ſitæ ſunt in gratia, & tandem in gloria.

i Matth. 5. 48.

k Pſ. 118. 68.
l Ioan. 13. 5. & 21.

m Baruch 3. 25.
n Ier. 31. 3.
o Eccli. 3. 20.

p Ioan. 16. 28.
q Matth. 23. 12.

Feria V. Poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Homo quidem erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno, Luc. 16. 19. &c.

ILle qui hominem divitem conſtituit, efficit eum miſerum, cùm nemo comparare ſibi poſſit divitias abſque periculo, & eas poſſidere perſæpè quin omnimodam ſuam ex earum poſſeſſione moliatur ruinam, & æternam ſalutis ſuæ incurrat iacturam. Deus ſuos in centro terræ collocavit theſauros, cùm divitiæ & infernus eundem ſibi vendicent locum, æquè ac idem aſciſcunt ſibi nomen: nam, ut ait Calepinus a, *Mammona, vox eſt Syriaca divitiarum Deum ſignificans. Accipiturque pro ipſis divitiis, eò quòd omnes opes ab inferis, hoc eſt, ab intimis terræ viſceribus eruantur*. Sed ideò Deus divitias in intimis terræ abditis recondidit, ut ab earum amore cor noſtrum abſtraheremus, & illud ipſi totum conſecraremus, dicens, *Nemo poteſt duorum Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ* b. *Quæ verba diligenter conſideranda ſunt*, ait S. Auguſtinus c: *nam qui ſint duo Domini, oſtendit cùm dicit, Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ. Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen: nam lucrum Punicè Mammon dicitur. Sed qui ſervit Mammonæ, illi utique ſervit, qui rebus iſtis terrenis merito ſuæ perverſitatis præpoſitus, Magiſtratus huius ſeculi* d *à Domino dicitur. Aut enim unum odio habebit homo, & alterum diliget: id eſt, Deum; aut alterum patietur, & alterum contemnet. Patietur enim durum & pernicioſum Dominum, quiſquis ſervit Mammonæ: ſuâ enim cupiditate implicatus, ſubditur diabolo: & non eum diligit: quis enim eſt qui diligat diabolum? ſed tamen patitur. Sic in maiore aliquâ domo, qui ancillæ alienæ coniunctus eſt propter cupiditatem ſuam, duram patitur ſervitutem, etiamſi non diligat eum, cuius ancillam diligit. Alterum autem contemnet, dicit, non odio habebit. Nullius enim conſcientia Deum odiſſe poteſt: contemnit autem, id eſt, non timet eum, qui quaſi de eius bonitate ſecurus eſt*. Sic nemo adipiſci poteſt divitias quin plerùmque deſcendat in infernum, qui earum centrum eſt. Sed daturne aliquod remedium huic infortunio vitando conſonum? Etiam: Deus cognoſcens quinam ſint affectus hominis, alterum poſuit in terra centrum, in quo ſuos omnes concluſit theſauros; hoc autem centrum non eſt aliud niſi Maria, ut ait S. Bernardus e, *Chriſtus ergo ibi primùm medicinam appoſuit, ubi primus vulneri patebat locus. Et tunc iam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ* h, *in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate medium terræ appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno* (id eſt, in purgatorio) *& qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo, ut reſarciantur: & qui in inferno ut eripiantur: qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur* i: *qui ſequuntur, ut glorificentur*. In ea ſunt omnes theſauri, divitiæ, & gratiæ, ut teſtatur Archangelus, iſtis ſalutans illam verbis, *Ave Maria*.

a Calepin. in Dictiō. V. Mammona & V. Pluto.
b Matth. 6. 24.
c S. Aug. lib. 2. de ſerm. Dñi in monte c. 14.
d ex Ioan. 12. 31.
e S. Bern. ſerm. 2. in Pent.
h ex Pſ. 73. 12.
i Eccli. 36. 18.

Divitiæ & paupertas duæ ſunt res quæ promiſcuè & indiſcriminatim poſſunt ſervire aut in bonum aut in malum, aut ad proſequendum vitium aut ad virtutem amplectendam, ſecundùm diverſos uſus in quos illæ ab hominibus inſumuntur. Pecunia, quæ eruta eſt è crumenâ à manu charitativa, ſervit ad educendam puellam proſtitutam ab infamijs ipſius; & eadem pecunia è manu in manum tranſiens, ſerviet ad corrumpendam aliam virginem: & paupertas quæ in aliquibus eſt laudabilis, alios projicit in flumina, & alios enecat ſuſpendio præ deſperatione. Scire autem ubinam virtus meliùs manifeſtetur & coruſcet, aut in divitiis, aut in paupertate; in varias circa hanc quæſtionem abeunt homines ſententias, utraque parte diſceptantes. Divites mundi, qui non judicant niſi ex ſplendore, & in gratiam ſenſuum, miris extollunt divitias modis, & aſſerunt, virtutem nunquam meliùs ſplendere quàm evectam ſuper thronos, eam ſibi honores, reverentias, & adorationes ibi conſtitutam aſciſcere, & devincientem ſibi corda, ab ijs obſequia exigere, quandiu non ſplendet ipſa, ubi jacet ipſa in ſterquilinio incognita; & neminem ſociari velle his virtutibus egenis & neceſſitatem patientibus; & ideò ſanius eſſe extendere manum ad exercendas liberalitates, & ad ſublevandas egenorum miſerias, quàm eamdem manum porrigere præ foribus templorum ad ſuſcipiendas eleemoſynas: virtutem præ majori fulgore reſidere ſub purpurâ, quàm ſub vili panno; eamque ſæpius inveniri ſub pretioſis veſtimentis, quàm ſub laceris & diſciſſis; ſub quibus non eſt illa niſi coacta, & abſque applauſu, qui certatim æmulatores ad imitationem illius poſſit inducere.

Si cæcos conſtitueremus judices colorum, quos nunquam reſpexerunt, & ſi apparentiæ quæ noſtros feriunt oculos exterius, dignæ forent diſſidiorum noſtrorum arbitræ, paupertas, & illi qui à partibus ejus ſtant, ſuæ jacturam ſuſtinerent cauſæ, cùm condemnetur ea nedum agnoſcatur, & lis ei intendatur inauditæ. Judicate, Auditores, num jure merito cauſam illius non debeam amplecti, cùm certiſſimum ſit, virtutem ſuum magis ordinarium in paupertate habere domicilium, ibi palmas ſuſcipere, ibique eam agnoſci propter ſemetipſam, non autem ob ſplendorem qui ipſam circuncingat, qui ſpectatores in admirationem rapiat, & oculos trahat uniuſcujuſque ad contemptum virtutis, quam nemo cōſiderat, in ſolis ſiſtens aſpiciendis ornamētis illis exterioribus, ſicut videmus conſiderari attentiùs comitatū Principis, pompam miniſtrorum & Officialium ejus, & magnificentiam qua ſtipatus eſt, quàm ejus faciem; quin imò in templis ſacris oculi noſtri prædives altarium noſtrorum potiùs intuentur ornamentum, quàm à nobis adoretur is, qui ſuper iſdem reſidet corporaliter k in ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramento, *Deus maieſtatis* l. Ita ut virtus meliùs coruſcet in paupertate, in eaque meliùs exhibeatur intuenda, ſive conſideremus illam in ſplendore naturæ ipſius, in magnitudine operationum ipſius, aut in quiete ipſius: omnia enim (ut jam diximus) deferuntur virtuti, quæ invenitur in paupertate, quandiu omnia tribuuntur ab alijs ſplendori majeſtatis qui eſt à thronis inſeparabilis: nec unquam Job meliùs triumphavit, quàm ſuper ſtercore, quod fuit velum theatrum, ſuper quo virtus ipſius ab omnibus fuit univerſaliter agnita: nam poſtquàm *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem eius; qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio; ait, Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? In omnibus his non peccavit Iob labijs ſuis* m. Et S. Ludovicus Liliorum noſtrorum fulgor, nunquam magis reſplenduit quàm in xenodochiis, quàm in viſitandis pauperibus, & infirmis conſolandis, & majores emittebat virtus ipſius radios in locis illis depreſſis & veluti obſcuris, quàm in ipſius throno, qui ipſi gloriam ipſius ſplendore ſuo eripiebat. In hoc ergo ſtatu paupere fovetur æquè ac conſervatur virtus, hîc minores ſuſtinet inſultationes, & victrix ſemper remanet & triumphans, quandiu Magnates ingentiores adhibere tenentur operas ad repellendum vitium quod ipſos perſequitur, quod ipſis ſeſe amplectendum æquè ac intuendum exhibet, quàm pauperes ad illud ad ſe trahendum, cùm ab ipſis abeſt. Exemplum Dei facti hominis *ubi venit plenitudo temporis* n, litem concludit, inque victoriam perducit eam in gratiam paupertatis; quippe qui exiens *à Patre, & in mundum* o veniens, ipſe *Dominus virtutum* p, hunc ſtatum prætulit ſplendori Magnatum, & ſuâ tranſegit vitam in indigentiâ; quæ divitias damnat, utpote ſaluti æternæ agendæ ponentes obicem, *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives: ut illius inopiâ vos divites eſſetis* q. Si verò hodiernâ die in Evangelio noſtro epulo contentâ voce clamat, *Crucior in hâc flammâ*: ideò quia divitias habuit, *Homo quidam erat dives, & ſepultus eſt in inferno.* Quando *mendicus, nomine Lazarus, in ſinu* Abrahæ beatus requieſcit. Damnationem igitur æternam incurrit epulo noſter infelix, eò quòd divitias injuſtè acquiſierit, & eas malè inſumpſerit, ut videbimus in progreſſu diſcurſus iſtius.

k Matth. 28. 20.
l Pſal. 28. 3.
m Iob 1. 22.
n Galat. 4. 4.
o Ioan. 16. 28.
p Pſ. 23. 10.
q 2. Cor. 8. 9.
Propoſitio

Natura paucis eſt contenta; avaritiæ verò nihil unquam eſt ſatis, & ejuſdem naturæ jactura & ruina eſt. Ad cujus intelligentiam, conſiderare poſſumus naturam in triplici ſtatu, vel in ipſa purâ abſque abſque auxilio & ſine fulcro s, aut cum adjutorio iuſtitiæ originalis t, aut poſt lapſum ipſius, id eſt poſt deperditam gratiam per peccatum u. Natura nihil capeſſit niſi quod ſibi eſt neceſſarium. In ſtatu juſtitiæ originalis, in natura erat diſceſſus, ſed non bellum, anima elevabat ſe ad Deum, & corpus ferebatur ad terram; pars inferior plenè ſubdita erat rationi, & ratio Deo; ſpiritus deliciabatur in cœlo, & corpus ſumebat à terra id quod ſibi erat neceſſarium abſque luctamine: & Adam & Eva non cognoverunt quòd eſſent nudi in hoc ſtatu innocentiæ, ſed tantùm poſt eandem innocentiam deperditam per peccatum ſuum: confeſtim enim ipſos ſuæ puduit nuditatis, *Mulier tulit de fructu, & comedit, deditque viro ſuo, qui comēdit: & aperti ſunt oculi amborum: cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata* x. In ſtatu naturæ corruptæ eſt diſceſſus, & prœliū; mens ire vellet ad Deum, & corpus conatus illius impedit & retundit, ardores ejus deprimit, eamque in terram inclinat; intellectus vellet aſcendere, & corpus facit eum deſcendere; ſpiritus ſe rebus vellet cœleſtibus occupare, & perſæpè ſe terrenis invitus deprehēdit implicatum: *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis* y. Sicut autem corpus in ſtatu naturæ puræ, in quo *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* d, præcisè ſumpſiſſet id quod ſibi fuiſſet neceſſarium, æquè ac in ſtatu juſtitiæ originalis, in quo idem *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*: Ita hîc in ſtatu naturæ corruptæ, in quo

s Gen. 2. 7.
t Gen. 1. 27.
u Gen. 3. 6.
x Gen. 3. 6. & 7.
y Galat. 5. 17.
d Gen. 2. 7.
v Gen.

ſenſus

ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ f, fertur ipſummet corpus in exceſſus, & ſpiritum trahens inſultationibus, quæ luminibus ipſius offundunt caliginem, efficit ut ſua quærat oblectamenta in creaturis, & in deliciis ſenſuum, ubi ea non inveniens, ſemper novis inhiat voluptatibus, nedum ipſi fiat ſatis unquam, ſed majores jugiter quærit delectationes. Propter hanc rationem, avaritiæ nunquam eſt ſatis, multis contenta eſſe non poteſt, quandiu natura paucis contenta eſt. f Gen. 8, 21

Inſatiabilis huius cupiditatis exemplum profert nobis Scriptura g ſacra in Rege Achab, *Vinea erat Naboth Iezrahelitæ, quæ erat in Iezrahel, juxta palatium Achab Regis Samariæ. Locutus eſt ergo Achab ad Naboth, dicens, Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina eſt & prope domum meam, daboque tibi pro eâ vineam meliorem: aut ſi commodius tibi putas, argenti pretium quantùm digna eſt. Cui reſpondit Naboth. Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens, Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et projiciens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, & non comêdit panem. Ingreſſa eſt autem ad eum Iezabel uxor ſua, dixitque ei, Quid eſt hoc, unde anima tua contriſtata eſt? & quare non comedis panem? Qui reſpondit ei, Locutus ſum Naboth Iezrahelitæ, & dixi ei, Da mihi vineam tuam, acceptâ pecuniâ: aut, ſi tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro eâ. Et ille ait, Non dabo tibi vineam meam. Dixit ergo ad eum Iezabel uxor eius, Grandis authoritatis es, & benè regis Regnum Iſraël: ſurge, & comede panem, æquo animo eſto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ. Scripſit itaque literas ex nomine Achab, & ſignavit eas annulo eius, & miſit ad maiores natu, & optimates qui erant in civitate eius, & habitabant cum Naboth. Literarum autem hæc erat ſententia, Prædicate ieiunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi, & ſubmittite duos viros filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant, Benedixit Deum, & Regem; & educite eum, & lapidate, ſicque moriatur. Fecerunt ergo cives eius maiores natu & optimates qui habitabant cum eo in urbe, ſicut præceperat eis Iezabel, & ſicut ſcriptum erat in literis quas miſerat ad eos: prædicaverunt ieiunium, & ſedere fecerunt Naboth inter primos populi. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos ſedere contra eum: at illi, ſcilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum teſtimoniū coram multitudine, Benedixit Naboth Deum & Regem: quā ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerūt. Miſeruntq; ad Iezabel, dicentes, Lapidatus eſt Naboth, & mortuus eſt. Factum eſt autē, cùm audiſſet Iezabel lapidatum Naboth & mortuum, locuta eſt ad Achab, Surge, & poſſide vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi acquieſcere, & dare eam acceptâ pecuniâ: non enim vivit Naboth, ſed mortuus eſt. Quod cùm audiſſet Achab, mortuum videlicet Naboth, ſurrexit, & deſcendebat in vineam Naboth, ut poſſideret eam.* Videte, Auditores, quàm inſatiabilis ſit avaritia: multas habebat Achab vineas, multas villas, multa caſtella, & tamen vinea Naboth à Rege iſto avaro non poſſeſſa, requiem illius interturbabat, & immodico eum dolore afficiebat; nunquam contenta eſt avaritia illis quæ habet, omnia vult; multum, non eſt illi ſatis; neque cœlum, neque terra hanc inexplebilem ſatiare ullo poſſunt modo cupiditatem, ex quâ oriuntur oppreſſiones, fœnora, rapinæ, violentiæ, cædes, & innumeræ iniuſtitiæ. g 3. Reg. 21, 1, &c.

Joſue præcipit Soli ut ſiſtat, & ſtatim Sol morem gerit huic Duci exercituum Dei, *Ioſue dixit, Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis* h. Jubet idem Joſue militi, qui illi obedire renuit, *Imprecatus eſt Ioſue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit, & ædificaverit civitatem Iericho* i. *Filii autem Iſraël prævaricati ſunt mandatum, & uſurpaverunt de anathemate. Nam Acham tulit aliquid de anathemate: iratuſque eſt Dominus contra filios Iſraël: qui ſtatim terga vertentes, percuſſi ſunt à viris urbis Hai* hoſtibus ſuis. Prohibuerat Joſue omnibus militibus, ne aliquid ſumerent è ſpoliis hoſtium: ſed contra hanc prohibitionem, avertens ſe à prælio Acham, vidit *inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens* k abſtulit, & hâc inobedientiâ ſuâ ferè ruinam in exercitum invexit. Joſue qui præceperat Soli ut ſiſteret, ſibique præberet otium referendæ de ſuis hoſtibus victoriæ, experitur Solem gerentem ſibi morem: & cùm præcipit militi ut ſibi obediat, deprehendit eum ſuis, æquè ac Divinis mandatis reluctantem. Quænam eſt cauſa iſtius inobedientiæ? Avaritia, cupiditas habendi; inobedientia huius militis orta ex avaritia, citò jacturam in totum exercitum induxiſſet. Myſticus Joſue, id eſt, Jeſus (idem enim eſt Joſue ac Jeſus) præcipit Soli tempore Paſſionis ſuæ ut ſuis exuat ſe luminibus, ſuos abſcondat radios, & deſerat id omne quod habet ipſe ſplendoris & maieſtatis: & ſtatim Sol obedit voci Creatoris ſui, eclypſi ſe offundit, & tenebris ſe operit, *Et obſcuratus eſt Sol* l. Et idem Jeſus præcipit hominibus ut renuncient avaritiæ, dicens, *Videte & cavete ab omni avaritiâ* m. Et tamen nemo ſe diſponit ad exhibendas ei obedientias, quas à noſtris exigit fidelitatibus. Sanguis eius, flagella, nuditas in Cruce n, in divitias invehuntur contemnendas: & tamen nemo ei aurem præbet, quandiu creaturæ inanimatæ mandata illius exequuntur. h Ioſue 10, 12 & ſ. i Ioſue 6, 26. k Ioſue 7, 1. &c. l Luc. 23, 45. m Luc. 12, 15. n Ioan. 19, 23.

Avarus nullum alium habet Deum niſi argentum & aurum ſuum, & ipſa quoquo modo ſibi vult comparare,

Per fas, perque nefas per mille pericula tendunt.

Ideòque idololatra vocatur ab Apoſtolo r, & ut ſic indignus gloria Dei poſſidenda, *Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis avarus (quod eſt idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei.* Ob divitias igitur per fas & per nefas acquiſitas, & malè impenſas, gloria privatus eſt, *mortuus dives; & ſepultus eſt in inferno.* Hæc eſt cauſa damnationis eius: in divitiis ſuis cor ſuum collocaverat, *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* y. Illas ut idola colebat. Non ait Evangelium, quòd infelix iſte, fuerit adulter, &c. ſed quòd *erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè: & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſâ divitis, & nemo illi dabat.* In quo triplicem nobis aſſignat cauſam damnationis eius, ortam ex malo uſu ad quem ſuas inſumpſit divitias, *Erat dives.* Prima cauſa eſt cupiditas immodica rerum terrenarum, quæ à S. Joanne z vocatur *Concupiſcentia oculorum*; *Quia erat dives.* Id eſt, cor ſuum habebat in ciſtis ſuis; concupiſcebat id, quod non habebat, per fas & per nefas, & nimio poſſidebat affectu id quod penes ipſum erat. Secunda cauſa eſt, quoniam fruebatur & abutebatur eo, quo ſolùm r Epheſ. 5, 5. y Matth. 6, 21. z 1. Ioan. 2, 16

uti debebat propter neceſſitatem, præ exceſſibus veſtimentorum menſæ, corporis, & ventris ſui, quod ab eodem S. Joanne nuncupatur *Concupiſcentia carnis. Et induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.* Tertia cauſa eſt defectus bonorum operum, & contemptus pauperum, quod refertur ad id, quod appellatur à ſupradicto Apoſtolo *Superbia vitæ. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ divitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.*

Videns Iudas, qui Jeſum *tradidit, quòd damnatus eſſet; pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens, Peccavi, tradens Sanguinem iuſtum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, receſ-*

c Matth. 27.3 &c.

ſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit c. Sed quare hoc, Juda? Argentei iſti *pretium Sanguinis eſt: conſilio autem inito, ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum* emendum eſſe æquiſſimum eſt, utquid ergo eos ſic projicis? *Vide quàm magni ponderabat eos, non proiecit eos in ſterquilinio, ſed in templo: nimirum talibus ſemper diis templum ſuum devoverat,*

d Drog. ſerm. 1 de Sacramet. Dominic. Paſſ.

ait Drogo d Epiſcopus Hoſtienſis. Quaſi diceret Cardinalis hic inſulatus, Pecuniam è venditione Domini coacervatam projicit Judas in templum, apprimè ſciens quòd templum eſſet habitatio in quâ reſident & adorationes ſuſcipiunt dii; & cùm pecunia ſeu Mammona fuerit Deus Judæ, ideò Judas deo ſuo debitum vult honorem impendere: Deum ſuum eduxerat è proprio templo, illum venit repoſitum *in templo.* Et confeſtim ad ſe ſuſpendio pergit enecandum, ex deſperatione, dicens ſicut *dixit Cain ad Dominum, Maior eſt iniquitas mea, quàm ut*

e Gen 4.13

veniam merear e. Quàm multi ſunt hodie Judæ in mundo, qui pecuniam & Mammonam ut Deum ſuum colunt, qui omnes ſuas illi impendunt reverentias & adorationes, qui divitias congregare ſatagunt per fas & per nefas, imò in diſpendium Jeſu Chriſti Crucifixi, Sanguinis & meritorum ejus; & ſi unuſquiſque redderet id, quod debet, Xenodochijs, pauperibus, & templis, talis veſtibus eſt indutus ſericis, qui vilibus vix poſſet veſtiri pannis; & talis perdices comedit, qui vix panem ſaturandæ fami ſuæ providere poſſet. Optima patrimonia ex bonis Eccleſiæ coaleſcunt, & domus opulentiſſimæ, ſi redderent id quod debent, ad magnam redigerentur egeſtatem.

Duplici viâ cognoſcitur Deus, aut viâ coacervationis, aut viâ reſectionis; ſeu viâ affirmationis, vel viâ negationis, ut ait S. Dionyſius f, *Negationes*

f S Dion. lib de Cœl. Hier. c. 2. g ex Iſai. 45.15.

in Divinis rebus veræ ſunt, affirmationes verò non conveniunt, nec digna ſunt maieſtate Dei omnium occultiſſimi g. Viâ coacervationis, cùm congregantur omnes perfectiones effuſæ & reſperſæ per creaturas, & in unum ſubjectum coadunantur, & tunc dicitur, Ecce Deus. Viâ reſectionis, cùm ſepararatur ab eo omne genus imperfectionis. Iſtis duobus modis imitari poſſumus Deum, aut viâ coacervationis, aut viâ reſectionis ſeu nuditatis. Hâc autem viâ ultima *pauperes ſpiritu* h, differunt à di-

h Matth. 5.3.

vitibus mundi. Spoliant ſe omnibus quæ poſſent habere, ut ipſi pauperes, mendicos, & nudos operiant; omnes deſerunt magnitudines, ad quas vocare poterant ipſos natalitia ipſorum, abrenunciant omnibus quæ jure merito poterant ipſi prætendere, cuncta ſua bona deſerunt, univerſas ſuas relinquunt poſſeſſiones, imitantes Deum hâc viâ nuditatis. Divites autem & avari Deos agere volunt, id eſt, dij evadere concupiſcunt, volentes imitari Deũ viâ coacervationis, trahentes omnia ad ſe, volẽtes habere omnia quæ ad alios pertinẽt, nedũ ipſorũ cupiditati fiat unquam ſatis, cùm ardor habendi ipſorum ſemper creſcat magis ac magis; & ut domum ſuam magnificent, & copioſâ rerum omnium abundantiâ æquè ac ſupellectile inſtruant, triginta circùm circà domos pauperum in egeſtatem deplorandam redigunt, & plures familias deſolant, quas ſuſpitare faciunt inter miſerias vitæ, & ſuos in continuis lacrymis dies tranſigere. Res inaudita, hoc tempore calamitatis & miſeriæ viſu tot exceſſus veſtimentorum, æquè ac oris: tertia pars Chriſtianiſmi ſuſpirat quandiu mali divites ſua capeſſunt oblectamenta in diſpendium viduarum & orphanorum quos opprimunt, & injuſtè præ maxima violentia, ut ſuæ inſatiabili faciant ſatis cupiditati.

Quomodonam exiſtimaretis S. Joannem m vocare divitias? Nuncupat illas *Subſtantiam huius* m 1. Ioan. 3.17.
mundi. Dicunt Philophi, quòd ſubſtantia ſit ſubjectum & fulcrum accidentium; dicitur enim ſubſtantia, eò quòd ſubſtet accidentibus: atqui deperditâ ſubſtantiâ, pereunt accidentia: S. n Hebr. 11.1
Paulus n appellat fidem ſubſtantiam eorum quæ ſperare debemus, & baſim cui illa innituntur, *Eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum. Id eſt, prima inchoatio, per quam res ſperandæ nobis inſunt,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus o. Atqui fide pereunte, ſicut o Dion. Carth. art. 11. in Heb. 11.1.
deperdi poteſt medijs hæreſibus, omnes ſpes iſtæ peſſumeunt: ſic avari, mali divites, qui alienum per fas perque nefas uſurpare volunt bonum, qui ſubſtantias quærunt, deſtruunt id omne quod habent, honorem, famam, &c. & ſicut ſubſtantia eſt fulcrum omnium qualitatum; ſic divitiæ ſunt baſis omnium fœderum & omnium magnitudinum. Eſtiſne divites? confeſtim eſtis omnia; & licèt ſtupidi eſſetis ac hebetes inſtar jumenti, unuſquiſque audit vos & auſcultat non ſecus ac oraculum. Suntne vobis divitiæ? ſtatim nobiles eſtis, unuſquiſque veſtrum fœdus inquirit, & affinitate ſociari vobis deſiderat, non aſpicitur ampliùs ſanguis, nec progenies, ſed ſola pecunia,

Et genus, & formam Regina pecunia donat.

Si divites eſtis, omnium reverentias vobis conciliatis, magni ducit vos unuſquiſque, facilis datur vobis acceſſus ad honorabiles quaſcumque ſocietates hominum, qui ad ſuos æquo vos ſuſcipiunt animo circulos, ſuiſque vos intereſſe geſtiunt conſortiis. Dives eſt aliquis? aſinus auro onuſtus vulgò dicitur, & facilè ſibi facit aperiri oſtia atcium numeroſâ pecuniâ erogatâ: & puritas innocens & inviolata, quæ priùs præ ſe ferebat inſcriptionem adamantis, *Semper adamas,* ob conſtantiam, quâ prævijs quibuslibet reluctata fuerat inſultationibus caſtitati ſuæ injurioſis, multùm concutitur fulgore ſplendenti hujus metalli flavi, quod oculos ſuffundens caligine, intima cordis pervadens penetralia, illius utplurimùm ſibi devincit affectus, quandiu ejus conſenſum extorquet ad illicita & inhoneſta patranda, & ſic partem iſtam ditioni ſuæ ſubjiciens tyrannicæ, de omnibus facilè triumphat. *Pecuniæ obediunt omnia.* Et divitiæ ſunt ſubſtantia *huius mundi.* Sed iſtâ ſubſtantiâ, tanquam cæterarum qualitatum fundamento, corruente, corruunt pariter & omnes qualitates: Hâc baſi deficiente, totum ædificium inclinatur, & in ruinam vergit.

Confeſtim ac aliquis è divite pauper efficitur, à nemine ampliùs agnoſcitur, illius conſortium nullus poteſt ampliùs perpeti, nonniſi ægro ſuſtinere poteſt aliquis animo ut frequentioribus & honeſtis interſit hominum concionibus; eum deſpicit unuſquiſque; imò cognati ejus æquè ac affines ab illo fugiunt

ſicut

ſicut ab occurſu hominis declinarent excommunicati. Si pauper loquatur, licèt foret ille diſertus ut Cicero, aut ut Demoſthenes, nemo vult eam audire: & quamvis eſſet ille ſanctus ex ſuppoſitione ut Dei Filius, qui eſt *Sanctus ſanctorum* p, & *Sanctus Dei* q; hoc tamen non impediret quin derideretur, & exploderetur à circumſtantibus omnibus, quia pauper eſſet. Quis unquam fuit ſapientior Jeſu Chriſto, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* r? Et *qui factus eſt nobis Sapientia à Deo* s. Et tamen nunquid non dicebatur de illo? *Nonne hic eſt fabri filius* t?

p Dan. 9. 24.
q Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
r Coloſſ. 2. 3.
s 1. Cor. 1. 30.
t Matth. 13. 55.

Propter hanc rationem, ni fallor, unuſquiſque divinas ſatagit ſibi comparare per fas, & per nefas, in diſpendium etiam Crucifixi, licèt ſciat, ſe pretio iſto iniquitatis empturum infernum, & æternam ſuam moliturum damnationem. Sic enarratur, quòd cùm Imperator Theodoſius glorioſam de Tyranno Eugenio victoriam retuliſſet, & Dux quidam exercitus illius, in templum ingreſſus, in eoque ſtatuam Jovis fulmen præ manibus tenentis inveniſſet, illud fulmen cepit iſte Dux, & è templo egrediens, Imperatori dixit, Enixè obſecro ſacram Majeſtatem tuam ob grata obſequia mea ut ipſa vibrare dignetur fulmen iſtud, quod cepi è manibus Jovis, ſuper caput meum: Ha! amice chariſſime, reſpondit ei Imperator, iſtud non eſt præmium quod magnanimitas tua à me jure meritò poteſt exigere: vitam tuam in diſcrimen adduxiſti ad ſtabiliendum diadema meum, ne laberetur è capite meo; & modò à me efflagitas ut fulmen iſtud vibrem ſuper te: nonne vides quòd ſit fulmen, & quòd profectò contereret caput tuum? At ille, Non diffiteor, fulmen eſt, ſed fulmen aureum, inquit, ſuæ ſtudens utilitati, ſuâ auferens induſtriâ id quod ceperat. Idem dicendum eſt de plurimis Chriſtianis, diteſcere volunt ijs quæ ſurripiunt in templis, ſed in diſpendium animæ. At hæc bona damnationem in vos invehent æternam. Nihil intereſt, dummodò habeamus unde vanitati & genio indulgeamus.

Unuſquiſque pompaticè vult indui in detrimentum pauperum; oris & ventris exceſſibus vacare, familias integras deſolando; & luxui ſatisfacere, viduas & orphanos nudando, æquè ac hominum plebeiorum ſanguinem ſugendo, nedum tamen debita ſolvat mercatoribus, qui perſæpè foro tenentur cedere. Aliàs exenterebantur illi qui moriebantur in foſſilibus, ut ex illorum viſceribus caperetur aurum: ſi verò hodiernâ die exenterarentur mali divites, in illorum viſceribus inveniretur, non aurum, ſed ſubſtantia pauperis, & ſanguis orphani, & ſi eorum comprimerentur veſtimenta, illis ſingulis verè dici poſſet, *In alis tuis inventus eſt ſanguis pauperum, & animarum innocentum* g. Infœlices, qui, quandiu ſuccedunt vobis omnia ad deſiderium affluenter, & delicijs diffluitis, alienis non compatimini miſerijs; corda ſaxea & adamantina, quæ emollire non poſſunt objecta, quæ tigrides ac pantheras ad compaſſionem inducerent, quid evenire vobis poteſt niſi ut excipiamini aliquando eodem modo quo nunc excipitis alios? *Eâdem quippe menſurâ quâ menſi fueritis, remetietur vobis* h. Ergo *væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël: qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem pſalterij; bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil ſuper contritione* i pauperum patimini. Ha! quid vobis contingere poteſt, niſi ut omnes iſti pauperes, quos ita tyrannicè oppreſſiſtis, & injuſtè ad pereundum ſame induxiſtis, inſurgant adversùm vos, & juſtitiam expoſcant à Deo contrà violentiam veſtram? Heu! Domine, ecce funis, quo fauces nobis conſtrinxit; en gladius, quo nobis os præcidit, & latera perforavit. Sic eſt, Auditores: quot pauperes erunt, tot eſtis experturi veſtrarum accuſatores injuſtitiarum, cùm petituri ſint à Deo ut vobis infligat pœnas ob injurias à vobis ſibi irrogatas, & tunc excipiemini juſto judicio Dei, ſicut illos excepiſtis. Infœlix noſter epulo guttam aquæ petit à Lazaro quieſcente *in ſinu* Abrahæ, quæ ei denegatur. Qui recuſavit parùm, indiget exiguo, & iſtud exile ei renuitur. Ubinam ſunt cellaria tua, abundantiæ tuæ, magnificentiæ tuæ? Omnia habebas in mundo, & ego nihil, ait illi Lazarus: nunc autem ego omnia habeo, quandiu tibi deficiunt univerſa, ſi excipiam ſupplicia: tunc voluptatibus diffluebas, nunc verò cruciaris *in hâc flammâ*, quandiu ego portatus ſum *ab Angelis in ſinum Abrahæ*. Auditores *videte, & cavete ab omni avaritiâ* k. Ne videlicet divitias injuſtè vobis comparetis, neque eas in malos uſus impendatis, ſi velitis declinare à *flammâ* mali divitis, & pervenire cum Lazaro *in ſinum Abrahæ*. Id eſt, gloriæ.

g Jer. 2. 34.
h Luc. 6. 38.
i Amos 6. 1. &c.
k Luc. 12. 15.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. Quadrageſimæ.

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus: cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſâ divitis, & nemo illi dabat Luc. 16. 20. &c.

QUandiu *mendicus Lazarus* contentâ voce inclamat præ foribus noſtri divitis, qui *induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè*, ut ſibi fame pereunti, æquè ac ſanie & tabo ſcatenti ſuccurratur, ſinite, ſi placet, Auditores, ut in medium proferam vobis conceptum jucundum S. Ambroſij a, qui ſuper hæc verba S. Lucæ, quibus Virgo Sanctiſſima reſpondit Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ait, *Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur*. Cùm menſæ aſſidetis, ſi fortè tunc accedat ad valvas domus veſtræ mendicus aliquis eleemoſynæ efflagitandæ ergo, è menſâ propter eà non ſurgitis ut deſiderijs ejus faciatis ſatis, & miſeriam illius aliquo ſublevetis modo interventu alicujus eleemoſynæ ei erogandæ, ſed illam committitis manibus ancillæ veſtræ, quæ eam ad illum defert: in ſummam erat redactum humanum genus egeſtatem, & inſtantibus & enixis ſupplicationibus expoſcebat à Deo eleemoſynam, ut ſuam famem compeſceret, *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, de Petrâ deſerti ad montem filiæ Sion* b. *Quaſi diceret, O Dominator terræ, mitte nobis Agnum, id eſt Filium tuum dilectum, qui quaſi agnus piacularis nos redimat & ſalvet*, ait Cornelius c ex Hebræo. Qui paulò pòſt ſubdit, *Myſticè, Petra deſerti eſt beata Virgo*

a S. Ambr. lib. 2. in Luc. 1. 38.
b Iſai. 16. 1.
c Cornel. in Iſai. 16. 1.

ge

g, quæ iis qui ab omni auxilio deſerti ſunt, præſidio eſt inſtar petræ, inquit Hugo. Pater æternus deprecationem illius exaudit. *Panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo* d. *Panis cœli non eſt aliud quàm Chriſtus, de quo Cœleſtes, id eſt, Angeli reficiuntur eius contemplatione. Et hunc panem, id eſt, Verbum grandis cibo, quo paſcuntur Angeli, carnem factum e edit homo*, ait Incognitus f. *Et famelici ſaturati ſunt* g. Id eſt, quandiu B. Virgo non ignara conſilii Dei, ut ad nos iſtum *panem cœli* afferat, cui ut ſit *ancilla Domini, apparatus officij eſt*, juxta eundem S. Ambroſium; ait, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria*.

d Pſ. 77. 24. & 25.
e ex Ioan. 1. 14.
f Incognit. in Pſ. 77. 25
g Reg. 2. 5.

Illius querela eſſet juſta, ſi foret vera qui præſumpſit inſimulare mundum defectûs, quandiu queſtus eſt de Deo, eò quòd iſti mundo non dediſſet os, ſicut hoc tribuit homini ad magnificandam Divinam ipſius gloriam. Sed pro comperto eſt, nullam eſſe creaturam quæ duplicem non ſuſceperit linguam. Vnam ad manifeſtandam gloriam Dei, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum* h. Alteram verò, quam impendit in uſum hominis, propter cujus obſequium fuit illa producta, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius; oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris* i. Sed quod *Sapientia* k Dei, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* l, ſanctè ordinavit; hoc idem deordinatum eſt ab ambitione hominum. Divites omnia uſurpant, & inducunt omnes creaturas ad exhibenda ſibi obſequia ſua, totum arrogant ſibi honorem, nec ulla eſt lingua, neque penna, quæ non acuat ſe ad propalandas Magnatum qualitates, quantùmvis criminoſas. Deificantur omnes eorum actiones, quin imò illorum vitia nomen virtutis ſibi aſciſcunt interventu alicujus linguæ, aut pennæ adulantis, quandiu pauperes contemnuntur & deprimuntur, & omnes illorum virtutes eclypſi offunduntur, nec de illis habetur ſermo niſi præ deriſu. Videte Lazarum noſtrum mendicum qui extremum penè vitæ agonem agit, nec ullius membri liberum habet uſum niſi linguæ; ſed ad quid inſumet eam? Ad expoſcendam juſtitiam contra divitem, & ad accuſandam ſævitiam ejus? Unuſquiſque tacet; in favorem ejus nemo loquitur: nonne proclamabit hæc lingua innocentiam illius? In gratiam ejus adhibere volo linguam meam, & ſi non poſſum aperire crumenam ad ſublevandam miſeriam ejus, & pauperum, aperiam ſaltem os meum ut inducam corda veſtra ad compatiendum ei, & iſtis; & manus veſtras ad erogandam illi, & iſtis eleemoſynam. Videbimus ergo ſævitiam divitis adverſùs Lazarum, & dolorem ejuſdem Lazari ſimul, in progreſſu diſcurſus hujus. Veſtræ attentionis erit dolorem meum ſublevare, quandiu dolori Lazari compatiar.

h Pſ. 18. 2.
i Pſ. 8. 8. & ex Gen. 1. 2.
k Sap. 7. 24.
l Sap. 8. 1.
Propoſitio

Res inaudita! admirabilis procedendi modus, quòd in naturâ res excellentiſſimæ, præ omnibus maximè ſint egenæ. Hanc veritatem videmus manifeſtam in rebus quæ non habent niſi ſimplex eſſe, ut lapides; vegetabile, ut plantæ & arbores; ſenſibile, ut animalia; rationale, ut homines; & inter omnia hæc entia nobiliſſimum, eſt præ cæteris aliis in maximam egeſtatem redactum. Lapis, qui eſt minimus iſtorum omnium entium, non indiget ad perfectionem ſuam conſequendam niſi ut perveniat ad centrum ſuum, ſi ab eo aliquâ fortè educatur violentia. Arbores & plantæ quæ ſunt in ſtatu elatiori collocatæ, majori ſunt etiam in neceſſitate conſtitutæ: indigent enim influentiâ cœli, & adipe terræ, unde ſuum eruant alimentum, & perveniant ad gradum magnitudinis, quem ipſis natura præſcribit. Animalia, quæ majoris ſunt excellentiæ, quàm ſint lapides, & plantæ æquè ac arbores, maximam pariter præ illis ſuſtinent indigentiam: oportet enim ut quærant extra ſemetipſa id quod ipſis eſt neceſſarium ad fovendam vitam ſuam, & niſi mater ipſorum ipſis provideat alimenta huic ipſorum vitæ fovendæ accommoda, per agros & ſylvas currunt ad compeſcendam famem ſuam obvio prædæ alicujus occurſu. Homo verò qui conditionis eſt ſublimiſſimæ præ cæteris iſtis omnibus entibus, ad maximã quoq; præ illis eſt redactus neceſſitatem: in mundum enim venit in ſtatu nuditatis, qui ſatis miſeriam ejus & infortunium illius manifeſtat, ut ait ipſe Job m de ſe, *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ*. Et ſicut conditio ejus eſt delicatior conditione animalium, ita concutit illa ad reddendum illum doloribus acriùs & ſenſibiliùs expetendis & ſuſtinendis obnoxium. Animalia in lucem prodeunt inſtructa omnibus, quæ ipſis tuendis & defendendis ſunt accommoda, naturali feruntur inſtinctu ad quærenda ea, quæ fovendæ & alendæ vitæ ſuæ ſunt opportuna: ſed nihil iſtorum omnium habet homo, præ ſe nihil fert niſi ſuſpiria & lacrymas, quibus ſuam exprimat infœlicitatem, quæ eò major eſt, quò conditio ipſius eſt elatior, ut ipſe Salomon n (licèt Rex futurus) de ſe teſtatur, *Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Sed ſtupore non cieatur, cùm Angelus qui elevationis & eminentioris eſt conditionis, quàm ipſe ſit, ad majores neceſſitates & indigentias ſit redactus, quàm ipſe ſit; nam cùm mentem habeat majoris capacitatis, quàm ipſe habeat, ideò ad plura ſuſpirat, quàm ipſe ſuſpiret, ad replendum illud vacuum; propter hoc eſt Angelus homine indigentior.

m Iobi. 1.
n Sap. 7. 3.

Sed ſi natura omnes homines reddit æquales, inter eos conſtituit fortuna diſtinctionem: alios facit iſta naſci in purpurâ, alios verò deſerit in ſterquilinio, & jacêre ſinit eos ſuper palea: quandiu Magnates ſceptra tractant, & ſuper thronis ſedent inſtructis auro & margaritis, pauperes ſuſpirant ſuper humo, & volutantur in luto. Si autem poſt hæc petatis à me uter ſit indigentior, pauper aut dives: Reſpondeo quòd dives. Ille ad majorem eſt redactus egeſtatem qui pluribus indiget: atqui dives pluribus indiget quàm pauper: ergo dives indigentior eſt paupere. Diviti opus eſt famulis, quibus pauper non indiget. Dives indiget agricolâ ad colendos agros ſuos, manus habet nimis delicatas, nedû eas aratro applicet. Innumera alia ſunt illi neceſſaria, quibus pauper non indiget: pauper igitur eſt minùs indigens quàm dives, cùm Magnates indigeant cuſtodibus, qui ipſorum corpora cuſtodiant. Sed interim pauperibus omnia deficiunt, quandiu divites copioſâ rerum omnium abundantiâ affluunt; honores, dignitates, officia, deliciæ, voluptates, & divitiæ, hæc omnia portio ſunt divitum. Heu! Deus mi, quid agetur de pauperibus? nunquid non aliquid eis dabitur? volutabunturne ſemper in pulvere, quaſi fæx univerſi orbis? nonne illorum curam geres? *Tibi derelictus eſt pauper* s. Sic eſt, Auditores: Deus illorum agit curam, & eos bonis deſtituens temporalibus, theſauris illos replet cœleſtibus. *Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robuſtarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſuâ*, ait ei Iſaias t. Deus igitur pauperes bonis nudat terrenis, præ manibus illorum ponit gratias & theſauros cœleſtes; ita ut præ eorundem manibus ponere debeat quis bona terræ, ſi velit ab illis ſuſcipere bona cœli, quorum ſunt arcarij & depoſitarij. Sic eſt, divites; ſi bonis diteſcere vultis cœleſtibus, erogate bona

s Pſ. 9. 35.
t Iſai. 25. 3. & 4.

terrena

terrena pauperibus & mendicis.

Enunciat Daniel x verbum, quod magis præ ſe fert intelligentiæ, quàm apparentiæ, dum Deum ſic alloquitur, *Domine Deus, omnia in vero iudicio feciſti.* Sed quomodo illud, cùm omne verum judicium ſupponat æqualitatem? Quænam autem æqualitas invenitur, ſi placet, inter divitem & pauperem? Dives habet omnia, & pauper nihil, ut patet in Evangelio noſtro, *Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus: cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ divitis, & nemo illi dabat.* Quamdiu dives pretioſis indutus eſt veſtimentis, vix habet pauper viles & laceros pannos, qui magis ſerviunt ipſi ad oſtendendam nuditatem ipſius, quàm ad eam operiendam. Diviti ſuccedunt omnia ad deſiderium, pauperi verò deficiunt univerſa. Quænam æqualitas in his? Sed attendite, Auditores. Divites habent bona terræ, quibus pauperes ſunt deſtituti; pauperes verò penes ſe habent bona cœli, quibus divites indigent: Deus vult ut divites dent, ad hoc ut recipiant; & ut dantes bona terræ pauperibus, ſuſcipiant ab eis bona cœli, quibus vacuum ſuum repleant; & ut ſic ioveniatur inter eos æqualitas, cùm divites habeant terram, pauperes verò cœlum; & ut inter illos iſtud fœlix ineatur commercium: cùm enim præcipit Deus divitibus ut dent, non intendit eos depauperare, ſed ditare: Sic cùm adoleſcenti Evangelico y ait Ieſus, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus:* non volebat eum pauperem facere, ſed divitem: bona cœli illi deerant, ut autem illa ſibi conciliaret, bona terræ egenis erogare debebat, *Et habebis theſaurum in cœlo. Id eſt, copioſam & ſupereffluentem remunerationem,* ait Carthuſianus z. Paradiſus, cœlum, gloria, iſtud omne eſt præ manibus pauperum, hoc habent penes ſe depoſitum, ut illud tribuant divitibus, qui è manibus ſuis pecuniam ſinentes effluere, cœlum ſuſcipiunt è manibus pauperum.

x Dan. 3. 30. & 31.
y Matth. 19. 21.
z Dion. Carth. ar. 33. in Mat. 19. 21.

Fortaſſis dicetis mihi, aliquos pauperes eſſe vitioſos. Reſpondeo, hoc nihil intereſſe: Deus non dedit illis bona ſua in proprium, theſauri Dei non ſunt apud illos niſi ut depoſitum; quod autem habet quis ut depoſitum, is debet illud reddere his ad quos illud pertinet; cœlum debetur divitibus cùm ſuis illud ement eleemoſynis, & illud capeſſent è manu pauperum. Propterea Jeſus Chriſtus, *Ipſe qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorū* a, *cùm venerit in maieſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei Iuſti, dicentes, Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus: ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens Rex, dicet illis, Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* b. Sic indigentia & penuria pauperum eſt neceſſaria ac utilis divitibus: & in hoc manifeſtatur æqualitas judicij Dei, ut ait Apoſtolus c, *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt; Qui multum habuit, non abundavit: & qui modicum, non minoravit.* Quod ſic explicat Dionyſius Carthuſianus d ad propoſitum noſtrum, *In præſenti tempore velociter decurrente veſtra abundantia in temporalibus, illorum inopiam in eiſdem temporalibus bonis, ſeu meritis ſit ſupplementum, hoc eſt, quatenus ipſi dum de veſtris eleemoſynis ſuſtentantur, orent pro vobis, & impetrent quod ipſi meritis veſtris impetrare non poteſtis, ut fiat æqualitas, id eſt, commenſuratio ſeu proportio in datis & acceptis, dum pro temporalibus ſpiritualia rependuntur, ſecundum quandam decentiam æquitatis. Vel, fiat æqualitas remunerationis æternæ ſaltem in genere, ita ut omnes ſimul præmium eſſentiale (quod eſt Dei fruitio) acquiratis, quod ſignificatur per denarium diurnum, quoniam ſinguli operarij receperunt* e: *ſicut ſcriptum eſt in figurâ huius æqualitatis de manna, Nec qui plus collegerat, habuit plus; nec qui minus collegerat, habuit minus. Quod nunc aliis verbis hic dicitur. Qui multum habuit, id eſt, plus quàm menſuram Gomor de manna collegit, non abundavit, id eſt, non plus retinuit ſibi quàm Gomor; & qui modicum collegit de manna, non minoravit, id eſt, minus non habuit quàm continet Gomor. Nec hoc miraculosè fiebat: ſed cùm omnes collegiſſent, totum ſimul ponebatur, menſurabaturque ſingulis de manna tantum, quantum continet Gomor.* Jeſus Chriſtus, qui eſt *Omnipotens* f, *in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ abſconditi; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* g: *propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis* h. Pauperem ſe fecit Dei Filius in terrâ, ut ſuâ ditaret vos paupertate. Sed quomodo? Suſcipiendo charitates veſtras in perſonâ pauperum, diteſcere vos facit; confeſtim enim ac illis datis bona veſtra, cùm eleemoſynas pauperibus erogatis, ipſe vos ditat gratiis ſuis. *Ut illius inopiâ, id eſt, merita paupertatis Chriſti, vos divites eſſetis, id eſt, ſpiritualem bonorum copiam conſequeremini. Nam Chriſti Incarnatio, noſtra Deificatio eſt: Chriſti converſatio, noſtra eſt perfectio. Chriſti penuria, noſtra eſt opulentia,* ait idem Carthuſianus i. Ita ut paupertas ſit veſtrarum cauſa divitiarum: & hæc eſt æqualitas inter divitem & pauperem: terra pertinet ad divitem, & cœlum ad pauperem; dives dat terram, & ſuſcipit cœlum. Fœlix commercium! negotiatio fortunata! Siccine, Auditores, injurioſi eritis promovendæ ſaluti veſtræ, ut ita proficuæ negotiationi renuatis incumbere?

a Act. 10. 42.
b Matth. 25. 34. & c.
c 2. Cor. 8. 14. & 15. ex Exod. 16. 18.
d Dion. Carth. art. 8. in 2. Cor. 8. 14. & 15.
e ex Matth. 20. 2. & 9.
f Eſth. 13. 9.
g Coloſſ. 2. 3. & 9.
h 2. Cor. 8. 9.
i Dion. Carth. art. 8. in 2. Cor. 8. 9.

Divites & Pauperes ſunt duo contractus neceſſarii, dives ſalutem ſuam operatur interventu pauperis, & pauper ſuum ſuſcipit auxilium adminiculo divitis. Sic eſt, divites: adjutorium veſtrum charitativum tenemini pauperibus impendere, & ſi miſericordiam eis denegatis, ſævitia veſtra coodemnabitur ab illorum miſeriâ. Omne quod penes vos ſuperfluum eſt, ad pauperes attinet; ſi autem hoc illorum eſt, & non veſtrum, debebitis illud eis erogare, & niſi illis hoc impendatis, Deus rationem k aliquando vobiſcum ponet, ut innuere videtur parabola Evangelica, *Aſſimilatum eſt Regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.* Quam ſic incipit explicare Dionyſius Carthuſianus l, *Aſſimilatum eſt Regnum cælorum, id eſt, ſtatus & regimen Eccleſiæ militantis, cuius converſatio eſt in cælis* m, *homini Regi qui voluit rationem ponere, id eſt, computationem & iuſtam exactionem, ſeu inquiſitionem facere cum ſervis ſuis. Porrò iuxta myſticum ſenſum Dominus iſte eſt Chriſtus Rex regum* n, *& Dominus univerſorum* o, *qui licèt in die iudicij, vel in horâ mortis ac particularis iudicij nullum peccatum relinquat inultum, nec tempus pœnitentiæ tribuat, tamen quotidie ponit rationem cum fidelibus per Vicarios ſuos Prælatos, per Scripturarum admonitiones, & per* in-

k Matth. 18. 23. & c.
l Dion. Carth. art. 32. in Mat. 18. 23.
m ex Philipp. 3. 20.
n ex 1. Tim. 6. 15. & ex Apoc. 19. 16.
o ex Eſth. 13. 11.

internas inſpirationes. Iſtis autem Scripturis medijs interiùs inſpirat vobis Dei Filius ut detis pauperibus id, quod ad ipſos pertinet, ſi vultis ut detur vobis virtus; & copioſa merces, illorum interventu, *Date,*
p Luc. 6. 30.
& dabitur vobis p. Id eſt, ait Dionyſius q idem,
q Dion. Carth. art. 36 in Luc. 6. 38.
Date beneficia corporalia, vel ſpiritualia, imò utraque, præſertim egentibus. Et dabitur vobis à Deo præmium copioſum. Et ei qui dat propter Deum temporalia, conferuntur ab eo ſpiritualia. Qui verò ſpiritualia beneficia alteri præſtat, orando, hortando, docendo, corripiendo, magnum ſpiritualium chariſmatum ſortitur à Deo profectum. Erogate igitur egenis eleemoſynas, ut ſpirituales vobis gratiæ, & æternæ impendantur mercedes, *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ*
r Ioan. 8. 39.
facite r. *Erat autem dives valdè in poſſeſſione auri & argenti* s iſte Patriarcha. Sed, ut ait S. Chryſolo-
s Gen. 13. 2.
t S. Chryſol. ſerm. 121.
gus t, *Non ſibi, ſed pauperi dives fuit.* Omnia enim pauperibus erogabat. Mementote hoſpitalitatis eius, & quantam adhibuerit curam ad ſuſcipiendos oppiparè, æquè ac comiter peregrinos u. Sed
u Gen. 18. 2. &c.
hodie nihil eſt in civitate N. præter cædes & homicidia; in eâ ſunt innumeræ neceſſitates & miſeriæ, nec tamen ibi eſt ulla charitas, aut compaſſio quæ exerceatur erga pauperes & mendicos. O crudeles! ô immites! convivijs indulgetis, & exceſſibus oris, & ventris, quandiu fratres veſtri, ſeu vicini pereunt fame; ruſtici exeuntes è caſulis ſuis poſt effoſſa terræ viſcera ut in illis aliquas radices inveniant, quibus ſuam ab interitu tueantur vitam, civitatem veſtram adeunt, & januas veſtras æquè obſeratas reperiunt; ac corda veſtra compaſſioni clauſa; contentâ voce inclamant ut ſui miſereri dignetur aliquis; & nemo illis reſpondet, extremum jam jam ſunt efflaturi vitæ ſpiritum, nec vitam habent ampliùs niſi apparentem, cùm unuſquiſque eorum ſit ad extremas anguſtias redactus; quin imò matres intuentur invitæ præ dolore immodico mori filios ſuos in eodem ſinu, qui eis vitam tribuit, ubera earum non habent ampliùs lac, & nemo illorum miſeretur: & ſi agatur de ludendo, nemo eſt qui uſque ad exceſ-
x Ier. 2. 12.
ſum non ſit prodigus. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc* x! Quænam crudelitas! Si tenemini tribuere ſuperfluum, utquid depravari ſinitis in ciſtis veſtris tot veſtimenta, quæ operire poſſent nuditatem tot miſerorum? Erogate egenis id, quod ad ipſos pertinet, ſalvam facite eorum vitam, famam, & conſcientiam, alioquin in ſtatum talem redacti ſunt ut omnia in diſcrimen adducant. Neceſſitas eſt inventionum parens; puella quæ panem habere non poteſt, quo famem ſuam ſatiet, proſtituet ſe; & ſi aliquantulam ei erogareos pecuniæ ſummam, illius proſtitutionem poſſetis impedire, & ſalvare corpus & animam ejus veſtrâ miſericordiâ. Omne quod fulget, aurum non eſt, ut dicitur, multi ſunt pauperes ſecreti, quos mendicare pudet; aperite iſtis viſcera miſericordiæ veſtræ, quippe qui cùm aliàs proſperam & ridentem fuiſſent experti fortunam, & nunc eandem adverſam & rugatâ fronte rigentem ſuſtineant, mallent potiùs mortem centies oppetere, quàm ſemel extremam inopiam, ad quam redacti ſunt, manifeſtare. *Sanguine hircino adamas frangi dicitur: ſed heu Sanguine Chriſti cor tuum non frangitur!* exclamat S. Bonaventura y, quaſi ſermonem
y S. Bonav. ſerm. 4. in Paraſc.
ſuum ad ſingulos avaros dirigens poſt S. Bernardum, quem ſic loquentem citat, *O duri & obdurati Adam filij, quos non mollit tanta benignitas, tanta*
z Ioan. 19. 34.
flamma, tam ingens ardor amoris! Sine Domine, non ut ampliùs tuum *lanceâ latus* z aperiam, ſed ut ex eo defluentis Sanguinis manipulum capeſſam, & pretioſum hunc liquorem effundam ſuper auditores iſtos, ut experiar utrùm mollire poſſim duritiem cordium ipſorum ipſo adamante induratiorū. Si autem ſupradictis ſanctis Doctoribus avari nolint credere, audiant quoque S. Auguſtinum a dicen- a S. Aug. lib. 21 de Civit. Dei c. 4.
tem, *Adamantem lapidem multi apud nos habent, & maximè aurifices, inſignitoresq; gemmarum, qui lapis nec ferro, nec igni, nec aliâ vi ullâ perhibetur præterquàm hircino ſanguine vinci. Sed qui eum habent, atque noverunt, nunquid ita mirantur, ut hi quibus primùm potentia eius oſtenditur? Quibus autem non oſtenditur, fortaſſe non credunt: aut ſi credunt, inexperta mirantur: & ſi contigerit experiri, adhuc quidem mirantur inſolita. Sed aſſiduitas experiendi paulatim ſubtrahit admirationis incitamentum.* Sed auſcultent Pſalmiſtam b in perſonâ Chriſti loquen- b Pſ. 21. 15.
tem, *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens.* c Incognit. in Pſ. 21. 15.
Super quod Incognitus c ait, *Sacramenta antiqua, & vetus Teſtamentum duravit uſque ad Chriſti Paſſionem, propter quod dicit Magiſter* d, *quòd omnia Sa-* d ex Magiſt. Sent. lib. 4. diſt. 2. S. verò.
cramenta fluxerunt de latere Chriſti dormientis in Cruce. Sacramenta autem antiqua erant dura, & magnæ aſperitatis, ut patet in Circumciſione e, *ſed nova ſunt* e ex Ioſue 5. 2. & 3.
magnæ placabilitatis, & ſic per Chriſti Paſſionem duritia Sacramentorum in molliciem eſt verſa, ſicut cera dura ad ignem poſita vertitur in molliciem. Et hoc hic notans Chriſtus, ait, Factum eſt cor meum, &c. Per cor Chriſti accipe doctrinam Evangelicam, vel Sacramenta, à quibus ſicut à corde vita procedit. Dabo eis cor, ut ſciant me f. Hæc autem doctrina Evange- f Ier. 24. 7.
lica, avarorum corda demulcere ſatagens, & eos g Sap. 10. 10.
ſcientiam Sanctorum g edocere contendens, ait illis, h Luc. 6. 38.
Date, & dabitur vobis h.

Sed heu! licèt Deus dixerit per Prophetam i ſu- i Ezech. 11. 19. & 20.
um, *Dabo eis cor unum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum ut in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant, faciantque ea:* tamen epulo noſter *durâ cervice & incircumciſo corde & auribus, ſemper Spiritui ſancto reſiſtit: ſicut Patres illius &* k ipſe, qui *videtur fuiſſe Iudæus,* k Act. 7. 51.
uti ex V. 24. & 31. ubi Moſen nominat, & Abraham invocat, colligit Euthymius, qui & addit Hebræos tradere, illum vixiſſe tempore Chriſti, ideòque de eo Chriſtum recentem hanc narrare hiſtoriam, ut magis percellat auditores, doceatque contemnere opes, & delicias exiles & breves huius vitæ, ait Cornelius l. Et ne- l Cornel. in Luc. 16. 19.
dum auferri à ſe ſineret *cor lapideum de carne* ſuâ, daretque ſibi *cor carneum, ut in præceptis* Dei ambularet, & Lazari mendici miſereretur; quandiu ipſe *dives induebatur purpurâ & byſſo, et epulabatur quotidie ſplendidè; mendicus, nomine Lazarus, iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ divitis, et nemo illi dabat.* Ecce igitur noſter epulo, cui omnia ſuccedunt ad deſiderium, qui eſt indutus pompaticè, & delicijs diffluit, quandiu Lazarus nihil habens ampliùs præter oſſa pelli adhærentia jacet, præ januâ illius, ad molliendum cor ejus hoc ſpectaculo doloris & miſeriæ: ſed illum deſpicit iterùm atque iterùm epulo tranſiens & pertranſiens, cùm ænea haberet viſcera (ne dicam adamantina) ait S. Chryſologus, *Quem Deus humanæ ſalutis avidus inquiſitor emollire cupiens, non tam Lazarum, quàm ipſum pietatis conflatorium, eius proiecit ad ianuam: conflatorium dixi, propter ferrea viſcera* m. *Ianuæ divitis* m S. Chryſol. ſerm. 121.
pauper apparuit ulceribus plenus: ac ſit hoc non humano caſu, Iudicio ſit Divino, ut divitis & pauperis conflictus eſſet in terrâ, ſpectaculum maneret in cœlo n. n Idem ſerm. 124.
Sed ſiquis hic epulo eſt ſenſu veluti deſtitutus, æquè ac affectu miſericordiæ, Deus linguam providet diſertam Lazaro, quâ ſuam exprimat miſeriam, & diviti ſenſibiliorem exhibeat eam intuendam: ſolas

eſſla.

efflagitat micas cadentes *de menſâ divitis.* Sed eum deridet hic immiſericors, & hanc non vult audire vocem quæ miſerias illius exprimit: & quia vox unicæ linguæ non erat ſatis valida ut ſibi conciliaret auditum, tot præ ſe linguas fert Lazarus, quot plagas, ita ut caro ejus ſit tota lingua ad emolliendum hunc epulonem, *Deus, quia obduratis auribus unius oris nil erat vox clamantis, ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite, tot eſſent pauperis ora, quot vulnera, ſolvuntur viſcera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, ſanies effunditur, & tota pauperis caro componitur in ſcenam pietatis: ut quem vox eſurientis non moverit, vel ſuſpiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret, ſed dives ſuperbo oculo, & inſatiabili corde* o, *hæc omnia & audire, & videre, & ſentire contemnit.*

o ex Pſ. 100. 1.

Quæric adhuc Deus quemadmodum dives à ſuâ obſtinatione ſolvatur. Solvit pauperi manus à ſuis artubus, uti nec abigeret canes divitis, quos vulneribus ſuis divitis erat paſturus in vulnus: & novo modo, Fratres, humanitatis ordo mutatur: fit humana mendicitas, ut cupiditas prodatur inhumana. Dives pauperem nec cadentibus de menſâ micis paſcit: & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus ſuis canibus humanus extitit. Miſer dives, ſi panem non dediſti, quare vel canes abigere noluiſti? Sed mitiores te canes tui, imò tu ſævior canibus tuis: nam te ſæviente, illi parcunt, qui non ad morſum dentes, ſed linguas ad obſequium ſic producunt, ut in modum ſpongiæ non vexent vulnera, ſed detergant. Dives, in canibus tuis famem pietas vicit: in te impietatem ſaturitas non ejicit. Nam quod canes hoc ſtudio faciunt curantium, uſus ipſe qui ſemper eſt in oculis, probat. Nam canes lambendo ſemper curant vulnera ſua: canes curant pauperem magiſterio naturæ, & homo hominem negligit, ipſâ graviter accuſante naturâ, ait idem S. Chryſologus p. Quænam inhumanitas! à divitibus aluntur canes, nutriuntur, imò verò impinguantur equi: pauperes autem ſuntne minùs quàm canes? ſuntne conditionis inferioris equis? Nunquid non *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* †? Et ut ſic capacem gratiæ & gloriæ, beneficio meritorum Jeſu Chriſti, quam utramque deſiderat S. Petrus q fidelibus omnibus, dicens eis, *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri: quomodo omnia nobis Divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem eius, qui vocavit nos propriâ gloriâ & virtute, per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiemini Divinæ conſortes Naturæ.*

p S. Chryſol. ſerm. 121.

† Gen. 1. 27.

q 2. Petr. 1. 2. &c.

Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus r, *Gratia vobis & pax adimpleatur, id eſt, perfectam gratiam, plenamque pacem Deus vobis largiri dignetur: ut quantùm poſſibile eſt, habeatis in vitâ iſtâ pacem perfectam, loquendo de pace mentis. Sicut enim quis dicitur in vitâ hâc eſſe aliquo modo perfectus in contemplatione, ſapientiâ, charitate, ita & in pace internâ. Non tamen poteſt pax vitæ præſentis eſſe indeſinenter, actualiterque continua. Ideò optat ſanctiſſimus Petrus, ut gratia & pax nobis adimpleatur: quatenus per gratiam & pacem viæ ad gloriam patriæ, quæ eſt gratia conſummata, ad pacem Chriſti, quæ exuberat omnem ſenſum* s, *quæ eſt pax continua nunquam finienda, poſt vitam hanc perducamur. Adimpleatur, inquam, in cognitione Domini noſtri Ieſu, id eſt, in contemplatione ipſius. Pax enim (quæ eſt gaudium imperturbatum) in contemplatione fundatur, & ex eâ cauſatur; ſicut et gaudium, mediante tamen dilectione: cum gaudium et pax immediati effectus et fructus dicuntur. Siquidem Deum contemplando, non in eo gaudemus, nec in ipſo mente quieſcimus, niſi eum ſinceriter diligamus. Quomodo omnia vobis Divinæ virtutis ſuæ, ſupple dona ſive gratiarum chariſmata, quæ ad vitam gratiæ iam habendam, et vitam gloriæ in futuro obtinendam; et pietatem, id eſt, Dei cultum, ſeu benignitatem, vel miſericordiam (de quâ loquitur Paulus* t, *Pietas ad omnia utilis eſt) ſupple, neceſſaria ſunt; donata ſunt; hoc eſt, cognoſcatis, qualiter, quàm gratioſè, quàm liberaliter Deus vobis donavit omnia dona gratiæ ac virtutum, quæ ſunt dona ipſius Divinæ virtutis, id eſt, omnipotentiæ eius, quâ ea per creationem infundit ac tribuit, quæ requiruntur et nobis ſufficiunt ad bene vivendum in ſæculo iſto, atque ad vitam beatam adipiſcendam in cœlo, et ad pietatem in omnibus exercendam, iuxta illud, Exerce teipſum ad pietatem* u. *Donata ſunt autem per cognitionem Chriſti, id eſt, per fidem ipſius, et per fidelem ipſius notitiam. Quia per fidem creverunt ad tantam perfectionem: et Chriſtum cognoſcendo ac invocando, adepti ſunt chariſmata meliora* x. *Qui vocavit vos, id eſt, ad ſtatum ſalutis, apicemque virtutum perduxit, propriâ gloriâ & virtute, id eſt, ſui ipſius excellentiſſimâ maieſtate & omnipotentiâ, ſeu in propriâ perſonâ glorioſa, ac omnipotente. Per quem ſcilicet Ieſum Chriſtum. Vel (ut alij habent) Per quam videlicet Chriſti fidelem cognitionem, maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, id eſt, excellentiſſima dona Spiritus ſancti, & munera præclariſſima, tum gratiæ gratis datæ, quàm gratiæ gratum facientis. Ut per hæc efficiamini. Divinæ conſortes Naturæ, id eſt, per hæc ſupernaturalia gratiæ dona Deo ſupernaturaliter conformemini, & tandem ad plenam cum Deo aſſimilationem pertingatis in patria.* Sic eſt, Auditores: his omnibus non obſtantibus, homines ſunt ipſis crudeliores hominibus quàm dæmones. Nihil aliud egerunt diaboli quàm ut hominem à nobilitatis ſtatu dimoverent, & ex homine beſtiam eum efficerent, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* y. Sed homo infra beſtias facit hominem deſcendere, cùm homo poſtponat hominem beſtiis, quas fovet, quandiu hominibus denegat id, quo ubertim canes affluunt.

r Dion. Carth. art. 1. in 2. Pet. 1. 2. &c.

s Philipp. 4. 7.

t 1. Tim. 4. 8.

u 1. Tim. 4. 7.

x ex 1. Cor. 12. 31.

y Pſ. 48. 13. & 21.

Attendite vobis, miſeri & infortunati homines, & ſeriò cogitate, quòd fortè ſors poſſit verti, æquè ac vos è divitibus pauperes poſſitis evadere; & quòd eodem modo excipiemini, quo alios excepeтis, extremo judicij die, quo ſola bonorum operum habebitur ratio, & malis actionibus ſupplicium rependetur, *Eâdem quippe menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis* z ait Chriſtus, miſericordes, æquè ac immites alloquens. *Hoc eſt*, ait Dionyſius Carthuſianus a, *iuxta modum veſtræ actionis, ſeu ſecundum proportionem & gradum converſationis, ſeu meriti veſtri, vel prout alijs feceritis, erit menſura, ſeu modus & gradus præmij veſtri, quia præmium merito correſpondet, magiſque penſatur ſecundùm magnitudinem interioris affectus, quàm operis exterioris: iuxta quod in Marco* b *ait Salvator, Quòd vidua quæ miſit duo minuta, plus omnibus miſit. Hinc in Ioanne* c *dicit, In domo Patris mei manſiones multæ ſunt; id eſt, diverſi gradus præmiorum, ſecundùm differentias meritorum. Et Paulus* d *teſtatur, Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. In Apocalypſi* e *quoque habetur.*

z Luc. 6. 38.

a Dion. Carth. art. 16 in Luc. 6. 38.

b ex Marc. 12. 42. & 43.

c Ioan. 14. 2.

d ex 2. Cor. 9. 6.

e Apoc. 10. 7.

betur, Quantum glorificavit ſe & in delicius fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Et per Iſaiam f
f ex Iſai. 47.8. *Dominus ait, In menſurâ contra menſuram iudicabo eam.* Nec obſtat, *quòd pro temporali merito datur merces æterna; quòd item Dominus Electos ſupra condignum remunerat, & reprobos citra condignum affligit, quia iſta menſura æqualitas, identitas, ſive proportio conſideratur in genere, ut qui plùs peccavit, plùs puniatur; qui ampliùs meruit, glorioſiùs coronetur.* Sed dicet aliquis, *Si eâdem menſurâ, quâ metimur, nobis remetietur: ergo ſi iniquâ menſura metimur, iniqua menſura nobis Divinitùs remetietur.* Sed iam patet huius ſolutio. *Non enim ille eſt ſenſus, ſed quòd ſicut fecerimus, fiet nobis, id eſt, retribuetur nobis ſecundùm exigentiam meritorum noſtrorum: & ſi nos fuerimus aliis immiſericordes ac duri, Deus quoque erit nobis ſeverus, quemadmodum Iacobus g aſſerit, Iudicium ſine miſeri-*
g ex Iacob. 2.13. *diâ erit ei, qui non fecerit miſericordiam.* Propter hanc rationem quando *mortuus dives, & ſepultus in inferno, elevans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius: & ipſe clamans dixit, Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ: dixit illi Abraham, Fili, recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Quia illi fame pereunti præ foribus tuis non ſuccurriſti. Hoc idem improperabitur à Chriſto reprobis; *Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc dicet his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite è me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: Hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes, Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere; & non miniſtravimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens, Amen dico vobis, quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi* h Matth. 25.41.&c.
feciſtis h. Deus mi, dignare mollire corda noſtra miſericordiâ erga pauperes, ut erogantes eis bona terræ, illorum interventu ſuſcipere poſſimus bona cœli, gratiam in hoc ſæculo, & gloriam in futuro.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

EST pro comperto quòd amor matrum eſt tenerior & ſenſibilior amore patrum erga liberos ſuos; & quòd licèt patres majus gaudium teſtentur in proſperitate liberorum ſuorum, matres tamen præ ſe ferunt majorem ſenſum & affectum doloris in adverſitate & in ſiniſtris eventibus eorundem liberorum. Ratio autem iſtius differentiæ aſſignatur à Philoſophiâ dicente, quòd cor virorum eſt apertius & lanus corde mulierum; & ideò quòd ſicut in nuntiis jucundis gaudium dilatat cor, gaudium patris eſt ſemper majus lætiori matris; & è contrà quòd ſicut triſtitia conſtringit cor, in eventibus adverſis eorundem liberorum majorem mater experitur dolorem. Veritatis iſtius experientiam videmus in Patre & in Matre Domini noſtri Jeſu Chriſti. Pater æternus gaviſus eſt in omnibus proſperitatibus Filij ſui, præcipuè verò cùm idem *Ieſus transfiguratus eſt. Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè com-*
a Matth. 17.5.&c. *placui* a. E contrà verò cùm idem Jeſus deformatus eſt ſeu defiguratus in cruce, & videns ſe ab omnibus derelictum, coactus eſt ipſi dicere, *Deus*
b Matth. 27.46. ex Pſ. 21.1. *meus, Deus meus, utquid dereliquiſti me* b? Nonne idem Pater oſtendit, quòd dolore non afficiebatur intuitu paſſionum ejuſdem Filij ſui, ſed illarum ſenſum & affectum relinquebat Matri ipſius
c Ioan. 19.25. ſtanti *iuxta crucem* c, quæ cùm eſſet mulier, & omnium amantiſſima, manſit ibi ſemper firma & immobilis, moriens cum Filio ſuo compaſſione quâ afficiebatur erga dolores ejus. Compatiamur, Auditores, huic dolori immenſo B. Virginis Deiparæ immunis ab omni genere conſolationis, & dicamus ei affectuosè, *Eia Mater.*

Heu! Auditores, nonne Salvator compatietur Matri ſuæ ita afflictæ intuitu dolorum ipſius? annon volet exaudire ſupplicationem quam ipſi proponit, ut ſatagat ipſam cruci ſuffigendam, ut moriatur cum ipſo, cùm ipſa ſuo primo ſatisfacere non poſſit deſiderio ſito in hoc, ut ipſe liberaret ipſam ab angore quo ipſa cruciatur videns ipſum ſic dirè excipi? Et quomodo vult ut ipſa credat id quod aliquando *ingreſſus Angelus, ad eam dixit? Dominus tecum.* Eritne contentus ad verificationem iſtius, quòd ipſe fuerit cum illâ per decurſum triſtis hujus vitæ; & nunquid non favorem largietur ei integrum, ut admittat illam ad ſocietatem ſuam, relinquens *mundum, & ad Patrem* d vadens? d Ioan. 16.28
Ha! Auditores, ſi quandiu *hic Deus noſter in terris* e Baruch. 3.36.& 38.
viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt e, amici ipſius ſibi complacuerunt in videndâ Matre ipſius ipſi ſociâ individuâ, & communicaverunt favoribus ejus, æquè ac bonis illius exemplis, autumare debet, quòd ſi nunc vadit ad cœlum, omnes Sancti qui aderunt, deſiderabunt illam videre cum ipſo gloriâ coronatam, cùm tempeſtas impertiendo ipſis huic oblectamento videatur opportuna. Ha! quàm valdè deceret, ut, ſi *aſcendens in altum, captivam captivitatem* f ducit tot animarum *pretio ma-* f Epheſ. 4. 8. ex Pſ. 67.19
gno g redemptarum, quas ſuo Patri æterno eſt g 1. Cor. 6.20 & ex Pſ. 18.6.
oblaturus, haberet ad latus ſuum perſonam ſanctiſſimæ Matris ſuæ, ut faceret eam eligere locum ſuum ſupra omnes alios Sanctos, & præſentaret illam Patri ſuo ut fideliſſimam Sponſam ipſius, æquè ac Matrem Filij ipſius naturalis? *Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex ea Sponſus procedit Chri-* i S. Epiph. ſerm. de laud. Deip.
ſtus, ait S. Epiphanius i. Debet autem ipſe putare, quòd ipſe non deſcenderit *primùm in inferiores* k Epheſ. 4.9.
partes terræ k: id eſt, in limbum, cùm Sancti l Iſai. 49.9
Patres, qui illic detinentur l, & ipſum expectant ut ipſum ſequantur, enixè rogabunt ipſum, ne illam relinquat in mundo, ſed apprehendat eam manu, & ducat illam ut dignuſſionam, quippe quæ præ omnibus communicavit meritis infinitis Sanguinis & mortis ipſius, *Pro hâc orabit ad ipſum om-*
nis

Google

nis Sanctus in tempore opportuno k. [k Pſ.31.6.] Re enim verâ deplorabile eſt viſu, quòd ipſa fuerit afflicta præ omnibus aliis, quippe cujus *animam gladius* m [m Luc.2.35] pertranſiverit compaſſionis doloroſæ innutu dolorum & tormentorum ipſius; & quòd ipſe ſe diſponens *intrare in gloriam ſuam* n, [n Luc.24.26.] relinquat illam adhuc in miſeriis hujus mundi, ſciens apprimè quòd ipſa nullâ perfunderetur unquam voluptate, vel conſolatione. Sic eſt, Auditores: ipſa eſt digna cōpaſſione, & piè credere debetis quòd omnes iſti SS. Patres juſto & naturali ducebantur deſiderio videndæ Matris illius qui debebat eſſe Salvator ipſorum & Redemptor pro cumulo felicitatis ipſorum, & quòd omnes obtulerunt pro eâ inſtantes preces Filio Dei, cùm viderunt eum advenire, *Pro hâc orabit ad* ipſum *omnis Sanctus in tempore opportuno*, dicendo, *Surge Domine, in requiem tuam, tu & arca Sanctificationis tua* o. [o Pſ.131.8.] Sed fruſtrà; omnes enim iſtæ preces non potuerunt exaudiri ab eo, quia diluvium nondum eſt terminatum, & ipſe vult ut Mater ſua, ſicut arca Noë (Heſychius p [p Heſych. ſerm. 2. de Laud. Deip.] enim vocat illam *Arcam arcâ Noë latiorem; longiorem, illuſtriorem*) fluctuet adhuc in undis iſtiùs diluvij quæ ſunt lacrymæ & fletus, *In diluvio aquarum multarum* q. [q Pſ.31.6.] Quod inducit me ad dicendum, Quòd dolores quos ipſa experta eſt in monte Filij ſui, ſic fuerunt immodici, ut ipſa eſſet incapax ullius ſuſcipiendæ coſolationis. [Propoſitio]

Dico igitur quòd diluvium dolorum, cui Mariа ſe intuetur immerſam, eſt diluvio Noë ingentius: illud enim cauſatum fuit ab aquis quæ ceciderunt è cœlo, & ſolùm ſubmerſerunt terram, homines, & animalia r: [r Gen. 7. 17.] iſtud verò cauſatur ab aquis amaritudinum & tribulationum, quæ oriuntur è terrâ, & pergunt demerſum Solem s, [s Malach. 4.2.] & Lunam t, [t Cant.6.9] putà, Jeſum, & Mariam, & pertingunt uſque ad ipſum thronum Dei: in illo peccatores fuerunt ſubmerſi, & Juſti ſalvati; ſed in iſto peccatores ſalvantur, & Juſti ſubmerguntur, *Chriſtus juſtus pro injuſtis* u, [u 1. Petr. 3.18.] & *Maria columba pura* x: [x S.Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Cant. 6.8.] *unumque holocauſtum pariter offerebant Deo, hac in ſanguine cordis, his in ſanguine carnis* y. [y Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.] In illo aquis *operti ſunt omnes montes excelſi*: ſed aquæ nunquam ingreſſæ ſunt arcam, nec ſuffocaverunt eam, aut illud quod in eâ erat: ſed iſtud eſt ita aggreſſum, & arcam, ſeu Mariam, & Noë, id eſt, Filium ipſius, ut dicat ipſemet, *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me* z. [z. Pſ. 68. 2. & 3.] Ipſa verò dicere poſſit, *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt* a. [a Pſ.41.8.] Tandem, Noë in arcâ conſolabatur uxorem ſuam, & liberos ſuos, protegens eos à naufragio: ſed in hoc magno diluvio, cui Mariæ ſpiritus eſt penitus immerſus, nemo eſt qui accedat ad eam, qui poſſit illam conſolari, aut ipſam educere è naufragio, *Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eam non approximabunt* b. [b Pſ.31.6.] Heu! velletisne fortiores agitationes, quàm videre hanc Virginem deſolatam incedentem per compita Jeruſalem ad quærendum Filium ſuum qui vi trahebatur c [c Joan.18. 13.&c.] per aures & per capillos? Arcam ſacram, quæ concuſſa vi tempeſtatum & procellarum tormentorum Filij ſui, ſe videbat modò elevatam ſuper prætorium Pilati, ut adeſſet illius flagellationi d; [d Joan.19. 1.&c.] modò euntem velocitate incomparabili ut præcederet hanc lamentabilem proceſſionem quæ fiebat Jeroſolymis, ut obvia Filio ſuo, benediceretur ab ipſo qui prout ſummus *Pontifex* e, [e Hebr. 9. 11.] deferebat planetam, id eſt, qui ibat, *bajulans ſibi crucem, in eum qui dicitur Calvariæ locum*, ubi f [f Joan.19. 17.&18.] cruci eidem ſuffigendus erat: & ſic ibat ipſa delata ſuper montes ſicut arca ſacra, id eſt, ſuper Calvariam hujuſmodi. Tandem, Sic violentas inquietudines & agitationes hæc arca perpetiebatur inter diluvium ſanguineum, quod inundaverat ſuper perſonam Filij ipſius, ut videretur ipſa nunquam debere habere illam quietem, aut voluptatem, aut reperire continentem ſecuræ tranquillitatis. Quomodo enim velletis ut poſſet ipſa reperire aliquando continentem, cùm ipſa ſubminiſtraret aquas, è quibus componebatur hoc diluvium? Non me latet, quòd Jeſu Chriſti Sanguis huic diluvio præbuit initium, ſed iſte non fluxit ſemper, & ſi iſtud diluvium non fuiſſet compoſitum niſi ex iſto Sanguine, conſummatâ paſſione diluvium finitum fuiſſet; ſed quod inflavit has undas, & intumeſcere fecit hoc diluvium, fuerunt aquæ & lachrymæ quæ exierunt ex oculis iſtius Virginis afflictæ, cùm iſtius Virginei *cataractæ cœli apertæ ſunt* g, [g Gen.7.11] & iſtas tantâ cœperunt aquas effundere abundantiâ ut ipſa immergeretur eis: *Dico enim illam eſſe cœlum*, ait de illa S. Epiphanius h. [h S.Epiph. ſerm. de Laud. Deip.] Dicite mihi, ſi placet, Auditores, Si in diluvio Noë, ultra aquas quæ fluebant è cœli, arca ipſa reddidiſſet aquas è propriâ ſubſtantiâ ſuâ, potuiſſetne unquam requieſcere ſuper continentem? viſuſne fuiſſet unquam finis illius diluvij? Nequaquam, nam quandiu aquæ pluviæ ceſſaſſent & receſſiſſent in viſcera terræ, ſemper hæc arca reddens aquam è ſemetipsâ, foviſſet diluvium, quòcumque perrexiſſet, ibi fuiſſet in undis ſemper concuſſa tempeſtate. Eſto quòd cœperit hoc diluvium à Sanguine Salvatoris mei, augebatur lacrymis Virginis Deiparæ: Sanguis fluere deſtitit poſtquàm *unus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exivit Sanguis & aqua* i: [i Joan.19. 34.&c.] & totus iſte Sanguis receſſit in viſcera terræ, cùm ipſe poſitus fuit in monumento: ſed propterea iſtud diluvium non ceſſavit: hæc enim arca ſacra ſemper effundebat ex oculis ſuis aquas amaras, quæ ipſam ſemper tenebant in abyſſis, & impediebant quin ipſa, & ſanctæ Mulieres quæ plorabant cum ipſâ, ad portum appellerentur, & quietem invenirent, *Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt* k. [k Pſ.31.6.] Ipſæ voluiſſent quidem appelli ad portum ſecuræ conſolationis, ſed diluvium erat nimium, aquæ nimis erant agitatæ, & tempeſtas nimis violenta, nedum ad illum accederent, *Veruntamen*, &c. Interim agitationes iſtius diluvij, quandiu hæc arca immergitur aquis iſtis, quandiu hæc B. Virgo & ſanctæ iſtæ Mulieres lacrymis diffluunt inter compita Jeruſalem, per quæ Dei Filius deducebatur velut reus, funem alligatum collo, & crucem humeris impoſitam deferens, ipſæmet audiunt vocem ejuſdem Salvatoris ipſis dicentis, *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros* l. [l Luc. 23. 28.] Sed quomodo, Salvator mi? alloqueris Matrem tuam, & dicis ei ut non fleat ſuper te? Sed, Auditores, ſi nunquam iſta verba attentè conſideraſtis, applicate eis iſtâ vice cogitationem veſtram, & videte num B. Virgo non haberet anſam magnam mirandi propter ſermonem iſtum. Ego autem exiſtimo, quod totâ nocte & totâ die paſſionis Filij ſui, ex quo ipſa audivit ſalutionem à Juda verbis iſtis *Ave Rabbi* m [m Matth. 26.49.] præſentatam eidem Filio ſuo, ipſa continuè deſideravit audire aliqua verba, quæ forent pro ſe ſolâ, rata quòd bona fortuna ſua, & conditio quàm ipſa poſſidebat ut eſſet dulciſſima Mater ſua, induceret

Filium ſuum ad primum occurſum, aut ad proponendam ipſi aliquam querelam ſuper dolores ſuos, ſicut boni filij ſolent agere erga matres ſuas, aut ad dicendum ipſi aliquid quod ſublevaret aliquantulum afflictionem qua ipſe angebatur: ſed ipſa videns quòd in hoc occurſu iſte Filius ſuus ipſam non alloquitur in ſpecie, ſed ipſam conſtituit in communi mulierum Jeruſalem, piè contemplor quòd idem ei accidit, quod evênit ipſi quando Archangelus ipſam viſitavit, ut ipſam redderet Matrem Dei, *Et ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Audiens Filium ſuum ſic loquentem, in conturbationem incidit ipſa maximam, & cogitare cœpit quid ſibi vellent iſta verba, & ſalutatio quam præſentabat ipſi Filius ſuus: ſed majorem habebat etiam ipſa anſam capeſſendæ turbationis quàm primâ vice: tunc enim Angelus dicebat ipſi, quòd ipſa efficienda eſſet Mater Dei; benè quidem: hoc fieri poterat: ipſa erat conditionis ut poſſet effici Mater, & cum gratiâ Dei, quam ipſa credebat Omnipotentem, ipſa poterat ſine diſpendio ſuæ virginitatis effici Mater Dei: habebat ipſa quidem unde turbaretur intuitu novitatis caſus, ſed non propter difficultatem: Deo enim nihil eſt difficile, *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Sed Dei potentia non ſe protendit eò uſque ut faciat, ut id, quod eſt, non ſit; aut ut id, quod fuit, non fuerit: attamen Filius Dei videtur velle hoc dicere: ſi enim dicit Matri ſuæ, æquè ac aliis mulieribus, *Nolite flere ſuper me, ſed flete ſuper filios veſtros*, videtur velle dicere, quòd ipſe non ſit ampliùs Filius ipſius, & velle ipſam diffiteri ut Matrem: atqui ſive Beata Virgo credat, quòd hoc ſit poſſibile, aut quòd illud non credat; habet tamen ipſa ſemper magnam occaſionem mirandi. Si ipſa crederet, quòd Jeſus Chriſtus non eſſet ampliùs Filius ſuus (quod dicere non debemus) conſiderate, ſi poteſtis, cumulum afflictionis, quò fuiſſet ipſa redacta, eò quòd ſe videret deſtitutam altiſſimâ & eminentiſſimâ qualitatum omnium quæ ulli puræ creaturæ fuerint unquam conceſſæ. Si ipſa non credit, ſe amiſiſſe hunc titulum, & illam qualitatem; videre num multum non haberet ipſa conſiderandum ſuper hæc verba Filij ſui ſic ipſam cum aliis alloquentis. Heu! quomodo, debebat ipſa dicere, inveniri ne poteſt in mundo ſubjectum dignius quod defleatur, quàm iſtud quod præ meis oculis habeo? Heu! eſtne gaudendum videre pati eum, qui ſuſtinet & conſervat omnes creaturas? *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* n. Non me latet, quòd lacrymæ mulierum ſunt theſaurus, qui non debet aperiri, nec inſumi propter leves occaſiones: ſed eſtne occaſio magis ſeria, & gravioris momenti quàm videre Deum captivum, & exceptum ut reum, imò verò ut inſigniſſimum malefactorum omnium qui unquam fuerint? Heu! Fili mi, parce, ſi placet, iſtarum pietati mulierum, & amori Matris tuæ, qui nunquam habuit ſimilem in mundo, & permitte ipſis ut defleant, cùm non poſſint exhibere tibi aliud teſtimonium affectus quo ducuntur erga dolores tuos omnes: hoc eſt enim ſemper mulierum deſolatarum refugium. Hæc verba Filij Dei, Auditores, non tam dicuntur B. Virgini Deiparæ, nec mulieribus Jeruſalem, quàm vobis. Verum quidem eſt, quòd ſi conſiderentur ſola merita perſonæ ipſius, & beneficia quæ ipſe contulit illis omnibus, qui cum ipſo ſunt converſati,

n Act. 17. 28.

& ſpeciatim iis qui ipſum cruciant, & qui perducunt ipſum ad mortem, hæc ſane amplam præbent flendi materiam, non ſolùm viris, & mulieribus, ſed etiam Angelis o, imò verò creaturis irrationalibus & inſenſibilibus p: omnes enim diſpendium circa mortem iſtam patiuntur: ſed ſi conſideretur fructus qui inde reſultabit, voluntas Patris ejus, quæ eò tota feretur, & ſingularis obedientia, quam Filius iſte exhibebit ei, tradens Sanguinem ſuum & vitam ſuam morti infami, æquè ac violentæ, ut obediat voluntati Patris ſui, inveniemus unde noſtrarum ſiſtamus curſum lacrymarum: ſed ſicut eſt impoſſibile viſu pati tam bonum Patrem q, tam bonum Dominum s, & tam bonum Deum, quin habeamus cor conſtrictum intuitu dolorum ejus; præcipit nobis ut fleamus, non tam ob effectum, quàm propter cauſam. Cauſa tormentorũ ejus non eſt alia niſi nos ipſi, & peccata quæ commiſimus: ad peragendam enim pœnitentiam quæ erat neceſſaria ad mitigandam *omnem iram* t Dei exacerbati contra nos, intendebat ipſe deſcendere è cœlo, & venire nos viſitatum ſicut *Oriens ex alto* u, velut bonus amicus, author boni noſtri, & architectus paradiſi, quem nobis dare vult, ut aliquandiu videretur *in terris & cum hominibus* x converſaretur, quos deinde transferret in hanc gloriam, nedum ipſe, & illi paterentur ullum dolorem, aut metum mortis: in hoc enim ipſe ſuas delicias omnes inveniret, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* y. Sed peccata noſtra induxerunt eum ut deſcenderet, non ad gaudendum, ſed ad plorandum; non ad ſe oblectandum, ſed ad ducendam vitam lugubrem; non ad capeſſendas hîc voluptates & delicias, ſed ad ſuſcipiendum omne genus ſuppliciorum quæ unquam poſſent excogitari: ita ut, ſi reverti velit ſurſum *in gloriam ſuam* z, oporteat ut patiatur mortem infamem æquè, ac violentam: non enim amiſit, nec mutavit deſiderium quo ducebatur, communicandi nobis paradiſi ſui, ſed cautam præſtitit cautam noſtram coram Patre ſuo æterno, & inveniens nos debitores plurium quàm haberemus (omnia enim bona noſtra & vitæ noſtræ ſatisfacere non poterant pro peccatis noſtris juſtitiæ & magnitudini ipſius, quæ *non habet finem* a) obtulit ipſe vitam ſuam quæ eſt valoris infiniti, & pluſquàm ſufficiens ad delenda omnia peccata præterita, præſentia, & futura hominum. Sed advertendum eſt quòd licèt ipſe fecerit præcipuum, ipſe tamen deſiderat ut aliquid agamus ex parte noſtrâ, ut agnoſcamus ipſius bonitatem: *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius*, ait nobis S. Petrus b. Et ipſemet Chriſtus per S. Lucam c, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Alioquin id omne quod ipſe fecit, & pertulit pro nobis, nihil prodeſt: & hoc eſt quod eſt deplorandũ, quòd paſſio & mors Dei ſit fruſtrà tolerata pro nobis, eò quòd illi cooperari nolimus, & recuſemus agnoſcere tantam bonitatem, & reſpuamus perpeti minimam vel injuriam, aut levem afflictionem intuitu illorum omnium ſuppliciorum, quæ ipſe pro nobis pertulit; quòd privemus nos fructu talis redemptionis, & quòd omnia tormenta ipſius debeant aliquando ſervire loco ignis ad accendendum ignem iræ Dei noſtris ingratitudinibus. Hæc eſt ratio propter quam ipſe dicit ut defleamus potiùs quàm ob mala ipſius: libentiùs enim omnia ſua tormenta patitur, quàm unicum peccatum veniale, aut e noſtris ingratitudinibus vel minimam.

o Iſai. 33. 7.
p Matth. 27. 45. &c. & Luc. 23. 45.
q Iſai. 9. 6.
s Ioan. 13. 14.
t Pſ. 84. 4.
u Luc. 1. 78. et Zach. 3. 8. & 6. 12.
x Baruch. 3. 38.
y Prov. 8. 31.
z Luc. 24. 26.
a Baruch. 3. 25.
b 1. Petr. 2. 21.
c Luc. 3. 8.

Sed redeamus, Auditores, ad B. Virginem, & videa-

videamus num poſſibile ſit ut ipſa aliunde aliquam conſolationem ſuſcipiat: cùm enim Filius ipſius dicat ei ſolùm ut non fleat, nedum illi præbeat aliqua bona nuncia de alleviatione doloris ipſius, forſan Pater ipſius magis illius miſerebitur, & illam conſolabitur. Pater æterne, ecce mulier maximè afflicta, ſed mulier ad quam miſiſti aliàs gratiſſimum nuntiorum omnium, quæ unquam exierunt à te, mulier quam elegiſti ut eam beatiſſimam omnium mulierum efficeres, mulier cui commiſiſti eum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* d. Mulier cui tribuiſti qualitatem Matris unici Filij tui; & volens ædificare opus eximium, quod ſuperaret omnia opera, quæ poſſunt unquam fieri, compoſitum è duabus naturis ſub eadem perſona, præbuiſti meliorem & præcipuam quæ erat Divina, & hæc mulier tribuit humanam, quæ facit ipſam purè & abſolutè Matrem Dei, cujus ipſe Pater es: voleſne permittere ut hæc mulier ſic afflicta ſit ut dolori ſuccumbat? Ipſa ſedulò ſemper cuſtodivit depoſitum quod ipſi commiſiſti quandiu ipſa fuit illius Domina: hoc depoſitum ſuit illi abreptum, propterea ipſa ſic afflicta eſt ut mori vellet, & ſi fieri poſſet ut pœniteret ipſam fuiſſe Matrem illius, & ipſa non vereretur ne tibi diſpliceret, forſitan illius ipſam pœniteret: tribuiſti ei notitiam valoris & meriti Filij ſic excellentis: ipſe ſic ſolenniter eam illi conſignaſti miniſterio Angeli è præcipuis Curiæ tuæ, qui dixit ei genealogiam ejus, *Hic erit magnum, & Filius Altiſſimi vocabitur*, &c. Nunquid non appoſitè facit ipſa cùm illum diligit *ex toto corde* e ſuo, ſive eò quòd ſit Filius ſuus, ſive quòd ſit Filius tuus? Nonne anſam habet ipſa deplorandæ jacturæ illius, & flendi pro tot tormentis, quæ ipſa videt illum pati? Tu autem Pater æterne, qui es *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* f, annon tribues ei aliquam ſpeciem conſolationis? Ipſa ſuſcepit à te multas gratias & virtutes, quarum interventu peregit ipſa mirabilia, & pertulit aliàs dolores inuſitatos, ſed hoc erat illi facile: habebat enim Filium ſuum, qui eſt origo gratiæ g, æquè ac eſt *Dominus virtutum* h, ſicut cùm ipſa vidit quòd ille ſuſcepit ictum doloroſum circuncisionis i; quando ipſa cum Sponſo ſuo S. Joſeph *ſeceſſit in Ægyptum, & erat ibi uſque ad obitum Herodis* k, qui quæſiturus erat occidere eundem Filium ipſius; & toties quoties acres ipſa moleſtias experiebatur, ipſa ſuperabat eas facilè patientiâ ſuâ, quia ipſa tenebat inter brachia ſua eum, qui præbebat ipſi vires & gratiam neceſſariam ad hunc effectum: & nunquam ipſa teſtata eſt dolorem ſenſibilem inter omnes afflictiones ſuas, niſi cùm ipſa & Sponſus ſuus S. Joſeph *ibant Parentes eius in Ieruſalem, in die ſolemni Paſcha* l: *& cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis in Ieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit Puer Ieſus in Ieruſalem: & non cognoverunt Parentes eius: exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non invenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum; & factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo: & dixit Mater eius ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* m. Ita ut, licèt ipſa, prout *gratiâ plena*, ſuperare poſſit multas alias afflictiones, quæ ipſi poſſent evenire, neſciam num cum totâ iſtâ gratia ſuſtinere poterit ipſa præſentem afflictionem, ſi ipſe qui decreviſti mortem Filij ad ſalvandum honorem juſtitiæ tuæ, non decernas Matri aliquam conſolationem ad cuſtodiendum decus miſericordiæ tuæ, & ad conſulendum conditioni mulieris afflictæ, & bonæ Matris deſolatæ. Sanè Pater æternus, Auditores, miſertus eſſet B. Virginis, & forſan illam fuiſſet conſolatus, niſi expertus fuiſſet ipſemet veluti partem afflictionis propter eundem finem: non dico quòd ipſe ſit capax doloris ſenſibilis, ſicut nos; ſed non me latet id quod illi accidit, cùm miſſurus erat diluvium, de quo locuti ſumus ſuprà: dicit enim de illo Scriptura n, quòd *tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ.* Peccata hominum inducebant ipſum ad perdendos eos, & tamen quia iſti erant opera ſua, in quorum compoſitione ipſe ſibi ſingulariter complacuerat, ideò experiebatur ipſe dolorem in corde ſuo, id eſt, ſi fuiſſet ipſe capax doloris; hæc ſola conſideratio cordi ipſius dolorem influxiſſet. Meliùs ſentire debebat ipſe cor ſuum commotum, cùm vidit quòd eadem peccata, & multa alia, quæ deinceps commiſſa ſunt, inducebant ipſum ad permittendum hoc alterum majus diluvium Sanguinis & tormentorum quibus immergendus erat hic homo ſic perfectus, opus eximium manuum ipſius, & dicere debebat, quaſi pœniteret ſe eò uſque perveniſſe (ſi ita loqui fas eſt) *Delebo hominem quem creavi.* Heu! oportebitne ut patiar ut carnifices deſtruant opus, cui oportuit ut Spiritus ſanctus meus applicaret manum Omnipotentiæ ſuæ? oportetne ut conſentiam ut tres clavi diſſolvant hanc admirabilem unionem inter animam & corpus, quam tres Perſonæ Divinæ o ſic curioſe elaboraverant? Et ſicut antiquitùs Principes audientes mortem liberorum ſuorum, ſcindebant *veſtimenta ſua* p, & nunc propter mortem propinquorum ſuorum homines lugubribus induunt ſe veſtibus, & præ ſe ſigna ferunt externa doloris & moleſtiæ: ſic Pater æternus, cùm non poſſet in morte Filij ſui operiri veſtibus lugubribus, ipſe qui eſt *amictus lumine ſicut veſtimento* q, voluit ut nigro ſterneretur tota domus ejuſdem Filij ſui, quæ eſt mundus hic inferior per eclypſim generalem, & per tenebras quæ diffunderentur ſuper totius terræ ſuperficiem, *Et obſcuratus eſt Sol* r. Et, *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram* s. Et ut velum templi quod repræſentabat veſtimenta ipſius, ſcinderetur, *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum* t. Et ut lapides collidérentur quaſi per modum querelæ & lamentationis, *Et petræ ſciſſæ ſunt* u. Cùm igitur hæc Beata Virgo nullam ſperare aut ſuſcipere poſſet conſolationem vel alleviationem à malis ſuis, aut à Filio, aut à Patre, aut à Spiritu ſancto, qui ſunt optimi ipſius amici: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis*, ait S. Epiphanius x, quia illi tres ſimul convenerant ut illam ſic tenerent, illamque tantùm affligerent, quantum eam tres ipſi ſimul lætificaverant die annunciationis ipſius, dicere poſſumus de eâ iſtud Jeremiæ y, *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.* Omne id quod potuiſſet aliquem modum impo-

d Coloſſ. 2.3.
e Matth. 22.37.
f 2 Cor. 1.3.
g Ioan. 1. 17.
h Pſ. 23.10.
i Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.
k Matth. 2. 14. &c.
l ex Exod. 23. 15.
m Luc. 2. 41. &c.
n Gen. 6. 6. & 7.
o Luc. 1. 35. &c.
p Iob 1. 20.
q Pſ. 103. 2.
r Luc. 23. 45.
s Matth. 27. 45.
t Matth. 27. 51.
u Matth. 27. 51.
x S. Epiph. lcim. de Laud. Deip.
y Thren. 1. 2.

Filium ſuum ad primum occurſum, aut ad proponendam ipſi aliquam querelam ſuper dolores ſuos, ſicut boni filij ſolent agere erga matres ſuas, aut ad dicendum ipſi aliquid quod ſublevaret aliquantulùm afflictionem qua ipſe angebatur: ſed ipſa videns quòd in hoc occurſu iſte Filius ſuus ipſam non alloquitur in ſpecie, ſed ipſam conſtituit in communi mulierum Ieruſalem, piè contemplor quòd idem ei accidit, quod evênit ipſi quando Archangelus ipſam viſitavit, ut ipſam redderet Matrem Dei, *Et ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Audiens Filium ſuum ſic loquentem, in conturbationem incidit ipſa maximam, & cogitare cœpit quid ſibi vellent iſta verba, & ſalutatio quam præſentabat ipſi Filius ſuus: ſed majorem habebat etiam ipſa anſam capeſſendæ turbationis quàm primâ vice: tunc enim Angelus dicebat ipſi, quòd ipſa efficienda eſſet Mater Dei; benè quidem: hoc fieri poterat: ipſa erat conditionis ut poſſet effici Mater, & cum gratiâ Dei, quam ipſa credebat Omnipotentem, ipſa poterat ſine diſpendio ſuæ virginitatis effici Mater Dei: habebat ipſa quidem unde turbaretur intuitu novitatis caſus, ſed non propter difficultatem: Deo enim nihil eſt difficile, *quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Sed Dei potentia non ſe protendit eò uſque ut faciat, ut id, quod eſt, non ſit; aut ut id, quod fuit, non fuerit: attamen Filius Dei videtur velle hoc dicere: ſi enim dicit Matri ſuæ, æquè ac alijs mulieribus, *Nolite flere ſuper me, ſed flete ſuper filios veſtros*, videtur velle dicere, quòd ipſe non ſit ampliùs Filius ipſius, & velle ipſam diffiteri ut Matrem: atqui ſive Beata Virgo credat, quòd hoc ſit poſſibile, aut quòd illud non credat; habet tamen ipſa ſemper magnam occaſionem mirandi. Si ipſa crederet, quòd Jeſus Chriſtus non eſſet ampliùs Filius ſuus (quod dicere non debemus) conſiderate, ſi poteſtis, cumulum afflictionis, quò fuiſſet ipſa redacta, eò quòd ſe videret deſtitutam altiſſimâ & eminentiſſimâ qualitatum omnium quæ ulli puræ creaturæ fuerint unquam conceſſæ. Si ipſa non credit, ſe amiſiſſe hunc titulum, & iſtam qualitatem; videtur non multum non haberet ipſa conſiderandum ſuper hæc verba Filij ſui ſic ipſam cum alijs alloquentis. Heu! quomodo, debebat ipſa dicere, inveniri ne poteſt in mundo ſubjectum dignius quod defleatur, quàm iſtud quod præ meis oculis habeo? Heu! eſtne gaudendum videre pati eum, qui ſuſtinet & conſervat omnes creaturas? *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* n. [n Act. 17. 28.] Non me latet, quòd lacrymæ mulierum ſunt theſaurus, qui non debet aperiri, nec inſumi propter leves occaſiones: ſed eſtne occaſio magis ſeria, & gravioris momenti quàm videre Deum captivum, & exceptum ut reum, imò verò ut inſigniſſimum malefactorum omnium qui unquam fuerint? Heu! Fili mi, parce, ſi placet, iſtarum pietati mulierum, & amori Matris tuæ, qui nunquam habuit ſimilem in mundo, & permitte ipſis ut defleant, cùm non poſſint exhibere tibi aliud teſtimonium affectus quo ducuntur erga dolores tuos omnes: hoc eſt enim ſemper mulierum deſolatarum refugium. Hæc verba Filij Dei, Auditores, non tam dicuntur B. Virgini Deiparæ, nec mulieribus Jeruſalem, quàm vobis. Verum quidem eſt, quòd ſi conſiderentur ſola merita perſonæ ipſius, & beneficia quæ ipſe contulit illis omnibus, qui cum ipſo ſunt converſati, & ſpeciatim iis qui ipſum cruciant, & qui perducunt ipſum ad mortem, hæc ſatis amplam præbent flendi materiam, non ſolùm viris, & mulieribus, ſed etiam Angelis o, [o Iſai. 33. 7.] imò verò creaturis irrationalibus & inſenſibilibus p: [p Matth. 27. 45. &c. & Luc. 23. 45.] omnes enim diſpendium circa mortem iſtam patiuntur: ſed ſi conſideretur fructus qui inde reſultabit, voluntas Patris ejus, quæ eò tota fertur, & ſingularis obedientia, quam Filius iſte exhibebit ei, tradens Sanguinem ſuum & vitam ſuam morti infami, æquè ac violentæ, ut obediat voluntati Patris ſui, inveniemus unde noſtrarum ſiſtamus curſum lacrymarum: ſed ſicut eſt impoſſibile viſu pati tam bonum Patrem q, [q Iſai. 9. 6.] tam bonum Dominum s, [s Ioan. 13. 13.] & tam bonum Deum, quin habeamus cor contritum intuitu dolorum ejus; præcipit nobis ut fleamus, non tam ob effectum, quàm propter cauſam. Cauſa tormentorũ ejus non eſt alia niſi nos ipſi, & peccata quæ commiſimus: ad peragendam enim pœnitentiam quæ erat neceſſaria ad mitigandam *omnem iram* t [t Pſ. 84. 4.] Dei exacerbati contra nos, intendebat ipſe deſcendere è cœlo, & venire nos viſitatum ſicut *Oriens ex alto* u, [u Luc. 1. 78. ex Zach. 3. 8. & 6. 12.] velut bonus amicus, author boni noſtri, & architectus paradiſi, quem nobis dare vult, ut aliquandiu videretur *in terris & cum hominibus* x [x Baruch. 3. 38.] converſaretur, quos deinde transferret in hanc gloriam, nedum ipſe, & illi paterentur ullum dolorem, aut metum mortis: in hoc enim ipſe ſuas delicias omnes inveniret, *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum* y. [y Prov. 8. 31.] Sed peccata noſtra induxerunt eum ut deſcenderet, non ad gaudendum, ſed ad plorandum; non ad ſe oblectandum, ſed ad ducendam vitam lugubrem; non ad capeſſendas hîc voluptates & delicias, ſed ad ſuſcipiendum omne genus ſuppliciorum quæ unquam poſſent excogitari: ita ut, ſi reverti velit ſurſum *in gloriam ſuam* z, [z Luc. 24. 26.] oporteat ut patiatur mortem infamem æquè, ac violentam: non enim amiſit, nec mutavit deſiderium quo ducebatur, communicandi nobis paradiſi ſui, ſed cautam præſtitit cauſam noſtram coram Patre ſuo æterno, & inveniens nos debitores plurium quàm haberemus (omnia enim bona noſtra & vitæ noſtræ ſatisfacere non poterant pro peccatis noſtris juſtitiæ & magnitudini ipſius, quæ *non habet finem* a) [a Baruch. 3. 25.] obtulit ipſe vitam ſuam quæ eſt valoris infiniti, & pluſquàm ſufficiens ad delenda omnia peccata præterita, præſentia, & futura hominum. Sed advertendum eſt quòd licèt ipſe fecerit præcipuum, ipſe tamen deſiderat ut aliquid agamus ex parte noſtrâ, ut agnoſcamus ipſius bonitatem: *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*, ait nobis S. Petrus b. [b 1. Petr. 2. 21.] Et ipſemet Chriſtus per S. Lucam c, [c Luc. 3. 8.] *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Alioquin id omne quod ipſe fecit, & pertulit pro nobis, nihil prodeſt: & hoc eſt quod eſt deplorandũ, quòd paſſio & mors Dei ſit fruſtrà tolerata pro nobis, eò quòd illi cooperari nolimus, & recuſemus agnoſcere tantam bonitatem, & reſpuamus perpeti minimam vel injuriam, aut levem afflictionem intuitu illorum omnium ſuppliciorum, quæ ipſe pro nobis pertulit; quòd privemus nos fructu talis redemptionis, &, quòd omnia tormenta ipſius debeant aliquando ſervire loco ignis ad accendendum ignem iræ Dei noſtris ingratitudinibus. Hæc eſt ratio propter quam ipſe dicit ut defleamus potiùs quàm ob mala ipſius: libentiùs enim omnia ſua tormenta patitur, quàm unicum peccatum veniale, aut è noſtris ingratitudinibus vel minimam.

Sed redeamus, Auditores, ad B. Virginem, & videa-

videamus num poſſibile ſit ut ipſa aliunde aliquam conſolationem ſuſcipiat: cùm enim Filius ipſius dicat ei ſolùm ut non fleat, nedum illi præbeat aliqua bona nuncia de alleviatione doloris ipſius, forſan Pater ipſius magis illius miſerebitur, & illam conſolabitur. Pater æterne, ecce mulier maximè afflicta, ſed mulier ad quam miſiſti aliàs gratiſſimum nuntiorum omnium, quæ unquam exierunt à te, mulier quam elegiſti ut eam beatiſſimam omnium mulierum efficeres, mulier cui commiſiſti eum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* d. Mulier cui tribuiſti qualitatem Matris unici Filij tui; & volens ædificare opus eximium, quod ſuperaret omnia opera, quæ poſſunt unquam fieri, compoſitum è duabus naturis ſub eadem perſona, præbuiſti meliorem & præcipuam quæ erat Divina, & hæc mulier tribuit humanam, quæ facit ipſam purè & abſolutè Matrem Dei, cujus ipſe Pater es: voleſne permittere ut hæc mulier ſic afflicta ſit ut dolori ſuccumbat? Ipſa ſedulò ſemper cuſtodivit depoſitum quod ipſi commiſiſti quandiu ipſa fuit illius Domina: hoc depoſitum fuit illi abreptum, propterea ipſa ſic afflicta eſt ut mori vellet, & ſi fieri poſſet ut pœniteret ipſam fuiſſe Matrem illius, & ipſa non vereretur ne tibi diſpliceret, fortitan illius ipſam pœniteret: tribuiſti ei notitiam valoris & meriti Filij ſic excellentis: ipſe ſic ſolenniter eum illi conſignaſti miniſterio Angeli è præcipuis Curiæ tuæ, qui dixit ei genealogiam ejus, *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur*, &c. Nunquid non appoſitè facit ipſa cùm illum diligit *ex toto corde* e ſuo, ſive eò quòd ſit Filius ſuus, ſive quòd ſit Filius tuus? Nonne anſam habet ipſa deplorandæ jacturæ illius, & flendi pro tot tormentis, quæ ipſa videt illum pati? Tu autem Pater æterne, qui es *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* f, annon tribues ei aliquam ſpeciem conſolationis? Ipſa ſuſcepit à te multas gratias & virtutes, quarum interventu peregit ipſa mirabilia, & pertulit aliàs dolores inuſitatos, ſed hoc erat illi facile: habebat enim Filium ſuum, qui eſt origo gratiæ g, æquè ac eſt *Dominus virtutum* h, ſicut cùm ipſa vidit quòd ille ſuſcepit ictum doloroſum circumciſionis i; quando ipſa cum Sponſo ſuo S. Joſeph *receſſit in Ægyptum, & erat ibi uſque ad obitum Herodis* k, qui quæſiturus erat occidere eundem Filium ipſius: & toties quoties acres ipſa moleſtias experiebatur, ipſa ſuperabat eas facilè patientiâ ſuâ, quia ipſa tenebat inter brachia ſua eum, qui præbebat ipſi vires & gratiam neceſſariam ad hunc effectum: & nunquam ipſa teſtata eſt dolorem ſenſibilem inter omnes afflictiones ſuas, niſi cùm ipſa & Sponſus ſuus S. Joſeph *ibant Parentes ejus in Ieruſalem, in die ſolemni Paſchæ* l: *& cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis in Ieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit Puer Ieſus in Ieruſalem: & non cognoverunt Parentes ejus: exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non invenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum: & factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo: & dixit Mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* m. Ita ut, licèt ipſa, prout *gratiâ plena*, ſupe-

d Coloſſ. 2. 3.
e Matth. 22. 37.
f 2. Cor. 1. 3.
g Ioan. 1. 17.
h Pſ. 23. 10.
i Luc. 2. 21.
ex Levit. 12. 3.
k Matth. 2. 14. &c.
l ex Exod. 23. 15.
m Luc. 2. 41. &c.

tare poſſit multas alias afflictiones, quæ ipſi poſſent evenire, neſciam num cum totâ iſtâ gratia ſuſtinere poterit ipſa præſentem afflictionem, ſi ipſe qui decreviſti mortem Filij ad ſalvandum honorem juſtitiæ tuæ, non decernas Matri aliquam conſolationem ad cuſtodiendum decus miſericordiæ tuæ, & ad conſulendum conditioni mulieris afflictæ, & bonæ Matris deſolatæ. Sanè Pater æternus, Auditores, miſertus eſſet B. Virginis, & forſan illam fuiſſet conſolatus, niſi expertus fuiſſet ipſemet veluti partem afflictionis propter eundem finem: non dico quòd ipſe ſit capax doloris ſenſibilis, ſicut nos; ſed non me latet id quod illi accidit, cùm miſſurus erat diluvium, de quo locuti ſumus ſuprà: dicit enim de illo Scriptura n, quòd *tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ.* Peccata hominum inducebant ipſum ad perdendos eos, & tamen quia iſti erant opera ſua, in quorum compoſitione ipſe ſibi ſingulariter complacuerat, ideò experiebatur ipſe dolorem in corde ſuo, id eſt, ſi fuiſſet ipſe capax doloris; hæc ſola conſideratio cordi ipſius dolorem inflixiſſet. Meliùs ſentire debebat ipſe cor ſuum commotum, cùm vidit quòd eadem peccata, & multa alia, quæ deinceps commiſſa ſunt, inducebant ipſum ad permittendum hoc alterum majus diluvium Sanguinis & tormentorum quibus immergendus erat hic homo ſic perfectus, opus eximium manuum ipſius, & dicere debebat, quaſi pœniteret ſe eò uſque perveniſſe (ſi ita loqui fas eſt) *Delebo hominem quem creavi.* Heu! oportebitne ut patiar ut carnifices deſtruant opus, cui oportuit ut Spiritus ſanctus meus applicaret manum Omnipotentiæ ſuæ? oportetne ut conſentiam ut tres clavi diſſolvant hanc admirabilem unionem inter animam & corpus, quam tres Perſonæ Divinæ o ſic curioſè elaboraverant? Et ſicut antiquitùs Principes audientes mortem liberorum ſuorum, ſcindebant *veſtimenta ſua* p, & nunc propter mortem propinquorum ſuorum homines lugubribus induunt ſe veſtibus, & præ ſe ſigna ferunt externa doloris & moleſtiæ: ſic Pater æternus, cùm non poſſet in morte Filij ſui operiri veſtibus lugubribus, ipſe qui eſt *amictus lumine ſicut veſtimento* q, voluit ut nigro ſterneretur tota domus ejuſdem Filij ſui, quæ eſt mundus hic inferior per eclypſim generalem, & per tenebras quæ diffunderentur ſuper totius terræ ſuperficiem, *Et obſcuratus eſt Sol* r. Et, *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram* s. Et ut velum templi quod repræſentabat veſtimenta ipſius, ſcinderetur, *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum* t. Et ut lapides colliderentur quaſi per modum querelæ & lamentationis, *Et petræ ſciſſæ ſunt* u. Cùm igitur hæc Beata Virgo nullam ſperare aut ſuſcipere poſſet conſolationem vel alleviationem à malis ſuis, aut à Filio, aut à Patre, aut à Spiritu ſancto, qui ſunt optimi ipſius amici: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis*, ait S. Epiphanius x, quia iſti tres ſimul convenerant ut illam ſic tenerent, illamque tantùm affligerent, quantùm eam tres ipſi ſimul lætificaverant die annunciationis ipſius, dicere poſſumus de eâ iſtud Jeremiæ y, *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus.* Omne id quod potuiſſet aliquem modum impo-

n Gen. 6. 6. & 7.
o Luc. 5. 15. &c.
p Iob 1. 20.
q Pſ. 103. 2.
r Luc. 23. 45.
s Matth. 27. 45.
t Matth. 27. 51.
u Matth. 27. 51.
x S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
y Thren. 1. 2.

nere afflictioni ipſius, fuiſſet conſiderare, quòd Chriſtus iſto, quem effundebat, loturus eſſet *nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* z. Quòd iſta crux foret ſceptrum, cujus interventu caperet ipſe poſſeſſionem ſui Regni cœleſtis, eò quòd oporteret *Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam* a? Quòd Filius ſuus regnare non poſſet, niſi haberet ſubditos, & quòd eos habere non poſſet, niſi iret ſolutum redemptionem eorum, *baiulans ſibi crucem in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi* b *crucifigendus erat*: quòd oportebat ut ipſe ſatisfaceret juſtitiæ Dei pro primo peccato patrato ab utroque Protoplaſto noſtro qui vetitæ *de fructu comedit* c arboris, per reſtitutionem alterius melioris fructus arboris ſpecioſioris & fertilioris quàm eſſet illa, qui erat Filius ſuus ſuper arbore crucis, qui Filius etiam vocatur *Lignum vitæ* d. *Hic verò per lignum vitæ intelligitur Chriſtus Sapientia Dei Patris, ſecundùm quod in Proverbiis* e *de Sapientia Salomon faſſus eſt, Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus f. Tandem, Omnes iſtæ rationes, & innumeræ aliæ ſimiles, ſatis potentes fuiſſent: ſed cùm ſciamus quòd iſtâ die *ipſius animam gladius* g compaſſionis pertranſire debebat, & quòd ipſa convertere debebat primas conſolationes ſuas, & primum ſuum *Magnificat*, in luctum, & in lamentationem; ſicut tunc immodicum gaudium, quo ipſa perfundebatur, non permittebat ipſi ut ipſa cogitaret de quâlibet aliâ re, quæ poſſet illam faſtidio afficere; hic è contra moleſtia, quam ipſa ſuſcipit in paſſione Filij ſui, non ſinit ipſi ut applicet ipſa mentem ſuam ulli conſiderationi, quæ poſſit ipſi præbere aliquod genus gaudij & conſolationis ad mitigandas ipſius moleſtias & afflictiones.

Quàm immodica eſt afflictio tua, Virgo beatiſſima! cùm illi, à quibus ſperare debebas aliquod genus levaminis, videantur te dereliquiſſe, licet eſſent maximi amici tui: ita ut dicere videatur de te Jeremias h id, quod jam dixit ſuprà de civitate Jeruſalem, *Omnes amici eius ſpreverunt eam, & facti ſunt ei inimici.* O quàm fœlices eſſemus, ſi aliquam ſpeciem conſolationis tibi poſſemus afferre! Hoc enim eſſet teſtimonium, quòd non deſerimus te in magna tua neceſſitate. Dic nobis, ſi placet, Poſſeſne aliquâ perfundi conſolatione, ſi in memoriam tuam revocarentur aliquæ aliæ perſonæ, quæ multùm fuerunt afflictæ intuitu liberorum ſuorum: non enim quis tantùm ſentit malum ſuum, cùm videt ſe habere ſocios, & quòd aliæ perſonæ experiuntur idem malum? Si ſciam quòd iſtud debeat te conſolari, ſuccinctè perſonas hujuſmodi aliquas tibi recitare conabor. Sed *cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te filia Jeruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te Virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui* i? Nam quanta eſt differentia inter mare quod eſt immenſum & flumina quæ non habent niſi limites exiguos, tanta reperitur inter dolorem tuum & dolores aliorum parentum. Sed ne putetis, Auditores, quòd parcere velim labori ad rememorandum illi id omne quod poteſt ipſam conſolari; videamus quinam ſint illi qui maximè fuerunt afflicti propter liberos ſuos. Scriptura k refert nobis dolorem, quo correptus eſt Abraham, cùm *Deus dixit ad eum, Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in Terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi.* Eſto quod dolor illius fuerit magnus, ſed non tam longus: nam ubi ipſe *extendit manum, & arri-*

z Apoc. 1. 5. — a Luc. 24. 26. — b Ioan. 19. 17. & 18. — c Gen. 3. 6. &c. — d Apoc. 22. 2. — e ex Prov. 3. 18. — f Dion. Carth. ar. 29. in Apoc. 19. — g Luc. 2. 35. — h Thren. 1. 2. — i Thren. 2. 13. — k Gen. 22. &c.

puit gladium, ut immolaret filium ſuum, ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens, Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam, nunc cognovi quòd timeas Dominum. Ita ut Deus contentus fuerit obedientiâ ipſius, & ſalvam fecerit Abraham vitam filio ſuo Iſaac: ſed B. Virgo non ſuſcepit tale ſubſidium; & licèt ipſa exhibuerit omnem obedientiam quam ipſa debebat Deo per conſenſum quem ipſa præbuit illius mandato, & iverit ſuper montem Calvariam qui eſt idem mons Moria, aut pars illius, ſuper quo immolandus erat Iſaac, ut docet Cornelius l, & ſuper quo peragendum eſt ſacrificium Filij ipſius, nullum tamen ipſa videt Angelum qui de cœlo deſcendat ad retinenda brachia crudelium iſtorum carnificium fodientium *manus & pedes* m Filij ipſius. Scimus quòd dixit Jacob maximè afflictus cùm vidit filij ſui Joſeph tinctam *tunicam in ſanguine hædi, Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Ioſeph. Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore* n. Sed hæc afflictio non eſt comparanda B. Virgini: Jacob enim non vidit niſi veſtem filij ſui tinctam ſanguine: ſed B. Virgo videt corpus Filij ſui proprio ſanguine perfuſum: Jacob habebat adhuc undecim liberos qui ipſi ſeni ſervirent; ſed B. Virgo nullum habet ampliùs filium, cùm iſtum *Filium* o haberet unicum: Jacob agnovit poſteà p quòd Joſeph filius ſuus, venditus à fratribus ſuis, non eſſet à beſtia devoratus; ſed B. Virgo eſt certiſſima, quòd Filius ſuus non ſolùm venditus fuit ab uno ex Apoſtolis ſuis q, ſed etiã quòd devoratur, id eſt, occiditur à carnificibus crudelioribus quã beſtiæ ſint feroces. Didicimus, quòd cùm *arca Dei capta eſt; cecidit de ſellâ retrorſum iuxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt* r Heli ſummus Pontifex dolore: quis autem audebit dicere, quòd dolor Heli procederet ex amore ſic ardenti erga arcam, ac erat amor B. Virginis erga humanitatem Sacram Filij ſui? cùm arca non eſſet niſi umbra & figura illius; & Maria viderit puram veritatem non ſolùm captivam, ſicut arcam, ſed etiam flagellis laceratam, & clavis apertam. Hæc ſola datur inter utrumque differentia, quòd Heli mortuus eſt ſubitò: nam ſicut erat ſenex, ita facilè *cecidit retrorſum.* Sed B. Virgo non obſtante dolore ſuo vehementiori, nunquam cecidit in terram, ſed ſemper ſtetit prope hanc arcam Sacram, cùm hæc ſtetit ſuper arbore crucis, ut dicam aliquando fuſius; ſemper conſtans, & ſemper invincibilis, *Stabat iuxta crucem Ieſu Mater eius*, canit Eccleſia s. Vultiſne videre afflictionem mulierum intuitu liberorum ſuorum? Fortè cùm ipſæ ſint teneriores viris, inveniemus aliquam quæ poſſit adæquare moleſtiam B. Virginis. Fortaſſis audivitis quando dolore correpta eſt quædam mulier, quæ diſputabat coram Salomone cum aliâ ſuper puerulum, ut ab illo decerneretur ad utram pertineret iſte cùm *dixit Rex, Afferte mihi gladium: cumq; attuliſſent gladium coram Rege, Dividite, inquit, infantem vivum, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier cuius filius erat vivus, ad Regem (commota ſunt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo) Obſecro Domine date illi infantem vivum, & nolite occidere eum. E contrario illa dicebat, Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur* t. Sed illa vera mater non eſt experta tantùm dolorem, quantum Beata Virgo ſuſcepit ex ſimili judicio quod protulit Pater æternus ſuper Filium ſuum qui diſceptabatur inter ipſam & Synagogam:

Decre-

l Cornel. in Gen. 22. 2. — m Pſ. 21. 17. — n Gen. 37. 31. &c. — o Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7. — p Gen. 45. 28. — q Matth. 26. 15. — r 1. Reg. 4. 17. & 18. — s ex Ioan. 19. 25. — t 3. Reg. 3. 24. &c.

Digitized by Google

Decretum fuit, ut iſte Filius divideretur, id eſt,
ut anima ſepararetur à corpore, ut neutri rema-
neret ipſe integer. Huic decreto ſubſcribebat
Synagoga; dicens inſtar alterius illius mulieris,
Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur. Pilato Judæi
omnes *autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige*
eum u. Sed B. Virgo quæ ſuſtinere non poterat
u Ioan. 19.15. ut tanta crudelitas exerceretur ſuper Filium ſuum,
coacta fuit dicere ut vivus relinqueretur, & talis
daretur eis, qui illum requirebant: ſed ipſi non
fuit fautum ſicut illi: nam judicium Salomonis
non fuit executioni mandatum; *Reſpondit Rex, &*
ait, Date huic infantem vivum, & non occidatur: Hæc
eſt enim mater eius. Hîc verò mandatur executio-
ni judicium Patris æterni, Jeſus Chriſtus divi-
ditur, id eſt ànima ipſius ſeparatur à corpore co-
ram matre ſuâ.

Heu! Virgo ſanctiſſima, nulla ſupereſt igitur
tibi conſolatio. Heu! ſi ſaltem liceret tibi mori in
corpore, ſicut moreris in animâ, & tenere locum
unius ex inſignibus iſtis latronibus qui crucifigendi
ſunt *cum eo, unus à dextris, & unus à ſiniſtris* x; hoc
x Matth. 27.38. magno favori reputares. Sed ignoſce mihi, Vir-
go ſanctiſſima, locus iſte tibi non eſt attribuendus
propter rationes quas proferam die Veneris, vel Sab-
bathi ſequenti; ſed nobis, qui ſumus latrones adver-
sùs Deum, contra proximum, & contra noſmetip-
ſos. Sed nolite putare, Auditores, quòd injuriam
vobis irrogem, cùm vobis deſidero loca & cruces
latronum: Hæc enim fuerunt illa duo loca præ-
tenſa, licèt malè intellecta, à Jacobo & à Joanne,
qui ea à matre ſua ſategerunt efflagitanda à Filio
Dei, cùm *acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum*
filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit
ei, Quid vis? Ait illi, Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus
ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo
y Matth. 20. 20. & 21. y. Crux enim eſt thronus Regius, cui inſedit ille qui
habet in veſtimento & in femore ſubſcriptum, Rex re-
z Apoc. 19.16. *gum, & Dominus dominantium* z, ſicut *cœli & terra* a,
a Matth. 15.25. ad pacificandum *per ſanguinem crucis eius ſive quæ*
b Coloſſ. 1.20. *in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* b, ad capiendam poſ-
ſeſſionem Imperij ſui, de quo cum ipſo voluerunt
homines contendere: & illi ipſi qui dubitaverunt
c Matth. 27.29. de jure quod ipſe ſuper illud habebat, coacti ſunt im-
ponere coronam capiti illius, ſed *coronam de ſpinis* c.
Ipſa eſt ſpinoſa: ſic etiam oportet, ut coronæ ſint
ſemper ſpinoſæ, & curis ac ſolicitudinibus pungen-
tes. Præterea, *Crucifixerunt eum* d, rati irrogare
ſe ei magnam injuriam: ſed non conſideraverunt d Ioan. 19.18.
quòd crux eſſet propriè locus, in quo debebat effici
Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui de- e 1. Timot. 2.5. & 6.
dit redemptionem ſemetipſum pro omnibus e. Cùm
non eſſet in terrâ, nec in cœlo, ſed in aëre; & quòd
illa eſſet locus, unde pronunciaturus erat oracula a-
bolitionis generalis omnium criminum, dicens,
Conſummatum eſt f. Præ deriſu *ſcripſit autem & ti-* f Ioan. 19.30.
tulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem g Ioan. 19. 19.
ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum g. Poſitus
eſt hic titulus ſuper capite ejus: ſic non debebat po-
ni ſub pedibus illius: nam homines *ipſi fuerunt rebel-* h Iob 24. 13.
les lumini, neſcierunt vias eius: nec reverſi ſunt per ſe- i Ioan. 1.11.
mitas eius h, cùm *in propria venit, & ſui eum non re-*
ceperunt i. Sed Angeli qui ſunt ſurſum, agnoverunt
qualitatem ejus, & legere noverunt titulum illius.
In hoc autem throno Regio communicat ipſe favo-
res ſuos, & diſtribuit gratiarum theſauros ſuarum,
impertiendo dolores ſuos qui ſunt illarum cuſtodes,
& tribuendo clavos ſuos qui ſunt claves theſauro-
rum ſuorum. Propterea præfati Apoſtoli deſide-
rabant habere locum in iſto Regno: nos autem pec-
catores nunquid non ipſum prætendemus? La-
trones ipſum poſſunt prætendere: ipſimet enim
ſunt, qui poſſunt potiùs agere fortunam ſuam, ma-
num imponentes theſauris iſtis, ut magis induſtrii
quàm alij. Sed cavete ne ſitis mali latrones, &
ne malè artem furandi exerceatis: *Vnus autem de* k Luc 23. 39. &c.
his qui pendebant latronibus k, qui fuerat fur
toto tempore vitæ ſuæ, punitus fuit ut talis, eò quòd
cruci ſuffixus, artem ſuam ritè non noverit exercere:
ſed *alter* fuit magis idoneus: dixit enim intra ſe,
Cùm moriar pro furtis meis, furari volo uſque ad
mortem: & ſic appoſitè ſuffuratus eſt cor Jeſu,
quod erat crumena omnium theſaurorum ipſius:
mortuus eſt pro omnibus furtis ſuis, ſed hoc ultimo
vitam recuperavit *in paradiſo*. Sic cùm caſtiga-
mur, & nihil ſuffuramur Deo, morimur hîc, & juſtè
punimur: ſed ſi compatimur doloribus Filij Dei, &
Matris illius deſolatæ, regnabimus cum utroque.
B. Virgo mori quidem vellet, ſed non poteſt; nos
autem poſſumus, ſi velimus: moriamur peccato, &
vivamus gratiæ, & aliquando gloriæ.

Dominica III. Quadrageſimæ.

Omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur. Luc. 11. 17.

a Eſt. 13.10. & 11. REgnum Dei, quod eſt univerſale complectitur
cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu contine-
tur: Dominus omnium a Deus eſt. Et ut ſic obedi-
entias exigit ab Angelis, æquè ac ab hominibus; om-
nes creaturæ ipſum debent agnoſcere; & Angeli pa-
b Apoc. 12. 7 &c. radiſi non priùs iſtud diviſerunt Regnum rebellione
ſuâ, quando *factum eſt prælium magnum in cœlo* b,
cùm illud deſolaverunt: eodem tempore fuit hoc
Regnum deſolatum, quo diviſum, *Omne Regnum in*
ſeipſum diviſum, deſolabitur. Non poteſt meliùs re-
uniri quàm collocando ſuper throno Dominatio-
nem quæ ſuſcipiat obedientias hominum, & reveré-
tias Angelorum: ipſa, eſt Virgo ſanctiſſima, quam
homines agnoſcunt ut Matrem ſuam, & quam re-
c Luc. 1.28. verentur Angeli ſicut Reginam ſuam, ideò unus
ex illis *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* c
Maria.

Omnium regiminum Monarchicum eſt excel-
lentiſſimum, & utiliſſimum populis qui obediunt:
omnia alia ſunt tumultuoſa, & origo diviſionum
quæ quietem interturbant publicam, ut nimium
particularium faveant commodis. Ego verò talis
ſum omni tempore, eodem ſe rem habere modo de
Statibus politicis ac de Eccleſiâ, cujus membra ſunt
congregata ſub unum Caput, *Deus, Domini noſtri*
Ieſu Chriſti Pater ipſum dedit Caput ſupra omnem Ec-
cleſiam, quæ eſt corpus ipſius d. Nos verò *membra ſu-* d Epheſ. 1. 17 &c.
mus corporis eius e. Corpus non poſſe eſſe niſi mon- e Epheſ. 5.30.
ſtrum ſi ſit inſtar hydræ; authoritatem diviſam eſſe
principium diſſidij; lineas non poſſe meliùs uni-
ri, quàm conveniendo ad idem centrum; & uni-
cum ſufficere ad dirigendam navem Nauclerum:
te enim verâ populi qui obedientiæ ſupremi Domi-
ni ſub-

ti ſubditi ſunt, eſſent miſeri, ſi ab eâ ſe diſſolverent præ impatientiâ ſervitutis. Democratia, quæ eſt regimen populare, ubi tot diverſæ ſunt ſententiæ quot varia ſunt capita quæ opinantur, damnoſa eſt, & origo omnium ſeditionum, cùm velit unuſquiſque gubernare. Ariſtocratia, quæ eſt gubernatio aliquorum, qui ſunt præcipui & præ alijs potêntes, non eſt bona; deſtruit illa ſtatum politicum, & bonum derelinquit publicum, ut nimis amplectatur cauſam particularis: utraque è Poteſtatibus iſtis factionem ſuam magnificat, & ſuum conatur ſtabilire thronum, evertendo ſublimem ſui collegæ ſedem; & inde naſcuntur deordinationes Rerumpublicarum, quæ multos agnoſcunt Dominos, qui non quærunt niſi fortunam ſuam ſtabilire particularem nullâ habitâ ratione boni publici: & viſi ſunt aliqui qui omnia everterunt ducti impetu furoris paſſionis, quæ non poterat extendi & dilatari niſi interventu ſanguinis; qui cædibus repleverunt civitates, ut ſui notitiâ futuris præberent ſeculis, & quorum memoria non eſt immortalis niſi medijs actibus iſtis tragicis, qui poſteritatem irritant adhuc ipſorum. Ita verum eſt, quòd ſtatus, qui plura habet capita, juges perpetitur diviſiones, quas ſemper ſequuntur deſolationes, *Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.* Sed cùm regimen Monarchicum & Regium illis non ſit obnoxiû factionibus, & ſubornationibus, & ab ambitione ſit alienum; ideò hujuſmodi ſtatus eò ſecurior eſt: ibi enim impenduntur officia illis qui ea merentur, non autem per violentia; & Reges, quorum diadema omnes complectitur magnitudines, nullas inveniuntur in ſtatu ſuo dignitates quæ favere poſſint ambitioni ipſorum, ita ut ipſos inducant ad violentiam, qua eas ſibi comparent, cùm illas jam poſſideant; quandiu aliæ Poteſtates, quarum commoda & emolumenta ſunt ſeparata, & quæ, cùm non ſint unitæ niſi communi aviditate ſui ipſarum magnificandarum in diſpendium Reipublicæ, feſtinant compilare & arrodere eundè populum qui ipſas evexit; & proficuè utuntur tempore officiorum ſuorum, ne inveniantur vacuæ, cùm ijs fuerint perfunctæ, novis ſuffragijs electionis: & ſicut Reſpublica, quæ non eſt niſi congregatio hominum omnis generis, ipſas minùs reddit ſolicitas, quàm familia particularis, quæ non eſt compoſita niſi ex proprijs ipſarum; certum eſt ipſas magis invigilare curæ ſatagendæ œconomiæ, quàm ſolicitandæ politiæ. Princeps è contrà nullas peragit injuſtitias, ut adaugeat fortunam quæ non poteſt creſcere: & quia Status eſt hæreditas majorum ipſius; ideò intuetur ſe adſtrictum ad cuſtodiendum illum ſicut patrimonium ſuum propter rationes ſanguinis & naturæ. Vnde cognoſcere poteſtis quòd Monarchia, id eſt, gubernatio unius ſupremi Domini, à quo omnes ſubditi abſolutè dependent, & quibus ſolus imponit leges, præferenda eſt alijs omnibus regiminibus Democratiæ, & Ariſtocratiæ, quæ cauſant diviſiones animorum, & conſequenter deſolationem ipſis ſtatibus afferunt. Sic Deus, qui volebat pacem inſtituere generalem, & unionem univerſalem inter omnes homines, cunctos illos fecit deſcendere ex uno Adamo, qui eſt caput generis humani d, & origo omnium hominum qui fuerunt ab initio mundi, qui ſunt nunc, & qui futuri ſunt uſque ad conſummationem ſeculorum. d Gen. 1. &c.

Quaſi digito demonſtrare vobis poſſem in triplici ſtatu, ſpirituali, temporali, & œconomico, quòd ubi diviſio inventa eſt, ibi fuit & reperta deſolatio. In ſpirituali, Conſciſſim ac Hereſiarchæ inſurrexerunt in Eccleſiam, in eâ cauſaverunt diviſionem: & ſi navis S. Petri non eſt perpeſſa naufragium, magnis tamen fuit illa turbinibus ac procellis concuſſa; ſed ſemper victrix permanſit, & ſuas vires auxit inter ictus concuſſionum, quibus illam impetiverunt variæ ac variæ multigenarum hæreſeom tempeſtates, *Et portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam* e. Et, e Matth. 16. 18

Niteris incaſſum Petri ſubmergere navim:
Fluctuat, at nunquam deſinet eſſe ratis.

In ſtatu temporali, Gallia noſtra ſeſe eſt intuita diviſionibus conturbatam ſuis, & hæreſis fuit cauſa totius iſtius deordinationis, & Ludovicus XIII. cognomine Juſtus, memoriam ſuam reddidit immortalem, eò quòd dejecerit illius propugnacula quæ cœlo minas intentare videbantur; zelus ejus hanc hydram ad extremas redegit anguſtias, Rupellam rebellem dinoni ſuæ ſubjiciendo, ita ut non habeat illa ampliùs niſi malitiam ſuam, amiſſâ omni fortitudine ſuâ. In Statu œconomico pater & mater ſunt velut Reges, hi poli ſunt iſtius ſtatus; ſi in illum irrepat diviſio, ſtatim adeſt deſolatio, *Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.* Et hoc eſt quod volo vobis oſtendere, deſerens ſtatum ſpiritualem, & ſtatum temporalem, ut de ſolo ſtatu loquar œconomico, in quo pax & quies inveniuntur, cùm unio in eo eſt, ut videbitis in priori parte diſcurſus iſtius. Sicut è contrà deordinatio & bellum, cùm in illum irrepſit diviſio, ut cernetis in poſteriori: *Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.* Diviſio

Natura, quæ maximo proſequitur odio vacuum inter omnia à quibus abhorret, agit mirabilia ut illud impediat; conclamat ad arma, & efficit ut omnia entia particularia offerant ſe propter bonum & conſervationem totius orbis, elementa ſibi violentiam inferunt quantùm ad inclinationes ſuas, ignis deſcendit, aqua aſcendit ad reparandum diſpendium quod orbis poſſet perpeti ob diviſionem partium ſuarum, elementa includunt ſe in uno corpore, ibique ſibi & propenſionibus ſuis vim irrogant: & quare vir & fœmina aliquam præ ſe ferentes contrarietatem, non conciliabuntur mediâ unione Sacramenti Matrimonij? Hoc eſt effectum gratiæ, quæ fœdus iſtud peragit mirabile, ſicut in Incarnatione, in quâ *Verbum caro factum eſt* f, uniendo duas naturas contrarias, naturam divinam & naturam humanam in eodem ſuppoſito, æternam g cum temporali, immortalem h cum caducâ. Sic dicit Apoſtolus i, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſiâ.* Frangere autem hanc unionem eſt agere in Matrimonio ſeminarium diſſolutionis: effectus ſapit ſemper naturâ cauſæ, quæ ipſum producit: V.g. anima quæ procedit à Deo, qui hominis *inſpiravit in faciem ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* k; eſt tota ſpiritualis ut principium ſuum, *Spiritus eſt Deus* l. *Id eſt ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata* m. Eſt æterna à parte poſt: è contrà corpus, quod eductum fuit è terrâ, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ* n, eſt caducum, & mortale, ſicut corruptibile eſt ſubjectum, è quo compactum eſt: cum igitur Deus ſit Author iſtius unionis, quæ eſt in Matrimonio, crimen eſt illam infringere, debet illa ſemper durare: ideò Scriptura o dicit, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* In Matrimonio enim, in quo diviſio regnat, invenitur etiam deſolatio, *Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.* l. Pet. f Ioan. 1. 14. g Dan. 12. 2. h 1. Timot. 1. 17. & 6. 16. i Epheſ. 5. 32. k Gen. 2. 7. l Ioan. 4. 24. m Dion. Carth. ar. 1. in Ioan 4. 24. n Gen. 2. 7 o Matth. 19. 6.

Qui eſt *caput mulieris vir* p, & ſuperior domus, debet prior præ ſe bonum exemplum ferre, fovere affectus, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ: ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam* q, *&c.* p 1. Cor. 11. 3. q Epheſ. 5. 25. &c.

Vir non debet diligere niſi propriam uxorem; debet illi ſervire loco ſpeculi & exempli: alioquin enim ſi vitiis indulgeat, nonne illam invitat ad diſſolutionem? Vir reddit ei fidelitatem, quam tenetur illi impendere; cùm obligatio ſit reciproca, ſi vir illi non eſſet fidelis, haberet ipſa unde ei pariter eſſet infidelis, etiamſi mortem potiùs debeat ipſa ſubire quàm eò redigatur: licèt enim vir ejus ſit criminoſus, ipſa debet eſſe innocens; ſed culpa viri major eſt: cùm enim mentem habeat fortiorem, virtutem etiam deberet habere validiorem: major eſt pudor mulieris, ſed etiam minus crimen, cùm ſexus iſte ſit fragilior: Homo igitur qui bonum non præbet exemplum ſponſæ ſuæ, eam invitat ut nihil valeat, ſicut ipſe. S. Paulus r ait, *Omnis viri Caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: Caput verò Chriſti, Deus.* Id eſt, (ſi rite explicare valeam mentem Apoſtoli, juxta intentionem Spiritus ſancti) ſicut Jeſus Chriſtus eſt unitus Deo, ita vir eſt unitus Deo per Jeſum Chriſtum, & mulier eſt unita viro; & ſicut vir eſt unitus Jeſu Chriſto; ita interventu harum catenarum unimur nos Deo: ſi ergo vir ſe ſeparat à Deo, mulier non erit ei unita juxta exemplum viri ſui: ſicut enim in catenâ non invenitur unio niſi per orbiculos, ita in Sacramento Matrimonii mulier eſt unita viro, vir unitus Jeſu Chriſto, & Jeſus Chriſtus Deo.

r 1. Cor. 11. 3.

Inter multos ſpecioſos titulos, & prædivites charactêres, quos idem S. Paulus s tribuit eidem Salvatori, iſte eſt è præcipuis, & ex iis, qui nobis ſunt magis proficui, quo vocat eum pacem noſtram, *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſuâ: legem mandatorum decretis evacuans: ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Unitas fit è duabus rebus, unio verò è multis: atqui redigere voluit Deus omnia ad unionem, in naturâ, in gratiâ, & in gloriâ. In naturâ, licèt ipſa ſit tota plena contrarietate, & in hoc mundo non videantur niſi contraria: omnia enim elementa ſunt diſpathica, & qualitates eorum ſunt oppoſitæ; Deus tamen illa unit in homine, & in ſimplicibus, in quibus illa inveniuntur tota conciliata. Natura ſibi violentiam infert, ut obediat Deo; & mare, quod eſt altius terrâ, inclinatur ad ſe extendendum, & ad operiendam totam terram, ſicut aliàs illam operuit totam, cùm *factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram* t eandem. Sed propter univerſi orbis bonum, continet illud ſe in loco ſuo, vim ſibi infert, unit ſe, & ſic de reliquis creaturis in naturâ. In gratiâ invenimus hanc unionem, & gratia non eſt niſi unio, quæ fit fidelium cum Deo, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* u. Sicut etiam in gloriâ quæ facit Sanctos, Beati unam cum Deo habent voluntatem, perfectè ſunt uniti Deo, huic ſuæ beatitudinis principio: Jeſus Chriſtus ergo *eſt pax noſtra*. Ipſe incarnatus eſt ut nos uniret, ut unionem perfectam fidelium faceret, reſecaret omnem diviſionem, & univerſa redigeret ad unitatem.

s Ephes. 2. 14. &c.
t Gen. 7. 17.
u 1. Cor. 6. 17.

Deus eſt perfectè unus, *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus unus eſt* x. *Et, ſi dici poteſt, uniſſimus eſt*, ait Boëtius y. Et Trinitas perſonarum conſtituit perfectionem iſtius unitatis eſſentiæ in naturâ ſuâ, in operationibus ſuis ad intrà, & ad extra, & in quiete ſuâ, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt* z. In naturâ ſuâ, quia eam multiplicare eſſet illam deſtruere, cùm pluralitas naturarum Divinarum ſit impoſſibilis. *Uniſſimus eſt*, & in ſimplicitate naturæ ſuæ omnia complectitur, *Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus* a? *Unus eſt* in operationibus ſuis ad intrà: producit enim *Verbum* b ſuum: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* c. Loquor de eo qui eſt *Principium & finis* d, & *Qui eſt* e. Idem eſt Deus, idem in Principio ſuo, cùm producat Filium ſuum, qui eſt ipſi conſubſtantialis, ſicut ipſemet Filius fatetur, *Ego & Pater unum ſumus* f. Et Pater & Filius in unitate ejuſdem principii ſeu voluntatis ſpirant Spiritum ſanctum, qui eſt terminus dilectionis ipſorum, ut ait idem Filius, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* g. *Unus eſt* in operationibus ſuis ad extrà: unicus eſt enim mundus, ſicut unicum eſt Principium, quod illud fecit, *In Principio creavit Deus cælum & terram* h. Unitas effectûs quæ cognoſcere facit unitatem Cauſæ. *Unus eſt* in quiete ſuâ, *Qui vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum*, concinit Eccleſia. In unitate enim mundi viſæ ſunt ſeculis omnibus diviſiones. In domo Abrahæ, Iſaaco ſociari non poterat Iſmahel, quem Scriptura i repræſentat nobis *ludentem cum Iſaac*. Et S. Paulus k ait, *Quomodo is qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum*. In domo Iſaac, *Oderat ſemper Eſau Iacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum* l. In ipſâ familiâ JESU Chriſti ſi fuit *Petrus* Princeps Collegii Apoſtolici, cui ipſemet Chriſtus dedit *claves Regni cælorum* m: fuit & *Iudas qui tradidit eum* n. Dei Filius autem exivit *à Patre, & in mundum* o venit, ad reuniendas diviſiones iſtas medio myſterio Incarnationis ſuæ, cujus beneficio univit duas naturas in eodem ſuppoſito, quod eſt fulcrum naturæ humanæ: univit enim contrarietates in ſe; paſſibile cum impaſſibili p, temporale cum æterno q, infamiam r cum gloria s, depreſſionem t cum magnitudine u: & omnia conſilia illius eò directa ſunt, nimirum ad inſtituendam & ſtabiliendam pacem & unionem in mundo. Ante incarnationem, in illo erat diviſio, idololatria in eo regnabat à quatuor millibus annorum, ibi erat pluralitas Deorum, quæ incepit in cælo ab illo primo Angelo apoſtatâ, qui voluit illam inſtituere, *Similis ero Altiſſimo* x. Et qui deinceps in paradiſo terreſtri conatus eſt eam perſuadere Protoplaſtis noſtris, ideóque obtulit eis tria, Divinitatem, quaſi verò poſſet illa dividi, *Eritis ſicut Dii*. Scientiam boni & mali, *Scientes bonũ & malum*. Et immortalitatem, *Nequaquã morte moriemini* y. Ex tunc idololatria extenſa eſt per totum mundum, illa ibi regnabat, verus Deus ibi non agnoſcebatur, dividebatur cultus ſoli Deo vero debitus z, & tribuebatur creaturis quæ adorabãtur ut divinitates: Dei Filius veniẽs per Incarnationẽ ſuam, deſtruxit Regnũ Satanæ, *Princeps hujus mundi ejicietur foras* a. Spoliavit eum imperio ipſius, idololatriam infirmavit, quæ erat inter Gentiles, & quâ infecti erant jam Judæi ob funeſtam communicationem cum illis ab ipſis habitam, *Commiſſi ſunt*

x Deut. 6. 4.
y Boetius citatus à B. Alberto Magno in Cõpend. Theolog. Verit. lib. 1. c. 2.
z 1. Ioan. 5. 7.
a Ier. 23. 24.
b Pſ. 44. 2.
c Pſ. 2. 7.
d Apoc. 1. 8.
e Exod. 3. 14.
f Ioan. 10. 30.
g Ioan. 15. 26.
h Gen. 1. 1.
i Gen. 21. 9.
k Galat. 4. 29.
l Gen. 27. 41.
m Matth. 16. 18. & 19.
n Matth. 26. 27.
o Ioan. 16. 28.
p Pſ. 90. 10.
q Dan. 13. 42.
r Ioan. c. 18. & 19.
s Pſ. 23. 7. &c.
t Philip. 2. 7. & 8.
u Baruch 3. 25.
x Iſai. 14. 13. &c.
y Gen. 3. 4. & 5.
z Exod. 20. 3. &c.
a Ioan. 12. 31.

ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum b. Potenter ergo Dei Filius iſtam elaborat unionem, eamque fœliciter perducit ad exitum: propterea iſtam Patri ſuo proponebat in gratiam fratrum ſuorum, ſupplicationem, *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* c. Lacrymas fundit ad ſtabiliendam unionem iſtam, æquam à ſuis exigit fidelibus, inter quos vult ut pax & quies inveniantur, *Cum clamore valido, & lacrymis exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ* d. Id eſt, a Patre ſuo æterno, quando efflagitabat ab eo pacem & unionem in gratiam membrorum ſuorum. In hâc qualitate, qua *Deus*, ejuſdem *Domini noſtri IESU Chriſti Pater ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* e: & quam ipſe fundavit ſuper unitatem, *Ipſe eſt pax noſtra* f. Et ideò illam debet introducere ſuper fideles.

Super quod mementote, ſi placet, quòd *ambulans IESUS juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem & Andream fratrem ejus* g. In fraternitate invenitur unitas carnis & ſanguinis: ubi affectus invenitur, ibi unio eſt, ibi ſtabilit fundamenta Eccleſiæ ſuæ, *Et ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Et licèt ab incunabulis ipſius Eccleſiæ inſurrexerint procellæ ad eam concutiendam, ſchiſmata, & hæreſes, tamen ipſa in ſuâ ſemper permanſit unitate, *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus* h. In eâ fuerunt diviſiones quoad unionem, ſed non quantùm ad unitatem: Hæretici aliquos fideles ſuis diviſerunt erroribus, ſed Eccleſia ſemper eadem permanſit, *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* i. Et, *Simon, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* k. Et hæc eſt Sponſa, quam Dei Filius amavit, ad cujus amoris ſimilitudinem hortatur S. Paulus l viros ut conjuges ſuas diligant, *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ: ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis ejus.* Et hanc vocat Symbolum Nycænum *Unam Eccleſiam.* Et nota primorum Chriſtianorum erat hæc unio, ſicut de illis dicebatur, *Ecce quomodo diligunt ſe.* Et cùm unum haberent cor, univerſa pariter habebant in communi, *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia* m. Sicut enim commodum privatum, quod eſt anima mundi, & cauſa totius diviſionis, DEI Filius ex Eccleſiâ ſuâ repulit Meum & Tuum: ideò Apoſtoli nihil poſſederunt, ſed *omnia* n reliquerunt, quippe quos Chriſtus ſuæ faciebat inniti Providentiæ, dicens eis, *Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis* o. Aufert commodum privatum, quod eſt origo diviſionum, ut foveat ſemper pacem, quietem, & unionem abſque alteratione, *Ille verè pacem habet, qui nil appetit de ſeculo poſſidere. Hic tranquillus eſt, hic gaudet de bonis cunctis. Pagano illo dicente: Quietiſſimam vitam agerent homines in terrâ, ſi hæc duo verba à naturâ rerum omnium tollerentur, ſcilicet Meum & Tuum*, ait S. Auguſtinus p. Cùm pax ibi inveniatur, ubi reperitur unio: & ſi unio alterata fuit in membris per Hæreſes, nunquam tamen alterata fuit unitas, *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem* q. Hæc veſtimenta ſunt fideles, inter eos inveniri poteſt diviſio quoad unionem: *Sed tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum* r, quæ eſt figura Eccleſiæ, quæ *Una eſt* s; non fuit ſciſſa, ſed ſuper illam miſſa ſors eſt. Et mittens Apoſtolos ſuos ad prædicandum Evangelium ſuum, pacem, & unionem, ait illis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos* t. Sed præ hâc differentiâ, quòd Filius Dei miſſus fuit à Patre ſuo ad faciendam pacem, & unionem, & ad redigenda omnia ad unitatem: Apoſtoli verò miſſi ſunt à Filio DEI ad evertenda idola, ad deſtruendas ſectas & Hæreſes, quæ ſunt ſeminaria diviſionum, cùm verum ſit id, quod dicitur, *Quot capita, tot ſenſus.* Et quòd tot ſint religiones, quot ſunt hæretici diverſa credentes. Dei Filius ait in miſſione ſuâ, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur* u? Fideles autem, & inter eos præcipuè conjugati, agunt contra intentionem, conſilia, & miſſionem ejus, cùm non habent dilectionem, pacem, & unionem inter ſe. Hunc ignem potentiùs accendit ſuper monte Calvariâ, ubi eum conſummavit, propriâ morte illum obſignans, *IESUS dixit, Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum* x. Apoſtoli miſſi ſunt poſtquàm, *cùm complerentur dies Pentecoſtes, apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, seditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis* y. Verum eſt id, quod Chriſtus ait alibi z, *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Non videtur hoc eſſe pax, cùm videatur cauſare diviſionem, ſed illud intelligere poſſumus de gladio verbi Divini: *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis* a. Hunc gladium tribuit Apoſtolis, *Ut evellas & deſtruas, & ædifices & plantes* b.

Et licèt DEI Filius prædictis verbis Evangeliſtæ c ſubdat, *Veni ſeparare*, &c. Si illud intelligat de ſeparatione viri ab uxore, hoc debet intelligi de nimio illius affectu erga eam: ut innuunt verba ſequentia ejuſdem Evangeliſtæ, juxta interpretationem Dionyſii Carthuſiani d, *Et inimici hominis, domeſtici ejus. Quia commorantes ſecum ſibi adverſabuntur atque diſſentient. Hoc ipſum apud Michæam* e *Prophetam legitur, Ab eâ quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Venit igitur Chriſtus homines quantùmcumque propinquos ſeparare ab invicem, auferendo ab eis unionem carnalis affectionis, & conſenſum in malo, & hæc eſt ſeparatio ſpiritualis, neceſſaria ad ſalutem, ſine quâ nemo poteſt eſſe ſervus vel diſcipulus Chriſti.* Denique in Evangelio ſecundùm Lucam f Chriſtus affirmat: *Qui non odit patrem, & matrem,* & *uxorem,* & *filios, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

b Pſ. 105. 37.
c Ioan. 17. 22.
d Hebr. 5. 7.
e Epheſ. 1. 17 &c.
f Epheſ. 2. 14.
g Matth. 4. 18 &c.
h Epheſ. 4. 5.
i Matth. 16. 18.
k Luc. 22. 32. & 32.
l Epheſ. 5. 25. &c.
m Act. 4. 32.
n Matth. 19. 27.
o Matth. 6. 33.

p S. Aug. ſerm. 2. ad Frat. in Erem.
q Pſ. 21. 19.
r Ioan. 19. 23. & 24.
s Cant. 6. 8.
t Ioan. 20. 21.
u Luc. 12. 49.
x Ioan. 19. 30.
y Act. 2. 2. &c.
z Matth. 10. 34.
a Hebr. 4. 12.
b Ier. 1. 10.
II. Pars
c Matth. 10. 35. & 36.
d Dion. Carth. a. 20. in Matth. 10 36.
e Mich. 7. 6.
f Luc. 14. 26.

Non

Non quòd debeamus odio habere illos, quoad id quod ſunt, ſed quoad culpam quam habent, & quantùm nobis in viâ Dei obſiſtunt. Et quamvis Dei Filius hortetur viros ut ſuas diligant *uxores, ſicut & dilexit Eccleſiam* ipſemet, ut ſuprà dixi, juxta doctrinam S. Pauli g; tamen hæc dilectio citò deficit, ut, cùm *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, deficiente vino* h ibidem, comprobatur. Et ordinariè inter conjugatos inveniuntur diviſiones, & contentiones. Vinum eſt Symbolum gaudii & oblectamenti, *Et vinum lætificet cor hominis* i. Sic ubi ſunt nuptiæ, ibi lætitiæ non ſunt diuturnæ, ſed è contrà ibidem diviſiones ſunt ordinariæ. Unde S. Gaudentius k ait, *Ibi vinum, id eſt, virtus lætitiæ defecerat, & languebant ſitientium convivarum ora, vini lætificantis inopiâ; quoniam vinum lætificat cor hominis, ut ait Propheta.* Ubique innumeræ reperiuntur moleſtiæ, & deordinationes, ſed præſertim infinitæ diviſiones in Matrimonio. Non quòd velim vituperare Matrimonii Sacramentum inſtitutum à Chriſto, eique detrahere, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſiâ*, ait S. Paulus l. Qui fidelibus alibi m præbet iſtud conſilium, *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem: non peccaſti. Ego autem vobis parco.* Ubi parcere videtur habere relationem ad culpam. Sed dicamus meliùs, quod parcere in hoc occurſu non ſignificat, ignoſcere, ſed compati laboribus alienis, ut exponit Dionyſius Carthuſianus n, *Ego autem vobis parco, hoc eſt, fortiores rationes continendi vobis non profero, cùm ſitis incapaces & infirmi.* Idem Apoſtolus o loquens de Patre æterno, qui Filium ſuum morti addixit ex decreto ſempiterno juſtitiæ ſuæ, ait, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quaſi non compateretur ei, dum proprium effunderet Sanguinem, *Non pepercit, liberando eum à mortis anguſtiâ*, ait idem Carthuſianus p. Ita S. Paulus ſolutos alloquens, ait illis, *Ego autem vobis parco.* Quaſi diceret, Nolo impedire, quin Matrimonium ineatis: ſed ſi hoc peragitis, habeo unde querar de vobis, cùm onus ita grave veſtris imponatis humeris.

In Lege antiquâ duæ, vel tres, aut plures permittebantur duci uxores. *Vir unus Elcana habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna* q. Non autem in Lege Gratiæ, ſed unica, ſicut in principio, *Erunt duo in carne unâ* r. Nequaquam, dixit Deus, erunt duæ, vel tres, aut plures, ſed una. Sed ſi una uxor tot mala cauſavit in orbe: *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro ſuo qui comedit* s; *in quo omnes peccaverunt* t, & miſeri effecti ſunt: quot mala plures cauſaſſent uxores: quàm miſer fuiſſet mundus. Quòd innuit afflictiones, pœnas, & deordinationes quæ oriuntur è Matrimonio, in quo ordinariè inveniuntur diviſiones. Ideò Pſalmiſta u ait, *Virgines eorum non ſunt lamentatæ.* Super quod Lorinus † dicit, *Arabicè in activâ ſignificatione, Virgines eorum non plorarunt, quod ambiguum eſt, an ipſæ alios non plorarint, an ipſas alij. Aſſinis interpretatio aliorum, Non ſunt nuptæ, nuptuive traditæ, ſine honore perierunt innuptæ.* Cùm idem ſit plorari ac conjugio tradi: dare enim uxorem viro, eſt eum cingere exercitu laborum: ſi uxor eſt deformis, tædio ipſe afficitur, eo quòd continuè præ oculis habeat eam, quæ eſt ipſi ſubjectum horroris; ſi verò eſt ſpecioſa, & vanitati dedita, oportet ut ipſe jugiter vigilet ad cuſtodiendam arcem famæ illius.

g Epheſ. 5. 25.
h Ioan 2. 1. & 3.
i Pſ. 103. 15.
k S Gaudent ſer. 8 ad Neophytos.
l Epheſ. 5 32. &c.
m 1. Cor. 7. 27 &c
n Dion. Carth. a. 7. in 1. Cor 7 29
o Rom. 8. 31. & 32.
p Dion. Carth a. 12. in Rom. 8. 32.
q 1. Reg. 1. 2. & 2.
r Matth. 19 5. & Gen. 2. 24.
s Gen. 3 6
t Rom. 5. 12.
u Pſ. 77. 63.
† Lorin. in Pſ. 77. 63.

Uxor Abrahæ *Sara mortua eſt in civitate Arbee, quæ eſt Hebron, in terrâ Chanaan* x. Super quod Rupertus y ait, *Notandum, quia Deus ulteriùs Abrahæ apparuiſſe non legitur.* Anteà cùm eſſet conjugatus Abraham, DEUS eum frequenter viſitabat, *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi in ipſo fervore diei* z. Illum conſolabatur, *Factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem, dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* a. Quandiu habebat uxorem, licèt virtute præditam, indigebat viſitatione, ut ferre poſſet onus conjugii, in quo invenitur ordinariè diviſio: ſed deinde *DEUS ulteriùs Abrahæ apparuiſſe non legitur.* Quippe qui à pœnis & laboribus eſſet liber effectus conjugii. S. Lucas b ait de Annâ Propheteſſâ, *Et erat Anna Propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſuâ. Et hæc vidua erat uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Quærit S. Amphilochius c, quare ſeptimo anno vidua effecta ſit. Et reſpondet, *Præclarè ſeptimum annum tranſegit, præclarè Sabbathum celebravit, præclarè Dominicam gratiam prælibavit.* Iſte numerus ſeptenarius erat conſecratus quieti, *DEUS requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat* d. Idem ergo eſt quaſi toto tempore quo quis eſt conjugatus, labori ſit obnoxius; à Matrimonio verò liber, immunis ſit à pœnis, & quiete fruatur.

Poſtquam *ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem; & adduxit eam ad Adam* e: *mulieri dixit: Ad virum tuum converſio tua* f. Obſervate quòd per creationem DEUS g eduxit omnia è nihilo; & per conſervationem ea in eſſe cuſtodit, quæ produxit: ſed omnes creaturæ convertuntur ad eum, & expectant ab eo conſervationem ſuam, *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur* h. Sic uxor propter conſervationem ſuam, ob pacem domus ſuos debet habere ſemper oculos converſos ad virum ſuum, non quærens placere niſi illi, cùm ipſe ſit unicus poſſeſſor omnium affectuum ipſius. Quandiu Eva fuit in paradiſo terreſtri in ſocietate viri ſui Adæ, non fuit tentata, & ſuam cuſtodivit innocentiam: ſed ſtatim ac ab illius conſortio receſſit, *ſerpens* i aggreſſus eſt eam, illamque à viro ſuo abſentem devicit. Sic eſt, Dominæ meæ: non debetis complacere niſi viris veſtris, quælibet alia intentio eſt criminoſa. Uxor, quæ ornat ſe pompaticè, abſente viro, hoc non agit ut ſuo conjugi complaceat: iſti luxus non ſunt propter virum abſentem, ſicut nec iſta exigua emplaſtra nigra, quæ vulgus vocat Muſcas. Attendite vobis, Dominæ meæ: advertiſtis ut plurimùm quòd muſcæ requieſcant ſuper aliquo cadavere, & non vidiſtis quòd diu ſiſtant ſuper aliquâ parte carnis ſanæ: quid ſibi vult hoc? Nolo dicere quòd corpora veſtra accedant ad corruptionem, ſed vereor ne animæ veſtræ ſint infirmæ, & peccato inquinatæ.

Crimen adulterii tanto erat horrori inter Spartiatas aut Lacedæmonios, ut exiſtimaverint, quòd ne vel illius cogitatio in mentè mulierum poſſet cadere, ideóque illud crediderint impoſſibile: &

x Gen. 23 1. & 2.
y Rupert in Gen. 23. 2.
z Gen. 18 1.
a Gen 15 1.
b Luc. 2. 36. & 37.
c S Amphil hom de Occurſu Domini: de Deiparâ: & de Simeone.
d Gen. 2. 2.
e Gen. 2. 22.
f Gen. 3. 16. ſecùndùm 70
g Gen. 1. 1. &c.
h Pſ. 103. 29.
i Gen. 3. 1. &c.

cùm intereſſet aliquando mulier quædam nobilis circulo aliarum pompaticè indutarum, quandiu ipſa eſſet modeſtè veſtita, & interrogaretur ab illis quare non appareret in ditiori apparatu; ipſa reſpondit, quod apparatus qui placeret maximè viro ipſius, eſſet ornamentum virtutum. Sic eſt, Dominæ meæ: non debetis complacere niſi viris veſtris; quælibet alia complacentia eſt criminoſa, aut vana: non ſemper ornatis vos propter viros veſtros, cùm revertentes domos veſtras, ubi adſunt viri veſtri, deſeratis confeſtim totum mundum veſtrum muliebrem: non ornabatis vos igitur propter viros veſtros: propter quem igitur? Non latet vos: cauſæ ornatus veſtri vos ipſas relinquo judices. *Signum magnū apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus* k. Quid ſibi vult hæc viſio exhibita

k Apoc. 12. 1.

D. Joanni? Luna, ut ait fabula, eſt ſponſa Solis: cùm Luna eſt Soli è diametro oppoſita, & ipſam Sol ad plenum intuetur, ipſa non apparet, ſed delitеſcit; obſervate quomodo clara die non videamus eam, nec ipſa ſeſe intuendam exhibeat: ſed confeſtim ac Sol in alterum perrexit hemiſphærium, ipſa apparet, & ornatam ſplendoribus ſeſe exhibet aſpiciendam: idem dicendum eſt de iſtis mulieribus, quandiu viri earum adſunt, ipſæ ornare ſe negligunt, & modeſtiam præ ſe ferre videntur: egrediuntur-ne ipſæ domo? abſuntne viri earum? confeſtim Lunæ iſtæ apparent ornatæ, & præ apparatu ſplendido indiſcriminatim omnib⁹ ſe intuendas exhibent: non ergo ſe ornant illæ propter viros ſuos, propter quos igitur? Ipſæ dicant. Poſt hæc, Dominæ meæ, mirabimini-ne ſi viri veſtri zelotypia laborent immodicâ, ſi mens illorum hoc ſit affectu vulnerata, & inſanabilis conſequenter eſt? Iſtius vos eſtis cauſa zelotypiæ, & inde oriuntur diviſiones, & omne genus belli in domibus veſtris: attendite vobis, ſi placet, *Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.*

Infortunia familiarum, hæc frigora, ſeu iſtæ diminutiones amoris, quæ contingunt utplurimum inter conjugatos, iſtæ diffidentiæ quæ obſervantur ordinariè inter virū & uxorē, oriuntur etiam perſæpè è ſuſurrationib⁹, quæ ſicut exigui vēti paulatim creſcentes, perſæpè cauſant turbines & tempeſtates, & deploranda ac irreparabilia aliquando invehunt naufragia. Videte navim alto pelago explicatis velis commiſſam, favente Zephyro ſemitam ſuam feliciter proſequentem: ventus incipit vehementiùs perflare, fluctus inſurgunt, mare intumeſcit, procellæ concutiunt navim, eamque elevantes uſque ad nubes, illam confeſtim præcipitant uſque ad abyſſos, & poſt multas concuſſiones ei tandem naufragium inferunt. Uſque nunc laboratum eſt ut ſciretur quænam eſſet natura ventorum & origo, nedum tamen addiſci potuerit. Aliqui opinati ſunt, quòd procederent ex atomis in aëre volitantibus, & quòd cùm in numero ferè ſint infinito, mutuò ſe impellentes adinvicem, hujuſmodi producant tempeſtates. Sic in Matrimonio exiguæ iſtæ ſuſurrationes, quæ non ſunt niſi venti perflati in aures viri, cauſant omnia infortunia domus; & tunc omnia in contrarium ſumuntur ſenſum. Si uxor ornat ſe, vir imaginatur eam ſeſe ita ornare, ut placeat amaſio; ſi illa gaudet, autumat maritus, illam ſuſcepiſſe jucundum aliquod nuncium de eo; ſi ea triſtatur, exiſtimat iſte hanc triſtitiam oriri ex eo quòd illa privata ſit præſentiâ amaſii ſui: & ſic quidquid illa faciat, in malam uſurpatur partem. Quid facit hoc? Imprudentia uxoris, quæ cauſavit zelotypiam viro; & hæc zelotypia eſt cauſa totius diviſionis & deſolationis domus, *Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.*

Edoceamus viros manſuetudinem, & uxores obedientiam. Dicitur quòd ad condendas leges oportet habere mentem bonam, & conſcientiam bonam. Diabolus habet mentem bonam, & conſcientiam malam; ideò aptus non eſt ad imperandum. Mulier habet conſcientiam bonam, & aliquando meliorem quàm habeat vir; ſed non habet mentem bonam; & ſi aliquando mentem habeat meliorem quàm habeat vir, iſtud eſt miraculum naturæ: ordinariè mulieres non habent mentem firmam, hoc tribuitur infirmitati ſexûs; ideò ineptæ ſunt ut ferant leges, & imperent: oportet igitur illas obedire, & eſſe *ſubditas viris ſuis* l. Triplex l Tit. 2. 5.
eſt genus mentium, philoſopharum, politicarum, & ſubjectionis. Prima eſt iſtarum mulierum contentioſarum, quæ in omnibus volunt philoſophas agere. Iſtud nihil valet. Et quare hoc? & cur iſtud? & utquid reliquum? Non eſt hæc mens pacis & unionis, ſed ſpiritus diviſionis & diſſidii. Secunda eſt illarum politicarum, quæ frænum ſuum rodunt, non audentes manifeſtare paſſionem quâ laborant, ſcientes quòd a viris ſuis exciperentur ictibus, ſicut contingit utplurimùm. Tertia eſt earum quæ ſunt ſubmiſſæ, quas D. Paulus hortatur eſſe *ſubditas viris ſuis.* Et hæc mens optima eſt, & illa quam mulieres habere debent, ſuis viris obedientes ut Superioribus ſuis, *Caput mulieris, vir* m. Non eſt Matrimonium ſimile m 1. Cor. 11. 3.
Muſicæ, in quâ ſunt varii toni, alii alti, alii depreſſi, ut bona fiat conſonantia: ſed requiritur æqualitas affectuum, & ut uxor accommodet ſe in omnibus ad captum viri, ut fiat bonus concentus, & pax & quies ſint domi: ſicut enim in Muſicâ eſt ſuperius, & inferius; ita in Matrimonio oportet ut vir ſit Superior, & uxor ſit inferior; ut vir imperet, & uxor obediat; ſed ſemper præ reverentiâ, nedum maritus utatur minis, aut contemptu, neve ſponſam ſuam tanquam captivam excipiat ut tyrannus, quod indignum eſt viro ſanâ mente prædito. *Dixit Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam,: cùmque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro eâ. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem* n. LXX. ver- n Gen 2. 18. &c.
tunt, *Et immiſit Deus ecſtaſim in Adam.* Et in hoc ſtatu inſenſibilitatis ablata eſt ab eo una coſta, quia ſi vigilaſſet, fortè dolor excitaſſet eum ad concipiendum odium adversùs uxorem ſuam ex memoriâ doloris iſtius; ſed in hoc ſtatu ecſtaſis ipſe nihil ſenſit doloris, quia volebat illum Deus inducere ad diligendam conjugem ſuam ſicut ſemetipſum; propterea *tulit unam de coſtis ejus* è regione cordis, ut edoceret eum quomodo deberet illam diligere. Non eduxit eam de capite, ne vellet ipſa dominari; nec è pedibus, ne exciperetur ipſa ut captiva; ſed è latere, ut edoceretur Adam quanti deberet illam æſtimare, & quàm reverenter eam excipere ut fidelem ſociam ſuam, cùm eſſet pars ipſius, *Hâc de causâ ipſum Adam e terrâ formavit, ex eo verò mulierē* o: o ex Gen. 2. 7. & 22.
ut & eandem in illis eſſe naturam demonſtraret, & naturalem benevolentiam mutuam in illis infereret.

Si

Digitized by Google

Si enim rebus ſic ſe habentibus viri cum mulieribus contendunt, & mulieres cum viris, quid non admiſiſſent, ſi aliunde mulierem formaſſet? ait Theodoretus p.

p Theodoret. q. 30 in Gen. 2. 22.

Pudeat vos igitur, viri, ſic irreverenter veſtras excipere conjuges, præ tanto deſpectu, & perſæpè inſolentiis veſtris ictus ſociare. Scitote hæc omnia indigna eſſe honeſtis viris. Inivitiſne Matrimonium, ut in eo viveretis tanquam in inferno? Deſuntne occaſiones aliunde venientes afflictum vos, nedum eas oriri faciatis ex vobis ipſis? Matrimonium eſt Regnum, vos eſtis Reges illius, ſi in illud irrepat diviſio, deſolatio ab eo erit inſeparabilis, *Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur.* Vivire in bona pace cum uxoribus veſtris, præbete eis bonum exemplum. Mulieres ſubditæ eſtote viris veſtris, & cum illis ſociabimini in cœlis.

FERIA II. POST DOMINICAM

III. QVADRAGESIMÆ.

Medice cura teipſum. Luc 4. 23.

HÆc eſt differentia inter ægritudines corporis & infirmitates animæ, quòd illæ nonniſi vix & poſt longum tempus cognoſcantur, & oporteat ut ad illas ſanandas perſæpè Medicus alterius Medici conſilium ſibi aſciſcat, ne in medendis illis contingat ipſum decipi, & ne ſic ruinam infirmi machinetur, nedum priſtinam reſtituat illi ſanitatem deperditam; quandiu poſteriores, id eſt, infirmitates animæ ſemetipſis curantur, cùm ſola manus quæ malum intulit, eidem ſanando congruum applicet remedium. Proptereà cùm lapſus eſſet homo caſu qui ipſum effecit miſerum dum vetito *de fructu comêdit* a: ut ab hujuſmodi lapſu ſanaretur & reſurgeret, oportuit ut Deus fieret homo quò homo mederetur homini, *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factũ ex muliere, ut adoptionem filiorum reciperemus* b. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus c, *At ubi venit plenitudo temporis, id eſt, ſtatim cùm adimpletum eſt tempus divinitùs præordinatum, ut in eo Filius Dei fieret homo, miſit Deus Pater, paternâ authoritate, id eſt in mundo viſibiliter apparere, converſarique* d *voluit Filium ſuum unigenitum, ſibi conſubſtantialem* e, *coæternum* f, *& coæqualem. Non itaque miſit Pater Filium ſuum quaſi Filius in ſui miſſione locum mutaverit, cùm ſit immenſus* g, *& omnia implens* h, *ſicut & Pater, ſed ideò miſſus dicitur, quoniam Patre volente & operante carnem aſſumpſit, atque in mundo, novo modo apparuit. Factum, id eſt, genitum, ſecundùm humanam naturam ex muliere inviolatâ Virgine benedictâ, de quâ Ieremias* i *vaticinabatur, Novum creabit Dominus ſuper terram: Mulier circundabit virum. Eſt autem Hebræi idiomatis conſuetudo, ut quæcumque fœminei ſexus perſona, mulier nuncupetur. Vt adoptionem filiorum, id eſt, effectum adoptionis Divinæ, quâ adoptantur homines à Deo, videlicet gratiam gratificantem in præſenti, & gloriam conſummantem in cœlo reciperemus. Chriſti enim deſcenſio, noſtri eſt ſublimatio, & ejus Incarnatio, noſtri utique deificatio creditur.* Hæc Virgo beatiſſima, fuit officina, in quâ Archangelus invênit omnia remedia curandæ humanæ infirmitati opportuna, æquè ac gratiæ plenitudinem, cùm *ingreſſus, ad eam dixit, Ave* k *Maria*

a Gen. 3. 6. &c.
b Gal. 4. 4. & 5.
c Dion. Carth. 2. in Gal. 4. 4. & 5.
d ex Baruch. 3. 38.
e ex Ioan. 10. 30
f ex Dan. 13. 42.
g ex Baruch. 3. 25.
h ex Ier. 23. 24.
i ex Ier. 31. 22.
k Luc. 1. 28.

Rectæ rationi profectò conſonus erat ille rigor, quo Ariſtoteles perhibetur uſus, illos veteres arguens Philoſophos, qui de ſcientiis loquentes ſemper hominibus, nunquam cum illis de ipſorum diſſerebant ignorantiâ, blandientes illis jugiter vanâ exiſtimatione inſignium qualitatum naturæ ipſorum, nedum illis aperirent oculus, quibus intuerentur dolores, qui ſenſus lædentes; linguam ad querelas inducebant edendas, nedum applicaretur remedium malis, quorum affectabatur voluntariè ignorantia. Infortuniorum ſumus authores noſtrorum, & noſtrarum artifices infeliciatum, & nihil habemus ex nobiſmetipſis (loquor de proſperitatibus) quod non ſuſceperimus à Deo. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* l: Quibus ſubdit Dionyſius Carthuſianus m, *Certum eſt apud Philoſophos, omne quod citra Deum eſt, à Deo fluxiſſe, mediatè, vel immediatè, Ariſtotele proteſtante: Ab hoc autem omnibus communicatum eſt eſſe & vivere: atque Authore libri de Cauſis, Omnis cauſa primaria plus influit quàm quæcumque cauſa ſecunda. Veruntamen aliter dicunt Sancti Theologi, virtutes & actiones meritorias eſſe à Deo, quàm Philoſophi. Quia Philoſophi dixerunt hominem naturali poteſtate & propriâ ratione poſſe virtutes acquirere, & felicitatem mereri. Quod quàmvis verum ſit aliquo modo de virtutibus naturalibus, politicis, in beatitudine naturali, Theologi tamen affirmant hominem (quia ad ſupernaturalem beatitudinem eſt creatus) indigere gratiâ gratum faciente, virtutibuſque infuſis ſupernaturalibus, ac Theologicis. Et inſuper actuali motione Spiritus ſancti in omni meritorio actu: ut ſic media correſpondeant fini.* Quoad mala, nos illorum ſumus cauſa. Ubi obſervabitis, ſi placet, triplex genus mali, naturæ, fortunæ, & peccati. Hæc autem tria malorum genera in noſmetipſos inveximus noſtrarum interventu culparum. Infirmitates noſtræ ex hoc fonte ſunt ortæ; quin imò ipſa, quæ eſt ultimum omnium malorum, quæque ſolâ cogitatione ſuâ audaciſſimos quoſque horrore, æque ac terrore percellit, *per peccatum mors* n. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* o. *Plantaverat autem Dominus Deus lignum vitæ in medio paradiſi* p, tanquam remedium ad reſarciendam vaſtitatem, quam contrarietas humorum cauſare potuiſſet. Si omnes creaturæ nobis bellum indicunt, ſi univerſæ in hominem inſurgunt; ideò quia inſequuntur eum ut reum, amplectentes cauſam Dei, quem offendit, *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eã* q? Super quod Cornelius r ait, *Vanitas, hic eſt defectus mutabilitatis, & opera ſervilia, labores, paſſiones, & corruptiones, quibus creaturæ occupantur propter hominem. Non volens, id eſt non ſponte (uti legit commentarius S. Hieronymo aſcriptus. & Hilarius) hoc eſt, non* ex na-

l Iacob. 1. 17.
m Dion. Carth. art. 2. in Iacob. 1. 17.
n Rom. 5. 12.
o Sap. 2. 23 & 24. ex Gen. 1. 27 & 31 &c.
p Gen. 2. 8 & 9.
q Rom. 8. 20.
r Cornel. in Rom. 8. 20.

Digitized by Google

ex naturali inclinatione: quæque enim creatura naturaliter amat ſuum eſſe, & conſervari, ſuamque perfectionem, ideòque abhorret ab hâc vanitate & corruptione, Ita D. Thomas. Creatura ergo vanitati huic ſubjecta eſt non ſponte ſuâ, ſed propter eum (Deum, Deique ordinationem) qui huic vanitati eam ſubjecit, propter hominem, ut ſcilicet illi ſerviat in hoc ſtatu mortali. Noſtras ignis adurit meſſes, & noſtros torret agros; terram tædet nos portare, fatigatur ipſa nos alere, nec ſuos nobis niſi vix ſubminiſtrat fructus labore noſtro culta, æquè ac ſudore noſtro irrigata; è ſuis exeunt flumina cubilibus ut noſtra abripiant, turgent & intumeſcunt ut noſtros inundationibus ſuis agros repleant; aër veneno inficitur lethifero, ut nobis mortem inferat; denique nihil eſt quod nobis non adverſetur, & inſequatur nos ut nobis interitum irroget, *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* s. *Omnia namque, quæ ad uſum vitæ accepimus, ad uſum convertimus culpæ: ſed cuncta, quæ ad uſum pravitatis infleximus, ad uſum nobis vertuntur ultionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis, ad uſum vertimus vanæ ſecuritatis: Peregrinationem terræ pro habitatione diligimus patriæ: Salutem corporum redigimus in uſum vitiorum: Ubertatis abundantiam, non ad neceſſitatem carnis, ſed ad perverſitatem intorſimus voluptatis: Ipſa ſerena blandimenta aëris, ad amorem nobis ſervire coëgimus terrenæ delectationis. Iure ergo reſtat, ut ſimul nos omnia feriant, quæ ſimul omnia vitiis noſtris male ſubacta ſerviebant: ut quot priùs in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipſo poſtmodum cogamur ſentire tormenta,* ait S. Gregorius r.

s Sap. 5. 21.

r S. Gregor. hō. 35 in Evang.

Omnes jacturæ & infœlicitates noſtræ ſunt effectus peccati noſtri; peccati, cujus nos cauſa ſumus; peccati, quod ſolam voluntatem noſtram pravam agnoſcit authricem: & tamen ſic immodicâ percellimur cœcitate, ut agnoſcere nolimus malum quod affligit nos, & blandientes nobis in infortunio noſtro, principium noſtræ infœlicitatis intuemur longè à nobis remotum, etiamſi in nobis ſit; Accuſamus Deum tanquam infortuniurum noſtrorum opificem, & noſmetipſos autumamus noſtri profectûs authores. In nobis eſt duplex homo: *Is qui foris eſt noſter homo, & is qui intus eſt* u. Id eſt, homo exterior, & homo interior. Uterque excuſat ſe, & neuter vult ita pravæ productionis eſſe parens. Ego autem idem judicium profero, quod pronunciavit Rex Salomon, cùm *venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, ſteteruntque coram eo,* ut diſceptarent de infante vivo, utra ex ipſis eſſet ejus vera mater, *Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri* x. Sic dividantur opera hominis, & bona habeant Deum Authorem, & alia quæ non ſunt bona, ſed mala, reddantur homini, qui illorum eſt artifex: hoc enim pro compertiſſimo eſt, quòd ſi bonum habemus in nobis, iſtud venit ad nos à Deo, ſicut omne malum à nobiſmetipſis oritur, *Perditio tua, Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum* y. Noſtrarum nos ſumus cauſa infirmitatum, & noſtrorum opifices infortuniorum, ſed hanc in nobis habemus fœlicitatem, quòd eadem manus quæ fecit malum, eidem malo conſonum poſſit applicare remedium, ita ut dicere poſſim cuilibet peccatori, *Medice, cura teipſum.* Dico igitur, quòd ſicut nobiſmetipſis malum inferimus ſoli, ita nobiſmetipſis ſanandis remedium afferre poſſumus opportunum.

u 2. Cor. 4. 16.

x 3. Reg. 3. 16. &c.

y Oſee 13. 9.

Propoſitio.

Non pervenitur ad vitium, & ad ultimam illius conſummationem quàm per quoſdam gradus attingendo ſtatui perditionis accommodos. Calvinus, hic abortivus inferni (ô quàm fœlix eſſet Gallia, niſi criminibus illius fuiſſet inhonorata, hoc in puncto infortunata, quod tale monſtrum produxerit impietatis, quod gloriam ipſius offundit caligine!) infœlix iſte, ut ſibi viam panderet ad vitium, cùm defeciſſet à fide, & apoſtata evaſiſſet à religione Catholicâ, Apoſtolicâ, & Romanâ, eò prorupit temeritatis & audaciæ, quæ horrorem incutit Chriſtianiſmo, ut dixerit, quòd Deus ſit cauſa peccati, inducat nos ad peccatum, & ſolicitet nos ad illud patrandum; ipſum illud velle, & nos non poſſe abſtinere ab eo committendo. Quàm infœlix eſt ille hæreſiarcha, ut faciat Deum Authorem illius, cui ipſemet Deus *ſupplicium æternum* z infligit. Cùm Deus ſit Principium omnis boni, ut ſuprà oſtendit S. Jacobus, & voluntas ejus ſit regula voluntatis noſtræ, ſi peccatum exigeret in executione ſuæ voluntatis, nullius eſſemus nos conſcii criminis, quin potiùs mercedes mereremur, cùm peccando, juxta illam ſuppoſitionem; exequeremur voluntatem Dei. Horribilis blaſphemia, ac conſtituere Deum Authorem peccati. Hoc eſt viam aperire ad patranda univerſa ſcelera, iſtud planè eſt nihil ampliùs formidare in materiâ iniquitatis, cùm, juxta dogma iſtud pernicioſum, Deus nos ad illud impellat: Catholicos alloquor, ideò non immoror in convincendo hoc errore falſi, meam concutit hic ſolâ cogitatione ipſius, mentem horrore, nec ullus eſt ſani judicii compos, qui non damnet eum ut multiplicis reum mortis. Si Catholici eandem non proferunt evidenter blaſphemiam, inveniuntur tamen inter eos aliqui, *qui quaſi aquam iniquitatem* a bibentes, idem in ſubſtantiâ dogma, licèt ſub terminis obſcurioribus ventilant. Dicite huic adoleſcenti otioſo, nequam, & æquo liberiùs inſtar ſuis *in volutabro luti* b impuritatis ſuæ ſe volutanti: Amice, quæſo, deſere vitam ita crimino ſam, extrica te ab iſtis ſordibus, quibus es immerſus, heu! reſpondebit ille nobis, non poſſum, Deus iſtam non eſt mihi dilargitus gratiam, Deus iſtud non vult, nondum venit tempus meum. Heu infœlix, ſiccine in Deum crimina tua projicis, quaſi illorum ſit ipſe cauſa & author? Deus tibi non conceſſit gratiam, cujus auxilio fultus, à tuis exire poſſes ſpurcitiis? Mentiris: nam eam tibi ſingulis offert momentis, & quaſi ſupplex præ foribus cordis tui ſtans, ejuſdem cordis ingreſſum ſibi conciliare contendit, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* c. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus †, *Ecce ſto ad oſtium, id eſt, oſtio cordis, ſcilicet libero arbitrio, ſeu voluntati aſſiſto, ſeu præſens ſum, qui omnia impleo* d, *& nullibi deſum. Et pulſo per motionem internam, quâ moveo mentem ad ſupernaturale bonum. Hic autem Divinus inſtinctus ſive influxus, vel motio hæc communiter fit cunctis hominibus, quandiu in vitâ præſenti ſubſiſtunt. Quem quidem influxum quidam ſequuntur per liberi conatum vel cooperationem arbitrii ad ſupernaturale bonum ſe diſponentes, alii non ſequuntur, propter quod non merentur ſibi ipſis relinqui, ſicque ex ſuâ defectibilitate de peccato in peccatum labuntur. Si quis audierit vocem meam, id eſt, inſpirationi divinæ conſenſerit, atque paruerit; & aperuerit mihi januam cordis ſui, id eſt, mentem cum affectu ſpiritaliter dilataverit ſeu patefecerit ad me ſuſcipiendum, ſecundùm illud*

z Matth. 25. 46.

a Iob 15. 16.

b 2. Petr. 2. 22.

c Apoc. 3. 20.

† Dion. Carth. art. 4. in Apoc. 3. 20.

d Ex Ier. 23. 24.

Prophe-

Prophetæ e, *Præparare in occurſum Dei tui; intrabo ad illum, dona gratiæ infundendo, infuſa augendo, miſericorditer conſolando, varios effectus in ſecretis animæ producendo. Et cœnabo cum illo,id eſt,ejus ſaluti atque profectus congratulabor. Et ipſe mecum, delectando in me per conſcientiæ puritatem, & de cœleſtis gloriæ promiſſo lætando per ſpem.* Poſt hæc, infœlix, dicerene potes quòd Deus nolit ut tuis exeas è ſordibus? complacet ergo ille ſibi videre te in hoc ſtatu? amat igitur ille crimen tuum? heu nonne vides, quòd ipſe temetipſum exhibes infœlicitatis tuæ authorem? Deus tuam vult ſalutem, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* f. Id eſt, *Deus vult omnes ſalvari quantùm in ſe eſt, ita ut ex parte ejus non ſis defectus, neminemque ad ſe venientem repellat, & ſingulis gratiam dare parâtus ſit, ſi fecerint quod in ſe eſt*, ait Dionyſius Carthuſianus g. Tuam vult ergo Deus ſalutem, *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat* h? Tu verò eam deſpicis, ut ipſe tibi, & cæteris peccatoribus improperat, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* i. Patientia ejus expectat te, *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti* k. *Nam omnes ad pœnitentiam ac ſalutem hortatur, & pœnitentibus ſemper paratus eſt indulgere, nec alicui quod in ſe eſt facienti denegat gratiam: imò per Angelos ſanctos cuſtodit ac dirigit homines, nec ex parte Dei eſt defectus ſalutis cujuſcumque pereuntis; cùm Deus variis modis homines ad meliora invitet*, ait idem Carthuſianus l. Tu autem hanc contemnis patientiam, quâ ipſe diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam* m. Et tu malus non es, niſi quia ipſe totus eſt bonitate repletus, ut ipſemet tibi exprobrat, *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum* n? Non me latet quidem, quòd ſi ſuum inſumeret ipſe rigorem adversùm te, ſi de te ſeveras capeſſeret pœnas confeſtim ac criminis alicujus te deprehendit conſcium, ſi ſuper impium caput tuum juſtæ ſuæ vibraret iracundiæ fulmina, tibi profectò oſtenderet, quòd ipſe ſibi non complacet in vitâ tuâ criminoſâ; ſed quia expectat te, propriâ ductus bonitate, ipſius bonitas eſt injurioſa honori ipſius, cùm ipſa tibi veluti præbeat occaſionem innocuam proferendarum blaſphemiarum iſtarum, quandiu ipſa de hujuſmodi exceſſibus tuis ſe non ulciſcitur: Nihil videtur magis oppoſitum honori Dei, quàm ſit ipſius bonitas: ſi enim ſtatim ac peccator divina transgreſſus eſt mandata, peccatorum ſuorum pœnas lueret, proculdubio majora formidaret infligenda ſibi ſupplicia, & hoc timore correptus veluti frœno coërceretur ne tantâ impudentiâ vitiis denuò indulgeret: quia rigor pœnarum, quas Deus ſumit de ſceleratis hominibus, continet peccatores, quos bonitas ſua quaſi laxatis habenis currere ſinebat ad vitia, quique non caſtigati, *omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium* *. Id eſt, ſicut exponit Cornelius o, *ut ſequantur naturæ & voluntatis pravæ promtitatem in malum, ſicut equus effræni impetu currit, quò eum ſtimulus vel phantaſia agit, v.g. in prælium, etiam cum certo vitæ periculo. Paulò aliter, ſed efficaciùs vertunt LXX. Current deficit à curſu ſuo, & equus defeſſus in hinnitu ſuo. Quaſi dicerent, Currens diu, tandem delaſſatur, & currere deſinit: equus pariter hinniens ad curſum in prælium, eo delaſſatus, hinnire & currere deſinit: at hi ſuo continuo peccandi labore, & curſu ad ſcelera non fatigantur, ſed quaſi infatigabiles & inſatiabiles ad alia & alia aſſiduè procurrunt. Ita Theodor. Hic peccatoris vitiis immerſi eſt ſtupor, hic furor.*

e ex Amos 4. 12.
f 1. Timoth. 2. 4.
g Dion. Carth. art. 2. in 1. Timoth. 2. 4.
h Ezech. 18. 23.
i Prov. 1. 24. & 25.
k 2. Petr. 3. 9.
l Dion. Carth. art. 3. in 2. Petr. 3. 9.
m Sap. 11. 24.
n Matth. 20. 15.
* Ierem. 8. 6.
o Cornel. in Ier. 8. 6.

Athei, quos ſequuntur æquò liberiores homines, ſua juſtificare volunt crimina, accuſantes aſtra quaſi verò ſuorum ſcelerum eſſent cauſæ; quaſi dicerent, Fatum eſt, & inevitabilis neceſſitas, nec aliter poſſum agere, natus ſum ſub planetâ maligno, qui me invitum & reluctantem ad vitia inducit patranda. Sed iſti Deum, æquè ac Scripturas ejus, falſitatis contendunt inſimulare, qui præſumunt aſſerere, quòd aſtra nobis imprimant qualitates; quòd nativitas, conſuetudo, & converſationes producant in nobis habitudines, quæ neceſſariò nos ad noſtram impellant ruinam. Tales homines loquuntur ut impii, ſicut re verâ tales ſunt, qui perpeti non poſſunt ut homo ſit liber, quia Deus eſt immutabilis in decretis ſuis, *Ego Dominus, & non mutor* p. Nec ſociare poſſunt infallibilitatem ſcientiæ Dei, hominum libertati. Dico, Auditores, quòd aſtra nullam libertatibus noſtris inferre poſſunt violentiam. Effectus aſtrorum & planetarum ſunt naturales, neceſſarii, & abſoluti; ſed voluntas noſtra manet ſemper libera, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Ante hominem vita & mors; bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi* q. Quidquid autem aſtra faciant, nunquam cogere nos poſſunt ut contra noſtram agamus voluntatem.

p Malach. 3. 6.
q Eccli. 15. 14. & 17.

Sapiens dominabitur aſtris.

Non influunt aſtra niſi ſuper corpora, aut ſaltem non poſſunt niſi movere humores, & præſentare nobis objecta externa, quæ lenociniis ſuis noſtras demulcebunt voluntates, eaſque ad amorem ſuum attrahent: ſed ſemper nos ſumus liberi, & poſſumus illa repellere; à nobis pendet, aut ea ſuſcipere, vel illa rejicere. Nerones, & tot alii, qui mirabilia operabantur in expeditionibus bellicis, deditionem ſubibant ad intuitum mulierum: Illi qui triumphabant de civitatibus, & de Provinciis integris, qui populos ditioni ſuæ ſubjiciebant, ſemetipſos reddebant captivos pulchritudinis fœminarum; & lenocinia mulierum triumphabant de omni illorum fortitudine, quandiu adoleſcentulæ Virgines viribus æquè ac ſexu infirmæ Tyrannos cavillabantur, accuſabant eos infirmitatis, ridentes inter tormenta, quæ affligentia corpus ipſarum, non poterant ipſarum animam attingere, ſicut de Jobo aliàs *dixit Dominus ad Satan, Ecce in manu tuâ eſt, veruntamen animam illius ſerva* r. Super quod dicit Bolducius s Capucinus, *Magna poteſtas (ait Ambroſius) magna gratia, quæ imperat diabolo, ut ipſe ſe deſtruat: ſe enim deſtruit, cùm hominem quem tentando ſupplantare ſtudet, ex infirmo fortiorem efficit: quia dum carnem debilitat, mentem corroborat. Illuditur ergo diabolus, ut ſe ipſe morſu ſuo vulneret, & contra ſe armet, quem debilitandum putavit. Sic & ſanctum Iob magis armavit poſtquàm vulneravit; qui diaboli quidem morſum pertulit, ſed venena non ſenſit. Quare ſcriptum eſt: Educet draconem in hamo, illudet eum ſicut avem* t. *Manducet ergo terram meam ſerpens, dentem carni infigat, conterat corpus, dicat Dominus & de me; Trado tibi eum, tantùm animam ejus cuſtodi. Quanta vis Chriſti, ut cuſtodia hominis imperetur etiam ipſi diabolo, & diabolus ipſe ſit prædæ ſuæ cuſtos.* Et paulò poſt allatam eximiam hanc S. Ambroſii ſententiam, ſubdit, *Attende etiam quòd ubi de tentandi hominem datâ Satanæ per-*

r Iob 2. 6.
s Bolduc. Capuc. in Iob 2. 6.
t ex Iob 40. 19. & 24.

permiſſione agitur, pretioſa Deo valdè ſacraque res eſt, quæ vix tangi liceat vita animalis & vegetativa: & idcircò nobiliori animæ vocatur nomine, cùm dicitur, veruntamen animam illius ſerva. Ut inde appareat, quantâ ſolicitudine & curâ invigilet Cuſtos & Creator noſter Deus, ne vel ipſam in nobis vitam brutalem & animalem tantiſper lædat adverſarius noſter diabolus u. *Alioquin iſta anima nihili prorſus facienda eſt, ubi vel de ſalute animæ rationalis, vel de Dei tuendâ & propagandâ gloriâ agitur. Illam enim jubemur perdere* x *propter Deum, ſive ut pœnitentes, ſive ut martyres, odiſſe* y, *minùſque amare quàm Deum* z, *& Dei cauſam, minùs quàm nos ipſos, hoc eſt, quàm partem interiorem ac rationalem, atque iſto modo nos ipſos abnegare* a, *mortificare* b, *crucem portare* c.

u ex 1. Petr. 5. 8.
x ex Joan. 12. 25
y ex Luc. 14. 26.
z Ibid.
a ex Luc. 9. 23.
b ex Coloſſ. 3. 5.
c ex Luc. 8 28.

Liberi ſumus nos, nedum ullam nobis unquam inferant aſtra violentiam ad agendum id, quod nollemus facere. Nonne verum eſt quòd, quàmvis naturaliter ad iracundiam ſitis proni, & confeſtim excandeſcat ira veſtra ac iraſcendi ſeſe vobis offert occaſio, ſi fortè aliquis è familiaribus aut domeſticis veſtris aliquam committat inurbanitatem, quæ juſtè veſtram accendat iram, & tunc interſitis ſocietati alicujus hominis gravis, refrænetis hanc paſſionem, & loquamini præ ſuavitate huic famulo? Manifeſtum eſt ergo indicium, quòd in veſtrâ ſitus eſt affectus veſter poteſtate, & quòd poſſitis ei dominari, cùm ſitis aſtris ſuperiores.

Sed unde fit ut concinnatores iſti horoſcoporum, & bonæ datores fortunæ, divinent aliquando, & vera prædicant? Error eſt, Auditores. Deus ſolus ſcire poteſt res futuras, *Ventura interrogate me* d. *Quid videlicet de vobis decreverim, quidque vobis eventurum ſit*, ait Deus per Prophetam ſuum, & per Commentatorem illius Cornelium *e*. Aſtrologi ſcire non poſſunt niſi id quod ſpectat ad corpus, quod aſtrorum ſubjacet dominio; ſed quoad ea quæ voluntatem ſpectant, in iis nihil vident, & merentur lignile, ſeu ultimo ignis plecti ſupplicio, ſi aſciſcant ſibi id quod ſoli Deo competit. Si autem curioſi iſti volunt ut ipſis ſortem ipſorum annunciem, dicam eis, ipſos nihil valere, nec aliquid unquam valuiſſe. Sed vera aliquando prænunciant illi, dicetis vos, & res accidunt eo modo quo eas prædixerunt. Ratio iſtius eſt: quia Deus punire nos vult per eos qui noſtræ fuerunt inſtrumentum culpæ. Conſuluiſti divinatorem, voluiſti fieri horoſcopum tibi; prædictum eſt tibi, te aquis eſſe immergendum; hoc ipſum eveniet, in aquis peribis, non quia hic futurorum ſciolus exiſtimatus id prænunciavit, ſed quia tuam Deus vult plectere curioſitatem eodem, quo uſus es veluti inſtrumento ad patrandum crimen tuum. Altera ratio, propter quam iſti horoſcoporum fabricatores aliquando vera prædicant, eſt quia judicant de hujuſmodi futuris eventibus ex aſpectu aſtrorum, quæ dominantur corporibus, & inde inferunt ea quæ illis evenire debent: atqui hujuſmodi homines vivunt ſecundùm corpus, & non ut rationales & Chriſtiani, *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe à nemine judicatur. Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis inſtruxit eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus* f. Quæ omnia fusè explicat ad propoſitum noſtrum Dionyſius Carthuſianus *g*, *Animalis autem homo, id eſt, carnalis & vitioſus, cujus affectus & intellectus in ſenſibilibus detinentur, non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, id eſt, ſpiritualia bona. Stultitia enim eſt illi, id eſt, prædicta ſpiritualia & Divina videntur homini animali ſtulta & vana, & non poteſt intelligere per internum ſaporem iſta divina, quandiu permanet talis. Quia ſpiritualiter examinatur, id eſt, per ſpiritualem inquiſitionem cognoſcitur eſſe animalis, ideò ſcitur non poſſe intelligere illa. Vel, Spiritualiter examinatur, id eſt, ideò non intelligit hæc, quia ſpiritualia nonniſi ſpiritualiter diſcutiuntur. Spiritualis autem homo, in quo eſt Spiritus Dei, judicat, id eſt, benè diſcernit omnia ad ſalutem pertinentia, vel de ſingulis talibus verum judicium proferendo inter bonum & malum, verum & falſum, veraciter diſtinguendo. Habet enim ſanum intellectum, & purum affectum, ideò ejus judicium nec errore decipitur, nec paſſione corrumpitur. Et ipſe à nemine judicatur, id eſt, alius nullus carnalis poteſt eum reprehendere, vel de ipſo rectè judicare. Non enim intelligit opera ejus. Quòd autem carnalis homo non intelligat quæ Dei ſunt, probat Apoſtolus authoritate Scripturæ* †, *Quis enim cognovit ſenſum Domini? id eſt, judicium ſeu cenſuram Mentis divinæ de rebus? aut quis inſtruxit eum? Nullus utique. Tantùm autem vult dicere Apoſtolus, quòd de divinis & ſpiritualibus rebus nullus veraciter judicat, nec eas intelligit, niſi qui habet ſenſum Domini. Animalis verò homo non habet ſenſum Domini. Ideò ſubditur, nos autem ſenſum Chriſti habemus, id eſt, intellectum à Chriſto illuminatum, ejuſque ſenſui conformatum: ideò cognoſcimus, approbamus, & ſapimus ea quæ Dei ſunt, ſicut & Chriſtus. Habemus enim ſenſum Domini* h, *ſicut eruditi diſcipuli habere dicuntur ſenſum ſui Magiſtri*. Proptereà mirari non debemus ſi hujuſmodi fabricatores horoſcoporum tanquam animales homines vera prænuncient, & videant evenire ea quæ ipſi prædixerunt: ſed de homine virtuoſo nihil certi poſſunt prædicere, cùm non vivat ſecundùm corpus, ſed vivat *ſpiritu ſpiritu &* i ambulet. *Id eſt, rationis judicium, & Spiritus ſancti inſtinctum in converſatione exteriori, & vitâ ſequatur*, ait idem Dionyſius Carthuſianus k. Et ut ſic ab omnibus aſtrorum & planetarum impreſſionibus & malignis influentiis ſit prorſus immunis.

f 1. Cor. 2 14. &c.
g Dion. Carth. art. 2. in
1. Cor. 2. 14. &c.
† ex Iſai. 40. 13. & 14.
h ex 1. Joan. 5. 20.
i Galat. 5. 25.
k Dion. Carth. art. 5 in Galat. 5. 25.

Triplicis obſervo generis homines, qui aſtra intuentur. Primi inſpiciunt Lunationes, ut agricola, quò proficuè ſua in terram projiciat ſemina; & naucleriis quò appoſitè explicatis velis alto ſe committens pelago navigationem aggrediatur. Secundi ſubjacent aſtris, viventes ſecundùm corpus. Tertii verò ſunt ſuperiores aſtris, quibus dominantur.

Sapiens dominabitur aſtris.

Hoc autem quotidianâ comprobare nobis licet experientiâ, cùm noſtris perſæpè reluctemur affectibus propter reſpectus humanos; nec ullus ſanæ mentis compos poſſit ambigere, quin noſtros reformare poſſimus mores, noſtras moderari paſſiones, & conformem rectæ rationi vivendi modum ſequi; cùm vel ipſa Philoſophia Ethnica hoc ſuos edocuerit ſectatores. Sed obſervate, quòd Deus nobis eaſdem ſemper relinquit propenſiones & inclinationes, quas ante noſtram habebamus converſionem, ſed ſolum mutat objectum. Nihil erat iracundius Saulo; omnium Chriſtianorum, quos ipſe inſequebatur, perniciem machinabatur; *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* l. *Id eſt, minas & percuſſiones ex intimis ſuis effundens* m adverſus Jeſu Chriſti fideles, ut melius Synagogam ſtabiliret, à Deo convertitur, ſed ab eo non mutatur, cùm Deus relinquat ipſi eoſdem ardores, ſed non

l Act. 9. 1. &c.
m Dion. Carth. art. 9. in Act. 9. 1.

idem

idem objectum ſit in eodem Saulo. Eccleſiam perſequebatur, modò illam tuetur, totamque ſuam rabiem exercet in Synagogam, quæ priùs erat tota cauſa zeli ipſius, cùm eſſet *æmulator Legis* †. Magdalena erat veluti fornax ſuccenſa quæ nihil projiciebat niſi ignes & flammas amoris profani, illa erat veluti compacta ex ſulphure, *Mulier erat in civitate peccatrix* n. *Conſtans omnium veterum Authorum opinio eſt, ſuiſſe meretricem, ſi non vulgò proſtitutam, parùm certè caſtè viventem. Ambroſius* o, *Gregorius* p, *Beda* q. *Idque Evangeliſta ipſe, & Simon ſatis indicant, qui uterque eam peccatricem vocat, quo nomine non ſolent, niſi impudicæ mulieres appellari. Nec miratus fuiſſet Simon, pati ſe Chriſtum ab eâ tangi, ſi alius vitiis, quàm impudicitiâ fuiſſet infamis*, ait Maldonatus r. Deus illam convertit, & relinquit ei eaſdem flammas; amans eſt ut erat priùs, ſed non ampliùs hominum, ſed ſolius Dei, *Quoniam dilexit multùm. Fervor enim dilectionis eſt ſpiritualis ignis peccata conſumens. Propter quod Salomon* s *proteſtatur, Vniverſa inquiens, delicta operit charitas. Ideò Petrus* t *hortatur, Ante omnia (inquiens) mutuam charitatem in vobis continuam habentes, quoniam charitas operit multitudinem peccatorum*, ait Dionyſius Carthuſianus *u*. Non plùs ardoribus afficitur illa erga creaturas, ſed erga ſolum Creatorem: objectum eſt ſanctum, & anteà erat profanum: priùs conſecraverat illa cor ſuum creaturis, nunc autem totum illud Deo dedicat, & unum quid cum eo efficitur, *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* x. Quod ſic explicat idem Carthuſianus *y* ad propoſitum noſtrum, *Qui autem adhæret Domino adhæſione amoroſâ, & obedientiali, unus ſpiritus eſt, id eſt, Divino Spiritui per charitatem unitur, in Deum transformatur, eique indiſſolubiliter colligatur. Vnde aiebat Salvator loquens ad Patrem, Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis ſit, & ego in eis* z. *Amor namque eſt virtus unitiva diverſos conjungens, quamvis eſſentialiter differant.*

† Act. 22. 3.
n Luc. 7. 37. &c.
o S. Ambr. lib. 6. in Luc. 7. 37.
p S. Greg. hom. 33. in Evāg.
q Beda in Comment.
r Maldonat. in Luc. 7. 37.
s Prov. 10. 12.
t ex 1 Petr. 4. 8.
u Dion. Carth. art. 19 in Luc. 7. 47.
x 1. Cor. 6. 17.
y Dion. Carth. art. 6 in 1. Cor. 6. 17.
z ex Ioan. 17. 26.

Imitemur hæc exempla, Auditores: ſi aliquis affectus prædominetur nobis, noſtram ex eo eruamus utilitatem. Proclivesne ſumus ad amorem? amemus res cœleſtes, noſtro diligamus *Deum ex toto corde, & in totâ animâ, & in totâ mente* a noſtrâ. *Ex toto corde, id eſt, toto deſiderio & affectu. Et in totâ animâ, id eſt, ſecundùm vires animales & ſenſitivas, vel appetitum ſenſitivum, qui in concupiſcibilem iraſcibilemque partitur. Et in totâ mente, id eſt, toto intellectu ac intentione. In Evangelio Lucæ, & Marci additur quartum, videlicet, ex totâ fortitudine* b, *ſeu totis viribus* c. *Iubemur itaque Deum toto corde diligere, ut tota affectio noſtra ordinetur ad Deum, totaque intentio feratur in eum. Totâ inſuper mente, quatenus intellectus Deo in omnibus ſubjiciatur. Totâ animâ, ut appetitus ſenſitivus, & vires ſenſitivæ ſecundùm Deum dirigantur. Totâ quoque virtute, ut omnis actus noſter exterior ſecundùm præcepta Dei reguletur*, ait idem Carthuſianus *d*. Si iracundiâ nos commoveri experiamur, convertamus eam adversùs nos; impendamus iſtos iræ motus ad aggrediendas res magnas, ad nos mortificandos, ad reprimendos pravos affectus noſtros, ad coërcendas paſſiones noſtras diſſolutas, ad vincendas inclinationes noſtras rectæ rationi diſſonas, & ſic noſtrarum erimus medici infirmitatum: hoc enim à nobis abſolutè pendet, & jure merito nobis propterea dicitur ſingulis, *Medice cura teipſum.*

a Matth. 22. 37.
b Marc. 12. 33.
c ex Luc. 10. 27.
d Dion. Carth. art. 34. in Matth. 22. 37.

Deus igitur non eſt Author peccati, ut vult Calvinus. Nec aſtra ad illud patrandum nos invitos inducunt, ſicut aſſerere præſumunt æquò liberiores homines, & athei. Neque diabolus noſtras cogere poteſt volontates: licèt enim verum ſit, quòd *non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret* e; tamen vires illius eò non pertingunt ut nos poſſint commovere: infirmus eſt quoad ea quæ noſtram ſpectant voluntatem, nec de ullo niſi volente & conſentiente triumphat, *Verum eſt, Fratres chariſſimi, quia multùm prævalet, ſed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortiferâ ſecuritate conjunxerit. Iam videte, Fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catenâ poſitus mordet. Tu te illi per voluntates & cupiditates ſæculi noli conjungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet: nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit*, ait S Auguſtinus *f*.

e Iob 41. 24.
f S. Aug. ſer. 197. de Tēp.

Bellum videtur indicere S. Paulus *g* omnibus creaturis, dicens, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Nihil eſt quod poſſit nos diſſolvere à Deo, quandiu illi adhæſerimus; hæc ſolutio non poteſt procedere niſi à nobis. *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* h. Nunquam diabolus iſtam cauſabit diviſionem, quandiu uniri Deo ſatagemus. Nolite igitur dicere, quòd diabolus ſit cauſa peccati veſtri, quòd occaſio ſic fuit funeſta, & violentia ita fortis, ut reſiſtere ei non potueritis; non diabolus, ſed vos eſtis cauſa lapſus veſtri. Puella vadit ad deambulandum cum amaſio, ſoli recedunt in loca ſemota, & contingit id quod non eveniret, ſi uterque ſapientiam præ ſe ferret: accuſat hæc impudens puella diabolum, ha infœlix puella! tu temetipſam tentaſti, exponens te periculo, non autem quòd diabolus ſit cauſa ſceleris tui.

g Rom. 8. 35. &c.
h Iſai. 59. 2.

Parentes, nolite ſinere ut filiæ veſtræ eo ſecedant modo, hæc commercia ſunt periculoſa, hæ converſationes ſunt noxiæ, & vos ad pœnitudinem inducent, ſed tardiùs quàm ſit par. Sed iſti, ſunt honeſti adoleſcentes. Ego autem dico quòd non; & dato quòd eſſent ſancti, ab illis debetis declinare; imò verò conceſſo quòd eſſent Angeli. Virgo, Deipara mox futura, quæ erat prototypon puritatis, erubeſcit, & turbatur in ſocietate Angeli, *Turbata eſt in ſermone ejus* i. Vos verò nihil formidatis? Heu! in diſcrimen vos adducitis, periculo vos exponitis, & quid mirum ſi miſerandum perpetimini naufragium? *Qui amat periculum, in illo peribit* k. Ulteriùs progredior, & dico, quòd dato quòd eſſet ipſe Filius Dei hoc tamen impedire non deberet quin timeretis. Poſtquàm *unâ Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, converſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet,*

i Luc. 1. 29. &c.
k Eccli. 3. 27.

eſſet, dicit ei, Domino, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam l. Super quod Origenes m petit ab eà, *O mulier, ſi quæris Ieſum, cur non cognoſcis Ieſum? Et ſi cognoſcis Ieſum, quid quæris Ieſum? Sed forſitan ideò eum non cognoſcis, quia tecum loquitur. Nonne in veritate comperi, hanc eſſe cauſam pro quâ à te recedebat, & pro quâ tibi non apparebat?* Quaſi diceret Origenes, Magdalena ſciebat, quòd Dominus ſuus nunquam mulieribus loqueretur, licèt ſanctis & virtuoſis, ut erant Mariæ, niſi præ neceſſitate: intuita igitur quòd ita confidenter ſibi loqueretur Dominus ſuus, inde judicat ipſa, quòd non ſit Dominus ſuus.

l Ioan. 20.15. &c.
m Orig. hom. de Magdal.

Matres, nunquam ſinere debetis ut filiæ veſtræ abſint à vobis, vobis deberent illæ ſemper eſſe præſentes; alioquin quidquam accidet, quod vos immodico dolore afficiet. Omnes ſocietates non ſunt ſanctæ. Cùm apes è ſuis exeunt examinibus tempeſtate opportunâ ut ſuis proviſionibus conſulant, quædam animalcula quæ ad nihil ſunt utilia, niſi ad interturbandam iſtarum apum quietem, deliteſcunt juxta ſepes; & ut revertuntur apes iſtæ, earum prædam eis eripiunt: ſi autem advertant quòd matres earum ſint in illarũ conſortio, tunc iſti fuci non audent apparere: matres, idem dicendum eſt de vobis & de filiabus veſtris, ſunt aliqui fuci qui expectant filias veſtras, ut eis prædam auferant, ſi aſpiciant vos in earum conſortio, non audebunt ad illas accedere, præſentia veſtra illos expellit: ideò ſatagite ut filiæ veſtræ in deambulationibus ſuis ab aſpectu veſtro non diſcedant, ſed ſemper ſint vobiſcum: vos autem filiæ, declinate ab omnibus occaſionibus iſtis, quæ vobis poſſent eſſe funeſtæ: alioquin enim vos eritis cauſa ruinæ veſtræ, non autẽ diabolus, quem falsò accuſaretis molitum fuiſſe ruinam veſtrã, quã ipſemet vobis eſſetis machinatæ. Quæ cùm ita ſint, Auditores, Satagamus ut ea, quibus uſi ſumus, tanquam inſtrumentis ad machinandam jacturam noſtram, inſerviant nobis ad cooperandam ſalutem noſtram, ut eadem manus, quæ malum fecit, illud reparet; mortificemus hoc corpus, ut, cùm cauſa fuerit mali quod patravimus, ſerviat nobis ad bonum. *Medice cura teipſum.* Sanitas pendet a nobis, Deus ſuam offert nobis gratiam, & gratia ejus impetrabit nobis gloriam illius.

FERIA III. POST DOMINICAM

III. QUADRAGESIMÆ.

Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.
Matth. 18. 20.

HAnc promulgavit natura legem, quæ exigit ut amorem exhibeamus eis, qui amore afficiuntur erga nos, cùm nihil ſit rectæ magis conſonum rationi, quam ut amorem reciprocâ agnoſcamus dilectione. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* a. Jure merito noſtros ei conſecrare debemus affectus, eò vel maxime quòd pôlliceatur ſe interfuturum medium inter illos, quos charitas propter nomen ipſius congregaverit, *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, id eſt, in me, videlicet in charitate & gratiâ, vel ſecundùm voluntatem meam, ſeu ad honorem & gloriam nominis mei, ut ſint corporaliter ſpiritualiterque uniti, ibi ſum in medio eorum, id eſt, inter eos atque in cordibus ſingulorum per Spiritus ſancti directionem, piam gubernationem, & precum illorum gratioſam exauditionem. Tales ergo Chriſtus cuſtodit, protegit, & illuſtrat. Qui in Proverbiis* b *teſtatus eſt, Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum*, ait Dionyſius Carthuſianus c. Ut autem hanc dilectionem Dei erga nos reciprocâ compenſare poſſimus ſecundùm vires noſtras dilectione, imploremus auxilium illius quæ eſt *Mater pulchra dilectionis* d ejuſdem, quam ipſa concepit in ſinu ſuo, quia *Deus Charitas eſt* e, cùm *dixit* f illi Archangelus, *Ave Maria.*

a Epheſ. 5.2.
b Prov. 8. 31.
c Dion. Carth. art. 32. in Matth. 18.20.
d Eccli. 24. 24.
e 1. Ioan. 4. 16.
f Luc. 1. 28 & 30.
g Ioan. 21. 20.

Diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* g, ait, Deum Patrem tantâ proſecutum fuiſſe homines dilectione, ut Filium ſuum morti tradere non dubitaverit, ut iſtius interitu vitam illis conciliaret, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* h. Hujus conſiderans excellentiam amoris, quo ductus ejuſdem Dei Filius, exivit à *Patre, & in mundum* i venit ſanatum noſtras infirmitates, & datum nobis vitam morte ſuâ, poſt quam *deſcendit in inferiores partes terræ* k, *ut diceret his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini* l: neſcio utiùm præſtantiæ hujuſmodi amoris ſim injuriam irrogaturus, ſi eum comparem cum amore Theſei, qui *Pirithoum præcipuâ coluit amicitiâ, quocum deſcendit ad inferos ad rapiendam Proſerpinam* m. Vel cum amore Caſtoris & Pollucis germanorum & fratrum Helenæ, nam *cùm Caſtor diem ſuum obiiſſet, ferunt Pollucem (qui eodem cum Helenâ ovo natus, immortalis erat) fratris deſiderio à Iove petiiſſe ut immortalitatem ſuam cum fratre poſſet partiri: quâ re impetratâ, alternis eos & mortem oppetiiſſe, & revixiſſe* n. Fabula eſt, ſed quæ nos iſtam docet veritatem, quòd homo natu minor qui per peccatum ſuum *mortuus, revixit* o beneficio Jeſu Chriſti, qui cùm *ſit ipſe primogenitus in multis fratribus* p, *qui ſolus habet immortalitatem* q per eſſentiam, & tamen *qui eſt primogenitus mortuorum, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* r, vult ei ſuam communicare immortalitatem, *Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit* Pater æternus, *ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes Naturæ* s. *Id eſt, per hæc ſupernaturalia gratiæ dona Deo ſupernaturaliter conformemini, & tandem ad plenam cum Deo aſſimilationem pertingatis in patriâ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus t. *Nemo enim noſtrum ſibi vivit: & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive*

h Ioan. 3. 16.
i Ioan. 16. 28.
k Epheſ. 4. 9.
l Iſai. 49. 9.
m Calepin. in Diction. v. Theſeus.
n Calepin. Diction. v. Caſtor.
o Luc. 15. 24.
p Rom. 8. 29.
q 1. Timoth. 6. 16.
r Apoc. 1. 5.
s 2. Petr. 1. 4.
t Dion. Carth. art. 1. in 2. Petr. 1. 4.

mori-

morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum, & vivorum dominetur u. Aut cum amore Damonis *Philoſophi Pythagorici, qui cum Pythia arctiſſimo amicitiæ vinculo conſtrictus fuit. De quo ita Cicero* x, *Damonē & Pythiam Pythagoreos hoc animo inter ſe fuiſſe, ut cùm eorum alteri Dionyſius Tyrannus diem necis deſtinaviſſet, & is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum causâ poſtulaviſſet, vas factus eſt alter ſiſtendi ejus, ut, ſi ille non revertiſſet ad diem, moriendum eſſet ſibi ipſi: qui cùm ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem Tyrannus, petivit ut ſe ad amicitiam tertium aſcriberent*, ait Calepinus y. Et Jeſus re verâ *tradidit in mortem Animam ſuam: & ipſe peccata multorum tulit* z, causâ præſtando omnium hominum cauſam Deo Patri ſuo, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium* a. Vel cum amore, quo ductus fuit *Curtius, prænomine Marcus, adoleſcens Romanus nobilis, qui ſe pro ſalute patriæ Diis Manibus devovit. Nam cùm terra in medio foro ingenti hiatu deſedisset, reſponſumque eſſet non commutaturam labem, niſi quiſpiam ex primæ ſpei adoleſcentibus ſeſe in hiatum dejeciſſet: Curtius acceptā à patriâ vitam eâdem impendere non dubitavit: conſcenſoque equo ſine morâ, ſe in ſpecum præcipitavit* b. Sic cùm *intraverunt aquæ ſuper Caput* c Chriſti in Paſſione ipſius, ut ipſe queritur Patri ſuo per Prophetam d ſuum, *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*; ipſe venit *in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit* illum. Super quod Incognitus e ait, *Quid eſt maris profundum, niſi infernus, ad quem Anima Chriſti deſcendit? Profundum ergo maris Dominus petiit, cùm inferni noviſſima* † *Electorum ſuorū animas erepturus intravit. Tempeſtas autem ſignificat mortē. Nam tempeſtas, ſecundum Grammaticos, componitur ex peſte, & tempore: & ſic ſignificat mortem temporalem.* Cui voluntariè ſe tradidit propter amorem noſtrum, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* f. Quod inducit nos ad dilectionem reciprocam, & me ad oſtendendum vobis Primò, Nihil eſſe difficile ei qui Deum diligit. Secundò, Dilectionem efficere eum qui diligit, ſimilem Beatis.

u Rom. 14. 7 &c. x Cic. lib. 3. Offic. y Calepin. in Diction. v. Damon. z Iſai. 53. 12. a 1. Tim. 16. 15. & Apoc. 19. 16. b Calepin. in Diction. v. Curtius. c Thren. 3. 54. d Pſ. 68. 2. & 3. e Incognit. in Pſ. 68. 3. † Deuter. 32. 22. f Iſai. 53. 7.

Diviſio.

I. Pars.

Similis eſt dilectio illis conſpiciliis, ex quorū tranſverſo res quæ ſunt magnæ, apparent exiguæ. Hæc veritas eſt manifeſta in operibus Dei. Dilectio effecit ut Jeſus Chriſtus parvi æſtimaverit opera miraculoſa, quæ ipſe operatus eſt, cùm *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* g. Quod magnam conciliat ei laudem: quid enim eſt mirabilius quàm quòd ipſe qui *venit quærere & ſalvū facere quod perierat* h, *operatus eſt ſalutem in medio terræ* i, vitā nobis morte ſuâ adipiſcendo? Introducit eum Zacharias k manibus & pedibus vulneratis, & ait ei, *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuū tuarum?* Et ipſe reſpondet, *His plagatus ſum in domo eorū qui diligebant me.* Quaſi diceret, Patri æterno meo *complacuit per me reconciliare omnia per Sanguinem Crucis meæ, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* l, pacificando, & ſibi reconciliando homines, quorum aliqui me ita vulneraverunt, neſcientes quid agerent; *Si enim cognovissent, nunquā Dominum gloriæ crucifixiſſent* m. Quaſi ſignificaret, illos ſibi mortē non intuliſſe præ malitiâ. Re autem verâ Patrem ſuum alloquens, & veniam ab eo pro illis orans, *dicebat, Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* n. Quaſi inferre vellet, tantam non fuiſſe culpam ac iſtam mortem quam ſibi inferebant illi, licèt eſſet maxima: ſed dilectio illam efficiebat exiguam, cùm nihil ſit difficile ei qui diligit Deum ut decet.

g Baruch 3. 38. h Luc. 19. 10. & ex Matth. 18. 11. i Pſ. 73. 12. k Zach. 13. 6. l Coloſſ. 1. 19. & 20. m 1. Cor. 2. 8. n Luc. 23. 34.

S. Lucas o deferens nomen Paſſionis, vocat mortem Jeſu Chriſti nomine exceſſus, *Moyſes & Elias viſi in majeſtate, dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem.* Mors iſta fuit exceſſus omnium tormentorum imaginabilium; & tamen Jeſus Chriſtus dilectione ductus erga Patrem ſuum, & erga nos, æſtimat hunc exceſſum exiguum, & ferè nihil: imò verò poſt Reſurrectionem ſuam, cùm dixiſſent ei *duo ex* diſcipulis ipſius, qui *ibant ipſâ die in caſtellum Emmaus, Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illâ his diebus? Quibus ille dixit, Quæ* p? voluit inde oſtendere ſe veluti excidiſſe ſuorum memoriâ tormentorum, quia dilectio, illa tolerata reddiderat ipſi facilia. Sic loquens de morte ſuâ, vocat illam horam ſuam, *Sciens Ieſus, quia venit hora ejus* q. Licèt ipſe Crucem tuliſſet ab inſtanti Conceptionis ſuæ, *Tunc dixi, Ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & Legem tuam in medio cordis mei* r: tamen totam Paſſionem ſuam vocat horam. Hæc verè fuit hora Dilecti, qui poſt tranſactam totam noctem, poſt toleratas aëris & tempeſtatis inclementias præ foribus dilectæ ſuæ, dicens ei, ut ſuos illi teſtetur affectus, *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium* s: aurorâ mox illuceſcente, leviſſimos ſuos fuiſſe labores autumat. Jeſus Chriſtus nuncupat tempus mortis ſuæ, horam, *Sciens Ieſus, quia venit hora ejus, id eſt, quòd tempus ſuæ Paſſionis divinitùs præſtitutum, de proximo immineret*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus t. Quia judicabat propter immodicam dilectionem ſuam, hoc tempus fuiſſe breviſſimum, cùm adhuc magis perpeti deſideraret propter amorem quo ducebatur erga Patrem ſuum, & erga nos, cùm nihil ſit difficile illi qui Deum diligit.

o Luc. 9. 31. p Luc. 24. 13. & 18. q Ioan. 13. 1. r Pſ. 39. 8 & 9. s Cant. 5. 2. t Dion. Carth. art. 33 in Ioan. 13. 1.

Hæc eſt differentia inter amorem verum & amorem fictum ſeu apparentem, quòd amor verus habet manus, & non os; fictus amor verò ſola præ ſe ferat verba, & nulla opera. Hoc eſt quod Ethnici voluerunt nobis innuere, cùm pingebant Amorem, quem colebant ipſi ut Deum, cum digito præ ore, & cum magnâ crumenâ circum lumbos ſine ligaturâ, ut ſignificarent, quòd amor verus dives eſt non ſolùm verbis, ſed operibus liberalitatis erga objectum, quod ipſe ſuis proſequitur affectibus. Et addiderunt inventorem prodigitatis fuiſſe Amorem, quia omnia inſumit, nulli rei parcit ut acquirat id, quod ipſe ſummo ardore concupiſcit. Sic Adam Protoplaſtus noſter ne diſpliceret objectu deliciarum ſuarum, *de fructu comēdit* u ligni vetiti. & ideò deſtitutus fuit dominio univerſali, quo ſuper omnes vigebat creaturas x. Propterea Antiqui pingebant Amorem in ſtatu nuditatis, quia omnia dat, & nihil ſibi reſervat.

u Gen. 3. 6 &c. x Gen. 1. 28.

Dei Filius, quem Pater æternus propoſuit nobis *Præceptorem* y, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* z; cū obligatione audiendi verbi illius, præceptum nobis iſtud facit, *Diliges Dominum Deum tuum* a. Mandatū iſtud ſic eſt ſuave, ut de eo loquens Propheta, Deo dicat, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua* b! *Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum* c. Lex Moyſis erat Lex rigoris, quæ pœnam reo ſtatim poſt crimen commiſſum infligebat d: ſed Lex Jeſu Chriſti nihil continet niſi dulcedinem, cùm nihil

y Iſai. 55. 4. z Matth. 17. 5. a Matth. 22. 37. & Marc. 12. 30. & Luc. 10. 27. b Pſ. 118. 103. c Pſ. 18. 11. d Num. 15. 7 &c.

nihil exigat ab homine niſi id quod ei ſuaviſſimũ eſt, nimirum amorem. Ideò illi majori digni ſunt pœnâ, quos non pudet illam violare, etiamſi illa ſit ita ſuavis & facilis, *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* e, ait Jeſus Chriſtus. De hoc ipſe queritur Deus per Iſaiam f, dicens, *Non me invocaſti Iacob, nec laboraſti in me Iſraël; non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me.* Quaſi diceret, Impoſui tibi levia, non exigo a te tot & tanta ſacrificia, quæ petebam a patribus tuis, & non cuſtodiſti hæc exigua, etiamſi majora pro te feceiim.

Deus in cœlo innumeros habet Seraphinos qui flammis ipſius ardent g; tamen ipſe exigit ſe diligi eo modo ab homine, qui non eſt niſi *putredo & vermis* h, Seraphinis comparatus. Non quod Deus noſtro indigeat amore, *quoniam bonorum non* i *eget noſtrorum*; ſed quia noſtra quærit commoda, quod non poteſt eſſe abſque dilectione; ideò propter nos inducit nos ad dilectionem, quia ſine dilectione quietè pertranſire non poſſumus iſtius mare ſæculi; nec aliquid ita leve eſt, quod non efficiatur grave ſine amore; ſicut è contra gravia reddit amor levia & facilis. Propterea loquens Jeſus Chriſtus de præceptis ſuis dilectioni innixis, dicebat, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit* k. Dicit, *ſermonem meum*, & non, ſermones meos, quia ille qui diligit Deũ, è multis mandatis unum facit, eaque omnia ita facilè ſervat ac unicum præceptum: ſed cùm amor deficit, res leves videntur intolerabiles. *Filii Prophetarum cum guſtaſſent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in ollâ, vir Dei. Et non potuerunt comedere. At ille, Afferte, inquit, farinã. Cumque tuliſſent, miſit in ollam, & non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in ollâ* l. Amor Dei eſt farina, quæ mitigat omnes amaritudines vitæ: ideò ſi morbus, jactura bonorum, amicorum, litium, propinquorum vos premunt, recurrite ad hanc farinam cœleſtẽ: & quia vitæ hujus non poteſtis curſum perficere, quin pluribus & diverſis agitemini afflictionum undis, ideò voluit Deus non propter ſe, ſed ob commoda veſtra dare vobis pro remedio dilectionẽ ſuã, quæ faciles vobis reddit res difficillimas. Propter hunc magnum effectum exigit à nobis amorem, quia amor eſt donum, quod nemo denegare poteſt: ſi enim ad conſequendum cœlum ſcientia eſſet neceſſaria, quid ageretur de ignaris? Præterea, Petit à nobis amorem, quia amor nullũ aliud habet pretium niſi amorem. Alia beneficia & obſequia aliquâ aliâ viâ compenſari poſſunt, ſed ſolus *amor amore compenſatur*. Propterea S. Auguſtinus m dicebat Deo, *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* In univerſis reperitur amaritudo rebus, ut in illis non inveniens homo ſuavitatem, quam ſibi fuerat pollicitus, revertatur ad Deum ſuum. Eo ſe gerit Deus modo, quo Carolus Quintus perhibetur aliàs egiſſe adversùs quendam è Legatis ſuis, ſcripſit omnibus Principibus ſuis, eiſque præcepit ut illum non ſuſciperent, & ſic coactus eſt Legatus ille ad Imperatorem redire. Omnis creatura naturaliter ad amorem fertur, ita ut niſi interveniſſet peccatum, quod iſtam pervertit inclinationem naturalem, non fuiſſet opus præceptis, quibus inducerentur homines ad diligendũ Deum.

Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtrâ n. Sed ex auditu tranſeundum eſt ad viſum, æquè ac ad guſtum, *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus* o. Si ergo perfectè frui velimus dulcedine

e Matth. 11. 30.
f Iſai. 43. 23.
g Iſai. 6. 2 & 3.
h Iob. 25. 6.
i Pſ. 15. 2.
k Ioan. 14. 23.
l 4. Reg. 4. 38. &c.
m S. Aug. lib. 1. Conf. c. 1
n Iſai. 55. 2.
o Pſ. 33. 9

fructus iſtius amoris, guſtare eum debemus, & tunc dicemus cum Sponsâ, *Fructus ejus dulcis gutturi meo* p, poſtquàm guſtaverimus id, quod Jeſus Chriſtus animarum noſtram Sponſus fecit propter amorem noſtrum. *O amor qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus, accende me!* exclamat S. Auguſtinus q. Anima hoc igne ſacro divinæ dilectionis accenſa omnes vitæ devincet adverſitates, omnes anguſtias inveniet faciles, imò verò gratas, *Memor fui Dei, & delectatus ſum: & defecit ſpiritus meus* r. Si pars amat totum ſuum, ſi filius patrem ſuum, ſi ſervus Dominum ſuum, quantò potiori ratione diligere debemus Deum, qui eſt *Pater noſter* s, Frater noſter, *Primogenitus in multis fratribus* t, *Sponſus* u noſter, *Dominus noſter* x, & *omne bonum* y noſtrum, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum.* Non ait, timebis, ſed, *diliges*. Timor convenit ſervis, amor verò filios decet, *Perfecta charitas foras mittit timorem* z. Ut uniantur duo panni, requiritur acus & filum, quia acus perforat, & filum unit, & remanet, cùm acus educatur: *Initium ſapientiæ timor Domini* a. Filo, id eſt, dilectione Dei ingrediente, foras mittendus eſt timor, quia Deus timeri non vult, ſed charitate diligi filiali: tamen licèt timor mittatur foras, cùm amor animam ingreditur, hoc non impedit quin timor iſte ſerviat amori, ut acus filo: ſic timor ſervit animæ ad introducendum in eam amorem. Ideò volens Dei Filius inſtituere legem dilectionis, præcedere fecit legem timoris, & ſuam legem amoris incepit verbis timore repletis: ſæpè enim locutꝰ eſt de morte ſuâ, *Ecce aſcẽdimus Ieroſolymã, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotũ & ſcribis, & condemnabunt eum morte* b. De judicio, *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ* c. Ut paulatim amor introduceretur per timorem. Ideò Propheta d dixit Deo, *A facie tuâ, Domine, concepimus & peperimus ſpiritum ſalutis.* Spiritus iſte non eſt alius niſi ſpiritus amoris, introductus per timorem, ut docet S. Auguſtinus e, *Ob hoc enim dictum eſt, Noli altum ſapere ſed time* f. *Et timor iſte præcipitur iis etiam qui ex fide viventes, hæredes ſunt novi Teſtamenti, atque in libertatem vocati.*

Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias; ab omni homine qui offert ultroneus, accipietis eas g. Præcipiebat Deus aliàs ut ſibi offerentur primi fructus, aut primogeniti, & liberum relinquebat dominium aliarum rerum hominibus: cùm igitur nos inſtituerit Deus poſſeſſores omnium rerum, debemus ei offerre primitias, aut primogenitos cordis noſtri, id eſt, amorem. Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis *oſtendit manus & latus* h. Quaſi dixiſſet illis, Tales manus ſunt talis pectoris; & tale pectus eſt talium manuum: talis amor talia producit opera; & talia opera procedunt à tali amore, qui nihil invenit executu difficile. Et cùm alias dixiſſet *Simoni Petro Ieſus, Simon Ioannis diligis me plùs his? dicit ei, Etiam Domine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Paſce oves meas* †. Quia directio animarum eſt res difficillima, ut dicunt ſancti Patres, *Ars artium regimen animarum.* Sed amor hanc directionem S. Petro reddidit facilem. Totam ſuam communicaverat Deus Jeremiæ juriſdictionem, *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper Regna; ut evellas, & destruas, & diſperdas, & ædifices, & plantes.* Sed quantùm ad loquelam, balbutiebat Propheta. *Et dixi,*

A, a, a,

p Cant. 2. 3.
q S. Aug. lib. 10. Conf. c. 29.
r Pſ. 76. 4.
s Matth. 6. 9.
t Rom. 8. 29.
u Pſ. 18. 6
x Pſ. 8. 2.
y Exod. 33. 19.
z 1 Ioan. 4. 18.
a Pſ. 110. 10.
b Matth. 20. 18.
c Matth. 25. 31. &c.
d Iſai. 26. 18.
e S. Aug. de Grat. Novi Teſtament. epiſt. 120. c. 21.
f Rom. 11. 20.
g Exod. 25. 2 & 35.
h Ioan. 20. 20.
† Ioan. 21. 15. &c.

A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum i. *Et volavit ad* Iſaiam qui ſic diſertus erat, *unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari: & tetigit labia labia* k ejus ac purgavit ea, ut min⁹ loqueretur. S. Paulus qui ſcriptis exaravit in Epiſtolis ſuis magnitudines & myſteria Dei, proteſtatur, ſe *non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, teſtimonium Chriſti* l annunciaſſe: quia amor Dei pauca requirit verba, & multa opera, quæ præ amore ſunt executu facilia.

i Ier. 1. 10 & 6.
k Iſai. 6. 6. & 7.
l 1. Cor. 2. 1.

Amor Dei agit adversùs vitam ſenſitivam aut animalem id, quod mors intuitu vitæ naturalis: & ſicut mors efficit ut oculi, quibus proprium eſt videre, non videant; ita amor Dei reddit illum qui eo captus eſt, cæcum, mutum, & ſurdum, ut non agat niſi id, quod Deus ab ipſo exigit, *Fortis eſt ut mors dilectio* m. Animalia illa myſtica, de quibus loquitur Ezechiel n quæ ſunt ſymbola hominis juſti, *habebant pennas. Sed & manus hominis ſub pennis eorum.* Ut innuatur, quòd Juſtus verè debet habere alas notitiæ Dei; ſed illæ debent eſſe repletæ, id eſt, operibus, quæ præ ſe ferant amoris veri notas, qui hoc habet proprium ut non ſolùm petat verba, ſed etiam opera, *Probatio ergo dilectionis, exhibitio eſt operis,* ait S. Gregorius o. Dei Filius laudibus extulit Magdalenam, quæ licèt non loqueretur, aut ſaltem parùm, multum tamen fecit, *Attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Et converſus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravi, non ceſſavit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* p. Dilectio reddebat omnia Magdalenæ executu facilia.

m Cant. 8. 6.
n Ezech. 1. 8.
o S. Greg. hom. 30. in Evan.
p Luc. 7. 37. &c.

Multis à Deo fuerat Moyſes cumulatus favoribus, *Apparuit ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi* q. Sed nunquam à Deo Deus fuit appellatus, quàm cùm Moyſes exhibuit ipſi teſtimonia amoris ſui, & deſiderii, quo ferebatur, ipſi ſerviendi. Deus conſtituerat illum Prophetam ad educendum populum ſuum è captivitate Pharaonis, eumque in priſtinam reſtituendum libertatem: revelarat illi nomen ſuum, *Ego ſum qui ſum* r. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum* s. Tantâ repleverat illum fide, ut quànvis præciperet illi ea, quæ viribus purè humanis erant impoſſibilia, tamen virtute fidei ſuæ, Ægyptum totam prodigiis repleret t. Manum ejus ita reddidit invincibilem, ut Pharaonem cum toto ipſius Statu penitus dejecerit u. Per eum ſublimia Religionis noſtræ delineavit myſteria. In deſerto *fecit Moyſes ſerpentem æneum* x, qui erat figura mortis Jeſu Chriſti in cruce: *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis* y. *Id eſt, in cruce levari,* ait Carthuſianus z. Dum *fecerunt Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus: & elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in ſanguinem* a: prædixit, quòd aquæ peccatorum noſtrorum aliquando ruberent Sanguine Chriſti, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* b. Tamen nunquam Deus dedit illi nomen Dei, *Conſtitui te Deum Pharaonis* c, niſi poſtquam idem Moyſes dixit ipſi verba ad amorem tendentia: ſtatim enim ac Moyſes ardens deſiderio adventus Meſſiæ, magno ductus amore, *Obſecro Domine, inquit, mitte quem miſſurus es* †, præbens His verbis teſtimonia Divini amoris, quo intùs ardebat, tunc meruit aliquo modo fieri Deus, *Conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus:* Sicut enim ego meos habeo Prophetas, quibus mea revelo ſecreta, ut illa manifeſtent populo, & futura prædicant Principibus & Regibus, ſic ſimilem tibi trado poteſtatem, ut ſicut Deus habeas Aaron fratrem tuum Prophetam, cui committas id, quod tibi revelaturus ſum; & ille perſuadebit Pharaoni, ut liberum dimittat populum meum Iſraël.

q Exod. 3. 2.
r Exod. 3. 14. &c.
s Exod. 33. 11.
t Exod. 7. & ſeq.
u Exod. 14. 21. &c.
x Num. 21. 9.
y Ioan. 3. 14.
z Dion. Carth. art. 8. in Ioan. 3. 14.
a Exod. 7. 20.
b Apoc. 1. 5.
c Exod. 7. 1.
† Exod. 4. 13.

Aliquando hoc nomen Dei datur Prophetis & Sacerdotibus, *Ego dixi, Dii eſtis. Deus ſtetit in Synagogâ Deorum: in medio autem Deos dijudicat* d. Sed hoc non tribuitur eis ratione ſcientiæ ſuæ, aut diverſorum muniorum quibus funguntur, ſed ob Divinam charitatem, quâ ſua enunciant oracula, & quia ſua obeunt officia præ magnâ charitate, quæ ea ipſis reddit facilia, licèt ex ſe difficilia. Vocantur igitur Dii non propter cognitionem ſuam, ſed propter amorem ſuum. Hunc amorem conſulit nobis Deus ut emamus, *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum* e. Id eſt, dilectionem, de quâ loquitur ipſe Chriſtus, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* f? Amor iſte more ignis omnes ſuperat difficultates: imò verò Beatis nos ſimiles efficit.

d Pſ. 81. 6 & 1.
e Apoc. 3. 18.
f Luc. 12. 49.

Sicut cœlum Empyreum eſt domicilium fortunatum Beatorum, ubi dicimus creatos fuiſſe Angelos, cùm dixit Deus, *Fiat Lux: & facta eſt lux* g: Et unde aſſerimus, quòd *projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* h propter ſua crimina: Sic amor eſt habitatio Juſtorum: quia ſicut quandiu Angeli manſerunt in cœlo, nullam ſunt experti pœnam; ſed ſtatim ac amor illis deſiit, *ad infernum in profundum laci* i detracti ſunt: ita quandiu homo manet in charitate & amore Dei, incipit experiri per anticipationem felicitatem Beatorum cœli Empyrei: ſed ſtatim ac reluctatur Deo, tendens *adversùs Deum manum ſuam,* & *contra Omnipotentem roboratus* k, gratiam ejus amittit; idem Deus ut *Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem* l, præcipitat illum in infernum, ſicut ipſe ſe præcipitat in vitium. Amatores igitur Dei æternâ per anticipationem potiuntur Beatorum cœli Empyrei felicitate, quod manifeſtè patebit ex convenientiis quæ ſunt inter paradiſum & amorem.

II Pori.
g Gen. 1. 3.
h Apoc. 12. 9.
i Iſai. 14. 15. &c.
k Iob. 15. 25.
l Luc. 10. 18.

Cùm Chriſto diceret *Iudas* Thaddæus, *Domine quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?* (Suis enim laverat jam Chriſtus *pedes* m diſcipulis: multa ex iis, quæ perpeſſurus erat, illis revelaverat, *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis,* & *condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum,* & *flagellandum, & crucifigendum* n: tandem promiſerat eis ſe manifeſtaturum ſeipſum ipſis, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*) *Reſpondit Ieſus,* & *dixit ei, Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum venie-*

m Ioan. 13. 5.
n Matth. 20. 18. & 19.

num, & manſionem apud eum faciemus o. Et per talem dilectionem exhibitam per obſervantiam Legis meæ diſponet ſe ad videndum me. Hæc eſt ratio propter quam permittitur nobis evadere filios Dei, per fidem, per ſpem, præcipuè verò per charitatem. De illis qui fide ſunt muniti, dicitur, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* p. De iis qui habent ſpem, enunciatur, *Beatus homo, qui ſperat in te* q. De pacificis, *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur* r. Sed datur differentia inter eos qui credentes, dicuntur filii Dei. *Pacifici, filij Dei* vocari recenſentur: ſed qui habent charitatem, dicuntur eſſe filii Dei: *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt* s. Et, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus* t.

Ad videndam aliquam rem perfectè, tria requiruntur. Primum, Diſtantia mediocris inter oculum & objectum. Secundum, Directio oculi ad objectum, Tertium, Averſio oculi à quâcumque aliâ re. Ad intuendum Deum tria ſunt pariter neceſſaria. Primò, Approximare debemus ad illum, *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtra non confundentur* u. Secundò, Elevare debemus oculos mentis noſtræ ad illum, *Ad te levavi oculos meos: qui habitas in cœlis* x. Tertiò, Avertendus eſt à terrenis animus noſter, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ* y. Amor Dei hæc tria operatur: Non enim ſolum nos ad Deum facit accedere, imò verò nos unum quid cum illo efficit, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* z. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus a, *Qui adhæret Domino adhæſione amorosâ & obedientiali, unus ſpiritus eſt, id eſt, Divino Spiritus per charitatem unitur, in Deum transformatur, eique indiſſolubiliter colligatur. Unde ajebat Salvator, loquens ad Patrem: Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis ſit, & ego in eis* b. *Amor namque eſt virtus unitiva diverſos conjungens, quamvis eſſentialiter differant.* Secundò, Amor dirigit aciem cordis noſtri ad Deum, quia in eo ſuum theſaurum collocat, *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* c. Tertiò, Mentem removet charitas ab amore mundi, *Qui diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo* d. Præterea, Theologi docent, gloriam Beatorum in eo eſſe ſitam, ut videant, teneant, fruantur e, ſint agiles, impaſſibiles, clari, & ſubtiles f. Quæ omnes qualitates inveniuntur in Amore Divino. Quoad viſionem, ad illam referre poſſumus id, quod modò recenſui de interrogatione S. Thaddæi. Pro comperto eſt, modum certiſſimum cognoſcendorum myſteriorum & ſecretorum Dei, eſſe ut quis habeat amorem ejus: verus amor animæ noſtræ alas tribuit, eam ſurſum ſublevat, eique ſecreta Divinitatis inſpirat, ut S. Joanni huic aquilæ Regiæ, *cùm recubuiſſet ſupra pectus Jeſu* g.

Miratur Origines h nunquam Moyſen vidiſſe Deum i, niſi poſtquàm deſponſaſſet ſibi Æthiopiſſam, cujus amore ducebatur, & declarans hæc verba Numerorum k, *Locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter uxorem ejus Æthiopiſſam:* ait, *Veruntamen Moyſes priuſquàm acciperet Æthiopiſſam, non eſt ſcriptum, quia in ſpecie locutus ſit ei Deus, ſed in ænigmate.* Et explicans quidnam iſtud ſignificaret nobis, addit, *Modò enim cùm Moyſes venit ad nos & conjunctus eſt huic noſtra Æthiopiſſæ, Lex Dei jam non in figuris, ſed in ſpecie agnoſcitur.* Ut innueret quòd in illâ Lege timoris & rigoris, antequàm Jeſus Chriſtus deſponſaſſet ſibi Æthiopiſſam, naturam humanam, non poterat à nobis videri Deus; nunc autem cùm *Verbum caro factum eſt* l, & unitum huic Æthiopiſſæ præ amore in modico, videri poteſt oculo amoris ab unoquoque. Certum eſt igitur quòd homo per amorem obtineat in terrâ id, quod Beati conſequuntur in cœlo, quod eſt videre Deum, licèt differenti modo.

Secundò, Beati in cœlo tenent, quod proprium eſt amori, juxta id quod Sponſa ait, *Tenui eum, nec dimittam* m. Quænam brachia poſſunt eſſe fortiora brachiis amoris, qui alligavit Jeſum Chriſtum patibulo Crucis, non autem *Pilatus*, nec milites qui *crucifixerunt eum* n tanquam miniſtri Divinæ Voluntatis id permittentis? *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* o. Tertiò, Beati in cœlo fruuntur Deo, id eſt, poſſident Summum & *omne Bonum* p, & ultimum Finem q. Amor operatur iſtud in homine, qui ipsâ ductus eſt charitate: derelinquens enim omnia, gaudet in Deo ſolo, *Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt* r. Quarto, Tantâ præditi ſunt Beati agilitate ut divinam confeſtim exequantur voluntatem. Iſtud eſt, quod agit amor Dei in homine: tanto enim ducitur deſiderio placendi Deo, ſuorum objecto affectuum, ut omne illud, quod ipſe ſcit futurum illi gratum, licèt ex ſemetipſo valdè ſit oneroſum, tamen videatur illi ſuave, cùm amor, ut ſuprà oſtendi, omnia dulcia efficiat, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum* s. Quia confeſtim ac amor cor noſtrum dilatat, homo languore corripitur, & viam Dei & mandatorum ejus invenit facillimam, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi* t. Ille qui comedit, indiget ut cibum mandat, & illum dentibus conterat: ſed ille qui bibit, nihil aliud habet agendum niſi ut abſque morâ liquorem in ſtomachum trajiciat: *Amici*, id eſt, illi, qui incipiunt amare, invitantur ad comedendum, quia indigent aliquo tempore antequàm ſentiant & experiantur fructus amoris: ſed illi qui ſunt *chariſſimi*, id eſt, qui amori ſunt aſſueti exercendo, invitantur ad bibendum, quia citiùs & præ majoribus deliciis ſuavitatem divini potus iſtius deguſtant. Quintò, Beati ſunt impaſſibiles in cœlo, in quo nullus tolerantiis datur locus ſuſtinendis, *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* u. Illi qui amant Deum, tantam experiuntur dulcedinem, ut hæc impediat ne ipſi in ecſtaſim rapti, ſupplicia ſentiant, *Dimovet de ſtatu divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius x. Nedum autem affligantur videndo ſe malè excipi, è contrà inter ſuas exultant tribulationes & vexationes, ut gaudebant Apoſtoli perſecutionibus impetiti, *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati* y. Ita ut plures mortui ſint amore, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* z. Ut aliqui dicunt de Virgine Deiparâ, & de S. Joanne Evangeliſtâ. *Verberaverunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi* †. Sic ſancta Mater concinit Eccleſia, quòd B. *Laurentius dum in craticulâ ſuperpoſitus ureretur, ad impijſſimum Tyrannum dixit, Aſſatum eſt jam, verſa, & manduca.* Sexto, Beati ſunt clari & lucidi, quod proprium eſt illis qui diligunt

Deum:

o Ioan. 14. 21. &c.
p Ioan. 1. 12.
q Pſ. 83. 13.
r Matth. 5. 9.
s Matth. 5. 44.
t 1. Ioan. 3. 1.
u Pſ. 33. 6.
x Pſ. 122. 1.
y Matth. 6. 24.
z 1. Cor. 6. 17.
a Dion. Carth. a. 6. in 1. Cor. 6. 17.
b ex Ioan 17. 26.
c Matth. 6. 21.
d 1. Ioan. 2. 15.
e Ioan. 17. 3.
f 1. Cor. 15. 42. &c.
g Ioan. 13. 25.
h Orig. hom. 7. in Num. 12.
i Num. 12. 8.
k Num. 12. 1.
l Ioan 1. 14.
m Cant. 3. 4.
n Ioan. 19. 15. & 18.
o Iſai. 53. 7.
p Exod. 33. 19.
q Apoc. 8. 8.
r Pſ. 72. 28.
s Pſ. 118. 32.
t Cant. 5. 1.
u Apoc. 21. 4. ex Iſai. 25. 8.
x S. Dion. lib. de Divin. Nom. c. 4.
y Act. 5. 41.
z Cant. 8. 6.
† Prov. 23. 35.

Deum: ſicut enim antiqui pingebant amorem cæcum, Amor divinus è contrà repræſentatur clarus & lucidus, & ideò illuminatur illud omne, quod agit ille, qui iſtum habet Amorem in corde, *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* * Tandem, Beati ſunt ſubtiles: Hæc ſubtilitas ſatis eſt manifeſta in dilectione, quæ omnino transformans amantem in rem amatam, efficit, ut amans ſit magis in re amatâ, quam in ſeipſo, *Anima enim plùs eſt ubi amat, quam ubi animat*, ut vulgò dicitur. Cui concordant verba S. Dionyſii modò allegata.

* Eccl. 2. 10.

Debemus igitur diligere, cùm amor nobis omnia reddat facilia, & prætereà nos ex iſtâ vel vitâ ſimiles Beatis efficiat. Hoc intendit Deus cùm ait, *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum* a. Illud eſt præceptum ſe diligere Deum, non autem conſilium; quia diligere eſt de neceſſitate ſalutis, ita ut ſine dilectione ſalutem quis nunquam poſſit adipiſci, nec ulla interponitur conditio in hoc mandato. Propterea S. Paulus b noſtram excitaturus puſillanimitatem, ait nos futuros hæredes promiſſionis factæ Abrahæ, non autem alicujus ex illis, quas fecit Deus Moyſi, & aliis Patribus veteris Fœderis, *Cupimus autem unumquemque veſtrûm eamdem oſtentare ſolicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem: ut non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide & patientiâ hæreditabunt promiſſiones. Abrahæ namque promittens Deus quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per ſemetipſum* c, *dicens, Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te* d. *Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem.* Loquitur duntaxat Apoſtolus de promiſſionibus factis Abrahæ, non autem de illis quas fecit Deus aliis Patribus antiqui Teſtamenti, quia promiſſa facta Moyſi & aliis in Lege rigoris, fiebant cum conditione. Daturus enim Deus Legem Moyſi, dixit illi, ſicut & toti populo, *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis* e. Et, *Si poſtquàm audieris hæc judicia, cuſtodieris ea, & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus pactum tibi, & miſericordiam quam juravit Patribus tuis* f. Videtis quomodo tota Lex erat cum conditione, quòd Deus eſſet adimpleturus promiſſa, quæ faciebat ipſe Moyſi & populo ſuo, ſi iſtam inviolatè eſſent cuſtodituri Legem: ſed promiſſa facta Abrahæ, & Davidi, fuerunt omnino abſoluta: non enim eis dixit Deus, Si audieritis, aut ſi cuſtodieritis, benedicentur in ſemine veſtro omnes gentes; ſed abſolutè & præ juramento, *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in litore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, quia obediſti voci meæ* g. Hoc idem pollicetur ipſe Davidi, ut ipſemet per eundem David i aſſerit, *Semel juravi in ſancto meo, ſi Davidi mentiar; ſemen ejus in æternum manebit.* Non loquitur Deus iſtis conditionatè, ſicut locutus eſt Moyſi, & aliis Patribus veteris Teſtamenti, ſed abſque conditione, & abſolutè: & hoc, eſt ratio propter quam S. Matthæus ſuum ſpecioſis verbis iſtis eſt exorſus Evangelium, *Liber generationis Ieſu Chriſti filii David, filii Abraham.* Sicut igitur obſervantia Legis amoris præcipitur nobis neceſſariò & abſque conditione interpoſitâ, ideò S. Paulus excitans nos ad has promiſſiones, mentionem potiùs peragit earum, quæ factæ ſunt Abrahæ, quam illarum quas deinceps fecit Deus Moyſi, & aliis Patribus antiquis: & ſicut abſolutè nobis præcipit ut diligamus; ita pollicetur nobis neceſſario mercedem gloriæ æternæ, quã poſſidemus jam per anticipationem quandiu diligimus, ut ſupra dixi, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & manſionem apud eum faciemus* k.

a Matth. 22. 37. &c.
b Hebr. 6. 15. &c.
c ex Gen. 22. 16.
d ex Gen. 12. 3. & 18. 18. & 22. 17.
e Exod. 19. 5.
f Deut. 7. 12.
g Gen. 22. 16. &c.
i Pſ. 88. 36. ex 2. Reg. 7. 13.
k Ioan. 14. 23.

S. Hieronymus l explicans hunc locum Ezechielis, in quo dicitur Regi Tyri, *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum*: &c. ait, per hos lapides pretioſos, quos recenſet Propheta, intelligendos eſſe lapides pretioſos Apoſtolorum & Prophetarum, quibus venditis emenda eſt margarita amoris Dei, ornata ſeptem donis Spiritus ſancti m: non quòd vendendæ & alienandæ ſint virtutes, ſed quòd ex iſtis omnibus virtutibus educendus ſit lapis pretioſus amoris Dei, qui omnes alias eminenter continet, *Plenitudo ergo Legis eſt Dilectio* n. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus o, *Plenitudo ergo, id eſt conſummatio, perfecta impletio, ac finalis perfectio Legis antiquæ & novæ eſt dilectio Dei & proximi, quoniam omnium virtutum Regina, origo, motrix, ac finis eſt charitas, quâ Deus amatur & proximus.* Omnea Scripturæ nihil clariùs annuntiant quàm iſtum amorem. Geneſis loquitur de amore Dei in creatione p. Exodus commendat charitatem ejus in liberando populo Iſraëlitico è tyrannide Pharaonis q, & ſic de cæteris. Diligamus igitur Deum, & proximum, & Deus erit nobiſcum in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam.

l S. Hier. lib. 9. in Ezech. 28. 13.
m Iſai. 11. 2. & 3.
n Rom. 13. 10.
o Dion. Carth. a. 17. in Rom. 13. 10.
p Gen. 1. 1. &c.
q Exod. 14. 30.

FERIA IV. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMÆ.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod ex ore procedit, hoc coinquinat hominem. Matth. 15. 11.

HOmo ſuâ nunquam loquitur propriâ loquelâ: ordinariè enim aut loquitur de inferno, aut de cœlo. Cùm loquitur de cœlo, Deus inſpirat ei ea, quæ loquitur, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis* a: Quando loquitur de inferno, Dæmon ſuggerit ei illa, quæ enunciat, cùm hæc ad blaſphemandum Deum referantur, & blaſphemiis ſit exercitium, cui vacant illi indeſinenter, quos *tradidit Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt* b. *Et blaſphemaverunt Deum cœli* c. Subievare volunt Deus

a Matth. 10. 20.
b Rom. 1. 28.
c Apoc. 16. 11.

Deus hominem eodem modo, quo ipſemet lapſus fuerat homo. Malus Angelus *Lucifer*, qui ſuo dicebat *in corde*: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo: ad infernum in profundum laci* d detractus, poſtquàm ſuam ruinam operatus eſſet præ ſuperbiâ ſuâ inauditâ; ſub ſpecie ſerpentis, qui *erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus* e; inſpiravit in aurem hominis cauſam infortunii ipſius: & bonus *Angelus Gabriel* ſuggeſſit Mariæ cauſam ſalutis noſtræ, dum *ad eam dixit Ave* f *Maria.*

d Iſai 14. 12. &c.

e Gen. 3. 1. &c.

f Luc 1. 26. &c.

Exiliſſimum eſt totius humani corporis lingua membrum, & maximè neceſſarium. Ipſa eſt lingua quæ omnibus aliis membris motum impertitur, & ea ad actionem inducit. Bonum & malum ab eâ pendent, præ ſe vitam ipſa defert æquè ac mortem, *Mors & vita in manibus linguæ* g. *Id eſt, linguæ tanta poteſtas eſt, ut vitam & mortem auditori afferre poſſit, quemadmodum ipſa experientia docet in pravis ac bonis Doctoribus: hi enim vitam docendo inſpirant, illi contrà necem inferunt*, ait Salazar h. Qui ſubdit, *Utrumque in poteſtate linguæ ſitum eſt, aut vivere, aut emori, quia prout quis male, vel benè loquitur, ita ſibi vel mortem, vel vitam creat.* Videte quantum ſit ipſa potens. Efficit ipſa id quod tormenta bellica & exercitus non poſſent peragere, nec impetrare. Lingua diſerta furorem continet populi ad internecionem accenſi, arma è manibus illius eripit, & quaſi naturam ejus immutans, inducit illum ut amplectatur partes & cauſas, quibus adverſabatur & à quibus diſſidebat. Roma autem multùm devincta eſt Ciceroni, eò quòd facundiâ ſuâ civiles compreſſerit ſeditiones, quæ multoties ipſam deſolaſſent, & omnimodam ipſius operatæ fuiſſent ruinam. *Hinc illud, quod Demoſthenis oradit Alexander, qui longas ſe ad dimicandum eminùs manus habere dixit, ſcilicet orationem, ac ſermonem, quo facile alios ſuperabat eminùs loquens, & abſentes etiam confodiens*, proſequitur idem Salazar. Si verò numiſma vertamus, inveniemus nihil eſſe linguâ periculoſius. Ipſa eſt gladius biceps, ne dicam tricuſpis aut triſulcus, cujus ictus ſunt inſanabiles. *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam ſylvam incendit? Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ, inflammata à gehennâ* i. Quod ſic appoſitè explicat Dionyſius Carthuſianus k, *Lingua modicum quidem membrum eſt, id eſt, in ſubſtantiâ parvum: propterea turpe eſt nobis, ſi eam non coarctamus. Eſt quoque periculoſum, ideircò ſubjungitur, Et magna exaltat. Id eſt, verba jactantiæ profert, lites concitat: & multa producit pericula, niſi compeſcatur. Ecce quantus, id eſt, quàm parvus ignis, quàm magnam ſylvam incendit? Utique valdè magnam. Nam ignis nunquam dicit, Sufficit* l. *Et inter elementa ſummè activum eſt, & formalis, formam ſuam in alia celeriter introducens. Et lingua ignis eſt, id eſt, ſimilis igni. Quoniam ſicut ignis comburit ligna ſylvarum: ſic lingua inordinatè, ſuperfluè, vitioſè loquendo, actus virtutum mortificat, & animam diverſis exponit flagitiis. Univerſitas iniquitatis lingua, id eſt, per linguam, & ejus loquacitatem, ac incuſtodiam. Conſtituitur in membris noſtris. Nam univerſa peccata ex irrefrenatione linguæ naſcuntur, cùm & ex verbis inordinatè prolatis hæreſis incurratur. Detractiones etiam, mendacia contentiones, ſuſurrationes, & quidquid iniquitatis eſt, ex lingua incuſtoditâ naſcuntur. Quæ maculat totum corpus. Quia in illud vitia cordis redundant. Carnalia quoque peccata, quæ ex vitiis linguæ, ex verbis procuratoriis, ex mulierum alloquio oriuntur, directè inquinant corpus, & ejus inquinamenta vocantur. Et inflammat rotam nativitatis noſtræ, id eſt, totum vitæ noſtræ circuitum, inceſſabilemque decurſum ab infantiâ uſque decrepitam ſenectutem. Quia per omnes ætates, imò per ſingulos dies ad inordinate loquendum infeliciter inflammamur, & vitiis linguæ ſpiritualiter devoramur. Hoc ergo inſtrumentaliter facit lingua, male mota ab animâ, & ab homine ipſo. Lingua, inquam, inflammata à gehennâ, id eſt, diabolo habitatore, & cive inferni. Diabolus ergo dicitur linguam enflammare, inquantùm ad verba vitioſa incitat hominem.*

g Prov. 18. 21.

h Salaz. in Prov. 18 21. n. 70. & 80

i Iacob. 3. 5. & 6.

k Dion. Carth. art. 5. in Iacob. 3. 5. 6.

l ex Prov. 30. 16.

Rectæ quidem foret conſonum rationi, ut homo velum haberet præ oculis, obturamentum in auribus, & circinum ſuper linguâ. Velum præ oculis, ne videat id quod perpeti nollet, innumeras ineptias, & quamplures defectus, ad quos induceretur corripiendos. Obturamentum in auribus, ne audiat infinitos diſcurſus inutiles, profanos, & injurioſos honori Dei, & famæ proximi. Præſertim verò circinum ſuper linguâ & ſuper labiis, ne ullum unquam verbum proferat niſi priùs veluti circino commenſuratum, cùm nunquam poſſit reformari id, quod ſemel malè fuit enunciatum; & ſatius ſit lapſu pede, quàm linguâ. Idcircò ille concinnè locutus eſt, qui dixit, *Verba priùs veniant ad limam, quàm ad linguam.* Tanta autem eſt perfectio, & ſic ingenti opus eſt induſtriâ ad refrænandam meliùs linguam ſuam, ut S. Jacobus m aſſerat, quòd ſolus Deus fluxum illius poſſit ſiſtere, *Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum; plena veneno mortifero.* Quod ſic exponit idem Carthuſianus n, *Linguam autem nullus hominum domare poteſt, non propter omnimodam impoſſibilitatem: ſed difficultatem prægrandem. Juxta quem modum Chriſtus in Evangelio o ait quibuſdam: Hypocritæ, quomodo poteſtis loqui bona, cùm ſitis mali. Secunda expoſitio hujus eſt, quòd nullus etiam Sapientium poteſt linguam pravorum domare. Quia etſi ad horam compeſcantur à verbis illicitis, tamen occaſione, opportunitateque datâ excedent loquendo. Sed & Boni contra propoſitum ſubinde ex fragilitate peccant in verbis. Inquietum malum. Id eſt, Lingua eſt membrum non utique ſubſtantialiter, ſed ex abuſione propriâ malum atque culpabile, inquietans mentem pravè loquentis, ac alios. Multa enim perturbationes, & inquietudines ex vitiis linguæ naſcuntur. Nec quietem mentis habet in Deo, qui linguam ſuam non reprimit. Plena veneno mortifero, id eſt, verbis infectivis, mortalibuſque peccatis, utpote detractoriis, diſcordiæ ſeminativis, contumelioſis, & pungitivis, niſi efficaciter reprimatur. Quamvis mortale peccatum formaliter ſit in animâ, in quâ eſt averſio mentis à Deo* p: *in linguâ verò ſunt iſta, quaſi in inſtrumento & cauſâ.*

m Iacob. 3. 8.

n Dion. Carth. a. 5. in Iacob. 3. 8.

o Matth. 12. 34.

p ex Iex. 8. 5.

Detractor in libertatem fertur omnia dicendi, ore ſuo ſanctiſſimas inquinat quaſcumque res, omnibus detrahit, nec ipſi cælo parcit. *Poſuerunt in cœlum os ſuum: & lingua eorum tranſivit in terrâ* q. Officium obit Luciferi, imò verò illum malitiâ prætergreditur. Lucifer ſolum ambivit ſceptrum Dei, ut audiſtis; ſed detractor ulteriùs progreditur, aſciſcit ſibi id quod proprium eſt Deo, authoritatem ejus illi abripit, & Divinâ ipſius ſpoliat eum potentiâ. *Tu quis es, qui*

q Pſ. 72. 9.

judicas

r Rom. 14. 4.

judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit, potens eſt enim Deus ſtatuere illum r. Tuum non eſt immiſcere te ad judicandam alienam vitam. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes* s. Soli Deo competit illius habere notitiam, & tamen de eo temerariè judicas, ipſum condemnas, de eo in malam partem loqueris, illum detractionibus tuis infamas: pejor es Dæmone, cùm prives Deum tuâ authoritate, & eripias illi id quod ad ipſum attinet. Maledictum vitium, & univerſaliter injurioſum omnibus.

s Ier. 17. 9. 10.

Propoſitio. Ut autem ordinatè loquamur de ſubjecto, quod non cauſat niſi deordinationes, volo vobis oſtendere, Detractionem inſurgere in vivos & in mortuos indifferenter.

Antequàm aggrediar probationem propoſitionis meæ, quæ in hoc eſt ſita, quod detractio inſurgat in vivos & in mortuos indifferenter, ſuppono quatuor eſſe peccata ordinaria ultra peccatum detractionis, quæ lingua committit contra proximum. Horum primum eſt contumelia, quæ eſt injuria prolata ad inhonorandum aliquem coram ipſo. Hoc autem fit, aut objiciendo ei aliquod peccatum, quod commiſit, quod vocatur contumelia. Aut vituperando eum cum injuriâ propter aliquem defectum naturalem corporis, vel mentis, quod vocatur convitium. Aut ignominiosè improperando ei indigentiam bonorum fortunæ, aut auxilium ipſi in aliquâ neceſſitate conſtituto impenſum, quod vocatur improperium, *Exigua dabit, & multa improperabit* t.

t Eccli. 29. 14.

Contumeliam perſæpè ſequitur maledictio, quæ eſt ſecundum peccatum linguæ contra proximum, quod refertur ad detractionem, ſicut primum, æquè ac duo ſequentia. Conſiſtit autem maledictio in cōcupiſcendo ut adveniat proximo aliquod infortunium corporis, aut animi, verbis deſiderii, aut imprecationis, qualia eſſent dicere alicui, ut eum diabolus abripiat, ut eum è medio tollat peſtis, ut ſubitaneâ morte pereat, aut ut nunquam in cœlum perveniat, & ſimilia.

Tertium peccatum linguæ eſt deriſio, quæ eſt contemptus proximi, qui procedit ex exiguâ æſtimatione quæ fit illius. Cùm deriſio eſt notabilis & inſignis, majus eſt peccatum ipsâ contumeliâ; quia majus in ſe complectitur opprobrium, & ingentiorem ſecum invehit proximi depreſſionem. Præſertim verò cùm deriſio dirigitur ad eos, quibus impendenda eſt jure merito reverentia, aut debito naturæ, ut parentibus, *Honora Patrem tuum, & matrem tuam* u. Aut debito religionis, ut Prælatis, Sacerdotibus, Religioſis, amicis & ſervis Dei, *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem* x. Aut debito politiæ, ut Magiſtratibus, & Dominis temporalibus, *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo* y. Tunc offenſio eſt gravior, & ſeverius plectetur in judicio Dei. Cùm deriſiſſet Cham patrem ſuum Noë, paternam in ſe attraxit maledictionem, *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis* z. Et Eliſeus *cùm aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei, dicentes, Aſcende calve, aſcende calve. Qui cùm reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros* a. Deriſio enim damnabiliſſima omnium eſt deridere Sanctos, & eos qui Deo ſerviunt, peccatum quod eſt in mundo communiſſimum, ut ait Job b, *Deridetur Iuſti ſimplicitas.* Per iſtud autem peccatum duo mala perpetrantur inſignia. Quorum unum eſt, ut eripiatur virtuti honor, qui eſt propria ipſius merces. Alterum verò, quod efficiatur virtus contemptibilis, pietas vilipendatur, & obſequium Dei, quod eſt nobiliſſimum exercitiorum, quibus vacare poſſit homo, ſubjectum deriſus evadat.

u Exod. 20. 12.

x Hebr. 13. 7. & 8.

y Rom. 13. 1.

z Gen. 9. 25. &c.

a 4. Reg. 2. 23. & 24.

b Iob. 12. 4.

Quartum peccatum linguæ eſt ſuſurratio, quæ eſt peccatum quod maximoperè deteſtatur DEUS, *Os bilingue deteſtor* c. Abominatur DEUS hæc ora geminas ferentia præ ſe linguas, quæ utrâque præcîdunt parte, quæ male loquuntur vobis de amico veſtro, & deinde eidem amico veſtro peſſimè de vobis differunt, conantes his ſuſurrationibus utrimque miſtis ſtrictiſſimas quaſque diſſolvere amicitias, & in eas diviſionem invehere. Hi ſuſurrones damnoſi ſunt familiis, civitatibus, Provinciis, & Regnis, ſinceriſſimas infringunt familiaritates, corda dividunt, diſſenſiones ſerunt, ſeditiones accendunt, peſtes ſunt generis humani, odio habentur a DEO, abominationi ſunt eidem DEO, non ſecus ac inferorum titiones, *Suſurrones Deo odibiles* d. Suam adversùs eos vibrat DEUS maledictionem, *Suſurro & bilinguis maledictus* e. Et S. Paulus f tales ſuſurrones & ſatores zizaniorum & diſſenſionum collocat inter reprobos & inimicos DEI, quique mortem merentur æternam, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Qui cum juſtitiam DEI cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte.* Idcircò ſuſurrationes DEUS prohibet, *Non eris ſuſurro in populo* g. Quia ſuſurro expoſitus eſt periculo incurrendæ duplicis maledictionis, temporaneæ nimirum & æternæ, cum *ſuſurro & bilinguis maledictus.*

c Prov. 8. 13.

d Rom 1. 29 & 30.

e Eccli. 28. 15.

f Rom. 1. 28. & 32.

g Levit. 19. 16.

Detractio eſt quintum & ultimum peccatum linguæ contra proximum. Sic autem definitur à Doctoribus, *Detractio eſt famæ alienæ occulta & injuſta violatio.* Sita eſt ea in denigrandâ famâ proximi abſentis & clam contra juſtitiam, *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar* h. Omnis homo ſanæ compos mentis illibatam ſatagit cuſtodire famam ſuam, & conatur, quantùm eſt ipſi poſſibile, bonæ jacere fundamenta æſtimationis, quæ eſt fundamentum omnium honorum, officiorum, & dignitatum, ſine famâ enim cætera prorſus ſunt inutilia; & homo, qui famâ excidit, nullam ſibi conciliabit fidem, etiamſi miracula patrare videretur: idcircò unusquiſque ſic cuſtodiendæ incumbit bonæ famæ, ut ſecula ſit transacturus integra ad illam in familiâ aliquâ ſtabiliendam; & homines magnanimi nihil iniquiori perpetiuntur mente, quàm videre eam violatam & concuſſam: & tamen detractio ictu linguæ venenatæ mortem ſecum infert viventibus, & integras deſolat familias.

h Pſal. 100. 5.

Non miror, ſi omnes homines ſic ſunt ſoliciti de conſervandâ bonâ famâ, cùm ipſe Filius DEI, qui præ tantâ tolerabat patientiâ injurias ſibi irrogatas, æquè ac inflicta

ſibi verbera, *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur* i: & qui poſtquam *ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi, Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſùm te teſtificantur?* *tacebat* k, ut prædixerat de eo Propheta l, *Et non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum:* voluit ſe juſtificare a calumniis ſibi impoſitis, aut imponendis, & antequam ad mortem pergeret oppetendam, ſic ſuos alloquitur inimicos, *Quis ex vobis arguet me de peccato* m? Quaſi diceret, ut exponit Dionyſius Carthuſianus n, *Quis ex vobis, ô Scribæ & Phariſæi, & Sacerdotes, arguet me veraciter de peccato? quocumque magno vel parvo, mortali vel veniali, originali vel perſonali. Frequenter utique arguerunt Ieſum de peccato, dicentes, quòd Sabbathum violaret* o. *Innuit ergo Salvator, vitam ſuam fuiſſe prorſus irreprehenſibilem, ſeque omni peccato carere.* Poſt iſtud exemplum omnis cura, quam adhibemus ad conſervandam inviolatam famam noſtram eſt rectæ rationi conſona, cùm bona fama ſit baſis omnium magnitudinum, & omnis illius quod in hâc vitâ poſſideri poteſt honorificè. Sed vitium iſtud maledictum omnia inquinat, cuncta depravat, in univerſa inſurgit: & ſi aliquando parvis parcere videatur hominibus, ideò ut melius in magnos inſurgat Viros, quos aggreditur in tribunalibus aut ſuper thronis ſedentes: quin imò altaria noſtra nullum præ ſe ferunt aſylum, quo declinent ab inſultationibus hujus vitii, quod indifferenter omnes impetit, præcipuè verò Magnates. Mulier honeſta, quæ mortem mimimæ præferret vel infamiæ, quæque millies mori mallet quàm conſentire cogitationi pravæ honori ipſius adverſanti, injuſtè infamatur fluxu linguæ maledicæ, quæ occidit ipſius famam, quam ipſa chariorem ſuis ducebat divitiis, imò vero ſuâ vitâ. Maledictum vitium, quod nullius ſuſtinere poteſt ſplendorem, quodque caligine conatur offundere omnes radios, quos emittere poſſunt eximiæ qualitates iſtæ, quæ veluti Soles præ aliis enicant. Sic eſt, Auditores; ſtatim ac aliquis magnus evaſit, ſive jure natalium, ſive dignitate, vel officio, aut aliquo alio modo; confeſtim illum calumnia impetit, unuſquiſque ei detrahit, & quare? Quia magnus eſt. De eo in vitâ privatâ conſtituto nemo fuiſſet locutus, detractio illi pepercisſet: ſed quia magnus effectus eſt, detractio vult illum deprimere, ſplendorem illius ſuſtinere non valens.

i 1. Petr. 2. 23.
k Matth. 26. 62. & 63.
l Iſai. 53. 7.
m Ioan. 8. 45.
n Dion. Carth. a. 23 in Ioan. 8. 45.
o ex Ioan. 5. 16 &c.

Cùm Jeſus Chriſtus erat adhuc in ſtatu depreſſionis, nondum manifeſtatus, agitabantur cunæ ejus, & de eo dicebatur præ improperio, *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria* p? Calumnia ibi ſiſtebat: ſed ſtatim ac coruſcare cœpit miraculis q, quæ manifeſtabant potentiam ejus, & magnificabant authoritatem, quam ipſe ſuſceperat à Patre ſuo æterno, ut ipſemet teſtatur, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ* r illico detractio eum inſequitur, & criminis illum inſimulat, *Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt* s. Ab inimicis ſuis vocatur *Samaritanus, & dæmonium* t habens: *Homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus* u. De eo dicitur, quod *ſeducit turbas* x. *Quidam autem dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* y. Talis profertur ſermo detractorius de hominibus Juſtis.

p Matth. 13. 55.
q Matth. c. 8. & ſeqq.
r Matth. 28. 18.
s Ioan. 9. 24 &c.
t Ioan. 8. 48.
u Matth. 11. 19.
x Io. 7. 12
y Luc. 11. 15.

Ha miſeri quid agitis detrahentes famæ virorum in dignitate conſtitutorum? Efficitis ut illi nullam conciliaturi ſint ſibi fidem, ut eorum labores omnes futuri ſint inutiles, & ut ipſi nullum ſint peracturi profectum in gratiâ Reipublicæ. Si autem, quæſo, apud vos aliquam mihi non conciliaviſſem authoritatem, & ſi vos crederetis vitam meam eſſe diſſolutam, quid prodeſſet mihi ut vobis Verbum Divinum annunciarem? Omnes vigiliæ meæ eſſent inutiles, & omnes ſudores mei vani, quia exiſtimaretis me indigere remedio, quod vobis decernerem, & jure merito poſſe me verba enunciare Prohetæ z, *Et ego dixi: In vacuum laboravi, ſine causâ, & vanè fortitudinem meam conſumpſi.* Maledictæ linguæ ſcitote, quòd *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo* a, tot populi, quos privatis ſubſidio, quod ſuſcipere poſſent miniſterio Virorum in dignitate conſtitutorum, pœnas expoſcent vobis infligendas propter injurias à vobis ſibi irrogatas. Sanguis innocentis Abelis juſtitiam expoſcit à Deo ob injuriam à Caino ſibi illatam, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ* b. In Hebræo eſt, *Vox ſanguinum.* Quaſi diceret, Vox nationum, id eſt, omnes illi qui egreſſi fuiſſent ab Abele; univerſæ hæ nationes quæ eum habuiſſent ut principium, juſtitiam eſflagitant de injuriâ inflictâ ſibi à crudelitate Caini, cùm ipſæ nunquam ſint futuræ: omnes fructus, quos peragere potuiſſent iſti homines in gratiam Reipublicæ, & quos impediviſtis mediis calumniis veſtris, accuſabunt vos, & juſtitiam expoſcent adversùs vos ipſo judicii die.

z Iſai. 49. 4.
a Matth. 25. 31.
b Gen. 4. 10.

Laboraverant aliqui ſeculis integris ad conciliandum ſibi honorem, eum perſæpè proprii effuſione ſanguinis ſtabiliverant, poſt adductam in diſcrimen vitam ſuam ad comparandam ſibi apud homines bonam æſtimationem: vos autem deſtruitis detractionibus veſtris id, quod tantis laboribus, & per tot annorum curricula fuerat ædificatum. *Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cælorum* c. Ideò quia dives bono inflatus eſt alieno, eique dici poteſt, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* d. Et in hoc ſtatu poſitus, cœlum non poteſt ingredi, quin priùs evacuaverit id quod injuſtè detinet, illudque reſtituerit, ſicut *vir nomine Zachæus, & hic princeps publicanorum, & ipſe dives, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* e. Maximus labor eſt ut dives cœlum ingrediatur, ut oſtendit Dionyſius Carthuſianus f, *Oportet fateri, quòd his verbis non denotatur, niſi maxima difficultas ſalvationis divitis: ita quòd dives naturali virtute ſalvari non valeat, ſicut nec camelus per foramen acus tranſire: & Deus ſuâ omnipotentiâ mirabiliùs ac vigoroſiùs utatur ſalvando divitem, quàm ducendo camelum per acus foramen.* Ingens, ajo, labor eſt ut dives ſalvetur: ſed tamen poteſt per ſe, aut interventu amicorum ſuctum; at detractor eſt veluti in ſtatu impoſſibilitatis, loquor quoad magnam difficultatem quæ ibi invenitur: oportet enim ſatisfacere; quis autem modus reparãdi honoris infamati hominis, quem ipſe chariorem exiſtimabat propriis theſauris, imò verò & vitâ? Retractandum eſſet verbũ infamatoriũ; ſed iſti detractores dixerunt iſtis aliis, & iſtud etiã aliis, & ſic infamatus eſt homo ille; unde videtis quàm difficilè ſalvetur qui alienæ famæ detrahit.

c Matth. 19. 24.
d Ier. 2. 34.
e Luc 19. 8 &c.
f Dion. Carth. a. 32. in Matth. 19. 24.

Venit Iehu in Iezrabel. Porrò Iezabel introitu ejus audito,

audito depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuũ, & reſpexit per feneſtram ingredientẽ Iehu per portam. Levavitque Iehu faciem ſuam ad feneſtram, & ait, Quæ eſt iſta? Et inclinaverunt ſe ad eum duo vel tres eunuchi, & dixerunt, hæc eſt illa Iezabel. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorſum. Et præcipitaverunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum ungula conculcaverunt eam. Et ait Iehu: Sermo Domini eſt, quem locutus eſt per ſervum ſuum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel g; *ita ut prætereuntes dicant, Heccine eſt illa Iezabel* h? Nihil actum eſt ab eunuchis niſi quod ipſis fuerat imperatum à Jehu, & Jehu ſic fuerat ordinatum à Prophetis: tu verò qui linguam præ te fers infernalem, detrahis famæ proximi tui, eamque laceras more canis rabidi: ſeddic, Fuitne tibi illud imperatum à Sacerdotibus? Deus præcipitne illud tibi? Quin imò nonne hoc ipſe tibi prohibet ſub pœnis æternis & minis privationis gloriæ cæleſtis? *Neque maledici Regnum Dei poſſidebunt* i.

g 3. Reg. 21. 23.
h 4. Reg. 9. 30. &c.
i 1. Cor. 6. 10.

Iſtud autem virium detractionis pluribus committitur modis. Aut imponendo falſa crimina alicui, de quibus iſte, cui detrahitur, nunquam cogitavit. Hic inſanus amaſius, qui aliquãto fuerit inſecutus tempore hanc innocentem puellam, poſt tritum tempus & profligatam operam in inquiſitione ſuâ, cùm eam inconcuſſam invenerit non ſecus ac rupem, imponet ei crimen, ad quod patrandum volebat eam inducere, æquè ac ad prodendam famam ſuam, atque ſalutem ſuam voluptate infami & prohibitâ. Si homo conditionis vulgaris accommodare renuat pecuniam, aut aliquod obſequium exhibere deneget alicui viro inſigni, aut nobili; vir iſte qui eſt conditionis elarioris, hunc hominem innumerorum inſimulabit criminum. Mercator iſte ſatagere volens ut vicinus ſuus non tantum vendat, quantum ipſe, dicet, eum falſa penes ſe habere pondera, menſuras brevitas, & nihil eſſe magis ei ordinarium quàm ut decipiat quoſcumque ad officinam ipſius convenientes. Iſte caupo, qui frequentiam hoſpitum in cauponam ſuam adventantium ambit, aſſeret, quòd in aliis diverſoriis miniſtrentur vina miſta, & cibi alterati, ut hoſpites tranſeuntes ad ſe attrahat. Advocatus, qui cauſam amplexus fuerit alicujus Partis, allegabit quidquid poterit peſſimi, contra Partem adverſam etiam contra veritatem, ut cauſam ſuam ventilet juſtam. Iſtud autem eſt detractio manifeſtè malitioſa: ſic enim dividitur à Doctoribus detractio, ut alia ſit nota, alia palliata, alia verò malitioſa.

Præterea, Detractio committitur aperiendo peccata vera proximi noſtri, ſed ſecreta, abſcondita, & incognita. Quò reduco duas ſpecies detractionum, quas Doctores vocant, unam notam, alteram verò palliatam. Detractio nota & manifeſta perpetratur, cùm quis alicui intereſt circulo aut conſortio, & ait, Dominus N. commiſit facinus hujus vel iſtius generis cum Dominâ N. Hæc mulier vicina non ſe gerit prudenter. Iſta puella libertates indulget valdè criminoſas huic adoleſcenti, cui permittit omnia ad placitum. Iſtud autem fit verbo; aut ſcripto, libellis famoſis, cantilenis infamibus & impudicis, quò congeruntur prava quæcumque in totâ perpetrantur civitate; aut ſigno, quando quis in frequenti hominum concione hunc & illum digito demonſtrabit, oculis annuet, aut humeros attollet quaſi præ compaſſione vel præ admiratione; & inde indicabit, quòd hic, vel ille, inſignem aliquem commiſerit defectum, & majorem quam ſit.

Detractio palliata commititus ſub prætextu laudandi alicujus, cujus eximiæ enarrabuntur qualitates, quæ eum commendabilem efficiunt. Dicet detractor, Iſte, vel ille, vitæ probatæ homo eſt; & virtute præditus, necnon pietatis colendæ vacat exercitio: & ſtatim addet, Sed pater ejus erat latro, & fœnerator qui undequaque arripiebat abſque ullâ miſericordiâ, nec aliquâ habitâ ratione viduarum aut orphanorum, quos ad mendicitatem redigebat. Aut ſub ſpecie compaſſionis, cùm curioſitas inducit mulierem, quæ nihil habet domi peragendum, ad vagandum per domos alienas, ad quas cùm pervenerit, dicet, An neſcitis id quod accidit huic puellæ, aut iſti mulieri? Hæc puella ſeſe coſtuprandam permiſit à tali adoleſcente: iſta mulier thorum conjugalem violavit, & ex infami hujuſmodi commercio prægnans effecta eſt, miſereor illius; iſtud non dico, quòd malum aliquod ei velim, quod abſit; utinam omne malum, quod illi concupiſco, mihi adveniat, ſed iſtud ajo præ compaſſione, quâ afficior erga infortunium illius, & quâ vobis illud revelo: & ecce ſub prætextu compaſſionis aperitis peccatum ſecretum proximi veſtri, quod operire tenebamini. Vel tandem ſub prætextu dicendæ veritatis, ſicut cùm quis dicit, Non ſum ego diſſimulatus, hypocrita non ſum, iſtud eſt mihi proprium ut dicam ſemper præ libertate veritatem. Talem rem de tali viro, aut muliere didici, non poſſum quin illud annunciem: & ecce ſub prætextu dicendæ veritatis, infamatis hanc perſonam, cujus bonam inviolatè cuſtodire debebatis æſtimationem.

Plures alii dantur modi, quibus detractio committitur, ut magnificando immodicis exaggerationibus vitia manifeſta alicujus; aut ea, quæ præ bonâ operatus eſt intentione, convertendo in malam intentionem; aut negando ejus virtutes & eximias qualitates; aut eas imminuendo; vel ea ſupprimendo malitioſo ſilentio medias inter occaſiones maximi momenti, quibus occurrentibus neceſſe eſt eas propalare. Omnibus iſtis modis detractio perpetratur: eſt enim abripere & reſecare famam à proximo noſtro. Hæc autem detractio eſt peccatum lethiferum in re gravi, & cùm profertur præ intentione infamandi proximi voluntate deliberatâ. Hoc autem peccatum eò gravius eſt, quò perſona, cui detrahitur, majori virtute, famâ, & authoritate viget; & obſtringit ad reſtitutionem, ſicut & contumelia & injuria manifeſta, ſed præ hâc differentiâ, quòd in contumeliâ reſtitutio peragitur reddendo honorem exteriorem ei, qui inhonoratus eſt, ſignis, aut verbis, & aliquando petendo ab eo veniam, cùm injuria eſt notabilis; ſed quoad detractionem non eſt medium reparandæ famæ violatæ magis accommodum, quam ſe retractando, & dicendo ſe malè fuiſſe informatum tali re, ideòq; ſe incõcinnè locutum, ſive res ſit falſa, ſive vera: licèt enim eſſet illa vera, ſi tamẽ erat ſecreta, non debebat illa eventilari; & ſic detractor tenetur reparare damnum famæ proximi ſui à ſe illatum, optimo modo ſibi poſſibili. Egit contra juſtitiam, & contra charitatem, eripi-

eripiendo illi famam ejᵘ quæ ei charior eſt bonis fortunæ, imò & propriâ vitâ. Contra charitatem, quæ principem obtinet locum inter virtutes ſupernaturales & Divinas, *Nunc autē manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas* k. Et contra juſtitiam, quæ eſt prima inter virtutes morales. Juſtitiam, eripiendo ei famam ipſius. Et charitatem, violando reverentiam, quâ erga eum affici tenetur: ideò tenetur in bonam partem de illo loqui medios inter occurſus quoslibet, & præ ſe ferre æſtimationem quam de illo ipſe peragit, ut alii idem ſentiant, & excidāt è pravâ opinione, quam de illo conceperant interventu detractionis ei injurioſæ.

Peſſimum vitiū detractionis, quod non ſolùm ſiſtit in infamandis viventibus, ſed ipſos etiā mortuos impetit, cùm detractio vitâ functos æquè ac vivos aggrediatur, & illis ſecundam, ſed funeſtam largiatur nativitatem, cùm illa eos non ſuſcitet è tumulis, niſi ut illos miſeriores efficiat & forſan animæ ſanctæ condemnantur criminis, & habentur ut reæ in æſtimatione hominum, licèt beatæ in cœlo, inebrientur *ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis* l ejus potentur. Ha! Domine, dixeras, te Juſtos ſub tuâ fidâ cuſtodiâ protecturum, quòd calumnia nullo nocere poſſet eis modo innixis protectioni tuæ, *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum* m. *In iſto ergo abſcondito faciei Dei, ſcilicet in Verbo incarnato abſconduntur Beati, id eſt, conſervantur, ut ſcilicet Deum videant per ſpeciem*, exponit nobis Incognitus. Et ſtatim ſubdit, *Abſconduntur* n *etiā à conturbatione hominum, id eſt, ut à malis hominibus nullam conturbationem jam poſſint habere, vel pati. Nam tabernaculum Dei dicitur Chriſtus, quoniam in ipſo, ut in tabernaculo habitat omnis plenitudo Divinitatis* o. *Et in iſto proteguntur Beati, quia in Chriſto beatificantur, & in animâ, quia Deus eſt, & in corpore, quia Homo-Deus. Hæc eſt vita æterna; Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* p. Et ecce ipſi impetuntur, commoventur eorum cineres, in vitam illi revocantur, ut ibi patiantur: quæ rabies! quænam ſævitia! Si aliquis ex vobis obvium habens inimicum ſuum mortuum in agro, ex equo deſcenderet, & ad explendam vindictam ſuam, gladio ſuo ſinum ejus perfoderet, aut eum exenteraret, & iſtâ nondum contentus crudelitate, ſanguinem ejus equo ſuo bibendum propinaret, nunquid non adversùs illum majorem exerceret inhumanitatem, quam ſi viventem illum aggreſſus fuiſſet poſitum in ſtatu, in quo ſe defendere potuiſſet? Idem peragitis, Auditores, cùm requiem mortuorum veſtris interturbatis detractionibus. Commiſerit aliqua mulier defectum nonnullum, mortua eſt illa famæ; ſed illud facinus eſt vetus, jam à triginta annis illud ipſa patravit, & ſalutari pænitentiâ illud diluit; & ecce hæc lingua acuta *ſicut ſerpentis* q, excidere facit illam famâ, quam ipſa recuperaverat; fama, quæ eſt immortalis, perit ſolo vel ictu linguæ, & hæc macula ſemper permanebit injuſta, ſicut quandiu Deus erit Deus, dicetur Cain fuiſſe fratricida r, & Abel fuiſſe innocens, & ut victima innocens immolatus eſſe ſæviente rabie fratris ſui. Hoc dicitur, & dicetur, & ſemper iſtud erit.

Quod autem peſſimum eſt in hoc vitio, eſt, quòd illud perpetratur ridendo, jocando, & ſe oblectando, nedum ex eo hauriatur aliqua utilitas, ullùmve detractori alienam famam violanti proveniat emolumentum. In omnibus aliis peccatis invenitur aliqua ſatisfactio; ea ſpecioſâ quilibet prætexere poteſt excuſatione, paſſio poteſt eſſe violenta; niſi crimen ſit omnino inexcuſabile, ſaltem paſſio aliquo modo minuit illius gravitatem; ſed quoad detractionem, ad eam pergit quis abſque intuitu alicujus commodi, & ſolùm jocando; Intereſt aliquis alicui circulo & ibi laceratur ab eo, ſicut & à circumſtantibus, innocentia mulieris alicujus honeſtæ, quæ mortem potius millies optaret eligere, quàm ſemel de eo cogitaſſe, quod ipſi imponitur, & cujus inſimulatur. Heu! quale peccatum quod inſurgit in viventes & in mortuos indifferenter.

Si autem fortaſſis conſortio interſimus detractorum, & impedire velimus, ne venenum linguarum eorum noſtras occidat animas, hæc proficua poterimus inſumere remedia. Primò, *Sepe ſpinarum* noſtras debemus aures circumdare, ut conſulit nobis Eccleſiaſticus s, *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire.* Sed quas ſpinas auribus noſtris applicabimus? Minas judiciorum Dei contra detractores & adversùs eos, qui illos audiunt. Deinde, Si videamus quòd poſſimus continere detractorem, debemus illum vitii ſui corrigere. Si autem prudentia nobis ſuggerat, abs re eſſe ut correctione utamur, ſeu propter qualitatem illius qui loquitur, aut quia veremur ne irritemus linguam ejus, volendo eam reprimere; curſum ſubtiliter infringere poſſumus detractionum ejus. Si autem iſta omnia inutilia ſunt, vultum triſtem præ nobis ferre debemus & rugoſum, *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem* t. Hic eſt modus opportunus diſſipandæ calumniæ, quæ tranſiens ex ore detractoris in aures noſtras, noſtras necare poſſet animas. Nunquid non horrore igitur concuteris, detractor infortunate, triplicem infligere ictum lethiferum ſingulis linguæ ictibus? Conſidera ſevera Dei judicia adversùs detractores: præ mentis tuæ conſtitue oculis *ignem æternum* u inferni, qui tuam combuſturus eſt linguam, niſi eam correxeris, cùm more divitis epulonis, efflagitaturus es guttam aquæ ad refrigerandam *linguam* tuam, quæ tamen tibi denegabitur in pœnam detractionum tuarum, quandiu contentâ voce inclamare cogêris, ſicut ille, *Crucior in hâc flammâ* x. Visne incipere in terrâ exercitium, cui incumbunt damnati in inferno, ubi ſibi invicem maledicunt mutuis injuriis? Averrunca hanc malitiā è corde tuo; purga hoc venenum detractionis, & omnia alia vitia linguæ, quæ ad hanc referuntur peſtem; concipe in animâ tuâ meliora deſideria, & dices cum Prophetâ y, *Non loquatur os meum opera hominum*, ſed opera Dei in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam, *Quia gratiam, & gloriam dabit Dominus* z.

k 1. Cor. 13. 13.
l Pſ. 35. 9.
m Pſ. 30. 21.
n Incognit. in Pſ. 30. 21.
o ex Coloſſ. 2. 9.
p Ioan. 17. 3.
q Pſ. 139. 4.
r Gen. 4. 8. &c.
s Eccli. 28. 29.
t Prov. 25. 23.
u Matth. 25. 41.
x Luc. 16. 24. & 25.
y Pſ. 16. 4.
z Pſ. 83. 12.

Digitized by Google

FERIA V. POST DOMINICAM
III. QVADRAGESIMÆ.

Ieſus introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro eâ. Et ſtans ſuper illam, imperavit febri: & dimiſit illam. Luc. 4. 38. & 39.

a Eccli. 38. 4. CUm ait Eccleſiaſticus a, *Altiſſimus creavit de terrâ medicinam*: oſtendit quòd terra concurrere debet ad remedia recuperandæ noſtræ ſanitati deperditæ opportuna, cùm *herbas, & radices, & fructus medicinoſos ad ſalutem hominum* creaverit Deus,
b Hug. Card. in Eccli. 38. 4. ait Hugo Cardinalis b. Terra producit plantas ex ſubſtantiâ ſuâ; & cœlum eas rigat, & ſuis illas creſcere facit influentiis. Volens Deus mederi naturæ humanæ infirmæ, miſericorditer adhibuit fructus terræ, *Etenim Dominus dabit benigni-
c Pſ. 84. 13. tatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum* c. Et è cœlo eduxit Verbum ſuum, quod tale fuit ipſius
d Incognit. in Pſ. 84. 13. & 12. remedium curativum, ut ait Incognitus d, *Oſtendit hic, quomodo fuit poſſibile, quòd veritas increata de terrâ naſceretur. Et dicit, quòd ſola fuit Dei gratia, nullis noſtris meritis exigentibus; dicens, Etenim Dominus dabit benignitatem. Quid eſt ergo benignitas Dei, niſi ſua bonitas expoſita latanter omnibus gratis benefacere? Dedit ergo Dominus benignitatem, quando merâ ſuâ bonitate abſque noſtris meritis gratia uterum Virginis Mariæ implevit, non ſolùm ad ſanctificationem mentis, ſed etiam ad fœcunditatem ventris: quia virtute Spiritus ſancti concepit. Et ideò benignitate à Deo Virgini datâ, & terra noſtra dedit fructum ſuum, illum, ſcilicet, fructum, de quo Elizabeth ipſi Virgini dixit, Benedictus fructus ventris*
e Luc. 1. 42. &c. *tui* e. Hæc igitur compoſitio facta eſt in utero Virginis ſanctiſſimæ, qui fuit velut officina ad quam in gratiam hominum Pater æternus *miſit Verbum ſuum & ſanavit eos, & eripuit eos de interi-
f Pſ. 106. 20. tionibus eorum* f. In quâ, nimirum, idem *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre) ple-
g Ioan. 1. 14. num gratiæ & veritatis* g: poſtquàm *ingreſſus An-
h Luc. 1. 28. gelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria.*

Juſtâ excandeſcit S. Paulus indignatione contra homines, qui vanitate ducti exiſtimant ſe aliquid ſcire, etiamſi re verâ ſint ignari: quomodo enim docti eſſe poſſumus? cùm omnes cognitiones noſtras hauriamus à ſenſibus, qui decipiunt; aut ab opinione, quæ nihil habet certi. Quâ ratione perfectam poterimus nobis comparare notitiam rerum, quas nonniſi dimidiatim videmus? *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte
i 1. Cor. 13. 9. prophetamus* i. Seu, ut ait Dionyſius Carthuſia-
k Dion. Carth. art. 13. in 1. Cor. 13. 9. nus k, *Ex parte, hoc eſt imperfectè cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Vtraque enim cognitio valdè incompleta eſt. Nam ſicut ſe habet oculus noctuæ ad lumen Solis, ſic intellectus noſter ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ, id eſt, ad cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarum, & maximè Dei ſublimis & benedicti.* Clariſſimæ intelligentiæ noſtræ ſunt ſtupores,
l 1. Timoth. 1. 13. *Ignorans feci in incredulitate* l. Cognitiones noſtræ ſunt errores, noſtra lumina nos decipiunt, nec efficimus nos Doctores, niſi ut meliùs manifeſtemus infirmitates mentis noſtræ, & reuebras quæ eam involvunt.

Tria ſunt notitiæ capacia, Deus, Angelus, & homo. Univerſa intuetur Deus clariſſimè, *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus* m. Corda noſtra ſunt illi manifeſta, *Ego Dominus ſcrutans cor, & pro- m Hebr. 4. 13.
bans renes* n. Res opaciſſimæ, quantùm ad in- n Ier. 17. 10.
tuitum illius ſunt diaphanæ; non eſt aliquid quod lateat viſum ejus. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud* o? Non eſt o Ier. 17. 9.
aliquid quod magis diſſimulet, quàm cor, nec quod ſit magis velatum: homines & Angeli non poſſunt de cogitationibus illius judicare, quin decipiantur: quomodo igitur poteſt homo gloriari ſe habere notitias? cùm omnes creaturæ diſſimulent & fictionibus ſcateant. Non eſt aliquid præter fictionem in naturâ, in arte, & in ſocietate. Iſtam diſcutire, ſi placet veritatem.

In naturâ fictiones inveniuntur. Videte quàm appoſitè ſerenus ſit aër per noctem quâ aſtra ſplendorem ſuum emittunt: ſi conſideretis fluvios, ſi veſtros fetatis oculos in cryſtallum aquarum illorum, ibi videtis Lunam & ſtellas, ita ut aliàs, cùm cælum eſt nebulis opertum, vix diſcernere poſſitis, utrùm eadem ſit Luna, aut reflexio illius, quam videratis in aquis, rati quòd in intimis fluviorum undis inveniretur firmamentum cum aſtris, quorum aſtra cœli eſſent duntaxat reflexiones. Sed hæc ſunt figmenta naturæ, quæ decipiunt, æquè ac in arte. *Zeuxis, clariſſimus pictor Heracleotes, in certamen picturæ cum Parrhaſio deſcendit, uvaſque tanto ſucceſſu pictas in ſcenam detulit, ut ad eas aves advolarent. Parrhaſius autem linteum attulit pictum, ita veritate repræſentatâ, ut Zeuxis alitum judicio tumens; flagitaret tandem remoto linteo oſtendi picturam: intellectoque errore, concederet palmam ingenuo pudore: quoniam ipſe aves fefelliſſet: Parrhaſius autem ſe artificem. Fertur hic pinxiſſe puerum uvas ferentem, ad quas cùm advolaſſent aves, iratus eſt mirâ ingenuitate operi ſuo, & dixit, Vvas meliùs pinxi quàm puerum. Nam ſi hunc conſummaſſem, aves timere debuerant.* Hæc refert
Calepinus p poſt Plinium, & inde oſtendit, p Calepin. in Diction. v Zeuxis citãs Plinium lib. 35. c. 10.
quòd ars non habeat niſi fictionem; ſicut natura. Sed fictiones præcipuè inveniuntur in ſocietate, in quâ ſola eſt reperire verba, quæ cum corde non conveniunt. Ubi enim plures inveniuntur fraudes & doli quàm in ſocietate? Ad quid inſumit quis linguam ſuam, niſi ut diſſimulet, ut ſe dicat amicum illius, cui intendit verba dare, id eſt, illum re verâ decipere? Depravato vivimus ſæculo, quo nemo blanditur alicui, niſi ut illum fallat meliùs; quin imò jacturam illius molitur aliquis, quem dicit amicum ſuum, ut ei aduletur: hodie blanditur amicus ementitus alicui, & ruinam ejus machinatur adulando: impetus paſſionis inducit nos ad aliquam actionem, cujus pudet nos, poſtquam noſter refrigiut ſanguis, & calor paſſionis ejuſdem imminutus eſt, & tunc dicimus intuitu infœlicitatis ad quam nos videmus redactos, Ille blandiendo, meam molitus eſt ruinam. Hic autem juſtificatur oraculum Spiritûs

 ſancti;

q Prov. 27. 6. r Salaz. in Prov. 27. 6. nu. 30 & 37. s S. Aug. Epiſt. 19. ad S. Hier. c. 4.

ſancti, *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis* q. Super quod Salazar r ait, *Hujus loci germana intelligentia perſpicua eſt: docet enim præferendam eſſe amici acrem, & ſeveram correptionem blandimentis, atque adulationibus, quibus ſæpe etiam hoſtes utuntur, ad ſuos adverſarios decipiendos.* Citatque S. Auguſtinum s ſic loquentem, *Neſcio enim utrùm Chriſtiana amicitiæ putanda ſunt, in quibus magis valet vulgare proverbium, Obſequium amicos, veritas odium parit, quàm Eccleſiaſticum; Fideliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici. Proinde chariſſimos noſtros, qui noſtris laboribus ſinceriſſimè favent, hoc potius quantâ poſſumus inſtantiâ, doceamus, quò ſciant fieri poſſe, ut inter amicos aliquid alterutro ſermone contradicatur, nec tamen charitas ipſa minuatur, nec veritas odium pariat, quæ debetur amicitiæ; ſive illud verum ſit quod contradicitur, ſive corde veraci, qualecumque ſit, dicitur, non retinendo in mente, quod diſtet à labiis.* Et poſt multa concludit, *Denique, LXX. habent, Spontanea oſcula. Ambroſius & Auguſtinus, voluntaria. Dicuntur autem voluntaria, ſeu ſpontanea odientium oſcula ad ſpeciem tantùm, quæ enim illa, quæ libant, oſcula, ſponte, voluntariè, & ex animo à ſe libari omnia artificio ſimulare, adulatores contegunt.* Improbi amici, qui non ſunt tales niſi apparenter. Sed illi ſunt etiam pejores, & indigni qui ſpecioſum iſtud amici nomen ſibi vendicent, qui jacturam noſtram moliuntur, ut deinde nobis blandiantur, qui in aliquod nos projiciunt infortunium, ut ſuum poſteà nobis melius exhibeant obſequium, videntes quòd in proſperitate præbere non poſſint nobis ſpecimina amicitiæ ſuæ ementitæ: immergunt nos in infœlicitates, ut ex illis nos deinde eruant: crudeles, & non amici, cùm amicitia numquam debeat eſſe damnoſa, nec malefaciens; nec ex origine beneficiorum debeat unquam educi cauſa inferendæ moleſtiæ, vel injuriæ. Quis autem vos certos reddit, quòd, poſtquam amicum veſtrum in lutum immerſeritis, illum inde educeris? & ubi illum in aquam projeceritis, eum illinc retrahetis? Hanc ſemper juſtam de vobis querendi habebit anſam, quòd cauſa fueritis lapſus ipſius, & potiùs caſus, quàm reſurrectionis ipſius. Iſte procedendi modus nihil valet, omnes iſtæ amicitiæ ſunt criminoſæ: ſolus Deus qui eſt *Rex omnipotens, in ditione enim ejus cuncta ſunt poſita; & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati* t ejus, ſua ad exitum perducere poteſt conſilia. *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat. Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem: ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat* u. Si deprimat vos, ideò ut vos elevet; ſi pauperes vos facit, idcircò ut ditet vos; ſi infirmos, propterea ut vos ſanet: cùm nota ſit dilectionis illius, affligere amicos ſuos Electos, ut oſtendam vobis in priori parte diſcurſus iſtius;

t Eſth. 13. 9. u 1. Reg. 2, 6. &c.

Diviſio. In poſteriori verò, Quòd, Deo affligente nos, recurrendum eſt ad illum, & ſuſcipiendum remedium ab eâdem manu, quæ ictum inflixit.

I. Pars. Qui nunquam vidiſſet niſi ripam fluviorum noſtrorum majeſtate plenorum in alveo ſuo, & pacificorum in ſitu ſuo, ſtupore percelleretur immodico, videndo mare tot concuſſum procellis, & condemnaret tantam inconſtantiam, quæ invenitur in eodem ſubjecto, niſi cœlum, quod continuis ejetur motibus, ſuis propriis praxibus conciliaret authoritatem hujuſmodi inconſtantiæ, quam obſervamus circa eamdem aquam, quæ eſt in fluviis & in mari. *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in Terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum: ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: cùmque concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium ſuum* x. Sanctus iſte Patriarcha paratus eſt ad immolandum ſuum filium, & animo ſecuro, & manu intrepidâ brachium elevat ut ei mortis infligat ictum; vult evadere carnifex, & deſinere eſſe pater filii, qui erat cauſa gaudii ipſius, ſicut ipſum nomen Iſaac innuit, quo riſus ſignificatur, ut patet ex verbis quæ protulit mater ejus ſtatim ac ipſum enixa eſt, *Natus eſt Iſaac. Dixitque Sara: Riſum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi* †. Qui que futurus erat fulcrum ſenectutis paternæ, & tamen ſeſe diſponit hic eximius vir ad ſacrificandum eum: nunquid non iſte procedendi modus, ſævitiæ videtur aſcribendus inauditæ? nunquid horrorem non concipiunt animi noſtri ex auſo iſto, quod mutat amabilem patris dignitatem in exoſam qualitatem carnificis? Murmurationes veſtræ eſſent aliquo modo conſonæ rationi rectæ, & rigor Abrahæ injuſtus eſſet, niſi iſte Patriarcha ſeſe conformaret prototypo, quod intuetur in cœlo anticipativè, ubi Pater æternus decrevit immolandum tradere Filium ſuum unigenitum, & eum ignominioſæ Crucis patibulo ſuffigendum ſuper eodem monte Moriâ, in quo ipſe paratus eſt immolare filium ſuum Iſaac, *Deus etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* y. Super quod Dionyſius Carthuſianus z ait, *Deus Pater inter alia beneficia ſua nobis impenſa, etiam proprio Filio ſuo incarnato non pepercit, liberando eum à mortis anguſtiâ, ſed pro nobis omnibus tradidit illum manibus adverſariorum permiſſivè, Electis verò dedit eum effectivè. Quia ab æterno præordinavit per Chriſti paſſionem mundum eſſe ſalvandum.* Ideò appoſitè, meâ quidem ſententiâ, locutus eſt ille qui dixit, quòd amor creaturæ eſſet prudens, & ſenſatus; ſed è contrà amor Dei eſſet inſenſatus, & improperio dignus. Sic Judæi videntes modum procedendi illius, condemnaverunt eum ut injuſtum, & eruerunt ex amore ejus occaſionem ſcandali capeſſendi: & Gentiles inſimulaverunt ſtultitiæ illud ipſum, quod tota fuit ſalutis noſtræ cauſa, *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam* a. Quòd pater damnet filium ſuum, quòd efficiatur illius carnifex, quiſnam non vituperet confeſtim ſævitiam ejus, quæ inducit ipſum ad interimendam ſuiipſius partem? Si verò Abraham eſt laude dignus, ſi amor ejus eſt prudens, poterimuſne condemnare amorem Patris æterni? Uterque immolat filium ſuum: ſi ergo Abraham eſt excuſatione dignus in zelo ſuo, ſi ex actu ſuo gloriam ſibi comparat, cùm eadem actio inveniatur in Patre æterno, inde Pater æternus ſibi conciliare debet applauſus. Super iſtam convenientiam inſtituo diſputationem, quam ſub his cognoſcendam exhibeo terminis.

x Gen. 22. 1. &c. † Gen. 21. 5. & 6. y Rom. 8. 31. & 32. z Dion. Carth. art. 12. in Rom. 8. 32. a 1. Cor. 1. 23.

Duorum debitorum non ſociabilium in eodem ſubjecto, antiquius debet ſemper executioni man-

mandari prius, licèt hæc executio vergat in diſpendium poſterioris. Explico mentem meam. Ad tanta redactus eſt pater meus egeſtatis anguſtias, ut meo deſtitutus auxilio non poſſit ampliùs vivere: vocat igitur me, ut neceſſaria vitæ ipſius fovendæ providere ſatagam ſubſidio meo: ſi ad eum pergam Religio mea me revocat ad ſe, cùm ipſi me obſtrinxerim ſolemni profeſſione, quâ reliqui *omnia* b. Si contineam me intra clauſtra, pater meus accuſat me crudelitatis, cùm Deus præceperit, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram* c, Atqui *Honor parentum in duobus conſiſtit, in debita reverentia exhibitione; & neceſſariorum voluntariâ adminiſtratione*, ait Hugo Cardinalis *d*. Si egrediar e Religione, ago contra obligationem, quam contraxi, *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro* e. *Omne enim votum Deo factum, vel promiſſum, neceſſariò eſt adimplendum*, ait Incognitus *f*. Et ante eum Eccleſiaſtes *g*, *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere*. Si patrem meum non adeam, natura condemnat me: ſi deſeram Inſtitutum meum, Religio queritur de me: quid igitur agam? Hic, Auditores, duæ ſunt res: natura quæ inducit me ad ſuccurrendum patri meo; & Religio ad ſerviendum ſibi: natura exigit à me ut ſatagam ſublevare indigentias illius, qui mihi vitam tribuit; Religio verò requirit à me obſequia, quæ ſibi devovi, cùm ad ipſam me obſtrinxerim: atqui quoniam prius ſum filius, quàm Religioſus, deſerere debeo clauſtra, & ire ſuccurſum patri meo, officium iſtud filii debet prius executioni tradi. Abraham eſt pater, eſt etiam creatura Dei: venerabilis iſte ſenex duos habet amores in corda ſuo, amorem patris erga filium ſuum, & amorem creaturæ erga Deum ſuum: præcipit illi Deus ut vadat immolatum filium ſuum; amor filii illum ſolicitat ut manus ſuas proprio non cruentet ſanguine: quid aget Abraham? Priùs eſt Abraham creatura, quam pater; ideò magis eſt addictus Deo, qui ipſi præcipit immolationem filii ipſius, quàm amori filii ſui qui ipſum invitat ad parcendum eidem filio. Abraham obediens Deo quantùm ad executionem voluntatis ejus, actioni incumbit laude dignæ, quæque meretur elogia omnium ſæculorum quæ nos præceſſerunt, quæque nos ſequentur. Sed Pater æternus eſt Creator, & Pater. Priùs eſt Pater quàm Creator: Pater eſt ab æterno, ut ipſemet Filius ipſius fatetur, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* h. Et Creator eſt duntaxat in tempore, *In principio creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* i. Ideò debebat potiùs permittere ut perirent omnes homines, & conſervare Filium ſuum, quàm illum tradere ad mortem propter ſalutem hominum: nam duorum officiorum non ſociabilium antiquius debet prius executioni mandari: Deus erat priùs Pater quàm Creator, ideò debebat potiùs ſalvare Filium ſuum quàm hominem: propterea Judæi & Gentiles iſtum concipere non poſſunt procedendi modum, & illis amor iſte fuit occaſio ſcandali, iſtis verò ſtultitia dilectio iſta viſa eſt.

Quàm multùm devincti ſumus, Auditores, Patri æterno propter hanc dilectionem, cùm ad ſuccurrendum nobis, Filium ſuum ad mortem tradiderit, ut concinit ei Eccleſia k. *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti*. Judicate annon dilectio ipſius fuerit injurioſa Filio ſuo, ut meliùs noſtræ faveret cauſæ. Atqui obſervate, quòd in Divinitate Pater generat Filium ſuum, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* l, ait ipſe Filius: Pater & Filius ut idem Principium producunt Spiritum ſanctum, ut dicit idem Filius, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* m. Spiritus ſanctus autem, cùm omnia ſuſceperit a Patre & Filio, quid retribuet Benefactoribus ſuis? quid aget ad agnoſcendum beneficium quod ſuſceperat à Filio? Filium eundem velut exire facit è ſinu Patris æterni, *Et dixit, Vade* n. Spiritus ſanctus igitur Filium inducit ut exeat *à Patre, & in mundum* o veniat: facit eum hominem, *Maria inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* p. Subjicit illum omnibus miſeriis naturæ noſtræ, *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute meâ* q. Exceptâ ignorantiâ, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* r. Et ſecluſo peccato, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* s. Deinde, *Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo* t. Ideò Dionyſius Carthuſianus *u* ait, *Ductus eſt rationali ſuggeſtione, atque internâ inſpiratione Ieſus in deſertum à Spiritu ſancto, qui animam Chriſti induxit ad hoc ut ingrederetur deſertum, propter rationabiles cauſas. Chriſtus quippe ut homo pleniſſimus fuit ſeptem donis Spiritus ſancti, quemadmodum in Iſaia* x *legitur, Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c. Sicut autem virtutes morales efficiunt hominem promptè mobilem à ratione; ut ejus ſequatur judicium: ſic dona Spiritus ſancti reddunt eum faciliter mobilem à Spiritu ſancto. Idcircò Chriſtus homo à Spiritu ſancto directus, ductus & motus eſt, ut introiret deſertum. Denique, Ratio ſubditur, cur in deſertum ductus eſt Ieſus, ut tentaretur a diabolo. Voluit Chriſtus tentari, ut nos ad tentationes perferendas animaret*. Spiritus ſanctus ire facit Jeſum è tribunali ad tribunal *y*, obruit eum infamiis & confuſionibus, tandem efficit ut exeat *bajulans ſibi crucem in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum* z. Facit illum tolerare omnes pœnas, quas natura tormentis derelicta ſuſtinere poteſt, eumque reddit objectum omnium rigorum cœli & terræ, facitque eum mori in Cruce, *Per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit* a. Id eſt, *in Cruce*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *b*. Ecce id quod facit Spiritus ſanctus erga Dei Filium, ut agnoſcat beneficia ab eo ſuſcepta à ſe ab æterno. En exceptiones dilectionis: non diligit Deus niſi ut paſſiones inferat: amici illius ſunt illi quos maximis impetit afflictionibus: diligit, & affligit; & quia affligit, inde manifeſtat ſe diligere, & rigores illius ſunt infallibiles dilectionis ipſius probationes.

Iſtam meliùs cognoſcimus veritatem ex praxi Galliæ noſtræ: praxis iſtius videmus corticem, ſed fortaſſis myſterium illius nos latet: intuemur enim, quòd ubi Monarchæ noſtri Chriſtianiſſimi gratificari volunt alicui, ſive è Regiâ progenie, ſive ex amicis ſuis, non poſſunt eum meliùs honorare, nec ſenſibiliùs exhibere ei affectum, quo eum proſequuntur, quàm præbendo ei Ordinem Spiritus ſancti, qui non eſt alius niſi Spiritus ſanctus ſub formâ columbæ tenentis crucem ſub alis ſuis: Rex igitur ſumens Ordinem iſtum, collo ejus appendit torquem cum ipsâ columba deferente crucem, quam requieſcere facit ſuper corde illius à parte lævâ: quaſi diceret illi, quòd dein-

Marginal notes (left column):
b Matth. 19. 27.
c Exod. 20. 12.
d Hug. Card. in Exod. 20. 12.
e Pſ. 75. 12.
f Incognit. in Pſ. 75. 12.
g Eccl. 5. 3.
h Pſ. 2. 7.
i Gen. 1. 2. & 27.
k Eccleſia Sabbath. S.

Marginal notes (right column):
l Pſ. 2. 7.
m Ioan. 15. 26.
n Iſai. 6. 9.
o Ioan. 16. 28.
p Matth. 1. 18.
q Pſ. 87. 16.
r Coloſſ. 2. 3 & 9.
s 1. Petr. 2. 22. ex Iſai 53. 9.
t Matth. 4. 1
u Dion. Carth. art. 7 in Matth. 4. 1
x Iſai. 11. 2. & 3.
y Ioan. 18. 12. &c. & Luc. 23. 7 &c.
z Ioan. 19. 17. & 18.
a Hebr. 9. 14.
b Dion. Carth. art. 9 in Hebr. 9. 14.

deinceps ipſe debet eſſe fidelis, & magnanimiter ſe gerere in omnibus occaſionibus, quibus cauſa Dei, bonum Religionis, & obſequium Principis ſui, amplectendis ipſum exponent: ita ut honor iſte qui ei exhibetur, & hæc nota dilectionis quæ illi præbetur, non inducant eum niſi ad certamina aggredienda, & ad tolerantias perpetiendas. Ecce cortex ceremoniæ iſtius, ſed en illius myſterium. Confeſtim ac Deus favere vult alicui ex amicis & Electis ſuis, tribuit ei Spiritum ſanctum ut notam dilectionis ſuæ. Vultiſne illius probationem? Ecce ipſa, *Signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris* c. *Id eſt, arrham ſpiritus ſancti, videlicet dona Divina, quæ ſunt pignus certificans nos de inhabitatione Spiritus ſancti, & futurâ beatitudine nobis præſtandâ. Ex perceptione quippe præſentium munerum, certa fit expectatio futurorum* d. Spiritus ſanctus igitur requieſcit ſuper corde noſtro, & ad illud affert columba crucem ſub alis ſuis, *Alæ ejus, alæ ignis, flamma ejus* e. Spiritus iſte Dei ſuggerit nobis, quod tolerandum ſit. Loquere magne Apoſtole S. Paule, tu qui unus es ex Equitibus torquatis Ordinis iſtius, *Spiritus ſanctus per omnes civitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Jeroſolymis me manent* f. *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii; & hæredes: hæredes quidem Dei: cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* g. Quod ſic ad propóſitum noſtrum explicat ritè Dionyſius Carthuſianus i, *Ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Quod certum eſt dici de Spiritu ſancto. Quòd ſumus filii Dei, adeptivi, ſtando in charitate & gratiâ. Si autem filii Dei jam ſumus per gratiam adoptantem, & hæredes erimus in patriâ per gloriam beatificantem. Filiis enim adoptivis debetur aliqua pars hæreditatis paternæ. Erimus autem hæredes, non cujuſcumque, ſed Dei, æternaliter poſſidendo bona Domini in terrâ viventium* k, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit* l. *Cohæredes autem Chriſti, id eſt, beatitudinis Chriſti conſortes, atque participes erimus. Ipſe eſt enim principalis hæres* m, *& nos ſimul cum ipſo Divinam beatitudinem conſequemur. Quo autem merito ſubditur, Si tamen compatimur, id eſt, Chriſti paſſionibus configuremur bajulando crucem* n *noſtram, & ſequendo veſtigia ejus* †. *Ad hunc finem, ut ſimul glorificemur, id eſt, glorioſi efficiamur cum Chriſto glorificato: quemadmodum ipſe profitetur; Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam* o. Confeſtim ac Deus favere nobis vult dilectione ſuâ, & ſuorum honorare nos inſignibus Prædeſtinatorum, Spiritus ſanctus loquitur nobis ad cor, & proponit nobis cruces, afflictiones, & tolerantias, quæ ſunt notæ amoris, quo Deus diligit nos, cùm ſimiles nos velit efficere Filio ſuo, cujus incipit jam nos inſignibus honorare, *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui* p. Nunquam enim melius poſſumus illi eſſe ſimiles, quàm per afflictiones, quæ efficiunt ut cum illo convenientiam habere valeamus. *Sic enim Prædeſtinati ſunt conformes fieri imaginis Filii Dei, ut ſint cohæredes Chriſti, & ſicut portaverunt imaginem terreni, ſic portent imaginem cœleſtis* r, *ut ſit ipſe Filius Dei Primogenitus in multis fratribus, id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens* s, *ordinem dignitatis, tanquam Caput* t *eorum, & jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque aliis diſtribuendo*, ait Carthuſianus u.

c 2. Cor. 1. 22.
d Dion. Carth. art. 1. in 2. Cor. 1. 22.
e Cant. 8. 6. juxta LXX.
f Act. 20. 23.
g Rom. 8. 16.
i Dion. Carth. art. 11. in Rom. 8. 16.
k ex Pſ. 26. 13.
l ex 1. Cor. 2. 9. & ex Iſai. 64. 4.
m ex Hebr. 1. 2.
n ex Matth. 16. 24. & ex Luc. 9. 23.
† ex 1. Petr. 2. 21.
o Ioan. 17. 24.
p Rom. 8. 29.
r ex 1. Cor. 15. 49.
s ex Coloſſ. 1. 18.
t Ibid.
u Dion. Carth. art. 12. in

Non poſſumus igitur dubitare de amore quo Pater & Spiritus ſanctus diligebant Jeſum Chriſtum, & tamen nunquam illum induxerunt niſi ad tolerantias, quæ fuerunt notæ dilectionis ipſorum. Ha delicati! credetiſne vos hanc mereri dilectionem, blandiendo vobis, quam non ſuſcepit Jeſus Chriſtus niſi cum cruce? Nonne maximus nobis honor provenit ex eo, quòd Deus excipiat nos eodem modo, quo excepit Filium ſuum? *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum* x. Et dilectio ejus poteſtne nobis eſſe manifeſtior, cùm eâdem nos dilectione diligat, quâ diligit Filium ſuum †? *Ego quos amo, arguo, & caſtigo* y. Unde ait Dionyſius Carthuſianus z, *Ego quos amo, putà Electos & Bonos, arguo per me, & meos Vicarios, verbis; & caſtigo verberibus, ſeu adverſis, ne quid mali in eis remaneat. Cùm ergo hos taliter tractem, quantò magis tu imperfectus debes hæc cum gratiarum actione gaudenter recipere, tanquam ægrota medicinam.* Dilectio ejus non exhibetur intuenda niſi in afflictionibus; & affligit Deus, quia diligit. Deus vult oſtendere Job, ſe ipſum diligere, & quòd ipſe ſit unus ex amicis ſuis; quid agit? Projicit illum ſuper ſterquilinium, *Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus: qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio* a. Reddit eum ſcopum omnium infortuniorum, *Confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum, circumdedit me lanceis ſuis* b. Id eſt, *Confregit me Dominus afflictione & miſeriâ. Poſuit me ſibi quaſi in ſignum, id eſt, expoſuit me tribulationibus quaſi ſignum ad ſagittam, quod non movetur, licèt percutiatur. Circumdedit me lanceis ſuis, in punctionibus carnis, vel infirmitatibus*, ait Hugo Cardinalis c ſic explicans loquentem Job. Quare hoc? hæc eſt probatio dilectionis Dei erga eum: ſic ſuos excipit Deus Electos, ut tranſumpta cum ſuo conveniant Prototypo. Nunquam amavi Pictores, qui repræſentant nobis Deum Amoris Cupidinem, cum unicâ ſagittâ, magis placent mihi Poëtæ, qui duas ei tribuunt, unam auream, alterâ verò plumbeam: ſagittâ aureâ perforat cor præ oblectamento, nunquam vulnerat niſi cum ſatisfactione: invenitur voluptas in vulneribus ab ipſo inflictis. Ideò Amans Canticorum amore ſacro vulnerata, dicebat, *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis Dilectum meũ, ut nuntietis ei, quia amore langueo* d. Seu, ut vertunt LXX. *Vulnerata charitatis ego ſum.* Quantum oblectamentum, cùm Dilectio ſacra vulnerat hâc ſagittâ aureâ, *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ* e. Quaſi natant Electi in deliciis medias inter tolerantias, & cruces ſunt paradiſus patientium, *Poſuit me ſicut ſagittam electam*, ajebat Iſaias f, unus ex amicis Dei, & Electis, loquens de Chriſto, ut exponit Cornelius g, *Chriſtus eſt Patris ſagitta terſa, & præ Apoſtolis aliiſq; Sanctis electa, quam in pharetrâ, tum ſuâ præſcientia & providentia, ait Cyrillus & Lyranus, tum humanâ carnis abſcondit. Hanc ſagittã mittit, quò vult, ejuſq; verbis, verberibus & vulneribus tranſfixit, compunxit & vulneravit mentes fidelium ſui amore, eorumque vitia & peccata occidit.* Hæc ſagitta conſolatur percutiendo: videte quomodo exultet Chriſtus ipſemet hoc jaculo aureo Divinæ dilectionis vulneratus, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur* h. Ut exponit Dionyſius Carthuſianus i, *Baptiſmo habeo baptizari, hoc eſt, mihi incumbit & reſtat ex præordinatione Divinâ ut baptiſmo ſanguinis, ſcilicet proprii cruoris effuſione inſtar aquæ perfundar atque intingar in cruce pro totius mundi redemptione. Et quomodo coarctor, id eſt,*

Rom. 8. 29.
x Matth. 10. 24.
† Ioan. 17. 26.
y Apoc. 3. 19.
z Dion. Carth. art. 4. in Apoc 3. 19.
a Iob 2. 7. & 8.
b Iob 16. 13. & 14.
c Hug. Card. in Iob 16. 13. & 14.
d Cant. 5. 8.
e 2. Cor. 7. 4.
f Iſai. 49. 2.
g Cornel. in Iſai. 49. 2.
h Luc. 12. 50.
i Dion. Carth. art. 34. in Luc. 12. 50.

eſt, ſecundùm judicium rationis ad paſſionem hanc vehementer afficior, tum ex amore, quo Patris honorem inſtaurari peropto, ut ejus cœleſte Regnum adimpleatur, tum ex amore hominum, quo eorum ſalutem exopto. Hinc Chriſtus in noviſſimâ profeſſus eſt cœna, Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar k. *Et Petro paſſionem diſſuadenti,*
k Luc. 22.15.
dixit, Vade retro me Satana, quia non ſapis ea quæ
l ex
Dei ſunt l. *Itaque coarctor, uſque dum perficiatur,*
Marc. 8. 33.
hoc eſt, quouſque mea paſſio conſummetur, & dicam, Conſummatum eſt m. *Chriſtus enim inceſſabiliter*
m Ioan. 19. 30.
fuit in actu interiori dilectionis. Deus conſolatur
n Ioan. 2. 8.
Filium ſuum, & facit illum miraculis coruſcare n, quæ oſtendunt omnipotentiam ejus: ſed conſequenter percutit illum jaculo plumbeo, quod vulnerat, quod ſenſum doloris imprimit cordi quod lædit, ſed ideò ut illud devinciat ſibi. Tolerantiæ autem ſunt probationes ita validæ dilectionis Dei erga nos, ut ſufficiat duntaxat oculos injicere in Filium ejus & in paſſiones pillius, ut inde educamus teſtimonium infallibile; nos eſſe è numero amicorum Dei, ſi ſimus afflicti, cùm Deus dignetur nos excipere eodem modo, quo tractavit Filium ſuum, *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus*
o Rom. 8. 32.
tradidit illum o. Id eſt, *Deus Pater inter alia beneficia ſua nobis impenſa, etiam proprio Filio ſuo incarnato non pepercit liberando eum à mortis anguſtiâ, ſed pro nobis omnibus tradidit illum manibus adverſariorum permiſſive. Quia ab æterno præordinavit per Chriſti paſſionem mundum eſſe ſalvandum*, ait Dionyſius Carthuſianus p. Sed præ charitate,
p Dion. Carth. art 11. in Rom. 8. 32.
quâ Dei Filius oblatas ſibi à Patre paſſiones ſuſcipit, & reſignans ſe Divinæ illius voluntati, ait illi, *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, &*
q Pſ. 39. 7. &c.
legem tuam in medio cordis mei q. Conformemus nos igitur Chriſto Capiti noſtro, ſuſcipientes æquo animo tribulationes nobis à Deo miſſas, ita ut dilectionem Dei erga nos mutuâ dilectione compenſemus. *Ipſe ſit Caput noſtrum, quia Caput viri Chriſtus* r*: ipſe oculus noſter, ut per illum*
r ex 1. Cor. 11. 3
videamus Patrem: ipſe dextera, per quam Deo Patri ſacrificium noſtrum offeramus: ipſe quoque eſt ſignaculum noſtrum, quod eſt perfectionis & charitatis inſigne, quia diligens Pater ſignavit Filium, ſicut
s ex Ioan. 6. 27.
legimus: Quem Pater ſignavit Deus s, *Charitas* t
t ex 1. Ioan. 4. 16.
itaque noſtra Chriſtus. Bona charitas, quando obtulit morti ſe pro dilectis. Et Ieremias u *habens in*
u ex Ier. 20. 9.
ſe donum Divinæ charitatis, dicebat, Et erat ignis inflammans in oſſibus meis, & diſſolutus ſum undique, & ferre non poſſum. Bona igitur charitas habens alas ignis ardentes x, *quæ volitat per pectora & corda*
x ex Cant. 8. 6. juxta LXX.
da Sanctorum, & exurit quidquid materiale atque terrenum eſt, quidquid verò ſincerum eſt, probat, & quod contigerit ſuo igne, meliorat, ait S. Ambroſius y. Id eſt, dum homo voluntati Dei annuit.
y S. Ambr. lib. de Iſaac c. 8. II. Pars.

Hoc modo converti debemus ad Deum, & recurrere ad eandem manum quæ inflixit ictum, ut inde recipiamus remedium, unde vulnus ſuſcepimus. Per peccata noſtra redacti fueramus *ad*
z Pſ. 72. 22.
nihilum z. Et Deus per Incarnationem *ſemetipſum exinanivit* a. Et ſuſcepit omnia mala na-
a Philipp. 2. 7.
turæ, & fortunæ, non autem peccati, quæ nunquam commiſit, *Qui peccatum non fecit, nec inven-*
b 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
tus eſt dolus in ore ejus b. Imò nec patrare poteſt, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* c. Hæc
c Pſ. 5. 5.
omnia mala pœnæ habet præ manibus ſuis, *Si*
d Amos 3. 6.
erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit d?

Eaque ſtillare facit ſuper amicos & Electos ſuos, quos maximis impetit afflictionibus. Duo ſunt genera hominum, qui orant diverſimodè & videtur inveniri contradictio in Oratione Dominicâ e, quam ſingulis diebus recitamus. Alii e Matth. 6. 9. &c.
dicunt abſolutè Deo, *Fiat voluntas tua.* Chartam purâ porrigunt Deo, ut ad ipſos mittat quæcumque voluerit, bonum, malũ, proſperitatẽ, adverſitatẽ, gaudium, triſtitiam, oblectamentum, dolorem. Et tamen in fine ſibi videntur contradicere, & limitare hanc voluntatem, dicentes, *Sed libera nos à malo.* Nunquid non igitur eſt ibi manifeſta contradictio? Nequaquam: ſed hoc diverſos ſpectat homines. Boni dicunt, *Fiat voluntas tua.* Nobis ſatisfiet æqualiter in omnibus quæ nobis evenerint, ſive in adverſis, ſive in proſperis. Sed puſillanimi iſtam limitant voluntatem, nec aliquid pati volunt: ſtatim enim ac aliquâ impetuntur afflictione, ad eum recurrunt, (ſicut S. Petrus & Apoſtoli poſtulantes infirmam Evangelii noſtri febrientem, reſtituendam in priſtinam ſanitatem) ut ab eâ liberentur, dicentes, *Sed libera nos à malo.* Nedum hoc in occurſu, & in ſimilibus, Divinæ ſe conforment Voluntati, ſicut egit S. Lupus, qui monitus adventûs Attilæ Regis Hunnorum in Italiam ad devaſtandam eam, pontificiis ſeſe induit veſtimentis, & hoc apparatu gravi proceſſit ei obviam rogaturus eum ut manſuetudine uteretur erga oves ſuas; ſi verò rigorem præ ſe ferret, ut illum totum exoneraret ſuper Paſtorem, qui illum æquo animo ſuſciperet pro ſublevando grege ſuo. Stupore percitus Attila ad intuitum apparatûs iſtius pompatici, & gravis majeſtatis Pontificem condecentis, petivit à S. Antiſtite, num ſe cognoſceret. Reſpondit ei S. Lupus, quòd ipſum agnoſceret ut eximium Ducem exercitus. Scito, ait illi, Attila, quòd ego ſum flagellum Dei, & quòd miſit me Deus ad puniendum populum ſuum. Quid, inquit S. Lupus, es ne flagellum Dei? Ha! Flagellum Dei benè veneris. Flagellum Dei, ego volo totus eſſe tibi deditus: aperio tibi non ſolùm portas civitatis, ſed etiam proprium cor meum. *Flagellum inundans* f, & ego & populus f Iſai 28. 15. & 18.
meus, & Paſtor & grex tibi toti addicti ſumus, age quodcumque voles, omnes vaſtitates tuæ nobis erunt proficuæ. Iſtud eſt, quod agunt Boni & Electi, dicentes Deo in omnibus, *Fiat voluntas tua.* Diſpone nos ut volueris, tibi chartam puram porrigimus, ſcribe in eâ quodcumque tibi placuerit, præ magnâ ſemper adorabimus reverentiâ manum, quæ ictum inflixerit.

Duplex eſt genus hominum. Alii recurrunt ad homines, alii verò ad dæmones. Primi, ſi Deus ipſos affligat, ſi ad ipſos morbum mittat, confeſtim recurrunt, ad quem? ad Deum ſicut S. Petrus? Nequaquam, ſed ad homines. Mater habet filium ſuum ægrotum, uxor virum ſuum infirmum: neutra cogitat de Deo, ſed de ſolis hominibus, de Medicis, quibus Deus dat virtutem medendi, ſicut & herbis, & medicinis, cùm homines non medeantur præcisè, ſed adjuti à Deo. Siccine mulieres immanes filios veſtros, & viros veſtros diligitis? Solum amatis illorum corpus, cùm ita parùm de eorum animâ ſitis ſolicitæ, quæ immortalis g eſt ſicut Deus h. & ne- g Gen. 1. 27
gligatis vocare Confeſſarium donec infirmi ve- h 1. Timoth 1. 17. & 6. 16.
ſtri vergant ad interitum, & de eorum ſanitate ſit penitus deſperatum. Attendite vobis, Auditores; nolite confidere amoribus iſtis, qui ſunt tantùm apparentes: ſtatim ac Deus affligit

vos, vocate Confeſſarium: ipſe quippe ut Vicarius Dei, virtutem debet impendere pharmacis, & reſtituere vobis ſanitatem mentis, æquè ac corporis, quia *Dei perfecta ſunt opera* i. *Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in Medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari: acceſsit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti* Filii Dei: *& confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus* k. Secundi ſunt criminoſiores: non enim ſolùm recurrunt ad homines, ſed etiam ad dæmones. *Cecidit Ochozias per cancellos cœnaculi ſui quod habebat in Samariâ, & ægrotavit: miſitque nuntios, dicens ad eos, Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate meâ hâc. Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens, Surge, & aſcende in occurſum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos, Nunquid non eſt Deus in Iſraël, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam ob rem, hæc dicit Dominus, de lecto, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris* l. Mulier aliqua habebit filium ſuum infirmum, non eſt aliquid quod ipſa non inſumat ad procurandam ei reſtitutionem ſanitatis deperditæ: ſed ecce impius ad eam accedens, ait illi, Domina mea, viſne impendi filio tuo ſanitatem? Ha! tribuerem omnia, quæ penes me ſunt, ad hunc effectum. Ne ſis amplius ſolicita, ait ei ille nequam; tria, vel quatuor duntaxat inſumam verba, ut illum tibi in ſtatum redigam priſtinum. Nimiâ virtute vigentes vos exiſtimo, Auditores, nedum ad veneficia recurratis recuperandæ ſanitatis ergo.

i Deut. 32. 4.
k Luc. 8. 43. & 44
l 4 Reg. 1. 2. &c.

Quærit Theologia, utrùm plùs diligere Deum teneamur, quàm creaturas. Hic admittenda eſt diſtinctio amoris ſenſibilis, & appretiativi. Mulieri ægrotat filius, aut vir ſuus, & ipſa flet, nec tamen plorat propter peccata, quæ reddunt animam filii, aut viri ſui infirmam: iſte eſt amor ſenſibilis, quem non damnat Theologia, quemque Deus non exigit à nobis, cùm procedat à naturâ. Sed alter amor eſt appretiativus; oportet ut filius moriatur, aut ut mater peccet recurrens ad veneficia, ecce amor filii, & amor Dei, quid aget mater? Tenetur mater ſinere mori filium ſuum, ut non offendatur Deus, quem debet ipſa diligere amore appretiativo, ſeu amore præferentiæ præ omnibus amoribus. Ha! Deus meus, quàm pauci æſtimant te creaturæ, cùm te deſerat, ut ad homines, imò verò ad dæmones recurrat. Ha! Deus meus, eo ſanè nolumus nos gerere modo, ſed volumus recurrere ad te, ut eadem manus, quæ nobis inflixit ictum, eidem ſanando applicet apparatum: age de nobis quodcumque Divinæ tuæ placuerit voluntati: tibi dediti ſumus toti, & rigores tui præ ſe ferunt teſtimonium amoris quo diligis nos, & in his infortuniis nihil aliud quærimus niſi ut *fiat voluntas tua*. Si autem in illis aliquod quærimus levamen, illud invenire volumus in gratiâ tuâ, quæ producet in nobis gloriam tuam.

FERIA VI. POST DOMINICAM

III. QVADRAGESIMÆ.

Ieſus dixit ei; Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. Ioan. 4. 10. &c.

PEracto certamine, & bello terminato, cœlū & terra mutuū pepigère fœdus, & Angeli hujus initæ pacis & reconciliationis articulos ſolemni publicatione promulgaverunt, *Et ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis, dicentium, In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* a. Id eſt, *In terrâ ſit pax vera & ſpiritualis, quæ eſt tranquillitas mentis in bono honeſto, præſertim in Deo fonte totius boni* b *honeſti, ſeu virtuoſi, hominibus bonæ voluntatis. Loquendo de voluntate non optativâ tantùm, quæ eſt velleitas imperfecta, de quâ Salomon* c *loquitur, Vult, & non vult piger: ſed de voluntate imperativâ & efficaci, quæ dum opportunitas adeſt ſeu exigit, procedit in opus. Talem autem voluntatem habentes ſunt boni, & in ſtatu ſalutis, ſeu in charitate & gratiâ, quoniam talis voluntas, ſeu volitio, reputatur à Deo pro opere*, ait Dionyſius Carthuſianus †. Qui paulò pòſt ait, *Poteſt quoque hic pax accipi pro reconciliatione generis humani factâ cum Deo per Chriſtum, quam Angeli tunc inſtare dicebant. Vnde ad Romanos* d *inquit Apoſtolus, Reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Patet autem ex verbis his, quia de ſpirituali pace intelligenda ſunt, quæ Prophetæ denunciaverunt de futurâ pace in Chriſti adventu, quæ eſt pax bonæ voluntatis. De quâ per Michæam* e *prædictum eſt, Pax erit in terrâ noſtrâ dum venerit, & quando calcaverit in domibus noſtris.* Sed ad meliùs ſtabiliendam iſtam pacem, dandi fuerunt utrimque Obſides. Terra, quia eſt regio corporum, dat cœlo illud, quod habet ipſa pretioſiſſimum, quod eſt Humanitas ſacra Filii Dei, *qui in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* f, *aſſumptus eſt in cœlum* g. Cœlum verò, quod eſt domicilium ſpirituum, mittit Primum ſpirituum, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* h. De hoc Spiritu loquitur Textus noſter, juxta expoſitionem Dionyſii Carthuſiani i, *Ieſus dixit ei: Si ſcires donum Dei, id eſt, gratiam & miſericordiam Dei, quæ tibi nunc offertur per hoc, quòd Filius Dei petit potum à te. Nempe qui Chriſto aliquid dat, potiùs recipit beneficium, quàm impendat, quemadmodū magnū eſſet pauperi, ſi Rex peteret quicquam parvū ab eo. Et ſi ſcires quis eſt qui dicit tibi: Da mihi bibere, id eſt, ſi* me

a Luc. 2. 13
b ex Iacob. 1. 17
c Prov. 13. 4.
† Dion. Carth. art. 6. in Luc. 2. 13
d Rom. 5. 10.
e ex Mich. 5. 5.
f Philipp. 2. 6. & 7.
g Marc. 16. 19.
h Act. 2. 1. &c.
i Dion. Carth. art. 9. in Ioan. 4. 10.

me agnoſceres, ſi me eſſe Deum & hominem ſcires, tu forſitan petiiſſes ab eo ſpiritualem refectionem. Et dediſſet tibi aquam vivam, id eſt, gratiam Spiritus ſancti, ſeu ipſum Spiritum ſanctum, qui dari tunc dicitur, cùm ejus gratia gratum faciens menti infunditur: ſicque redit in idem, ſive per aquam intelligatur Spiritus ſanctus, ſeu gratia ejus. Quod autem per aquam intelligatur Spiritus ſanctus, conſtat ex eo, ſicut habetur infrà, Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Quod Evangeliſta k *exponens, Hoc (inquit) dicebat de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum.* Sed ſicut Virgo ſacratiſſima materiam ſubminiſtravit accommodam formando huic Corpori Filii Dei, quod terra miſit ad cælum, debuit illa ſuſcipere Spiritum quem cœlum dabat terræ. Re autem verâ *Spiritus ſanctus* obumbravit eam, poſtquam Archangelus illi *dixit, Ave* l *Maria.*

k Ioan. 7. 38. & 39 ex Ioel 2. 28. & ex Iſai. 44. 3. & ex Act. 2. 17

l Luc. 1. 28. &c.

Si ſeſe continuiſſet homo in ſtatu felicitatis, in quo ipſum *creavit Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* m; profectò non indiguiſſet medicinâ, & ſi illam adhibere voluiſſet, illâ fuiſſet uſus ex ſolâ decentiâ, non præ neceſſitate, *Produxit Dominus Deus de humo lignum vitæ in medio paradiſi* n. Cornelius o autem ait de iſto ligno, *Dicitur arbor vitæ, id eſt, vivifica, cauſa vitæ, vitam conſervans, & prorogans: quia ſcilicet hæc arbor comedentis vitam longiſſimè protendebat, eamque à morbis ac ſenio immunem, ſanam, quietam, & jucundam tuebatur. Fuit hæc vis & virtus huic arbori non ſupernaturalis, ideòq; poſt Adæ peccatum illi ablata, ut volunt S. Bonaventura & Gabriel in 2. diſt. 19. ſed fuit illi naturalis, uti eſt vis medendi in aliis fructibus, & arboribus: inde enim à naturâ ſuâ, nativâque vi dicitur arbor vitæ: ideòque poſt peccatum manſit huic arbori hæc virtus, eâque de cauſâ ab eâ, & à paradiſo excluſus eſt Adam* p *poſtquàm peccavit. Ita S. Thomas, Hugo, & Pererius. In paradiſo ergo nihil hominem in innocentiâ permanentem lædere aut corrumpere potuiſſet.* Et ſic medicina non fuiſſet ei neceſſaria: natura enim, quæ omnibus animantibus imprimit inſtinctum ad procurandam ſanitatem ſuam, poſuit in plantis remedium ſanandis eorum infirmitatibus conſonum, iſtum non renuiſſet homini favorem: ſed ex quo ſua voluit alterare alimenta tot condimentis, quæ potiùs irritant appetitum, quàm ei ſatisfaciant; quæ famem excitant, nedum illam ſatient; quæque temperamentum corrumpunt, medicina quæ tunc erat duntaxat utilis ex ſolâ decentiâ, evaſit omninò neceſſaria, *Honora Medicum propter neceſſitatem* q. *Eſt hic locus illuſtris de utilitate & neceſſitate Medici, & Medicinæ*, ait Cornelius r. Qui concludit, *Medici ergo opera utilis eſt, imò neceſſaria, utpote cujus ope multi è faucibus mortis eripiuntur, & quaſi reviviſcunt.* Idem dico de ſpiritu hominis, quod de ejus corpore. Si homo non peccaſſet, Spiritus Dei non fuiſſet ei neceſſarius ut illi ſe veluti pædagogum exhibuiſſet in vitâ ejus, & directorem in moribus illius; fuiſſet veluti ſocius felicitatis illius: ſed ex quo peccavit homo, Spiritus Dei fuit illi neceſſarius ut eſſet ei Dux & Lucerna, cujus beneficio addiſceret homo viam cæli, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem* ſ.

m Gen. 1. 27.

n Gen. 2. 9.

o Cornel. in Gen. 2. 9.

p ex Gen. 3. 23.

q Eccli. 38. 1.

r Cornel. in Eccli. 38. 1.

ſ Ioan. 16 13.

In homine triplex ſpiritus invenitur: ſpiritus animalis, ſpiritus rationalis, & Spiritus Dei. Spiritus animalis, & ſpiritus rationalis efficiunt ut agat homo, & iſtorum interventu habet idem homo artem, ſcientiam, & voluptatem. Spiritu animali exequitur & in praxim redigit eximia omnia illa opera, quæ præ ſe quandam miraculi ſpeciem ferunt; ſed hæc omnia prius concepta fuerunt à ſpiritu rationali, qui illorum directionem præbuit, quippe qui illorum habet ſcientiam univerſorum, cùm memoria hominis ſit veluti bibliotheca, & id omne quod tranſactum eſt, ſit inſtar typographiæ. Spiritus animalis fortitudinem tribuit, videte quonam modo occurrentibus occaſionibus, quibus natura timore percellitur, omnes ſpiritus animales iſti confugiant ad cor quaſi ad arcem & propugnaculum totius compoſiti; ut ei auxilium ſubminiſtrent; quânam ratione omnes paſſiones cunctos conatus ſuos impendunt ad repellendum illud quod eſt ei contrarium. Tandem, Spiritus animalis voloptatem tribuit, oblectatur quis ſuper mari, mundum circuit in navi conſtitutus, nedum pedem moveat. Quin imò, Spiritus hic animalis deambulat ſuper fluvium ſanguinum per microcoſmum, id eſt, pet exiguum hominis mundum: ſi viæ opertæ in hortis & paradiſis ſpiritum lætificant animalem, hæc omnia habet, & tot porticus tectas habet idem ſpiritus animalis, quot habet homo arterias, per quas hic ſpiritus animalis deambulat. Spiritus Dei ut ſuperior ſpiritu rationali, æquè ac ſpiritu animali hominis, hæc omnia in homine operatur mirabilia præ ſingulari prærogativâ: proptereà Spiritus principalis nuncupatur, *Spiritu principali confirma me* t. Ipſe enim eſt qui dirigit alios: & ſpiritus rationalis, ſeu intellectus qui caligine fuerat ſuffuſus per peccatum, obſcuratus *tenebris, à vitâ Dei per ignorantiam quæ in* illo erat, alienatus; *propter cæcitatem cordis* u ipſius hominis; illuminatur à Spiritu Dei, qui iſtas diſſipat & procul amandat tenebras: & ex intellectu hominis deſcendit in corpus, ut illud purget à ſordibus ipſius, *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur* x. Unde Incognitus y ait, *Spiritus ſanctus eſt purgativus culpæ inficientis: gratia enim cùm contraria ſit peccato, ſimul cum peccato ſtare non poteſt: ideò advenıente Spiritus ſancti gratiâ, ſtatim omnis expellitur culpa, Si laverit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii, & in ſpiritu ardoris* z. *Sion enim ſignificat animas, quæ Deum per fidem debent contemplari. Unde & Sion ſpecula interpretatur. Per ſordes verò intellige peccata ſpiritualia, Generatio, quæ ſibi munda videtur, non eſt lota à ſordibus ſuis* a. *Per ſanguinem verò peccata carnalia intelliguntur, Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt* b. *Iſta autem lavantur, & purgantur per Spiritum ſanctum, qui dicitur ſpiritus judicii, quia bonos diſcernit à malis. Dicitur Spiritus ardoris, quia animam ad Dei amorem accendit, ad deſiderium æternorum.* Videte quomodo ſtatim ac Spiritus Dei deſcendit ſuper Samaritanam, quæ erat infidelis, illuminat intellectum ejus, ex infideli reddit illam fidelem, ex peccatrice prædicatricem, ita ut *mulier* quæ *quinque viros* habuerat, & tunc *quem* habebat *non* erat *vir* ipſius, è ſuis concivibus multos converterit ad obſequium Dei, quem uſque tunc ignoraverat, *Ex civitate autem illâ multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis.* Cùm Spiritus iſte illuminaverit intellectum hujus mulieris, deſcendit ſuper corpus ejus, & ex impurâ & proſtitutâ reddit eam templum ſuum, *Neſcitis, quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis* c? Et, *An neſcitis, quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt* d? Secundum

t Pſ. 50. 14.

u Epheſ. 4. 18.

x Pſ. 103. 30.

y Incognit. in Pſ. 103. 30.

z ex Iſai. 4. 4.

a Prov. 30. 12.

b Iſai. 1. 15.

c 1. Cor. 3. 16

d 1. Cor. 6. 19.

e Dion. Carth. art. 6. in 1. Cor 6. 19.

quod exponit Dionyſius Carthuſianus *e*, *An neſcitis, quoniam membra veſtra, non ſolùm corpora propter aliqua membra; ſed omnia membra veſtra, id eſt, corpus totum, templum eſt Spiritus ſancti, id eſt, conſecratum inhabitationi Spiritus ſancti in Baptiſmo, ubi expulſo diabolo, abrenunciaſtis pompis ejus, & Deo dicati eſtis, qui in vobis eſt per gratiam, primò atque directè in animâ, ſecundariò autem in corpore.* Hi autem ſunt duo effectus, quos operatur in homine

Diviſio.

Spiritus Dei. Primò, Intellectum illuminat. Secundò, Ex intellectu deſcendit in corpus, quod purgat ab inquinamentis ipſius.

I. Pars.

Id quod anima eſt corpori, hoc idem Chriſtianus eſt Religioni. Anima eſt vinculum cœli cum terrâ, æternitatis cum tempore: cœlum ipſa unit cum terrâ in eodem ſubjecto; ſpiritum, qui eſt totus cœleſtis, cum corpore, quod eſt omnino terrenum; ſic Chriſtianus in Religione unit Deum homini, has ſociat, duas partes ita oppoſitas. Nam quia *Spiritus eſt Deus*, ut ait Evangelium noſtrum: *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus*, dicit Dionyſius Carthu-

f Dion. Carth. art 11. in Ioan. 4. 24.

ſianus *f*: ſociari non poſſet homini abſque iſto vinculo Religionis, quam Deus inſtituit. Plato cognomento Divinus conſtituit ideam, quæ unit cœlum cum terrâ, quæ conjungit hæc duo contraria in eodem ſubjecto, quæ idea participat utrumque, & communicat cœlo æquè ac terræ. Quod Plato dicit de hâc ideâ, idem ego aſſero de homine: atqui invenio & conſtituo tres ſtatus hominis. Primus ſtatus eſt hominis Dei. Secundus eſt hominis de Deo. Tertius eſt hominis ſine Deo. Homo Deus eſt Jeſus Chriſtus, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* g. *Qui Chriſtus*, ut

g Philipp. 2. 6. & 7.

h Dion. Carth. art. 2. in Philipp. 2. 6 & 7.

i Ioan. 10. 30.

explicat idem Carthuſianus *h*, *cùm in formâ Dei eſſet, id eſt, veram Deitatem haberet, ſeu unius cum Patre eſſentiæ eſſet, ſecundùm quod ait, Ego & Pater unum ſumus* i: *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, id eſt, ſentiendo ac aſſerendo, ſe eſſe æqualem Deo, non uſurpavit neque aſcripſit ſibi ipſi quod ſuum non erat, quia verè ſic fuit ſicut arbitratus eſt. Ideò non commiſit rapinam, vocando ſe verum Deum, quia nil à ſe alienum ſibi ipſi aſcripſit, quemadmodum Lucifer, dicens, Similis ero Altiſſimo* k, *conatus facere rapinam. Chriſto igitur non rapina, ſed natura*

k Iſai. 14 24.

eſt eſſe Deo æqualem, coæternum, & conſubſtantialem. Propter quod Ioannes l *loquitur, Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt. Et alibi* m, *Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt. Hoc eſt, Divina Eſſentia, quam totam Pater transfudit in Filium. Sed ſemetipſum exinanivit, id eſt, vehementer ſe humiliavit, formam ſervi accipiens, id eſt, naturam humanam atque ſervilem in unitate perſonali aſſumens, ita quòd natura ſumpta unita eſt Verbo immediatè, atque in ipſo ſuppoſita. ſicut caro conjungitur animæ. In ſimilitudinem hominum factus, id eſt, cæteris hominibus aſſimilatus, ſeu ſimilis factus, aſſumendo indetrahibiles defectus, videlicet pœnalitates, non vitia. Fuit enim mortalis atque paſſibilis. Unde dicit Apoſtolus* n, *Debuit per omnia fratribus aſſimilari. Et habitu, id eſt, converſationis ſuæ habitudine inventus eſt, id eſt, verè innotuit ut homo. Bibit enim, comêdit* o, *ſedit* p, *dormivit* q, *ut cæteri. Per quæ patuit, quòd verè fuerit homo. Propterea ſcriptum eſt. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* r. *Butyrum & mel comedet* s. *Vel ſic, habitu, id eſt, in naturâ humanâ per modum habitus ſeu veſtimenti aſſumptâ, inventus eſt ut homo, non apparenter, ſed realiter, Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre* t. *Denique, Natura humana ſe habet ad Verbum ſicut veſtis ad hominem. Nam ſicut veſtis induitur atque exuitur ſine mutatione ſubſtantialis eſſe hominis veſtiti, ita quòd homo eſt homo & ſubſiſtit, ſive induatur, ſeu non; ſic Verbum humanam naturam aſſumpſit ſine omni mutatione ſui eſſe Divini; poſſetque eſſe ſine humanâ naturâ, ſine quâ nos eſſe non poſſumus.*

l Ioan. 16. 15.

m Ioan. 10. 29.

n ex Hebr. 2. 17.

o ex Luc. 7. 36.

p ex Ioan. 4. 6.

q ex Matth. 8. 24.

r Baruch 3. 38.

s Iſai. 7. 15.

t Ioan. 1. 14.

Homo de Deo, vel à Deo, eſt Juſtus, *Iuſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide vivit* u. *Hoc allegat Apoſtolus ad probandum, quòd juſtitia Dei, revelatur in Chriſtiano ex fide in fidem*, ait Dionyſius Carthuſianus *x*. Qui quærit, *Sed cùm fides ſit una (juxta illud, Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma* y*) quomodo nunc dicitur ex fide in fidem, quaſi ſint fides diverſæ? Et reſpondendum, quòd fides eſt una ex parte objecti. Numeratur autem & diverſificatur ex parte ſubjectorum; in eodem tamen fides non eſt niſi una numero, ſicut & charitas. Unde per fidem intelligitur actus fidei, qui diverſificatur. Authoritas verò ab Apoſtolo introducta habetur Habacuc. 2. ubi legitur, Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo. Iuſtus autem in ſuâ fide vivet. Cui concordat illud quoque Iſaiæ* a, *Qui incredulus eſt, infideliter agit. Unde à Salomone* b *inducitur, Qui timetis Dominum, credite illi: & non evacuabitur merces veſtra. Nullus etenim propriè juſtus eſt, niſi referat opera ſua ad ultimum finem, qui eſt ſupernaturalis fœlicitas. Hunc autem finem non agnoſcimus niſi per fidem, quæ in omni actu meritorio dirigit rationem. Idcircò in fide tanquam in baſi, ſeu fundamento virtutum vivit Iuſtus.* Homo igitur de Deo, ſeu à Deo, eſt Juſtus. Propterea malè loquebantur Judæi de Chriſto qui cæcum natum illuminaverat, *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit* c. Quaſi dicerent, Iſte juſtus non eſt, *Non eſt hic homo à Deo per vitæ bonitatem, hoc eſt, ſecundùm Dei beneplacitum non operatur, neque à Deo miſſus eſt, nec ejus adjutorio, ſed dæmonis agit ſubſidio*, ait Dionyſius Carthuſianus *d*.

u Rom. 1. 17. ex Habac. 2. 4. Galat 3. 11. & Hebr. 10. 38.

x Dion. Carth. art 4. in Rom. 1. 17.

y Epheſ. 4. 5.

a Iſai. 21. 2.

b Eccli. 2. 8.

c Ioan. 9. 16.

d Dion. Carth. art. 24. in Ioan. 9. 16.

e Pſ. 13. 1.

f S. Aug. in Pſ. 13. 1.

Homo verò ſine Deo, eſt peccator, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus* e. Mente ſecum voluit impius id, quod ore ſuo non audet fari, ut ait S. Auguſtinus *f*, *Non enim ipſi ſacrilegi & deteſtandi quidam Philoſophi, qui perverſa & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere, Non eſt Deus. Ideò ergo dixit (in corde ſuo) quia hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare.* Atqui ad uniendas duas iſtas eſſentias, Deum & peccatorem, requirebatur medium quod communicaret extremis, & quod eſſet vinculum quo intermedio hæc unirentur extrema: hoc autem medium eſt Jeſus Chriſtus, qui eſt Deus & homo ſimul, *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* g. Quod ſic ad propoſitum explicat Dionyſius Carthuſianus *h*, *Unus enim Deus eſt, utpote in eſſentiâ ſimplex, & in perſonis trinus, qui eſt Trinitas ſuperbenedicta. unus verus ſimpliciſſimus Deus, unus eſt & Mediator, id eſt, Reconciliator & Sequeſter Dei Trinitatis & hominum homo Chriſtus Ieſus, cum utroque extremo conveniens: cum Deo ſecundùm naturam Divinam, & cum hominibus ſecundùm aſſumptam humanitatem. Eſtque Mediator Dei ac hominum, propriè loquendo, nec ut Deus, neque ut homo, ſed ut Deus-homo, ſeu Deus incarnatus. Sic quippe competet ei & ſatisfacere, ſeu reconciliare, &*

g 1. Timoth. 2. 5 & 6.

h Dion. Carth. art. 2. in 1. Timoth. 2. 5. & 6.

idonei-

idoneitas vel efficacia reconciliandi. Quorum primum convenit ei ratione aſſumptæ naturæ, ſecundum verò ratione Deitatis unitæ, ex quâ opera & pœna Chriſti hominis infinitam quodammodo dignitatem & efficaciam ſortiuntur, intantùm ut minima gutta Sanguinis ejus fuiſſet ſufficientiſſima ad totius generis humani liberationem. Qui Chriſtus dedit, id eſt, ſponte & charitative obtulit redemptionem, id eſt, in cauſam & pretium noſtræ redemptionis ſemetipſum pro omnibus quantùm ad ſufficientiam. Hic igitur eſt Deus & homo ſimul, cœleſtis & terrenus, ſpiritualis & corporalis: ut Deus, totus cœleſtis & ſpiritualis; ut homo, peccator apparens, & corporalis ſecundùm humanitatem, & ſic in eodem ſubjecto fit hæc unio, & homo communicat Deo cum Spiritu ejus, qui ipſum movet, *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum* i. Super quod idem Carthuſianus k ait, *Deus Pater Filium ſuum mittens in mundum per Incarnationis myſterium, non per localem deſcenſum, in ſimilitudinem carnis peccati, id eſt, in corpore mortali atque paſſibili, quod licèt fuerit veraciter, veraque caro, non tamen veraciter erat caro peccati, ſed ſimilitudinariè. Per pœnas enim quas pertulit, ſimilis erat carni peccatrici. Venit itaque Chriſtus in veritate carnis, non autem in veritate carnis peccati, ſed in ſimilitudine ejus. Et de peccato damnavit peccatum, id eſt, Pater mittens ſic Filium, damnavit, id eſt, delevit, deſtruxit, dimiſit peccatum tam originale, quàm actuale, de peccato, id eſt, per peccatum factum in carne Chriſti, non à Chriſto, ſed à diabolo, ejuſque miniſtris, qui Chriſtum occiderunt. Vel ſic, & meliùs ſecundùm Ambroſium* l, *De peccato, id eſt, de ſeipſo, prout factus eſt hoſtia* m *pro peccato noſtro, damnavit, id eſt, delevit peccatum mundi: quodcumque in carne, id eſt, in corporis ſui paſſione. Ipſe enim portavit peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum* n. *Iuxta hunc ſenſum ſacrificia Legis pro peccatis oblata dicebantur peccata, ſecundùm quod de Sacerdotibus veteris Teſtamenti Dominus ait per Oſeam* o, *Peccata populi mei comedent. Sic quoque aquam cum periculo vitæ allatam David ſanguinem appellavit, dicens, Abſit à me ut ſanguinem virorum iſtorum bibam* p. *Hæc itaque fecit Deus, ut juſtificatio Legis, id eſt, in Lege promiſſa, non autem per Legem exhibita (Lex enim gratiam juſtificantem ſpopondit, non contulit) impleretur in nobis, qui in Baptiſmo, aliiſque Sacramentis gratiam juſtificantem in Lege præfiguratam ac prænunciatam recipimus, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum, id eſt, non carnaliter, ſed ſpiritualiter in hujus vitæ exilio converſamur tendentes ac properantes ad patriam per opera virtuoſa.* Sic ergo in eodem ſubjecto fit hæc connexio, & homo communicat Deo cum Spiritu ejus, à quo ipſe movetur. Homo verò qui habet Spiritum Dei, loquitur de Deo, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis* q. Sicut enim ſi origo non habet aquam, rivi areſcunt; ita ſi cor eſt vacuum Spiritu Dei, lingua quæ non loquitur niſi ex corde, non poteſt loqui de Deo: *Ex abundantiâ enim cordis, os loquitur* r. Homo loquitur de mundo, quia *ſpiritum mundi* s habet. *Id eſt, animum ſecularem, affectum inſtantem*, ait Dionyſius Carthuſianus t. Et Evangeliſta u, *Qui de terrâ eſt, de terrâ loquitur. Id eſt, de inferioribus & terrenis tractat, quantùm eſt ex parte ſuæ terrenæ originis. Nihilominùs loquitur de Divinis atque cœleſtibus per gratiæ infuſionem, & ſupernaturalem illuminationem, quemadmodum Prophetæ, & Apoſtoli*, dicit idem Carthuſianus x. Qui Apoſtoli, *cùm complerentur dies Pentecoſtes, repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Et eundem Spiritum ſanctum aliis communicaverunt. Propterea *& apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquã ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum* y. Deſcendit Spiritus ſanctus ſuper eos ſub formâ linguarum ignearum, ut oſtenderet, quòd, cùm illuminaſſet intellectum ipſorum, ipſorum linguas inducebat ad loquendum de Deo; ut, cùm ipſi accepiſſent Spiritum ſanctum, monſtrarent donis ſuis ſe eum ſuſcepiſſe. Hæc eſt etiam probatio præſentiæ Spiritûs ſancti in nobis, ſi de eo loquamur. Sed quàm pauci illum habent, cùm ita parùm loquantur de Deo. Ferè nullus eſt qui Spiritum Dei habeat, ſpiritus hominis eſt tenebris obvolutus, cùm non ſit illuminatus hâc lampade, quæ eas diſſipet.

i Rom. 8. 3. & 4.
k Dion. Carth. a. 11. in Rom. 8. 3. & 4.
l ex S. Ambroſ. in Rom. 8. 3.
m ex Hebr. 9. 12.
n ex 1. Petr. 2. 24.
o Oſee 4. 8.
p ex 2. Reg. 23. 17.
q Matth. 10. 20.
r Matth. 12. 34. & Luc. 6. 45.
s 1. Cor. 2. 12.
t Dion. Carth. a. 1. in 1. Cor. 2. 12.
u Ioan. 3. 31.
x Dion. Carth. a. 10. in Ioan. 3. 31.
y Act. 2. 2. &c.

Obſervate autem hominem hâc indigere luce in triplici ſtatu, vitæ politicæ & civilis, vitæ œconomicæ, & præſertim vitæ Chriſtianæ. In vitâ politicâ: Quomodo enim poſſibile erit ut Magiſtratus, ſeu Judex decretum ferat in caput ſeu vitam hominis, niſi illuminatus ſit hâc die, poſt tenebras quibus peccatum noſtras offudit mentes? Quot decreta proferet, tot erunt injuſtitiæ: ideò conſulere ſemper debet Deum, & Spiritum ſanctum ejus, quem efflagitare debet jugiter: quomodo enim cognoſcere poterit tot apices Juris, tot formulas, & tot adinventiones? Ideò Magiſtratus ſemper deberet eſſe in ſtatu gratiæ, ut indeſinenter haberet iſtam lucem. Si autem lux iſta eſt neceſſaria in vitâ civili Magiſtratibus & Judicibus; non eſt ipſa minùs neceſſaria in vitâ œconomicâ Parentibus. Edocere debetis, Parentes, liberos veſtros timorem Dei, praxim virtutis & ſanctitatis. Sed quomodo id peragetis? *Nemo dat quod non habet*, ait Philoſophia. Mater edocet filiam ſuam vanitatem colere, Pater filium ſuum blaſphemias evomere, & execranda juramenta proferre; ſed ignorant ſcientiam ſalutis, quomodo autem iſtã poterunt edocere *ſcientiam Sanctorum* z? De quâ S Bernardus a ait, *Scientia Sanctorum eſt hîc temporaliter cruciari, & delectari in æternum: & in contrarium ſcientia malorum relabitur. Alia eſt ſcientia mundi, quæ docet vanitatem, & alia ſcientia carnis, quæ docet voluptatem. Illa tanquam pater, iſta tanquam mater nobis eſt. Sicut enim mater filio ſuo ſemper optat quietem, & omnem prorſus laborem claudit à filio ſuo: ſic caro incraſſata, impinguata, dilatata* b *recalcitrat, nec minimis ſaltem digitis patitur ſe contingi. Et ſicut pater vult filium ſuum hùc illucque diſcurrere, ut addiſcat unde aliquando magnificetur: ſic & mundus vult hominem multis laboribus intricari, ut habeat unde ſuperbiat, unde infletur, & deſipiat de vanitate in idipſum* c. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, id eſt, propriæ voluntatis, quæ quaſi radix eſt, duæ filiæ ſunt, vanitas & voluptas, clamantes: Affer, affer. Hæ nunquam ſatiantur, nunquam dicunt, Sufficit* d. *Si quis has plenè in ſe contriverit, non immeritò ſibi illam vocem poterit coaptare: Quoniam (inquit) pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me* e. Videtis igitur quomodo Spiritus Dei ſit neceſſarius in vitâ œconomicâ, ſed præſertim in vitâ Chriſtianâ: quomodò enim capeſſemus ſemitas cœli, deſtituti iſto lumine,

z Sap. 10. 10.
a S. Bernard. ſer. in Sap. 10. 10. Iuſtum deduxit, &c.
b ex Deut. 32. 15.
c ex Pſ. 61. 10.
d ex Prov. 30. 15.
e Pſ. 26. 10.

cùm abſque eo ducentes ad illud addiſcere non poſſimus *vias rectas*. De quibus idem S. Bernardus dicit, *Via Domini, viæ recta, via pulchra* f, *via plena, via plana* g. *Recta ſine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchra ſine ſorde, quia docent munditiam. Plena multitudine, quia totus jam mundus eſt intra Chriſti ſagenam* h. *Plana ſine difficultate, quia donant ſuavitatem. Iugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve* i. Ægyptii habebant Sibyllas, quæ ipſos edocebant res cœleſtes, Romani aves, ſed Chriſtianus ſolum habet Spiritum Dei, à quo cœleſtia & Divina edoceatur, ſicut Chriſtus ſuis promiſerat fidelibus, *Ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* k.

f Prov. 3. 17.
g ex Luc. 3. 5.
h ex Ioan. 10, 16.
i ex Matt. 11. 30.

Picus Mirandulanus l ait, *Eſt conſuetudo à Regibus uſurpata & Principibus terra, ut ſi forte magnificam & nobilem civitatem condiderint, jam urbe abſolutâ imaginem ſuam in medio illius viſendam omnibus ſpectandamque conſtituant. Haud aliter Principem omnium in Deum feciſſe videmus, qui totâ mundi machinâ conſtructâ, poſtremum omnium hominem in medio illius ſtatuit ad imaginem ſuam & ſimilitudinem* n *formatum*. Quaſi diceret, quod poſtquam creaſſet Deus mundum, replevit illum totum incolis, & poſtea hominem in tali ſtatu poſuit, in quo nihil illi ſupererat, cùm omnia loca eſſent repleta, cœlum Empyreum occupatum eſſet à Beatis, firmamentum ab aſtris, ignis à Salamandra teneretur, aër ab avibus, terra a oeſtris & animalibus habitaretur, & mare a piſcibus incoleretur, quid autem faciet homo, cum omnia ſint occupata? Sed felix neceſſitas, ait eximius iſte Princeps, Deus creat hominem cum omnia loca ſint jam occupata, ut intueatur & eligat locum qui meliùs ipſi arriſerit, datâ ipſi libertate optionis, ut collocet ſe in cœlo, aut ſuper terrâ. Sed infelix homo, ſuo eſt honori injurioſus, ſuâ decipitur cœcitate: Voluptuoſus eligit aquam cum piſcibus, lutum quod eſt elementum concupiſcentiarum ipſius: Superbus domicilium ſuum conſtituit in aëre cum avibus, ſolis vacat ineptiis aucupandis, & dignitatibus ambiendis: Avarus immoratur in terrâ, viſcera ejus diſcindit, ut illinc eruat ejus theſauros, in quib⁹ cor ſuum collocavit, *Ubi enim eſt theſaurus, ibi eſt & cor* o. Solus Juſtus cœlum omnibus aliis manſionibus præfert cum Beatis. S. Paulus p ait, quòd quandiu in hâc vitâ permanemus, in eâ ſumus quaſi peregrini, *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*. Si contingat ut peregrinus iter agens, ſerò perveniat ad aliquod diverſorium, in quo omnia loca jam ſint occupata, aliquem intuetur & perſcrutatur locum, in quo poſſit requieſcere, & advertens aliquod lumen paulìſper remotum, illuc rectà ſuos dirigit greſſus: Juſtus iter agit, peregrinatur in hoc mundo, & inveniens omnia loca occupata à creaturis, & circumquaque aſpiciens, videt *lumen* q in cœlo, eòque ſuos greſſus rectà dirigit. Quis loquitur? Unus ex illius incolis, qui ait, *Noſtra autem converſatio in cœlo eſt* r. Lux iſta eſt Spiritus Dei qui nos illuminat ut eamus ad iſta loca deſtinata ad domicilium noſtrum,

k Ioan. 16, 13.
l Pic. Mirandul. de Omnibus Mundis lib. 5. c. 6.
m ex Eith 13. 12 &c.
n ex Gen. 1. 27. &c.
o Matth. 6. 10.
p 2 Cor. 5. 6.
q Pſ. 35. 10.
r Philip. 3. 20.

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Et quia intellectus noſter non haberet ſatis virium ad aſcendendum ſurſum, & infirmitates ejus non ſinerent ut ipſe hos conatus ageret, Spiritus Dei ſuum impendit ei auxilium, *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram* s. Quod Apoſtolus ait, ut oſtendat errorem aliquorum contendentium, quòd Deus ageret omnia immediatè, illuminaret in Sole, non Sol, ſed Deus in Sole, æquè ac calefaceret in igne, non ignis, ſed Deus in igne: ut igitur S. Paulus eos confundat, ait quòd *ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram*. Id eſt, cooperatur cum ſpiritu noſtro, ſicut operatur cum cauſis ſecundis. Nolite igitur queri, quòd Deus non trahat vos. Trahere vos vult, ſed vos trahi non vultis, *Vocavi, & renuiſtis* t. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* u. *Sed ipſe Spiritus poſtulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus* †. Et ait, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* x. Et vos renuitis ei ingreſſum ad vos, quandiu ipſe eſt in Juſto, quem luce ſuâ illuminat. Cum nimis alicui corporis veſtri parti innitimini, hæc pars poſt aliquantulum hujuſmodi tempus torpore afficitur, & quaſi immobilis videtur, & ſenſu deſtituta; hoc provenit ex eo quod ſpiritus animales ad eam non feruntur uſque: idem dico de vobis; cùm non laboratis ad conciliandum vobis cœlum, eſtis quaſi inſenſibiles quoad ea omnia quæ de illo vobis dicuntur; ſi quis loquatur vobis de paradiſo, ſermo iſte vobis eſt importunus, tædio vos afficit, nec ulla vos afficit voluptate. Unde oritur iſtud? Ex hoc quòd Spiritus Dei non deſcendit in vos, ingreſſui illius ad vos poſuiſtis obicem, ideò rebus non oblectamini Divinis, inſenſibiles eſtis, ſed culpâ veſtrâ: ſi enim hunc haberetis Spiritum, confeſtim afficeremini erga res Divinas, eaſque aliis communicare ſatageretis. Videte quomodo Samaritana ſublato hoc obſtaculo, quod impediebat ne iſte Spiritus in ipſam deſcenderet, confeſtim illuminatur, totaſque ſuas invenit delicias in audiendo ſermone Dei; ipſa eum prædicat, & diſcurſibus ſuis multos è civibus ſuis convertit.

s Rom. 8. 26.
t Prov. 1. 24.
u Act. 7. 51.
† Rom. 8. 26.
x Apoc. 3, 20.

S. Paule noli ampliùs dicere, *Mulieres in Eccleſiis taceant: non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe* y. Appoſitè quidem quoad mulieres mundanas, quæ *terrena ſapiunt* z. Id eſt, quæ non loquuntur niſi de ineptiis, & de vanitatibus, quippe quæ habent *ſpiritum hujus mundi* a. Sed mulieres virtuoſæ, quæ acceperunt *Spiritum qui ex Deo eſt* b, qui ipſas illuminat, & ipſarum linguas movet, mirabilia operantur, & in noſtras aſcendere poſſent cathedras, cùm ab hujuſmodi Spiritu ſciant *quæ à Deo donata ſunt* ſibi, *quæ & loqui* poſſent *non in doctis humanæ ſapientiæ verbis; ſed in doctrinâ Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes* c. Nihil enim impedit quin fœminæ, doctiores evadere poſſint viris, imò verò Theologis; & inter eas inveniuntur aliquæ, quæ meliùs guſtant, *quoniam ſuavis eſt Dominus* d, quàm guſtent viri eruditiſſimi, quia ipſæ habent Spiritum Dei, qui ipſas loqui facit, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis* e. Et majorem habere poteſt mulier notitiam Dei, quam habeant viri quique peritiſſimi, quia hujuſmodi viros doctiſſimos *ſcientia inflat* f vanitate, quæ expellit Spiritum Dei, quandiu humilitas ſimplicis mulieris illum ad ſe vocat, ut in ipſâ requieſcat, *Super quem (inquit) requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem* g. *Opto magis ſentire compunctionem, quàm ſcire ejus definitionem*, ajebat Thomas à Kempis h. Satius eſt ſcitu virtutem ſcientiâ practicâ, quàm quæ ſit ejus natura; & guſtatu Deum, quàm ſublimiter de eo locutu; & amor cognitioni ſemper prævalet. S. Catharina Senenſis concionem habuit in Con-

y 1. Cor. 14. 34.
z Philip. 3. 19.
a 1. Cor. 2. 12.
b Ibid.
c 1. Cor. 2. 12 & 13.
d Pſ. 33. 9
e Matth. 10. 20.
f 1. Cor. 8. 1.
g S. Bern. hom. 1. ſuper miſſus eſt. ex Iſai. 66. 2.
h à Kemp. de Imit. Chriſt. l. 1. c. 2.

clavi

clavi ſacro coram Papâ & Cardinalibus; & S. Tereſia ſe tantis aſſerebat illuſtratam fuiſſe luminibus à Sponſo ſuo, ut, ſi ipſi licuiſſet, in cathedram aſcendiſſet, eum Theologis diſputaſſet, & Hæreticos pudore ſuffudiſſet: noſtra autem Samaritana nunquid non ſic eſt elevata & illuminata ut multos convertat è concivibus ſuis? Sed poſtquàm hic Spiritus illuminavit illius intellectum; purificavit corpus ejus, illudque ſuum effecit templum.

II. Pars.

Id quod eſt corpus animæ, idem eſt ipſum etiã Spiritui Dei. Corpus eſt animæ ut thronus, ut templum, & ut carcer. In cœlo anima erit in corpore ut ſuper thronu ſuo ſplendens majeſtate, & gloriâ circundata. In corpore Juſti ipſa eſt ut in templo ſuo, in quo ipſâ honoratur. Sed in peccatoris corpore ipſa eſt ut in carcere, cùm ibi nonniſi diriſſimè excipiatur. Idem dicendum de Spiritu Dei. In cœlo erit in corpore glorificato ut ſuper throno ſuo. In Juſtis ipſe eſt ut in templo ſuo. Et in peccatoribus ut in carcere, ideò hunc carcerem deſerit, cùm ſit Spiritus puritatis, nec in hoc inveniat domicilio niſi ſordes & impuritates, *Dixit Deus, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* i. Id eſt, *Quia carnalis, & in vitia carnis ſuâ culpâ projectus eſt* k. Quàm munda cuſtodire deberetis, Auditores, veſtra corpora æquè ac *membra veſtra, quæ templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt* l? Laudibus eveho zelum Chriſtianorum, qui perpeti non poſſunt ut materialia inhonorentur templa: ſed etiam neſcio quid mihi ſit dicendum, intuendo zelum quo afficiuntur erga domum ligneam, aut lapideã, quandiu ſic exigui ducunt ſemetipſos; & proprium corpus, quod eſt templum Spiritus ſancti, *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis* m? Quo non obſtante, illud polluunt, & innumeris inhonorant ipſum criminibus & ſacrilegiis. Si autem grave minatur Deus ſupplicium iis qui templum materiale profanaverint, *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus* n: A minori ad majus quantò graviores expoſcet pœnas ab illis, qui corpora ſua polluerint, æquè ac *membra ſua, quæ templum ſunt Spiritus ſancti qui in ipſis eſt*?

i Gen. 6. 3.
k Cornel. in Gen. 6, 3. citans S. Chryſoſt & S. Ambroſ.
l 1 Cor. 6, 19.
m 1. Cor. 3. 16.
n 1. Cor. 3. 17.

Imperator quidam antiquus, ſuis inflatus proſperitatibus, & oblitus honoris quem exhibere debebat templo Dei, perhibetur præcepiſſe collocandas in eodem templo duas ſtatuas, unam Veneris, & alteram Adonidis: intuentes autem fideles iſtud ſacrilegium quod ſuſtinere non poterant, cùm nequirent illud avertere, recenſentur præ ſe tuliſſe dolorem, quo afficiebantur, præ lacrymis quas profuderunt intuitu tanti ſacrilegii: Heu! Auditores, ſi Spiritus ſanctus ſuſcipiendi capax eſſet doloris, quânam triſtitiâ afficeretur, intuitus quòd collocemus idola vanitatis & impuritatis in templo ſuo, præ contemptu loci, quem ipſe ſuâ dignatur honorare Divinâ præſentiâ? Nonne enormis conſcii ſumus ſacrilegii? Agnoſcuntur templa noſtra ſignis externis pietatis, quibus ab aliis diſtingvuntur domibus: veſtram pertranſeo civitatem, in eâ obſervo templa, ſed non inſignibus pietatis ornata, ſed notis impuritatis inquinata. Dicamne, quòd ea ſint templa Spiritus ſancti? Quin potiùs, & meliùs nonne jure merito aſſeram, ea eſſe templa Veneris, & Adonidis, cùm iſtorum idolorum præ ſe ferant inſignia? Cùm intueor hæc exigua emplaſtra nigra in facie hominum, quæ vulgus appellat muſcas, ha dicerene poſſum quòd hujuſmodi homines, viri æquè ac mulieres ſint templum Dei? Poſtquàm *miſit Saul ſatellites ſuos nocte in domum David, ut cuſtodirent eum, & interficeretur manè: cùm annunciaſſet David Michol uxor ſua, dicens, Niſi ſalvaveris te nocte hâc, cras morieris: depoſuit eum per feneſtram: porrò ille abiit, & aufugit, atque ſalvatus eſt. Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus*, & *operuit eam veſtimentis. Miſit autem Saul apparitores qui raperent David; rurſumque miſit nuntios; cùmque veniſſent nuntii, inventum eſt ſimulachrum ſuper lectum, & pelles caprarum ad caput ejus* o. Solam invenerunt iſti ſtatuam, & ſe deluſos deprehenderunt: idem dico de hujuſmodi hominibus: habentur ab aliis ut Chriſtiani, ut templa Spiritus ſancti; & tamen ſunt templa vanitatis, & impuritatis, Veneris, & Adonidis. Quam indignum eſt viſu viros præ ſe ferre hæc exigua emplaſtra nigra, ſeu muſcas, & faciem ſuam fuco, ſtibio, & pigmentis illinere & colorare. Etiam, Auditores: Vultum præ ſe ferunt fœmineum, ſed dicam meliùs, muliebre cor habent: ſecundùm faciem judico; faciem habent muliebrem, non poſſunt habere niſi cor fœmininum. Iſtæ autem mulieres quæ fucant ſe, quidnam expectare poſſunt à Deo, non quòd oleum non habuerint, ſed quòd nimis olei præ ſe tulerint, niſi ut ſibi dicatur ſicut virginibus fatuis? *Neſcio vos* p. Quia aliæ eſtis, quàm ego fecerim vos. Ha! Domine, mitte eis Spiritum ſanctum tuum, ut illuminet intellectum omnium mulierum æquè ac virorum, & ut diſſipans tenebras quæ abſcondunt ipſis diem, qui poteſt ipſis oſtendere viam cœli, beneficio luminum illius capeſſere poſſint viam ſalutis ſuæ, poſtquàm purgatum fuerit etiam ab eo corpus ipſorum, ut ſit templum illius per gratiam, & aliquando per gloriam.

o 1. Reg. 19. 11. & ſ.
p Matth. 25. 12. &c.

DE DOLORIBVS B. V. MARIÆ PRO DIE VENERIS

DOMINICÆ III. QVADRAGESIMÆ.

Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

NOn miror quòd dolores B. Virginis Deiparæ ſic ſunt immodici, & quòd inter eos ipſa nullà perfundi poteſt conſolatione: ipſa habebat cor carnis, ipſa habebat cor mulieris, ipſa habebat cor matris, ſed & ipſa habebat cor amantis, & cor æquè ſenſibile ac agnoſcebat ipſa Filium ſuum nimis dignum qui amaretur, eò vel maximè quòd ipſa

ſtabat

a Ioan. 19. 25.

ſtabat *juxta crucem a*, quam ille patiebatur, unde tanto afficiebatur ipſa dolore ut exprimi non poſſit, imò verò nec concipi. Cum dolor menſuretur per amorem, ut dicebam vobis jam à diebus quindecim, ſi amor magnus eſt in poſſeſſione, dolor eſt ingens in perditione rei amatæ; ſi videre velitis magnitudinem amoris, intuemini meritum ſubjecti amati: talis enim eſt dolor qualis eſt amor, talis eſt amor quale eſt meritum qualis autem poterat eſſe dolor Mariæ, cùm agnoviſſet immenſa Filii ſui merita: amor ipſius non poterat eſſe ardentior, & conſequenter dolor ipſius non valebat eſſe ingentior: & ſicut ipſa ſui Filii paſſionibus intererat, & objecta quæ noſtros feriunt oculos, noſtras ſenſibiliùs tangunt affectiones, & intimiùs corda noſtra pervadunt, inde dixit S. Bernardus *b*, *Quò magis amabat, ſævior fiebat in Matre. Vulnera Chriſti morientis, erant vulnera Matris dolentis. Dolores ſævi fuerunt tortores in animâ Matris.* Id quod mors agebat in corpus Chriſti, hoc idem faciebat amor in animam Mariæ, & cùm ipſa adeſſet huic ſpectaculo, non poterat ipſa ſolari Filium ſuum, quod erat ipſi doloris augmentum, cùm jam participaret ipſa dolores illius per affectum animæ ſuæ. Hoc tantum habebat Chriſtus: nec enim deſiderabat à doloribus ſuis, & a morte liberari: ſed B. Virgo cupiebat ardenter liberare eum, & vitam illius ſalvam facere: & ſicut omne deſiderium cùm adimpleri non poteſt, moleſtiam parit, cùm maximum deſideriorum, quibus ipſa fuit unquam ducta impleri nequiret, afficiebat ipſam moleſtiâ maximâ omnium quibus ipſa poſſet unquam cieri: imò verò ſi ipſa mori poſſet in corpore, ſicut ipſa moritur in animâ, ipſa ſe beatam reputaret: forſan autem hoc impetrabit ipſa: dictum eſt enim ei quòd Filius ſuus non eſſet moriturus ſolus, ſed habiturus *cum eo alios duos, hinc & hinc c*, & quòd ipſa capere poſſet unum è locis hujuſmodi, cùm ſint adhuc vacua. Sed heu! Auditores, abſit ut ipſa locum capeſſat iſtum, unuſquiſque ſe illi, quam ipſa facere poſſet, electioni opponis, tam quia juſtum eſt ut conſervetur Mater quandiu perit Filius, quàm quia hujuſmodi loca ſunt à latronibus occupanda, ſicut dicebam vobis die Veneris, vel Sabbathi præcedenti: & B. Virgo eſt nimis ſancta & nimis innocens, nedum ſic excipiatur: & licèt non fuerit habita ratio innocentiæ Filii ipſius ut damnaretur ad mortem appetendam in cruce in formam latronis: tamen quia Pilato *reſpondit, Tu dicis, quia Rex ſum ego d*, & *quia Filium Dei ſe fecit e*; putaverunt inimici ejus, quod furaretur Cæſari Regnum ſuum, & Deo qualitatem ſuam: ſed B. Virgo, licèt ſit Mater illius, qui habet Deum in Patrem, & aliquo modo qualitas Matris ſit æqualis qualitati Patris, hanc tamen non eſt ipſa ſuffurata; & dicere poſſem de Matre id quod S. Paulus *f* dixit de Filio, *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*: Poſſem, inquam, aliquo modo aſſerere de illâ, *Non rapinam* arbitrata *eſt eſſe ſe æqualem* Deo, *ſed ſemetipſam exinanivit, formam* ancillæ *accipiens*. Hæc qualitas fuit ipſi data gratis, ejuſque intuitu ipſa ſeipſam humiliavit, nedum ſeipſam inde exaltaret, *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt*, ait de illâ S. Ambroſius *g*. Utquid igitur exciperetur ipſa ut latro, & damnaretur ad mortem in cruce obeundam? Noli ergo B. Virgo petere remedium malis tuis, cùm nullum dari poſſit eis: quin imò præſentia tua obeſt tibi, & Filio tuo: nam ſicut bona Mater experiris in te mala Filii tui; & cùm ipſe ſit bonus Filius, magis affligitur quàm affligebatur: tu verò quæ ſcis omnia mala ejus, cognoſcens quòd ipſe affligitur videndo te afflictam, magis ea ſentis quam anteà, & ſic continuâ reflexione redditis vos peremptores animarum veſtrarum. Mater occidit Filium, Auditores, cùm doleat iſte videre eam afflictam; & Filius interimit Matrem intuitu dolorum ſuorum, qui ei ſævum martyrium infligunt. Compatiamur iſti Martyri, & dicamus ei præ affectu, *Eia Mater.*

b S. Bern. tract: de Lament. B. V.

c Ioan. 19, 16, & 18

d Ioan. 18, 37.

e Ioan. 19, 7.

f Philip. 2, 6, & 7

g S. Amb. lib. 2. in Luc. 1. 38

Cum accidit ut occurreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo: cùmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus cui inſederat, pertranſivit: & Ioab tulit tres lanceas in manu ſuâ, & infixit eas in corde Abſalom: cùmque adhuc palpitaret, hærens in quercu, cucurrerunt decem juvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum: contriſtatus Rex, aſcendit cœnaculum portæ, & flevit. Et ſic loquebatur, vadens, Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom h? Sed David non potuit tantùm dolere de morte filii ſui, quantùm B. Virgo de interitu ſui; tam quia David audivit duntaxat nuntium mortis illius, & Maria propriis vidit oculis Filium ſuum pendentem in cruce, cui inimici ipſius tribus clavis *foderunt manus & pedes* i, *ſed unus militum lanceâ latus ejus aperuit* k: quamquia ille filius immanis, fuerat rebellis Davidi: & ſi pater iſte flebat filium qui erat facie ſpecioſus, *Porrò ſicut Abſalom, vir non erat pulcher in omni Iſraël, & decorus nimis; à veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo macula* l: erat tamen deformis moribus, proditor, & inobediens illi qui vitam ipſi tribuerat *m*; quod minuere poterat vim afflictionis patris illius; ſed præterquam quòd erat *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* n *Ieſus, mitis & humilis, corde* o, *erat ſubditus* p etiam Matri ſuæ, illique obediens: & ideò non poterat hæc niſi vehementiſſimè affligi intuitu mortis ejus. Cùm *mortuus eſt Elimelech maritus Noemi, dicebant mulieres, Hæc eſt illa Noemi. Quibus ait, Ne vocetis me Noemi (id eſt, pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt, amaram) quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens* q. Hæc injuriam videtur irrogare B. Virgini, volens ei eripere nomen, quod ad illam juſtiùs pertinet, Maria, id eſt, Amaritudinis mare: &, ut ait S. Epiphanius r, *Maria interpretatur Myrrha maris.* Ipſa enim non ſolum amittit Sponſum ſuum *s*, ſed etiam *Filium ſuum* t, Paſtorem ſuum *u*, Redemptorem ſuum *x*, & *omne Bonum* ſuum *y*. Ipſa debet igitur vocari nomine Mara, quod eſt Maria, eò quod tota ſit amaritudine repleta. *Eſther quoque Regina pavens periculum quod imminebat*, id eſt, mortem & ruinam generalem, quam ſceleſtus Aman Hebræis machinabatur, *cùm depoſuiſſet veſtes Regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro unguentis variis, cinere & ſtercore implevit caput, & corpus ſuum humiliavit jejuniis; omniaque loca in quibus anteà lætari conſueverat, crinium laceratione complevit* z. Sed iſte luctus ejus mutatus eſt in lætitiam, cùm *pro ſcelere ante portas urbis Suſan, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio ejus in patibulis* pependit, & Rex Aſſuerus

h 2. Reg. 18. 9. &c.

i Pſ. 21, 17.

k Ioan. 19. 34.

l 2. Reg. 14, 25.

m 2. Reg. 15. 10. &c

n Pſ. 44. 3.

o Matth. 11, 29. & 29.

p Luc. 2. 51.

q Ruth. 1. 3. &c.

r S. Epi. ſerm. de Laud. Deip.

s Pſ. 18, 6.

t Matth. 1, 25. & Luc. 2. 7

u Ioan. 10, 11.

x 1. Petr. 1, 18. & 19.

y Exod. 23. 19.

z Eſth. 14, 1. & 2.

miſit

Digitized by Google

miſit proponendum *edictum in cunctis urbibus, ut liceret Iudæis uti legibus ſuis, ut eos qui ſe ad necem eorum paraverant, poſſent interficere tertiâdecimâ die menſis duodecimi: hanc enim diem, DEUS omnipotens, mœroris & luctus, vertit eis in gaudium* a. O ſi B. Virgo perfundi poſſet ſimili gaudio, & eudire quòd Pater æternus liberaret innocentem, & condemnaret eos, qui mortem illi machinantur inferre, quales ſunt Pilatus, & *Iudæi dicentes* iſti, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris* b: quàm felicem illam reputarem! Sed decretum mortis ejus irremiſſibiliter mandatur executioni, non obſtante innocentiâ Filii ipſius, *Et crucifixerunt eum*. A ſenibus impudicis ad turpia ſolicitata, & ideò valdè afflicta, *ingemuit Suſanna, & ait, Anguſtiæ ſunt mihi undique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras* c. Sed hæc anxietas erat levis & toleratu facilis intuitu anguſtiæ B. Virginis: omne enim quod illa timebat, erat, aut ne amitteret famam ſuam, ſi impudicis eorum deſideriis conſentiret; vel ne vitâ privaretur, ſi illis reſiſteret: ſed anguſtiæ B. Virginis innitituṛ timori quo ipſa ducitur, ne amittat famam & vitam Filii ſui, quam utramque tenerius ipſa diligebat, quàm amaret Suſanna honorem ſuum, & vitam ſuam. Si autem hæc exemple, & omnia illa quæ vobis exhibui diebus Veneris, vel Sabbathi præcedentibus, & alia multa, quæ poſſem etiam vobis afferre, comparari non poſſunt afflictioni B. Virginis, quæ ideò nobis dicere poteſt id, quòd Jeremias d dixit, loquens pro ipsâ ſuper aliud ſubjectum, *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus*: Eò quòd nullum remedium reperietur malis ipſius ſanandis, aut ipſi conſolandæ aliquo modo opportunum: hoc inducit me ad oſtendendum vobis in progreſſu diſcurſus iſtius, Quòd B. Virgo intuitu paſſionis & mortis Filii ſui verè Martyr fuit.

a Eſth. 16. 18. &c.
b Ioan. 19. 12. &c.
c Dan. 13. 22.
d Thren. 1. 12.

Propoſitio.

Ratio meæ propoſitionis eſt tota evidens: Primò enim, Ad perfectum martyrium non requiritur ut perſona moriatur, ſed ſufficit ut ſuſcipiat vulnera mortalia, aut patiatur ſe exponendam periculo evidenti & infallibili mortis propter cauſam fidei, aut alicujus virtutis Chriſtianæ, ſicut ſcimus fuiſſe peractum in perſonâ S. Joannis Evangeliſtæ, cui nemo denegat gloriam & titulum martyrii, quia de illo, ſicut canit Eccleſia, *refert Tertullianus, quòd Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit, quàm intraverit*. Quo ſupplicio ſecundùm naturæ vires mori debebat, niſi ſpecialiter conſervatus fuiſſet omnipotentiâ Dei, ut eadem concinit Eccleſia, *In ferventis olei dolium miſſus beatus Ioannes Apoſtolus, Divinâ ſe protegente gratiâ illæſus exivit*. Atqui *Stabat juxta crucem IESU Mater ejus* e, canit eadem Eccleſia. Et dicens ſe fuiſſe Matrem & amicam illius, qui perimebatur, ipſa ſe exponebat evidenti periculo, ne inimici Filii ſui inferrent ipſi mortem, & alii cruci ipſam ſuffigerent. Præterea, Ipſa videbat dolores immodicos, quos Filius ſuus patiebatur, & ingentes agones, quibus corpus illius diſcerpebatur ſic inuſitatâ & ita triſti diſſolutione, unde ſuſcipiebat ipſa, non ſolùm in anima ſua, ſed etiam in corpus ſuum dolores acres, & vulnera mortalia, quorum vulnerum vel minimum propter magnam ſympathiam, quæ erat inter corpus & animam ipſius, ſufficiebat ad inferendam ipſi mortem, niſi Deus ipſam miraculosè conſervaſſet. Inſuper, Jeſus Chriſtus fuit verè Martyr, imò vero Rex Martyrum, ut ait illi Eccleſia, *Rex glorioſe Martyrum*. Nam propter fidem Catholicam, cùm prædicaſſet, quòd ipſe eſſet Filius Dei, damnatus fuit ad mortem à Judæis, qui eam illi fecerunt inferendam à Romanis: ſtatim enim ac ipſe reſpondit Principi *Sacerdotum per Deum vivum* ipſum adjuranti ad dicendum num ipſe eſſet *Chriſtus Filius Dei, Tu dixiſti: illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis* f. Atqui B. Virgo eò quòd ſemper eandem ſuſtinuiſſet veritatem, & illius evidentes traderet probationes mediis doloribus & luctibus, quos præ ſe ferebat pro eo quòd ille morti tradebatur, licèt *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* g; patiebatur propter eandem cauſam, & conſequenter erat Martyr, non ſecus ac ille: licèt enim carnifices non intenderent directè affligere Matrem occaſione Filii; tamen illum affligentes, eumque perſequentes effectivè, affligebant & perſequebantur Matrem conſequentiâ neceſſariâ; & crucifigentes Filium, aliquo modo crucifigebant Matrem, quod ſufficiens eſt ad martyrium, ſicut ſcimus fuiſſe factum in perſonis parvorum Innocentium, cùm *Herodes mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà* h. Nam licèt Herodes non intenderet illos occidendos pro Jeſu Chriſto, tamen quia mortem ſaregit illis inferendam quærendo JESUM Chriſtum, non deſinunt propterea eſſe verè Martyres: B. Virgo igitur, quæ ſuſcepit per reflexionem ictus & vulnera Filii ſui, eſt verè Martyr: illis enim impetita, proculdubio mortua fuiſſet, niſi gratiâ ſpeciali fuiſſet à morte conſervata, ſicut ait illi S. Anſelmus i, *Pia Domina, non crediderim te ullo puncto potuiſſe ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere: niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus dulcedinis Filii tui, pro quo moriente tantoperè torquebaris, te confortaret, te conſolaretur, te intùs doceret non eſſe mortem eum abſumentem, ſed magis triumphantem omnia ei ſubjicientem*. Et alibi k: *Verè enim pertranſivit animam tuam gladius l doloris, qui tibi amarior fuit doloribus corporalis compaſſionis. Quia quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil comparatione ſuæ paſſionis*. Ipſe igitur Martyr fuit, *Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit quanto dolore afficiebantur pia viſcera Matris*, ait S. Bernardus m. Et ſtatim ſubdit, illam alloquens, *Nunc ſolvis Virgo cum uſurâ, quod in partu non habuiſti à naturâ. Dolorem pariendo Filium n non ſenſiſti, quem millies replicatum Filio moriente paſſa fuiſti*. Et ſicut ipſa erat tota plena amore & gratiâ, & *gratia S. Virginis eſt immenſa*, ut ait S. Epiphanius o, & dolor menſuratur ad amorem, ſicut amor ad gratiam, dolor ejus non poterat niſi immenſus eſſe, æquè ac charitas ipſius, & gratia illius immenſa erat, *Dolores ſævi fuerunt tortores in animâ Matris. Mater erat laniata morte chari pignoris. Mente Mater erat percuſſa cuſpide teli, quo membra Chriſti, fervi foderunt p iniqui. Ipſa enim erat quam dolor tenebat. In mēte ejus creverant immenſi dolores, nec poterant extrà refundi. Intùs atrociùs ſævientes dolores nati, Matris animā gladiabant. In carne Chriſtus ſolvebat debitū mortis, quod gravius erat quàm mors in animâ Matris*, ait S. Bern. q. Heu! quàm verè obleſtamentū quod ipſa ſuſcepit ex annunciatione Archangeli,

e ex Ioan. 19. 25.
f Matth. 26. 63. &c.
g Hebr. 7. 26.
h Matth. 2. 16.
i S. Anſel. tract. de Lamente Virg. cit. à S. Bernardino ſerm. 3. de Nom. Mar. a. 2. c. 4.
k Idem tract. de Voluñt. Virg. c. 5.
l ex Luc. 2. 35.
m S. Bern. tract. de Lamentat. B. V.
n ex Luc. 2. 7.
o S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
p ex Pſ. 21. 17.
q S. Bern. tract. de Lament. B. Virg.

changeli, mutatur nunc in moleſtias incomparabiles, *Videbat, inquam*, proſequitur idem S. Bern: aliquantò poſt, *Dominum & Deum ſuum unicum Filium ſuum ſic viliter & crudeliter pertractatum. Unde dicebat: Dic Fili dilectiſſime, dic amor unice, vita mea ſingulare gaudium, unicum ſolatium, quare ſic me dolore perimi permittis? Cur tam longè factus es à me? Deus meus, conſolare animam meam, miſerere mei, & reſpice in me* r. [r ex Pſal. 21, 2.] *Dicat qui poteſt, cogitet quantùm poteſt, meditetur, ſi poteſt, qua doloris immenſitas tunc maternam animam cruciabat. Non credo plenè enarrari vel meditari poſſe dolorem Virginis, niſi tantum fuiſſe credamus, quantùm unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater.* Volebat ipſa plus loqui, ſed non poterat ob abundantiam ſuſpiriorum quæ erumpebant ex ore ipſius. Quòd ſi aliquantò pòſt ipſa loquitur, ideò ut planctum ſuum planctui Filii ſui jungat, & cùm illo Patrem æternum ſimul alloquatur, *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquiſti me* s? [s Matth. 27, 46. ex Pſ. 21. 2.] Heu! Pater æterne, ait illi Filius patibulo crucis ſuffixus, quare me deſeruiſti ſine auxilio, & poſuiſti me in loco, in quo nullas à Matre meâ ſuſcipere poſſum blanditias? Heu! Pater æterne, ait illi ſtans *juxta crucem Ieſu Mater ejus* t, [t Ioan. 19 25.] ſi eripere volebas mundo hunc pretioſum theſaurum, quem præbuiſti ei: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati* u: [u Sap. 7. 14.] *inſtructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij* tui ipſius *Dei Patris, & ejuſdem Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* x: [x Coloſſ. 2, 2. &c.] quare me derelinquis adhuc in iſto mundo? Nonne dixiſti mihi per Angelum, quem ad me mittere dignatus es, quòd *Dominus* eſſet mecum? Benè quidem; illum habui mecum ſpatio *quaſi annorum triginta* y [y Luc. 3. 23.] trium & trium menſium, ſed audeo tibi dicere, Deus mi, præ omni reverentiâ poſſibili, quòd toto tempore vitæ ſuæ Filius tuus tantùm non indigebat auxilio meo, quantùm nunc, & ut eſſet mecum, ſicut modò: tu enim ſemper eras prope illum, & Filius qui dirigitur à Patre ſuo, non tantùm indiget Matre tuâ: nunc autem cùm illum derelinquis, multò utilius eſſet illi quàm unquam ut eſſet prope me: illi enim blandirer, curarem vulnera ejus, tenerem illum ſuper gremio meo, & ſi non poſſem mederi tot malis ejus, tamen impedirem quin plura ſuſciperet: & tamen illum ſic acriter excipis, ut cùm illum dereliqueris, velis etiam ut ego eum derelinquam, & ipſemet etiam me derelinquas. Sed DEUS mi, video equidem quòd adinveniſti ſecretum perficiendi martyrii mei: nam ſicut aliàs volens me reddere beatiſſimam, procuraſti ut Filius tuus eſſet mecum, nunc cùm reddere me vis infeliciſſimam omnium mulierum, hanc mihi jacturam procuras in ſeparatione Filii tui à me; ſciens apprimè quòd in hoc barathro dolorum, cui immerſa ſum, ſi eſſet aliquid quod hujuſmodi dolores mitigare vel alleviare poſſet, hoc eſſet, ſi poſſem illi exhibere ultima officia, quæ bona Mater debet impendere Filio ſuo; & videns eum ſic ſitientem, aperire venas meas, & pectus meum, ut offerrem illi bibendum ſanguinem meum, quem inveniebat aliàs ita ſuavem ſub ſpecie lactis, ut ſerviret illi loco viatici & ſolaminis inter extremos ſuos agones. Sed eſto, DEUS mi: nam cùm agatur ut oſtendam illi, quòd ego ipſi ſum, & ero ſemper bona Mater, talis eſſe volo vice iſtâ magis quàm unquam, & cùm videam illum in ſtatu perfectæ obedientiæ, determinatum ad non habendum ullum auxilium à te, vel à me; nullum procurare volo ſolamen dolori meo; & ut illum experiar acriorem, oportebit ut firmiter ſtaram, futurum ut non poſſim ad illum appropinquare, ſed hæc ſeparatio illius à me, non poterit impedire quin ſuſcipiam in animam meam omnes ictus, & univerſa tormenta, quæ ipſe ſuſtinet, & ſuſtinebit in corpore ſuo.

Appoſitè Beata Virgo loquebatur, Auditores: cor enim ipſius erat ſpecioſum ſpeculum, quod naturaliter repræſentabat Filium ipſius: *Nulla enim ex puris creaturis eſt, in quâ omnia Trinitatis attributa, & perfectiones magis eminuerint: nulla, in quâ ſuam virtutem & efficaciam magis prodiderint*, id eſt, Divinæ Perſonæ, dicit Salazar z. [z Salaz: in Prov. 8. 23. n. 901.] Et ſtatim ſubdit, *Atque adeo ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ* a, [a ex Sap. 7. 26.] *Speculum ſine maculâ DEI operationis. Gracè, energia, ſeu efficacitatis. Quia nimirum in eâ tanquam in ſpeculo, Divinorum attributorum efficacia, & energia maximè ſpectatur.* Illud eſt ſpeculum immaculatum, quod aſpicitur a facie immaculatâ, & hæc non eſt alia niſi facies Filii ipſius, unde dixit S. Laurentius Juſtinianus b: [b S. Laur. Iuſt. n. de Triumph. Chriſti. Agon. c. 10. citat. a Celamat. Sabbat. Dom. Paſſ.] *Clariſſimum paſſionis ſpeculum effectum erat cor Virginis, necnon & perfecta mortis imago: in illo enim cernebantur & agnoſcebantur ſputa, convitia, verbera, & redemptionis vulnera.* Atqui impoſſibile eſt, ut, ſi ſpeculum ſit bonum & fidele, facies quæ ipſum intuetur, non repræſentetur eo modo quo eſt: ſi ipſa eſt ſana, repræſentatur ſana; ſi eſt vulnerata, apparet vulnerata; & ſi triſtis eſt, triſtis exhibetur intuenda: Beata Virgo igitur erat perfectiſſimum & fidele ſpeculum Filii ſui, ſpeculum autem non mortuum, qualia ſunt alia, ſed vivens, & ſpeculum quod non repræſentat ſolùm ex uno latere, ſicut alia, non ſolum per mentem & imaginationem, ſed per totam animam ſuam, quæ complectitur intellectum & voluntatem, ſpiritum & cor: ipſa vivè repræſentabat per ſpiritum, & per affectum, & per corpus etiam omnia vulnera Filii ſui, & omnia inſtrumenta paſſionis ejus; ita ut ſpinæ æquè citò eſſent in corde ipſius, ac in capite Filii ſui c: [c Ioan. 19 2.] clavi & lancea penetrarunt cor ipſius, æquè ac carnifices, *foderunt manus & pedes* d [d Pſ. 21. 17.] Filii ſui, & *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* e. [e Ioan. 19 34.] Æquè citò fel & acetum f [f Pſ. 68. 22.] fuerunt in corde ipſius ac in ore Filii ſui: ictus flagellorum g [g Ioan. 19. 1.] æquè crudeliter irruebant in cor ipſius, ac ſuper totum corpus Filii ſui: & injuriæ & blaſphemiæ † [† Matth. 27. 39. &c.] æquè dirè percutiebant cor ipſius, ac percellebant aures Filii ſui: ipſa enim erat fidele ſpeculum, quod non erat factum niſi ad repræſentandum Filium ſuum: & ſicut iſte Filius in Divinitate ſuâ perfectè ſimilis erat Patri ſuo, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* h: [h Hebr. 1. 3.] ſic in humanitate ſuâ perfectè aſſimilabatur huic Matri: *Fugientibus Apoſtolis* i, [i ex Matt 26. 56.] *in faciem Filij ſe oppoſuerat mater, & gladio* k [k ex Luc. 2. 35.] *doloris animâ ejus infixo, vulnerabatur*

ſpiritu, & crucifigebatur affectu: & quod in carne Chriſti agebant clavi & lancea, hoc in ejus mente, compaſſio naturalis, & affectionis materna anguſtia, ait Arnoldus Carnotenſis *l.* Et ſicut dolores Filii comparantur à Pſalmiſtâ *m* doloribus partus, *Ibi dolores ut parturientis:* ita dolores B. Virginis in morte ejuſdem Filii ſui fuerunt dolores partus, *Dolores, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit, ex maternâ compaſſione viſcerum lacerum reparturiens,* ait S. Damaſcenus *n.* Dixerat enim ei Angelus, *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Sed non promiſit ei, quòd ipſa futura eſſet immunis à doloribus: & licèt cùm primùm *peperit Filium ſuum primogenitum, & reclinavit eum in præſepio o,* tunc ipſa nullum dolorem expertaſit: oportuit ad hoc ut ipſa incurreret maledictionem communem vibratam in omnes mulieres in perſonâ Evæ, *In dolore paries filios,* & *quòd mater eſſet cunctorum viventium p:* ſicut Filius ſuus ſuſcepit omnes maledictiones injectas in viros, *in laboribus à juventute q* ſuâ, ſicut iſti ſunt *in laboribus r* continuis, ad quos damnati fuerunt ex tunc: ut in hoc ſecundo partu, quo Filius ſuus exivit è brachiis ipſius, ſentiret ipſa cor ſuum lacerari doloribus acrioribus & violentioribus quàm ſint illi, quos patiuntur aliæ mulieres tempore partus ſui. Propterea Lorinus *s* ait ſupra præfata verba Pſalmiſtæ, *Allegoriam de ſummis doloribus Chriſti, ex hoc ſumptam loco, & ſimilibus, Galatinus affert citans de Rabbinorum teſtimonia in libro Siphre. Verba Cantici t, Sub arbore malo excitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. Hebraice & Græcè, peperit te, continere poſſunt ſenſum iſtum: ſub ligno crucis à morte excitavi te: ſed & ibi B. Virgo videtur te denuò parturiviſſe præ dolore. Ita ut locus doloris partus ille fuerit.* Et hoc eſt etiam, quod jam dixit ſuprà S. Bernardus *u*, alloquens ſic Virginem Deiparam, *Nunc ſolvis Virgo cum uſurâ, quod in partu non habuiſti à naturâ. Dolorem pariendo Filium non ſenſiſti, quem millies replicatum Filio moriente paſſa fuiſti.* Tandem, Corpus Filii Dei erat prototypon paſſionis ſuæ, & cor Matris ejus erat tranſumptum illius; illud erat ſigillum, & iſtud erat cera; illud erat vox, & iſtud erat Echo; nec aliquid vexavit corpus Salvatoris, quin ſtatim anxiaverit cor iſtius ſacratiſſimæ Virginis: *Crux & clavi Filii fuerunt & Matris: erant enim duæ myſtica citharæ, quarum unâ ſonante, reſonat & altera, nullo etiam pulſante. Jeſu dolente dolet & Maria: Chriſto crucifixo crucifigitur & Maria,* ait S. Auguſtinus *x.* Et ſicut non eſt fatendum, quod aliquis ictus fuerit inflictus Dei Filio fruſtra & ſine paſſione, alioquin eſſet ſine merito; poſtquàm ipſe *inclinato capite tradidit ſpiritum, unus militum lanceâ latus ejus aperuit y:* & ſic ipſe inflictum ſibi hujuſmodi non ſenſit ictum, cùm eſſet jam mortuus; ſed illum ſenſit quidem beatiſſima Virgo: nam, quia, *ſecundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat,* ait Dionyſius Carthuſianus *z*, eodem inſtanti quo anima JESU CHRISTI exivit è corpore ſuo, anima hujus Beatæ Virginis videns hoc corpus, quod formatum fuerat *in utero a* ſuo, ſine vitâ & abſque animâ, illuc ſubitò ſe tranſtulit ardentiſſimo affectu, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur,* ait S. Dionyſius *b.* Et in hoc corpore quod non ampliùs habebat animam ſuam primam, ipſa ſuſcepit hunc ictum lanceæ ad complementum martyrii ſui, qui ictus æquè fuit ipſi ſenſibilis, ac ſi illum ſuſcepiſſet in corpus ſuum: erat enim corpus Filii DEI animatum propriâ Virginis ipſius animâ, ſi non naturali informatione, ſaltem modo qui ſufficiens erat ad inferendam ipſi mortem, quandiu ſuperſtes illi maneret, & ad infligendum ipſi martyrium, nec tamen ipſi vitam eriperet corpoream, *una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas. & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeveravit promiſſum & donum,* ait Arnoldus Carnotenſis *c.* Unde poteſt ipſa dicere præ majori veritate quàm S. Paulus *d*, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ.* Quaſi diceret, Supererat adhuc ictus infligendus Filio meo ad complementum paſſionis ſuæ, ſed agnovit ipſe quòd idem prorſus foret ſi ipſe illum ſentiret, aut ego illum ſentirem, dummodò ille infligeretur corpori ſuo, aut vivo, aut mortuo, & iſte fuit ictus gratiæ, quem mihi reſervaverat, ut ſentirem illum ego ſola, quippe qui daretur cordi ipſius, mihi prædictus à Simeone: *Et tuam ipſius animam* (*ad Mariam autem dicebat*, inquit S. Bernardus *e*) *pertranſibit gladius f.* Et ſtatim hanc Beatam Virginem ſic Abbas iſte ſanctus alloquitur: *Verè tuam, o beata Mater, animam gladius pertranſivit. Alioquin nonniſi eam pertranſiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem poſteaquàm emiſit Spiritum tuus ille Jeſus* (*omnium quidem, ſed ſpiritualiter tuus*) *ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius* (*nec mortuo parcens, cui nocere non poſſet*) *aperuit latus, ſed tuam undique animam pertranſivit. Ipſius nimirum anima jam ibi non erat, ſed tua planè inde avelli nequibat. Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris. Non miremini ergo, Fratres, quòd Maria Martyr in animâ fuiſſe dicatur.*

Et id, quod poteſt nobis etiam dare notabiles demonſtrationes triſtitiæ ipſius in martyrio ſuo, eſt occurſus quem ipſa habuit dilectiſſimi Filii ſui, quandiu *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum g* milites; ſed deformati eo modo quo repræſentatur nobis ab Iſaia *h*, *Non eſt ſpecies ei, neque decor.* Et piè credendum eſt, quòd cùm in mediam irruiſſet ipſa concionem quæ erat innumera propter ingentem populum qui accurrebat undequaque ad hoc horribile ſpectaculum, deducta à S. Joanne, videns Filium ſuum ſic ditè exceptum, procubuit ad genua ejus præ reverentiâ, & per formam adorationis, dicens ei humiliter, & piè, Quid, Fili mi? hicine ſunt fructus iſtius plantæ, quam uſque nunc ita ſolicitè colui? Hæccine merces eſt, quam tibi retribuit hic populus pro tot beneficiis à te ſuſceptis *i*? Quis autem nunc credere poterit, quòd *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi k*? Cùm ad tantarum redactus ſis anguſtias miſeriarum. Et quòd bonus Jeſus habuit adhuc vim reſpondendi ei alicujus verbi, dicendo illi, Conſolare, Mater mea: vado enim adimpletum voluntatem Patris mei: noli mœrere: nam nihil peractum eſt, cui ego libèter non conſenſerim; morti, quam patior, *oblatus, quia ipſe l* volui. Tandem oportuit ut perferrem id omne quod vides, & videbis modò, ut perſuaderem hominibus, quòd *exivi à Patre, & veni in mundum m*, ut *vitam habeant, & abundantiùs habeant n* ipſis vel impendiis propriæ vitæ meæ. Maximus dolor,

l Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.
m Pſ. 47. 8.
n S. Damaſc. lib. 4. de Fid. Orth. c. 15.
o Luc. 2. 7.
p Gen. 3. 16. & 20.
q Pſ. 87. 16.
r Gen. 3. 17.
s Lorin. in Pſ. 47. 8. citans Galatin. lib. 8. c. 10.
t ex Cant. 8. 5.
u S. Bern. tract. de Lament. B. V.
x S. Aug. citat. à Calamat. Sabb. Dom. Paſſ.
y Ioan. 19. 30. & 34.
z Dionyſ. Carth. a. 33. in Luc. 12. 34.
a Matth. 1. 16. & 23. ex Iſai. 7. 14.
b S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
c Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.
d Coloſſ. 1. 24.
e S. Bern. ſerm. de verb. Apoc. 12. Signum magnum &c.
f Luc. 2. 35.
g Ioan. 19. 17. & 18.
h Iſai. 53. 2.
i Matth. c. 8. & ſeqq.
k Matth. 16. 16.
l Iſai. 53. 7.
m Ioan. 16. 28.
n Ioan. 10. 10.

n Ioan. 10,10. quo afficior, Mater mea, ſitus eſt in hoc, quòd deſeram te: libenter enim mecum te duxiſſem, niſi ope tuâ indigerem propter regimen Eccleſiæ meæ, quandiu ipſa erit in infirmis principiis ſuis: & ſi dolores experiris, compatiendo meis, citò ſanaberis interventu nuntiorum quæ ſuſcipies reſurrectionis meæ o *Forti animo eſto, in proximo eſt, ut* [...] *eo cureris* p. o Ioan. 20,1. p Tob. 5 23. Valu ergo, Mater mea, & vide ad quas hominum peccata me redegerunt anguſtias: in bonâ ſuſcipe partem, ſi placet, id omne quod egi erga tu: & ſi interdum viſus ſum non exhibuiſſe tibi omnem reverentiam & obedientiam, quas filius reddere debet matri ſuæ q, q Exod. 20,12. ideò *quia in his quæ Patris mei ſunt, me eſſe* r oportebat; r Luc. 2. 49. quæ tibi ſemper non manifeſtabam, nec ullam tibi injuriam irrogabam in præferendâ voluntate Patris mei voluntati tuæ.

Heu! B. Virgo, nunquam credere poterit hic populus, quòd audiveris omnes ſermones iſtos, quin novo dolore fueris affecta, & Filio tuo reſponderis aliquid ſecundùm conceptũ tuum: Ego ſum (debuit ipſa dicere) quæ culpam patravi, tu verò fers illius pœnitentiam. Hoc honore me cumulaveras ac me eligeres in tuâ Matrem, & cùm tu parturivi, non exercui erga te actum Matris: cõfeſtim enim ac agnovi te habuiſſe inimicos, ita peregrè fugere & mecum te ducere debebam, ut illi te nunquam vidiſſent: advertebam quotidiè s Ioan. 7. 12 &c. quòd illi machinarẽtur tibi calumnias s, imò verò tibi contumelias r objecerent, t Ioan 8. 48. &c. ut te odioſum populo redderent; & quòd non quærerent niſi habere occaſionem, aut veram, aut ſuppoſitam, inferendi tibi perniciem: Ego autem ſemper exiſtimabam, quòd ſicut es *amictus potentiâ* u, u Pſ. 64. 7. ſic & nunquam prævalere poſſent adverſùm te: & tamen ecce in manus illorum incidiſti: *Fili mi, Fili mi, væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi ut ego moriar pro te, Fili mi* x. x ex 2. Reg. 18. 33. *O miſera quid faciam? Moritur Filius meus: cur ſecum non moritur hæc mæſtiſſima Mater ejus? Mi Fili, Fili mi: amor unice, Fili dulciſſime, noli me derelinquere poſt te: trahe me ad teipſum, & ut ego moriar tecum. Malè ſolus moreris: moriatur tecum tua iſta Genitrix. O Iudæi impii, ô Iudæi miſeri, nolite mihi parcere. Ex quo Natum meum crucifixiſtis, & me crucifigite, aut aliâ quâcumque morte ſævâ me perimite, dummodò cum meo Filio ſimul moriar. Malè ſolus moritur. Orbas orbem radio, me Iudæa Filio, gaudio, & dulcore. Vita mea moritur atque perimitur, atque de terrâ tollitur tota ſpes mea* y, y ex Pſ. 141. 6. *Cur ergo vivit Mater poſt Filium in dolore? Tollite, ſuſpendite Matrem cum pignore: non parcitis Proli, non parcatis & mihi. Tu mihi ſoli mors eſto ſæva: nunc ſummè gauderem ſi mori cum Filio ſimul poſſem. Dulce eſt mihi miſeræ mori: ſed mors optata recedit* z. z S. Bern tract. de Lamẽt. B. V. Hæc B. Virgo non poteſt exaudiri à Filio ſuo, nec à Judæis; & ſic Mater & Filius ſibi præbentes ultima oſcula, ſeſe alloquuntur magis corde quàm ore. Bonus Jeſus eſt occupatus ad tenendam unâ manu crucem ſuam, & alterâ ad amplectendam Matrem ſuam: & interim corona ſpinea ita duobus iſtis communicatur capitibus, ut ſemifixa maneat in fronte & in cerebro ſpecioſæ iſtius faciei Mariæ, quod erat dignum magnâ commiſeratione, ſed huic ſacræ Virgini vehementer proficuum: nam in hoc occurſu & in ultimis iſtis oſculis, ipſa novas ſuſcepit vires, & novas gratias à Filio ſuo ad amplectendum quodcumque poſſet ipſi accidere, videndo quomodo Filius ſuus eſſet determinatus ad exequendam uſque ad finem voluntatem ſui Patris æterni: nam ſi poſt reſurrectionem ſuam ſtatim ac ſuper faciem Apoſtolorum ſuorum *inſufflavit, Spiritum ſanctum* a a Ioan. 20. 22. eis tribuit, & novas gratias ad patranda miracula; quid cogitare debemus de extremis iſtis amplexibus, quos præbuit Matri ſuæ? Nonne credibile eſt, quòd tribuit ei gratiam patiendi præ reſignatione omnia tormenta ſua, & eà quæ perpeti debebat ſuper monte Calvariâ, ubi ipſa intereſſe debebat? Sic dicebat, B. Virgo, ut ibi intereſſes, cùm hâc horâ tuus Filius inciperet ædificare novum mundum, & novam Eccleſiam; & ipſa debebas eſſe Luna, quæ hanc illuminare debebas in abſentiâ Solis ſui. Et ſi Salomon b b Prov. 8. 27. &c. æternam Sapientiam ſic introducit loquentem, *Quando præparabat cœlos, aderam: quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*: tu qui repræſentas hanc Sapientiam æternam, cùm ex te productus fuerit Filius Dei, videns quòd iſte ſecundus Reſtaurator mundi refectum vadit eaſdem res, ibi debes ſemper adeſſe. Videtur igitur iſta crux eſſe officina, ubi format ipſe totam ideã operis. Primò. Delineat cœlos, & ordinat ſedes *in paradiſo* c c Luc. 23 43. ſuo, in quo promittit unam bono Latroni, ita ut ipſa poſſis dicere, *Quando præparabat cœlos, aderam*. Pronunciat edicta pro inferis, dans diabolis poteſtatem limitatam, & prohibens eis ne aliquem aggrediantur ſine licentiâ ſuâ expreſſâ, *Aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos*. Angelos confirmat in gratiâ virtute meritorum ſuorum, *Aderam, quando æthera firmabat ſurſum*. Dat lacrymis & Pœnitentiis noſtris vim lavandi peccata noſtra, & valorem ad merendum paradiſum, *Aderam, quando librabat fontes aquarũ*. Appendit trib⁹ clavis ſuis tria fundamẽta, quibus mund⁹ innititur, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & cõcupiſcẽtia oculorum, & ſuperbia vitæ* †. † 1. Ioan 2. 16. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta cõponens*. Hæc omnia dicere potes; ſemper enim præsẽs fuiſti, ſed tibi ſupereſt ut cupias eum habere propius te: nam fabricando reliquum, demolitus eſt ſeipſum: concilians nobis amicitiam ſui Patris æterni, traxit ſuper ſe indignationem ejus; procurans abolitionem criminum noſtrorum, exceptus eſt ab eo quaſi reus, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* d. d Iſai. 53. 8. Sanando nos à leprâ peccati, *vidimus eum quaſi leproſum* e. e Iſai. 53. 3, & 4. Liberans nos à morte æternâ, ſubjacuit ipſe mortis legibus: & ut nos faceret ſecum aſcendere in gloriam paradiſi, ipſe *deſcendit primùm in inferiores partes terræ* f. f Epheſ. 4. 9. Id eſt, in ergaſtula inferni, ſeu limbi. En igitur ipſe ſuper cruce totus deformatus, quod tibi eſt ingens martyrium videre illum redactum in hunc ſtatum: non igitur amplius agitur ut te determines ad volendam mortem ej⁹: actum eſt enim de vitâ illius; reſignatio tua inflixit ictum ſuum, & obedientia illius ſortita eſt effectum ſuum, *Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* g. g Epheſ. 5. 2.

Heu! Auditores, oportebatne ut B. Virgo tot ſuſtineret tormenta coram Filio ſuo? Nonne ſufficiebat nobis unicus Redemptor, nedum oporteret ut hæc bona Mater pateretur etiam martyrium acrius & violentius martyrio Filii ſui? Dico, acrius & violentius, non ſolùm quia ipſa ſuſtinuit omnia tormenta Filii ſui eo modo quo diximus, & ſola ſenſit ictum lanceæ; ſed etiam quia non habebat tãtas vires & gratias quantas ille, ut poſſet illa conſtanter pati. Sed B. V. ſentiens ſola dolores

dolores Salvatoris noſtri? nonne majorẽ anſam habemus communicandi eis quàm illa? Non me latet, quòd cùm ipſa eſſet Mater ejus, habebat ipſa validum motivum ad hoc ut erga illa omnia afficeretur: ſed ſi ritè noſtræ mentis aperiamus oculos, videbimus nos magis obſtrictos quàm ſit ipſa, ad ſuſcipienda in corda noſtra omnia vulnera & ſupplicia quæ aſpicimus in illo: intuebimur enim hæc omnia eſſe ſupplicia, quæ noſtris erant debita peccatis, quæ tamen ipſe voluit in ſe ſuſcipere, ut tribueret nobis unde poſſemus offerri Patri ipſius æterno, id eſt, coram illo apparere: nos verò ingrati videntes illum a Patre ſuo *, à Matre ſuâ, & ab omni creaturâ derelictum, univerſo auxilio deſtitutum, & redactum in ſtatum, in quo nos omnes eſſe deberemus, fugiemus à præſentiâ ejus? & cùm Deus noſter ſit Martyr, vellemus eſſe glorioſi? & cùm Deus noſter ſit in ſervitutem redactus, vellemus potiri libertate? & cùm Deus noſter moriatur ad tribuendam nobis vitam, vivere volumus ut demus ei mortem, eundem nobiſmetipſis *rurſum crucifigentes Filium Dei* h? Saltem, ſi renuitis mori cùm illo præ compaſſione, Auditores, adhibete vos ei ſocios inſtar Matris ejus ſtantis *juxta crucem* i, ubi martyrium patitur ipſa cum Filio ſuo; & videte eum mori propter amorem veſtrum, ut vitam vobis tribuat: & nolite eſſe glorioſiores quàm ſint *Sol* k & Luna, cùm præ pudore deliteſcant, & labantur in eclypſim in morte ipſius l: non induretur ampliùs veſtrum *cor tanquam lapis* m. Quia vel ipſæ *petræ ſciſſæ ſunt* n, quaſi teſtando ſuo modo ſenſum in morte ſui Creatoris, licèt ſint inſenſibiles: & ſi martyrium inferre non poteſtis corporibus veſtris, illud animabus veſtris irrogate ſaltem, more B. Virginis, non quòd ſocietas veſtra ſublevare poſſit dolores ejus; ſed ut participes dolorum ejus, gratiæ illius conſortes ſitis, & gloriæ.

* Matth. 27. 46 ex Pſ. 21. 1.
h Heb. 6. 6.
i Ioan. 19 25.
k Luc. 23. 45.
l Matth. 27. 45. & 2.
m Iob 41. 15.
n Matth. 27. 51.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes, ut manducent hi. Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Ioan. 6. 5. &c.

ALimentum debet eſſe congruum rei ſuſtentatæ: Angeli ut toti ſpirituales in cœlo habebant cibum penitus cœleſtem, ut utrique Tobiæ dicebat Archangelus Raphaël, *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor* a. Quaſi diceret, ut ait Gloſſa apud Hugonem Cardinalem b, *Cùm eſſem vobiſcum in formâ humanâ, neceſſitate quaſi comedebam, ut eſſem familiarior vobis, non neceſſitate. Meus enim cibus eſt panis qui de cœlo deſcendit* c. Animalia terræ inveniebant id quod ſibi erat neceſſarium ad ſuſtentationem ſuam, *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* d. Unde ait Incognitus e, *Quia talia animalia Deus paſcit, de die in diem ſibi parat eſcas. Et hoc eſt quod ait Chriſtus, Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa* f. Sed homo qui communicat Angelo & beſtiæ, non habebat cibum ſuſtentando ſibi opportunum: ſcimus Verbum fuiſſe *panem Angelorum* g in cœlo. Illud eſt cibus, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* h. Et cùm idem *Verbum caro factum eſt* i in terrâ, evaſit etiam alimentum hominum, & panis. Et hoc prædixerat Pſalmiſta k, dicens Deo, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Super quod appoſitè idem Incognitus l, *Notandum, quòd per iſtam apertionem manus Dei, ſignificatur Chriſti incarnatio, quâ omne animal benedictione fuit plenum. Quid enim eſt manus Dei, niſi unicum ejus Verbum, per quod tanquam per manum omnia operatur, Manus tuæ, Domine, fecerunt me* m. *Hæc manus primò videbatur clauſa, quando ante incarnationem à nobis manebat abſcondita. Fuit autem aperta, quando ad nos fuit miſſa: ut qui primò nobis loquebatur in Prophetis, nobis ore proprio loqueretur* †. *Et ut iſta manus nobis aperiretur, primò aperta fuit terra, unde oreretur, ſcilicet, quando Virgo Maria dicta terra ratione ſuæ humilitatis, ſtabilitatis, & fœcunditatis, eſt aperta, ut in ipſâ Verbum carnem indueret. De cujus apertione Iſaias* n *prædixerat: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Vbi apertè incarnationis Chriſti declaratur myſterium. Et de hâc aperturâ dicitur, Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & nemo tranſibit per eam, niſi ſolus Princeps, qui ingreditur per eam* o. *In iſtâ enim apertione benedictæ Incarnationis fuit impletum David* p *vaticinium, dicens: Mandavit nubibus deſuper, & januas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis: Quid enim manna ſignificat niſi Chriſtum? ut multipliciter deducit Magiſter. Similiter quid panis cœli aliud ab ipſo Chriſto? ipſo multoties dicente: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi* q. *Iſtam apertionem per conſenſum B. Virginis ipſum Verbum ab ipſâ poſtulabat, ei dicens; Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea* r. *Ad cujus vocem ipſa ſurrexit, & Angelo annunciante, aperuit per conſenſum, dicens, Surrexi, ut aperirem Dilecto meo* s. *Aperuit ei portas* t, *quando animum ſuum aperiendo Angelo conſenſit, dicens: Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* u. *Et portas ſuæ mentis nunquam clauſit* x: *quia nullum obſtaculum culpæ oppoſuit gratiæ Dei. Et ideò ſtatim ut conſenſit Angelo, Spiritum ſanctum attraxit, quo operante, Verbum Dei induit carnem. Ideò ipſa ait? Os meum aperui, & attraxi Spiritum: quia mandata tua deſiderabant* y. *Per iſtam ergo apertionem Chriſtus incarnatus multa nobis aperuit, ut nos benedictione repleret. Primò apertionem oris ad noſtram inſtructionem, Aperiens os ſuum, docebat eos* z. *Secundò apertionem lateris ad noſtram redemptionem, Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit* a, *&c. Vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Eccleſiæ Sacramenta manarunt, ſine quibus ad vitam, quæ verè vita eſt, non intratur. Tertiò apertionem manus ad noſtram proviſionem, Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* b. Hæc autem proviſio

a Tob. 12. 19.
b Hug. Card. in Tob. 12. 18 & 19.
c ex Ioan. 6. 51.
d Pſ. 103. 28.
e Incognit. in Pſ. 103. 28.
f Matth. 6. 26.
g Pſ. 77. 25.
h 1. Petr. 1. 12.
i Ioan. 1. 14.
k Pſ. 144 16.
l Incognit. in Pſ. 144. 16. citans Magiſtr. Sent. l. 4. diſt. 8.
m ex Iob 10. 8. & ex Pſ. 118 73.
† ex Hebr. 1. 1. & 2.
n Iſai. 45. 8.
o ex Ezech 44. 2.
p Pſ. 77. 23. & 24.
q Ioan 6. 51. &c.
r Cant. 5. 2.
s Cant 5. 5.
t ex Iſai. 45. 1.
u Luc. 1. 38
x & Iſai. 45. 1.
y Pſ. 118. 131.
z Matth. 5. 2.
a Ioan. 19. 34.
b Pſ. 103. 28.

panis nobis facta eſt, ſtatim ac Maria audivit Angelum dicentem ſibi, *Ave Maria.*

c Pſ. 38. 6

David c ait de homine, non eſſe quid eo vanius, imò verò eum eſſe ipſã vanitatẽ. *Vniverſa vanitas, omnis homo vivens.* Pro comperto eſt, hominem eſſe ipſam infirmitatem, cùm jugiter à ventis impetatur contrariis, nedum ullam unquam inveniat firmitatem. *Et quantùm ad hoc*, ut ait Incognitus d, in eo *eſt vanitas verſionis flexibilis. Et* d Incognit. in Pſ. 38. 6. *ſic omnis homo dicitur vanitas: quia vertibilis de eſſe hominis ad non eſſe: quia unò nunquam in eodem ſtatu permanet* e. e ex Iob 14. 2. *Vnde Pſalmus* f, *Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut umbra prætereunt.* f Pſ. 143. 4. ex Iob 8. 9. Sed ſi ſuam collocet in Deo ſpem, ſuos ſtabiliet greſſus; ſi adhæreat ei, ut Divino illius ſe mancipet obſequio, ſi in eo ſuam conſtituat fiduciam, nihil habebit pertimeſcendum, omnes tempeſtates non poterunt eum profligare: Deus, qui curam illius aget, ſtabiliet eum adverſus omnes concuſſiones. *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam* g. g Pſ. 36. 24. Navis explicatis velis alto pelago expoſita, à ventis concuſſa, quandiu cœlum ſua abſcondens lumina, renuit ipſi diem, modò elevatur uſque ad nubes, mox ad abyſſos uſque deprimitur; & tunc nautæ nullam habent ampliùs ſpem cuſtodiendæ vitæ ſuæ, quàm ut in mare projiciant anchoras, quæ adhærentes arenæ, ipſos faciunt ſalvos, niſi rudentes infringantur: quandiu homo eſt in hoc mundo, ibi expoſitus eſt mari concuſſo tempeſtatibus & procellis, quæ continuum minitantur ipſi naufragium, nedum ſecurum ſe poſſit efficere in hoc ſtatu periculi, niſi projiciat anchoras ſpei ſuæ in Deum, qui ipſum eruet ab omni periculo, & ſecurum ipſum reddet inter ſævientes ſæculi procellas, niſi rudentium contingat effractio: hæc eſt anchora, quæ noſtros omnes ſiſtere debet timores, *Fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem: quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*, ait S. Paulus h. h Hebr. 6. 18 & 19. *Id eſt, quemadmodum anchora corporalis tenet navim in fluctibus fixam, ne mergatur, aut defluat*, ait Dionyſius Carthuſianus i: i Dion. Carth. art. 6 in Hebr. 6. 19 *ſic ſpes eſt ſpiritualis anchora animæ tuta & firma, id eſt, ſecura & fortis, quoniam tenet animum inter proſpera & adverſa in Domino fixum atque illæſum. Vnde in libro Machabæorum* c *habetur. Omnes qui ſperant in Domino, non infirmantur.* c 1. Mach. 2. 61. *Et in Pſalmo* d, *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.* d Pſ. 9. 11 Hæc anchora quæ noſtras ſpes debet ſtabilire, duos habet harpagones, qui ſunt potentia Dei, & ejus bonitas, cùm poſſit nobis auxiliari, quia eſt *Omnipotens: in ditione enim ejus cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati* e *ejus*, e Eſth. 13. 9 quia *Bonus* f eſt. f Pſ. 118. 68. Et ſi philoſophus quidam Ethnicus dixit, quòd homo eſſet arbor inverſa, inde docere nos voluit, quòd deberemus omnes cogitationes noſtras ferre ad Deum, cùm homo capillos habeat ſurſum. *Spiritualiter verò, capilli ſunt cogitationes, affectionesque animæ*, ait Dionyſius Carthuſianus g. g Dion. Carth. art. 44. in Luc. 8. 18. Quòd nimirum è cœlo deberemus exſpectare omne ſubſidium nobis neceſſarium, omneſque influentias ſublevandis egeſtatibus noſtris accomodas. Debemus igitur collocare in Deo ſpem noſtram Primò, quia omnipotens eſt. Secundò, quia bonus eſt. Hæc eſt diviſio diſcurſus iſtius.

D viſio.

I. Pars.

Deus in triplici ſtatu, naturæ, gratiæ, & fortunæ, præbet manum ſuam creaturæ, operans ſimul cum illâ, nedum tamen hoc propitio concurſu ſuæ ullo modo detrahat potentiæ. Terra contribuit è ſuo, operiens ſe diverſitate tot eximiorum florum, in naturâ. Concurrimus nos quantùm ad ea quæ gratiam ſpectant, & Deus utitur miniſterio hominum ad operandam peccatoris juſtificationem, *Dei enim ſumus adjutores*, ait S. Paulus h. h 1. Cor. 3. 9. Et Dionyſius Carthuſianus i, i Dion. Carth. art. 9. in 1 Cor. 3. 9. *Hoc eſt, cooperatores inſtrumentaliter operando, materiamque forinſecùs præparando. Ait autem Dionyſius* k, k ex S. Dion. lib. de Cœl. Hier. c. 3 *quòd omnium Divinorum Diviniſſimum eſt Dei cooperatorem exiſtere in reductione rationalis naturæ ad ſuum principium.* Partim ſumus nos opifices fortunæ noſtræ, labori nobis eſt incumbendum ad eam promovendam, *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit* l. l Pſ. 127. 2. *Labores ergo noſtri ſunt in præſenti, ſed fructus laborum in futuro*, ait Incognitus m. m Incognit. in Pſ. 127. 2 *In futuro ergo manducatur fructus laborum noſtrorum, dum ſecundum labores præſentes mens poſteà fruitur Deo, & fruendo ſatiatur; & vocatur illa ſatietatis fruitio, comeſtio: quia ſicut quod comeditur, incorporatur, & appetitum naturalem ſatiat; ſic viſio, & fruitio Dei nobis Deum ſummè unit, & mentem ſatiat beati. Vnde hic ait Auguſtinus, Labores manuum tuarum manducabis; quia tunc erit nobiſcum Verbum Dei, quo paſcuntur Angeli. Interim modò labores, poſteà fructus laborum. Tunc ergo fructum laborum tuorum manducabis, & ſic beatus es, & benè erit de futuro. Hic laborando beatus es per ſpem; ibi manducando, beatus eris in re.* Deus ſuam præbet manum creaturis ſuis in hoc triplici ſtatu poteſtate ordinariâ, & cum illo concurrimus ſimul: ſed cùm vult exhibere potentiam ſuam abſolutam, & oſtendere ſe eſſe omnipotentem, independentem à creaturis, tunc agit ſuper nihilum, *Et vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt* n. n Rom. 4. 17. Id eſt, *Vocat à non eſſe ad eſſe, id eſt, quæ non ſunt, id eſt, creanda, tanquam ea quæ ſunt, id eſt, ſicut exiſtentia vocantur ad aliquid. Sic enim Deo imperante, dicente, ſeu vocante, producuntur multa ex nihilo, id eſt, tam facilè ac obedienter, ac ſi ex præjacenti aliquo fierent, atque jam eſſent*, ait Dionyſius Carthuſianus o. o Dion. Carth. art. 7. in Rom. 4. 17 Videte potentiam ejus abſolutam in hoc triplici ſtatu, naturæ, gratiæ, & fortunæ. *In principio creavit Deus cælum, & terram* p, &c. p Gen. 1. 1. &c. E quo? E nihilo: creatio enim fit è nihilo: & in hoc ab aliis differt opificibus qui operantur ſuper aliquod ſubjectum, quod actiones ipſorum ſuſcipit, ideòque præexiſtentem requirunt materiam, ſuper quam agant: ſed Deus, qui eſt omnipotens, agit ſuper nihilum, omnia producit ex nihilo, *Vocat ea quæ non ſunt.* Et verbo ſuo illa omnia in naturâ conſtituit, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* q. q Pſ. 148. 5. *Hic etenim verbis ſignificat Dei Verbum*, ait Incognitus r. r Incognit. in Pſ. 148. 5. *Quia dicendo producit Verbum, & Verbo producit cætera omnia. Vnde dicitur, Omnia per ipſum (ſcilicet Verbum) facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil* s. s Ioan. 1. 3. *Ipſe ergo dixit, id eſt, Verbum genuit, & per ipſum omnia facta ſunt.* Et hoc in ſtatu naturæ. Idem agit in ſtatu gratiæ; ſi utitur cauſis ſecundis, ſi adhibet miniſterium hominum ad operandam converſionem peccatoris, ad illum juſtificandum, diſpoſitiones debent præcedere, illæ ſunt neceſſariæ, & quantavis adhibeatur eloquentia, nunquam conciliabitur cor, quod non eſt diſpoſitum ad ſuſcipienda peragendæ ſalutis ſuæ ſemina. Ad ſolum ſpectat Deum agere ſuper nihilum: peccatum eſt nihilum, & qui peccat, in nihilum labitur, *Et ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi* t. t Pſ. 72. 22. Id eſt, *Peccatum meum*, ait

Hugo Cardinalis *n*. [n Hug. Card. in Pſ. 72. 22] Deus operatur ſuper hoc nihilum peccati, & ſuper illud magnificat omnipotentiam ſuam. Videte quomodo convertat Saulum, illum reconciliet ſibi, quandiu diſpoſitiones hic nullas habet ad converſionem requiſitas, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere* x? [x Act. 9. 1. &c.] *Tanquam dicat, Tuum eſt imperare, meum parêre. Quidquid placuerit tibi, injunge, ad omnia ſum paratus* y. [y Dion. Carth. art. 9. in Act. 9. 6.] Omnipotentia Dei manifeſtatur etiam in opere fortunæ. ipſa manifeſtatur ibi ſuper nihilum: paupertas enim eſt quaſi nihilum; divitiæ ſunt cumulus omnium rerum, ſed paupertas eſt privatio univerſorum. Eſtne aliquis pauper? Confeſtim omnia ei deſunt, non eſt ei honor, nec dignitas, deficiunt ei propinqui & amici, omnes eum deſerunt. *Et ego ad nihilum redactus ſum* z. [z Pſ. 72. 22.] *Id eſt, per adverſa nihil me eſſe reputavi, id eſt, me neſcientem, & ignorantem reputari*, ut ad propoſitum iſtud explicat Incognitus *a*. [a Incognit. in Pſ. 72. 22.] Et ſtatim ſubdit. *Sic enim & Iob per adverſa humiliatus dicebat, Redactus ſum in nihilum* b. [b Iob 30. 15.] Hoc momento ſuam Deus intuendam exhibet omnipotentiam, cùm repleat vacuum abundantiâ, & afflictum, æquè ac inopem educat è nihilo adverſitatis, & miſeriæ, ut collocet eum in eſſe proſperitatis, & abundantiæ, ſicut videmus in eodem Job, quem è ſtercore evexit ſuper thronum, & quem prius malis & miſeriis obrutum, omnium deinceps replevit affluentiâ bonorum: nam poſtquam *egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus; qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio* c: [c Iob 2. 7. & 8.] *Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres ſui, & univerſæ ſorores ſuæ, & cuncti qui noverant eum priùs: & conſolati ſunt eum ſuper omni malo quod intulerat Dominus ſuper eum. Dominus autem benedixit noviſſimis Iob magis quàm principio ejus* d. [d Iob 42. 10. &c.]

Ex iſtis omnibus videtis, quomodo omnipotentia Dei nunquam meliùs manifeſtetur, quàm operando ſuper nihilum. Hinc exclamat Sapiens *e*, [e Sap. 11. 24.] Deum alloquens, *Miſereris omnium, quia omnia potes*. Unicuique auxiliaris, eique tuam præbes manum, eò quòd univerſa poſſis, bonitas tua eſt menſura potentiæ tuæ, ſi ita loqui fas eſt; & miſericors es, quoniam omnipotens es, non ſicut Magnates mundi, qui, quoniam ſunt potentes, nullam præ ſe ferunt charitatem. Oportet, Domini mei, ut magnitudo veſtra menſuretur ad charitatem veſtram, & ut charitas veſtra erga alios ſit regula magnitudinis veſtræ. Quia Deus eſt omnipotens, injurias condonat, & auxilium miſeris impendit, *Miſereris omnium, quia omnia potes*. Super monte Calvariâ orans pro inimicis ſuis, *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* f: [f Luc. 23. 34.] oſtenſurus eis potentiam ſuam, caligine offundit Solem, *Et obſcuratus eſt Sol* g. [g Luc. 23. 45.] Et totam naturam luctu circumcingit. *A ſextâ autem horâ, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* h. [h Matth. 27. 45. &c.] Voluit illis oſtendere ſe fuiſſe ſatis potentem ad expetendas pœnas de auſo ſacrilego ipſorum: ſed quia erat omnipotens, poſtulabat à Patre ſuo veniam illis impendendam, ita ut per ipſos ſtaret illam ſuſcipere. Homines omnino contrarium peragunt: nunquam enim parcunt niſi per impotentiam, aut per infirmitatem; ſed cùm adverſus aliquem prævalent, eſt quid mirabile viſu ſi potentes iſti benefaciunt, cùm poſſunt malefacere, ita ut homo non ſit potens niſi ad ſe ulciſcendum, nec ſævus ſit, niſi quis eſt dives: & ſic pauperes ſunt potentiores & liberaliores divitibus. Videte hanc veritatem in divite epulone, & in Lazaro mendico *i*. [i Lucæ 19. &c.] Immiſericors ille denegat Lazaro fame pereunti micas è menſâ ſuâ decidentes, quid ſævius? Crudelis eſt, quia opulentus & potens eſt: ſed mendicum comitatur liberalitas, licèt ad extremæ indigentiæ anguſtias redactum, canes illius ſubſtantiâ ſuâ reficit, & eos ſanguine ſuo potat, ut ait S. Chryſologus *k*, [k S. Chryſol. ſerm. ...] *Dives pauperem nec cadentibus de menſâ micis paſcit: & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus ſuis canibus humanus extitit*. Diſcite, divites, charitatem veſtram ad menſuram magnitudinis & potentiæ veſtræ exigere.

Videte hodierna die quomodo ſuam manifeſtet Deus potentiam, ſuccurrendo indigentibus, & miraculum in gratiam illorum peragendo. *Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Cùm ſublevaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri. Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Ieſus, Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Ieſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.* Quia potens eſt, neceſſaria providet indigentiæ eorum ſublevandæ; & magis illis præbet, quàm ipſi ſperarent: ſolum expectabant ipſi impendendum ſibi animæ alimentum; & ipſe præbet illis cibum corporis, æquè ac animæ. Sic tribuit Deus plus quàm mereatur quis, & perſæpè magis quàm ſit neceſſarium. Præbet plus quam merita noſtra exigant: ſi enim gratia daretur ob merita, ipſa non eſſet ampliùs gratia, ut docet S. Paulus *l*, [l Rom. 11. 6.] *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia, jam non eſt gratia.* Et ampliùs largitur quàm neceſſitas exigat, *Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant.* Videte, Auditores, ſummam potentiam Dei ad ſublevandam neceſſitatem indigentium qui recurrunt ad ipſum, quique totam ſuam collocant fiduciam in omnipotentiâ ipſius, quæ non eſt potens niſi ad benefaciendum, *Miſereris omnium, quia omnia potes* m. [m Sap. 11. 24.]

Deus

Deus patrat miracula in gratiam indigentium, *Fecit potentiam in brachio ſuo, eſurientes implevit bonis* n. Hæc autem miracula convenientiam habent cum miraculo Incarnationis, in quâ Deus *omnipotens* o ſe reddidit infirmum p, ubi *Deus gloriæ* q, *ſemetipſum exinanivit, humiliavit ſemetipſum* r. Ut magnificaret hominem, ut repleret vacuum, ad quod redactus erat præ neceſſitate ſuâ, evacuavit ſe, ut nos repleret, *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis* s. *Id eſt, ſpiritualem bonorum copiam conſequeremini. Nam Chriſti incarnatio, noſtra deificatio eſt: Chriſti converſatio, noſtra perfectio eſt: Chriſti penuria, noſtra eſt opulentia,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus t. Hodiernâ verò die facit adhuc miracula, abundantiam tribuit pauperibus, vel ſaltem ſufficientiam: ſi autem non præbet vobis neceſſaria, hoc non eſt aſcribendum defectui potentiæ aut bonitatis ejus, ſed defectui fiduciæ veſtræ, eò quòd ſpem veſtram in ipſo non collocetis: alioquin enim potiùs ageret miracula, quàm vos in neceſſitate conſtitutos deſereret, *Factus eſt Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* u. Nimiùm vos diligit, nedum intueatur vos in neceſſitate poſitos, & non præbeat vobis auxiliatricem manum ſuam: nunquam imploratis auxilium ejus præ ſanctâ fiduciâ, quin exhibeat cognoſcendam vobis potentiam ſuam; ipſe eſt miſericors, quia potens eſt.

n Luc. 1, 51, & 53.
o Eſth. 13, 9.
p Pſ. 67, 36.
q Act. 7, 2.
r Philipp. 2, 7, & 8.
s 2. Cor. 8, 9.
t Dion. Carth. art. 8. in 2 Cor. 8, 9.
u Pſ. 9, 10.

Pſalmiſta x loquens de miſericordiâ Dei, ait ei illam elevatam eſſe ad Empyreum uſque, *Magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia tua.* Et tamen S. Paulus y dicit, quòd oportuit ut Deus deſeruerit cœlum, ut factus fuerit homo ſicut nos, ad hoc ut miſericordiam haberet in terrâ, quam non habebat in cœlo, *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret.* Quomodo conciliantur hæc duo loca Scripturæ? Ecce quomodo conciliat ea S. Thomas z, *Miſeratio dicitur quaſi miſerum cor ſuper alienâ miſeriâ. Uno modo per ſolam apprehenſionem, & ſic Deus ſine paſſione noſtram miſeriam apprehendit. Ipſe enim cognovit figmentum noſtrum* a. *Alio modo per experientiam, & ſic Chriſtus potiſſimè in paſſione expertus eſt miſeriã noſtrã. Et ſic dicitur, ut qui erat miſericors per apprehenſionem noſtræ miſeriæ, fieret miſericors per experientiam, Clamabo, & dicam, Ecce adſum, quia miſericors ſum Dominus Deus tuus* b. *Et inde eſt, quòd miſericordiam fecit, ut patet de muliere deprehensâ in adulterio* c. Et hæc eſt perfectio miſericordiæ, poſſe miſeris ſubvenire, eorumque neceſſitatibus omnibus compati, quam obſervat Apoſtolus in Deo, dicens, *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret.*

x Pſ. 56, 11.
y Hebr. 2, 17.
z S. Thõ lect. 4. in Hebr. 2, 17.
a ex Pſ. 102, 14.
b ex Iſai. 58, 9.
c ex Ioan. 8, 3, &c.

Magnates mundi, divites & potentes non habent miſericordiam; habent quidem potentiam ſublevandi infortunia, & repellendarum miſeriarum, ſed non habent compaſſionem: ignorant enim in quo ſita ſit tolerantia miſerorum, quia non ſunt miſericordes: ſciendum eſt per experientiam quidnam ſit infortunium, ut poſſit quis miſeris compati. Ha! divitibus mundi omnia ſuccedunt ad votum, non eſt aliquid quod eis deſit, & ut ſic ignorant quid ſit dolor, *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur* †. Sed iſtud eſſet tolerabile, ſi affectu deſtituti compaſſionis, ſuam præberent ſubſtantiam, id eſt, bona ſua, & ſuâ uterentur potentiâ ad repellendam alienam miſeriam, ſicut Deus faciebat in cœlo ante incarnationem ſuam. Sed heu! ipſi ſunt tigrides, manus non habent niſi ut rapiant, ita ut ſingulis illis exprobrari poſſit, *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum* d. Nedum aliquid ad ſublevandas illorum neceſſitates, quas intuentur extremas, ullo modo impendant. Deus illo non ſe gerit modo, ſed è contrà, *Factus eſt Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* e. In eo veſtram collocate fiduciam, miſericordiam habet, ut affectu compaſſionis Deus hic incarnatus ducatur erga miſerias veſtras; potens eſt ad eas repellendas; & cùm bonus ſit, nunquam ſinet bonitas ipſius, ut in neceſſitate ſitis conſtituti, quin ſtatim auxiliatricem vobis præbeat manum ſuam, ad eam ſublevandam.

† Pſ. 72, 5.
d Ier. 2, 34.
e Pſ. 9, 10.

II. Pars.

Deus aliquo ſe obſtrinxit modo creaturæ, ut aiunt Theologi, ut, ſi ipſa agat quod penes ipſam erit, ipſe ſuum illi nunquam denegaturus ſit auxilium, tam in ordine naturæ, quàm gratiæ, & fortunæ, *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Deus ſemper concurrit ad auxilium, poſtquam ſuas eſt experta creatura vires; ad id ſe Deus addixit non præ obligatione neceſſitatis, quæ ipſum reddat dependentem à creaturâ, ſed præ fortiori obligatione, quatenus Deus eſt: inquantùm enim Deus eſt, bonus eſt; prout bonus eſt, communicativus eſſe debet, quia, ut ait S. Dionyſius f, *Bonum eſt diffuſivum ſui.* Videre hanc veritatem in naturâ. Corvi recenter nati, deſeruntur à propriis parentibus in nidis ſuis, quia cùm ſint candidi, eò quòd nondum ipſis pennæ creverint, ideòque non ſint nigri, & conſequenter parentibus ut ſic non ſint ſimiles, adulterini reputantur ab iis, à quibus vitam ſuſceperunt. Quid fiet de beſtiolis iſtis alimento deſtitutis, & à propriis parentibus ſine cibo derelictis? Oculos ſuos levant in cœlum, & ſuo modo efflagitant impendenda ſibi neceſſaria, quæ Deus ipſis providet, cadere faciens in nidos & in ora ipſorum innumeros papiliones aut ſciniphes, quibus aluntur donec creſcentibus pennis aſſumant colorem naturalem parentum ſuorum, à quibus deinceps alantur, *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum* g. Omnes alit Deus creaturas; potiori ratione alet homines, *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi* h. Quaſi diceret Moyſes toti populo Iſraëlitico, In memoriam revocate dies qui fluxerunt à creatione mundi, & invenietis quòd creavit omnes homines Deus, & vos, & parentes ac majores veſtros, & quòd ſe geſſit erga vos, æquè ac erga illos ut Pater amantiſſimus, & bonitate repletus, & quòd elegerat vos ut hæreditatem ſuam, *Pars autem Domini, populus ejus: Iacob funiculus hæreditatis ejus* i. *Sicut pollicitus eſt Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem* k. Referunt Naturales, & poſt illos Calepinus l, quòd *Halcyon avis eſt maritima, hyberno tempore in mari ova pariens, pulloſque ſuos educens, quo tempore ſumma eſt in mari tranquillitas. Iſta autem aves nidos faciunt in mari mediâ hyeme: quibus diebus tanta eſt tranquillitas, ut nihil penitus in mari moveri poſſit.* Et ſic toto illo tempore nautæ explicatis velis mari ſe committentes, ſecurè

f S. Dionyſ. lib. de Div. Nom. c. 4.
g Pſ. 146, 9.
h Deut. 32, 7.
i Deut. 32, 9.
k Deut. 6, 3.
l Calep. in Diction. v. Halcyõ.

enavi-

enavigant abſque ullo periculo. Sed quid? Auditores, Æſtimatne nos Deus minoris quàm illas aves? fluctus ſiſtit, & procellas mitigat propter eas: quid ergo non faciet pro nobis? Recurramus igitur ad eum, cùm ipſemet dicat, *Firmabo ſuper te oculos meos* m. Et S. Auguſtinus n ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël*: ait: *Chriſtus cuſtodit Iſraël. Eſto ergo Iſraël. Quid eſt Iſraël? Iſraël interpretatur homo videns Deum. Et quomodo videtur Deus? Primò per fidem, poſteà per ſpeciem. Sed ſi Iſraël per ſpeciem nondum potes, per fidem vide. In quo non dormit fides; vigilat Chriſtus. Et ſi fortè dormiebat fides tua, & ideò in illâ quæſtione fluctuabas, quaſi navis illa quæ tempeſtatem patiebatur ubi Chriſtus dormiebat: excita Chriſtum, & ſedabuntur tempeſtates* o. Quaſi diceret, Habe fiduciam in eo, & quietus eris.

m Pſ. 31. 8.
n S. Aug. in Pſ. 120. 4.
o ex Matth. 8. 24. &c.

Illud quod agit in ordine naturæ, perficit ipſe etiam in ordine gratiæ; & confeſtim ac diſponimus nos ad agendam ſalutem noſtram, non deeſt ipſe nobis dare ea quæ neceſſaria ſunt ad illam operandam. Sic eſt: potiùs enim faceret Deus miraculum, quàm ſineret ut creatura ſua animæ ſuæ jacturam incurreret, quando ipſa ex ſe facit quod ipſa poteſt, *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*. Sic miſit Philippum miniſterio Angeli ad exponendas ſacras Scripturas eunucho *Candacis Reginæ Æthiopum. Et baptizavit eum* p. Id eſt, idem Philippus.

p Act. 8. 26. &c.

Idem operatur in ordine fortunæ, ac in ordine naturæ, & gratiæ. Si in neceſſitate conſtituti recurrimus ad illum, ſi auxilium ejus efflagitemus, dubitare non debemus, quin auxiliatricem ſuam nobis præbeat manum: nimiùm diligit nos, nedum in miſeriis noſtris nos derelinquat: bonitas ejus currit ad auxilium noſtrum, quia eſt *Fidelis, & Verax* q. Et quia *Fidelis Dominus eſt, confirmabit vos, & cuſtodiet à malo* r. Et quoniam *Fidelis Deus eſt, non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere* s. Pollicitus eſt ſe auxiliaturum eſſe creaturæ in neceſſitate conſtitutæ, verbum ſuum obſtrinxit, & illud adimplebit: ſi autem illud ipſe non perficiat ità citò ac velletis, hoc, erit effectus infidelitatis veſtræ, æquè ac diffidentiæ veſtræ, & non defectus bonitatis illius: cùm enim præ ſe ferat fidelitatem, æquè ac veritatem, infallibiliter adimplet id omne quod promiſit, niſi executioni illius obicem opponamus, *Amen dico vobis, Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt* t.

q Apoc. 19. 11.
r 2. Theſſ. 3. 3.
s 1. Cor. 10. 13.
t Matth. 24. 34. & 35.

Videte verbum iſtud adimpletum in gratiam Regis Ezechiæ confiſi Domino, Sennacherich *miſit nuntios ad Ezechiam, dicens, Hæc dicite Ezechiæ Regi Iuda, non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam; neque dicas, Non tradetur Ieruſalem in manus Regis Aſſyriorum. Itaque cùm accepiſſet Ezechias literas de manu nuntiorum, & legiſſet eas, aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & oravit in conſpectu ejus, dicens. Domine Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus regum omnium terræ: tu fecisti cœlum & terram. Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherich, qui miſit ut exprobraret nobis Deum viventem. Quamobrem hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum, Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam, quâ venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamque urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum. Factum eſt igitur in nocte illâ, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Cùmque diluculò ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum: & recedens abiit, & reverſus eſt Sennacherich Rex Aſſyriorum* u. Videte auxilium Dei impenſum in neceſſitate conſtitutis, poſtquam magnâ fuit invocatum fiduciâ, *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te* x, ait Deo Pſalmiſta. Et, *Beatus, cujus Deus Iacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius: qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt* y.

u 4. Reg. 19. 9. &c.
x Pſ. 83. 6.
y Pſ. 145. 5.

Deus eſt ſummè bonus triplici bonitate, naturæ, morum, & beneficentiæ. Natura & mores ipſius oſtendunt ipſum bonum in ſe: beneficentia verò exhibet ipſum bonum extra ipſum in tot communicationibus quas facit ſui omnibus creaturis. Si inveniretur aliquid, cujus Deus non ageret curam, illud eſſet minimi momenti, & tamen videmus, quòd neceſſaria provideat vel minimis creaturis: quantò potiori ratione neceſſaria providebit hominibus. Hæc fiducia, quam collocamus in Deo, oſtendit magnitudinem bonitatis ejus, quam honoramus, ſicut illum offendimus; cùm conſtituimus eam extra illum in aliquâ creaturâ. Laudibus extollit Scriptura z Prophetam Eſdram propter fiduciam ſuam, eò quòd efflagitare noluerit ſubſidium a Rege Dario ad educendum populum ſuum è captivitate Babylonicâ, *Erubui petere à Rege pedites & equites in comitatu, tutelæ gratiâ contra adverſarios noſtros. Diximus enim Regi, quoniam virtus Domini erit cum eis qui inquirunt eum in omni affectu. Et iterum deprecati ſumus Dominum Deum noſtrum ſecundùm hoc: quem & propitium habuimus, & compotes facti ſumus Deo noſtro.* Heu! Auditores. Quomodo non pudet Chriſtianum, qui profitens fidem Dei, qui tantam habet curam ſuorum, ut nunquam illis defuerit in neceſſitate conſtitutis, recurrit tamen ad creaturas, & ad illarum induſtrias, ut illarum interventu provideatur ſibi de neceſſariis? Hunc accuſat & damnat Propheta Habacuc a, *Immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus, & cibus ejus electus*: Quod ſic exponit Cornelius b, *Per ſagenam S. Hier. & alii intelligunt Deum Chaldæorum, cui ipſi victorias ſuas acceptas ferebant, eique in gratiarum actionem immolabant: Deum autem hunc eſſe Belum. Quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus. Quaſi diceret, Pingues lautaſque epulas, ſcilicet omnium gentium ſelectas opes, quaſi partem ſortemque ſuam, ſibi hâc ſuâ ſagenâ & reti comparavit. Hoc eſt quod ait: Et cibus ejus electus.* Tropologicè. *S. Theophilus Alexandrinus: Cibus, inquit, diaboli, negatores Dei ſunt, Habacuc loquente, Eſca ejus electa: cibus autem omnium impiorum execrabilis ipſe diabolus, Propheta* c *vaticinio concrepante: Dediſti eum eſcam populis Æthiopum.* Hoc irritat Deum, cùm derelinquant ipſum mali Chriſtiani, ut ſuam collocent fiduciam in alio, quàm in ipſo, aliique potiùs innitantur, quàm ipſi; quaſi verò hujuſmodi homines ſine ingenti labore ſuo, avarus ſine fœnoribus ſuis, cauſidicus ſine ſtudiis ſuis immodicis, mercator ſine fraudibus ſuis, & dives ſine theſauris ſuis fame eſſent propterea perituri, *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ* d. Veniet dies,

z 1. Eſdr. 8. 22. &c.
a Habac. 1. 16.
b Cornel. in Habac. 1. 16. citans S. Theophil. Alexandr. Epiſt. 2. Paſchali.
c Pſ. 73. 14.
d Amos 6. 1.

dies, quo *Juſti ſuper eum ridebunt; & dicent, Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum. Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum: & prævaluit in vanitate ſuâ* e. Deum eſt offendere ac Divinæ ipſius providentiæ diffidere: certos nos ipſe reddit de curis ſuis, *Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me* f. *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſcêris in divitiis ejus* g. Econtrà verò, *Maledictus qui confidit in homine* h.

Providentia particularis Jeſu Chriſti ſuper corpora & ſuper animas quantùm ad vitam iſtam temporalem, & quoad ſalutem æternam, innititur duobus fundamentis immobilibus in Evangelio. Primum fundamentum eſt Divinum ejus verbum, quo nos ita perſæpè hortatur ut eamus ad ipſum, & ut in ipſum projiciamus curas rerum temporalium, *Ideò dico vobis, Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis* i. Quæ verba magnam vobis imprimere debent fiduciam. Sed heu! parentes illi, qui minimâ ſubortâ neceſſitate vendunt famam & carnem filiarum ſuarum, collocaveruntne ſuam in Deo fiduciam? Infortunati homines, nunquid non ſatius eſſet ut venderetis veſtes earum, & quidquid illæ habent, quàm pudorem ipſarum, corpora, & animas *pretio magno* k Sanguinis Jeſu Chriſti redemptas? Eſtne confidere Deo ac ſtatim deſperare, & ad extremas uſque redigi anguſtias? *Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus*, ait Evangelium noſtrum. Ha! expectate modicum ſinguli, *Si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit* l. Miracula potiùs peraget, quàm ſinat ut penuriam ſuſtineatis: potiùs mittet Angelos è cœlo, aut utetur creaturis terræ ut neceſſaria vobis provideat: ipſe Deus eſt: & conſequenter bonus eſt: ergo eſt communicativus: vobis igitur neceſſaria providebit: agite id quod in vobis erit, *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.*

Pauperes & orphani, dicite Deo ſinguli præ ſanctâ fiduciâ, *Tibi derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor* m. Deus noſter, non ſperamus niſi in te, tu ſolus es fulcrum noſtrum, & baſis totius ſpei noſtræ; curam igitur noſtrûm age, quandiu homines nos deſerunt. Pater prodigi juſtè iratus contra diſſolutiones hujus filii nequam, qui diſſipaverat *ſubſtantiam ſuam vivendo luxuriosè*, videbatur debere illum acriter excipere: ſed tantum abeſt ut adversùs eum rigorem inſumat, cùm *ſurgens venit ad patrem*: quin è contrà *cùm adhuc longè eſſet, pater ipſius, miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum* n. Brachia ſua aperit pater hic amantiſſimus, non ut eum ictibus imperat, ſed ut pondere amoris ſui illum obruat. Sed ubi ſunt minæ tuæ? ubi eſt furor tuus adversùs filium tuum? ait huic patri S. Chryſologus o. Ha! pater eſt, & ſuum abſcondere non poteſt amorem: oportet ut bonitas ejus manifeſtetur erga illum, *Cecidit ſuper collum ejus non lapſu viſcerum, ſed compaſſionis. Cecidit ſuper collum ejus, ut erigeret ſic jacentem. Cecidit ſuper collum ejus, ut amoris onere, onus tolleret peccatorum. Sic pater judicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella. Delicta non videt vis amoris, & ideò pater peccata filii redemit oſculo, clauſit amplexu.* Pauperes, & orphani, recurrite ad Deum, & opem feret ipſe vobis in neceſſitate conſtitutis, bonitas ejus veſtras ſublevabit miſerias. Macti igitur animo eſtote, & dicite cum Job p, *Etiamſi me occiderit, in ipſo ſperabo.* Poterit mihi aliquis dicere, quòd eſt facile locutu de hâc neceſſitate perperiendâ, ſed multùm difficile illam expertu, & ideò quòd hæc duo valdè differant. Si eſſes in neceſſitate conſtitutus, quid faceres? Quid agerem? *In ipſo ſperabo.* Quia curam mei ageret, nec me dereliqueret in tali penuriâ. Sed ſi eſſes ſeparatus à ſocietate hominum, quid faceres? *In ipſo ſperabo.* Cùm ipſe aliàs inſumpſerit corvos in gratiam SS. Pauli Eremitæ & Antonii Abbatis, æquè ac Eliæ Prophetæ, *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes manè, ſimiliter panem & carnes veſperi* q. Sed ſi eſſes concluſus in loco, ad quem beſtiæ terræ non poſſent accedere? *In ipſo ſperabo.* Miſit cibos Danieli miniſterio Angeli *ſuper lacum* r, in quo erat à leonibus circundatus. Sed ſi tibi deeſſent Angeli, cui confideres? *In ipſo ſperabo.* Licèt enim omnia mihi deficerent, ipſe tamen mihi non deeſſet, qui ſocium ſe adhibuit quartum tribus Iſraëlitis nobilibus in fornacem Babylonicam conjectis, *Et ſpecies quarti ſimilis Filio Dei* s. Et *etiamſi me occiderit, in ipſo ſperabo.* Quia non me occideret, niſi ut mihi vitam præberet, & vitam ſalutis æternæ.

Et ideò ſecundum fundamentum providentiæ ejus eſt fidelitas promiſſionum ejus quantùm ad ſalutem æternam, *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit* t. Præterquàm quòd gratiæ ejus, & Sacramenta ſunt pignora certiſſima fidelitatis ejus. Confidamus igitur ei, & providebit nobis neceſſaria, & nobis *gratiam, & gloriam dabit* u.

e Pſ. 51. 8. & 9.
f Pſ. 49. 15.
g Pſ. 36. 3.
h Jer. 17. 5.
i Matth. 6. 25. &c.
k 1. Cor. 6. 20.
l Habac. 2. 3.
m Pſ. 9. 35.
n Luc. 15. 13. &c.
o S. Chryſol. ſer. 3.
p Job 13. 15.
q 3. Reg. 17. 6.
r Dan. 14. 35. &c.
s Dan. 3. 92.
t Matth. 19. 29.
u Pſ. 83. 12.

FE-

FERIA II. POST DOMINICAM

IV. QVADRAGESIMÆ.

Aſcendit Ieſus Ieroſolymam; & invenit in templo vendentes boves & oves, & numularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Ioan. 2. 13. &c.

VBique Deus habebat templum, in terrâ, æque ac in Empyreo, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus* a. Sed nullibi ſecurus erat. Angeli volunt illum è cœlo ejicere ambitione ſuâ, dum ſuo dicit *Lucifer in corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* b. Hodiernâ verò die homines profanant templum terræ avaritiâ ſuâ, mutantes illud in emporium, ibi *vendentes boves & oves.* Debebat igitur Deus habere templum, quod nullo fuiſſet unquam inquinatum vitio: propterea elegit Virginem ſanctiſſimam, quæ ſemper divitias contempſit, & paupertatem ſummoperè dilexit, arbitrata *omnia ut ſtercora, ut Christum* † lucrifaceret, id eſt, in ſinu ſuo eum conciperet: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis* c. Ab ambitione ſemper abhorruit, & in humilitate ſe cuſtodivit, ad eminentiſſimum gloriæ apicem evecta, ait S. Ambroſius d, *Ecce, inquit, ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt.* Iſtud eſt quod reſpondit Deipara mox futura Angelo dicenti ſibi, *Ave Maria.*

a Pſ. 10. 5. & ex Habac. 2. 20.
b Iſai. 14. 13. & 14.
† Philipp. 3. 8.
c Apoc. 21. 3.
d S. Ambr. lib 2. in Luc. 1. 38.

Arctanda ſunt beneficia, ne temerarii & inſolentes reddantur ii qui illa ſuſcipiunt; nec promiſcuè & indiſcriminatim, nec cum tantâ profuſione ſunt impendenda, ut tandem contemnantur. Bonum habet gravitatem ſuam, æquè ac malum, & favores perſæpè obruunt ponderis ſui gravitate, & videmus quòd omnes creaturæ ſuccubuerint beneficiis cœli, ſi excipiamus S. Virginem Deiparam mox futuram, quæ etiam indiguit ſpeciali Spiritus ſancti fulcro, ut *reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus ſanctus ſupervenies in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* e. Et, ut ait S. Chryſologus f, *Obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum, fragilitas humana ſuccumbat.* Non fuerunt ſatis fortes Angeli in paradiſo, & homines nimiam habuerunt infirmitatem ſuper terrâ; & iſti, æquè ac illi ſe exhibuerunt ingratos. Sed quare homines? Num quòd conditio illorum inferior ſit conditione Angelorum? Nequaquam; cùm Deus naturam illorum ſupra naturam evexerit Angelicam: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit* g. Ratio iſtius eſt, quia non habuerunt ſatis virium ad ſuſtinendum hunc favorem. Crimen eſt, ait Seneca h, diſſimulare ſe accepiſſe beneficium, illudque reciproco non compenſare beneficio, ſed maximum ſcelus eſt, oblivisci benefactoris ſui, *Ingratus eſt qui diſſimulat, ingratus qui non reddit, ingratiſſimus omnium qui oblitus eſt.* Si quis mutuas ſuſcepto beneficio non rependat vices alio beneficio, hoc evenit aut per impotentiam, aut propter oblivionem, aut ſaltem defectu bonæ voluntatis: tamen in intimis animæ ſuæ penetralibus obligationem illius cuſtodit, nec ſe ſuſcepiſſe beneficium diffitetur: ſed oblivisci benefactoris ſui, iſtud eſt ut ſpongiâ omnes favores ſuſceptos oblinere, eoſque obliterare. Verum quidem eſt, quòd ille qui alium devincit ſibi, non debet ab eo aliquid prætendere, niſi obſequium quod exhibet amico ſuo; nec imitari avarum, qui neminem donat ullo unquam beneficio, niſi intuitu proprii commodi, & fœnoris inde percipiendi: ſed ille qui ſuſcipit beneficium, debet duci deſiderio illius reciprocè agnoſcendi, cùm opportuna ſeſe ipſi oblatura eſt occaſio, nec è mente ſuâ delere debet favores ſuſceptos in contemptum illius qui eos impendit. Deus nos ſibi ſic immodicè devinxit, Auditores. Nos *creavit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* i. Illud eſſe ipſe nobis conſervat, quod nobis tribuit, providendo nobis neceſſaria quantùm ad corpus, *Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis* k. Nec ullum labitur momentum quo ſuis non auxilietur nobis gratiis quantùm ad animam, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* l. Heu infœlices! quomodo obliviſcimur illius? *Haccine reddis Domino, popule, ſtulte & inſipiens? numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te? Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui* m. Sed iſtud aliquo modo eſſet tolerabile, ac obliviſci beneficiorum, niſi iiſdem uteremur ut armis ad offendendum Benefactorem noſtrum. Sic eſt; adhibemus gratias Dei contra eundem Deum, convertimus favores in venenum, & propriis ipſius beneficiis illi bellum indicimus.

e Luc. 1. 35.
f S. Chryſol. ſerm. 142.
g Hebr. 2. 16.
h Senec. lib. 3. de benef. c. 1.
i Geneſ. 1. 27.
k Luc. 12. 24. & 25.
l Apoc. 3. 20.
m Deut. 32. 6. & 18.

Iſtam videte veritatem in triplici ſtatu, naturæ, fortunæ, & gratiæ. In naturâ. Ipſe nobis dedit linguam ad ipſum benedicendum, ad reddendas ipſi gratiarum actiones, *In ipsâ benedicimus Deum & Patrem* n. Et tamen ad quid illam inſumimus, quæ nobis ab eo data eſt ut inſtrumentum operandæ ſaluti noſtræ opportunum? Ad quid? Ad maledicendum, ad blaſphemandum, ad offendendum homines, æquè ac Deum, *Et in ipsâ maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt* o. Ad quid inſumunt mulieres, æquè ac puellæ, pulchritudinem, quâ à Deo donatæ fuerunt ad attrahendas & elevandas mẽtes ad pulchritudinẽ cœli, niſi ad eaſdem mentes inde retrahendas, ad profligandas animas redemptas *pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati,* pra-

n Iacob. 3. 9.
o Iacob. 3. 10.

præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus p. Divitias verò, quæ ſunt bona fortunæ, ad quid adhibent homines, niſi ad meliùs offendendum Deum, qui eas ipſis tribuit? Illis profectò non utuntur niſi ad munia profana. Præſertim verò inſumunt gratiæ bona contra gratiam ipſam; & media ſuæ ſalutis convertunt in inſtrumenta, quibus æternam ſuam moliuntur jacturam, *Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum* q. Deus tribuit nobis templa, ut in illis negotiemur ſalutem noſtram, & ex illis facimus motivum ruinæ noſtræ. In illis ambitio cauſat vaſtitates, illa vult Deum inde ejicere, ut in locum illius ſubſtituat idolum proprii commodi; voluptas illa profanat; & quandiu omnia vitia manent præ foribus templorum noſtrorum, hæc in illa ingrediuntur, ut ea inhonorent. Nonne jure meritò ipſe ſuam armare debet manum flagello quo plectat impios & ſacrilegos iſtos, qui Primò deſolant & profanant domum ipſius avaritiâ quæ eam devaſtat: Secundò voluptate quæ illam profanat: Tertiò temeritate quâ peccantes ridendo, intolerabiles ſunt ipſimet Deo? Iſtæ tres conſiderationes nobis ſunt diſcutiendæ in hujus diſcurſus progreſſu.

p 1. Petr. 1, 18, &c.
q Oſea 13, 9.
Diviſio.

I Pars.

Ex omnibus religionibus nulla eſt, quantùmvis fuerit illa barbara, quæ aliquam non agnoverit Divinitatem, quæque illi non erexerit templa ad agnoſcendam illam reverentiæ & obſequii exhibitione: ſed ſicut omnes ferè homines non agunt niſi moti inclinatione, & paſſiones ipſorum ſunt ipſis loco zeli, contigit ut inter errores ſuos decepti ſint in electione Deorum ſuorum, ita ut ferè unuſquiſque populus elegerit Deum ſuum ſecundùm nutum ſuum. Hæc eſt differentia inter Moralem, & Chriſtianam, quòd Moralis eſt ſemper repleta & contenta; Chriſtiana verò è contrà eſt jugiter triſtis, vacua, & ſuſpirans ad objectum ſuum, quandiu Moralis ſiſtit in ſemetipſâ: ideò ſapientem ſuum ſemper tenet contentum, nedum aliquid poſſit illum affligere, cùm in ſemetipſo habeat cauſam oblectamenti ſui, & fœlicitatis ſuæ. Sic Philoſophus quidam Ethnicus interrogatus aliàs, num ægro ſuſtineret animo videre ſuam civitatem devaſtatam, liberos ſuos catenis onuſtos, & filias ſuas inhonoratas, reſpondit, his omnibus ſe non fuiſſe motum; quia cùm omnem fœlicitatem ſuam conſtitueret in ratione, & nemo illam ipſi poſſet eripere, inde ſequebatur, quòd illud omne, quod ipſi poterat evenire, ipſius tranquillitatem nequiret interturbare. Ideò Moralis reddit ſapientem ſuum ſemper contentum, & repletum, nihil ſperantem ab extrà, cùm univerſa habeat intra ſe. E contrà Chriſtiana, ſicut ipſa ſuam è cœlo expectat fœlicitatem, vacua jugiter eſt, & triſtis, anhelans ad objectum ſuum, quod eſt in cœlo, & fidelis quærit ubique modum replendæ huic vacuitati opportunum, circùm circa ſe vertit, & validâ ductus inclinatione inveniendi ultimi finis ſui, perſæpè decipitur ſumens falſum pro vero, & idola pro vero Deo, quibus ſupremas & ſoli Deo vero debitas r exhibet adorationes. Inde factum eſt ut Ægyptii adoraverint Solem, Lunam, & ſtellas ut Divinitates: Romani, homines, ut Martem, Mercurium, Jovem, Saturnum, Venerem, &c. & alii animaliores, beſtias terræ, crocodilos, & ſerpentes, contra quos juſto excandeſcit S. Paulus s zelo, dicens, *Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Et nonne hoc idem eſt quod agit avarus, qui infimas uſque perfodit orci januas, ut inde eruat argentum, & aurum, quod ipſe collocat ſuper altari, & cui reverentias exhibet ut Divinitati? *Avarus (quod eſt idolorum ſervitus* t.) Propterea *Iudas retulit triginta argenteos: & projectis argenteis in templo, receſſit* u. Super quod Drogo Epiſcopus Hoſtienſis x ait, *Retulit ergo triginta argenteos, & projecit in templo. Vide quàm magni ponderabat eos, non projecit eos in ſterquilinio, ſed in templo: nimirum talibus ſemper diu templum ſuum devoverat: avaritia enim ſimulachrorum ſervitus eſt* y. *Et avaritia excæcat oculos ſapientum* z. Hoc idem peragunt diſcipuli Judæ in mundo mediis confidentiis, & ſimoniis. Tradit quis beneficium alicui viro, ſed eâ conditione ut illud reſtituat filio ipſius, cùm ad ætatem eidem poſſidendo congruam pervenerit, quod confidentia eſt. Mutantur, emuntur beneficia numeratâ pecuniâ, quod ſimonia eſt. Quid? Auditores. Eccleſia eſtne emporium, ut ibi fiat negotiatio beneficiorum? Infortunati diſcipuli Judæ, qui Chriſtum venditis, ſicut *Iudas eum tradidit* propter *triginta argenteos. Et projectis argenteis in templo, receſſit* a. Quaſi argentei illi fuiſſent Divinitates. Vos verò non ſolùm venditis Jeſum Chriſtum, ſed etiam paſſionem ejus, flagella, ſpinas, crucem, clavos, lanceam b, & merita, quæ omnia collocatis in ſacco, & deinde projicitis in fornacem, ut ex illis fingatis vobis Deum, quem collocatis in Eccleſiis. Hoc ego non ambigo dicere, cùm verum ſit, & ipſum Scriptura c aſſerat, *Non facietis vobis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Maledictum idolum proprii commodi, quod quærit Deum ejicere è proprio templo, ut ibi ſuum conſtituat thronum! Sic eſt, Auditores: ſi ſit quis hodie Eccleſiaſticus, non ideò ut ſerviat altaribus, ſed ut magnificetur domus propria, & augeatur res familiaris: & perſæpè obſequio devoventur Divino, & miniſterio Eccleſiæ dicantur ineptiſſimi totius familiæ, qui meliùs ſciant quantitatem redditũum ſuorum, quàm numerum animarum curæ ſuæ commiſſarum; & accuratiùs legere libros profanos, quàm Breviarium ſuum recitare, & ſolita veris Eccleſiaſticis penſa Deo perſolvere. Nonne manifeſtè inde oſtendunt, quòd altari non ſerviant niſi intuitu proprii commodi, & quòd pecunia eſt Deus, quem collocant *in templo*, ut diſcipuli Judæ? & cui per conſequens omnes ſuas exhibent reverentias, nedum illas refundant in Deum verum.

r Exod. 20, &c.
s Rom 1. 21. & 23.
t Epheſ. 5. 5.
u Matth. 27. 5. & y
x Drog. Hoſtienſ. ſerm. de Sacrament. Dominic. Paſſion.
y ex Coloſſ. 3. 5.
z ex Deut. 16. 19.
a Matth. 27. 3. & 5.
b Joan. c. 18. & 19.
c Exod. 20. 23.

S. Paulus d loquens de Sacerdotibus, aut Prælatis, vocat eos ſpirituales, *Vos, qui ſpirituales eſtis.* Hæc eſt differentia inter corpora & ſpiritus, quòd corpora repletiora, ſunt perfectiora: lapis, qui non habet niſi eſſe ſimplex, eſt minùs perfectus plantâ quæ repletior eſt, cùm præter ſimplex eſſe habeat gradum vegetantem: animal eſt perfectius plantâ, quia ſenſum habet, quo deſtituta eſt planta: homo verò iſtorum omnium perfectiſſimus eſt, cùm præditus ſit ratione, quam non habent illa omnia, & eorum omnium gradus contineat: ſic dicimus quòd homo dives, eſt quid magis quàm pauper, & quòd qui plures habet dignitates, major eſt, quia plus habet, cùm corpora repletiora, ſint perfectiora. Sed contrarium dicendũ

d Galat. 6. 1.

eſt

eſt de ſpiritibus, magis vacui ſpiritus ſunt excellentiores & perfectiores: ſpiritus hominis minus eſt perfectus quam ſit ſpiritus Angeli, & ſpiritus primi Angelorum eſt perfectiſſimus omnium ſpirituum Angelorum inferiorum, Deus autem qui eſt Spiritus, & primus omnium ſpirituum, eſt etiam omnium ſimpliciſſimus, immunis ab

e Ioan. 4. 24.

omni compoſitione, *Spiritus eſt Deus* e. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata: eſt tamen honoratiſſimus intellectus* f.

f Dion: Carth: a. 21. in Ioan: 4, 24

Quin imò Jeſus Chriſtus ut totus ſpiritualis, mori voluit nudus in cruce, *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum* g.

g Ioan: 19. 23 & 30.

Cùm igitur, Domini mei Eccleſiaſtici, *ſpirituales* ſitis, ut ait Apoſtolus, debetis vos ſpoliare omni compoſitione: repletio eſt nota imperfectionis veſtræ, ſi altaribus non ſerviatis niſi intuitu proprii commodi veſtri, niſi ad percipiendos fructus veſtros contra miniſterium veſtrum. *Regale Sacerdotium, gens ſancta* h.

h 1. Petr. 2. 9.

Vos eſtis ſicut Reges, quippe qui debetis ejicere avaritiam è templis: vos eſtis ſancti, ἅγιοι ſine terrâ, omnis terrenæ concretionis & labis eſſe debetis expertes, non debetis cogitare niſi de cœlo, & ideò terrenas omnes abjicere cogitationes, cùm propterea raſi ſiut vobis capilli, *Spiritualiter verò, capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ* i.

i Dion: Carth: art: 44. in Luc. 21. 18.

Non ideò eſtis in Eccleſiis, ut ibi capere debeatis. *Ieſus introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro eâ. Et ſtans ſuper illam imperavit febri: & dimiſit eam. Et continuò ſurgens miniſtrabat illis* k.

k Luc. 4, 38, & 39.

Noluit Chriſtus ingreſſus iſtam domum, ibi aliquid ſumere, quin priùs ſanitatem præbuiſſet huic mulieri, ait S. Chryſologus l,

l S. Chry ſol: ſerm 18.

Ibat Chriſtus non epulas percepturus, ſed vitam redditurus intravit; Deus quærit homines, non humana; cœleſtia dare cupit, non concupiſcit invenire terrena. Domus S. Petri erat figura Eccleſiæ, Eccleſiaſtici in eam non debent intrare ut ibi recipiant, ſed ut ibidem tribuant: debent enim quærere ſalutem animarum, hoc eſt ipſorum patrimonium, iſte eſt finis miniſterii ipſorum: poſt honeſtas enim impenſas, reſiduum redditṹum ipſorum eſt pauperibus erogandum. *Nunquid ſpelunca hyenæ facta eſt domus mea mihi?* vertit S. Chryſoſtomus m ex Jeremiâ.

m S. Chry ſoſt: hom 23. in Matt. 21, 17. ex Ierem. 12. 9.

Et addit. *Hyena hanc naturam habet, ut effodiat corpora mortuorum, & ipſa edat. Denique, Si quis negligenter ſepelierit mortuum: effodit nocte, & tollit corpus: ubicumque ſepulchra ſunt, ubicumque oſſa mortuorum ſunt, ibi cubile hyenæ.* Iſtud animal truculentum non vivit niſi rapinis: ſic fieri poterit, ait Deus, ut Eccleſiaſtici non utantur domo meâ, niſi ut ibi expilent, atque devaſtent? *Quia domus mea, domus orationis eſt: vos autẽ feciſtis illam ſpeluncam latronum* n.

n Luc. 19 46 ex Iſa. 7, 11.

Non eſt ingrediendum templum Dei, quod eſt locus conſecratus ſanctitati Dei, ut ibi comedatur, bibatur, & crumena repleatur; repletio quæ ibi fit, eſt ſæpè ſcelus; ſicut exinanitio, quæ ibidem peragitur, eſt ordinariè virtus, ibi potiùs eſt dandum, quàm recipiendum, *Oportet meminiſſe verbi Domini Ieſu (quoniam ipſe dixit) Beatius eſt magis dare, quàm accipere* o.

o Act: 20 35.

Nec comedendum eſt oleum lampadum, nec diſſipandum patrimonium Jeſu Chriſti, nec imitandus impius ille Simon, qui *cùm vidiſſet, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum, daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum* p.

p Act: 8. 18.

Hoc idem eſt quod peragunt illi qui in noſtras non intrant Eccleſias niſi præ avaritiâ, ut ſuas magnificent domos, ut meliùs ſuas in Matrimonio collocent propinquas. Simon voluit emere Spiritum ſanctum, ut eum venderet: iſti autem illum emunt, ut illum deinceps convertant in idola in contemptum Dei, & altarium illius. David q loquens de fœminis, aut puellis, comparat eas templis, *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi.*

q Pſ: 143. 12, & 13.

Architectus ædificare volens Eccleſiam materialem, illius ſitum delineat ſuper lignum, aut ſuper chartam: ibi videtis ſacrarium, ſacella, feneſtras, magnum altare, chorum, & cætera per ordinem: ita David loquens de propinquis iſtis Eccleſiaſticorum, qui maximam conſtituunt dotis illarum partem, ait, illas eſſe inſtar ſitus templorum: in illis enim eadem videntur, ſed præ hâc differentiâ quòd in ſitu delineato ſuper chartam omnia ſunt vacua: ibi eſt intueri coronices, ſed eæ non ſunt ornatæ candelabris, atque ditatæ, & non ſunt ibi niſi delineatæ, & in figurâ, ſed ſuper fœminis aut puellis iſtis omnia ſunt plena: ſuper illis enim eſt videre margaritas, adamantes, & omne divitiarum genus: & ſi exactè aſpiciatis omnes angulos, quidnam invenietis in illis? Cruces, candelabra, ornamenta altarium ſacra, lampades, &c. totum illarum ornamentum provenit ex Eccleſiâ, è patrimonio Jeſu Chriſti: & ſi hujuſmodi fœminæ aut puellæ in Matrimonio ritè collocentur, hoc fit interventu Eccleſiaſticorum qui dotem ipſis conſtituunt. Iſte ſitus eſt igitur repletus, *Promptuaria eorum plena.* Hæc templa ſunt repleta, quia ſitus templi Jeſu Chriſti eſt vacuus: transfertur enim patrimonium ejuſdem Jeſu Chriſti ab his Eccleſiaſticis ad propinquas, *Eructantia ex hoc in illud.* In ſaccum congeruntur flagella, ſpinæ, crux, clavi, lancea, vita, paſſio, mors, ſanguis, & merita Chriſti, & in fornacem projiciuntur hæc omnia, ut ex iis fingatur idolum, quod collocatur ſuper altaribus noſtris, ut ex iis ejiciatur verus Deus, qui ibi poſuit thronum ſuum. Maledictum commodum privatum, quod omnia deordinat in domo Dei! maledicta avaritia, quæ in eâ tantam edit vaſtitatem! *Nunquid ſpelunca hyenæ facta eſt domus mea mihi?*

Tria invenio genera magnorum criminum, odiſſe Deum r, illum occidere s, & ipſum vendere t.

r Pſ. 68. 5
s Ioan: 19, 18.
t Ioan: 18, 2.

Quid atrius & enormius? Horum tamen trium peſſimum eſt vendere Deum: nam odiſſe Deum, quis poteſt eum odio habere? Dicetis mihi, Dæmones. Ego autem dico vobis, quòd potiùs oderunt effectum, quàm Cauſam, ſupplicium, quàm Judicem qui illud decernit: cùm enim Deus ſit eſſentialiter *bonus* u, non poteſt odio haberi, cùm bonum ſit objectum voluntatis, ſicut verum eſt objectum intellectus: effectus igitur odio habetur, non autem Cauſa.

u Pſ: 118. 68.

Quoad aliud crimen, quod eſt occidere Deum, magnum quidem & grave ſcelus eſt, ſed re verâ non ita enorme ſicut primum: non enim occiditur Deus in propriâ vitâ, *Qui ſolus habet immortalitatem* x: ſed in vitâ alienâ: nihil enim certius eſt, *quòd mortuus eſt* y Deus: ſed non in vitâ Dei, ſed in vitâ hominis, quàm aſſumpſerat.

x 1. Tim 6, 16
y Rom: 6, 10

Sed vendere Deum eſt crimen quod enormitate duobus primis præeminet: nam verè & realiter venditur Deus, cum ſanguine ipſius, pœnis, la-

boribus, meritis, vitâ, paſſione, & morte pro commodo privato. Infortunati diſcipuli Judæ, qui pecuniâ vendunt Deum, & collocant hanc pecuniam *in templo*, ut ibi adoretur ſicut divinitas in contemptum veri Dei, quem avaritia ejicit propriâ domo, quam etiam voluptas profanat.

II. Pars.

Omnes virtutes mutuam præbent ſibi manum, & mirabile ineunt fœdus medio vinculo pacis quæ ipſas unit omnes: idem peragunt vitia, individuam adinvicem pangunt ſocietatem, ſed præ illis omnibus avaritia cum voluptate. Semper clauſas habet avarus manus, niſi fortè cùm ex aperiendæ ſunt propter voluptatem: tunc enim liberalis eſt, & omnia diſſipat: voluptuoſus è contrà eſt tenax & avarus, nec ullos ſuſtinere poteſt corrivales, ipſe vult eſſe ſolus qui ſuis fruatur deliciis. Quòd ſi avaritia inhonorat domum Dei, voluptas illam profanat. Videte adumbratum in viſione exhibitâ Ezechiel *a* id, quod in noſtris peragitur templis. *Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & elevavit me Spiritus inter terram & cælum: & adduxit me in Jeruſalem in viſione Dei, juxta oſtium interius, quod reſpiciebat ad Aquilonem, ubi erat ſtatutum idolum zeli ad provocandam æmulationem.* Quid innuit hoc? Sane quòd multi venientes in templa noſtra, præſertim cùm ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum expoſitum eſt adorandum, videntur quidem duci zelo: ſed ſi obſervetur illorum ſitus & procedendi modus, deprehenditur eſſe *idolum zeli* apparentis duntaxat, & non veri, cùm huc non veniant niſi ut videant, & ut videantur, ut loquantur, & offendant Deū ſub prætextu pietatis apparentis. *Et dixit ad me, Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic. Et ingreſſus vidi, & ecce univerſa idola domus Iſraël, depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Nonne hoc idem eſt, quod exercetur in templis noſtris? nonne hîc videtur, & auditur omne quod peragitur in civitate? Nunquid non captatur iſtud tempus, & iſte locus, ut hîc annuncientur omnia quæ facta ſunt, & audita? Si referendæ ſint aliquæ ineptiæ & ſordes perpetratæ, expectandum eſt, inquiunt nebulones & otioſi, donec ad Eccleſiam pervenerimus, ibi ſimul aderimus, & univerſa narrabimus, quæ contigerunt. *Et dixit ad me, Adhuc converſus videbis abominationes majores, quas iſti faciunt. Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Proptereà veniunt puellæ & mulieres in Eccleſias, ipſaſque tædet, cùm ipſarum amaſii huc non conveniunt. *Et dixit ad me, Adhuc converſus videbis abominationes majores his. Et ecce inter veſtibulum & altare, viri dorſa habentes contra templum Domini.* Id eſt, amaſii, qui ut videant amaſias ſuas, & ſimul colloquantur, terga vertunt Deo ſuper altaribus noſtris reſidenti; eum contemnunt, ut puellæ, aut mulieri complaceant. Infelices viros! Siccine Deum inhonoratis in propriâ ſuâ domo, quam voluptate veſtrâ profanatis? Creditiſne quòd ipſe vos videat, vos audiat, & veſtrarum ſit *Teſtis a* inſolentiarum? Diciriſne more impiorum illorum? *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob* b. Terga vertere Deo, ut facies convertatur ad creaturam, nonne eſt formale peccati? *Quare ergo averſus eſt populus iſte averſione contentioſâ? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium* c. Sed quod eſt magis ſtupendum, eſt id, quod refert de viris iſtis Hugo Cardinalis *d*, *Et per hoc etiam innuitur, quòd ipſi Sacerdotes, quorum officium erat altari Domini deſervire, hoc faciebant.* Illi nimirum, qui deberent exemplum præ ſe bonum ferre, pravis ſuis exemplis extinguunt omnem pietatis affectum, nedum nos ad reverentiam templis exhibendam inducent, *Certè: numquid leve eſt hoc domui Juda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic: quia replentes terram iniquitate, converſi ſunt ad irritandum me?* Cœlum, ubi ſunt fulgura tua? utquid ea non vibras in impia ſacrilegorum iſtorum capita? Oh quid non amplecteris cauſam Dei qui inhonoratur, quandiu templa ejus ſic ſacrilegè profanantur? quare vindictam non ſumis de tot irreverentiis & ſacrilegiis interventu ignis? ſicut aliàs *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium* e. Cur non ſiſtis inſolentiam hominum qui bellum Deo indicunt in propriâ ſuâ domo? Heu infortunati! Nonne ſunt alia loca, nedum profanetis Eccleſias noſtras? deſuntne ſphæriſteria, cauponæ, diverſoria, plateæ, quæ ſint theatra criminibus veſtris, nedum illa afferatis ad ima altarium noſtrorum in contemptum Dei, qui ibi reſidet? Citò, aut tardè veſtrorum lueris pœnas ſcelerum, *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus f.* Utinam ſatis eſſemus perſpicaces ad videndum præ quâ reverentiâ Angeli noſtris interſunt templis, æquè ac myſteriis ſacris, & hîc non ageremus temerarios & inſolentes, cùm hæc loca ſacra æquè parùm revereamur, ac ſi eſſemus in viis & in plateis. Quàm infelices nos ſumus, cùm ea profanemus praxibus, quæ rubore ſuffundunt Chriſtianiſmum! Credimus *quoniam unus eſt Deus. Et dæmones credunt, & contremiſcunt g.* Nonne pejores nos ſumus dæmonibus? Ubi autem eſt fides noſtra? ubi eſt reverentia noſtra? In nobis nulla eſt fides, nullaque reverentia, cùm peccantes temerariè, & ridendo, efficiamur intolerabiles ipſimet Deo.

e Gen. 19. 24. & 25.

f 1. Cor. 3, 17.

g Jacob. 2, 19.

III. Pars.

Deplorat Pſalmiſta *h* hoc genus hominum, qui gloriam eſuriunt ex enormitatibus ſuis, nedum ab illis abhorreant, *qui lætantur cùm malefecerint: & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum i*: cùm ait, *Cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt.* Super quod S. Auguſtinus † dicit ad propoſitum noſtrum, *Non ſolùm locuti ſunt iniquitatem: ſed etiam clarè, audientibus omnibus ſuperbè. Ego facio, ego oſtendo.* Id eſt, per vicos, & per plateas gloriantur de inſolentiis ſuis. Utquid enim eas manifeſtant temerariè & ridendo, niſi ut Divinam Juſtitiam exacerbent?

h Pſ. 72, 8.

i Prov. 2, 14. & 15.

† S. Aug. in Pſ. 72. 8.

Baltaſſar Rex fecit grande convivium optimatibus ſuis mille: & unuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergo jam temulentus ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo quod fuit in Jeruſalem, ut biberent in eis Rex, & optimates ejus, & concubinæ. Tunc allata ſunt vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat de templo, quod fuerat in Jeruſalem: & biberunt in eis Rex, & optimates ejus, uxores & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque, & lapideos. In eâdem horâ apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis k. &c. Quærit S. Hieronymus *l*, quare Deus non puniverit Nabuchodonoſor, qui, ut ait Scriptura, *aſportavit partem vaſorum domus Dei, & intulit in domum theſauri Dei ſui m.* Et reſpondet, quia Nabu-

k Dan. 5. &c.

l S. Hier. lib. 2. in Dan. c. 5.

m Dan. 1. 2.

a Ezech. 8, 3. &c.

a Malach. 3, 5.

b Pſ. 93, 7.

c Jer. 8, 5. & 6.

d Hugo Card. in Ezech. 8. 16.

Nabuchodonoſor illa honoravit, collocando ea in loco, in quo erant vaſa falſorum deorum ſuorum, *Quandiu vaſa fuerunt in idoleo Babylonis, non eſt iratus Dominus* (*videbantur enim rem Dei, ſecundùm pravam quidem opinionem, tamen Divino cultui conſecraſſe*) *poſtquam autem humanis uſibus Divina contaminant, ſtatim pœnâ ſequitur poſt ſacrilegium.* Punivit igitur Deus Baltaſſar, qui ea profanabat præ temeritate, & ridendo, propinando in illis, optimatibus, & uxoribus & concubinis ſuis, quod maximè Divinam offendit Majeſtatem, quæ hanc ſuſtinere non potuit temeritatem, & ideò *in eadem horâ apparuerunt,* &c.

Ratio, propter quam latum fuit adversùs divitem epulonem hoc decretum diſtinctivum, *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*: hæc eſt, quia *erat dives, & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus: cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ divitis, & nemo illi dabat* n. Quòd aliquando fuiſſet epulatus, tranſeat; ſed quod *quotidie* epularetur, nimis quidem: & ideò irritavit Deum, illum offendendo præ deriſu, æquè ac proximum ſuum Lazarum fame pereuntem præ foribus domus ipſius.

n Luc. 16. 19, &c.

o Pſ. 101. 7.

Pſalmiſta o amarè flebat in perſonâ hujuſmodi peccatorum, qui ſibi complacent in offendendo Deum ridendo, quaſi ei aliquod obſequium exhiberent. *Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.* Unde S. Gregorius p ait, *Pelicanus venenatis animalibus veſcitur, & peccator ærumnoſis iſtius vitæ captus illecebris, veneno delectatur diabolicæ perſuaſionis. Nycticorax ſolet nocte cantum cantare, per quod notantur hi, qui in tenebroſo tripudiant opere, & in mentium ſuarum exultant deſtructione.* Quod ſpecialiter irritat Deum, ac peccare ridendo, & tripudiando.

p S. Greg. in Sept: Pſal: Pœnit: & in Pſ. 101. 7. qui eſt 4. Pœnit.

In Lege antiquâ cervus erat inter animalia munda, quibus veſci licebat, *Cervum comedes* q. Quia habebat omnes conditiones requiſitas, quas Deus tunc exigebat, nimirum quod ruminaret, & ungulas haberet diviſas, *Omne animal quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comedetis* r. Sic cervus eſt ſymbolum hominis perfecti, ajunt Naturales: atqui reputabatur *inter* animalia cætera *immunda, ſus, qui cum ungulam dividat, non ruminat* s. Quare ergo Deus ſuſcipit cervum in domum ſuam, & ab eâ repellit ſuem? Ratio iſtius eſt, quia cùm hæc animalia à venatoribus capiuntur, lacrymas emittunt, dicunt iidem Naturales, ſed lacrymæ cervi ſunt ſalſæ, lacrymæ verò ſuis vel apri dulces. S. Chryſologus t docet, quòd lacrymæ æquè procedant è gaudio, ac è triſtitiâ, *Quoties viſcera, aut lætitia, aut triſtitiæ nimio arctantur impulſu, oculi in lacrymas mox erumpunt.* Tamen iſtæ lacrymæ non ſunt ſimiles, juxta Medicos, qui dicunt, quòd illæ quæ oriuntur è triſtitiâ, ſunt ſalſæ, & habent guſtum amaritudinis; & quòd eæ, quæ procedunt è gaudio, ſunt ſuaves. Peccator, qui aſſimilatur cervo, ſentiens ſe laqueo peccati irretitum, lacrymas effundit amaras & ſalſas, conſiderans ſuarum horrorem iniquitatum: poſtquàm ſuum Dominum *Petrus negavit, egreſſus foras, flevit amarè* u. Atqui hoc dolore correptus, poni non poteſt in numero reproborum, quia cognoſcit enormitatem peccatorum ſuorum; ſed ſues immundi qui volutantur in cæno vitiorum ſuorum, lacrymas emittunt lætitiæ dulces pro eo quòd Deum offenderint, *Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum* x. Sed pro certo ſciant, ſe flagellorum ictibus ejiciendos *omnes de templo* Dei, qui nihil æquè odit ac eos qui ipſum ridendo offendunt.

q Deut. 15, 22.

r Deut: 14. 6.

s Levit: 11, 4. & 7.

t S. Chryſol: ſerm. 64.

u Matth: 26, 69. &c.

x Prov. 2. 14 & 15.

Sanè infirmus vehementer ægrotat, cùm morbum ſuum non ſentit; ad extremas eſt redactus anguſtias, cùm concinit medias inter convulſiones ſuas: & peccator propè accedit ad damnationem ſuam, cùm in ſuis ſibi complacet peccatis, & ſuam in vitiis ſuis invenit ſatisfactionem, nedum illorum formidet ampliùs horrorem: hoc eſt manifeſtum reprobationis ejus ſignum, cùm ridendo peccat. Hæc eſt maxima, quæ habetur ut principium veritatis in Philoſophiâ Morali, quòd Deus præcipuas nobis præbuit potentias duas ad noſtrî ipſorum directionem, voluntatem, & intellectum. Voluntas habet pro objecto bonum, nec unquam fertur niſi ad bonum, aut reale, aut apparens: ſi autem ipſa aberret à rectâ viâ, quam ipſa debet ſequi, ut cæca ex naturâ ſuâ, intellectus qui eſt ipſius lucifer, & conſiliarius, præbet ipſi notitiam defectus ipſius, & producit in ipſâ ſtimulos interiores, ita ut anima internis tunc pungatur ſynderesibus, cùm Deus dederit homini cor inclinatum ad bonum. Si verò diſſolutionibus habenas homo laxans immodicis, & in ſuis inveteraſcens criminibus, ſuam in iiſdem reperit ſatisfactionem, certum eſt, quòd tunc ad extremas redactus eſt ſuæ infelicitatis anguſtias, quia peccans ridendo, pervenit in ſtatum obſtinationis, indurationis, & inſenſibilitatis, & in hoc ſtatu, in quo eſt induratum *cor ejus tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* y ſtrictum, omnia fidei extinguit lumina, & ſic Deus illum tolerare non poteſt, illum deſerit, *& in peccato* z obſtinationis ſuæ tandem ipſe moritur. Licèt enim noſtras evehere non poſſimus cogitationes ad pervadenda intima Dei judicia, nec cognoſcere valeamus id quod idem Deus decrevit, *Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit* a? hoc tamen non impedit quin habere poſſimus aliquod indicium probabile infelicitatis animæ, quæ peccat ridendo, & ſuam ſatisfactionem invenit inter ſcelera ſua: in hoc enim ſtatu Deus juſtâ exacerbatus iracundiâ ſuas ab eâ retrahit gratias efficaces, & ſic homo remanet obſtinatus in malitiâ ſuâ, inſenſibilis quoad ea quæ ſalutem ipſius ſpectant, ſine ullo dolore interiori, abſque aliquâ ampliùs ſynderesi: & inde oritur quòd iſto tempore diſſolutionis glorietur homo de ſuis facinoribus, ſe profanaſſe Eccleſias avaritiâ, & voluptate, ſe conſtupraſſe virginem, ſe præ nimiâ importunitate triumphaſſe de pudicitiâ mulieris honeſtæ, & fraudibus violaſſe thorum conjugalem; quòd detrahat palàm, & alienam denigret famam abſque ullo conſcientiæ ſtimulo, ſed præ oblectamento. Ratio iſtius eſt, quia pervênit in ſtatum inſenſibilitatis, qui eſt maximum infortuniorum omnium, cùm tunc peccator ſit remotiſſim⁹ à principio noſtræ ſalutis, quod eſt juſtificatio. Obſervate enim quòd ad hoc ut juſtificemur, & conſequenter ut ſalutem noſtram operemur, oportet primùm ut peccatum deteſtemur, illud horreamus, & ab illo nos immodico affectu elongemus, *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſti-*

y Iob. 41, 15.

z Ioan: 8. 24.

a Rom. 11, 34. ex Iſai. 40, 13.

b Ezech: 18, 21.

& juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur b. Peccator, qui offendit ridendo, tantum abeſt ut horreat peccatum ſuum, quin è contra in eo ſuam invenit ſatisfactionem, ideò remotiſſimus eſt à ſalute ſuâ operandâ, & ſic redactus in ſtatum, in quo, moraliter loquendo, non poteſt illam peragere. *Induratum cor Pharaonis* c. Quod nullis cieri poteſt motionibus ſacris *d*. Gratias agebat Deo Lutherus pro eo quòd poſt aliquot annos conſcientiæ anxiatæ, perveniſſet tandem in ſtatum tranquillitatis, in quo nullos ampliùs ſuſtinebat ſtimulos, nullas ejuſdem reclamantis conſcientiæ perturbationes poſt tot profanationes & ſacrilegia quæ commiſerat. Infelix homo! Deo grates rependebat pro maximo omnium infortuniorum, quæ contingere poſſint, homini, ac peccare ridendo, & ſine ullo dolore, & quem in hoc ſtatu tolerare non poteſt Deus.

c Exod: 7, 22.
d Prov: 1, 24, & 25.

Nullibi ſubſiſtere poteſt peccatum niſi in inferno, qui locus illius eſt. Cœlum illud non poteſt ſuſtinere: ſtatim enim ac ſuo dixit *Lucifer in corde, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis; aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo; ad infernum in profundum laci* e detractus eſt. Ignis illud tolerare non poteſt, agitque contra inclinationem, quâ ſurſum fertur, ut deorſum deſcendat ad puniendam Pentapolim, *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium f*. Aër irritatur, & ſuos mittit ventos; & mare intumeſcit ad plectendam inobedientiam Prophetæ, *Et ſurrexit Ionas, ut fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit in Ioppen, & invenit navem euntem in Tharſis: & dedit naulum ejus, & deſcendit in eam, ut iret cum eis in Tharſis à facie Domini. Dominus autem miſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri* g. Imò nec ipſum ſuſtinere poteſt mare: nam cete *evomuit Ionam in aridam* h. Terræ quoque exoſum eſt peccatum, *Et aperiens terra os ſuum devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* i. Cùm Dei Filius *tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt; & ipſe peccata multorum tulit* k: *obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* l: *& tenebræ factæ ſunt per totam terram* m: *& terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt* n. Ut oſtendatur horror peccati, & quòd natura illud ſuſtinere nequeat. Deus perſequitur illud uſque ad infernum, qui eſt locus illius: atqui peccator ibi eſt in ſe, ibi manet quietus, cùm peccet ridendo: eſt igitur quaſi infernus vivus: imò pejor eſt dæmonibus: ſi enim dæmones peccant, hoc eſt, quia aliter non poſſunt facere, obſtinati ſunt in malo, & memores felicitatis, quâ ſrui poterant in cœlo, & quâ exciderunt, inde maximâ anguntur pœnâ, & ſi blaſphemant, & ſunt inimici Dei, ideò quia Deus ipſos plectit ignibus inferni: ſed peccator voluntariè, cùm contrarium poſſit agere, & Deus ipſum ſuis ſolicitet gratiis o: ideò pejor eſt dæmonibus, quippe qui inſenſibilis quoad ea quæ ſalutis ſuæ ſunt, obſtinatus ſicut illi, cùm ſit in ſtatu indurationis. In hoc ſtatu Deus illum ſuſtinere non poteſt, permittit ut deſtituatur luminibus fidei: nam peccans ridendo non meminit ampliùs illius, quod ipſum aliàs elongabat à peccato: quid enim efficiebat ut ipſe veniret aliàs præ tantis lacrymis proſtratum, ſe ante pedes Confeſſarii, cum tanto propoſito emendationis, niſi fides, quæ recordari ipſum faciebat mortis certæ in effectibus ſuis *p*, incertæ in momento ſuo *q*; tribunalis judicii finalis; & æternitatis pœnarum *r*, niſi *fides* s cum luminibus ſuis? paradiſi jactura, horror peccati, ad quod deſtruendum opus fuit *pretio magno* t Sanguinis Jeſu Chriſti, qui conculcatur peccando, & quem *pollutum* u ducit ipſe peccator præſertim Eccleſias profanando avaritiâ, aut voluptate, aut temeritate intolerabili Deum offendens ridendo? Offendendo Deum non habemus ampliùs iſtas conſiderationes, & peccatis noſtris omnia iſta extinximus lumina. Multoties Deus ſuis nos ſolicitavit inſpirationibus internis, & nos eum deriſimus, *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo* x. Deus meus, arma flagellis manum tuam, ut iis excepti, ſapientes efficiamur, ita ut non ampliùs inhonoremus domum tuam avaritiâ, nec eam profanemus voluptate, nec ibi te offendamus ridendo, ſed è contra tibi famulentur ibi, ut tuam des nobis gratiam, & gloriam.

e Iſai: 14, 13, &c.
f Gen: 19, 24, & 25.
g Ion: 1, 3, & 4.
h Ion: 2, 11.
i Num: 26, 10. ex Num: 16, 2, &c.
k Iſai: 53, 12.
l Luc: 23, 45.
m Marc: 15, 33.
n Matth: 27, 51, & 52.
o Iſai: 5, 4.
p Hebr: 9, 27.
q 1. Theſ. 5, 2, & 3.
r Matth. 25, 31, &c.
s Hebr: 11, 1.
t 1 Cor. 6, 20.
u Hebr: 10, 29.
x Prov: 1, 24, &c.

FERIA III. POST DOMINICAM

IV. QVADRAGESIMÆ.

Quid me quæritis interficere? Ioan. 7. 20.

FUlgura præcedunt tonitrua, ſicut præclaras dies ordinariè ſequuntur turbines & tempeſtates; & claritates iſtæ terribiles, quæ fremitum & pavorem nobis incutiunt, minitantur nobis fulmen, quod ipſas debet ſequi: ſic Jeſus Chriſtus monens Judæos conſilii ab ipſis concepti, oſtendit nobis iam faciem montis Calvariæ ſuo Sanguine purpuratam per anticipationem, & quòd citò exequentur illi ſacrilegum hoc conſilium, quod meditantur, ſatagentes ipſum infami patibulo ſuffigendum. Heu! quam funeſtum fuit iſtud præſagium Virgini Deiparæ: cùm enim, ut pie credendum eſt, ipſa adeſſet quando impii illi ſacrilegum iſtud conſilium formabant, audivit hanc querelam Filii ſui eos alloquentis, *Quid me quæritis interficere?* Quomodo autem ægrè non ſuſcepiſſet ipſa animo nuncium iſtud, quòd eripiendus ipſi foret Filius ſuus, ut ignominioſæ cruci ſuffigeretur? cùm eodem Dei Filio veniente ſe unitum ipſi, & ſumptum eamem humanam in ſinu ipſius ſacratiſſimo, ipſa fuerit *turbata in ſermone* Angeli dicentis ipſi, *Ave* a *Maria*.

Quid igitur? numquid non agnoſcimus meliùs beneficia à Deo nobis miſericorditer collata, quàm auſis temerariis, & ſacrilegis? an perfidi

a Luc: 1, 28, & 29.

nos

nos ſumus Deo, quia magis gratiis ſuis ſibi nos
devinxit? favores ejus ſuntne cauſa criminum
noſtrorum? perſequimini ne eum, quia nobis fa-
vit maximè? Noſtræ tribuit ipſe naturæ privile-
gia, quæ omnibus aliis recuſavit entibus, & præ-
rogativæ ejus vertuntur in injuriam ipſimet qui
illas nobis præbuit: noſtram hanc ditavit natu-
ram omni eo, quod ipſa poterat concupiſcere ad
perfectionem ſuam conſummandam, & maxi-
mus favorum, quibus ipſe cumulavit nos, in hoc
eſt ſitus, *Quoniam Deus creavit hominem inextermi-*
nabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit il-
b Sap. 2, 23. ex Gen. 1, 27. *lum* b. Id eſt, immortalem per participationem,
ſicut ipſe eſt *qui ſolus habet immortalitatem* c per
eſſentiam. Quia cùm amor ejus eſſet æternus,
c 1. Timoth. 6, 16. oportebat etiam ut homo eſſet immortalis, ad
hoc ut illi grates rependeret æternas pro omni-
bus beneficiis à liberali manu ejus ſuſceptis; &
tempus, quod nimiùm fuiſſet breve ad agnoſcen-
dos favores qui ſe protendunt ad infinitum uſ-
que, ſecuta eſt æternitas a parte pòſt: ſicut enim
Deus æternus eſt in amore, & ab æterno dilexit
nos, hoc æterno ductus amore voluit ut homo
eſſet immortalis, ut hunc amorem agnoſceret, ad
hoc ut tranſumptum convenientiam haberet
cum Prototypo: requirebatur igitur amor æter-
nus in homine, cùm dilectio æterna nonniſi ſem-
piternâ compenſetur charitate. Obſervate au-
tem, ſi placet, quòd Deus, qui in cœlo *in charitate*
d Ier. 31, 3. *perpetuâ* d dilexit nos; ſuper terrâ in infirmita-
tibus humanitatis noſtræ, etiam *dilexit nos, &*
tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam
e Epheſ. 5, 2. *Deo in odorem ſuavitatis* e. Et licèt omnia illius
attributa videantur fuiſſe fatigata, & inveniſſe re-
ſiſtentiam, quæ velut ipſa limitaverit, nunquam
tamen ipſius dilectio ſtitit, ſed ſemper magis ac
magis crevit. Potentia Dei intuita eſt ſe infirma-
tam, & faſciis infantilibus ligatam, ut concinit
Eccleſia,

Vagit Infans inter arcta
Conditus præſepia;
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat;
Et manus, pedeſque, & crura
Strictâ cingit faſciâ.

Magnitudo ejus depreſſa & reclinata eſt *in præſe-*
f Luc. 2, 7. *pio* f. Gloria illius caligine offuſa eſt ſuper paleâ,
& inter confuſiones Calvariæ, *ubi crucifixerunt*
eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium au-
g Ioan. 19, 17. &c. *tem Ieſum* g. Sed amor ejus nunquam magis ap-
paruit quàm inter odia & perſecutiones inimi-
corum ſuorum: Hæc eadem potentia fuit debilis
in horto, cùm venit *in prædium, cui nomen Gethſe-*
mani: Et cœpit pavere, & tædere: Et ait, Triſtis eſt
h Marc. 14, 32. &c. *anima mea uſque ad mortem* h. Sicut fuit fugax in
ſeceſſu *in Ægyptum* i. Et infirma ſuper ignomi-
i Matth. 2, 14. nioſo patibulo crucis. Sapientia ejus fuit obſcu-
rata, cùm S. Paulus prædicet *Chriſtum crucifixum,*
Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtulti-
k 1. Cor. 1, 23, & 30. *tiam, qui factus eſt nobis Sapientia à Deo* k. Et mi-
racula ejus non fuerunt niſi occaſio contemptus
inimicorum ejus adverſus ipſum: *Erat autem*
Sabbathum quando lutum fecit Ieſus, & aperuit ocu-
los cæci nati. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam,
Non eſt hic homo à Deo qui Sabbathum non cuſtodit.
Alii autem dicebant, Quomodo poteſt homo peccator
l Ioan. 9, 14, & 16. *hæc ſigna facere* l? Providentia illius viſa eſt de-
m Gen. 1, 16. feciſſe, cùm illud, quod ipſemet *fecit Deus lumina-*
re majus, ut præeſſet diei m, deſtiterit à muniis

ſuis ordinariis illuminandi mundi, omnis natura
confuſa fuerit, & univerſæ creaturæ deordinatæ
ſint in morte ipſius, *Et obſcuratus eſt Sol: & velum*
templi ſciſſum eſt medium n. *Et tenebræ factæ ſunt* n Luc. 23, 45.
per totam terram o. *Et terra mota eſt, & petræ* o Marc. 15, 33.
ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa cor-
pora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt p. p Matth. 27, 51. & 52.
Quando ipſe erat ſuper cruce, juſtitia ipſius vi-
detur fuiſſe perverſa, quia crimen condonatum
fuit, & Sanctitas immolata fuit, *Qui peccatum non*
fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus q, *oblatus eſt,* q 1. Petr. 2, 22. ex Iſai. 53, 9.
quia ipſe voluit r. Hæc juſtitia abiit in cœlum, ut r Iſai. 53, 7.
locum cederet amori, qui emicat, & qui maximè
elevatur: quandiu alia attributa videntur abſ-
condita, ſplendet amor inter ignominias, & ma-
ximus ejus ſplendor eruitur è confuſionibus: iſta
juſtitia aſpicit ex Empyreo, *Iuſtitia de cœlo proſpe-*
xit s. Id eſt, quandiu Calvaria eſt theatrum amo-
ri, & crux eſt thronus ſuper quo præ majori emi- s Pſ. 84, 12.
cat dignitate, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit*
eos t. Amor illius nullos unquam habuit limi- t Ioan. 13, 1.
tes, ait S. Auguſtinus u. *Video poſſe iſta verba E-*
vangelica quodam humano modo etiam ſic accipi, tan- u S. Aug. tract. 55. in Ioan. 13. 1.
quam uſque ad mortem Chriſtus dilexerit ſuos, ut hoc
videatur eſſe, in finem dilexit eos. Humana eſt hæc ſen-
tentia, non Divina: neque enim nos huc uſque ille dile-
xit, qui ſemper & ſine fine nos diligit. Abſit ut dile-
ctionem morte finierit, qui non eſt morte finitus. Abſit,
Chariſſimi. Nequaquam ille nos diligendo uſque ad
mortem veniret, ſi dilectionem noſtram morte finiret.
Niſi fortè ſit ita intelligendum, In finem dilexit eos,
uſque ad mortem dilexit eos: quia tantùm dilexit eos,
ut moreretur pro eis. Ita ſane non prohibemur intel-
ligi, uſque ad mortem illum dilectio ipſa perduxit.
Homo igitur, qui amore æterno dilectus eſt,
ſuum ſemper diligere deberet Benefactorem.
Sed heu! audebone illud dicere? Contrarium
illius omnino eſt: amor enim Dei videtur accen-
dere odium illius; & quia Deus hominem ſic ſibi
devinxit, homo ipſum inhonorat. Deus ab æter-
no dilexit hominem, & homo jugiter offendit
Deum. Dicitur de diabolo, *Ille homicida erat ab*
initio x. Dicere autem poſſumus de homine, x Ioan. 8, 44.
Iſte deicida fuit à principio y. Dei Filius *occiſus* y Gen. 3, 6.
eſt ab origine mundi z. Et ſemper occidetur à pec-
catoribus. Ingrata creatura, quæ non agnoſcit z Apoc. 13, 8.
beneficia à Deo ſibi collata niſi auſis temerariis
& ſacrilegiis! Judæi Chriſtum unicâ duntaxat
vice cruci ſuffigendum moliti ſunt, *Illi autem cla-*
mabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Tunc ergo tradi-
dit eis illum, id eſt, Pilatus Jeſum, *ut crucifigere-*
tur a. Peccatores verò ut crudeliores eis plùs a Ioan. 19, 15. & 16.
centies, illum crucifigunt, *Rurſum crucifigentes*
ſibimetipſis Filium Dei b. Sic crimen Chriſtia- b Hebr. 6, 6.
norum multò enormius eſt ſcelere Judæorum,
cùm peccatores reiterent pluries id, quod ſemel
tantùm Judæi fuerunt machinati. Judicate an-
non jure merito de vobis queratur hodie, *Quid*
me quæritis interficere? Judæi Jeſum cruci ſuf- Diviſio.
figendum ſategerunt, hæc eſt prior pars diſ-
curſus iſtius. Chriſtiani verò offendunt illum
graviùs, hæc eſt poſterior concionis iſtius conſi-
deratio.

Iſtud eſt pro comperto, quòd effectus nunquã I. Pars.
adæquat perfectionẽ ſuæ cauſæ, ut aiunt Philoſo-
phi, *Cauſa eſt nobilior ſuo effectu, & effectus habet de-*
pendentiam à ſuâ cauſâ. Iſtam videmus veritatem
in naturâ, & in arte. In naturâ, Quandiu Sol ſuos
emittit radios ſuper objecta quæ ipſum repræ-
ſentant, nunquam tamen ita perfectè ac ipſe eſt
in ſeipſo; effectus iſte non adæquat cauſam ſuam,

& iſti radii qui ſunt extra Solē, non ita ſunt ſplendidi ac illi qui eum coronant. In arte etiam, Licèt artifex multam impendat operam, & immodicè laboret circa opus aliquod, illud opus nunquam erit ſic perfectū, ac ideæ quas ipſe concepit illius, perfectæ ſunt: ſemper ei aliquid deeſt, alioquin cauſa exhauriretur; ideò ipſa ſibi ſemper reſervat aliquid, ut poſſit agere, nedū tamen omnia ſoras emittat, ita ut nullus ſit effectus qui adæquet perfectionem cauſæ ſuæ: inde oritur ut ſuo modo maneat præ reverentiâ coram eâ, quaſi veritus ne deſtruatur ab eâdem manu, à quâ formatus eſt; inſtar illius Principis, qui dicebat amico ſuo, quē evexerat, *Ego te feci, ego te deſtruam.* Quaſi dixiſſet ei, Extuli te manu, deprimam te pede. Unica res eſt in totâ naturâ, in quâ effectus ſuā non agnoſcit cauſam, nimirum voluntas, quæ cùm creata fuerit à Deo (*Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* c) inſurgit adversùs Authorem ſuum, *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit. Tetendit enim adversùs Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt* d. Hæc eſt ipſa voluntas, quæ facit illū exire *à Patre, & in mundum* e venire, ut attentet contra eum, & mortem inferat Authori vitæ ſuæ, quæque inducit hodie illum ad qoerendum de ingratitudine omnium teterrimâ, *Quid me quæritis interficere? Quod eſt contra legem* f, *quæ prohibet innocentes occidi. Hoc Chriſtus dixit, ut oſtenderet ſe illorum machinationes cognoſcere, & ut eos ad emendationem induceret, non tamen ut mortem imminentem evaderet*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus g poſt Evangeliſtam noſtrum. Ipſos Judæos alloquitur Dei Filius, & in eorum perſonâ univerſos peccatores, cùm univerſi ad iſtud patrandum concurrant deicidium.

c Gen. 9. 6.
d Iob 15. 20. &c.
e Ioan. 16. 28.
f ex Exod. 20. 13
g Dion. Carth. art. 10. in Ioan. 7. 20.

Quid commiſerat amantiſſimus Salvator noſter ut tam diris exciperetur ſuppliciis? quorumnam conſcius erat criminū, propter quæ ad ſuſtinenda tanta damnatus ſit tormenta? Nonne ipſe erat innocens? *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*, ait S. Petrus h. *Hoc idē apud Iſaiam* i *ſcriptū eſt. Fuit enim Deus & homo omnimòque Salvator. Idcircò nequaquam decuit culpam eſſe in eo. Fuitque ejus humanitas ab incarnationis exordio perfectiſſimè confirmata in bono*, ait idē Carthuſianus k. Quænam eſt cauſa tolerantiarum ejus? Nunquid non ipſum *vidimus plenū gratiæ & veritatis* l? *Tota nempe capacitas intellectualis creaturæ, vel rationalis, quantùm ad gratiæ receptionē, fuit in animâ Chriſti repleta, eratque gratia iſta ſummè perfecta atque pleniſſima, ratione immediata ac hypoſtaticæ unionis hominis Chriſti cum verbo. Quantò enim intellectualis creatura fonti gratiarum Deo ſublimi viciniùs copulatur, tantò gratiâ ampliori perfunditur. Quemadmodum ergo humanitas Chriſti incomparabiliter præ cæteris omnibus viciniùs unita eſt verbo, ſic gratia ejus omnium Electorum gratiā incomparabiliter penè, non tamen ſimpliciter infinitè excedit*, dicit idem Dionyſius Carthuſianus m. Innocens igitur erat Chriſtus, cùm tantâ præditus gratiâ peccare nō poſſet: nos verò criminum conſcii innumerorum, qui ideò propter ea expianda tantas merebamur ſuſtinere pœnas, ſi eæ ſatisfacere potuiſſent Deo: ſed cùm illæ Divinæ non poſſent ſatisfacere juſtitiæ, quia omnes pœnæ, quas ſuſtinere poſſemus, ſunt finitæ; offenſæ verò noſtræ ſunt infinitæ, quippe quæ patratæ contra Deum, qui *non habet finem* n: ideò requirebatur ſatisfactio infinita; & hanc peregit Dei Filius homo factus, laboribus ſuis pretium & meritum impendens infinitum ratione

h 1. Petr. 2. 22.
i ex Iſai. 53. 4. &c.
k Dion. Carth. art. 5. in 1. Petr. 2. 22.
l Ioan. 1. 14.
m Dion. Carth. art. 5. in Ioan. 1. 14.
n Baruch 3. 25.

unionis ſuæ hypoſtaticæ cū Verbo Divino. Propter amorem igitur noſtrum, & ad expianda ſcelera noſtra ipſe ſe effecit victimā omnium rigorū; *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*, ait Iſaias o. Et Cornelius p poſt eum, *Nimirum non Chriſti, ſed noſtra iniquitates Chriſtum vulnerarunt, & attriverunt, eum lacrymari* q, *ſuſpirare, & gemere fecerunt. Tua, ô guloſe, gula Chriſtum felle & aceto* r *potavit: Tua, ô ſuperbe, ambitio Chriſtū inter latrones ſuſpendit* s: *Tuus, ô comptule, veſtium luxus Chriſtum ſpineâ coronâ coronavit* t: *Tua, ô luxurioſe, libido Chriſtum clavis transfixit; flagellis concidit, & toto corpore cruentavit* u: *Tua, ô maledice, maledicta & blaſphemia, Chriſti faciem, in quā deſiderant Angeli proſpicere* x, *ſputis onerarunt* y. *Vis ergo, ô peccator videre vivam imaginem animæ tuæ peccantis? Inſpice Chriſtum flagellatum, conſputum, coronatum, & crucifixum: inſpice toto corpore cruentatum & lividū, ut totum corpus non videatur eſſe niſi una plaga, livor, & vulnus* z: *inſpice deſiguratum quaſi leproſum* a. *Hæc eſt forma, hæc ſpecies animæ tuæ, quam Chriſtus in ſe ſuſcepit, & expreſſit. Ora eum, ut ſuis plagis, plagas animæ tuæ; ſuis vulneribus, tua vulnera curet. Rurſum vide, & admirare abyſſum amoris Chriſti, qui ſe pro te in hâc informi formâ, in hiſce pœnis & cruciatibus coram Deo ſubſtituit, qui propter te hæc omnia pati voluit, qui ſe hoſtiam pro tuis peccatis Deo obtulit* b, *hoſtiam, inquam, ita conciſam, & laniatam; quot in corpere ejus cernis vibices, livores, & ſtigmata, tot notas, tot charactêres immenſi amoris intueris.* Nolite igitur dicere, peccatores, quòd cruci ſuffigendum illum Judæi tantùm ſategerint, cùm crimina veſtra eum magis affligant, & peccata veſtra majori ſævitiâ illum crucifigant, quam crucifixionem ipſius machinati fuerint Judæi, ſolicitando Pilatum inſtantiſſimè ut illum damnaret ad mortem, *Tolle, tolle, crucifige eum. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur* c.

o Iſai. 53. 5.
p Cornel. in Iſai. 53. 5.
q ex Hebr. 5. 7.
r ex Pſ. 68. 21. & ex Matt. 27. 48
s ex Mat. 27. 38.
t ex Ioan. 19. 2.
u ex Ioan. 19. 1. &c.
x ex 1. Petr 1. 12.
y ex Mat. 26. 67.
z ex Iſai. 1. 6.
a ex Iſai. 53. 4.
b ex Epheſ. 5. 2.

Jeſus Chriſtus igitur de veſtrâ queritur barbarie, & veſtram damnat inhumanitatem ſupra ſævitiam Judæorum, dicens, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam* d. Quaſi diceret, mali Chriſtiani ſuam longiùs protraxerunt nequitiā, quàm tulerint Judæi, & crudeliores fuerunt adversùs me, quàm fuerint illi. Sic eſt, Auditores; inhumaniores ſumus nos contra Jeſum, quàm fuerint Judæi immodicâ rabie perciti: duos, aut tres, aut quatuor, ſi velitis, carnifices deſtinaverunt illi ſecundùm decretum Pilati ad crucifigendū illū ſuper monte Calvariâ, *ubi crucifixerunt eum* e. Iſte mons fuit theatrum confuſionū Jeſū: ſed hodiernâ die omnes domus, integræ civitates ſunt Calvariæ, in quibus Dei Filius vitā amittit, & tot ibidē ſunt carnifices, quot peccatores qui ſceleri lethifero aut conſentiunt, aut, quod pejus ejus, illud patrant. Quiſnam autē non eripit ei vitā? Et quis non crucifigit eū? Cùm Dei Filius patibulo crucis fuit ſuffixus, omnes creaturæ fuerunt deſolatæ, ſuo modo doloris ſui teſtimonium perhibuerunt, & oſtenderunt ſe nō concurriſſe ad ejus mortem, cùm illius interitū deplorarent: ſola crux morti illius interfuit, ſed ipſa ſemetipſam nō obtulit, ſed quærenda fuit, ita ut quaſi compulſa ſerviret huic deicidio, ſicut & *milites præſidis exeuntes invenerunt hominē Cyrenæum, nomine Simonē: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus* f. Sed heu quis hoc credet? Peccator, ſic eſt; peccator ſemetipſū offert ad crucifigendū Jeſū Chriſtū, & quandiu omnes creaturæ ſuo modo fugiunt, aut latent, ne ſerviant, ut inſtrumentū pera-

c Ioan. 19. 15. &c.
d Pſ. 128. 3.
e Ioan. 19. 18.
f Matth. 27. 27. & 32.

peragendæ huic accommodū inhumanitati, quæ caligine Solem, & aërem tenebris circumquaque offundit, peccator ſeipſum præſentat ut ſit patibulum & crux, ut ibi Jeſum Chriſtum perimat, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes* g. Quid diceretis, Auditores? ſi reo aliquo damnato ad mortē, nec ullo invento patibulo ad eum ſuſpendendum, alius ſe offerret Judicibus, & diceret eis, Nolite ſoliciti eſſe, Domini mei, ego ero crux illius, alligate, vel alligandum eum mihi præcipite, & ego eum enecabo; & ſi re verà conſtringens ei fauces, vitā illi eripiat: quid inhumanius? Et hoc eſt quod agit peccator efficiens ſe patibulum & crucem ad inferendam denuò Jeſu Chriſto necem: *Omnis enim qui in priſtina peccata relabitur, iterùm quaſi crucifigit Chriſtum; quia novo peccato novam dat cauſam crucis & mortis Chriſti: facit enim rurſum id propter quod Chriſtus crucifixus eſt. Quare niſi Chriſti mors tam efficax fuiſſet, ut ad omnia omnino peccata poſt quantavis ſæcula futura & iteranda ſe extendiſſet; oporteret Chriſtum toties mori, & crucifigi, quoties peccant homines, ſicut Aaronica ſacrificia & victimæ toties mactari & offerri debebant, quoties peccabant Iudæi* h. *Et oſtentui habentes. Id eſt, paradigma, ſive exemplum ſtatuentes, quod ab omnibus videatur & rideatur; hoc eſt, infamantes, irriſioni, & ludibrio exponentes. Unde Syrus habet, Contemnunt, deſpiciunt, contumeliā & ignominiā afficiunt: qui enim in peccata relabitur, hoc ipſo contemnit, vilipendit & ridet Chriſtum, Chriſtique crucem & redemptionem; atque hoc ipſo cauſa eſt, ut Chriſtus in exemplum ludibrii Gentibus, omnibuſque hominibus proponatur, utque Gentiles dicaces & malevoli irrideant Chriſtum, Chriſtique legem & Eccleſiā, ſicut Iudæi irriſerunt Chriſtum in cruce ſuſpenſum* i: *ſic Iulianus Apoſtata irriſit, & irridendum propoſuit Chriſtum, & Chriſtianum*, ait Cornelius k.

g Hebr. 6, 6.
h ex Levit. c. 4. & ſeqq.
i ex Matth. 27, 39. & c.
k Cornel. in Hebr. 6, 6.

Unicam duntaxat Judæi præbendā Jeſu Chriſto ſategerunt *crucem* l. Peccator autem præparat ei tres cruces, unam in mente ſuā, aliā in corde ſuo, & aliam in corpore ſuo. Tribus iſtis crucibus ſuffigitur Jeſus Chriſtus in peccatore. Crucifigitur in mente ejus, quæ eſt ipſi loco patibuli, hoc autem fit cogitationibus criminoſis vanitatis & ambitionis, quæ mortem Jeſu Chriſto inferunt: ſciendum enim eſt, quòd moriens in cruce, ipſe redemit *pretio magno* m omnes bonas cogitationes, & univerſas bonas inſpirationes quas unquam foremus habituri: cùm autem peccator reſpuit has bonas inſpirationes, extinguit omnes iſtos motus ſacros, ut Deus ipſimet improperat, *Quia vocavi, & renuiſtis* n: conculcat *Filium Dei, & Sanguinem Teſtamenti pollutum* ducit, *in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam* o facit; & eundem Chriſtum contemnit in mente ſuā: dixit enim, *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* p. Avare, fœnerator, quandiu hoc tempore caritatis & penuriæ tritici, omnia congregas frumenta regionis vicinæ, pauperem enecas pereuntem fame defectu panis, & tu foves cogitationes iſtas pravas & immiſericordes, & quæris media perducendis ad exitum conſiliis tuis inhumanis opportuna: & in hoc crucifigis Filium Dei in mente tuā, cùm id, quod facis egeno, facias eidem Jeſu Chriſto.

l Ioan. 19, 17.
m 1. Cor. 6. 20.
n Prov. 1, 24.
o Hebr. 10, 29.
p Matth. 25, 40.

Secundam præparat Filiò Dei crucem peccator in corde ſuo, hoc autem agit, cùm accedit ad ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in ſtatu peccati mortalis, cū conſcientiā criminoſā: tunc enim crucifigit Jeſū Chriſtū in corde ſuo. Advertiſtiſne aliquando naturam inſitorū? Si applicetis inſitū trunco viventi, truncus feret fructus ejuſdē naturæ, cujus eſt inſitum; ſi è contrà arbori mortuæ, oportet neceſſariò ut pereat & moriatur hujuſmodi inſitum: Jeſus Chriſtus eſt inſitū cœleſte, *Suſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras*, ait S. Jacobus q. Si inſeratur trunco viventi, id eſt, animæ gratiā animatæ, optimos producit fructus, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* r. Fructus iſte vitam præbet æternā, & inſitū iſtud communicat animæ, quæ ipſum ſuſcipit, qualitatem ſuā, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me* s. Si verò truncus, qui ſuſcipit hoc inſitū, mortuus eſt, oportet etiam ut ipſum inſitum moriatur: ſi anima, quæ recipit Jeſum Chriſtum, eſt mortua per peccatum, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* t: oportet ut Jeſus Chriſtus moriatur, & cor peccatoris eſt patibulū, in quo Jeſus Chriſtus vitam amittit. Sic eſt, Auditores; qui ſuſcipit hoc inſitū in ſtatu peccati mortalis, non meretur minus ſupplicium, quàm Judæi qui Chriſtum cruci ſuffigendum ſategerunt, cùm conſcius ſit ejuſdem criminis, cujus Judæi. Servire ſuis nō fecerunt Jeſum Chriſtū malitiis, ſed ipſis fuit ſatis quòd illum reddiderint objectum rigoris ſui, & victimam ultionis ſuæ: at peccator ulteriùs progreditur, & vult ut Filius Dei ſibi ſerviat quantùm ad iniquitatē, ut ipſemet Deus ipſi exprobrat, *Veruntamen ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis* u. Videbitis homines apparenter pios, qui ſingulis hebdomadibus accedēt ad ſacram Communionē, & quare? Ut ſervire faciant Jeſum Chriſtum ad adulterium ſuum operiendum, ut tegant ſe Dei Filio tanquam velo, & ſic æquo liberiùs effractā fronte proſtitutioni ſuæ conſuetæ indulgeant. Siccine, infœlices homines, excipitis Jeſum Chriſtum? Nonne ſufficit vobis ut illum occidatis in corde veſtro, nedum eum ſervire faciatis vitiis veſtris?

q Iacob. 1, 21.
r Ioan. 6, 59.
s Ioan. 6, 58.
t Ezech. 18, 4. & 20.
u Iſai. 43, 24.

Tertiam parat Jeſu Chriſto peccator crucem in corpore ſuo, quandiu non obſervat jejunium, & carnem comedit abſque diſpenſatione hoc ſacro tempore Quadrageſimæ, quod Eccleſia deſtinat ad ſanctitatem, ad pœnitentiam, & ad mortificationem carnis. Franciſcus I. unus ex eximiis Galliæ noſtræ Regibus, perhibetur aliàs inuſitato ſeſe intuendum exhibuiſſe apparatu; brachium ferebat mitellā inveſtitum, quod magno ſtupore totam perculit illius Curiam. Interrogatus autem ab aliquo ex Aulicis ſuis confidenter ab ipſo ſciſcitante cauſam talis eventus, & quare brachium deferret mitellā circumcinctum, reſpondit ſe jacturam brachii ſui incurriſſe. At ille, Amiſitne Majeſtas tua brachium ſuum? Sic eſt, ait illi Rex; præciſum eſt mihi brachium: cùm enim miſerim aliquem è miniſtris & officialibus meis ad peragendam quandam executionem, ille uſus eſt violentiā, & verberibus, & in hoc præcidit mihi brachium meum dextrum, quod eſt juſtitia mea. Leges ſunt brachia Principis, & ideò ſapientiſſimus iſte Monarcha dicebat appoſitè, præciſum ſibi fuiſſe brachium ſuum, cùm fractæ fuiſſent ipſius leges. Guloſus agit contra legem Dei decernentis exercendam pœnitentiam *in jejunio* x: & in non comedendis carnibus tempore Quadrageſimæ, præcidit illi brachium ipſius, mori illum facit, crucifigit illum in corpore ſuo, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* y. Mulieres etiam & puellæ illæ crucifigunt eum in corporibus ſuis, quæ ſinibus ſuis incedunt apertis, quibus non eſt ſatis quòd ipſæ offendant, ſed alios etiam inducunt ad offenſam; ipſæ peccant,

x Ioel, 2, 12.
y Hebr. 6. 6.

& peccare alios faciunt, ideò ſunt *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.* Id eſt, in corporibus ſuis. Advertiſne aliquando quomodo ſuper nuditatib⁹ ſuis deferant imagines Jeſu Chriſti, funiculo collis ſuis appenſas, & ſuper pectoribus ipſarũ apertis requieſcẽtes, ut oſtẽdant quomodo ipſarũ carnes ſint patibulũ, in quo Filius Dei crucifigitur, & quòd ipſæ hanc cruentã peragant executionẽ in propriis corporibus, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei?* Nunquid non peccatores abſque ullâ comparatione crudeliores ſunt ipſi Jeſu Chriſto, quàm fuerint unquam Judæi, cùm pro unâ cruce, quam iſti paraverunt ei; illi præparent ei cruces tres, ſuper quibus ſingulis inhumanè illum periment? Prima eſt in mente, ſecunda eſt in corde, tertia eſt in corpore, ubi eum crucifigunt. Jure merito poteſt igitur dicere, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatẽ ſuam* z. Quaſi diceret, Chriſtiani proceſſerunt ultra rigorem Judæorum, & longiùs quam illi, ſuam protraxerunt nequitiam. Aliqui, ut ait Lorinus *a*, vertunt, *Prolongaverunt ſulcum ſuum, ut ſolito longior eſſet ſulcus, inquit Trevetus. Alii; ſulcos pluraliter. Chaldaice; arationem ſuam.* Quando agricola vult terram colere, in eâ primò vomerem collocat, deinde verò intimis ejus viſceribus aratrum infigit: ſic Jeſus Chriſtus ait, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores. Chaldaice, Super corpus meum araverunt arantes,* ait idem Lorinus. Et ſubdit, *Scribit Birgitta, flagellis aculeatis, infixu aculeis, & retractu, non evellendo, ſed ſulcando, totum corpus Chriſti laceratũ fuiſſe. Verberibus flagelliſque dorſum Chriſti, quaſi frugifera tellus proſciſſum eſt, ac exaratum, ut in id velut ſementis jaceretur, ex quâ Martyrum ſeges tempore breviſſimo pullularet: vel juxta tranſlationis communis verbum fabricandi, pulcherrima iiſdem corona fabricarentur. Feracior ager crebriùs aratur: & pius vomere perſecutionum ſæpiùs proſcinditur. Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum. Nec deeſt qui quo tempore vapulabat Chriſtus, contextam ab aliis coronam ſpineam aſſerat ex iis ipſis junceis virgis, quibus verberabatur: ut conſtaret, ipſamet flagella Chriſti ceſſura ſanctis fuiſſe in coronas* b. *Credi pie id poteſt. Nec ſpernenda aliorum* c *arandi verbo utentium comparatio ſeminatoris, ſive vomeris, aratri, boum, terra arata, cum diabolo, Pilati poteſtate politicâ. Anna, & Caipha, Chriſti dorſo, totoque corpore, ut diabolus per Annam, & Caipham, quos ſtimulabat, traxerit Pilatum ad proſcindendum, ſulcandumque flagellis dorſum & corpus Chriſti* d.

z Pſ. 128. 3.

a Lorin. in Pſ. 128. 3. citans S. Birgit. lib. 1. Revel. c. 10. & lib. 4. c. 70.

b & Vegam in Pſal. 6. Pœnit. v. 7. & 8. diſc. 2. n. 15 & 16.

c & Valderam. Exerc. de flagellis Chriſti.

d ex Lorin. c. 18. & 19.

S. Paulus loquens de Judæis *e*, ait, *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Id eſt, ut exponit Dionyſius Carthuſianus *f*, *Si Principes Judæorum cognoviſſent, non procuraſſent à Pilato mortem Chriſti.* Inde docere nos vult Apoſtolus, quod Judæi non peccaverunt niſi præ ignorantiâ: & ſi illos omnino non excuſat; ſaltem eos non reddit ita criminoſos, oſtendens quòd, ſi illum agnoviſſent talem qualis erat, id eſt, Dei Filium, odium ſuum mutaſſent in amorem, contemptum ſuum in reverentiã, injurias ſuas atque blaſphemias in laudes & encomia, ſævitiam ſuam in dulcedinẽ, & crucem ſupplicii illius in thronum gloriæ: ſed Chriſtiani, qui ſunt illuminati lumine fidei, non ignorant quòd Jeſus eſt *Chriſtus Filius Dei vivi* g. *Id eſt, Rex, Meſſias, mundi Salvator, oleo exultationis, plenitudine gratiæ, chariſmate ſpirituali excellentiſſimè unctus* h, *Filius Dei unicus, unigenitus, naturalis, non adoptivus. Dei vivi, id eſt verè viventis vitâ beatâ, quod additur ad differentiam hominum mortuorũ, qui à Gentibus colebantur ut dii, ut Juppiter, Apollo, Minerva, Diana: qui quantùm ad corpus omnino defuncti ſunt, quantùm verò ad animam mortui ſunt morte culpæ ac pœna, quæ eſt mors ſecunda* i, ait Dionyſius Carthuſianus k poſt S. Petrum confeſſum Divinitatem Chriſti. Agnoſcunt illũ igitur Chriſtiani ut Redemptorem ſuum, cùm omnes ſciant, quòd ipſe eſt, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* l. Ideò crimen illorum enormius eſt ſcelere Judæorum, & minùs veniâ dignũ, cùm ſint crudeliores quàm fuerint Judæi. Nihil aliud fecerunt Judæi, quàm poſtulare ut executioni mandaretur voluntas Filii Dei, qui ideò in hunc mundum venerat, ut immolaretur pro peccatis populi ſui, ut ipſemet fatetur, Patrem ſuum æternum alloquens, *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtũ & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* m. Sua conſenſit ipſe morti, & ad crucem ſuam perrexit amplectendam, quoniam talis fuit ipſius voluntas, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* n. Id eſt, ut ad propoſitum noſtrum explicat Cornelius *o*, *Non coactus armis & vi Judæorum eum capientium* p, *non invitus & reluctans; ſed ſponte acceptans voluntatem & juſſum Patris, eique ſe liberaliter offerens. Hoc eſt quod ait Paulus* q, *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Et Chriſtus ipſe, Nemo tollit eam (animam meam) à me, ſed ego pono eam à meipſo* r. Sed Chriſtianus facit illum mori in ſtatu gloriæ, vitamque illi eripit, quantùm in ipſo eſt, trahit eum aliquo modo ad montem Calvariam, eumque reluctantem crucifigit. Hinc patet enormitas criminum noſtrorum, & quòd auſum noſtrum ſacrilegum prætergreditur ſævitiã Judæorum, & inducit illum ad dicendum, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Vel, *Super corpus meum araverunt arantes,* ut ſuprà jam queſtus eſt. Ego verò mihi videor intueri illum trahi immiſericorditer per compita civitatis veſtræ, ſicut aliàs immaniter miniſtri juſtitiæ trahebant illum per compita Jeroſolymorum, *Milites Præſidis poſtquàm illuſerunt ei, exuerunt eum chlamydem: & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eũ ut crucifigerent* s. Illũ, inquam, mihi videor aſpicere flagellis diſciſſum, & ad tantæ infirmitatis ſtatum redactum ut ambulare non poſſit, & oculos ſuos projicientem ſuper peccatores, ut illorũ corda emolliat ad compatiendum tolerantiis ſuis, quæ poſſent emollire urſos, tigrides, & pantheras, & induratiſſimas vel rupes, & tamen, ô ſævitiã quæ cœlum horrore percellit, & Angelos tremore cõcutit! perficiunt mortem illi inferre, ſuos diſtringunt gladios in ſinum ejus, & ad exitum perducunt pravum conſilium ſuum inferendæ ei mortis ſævioris, quàm illi procurata fuerit ab ipſis Judæis. *Sanguine hircino adamas frangi dicitur. Sed heu Sanguine Chriſti cor tuum non frangitur!* exclamat S. Bonaventura *t*, alloquens malum Chriſtianum, cujus eſt induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* u ſtrictum. Et ante illum S. Bernardus *x*, *O duri & obdurati Adam filii, quos non mollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris!* Conſidera, peccator, quid Chriſtus patiatur pro te, ſupplicia quibus afficitur, & contumelias ac opprobria quibus obruitur; & ceſſa à peccatis tuis, cùm nihil æquè affligat Salvatorem tuum, ac ingratitudo tua. Sic eſt, Auditores. Ego verò mihi videor audire illum dicentem peccatori, quotieſcumque hic ingratus vult ipſum offen-

e 1. Cor. 2. 8.

f Dion. Carth. art. 2. in 1 Cor. 2. 8.

g Matth. 16. 16.

h ex Pſ. 44. 8.

i ex Apoc. 20. 14.

k Dion. Carth. art. 29. in Matth. 16. 16.

l Apoc. 1. 5.

m Pſ. 39. 7. &c.

n Iſai. 53. 7.

o Cornel. in Iſai. 53. 7.

p 12 Joan 10, 12.

q Galat. 2. 20.

r Joan. 10, 18.

s Matth. 27. 27. &c.

t S. Bon. ſerm. 4. in Paraſc.

u Job 41. 15.

x S. Bern. ſerm. [illegible] M.

offendere, id quod ipſe aliàs dixit Apoſtolo ſuo S. Petro ipſum gravi cruce oneratum obvium habenti, ipſumque interroganti, *Domine quò vadis? Venio iterum Romam crucifigi*. Re enim verà quoties Chriſtiani peccato ſe inquinant lethiferò, toties Jeſu Chriſto mortem inferunt, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* y.

y Hebr. 6. 6.

Peccator, heu! obſecro te, ſiſte ſævitiam tuam, parce Salvatori tuo, id eſt, ne cruentes ampliùs Sanguine illius manus tuas: ſed imitare hunc fidelē militē Joab Ducis exercituum Davidis, qui intuitus Abſalonē filiū Regis quercui inhærentē, non eſt auſus ei mortis ictum infligere, ſicut hoc modo narrat Hiſtoria z ſacra, *Accidit ut occurreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo: cùmq; ſuiſſet ingreſſus mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quercui: & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus cui inſederat, pertranſivit. Vidit autem hoc quiſpiam, & nuntiavit Ioab, dicens: Vidi Abſalom pendere de quercu. Et ait Ioab viro, qui nunciaverat ei, Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terrâ, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & unum balteum? Qui dixit ad Ioab; Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* Fortunam præ ſuis habebat manibus miles iſte, magnus effici poterat, & profectò Joab illum magnâ mercede donaſſet, & ad aliquam evexiſſet eum dignitatem, ſi intereniſſet Abſalonem; ſed noluit eò puſillanimitatis procedere generoſus iſte miles, ut manus ſuas cruentaret ſanguine filii Principis, & omnia quæ ſibi potuiſſent offerri, præmia contempſit, *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* Heu! Chriſtiane, cùm ſolicitaris offendere Deum, inſurgere in leges ejus, divina illius tranſgredi mandata, adverſari ſanctis voluntatibus ejus, amare id, quod ipſe tibi prohibet, profanare altaria ejus, deridere ſacra myſteria ejus, & committere crimen inobedientiæ circa ea, ratione quorum exactam teneris illi cuſtodire fidelitatem, tres habes Joabos, qui te circuedant, iſti tres Joabi ſunt mundus, diabolus, & caro: iſti tres inimici innumeras tibi pollicentur ſatisfactiones, infinitas tibi promittunt voluptates, blandiuntur tibi vanâ expectatione, quòd comparare tibi poſſis honores & dignitates, æquè ac commoda temporalia juxta menſuram deſiderii tui, ſi offendere velis Deum tuum. Ha! hoc in occurſu reſpondere debes ſingulis illis tribus, ſicut reſpondit generoſus ille miles Joabo, *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* Abſit à me, ut denuò cruentem manus meas ſanguine Filii Regis cœleſtis. Valete igitur mercedes, præmia, ſatiſfactiones, oblectamenta, deliciæ, voluptates, honores, & dignitates, dummodo tanti non efficiar conſcius ſacrilegii; quale eſt denuò crucifigere Jeſum Chriſtum, *propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam* a. *Id eſt, eum pro præmio adipiſcar* b.

z 2. Reg. 18. 9. &c.

a Philip. 3. 8.

b Dion. Carth. in Epiſt. ad Philipp. 3.

c Dan. 13. 1. &c.

Imitemur, Auditores, caſtam & incomparabilem Suſannam, uxorem Joacim, cujus hiſtoriam narrat ſacer Textus c, *Erat autem Ioacim dives valdè, & erat ei pomarium vicinum domui ſuæ: & ad ipſum confluebant Iudæi, eò quòd eſſet honorabilior omnium. Et conſtituti ſunt duo ſenes judices in illo anno, de quibus locutus eſt Dominus, Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus judicibus, qui videbantur regere populum. Iſti frequentabant domum Ioacim, & veniebant ad eos omnes, qui habebant judicia. Cùm autem populus reverti ſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomario viri ſui. Et videbant eam ſenes quotidie ingredientem & deambulantem: et exarſerunt in concupiſcentiam ejus: et everterunt ſenſum ſuum, et declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum. Erant ergo ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt ſibi viciſſim dolorem ſuum: erubeſcebant enim indicare ſibi concupiſcentiam ſuam; volentes concumbere cum eâ: et obſervabant quotidie ſolicitiùs videre eam. Factum eſt autem, cùm obſervarent diem aptum, ingreſſa eſt aliquando cum duabus ſolis puellis, voluitque lavari in pomario: et non erat ibi quiſquam præter duos ſenes abſconditos, et contemplantes eam. Dixit ergo puellis, Afferte mihi oleum, et ſmigmata, et oſtia pomarii claudite, ut laver. Et fecerunt ſicut præceperat: clauſeruntque oſtia pomarii, et egreſſæ ſunt per poſticum, ut afferrent quæ juſſerat, neſciebantq; ſenes intus eſſe abſconditos. Cùm autem egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, et accurrerunt ad eam, et dixerunt, Ecce, oſtia pomarii clauſa ſunt, et nemo nos videt, et nos in concupiſcentiâ tui ſumus: quam ob rem aſſentire nobis, et commiſcere nobiſcum: quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum juvenis, et ob hanc cauſam emiſeris puellas à te. Ingemuit Suſanna, et ait: Anguſtiæ ſunt mihi undique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed meliùs eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Ha! Auditores. Oportebitne, ut Lex ſcripta, pudore ſuffundat Legem gratiæ? Nunquid non in ſimili occurſu dicemus? *Nobis mori meliùs eſt, quàm peccare in conſpectu Domini.* Amittamus omnia, bona, delicias, honores, immò & famam, ne perdamus ipſum Deum, qui ſeipſum voluntariè perdidit, ut nos inveniret, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* d. Super quod S. Bernardus e ait, *Oblatus eſt, non quia opus habuit, ſed quia voluit; et in cruce nihilominùs oblatus eſt, non quia meruit, non quia Iudæus prævaluit, ſed quia ipſe voluit. Voluntariè ſacrificabo tibi* f *Domine, quia voluntariè oblatus es pro meâ ſalute, non pro tuâ neceſſitate. Sed quid, Fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit* g *nobis? Ille pro nobis obtulit hoſtiam pretioſiorem quàm habuit, nimirum quâ pretioſior eſſe non potuit. Et nos ergo faciamus quod poſſumus; optimum quod habemus offerentes illi, quod ſumus utique noſmetipſi. Ille ſeipſum obtulit, tu quis es, qui teipſum offerre ſuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur Majeſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta* h *habeo Domine, corpus & animam dico: utinam hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi, longèque glorioſius atque utilius eſt, ut tibi magis offerat, quàm deſerat mihi ipſi: nam ad meipſum anima mea conturbatur* k: *in te verò exultabit ſpiritus meus* l, *ſi veraciter offeratur.* Sic eſt, Deus meus; iſta tibi offero, ut vivam tibi ſoli, nedum ampliùs cogitem de eripiendâ tibi vitâ per peccata mea. Vive igitur jugiter in animâ meâ in hoc ſæculo per gratiam, & ego vivam tecum in altero ſæculo per gloriam ſempiternam.

d Iſai. 53. 7.

e S. Bern. ſerm. 3. de Purificat.

f ex Pſ. 53. 8.

g ex Pſ. 115. 3.

h ex Marc 12. 42.

i ex Pſ. 49. 23.

k ex Pſ. 41. 7.

l ex Luc. 1. 47.

* * *

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

Ille homo, qui dicitur JESUS, lutum fecit, & unxit oculos meos, & vidi. Ioan. 9. 11. &c.

DUÆ res impediunt, ne videamus objectum, magnitudo ejus, & parvitas illius. Magnitudo, quæ propter nimiam extenſionem ſuam ad noſtros uſque pertingere non poteſt oculos. Nimia parvitas, quæ noſtrum latet viſum. Fides proponit nobis Deum ſub hoc utroque ſtatu, magnum in cœlo, quò noſtros ferre non poſſumus aſpectus, *Magnus Dominus in civitate Dei* a. Parvum in terrâ, cùm apparuerit nobis *in præſepio* b in ſtatu à infantis, *Parvulus enim natus eſt nobis* c. Quid igitur? annon poterimus objectum fœlicitatis noſtræ cognoſcere? Nonne aliquod nobis ſupereſt remedium? Ecce adeſt. Maria nobis ipſum præbet, cùm ipſa magnificaverit illius parvitatem, *Magnificat anima mea Dominum* d. Et magnitudinem ejus coarctaverit, ut concinit ipſi Eccleſia e, *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti*. Quod factum eſt, ubi audivit dici ſibi, *Ave Maria*.

a Pſ. 47. 2.
b Luc. 2. 7.
c Iſai 9. 6.
d Luc. 1. 46.
e Eccleſia ex 3 Reg. 8. 27.

Ignorantia eſt tumulus mentium, unde ſcientia eas excitat, ut illis vitam tribuat. Eſſe ignarum, eſt aſſimilari beſtiis, & non eſſe hominem, niſi apparenter: ſed eſſe peritum, eſt accedere ad intelligentias, & habere aliquid Dei, qui eſt origo ſcientiarum omnium f. Aſſerebat Ariſtoteles, quòd animæ venirent in mundum ut tabulæ raſæ, in quibus nondum aliquid eſſet, & quod tradendus eſſet penicillus manui objectorum, ad pingendam in iis diverſitatem rerum, quas deberent edoceri, quòd illæ nihil haberent ex ſe, & quòd omnia ad eas venirent aliunde. Plato è contrà docuit, quòd animæ venirent in mundum cum omnibus cognitionibus: cùm enim, inquiebat, educantur illæ ex ideis Dei, qui ſcit univerſa, oportet ut illæ ſint omnes ſcientes, ut tranſumptum cum ſuo conveniat Prototypo, & ſcientiam ſuſceperint ab hoc Principio, à quo productæ ſunt: ſed quòd omnes illarum cognitiones ſunt ſopitæ, cum animæ ſint immerſæ corporibus, & quòd illæ cognitiones non excitentur niſi per rationem; ſed quòd verè omnia ſemina ſcientiarum ſint in animabus, licèt ſopitarum, ſicut videmus, quòd triticum in terram projectum, ſuum non emittit calamum, niſi beneficio radiorum Solis, qui facit aperiri ſinum terræ, eamque floribus coronat: hoc igitur, quod Sol facit terræ, idem ratio facit animæ, quam excitat ita, ut foràs emittat ipſa ſcientias, quarum ſemina ſuſceperat ab ipſo ſuæ creationis inſtanti: & ratio, quæ animat animam, inflammatur ipſamet amore, qui eſt opifex, qui inducit omnia agentia ad actionem in naturâ, in arte, & in religione, quæ ſunt tres ſtatus, in quibus entia inveniuntur, & in quibus omnibus amor eſt principium actionis illorum.

f Eſth. 13. 11.

In naturâ videmus quaſi miraculum. Apis ſuum alveare tantâ elaborat induſtriâ, ut mentes noſtræ admiratione eleantur. Quiſnam tantam huic animalculo præbuit induſtriam? Amor ipſius erga ſuum mel. Cùm verò halcyon ridet tempeſtates, quæ minitantur navibus naufragium, & videt, quod procellæ veniant reveritum nidum ſuum, quem ædificavit ut domum fluctuantem ſuper undas, à quibus non poteſt concuti, quaſi præſcribere vellet leges huic elemento: quis dedit iſtam huic avi maritimæ induſtriam? Amor ovorum ſuorum, quibus incubat. In arte, videmus quòd omnes inclinationes diverſæ, quas habemus erga aliquid, non proveniunt nobis niſi ex amore, quo duci nos experimur: & parentes deberent attendere ad inclinationes liberorum ſuorum, & quò ferat illos amor ipſorum, cùm ordinariè nobis ad votum ſuccedant omnia, ad quæ inclinamur. Hic amor manifeſtatur præcipuè in religione, & hæc inclinatio, quâ ducimur erga beatitudinē nobis comparandam in cœlo, non oritur in nobis niſi ex amore ſalutis noſtræ. In naturâ quæritur propria ſatisfactio, in arte curioſitas, & in religione pietas. Beſtiæ ſuam quærunt ſatisfactionem, homines curioſitate ducuntur, & Chriſtiani ſpiritu pietatis moventur, ſed ſemper amor eos dirigit, & ipſe eſt qui facit nos habere cognitionem veræ ſapientiæ, quæ ſita eſt in amando & timendo g Deo, eique ſerviendo. Ut autem habeamus hanc notitiam junctam amori Dei, dico quòd non poſſimus eam meliùs invenire, quàm in Cruce, cum in eâ, & per eam cognoſcamus Deum. Scientia mundi eſt cæcitas, & omnia illius lumina non ſunt aliud, niſi tenebræ: idcircò enixè efflagitemus, inſtar cæci nati, à Jeſu Chriſto, ut ſumat parum luti, & ungat oculos noſtros, ut videre poſſimus, & dicere, non ſecus ac ille, ſinguli, *Ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & vidi*. Hoc eſt ergo, quod intendo vobis monſtrare in progreſſu diſcurſus iſtius, Quòd in Cruce, & per Crucem cognoſcamus, & amemus Deum. Attendite, ſi placet, dum incipio.

g Pſ. 110. 10.

Propoſitio.

In hoc conveniunt Deus & Sol, quòd ſicut Deus in cœlo *lumine* h ſuo illuminat entia intelligentia, & intelligibilia; ita Sol in mundo radiis ſuis illuminat ſenſus, & objecta ſenſibilia, & ſine luce ejus, colores, qui noſtros percutiunt oculos, videri non poſſent; ſic nihil videmus in tenebris: Sol igitur illuminat objecta ſenſibilia, & mediâ luce ejus noſtris uniuntur ſenſibus, qui illorum ſuſcipiunt ſpecies, quæ ad ipſos deferuntur, & ſic fit notitia, quam habemus per unionem objecti potentiæ ſuæ. Deus in Empyreo idem peragit erga Beatos, ſuis illuſtrat eos luminibus, quorum beneficio ipſum videre poſſunt, & creaturas in ipſo, *In lumine tuo videbimus lumen* i. Beati in cœlo vident Deum in Deo ipſo, & creaturas in Deo: ſed in hoc mundo non videmus Deum niſi in creaturis, & propterea oportet, ut Deus noſtras illuſtret mentes luminibus, quæ præ ſe ferant ardorem; ſimplex enim cognitio Dei ſine amore non eſt deſideranda; cognoſcere eum, & illum non amare crimen eſt, cognoſcendus eſt ut ametur, *Ars artium, ars amoris*.

h Pſ. 35. 10.
i Ibid.

Duæ ſunt viæ cognoſcendi Dei, via ſapientiæ, & via

& via ſtultitiæ. Viâ ſapientiæ cognoſcimus eum, ut illum diligamus, *Ita ut ſint inexcuſabiles* antiqui illi Philoſophi, qui cognoverunt Deum per creaturas, quia cognoſcentes eum, illum non dilexerunt. *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Nam cognoſcere Deum, & illum non diligere, ſcelus eſt, & omnis ſapientia deſtituta amore, eſt ſtultitia coram Deo: *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* k. Pergendum eſt ad notitiam Dei per amorem, *Ars artium, ars amoris.* Unica autem lampas meliùs illuminandis nobis opportuna ad cognoſcendum & diligendum Deum ſimul, eſt Crux, in quâ JESUS Chriſtus eſt tanquam Magiſter ad edocendam nos viam ſalutis, quæ conſiſtit in cognoſcendo & diligendo Deo ſimul, *Tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis*, ait S. Auguſtinus l. Re autem verâ ad cognoſcendũ Deum peragenda eſt congregatio omnium perfectionum poſſibilium & imaginabilium, eæque ſunt coacervandæ in idem ſubjectum, & poſt dicendum eſt, Hoc Deus eſt, & nondum eum cognoſcemus, niſi in eo collocemus altiſſimam perfectionem Dei, quæ maximè in illo elucet, nimirum dilectionem ejus: atqui hanc dilectionem nunquam videmus meliùs quàm in Cruce: ergo in Cruce, & per Crucem cognoſcimus, & diligimus Deum. Quòd Deus iſtum fecerit mundum propter hominẽ m, multum eſt: quòd omne, quod fecit Deus, idipſum deſtinaverit ad obſequium hominis, hoc eſt illum valdè diligere: quòd exiverit *à Patre, & in mundum* n venerit propter hominem, eſt quid majus. Quòd paſſus fuerit, omnes miſerias humanas in ſe aſſumens o, quid majus? Sic eſt. datur & aliquid amplius, ibi non ſiſtit dilectio ejus: moritur enim pro homine, homine autem inimico ſuo, *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt* p. Ecce columnæ dilectionis, *Non plus ultrà.* Et moritur pro homine in Cruce: in Cruce igitur maximam ſuam demonſtrat dilectionem, quia mori pro inimicis ſuis, hoc ſolùm pertinet ad Deum: cognoſcimus igitur Deum in Cruce, & per Crucem: Crux ducit nos in cognitionem Dei, & in amorem ejus, quæ ſcientia eſt perfectiſſima omnium ſcientiarum: ſic DD. Thomas & Bonaventura aſſerebant ſe clariſſimas notitias ſuas didiciſſe in ſcholâ Crucis, ita ut ſinguli dicerent cum Apoſtolo, q *Non judicavi me ſcire aliquid, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* S. Dionyſius Areopagita omnes ſuas cognitiones eduxit è Cruce, & nos ipſe ſibi multùm devinxit, cùm ſua nobis communicavit lumina, *Qui cùm adhuc in Gentilitatis errore verſaretur, eo die quo Chriſtus Dominus Cruci affixus eſt, Solem præter naturam defeciſſe* r *animadvertens, exclamaſſe traditur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur*, ait Eccleſia s.

k Rom. 1. 20. &c.
l S. Aug. tract. 119. in Joan. 19. 25. &c.
m Pſ. 8. 7. &c.
n Joan. 16. 28.
o Luc. 2. 7 &c.
p Rom. 5. 8.
q 1. Cor. 2. 2.
r ex Luc. 21. 45. &c.
s Eccleſia in Legendâ S. Dion.

Ante incarnationem & mortem Filii Dei, non poteramus cognoſcere eundem Deum propter quatuor nomina, quæ Scriptura attribuit ei, inviſibilis t, innaſcibilis u, inſcrutabilis x, & inveſtigabilis y. Cùm erat in cœlo, inviſibilis erat, & ſplendores luminis emicantes è throno ejus, pupillas noſtras offundebant caligine, & impediebant, quin illum videremus: ſed poſtquam *habitu inventus ut homo* eſt, z & mortem oppetivit, Cruci ſuffixus, ibi ſeſe intuendum exhibuit, ibidemque illum conſpexit diſcipulus, *quem diligebat Jeſus* a ipſemet, dicens, *Vidimus oculis noſtris* b. Cùm eclypſis Solis temperaſſet hunc ſplendorem. Cum illum non videre poſſemus in cœlo, conſpeximus illum in Cruce. In cœlo erat inacceſſibilis, illum adire non poteramus, & filii Iſraël verebantur, ne morerentur vel ad ſolum ſonitum vocis ejus, *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur* c. Dabatur quaſi diſtantia infinita inter illum & nos, ſed per Crucem ad illum ſic propè acceſſimus, ut illum tetigerimus, *Et manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ* d, ait S. Joannes, qui ſuſcepit ipſum in manus ſuas, cùm *Ioſeph ab Arimathæâ & Nicodemus acceperunt corpus Ieſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire* e. Inveſtigabilis erat, non poterat in cœlo cognoſci aliter, quàm per creaturas, *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas* f. Sed poſtquam ſuffixus eſt Cruci, cognoſcimus eum in ipſo, *Qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & Pater in me eſt* g. Ante incarnationem ipſe erat Deus inſcrutabilis, & incognitus, *Vere tu es Deus abſconditus* h. Sed quid? nonne Deum fœlicitatis noſtræ cauſam cognoſcemus? Seſe cognoſcendum exhibet, ſed in Cruce: ibi meliùs agnoſcitur, quàm inter ſplendidiſſima ipſius miracula i: in Cruce igitur, & per Crucem Deum cognoſcimus; ibi illum quærere debemus, invenire, & cognoſcere, *Tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis*, dixit ſuprà S. Auguſtinus. Per eam diſcimus, quomodo ſit ipſe cognoſcendus & amandus.

t 1. Timoth. 1. 17.
u Exod. 3. 14.
x Iſai. 45. 15.
y Rom. 11. 33.
z Philip. 2. 7.
a Joan. 19. 26.
b 1. Joan. 1. 1.
c Exod. 20. 19.
d 1. Joan. 1. 1.
e Joan. 19. 30. &c.
f Rom. 1. 20.
g Joan. 14. 9 & 10.
h Iſai. 45. 15.
i Joan. 12. 45.

Sirenes, ut ait Calepinus k poſt Poëtas, *cùm litus Siculum incolerent, nautas præternavigantes, ſuavitate cantus in naufragium pelliciebant. Vlyſſes autem, cùm illac ſibi iter eſſet, ſeipſum malo navis juſſit alligari: atque ita periculum tutus evaſit.* Si velimus illũ imitari, ne naufragiũ perpetiamur inter proſperitates ſeculi, quæ non blandiuntur, niſi ut ruinam invehant, nec alliciunt, niſi ut perimant; adhærendum nobis eſt *malo navis* Eccleſiæ, ne apparentiæ doloſæ mundi nos abripiant. Debemus, inſtar generoſi Ducis iſtius, alligare nos *malo* Crucis Jeſu, quæ detegit nobis amoris *exceſſum ejus, quem in Ieruſalem* l complevit, ut nos induceret ad rependendas ſibi mutuas dilectionis vices. Dico *exceſſum* amoris: nulla enim erat neceſſitas moriendi ex parte Dei, quia neceſſitas non cadit in Deum, ut ait illi S. Bernardus m, *Voluntariè oblatus es pro meâ ſalute, non pro tuâ neceſſitate.* Liber erat, & ipſe poterat ſibi ſatisfacere, ignoſcendo, abſque tantâ ſatisfactione, quam ipſe ſoluit, peccatum homini: non enim requirebatur, ut Dei Filius moreretur, cùm unica ipſius actio eſſet ſufficientiſſima, quæ ſatisfaceret Patri æterno in rigore juſtitiæ, ratione ſuppoſiti, quod erat infinitum, ſicut ipſe *non habet finem* n. Hæc ſola ſufficiebat oblatio, quam ipſe fecit ſuſ in ſinu ſanctiſſimæ Matris ſuæ per incarnationem, *Tunc dixi, Ecce venio* o. Quòd ſi dicatis mihi, quòd *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio* p. Reſpondeo Jeſum Chriſtum fudiſſe Sanguinem ſuum ſtatim poſt nativitatem ſuam, *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer* q iſte innocentiſſimus. Unica illius ſufficiebat gutta ad redimendos tot mundos, quot potentia Dei creare potuiſſet, quia Sanguis iſte erat pretii & meriti infiniti, & beneficio iſtius Sanguinis effuſi, infantes morien-

k Calep. in Diction. V. Siren.
l Luc. 9. 31.
m S. Bern. ſer. 3. de Purificat. ex Iſa. 53. 7.
n Baruch 3. 25.
o Pſ. 39. 8. & Hebr. 10. 7.
p Hebr. 9. 22.
q Luc 2. 21 ex Levit. 12. 3.

morientes ſtatim poſt Baptiſma, rectà pergunt in cœlum. Non requirebatur igitur mors JESU Chriſti ſuper Cruce, cùm miſſis omnibus aliis actionibus ejus, unica gutta Sanguinis illius effuſi ſuper altari Circumciſionis ſufficientiſſima eſſet. Iſtud eſt veriſſimum, mors Filii Dei non erat neceſſaria, ſed tantùm congrua erat propter multas rationes, quarum Crux nobis tribuit notitiam, ad ſatisfaciendum in rigore juſtitiæ, Divinitati, quæ criminibus hominum offenſa fuerat.

Nihil æquè adverſabatur Deo ac peccatum, *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris* r. Et diabolus non eſt ita injurioſus Deo, ſicut infenſum ei eſt peccatum: diabolus enim ſubditus eſt Deo, *ad infernum in profundum laci* s detractus: & Deum agnoſcit, *Quoniam unus eſt Deus, & dæmones credunt, & contremiſcunt*, ait S. Jacobus t. Et Dionyſius Carthuſianus u ſubdit, *Non ſolùm credunt unum eſſe Deum, ſed eundem etiam credunt trinum conſiſtere in perſonis* x, *& quicquid ad Catholicam fidem pertinet. Legitur enim dæmon dixiſſe, Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? Scio te quod ſis Filius Dei. Et, Exibant dæmonia multa, clamantia & dicentia, Quia tu es Filius Dei* y. *Ait hoc loco Venerabilis Beda, Qui Deum non credunt, aut creditum non verentur, profectò dæmonibus tardiores ac protervriores ſunt æſtimandi. Sed nec Deum credere & contremiſcere magnum eſt; ſi non & in eum credatur; hoc eſt, per fidem charitate firmatam in eum tendatur, & ejus in corde amor ſervetur.* Sed peccatum non agnoſcit Deum, inſurgit in Deum, non vult illi obedire, conatur excutere jugum ejus, & quantùm in ipſo eſt, nititur illum deſtruere: & inter omnia peccata illud, quod magis adverſatur Deo, eſt ſuperbia, quæ eſt caput omnium peccatorum mortalium. In cœlo Angelus apoſtata voluit aſſimilari Deo, *Similis ero Altiſſimo* z. Et ſicut nihil eſt, quod magis adverſetur Deo, quàm pluralitas deorum, quæ non poteſt eſſe, *Dominus Deus tuus, Deus unus eſt* a: *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma: Unus Deus* b: Plures Deos conſtituere, & nullum admittere, idem omnino eſt. Superbia igitur idololatriam introduxit in cœlum. In paradiſo terreſtri idem vitium voluit pari auſo temerario multiplicare deos, *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum* c. Et ecce idololatria, quæ efficit, ut quis ſe adoret, & ſe agnoſcat ut divinitatem: ſic aliàs Imperatores Romani reputabant ſe deos, & deorum pluralitas regnabat inter eos. Superbia intolerabilis, quæ adverſatur Deo, eique eſt maximè injurioſa, cùm velit illum deſtruere! Ut igitur ſatisfiat Deo pro hâc injuriâ ipſi irrogatâ, requiritur humiliatio Crucis, neceſſaria eſt depreſſio oppoſita huic elationi & ſuperbiæ, *in Chriſto Ieſu. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem.* Quid amplius? *Mortem autem Crucis* d. Id eſt, *Non qualemcumque, ſed turpiſſimam, horribiliſſimam, ac amariſſimam*, ait Dionyſius Carthuſianus e. Et ſtatim ſubdit dicti ſui rationem. *Mors enim crucifixorum graviſſima eſt, quia in locis nervoſis transfiguntur. Chriſtus autem inter latrones ſuſpenſus eſt* f, *& toto corpore violentiſſimâ expanſione diſtentus in tantum, ut diceat, Dinumeraverunt omnia oſſa mea* g. *De obedientiâ hâc ait Salvator, Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio* h. *Obedivit autem Patri uſque ad mortem incluſivè, non quòd Pater exegit ab eo mortem, tanquam aliquod debitum (ſecundùm Anſelmum) cum mors ſit pœna culpæ, quæ & in Chriſto non fuit* i, *ſed quia Patre jubente juſtitiam obſervavit verbo & opere increpando Iudæos, ex quo orta eſt Iudæorum invidia contra Chriſtum, ex quâ inſuper invidiâ ſecuta eſt Chriſti occiſio. Item per hoc Patri uſque ad mortem Crucis obedivit, quoniam ſicut Pater decrevit mundum per Chriſti paſſionem redimere, ſic Chriſtus promptiſſimè executus eſt. Propter quod ait ipſe, Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam* k. *Et, Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua* l. Et ſicut per *lignum* m & fructum arboris prohibitæ, infortunium acciderat mundo, homine non obediente Deo, oportebat, ut per lignum alterum ſatisfactio fieret Divinitati; hanc autem peregit Jeſus Chriſtus, cùm *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis* †. Et ſicut agnitum fuerat lignũ in idolis, quæ erant ficta, oportebat etiam, ut lignum Crucis agnoſceretur, *Ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, dicit Eccleſia. Et, ut ait Tertullianus n, *Ut fieret maledictum pronobis* o, *quia maledictus qui pependerit in ligno* p, *traditus eſt in mortem, mortem autem Crucis. Totum hoc, ut nos a peccatis lucraretur.* Cum igitur Divinitas fuerit offenſa ſuperbiâ primi Angeli, & inobedientia primi hominis; ſatisfactio ei impenſa eſt interventu humilitatis & obedientiæ JESU Chriſti *uſque ad mortem, mortem autem Crucis*, quæ tribuit nobis illius notitiam, & ad illius nos docet dilectionem.

Præterea, Crux notitiam nobis præbet præcipuorum attributorum Divinitatis, quæ in ipſâ manifeſta ſunt, ut potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis. Potentia, quæ omnia e nihilo eduxit per creationem, ſic per reparationem mundum creavit novum, *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam* q. In quo ſe oſtendit Creatorem rerum omnium, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Ideò Cornelius r ait, *Nota hic, Regnum Chriſti in Eccleſiâ vocari novum mundum, qui multò amplior, ornatior, auguſtior eſt iſto, quem cernimus, ut patet conſideranti ejus gratias, charismata, Sacramenta, miracula, ſapientiam, efficaciam, ſanctitatem, ejuſque Principes Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, &c. Hoc autem Regnum hic inchoatur, ſed perficietur in reſurrectione, quando cœlum & terra verè & materialiter innovabuntur* s. Naturæ, Quia cùm eſt Cruci ſuffixus, omnes creaturæ agnoſcunt eum ut Creatorem ſuum, & velut extremum cum eo agonem agunt, *A ſextâ autem horâ, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, a ſummo uſq; deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt* t. *Et obſcuratus eſt Sol* u. Gratiæ, cùm e Cruce, & è Paſſione Chriſti proceſſerint gratia, & omnia merita, *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* x. *Id eſt*, ut exponit Dionyſius Carthuſianus y, *liberatio à peccatis, juſtificatio generis humani, ſupernaturale donum Spiritus ſancti perficiens animam, eamque Deo acceptam, & ad promerendum idoneam faciens. Chriſtus tamque ut Deus, cauſa eſt principalis atque efficiens gratiæ hujus: ſed ut homo talis, eſt cauſa inſtrumentalis ac meritoria ejus.* Gloriæ, Quoniam cum cœlum eſſet clauſum, Crux illud nobis aperuit & reſeravit omnibus, *Dabo clavem domus David ſuper humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*, ait Iſaias z. Et Cornelius a, *Allegoricè, Procopius, Clavis, inquit, hæc Chriſti eſt Crux, quam ipſe humero geſtavit. Unde de eo dictum eſt, Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus* b. *Chriſtus enim ſuâ Cruce & Paſſione promeruit.*

r Habac. 1. 13.
s Iſai. 14. 15.
t Jacob. 2. 19.
u Dion. Carth. art. 4. in Jacob 2. 19.
x ex 1. Joan 5. 7.
y ex Luc. 4. 34. & 41.
z Iſai. 14. 14.
a Deut. 6. 4.
b Epheſ. 4. 5. & 6.
c Gen. 3. 5
d Philip: 2. 5. & 8.
e Dion. Carth. art. 2 in Philipp: 2. 8.
f ex Matt. 27. 38.
g Pſ. 21. 18
h Joan. 14. 31.
i ex 1 Pet. 2. 22. & ex Iſai. 53. 9.
k ex Joan. 17. 4.
l Matth. 26. 42.
m Gen. 3. 6. &c.
† Philip. 2. 8.
n Tert. lib. de Fugâ in perſecut. c. 12
o ex Galat. 3. 13.
p ex Deut. 21. 23.
q Iſai. 65. 17.
r Cornel. in Iſa. 65. 17.
s ex Apoc. 21. 1.
t Matth. 27. 45. &c.
u Luc. 23. 45.
x Joan. 1. 17.
y Dion. Carth. art. 5 in Joan. 1. 17.
z Iſai. 22. 22.
a Cornel. in Iſai. 22. 22.
b Iſai. 9. 6

meruit ut hæc univerſalis imperii Eccleſiæ poteſtas ei daretur: unde Crux fuit ei quaſi clavis, quia ille cœlũ aperuit, & velut inſtrumentum omnipotentiæ Chriſti, quod eſt clavis ejus Regia, quá omnes res ab eo claudi, & aperiri poſſunt: quá in re alluditur ad claves opertas ferreas, quæ in Crucis figuram ferrata conſpiciuntur, inquit Alcaſar c. [c ex Alcaſ. in Apoc. 3. 7.] Et beneficio clavis iſtius, omnes Patriarchæ, Prophetæ, & ſancti homines veteris Teſtamenti in cœlum ingreſſi ſunt, *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* d. [d Matth. 27, 52.] Sapientia Dei manifeſtata eſt præ ordine præclaro, & eximiâ diſpoſitione rerum omnium, educendo eas è confuſione: quænam major ſapientia ſapientiâ Crucis? *Hæc attingit à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* e [e Sap. 8, 1.] in gratiâ prædeſtinatorũ ad gloriã. Quodnã enim ſapientius conſiliũ inveniri poterat ad ſatisfaciendũ in toto juſtitię rigore, Divinitati, quæ offenſa fuerat? Bonitas illius apparuit præ omni effuſione poſſibili, cùm per Crucem omnes redempti fuerimus, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* f. [f Epheſ. 5, 2] *Et lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* g. [g Apoc. 1, 5.] Suum fudit Sanguinem inſtar Divini Pelicani, ut ſuſcitaret nos ad vitam gratiæ, & ad vitam gloriæ.

Inſuper, Crux oſtendit nobis, quòd ſua Deus adimplêverit promiſſa; cognoſcendá nobis exhibet fidelitatem ejus, *Fidelis Deus* h. [h 1. Cor. 1, 9.] Semper adimplevit id, quod pollicitus eſt. Promiſit aliàs populo Iſraëlitico, ſe educturũ eos *de afflictione Ægypti ad terram fluentem lacte & melle* i. [i Exod. 3, 17. &c.] Se daturum eis victoriam de inimicis ipſorũ, & ſimilia temporalia bona, quæ erant præmia quæ tunc pollicebatur Deus, & quæ complevit k. [k Exod. 14, 17. & 18. & Joſue 11, 23.] Eò tendebant tunc temporis promiſſiones Dei. *At ubi venit plenitudo temporis* l [l Galat. 4, 4.] incarnationis & gratiæ, ampliora promittit, æterna pollicetur *bona* poſſidenda *in terrâ viventium* m. [m Pſ. 26, 13.] Peractus eſt igitur contractus inter Deũ & homines, quo fertur, quòd ſi homines ſervent ipſius leges, ipſe pollicetur eis mercedẽ gloriæ, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* n. [n Matth. 19, 17.] Suum condit teſtamentũ, ſuas ultimas declarat voluntates. Aureis loquitur hoc in occurſu verbis eximius Juriſperitus S. Paulus s, [s Hebr. 9, 16, &c.] *Ubi enim teſtamentũ eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis confirmatũ eſt: alioquin nondũ valet, dũ vivit qui teſtatus eſt.* Antequá moriatur teſtator, quotidie mutari poteſt & refici teſtamentũ; ſed ubi teſtator mortuus eſt, tunc teſtamentũ illius ſuũ ſortitur effectũ: Dei Filius promiſerat nobis cœlũ: oportebat igitur ut moreretur, ad hoc ut ſuas compleret promiſſiones: ut igitur cõſequeremur gloriam, quá ipſe nobis promiſerat, congruũ erat ut Teſtator moreretur, Sanguis illius de cõgruo juxta pactũ requirebatur: ſic Moyſes aſpergebat librũ legis ſanguine victimarũ, *Tulit Moyſes dimidiã partẽ ſanguinis, & miſit in cratêras, aſſumenſq; volumen Fœderis, ſumptũ ſanguinẽ reſperſit in populũ, & ait, Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcũ ſuper cunctis ſermonibus his* p. [p Exod. 24. 6. &c.] Et S. Paulus cõformiter ad hoc cõcludit; *Unde nec primũ quidẽ ſine ſanguine dedicatũ eſt. Et ſine Sanguinis effuſione nõ fit remiſſio.*

Cognoſcendam deinceps nobis exhibet Crux exaltationem Jeſu Chriſti, glorificationẽ nominis ejus, & ſplendorẽ Regiæ dignitatis ipſius. Inimici illius hæc omnia voluerant ei eripere; auferre illi vitã, quæ eſt maximũ bonorũ omnium, vel ſaltẽ illorum fundamentum; deſtituere illum famâ ipſius, quam obſcurare contenderant calumniis, detractionibus, & contumeliis. *Alii dicebant, Seducit turbas* q. [q Joan. 7. 12.] *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbathum non cuſtodit. Alij autem dicebant, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere* r? [r Joan. 9, 16.] Et, *Judæi dixerunt ei, Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes* s? [s Joan. 8. 48.] Privare illum voluerant Regiâ dignitate, exhibentes illum deriſoriè induendum ut Regem theatricum, *Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Judæorum* t. [t Joan 19. 1. & 2.] Hæc prædixerat Jeremias u, [u Jer. 11. 19.] *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terrâ viventium.* Ecce quantùm ad vitam, quã voluerant eum deſtituere. *Et nomen ejus non memoretur ampliùs.* En quoad famam, quam conati fuerant denigrare: Sed per Crucem oſtendit ſe eſſe eum, *Qui eſt* x. [x Exod 3. 14.] Ideſt, ens ſupremum, & Authorẽ totius naturæ, quippe quæ tota compaſſa ſit ipſi morienti, ut exclamavit S. Dionyſius Areopagita, cum *obſcuratus eſt Sol* y [y Luc. 23. 45.] dicens ut ſuprà, *Aut Deus naturæ patitur, aut mũdi machina diſſolvetur*. Cùm prodigiũ iſtud eſſet contra ordinem naturæ. Quoad exaltationem nominis ejus, eam clarè enũciat S. Paulus z. [z Philip. 2, 8. &c.] *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autẽ Crucis. Propter quòd & Deus exaltavit illũ, & donavit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomen. Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtriũ, & infernorum: & õnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.* Quantùm verò ad ſplendorem & majeſtatem Regiæ dignitatis ejus, Eccleſia poſt Pſalmiſtam ait.

Regnavit à ligno Deus.

Vel ſecundum Patres a: *Dominus regnavit à ligno.* [a S. Aug. in Pſ. 95.]

Oſtendit nobis etiam Crux, quòd in ipsâ Dei Filius *peccatis mortuus eſt* b [b Rom. 6. 10.] Debetis enim ſcire, quod peccatum habet malitiã infinitã objectivè, quia intuetur Deum, qui eſt ipſius objectũ, *qui non habet finem* c. [c Baruch. 3 25.] Peccatũ infinitũ ratione pœnæ æternæ: meretur enim *ſupplicium æternum* d. [d Matth. 25. 46.] Infinitũ ratione malitiæ ſuæ, *Iniqui ideò cùm fine deliquerunt: quia cum fine vixerunt. Nam voluiſſet utique, ſi potuiſſet, ſine fine vivere, ut potuiſſet ſine fine peccare. Ad magnam ergo juſtitiã judicantis pertinet, ut nũquam careant ſupplicio, qui nunquam voluerũt carere peccato*, ait S. Gregorius e. [e S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 44.] Infinitum extenſione, infinitũ enormitate, ita ut ſolus Deus cognoſcat enormitatem peccati lethiferi: nec omnes homines, imò verò nec univerſi Angeli cùm õnibus luminibus ſuis poſſunt cognoſcere quouſque procedat enormitas peccati mortalis, nec quantũ offendat Deũ. Obſervate autem vos, *qui quaſi aquã iniquitatẽ* f [f Job 15. 16.] bibitis, quòd nullus Angelus, nec ullus homo ſatisfacere poſſit Deo pro peccato mortali: quantumvis enim Angeli aſſumerent corpora, hanc peragere non poſſet ſatisfactionẽ: & dato quòd õnes homines mortẽ oppeterẽt, totóque ſuũ funderent ſanguinẽ, hæc illorũ mors, & effuſio ſanguinis eſſent prorſus inutiles, quia hæc omnia procederẽt è ſuppoſitis finitis, & offenſa eſt infinita, & admitti debet cõvenientia inter culpã & ſatisfactionẽ: ideò requirebatur perſona infinita, & oportebat de congruo ut J. Chriſtus in Cruce moreretur. Propterea ipſe ait. *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverũt õnia oſſa mea* g. [g Pſ. 21. 17.] Erat *infinitus theſaurus hominibus* h [h Sap. 7. 14.] propoſitus; ut inveniretur, oportebat ut foderent homines clavis *manus, & pedes, & lanceâ latus ejus* i. [i Joan. 19. 34.] Ibi inveniebantur iſtud pretium infinitum, & non alibi, *Foderunt. Dinumeraverunt omnia oſſa* ejus: hæc enim erant pretium conſtituendum in ſtaterâ, pondus iſtud ponendum erat in unâ lance trutinæ propter gravitatem peccatorum in alterâ lance collocatorum, *Appenderunt mercedem meam* k. [k Zach. 11. 12.] Conveniens igitur erat mors Dei in Cruce, quæ

ducit nos in cognitionē reparationis noſtræ peractæ à Filio ipſius; & beneficio pretij infiniti Sanguinis Jeſu Chriſti, acceſſum habemus ad Tabernaculum; nullum eſt ampliùs velum, & impedimenta omnia ſunt ablata interventu Crucis & mortis ejus, *Habentes itaque, Fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam, & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt qui repromiſit.) Et conſideremus invicem in provocationem charitatis, & bo-*
l Hebr. 10. 19. &c. *norum operum* l. Aperta nobis eſt via ex quo Jeſus Chriſtus eſt ingreſſus Sanctuarium Paſſionis ſuæ, & abſtulit omnia obſtacula, quæ impediebant ne pergeremus ad cœlum, & gloriâ frueremur. Et ideo hortatur nos D. Paulus, ut ad iſtud accedamus Tabernaculum, præ nobis ferētes cor purum ab omni affectu pravo, præſertim verò odio, ut conſulit nobis ipſemet Chriſtus per Evangeliſtam m ſuum, *Si offers munus tuum ad altare, &*
m Matt. 5. 23. & 24. *ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens*
n D. Aug. tract. 44 in Joan. 9. 7. *offeres munus tuum*. D. Auguſtinus n obſervat D. Joannem non fuiſſe incurioſū in *natatoria Siloë* (*quod interpretatur Miſſus*) exponenda, ut doceret nos, quòd ille fons, in quo cæcus natus viſum ſuſcipit, repræſentat Jeſum Chriſtum à ſuo Patre æterno miſſum ad redimēdum genus humanum: ſic enim loquitur Doctor iſte ſanctiſſimus, *Niſi enim ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrûm eſſet ab iniquitate dimiſſus.* In tenebris peccati ſemper jacuiſſemus, nedum unquam fuiſſemus ſoliciti ob eum cognoſcendum, ut illum diligeremus.

o Matth. 2. 13. Tria ſunt genera hominum quærentium Deum. Aliqui quærunt eum præ ſævitiâ, *Ut Herodes puerum* Jeſum *ad perdendum eum* o. Alii præ curioſitate, ut alter *Herodes viſo Ieſu, gaviſus eſt valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo: & ſperabat ſignum a-*
p Luc. 23. 8. &c. *liquod videre ab eo fieri* p. Et alii præ pietate, ut *Zachæus quærebat videre Ieſum, quis eſſet: & non poterat præ turbâ, quia ſtaturâ puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum: quia inde erat tranſiturus, Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tuâ oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit*
q Luc. 19. 2. &c. *illum gaudens* q. Illi qui quærunt Deum præ ſævitiâ, inſtar Herodis, ſunt ij qui ad ſacram Communionem accedunt cum peccato mortali, ut meliùs operiant crimen ſuum velo ſanctitatis. Mulier adultera volutabit ſe in adulterio ſuo, & accedet ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, ut meliùs operiat ſcelus ſuum hâc apparentiâ pietatis,
r Iſai. 43. 24. & huic exprobrat Deus, *Veruntamen ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis* r. Hoc eſt quærere Deum crudelitate ad interimendum eum. Illi quærunt eum præ curioſitate inſtar alterius Herodis, qui veniunt huc ad Eccleſiam, ut hîc videant, & videātur. Mulieres illæ, & puellæ quæ huc accedunt propter talem finem, Deum quærunt, ſed præ curioſitate, ut illum irrideant, ſicut *ſprevit illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte albâ.* Qui quærunt Deum præ pietate, ſunt illi qui quærunt eum ducti motivo ſuæ ſalutis operandæ, ut eum cognoſcant, nec volunt eum cognoſcere niſi ut illum diligāt, & ei meliùs ſerviant: & hoc eſt illum quærere per viam ſapientiæ, & amoris, & invenire illum per Crucem, quæ nos ducit ad illius cognitionem, *Tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis*, ut ſuprà dixit S. Auguſtinus.

Secunda via ad cognoſcendum Deum, eſt via ſtultitiæ. *Quia in Dei ſapientiâ non cognovit mundus per ſapientiā Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes* s. Peccatores, qui- s 1. Cor. 1. 21.
cumque ſitis, cognoſcite Deum per viam ſtultitiæ, ſi recuſatis illum cognoſcere per viam ſapientiæ. Cùm ſuos Sol emittit radios præ ſplendore, tunc homines ſuas deprimūt palpebras, nec oculos audent ſuos ſurſum evehere ad illū intuendum; ſed cōfeſtim ac deficit, & in eclypſim labitur, unuſquiſque caput elevat, & tunc Sol tot habet teſtes defectus ſui, quot ſunt oculi qui ipſum aſpiciunt; cùm Deus in cœlo erat *amictus lumine ſicut veſtimento*, homines nō cogitabant de illo, ſuas palpebras deprimebant, *Declinaverūt oculos ſuos, ut nō* t Pſ. 103. 2.
viderent cœlum: ait Daniel u. Et Cornelius x, *Syrus, ut non intuerentur in cœlum; Arabicus, ne ſuſpicerent* u Dan. 13. 9.
in cœlum; ac conſequenter ut non revererentur Deum, x Cornel. in Dan.
cœli præſidem. Imò Maldonatus per cœlum accipit 13. 9.
Deum ipſum: ſic enim videtur accipi, Baptiſmus Ioannis unde erat? è cœlo y? *id eſt, à Deo.* Ubi erat autē ſe- y Matt. 21. 25.
re hora ſexta, & tenebræ factæ ſūt in univerſā terram uſque in horam nonam: & obſcuratus eſt Sol: & velū templi ſciſſum eſt medium: & clamans voce magnâ Ieſus, ait, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum z, *& hæc dicens, expiravit: Videns centurio* z ex Pſ. 30. 6.
quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, verè hic homo juſtus erat. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur †. Ita ut tene- † Luc 23. 44. &c.
bræ Calvariæ præbuerint illis cognitionem Dei.

Poſſumus etiam Deum cognoſcere per viam congregationis, aut per viam reſectionis. Per viā congregationis, nimirum coacervando omnes confuſiones, pœnas tolerantias, infamias, calumnias, & perſecutiones in hominem cruci ſuffixū, & deinde dicēdo, Hic homo ſic dirè exceptus, eſt Deus: verè enim Filius Dei paſſus eſt in Cruce id omne, quod rabies hominum & ſævitia dæmonum potuerant adinvenire, & pura creatura tantos ſuſtinere non potuiſſet cruciatus. Per viam reſectionis, auferendo ab hoc homine crucifixo omne genus cōſolationis, & auxilij: in hoc enim ſtatu paſſus eſt Dei Filius derelictionem ab omnibus creaturis, & pluries mortuus fuiſſet, ſi Pater æternus non roboraſſet Corpus ipſius ad ſuſtinendas omnes iſtas tolerantias, quibus ſubjacuit: his omnibus igitur reſectis, dicendum eſt, quod ille qui eſt in hoc ſtatu derelictionis generalis, eſt Deus, cùm pura creatura ad extremas deſperationis redacta fuiſſet anguſtias, nec tātis reſiſtere potuiſſet procellis, quin naufragium paſſa eſſet: per hāc igitur viā ſtultitiæ cognoſcimus Deū, *Placuit Deo per ſtultitiā prædicationis ſalvos facere credentes.*

Voluit alias diabolus agnoſci ut Deus, & ut ſic cōciliare ſibi adorationes exhibēdas à quodam miræ ſanctitatis viro: quid egit igitur, ut ſuū ſibi poſſet ritè ſuccedere conſilium? Apparuit illi gloriâ fulgens, ſplendentem habens coronam in capite, & ſceptrum in manu, ſedes in throno magnifico & micante lumine, & ait illi. Continuò adora Deum tuum; flecte genua, & reverentias exhibe ſummas ſupremo Domino tuo. Stupore attonitus eximius iſte vir, audiens hujuſmodi

verba

verba, petivit ab eo, quis ipſe eſſet: At ille reſpondit ei, Ego ſum Deus, Salvator tuus, adora me, nec ullam intermittas moram. Neſcius quid ageret inſignis iſte vir, in ſuum induxit animum, quòd Salvator ſuus, quandiu *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* a, nunquam apparuerat ſub hoc apparatu pompæ, & majeſtatis; ſed è contrà quòd ipſe *pauper, & in laboribus à juventute* b ſuâ vitam tranſegerat in abjectione: ideò roboratus hâc cogitatione, reſpondit diabolo, Vade infelix, tantum abeſt ut tu ſis Deus meus, quin vice verſâ tu es diabolus: crederem, quòd tu eſſes Deus meus, ſi appareres oneratus cruce, coronam ſpineam ferens in capite tuo, & arundinem in manu tuâ loco ſceptri, & corpus flagellis & tunſionibus cæſum, hæc enim eſſent inſignia c Dei mei: ſed hæc pompa doloſa, hæc majeſtas ementita perſuadet mihi, te eſſe diabolum, non autem Deum meum. Videte quomodo Crux facit nos Deum noſcere.

a Baruch 3. 38.
b Pſ. 87. 16.
c Joan. 19. 2. &c.

Ha! Deus meus, ſi vis, ut homines cognoſcant te, ne appareas illis ampliùs *Deus gloriæ* d, qualis es in cœlo: nec ſis illis amplius ita beneficus, cùm inde capeſſant occaſionem tui non agnoſcendi: appare illis gravi cruce onuſtus, cum clavis præ manibus, fac illos experiri rigorem & gravitatem brachii tui, aggrava ſuper illos crucem tuam, & tunc agnoſcent te: appare iſtis delicatis, quos vel ſola vox mortificationis terrore & fremitu concutit, in ſtatu ad quem eras redactus ſuper monte Calvariâ, extremum ibi agens vitæ agonem, effice eos tuarum participes paſſionum, ut ſaltem per hanc viam ad tuam perveniant notitiam. Ægrotante quâdam muliere, quæ erat opprobrium totius progeniei ſuæ, abutendo pulchritudine ſuâ, quæ erat cauſa diſſolutionis ipſius; omnes propinqui ejus enixas Deo obtulerunt, & offerendas ſategerunt preces, ut ipſe dignaretur puſtulis variolis operire faciem illius, quæ tot animas lenociniis ſuis irretiverat, ut ſic deformata recederet à vitio; hoc mota infortunio tantùm proficuo ipſius animæ, quantùm funeſto ipſius corpori. Deus meus, eaſdem tibi preces offero in gratiam tot hominum, qui te offendunt proſperitatibus, divitiis, & pulchritudinibus ſuis, projice ſuper illos penurias, infortunia, confuſiones, & deformitates, ad hoc ut ſuam operentur ſalutem; *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine* e. Cognoſcendum te exhibe, Salvator meus, per crucem tuam, ut ii, qui renuunt pervenire ad notitiam tuam per viam ſapientiæ, ad illam deducantur inviti per viam ſtultitiæ, id eſt per Crucem, quam ſcimus fuiſſe *Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam* f.

d Act. 7. 2.
e Pſ. 82. 17.
f 1. Cor. 1. 23.

Hæc ſcientia, Auditores, noſtram debet operari ſalutem, ad hanc aſpirare debemus notitiam, ad quam pervenimus per Crucem: hoc eſt præcipuum & maximum exercitiorum noſtrorum, & cui accuratiſſimè debemus incumbere. In hoc mundo conſtituti ſumus quaſi in ludo ſcruporum ſeu latrunculorum: videte eos qui ludunt hujuſmodi ſcrupis ſive latrunculis, ita attendunt ad ludum ſuum, ut videatur ipſorum mens tranſire debere per ipſorum oculos. Quare autem ſic ſunt attenti? Sanè ut ludum reportent. Heu cæcitas mortalium! ad quid tot curæ, tot ſollicitudines, tot negotia, quibus homines invigilant ſic attentè? Hæc omnia impenduntur ad ineptias, ad vanitatem, *Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cujus erunt* g? Tantum exhaurimus laborem; & ut perveniamus ad notitiam & dilectionem Dei, nihil agimus. Parentes, quid docetis liberos veſtros? Ineptias, vanitates, ambitiones, nedum illos edoceatis *ſcientiam ſalutis* h. Adamum *Deus poſuit in paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum* i. Aliqui Doctores dicunt, hunc laborem præceptum Adæ, fuiſſe ſitum in diſponendis viis, quæ ducerent ad arborem vitæ. Ecce, parentes, munia veſtra, docere debetis liberos veſtros iter cœli, cognitionem & dilectionem Dei: cognoſcere Deum, nec illum amare, proprium eſt infidelibus: illum cognoſcere, & eum odiſſe, ſpectat ad dæmones; illum verò cognoſcere, eumque diligere, praxis eſt fidelium. Quæramus, Auditores, cognoſcere, & diligere Deum in hoc mundo, ut illum diligamus in æternum in altero ſæculo.

g Luc. 12. 20.
h Pſ. 77.
i Gen. 2. 15.

FERIA V. POST DOMINICAM IV.

QVADRAGESIMÆ.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Luc. 7. 12.

Conditio hominum in terrâ aſſimilatur his imaginibus, quæ repræſentant & exhibent intendas duas facies in eodem objecto. Ibi videtis adoleſcentem robuſtum & vegetâ valetudine redundantem, & ſi tantiſper intuitum convertatis, eumque ex alterâ parte aſpiciatis, videbitis eum ut cadaver in loculo repoſitum: Sic vita mortem ſecum invehit. Vita pertinet ad Deum, *Ego ſum Vita* a. Imò verò ipſe eſt origo totius vitæ, cùm eam habeat per eſſentiam, *Apud te eſt fons vitæ* b. Nos verò illam habemus per participationem duntaxat, & per dependentiam ab illo. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* c. *Ita quòd nec in momento ſubſiſteremus, niſi ab ipſo conſervaremur: quia indeſinenter dependemus ab ipſo in eſſe, & permanere, multò plùs quam rivus à fonte, dies à Sole, aut ſplendor à lumine*, ait Dionyſius Carthuſianus d, poſt Apoſtolum. Sed ſi vita eſt eſſentia Dei, ipſa mors eſt hominis portio, nec vivit niſi ut moriatur ex quo mortem animæ ſuæ per peccatum intulit, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* e. *Hinc infert S. Auguſtinus* f, *Multi in corporibus vivis animas mortuas portare noſcuntur*, ait Cornelius g. Qui ſubdit: *Sicut enim anima eſt vita corporis: ita animæ vita eſt Deus, & Dei gratia* †. *Hanc ergo per peccatum amittens anima, rectè mori dicitur. Secundò, et ſimpliciùs, anima, id eſt, homo, qui peccaverit, ipſe morietur, morte tum temporali (quam maximè timebant Iudæi,) tum ſpirituali et æternâ.* Propterea dixit Apoſtolus h, *Stipendia peccati mors.* Super quod Dionyſius Carthuſianus i ait, *Oſtendit Apoſtolus, quòd finis vitiorum, eſt mors atque* damna-

a Joan. 14. 6.
b Pſ. 35. 10.
c Act. 17. 28.
d Dion. Cart. art. 17 in Act. 17. 28.
e Ezech. 18. 4. & 20.
f D. Aug. hom. 3 in Apoc. 3.
g Cornel. in Ezech. 18. 20.
† ex D. Aug. conc. 2. in Pſ. 70.
h Rom. 6. 23.
i Dion. Cart. art. 9. in Rom. 6. 23.

damnatio animæ. Stipendia enim peccati, id eſt, retributio debita, quæ pro peccato infligitur, eſt mors temporalis, & æterna. Ex originali enim peccato

k ex Gen. 3.6 & 19 & ex Rom.5. 12.

proceſſit mors corporalis in pœnam illius peccati. k *Propter quod legitur, Deus mortem non fecit* l. *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* m. *Pro peccato autem actuali mortali infligitur mors æterna, quæ utique eſt à Deo, cùm ſit juſta.*

l Sap.1.13. m Sap. 2. 24 ex Gen. 2.1 &c.

A peccato igitur patrato non vivit ampliùs homo, niſi ut moriatur: ſed id quod apparet ei infelicitas, eſt proſpera illius fortuna ab ipſo momento quo vita & mors mutuam inierunt ſocietatem in eodem ſubjecto, *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere* n.

n Galat. 4. 4.

Utramque univit Virgo ſacratiſſima in ſinu ſuo, in quo Dei Filius factus eſt homo, poſtquam ipſa reſpondit, *Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundùm verbum tuum* o, Angelo dicenti ſibi, *ave Maria.*

o Luc. 1. 38.

Communis eſt omnibus entibus inclinatio incumbendi conſervationi ſuæ ſatagendæ, & hujus propenſionis praxim admiramur in animalibus, quæ omnem induſtriam ſuam ad ſuiipſorum conſervationem impendunt. Nullum eſt ex illis, quod non percellat acceſſus mortis; nimium præ ſe fert ipſa mors rigorem, nedum audaciſſimis quibuslibet fremitum non incutiat: monſtrum eſt, cujus vel ſolum nomen horrore concutit. Omnia ſunt in morte horribilia, ſive conſideremus eam in causâ ipſius, quæ eſt peccatum, *Per peccatum mors* p. *Id eſt, corporalis, quæ conſecuta eſt culpam. Quamvis enim mors ſit naturalis homini, conſiderando naturam corporis ſui ex contrariis compoſitam, tamen ſi non peccaſſet, mortem non incurriſſet ex dono gratiæ, ſeu virtute originalis juſtitiæ. Et ſic conſiderando ſupernaturalem inſtitutionem hominis, mors culpam ſecuta eſt, non naturam*, ait Dionyſius Carthuſianus q.

p Rom. 5. 12.

q Dion. Carth art. 8. in Rom. 5. 12.

Sive illam intueamur in effectibus ipſius: antequàm enim dejiciat hominem, & eum in tumulum redigat, bonam corporis illius profligat œconomiam morbis, qui eum deformant ſic ut propinquis ſuis ſolo ſuo intuitu horrorem incutiat, & aliquo modo ipſa mors eum mori faciat priuſquam illum occidat, privans eum omni bonorum genere, eumque ſpolians omnibus divitiis. David, etiamſi potentiſſimus, & generoſiſſimus ſuorum devictor hoſtium, quippe qui *prævaluit adversùm Philiſthæum in fundâ & lapide, percuſſumq; Philiſthæum interfecit: cùmque gladium non haberet in manu, cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vaginâ ſuâ; & interfecit eum, præciditque caput ejus* r: quique gloriabatur ſe ſolum, *& leonem & urſum* s *interfeciſſe*, etiamſi dictum ſit, *Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum* t: Ipſe, inquam, David, cujus *hoc etiam teſtatiſſimum eſt, præcipuas Regis virtutes à leone adumbrari, ſed tum maximè fortitudinem, animi magnitudinem, & ingenuos in univerſum mores* u: tremore tamen concutitur ad acceſſum hujus crudelis mortis, & ſola illius cogitatio inducit eum ad proponendam Deo ſupplicationem iſtam, ne videlicet præcîdat dies ſuos in medio illorum curſu, *Ne revoces me in dimidio dierum meorum* x.

r 1. Reg. 17 50. & 51.
s 1 Reg. 16 36.
t Prov. 30. 30.
u Salazar in Prov. 30. 30. n. 233.
x Pſ.101. 24.

Sed quid ago? Homines inducere volo ad amandam mortem, & ad contemnendam vitam, & interim contrarium omnino facio. Nequaquam, Auditores. Non blandior veſtris puſillanimitatibus, in meo firmus maneo propoſito, & aſſero, mortem nobis eſſe utiliorem, quàm ſit vita, quam tanto proſequimur affectu, & quam tamen negligere deberemus, ut amplecteremur mortem, quæ viam nobis aperit ad vitam optimam, quæ nunquam eſt moritura, & quam comitabuntur abſque doloribus, lætitiæ, & voluptates nullis unquam faſtidiis & tædiis interrumpendæ, *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* y. *Perfecta enim beatitudo omnem excludet ab eis miſeriam, omnem mali admiſtionem, omnem pœnam, & occurſum contrarium. Et mors ultrà non erit in eis, quia nec mors naturæ, nec culpæ, neque miſeriæ. (In inferno quoque non erit mors naturæ, videlicet ſeparatio animæ à corpore.) Neque luctus pro quâcumque causâ. Neque clamor ex dolore proveniens, vel ex deſiderio aliquid obtinendo. Erit tamen ipſis, ſecundùm quoſdam, laus vocalis. Neque dolor, quia nec dolebunt dolore afflictivo de ſuis peccatis. Quæ prima abierunt, id eſt, mala iſta pœnalia in præcedenti vitâ fuerunt, & finem ceperunt*, ait Dionyſius Carthuſianus z poſt ſanctum Joannem, & Iſaiam.

y Apoc. 21. 4. ex Iſai.25. 8.

z Dion. Carth. art. 10. in Apoc. 21. 4.

Vita præſens eſt inſtar fungi ſeu boleti, quem eadem dies naſci videt & mori, cùm cunæ uniantur ipſi tumulo. Nihil hâc vitâ fragilius, Ventus eſt vita, umbra, fumus, & infernus. *Ventus eſt vita mea*, qui currit, ajebat Job a. Super quod Bolducius b Capucinus dicit, *Eodem modo intelligenda ſunt iſta Pſalmiſtæ* c *verba, Recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens. (Alii, ventus tranſiens) Id eſt, quemadmodum ventus qui tranſit, nec revocari poteſt; ita eorum corpora ad mortem tendunt, nec inde reverti poſſunt. Quod aliâ ſimilitudine expreſſit illa prudens mulier, quæ dicebat, Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non revertuntur* d. Umbra eſt quæ præterit, *Dies ejus ſicut umbra prætereunt* e. *Quia tranſit, labitur, non manet, ſtabilitate caret, ut umbra*, ait Incognitus f de homine poſt Pſalmiſtam. Et concludit, *Dies ergo hominis ſicut umbra prætereunt, quia nunquam homo in eodem ſtatu permanet, ſed ſemper ut umbra, quam Sol cauſat, movetur, & tranſit, donec ad occaſum perveniat. Propter quod dicitur de homine, quòd fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet* g. *Quod ad propoſitum declarans Gregorius* h, *dicit, Quia de infantiâ ad pueritiam, de pueritiâ ad adoleſcentiam, de adoleſcentiâ ad juventutem, de juventute ad ſenectutem, de ſenectute verò tranſit ad mortem: & in curſu vitæ præſentis ipſis ſuis incrementis ad detrimenta impellitur, & inde ſemper deficit, unde ſe proficere in ſpatium vitæ credidit.* Fumus eſt, qui fugit. Unde idem Incognitus i, *Totum hoc, quod tranſit, vanitas dicitur. Evaneſcit enim per tempus, tanquam in auras fumus. Et quid dicam ampliùs, quàm Iacobus Apoſtolus* k *dicit? Vita noſtra eſt vapor ad modicum comparens.* Et infernus, qui affligit, cùm vita præſens ſit theatrum miſeriarum, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis* l. Super hoc S. Bernardus m, *Quàm verum verbum hoc ſit, non nos verba docuêre, ſed verbera. Homo (inquit) natus de muliere, nihil abjectius. Et ne fortè ex ipsâ ſibi voluptate corporeorum ſenſuum, quam de ſenſibilibus hauriat, blandiatur; in ipſo ſtatim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cùm dicitur, brevi vivens tempore. Ac ne ſpatiolum illud, quod inter ingreſſum & egreſſum relinquitur, ſibi liberum putet, repletur, ait, multis miſeriis. Multis & multiplibus (inquam)*

a Job:7. 7.
b Bolduc. in Job 7. 7.
c Pſ. 77. 39.

d ex 2. Reg:14. 14.
e Pſ. 143. 4.
f Incognit. in Pſ. 143. 4.

g Job.14: 2.
h ex D. Greg. lib. 11. mor. c. 26. in Job:14. 2.

i Incognit. in Pſ. 143, 4.

k ex Jacob: 4. 14

l Job: 14, 1.
m S. Bern. ſerm. in Feria ... hebdom. Pœnoſ.

quam) miſerius corporis, miſerius cordis, miſerius cùm dormit, miſerius cùm vigilat, miſerius quaquaverſùm ſe vertat. Ipſa ergo vita eſt officina omnium malorum: propterea Apoſtolus exoptabat manum euxiliatricem, quæ ipſum ab eâ eximeret, dicens, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* n?

n Rom. 7. 24.

Miramur cùm audimus, quòd Chriſtus in horto Gethſemani, ſolâ mortis cogitatione *cæpit pavere & tadere* o. *Et factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram* p. Quandiu Virgines noſtræ ætate & ſexu infirmæ gaudent in ſuppliciis, Tyrannos derident, eoſque infirmitatis inſimulant, quaſi non haberent ſetis ſævitiæ ad ipſas excruciandas rotis ſuis inſtructis gladiis & novaculis. Unde oriturhæc differentia? Ex eo quòd antequàm mors cum Chriſto fuiſſet congreſſa, erat ipſa minax, victoriis inflata, omnia devaſtabat, quaſi vivens, & cum omnibus viribus ſuis; ſed cùm dimicaſſet cum Jeſu, & ab eo fuiſſet proſtrata, de ipsâ ſis triumphavit Salvator, ut in æternum victor illius permaneat, ablatis ab ipsâ omnibus viribus ſuis, & relictis illi ſolis infirmitatibus ipſius, *Ero mors tua, ô mors* q. Propterea Virgines noſtræ ipſam derident mortem. Sed tandem veritas eſt, Quòd nobis omnibus ſit moriendum, ut oſtendam vobis in priori parte diſcurſus iſtius. In poſteriori verò, Quòd cùm mors ſit inevitabilis, debemus nos ritè diſponere ed peragendam bonam mortem, cùm neſciamus tempus diſceſſus noſtri, quod patet ex adoleſcente noſtro elato.

o Marc. 14. 33.
p Luc. 22, 44.
q Oſee 13. 14.
Diviſio.

I. Pars.

Illud eſt vita homini, quod ſtolo ſeu frutex eſt arbori: vita eſt veluti palmes emiſſarius entis: ſicut autem eſt Ens independens, & vita propria; ita etiam eſt ens participatum, & vita communicata, & aliunde deſumpta. Deus eſt Ens independens, *Ego ſum qui ſum* r. Hinc dixit S. Bernardus s, *Quid Deus? Sine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe. Quid eſt Deus? Principium* t. *Et hoc ipſe de ſe reſponſum dedit. Multa in rebus dicuntur principia, ſed reſpectu poſteriorum. Alioquin ſi ad aliquid præcedens reſpiciat, ipſum potiùs Principium dabis. Quamobrem ſi quæras verum ſimplexque Principium, invenias oportet quòd principium non habuerit.* Cui conformiter dicit Cornelius † inter alias expoſitiones, *Sum qui ſum, id eſt, ſum Cauſa omnis eſſe, quod res creatæ participant: nam quod eſt ſe, & per ſe eſt tale, hoc eſt cauſa eorum quæ ſunt talia per participationem. Sum qui ſum, id eſt, unus ſum, quia habeo eſſe ex me. Rectè ergo dixit Iob* u, *Ipſe ſolus eſt. Si enim eſſet quis alius, habens ſimile eſſe independens & infinitum, is eſſet Deus alius, habens aliam naturam, aliud eſſe independens & immenſum, & conſequenter noſter Deus verus & unus non haberet naturam, nec eſſe alterius illius Dei: ideòque non haberet omne eſſe, ac conſequenter non eſſet Deus.* Eſt igitur Deus Ens independens, ſed eſſe hominis eſt ens participatum, quod ipſe tenet à Deo, unde fit ut vita ejus ſit vita participata, *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* x. Hinc iſtam eruo conſequentiam, quæ quibuſdam non erridebit cenſoribus, Nimirum, quòd cùm Deus vitam nobis præbuerit, eam repetere poteſt quando ipſi placuerit, citò aut ſerò, hâc ætate vel aliâ, tempore pueritiæ aut adoleſcentiæ, juventutis aut ſenectutis; illius abſolutus eſt Dominus, eam poteſt reſumere cùm voluerit, nedum ullam nobis querendi de ipſo relinquat anſam apprehendendam, cùm ipſam poſſit diſponere ſicut ipſi placuerit, *Et vita in voluntate ejus* y. Vel, ut alii vertunt, *Et vita in beneplacito ejus.* Nam, ut ait Lorinus z, *Voluntas Hebraicè ſignificat beneplacitum, & benevolentiam.* Nec ullus jus habet egendi contra illum: non enim abſolutè nobis vitam tribuit, ſed illam nobis commodavit: atqui commodatum repeti poteſt, cùm ita placet ei qui commodavit illud: ad illum igitur ſpectat vitam repetere, & nemo de illo queri poteſt, imò nec ullus ex iis qui ſunt in inferno, quare ipſum de medio ſuſtulerit tali tempore, quo minimè videbatur ipſe moriturus, & quo in mente ſuâ nove proponebat conſilia, quæ tamen ad exitum non potuit perducere. Obmurmurent quantùmcumque voluerint reprobi in inferis adversùs juſtitiam Dei, quæ condignas de ſceleribus ipſorum capeſſit pœnas; ſed juſtè non poſſunt queri de eo, quòd ipſis vitam eripuerit, cùm ſciant Deum eſſe Dominum vitæ, illumque nemini injuriam irrogare, cùm ab illo eam repetit, eò quòd illam duntaxat ei commodaverit, & ſic poteſtas ſit penes eum repetendæ illius, *Et vita in beneplacito ejus.* Et, ſi ſapientes ſimus, eam præ noſtris ſemper hebebimus manibus, ut eam reſtituamus confeſtim ec à nobis repetita fuerit, ſicut eam habebat Propheta a, ut illam Deo retribueret, *Anima mea in manibus meis ſemper.* Vel, ut vertunt S. Ambroſius b, & S. Auguſtinus c, *Anima mea in manibus tuis ſemper.* Et licèt hoc intelligatur communiter, ut exponit Incognitus d, & alii, *Quòd vita noſtra in laboribus, & operibus eſt conſtituta, quia ſcilicet anima noſtra (id eſt vita) efficitur bona, vel mala, ſecundùm diverſitatem operum, quæ procedunt ab illâ:* Hoc tamen non impedit quin poſſimus illud ad propoſitum noſtrum convertere, eo modo quo Cornelius ſuprà recenſitus, expoſuit illa verba Ezechielis, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*, de vitâ ereptâ per mortem corporalem; & ita nos poſſimus intelligere hæc verba Devidis, *Anima mea in manibus tuis ſemper*, de vitâ corporali, quam parati ſimus Deo reſtituere ſinguli, cùm illam è nobis expopoſcerit.

r Exod. 3. 14.
s S. Bern. lib. 5. de Conſider. c. 6.
t Ioan. 8. 25. & Apoc. 1. 8.
† Cornel. in Exod. 3. 14.
u Iob 23. 13.
x Act. 17. 28.
y Pſ. 29. 6.
z Lorin. in Pſ. 29. 6.
a Pſ. 118. 109.
b S. Ambr. ſerm. 14. in Pſ. 118. 109.
c S. Aug. con. 23. in Pſ. 118. 109.
d Incognit. in Pſ. 118. 109.

Sed quid? dicent cenſores æquo liberiores; Quare vitam indulgebat nobis Deus, ſi illam debebat repetere? *Deus mortem non fecit,* allegabunt ipſi poſt Sapientem e. Unde ergo oritur, ut ipſe intercipiat nos tempore, quo nulla datur apparentia vitæ nobis eripiendæ? Quidnam iſtam cauſat ſeparationem? Aut procedit illa è formâ, aut è materiâ, aut ex unione compoſiti. Dicimus cœlos eſſe incorruptibiles, quia illorum materia contenta eſt formâ ſuâ, ſicut materie aliorum corporum, quæ nova ſemper quærit peragere fœdera, nedum ulli unquam formæ adhæreet, quam expeteret deſerere, ut novam indueret, unde fit ut terre ſit theatrum corruptionis: ſed cùm materia cœlorum nullam aliam appetat formam, ſequitur quòd illa ſit incorruptibilis ſicut eorum forma, cùm ſemper eadem maneat, nec ad aliam inclinetur materiam informandam: contrarium eutem peragitur de homine, & quoad materiam ejus quæ eſt corpus, & quantùm ad formam illius quæ eſt anima. Corpus indifferens eſt ad ſuſcipiendam quamlibet animam: animæ enim omnes ſunt æquales, nec magis corpus appetit enimam Principis, quàm enimam agricolæ: ſic anima non intuetur tale corpus, ſed indiffe-

e Sap. 1. 13.

renter animat illa corpus ruſtici, æquè ac animam nobilis, & ubique eſt illa æqualiter contenta. Non igitur è materiâ, nec è formâ procedit hæc ſeparatio? Unde ergo? Nonne ex unione compoſiti? Dicetis mihi quòd ſenectus profligat temperamentum, & quòd hæc immodica ſiccitas totum conſumit humorem radicalem. Ego autem vobis reſpondeo, quòd diſſolutiones adoleſcentum meliùs temperamento ruinam inferunt, ſic plures videmus mori adoleſcentes, quàm ſenes. Evangelium hodiernum claram huic veritati conciliat lucem. Tandem. Mors cæca eſt, nemini illa parcit, in omnes indifferenter ſævit, in divites æquè ac in pauperes, in nobiles & in ignobiles, in juvenes & in ſenes, omnes promiſcuè ſuâ falce ſuccidit.

Jure merito comparari poteſt iſte mundus abaco, ſuper quo poſiti ſunt multi calices vitrei, quorum alii in eo collocati ſunt ab avis noſtris, alii a noſtris parentibus, alii verò à nobis, propriis manibus noſtris. Illi qui à parentibus noſtris, æquè ac ii qui ab avis noſtris in eo fuerunt repoſiti, toti ſunt pulvere reſperſi, & telis aranearum operti: hi verò qui à nobis in eo poſiti recenter fuerunt, ſunt adhuc clari & pellucidi. Peto autem à vobis, num illi qui ſuper abaco poſiti ſunt ab avis & parentibus noſtris primi, ita fragiles ſint ac iſti, quos hodie ſuper eo collocaſtis. Profectò ſunt omnes ejuſdem naturæ, & proculdubio qui ex illis percutientur primi, infringentur & primi: idem dicendum eſt de hominibus, ſenes aut juvenes omnes eandem præ ſe ferunt naturam. Sed quiſnam ex illis morietur primus? Sanè ille, quem Deus primum manu ſuâ tetigerit, quem primum ſuus Opifex manu ſuâ percuſſerit. Omnes eodem timore debent corripi, nec magis ſecuros à morte conſtituit Deus juvenes, quàm ſenes. Mors nemini parcit, ſed generatim in omnes inſurgit: *Statutum eſt hominibus ſemel mori* f.

f Hebr. 9. 27.

Cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* g; ſubjecit in eo omnes mortes vitæ: fecit enim eum immortalem; & niſi peccaſſet, nunquam mortuus eſſet, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum* h. Quod ſic exponit Cornelius i, *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem. Qui ſcilicet mori & exterminari non poſſet, quandiu in Dei obedientiâ & gratiâ perſiſteret. Syrus, ſine corruptione, id eſt, incorruptibilem: ſic & Arabicus. Complutenſes vertunt, In integritate, id eſt, integrum quoad corpus & animam, hoc eſt, ad immortalitatem, & ad ſtatum nunquam interiturum. Verti quoque poteſt, Deus creavit hominem incorruptioni, vel immortalitati, vel ad immortalitatem, ſi videlicet vellet Deo obedire. Unde S. Athanaſius legit, Deus hominem condidit ad immortalitatem, & imaginem æternitatis ſuæ. Verùm invidiâ diaboli factum eſt, ut mors intraret* k. *Et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Hæc imago inchoatè ſita eſt in naturâ, ſed plenè perficitur in gratiâ. In naturâ, quia anima rationalis in uſu rationis, voluntatis, liberi arbitrii; item in incorruptione & immortalitate, ſimilis eſt Naturæ Divinæ. In gratiâ, quia Adam conditus in gratiâ & juſtitiâ originali, repræſentabat Dei juſtitiam & ſanctitatem. Invidiâ autem diaboli (Luciferi qui tentavit Evam & Adamum) mors introivit in orbem terrarum. Hic aſſignatur cauſa peccati, & mortis ex eo conſequentis, ſcilicet invidia diaboli: quia enim cælo & beatâ immortalitate diabolus ob ſuperbiam depulſus* l, *vidit ſibi, ſuiſque in cælo thronis à Deo ſurrogari hominem; illi, æque ac Deo hanc gloriam invidit, adeòque illum ad comeſtionem pomi vetiti tentando induxit, & in mortem, tum corporis, tum animæ præcipitavit. Ita S. Ambroſius* m, *& alii.* Deus igitur per creationem cùm formaſſet Adamum, in eo omnes mortes ſubdidit vitæ: ſed in incarnatione Filii ſui, cùm *ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere* n; in illo omnes vitas morti fecit obnoxias; ita ut ex tunc nemo ſit, qui non ſubjaceat iterùm legibus mortis opperendæ, cùm mors ſit generalis, nedum à tributo ſe poſſit quis eximere ei ſolvendo.

g Gen. 2. 7.
h Sap. 2. 23. & 24.
i ex Corn. 1. 27 & ex Gen. 3. 6. &c. Cornel. in Sap. 2. 23 & 24.
k ex S. Athan. contra 1 de Incarnat. Verb.
l ex Iſai. 14. 12. &c.
m ex S. Ambr. lib. de Paradiſ. c. 12.
n Galat. 4. 4.

Iſaias o attribuit ei nomen, quod oſtendit vaſtitates ejus, vocatur enim ab eo *Flagellum inundans.* Peſtis non eſt flagellum generale, nunquam ea viſa eſt univerſaliter graſſari per totum orbem; ab eâ declinari poteſt, & optimum illius remedium præ omnibus, eſt fuga. Non eſt illa eodem tempore in omnibus Provinciis. Si alicubi omnia depopulatur; alibi nullam ſtragem edit, & adverſus eam datur aliquis aſyli locus: ſed quoad mortem nullum indulgetur refugium, ſuam circumquaque defert ipſa falcem, quâ quælibet præcidit obvia. Fames eſt ſecundum flagellum, ſed illa ſolos interimit pauperes, divites ab illius ſævitiâ ſe ſubtrahunt obeundâ. Bellum eſt aliud flagellum, ſed ſolus ruſticus aut plebejus homo opprimitur, aut illi ſoli vexantur qui oppugnationem aggrediuntur, aut inſultationem ſuſtinent, periculo ſunt expoſiti, ſicut & jacturæ vitæ. Omnes non patiuntur tempore belli homines, ſolus pauper univerſas illius experitur miſerias, quandiu dives ſua ex alieno infortunio eruit commoda, bona aliorum ſibi comparando. Univerſos non affligit bellum homines; ſed mors æquè tollit è medio illos, qui in pretioſis pannis cubant, ac eos qui in ſterquilinio jacent, magnos æquè ac parvos, juvenes ſicut & ſenes, omnes excipit eodem modo indifferenter, & æqualiter omnia ditioni ſuæ & imperio ſuo ſubjicit, nedum a ſubeundis ipſius legibus poſſit quis, etiamſi potentiſſimus, ſeſe extricare, & immunem efficere. Quod *factum eſt diluvium* tempore Noë, fuit quidem flagellum univerſale: ſed tamen quandam perpeſſum eſt coarctationem, cùm arca totam familiam hujus Patriarchæ ſalvam cuſtodierit, *Remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arcâ* p. At mors nemini parcit, *Flagellum inundans* eſt, & omnia univerſim depopulatur.

o Iſai. 28. 15. & 18.
p Gen. 7. 17. &c.

Cùm *ingreſſus eſt Noë & filii ejus, uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eo in arcam propter aquas diluvii* q, fert traditio, quòd in eâdem arcâ collocanda ſategit oſſa Protoplaſti noſtri Adæ. Petitur quare Noë iſtud fecerit. Aliqui dicunt, rationem illius fuiſſe, quia Deus volebat ut oſſa hujus primi hominis, qui erat origo omnium aliorum, conſervarentur, & ne perirent aquis hujus diluvii univerſalis. Alii opinantur, hoc ideò factum fuiſſe à Noë, ut debitum impenderet his oſſibus honorem, ut Scriptura r refert peractum fuiſſe à Moyſe erga oſſa Joſeph, & Cornelius exiſtimat probabiliter etiam oſſa aliorum Patriarcharum,

q Gen. 7. 7.
r Exod. 13. 19.

charum, fratrum ejuſdem Joſeph ab Ægypto fuiſſe tranſportata ob impendendum iſtis, æque ac illi honorem debitum, *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* Super quod Cornelius ſ ait, *Hiſtoria Scholaſtica narrat, quòd Nilus exundans eo anno, quo Hebræi egreßi ſunt, operuerit loculum Ioſeph: cùm ergo eum invenire non poſſet Moſes, ſcripſit nomen Dei Tetragrammaton in laminâ aureâ: illa autem mox enatavit ad loculum Ioſeph, eumque detexit. Alii hunc loculum per ovem oſtenſum tradunt, ovem, inquam, quæ Hebræos & loculum hunc comitata ſit per deſertum; illudque ſignificari putant Pſalmo, Qui deducis velut ovem Ioſeph t. Sed hæ ſunt fabellæ Talmudicorum.* Sicut etiam ſentit Incognitus u ſuper hæc eadem verba Pſalmi, dicens, *Hoc quidam ſic intelligunt, quia Ioſeph in morte adjuravit fratres ſuos, dicens: Scio, quòd Deus viſitabit populum ſuum, & vos hinc educet ad terram veſtram. Ideò tunc aſportabitis hinc oſſa mea vobiſcum, ut non hic, ſed cum Patribus meis ſim ſepultus in terrâ promißionis* u. *Quod facere volentes filii Iſraël, quando exierunt de Ægypto propter inundationem Nili fluminis Ægypti; non poterant invenire ſepulchrum Ioſeph. Et tunc apparuit eis quædam ovis, quæ ductu Angelico notavit uſque ad locum ſepulchri Ioſeph, ad oſtendendum eis locum, ut inde oſſa Ioſeph acciperent. Quæ oſſa accipiens Moyſes ſecum aſportavit. Et propter hoc vocata eſt ovis Ioſeph. Et tunc eſſet ſenſus litera. Qui deducis, ſcilicet, populum Iſraël per Angelum præcedentem caſtra eorum* x, *velut ovem Ioſeph: quæ ſimiliter ductu Angelico ducta fuit ad ſepulchrum Ioſeph. Sed hoc quod dicitur de illâ, eſt ſatis voluntariè dictum, nec ab aliquo Doctorum repertum.* Proſequitur autem Cornelius, *Nota, Veriſimile eſt Moſen etiam aliorum Patriarcharum, putà fratrum Ioſeph oſſa ſecum extuliſſe. Nam conſtat eos omnes in Palæſtinam tranſlatos eſſe, & ſepultos in Sichem* y, *neque apparet, quo alio tempore, quàm hoc transferri potuerint. Hinc tamen tantùm oßium Ioſeph fit mentio, quia Ioſeph adjurarat Hebræos ut id facerent, ipſeque hunc eis egreſſum prædixerat, voluit autem Hebræos ſua oſſa efferre: quia cura pii inter ſuos ſepulchri eum tangebat, & ut poſteri horum oßium intuitu vaticinii memores, certâ fide & ſpe iter in terram promiſſam capeſſerent.* Sic revereri ſemper debemus reliquias Sanctorum, ita ut deceret ex illis aliquas ſemper nobiſcum ferre. Ego autem exiſtimo, Noë in arcam induxiſſe oſſa Adami, ut filios ſuos doceret infallibilitatem mortis; iſtas enim diſtribuens Noë reliquias Protoplaſti, liberis ſuis, ſignificare illis voluit, futurum aliud diluvium univerſalius eo, quod eſſent ipſi evitaturi, quodque futurum eſſet cum aliquâ reſtrictione, & arca futura ipſis eſſet refugii locus, *In quâ*, ſicut effectus comprobavit, *pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam* z. Sed quòd *flagellum inundans* mortis eſſet univerſaliſſimum, & omnes homines abſque ullâ complecteretur exceptione generaliter falce ſuâ ſuccidendos.

Ne blandiamur nobis, omnes nos mortales ſumus, & fortaſſe talis morietur primus qui de morte nullo modo cogitat. Hic adoleſcens, qui vanitate effertur, quique nihil formidat, quaſi verò à ſubeundis mortis legibus eſſet immunis, forſan primus ab eâ conculcabitur; mortem intuetur remotam quandiu illa prope ipſum eſt, *Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtrà conturbatur* a. Advertiſtis aliquando picturas quaſdam in hortis, quæ miro deceperunt vos artificio: vidiſtis ibi ſpecioſas aliquas vias, in fine unius ex illis obſervaveritis aliquam perſpectivam, quæ viſa vobis fuerit valdè remota, ſed tamen poſtquàm aliquantulos greſſus versùs illam peregeritis, ſtupore fueritis perciti eò quòd ſtatim ad illam perveneritis quæ prope vos erat, etiamſi vobis, remota à vobis, videretur, & mirati fueritis quomodo deluſi ſitis hâc arte, quæ ſenſus appoſitè veſtros fefellerit, *Nec umbra picturæ labor ſine fructu* b. Utilitatem capeſſere poſſumus ex omnibus, mors eſt perſpectiva, quæ adoleſcentibus apparet valdè remota: hic otioſus & nequam intuetur illam à longè, imaginatur ingentem dari diſtantiam inter ſe & illam, ſe diu victurum; & tamen vix tres aut quatuor peregit greſſus, cùm illam habet obviam, & catharro laborans, ab eâ eliminatur è medio, cùm de illâ ne quidem cogitabat. *Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtrà conturbatur.* Perſpectiva eſt ipſa mors, & imago quæ nos decipit, quæque ſeipſam nobis valdè remotam exhibet intuendam, etiamſi noſtris inſidietur & aſtet calcaneis. Prudentia igitur hominis in hoc eſt ſita, ut illam prævideat, nec ab illâ ſe ſinat intercipiendum, cùm certiſſimum ſit infallibiliter nos morituros, mortem nobis eſſe inevitabilem, nec ſcire nos horam vel momentum diſceſſus noſtri, *Vigilate ergo (neſcitis enim quando Dominus domus veniat: ſerò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè) ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes* c.

Poſtquàm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem: immiſit ſoporem in Adam* d. Sed ſomnus iſte non fuit ſicut noſtri, qui in nobis oriuntur ex labore cui incubuimus, aut ex magnâ laſſitudine: at Adam nondum fuerat aliquid operatus; ideò ſomnus iſte fuit myſterioſus, & imago mortis, ut ait Tertullianus e, *Ille fons generis Adàm, antè ebibit ſoporem, quàm ſitiit quietem; ante dormiit, quàm laboravit; imò quàm & edit; imò quàm & profatus eſt; ut videant naturalem indicem mortis ſomnum omnibus naturalibus principaliorem. Inde deducimur etiam imaginem mortis jam tunc eum recenſere. Si enim Adam de Chriſto figuram dabat, ſomnus Adæ mors erat Chriſti dormituri in mortem, ut de injuriâ perinde Lateris ejus* f, *vera mater viventium* g *figuraretur Eccleſia. Ideò & ſomnus tam ſalutaris, tam rationalis, etiam in publica & communis jam mortis effingitur exemplar.* Hinc edoctus eſt Adam, quòd vix inciperet vivere, cùm cogitare deberet de morte, eò quòd à vitâ ad mortem ſic exigua eſſet diſtantia, ut unicus eſſet greſſus ab illâ ad iſtam, & cunæ ac tumulus ſimul unirentur. Propterea poſtquàm *Sara mortua eſt, Abraham ſpeluncam duplicem pecuniâ in poſſeſſionem ſepulchri* h ab Ephrone emit; cùm vix vivere incipiamus, cùm nobis de morte eſt cogitandum, nec ullus labatur dies, quin aliquid decidat vitæ noſtræ fugacis, quippe quæ *fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet* i. Ideò in hoc conſiſtit prudentia uniuſcujuſque, ut attendat ſibi, ſeque ritè diſponat ad mortem amplectendam, cùm fores ipſius hæc pulſaverit. Idcircò

ſ Cornel. in Exod. 13, 19.
t Pſ. 79, 2.
u Incognit. in Pſ. 79, 1.
u ex Gen. 50, 23, & 24.
x ex Exod. 14, 19.
y ex Act. 7, 16.
z 1. Petr. 3, 20. ex Gen. 7, 23.
a Pſ. 38, 7.
b Sap. 15, 4.
c Matt. 13, 35. II. Par.
d Gen. 2, 7. & 21.
e Tert. lib. de Anim. c. 43.
f ex Ioan. 19, 34.
g ex Gen. 3, 20.
h Gen. 23, 1. &c.
i Iob 14, 2.

circò Doctores nobis conſulunt, ut, ſi benè mori velimus, audiamus Concionatores alterius vitæ, ut pergamus ad cæmeteria, ibique videamus has foveas cadaveribus tumentes, illicque audiamus defunctos altâ ſed lacrymabili voce prædicantes nobis organo Sapientis k, *Quid nobis profuit ſu-* k Sap. 5, 8 & 9. *perbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra.* Prædicabunt nobis quidnam ipſis profuerint ſua vanitas, & univerſæ pompæ ſuæ, quas mundus velut idola colit, & dicent nobis ut eas ritè conſideremur, & quòd nobis citò continget id, quod ipſis accidit ſingulis, *Hodie mihi, cras tibi.* Heu cui bono, dicet hæc delicata puella, vel mulier, ut iſti blandita ſim cadaveri adhuc vivens, cùm iſtud modò meum conciderit *cadaver, ſubter* me ſtrata ſit *tinea, & operimentum* meum ſint *ver-*
l Iſai. 14, 11. *mes* l? Videte hanc mulierem, quæ fuit ſcandalum civitatis veſtræ, non habet ampliùs ipſa collûm ſuum margaritis ornatum, ſed ſerpentibus circumcinctum; & oculi ejus qui tot lethaliter vulneraverant animas, quas Chri-
m Apoc. 1, 5. ſtus *dilexit, & lavit à peccatis in Sanguine ſuo* m, non habent pro pupillis ampliùs niſi colubros. Corpus iſtud aliàs deliciis & diſſolutione diffluens, ſcatet vermibus, & ita fœtet ut ii qui aliquando illud venerabantur non ſecus ac idolum, non poſſint modò fœtorem illius ſuſtinere, *Cùm enim morietur homo, hæreditabit*
n Sap. 10, 13. *ſerpentes, & beſtias, & vermes* n. Horum igitur defunctorum audire debemus ſermones, pergentes ad cæmeteria, ut ibi edoceamur modum benè vivendi. Ibi diſcemus quid de nobis brevi ſit agendum. Diſcamus ergo benè mori. hæc diſciplina eſt graviſſimi momenti; ut eam addiſcamus, hæc duo conſideremus.

Prima conſideratio, cui ſeriò vacare debemus, in hoc conſiſtit ut mente recogitemus, quòd nobis diebus ſit moriendum ſingulis, & quòd lectus noſter futurus ſit noſter loculus. Ha! ſi ita prudentes eſſemus ut ſalutares iſtas foveremus cogitationes, fierine poſſet ut unquam lethifero animas noſtras inquinaremus peccato? Cubitum pergis, forſitan è cubili tuo non ſurges ampliùs, nec inde exibis niſi ut alienis manibus efferaris, Divino Judicio jam præſentatus, *Quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem ju-*
o Hebr. 9, 27. *dicium* o. Heu quiſnam ob ſalutem animæ ſuæ ſic parùm ſollicitus auderet ſe ſomno tradere, peccati lethiferi conſcius, ſi de extremo iſto momento cogitaret? Quin è contrà ſummam ex iſtâ cogitatione capeſſeret utilitatem. Apparere coram tribunali Dei juſti Judicis, præ ſe ferendo conſcientiam innumerorum criminum onere prægravatam, quis tremore non concuteretur, & non ſe diſponeret ad purificandam eandem conſcientiam ſuam, & lamentis pœnitentiæ diluendam, ne fortè apprehenderetur imparatus à Divinâ Juſtitiâ, cujus ſeveros experiretur rigores?

Non tardemus igitur, Auditores, *converti ad Dominum, & ne differamus de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſper-*
p Eccli. 5, 8, & 9. *det* p nos. Unicum videmus Dimam, ſeu bonum Latronem, cui Deus ſuam indulſerit miſericordiâ, quandiu ipſe ſedebat in throno miſericordiæ ſuæ, ſuum effundens Sanguinem pro peccatori-
q Luc. 23, 43, &c. bus, *Et dixit illi Jeſus, Amen dico tibi: Hodie mecū eris in paradiſo* q. Nunc autem in cœlo, ſedet in tribunali juſtitiæ ſuæ. Prætereà, Facite id, quod peregit bonus latro, & Divinam ſic poteritis conciliare vobis Miſericordiam. Quis autem certos vos reddit, vos eò perventuros, & concedendum vobis tempus pœnitentiæ agendæ? Vivite eo modo ac ſi diebus eſſetis morituri ſingulis, & pergire cubitum, quaſi cubile veſtrum futurum eſſet ſepulchrum veſtrum, & ex lecto veſtro præſentandi eſſeris judicio *Dei, qui reddet unicuique ſecundùm* r Rom. 2, 5, & 6.
opera ejus r.

Secunda conſideratio, cui ſedulò debemus incumbere, in hoc eſt ſita ut cogitemus, quòd bonam vitam ſequitur bona mors, quæ eſt fructus bonæ vitæ: qualis enim eſt vita, talis eſt mors: & ſicut ferè impoſſibile eſt ut homo qui benè vixit, malè moriatur; ita quaſi miraculoſa res eſt ſi is qui malè vixit, benè moriatur. Mors boni latronis furtis patrandis aſſueti, eſt abſque exemplo. Vivamus benè, ut bonâ morte noſtram concludamus vitam; & dato quòd unicum duntaxat vixiſſemus momentum, ſatis vixerimus, ſi vitam bonam peregerimus. Quid intendimus vivendo aliud niſi ut cœlum nobis comparemus? Si illud exiguo tempore nobis conciliare poſſimus, nonne beati futuri ſumus? *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa* s. Longitudo s Sap. 4, 13.
temporis non efficit nos Sanctos, ſed tempus ritè inſumptum ſanctitatem noſtram peragit. Proptereà non habent unde querantur parentes, cùm Deus ipſis abripit liberos ipſorum in ſtatu innocentiæ poſitos, quia illis dat paradiſum eo tempore quo digni ſunt eo adipiſcendo, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius* t. Quanto perfunditur t Sap. 4, 11.
anima gaudio, cùm ſuo diſſolvenda eſt à corpore, & deſertura vitam, in quâ non meſſuit ipſa niſi ſpinas, nec aliquid eſt experta præter infortunia! Quibuſnam afficitur oblectamentis! Suſpirat iſta ad iſtud fœlix momentum, & manum implorat auxiliatricem, quæ iſtam peragat diſſolutionem, dicens cum Apo- u Rom. 7, 24.
ſtolo u, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sciens Dei Filius Lazarum amicum ſuum mortuum eſſe, ſuis diſcipulis *dicit, Lazarus amicus noſter dormit. Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos* x. Exultat Dei Filius, & diſcipulos ſuos x Joan. 11, 11, &c.
ad lætitiam invitat: & tamen cùm illum ſuſcitaturus eſt, infremit, & lacrymatur, *Infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt Jeſus.* Quare hoc? Sanè ut nos doceret, quòd, cùm iſta vita ſit domicilium lacrymarum, nec nobis producat niſi faſtidia, quando ex eâ eximus, gaudere debeamus. Proptereà exultare deberemus illo momento, ſicut aliàs quidam populi ſoliti erant flere in nativitate liberorum ſuorum, & gaudere in morte eorum, cùm naſcendo ingrederentur in terram ſpinis & ſentibus opertam, & moriendo pervenirent ad terminum exilii ſui, & mors eſſet eis exitus ex omnibus miſeriis hujus mundi. Proptereà lacrymatur Chriſtus Lazarum ſuſcitaturus, & eum ad miſerias hujus vitæ revocaturus, è quibus morte ſuâ jam exierat.

Homo probatæ vitæ ſimilis eſt cygno, de quo perhibetur, quòd cùm toto tempore vitæ ſuæ gemuerit, jam jam moriturus ſuaviſſimè concinit. Aliqui quærentes rationem hujus mutationis, dicunt, quòd cygnus eſt conſecratus Apollini, qui eſt Deus divinationis, & prævidendo quòd Deus cui ſervit, & cui ſuas exhibet reve-

reverentias, remuneraturus ſit ipſum,& agnoſciturus obſequia ſua, ipſumque ſuſceptutus, hæc jucunda imaginatio efficit ut ipſe præ gaudio concinat moriturus,qui priùs ſemper gemuit. Commentum eſt iſtud: ſed veritas eſt, quòd probatæ vitæ homo, qui fuit cygnus candidus præ puritate & ſanctitate vitæ,quiq; totum peregit curſum peregrinationis ſuæ *in ſanctitate & juſtitiâ coram* y Luc. 1. 75. *ipſo* Deo vero *omnibus diebus* y ſuis, quibus gemuit pro peccatis ſuis, & pro alienis, cùm deſerturus eſt iſtam vitam, ut ingrediatur in optimam, gaudet prævidens, quòd ille, cui ſeruit, *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis* z ſuis, & ab eo ſibi ſit *repoſita corona juſtitiæ, quam reddet Dominus in illâ die juſtus Iudex* † ſibi. Hæc cogitatio illum ſuavi perfundit gaudio & conſolatione. Moritur ut phœnix inter jucundas odoramentorum ſuorum ſuavitates, & poſt exhibita obſequia ſua Deo ſuo præ fidelitate, fultus auxilio gratiæ ejus, ad cœlum pergit, ut ibi fruatur gloriâ illius.

z Apoc. 21. 4. ex Iſai. 25. 8.
† 2. Tim. 4. 8.

FERIA VI. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMÆ.

Ieſus infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & dixit, Vbi poſuiſtis eum. Dicunt ei, Domine, veni, & vide. Et lacrymatus eſt Ieſus. Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus, Tollite lapidem. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Joan. 11. 33. &c.

CUm in Evangelio hodierno Dei Filius ſit ſuſcitaturus Lazarum jam fœtentem, quatriduanum, operæ pretium eſt ut præ veſtræ mentis oculis ſubjiciam obſtinationem peccatoris in criminibus ſuis indurati, colluvie ſcelerum ſuorum ſcatentis, & fœtentis more Lazari, qui vera eſt illius figura & imago. Præliari vult homo cum Deo, ſuam vult ipſe machinari ruinam, quandiu Deus vult illius operari ſalutem: recedit peccator à Deo, ut prodigus *filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & abijt* a. Id eſt, ſicur exponit Dionyſius Carthuſianus b, *Peregrè à patriâ Beatorum per pravam vitam ſe elongando, quæ eſt peregrinatio mala, quâ quis hoc mundo atque præſenti exilio pro patriâ utitur, profectus eſt, non tam corporaliter tranſeundo, quàm mentem ſuam à Deo improbè avertendo. Sicut enim ad Deum incircumſcriptum ubique ſubſtantialiter verè præſentem* c *acceditur mentis affectu, non corporis greſſu, niſi inquantùm exterior actus habet rationem virtutis ex interiori intellectus, voluntatisq; actu; ita à Deo receditur mentis averſione* d, *non corporis motione, niſi inquantùm act*[9] *exterior ex interiori mentis inordinatione, ſeu culpâ efficitur vitioſus: in regionem longinquam, hoc eſt, peccati ſtatum, diſſimilitudinem, & contaminationem, per quam longè à Deo diſtamus, juxta illud Proverbiorum* e, *Longè eſt Dominus ab impijs, Atque in Pſalmo* f, *Longè à peccatorib*[9] *ſalus. Hæc eſt ſpiritualis diſtantia, utpote diſſimilitudo. Et abijt, ſe à Deo infelicius elongando; à quo tantò vehementiùs elongamur, quantò graviùs vehementiùsve peccamus. Peccatum autem, quod per pœnitentiam non ſtatim diluitur, ſuo mox pondere trahit ad aliud, ut ait Greg.* g. Peccator igitur à Deo ſe elongat, & Deus illum inſequitur, *Redite prævaricatores ad cor* h. Unde idem S. Greg. i ait, *Quid vicinius nobis eſt corde noſtro? Quid vicinius nobis eſt eâ re, quæ intra nos eſt? Et tamen cùm per pravas cogitationes ſpargitur, à nobis cor noſtrum longiùs evagatur. Longè ergo Propheta prævaricatorem mittit, cùm eum ad cor ſuum redire compellit: quia quò ſe externis fudit, eò ad ſe unde poſſit, redire vix invenit.* Obſtinat ſe peccator, *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis, qui non reverſatur* k. Cornelius l ait, inter alios notari *in pane ſubcinericio condiciones, pertinaciam* peccatoris: *ſcilicet, eum cinere, id eſt, ſordibus undique eſſe circundatum, ut neque poſſit ab eis, nec ab iis recedere, & reverti ad eum, etiam dum ab eo igne tribulationis excoquitur. Ita S. Hier.* Ideò Deus illũ caſtigat, *Ego quos amo, arguo, & caſtigo* m *verberibus, ſeu adverſis ne quid mali in eis remaneat,* ſubdit Dionyſ. Carth. n. Indurat ſe, *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus* o. Et Deus ipſum vult repetitis ictibus mollire, *Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid ergo cor durum? Ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur,* ait S. Bernard: p. Non deſinit tamen Deus peccatorem flagellis afflictionum impetere ut eum molliri ſatagat; eum miſerum apparenter efficit, ut reddat illum beatum, eruens præ amore ex infirmitatibus illius cauſam triumphorum ej[9]. ex quo ipſemet noſtras ſuſcepit miſerias, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* q. *Id eſt, cæteris hominibus aſſimilatus, ſeu ſimilis factus, aſſumendo indetrahibiles defectus, videlicet pœnalitates, non vitia. Fuit enim mortalis atque paſſibilis. Vnde dicit Apoſtolus* r, *Debuit per omnia fratribus aſſimilari. Et habitu, id eſt, converſationis ſuæ habitudine inventus eſt, id eſt, verè innotuit ut homo,* ſubdit Dionyſ. Carthuſ. s. Factus eſt autem homo in utero ſanctiſſimæ Virginis, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* t *Maria.*

a Luc. 15. 13. &c.
b Dionſ Carth. a. 38. in Luc. 15, 13, &c.
c ex Ier. 23. 24.
d ex Ier. 8. 5. 4.
e Prov. 15. 29.
f Pſ. 118. 155.
g ex S. Greg. l. 25. Mor. c. 9.
h Iſai. 46. 8.
i S Greg. lib. 26. Mor. c. 23.
k Oſee 7. 8.
l Cornel. in Oſee 7. 8. ex S. Hier. lib. 2. in Oſee 7. 8.
m Apoc. 3. 19.
n Dionſ Carth. a. 4. in Apoc. 3. 19.
o Iob. 41. 15.
p S. Bern. l. 1. de Conſid. c. 2.
q Philip. 2. 7.
r ex Heb. 2. 17.
s Dionſ Carth. a. 2. in Philip. 2. 7.
t Luc. 1. 28. & 38.

Maxima eſt æquè vera ac ipſa eſt univerſalis, ea quæ aſſerit, eandẽ cauſâ diverſos effect[9] operari, juxta diverſam diſpoſitionem, quâ ipſa invenit in ſubjecto quod ipſam recipit. Sol eodẽ radio indurat lutum, & emollit ceram; & eodẽ intuitu noſtros facit aperiri flores, & noſtras roſas marceſcere. Idem aſtrum ſuas effundens influentias ſuper terram, efficit ut hæc ſuas promoveat plantas, ut prata illi[9] vireſcant; quãdiu ipſum noſtras inaurat meſſes, & noſtros areſcere facit agros; ita ut videatur quaſi unâ manu deſtruere id, quod alterâ erexerat: ſi mediis ventis nebulas fugat aliquib[9], aliis ventis eaſdẽ reducit nebulas: ſi Zephyro noſtros lætificat agros, Aquilone noſtros adurit cãpos; ita ut eadẽ cauſa diverſos producat effect[9]: & terra quæ jucundè omnes iſtos deberet favores ſuſcipere ab iſto cõmuni generationum parente, ingrata & veluti ſuſceptorum immemor beneficiorum non producit nec reddit ei vice actionis gratiarum niſi exhalationes, quib[9] ejus lumina offundat, quibus Sol jure merito exacerbatus, utitur tanquam materiâ idoneâ fabricandis fulminibus, quæ vibrat in ſinum ejus, juſto percitus vindictæ ſenſu, intuitu ingratitudinis ejus intolerandæ; & claritates ejus ſtupore percellentes, & omnia ejus fulgura minas æquè ac ſplendorem præ ſe ferentia, nihil aliud ſunt niſi manifeſta

itacundiæ ejus ſpecimina. Sed, ut verum fatear vix diſtinguere poſſumus ſavores ejus ab illius ſævitiis, cùm crudelitates ejus ſint nobis ſavorabiliores beneficiis illius: tonitruis enim ſuis perſtrepentibus & minitantibus efficit ut cervæ ſuos enitantur catulos, ut mare ſuas nobis det conchas unionum matres; quin imò ipſa pervadit intima terræ viſcera, ut ibi producat argentum & aurum, quæ ſunt materia avaritiæ noſtræ, & idololatriæ noſtræ fomes. Propterea Apoſtolus *u* conſulit nobis ut eam mortificemus, *Mortificate avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus. Id eſt, idololatria comparatur. Nam ſicut idololatra potiùs ſervit idolis quàm vero Deo; ita avarus magis colit, curat & cogitat ſuam pecuniam, quàm Creatorem*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *x*. Ita ut ubique iſtud, quod *fecit Deus luminare majus, ut præeſſet diei y*, nobis faveat, & maximæ ejus ſævitiæ nos magis devinciant ſibi. Sol materialis eſt imago Solis ſpiritualis, nempe DEI qui diverſimodè operatur ſecundùm diverſam diſpoſitionem ſubjecti, quod actionem ipſius ſuſcipit. Unicuique favet, quia *bonus z* eſt: nec ullus eſt, cui indifferenter ſeſe propitium non exhibeat: ſed homines abutentes bonitate ejus præ exceſſu ingratitudinis, quæ pudore cœlum offundit, illum inducunt ad capeſſendum ſupplicium de ipſis, qui nonniſi novis criminibus agnoſcunt beneficia ejus: ſed ubique divinus iſte *Sol juſtitiæ a*, nobis favet, & vix diſcernere poſſumus beneficia, quibus nos cumulat, à pœnis quibus nos plectit. Cùm vocatur à Prophetâ *Sol juſtitiæ*, nobis ab eo repræſentatur ſedens in tribunali juſtitiæ ſuæ puniens rebelles, percutiens obſtinatos: ſi enim nobis *repoſita eſt corona juſtitiæ*, ut juſtis, ab eo qui eſt *juſtus Iudex b*: ſceleratis etiam & impiis reſervat *ſupplicium æternum c* infligendum. Unâ manu tenet coronas, alterâ vero fulmina, ſed ideò ut medeatur, ut peccatorem reducat ad reſipiſcentiam, ut ſuſcitet eum ab induratione ipſius, *Et ſanitas in pennis ejus d*. Rigores ejus ſunt benefici, cùm ſanitatem in extremitate pennarum ipſius ferant; & perſæpè ſeveritates ejus ſunt utilitiores ſuavitatibus, quibus veluti fulcris utuntur æquo liberiores homines ut inſoleſcant magis ac magis, quandiu rigoribus & ſeveritatibus impetiti, in emendatæ vitæ ſeſe recipiunt frugem. his probationibus examinationibuſque veluti fræno coërciti ne in peccato perſeverent, ſed potiùs ab eo reſurgant. Ubique quærit DEUS bonum noſtrum, ſive nos puniat, ſive nobis blandiatur, nec ullus niſi injuſtè de rigoribus ejus adversùs ſe exercitis queri poteſt, Concordant omnes Doctores unanimiter, Lazarum eſſe figuram peccatoris obſtinati. Videte quid agat Dei Filius ut Lazarum ſuſcitet, *Ieſus infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt: venit ad monumentum: erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus, Tollite lapidem. Hæc cum dixiſſet, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras.* Sic reducere volens Deus peccatorem ad pœnitentiam, & emollire cór ejus induratum, minitatur, & clamat, id eſt, inſumit rigores afflictionum adverſùs eum, quibus aperiat ei oculos, ut carpere poſſit viam ſalutis ſuæ peccator.

u Coloſſ. 3. 5.
x Dion. Carth: a. 3 in Coloſſ. 3. 5.
y Gen. 1, 16.
z Pſ. 125. 68.
a Malach 4. 2.
b 2. Tim. 4. 8.
c Matth: 25. 46.
d Malach 4, 2.

Propoſitio.

Fides ſemper permanet eadem, *Una fides in ſpecie ex parte objecti, quod eſt Veritas e prima, ſed ex parte ſubjectorum fides numeraliter diverſificatur. Quamvis enim multa ſint credenda, & multi articuli; una tamen eſt formalis, & propria ratio objectalis, propter quam omnibus creditur, & cui fides innititur, ſcilicet Veritas increata*, ait Dionyſius Carthuſianus *f*. Etſi Deus, cui ſervimus, mutavit conditionem, cùm *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: nunquam tamen naturam mutavit, quippe *qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo g*. In æternum *idem ipſe h* eſt, etiamſi eum in diverſis conſideremus ſtatibus, ut ipſemet de ſe ait, *Ego enim Dominus, & non mutor i*. Judæi in Lege antiquâ intuiti ſunt eum gloriâ fulgentem, & majeſtate pompaticâ renitentem, *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum k*. Sed in Lege novâ videmus reclinatum *eum in præſepio l*. Vel bajulantem *ſibi crucem in eum, qui dicitur Calvariæ, locum †*. Et ut ſic ſuſtinendis omnibus miſeriis & infortuniis noſtris obnoxium effectum. Stoici exiſtimabant, quòd homo talis, qualem eum delineabant in ſcholis ſuis, in ſe nullam experiri debebat paſſionem, rati paſſiones ſociari non potuiſſe virtuti, ita ut deberet homo eſſe inſenſibilis, quò evaderet virtuoſus: collocantes ſapientem ſuum ſupra Olympum, continuâ & perfectâ pace fruentem, nedum ullas unquam experiretur paſſionum commotiones. Peripatetici verò è contrà docebant, paſſiones fuiſſe indifferentes, & quòd poſſent ſervire, aut in bonum, aut in malum, & quòd illarum exercitium dignos honore, aut opprobrio redderet eos qui illas inſumerent, juxta uſum ad quem illas adhiberent; & quòd Stoici meliùs gloriarentur ſuper chartâ & ſcriptis, quàm agerent medias inter occaſiones, quibus occurrentibus labebantur ipſi in defectus, quorum inſimulabant alios, paventes in periculis, quæ minus habebant horroris, quàm præ ſe ferat mors, ut ſatis fuſè docet S. Aug: *m*, *Duæ ſunt ſententiæ Philoſophorum de his animi motib⁹, quos Græci πάθη, noſtri autem quidā, ſicut Cicero perturbationes; quidā affectiones vel affect⁹, quidā verò ſicut iſte de Græco, expreſſius paſſiones. Hæ ergo perturbationes, ſive affectiones, ſive paſſiones quidam Philoſophi dicunt etiam in ſapientem cadere, ſed moderatas, rationiq; ſubjectas, ut eis leges quodammodo, quib⁹ ad neceſſarium redigantur modū, dominatio mentis imponat. Hoc qui ſentiunt, Platonici ſunt, ſive Ariſtotelici, cùm Ariſtoteles diſcipulus Platonis fuerit, qui ſectam Peripateticam condidit. Aliis autē, ſicut Stoicis, cadere ullas omnino hujuſmodi paſſiones in ſapientem non placet. Hos autem, id eſt, Stoicos, Cicero in libris de Finibus Bonorum & malorum, verbis magis quàm rebus adversùs Platonicos, ſeu Peripateticos certare convincit: quandoquidem Stoici nolunt bona appellare, ſed commoda corporis & externa: eò quòd nullum bonum volunt eſſe hominis præter virtutem tanquam artem benè vivendi, quæ non niſi in animo eſt. Hæc autem iſti ſimpliciter & ex communi conſuetudine loquendi appellant bona, ſed in comparatione virtutis, quâ rectè vivitur, parva & exigua. Ex quo fit, ut ab utriſque quomodolibet vocentur, ſeu bona, ſeu commoda, pari tamen æſtimatione penſentur, nec in hâc quæſtione Stoici delectentur, niſi novitate verborum. Videtur ergo mihi etiam in hoc, ubi quæritur, utrum accidant ſapienti paſſiones animi, an ab eis ſit prorſus alienus, de verbis eos potiùs, quàm de rebus facere controverſiam. Nam & ipſos nihil hinc aliud quàm Platonicos & Peripateticos ſentire exiſtimo, quantùm ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum ſonum. Ut enim alia omittam quibus id oſtendam, ne longum faciam, aliquid unum*

quod

e Ioan. 14, 6.
f Dion. Carth a. 4 in Eph 4. 5.
g Philip. 2. 7. & 6
h Pſ. 101 28
i Malach. 3. 6.
k Iſai. 6. 1.
l Luc. 2. 7.
† Ioan. 19. 17.
m S. Aug. lib 9. de Civit. Dei c. 4.

quod ſit evidentiſſimum dicam. In libris quibus titulus eſt, Noctium Atticarum, ſcribit A. Gellius, vir elegantiſſimi eloquij, & multæ ac facundæ ſcientiæ, ſe navigaſſe aliquando cum quodam Philoſopho nobili Stoico. Is Philoſophus, ſicut latiùs & uberiùs, quàm ego breviter attingam, narrat A. Gellius, cùm illud navigium horribili cœlo & mari periculoſiſſimè jactaretur, vi timoris expalluit. Id animadverſum eſt ab eis qui aderant, quamvis in mortis viciniâ curioſiſſime attentis, utrùmne Philoſophus animo turbaretur. Deinde tempeſtate tranſactâ, mox ut ſecuritas præbuit colloquendi, vel etiam garriendi locum, quidam ex his, quos navis illa portabat, dives luxurioſus Aſiaticus Philoſophum compellat, illudens quòd extimuiſſet atque palluiſſet, cùm ipſe manſiſſet intrepidus in eo, quod impendebat, exitio. At ille Ariſtippi Socratici reſponſum retulit, qui cùm in re ſimili eadem verba ab homine ſimili audiſſet; reſpondit illum pro animâ nequiſſimi nebulonis meritò non fuiſſe ſolicitum, ſe autem pro Ariſtippi animâ timere debuiſſe. Hâc illo divite reſponſione depulſo, poſteà quæſivit A. Gellius à Philoſopho non exagitandi animo, ſed diſcendi, quænam illa ratio eſſet pavoris ſui. Qui ut doceret hominem ſciendi ſtudio graviter accenſum, protulit ſtatim de ſarcinulâ ſuâ Stoici Epicteti librum, in quo ea ſcripta eſſent, quæ congruerent decretis Zenonis & Chryſippi, quos fuiſſe Stoicorum Principes novimus. In eo libro ſe legiſſe dicit A. Gellius, hoc Stoicis placuiſſe, quòd animi viſa, quas appellant phantaſias: nec in poteſtate eſt utrùm, & quando incidant animo, cùm veniant ex terribilibus & formidabilibus rebus, neceſſe eſſe etiam ſapientis animum moveant: ita ut paulìſper vel paveſcat metu, vel triſtitiâ contrahatur tanquam his paſſionibus prævenientibus mentis & rationis officium: nec ideò tamen in mente fieri opinionem mali, nec approbari iſta, eiſque conſentiri. Hoc enim eſſe volunt in poteſtate, idque intereſſe cenſent inter animum ſapientis & ſtulti, quòd ſtulti eiſdem paſſionibus cedit, atque accommodat mentis aſſenſum: ſapientis autem quamvis cas neceſſitate patiatur, retinet tamen de his quæ appetere vel fugere rationabiliter debet, veram & ſtabilem inconcuſsâ mente ſententiam.

Non ſunt igitur condemnandæ ampliùs paſſiones ut homine indignæ, cùm vel ipſe Dei Filius noſtram ſumens naturam, ab iis ſe eximere noluerit. Eas tamen præ reverentiâ appellant Theologi propaſſiones, *IESVS infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & dixit, Vbi poſuiſtis eum?*

n S. Aug: tract: 49 in Ioan: at. 33, & 34.

Super quod dicit idem S. Auguſtinus n, *Neſcio quid nobis inſinuavit fremendo ſpiritu, & turbando ſeipſum. Quis enim eum poſſet niſi ſe ipſe turbare? Itaque, Fratres mei, primo hic attendite poteſtatem, & ſic inquirite ſignificationem. Turbaris tu nolens, turbatus eſt Chriſtus, quia voluit. Eſurivit o Ieſus, verum eſt, ſed quia voluit: dormivit p Ieſus, verum eſt, ſed quia voluit: contriſtatus eſt q Ieſus, verum eſt, ſed quia voluit: mortuus eſt Ieſus, verum eſt, ſed quia voluit r. In illius poteſtate erat, ſic vel ſic affici, vel non affici. Verbum enim animam ſuſcipit & carnem s, totius hominis ſibi coaptans in perſonæ unitate naturam.* Sic noſtris compaſſus eſt miſeriis, & erga infelicitates noſtras affectu miſericordiæ ductus eſt ſublevandas.

o ex Matt 4, 2.
p ex Matt 8, 24.
q ex Matt 26. 38.
r ex Iſai. 53, 7.
s ex Ioan 1, 14.
t Pſ. 118, 68.
u Exod: 33. 19.
x S. Dion lib. de Div. Nomin: c. 4
y 1. Tim. 2. 4.

Cùm Deus ſit ſummè *bonus t*, imò & *omne Bonum u*, omnium vult hominum ſalutem, & ſuam communicare illis gloriam, quia *Bonum eſt diffuſivum ſui*, ait S. Dionyſius x. *Omnes homines vult ſalvos fieri y.* Id eſt, *Quantùm in ſe eſt, ita ut ex parte ejus non ſit defectus, neminemque ad ſe venientem repellat, & ſingulis gratiam dare paratus ſit: ſi fecerint quod in ſe eſt*, ait Dionyſius Carthuſianus z. Qui poſt S. Damaſcenum ſubdit, *Quòd Deus vult omnes ſalvari voluntate antecedente, non autem voluntate conſequente, quæ duplex voluntas in Deo ſolâ ratione diſtinguitur. Dicitur enim voluntas antecedens quâ quis aliquid vult ſecundùm conſiderationem communem & abſolutam rei quam vult. Conſequens verò quâ vult aliquid conſideratis particularibus circunſtantijs atque conditionibus ejus.* Voluntate antecedente omnes homines vult ſalvos fieri. Sed voluntate conſequente ſeu executionis vult ut homines ſe dignos reddant gloriâ, quâ ipſis vult dare, & ut illam mereantur bonis operibus ſuis quæ ſunt fructus voluntatis ipſorum. Propterea in cœlo ſedens in tribunali juſtitiæ ſuæ, unâ manu coronas tenet, quibus præmietur bonos, alterâ verò fulmina, quib⁹ impiorum conterat capita: & ſicut in eo *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi a*; ita miſericordiâ ſuâ favores illis communicat, & juſtitiâ ſuâ facit hos experiri gravitatem brachii ſui. Et quia ſunt homines indurati & obſtinati, ſicut erat *induratum cor Pharaonis b*: ideò tonat, minitatur, ſua vibrat adverſus eos fulmina ut eos emolliat. peccatores excipit ſeverè, *regit eos in virgâ ferreâ c*, ut illos perducat ad reſipiſcentiam. Hæc unica via eſt, nimirum afflictionis, ut ſecuriſſima; per illam eos trahit, & venire facit ad ſalutem, confringendo obſtinationem eorum induratam.

z Dion: Carthuſ. 1. Timoth. 2. 4.
a Pſ. 84. 11.
b Exod: 7. 22.
c Pſ. 2, 9.

Quæritur in Theologiâ quænam ſit cauſa obſtinationis dæmonum. Duplex illius aſſignatur à Theologis. Una aſſignatur per ſubtractionem ſeu defectum gratiæ, ratione termini peregrinationis eorum. Altera verò eruitur ex inflexibilitate naturæ eorum. R. P. Marcus Capucinus d ait, *S. Bonaventura docet, quòd ratio cur diabolus eſt obſtinatus in malo, eſt, quia deficit pœnitentia: ratio, cur deficiat pœnitentia, eſt, quia deficit gratia: ratio autem cur deficiat gratia, nec eſt Deus, nec voluntas, ſed peccatum. Ejus opinio hæc eſt, quòd culpa eſt irremediabilis ratione ſtatus peccantis: quia tempus merendi & ſtatus demerendi erat ipſis præfixus uſque ad primam operationem bonam, vel malam; & ideò ſicut homo poſtquam tempus merendi pertranſiit, quantùmcumque peccaverit pœnitùs, dum tamen mortaliter, & qualitercumque peccaverit, ultrà non poteſt bonam voluntatem reacquirere. Et hoc modo dicit S. Damaſcenus e, Quòd hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſum extitiſſe. Poſt lapſum enim præcluſa jam eſt illis omnis reſipiſcendi facultas, quemadmodum & hominibus, poſtquam ex hâc vitâ migrarunt. Scotus docet, quòd cauſa obſtinationis diaboli eſt gratiæ defectus, ratione ſtatus Angeli qui eſt in termino.* In quo convenit cum S. Bonaventurâ.

d R. P. Marc: Cap: 1. p. Parad. Theol: tract 3. q. 58. a. 1, citans S. Bon: in 2. ſent. d 7, a. 1, q. 1. & 2 q. & Scot. in 2, ſent d. 7, q. 1.
e S. Damaſc. lib. 2. de fide Orthod. c. 4.

Certum eſt, quòd ſine gratiâ nemo poſſit ſe convertere, & quòd ex propriis viribus non poſſimus eam mereri ſemel deperditam, & quòd Deus illam nobis renuit, eò quòd illam contempſimus, & quòd confeſtim ac illam DEUS nobis renuit, manemus obſtinati in malo, nedum poſſibile nobis ſit ut ab illo nos retrahamus, cùm inde exire non poſſimus ſine gratiâ, nec illam habere poſſimus ex nobis, cùm Deus illam nobis renuat, quia illam ſprevimus ab ipſo nobis oblatam, *Et in peccato veſtro moriemini formaliter, id eſt, peccatum veſtrum contra me erit mors animæ veſtræ, quia mortale fuit, & cauſa damnationis veſtræ. Vel, In peccato veſtro moriemini, morte corporali, id eſt, uſque in finem perſeverabitis in peccatis, tanquam indurati in malo. Quò ego vado, putà ad patriam, Patriſque dexteram ſeſſurus in*

in throno gloriæ ejus, vos non poteſtis venire quandiu eſtis tales, quales nunc eſtis. Peccata enim veſtra ſeparant, inter Deum & vos f. Et ipſa prohibent bonum à vobis, ait Deus per Carthuſianum g. Dæmones igitur recuſaverunt gratiam, eâ noluerunt uti, illâ ſe reddiderunt indignos, ideò ſunt in ſtatu obſtinationis & indurationis, & ſicut nunquã habebunt gratiam, quæ ipſis in æternum denegabitur, ſequitur quòd in æternum in ſuâ perſeveraturi ſint obſtinatione. S. Judas h loquens de Angelis Apoſtatis ait, *angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* In æternum igitur erunt obſtinati, ſicut ſemper erunt indurati multi peccatores, qui contempſerunt favores, quibus ipſos ſibi volebat Deus devincire. Sed quodnam remedium huic malo curando conſonum? Quinã modus inducendorum illorum ad aperiendos oculos ſuos, & ad peragendam converſionem? Oportet ut Deus armet fulminibus manum ſuum, ut aggravet brachium ſuum; & mediâ afflictione revertentur ad ſemetipſos, ſicut aliàs Judæi, qui recurrebant ad eum, cùm ab eo affligebantur: proſperitates efficiebant eos inſolentes, quandiu afflictiones & flagella illos ad Deum reverti compellebant, *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum* i. Neceſſaria ſunt fulgura & tonitrua ad emolienda hæc corda lapidea, *Et tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui* k. Et ecce fulgura, & claritates perſtrependo illuminant intellectũ, & voluntatem commovent, & ad reſipiſcentiam peccatores inducunt, *Virtus in infirmitate perficitur* l.

f ex Iſai. 59, 2.
g Dion: Carthuſ. a. 22. in locu. 8, 21.
h Iudæ v. 6.
i Pſ. 77. 34.
k Iſai. 28. 19.
l 2. Cor. 12, 9.

Quid reduxit filium prodigum ad emendatæ vitæ bonam frugem, niſi intuitus propriæ miſeriæ, in quam reductus eſt poſt diſſolutiones ſuas? *Et poſtquàm conſummaſſet omnia, facta eſt fames valida in regione illâ, & ipſe cœpit egere. Et abijt, & adhæſit uni civium regionis illius: & miſit illum in villam ſuam ut paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. In ſe autem reverſus, dixit, Surgam, & ibo ad patrem meum.* Sed, prodige, vocaſne eum patrem? Non exercet adversùs te niſi rigorem & ſeveritatem, advertens quod *peregrè profectus in regionem longinquam, ibi ſubſtantiam, vivendo luxurioſè* m, tuam diſſipaſti. Ideò illum patrem voco, cùm flagella, quibus me excipit, ſint probationes amoris ejus erga me. *Cum autem duras atque inſenſibiles mentes reſpicit, modo eas minis, modo verberibus, modo revelationibus terret, ut quæ peſſimâ ſecuritate duruerant, ſalubri timore molleſcant, quatenus vel ſerò redeant, & hoc ipſum ſaltem quod diu expectati ſunt, erubeſcant*, ait S. Gregorius n. Et paulò pòſt. *Quod quia miſericorditer facit pietate ſuâ in medium deductâ, quâ etiam ſerò converſos peccatores recipit, beati Iob juſtitiam erudit, dicens; Nunquid tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex eâ? Subaudi, ut ego, qui in ſui ultimis ſæpe peccatores terrendo concutio, convertendo teneo, atque ab eorum cordibus impios cogitationum motus evello.* Hæc autem verba Job, paulò antè expoſuerat, *Per terram quippe homo infima ſapiens deſignatur, cui peccanti dictum eſt, Terra es, & in terram ibis* o. Unde videtis quo modo afflictiones ſint effectus miſericordiæ Dei, cùm illis impetiti reſipiſcamus: & cruces ſint nobis utiles, imò verò neceſſariæ ad operandam ſalutem noſtram.

m Luc. 15, 13 &c.
n S. Greg lib. 29. Mor. c. 6 in Iob. 38, 12. & 13.
o ex Gen. 3. 19.

Deus noſter eſt *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans* p. Si ſentiat aquila, quòd aliqui è pullis ſuis in aërem exire & volare negligat, eodem roſtro quo ei alimentum præbet, illum percutit, ut eum ad volandum inducat: eodem ſe gerit Deus modo: inveniens animas obſtinatas, peccatores induratos, percutit illos cruce afflictionum, ut illos compellat ad exeundum è cubili obſtinationis ſuæ, & eâdem manu quâ illos percutit, eoſdem ſanat, impertiens ei gratiam cum ſupplicio ſimul, *Dominus mortificat, & vivificat* q.

p Deut. 32, 11.
q 1. Reg. 2. 6.

Duo ſunt montes, in quibus *Deus noſter operatus eſt ſalutem* r noſtram. Mons Sinai, & mons Calvariæ. In monte Sinai dedit Deus Legem, *Totus autem mons Sinai fumabat: eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis.* Sed prius *ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat* s. In monte Calvariæ executio Legis peragitur, ſed quomodo? *Et obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* t. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* u. Ut edoceamur, quòd id omne quod pertinet ad inſtructionem noſtram quantùm ad ſalutem noſtram, & ad executionem ejus, non fit niſi mediis afflictionibus, fulguribus, & tonitruis: fulguribus ad illuminandas mentes noſtras, tonitruis ad concutiendas noſtras voluntates, & ad retrahendas illas ex obſtinatione ipſarum. Deus igitur regit peccatores *in virgâ ferreâ* x. Experiri facit eos gravitatem manus ſuæ ut reſipiſcant; hæc crudelitas apparens eſt illis neceſſaria, cum Deus non ſit rigidus, niſi ut ſit miſericors.

r Pſ. 73. 12.
s Exod. 19. 16 &c.
t Luc 23. 45.
u Matth. 27, 51. & 52.
x Pſ. 2, 9.

Dixi ſupra, juxta S. Bonaventuram, & Scotum, ſubtractionem gratiæ, ſeu defectum ejus, eſſe cauſam obſtinationis dæmonum, eò quòd pervenerint ad terminum curſus ſui: atqui quandiu ſumus in viâ, antequam pervenerimus ad terminum, quem Deus nobis præſcripſit, mereri poſſumus, aut demereri; ſed confeſtim ac attigimus illum terminum, immobiles ſumus, & permanemus in ſtatu, in quo mors nos deprehendit, *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* y. Atqui ſciendum eſt, quòd quandiu ſumus in viâ ad conſequendum noſtrum finem, Deus nobis ſemper providet media eidem fini conſequendo opportuna: ſicut rebus materialibus & corporeis media naturalia; ita ſpiritualibus rebus auxilia ſupernaturalia. Quandiu lapis ſurſum eſt in faſtigio ædificii collocatus, inclinatur ſemper ad conſequendum centrum ſuum, Deus præbet illi ſemper inclinationem ad tendendum infrà, & ad uniendum ſe terræ; ſed ubi ſemel illuc pervênit, immobilis ibi eſt, nec eſt ampliùs in viâ ad attingendum finem ſuum, illum jam conſecutus eſt; ideò Deus illi non tribuit ampliùs auxilium; ſicut aſtra & cœli non influent ampliùs extremis temporibus, quia tunc erunt conſecuta finem ſuum; cœli erunt tunc abſque motu, & totus hic mundꝰ inferior influentiis deſtituetur ſuperioribus, *Et complicabuntur ſicut liber, cœli.* Id eſt, *Deſinet motus cœlorum uſus, motus, & influentia, ſicut libro uti deſinimus, cum eum complicamus, ſive claudimus*, ait Cornelius z. poſt Iſaiam. Sic diaboli fuerunt viatores in cœlo, tendebant ad unum finem, & Deus dedit illis auxilia ſpiritualia, &

y Eccl. 11, 3.
z Cornel. in Iſai. 34 4.

gratiam

Digitized by Google

a Gen. 1, 3. gratiam eis obtulit a: duo, aut tria habuerunt ipſi inſtantia, quæ componebant tempus peregrinationis ipſorum; ſed nunc cùm *ad infernum in* b Iſai. 14, 15. *profundum laci* b detracti ſunt, Deus nullum illis offert ampliùs auxilium, ideò permanent in obſtinatione ſuâ. Homines ſunt in mundo quaſi obſtinati in malo ſicut dæmones; poſtquam pervenerunt ad finē curſus ſui, Deus ſuum non offert eis ampliùs ſubſidium: ut autem iſtas cognoſcamus animas obſtinatas ſcientiâ morali & probabili, & diſcamus utrum in illarum numero non ſimus repoſiti, & num Deus nos non deſeruerit, conſiderare debemus an Deus nos affligat. Crux ſubminiſtrabit nobis certitudines ſalutis noſtræ, & perſuadebit nobis, Deum non dereliquiſſe nos, cùm ſuis dignetur nos viſitare flagellis; quòd nondum pervenimus ad terminum infelicitatis noſtræ, ſed ſumus amici Dei, quippe qui adhuc in viâ ſalutis gradimur.

Deus Pater in fluvio Jordane, & in monte Thabor, ait Jeſum eſſe Filium ſuum dilectum, voce quæ nubes pervadens, eum ut talem proclamat bis, *Et ecce vox de cœlis, dicens, Hic eſt Fi-* c Matth. 3, 17. *lius meus dilectus, in quo mihi complacui* c. *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in* d Matth. 17, 5. *quo mihi bene complacui* d. Et poſtquam iſte Filius *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur* e Ioan. 19, 17. & 18. *Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum* e, nihil dicit Pater ſuus æternus in favorem ejus, ſed de eo omnino non loquitur. Quid? nonne hoc in ſtatu miſeriæ Jeſus eſt etiam Filius ejus? Non im- f Pſ. 39, 9. molat ſe Chriſtus niſi *ut* faciat *voluntatem* f ejus: Deus Pater numquid non agnoſcit eum, eo quòd ſe reddiderit Filius ipſius miſerum? Utquid non dicit ſicut in fluvio Jordane, & in monte Thabor, eum eſſe dilectum Filium ſuum? Quare non manifeſtat eum inimicis gloriæ ſuæ? Non opus eſt, Auditores, ut Pater æternus loquatur in gratiam Filii ſui manifeſtandi; hic Filius patitur, eſt cruci ſuffixus, ſola crux ſufficit ut in eâ legantur characteres divinitatis; tolerantiæ ejus ſatis eum proclamant Dei Filium, & ut talis agnoſcitur ab inimicis ſuis, cùm eſt afflictus. *Centurio & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes, Verè Filius Dei* g Matth. 27, 54. *erat iſte* g. Ita ut tolerantiæ Chriſti, crux ejus Sanguine ipſius rubens, mons Calvariæ qui fuit theatrum dolorum ipſius, meliùs ipſum cognoſcendum exhibuerint, quàm tota gloria montis h Matth. 17, 1. &c. Ioan. 5, 8. &c. Thabor h & omnis ſplendor miraculorum, quæ ipſe operabatur, cùm hæc omnia ſerviſſent tantùm ad exacerbandos animos inimicorum ejus, quando confuſiones ejus & paſſiones devincunt illos ei, & inducunt eos ad admittendam veritatem, quam uſque ad illud temp⁹ oppugnaverant; confitentur eum Deum, licèt cruci ſuffixum, ſa- k Thren. 3, 30. turatum *opprobriis* k, & opertum confuſionibus; poſtquàm contempſiſſent eum gloriæ ſplendore renitentem. Quidnam fecit hoc? Afflictio, quæ ſic utilis eſt & proficua ut ſalutis æternæ ferat certitudines.

l S. Tho. 1. part. q. 63, a. 4. in corp. S. Thomas l obſtinationem dæmonum attribuit naturæ ipſorum, ſeu inflexibilitati ejuſdem naturæ ipſorum, dicens, *Quia hoc eſt Angelis caſus, quod hominibus mors, Angeli mali, & dæmones obſtinati remanſerunt in malo. Cauſam autem hujus obſtinationis debes accipere, non ex gravitate culpæ, ſed ex conditione naturæ ſtatus. Ad inquirendum ergo cauſam hujuſmodi obſtinationis, conſiderandum eſt, quòd vis appetitiva in omnibus proportionatur apprehenſivæ, à quâ movetur ſicut mobile à motore. Differt autem apprehenſio Angeli ab apprehenſione hominis in hoc, quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, ſicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus: homo verò per rationem apprehendit mobiliter diſcurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppoſitorum. Unde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter quaſi potens etiam ab eo diſcedere & contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixè & immobiliter. Et ideò, ſi conſideretur ante adhæſionem, poteſt liberè adhærere & huic, & oppoſito, in his ſcilicet, quæ non naturaliter vult. Sed poſtquam jam adhæſit, immobiliter adhæret. Et ideò conſuevit dici, quòd liberum arbitrium hominis flexibile eſt ad oppoſitum, & ante electionem, & poſt: liberum autem arbitrium Angeli eſt flexibile ad utrumque oppoſitum ante electionem, ſed non poſt.* Cùm igitur voluntas hominis ſit flexibilis, ignorantia eſt cauſa mutationis ejus, & intellectus ejus illuminatus inducit voluntatem ad agendū contrarium illi quod agebat anteà; quod autem aperit oculos mentis ejus, eſt afflictio. *Et tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui* m. m Iſai. 28, 19. Quæ voluntatem ab amore creaturæ trahit ad amorem Creatoris. Proſperitas blanditur nobis, cæcitate nos percellit, quando adverſitas nobis oculos aperit. Magnates mundi vix dignoſcere poſſunt amicum ab inimico, hoc ſplendore gloriæ circumfuſi qui omnium hominum reverentias illis conciliat, & inducit eos ad exhibenda eis quaſi numinibus obſequia: non cognoſcunt in hoc ſtatu proſperitatis quinam ſint fideles, & quinam perfidi: ſi autem ipſis accidat adverſitas, ſtatim iſtos advertent falſos amicos, qui ſequuntur lucem more papilionum, recedere a ſe, & ruinam ſui mallent, ſi opus eſt, & per illos ſtet; quia tunc iſti falſi amici illos non cognoſcent ampliùs Magnates propter afflictionē, *Vexatio intellectum dabit.* Hæc eſt differentia inter ſenſus & mentem, quòd ſenſus nimis lucidum ſuſtinere non poſſunt objectum; v. g. oculi noſtri Solem contemplati, ab ejus intuitu recedentes, manent aliquandiu caligine tuſuſi, & per aliquantulum tempus nihil videre poſſunt; magnus illius ſplendor ſic illorum perſtrinxit aciem, ut alia per ſpatium aliquod intueri non poſſint objecta. Contrarium autem dicendum eſt de animâ, quæ ſibi complacet in his objectis magnificis, quæ maximum præ ſe ferunt ſplendorem. Senſus igitur ſuffunduntur caligine, & in hoc ſtatu magnitudinis & proſperitatis ritè judicare non poſſunt de objectis. Philoſophia ait, *Senſibile ſupra ſenſum poſitum non facit ſenſationem.* V. g. ſi videre velim manum meam, eamque pupillæ oculi mei applicem, illam non intuebor. Quare? Quia propius eſt objectum potentiæ quam ſit par, ideoque ab eâ tantiſper eſt removendum, ut hæc illud videre poſſit: ita dico, quòd fortuna propior eſt quam ſit par Magnatibus mundi; ſed ſi recedat ab eis hæc proſpera fortuna interventu alicujus adverſitatis, & Magnates illi rigentem ſuſtineant hanc fortunam, quam prius experiebantur ridentem, confeſtim verè cognoſcent veritatem eorum quæ vobis annuncio, & errorem deponent circa ea quæ prius crediderant, contrarium ſuo comprobabunt experimento; & ſcient, quòd omnes qui ſuos ſe dicebant amicos, tales non erant niſi apparenter, ſed perfidi realiter, *Vexatio intellectum dabit.* Afflictio nobis mentis aperit oculos, & ſic concurrit ad ſalutem noſtram operandam, cùm diſſolvat

vat nos ab effectu creaturarum, ut meliùs nos uniat Deo,

Ad propoſitum meum rediens, dico, quòd obſtinatio dæmonum procedit è ſubtractione ſeu defectu gratiæ, quia ſunt in temino ſuæ peregrinationis; & ex naturâ ipſorum, ſeu ex inflexibilitate ejuſdem naturæ ipſorum: atqui afflictio reducit hominem ad gratiam, certitudinem ei præbet, quòd ipſe *qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* s. & amatur ab eo conſequenter, cùm ſit adhuc in viâ ad operandam ſalutem ſuam. Tandem, Afflictio errorem ab homine removet, & illuminans ejus mentem, accendit ejus voluntatem, convertit eam ad Deum, inducendo illam ad deſerendam creaturam, quàm priùs amaverat. Quod cùm ita ſit, unde oritur ut non convertamus nos, ſed permaneamus ſemper in obſtinatione noſtrâ? Num quia *converti ad Dominum de die in diem* t differimus? vel quia flagella non ſunt ſatis rigida, & afflictio ſat ſevera? Si non convertamur ad Deum, quia differre pœnitentiam volumus, heu quàm cœci ſumus! Quis enim certos poteſt nos reddere ut vivam*, quò illam peragere poſſimus, cùm voluerimus, *Propter iniquitates tuas converſo tibi indulgentiam Deus promiſit* *, *ſed craſtinum diem tibi nemo promiſit*, ait S. Auguſtinus u. *Eſau vendidit primitiva* x ſua: Et Deus illum reprobat: *Scitote enim*

s 1. Cor. 6, 17.
t Eccli. 5, 8.
* ex Ezech: 18, 21, & 22.
u S. Aug: ſerm: 59. de Verb: Dom: c. 9.
x ex Gen. 25, 33.

quoniam & poſteà cupiens hæreditare benedictionem y, *reprobatus eſt: non enim invênit pœnitentiæ locum, quànquam cum lacrymis inquiſiſſet eam* z. Effunditiſne lacrymas ſicut Eſau? Et dato quòd lacrymaremini, eſtiſne certi quòd Deus veſtram ſuſcipiet pœnitentiam, nec vos rejiciet ſicut rejecit Eſau? Intringite hæc vincula quæ vos tenent ligatos, *Pœnitentiam agite* a. Eamque differre nolite in craſtinum, quod penes vos non eſt.

y ex Gen. 27, 38.
z Hebr. 12, 17.
a Matth. 3, 2.

Nam ſi non hodie, cras minùs aptus erit.

Neque dicere Deo cum Auguſtino b, *Modò, ecce modò, ſine paululùm: ſed modò & modò non habebat modum, & ſine paululùm in longum ibat.* Amplectamur igitur, Auditores, pœnitentiam hoc ſacro tempore Paſſionis ingruente. Si autem non convertamur, quia flagella non ſunt ſatis ſevera & aſpera, *Obſecro Domine Deus magne & terribilis* c, rege nos *in virgâ ferreâ* d. Aggrava manum tuam, arma illam fulminibus, bello, peſte, fame, morbis, infamiis, opprobriis, confuſionibus; dicimusque tibi ſinguli cum eadem S. Auguſtino e converſo, *In hâc vitâ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit.* Sed ardeam igne charitatis tuæ hîc, & aliquando in gloriâ tuâ.

b S. Aug. lib 8. Conf: c. 5.
c Dan. 9, 4.
d Pſ. 2, 9.
e S. Aug: in Pſ. 37, 2.

DE DOLORIBUS B.V. MARIÆ PRO DIE VENERIS VEL SABBATHI POST DOMIN. IV. QUADRAGESIMÆ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.
Luc. 1. 28. &c.

ANimæ Chriſtianæ congregatæ in iſtud templum, ut hîc defleatis, & in vobiſmetipſis experiamini paſſiones Salvatoris veſtri qui tradit *ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* a, ut adimpleat voluntatem ejuſdem ſui Patris æterni, & pro nobis ſatisfaciat juſtitiæ ejus, *vulneratus propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra*, b, attentè conſiderate num dolor aliquis accedere poſſit ad dolorem B Virginis quæ martyrium patitur *juxta crucem* c Filii ſui, qui, licèt ſit *Deus gloriæ* d, tamen excipitur velut *opprobrium hominum & abiectio plebis* e. Auſcultate quomodo vobis ipſa dicat, *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus* f. & vos invitet ad ipſi compatiendum. Sicut enim actus pietatis eſt & miſericordiæ, afflictis compati; ſic actus eſt juſti officii, quod nos obſtringit ad participandas paſſiones ita dignæ Matris, quæ nos doloribus ſuis parturivit. Compatiamur anguſtiis ejus, & ſatagamus ut idem qui *ipſius animam doloris gladius pertranſivit* g, potenter etiam cor noſtrum perforet, operando eoſdem effectus, & producendo eaſdem lacrymas: ſi enim ipſa effecta eſt Mater Dei ad verba Angeli, evaſit & Mater noſtra ad verba Filii ſui dicentis ipſi ſuper monte Calvariâ de nobis in perſonâ S. Joannis. *Mulier, ecce filius tuus* h. Ibi autem dicere nos illi debemus præ affectu, *Ecce Mater.*

a Ephel. 5, 2.
b Iſai. 53, 5.
c Ioan: 19, 25.
d Act: 7, 2.
e Pſ. 21, 7
f Thren. 1, 12.
g Eccleſ. ex Luc. 2, 35.
h Ioan. 19, 26.

Exiſtimo quòd veniâ non ero penitus indignus, etiamſi B. Virginis dolores hodiernâ die renovare aggrediar, aperire denuò vulnera cordis ejus ſuſcipiam, & in memoriam revocem diſcurſu funebri languores & agones quos ipſa pertulit in paſſione Filii ſui, qui *ſemel pro peccatis noſtris* i moriens, innumeras inflixit ipſi mortes: & quòd, cùm ipſa non ſit ampliùs in ſtatu, in quo pati poſſit, eò quòd gloria ſplendens quæ ipſam circuncingit, pro ſemper ejicit ab ipsâ miſerias & paſſiones, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* k: ipſa permittet ut filii ſui participent ipſius ſuſpiria, & ſint hæredes dolorum ipſius. Poſtquàm Jephte Dux Hebræorum innumeris fuiſſet impetitus afflictionibus, ad extremum uſque mœroris apicem evectus propter funeſtam mortem filiæ ſuæ, theſauri unici cordis ipſius, æquè ac domus ipſius, *& fecit ei ſicut voverat: exinde mos increvit in Iſraël, & conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor* l. Et cùm B. Virgo non ſit ampliùs in ſtatu in quo ipſa pati poſſit, rectæ rationi conſonum eſt, ut omnes filiæ Iſraël, id eſt, univerſæ animæ devotæ hodiernâ die congregemur ad deflendos dolores ejus, & ad ſuſpirandum martyrium illius. Sed heu! Auditores, quis penicillus ſic audax poſſet hujuſmodi languores ejus vel adumbrare? quæ mens ſatis ſubtilis quæ anguſtiarum illius concipere valeret vel ideas? Illis immergitur cogitatio, & ipſamet triſtitia non habet colores ſatis pallentes ad efformandam dolorum illius imaginem, ita ut nihil æquè ſit eloquens ac ſilentium ad tractandum

i 1. Petr. 3. 18.
k Pſ. 90, 10.
l Iudic. 11, 39. & 40.

Digitized by Google

dum ſubjectum iſtud, & tacendum ſit ad hoc ut de illis ediſſeratur, cùm eloquentia tantam non habeat ad exprimendos magnos dolores quantam ſilentium poteſtatem. Propterea Timanthis *pictoris celeberrimi inter ingenij monumenta, Iphigenia Oratorum laudibus celebratur, quam pinxit ad aram ſtantem, jamque Dianæ immolandam: & cùm omnes mœſtos pinxiſſet, omnemque triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non potuit, velo obduxit*, ait Calepinus *m*.

m Calep. in Dict. v. Timanthes.

Ille pictor eximius invenit tincturas mortis ad repræſentandas facies adſtantium nigras & dolore attenuatas, & oculos lacrymis immerſos, ſed vultui patris illius puellæ velum impoſuit, cùm non haberet colores ſatis vivos ad depingendum luctum illius. Quòd ſi Scriptura non eſt locuta de doloribus B. Virginis, ideò ut monſtraret, quòd nemo exceſſum illorum poſſet exprimere, & eorum perfectam notitiam dare. Scimus quòd Evangeliſtæ non loquentes de illis, eos putant ſic ingentes, ut calami ipſorum non poſſent eos ſcribere: ipſi ſilentium cuſtodiunt, ut cogitandum de illis magis habeamus quàm dicendum. Illorum non habemus niſi picturam S. Simeonis *n*; ſed hæc non eſt niſi velum, non autem imago perfecta dolorum B. Virginis, quæ compaſſione moritur ſtans *juxta crucem* o, ubi mori videt Filium ſuum. Quod inducit me ad oſtendendũ vobis, Quòd ipſa fuit pluſquàm Martyr.

n Luc. 2, 35.

o Ioan. 19. 25

Propoſitio.

Non ſic audacter hanc in medium adducerem propoſitionem, Quòd B. Virgo pluſquàm Martyr fuit, cùm ſuperaverit omnia tormenta, & univerſam patientiam Martyrum, niſi cautam præſtarent hanc veritatem infallibilem præcipui Patres & Doctores Eccleſiæ. S. Bernardus *p* eam authoritate ſuâ ſtabiliens, ſic B. Virginem alloquitur ſuper hæc verba S. Simeonis, *Tuam ipſius animam (ad Mariam autem dicebat) pertranſibit gladius* q. *Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertranſivit. Alioquin nonniſi eam pertranſiens, carnem Filij tui penetraret. Et quidem poſteaquam emiſit ſpiritum tuus ille Ieſus (omnium quidem, ſed ſpecialiter tuus) ipſius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius (nec mortuo parcens, cui nocere non poſſet) aperuit latus* r: *ſed tuam undique animam pertranſivit. Ipſius nimirum anima jam ibi non erat: ſed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut pluſquàm Martyrem non immeritò prædicemus: in quâ nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus.*

p S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc 12. S. Signũ magnum &c.

q Luc. 2. 35.

r ex Ioan 19. 30 & 34.

Iſtius ratio deſumitur ex anima B. Virginis, quæ fuit veluti theatrum martyrii mentis, quod ipſa patiebatur: ſicut enim vulnera animæ ſunt periculoſiora vulneribus corporis; ſic dolores mentis ſunt acriores omnibus doloribus corporis: & mirari non debemus quòd ipſa paſſa ſit ſola novum martyrii genus: ſicut enim ipſa erat Mater differens ab aliis, & Virgo unica ſuo modo, & in gradu ſuæ Virginitatis, propter quem vocatur *Virgo virginum*: oportebat etiam ut eſſet Martyr novo modo, ipſique ſingulari, propter quem *Regina Martyrum* nuncupatur. Si autem videre velitis quomodo martyrium ejus ſuperet martyrium omnium aliorum Martyrum, conſiderate, ſi placet, quòd alii Martyres patiebantur præcipuè in corpore; ſed B. Virgo patiebatur ſingulariter in mente: quanta igitur eſt differentia inter ſpiritum & corpus, tanta eſt etiam differentia inter martyrium ipſius & martyrium aliorum Martyrum: quia dolor erat in ſubjecto nobiliori: præterquàm quòd cùm dolor qui ſuſcipitur ex alicujus rei jacturâ, ſit eò ſenſibilior, quò amor erga illã vehementior eſt, ut dicebam vobis aliquando; amor B. V. erat incomparabilis erga Filium ſuum, & ſic dolor quo ipſa afficiebatur ex jacturâ illi⁹, erat inexplicabilis: illud enim quod cum gaudio poſſidetur, cum multo dolore amittitur: *Ejus dilectio ampliùs fortis quàm mors fuit* s, *quia mortẽ Chriſti ſuam fecit. Quot læſiones in corpore Filij, tot vulnera in corde Matris: clavi quib⁹ corpus Chriſti pendebat in cruce, & cor Virginis crucifixum habebãt*, ait S. Hieron: t. Et Amedeus *u*, *Torquebatur magis quàm ſi torqueretur in ſe; quia ſupra ſe incorporaliter diligebat id unde dolebat*. Et S. Hildephonſus x, *Quòd ſi gladius uſque ad animã pervẽnit, quando ad crucem ſtetit fugientibus Apoſtolis* y, *cùm videret Dominum pendentẽ: etiam pluſquàm Martyr fuit: quia in animo non minùs amoris, quàm mœroris eſt intùs gladio verberata. Parata enim ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. B. Dei Genitrix jure pluſquàm Martyr Mater eſt, quæ nimio amore vulnerata, Teſtis extitit Salvatoris.* Alii Martyres paſſi ſunt martyrium in proprio corpore ſuo, quod oderant ut inimicum ſuum; non poterant igitur multum ſentire dolorem (non ſecus ac vos dolorem non experimini cùm pati videtis inimicos veſtros) ſicut ipſi confitentur gratias agentes Deo ſinguli apud Eccleſiaſticum z. *Et liberaſti me ſecundùm multitudinẽ miſericordiæ nominis tui à preſſurâ flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus.* Sed B. V. patiebatur in corpore Filii ſui chariſſimi, & ipſum diligebat ſuper omnes res mundi: *Vna eſt Maria & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas*, ait Arnoldus Carnotenſis *a*. Ideò dolor ejus acrior erat dolore martyrum. Martyrium igitur ipſius fuit eò excellentius martyrio aliorum Martyrum, quò anima corpore nobilior eſt. Crux S. Petri, patibulum S. Andreæ, & omnia alia inſtrumenta ſuppliciorum, quæ aliis inflicta ſunt Martyribus, non offenderunt niſi corpus: ſed B. Virginis *animam doloris gladius pertranſivit*, ut canit Eccleſia. Nam in materiâ paſſionis, vivacitas mentis non prodeſt niſi ad augendas patientis pœnas: è contrà verò mens ſtupida non modicè ſervit ad hebetandam aciem doloris, præſertim verò ſi ſubjectum ſit ſpirituale: atqui B. Virgo, poſt mentem Filii ſui, maximam præ univerſis creaturis habuit cognitionem dignitatis perſonæ ipſius, & indignitatis auſi temerarii quod attentabatur ſuper eum qui *habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* b: & ingratitudinis hominum, ſic ut dici non poſſit quouſque pervenerit exceſſus doloris ipſius, qui fuit cauſatus à vivâ repræſentatione omnium iſtarum conſiderationum.

s ex Cant. 8. 6.

t S. Hier. citat à Calamat. Sabbat. Dom: Paſſ.

u Amed. hom. 5. de Virg. citat ibid.

x S. Hildeph. ſerm. 2. de Aſſumpt. B. V.

y ex Matt. 26. 56.

z Eccl. 51. 1. &c.

a Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.

b Apoc. 19, 16.

Dolor eſt violenta paſſio animæ impetitæ aliquâ moleſtiâ ſenſibili. Aut, ſi velitis, dolor eſt paſſio animæ afflictæ aliquo genere mali, quod ipſi ſe offert. Vel, ſi malitis, dolor eſt paſſio animæ, quæ ſupereſt ex moleſtiâ quam ipſa ſuſcipit ab objectis quæ contraria ſunt affectibus ipſius, & quæ ipſam affligunt. Atqui duplex eſt dolor: unus reſidet in appetitu animali: alter verò im̃oratur in appetitu rationali. Primus ſemper fit cum ſenſibili alteratione & mutatione corporis, quod com̃ovetur; cùm ſecundum non ſemper ſequatur hæc com̃otio, cùm ipſe ſe contineat intra terminos potentiæ, in quâ formatur. Dolor ſenſibilis reſidet in corpore, quod aliquam violentam patitur oppreſſionem, quæ ipſum alterat. Dolor intellectualis immoratur in parte

rationali.

rationali, in mente, quæ figurat ſibi malum quod ipſa ſuſcipit ab objectis quæ ſe offerunt cogitationi ipſios. Apprehenſio ſenſuum non intuetur niſi objectum præſens, quod ſuper ipſos actualem agit impreſſionem. E contra intellectus repræſentat res præteritas, aut futuras, aut quæ cadere poſſunt ſub imaginationem hominum, ita ut nobiliſſimæ facultates animæ noſtræ, & ipſæ potentiæ quæ ſunt opulentiſſima naturæ noſtræ ornamenta, pœnas & afflictiones noſtras augeant; quaſi oporteret ut munera cœli, quæ nobis aliquam ſuper beſtias impertiuntur prærogativam, nos redderent illis miſeriores: illæ enim fugiunt pericula præſentia, ſed non cogitant de iis quæ poſſunt ipſis evenire: nos autem non ſolùm ſentimus malum, quod nos opprimit, ſed etiam apprehendimus & timemus illud quod nobis debet accidere: ad hoc autem ut evitemus dolorem, oportet ut objectum affligens ſit præſens, & tangat ſenſus noſtros, ita ut ex impreſſione quam ſuper ipſos agit, advertant iſti quòd ipſum ſit doloroſum. Et ecce differentia, quam Philoſophia oſtendit inter paſſionem & compaſſionem: quòd dolor paſſionis provenit ex læſione quæ fit carni, quæ apprehenditur à ſenſu, & quæ redundat in animam illius qui patitur: & dolor compaſſionis originem ſuam ſumit in animâ per apprehenſionem mentis, & redundat in ſenſum & in carnem: quò igitur anima erit potentior & magis domina carnis; eò caro delicatior erit & magis ſubdita ſpiritui: quò major erit communicatio quæ fiet doloris animæ corpori; eò major erit dolor qui incipiet per animam, eo qui incipiet per corpus. Hæc eſt differentia, quæ eſt inter paſſionem, quæ eſt in corpore, & compaſſionem quæ redundat in animam: nunquam reflexio ictus eſt æquè fortis ac ictus ipſe: ictus B. Virginis fuit in animam, & reflexio ictus fuit in corpus: & ideò dolor ipſius, qui fuit per compaſſionem, & derivatus eſt ex ipſius animâ in corpus ipſius, fuit multò ſenſibilior & acrior dolore aliorum Martyrum, qui incepit per corpus, & parùm redundavit in ſpiritum, ſicut agunt omnes paſſiones. Auſcultate eam ſic loquentem apud S. Bernardum *c* Filio ſuo. *O Fili chariſſime, ô benigniſſime Nate, miſerere Matris tuæ: & ſuſcipe preces ejus. Deſine nunc mihi eſſe durus, qui cunctis ſemper fuiſti benignus? Suſcipe matrem tuam in cruce, ut vivam tecum poſt mortem ſemper. Nihil mihi dulcius eſt quàm te amplexato in cruce tecum mori: & nil certè amarius quàm vivere poſt tuam mortem.* Quod nobis oſtendit magnitudinem deſiderii ejus: ipſa enim non ſolùm non merebat ſupplicia, nec mortem, ſed hanc, æquè ac illa ſingulari favori duxiſſet, & dici non poteſt id quod ipſa patiebatur, videns ſe iſtâ ſpe deſtitutam: *Moriebatur, & mori non poterat, & clauſo tanti doloris tormento intrinſecùs, alium vultum palàm exhibebat: nec poterat ex facie colligi crux illa animæ & patibulum ſpiritus, in quo erat hoſtia viva, beneplacens Deo* e, *& medullatum holocauſtum* f: *quod cùm ipſa incenderet, tantùm conſcientiæ miniſterio utebatur, ipſaque ſine ſtrepitu ſeipſam mactans in altario interiori, & ligna & flammas & latices congerebat. Nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria* g, *aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti: Chriſtus carnem, Maria immolabat animam. Optabat quidem ipſa, ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ addere ſanguinem, & elevatus in cruce manibus celebrare cum illo ſacrificium veſpertinum* h, *& cum Domino IESV corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium: ſed hoc ſolius ſummi Sacerdotis privilegium erat, ut de ſanguine ununs intra Sancta offerret* i: *nec poterat ei conſors hac eſſe cum aliquo dignitas: & in reparatione hominis, nulli Angelo, nulli hominis cum eo fuit, aut eſſe potuit, communis authoritas. Cooperabatur tamen plurimum ſecundùm modum ſuum, ad propitiandum Deum, ille Matris affectus: cùm tam propria, quàm Matris vota, charitas Chriſti perferret ad Patrem: cùm quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Pater Filium* k, *& Filius Patrem: Mater verò poſt utrumque ardebat, unumque erat quod diverſa exhibebant officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod Mater ſancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, ſimulque ſe complectebantur pietas, & charitas & bonitas, Matre ſupplicante, Filio interpellante, Patre propitiante. Filius ad pectus Matris & ubera, Pater ad Filij crucem & vulnera reſpiciebat: & quid inter hæc, tanta pignora non morerent?* ait Arnoldus Carnotenſis *l*. Et S. Bernardus *m*, iſtius Abbatis amicus, quippe qui illi ſuppar ſeculo? *Vulnera Chriſti morientis, erant vulnera Matris dolentis. Dolores ſævi fuerunt tortores in animâ Matris. Mater erat lamata morte chari pignoris. Mente Mater erat percuſſa cuſpide teli, quo membra Chriſti ſervi foderunt* n *impij. Ipſa enim erat quam dolor tenebat. In mente ejus creverant nimis ſi dolores, nec poterant extrà effundi. Intus atrocitis ſævientes dolores Nati Matris animam gladiabant. In carne Chriſtus ſolvebat debitum mortis, quod gravius erat quàm mori in animâ Matris.* Et alibi *o*: *Ille etiam mors corpore potuit, iſta commori corde non potuit. Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit* p: *fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.* Ipſa fuit igitur pluſquàm Martyr: nam martyrium aliorum Sanctorum non duravit niſi per horam, per diem, vel per illud exiguum tempus, quo cruciabatur ipſorum corpus uſque ad mortem: ſed martyrium Beatæ Virginis duravit multis annis, cùm jugiter cogitaret de morte Filii ſui: quia prædicta ſpiritu prophetiæ, ipſo inſtanti quo Dei Mater effecta eſt, ipſa cognovit id omne quod JESUS paſſurus erat, ita ut deferens illum *in utero* q ſuo, reclinans *eum in præſepio* r, tenens illum inter brachia ſua, & porrigens illi ubera ſua, mente ſuâ ſemper revolueret Prophetias *s*, ſibi proponens ſingulis momentis amaram paſſionem quâ Filius ſuus erat toleraturus, quæ jugis ipſius cogitatio, ſenſibiliſſima quæque ipſius gaudia inebriabat *abſinthio* t. Propterea S. Epiphanius *u* inſignit illam nomine crucis: *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas, Dominum portavit.*

Præterea, Quò inſtrumenta paſſionis rudiora ſunt, eò dolor eſt violentior, & martyrium ſenſibilius: unde fit ut illi qui moriuntur in igne, multò plus patiantur quàm illi qui in aquâ pereunt: atqui imaginamini omnia inſtrumenta ſuppliciorum quib⁹ excruciati ſunt Martyres; præ veſtræ mentis oculis ponite, ſi vultis, crucem S. Petri, patibulum S. Andreæ, ſicut dicebam ſuprà, gladium S. Pauli, æquè ac S. Jacobi Majoris, quippe quem *Herodes Rex occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio* x: excoriationem

c S. Bern. tract. de Lament. V. M.
d ex Ioel. 2, 13.
e ex Rom 12, 1.
f ex Pſ. 65, 15.
g ex Exod: 31, 8, & 9.
h ex Pſ. 140: 2.
i ex Exod. 30. 10. & ex Levit. 16 2 & ex Heb 9. 7.
k ex Ioan. 5, 20.
l Arnold. Carnot. tract. de illo verbo Dom. Mulier, ecce Filius tuus. Ioan 19. 26.
m S. Bernard: tr. de Lam. V. M.
n ex Pſ. 21, 17.
o S. Bern. ſerm: de Verb: Apoc. 12, 1 Signum magnum &c.
p ex Ioan 15, 13.
q Matth 1, 18. & 23 & Lucæ 1, 31 ex Iſai 7, 14
r Luc: 2, 7, &c.
s Iſai 53, 2, &c.
t Thren: 3, 15
u S. Epiphan. de Laud. Deip.
x Act. 12 1. & 2.

tionem S. Bartholomæi, mortem præcipitatam alterius S. Jacobi Minoris, *ferventis olei dolium* y S. Joannis Evangeliſtæ, martyrium cæterorum Apoſtolorum, lapides S. Stephani z, ignem S. Laurentii, Leones S. Ignatii, novaculas acutas S. Catharinæ, ſagittas S. Sebaſtiani, & forcipes SS. Agathæ & Apolloniæ, &c. & videbitis quòd hæc omnia nihil ſunt, comparata martyrio B. Virginis. Inſtrumentum enim Martyrii ejus fuit tota paſſio Filii ipſius a. Præterquàm quòd inſtrumenta, quæ affligebant Martyres, erant inanimata; ea verò quæ cruciabant B. Virginem, erant viventia, & hæc non erant alia niſi Filius ipſius patibulo crucis ſuffixus, corpus ejus ſanguine opertum, oculi illius *lacrymis* b diffluentes, caput ejus *ſpinis* c coronatum, *manus & pedes* d illius clavis dehiſcentes, & *lanceâ latus ejus* e apertum: hæc erant inſtrumenta quæ reddebant hanc B. Virginem pluſquàm Martyrem: chariſſimus Filius ipſius ſic dirè exceptus pertranſibat *ipſius animam* f, & cor, ipſamque dolorum omnium ſuorum reddebat participem. Et pictores apponunt appoſitè, cùm ponentes ſingulis Sanctorum inſtrumenta martyrii ipſorum, ut gladium S. Paulo, ſagittas S. Sebaſtiano, &c. ordinariè depingunt B. Virginem tenentem Filium ſuum in gremio ſuo, vel inter brachia ſua, ut ſolam cauſam & unicum inſtrumentum martyrii ipſius, ut ipſa dicere poſſit præ majori veritate, *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* g. Sculptores etiam nobis idem innuunt, cùm repræſentant nobis Filium & Matrem ſuper eâdem cruce, quaſi dicant, quòd ipſorum ſcalptum non ſufficiat ad exprimendos dolores Matris, ſed quòd eſſet eadem crux, & idem tormentum amborum.

Tandem, Alii ſancti quandiu patiebantur in corporibus ſuis, aliquibus in animâ perfundebantur recreationibus, ſuavitatibus, & conſolationibus ſpiritualibus quas ſuſcipiebant à Deo, qui proponebat ipſis mercedem, quam ſperare debebant è ſuis laboribus, ſicut S. Stephanus *cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam* Dei h. Quod multum ſublevabat rigorem pœnarum ipſorum: ſed B. Virgo patiens in animâ ſuâ, ſimiles recipere non poterat conſolationes, cùm principium gaudiorum, quod eſt cor, eſſet converſum penitus in amaritudinem. Ille qui conſolabatur Martyres, erat ipſemet qui affligebat eam: ſic nemo poterat illam affligere præter eum: cùm ipſius anima eſſet anima Filii ſui, *Dimovet de ſtatu Divino Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius i: & Dionyſius Carthuſianus k, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat*: non erat niſi unicum Matris & Filii martyrium.

Non immeritò B. Virgo roſæ comparatur, *Quaſi plantatio roſæ* l. Quod ſignificat quòd concepta inter ſpinas, *De ſpinis naſcitur roſa non ſpinoſa, & beata Virgo de Iudæis incredulis non incredula; unde ſicut ſpina roſam genuit, ita Iudæa Mariam*, dicit Hugo Cardinalis m: juxta quod ipſa creſcebat ætate, ſpinæ quæ ipſam cingebant, fuerant etiam roboratæ, ipſamque crudeliùs laceraverant in omni eo quod ipſa obtinuerat, ſi excipiamus primam ipſius ſanctificationem, cùm concepta fuerit ſine peccato originali, ut concinit Eccleſia n in laudem ipſius, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Adæ. Tota pulchra es, Maria, & macula non eſt in te.* Ipſam, inquam, laceraverant pœnâ & afflictione: & ut ſic quia etiam *Virgo eſt lilium immaculatum, quæ roſam immarceſſibilem genuit Chriſtum*, ait S. Epiphanius o: mirum non eſt ſi hæc altera roſa Jeſus Chriſtus, cùm ſit idem cùm ipſâ, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas*, dicit Arnoldus Carnotenſis p, ſuis ipſam pupugerit aculeis. Hinc aliqui Doctores & SS. Patres dixerunt, quòd dolores B. Virginis multùm exceſſerunt dolores partus ordinarii mulierum, *Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit quanto dolore afficiebantur pia viſcera Matris. Nunc ſolvis Virgo cum uſurâ quod in partu non habuiſti à naturâ. Dolorem pariendo Filium, non ſenſiſti, quem millies replicatum Filio moriente paſſa fuiſti*, dicit illi S. Bernardus q. Et S. Damaſcenus r, *Sed ipſa beata & ſuper naturam, donorum digna effecta, dolores partus quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit, ex maternâ compaſſione viſcerum, laceratum parturiens. Et quem Deum per nativitatem agnovit: illum ut maleficum, interfectum videns; tanquam gladio cogitationibus decerpitur.* Et hoc eſt, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* s. *Quemadmodum illi prædixerat Dei expectator Simeon, Dominum geſtans in ulnis.* Et præ illis S. Bernardinus t ſic loquitur, *Tantus fuit dolor Virginis, ut ſi in omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, divideretur, omnes ſubitò interirent.* Unde patet, quòd non ſine miraculo conſervata fuit ipſa in vitâ inter tot tormentorum violentias incomparabiles. Propterea vocatur ipſa ab Eccleſiâ *Regina Martyrum*, & à S. Hildephonſo ſuprà, æquè ac ab aliquibus ſanctis Patribus, *Pluſquàm Martyr.* Et jure merito, cùm pateretur in corde ſuo idem martyrium, quod Filius ſuus ſuſtinebat in corpore ſuo. Et ſicut in inſtrumentis muſicis aliquæ chordæ ſunt ita ritè concinnatæ, ut, cùm una pulſatur, altera reſonet, etiamſi non tangatur: ita B. Virginis anima ſic concors erat cum animâ dilecti Filii ſui, ut ipſa ſentiret id omne quod patiebatur Filius ſuus; ut ſpinæ u quæ pungebant caput Filii, ſtimularent cor Matris; clavi quibus carnifices fodiebant *manus & pedes* x Chriſti, perforarent cor Mariæ; & crux in quâ Salvator tenſus erat, alligatam teneret Genitricis *ipſius animam* y. Ita ut Natus iſte chariſſimus nullum ſuſciperet ictum, quantùmlibet levem, quin is intimam Matris animam pervaderet, *Omnino tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis*, ait Arnoldus Carnotenſis z. Sicut enim partes propiores cordi, faciliùs ſuſcipiunt impreſſiones ejus, ſicut ipſæ communicant ei ſuas: ita cùm Filius ipſius ſic ipſi eſſet proximus, communicabat ipſi omnia ſupplicia ſua: & ſicut Filius ſuus plus patiebatur videre ipſam afflictam; ſic Mater plus cruciabatur intueri ipſum ſic dirè exceptum. Et ſicut lignum accenditur à fornace, ſic ſervit ad calefaciendum magis ac magis; idem dicendum de pœnis B. Virginis: projectæ enim in fornacem dolorum Salvatoris, ipſam magis ac magis accendebant, renovando omnia ipſius vulnera: & ſic B. Virgo ſe conſumebat innis, & tota abibat in ignem & in flammas doloris. Heu! quàm, *Angeli pacis,*

y Eccleſia referens Tertull.
z Act. 7, 57.
a Ioan. c. 18. & 19.
b Hebr. 5, 7.
c Ioan 19 2.
d Pſ. 21, 17.
e Ioan. 19, 34.
f Luc. 2, 35.
g Cant. 1, 12.
h Act. 7, 55.
i S. Dionyſ. lib. de Div. Nom. c. 4.
k Dion. Carth. art. 33, in Luc. 12, 34.
l Eccli. 24, 18.
m Hugo Card. in Eccli. 24, 18.
n Eccleſia in Offic. Concept. B. V. juxta Minor. ex Cant. 2, & 4, 7.
o S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
p Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.
q S. Bern. tract. de Lament. B. M.
r S. Damaſc lib. 4. de Fid. Orth. c. 15.
s Luc. 2, 35. &c.
t S. Bernardin. ſerm. 61. a. 5. c. 2, tom. 1.
u Ioan. 19, 2.
x Pſ. 21, 17.
y Luc. 2, 35.
z Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.

amarè a flebatis, videntes ignem qui ſingulis momentis vires capeſſebat in duobus iſtis pectoribus, nedum aqua, quæ veſtris velut exibat ex oculis, remedium ſolandis illis ferre poſſet opportunum. Quid ſentiebatis, cùm advertebatis quòd hæc duo corda quaſi certatim contendebant, committendo ſe dolori, ut agnoſceret unum interventu doloris ſui quinam eſſet dolor alterius? Re enim verâ, Auditores, dolores B. Virginis adæquaverunt dolores Jeſu Chriſti: ipſa quippe ſibi ſic appropriavit mortem Filii ſui, ut ipſa tantum paſſa ſit in animâ ſuâ, quantum Salvator in corpore ſuo, cùm omnes Filii pœnæ reverterentur in cor Matris. Cui favere videtur locus iſte Canticorum *b*. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Per palmam intelligitur crux, in qua *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis* c. Et per ſtaturam ſignificatur exceſſus dolorum ejus, *Præclarior & communior apud Patres ſenſus eſt de aſcenſu Chriſti Domini in Crucem, quam per palmam ſignificari dicunt*, ait de Ponte *d*. Judæi nullam dederant crucem Mariæ, ut illi ſuffigeretur, ipſamet concinnat ſibi crucem, in quâ ipſa tantum patitur quantum Filius ſuus: *Dico enim illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem: extendens enim ſanctas ulnas Dominum portavit. Thronus Cherubicus* e, *cruciformis, & cœleſtis*, ait de illâ S. Epiphanius *d*. Qui vocans eam Thronum cruciformem, idem dicit ac ſi nuncuparet illam Genitricem conformem cruci Filii ſui, adæquantem paſſiones illius. Imò verò progrediens ulteriùs neſcio an auſurus ſim allerere, quòd ipſa plus paſſa ſit quàm paſſus fuerit Filius ſuus. Non abeſt iſte conceptus meus à ratione, ſi conſideretis eum comparativè, non effectivè. Mulier teneræ & delicatæ conſtitutionis & viribus infirma, defert onus aliquod, comparativè ad bajulum robuſtum portat ipſa plus quàm bajulus: humanitas Jeſu Chriſti erat inſtar gigantis, *Exultavit ut gigas* e. B. Virgo verò erat puella tenera & delicata, & ut ſic viribus infirma. Sed dicamus meliùs, quòd cùm jam tradiderat *Jeſus inclinato capite ſpiritum, unus militum lanceâ latus ejus aperuit* f: & ſic illum non ſenſit inflictum ſibi lanceæ ictum, cùm jam mortuus eſſet: ſed ictus iſte aperiens latus Chriſti mortui, vivè transfodit cor Matris viventis, & mori deſiderantis, unde videtur plus paſſa quam ille.

S. Epiphanius *g* B. Virginem vocat nubem quæ includit in ſinu ſuo fulmen quod eſt Jeſus Chriſtus, *Sancta & præclara Puella Maria eſt nubes lucida habens intùs Deum Verbum: ad quam vocaliſſimus Iſaias, Ecce nubes levis* h: *mons nullatenus inciſus, præruptam habens petram Chriſtum: de quâ ſapientiſſimus Daniel* i *ait, Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus; hoc eſt, abſque viro ſolidam petram Chriſtum Virgo peperit, quæ lapidem cœleſtem habet Chriſtum, ipſa nubes tonitruiformis, quæ fulgur interius in utero geſtat.* Fulmen, aiunt Philoſophi, conterit oſſa, nedum offendat carnem, res duras infringit nedum lædat medullas: Jeſus Chriſtus eſt fulmen, quia nedum corpus offendat delicatum Matris ſuæ, dolore cor illius conterit. Et hoc eſt quod S. Ambroſius k dicere videtur ſuper prophetiam S. Simeonis, dicens, *Ecce & Simeon prophetat, Tuam, inquit, ipſius animam pertranſibit gladius, Nec litera, nec hiſtoria docet, ex hâc vitâ Mariam corporalis necis paſſione*

a Iſai. 33, 7.
b Cant. 7, 7.
c 1 Petr. 3, 18.
d De Pont. lib. 9, in Cant. 7, 7. exhort. 20. parag. 1
e ex Pſ. 98, 1.
d S. Epiph. term. de Laud. Deip.
e Pſ. 18, 6.
f Ioan. 19, 30, & 34.
g S. Epiph. term. de Laud. Deip.
h ex Iſai. 19, 1.
i Dan. 2, 34.
k S. Ambr. lib. 2. in Luc. 2. 35.

migraſſe. Non enim anima ſed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideò prudentiam Mariæ haud ignaram myſterii cœleſtis oſtendit. Vivum enim Verbum Dei & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetrans uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, artuum quoque & medullarum, cogitationes cordis & ſecreta ſcrutatur animorum: quia nuda mentium & aperta ſunt omnia Dei Filio, quem conſcientiæ ſecreta non fallunt l.

Antiqui ad flectendos amicos ſuos, obſecrabant eos per beneficia ab ipſis ſuſcepta, præſertim verò per pœnas ipſorum occaſione toleratas, quæ verba poterant omnia ſuper corda eorum: B. Virgo, quæ eſt pluſquàm Martyr, mediis tolerantiis ſuis quæ adæquaverunt paſſiones Filii ipſius, genuit nos in cruce, in perſonâ S. Joannis, ut dicam vobis die Veneris, vel Sabbathi ſequenti, cùm dixit ipſi Filius ſuus, *Mulier, ecce filius tuus* m. Eramus nos omnes in perſonâ hujus ſancti Evangeliſtæ: univerſi nos ſumus *Benoni, id eſt, doloris* n *filii*: ſed ipſa eſt *Rachel* o tota dolore repleta: & nos ſinguli dicere debemus ei cum Jeremia *p*: *Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te, filia Ieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te Virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Nemo enim eſt qui comparari tecum poſſit in dolore, aut in amore: nec comparare meliùs te poſſum quam mari: nam ſicut cùm *in principio creavit Deus cœlum & terram, congregationes aquarum appellavit maria* q: ſic idem Deus in novo mundo Eccleſiæ fecit alterum mare quod ipſa es: nomen quippe tuum Maria, idem eſt ac amaritudinis mare. Et, *Maria interpretatur Myrrha maris* r. In iſto mari, quod ipſa es, unitæ reperiuntur omnes afflictiones, & conjuncti dolores univerſi poſſibiles: & ſatisfactionibus ſuis deſtituta *Noëmi, ait* velut in perſonâ tuâ, *Ne vocetis me Noëmi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens* s. In hac igitur occaſione *deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem, & non taceant: quoniam contritione magnâ contrita eſt Virgo filia populi mei, plagâ peſſimâ vehementer* t. Non comparo te matri ſeptem Machabæorum Martyrum, *Noviſſimè autem, poſt filios & mater conſumpta eſt* u. Populus enim Iſraël agnoſcens illos ut Martyres, aliquod ſolamen afferebat matri: ſed ipſa non audis niſi voces ſacrilegas Judæorum contentâ voce inclamantium ad hoc ut Filio tuo mors inferatur, *Tolle, tolle, crucifige eum* x: Et blaſphemias, *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas* y, *ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus, dicebant, Alios ſalvos fecit: ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc eum* z, *ſi vult: dixit enim, Quia Filius Dei ſum* a: *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum, dicens, Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos* b: Quaſi verò Filius, quem genueras mundo, univerſorum ſceleſtiſſimus eſſet hominum, quippe qui *cùm iniquis reputatus eſt* c. Ille qui eſt gloria Angelorum, quippe *in quem deſiderant Angeli proſpicere* d, efficitur *opprobrium hominum & abjectio plebis* e. Ille qui facit delicias cœli, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* f; fit ſubjectum deriſûs terræ. Pater æternus

Filium

l ex Hebr. 4, 12, & 13.
m Ioan. 19, 27.
n Gen. 35, 18.
o Gen. 35, 16.
p Thren. 2, 13.
q Gen. 1, 1, & 10.
r S. Epiph. term. de Laud. Deip.
s Ruth 1, 19, & 20.
t Ier. 14, 17.
u 2. Mac. 7. 41, &c.
x Ioan. 19, 15.
y ex Ioan. 2, 19.
z ex Sap. 2, 18.
a Matth. 27, 39, &c.
b Luc. 23. 39.
c Marci 15, 28, ex Iſai. 53.
d 1. Petr. 1, 12.
e Pſ. 21, 7.
f Matth. 17, 5.

Digitized by Google

Filium ſuum poteſtati hominum tradit excruciandum, *Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* g. [g Rom. 8,32.] Relinquit eum deſtitutum omni genere conſolationum, ſicut ipſemet Filius queri videtur ei, *Deus meus, Deus meus utquid dereliquiſti me* h? [h Matth. 27,46. ex Pſ. 21, 2.] Prima Cauſa, quæ vitam nobis & motum tribuit: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* i, [i Act. 17, 28.] derelinquitur ab omnibus. Origo omnium conſolationum areſcit ipſi Jeſu: nam *benedictus Deus & Pater ejuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtrâ: ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſurâ ſunt, per exhortationem quâ exhortamur & ipſi à Deo: quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra* k: [k 2. Cor. 1,3 &c.] non habet niſi ſupplicia infligenda eidem Filio ſuo: & affligendo Filium, affligit ſimul & Matrem, & eripit nobis modum præbendæ ullius conſolationis Filio, vel Matri. O cor amoris quare mutatum es in dolorem? Intueor, ſancta Domina, cor tuum, & video illud non eſſe ampliùs cor, ſed myrrham, abſinthium, & fel: nomen namque tuum *Maria interpretatur myrrha maris* l. [l S. Epiph. ſerm. de laud. Deip.] Quæro Matrem Dei, & invenio ſpura, virgas, flagella, & vulnera, quia tota transformata es in indignitates iſtas. Virgo ſacratiſſima, amaritudine confecta, quid egiſti? Quare ſanctuarium ſanctitatis reddidiſti vas tormentorum? Utquid non manebas in conclavi tuo? Cur iviſti *in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi* m [m Ioan. 19, 17. & 18.] crucifigendum videres Filium tuum? Tuæ non eſt conſuetudinis ut interſis his ſpectaculis horroris: quam ob rem non te apud te retinuit modeſtia ſexus tui, horror criminis, infamia loci, impia Judæorum multitudo, & mali deteſtatio? Heu! video rationem propter quam in palàm prodieris: hæc autem non eſt alia, niſi quia cor tuum erat in ecſtaſim raptum, & ut ſic non ſe reflectebat ſuper illa omnia, dolor faciebat ut illud non eſſet in te, ſed in pœnis & afflictionibus Filii tui, quæ ſævum cauſabant tibi martyrium, quia dolor menſuratur ad amorem, & *demovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur* n; [n S. Dionyſ. lib. de Div. Nô c. 4.] &, *Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat* o. [o Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12. 34 citans S. Aug.] Sancta Domina afflicta, pectora corda noſtra dolore, ut in illis honoremus paſſionem Filii tui, & tuam; unito cor tuum vulneratum cordibus noſtris, ut lædamur ſimul vulneribus tuis. Heu quare non habemus ſaltem cor tuum, ut quòcumque perrexerimus, ibi te crucifixam cum Filio tuo videamus! Da nobis dolores Filii tui: proprium eſt enim matribus auferre pœnas à liberis ſuis; aufer illas ab eo, & præbe eas ſervis: ſaltem admitte nos ad participationem omnium pœnarum ejus, ut diſtributæ nobis, ſint ei minùs graves. Heu, ſancta Domina, recuſabiſne nobis id quod à te poſtulamus? Si offendimus te, vulnera corda noſtra; ſi tuo fideles fuimus obſequio, nunc pro mercede non efflagitamus à te niſi vulnera, & ubi es, ibi repetitur pietas tua, clementia tua, & miſericordia tua. Quare nobis efficeris crudelis, ipſa quæ ſemper fuiſti repleta magnâ ſuavitate? Utquid non habes nunc adverſùm nos niſi amaritudinem, quæ nunquam habuiſti erga nos niſi dulcedines amoroſas? Non petimus a te, ſancta Domina, Solem, nec aſtra, ſed ſola vulnera. Quid eſt iſtud? Si eò uſque ſis avara ut iſta nobis renuas, elige è duobus iſtis unum: Aut eripe nobis vitam corpoream, vel vulnera corda noſtra: nobis enim eſſet motivum pudoris & opprobrii, vivere & videre Salvatorem noſtrum & Matrem ipſius vulneratos, nos autem manere ſine vulneribus. Nihil aliud petimus à te niſi vulnera; ſi iſtorum nobis aliquid tribuas, cor tuum tanto dolore non percelletur, & hoc non exibimus abſque dolore: alioquin *quis medebitur tui* o? [o Thren. 2,13.] Quis tuas mitigabit lacrymas? Nullum relinquitur aliud remedium ſublevandis aliquo modo doloribus tuis opportunum, quàm iſtud: cùm ille te vulneret qui exivit *à Patre, & in mundum* p [p Ioan. 16. 28.] venit ad ſanandos eos qui erant vulnerati, & qui ideò ait, *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus. Euntes autem diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium* q. [q 12 Oſee 6, 6.] *Non enim veni vocare Iuſtos, ſed peccatores* r. [r Matth. 9, 12, & 13.] Sed macta animo, Mater doloroſa, vires reſume: *Grandis enim tibi reſtat via* s. [s 3. Reg. 19, 7.] Illud nihil eſt, comparatum illi quod tibi perpetiendum ſupereſt ſuper monte Calvariâ, ubi Filius tuus traditurus eſt *ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* t. [t Epheſ. 5,2.]

Compatimini igitur, Animæ Chriſtianæ, doloribus hujus ſanctæ Virginis, ſociate vos illi inter afflictiones & faſtidia ipſius, *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hâc, peribit de populis ſuis* u. [u Levit. 23,29.] Id eſt, quæ non compatietur doloribus immodicis B. Virginis intuitu mortis amaræ chariſſimi Filii ſui, dat notas infallibiles ſuæ reprobationis æternæ, *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, ait vobis S. Paulus x. [x Rom. 8,17.] Et poſt eum S. Ambroſius y. [y S Ambr in Rô. 6,17. & 18.] *Videamus ergo quid ſit compati. Compati eſt perſecutiones tolerare propter ſpem futurorum, carnemque crucifigere cum vitiis & concupiſcentiis* z, [z ex Galat. 5, 24.] *hoc eſt, voluptates, & pompas ſeculi ſpernere. Cùm enim hæc omnia mortua fuerint apud hominem, crucifigit mundum, futuri ſæculi vitam credens, in quâ ſe ſperat cohæredem Chriſti futurum. Exiſtimo ergo quod non ſint condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Animæ devotæ, manete igitur cogitatione cum hâc Matre ejus, & ipſa vos aliquando ſociabit gloriæ ipſius.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Ioan. 8. 46. &c.

Res potentiſſimæ, non ſunt propterea fœliciſſimæ. Scriptura a [a 3. Eſdr. 3,10.] ſacra fidem facit authenticam, nihil eſſe fortius veritate, *Forte eſt vinum. Fortior eſt Rex. Fortiores ſunt mulieres. Super omnia autem vincit veritas.* Et tamen nihil eſt, cui magis adverſentur, & quod minùs ſuſcipiant homines, quàm veritatem: mundus eam non vult admittere: imò verò nec Filius Dei ſufficit ut recipienda faciat ejus oracula, etiamſi ipſe ſit ipſamet veritas, ut ipſe teſta-

teſtatur, *Ego ſum Veritas* b. Id eſt, *Ego ſecundùm quòd homo, Dei & hominum Mediator* c, *Advocatus* d, *& Pontifex* e, *hominum & Dei Placator* f, *ſum Veritas ſecundùm naturam Divinam. Ego enim & Pater ſumus* g *una æterna* h, *infinita* i, *exemplariſque Veritas, quæ eſt Divina Eſſentia, omnis veritatis creatæ origo fontana, menſura, finis, & cauſa* k. Propterea ait hodiernâ die Judæis, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Id eſt, *Quia veritatem dico, Evangelicam Legem prædicando, & veſtra piacula increpando, futura atque ſecreta elucidando: quare vos non creditis mihi? In hoc irrationabiliter facitis, cùm ſcriptum ſit* l, *Cùm videris ſenſatum, ſtatim evigila ad illum. Sicut autem levitatis eſt ſtatim credere indifferenter, ſic durities eſt non credere dum ſufficientia ſigna veritatis apparent. Quamvis verò doctrina Chriſti fuerit omnino inſolita atque incomprehenſibilis* m, *propter quod nec faciliter recipienda fuit, tamen tanta tamque evidentiſſima argumenta patuerunt, quòd ipſe eſſet verus Chriſtus* n, *verus Magiſter* o, *& Sanctus* p; *putà teſtimonium Ioannis Baptiſtæ* q, *vaticinia Prophetarum* r, *miracula Chriſti, diſcipulorumque ejus* s, *conſtantia ejus pro veritatis defenſione, & zelus juſtitiæ, quòd inexcuſabiles erant Iudæi de ſua perfidiâ*, ait Carthuſianus t. Ideò neceſſariæ ſunt duæ perſonæ Divinæ ad ſtabiliendam veritatem, & ad vincendas omnes reſiſtentias quæ ei opponuntur. Propter hunc eminentem finem idem Dei Filius antequàm proficiſceretur ad Patrem ſuum in cœlum, promiſit Spiritum ſanctum, ut diſponeret corda ad eam ſuſcipiendam, *Si abiero, mittam eum ad vos. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* u. *Non ſimpliciter omnem, ſed omnem, de quâ nunc loquor, videlicet omnia quæ habeo vobis dicere ad veſtram ſalutem, atque Eccleſiæ inſtructionem, Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis* x. *Hoc fuit in die Pentecoſtes* y *impletum, quando Spiritus Domini replevit* z *primitivam Eccleſiam in omnibus ad ipſam ſpectantibus*, ait Carthuſianus a. Invenieris autem idem Dei Filius quòd cor Virginis ſacratiſſimæ nunquam fuiſſet rebelle veritati, ſicut *ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* b Judæi, in eâ ſuum conſtituit domicilium quando *Spiritus ſanctus* ſupervênit *in* eam, *& virtus Altiſſimi* obumbravit eam, poſtquàm *Angelus, ad eam dixit, Ave* c *Maria*.

Tantum præ ſe ſplendorem fert lumen ut oculis noſtris ſe intuendum exhibens, noſtros ſibi devinciat animos lenociniis ſuis, & omnes ad ſe præ reverentiâ ſuſcipiendum inducat. Non placet nobis cœlum niſi propter lumina ſua, quæ nobis ipſius manifeſtant pulchritudines; nec magni ducimus adamantes propter materiam eorum, ſed propter fulgorem qui imponit ipſis pretium; & lapides ſplendentes non æſtimantur niſi intuitu lucis quam emittunt, quæ ipſos pretioſos efficit. Res mortuas lux animat, & rebus motum imprimit inſenſibilibus: Flores qui ſemetipſos clauſerant per noctem, ſemetipſos aperiunt præ majeſtate, & videntur ſuas exhibere præ gratitudine reverentias Soli, qui ipſos ſuâ dignatur honorare viſitatione, & ipſos ſibi devincire luminibus ſuis: Homines qui ſopori ſe commiſerant, & veluti ſe ſepelierant in cubili ſuo præ ſomno, qui eſt imago mortis, ut ait Poëta,

Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?

b Ioan. 14. 6.
c ex 1 Timoth. 2, 5.
d ex 1 Ioan. 2, 1.
e ex Hebr. 7. 26.
f ex Coloſſ. 1. 20.
g ex Ioan. 10. 30.
h ex Dan. 13, 42.
i ex Baruch 3. 25.
k Dion. Carth. art. 35. in Ioan. 14. 6.
l ex Eccli. 6. 26.
m ex Ier. 32. 19.
n ex Ioan. 1. 41.
o ex Ioan. 1. 38.
p ex Marc. 1, 24.
q ex Ioan. 1, 29. &c.
r ex Dan. 9, 24. &c.
s ex Mat. c. 8 & ſeqq.
t Dion. Carth. art. 33. in Ioan. 8, 40.
u Ioan. 16, 7. & 13.
x Ioan. 15, 15.
y ex Act. 2. 1. &c.
z ex Sap. 1, 7. & ex Iſai. 6, 3.
a Dion. Carth. art. 39. in Ioan. 15, 15.
b Iob 24, 13.
c Luc. 1, 28. &c.

Surgunt alacres confeſtim ac intuentur oriri lucem: Nec ſolùm amatur lux ob beneficia quæ ex eâ proveniunt, ſed etiam perſæpè in diſpendium rerum quæ eam inquirunt; pulchritudo ejus demulcet illos ac attrahit qui ipſam intuentur; & quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd papilio attractus hoc ſplendore, circuit candelam accenſam, cui extremis ſuis blanditur alis ita ut tandem ſeſe ejus flammis immolet, & imaginetur aliquo modo ſe fœlicem, dummodò luminoſum habeat tumulum: Piſces etiam egrediuntur nocte è latebris ſuis, & impinguntur in retia præ oblectamento, quod efficit ut ſua ament vincula, dummodò videant ea luce radiantia: Hoc etiam intendunt venatores, qui nihil offerunt avibus nocte niſi lumen, & illæ ſtatim irruunt in laqueos, attractæ hoc lenocinio, erga quod afficiuntur immodicè, parvi facientes captivitatem ſuam, modò lucis fruantur beneficio. Ita verum eſt, quòd lux ſe facit amari propter ſemetipſam. Hoc tamen non impedit, quin, etiamſi illa ſibi unumquemque devinciat, & ideò debeat illam unuſquiſque amanter ſuſcipere, inveniantur aliqui qui eam oppugnent, & ſplendoribus illius adverſentur. Talpa ſuas claudit palpebras, ſibique foveas fodit in ſinum terræ, ne eam videat; nec defuerunt aliqui qui ſagittas adversùs cœlum ſunt ejaculati, ut lumina illius obtenebrarent & caligine ac eclypſi ea ſuffunderent. Quin imò nunquid non *dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem* d?

S. Dionyſius e ait, quòd id quod lumen eſt ſenſibus corporeis, hoc idem eſt veritas mentibus, *Lux colligit, convertitque ad ſe omnia, quæ videntur, quæ moventur, quæ illuſtrantur, quæ caleſcunt, & uno nomine ea quæ ab ejus ſplendore continentur. Itaque ἥλιος, id eſt, Sol dicitur, quòd omnia ἀολλῆ ποιεῖ, id eſt, congreget, colligatque diſperſa: eaque omnia eum expetunt, quæ ſenſu percipiuntur, aut quod cernere cupiunt, aut ſentire, illuſtrari, calefacere, omninoque contineri à lumine. Nunc autem ſpiritale ipſius boni, à luce dictum nomen nobis laudandum eſt, dicendumque bonum lucem mentis dici, quod mentem quidem cæleſtem omnem ſpiritali luce impleat, omnem autem ignorationem erroremque ex omnibus animis, quibus inſitus ſit, expellat, eiſque omnibus ſacrum lumen largiatur, & ex mentis eorum oculis caliginem, quæ ex ignoratione effuſa eſt, depellat & diſcutiat, excitetque, & aperiat magno tenebrarum pondere contractos, participeſque faciat primùm modici luminis, deinde cùm lumen quaſi deguſtant, & magis expetunt, magis ſe infundat, abundantiùſque illuſtret, quod multum dilexerint, eoſque ſemper ad ea quæ antè ſunt, pro eâ ratione quam ad contentionem habent, excitet.* Hæc lux ſuos rebelles habet, æquè ac ſuos amicos: & licèt veritas ſit ſpecioſiſſima, & ut ſic unumquemque ad ſe amandam debeat inducere, non deſinit tamen ſuos habere adverſarios, à quibus contemnitur ubique, & conculcatur, *Corruit in plateâ veritas* f. Sed unde iſta oritur differentia? Quare non indifferenter diligitur ab omnibus? Ratio iſtius eſt, quia ipſa geminas habet facies, unam ridentem & blandientem, alteram verò auſteram & rugoſam. Illinc adulatur, & tunc unuſquiſque illam ſequitur, in illo ſtatu innumeros ſibi conciliat idololatras, nec ullus eſt qui ſuas

d Ioan. 3, 19.
e S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
f Iſai. 59, 14.

ei non exhibeat reverentias. Hinc verò percutit, & ecce tota cauſa infelicitatis ejus, eò uſque ut vel ipſi illius amici in illam inſurgant, & omnimodam ejus ruinam machinentur, dirè eam excipientes, illã conculcãtes, & interitum illi inferre ſatagentes: Propterea Dei Filius in mundũ venit ad eam ſublevandam, & ad conſulendũ honori ejus, ut ait Dionyſius g Carthuſianus poſt Evangeliſtam, *Quia Lux, hoc eſt, Chriſtus Lux vera, illuminans omnẽm homine qui illuminatur* h. *De quo dicit Michæas* i *Propheta, Cùm ſedero in tenebris, Dominus Lux mea eſt. Et Apoſtolus* k *dicit, Cùm ſit ſplendor gloria. Imò Pater, & Filius, & Spiritus ſãctus ſũt una Lux. Lux ergo, videlicet Verbũ* l, *& Sapientia* m *Patris, venit in mundũ per Incarnationis myſteriũ, & in terris viſa, atque cũ hominibus converſata eſt* n *Lux iſta, aſſũpta humanitas velata. Et dilexerunt homines pro majori parte, nõ tamen omnes, magis tenebras, hoc eſt, paſſiones & vitia rationẽ obtenebrantia, atque ad infernales tenebras perducentia, quàm Lucem, hoc eſt, Chriſtum, ſeu ejus doctrinam, ac virtutũ ſplendore: de qualibus ſcriptum eſt in Iob* o, *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Et ſicut, juxta Carthuſianum, eſt veritas doctrinæ, & veritas virtutis ſeu vitæ; & mendaciũ opponit ſe veritati doctrinæ, & impietas veritati virtutis ſeu vitæ: Ideò Dei Filius ſanctitatẽ vitæ ſuæ, æquè ac veritatẽ doctrinæ ſuæ vult oſtendere, ut in progreſſu diſcurſus iſtius videbimus, dicens, *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

g Dion. Carth. art. 6. in Joan. 3, 19.
h ex Joan. 1. 9.
i Mich. 7. 8.
k Hebr. 1, 3.
l ex Pſ. 44, 2.
m ex Sap 7, 24.
n ex Baruch. 3, 38.
o Job 24, 13.
Propoſitio.

Lingua quæ eſt interpres cordis, fidem ſibi conciliare non poteſt, ſi cor, unde ſuas ipſa exprimit cogitationes, non eſt bonum, *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum; & malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantiâ enim cordis os loquitur* p. Unde S. Gregorius q ſuper hæc verba ſcripturæ, *Apparuit itaque uterque ſtationi Philiſthinorum, ait, Quidnam eſt quòd apparere Ionathas Philiſthæis cum armigero dicitur. Niſi quia Doctor ipſe prior debet bonum oſtendere, quod alios contendit edocere? Non enim poteſt in prædicatione venerabiliter recipi, ſi priùs in ſe honorem miniſterij non præfert luce bonæ converſationis. Unde & egregius Prædicator* r *confidenter aſſerit, dicens, Quandiu quidem ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo. Apparet ergo Doctor, non tam cùm verbo loquitur, quam cùm vitâ & moribus venerabiliter demonſtratur. Propheta igitur cùm typis ſacræ hiſtoriæ Prædicatorum mores oſtenderet, rationabiliter ſubintulit, dicens, Apparuit itaque uterque ſtationi Philiſthinorum. Quaſi dicat: Quia docere propoſuit, priùs iis quibus loqui diſpoſuit, vitam monſtravit.* Propterea facilè non creditur doctrinæ illius, qui eſt moribus diſſolutis; & oportet ut aliquis ſit virtute præditus, ſi velit ut doctrina ſua alijs proficiat. Propter hunc eminentem finem non propoſuit nobis Pater æternus Filium ſuum ut Magiſtrum niſi in monte Thabor, in quo *transfiguratus eſt, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix: & ecce vox de nube dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite* s. Proponit eum ut præceptorem quandiu indutus eſt albedine, quæ eſt ſymbolum innocentiæ & ſanctitatis, non autem in fluvio Iordane, cùm *baptizatus Ieſus, aſcendit de aquâ* t. Quia in hoc ſtatu præ ſe ferebat formam peccatoris, ſuſpiciens remedium, quod non erat inſtitutum niſi in gratiam peccatorum, & ut ſic homines non magni æſtimaſſent doctrinam ejus, & ei exprobare potuiſſent, *Medice cura teipſum* u: ſi ſanitatem alijs voluiſſet impertiri. Et nunquid non cœco nato ad fidem Chriſti converſo, & perſpicaci effecto, quandiu prædicat ipſe gloriam Benefactoris ſui, exprobatur à Judæis, quòd ipſe ſit conſcius peccatorum, & ideò incapax qui doceat: ideòque doctrina ejus deſpicitur, & ipſe deridetur, & malè excipitur ab eis? *A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo non poterat facere quicquam. Reſponderũt, & dixerũt ei, In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras* x. Debet ille eſſe virtuoſus, qui doctrinâ ſuâ vult alijs proficere. Domini mei Eccleſiaſtici, ſi haberetis ſanctitatem, quam exigit a vobis miniſterium veſtrum, appoſitè veſtris proficeret populus inſtitutis, ea ſuſciperet ut oracula, & veluti peregeritis miracula. Domini magiſtratus, ſi integritatem in officiis & dignitatibus veſtris coleretis, unuſquiſque vobis ut exiguis numinibus ſuas in terrã exhiberet reverentias. Parentes, ſi in domibus veſtris liberi veſtri virtutem in vobis obſervarent, veſtris profectò inhærerent veſtigiis, & monita veſtra non eſſent inutilia: ſed famuli veſtri, æquè ac liberi veſtri intuiti vos omnino contrarium peragere eis, quæ ipſis annunciatis, veſtra contemnunt conſilia & monita. Hæc eſt tota cauſa exigui fructus, quem videmus in Chriſtianiſmo, Superiorum vita non eſt bona, cor linguæ non conſonat, *Dicunt enim, & non faciunt* y. Ideò doctrina eorum non ſuſcipitur.

p Luc. 6, 45.
q S. Greg. lib. 5. in 1. Reg 14. 11.
r Rom. 11, 13.
s Matth. 17, 2. &c.
t Matth. 3, 16. & 17.
u Luc. 4, 23.
x Ioan 9, 32. &c.
y Matth. 23, 3.

Dei Filius volens inſtruere homines, prædicat eis veritates Religionis, quam veniebat inſtituturum, propterea vitæ ſuæ peragit apologiam, ſeſe intuendum eis exhibet innocentem, ut doctrina ſua ab eis meliùs ſuſcipiatur, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et conſequenter ait illis, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Non eſt imputandus defectus Magiſtro, ſed malitiæ diſcipulorum, qui proficuè noluerunt uti doctrinâ Chriſti, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* z. Imò qui nec peccare debuit, neque potuit. Non debuit peccare, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* a. Non venerat in hunc mundum Dei Filius niſi ad exterminandum peccatum, ſicut etiam Daniel b prædixerat, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum.* Ideò immunis eſſe debebat à peccato. *Cùm in formâ Dei eſſet, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* c eſt, ut ſemetipſum exhiberet hominibus imitandum: debebat igitur eſſe *perfectus* †: nedum deficeret illi aliquid ad conſummandam ejus perfectionem. Non debuit ergo peccare, neque potuit; nam illum *vidimus plenum gratiæ* d. Plenitudo autem hæc & abundantia gratiarum repellebat ab eo peccatum, nedum permitteret ut ad illum crimen accederet, cùm præſentia unius ſupponat ſemper abſentiam alterius, nec poſſit gratia peccato ſociari. Ipſe beatus erat ab inſtanti Conceptionis ſuæ: beatitudo autem non poteſt ſubſiſtere cum peccato, *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Præterquam quod Chriſtus erat impeccabilis ratione unionis hypoſtaticæ, cùm idem ſuppoſitum ſuſtineat duas naturas, Naturam Divinam, & naturam humanam. Si vero Chriſtus peccare potuiſſet, Deus fuiſſet author & cauſa peccati, ut inſolenter ait Calvinus, qui ferè toc

z 1. Petr. 2, 22. ex Iſai. 53, 9.
a 1. Ioan. 3, 8.
b Dan. 9, 24.
c Philipp. 2, 6, & 7.
† Matth. 5, 48.
d Ioan. 1, 14.
e 2. Cor. 6, 14. & 15.

proferit blaſphemias, quot enunciat verba, conſtituens authorem criminum illum, qui totius eſt Author ſanctitatis & innocentiæ. Sed ſuppoſito quòd Jeſus Chriſtus peccare potuiſſet, dico quòd Deus cauſa peccati illius fuiſſet : culpa enim ſemper imputari debet Superiori, & ei ad quem ſpectat regere : *g. u.* Paſſiones inducunt nos ad patrandas actiones à rectâ ratione alienas: ſuntne illæ propterea criminoſæ ? Tota illarum culpa refundi debet in rationem, quæ ut ſuperior debebat illas coërcere, & intra limites æquitatis eas continere ; ita ſi Chriſtus, quatenus homo, peccare potuiſſet, culpa illius fuiſſet attributa naturæ Divinæ, quæ velut ſuperior debuiſſet regere naturam humanam ut inferiorem : & ſic Chriſtus non potuit peccare : Ieſus Chriſtus ergo erat innocens, & cùm ſe talem agnoſcendum exhibuiſſet ipſis vel inimicis ſuis, quibus ait, *Quis ex nobis arguet me de peccato ? veritatem* eis prædicat. Sed heu omnes eam rejiciunt !

Deus illam tribus obtulit generibus perſonarum, quæ omnes eam malè exceperunt. Præſentavit illam Angelis in cœlo ut inſtituentem ; qui illam renuerunt in perſonâ Luciferi, qui *in veritate non ſtetit* f. *Id eſt, in veritate juſtitiæ, in rectâ ratione, in vera obedientiâ non permanſit. Statim enim ut creatus eſt* g, *cernens ſe tanta excellentia, & decôris præ alijs angelis, intumuit, alioſque quot potuit ſibi attraxit* h, *& contra Creatorem ſe erigens, In cœlum (inquit) conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo Solium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* i, ait Dionyſius Carthuſianus k. Obtulit illam Deus Philoſophis ut minitantem, in eo quòd non oporteret reddere creaturis id, quod ſoli debebatur Creatori *l* : ſed illam in captivitatem redegerunt, *Qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent* m. *Id eſt, injuſte vivendo apud ſe retinent, non procedentes in actum virtutis, ſed ipſam veritatem ab operis executione retrahunt, atque abſcondunt, quibus competit illud, Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi* n. *Et illud, Melius erat non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum reverti* o. *Hoc loco incipit loqui Apoſtolus contra peccata Gentilium idolatrarum*, dicit idem Carthuſianus *p*. Offert eam Chriſtianis : ſed illam inhonorant, conterunt, & perimunt in vicis & plateis civitatum, *Corruit in plateâ veritas* q. *Quaſi diceret* Propheta, ait Cornelius r, *Palam & publicè veritas & juſtitia everſæ ſunt : quia graſſatur, inundat, & dominatur paſſim vis, iniquitas, & injuſtitia, tum Magiſtratuum, tum plebejorum. Hinc Filius Dei è cœlo deſcendit, ut juſtitiam exulantem reduceret.* Ubique perſequuntur homines veritatē, quantumvis illā Deus omnibus offerat hominibus, unuſquiſque illam deſpicit & contemnit, etiamſi noſtras omnes conciliare ſibi deberet illa reverentias.

Triplex attribuitur nomen à Theologiâ Chriſto in cœlo, imaginis, Filij Dei, & verbi, juxta Scripturam, in quâ vocatur *Imago Dei inviſibilis* s. *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* t. *Et Verbum* u. Et eadem Scriptura x adſcribit ei alia tria nomina quæ reſpondent illis tribus ; nuncupatur enim ab eâ Chriſtus *Via, & veritas, & vita.* Via reſpondet imagini : ſicut enim via nos dirigit ad aliquam rem ; ita imago perducit nos ad cognitionem Dei Patris, cujus Chriſtus eſt imago, *Philippe qui videt me, videt & Patrem* y. Vita reſpondet Filio : Filius

f Joan. 8. 44.
g Ex Gen. 1. 3.
h Ex Apoca. 12. 4.
i Ex Iſai. 14. 13. & 14.
k Dion. Carth. art. 21. in Joan. 8. 44.
l Exod. 20. 3.
m Rom. 1. 18.
n Jacob. 4. 17.
o Ex 2 Petr. 2. 21.
p Dion. Carth. art. 4. in Rom. 1. 18
q Iſai. 59. 14.
r Cornel. in Iſai. 59. 14.
s Coloſſ. 1. 15.
t Joan. 1. 18.
u Joan. 1. 14
x Joan. 14. 16.

enim accepit vitam eſſentialem à Patre ſuo, qui eam illi communicat, & ipſe Filius eſt vita æquè ac Pater, *Sicut miſit me vivens Pater ; & ego vivo propter Patrem* z. Et omnia alia per illum vivunt, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* †. *Apud te eſt fons vitæ* a. *In ipſo enim vivimus* b. Veritas reſpondet verbo, quod eſt expreſſio illius, cùm nihil meliùs exprimat veritatem Dei, quam verbum, ſeu ſermo, qui eſt interpres cordis, *Eructavit cor meum verbum bonum* c. *Id eſt, ſermonem de Chriſti incarnatione, & Eccleſiæ deſponſatione*, addit Incognitus d. *Itaque Chriſtus eſt via quâ imus, veritas in quâ ambulamus, vita ad quam pertingimus. Via eſt inquantum nos Deo reconciliat, veritas inquantum nos ſuâ viſione lætificat, vita inquantum nos ſuâ fruitione perfundit*, dicit Dionyſius Carthuſianus e. Ex his tribus nominibus conveniunt alia tria nomina, imaginis, Filij Dei, & Verbi. Obſervate autem, quod Chriſtus malè fuerit exceptus in his tribus nominibus. Ut imago, ita deformatus eſt in Cruce ut Iſaias aſſerat, quòd non ampliùs agnoſceretur, cùm amiſiſſet figuram hominis, rigore tormentorum, ſanguine, & ſputis quibus Judæi & carnifices f *faciem ejus* g *operuerant, Non eſt ſpecies ei neque decor : & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum : deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem : & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum* h. Ut Filius Dei, in mortem traditur, & inimici ejus nullam aliam rationem invenerunt, ſub cujus ſpecie rabiem ſuam ſuper illum exonerare poſſent, niſi quoniam ſe feciſſet Filium Dei, *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit* i. *Id eſt, eſſe perhibuit. Nam ipſâ nocte Paſſionis adjuratus à Caipha an eſſet Chriſtus Filius Dei benedicti, manifeſte reſpondit, quia ſum* k. *Impoſuerunt ergo Chriſto, quòd nomen & gloriam Divinitatis ſibi uſurpavit, ſicque ſecundùm Legem occidendus eſſet tanquam blaſphemus. Lex* l *tamen præcepit tales lapidari, non crucifigi. Mira perverſitas ac cæcitas Judæorum, quaſi ideo mentitus ſit Ieſus, quia dixit ſe Filium Dei, cùm tamen per ſcripturas, & ſigna oſtenderet ſe eſſe Chriſtum & per conſequens Filium Dei*, ait Dionyſius Carthuſianus m. Et Verbum, perſecuti ſunt ipſum adverſarij ejus, cùm ſe diceret Deum veritatis, quam ipſi non amabant, & ideò veritas erat tota cauſa propter quam Judæi Chriſtum oderant, *Dicebat ergo Ieſus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos ſi vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis : & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Reſponderunt ei, Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam : quomodo tu dicis, liberi eritis ? Reſpondit eis Ieſus, Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Scio quia filij Abrahæ eſtis : ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis* n. Quod ſic ad noſtrum explicat idem Carthuſianus o propoſitum, *Dicebat ergo Ieſus ad eos qui crediderunt ei, Judæos ; Licèt ſecundùm Auguſtinum diſtinctio ſit credere in Chriſtum, & credere Chriſto, tamen Evangeliſta Ioannes talem diſtinctionem non obſervat. Cùm enim dixiſſet, Multi crediderunt in eum, de eiſdem protinus adjungit, Dicebat Ieſus ad eos qui crediderunt ei, Judæos, Si vos manſeritis in ſermone meo, id eſt, perſeveranter credideritis, ſperaveritis, dilexeritis, atque feceritis quæ prædico, jubeo, vel conſulo, verè, non fictè, diſcipuli mei eritis, mihi acquieſcendo*

y Joan. 14. 9.
z Joan. 6. 57.
† Joan. 1. 3.
a Pſ. 35. 10.
b Act. 17. 28.
c Pſ. 44. 2.
d Incognit. in Pſ. 44. 2.
e Dion. Carth. art. 25. in Joan. 14. 6.
f Matth. 27. 30.
g Matth. 26. 67.
h Iſai. 53. 2 & 3.
i Joan. 19. 7.
k ex Matth. 26. 63 & 64.
l ex Levit. 24. 14.
m Dion. Carth art. 45. in Joan. 19. 7.
n Joan. 8. 31. &c.
o Dion. Carth. art. 21. in Joan. 8. &c.

ac obediendo : verum enim diſcipulum oportet acquieſcere ac parêre. *Et cognoſcetis veritatem, id eſt, me, qui ſum via, veritas, & vita, cognoſcetis in futuro per ſpeciem, quem nunc cognoſcitis per fidem. Perſeverentia quippe meretur hoc præmium ſeu coronam, unde infrà* p *promittit Ieſus, Manifeſtabo ei meipſum. Vel, cognoſcetis veritatem, id eſt, ea quæ ſpectant ad fidem, videlicet teſtimonia Scripturæ, atque præcepta Legis Divinæ, quæ nunc per fidem aliqualiter cognoſcere cœpiſtis, in proceſſu temporis pleniùs cognoſcetis per dona Spiritus ſancti, & merito juſtæ converſationis, quæ ſpecialem à Deo illuminationem merentur, Fili, concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi* q. *Et veritas, id eſt, formata, ſeu charitativa cognitio veritatis ſub fide cadentis nunc liberabit, id eſt, liberos faciet vos à ſervitute peccati ac dæmonis, & in reſurrectione liberabit à ſervitute pœnæ, & mortalitatis, quando, ut ait Apoſtolus, ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis* r, *& immutabuntur Electi* s. *Reſponderunt ei, Semen Abrahæ ſumus. Reſpondit eis Ieſus, Scio quia filij carnales Abrahæ eſtis : ſed quæritis me interficere. (Inter prædictos credentes, erant aliqui non credentes, ad quos iſte ſermo dirigitur.) Ideò verò quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis, id eſt, corda veſtra non apprehendit convertendo illa ad me, nec operatur in vobis propter veſtram malitiam, qui meam prædicationem humiliter non auditis, neque reverenter ſuſcipitis.* Duplicem aſſignat S. Bernardus t veritatem; unam quæ ungit, alteram quæ pungit. Illa quæ blanditur, eſt ſemper grata, & læto ſuſcipitur animo. Sed hæc quæ corripit, ab omnibus reſpuitur, & ſemper eſt importuna, *Multi enim amant veritatem lucentem, & non amant redarguentem.* Quando *in noviſſimo die magno feſtivitatis* u *ſtabat Ieſus, & clamabat dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat : Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura* x, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; (Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus :) ex illâ turbâ cùm audiſſent hos ſermones ejus, dicebant, Hic eſt verè Propheta* y. *Alij dicebant, Hic eſt Chriſtus. Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo* z. Sed poſtquàm dixit, *A diebus Ioannis Baptiſtæ uſque nunc Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud,* loquens de agenda pœnitentiâ, & operibus mortificationis exercendis, quæ neceſſaria ſunt ad conſecutionem Regni cœleſtis, hoc verbum audire non potuerunt Judæi, hanc veritatem ſuſtinere non valuerunt tanquam importunam, ut ipſemet Chriſtus teſtatur, *Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam* a? Quod ſic exponit ad rem Carthuſianus b, *A diebus, id eſt, ab exordio prædicationis Ioannis Baptiſtæ, Regnum cælorum, id eſt, vita æterna, ſeu gloria patriæ, vim patitur, id eſt, per violentiam quandam acquiri prædicatur. Ioannes enim primò ſic legitur prædicaſſe, Pœnitentiam agite, quia appropinquabit Regnum cælorum* c. *Sed pœnitentiam agere eſt ſibi ipſi bonam violentiam facere, affligendo, & reprimendo ſeipſum. Et violenti, id eſt, ſuperantes ſeipſos, qui contra ſeipſos & concupiſcentias, cunctaque vitia efficaciter pugnant; rapiunt, id eſt, cum labore & bonâ violentiâ capiunt illud pro præmio ſui certaminis. Violenti ſunt ergo, qui deſiderio patriæ, ſeipſos quotidie mortificant, carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentiis crucifigentes : qui dicere poſſunt cum Prophetâ* d, *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Et cum Apoſtolo* e, *Nullam*

p Joan. 14. 21.
q Ecc. 1, 33.
r Rom. 8, 21.
s ex 1. Cor. 15, 52.
t S. Bern. lib. de Amore Dei. c. 8.
u ex Levit. 23. 27, & 16.
x ex Joël. 2, 28. & ex Act. 2, 17.
y ex Deut. 18, 15.
z Joan. 7. 37. &c.
a Matth. 11. 16. & 15.
b Dion. 4 Carth. art. 22. in Matth. 11. 11. & 15.
c ex Matth. 3. 2. & ex Marc. 1, 4. & ex Luc. 3. 3.
d Pſ. 16, 4.

requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. Foris pugnæ, intus timores. Cui autem ſimilem æſtimabo, hoc eſt judicabo & pronunciabo generationem iſtam, id eſt, rebelles atque perverſos Iudæos ? Non de omnibus tunc præſentibus dicit hoc Chriſtus, ſed de Scribis & Phariſæis, de quibus ſcribitur, Generatio prava & adultera ſignum quærit f. *Vnde legitur, Omnis populus audiens, ſcilicet prædictas laudes Ioannis, & publicani juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis. Phariſæi autem & Legiſperiti conſilium Dei ſpreverunt, non baptizati ab eo* g. Ecce veritas redarguens, quam ſuſtinere poteſt nemo. Sed quid, dicet aliquis ? Quare eſt mortificandum corpus ? Quoad paſſiones, benè quidem : mortificandæ ſunt enim, ut intra terminos rectæ rationis coerceantur. Sed ego dico cum Apoſtolo h, *Mortificate membra veſtra.* Et cum S. Bernardo i, *Pudeat ſub ſpinato Capite membrum fieri delicatum.* Jeſus Chriſtus *ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* k, pro quo flagella ſuſtinuit, ſpinas, & crucem l: blandiemurne nobis, quandiu Salvator eſt ſanguine opertus ? Mortificanda eſt caro noſtra : nec ſufficit ut ſolæ mortificentur paſſiones animæ. Aut enim caro noſtra eſt criminoſa, aut innocens : nullum datur medium. Si eſt criminoſa, maceranda eſt. Si eſt inſons, non ita innocens eſt, ut aliquem non commiſerit aliàs defectum, qui pœnitentiâ ſit expiandus. Eam caſtigabat Apoſtolus m, veritus ne alijs prædicando, in reprobationem incideret, *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Et dato quòd caro noſtra eſſet innocens, eam deberemus tamen mortificare, ut illam ſpiritui ſubjiceremus, & Prototypo noſtro eam conformaremus. Effectus debent ſemper deferre impreſſiones cauſæ ſuæ, & tranſſumpta cum ſuis debent concordare originalibus : peto autem à nobis, Quid eſt veritas ? Nihil aliud niſi conformitas rei repræſentatæ cum ſuo prototypo : hinc dicimus verbum eſſe verum quod appoſitè noſtras ideas & conceptiones exprimit ; effectus nos ſumus Jeſu Chriſti crucifixi, ipſe eſt cauſa noſtra exemplaris : eam igitur repræſentare & exprimere debemus in nobis : non poſſumus autem in nobis meliùs intuendas exhibere impreſſiones ejus, quàm mortificando corpus noſtrum, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentiis* n. Solæ igitur non ſunt mortificandæ paſſiones, ſed etiam caro, & tranſeundum eſt per vias ſpinis & ſentibus hiſpidas, cùm viam ad cœlum ſolæ nobis pandant cruces & tolerantiæ. Hæc eſt differentia inter ſtatum innocentiæ & ſtatum Incarnationis ; quòd in ſtatu innocentiæ o, ſolus faciebat nos experiri Deus ſuavitates, & in cœlum iviſſemus per viam floribus ſtratam, quoniam tunc Dominus *ſuavis & mitis* p vocabat nos ad ſe per vias voluptatibus redundantes : ſed in ſtatu Incarnationis habemus *Ieſum Chriſtum crucifixum* q. Ideò non præcipit nobis niſi cruces & mortificationes, nec vocat nos niſi per vias ſpinis & ſentibus opertas, nec poſſumus ei meliùs aſſimilari quàm nos mortificando, cùm effectus deferre ſuæ debeant charactéres cauſæ. Hoc eſt quod nobis Chriſtus annunciat, & quod audire renuimus : hæc veritas quæ non blanditur nobis, non poteſt æquo à nobis ſuſcipi animo. Si Filius Dei nobis daret Evangelium quod ſolas contineret ſuavitates, & quod non præciperet niſi res faciles & confor-

mes

e 2. Cor. 7. 5.
f ex Matth. 12, 39.
g ex Luc. 7, 29. & 30.
h Coloſſ. 3. 5.
i D. Bern. ſerm 5. in Feſto omnium SS.
k Coloſſ. 1. 18.
l Joan. 19. 1. &c.
m 1. Cor. 9. 27.
n Gal. 5. 24.
o Gen. 2. 7.
p Pſ. 85. 5.
q 1. Cor. 2. 2.

mes naturæ, quæ non quærit niſi voluptates & delicias, illud libenter ſuſciperemus; ſed quia nobis jubet auſtera, quæ noſtris adverſantur oblectamentis, illud reſpuimus, hæc veritas nobis eſt importuna. Sed agamus quidquid voluerimus, invitis nobis per hanc eſt tranſeundum viam, & Eccleſia quæ hodie explicat vexillũ Crucis, legit pariter Evangelium veritatis, ut doceat nos, quòd Crux & Evangelium ſunt idẽ, & quòd neceſſariò ſit nobis patiendũ, ut ſimus fideles. Hæc eſt veritas quæ non blanditur: propterea delicati eam audire renuunt. Sic eſt, Auditores: nemo vult audire veritatem; ſic nunquam prodit illa in publicum niſi alterata; & ſi quis eam ſincerè vult annunciare, certus eſſe debet ſe propter eam multa paſſurum eſſe. Præſertim verò Magnatibus mundi nemo veritatem audet dicere, quin malè excipiatur; ideò cùm Michæas Achab Regi Iſraël veritatem annunciavit, *& ait, vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus, quaſi oves non habẽtes paſtorẽ; & ait Dominus, non habent iſti Dominum; revertatur unuſquiſque in domum ſuam in pace: acceßit Sedecias, & percußit Michæam in maxillam* r. Et ſi *Nathan* s
r 3. Reg. 22. 17. & 24. Regem Davidem vult alloqui, eumque maximi
momenti edocere veritatem, oportet ut illã gra-
s 2. Reg. 12. 1. &c. tâ operiat parabolâ, ſciens quòd alioquin nõ ex-
ciperetur comiter, nec exiret è præſentiâ Principis
quin priùs luiſſet pœnas magnanimitatis ſuæ ad loquendũ liberiùs homini, cui nõ poterat niſi importuna videri veritas redarguens. Tãdẽ, ex omnibus Prophetis ſolus David nõ fuit malè excep-
t 1. Reg. 16. 18. &c. tus. Et quare? Quia ſciens *pſallere* t, oracula ſua demulcebat ſuavitate citharæ ſuæ, & veritates ejus erant mixtæ dulcedine.

Duo eximij viri in ſcripturâ annunciant veritatem, ſed ex eâ annunciatâ diverſas ſuſcipiunt mercedes. Patriarcha Joſeph, & S. Joannes Bap-
tiſta conjiciuntur *in carcerem* u ob tuendã veri-
u Gen. 39. 20. &c. & Marc. 6. 17. &c. tatem, amplectendo cauſam Dei. Scimus Pharaonis *ad Regis imperiũ eductum de carcere Ioſeph*. Eumque uſum fuiſſe carcere tanquam ſcalâ ad aſcendũ ſuper thronum, *Dixitq; Pharao ad Ioſeph: Ecce, conſtitui te ſuper univerſam terrã Ægypti, abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum aut pedem in*
x Gen. 41. 14. &c. *omni terrâ Ægypti* x. Non latet nos, S. Joannem Baptiſtam fuiſſe decollatũ *in carcere* ad imperiũ Regis Herodis. Utèrque ex iſtis ſanctis viris dixit veritatẽ. Joſeph dixit *veritatẽ lucentẽ*, ut loquar cũ S. Bernardo ſuperiùs citato. Dixit pincerna *Regis Ægypti, Ioſeph, Tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradũ priſtinũ, dabiſq; ei calicem, juxta officium tuũ, ſicut antè facere conſueveras. Tantùm memento mei, cùm tibi benè fuerit, & facias mecum miſericordiam: ut ſug-*
y Gen. 40. 1. &c. *geras Pharaoni ut educat me de iſto carcere* y. *Tunc demum reminiſcens pincernarum magiſter, ad Regis imperium de carcere Ioſeph* z educendum ſategit,
z Gen. 41. 9. & 54. veluti gratus de bono nũtio ſibi dato à Joſeph, ad quem magnificandũ concucurrit. Sed S. Joannes Baptiſta dixit *veritatem redarguentẽ* Regi Herodi. *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere*
† ex Levit. 18. 16. *uxorem fratris tui* †. Propterea *Rex miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco, Et decollavit eum in carcere*. Ecce duæ veritates differentes. Prima ungit, ſecunda pungit. Prima ſuſcipitur, & remuneratur; & ſecunda reſpuitur, & punitur.

Quam jucundum eſt, Auditores, ſuas auditu laudes; unuſquiſque in illis ſibi complacet auſcultandis. Sanè applauſus mihi conciliarem, ſi alloquens hunc Eccleſiaſticum, dicerem ei, Verè, Domine mi, ipſe es prototypon totius civitatis, nemo de te loquitur niſi præ reverentiâ, vitæ homo es probatiſſimæ, appoſitè tuo perfungeris miniſterio, tunc dicerem veritatem, & illa æquo ſuſciperetur animo ab eo. Sed ſi dicerem ei, Domine mi, attende tibi, obſecro, vita tua, quæ deberet eſſe loco exempli populo, eſt defectuum conſcia, converſatio tua non eſt honeſta. & obſervaris intereſſe ſocietatibus & conſortiis quæ ſanitati tuæ irrogant injuriam: Ha indiſcretus eſt iſte, & temerarius, qui mihi ita exprobrat, diceret ille confeſtim! Si dicerẽ huic mercatori, ipſum eſſe fidelem in divendendis ſuis mercibus, nec ullo velle modo ſuæ conſcientiæ obeſſe in commerciis ſuis, dicerem veritatem, & ab eo benè ſuſciperer. Sed ſi dicerem. In civitate N. ſunt mercatores, qui pollicem promovent, ut ſtaterã deorſum impellant, qui falſas habent menſuras, pondera abbreviata, & merces alteratas, ſicque emptores pergentes ad officinas ſuas decipiũt: Ha quàm curioſus eſt hic, ob quamnã rem eſt ſolicitus! Unuſquiſque ſuam callet artem. Si dicerem huic mulieri, Domina mea, virtuoſa æquè ac honeſta fœmina es, frequentationi vacas Sacramentorum, dicerem veritatem. Sed ſi dicerem ei, Privatas & familiares foves amicitias, quæ à ſanctitate alienant: Vir iſte eſt importunus, & nullius rei ſuſtinendæ præ indulgentiâ capax: haberer ego ut indiſcretus, *Multi enim amant veritatem lucentem, & non amant redarguentem*. Ita verum eſt, quòd veritates quæ pungunt, non benè ſuſcipiuntur. Prædicatores autem niſi ſint magnanimi, & oculos claudant iis omnibus quæ auditorum ſenſualitas poſſet dicere, niſi ipſos *Zelus domus* a Dei comedat, vix a Pſ. 68. 10.
audebunt adverſus vitium invehi. Illius non ero conſcius criminis, ſed è contrà clamabo ex hâc cathedrâ veritatis; in ea nihil vereor niſi Deum, & ſi noverim ſcelera patrari, in illa zelo excandeſcam; quidquid dicatur adverſus me, quòd ſim importunus, nihil intereſt: munia obeo S. Joannis Baptiſtæ, & ſic criminoſis non parcam, ne criminum illorum particeps ſilentio meo efficiar.

Duplex datur genus ſpeculorum. Alia fidelia ſunt in repræſentationibus ſuis. Alia verò decipiunt. Exigit ſe mulier aliqua ad ſpeculum, quod rugas illius operit, & deformitates ejus tegit, ita ut ipſa ſe intueatur in illo ut formoſam, etiamſi deformis ſit, & atra; hâc deluſa ſemetipſam conſolatur imaginatione, Ecce eximium, aitq; illa, ſpeculum, nunquam Venetiis meliora iſto allata ſunt ſpecula. Si autem ſpeculum ſit fidele, ſtatim reſpuitur, & confringitur. Idem dicendum eſt de Concionatoribus. Si Concionator blandiatur; Quàm eloquens eſt iſte vir: aures noſtras ſuâ demulcet eloquentiâ: Si verò corripiat; Importunus eſt, nec eſt ampliùs audiendus.

Jeſus Chriſtus tria adivit tribunalia, & coram illis tribus, innumeris fuit exceptus indignitatibus, licèt ad tuendam veritatẽ. In tribunali Annæ & Caiphæ quod erat tribunal Eccleſiaſticum, aut Synagogæ, *unus aßiſtens miniſtrorum dedit ala-*
pam Ieſu b. Eò quod dixiſſet veritatem: & conſe- b Ioan. c. 18. 22. &c.
quẽter condẽnatus eſt, *Reus eſt mortis* c. Aliàs ſa-
cerdotes antiquorũ idololatrarũ prohibebãtur c Matth. 26. 66. &c.
noviſſe errorẽ idoli ſui, ſed non audebãt ipſũ agnoſcẽdũ exhibere, ne ab adoratoribus illius malè exciperẽtur; ideòque deficiebãt animo: Domini Sacerdotes, Cõfeſſarij, qui ita liberè plebeios homines corripitis criminũ ab ijs patratorũ, cavete

ne per-

perſonas accipiatis, neve Magnates & nobiles arguere non audeatis defectuum ab illis commiſſorum. In tribunali Pilati, quod erat tribunal criminale, idem *apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit* d. Agnoſcebat quidem Præſes hic iniquus veritatem; *Sciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum* e ſibi Judæi. Sed intuitu proprij commodi, eum ita diè excepit, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris* f. Domini mei, quibus commiſſa ſunt vita, æquè ac bona hominum, conſtantes eſtote & magnanimi ad tuendam veritatem adverſus unumquemque, & cavete ne privato ducti commodo, aliquid contra juſtitiam peragatis. Tandem, Jeſus crucifixus eſt in tribunali populi, *illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum* g. Heu *Rurſum crucifigentes ſibmetipſis Filium Dei* h ſunt homines. Quid autem dici poteſt de nobis niſi id quod exclamat Salvianus i, *In nobis patitur Lex Chriſtiana maledictum; in nobis Chriſtus patitur opprobrium. Ecce quales ſunt qui Chriſtum colunt. Talis profectò ſecta eſt, quales & ſectatores. Hoc ſunt abſque dubio quod docentur.* Et niſi certus eſſem de veritate Religionis Catholicæ, quam profiteor, idem dicerem quod dicere poſſunt Ethnici ore ejuſdem Salviani. Conformemus nos igitur Prototypo noſtro per ſanctitatem vitæ per paſſiones, & per gratiam in hoc mundo, ut aſſimilari poſſimus ei in gloriâ.

d Joan. 19, 1.
e Matth. 27, 18.
f Joan. 19, 12.
g Joan. 19, 15.
h Hebr. 6. 6.
i Salvian. lib. 4. de Provident.

FERIA II. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Ioan. 7. 38. & 39. ex Ioel 2. 28.

AQua eſt ſymbolum gratiæ, & ignis eſt figura peccati. Pſalmiſta a ait, quòd aquæ ſint ſuper cœlis, *Et aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt.* Ignis autem ardet in inferno, ut dicit S. Joannes b. *Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Et qui non inventus eſt in libro vitæ Agni ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Ante Incarnationem univerſus orbis ardebat igne, *Mundus totus in maligno poſitus eſt* c. Seu ut alij vertunt, *In malo igne. At ubi venit plenitudo temporis* d, Dei Filius venit ad extinguendam ſitim ejus, & ad mitigandos ejus ardores, *Si quis ſitit.* Ecce ſitis illius. *Veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ecce remedium, ecce aqua, en refrigerium quod ipſe attulit: & Virgo ſanctiſſima non vocatur Maria, niſi quia eſt mare aquæ, ſed aquæ dulcis, & concha, ad quam omnes aquæ, id eſt, omnes gratiæ confluxum veniunt & Archangelus plenitudinē illarū invenit in eâ, cùm ſalutavit illam verbis iſtis, *Ave Maria.*

Licèt Deus unicum habeat Regnum, & illud ſit monarchicum, *Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum* e: duos tamen habet thronos, unum juſtitiæ f, alterum verò ſapientiæ g. Non vult ut accedamus ad hunc thronum juſtitiæ niſi cum oculis trementibus, & timore repletis; ideò thronum iſtum poſuit in columnâ nubis, *Thronus meus in columnâ nubis* h. Ut ubi nihil videntes, adoremus id quod non cognoſcimus, nedum perſcrutari præſumamus voluntatem conſiliorum ejus, & vias ejus quoad prædeſtinationem Bonorum i, & reprobationem impiorum k. Sed quoad thronum ſapientiæ ſuæ, ipſe circundedit eum luminibus, & gratam habet curioſitatem noſtram, & vult ut videamus quàm ſuavis ſit ipſius directio, & quomodo ubique noſtrum profectum quærat, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum* l. Sicut ſol materialis, cum ſit cauſa univerſalis circumquaque influit, & accommodat ſe ad captum naturæ cujuslibet rei, quam vivificat, ſic Deus, qui eſt *Sol juſtitiæ* m. cum cauſis neceſſariis agit neceſſariò, cum liberis liberè: & quia liberè recedimus ad ipſum offendendum, vult etiam ut à peccato liberè recedamus, nedum ipſe noſtræ officiat libertati. Poſtquàm voluntariè domo paternâ *adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam; & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè, & ipſe cæpit egere; in ſe reverſus dixit: Surgam, & ibo ad patrem meum: & ſurgens venit ad patrem ſuum* n: hunc reditum fecit liberè. *Benè in ſe revertitur, qui à ſe receſſit. Etenim qui ad Dominum regreditur, ſe ſibi reddit; & qui recedit à Chriſto, ſe ſibi abdicat,* ait S. Ambroſius o. Ex ſemetipſo abierat ad peccatum abutens libertate ſuâ; & benè inſumens eandem libertatem ſuam, ex ſemetipſo, adjutus tamen gratiâ Dei, ab eodem peccato recedit. In hâc praxi filij prodigi habemus ideam veræ pœnitentiæ. Duo peragit prodigus. Receſſerat domo paternâ; & ad eam revertitur, poſt derelictas omnes occaſiones, æquè ac cauſas ruinæ & diſſolutionis ſuæ. Et hoc eſt omne illud, quod agere debet verus pœnitens. Duo dantur in pœnitentiâ termini, terminus à quo, & terminus ad quem; ſeu terminus diſceſſus, & terminus acceſſus. Terminus diſceſſus eſt cùm peccator recedit à Deo ſuo per peccatum. Terminus autem acceſſus eſt cùm idem peccator quem ſuorum pœnitet peccatorum, revertitur ad Deum ſuum quem dereliquerat. Et iſti duo termini ad veram pœnitentiam requiſiti peragendam, omnem facient diſcurſus iſtius materiam.

Propoſitio.

Peccatum eſt talis naturæ, ut, cùm homo illud perpetraverit, impoſſibile ſit omni impoſſibilitate, ut ab illo propriis viribus ſe poſſit unquam extricare. Poteſt quidem ex ſe ipſo in hanc infœlicem abyſſum ſeſe præcipitare; ſed inde non poteſt reſurgere, ſi Deus, quem offendit, non præbeat ipſi manum ſuam, cujus auxilio fretus valeat illinc reverti: vires illius ſunt impares faciēdo huic fœlici conatui, & in ſuis moreretur criminibus, niſi adjuvaretur à Deo. Idcircò David p ſic Deum exorabat, *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Super quod Lorinus q ait, *Allegoria manus miſſæ de alto, hoc eſt, de Dei Filio incarnato. Placet Ambroſio r, qui ſcribit verſum Prophetā id petere, cùm dixit, Fiat manus tua, ut ſalvet*

a Pſ. 148. 4.
b Apoc. 20, 14.
c 1. Joan. 5. 19.
d Galat. 4. 4.
e Pſ. 144. 13.
f Pſ. 118. 137.
g Sap. 8. 5.
h Eccli. 24, 7.
i Rom. 8. 29.
k Hebr. 12. 17.
l Pſ. 18. 6.
m Malach. 4. 2.
n Lucæ 15. 18. &c.
o S. Ambr. lib. 7. in Luc. 15, 17.
p Pſ. 143. 7.
q Lorin. in Pſ. 143. 7.
r S. Ambroſ. Octon. 22. in Pſ. 118. 173.

ſaluet me. Emitti decuit manum illam, per quam creati recrearentur: qua lepram peccati extenſa, tangenſque mundaret s.

Quatuor requiruntur ad juſtificationẽ peccatoris, *Naturali ordine primum in juſtificatione impij eſt gratia infuſio, ſecundum eſt motus liberi arbitrij in Deum, tertium verò eſt motus liberi arbitrij in peccatum. Propter hoc enim ille qui juſtificatur, deteſtatur peccatum, quia eſt contra Deum, unde motus liberi arbitrij in Deum præcedit naturaliter motum liberi arbitrij in peccatum, cùm ſit cauſa & ratio ejus. Quartum verò & ultimum eſt remiſſio culpæ, ad quam tota iſta tranſmutatio ordinatur ſicut ad finem* t. Infuſio gratiæ, ut jam diximus, eſt effectus cœli, non autem opus naturæ noſtræ. Sumus nos ſicut Apodes, *Aves quadam, ex genere hirundinum, ita dicta, quòd careant uſu pedum* u. Quæ ubi ſemel terræ adhæſerunt, inde non poſſunt elevari, niſi vento juvante ſurſum evehantur: confeſtim ac in peccatum aliquod lapſi ſumus, oportet ut noſtras illuminet *Deus tenebras* x. Id eſt, ut erigat nos vẽto gratiæ ſuæ, & ut nos ipſi diſponamus nos ad ſuſcipiendum hunc ſpiritũ gratiæ, cùm ſalus noſtra non ita procedat à Deo, quin ad eam cõcurramus, *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Fecit neſcientem, juſtificat volentem*, ait S. Auguſtinus y. Requiritur concurſus voluntatis noſtræ cum gratiâ, ut cooperemur Deo ad perficiendam ſalutem noſtram, ut ei vocanti nos reſpondeamus, eique aperiamus januam cordis noſtri, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* z. Oportet igitur ut reſeremus illi januam conſenſus noſtri, & è corde noſtro ejiciamus inimicum ejus, nempe peccatum, quod fit per deteſtationẽ illius ac horrorem, terga vertentes creatûris, ut meliùs convertamur ad Deum, qui ſtatim nobis indulget veniam peccati: Deo enim infundente nobis gratiam ſuam, ſi illam ſuſcipiamus, ſtatim deteſtamur peccatum, & ſic peccato nobis condonato juſtificamur, quod fit in inſtanti: ex parte enim Dei nulla eſt prioritas temporis, ſed tantùm ordinis: nam Deus primò inſpirat nobis gratiam ſuam, deinde anima ſeſe diſponit ad illã ſuſcipiendam, cõſentit gratiæ per veram deteſtationem vitæ ſuæ crimino ſæ, & ſic juſtificatur. Sed ex parte peccatoris, deteſtatio præcedit, deinde ſequitur infuſio gratiæ, & tandem venia. Atqui obſervate, quod duplex eſt pœnitentia, una vera, & altera falſa. Pœnitẽtia falſa, eſt pœnitẽtia ficta: v. g. quia cõfitendum eſt tempore Paſchatis, & Confeſſarius denegaret abſolutionem pœnitẽti, qui habet ſcortum domi, iſte pœnitens mittit talẽ concubinã in villam ſuam, illam dimittit ad modicum tẽpus, ut illã revocat poſt tranſacta Feſta, hæc pœnitentia ſacrilega eſt, talis pœnitens abutitur Sacramento: cùm enim accedit quis ad Cõfeſſionem, oportet ut ipſum pœniteat peccati ſui: debet enim peccator dolere de peccato ſuo, & firmiter ſtatuere ab illo declinare, ſicut & ab occaſionibus illius. Pœnitentia vera, eſt ſita in vero dolore a: dico, vero: obſervate enim, quicumque ſitis vos, quòd accedentes ad Confeſſionem cum ſolis peccatis venialibus, ſi ea confiteamini abſque dolore, peccatum mortiferum perpetratis. Quare? Quia Sacramentum redditis invalidum, ſacrilegium committitis, faciẽtes vobis applicari formam pœnitentiæ abſque materiâ illius proximâ, quæ eſt dolor. Non habetis dolorem? non habetis ergo materiem requiſitam ad ſuſcipiendam abſolutionem: dolor enim eſt materia proxima Pœnitentiæ. Attendite ad iſtam veritatem maximi momenti, vos omnes qui frequenter confitemini, & fortè frequentiùs quàm ſit par, cùm fortaſſis adeatis Confeſſionem præ conſuetudine, & ideò illam ſine dolore peragatis. Non ſolùm eſt confidendum peccatum, ſed etiam deferendum voluntate ad exercendum bonum, *Declina à malo.* Ecce terminus receſſus. *Et fac bonum* b. Non ſolùm eſt fugiendum peccatum, ſed etiam declinandum eſt ab umbris, & ab omnibus occaſionibus, quæ in peccatum nos poſſent inducere, ut deprecabatur Deum David c, *Viam iniquitatis amove à me.* Et, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Peccatum enim eſt inſtar baſiliſci ſolo intuitu ſuo mortem inferentis, & ideò conſulit nobis Eccleſiaſticus d, *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Quod innuit, non ſolùm vitandum peccatum, ſed etiam fugiendas umbras & occaſiones peccati: qui enim periculo ſe exponet, ibi ruinam ſuam inveniet. Scitis quòd in tali loco aliàs jacturam famæ veſtræ incurriſtis, & iterùm illuc revertimini, quid ſibi vult hoc? Sanè, quòd complacetis vobis in ruinâ veſtrâ, cùm quæratis occaſiones, quæ illam in vos invehunt, *Qui amat periculum, in illo peribit* e. Scitote quòd Pœnitẽtia non extinguit omnino ignem qui eſt in vobis f, quique facilè accenditur & excitatur ad primos acceſſus perſonarum, quas amaviſtis aliàs; ideò fugiendus eſt illarum occurſus, qui nonniſi damnoſus vobis eſſe poteſt.

Fateor, Auditores, quòd hæc diſſolutio, quæ nobis peragenda eſt, creaturarum, ad operandam juſtificationem & ſalutem noſtram, fieri non poteſt niſi vix, & præ maximâ difficultate: juſtificatio enim eſt partus & nativitas ſpiritualis. Ut autem Salvator huic veritati conciliet authoritatem, utitur exemplo mulieris parturientis, dicens, *Mulier cùm parit, triſtitiam habet; quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum* g. Et S. Paulus h loquens de prædeſtinatis, ait illos eſſe debere *conformes imaginis Filij Dei.* Atqui tres invenimus in Dei Filio nativitates. Prima eſt à Patre æterno, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te* i. Secunda eſt à Virgine ſanctiſſimâ ipſius Genitrice, *Peperit Filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus Ieſum* k. Tertia è ſepulchro; *Surrexit enim* l. Per primam nativitatem Filius Dei recipit eſſe Divinum, & eſt Filius Patris æterni. Per ſecundam recipit eſſe humanum, & eſt Filius hominis, id eſt, Sanctiſſimæ Virginis. Per tertiam verò ſuſcipit eſſe glorioſum, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* m. Atqui S. Paulus aſſerit prædeſtinatos eſſe tales, quia *conformes imaginis Filij* Dei: ita ut, ſi in hoc Verbo æterno inveniamus tres nativitates, tres etiam videamus in homine juſto & prædeſtinato. Primam, quâ naſcitur à matre ſuâ. Secundam, quâ renaſcitur *ex aquâ & Spiritu ſancto* n in Baptiſmo, aut convertitur ad Deum per *Pœnitentiam* o, vel per ingreſſum in Religionem p aliquam à S. Sede Apoſtolicâ approbatam. Tertiam, cùm naſcitur ad gloriam, obdormiens *in Domino* q. Prima nativitas Chriſtiani, convenit ſecundæ nativitati Domini noſtri, qui natus eſt è Matre ſuâ. Secunda reſpondet primæ Filij Dei, qui natus eſt à Patre ſuo, à quo recipit eſſe Divinum: ita per ſecundam nativitatem *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & ſimus* r. Et, *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes* s. Et, *Quotquot* [illegible] *autem*

s Mat. 8, 3.
t S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 8. in corp.
u Calepin. in Diction. v. Apodes
x Pſ. 17. 29
y S. Aug. ſerm. 15. de Verb. Apoſt. c. 11.
z Apoc. 3. 20.
a Ezech. 18, 21.
b Pſ. 36. 27.
c Pſ. 118. 29. & 37.
d Eccli. 21, 2.
e Eccli. 3. 27.
f Rom. 7. 23.
g Ioan. 16, 21.
h Rom. 8, 29.
i Pſ. 2, 7.
k Matth. 1. 25.
l Matth. 28, 6.
m Rom. 6, 9.
n Ioan. 3, 5.
o Luc. 13. 3.
p Matth. 19. 27. &c.
q Act. 7. 60.
r 1. Joan. 3. 1.
s Pſ. 81. 6.

*autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei
fieri* t. Id eſt, per juſtificationem. Tertia eſt, cùm
juſtificati introimus in gloriā med. à morte, quæ
t Joan. 1, 12. illius nobis aperit oſtium: & hæc tertia nativi-
tas Chriſtiani reſpondet tertiæ nativitati Chriſti,
cùm ſumit poſſeſſionem gloriæ ſuæ interventu
mortis ſuæ, *Videmus Ieſum propter paßionem mortis,
gloriâ & honore coronatū* u. Et in hoc conſiſtit hæc
u Hebr. 2, 9. in cōformitas Prædeſtinati cum Filio Dei. Omiſſâ
igitur primâ, & tertiâ, ut tantùm fiat ſermo de ſe-
cūdâ nativitate, certum eſt quòd detur partus aut
nativitas ſpiritualis quantùm ad juſtificationem
& ſalutem. Si autem ſcire velitis, quid ſit nativi-
tas, diſcendū eſt à Philoſophiâ docente, *Nativitas
eſt origo viventis ex vivēte, ſecundùm ſimilitudinē na-
turæ.* Vultiſne videre, quòd cùm ſumus juſtificati,
quod eſt principiū noſtræ ſalutis inceptæ, origo
hujus nativitatis ſpiritualis eſt è re viventē? Peto
à vobis, E quo naſcimur in hâc juſtificatione? Nō
è patre, nec è matre, ſed è Deo, *Qui nō ex ſanguini-
bus, neque ex voluntate carnis, neque ex volūtate viri,*
x Joan. 1, 13. *ſed ex Deo nati ſunt* x. Ecce origo nativitatis no-
ſtræ ſpiritualis, quæ eſt Deus. Sed quid? Eſtne
Deus vivens? Quis de hoc ambigit? *Apud te eſt fons
y Pſ. 35, 10. vitæ* y. Naſcimur igitur ex vivente, nempe ex Deo.
Sed hæc juſtificatio eſtne vita? Etiam. Sed quænā
vita? Sanè vita gratiæ, quam ſuſcipimus, & quâ vi-
vimus. Libertas criminoſa mortem tribuerat filio
prodigo, & beneficio hujus gratiæ, quā ſuſcipit,
vitam recuperat, *Mortuus erat, & revixit* z. Atqui,
z Luc. 15, 24. ſicut videtis, hæc juſtificatio eſt vita. Sed qualis eſt
iſta vita, humana, naturalis, aut terrena? Nequa-
quam, ſed vita Divina: ſicut enim illi qui naſcūtur
ex hominibus, ſuſcipiunt vitam humanam ſecun-
dùm ſimilitudinem naturæ: ita illi qui naſcuntur
ex Deo, recipiunt vitā Divinam, ut docet S. Au-
a S. Aug. conc. 1. in Pſ. 70. 7. guſtinus a, *Dicam audacter, Fratres, ſed tamen ve-
rum. Duæ vitæ ſunt: una corporis, altera animæ. Sicut
vita corporis, anima; ſic vita animæ, Deus. Quo-
modo ſi anima deſerat, moritur corpus: ſic anima
moritur, ſi deſerat Deus. Ipſa eſt enim gratia ejus,
ut reſuſcitet, & ſit nobiſcum. Ergo nos ſuſcitat à
morte noſtrâ præteritâ, & innovat quodammodo vi-
tam noſtram.* Ita ut hæc vita, quam ſuſcipimus
in juſtificatione, ſit vita Divina. Obſervate au-
b Joan. 14, 6. tem quòd ſicut Deus eſt eſſentialiter *vita* b, &
quòd hæc vita gratiæ eſt participatio hujus vi-
tæ Divinæ, propterea hæc vita Divina eſt no-
bilior & excellentior vitâ humanâ, quia hæc vi-
ta Divina nos privat morte. Et ſic videtis, quòd,
ſicut hæc vita gratiæ & emanatio vitæ Dei, *ori-
go viventis ex vivente*: eſt etiam *ſecundùm ſimi-
litudinem naturæ.* Ut in eâ inveniantur omnia
quæ ad illam requiruntur à Philoſophiâ.

Videtur iſtud falſum, quòd efficiamur ejuſ-
dem naturæ, cujus eſt Deus, & tamen verum eſt,
c 2. Petr. 1, 4. & S. Petrus c hoc aſſerit, dicens, *Ut per hæc efficia-
mini Divinæ conſortes Naturæ.* Suſcipimus in a-
nimam noſtram imaginem Dei cum juſtifica-
mur, *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus &
d 1. Cor. 15, 49. imaginem cæleſtis* d. Ut tamen meliùs videatur,
quòd juſtificatio eſt vera nativitas *ſecūdùm ſimili-
tudinem naturæ*, obſervandum eſt, quòd ſicut in
nativitate corporali ſit refectio ſubſtantiæ homi-
nis; ſic in nativitate ſpirituali, id eſt, juſtifi-
catione ſit aliquo modo refectio ſubſtantiæ Dei
e 1. Joan. 3, 9. (ſi liceat ita loqui) & in hoc S. Joannes e cau-
tam præſtat propoſitionem meam, cùm ait, *Qui
ex Deo natus eſt, peccatum non facit, quoniam ſemen
ipſius in eo manet.* Quænam prærogativa ac effici
Dei filios per juſtificationem, & per Pœnitentiā!

Caveamus ne detrahamus magnitudini proge-
niei noſtræ, depreſſione actionum noſtrarum,
ut dicebat aliàs Judæis Ieſus, *Si filij Abrahæ eſtis,
opera Abrahæ facite* f. Et Poëta,

Dedecus eſt natis claros habuiſſe parentes, f Joan. 8, 39.
Ni ſtudeant illis moribus eſſe pares.

Sed in iſto partu eſt labor, & dolor. Et S. Au-
guſtinus g obſervat, quòd *omnis homo concipit: nec* g S. Aug. ſerm. 4. in Append. de diverſ. ſeu 20. de Verbo Dom.
*ullus poteſt eſſe ſine conceptu. Sed alij concipiunt
de Chriſto, alij de diabolo.* Hæc prima differen-
tia inducebat eundem Chriſtum ad dicendum
Judæis, *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria pa-
tris veſtri vultis facere* h. Secunda differentia e-
ruitur è S. Ambroſio dicente, Juſtos parturire
mares, peccatores verò fœminas, *Sicut fœminis de-* h Joan 8, 44.
dit vulvam natura, in quâ uniuſcujuſque animantis i S. Ambr. lib. 1. de Abel & Cain. c. 10.
*generatio per menſtruas formatur ætates: ita eſt
quædam virtus animæ, quæ velut quodam vulva
genitalis ſecreto, cogitationum noſtrarum ſuſceperit
ſemina, conceptus fovere, partus ſolet edere. Ne-
que enim aliter diceret Iſaias* k: *In utero concepi-
mus, & parturivimus ſpiritum ſalutis, niſi vulvam* k ex Iſai. 26, 18.
*animæ noviſſet. Harum generationum quædam fœ-
mineæ ſunt, malitia, petulentia, luxuries, in-
temperantia, impudicitia, aliaque hujuſmodi vitia,
quibus animi noſtri quædam enervatur virilitas. Maſ-
culinæ ſunt caſtitas, patientia, prudentia, temperan-
tantia, fortitudo, juſtitia, quibus mens noſtra & caro
ipſa firmatur; & ad obeunda impigre munia virtutis
erigitur. Hos partus alius ille Propheticus parturivit.
Et ideò ait, In utero accepimus, & parturivimus ſpi-
ritum ſalutis. Maſculum igitur & parturivit &
peperit, qui ſpiritum ſalutis effudit.* Tertia diffe-
rentia eſt quòd Juſti pariunt cum labore, &
dolore; peccatores verò paturiunt cum gaudio,
& voluptate. Referunt Naturales, philomelam
incubare ovis ſuis, eaque excludere concinendo:
ſic peccatores ſua concipiunt, & pariunt peccata,
cantando, quippe *qui lætantur cùm malefecerint, &
exultant in rebus peſſimis: quorum viæ perverſæ ſunt,
& infames greſſus eorum* l. Et, *Mundus autem* l Prov. 2, 14 & 15.
gaudebit m. Id eſt impii concipientes, & pa- m Joan. 16. 20.
rientes ſcelera ſua cum lætitiâ, & oblectamen-
to. *Vos verò contriſtabimini* n. Id eſt, Juſti con- n Ibid.
cipientes, & parientes ſalutem ſuam cum mo- o Iſai. 26, 18.
leſtiâ, & triſtitiâ: Et ecce quomodo, *A facie
tuâ concepimus, & parturivimus ſpiritum ſalutis,*
ait Deo Iſaias o. *A facie tuâ concepimus, & par-
turivimus*: hoc ſpectat primam differentiam, quo-
modo concipiamus à Deo. *Spiritum*: iſtud intue-
tur ſecundam: fidelis enim concipit *maſculum*,
juxta S. Ambroſium. *Salutis*: hoc reſpicit tertiam,
ut innuatur, quòd in hoc conceptu, & in hoc par-
tu eſt labor, & dolor, ut ait S. Paulus p: *Quæ* p 2. Cor. 7, 10.
*enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, Pœnitentiam in
ſalutem ſtabilem operatur.* S. Petrus concipit à
Deo: ſtatim enim ac Dominum *Petrus negavit, &
continuò adhuc illo loquente gallus cantavit: converſus
Dominus reſpexit Petrum.* Ecce prima conditio, *A
facie tuâ concepimus.* Videte ſecundam, *Et recor-
datus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat, Quia
priùs quàm gallus cantet, ter me negabis* q. Et q ex Matth. 26. 34.
ecce tertia, quæ intuetur dolorem, & triſtiti-
am, *Et egreſſus foras Petrus, flevit amarè* r.

Homo qui ſuam elaborat ſalutem per pœni- r Luc. 22, 55 &c.
tentiam & juſtificationem, aſſimilatur huic
mulieri, quæ *in utero habens clamabat parturiens,
& cruciabatur ut pariat* s. Dolores animæ s Apoc. 12, 2.
parientis & operantis ſalutem ſuam ſunt lacry-
mæ requiſitæ ad veram contritionem experien-
do, æquè ac videndo, *quia malum & amarum eſt*

 reliquiſſe

reliquiſſe Dominum Deum t ſuum. Dolorum iſto-
a Ier. 2. 19. rum exempla ſubminiſtrant nobis *mulier, quæ*
erat in civitate peccatrix. Vt cognovit, quòd Ieſus ac-
u Luc 7, 37, & 38. *cubuiſſet in domo Phariſæi, ſtans retro ſecus pedes ejus,*
lacrymis cœpit rigare pedes ejus u. David x, di-
x Pſ. 6, 7. cens, *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas*
noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum ri-
gabo. Et Ezechias, ſic Deum alloquens, *Reco-*
gitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ
y Iſai. 38. 15. *meæ* y. Secundùm S. Hieronymum z, Pœni-
tentia, *ſecunda poſt naufragium tabula eſt.* Eamque
z S. Hier. Epiſt 47 n 6. Tertullianus a nobis conſulit amplexari, *Am-*
plexare ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Adam
a Tert. lib de Pœnit. c. 4. n. 19. erat in navi innocentiæ benè munitus, & ritè cu-
ſtoditus, ſed per peccatum inobedientiæ ſuæ,
dum vetito *de fructu comedit* b, deplorandum
b Gen 3, 5, & 6. perpeſſus naufragium, ipſe, & poſteri ipſius, *in*
quo omnes peccaverunt c, iſtius naufragii damna
c Rom. 5, 12. ſunt experti, & iſti poſteri ejus nullum alium ha-
buerunt recurſum niſi ad primam tabulam navis,
quæ eſt Baptiſmus, in quo renati ſunt *ex aquâ &*
d Ioan. 3. 5. *Spiritu ſancto* d. Sed poſt Baptiſmum, naufra-
gantes iterum per peccata actualia, recurrimus
ad ſecundam tabulam navis, nimirum ad *Pœniten-*
tiam e, quæ eſt aſylum ſacrum, ad quod confu-
e Luc. 13, 3. gere poſſumus, ut ſecurè ſaluti noſtræ conſula-
mus operandæ.

Duplex datur genus mortis. Una mors eſt a-
liena, & altera propria, & ſecundùm hoc duplex
genus mortis, mortui ſumus primò morte alienâ,
non autem morte propriâ; ſecundò morimur
propriâ morte. Si autem ſcire velitis quænam
ſit iſta mors aliena, quâ morimur, dico eam eſſe
peccatum originale, & Adamum nobis omnibus
hanc intuliſſe mortem: ſed præter peccatum ori-
ginale datur etiam actuale, quod propriâ perpe-
tratur voluntate noſtrâ, & peccatum iſtud nobis
mortem infert, mortem autem quæ oritur è no-
bis in noſmetipſos: interventu enim iſtius pec-
cati nobis cauſamus mortem, *Homo occidit per*
f Sap. 16, 14 *malitiam animam ſuam* f. Et, *Anima quæ pecca-*
verit, ipſa morietur g. Ita ut, ſicut in homine
g Ezech 18, 4, & 20. duplex eſt mors cauſata à duplici genere peccato-
rum; ſic duplex ſit regeneratio, una quæ renaſci
nos facit à morte alienâ, altera verò à morte pro-
priâ. Hæc prima regeneratio quæ renaſci nos
facit à morte alienâ, eſt Baptiſmus: ſecunda verò,
quâ renaſcimur & reſurgimus à morte propriâ,
eſt Pœnitentia, & ſic dicere poſſumus cum Cle-
h Clem. Alexan. lib 2. Pædag c. 8. in princip. ex Luc. 7. 37, & 48. mente Alexandrino *h*, Pœnitentiam eſſe ſecun-
dum Baptiſmum, *Libane Domino lacrymas Pœniten-*
tiæ: propterea ejus peccata remiſſa ſunt, inquit, lo-
quens de Magdalenâ. Interventu autem hujus
Baptiſmi lacrymarum omnes iniquitates abluun-
tur, & condonantur: quid enim eſt contritio,
quæ eſt inſeparabilis à verâ Pœnitentiâ, cùm ſit
pars illius eſſentialis, niſi dolor de peccatis pro-
pter Deum ſummè dilectum, qui generat ſalu-
tem, cùm à Deo procedat? Propterea Deo Da-
i Pſ. 118, 136. vid *i* dicebat, *Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei*,
Et quare? iſtæ lacrymæ Prophetæ procedebant-
ne è terrâ? ex aliquâ jacturâ? Nequaquam, ſed
è cœlo, id eſt, è Deo offenſo, & ideò ſtatim ſubdit
illius rationem, *Quia non cuſtodierunt legem*
tuam.

k Ioan. 16 21. Sed id quod maximâ redundat conſolatione,
l S. Aug. lib. 8 Conf. c. 11 & 12. & lib. 9. c 1. eſt, quòd omnes iſtæ afflictiones interiores par-
tus iſtius ſpiritualis, cuncti dolores iſti, univerſæ
hæ lacrymæ convertuntur in gaudium, & in ob-
lectamentum, *Cùm autem pepererit, jam non me-*
minit preſſuræ k pœnitens. S. Auguſtinus *l* ait
Deo de ſe poſt converſionem ſuam, *Retinebant*
me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ
amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam,
& ſubmurmurabant; Dimittiſne nos? Et à momento
iſto non erimus tecum ultra in æternum, & à momento
iſto non tibi licebit hoc, & illud ultrà in æternum? Vbi
verò à fundo arcano alta conſideratio contraxit &
congeſſit totam miſeriam meam in conſpectum cordis
mei, oborta eſt procella ingens ferens ingentem im-
brem lacrymarum. Et dimiſi habenas lacrymis, &
proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile
ſacrificium tuum. Quàm ſuave mihi ſubitò factum
eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere
metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas
enim eas à me, vera tu & ſumma Suavitas m, *eji-*
ciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed m ex Pſ. 85. 5.
non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed omni ſe-
creto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſubli-
mibus in ſe. Iam liber erat animus meus à curis
mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi at-
que ſcalpendi ſcabiem libidinum, & garriebam tibi
claritati meæ, & divitiis meis, & ſaluti meæ Domino
Deo meo n. Sic eſt, Auditores: ut fruatur quis n ex Pſ. 26. 1.
gaudiis & oblectamentis ſpiritualibus, debet ab-
renunciare omnibus vanitatibus mundi, & ſedu-
lò Pœnitentiæ vacare. Et ſicut cùm *locutus eſt*
Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle virgam, & congrega
populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad pe-
tram coram eis, & illa dabit aquas: cùmque elevaſſet
Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ
ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet, & ju-
menta o, ſed ita dulces ut idem Moyſes non o Num. 20. 7. &c.
ambigat eas vocare nomine mellis, & olei, di-
cens, *Vt ſugeret mel de petrâ, oleumque de ſaxo du-*
riſſimo p: ſic aquæ lacrymarum contritionis p Deut. 32. 13.
non poſſunt educi niſi interventu virgæ, & ver-
bi: rupes enim cordis noſtri debet conteri virgâ,
vel potiùs malleo verbi Dei, *Nunquid non verba*
mea ſunt, dicit Dominus, quaſi malleus conterens pe- q Ier. 23. 29
tram q? Hoc autem fit verbo, cùm gratia indu-
cit *cor contritum & humiliatum* r ad dicendum, r Pſ. 50. 19.
Peccavi Domino s. Iſtud verò verbum magnam s 2. Reg. 12. 13.
facit aperturam, unde iſtæ aquæ ſalutares præ
abundantiâ fluunt: & hoc innuit, quòd ſi in con-
tritione noſtrâ invenitur triſtitia, & dolor, ma-
gnam habemus anſam percipiendæ conſolatio-
nis, & ſperandi quòd iſta promiſſio Domini no-
ſtri adimplebitur in nobis, *Triſtitia veſtra vertetur*
in gaudium t. Et ſicut cùm *nuptiæ factæ ſunt in* t Ioan. 16. 20.
Canâ Galilææ, deficiente vino, miniſtris dicit Ieſus,
Implete hydrias aquâ, & impleverunt eas uſque ad
ſummum: & dicit eis Ieſus, Haurite nunc & ferte
architriclino: & tulerunt: ut autem guſtavit archi-
triclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde
eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam u: u Ioan. 2. 1. &c.
ita ſi repleamus animam noſtram, & cor no-
ſtrum lacrymis, iſtæ lacrymæ convertentur in vi-
num delicioſum gaudii, & oblectamenti ſpiri-
tualis, ita ut, ſecundùm Pſalmiſtam x, *& vinum* x Pſ. 103. 15.
lætificet cor hominis. Sed oportet ut citò iſtud
cor noſtrum lacrymis repleamus: non enim dif-
ferenda eſt Pœnitentia, ut conſulit nobis Eccle-
ſiaſticus y, *Non tardes converti ad Dominum, & ne* y Eccli. 5. 8.
differas de die in diem. Cum quis lapſus eſt in pec-
catum, non debet differre ab eo reſurgere, quia
alioquin manendo in eo, peccatum majores figit
radices, & ſic difficiliùs ab illo ſeſe quis extricat,
& ſi in illud quis relabatur, illius contrahit con-
ſuetudinem, conſuetudo mutatur in naturam, &
natura nunquam deſeritur, niſi ferè per miracu-
lum, cùm mutetur in neceſſitatem, ut ait S. Au-

guſti-

guſtinus z de ſe poſt converſionem ſuam, *Cui rei ego ſuſpirabam ligatus; non ferro alieno, ſed ferreâ meâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perversâ facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet annexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus.* Non latebat S. Auguſtinum id quod ait Eccleſiaſticus a, *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit.* Nimirum, quòd dilatio Pœnitentiæ in craſtinum eſſet periculoſa: hæc tamen notitia non impedivit, quin ipſe dixerit paulò poſt, reſpondens Deo, *Sed illud placebat & vincebat, hoc libebat & vinciebat. Non enim erat quod tibi reſponderem dicenti mihi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus* b. *Et undique oſtendenti vera te dicere, non erat omnino quod reſponderem veritate convictus, niſi tantùm verba lenta & ſomnolenta: Modò, ecce modò, ſine paululùm. Sed modò, & modò non habebant modum, & ſine paululùm in longum ibat. Fruſtra condelectabar legi tuæ ſecundùm interiorem hominem, cùm lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captivum me duceret in lege peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur. Miſerum ergo me quis liberaret de corpore mortis hujus, niſi gratia tua per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum* c? Nolite confidere longitudini vitæ veſtræ, nec dicere, Cum ad ſenectutem pervenero, Pœnitentiæ vacabo. Quis autem promiſit vobis, vos ad ſenectutem perventuros? Sed dato quòd ad illam eſſetis perventuri, quis dixit vobis, quòd tunc ſitis Pœnitentiam amplexuri? & quis aſſeruit vobis quòd tunc futuri ſitis melius diſpoſiti ad eam agendam, quam nunc?

a S. Aug. lib. 8. Conf. c. 5.

a Eccli. 29. 24.

b Ephes. 5. 14.

c ex Rõ. 7. 22, &c.

Si tu non hodie, cras minùs aptus eris?

Veſtram differtis Pœnitentiam ad tempus, quo deficient vobis vires, & quo periculoſum eſt ne de vobis dicatur ſingulis id, quod Scriptura d narrat de Antiocho, *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Ut enim ritè agatur Pœnitentia, concipiendus eſt dolor peccati ſui; ut concipiatur talis dolor, cognoſcendum eſt peccatum; ut cognoſcatur peccatum, examinanda eſt conſcientia, formandum eſt firmum conſilium emendationis peragendæ, exerendus eſt actus contritionis. Agetiſne iſta omnia? poſtulabitiſne veniam à Deo? Non ambigo quin hæc peracturi ſitis, ſed nimis ſerò quam ſit par, metu pœnarum inferni, quandiu turbatus erit intellectus veſter, & memoria veſtra confuſa. *Parùm eſt, peccatorem pœnitere, niſi Pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari: ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic petierit, mereatur abſolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideò pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur. Et ideò, Dilectiſſimi, quicumque vult invenire miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ut ſanus eſſe valeat in futuro,* hortatur S. Auguſtinus e. Incumbendum eſt ergo ſedulæ Pœnitentiæ, deſerendum eſt peccatum, & fugiendæ ſunt omnes occaſiones peccati patrandi.

d 2. Machab. 9. 13.

e S. Aug. ſerm. 57. de Tẽp.

Obſervant Philoſophi, quòd natura ſic horret vacuum, ut omnia armet elementa ad illud impediendum, ut ignis deſcendat deorſum, terra aſcendat ſurſum, æquè ac aqua, & aer in terrâ incluſus illam concutiat, nec ulla ſit creatura quæ hujuſmodi vacuo obſiſtere non contendat. Et ratio iſtius eſt, quia ſi daretur vacuum in naturâ, inter cœlum & terram v. g. cùm cœlum gratificetur terræ influentiis ſuis, & terra ſuſcipiat id omne, quod habet, ab iſtis corporibus cæleſtibus, ipſa deſtitueretur iſtis commodis: daretur enim vacuum, & hoc admirabile commercium rerum ſuperiorum cum inferioribus periret, & ſic tota natura diſpendium perpeteretur: ideò ipſa armat ſe ad tuendam cauſam ſuam: atqui inter Deum & peccatum datur diviſio infinita, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* f. Et infauſtum iſtud vacuum peccati impedit ne ſpecioſum iſtud cœlum Divinitatis influat, & frangit hoc admirabile fœdus quod fit Dei cum animâ juſtâ: ideò conari debemus omnes nos impedire iſtud vacuum; hoc autem non poſſumus melius agere, quàm removendo à nobis id omne quod ſubminiſtrare nobis poſſet cogitationem committendorum denuò criminum noſtrorum anteactorum, & in iis nobis complacendi; & recedendo ab omnibus illis occurſibus, qui fuerunt nobis noxii, præſertim verò ab aſpectu ſpecioſarum facierum illarum, prope quas arſimus aliàs more papilionis circum candelam, nimis propè ſplendorem illarum contemplati. Propterea David g ſic Deum exorabat, *Viam iniquitatis amove à me.* Non ſolùm efflagitat à Deo Pſalmiſta, ut à ſe omnem elonget iniquitatem, ſed etiam illud omne quod aditum pandit ad nequitiam, id eſt, omnes vias pravas, quæ ad illam dirigunt; omnes umbras, & univerſas occaſiones, à quibus eſt nobis declinandum, ſi fœlicem & ſanctam peragere velimus pœnitentiam.

f Iſai. 59. 2.

g Pſ. 118. 29.

Accuſata caſta Suſanna criminis, cujus perpetrandi ne vel ipſa cogitatio mentem ipſius unquam obrepſerat, apparuit coram Judicibus, præ quibus jus dicere compellebatur. Sed quonam apparatu interfuit ipſa huic circulo, cui aderant cognati ipſius, ſicut & vir ſuus? Sanè magno velo operta, ita ut videri non poſſet facies ipſius, *Cùm veniſſet populus ad Ioacim virum ejus, venerunt & duo Presbyteri pleni iniquâ cogitatione adversùs Suſannam, ut interficerent eam. Et dixerunt coram populo, Mittite ad Suſannam filiam Helciæ, uxorem Ioacim. Et ſtatim miſerunt. Et venit cum parentibus, & filiis, & univerſis cognatis ſuis. Porrò Suſanna erat delicata nimis, & pulchra ſpecie. At iniqui illi juſſerunt ut diſcooperiretur (erat enim cooperta) ut vel ſic ſatiarentur decore ejus* h. Sed quare ſic apparuit operta mulier hæc caſtiſſima, cùm aliquanto tempore antè viſa fuerit nuda, ſeſe lavans in horto ſuo, ab impudicis iſtis Judicibus, quæ nuditas concupiſcentiam illorum accendit? Novit Suſanna, quòd pulchritudo ſua ineſcavit, (licèt innocuè) ad culpam, quòd ſenes impudici arſerunt amore profano intuitu nuditatis ſuæ; proptereà ipſa ſe operit, ne hæc eadem ſpecies ſua denuò corda pertrahat impudica ad diſſolutionem innocuis lenociniis ſuis, ait Tertullianus i, *Si & Suſanna in judicio revelata argumentum velatæ præſtat, poſſum dicere, & hic velamen arbitrii fuit. Rea venerat, erubeſcens de infamiâ*

h Dan. 13. 28, &c.

i Tert. lib. de Coronâ Milit. c. 4.

ſuâ,

ſuâ, meritò abſcondens decorem, vel quia timens jam placere. Ha! Domini mei, & Dominæ meæ, iſtas utinam perageremus reflexiones, quas fecit hæc caſtiſſima Suſanna: Hæ nuditates ſcandaloſæ, alias induxerunt ad offenſam, eſca fuerunt ad impuritatem concipiendam, & patrandam: eæ ſunt ergo operiendæ: ab illis igitur evertendi ſunt oculi, cùm uſque nunc occaſio fuerint ſpiritualis ruinæ noſtræ.

Tot ſunt mirabilia in naturâ, ut mens noſtra confuſioné operiatur, & ſuam fateri cogatur ignorantiam, & admirari id, quod concipere non poteſt. Videmus quòd magnes ferrum attrahat, quomodo autem fiat hæc attractio, variæ circa eam ſunt ſententiæ. Aliqui aſſerunt tantùm, quòd fiat per occultas qualitates; ſed hoc eſt dicere ſolùm quòd fiat, non autem dicere, quomodo fiat: unuſquiſque videt attractionem: ſed difficultas eſt circa modum illius. Alii ſentiunt, eam fieri, eò quòd ſint quidam ſpiritus in ferro, qui per quandam ſympathiam, quam habent cum magnete, exeunt ut eant ſe unitum ei; & inde inferunt, quòd, ſi homicida tranſeat ante cadaver hominis recentèr à ſe occiſi, vulnera illius aperientur denuò, & ſanguinem ſtillabunt adverſùs ipſum occiſorem, quia hæ partes, quæ ſunt adhuc in veſte occiſoris, aut adhærent enſi illius, inclinantur ut uniant ſe illis, cùm ejuſdẽ ſint naturæ: idem dico de occaſionibus: poſtquam enim abrenunciaviſtis conſortio, quod vobis fuit infauſtum, & receſſiſtis à ſpecioſis illis faciebus, prope quas arſiſtis; hujuſmodi ſocietatis noxiæ, & formarum periculoſarum fugere debetis occurſum: alioquin enim ignis iſte, qui nondum eſt extinctus, accendetur denuò per iſtas approximationes, & per mutuam inter vos & illas ſympathiam; ad priſtinas & damnabiles veſtras revertemini praxes: & ideò non ſolùm declinandum eſt à peccato, ſed etiam ab umbrâ peccati, & ab omni eo quod inducit ad peccatum, *Quaſi à facie colubri fuge peccata* k. Id eſt, circulos, conſortia, ſocietates, occurſus, colloquia, aſpectus, &c. k Eccli. 21, 2.

Iſtam debet pœnitens imitari famoſam pœnitentem, ſed priùs famoſam peccatricem Thaidem, quæ Spiritu ſancto mota, & vitæ ſuæ inter criminoſas tranſactæ diſſolutiones pœnitens, ab eâ firmiter ſtatuit reſilire per ſanctam Pœnitentiam: & ideò cùm congregaſſet omnia quæ habebat, quibuſque utebatur ad machinandam ruinam animæ ſuæ, æquè ac aliorum, & quæ infami ſuæ proſtitutionis commercio ſibi comparaverat, magnum ſategit accendendum ignem in mediâ plateâ civitatis Alexandrinæ, ibique coram incolis illius, omnes combuſſit imagines amaſiorum ſuorum, totum ſuum mundum muliebrem, omnia ſua ſpecula, & cætera, quibus uſa fuerat ipſa tanquam armis ad indicendum cœlo bellum, & ad offendendum Deum ſuum, æquè ac ad pertrahendum alios ad offenſam illius: poſt quæ ipſa diſceſſit, & a ſe elongavit id omne, quòd ipſi potuiſſet excitare memoriam antiquarum ipſius diſſolutionum: ſic eſt, Dominæ meæ, comburenda vobis ſunt hæc omnia muneta, quæ ſuſcepiſtis ab amaſiis veſtris, & quæ ita ſedulò cuſtoditis; eripienda ſunt aſpectui veſtro hæc objecta funeſta; hæc veſtimenta, quæ ſunt pretium adulterii; tandem, fugienda eſt umbra peccati.

Vera Pœnitentia complectitur duas res, habet ipſa duo brachia, timorem, & amorem. Timor ejicit id omne, quod poſſet offendere Deum, pœnitens amovet à ſe omne id, quod ipſum induxit ad peccatum. Amor è contrà amplectitur omne id, quod poteſt placere Deo, ad illud fertur præ ardore, quaſi alatus eſſet amor hujuſmodi; ferè enim volat ut uniat ſe ei: audacter & generosè deſerit omne id, quod poſſet ipſi eſſe pondus & obex ne uniatur dilecto ſuo: efficit ipſe ut deteſtetur peccatum ſuum, & elongans illum ab omnibus occaſionibus funeſtis, ducit illum ad Deum. Videte quomodo Magdalena deſerat peccatum ſuum, ut uniat ſe Jeſu *l*. Verus pœnitens debet converti ad dilectum ſuum, inſtar l Luc. 7, 37, &c.
Sponſæ dicentis, *Paululum cùm pertranſiſſem, inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam* m. Inſeparabiliter illi me uniam, nec unquam ad diſſolutam vitam meam redibo. *Maria* m Cant. 3, 4.
ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis. Dicunt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum: & neſcio ubi poſuerunt eum n. *Hæc cùm dixiſſet, converſa eſt retrorſum.* Super quod ait ei n Ioan. 20, 11, &c.
Origenes *o*, *O Maria, tu quærebas unum, & duos inveniſti. Ego non quæro Angelos, ſed eum qui fecit me, & Angelos. Non quæro Angelos, ſed meum, & Angelorum Dominum. Oneroſi mihi ſunt omnes conſolatores, gravant me, & non conſolantur. Ego autem quæro Creatorem, & ideò mihi gravis eſt ad videndũ omnis creatura.* Sic deſerere nos debemus omnes creaturas, ut adhæreamus ſoli Creatori inſtar o Orig. hom. de Magdal.
S. Magdalenæ, & S. Auguſtini *p* dicentis Deo, *Serò te amavi Pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi.* Abſtrahimus cor noſtrum ab omnibus creaturis, illud tibi totum conſecramus, volentes nos unire tibi in hoc mundo per gratiam tuam, ut uniamur tibi in altero per gloriam. p S. Aug. lib. Soliloq. c. 35.

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Ioan. 7. 6.

INter plurima verba, quæ Chriſtus protulit, quæque Evangeliſtæ recenſent, hodierna maximam præ ſe ferunt inſtructionem, quippe per quæ Dei Filius triplicem nos edocet differentiam quæ reperitur inter tempus ipſius & tempus noſtrum, quæ triplex differentia eſt optima diſpoſitio ad ritè tranſigendam vitam, & conſequenter ad optimè moriendũ. Ego vero audeo dicere, quòd tempus optimè inſumptum, eſt illud quo dicitur Deiparæ, *Ave Maria.*

Cùm

Cùm eſſe Dei immenſum, & infinitum *a*, quod eſt origo & cauſa omnium aliorum entium, ſit æternum *b*, nec principium habeat aliud niſi ſeipſum, *Ego ſum qui ſum* c: & eſſentia ipſius ſit menſura durationis aliorum entium, cùm eſſe ipſius ſit ſine principio & abſque fine, ab æterno; & hæc eſſentia, ſive duratio ſit circulus luminis, ut ait S. Dionyſius *d*, carens principio & fine, & præſens quod complectitur præteritum & futurum, cùm intuitu Dei nullum ſit præteritum, nec ullum futurum, cùm omnia ſint ei præſentia in æternitate ipſius beatâ, & hodie Dei non habeat heri, nec cras, ſed ſit dies abſque nocte, & ſine partium ſucceſſione, *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*, ait Boëtius *e*, hæc æternitas eſt quaſi tempus Dei; Angelus, æquè ac anima rationalis medium tenent inter æternitatem Dei & tempus; ſociantur duobus iſtis extremis, participant æternitatem & tempus: tempus quidem, quod incepit eſſe: æternitatem, quæ futura eſt æviternitas, cùm Angelus, & anima rationalis ſint immortales *f* à parte poſt: ſed cùm homo inceperit, æquè ac tempus, finem ſortietur ipſe. *Quia tempus non erit amplius* g. æquè ac *unus interitus eſt hominis & jumentorum* h. Jeſus Chriſtus qui per myſterium incarnationis univit antipathias in eodem ſubjecto, impaſſibilem *i* cum paſſibili, Deum cum homine, æternitatem cum tempore k, habuit tempus ſuum, cùm dicat, *Tempus meum*, &c. Æternitatem quatenus Deus, tempus verò prout homo. Quæ verba edocendo nos peragere bonam mortem, triplicem nobis oſtendunt differentiam quæ eſt inter tempus Chriſti & tempus hominum. Prima eſt, quòd Chriſtus cognovit tempus ſuum. Secunda, quòd Dominus fuit ſui temporis. Tertia, quòd tempus ipſius ſemper fuit repletum. E contra homines primò ignorant tempus ſuum. Secundò non poſſunt diſponere ſuum tempus. Tertiò tempus ipſorum eſt ferè ſemper vacuum. Ut concludatur, quòd agenda eſt pœnitentia ob incertitudinem & brevitatem vitæ, & ob periculum quod adeſt in eâ uſque ad horam mortis differendâ.

a Baruch 3. 25. *b* Dan. 13, 42. *c* Exod. 3, 14. *d* Dion. lib. de Cœl. Hierar. *e* Boet. lib. 5. de Conſol. Phil. proſâ 6. *f* Gen. 1, 3. & 27. *g* Apoc. 10. 6. *h* Eccl. 3, 19. *i* Pſ. 90. 16. *k* Galat. 4. 4.

Diviſio.

I. Pars.

Veritas eſt Chriſtiana, quòd Jeſus Chriſtus cognovit tempus ſuum, cùm perfectam rerum omnium haberet notitiam, quippe qui ut Deus, eſt terminus omnium cognitionum ſui Patris æterni, iſtius intellectûs Divini, qui eſt origo omnium luminum, quæ ipſi communicat ab æternitate, *Lumen de Lumine*, cùm ipſum producit luminibus perfectis mentis ſuæ, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te* l. Ideò perfectè omnia vitæ ſuæ cognoſcebat momenta. Secundò, Notitiam habebat quatenus comprehenſor, quia anima ipſius fruebatur viſione Dei ab inſtanti infuſionis ipſius in corpus peractæ eodem inſtanti quo corpus ipſius formatum eſt, & in Deo videbat omnia. Ipſe erat ſummus Pontifex, qui ingrediebatur *Sanctuarium* m luminum Divinorum. Ipſe *omnia* n noſcebat ut Propheta, nobiliùs quàm prophetæ, cùm prophetæ fuerint duntaxat ipſius organa, & interpretes, ut ait Eccleſia, *Qui locutus eſt per prophetas*. Et, *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus* o. Omnes habebat notitias ut univerſale *Caput corporis Eccleſiæ* p. In Capite reſident omnia lumina: ſi autem nos, *quia membra ſumus corporis ejus* q, aliquam habuimus notitiam, illa debet inveniri in Capite cum prærogativâ. Si Adam notitiam habuit omnium rerum: *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus* r: & ſi *Salomon diſputavit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus* s: Jeſus Chriſtus ut *Caput corporis Eccleſiæ*, & omnium hominum, majorem habuit incomparabiliter cognitionem. Cauſæ enim ſupremæ, ut ait Philoſophia, continent omnes virtutes inferiorum: Jeſus Chriſtus igitur ut Caput omnium hominum, ampliorem habuit cognitionem, imò & totam cognitionem ab inſtanti conceptionis ſuæ: vidit enim ex tunc diſtinctè omnes actiones ſuas, quidquid eſſet facturus, & paſſurus, & de his omnibus ita perſæpè ſuis locutus eſt Apoſtolis, *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur* t, &c. Similibus eſt tota plena Scriptura locis, *Tempus meum nondum advênit*. Et, *Nondum venit hora mea* u. A primo inſtanti acceptavit crucem & mortem, ad quam Pater ſuus ipſum deſtinabat, vidit numerum laborum, & dolorum ſuorum, *Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei* x. Habuit igitur notitiam primi momenti vitæ ſuæ, & ultimi mortis ſuæ, & ſicut Deus, & ut comprehenſor, & quatenus *Caput corporis Eccleſiæ*, & prout Propheta, & per ſcientiam experimentalem, *Et Ieſus proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines*, ait S. Lucas *y*. *Sed ſecundùm formam hominis, quam pro nobis accepit ex nobis*, dicit S. Auguſtinus *z*, *non ſecundùm formam Dei, in quâ non alienum arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo* a. Sicut Sol qui eſt idem in oriente ſuo, ac in ſuo meridie, ſed majorem ſplendorem emittit, cùm ad mediam pervênit diem: ita Chriſtus creſcens *ætate*. Si verò Sol iſte materialis, qui eſt ſola figura illius qui eſt *Sol juſtitiæ* b, ſuum cognoſcit occidentem, *Sol cognovit occaſum ſuum* c: *id eſt, ſol determinatè vadit ad occaſum, ac ſi haberet intellectum: quid per occaſum niſi mors intelligitur? Quid eſt ergo dictu: Sol cognovit occaſum ſuum: niſi, Chriſtus prævidit, & cognovit paſſionem ſuam? quæ benè occaſui Solis comparatur: Sol enim ſic occidit ut oriatur: ita & Chriſtus ita occidit ut reſurgeret* d, ait Incognitus *e*: Cognovit ergo Chriſtus tempus ſuum, & ait, *Tempus meum nondum advênit*.

l Pſ. 109. 3. *m* Exod. 28. 29. *n* Ioan. 21. 17. *o* Luc. 1. 70. *p* Coloſſ. 1. 18. *q* Epheſ. 5. 30. *r* Gen. 2. 19. *s* 3. Reg. 4. 32. & 33. *t* Matth. 20. 18. &c. *u* Ioan. 2. 4. *x* Pſ. 39. 8. & 9. *y* Luc. 2. 52. *z* S. Aug. lib. 3. cōt. Maximin. c. 28. *a* ex Philipp. 2. 6. *b* Malach. 4. 2. *c* Pſ. 103. 19. *d* ex Mat. 28. 1. *e* Incognit. in Pſ. 103. 19.

Sed homo ignorat tempus ſuum, neſcit horam vitæ ſuæ, quando venire debeat in mundum, nec quando ex eo ſit exiturus. *Quâ hora non putatis Filius hominis veniet* f. *Neſcitis diem, neque horam* g. *Serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè. Vigilate* h. Incerti ſumus, ſemper eſſe parati debemus, *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum*. Res eſt momenti graviſſimi, in eâ agitur de ſalute æternâ, de æternitate fœlicitatis, aut infortunii. *Magna ejus miſericordia, in hoc quòd diem vitæ tibi fecit incertum, ut neſcias quando hinc emigrabis: & cùm quotidie ſperas te migrare, aliquando converteris. Ceterùm ſi ſtatuiſſet diem, omnibus faceret abundare peccata de ſecuritate*, ait S. Auguſtinus i. Deus abſcondit hominibus iſtud tempus, quod ſciri non poteſt niſi per revelationem ſpecialem, ſicut illud ſciverunt B. V. Maria, & S. Paulus k dicens, *Tempus reſolutionis meæ inſtat*. Soli rei ad mortem damnati, ſciunt tempus mortis ſuæ, ſed iſta ſcientia ipſos affligit: ſed nos ignoramus tempus mortis noſtræ, ut non differamus converti ad Deum: alioquin enim expectaremus ſemper ultimum momentum, & ſic ſemper in vitio jaceremus. Sed dicet mihi aliquis, Pater meus ad annum

f Luc. 12. 40. *g* Matth. 25. 13. *h* Marc. 13. 35. &c. *i* S. Aug. in Pſ. 144. 5. *k* 2. Timoth. 4. 6.

annum vixit uſque octogeſimum, ad illud tempus pervenire quidem potero, benè valeo, nec meas experior imminui vires, Pœnitentiæ incumbam, cùm ad ſenectutem pervenero, tunc mea diſponam negotia. Sed quis dixit tibi, te perventurum ad ſenectutem uſque? & quomodo illud ſcis? Quamnam cæcitatem! remittere, agere Pœnitentiam uſque ad ſenectutem, quæ non eſt tempus ampliùs peragendo bono opportunum: ad agendam enim Pœnitentiam duo requiruntur, gratia, & tempus. Habebis gratiam? Quis autem hoc tibi aſſeruit? Illam efflagitabo. Iſtud eſt quod ego poſſum tibi conſulere, ſed de quo certum te non poſſum reddere, quòd illam ſis ſuſcepturus. Habebiſne diſpoſitiones? Eſtne Deus illam tibi impertiturus? Heu! ipſe recuſavit illam tot aliis qui eam expoſcebant, ut dicitur de Antiocho, *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus* l. Et de illâ non auder Daniel m certum reddere Regem Nabuchodonoſor, dicens ei, *Forſitan ignoſcet delictis tuis*. Et dato quòd Deus vellet illam tibi largiri, habebiſne tempus illius ſuſcipiendæ? Unicum duntaxat habemus momentum: præteritum non eſt penes nos, ipſum non eſt ampliùs; futurum nondum eſt; præſentis non habemus niſi diſtans unicum, quod velociùs tranſit cogitatione noſtrâ, & illud inſtans ſequitur æternitas: quænam igitur ſtultitia, differre opus ſalutis ſuæ peragere. Domine, diſpone negotia tua. Cras. Nullum tibi ſupereſt cras: unicum enim eſt penes te momentum. Cras condam teſtamentum meum, legata, opera pia, &c. Quis autem ea ſoluturus eſt? Liberi tui? hæredes tui? Noli iis fidere: ſatius enim eſt ut divertant ad Xenodochium, quàm ut anima tua eat *in ſupplicium æternum* †. Alii ſatagunt erigenda ſibi monumenta cum epitaphiis, *Hic jacet* N. Sic eſt: Hic jacet damnatus, cadaver: anima enim diſceſſit *in ignem æternum* n. Cùm in hoc agendi modo non ſit niſi vanitas. S. Paulus o votat corpus mortuum, *Corpus humilitatis*. Et tamen in funeribus illius non quæritur niſi vanitas. Sed obſervate hic obiter, quòd in cereis qui deferuntur inter funera, tria ſunt, cera, xilon, & ignis, ut innuatur, quòd conari debemus habere bonam vitam, ſanctam mortem, & vitam glorioſam. Cùm igitur neſciamus tempus mortis noſtræ, diſponamus nos ad agendam Pœnitentiam, eamque hoc ipſo inſtanti, quo vos alloquor, incipiendam.

l 2. Machab. 9, 13.
m Dan. 4, 24.
† Matt. 25, 46.
n Matth. 25, 41.
o Coloſſ. 3, 21.

II. Pars.

Secunda differentia temporis Jeſu Chriſti & temporis noſtri, in hoc eſt ſita, quòd Jeſus Chriſtus erat Dominus temporis ſui, & illud diſponebat ſicut volebat, quando volebat, & modo quo volebat, *Tempus meum nondum advênit*. Hinc quidam Hæretici voluerunt eripere libertatem Jeſu Chriſto agendi, quaſi coactus eſſet facere ſuas actiones uno tempore, & non alio: cùm enim S. Paulus p dicat, quòd ipſe eſt *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, ipſi intendebant quòd prædeſtinatio eriperet libertatem. Sed apage blaſphemiæ monſtrum: ſi enim hoc verum eſſet, nullus eſſet Jeſus Chriſtus, nulla eſſet adoptio, nulla eſſent merita, nullæ ſatisfactiones: nam ut mereatur aliquis, debet habere libertatem, eſſe viator, & eſſe in gratiâ, hæc tria neceſſaria ſunt ad meritum: ſi ergo Jeſus Chriſtus nullam habuiſſet libertatem per prædeſtinationem ſuam, nullum habuiſſet meritum, non fuiſſet factus homo, paſſus non eſſet, nec ſatisfeciſſet juſtitiæ ſui Patris æterni pro peccatis noſtris, contra id quod ſcriptum eſt, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit* q. Verum quidem eſt, quòd ipſe eſt *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute* r. Imò verò quòd ipſe ſit Primus prædeſtinatorum, *In capite libri ſcriptum eſt de me* s. Et, *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus* t. Ipſe eſt α & ω, *principium & finis. Primus & noviſſimus* u. *Chriſtus primitiæ dormientium* x. *Vt vivorum & mortuorum dominetur* y. Jeſus Chriſtus igitur eſt Dominus ſui temporis, quod probatur etiam ex eo quod ipſe dixit Matri ſuæ, cum *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, Quid mihi & tibi eſt, mulier? Nondū venit hora mea* z.

p Roma. 1, 4.
q Iſai. 53, 7.
r Rom. 1, 4.
s Pſ. 39, 9.
t Rom. 8, 29.
u Apoc. 1, 8, & 18.
x 1. Cor. 15, 20.
y Rom. 14, 9.
z Joan. 2, 3, & 4.

Sed homines non ſunt Domini temporis ſui, nec vitæ ſuæ, nec famæ ſuæ, neque bonorum ſuorum. Nolite blandiri vobis, Domini mei. Domine, tuarum tu non es Dominus divitiarum: Domina mea, neque tu Domina es pulchritudinis tuæ: *Quid enim habes, quod non accepiſti*. a? Vos non eſtis niſi œconomi & villici Dei, hæc omnia vobis commiſit Deus. *Domine quinque talenta tradidiſti mihi* b. Non eſtis vos Domini temporis, ſicut Chriſtus erat Dominus ſui temporis; tempus erat Chriſti, ſed vos non habetis niſi illius uſum; vita, pulchritudo, ſanitas, divitiæ vobis commodantur à Deo; ideò eas à vobis ipſe repetet cùm voluerit, *Et vita in voluntate ejus* c. Divitiæ noſtræ ad ipſum pertinent, *Domini eſt terra, & plenitudo ejus* d. Peto enim à vobis: Poſſeſſiones veſtræ, iſtæ terræ, quas dicitis eſſe veſtras, à tempore cujus nō habemus memoria, quotnam habuerunt Dominos ante vos? & quotnam ſunt habituræ Dominos poſt vos? & quales futuri ſunt illi Domini invitis vobis? non eſtis igitur illarum Domini: illæ ergo pertinent ad Deum, qui eſt earum proprietarius: non habetis igitur illarum niſi uſum, ſicut & vitæ: oportet igitur ut ſimus diſpoſiti ad tradendam illam ei æquo animo, cùm illam à nobis expoſcerit. Deus noſtram tribuit nobis animam: debemus ergo illam ei æquanimiter reſtituere. Sed hæc anima eſtne noſtra? Sanè nemo noſtrûm poteſt hoc dicere, cùm unuſquiſque ex nobis eam tyrannidi peccati ſubjecerit, & ideò unuſquiſque ſit *venundatus ſub peccato* e. *Id eſt, damnationi, ſeu dæmonis poteſtati ac juri, vel miſeræ ſervituti expoſitus atque obnoxius factus. Vendit namque ſe homo libero arbitrio, & recipit pro pretio vile bonum ab adverſario ſuo*, ait Dionyſius Carthuſianus f. In hoc ſtatu dicere non poſſumus, Anima mea. Illud quidem poterat dicere Jeſus Chriſtus, ſicut appoſitè dixit Patri ſuo, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum* g. Ipſe quidem ſuum poſſidebat ſpiritum, & erat Dominus illius: nos verò non ſumus Domini animæ noſtræ, ſicut nec temporis noſtri, propterea debemus eſſe parati ad illam reddendam, cùm Deus à nobis illam repetet; & interim illam ad bonos & legitimos uſus inſumere, inſtar Jeſu Chriſti dicentis de ſemetipſo intuitu ſui Patris æterni, *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper* h. Indeſinenter ago juxta voluntatem mei Patris æterni, quærens ubique manifeſtationem gloriæ illius, inſumens totum tempus ad exhibendum ei obſequium abſque ullâ intermiſſione: nos verò ad quid inſumimus totum tempus noſtrum? Ad ineptias, & ad occupationes pueriles & inutiles, & ruinam ſuper nos invehentes. *S. Hilarion octogeſimum annum agens, cùm extremo penè ſpiritu conflictaretur, dicebat: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſerviſti Chriſto, et mortem times* i? Poterimuſne dicere hoc? quin è contrà nonne verè dicemus, Quadraginta, aut quinquaginta annis ſervi-

a 1. Cor. 4, 7.
b Matth. 25, 20.
c Pſ. 29, 6.
d Pſ. 23, 1.
e Rom. 7, 14.
f Dion. Carth. art. 10. in Rom. 7, 14.
g Luc. 23, 46, ex Pſ. 30, 6.
h Ioan. 8, 29.
i Eccleſia in Legend. S. Hilarionis.

Google

ſerviviſti mundo, diabolo, & carni, & mortem non times? Malus uſus temporis! Bona diſpoſitio ad benè moriendum eſt benè uti tempore, quod Deus nobis commodavit, illud inſumere ad ſanctitatem & ad praxim virtutum cum iiſdem diſpoſitionibus, quibuscũ Dei Filius illud adhibuit.

III. Pars.

Tertia differentia inter tempus Jeſu Chriſti & tempus noſtrum in hoc conſiſtit, quòd tempus Jeſu totum fuit plenum, *At ubi venit plenitudo temporis* k, dicitur de Incarnatione. Et Juſti ad exemplum illius, replent tempus ſuum, *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa* l, dicitur de Juſto vacuo vitiis, & repleto gratiâ & meritis. Jeſus Chriſtus in vitâ ſuâ abſconditâ m, & converſante n, totus fuit plenus meritis, ſatisfactionibus, & ſanctis actionibus: à primo inſtanti ſuæ conceptionis incepit vitam interiorem, & continuavit vitam exteriorem: iſtæ ſunt duæ vitæ Jeſu Chriſti. Quantùm ad vitam interiorem, quæ fuit *annorum triginta* o, quotnam exercuit actus honoris, ſubmiſſionis, & adorationis erga ſuum Patrẽ æternũ? Quis illud poteſt ſcire? Solus Deus id ſcit. Et Juſtis dicit S. Paulus p, *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Quoad actiones vitæ illius converſantis, quæ fuit triũ annorũ, quot mirabilia q? Tot ut dixerit S. Joannes r, *Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt, libros.* Vitam ducebat totã plenam, totam in Deo, & totam propter Deum. Et hoc eſt quod agunt Sancti, *Sive vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur* s. Id eſt, ſicut Deus vult, quando vult, & modo quo vult, ſicut Jeſus Chriſtus erga Patrem ſuum.

Quoad impios, tempus illorum eſt vacuum, & ſi appenderentur in trutinâ, ſicut aliàs ſacrilegus Baltaſſar, minus haberent ponderis quàm haberet nihilum, poſiti in unâ lance ſtateræ, & poſſet illis dici ſicut illi Regi impio, *Appenſus es in ſtaterâ, & inventus es minus habens* t. *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt* u. Vacui ſunt virtutibus, bonis operibus, & meritis, annos tranſegerunt quadraginta, vel quinquaginta, aut ſexaginta inanes, inſtar eorum qui dormiunt, & ſomniant, & evigilant manibus vacuis, *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis* x. Quænam fuit vita illorum interior? Qualis extitit exterior eorum vita? Utraque vacua. Dicite mihi, Auditores: Quænam fuit vita veſtra? Animalis profectò: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* y. Non duxiſtis vitam hominis, minùs autem Chriſtiani conformem ei quâ vivebat S. Paulus z, dicens, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Tantum abeſt ut vixeritis vitâ Jeſu Chriſti dicentis. *Ego vivo propter Patrem* a; & quærentis *gloriam ejus qui miſit eum* b. Ideò illius imitatio erit diſpoſitio ad ducendam bonam vitam, & ad peragendam ſanctam mortem.

Inſumendum eſt iſtud tempus, quod noſtris committit ipſe manibus, ad illud replendum: ita eſt diſponenda hæc vita, ut, cùm ipſe illam repeteret, poſſimus illi eam reddere ſanctitate plenam: honorandus eſt Deus per nihilum noſtrum: eſt nobis complacendũ in deſtructione noſtrâ, quia deſtructione noſtrâ honorem impendemus Deo: omnes Electi debent ſe deſtruere propter obſequium ejus, ad exhibendam huic Enti ſupremo reverentiam, ſicut Dei Filius *ſemetipſum exinanivit* c propter honorem & gloriam ſui Patris æterni. Deſtruendum eſt in nobis peccatum: &

k Galat. 4. 4.
l Sap. 4. 13.
m Luc. 2. 51.
n Matth. 4. 18.
o Luc. 3. 23.
p Coloſſ. 3. 3.
q Ioan. 2. 7. &c.
r Joan. 21. 25.
s Rom. 14. 9.
t Dan. 5. 27.
u Pſ. 93. 11.
x Pſ. 75. 6.
y 1. Cor. 2. 14.
z Galat. 2. 20.
a Ioan. 6. 58.
b Ioan. 7. 18.
c Philipp. 2. 7.

ſicut *in hoc apparuit Filius Dei ut diſſolvat opera diaboli* d; ita ſatagere debemus *ut deſtruatur corpus peccati, ut ultrà non ſerviamus peccato* e. Illud eſt à nobis procul amandandum, ut tandem dicere poſſimus cum Chriſto, *Conſummatum eſt* f. Quaſi diceret, Perfeci id omne, quod meus Pater æternus à meis exigebat obedientiis. *Conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis* g. Antequàm noſtram Deo commendemus animam, dicere debemus ei inſtar Jeſu Chriſti, quia *ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* h, *Conſummatum eſt.* Totum tempus meum eſt repletum, perfeci omnia momenta vitæ meæ, *Opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam* i. Nam antequàm diceret, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum* k, *Ieſus, dixit, Conſummatum eſt.* Sic priuſquàm commendemus animam noſtram manibus Dei, debemus diſpoſuiſſe omnia negotia noſtra, ſicut Jeſus Chriſtus Matrem ſuam in gratiam S. Joannis, & S. Joannem in obſequium ejuſdem Matris ſuæ l; Eccleſiam, quam tradidit S. Petro m; paradiſum in favorem Dimæ, ſeu boni Latronis n; & veniam erga inimicos ſuos o; ut quieti dicere Deo poſſimus, ſicut ille, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Iſtud *porrò unum eſt neceſſarium* p. Id eſt, hoc eſt negotium noſtræ ſalutis graviſſimum, quod inducere nos debet ad Pœnitentiam intuitu brevitatis vitæ, & periculi differendæ illius.

IV. Pars.

Cùm animæ noſtræ, quæ factæ ſunt propter gloriam, (quia *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* q) receſſerunt à principio ſuo, quod eſt Deus, non poſſunt ampliùs ad ipſum redire niſi beneficio Pœnitentiæ, quæ ipſas reſtituit in gratiam ejuſdem Dei, & indulget ipſis, ut filiis prodigis, ingreſſum domum Patris ipſarum cœleſtis, qui obliviſcitur ingratitudinis ipſarum, nec ampliùs vult uti niſi beneficiis erga ipſas: oportet igitur ut ipſæ ſuorum Pœnitentiam agant criminum, exeundo citò è peccatis ſuis, nedum lenocinia terræ obſiſtere poſſint huic exercitio Pœnitentiæ, nec illam differre: debent igitur ipſæ infringere vincula, quibus detinentur, ut majori velocitate ad locum ſuæ fœlicitatis currant. Hoc autem eximium eſt privilegium ſupra rebelles Angelos homini conceſſum, ut admitti poſſit ad veniam, agens Pœnitentiam peccatorum ſuorum: cognitiones enim ejus ſunt obſcuræ, vires illius infirmæ, nec voluntates illius ita adhærent malo, ſicut adhærent peccato voluntates ſpirituum illorum corporeæ molis expertium: ideò illum Deus ſuſcipit ad gratiam.

Omnes culpæ actuales, quas committimus, ſunt conſequentiæ illius, quam patravit Protoplaſtus noſter cùm vetito *de fructu comẽdit* r. Pauperes nos ſumus propter profuſiones ejus, infirmi ob exceſſus illius, debiles ex lapſu ipſius, & onerati debito & crimine illius: rectæ igitur erat conſonum rationi, ut ſicut diebus ſingulis aliquod patimur infortunium ob illam primam inobedientiam, nec ulla eſt virtus ita firma, quæ iſtis non ſit obnoxia caſibus (*Septies enim cadet Iuſtus* s) ita cœlum provideret nobis modum inde reſurgendi, hic autem modus non eſt alius præter *Pœnitentiam* t, quæ reſarcit impenſas diſſolutionum noſtrarum. Cùm autem Dei Filius ait, *Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum,* vult inducere nos inde ad Pœnitentiam, & perſuadere nobis ne differamus converſionem noſtram,

d 1. Ioan. 3. 8.
e Rom. 6. 6.
f Ioan. 19. 30.
g Luc. 18. 31.
h Coloſſ. 1. 18.
i Ioan. 17. 4.
k Luc. 23. 46. ex Pſ. 30. 6.
l Ioan. 19. 26. & 27.
m Matt. 16. 18. & 19.
n Luc. 23. 43.
o Luc. 23. 34.
p Luc. 10. 42.
q Prov. 16. 4.
r Gen. 3. 3. & 6.
s Prov. 24. 16.
t Ezech. 18. 21. & Luc. 13. 3.

quæ debet eſſe cauſa fœlicitatis noſtræ, propter brevitatem vitæ noſtræ, & periculum quod invenitur in eâ differendâ. Propterea S. Auguſtinus *a* ait, *Manſuetus Dominus, longanimis Dominus, miſericors Dominus* x: *ſed & juſtus Dominus* y, *& verax* z *Dominus. Largitur tibi ſpatium correctionis, ſed tu plùs amas dilationem, quàm emendationem. Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto: & hodiernum diem in malitiâ peregiſti, vel cras mutare. Semper expectas, & de miſericordiâ Dei tibi plurimum polliceris: quaſi ille qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam. Unde ſcis quid pariat craſtinus dies? Rectè dicis in corde tuo, Quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare non poſſumus, quòd correctis atque converſis indulgentiam Deus promiſit. Nam in quo Prophetâ* a *mihi legis, quia promiſit correcto indulgentiam: non mihi legis, quia promiſit tibi Deus longam vitam.* Eſt igitur modò amplectenda Pœnitentia propter incertitudinem vitæ, & ratione periculi quod invenitur in morâ agendæ illius, *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te,* ait Eccleſiaſticus *b*.

a S. Aug. tract. 33. in Joan: 8, 11.
x ex Pſ. 102, 8.
y ex Pſ. 10, 7.
z ex Mat: 22, 16.
a ex Ezech, 18, 21, & 22.
b Eccli: 5, 8.

Heu Chriſtiani quid cogitamus? heu umbram capeſſimus pro corpore, certum deſerimus, ut ſequamur incertum! Certiſſimum eſt id quod ait Deus per Prophetam *c*, *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, omniũ iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitiâ ſuâ, quam operatus eſt, vivet.* Quod S. Bernardus *d* ſic vertit, *Quacumque horâ ingemuerit peccator, peccatum ſuum remittetur ei.* Sed etiam non eſt aliquid incertius hàc horâ: ille enim qui nobis eſt veniam pollicitus, juxta monitum S. Auguſtini ſuprà relatum, non promiſit nobis horam: nimias intuemur mortes ſubitaneas & improviſas, & interim ut inſenſibiles quoad ea quæ noſtræ ſalutis ſunt, derelinquimus certitudinem remiſſionis præſentis, differentes Pœnitentiam noſtram ad tempus, quod in noſtrâ non eſt poſitum poteſtate. Scriptura *e* docet nos, *Quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Et tamen dormimus, quaſi verò inter tot pericula occurrere deberent nobis maxima commoda; & quaſi non eſſet graviſſimum illud negotium, in quo de noſtrâ agitur ſalute. Hæc dilatio, hæc negligentia eſt nota reprobationis: è contrà ſervi Meſſiæ, ſicut communicant virtutibus illius, ita participant nomen ejus, *Accelera, Feſtina* f. Animæ deſtinatæ ad gloriam præ ſe non ferunt prolongationes iſtas: videte quomodo ſtatim, *cùm natus eſſet Ieſus, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum* g. *Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia* h.

c Ezech: 18, 21, & 22.
d S. Bern. ſerm. 9. in Cant.
e 1. Theſſ: 5, 2.
f Iſai: 8, 3
g Matth: 2, 1, & 2.
h S. Ambr. lib. 2, in Luc 1. 39.

Si autẽ incertitudo vitæ debet nobis eſſe aculeus qui nos ſtimulet ad currendum in ſtadio Pœnitentiæ: quid non agere debemus intuitu brevitatis ejuſdẽ vitæ. O brevitas vitæ humanæ, cui comparabo te? Sanè ipſa es ſicut *Ephemeron, animal naſcens apud Hypanim fluviũ, qui influit in Boſphorum, eodem quo naſcitur die interiens. Hinc natum adagium, Ephemeri vita. De iis qui ſtatim emoriuntur, aut pereunt* i. *Quæ eſt enim vita? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur* k. *Et tanquam nuncius præcurrens: & tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam: cujus, cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut avis quæ tranſvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris illius* l. Vel ſicut *peregrinus quidam* m *tranſiens*. Sive *quemadmodum fumus* n. Seu *velut ſomnium* o. Aut *ſicut umbra* p. Vel ſicut flos, *Manè ſicut herba tranſeat; manè floreat, & tranſeat: veſperè decidat, induret, & areſcat* q. Omnia concurrunt ad ruinã noſtram, nec prius incipimus vivere, cùm capeſſimus viam mortis, eò quòd principium noſtræ vitæ ſit initium mortis noſtræ. Non ignoramus quænam ſit brevitas vitæ noſtræ, cùm dicat Job *r*, *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Et tamen ita tepidi ſumus ac lenti ad operandam ſalutem noſtram. Unicum duntaxat habemus momentum, quod debet facere principium noſtræ fœlicitatis æternæ, aut agere initium infortunii noſtri ſempiterni: id diſponamus prudenter; *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum* s. Ne contemptus illius ſit cauſa ruinæ noſtræ, eò quòd illo uſi non fuerimus appoſitè, cùm in noſtrâ erat poſitum poteſtate.

i Calepin: in Diction. v. Ephemeron. citans Ariſt lib. 5, Animal.
k Iacob, 4. 14.
l Sap: 5, 9, &c.
m 2. Reg. 12. 4.
n Pſ. 36. 20.
o Pſ. 72. 20.
p Pſ. 143. 4.
q Pſ. 89. 6.
r Iob 10. 20.
s Galat. 6. 10.

Profectò non vivimus nos, cùm quotidie ſuprà nos lucretur aliquid mors, nec ullus pertranſeat dies, quo nõ ſepeliamus partẽ ſubſtantiæ noſtræ, etiamſi hæc ita ſubtiliter effluat, ut jacturæ noſtræ non ſint nobis ſenſibiles, nec ſui niſi poſt lapſum temporis, nobis notitiã præbeant, *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terrã, quæ non revertuntur* t. Re autẽ verâ ſingulis momentis conſignamus ſepulchro aliquid noſtri ipſorũ; hoc diſpendium continuũ eſt ſpecies quædã juris, quod mors habet ſupra nos; iſtud eſt obſequium perpetuũ quod ei exhibemus ut noſtri Dominæ corporis; eſt tributũ, quod oſtendit imperiũ ejus; & pignus, quod illã reddit certã, reliquũ citò poteſtati ipſius ſubjiciendũ, cũ primitiæ ad ipsã pertineant. Blandiamur nobis, Auditores, quantùmcumque voluerimus, ſingulis horis morimur, & calor naturalis cõtinuè nos abſumit, deſtruens nos, & nos interimens, ut ſeipsũ conſervet. Ego autẽ peto à vobis, Quid factum eſt de primis veſtris annis? quò abiit infantia veſtra, pueritia veſtra? quidnam diſparere fecit hanc florentẽ adoleſcentiã & juventutẽ veſtrã, cui ſucceſſit ætas, quæ non habuit niſi reſiduum voluptatũ utriuſque? Recogitate hanc ætatẽ virilem, quæ non fuit vobis niſi tranſitus ad hanc ætatẽ ſenilẽ, quæ languere vos facit, & inducit vos ad confitendũ, quòd non eſtis ampliùs id, quod fuiſtis anteà: ſuũ mors jã peregit ictum ſuper omnes iſtos annos, univerſas ætates iſtas præ ſuis habet manibus; & cùm inſumet ipſa cunctos potentiæ ſuæ conatus ad perficiendas eaſdẽ ætates, ipſa proſequetur tantum id, quod inceperat; & id, quod judicabitur nova victoria illius ſuper corpora noſtra, non erit niſi ſequela triumphorũ ejus. Graviter hallucinamur, ſi autumemus alienam nobis eſſe mortem: ipſa manet apud nos; & quando imaginamur illã abſentẽ, tunc ſumus illius hoſpites: ſic tranſeunt anni noſtri inter mortẽ, quã tantùm eſſe ipſorũ terminũ exiſtimamus. Si autẽ digni ſumus reprehenſione, eò quòd non inſumamus fideliter tempus iſtud, quod nobis tribuitur ad operandã ſalutem noſtrã, & ad vacandum Pœnitentiæ; inexcuſabiles penitus erimus, & immodicis digni ſuppliciis, ſi differamus illam peragere uſque ad ſenectutem, præ incertitudine dierum noſtrorum, cùm hæc ætas infirma nihil habeat certi, quod poſſit eſſe fundamentum rei tanti momenti appoſitè peragendæ opportunum; remittentes hanc Pœnitentiam ad extremam vitæ noſtræ periodum, quaſi vellemus, non vivere, ſed mori probatæ vitæ homines; nec deſerere voluptates, quàm cum ampliùs illis frui non poſſumus. *Sed Dominus ſcrutans cor, &*

t 2. Reg. 14. 14.

probans

probans renes u, videns, quòd niſi metueremus *ſupplicium æternum* x, nullos imponeremus criminibus noſtris limites, nonne jure merito *gladium ſuum vibrabit* y ſuper nos, quos acceſſus mortis induxerint ad pœnitentiam? Cùm homines hanc efflagitant moram, confitentur debitum, ſed ſolutionem illius aſſignant exigendum à vade ſolvere non valente, id eſt, à ſenectute infirmâ: & ſic oſtendunt ſe deficere bonâ voluntate ad faciendum bonum, cùm expectent illud exercere ætate, quæ videtur ob exiguas vires ſuas ab illius praxi excuſanda. Ideò S. Auguſtinus z ait, *Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari: ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic petierit, moreatur abſolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatiſfactionis operari poteſt? Et ideò pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur. Et ideò, Dilectiſſimi, quicumq; invenire vult miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiã in hoc ſæculo, ut ſanus eſſe valeat in futuro.* Cùm corpus noſtrũ conſciũ ſit criminis, æquè ac anima ipſius: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malũ prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* a: proculdubio eſt ipſum puniendũ, & ſuſtinere debet pœnas deliciarũ ſuarũ, *Pro menſurâ peccati, erit & plagarũ modus* b. Et, *Quantũ in deliciis fuit, tantum date illi tormentũ* c. Id eſt, ut exponit Dionyſius Carthuſianus d, *Quantũ in deliciis fuit, in carnalibus carnaliter delectando, tantũ date illi tormentũ, quo affligatur propter delicias impuras præhabitas.* Sed ſicut incaſſum pronunciaret Judex aliquis decretum mortis contra reum aliquẽ extremũ jam vitæ ſpiritũ efflantẽ, & cui nullũ ſupereſſet tempus ad ſuſtinendã pœnã capitis adversùs ſe prolatam: ita anima malè ſuam inſumit authoritatem ad expetendas pœnas de corpore, cui duo vel tria duntaxat ſuperſunt momenta, & quod deliquiũ patitur antequàm poſſit obire ſupplicium ſibi impoſitũ. Heu! in quanto verſantur periculo homines illi, qui pœnitentiam ſuã ad extremam vitæ ſuæ periodũ differunt. Periculoſũ eſt ne, ſicut mors eſt echo vitæ, finis habeat convenientiam cum initio; & ſicut ipſi malã tranſegerunt vitam, ita & nefandã mortẽ obeant: ſicut enim laudabilis mors fructus eſt probatæ vitæ, ſic & depravatã vitam comitatur funeſtus interitus, *Mors peccatorum peſſima* e. Super quod ait Incognitus f, *Mors peſſima dicitur mors æternalis, quæ eſt mors gehennæ; quia continet, remotâ omni ſpe vitæ ſpiritualis, pœnã, & cruciatum æternum. Nam de peccatoribus & obſtinatis dicitur. Nam finis illorum mors eſt* g. *Et enumeratis multis vitiis, concludit Apoſtolus* h, *quòd qui talia agunt, digni ſunt morte. Vnde quòd iſta mors gehennæ dicatur peſſima, oſtendit Gregorius* i, *exponens illud Iob, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, dicens, In hujus vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cùm pati jam cœperit, quod metuebat. Infernum verò, & umbra mortis obſcurat, & ſempiternus horror inhabitat, quia ejus ignibus traditi, & in ſuppliciis dolorem ſentiunt, & in doloris anguſtiâ pulſante ſemper pavore feriuntur, ut & quod timent, tolerent, & rurſus quod tolerent, ſine fine pertimeſcant. De his enim ſcriptum eſt. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* k. *Hîc flamma, quæ ſuccendit, illuminat: illic ignis, qui cruciat, obſcurat. Hîc metus amittitur, cùm cœpit tolerari, quod timebatur, illic & dolor dilaniat, & pavor anguſtat. Fit ergo miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Ibi enim mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, ſed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, ſed nullatenus pavorem diſcutit. Quid igitur mirum ſi mors peſſima nuncupatur?* concludit Incognitus.

u Jer. 17, 10.
x Matth. 25, 46.
y Pſ. 7, 13.
z S. Aug. ſerm. 57. de Tẽp.
a Gen. 8, 21.
b Deut. 25, 2.
c Apoc. 18, 7.
d Dion. Carth. art. 19. in Apoc. 18, 7.
e Pſ. 33, 22.
f Incognit. in Pſ. 33. 22.
g Rom. 6, 21.
h ex Rõ. 1, 32.
i ex S. Greg. lib. 9. Mor. c. 38. in Iob 10, 22.
k Iſai. 66, 24.

Verum quidem eſt id quod per Prophetam Ezechielem l, *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, et vivat. Convertimini à viis veſtris peſſimis: et quare moriemini domus Iſraël?* Sed nemo blandiri ſibi debet hâc vanâ perſuaſione, quòd quotieſcumque ſit petiturus à Deo ſuorum veniam criminum, ab illo ſit eam impetraturus antequàm mortem oppetat, ad extremas redactus anguſtias, terrore potiùs pœnarum inferni incurrendarum perculſus, quàm dolore contritus intuitu ejuſdem Dei offenſi: hoc enim eſſet aliquo modo profanare gratias, quæ ipſi offerrentur toto tempore quo in periculo mortis non verſaretur: & hæc pœnitentia ementita ſimilis eſſet pœnitentiæ illi apparenti Judæ proditoris, quam ſecuta eſt deſperatio, ſuſpenſio, & mors æterna, ut ait Evangelium m, *Judas pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, et ſenioribus, dicens, Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, receſſit: et abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* Id eſt, *Ex deſperatione, dicens cum Cain, Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear* n. Poſtquàm enim peccator aures ſuas obturavit gratiæ, cordis ipſius januam pulſanti, & omnes motiones ſacras, quibus ipſum ad ſe trahere volebat Deus, contempſit, & deriſit; Deus ipſum pariter ad extremas redactum anguſtias deſpicit, & deridet, ſicut ipſe omnibus hujuſmodi contemptoribus gratiarum ſuarum, ſuique deriſoribus improperat, *Quia vocavi, et renuiſtis: extendi manum meam, et non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, et increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, et ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio et anguſtia* o. Quæ ultima verba ſic interpretatur Salazar p, *Ego quoque in interitu veſtro ridebo: quaſi dicat, Ridere, jocari hactenus licuit vobis: ludibriis, ſcurrilibus, irriſionibus uſque adeò deditis fuiſtis, ut ſeveram, et ſeriam diſciplinam penitus exoſam haberetis. Par pari referam. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, et irridebo. Nec irridebo ſolùm, quod ſolet eſſe lepõris, ac ſalis; ſed etiam ſubſannabo, quod eſt iræ, et indignationis maxima. Hunc ſenſum eleganter exprimit Auguſtini lectio; Ego quoque perditioni veſtræ ſuperridebo. Nam ſuperridere propriè eſt riſu riſum excipere, vel riſum riſu punire. Symmachus denique habet: In collocatione veſtrâ, id eſt, cùm in loco ſtatuetur quiſque ſuo apud inferos, inter impios, ſæviſſimaſque dæmonum cohortes. Cùm irruerit repentina calamitas: et interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio et anguſtia. Poſtremam Symmachi lectionem: Cùm venerit ſuper vos præcipitatio, ſic interpretor, Cùm præcipites in tartara mittemini.*

l Ezech. 33, 11.
m Matth. 27, 3. &c.
n Dion. Carth. art. 43. in Matth. 27, 5. ex Gen. 4, 13.
o Prov. 1, 24. &c.
p Salaz. in Prov. 1, 20. & 27. n. 264. 265. 200. & 276.

Pœnitentiæ hujuſmodi ad horam mortis uſq; dilatæ, plerùmque non alium ſortiuntur finem, quàm eum, quem Scriptura recenſet eveniſſe Antiocho, quem ſuorum pœnitebat peccatorum non propter Deum offenſum, ſed ob ſævos

quos experiebatur, dolores, ad extremas reda-
ctus anguſtias, *Superbiá elatus, ignem ſpirans animo
in Iudæos, contigit illum impetu euntem de curru ca-
dere, & gravi corporis colliſione membra vexari. Iſ-
que qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris impera-
re, ſupra humanum modum ſuperbiá repletus, & mon-
tium altitudines in ſtaterâ appendere, nunc humilia-
tus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam
Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans; ita ut de corpore
impii, vermes ſcaturirent, ac viventes in doloribus
carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore ex-
ercitus gravaretur: & qui paulò antè Sidera cœli
contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter
intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex
gravi ſuperbiâ deductus ad agnitionem ſui venire, Di-
viná admonitus plagá, per momenta ſingula doloribus
ſuis augmenta capientibus: & cùm nec ipſe jam fœto-
rem ſuum ferre poſſet, ita ait, Iuſtum eſt ſubditum eſſe
Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat au-
tem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericor-*
q 2, Machab: 9, *diam conſecuturus* q. Deus vult ut ad ipſum con-
7, &c. vertamur ex toto corde noſtro, *Convertimini ad*
r Ioel: 2, *me in toto corde veſtro* r. Quomodo autem homo
12. poterit Deo conſecrare cor ſuum ultimo vitæ
ſuæ articulo, qui toto tempore ejuſdem vitæ il-
lud deliciis prohibitis & diſſolutionibus immer-
ſerit? Propterea, Auditores, proficuè inſumite
tempus, quod vobis indulget Deus ad peragen-
dam Pœnitentiam, & ad operandam ſalutem ve-
ſtram, *Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.*
Auſcultate Iſaiam s hortantem vos ad quæren- s Iſai: 55.
dum Deum quandiu illum invenire poteritis per 6.
Pœnitentiam. *Quærite Dominum dum inveniri po-
teſt, invocate eum dum propè eſt.* Nolite abuti gratiâ
Dei, quæ vobis offertur, operamini opus ſalutis
veſtræ, *donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt* u Ioan:
operari u. Audite & S. Paulum x, *Ecce nunc tem-* 9, 4.
pus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Hæc eſt tem- x 2, Cor:
peſtas nobis ditandis opportuna, quâ Pœnitentia 6, 2.
ſuſcipitur, cùm iſto tempore ſacro immortales
conciliare nobis poſſimus coronas, incumbendo
ſeriò Pœnitentiæ, ſicut illâ exercuerunt Ninivi- y Ion: 3,
tæ *y*, David *z*, & Magdalena *a*, qui nullo modo 5, &c.
illâ diſtulerunt, ſtatim ac illa fuit ipſis annunciata. z 2, Reg:
Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodi- 12, 13, &c.
ens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cu- a Luc: 7,
ſtodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem 37, &c.
fecimus, impiè egimus: & receſſimus & declinavimus
à mandatis tuis ac judiciis b. Sed nunc utere po- b Dan: 9,
tentiâ tuâ ad emolliendâ indurata noſtra corda, 5, & 6.
ſtilla ſuper ea gratiâ tuâ, ut lenociniis & ſuavita-
tibus tuis attracta, amplectantur ſedulò Pœniten-
tiam, ut illius fructibus potiri tandem poſſint in
gloriâ tuâ ſempiternâ.

FERIA IV. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis.
Ioan. 10. 27. & 28.

ETiamſi nihil ſit ſecretius, difficilius, &
profundius arcanis Divinæ Prædeſti-
nationis, quæ nobis ita ſunt abſcondi-
ta & incognita ut cogamur exclamare
a Rom. præ admiratione cum S. Paulo *a*, *O altitudo divi-*
11, 33. *tiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incompre-
henſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ
ejus!* tamen Salvator noſter in Evangelio ho-
dierno tribuit nobis notas animæ prædeſtinatæ,
dicens, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſe-
quuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Ego ve-
rò iſtis addere poſſum quòd etiam una è præ-
cipuis hujuſmodi notis eſt affici devotione er-
ga Virginem Deiparam, juxta hæc verba Pro-
b Prov. 8. verbiorum *b*, quæ Eccleſia illi attribuit, *Beatus*
34, & 35. *homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quo-
tidie, & obſervat ad poſtes oſtij mei. Qui me in-
venerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à
Domino*, quem concepi in utero meo ſtatim
c Luc. 1, poſt iſta verba Angeli dicentis mihi, *Ave* c *Ma-*
28, & 38. *ria.*

d Pſ. 61, Quàmvis verum ſit quòd in æternitate, & in
12. ſeipſo *ſemel locutus eſt Deus* d; nihilominùs iſtam
ſemper repetit Divinam loquelam productionis
æternæ Verbi ſui, quod eſt Sermo ſuus increa-
tus, ut Filius ſuus ipſemet teſtatur, *Dominus dixit*
e Pſ. 2, 7. *ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* e. Al-
locutus eſt nos in ſtatu Legis naturæ per duo
millia annorum, & omnes creaturæ erant toti-
dem voces, quæ nos vocabant ad ipſius noti-
tiam: *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per*
f Rom. 1, *ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiter-*
20. *na quoque ejus virtus & Divinitas* f. Et conſilium
ipſius in hoc eſt ſitum ut audiatur à nobis, *Ubi
erat, cùm me laudarent aſtra matutina* g? *Cœli enar-* g Iob 38, 4. & 7.
rant gloriam Dei h. Et ſi homines ipſum ignorant, h Pſ. 18. 2.
hæc ignorantia eſt criminoſa, & omni excuſatio-
ne indigna, *Ita ut ſint inexcuſabiles* i. In ſtatu Le- i Rom. 1.
gis ſcriptæ allocutus eſt miniſterio Propheta- 20.
rum ſuorum, quos miſit ad nos, qui nobis prædi-
caverunt, & vocaverunt nos ad ipſius cognitio-
nem, *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo
ſunt, Prophetarum ejus* k. *At ubi venit plenitudo* k Luc. 1.
temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, 70.
factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redime- l Galat.
ret, ut adoptionem filiorum reciperemus l. Id eſt, 4. 4. & 5.
in ſtatu Legis gratiæ, Sermo iſte Divinus ſenſi-
bilis eſt effectus, *Verbum caro factum eſt* m. Ut m Ioan.
nos attraheret ad notitiam Patris ſui, *Multifa-* 1. 14.
*riàm multiſque modis olim Deus loquens Patribus in
Prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in*
Filio n, qui *in terris viſus eſt, & cum homini-* n Hebr.
bus converſatus eſt o, *prædicans in Synagogis* p, 1. 1. & 2.
vocans nos ad ſe, dicens, *Venite ad me omnes* o Baruch 3. 38.
qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos q. p Luc. 4.
Et cùm *aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris* 44.
Dei r; miſit ad nos Spiritum ſanctum ſuum qua- q Matth.
ſi linguam ut nos vocaret ad ſanctificationem, 11. 28.
Et cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes r Marc. 16. 19.
*pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cœlo
ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, &
replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et appa-
ruerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque
ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu*
ſancto s. Vocat nos gratijs ſuis ſufficientibus, quas s Act. 2.
offert omnibus, *Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui* 3. &c.
congre-

t Matt. 23, 37. ex 4. Eſdr. 1, 30.
u Hebr. 12. 15.
x Dion. Carth. art. 12. in Hebr. 12, 15.

congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti t? Et, *contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei* u. *Id eſt, ne aliquis veſtrûm elongetur, ac ſeparetur à gratiâ Dei, quæ omnibus præſto eſt, dummodò fecerint quod in ſe eſt. Vel, ne gratia Dei in vobis imperfecta ſit propter negligentiam veſtram,* ait Carthuſianus x. Nec ullus eſt locus in univerſo orbe, in quem non effuſum fuerit verbum Dei, cùm Apoſtoli poſt ſuſceptum Spiritum ſanctum illud ubique prædicaverint perſonaliter, aut ſaltem per ſcripturas ſuas, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* y. Deus igitur loquitur, & ſuam ubique facit diffundi vocem, & in Lege naturæ, & in Lege ſcriptâ, & in Lege gratiæ, per ſe ipſum, per Apoſtolos, per Spiritum ſanctum, qui loquitur nobis gratiis interioribus, & probatæ vitæ homines audiunt vocem ejus, ex eâ utilitatem hauriunt atque profectum, impij verò è contrà illam contemnunt.

y Pſ. 18. 5.

Diviſio.

Prædeſtinati, velut *oves, vocem audiunt* Paſtoris ſui, eique obediunt, hic eſt primus character prædeſtinationis, qui educitur ex ove, obedientia. Secundus character prædeſtinationis, qui eruitur ex ove, eſt puritas & fœcunditas ſimul. Tertius eſt immolatio, cùm ovis deſtinata ſit ad occiſionem. Quartus verò & præcipuus eſt manſuetudo. Iſti quatuor characteres intuendam vobis exhibebunt animam prædeſtinatam.

3 Pars.

Obſervandum eſt, fideles nos effici per auditum, *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti* z. Theologia S. Pauli requirit ad hûc effectum loquelam, & aurem. Loquelam ad diffundendum verbum Divinum, ad hoc ut fiat quis fidelis. Aurem verò ad illud ſuſcipiendum. Auris eſt etiam ſymbolum obedientiæ: ideò ſervus notatus erat in aure in ſignum ſubjectionis & obedientiæ ſuæ, *Dominus perforabit aurem ejus ſubulâ, & erit ei ſervus in ſeculum* a. Scimus, aliàs *victima ſanguine extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum ejus* b Sacerdotum Legis veteris unctum fuiſſe. Et Verbum incarnatum in ſignum obedientiæ quam veniebat exhibiturum Patri ſuo, aures habuit perforatas, *Aures autem perfeciſti mihi* c. *Seu perforaſti*, ut fert verſio. Statim enim ſubdit, *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Suos Deus ſignat Prædeſtinatos, ſicut paſtor oves ſuas, *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognovit Dominus qui ſunt ejus* d. *Hoc eſt, Deus Prædeſtinatos ſuos æternaliter cognoſcit ſcriptos in libro vitæ* e, *eoſque conſervat, & approbat*, ait Carthuſianus f. Solus Deus diſcernit Electos ſuos à reprobis, & illos inſignit charactere ſuo: character autem veri Prædeſtinati, veræ ovis Divini iſtius Paſtoris, eſt obedientia. Videbitis oves comedentes herbam in prato, ſed ſi audiant vocem paſtoris ſui, ſtatim relinquunt herbam, & accurrunt ut obediant voci paſtoris ſui ipſas vocantis. Hæc ſedula obedientia eſt character Prædeſtinati, qui auditâ voce Dei, omnia deſerit cum Apoſtolis, ut illum ſequatur, *Ambulans autem Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui cognominatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum* g. Et, *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, continuò non acquievi carni & ſanguini* h. Iſte eſt primus effectus prædeſtinationis, vocatio, *Quos præſcivit, & prædeſtinavit: quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit* i.

z Rom. 10, 14. &c.
a Exod. 21, 6.
b Exod. 29. 20, & 20.
c Pſ. 39. 7. &c.
d 2. Timoth. 2. 19.
e ex Apoc. 21. 27.
f Dion. Carth. art 2. in 2. Timoth. 2. 19.
g Matth. 4. 19. &c.
h Gal. 1. 5. & 16.
i Rom. 8. 29. & 30.

Vultiſne videre aliquas ex animabus iſtis prædeſtinatis, è ſanctis ovibus iſtis? Videte Magdalenam: *Vt cognovit* k. Id eſt, ſtatim ac audivit vocem Paſtoris ſui, nullâ interpoſitâ morâ omnia dereliquit, luxum, vanitatem, pompam, & delicias, quibus paſcebatur in prato voluptatum crimìnoſarum, *Et ecce, mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, dilexit multùm.* Ipſa erat una ex ovibus electis, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Intuemini S. Paulum, qui dixit jam ſuprà, *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, continuò non acquievi carni & ſanguini.* Illico nullâ habitâ rationæ Synagogæ, carnis & ſanguinis, vocanti me morem geſſi. Ipſe erat inſtar lupi rapacis, quippe qui ortus *de tribu Benjamin* l. Et, *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia* m. Videte quomodo eum vicit *Leo de tribu Iuda* n. Nimirum, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principium Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens, ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere* o? Nullo modo reſtitit, ſed ſtatim obedivit, *Moxque in verba perfectæ converſionis ac plenæ obedientiæ prorupit, dicendo, Domine, quid me vis facere? Tanquam dicat, Tuum eſt imperare, meū parére, Quidquid placuerit tibi, injunge, ad omnia ſum paratus,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus p. Iſtud peractum eſt in itinere, ut *Ananias imponens ei manus, dixit, Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in viâ, quâ veniebas: ut implearis Spiritu ſancto.* Hæc converſio fieri debebat *in viâ* patenti, quia S. Paulus tanquam via ducere debebat populos ad Deum: ut ipſe *Dixit ad eum*, id eſt, Ananiam *Dominus, Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël.* Ipſe erat velut ovis vera: obedivit enim ſine morâ confeſtim ac *audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris?* & vocantem ſe ad converſionem. Sed quomodo crederetis, quòd S. Paulus vocet ſe? Nominat ſe abortivum, *Noviſſimè autem omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi* q. Id eſt, *Proficiſcenti Damaſcum. Abortivum autem vocatur proles, quæ extra debitum vel congruum tempus naſcitur, vel cum violentiâ de ventre educitur. Ideò ſe comparat Apoſtolus abortivo. Quia quâdam coactione converſus eſt, Scilicet per terrorem, & minas,* ait Dionyſius Carthuſianus r. Abortiva proles igitur in lucem prodit magna vehementiâ, quæ facit ut matres enitantur ante tempus conveniens, vel vi imaginationis, cujus impetu, vel immodi-

k Luc. 7. 37. &c.
l Rom. 11, 1.
m Gen. 49, 27.
n Apoc. 5. 5.
o Act. 9. 1. &c.
p Dion. Carth. art 9. in Act. 96.
q 1. Cor. 15, 8.
r Dion. Carth. in art. 15. 1. Cor. 15, 8.

co deſiderio pariendi fœtus ſui, illum parturiunt ante tempus ordinarium: ſic S. Paulus venit in Eccleſiam ut abortivus, impetu gratiarum quæ fuerunt ipſi communicatæ: illius enim converſio non fuit communis, lumine extraordinario fuit ipſe illuſtratus, *Et ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo*. Imò verò cæcitate percuſſus eſt corporeâ, ut perſpicacior efficeretur quoad mentem, *Apertiſque oculis nihil videbat*. Magnus interfuit ibi impetus, nam cùm erat *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini*; ipſe Dominus illum ephippio excuſſit, *Et cadens in terram*. Videbatur tunc non fuiſſe tempus converſioni illius agendæ opportunum: & tamen extra tempus conveniens ut abortivus natus eſt Eccleſiæ impetu extraordinario gratiarum, *Cùm autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni & ſanguini*. Ipſe fuit ut vera ovis: audiens enim vocem Paſtoris ſui, ſtatim illi obedivit. Hæc obedientia eſt primus character animæ prædeſtinatæ.

Dicite mihi nunc, Auditores. Habetiſne hunc charactêrem obedientiæ? Quoties Paſtor veſter vocavit vos, & tamen dignati non eſtis illi reſpondere? Quot inſpirationibus, concionibus, exemplis ſalutaribus ſolicitavit corda veſtra ad converſionem, & nihilominùs iſtis omnibus motionibus internis, & monitis externis, æquè ac proficuis dormiviſtis? *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* s. Quot infideles deſtituti tot mediis operandæ saluti opportunis, quibus eſtis vos donati, ſi vocati fuiſſent eo modo quo vocavit vos Deus, mirabilia peregiſſent, *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent. Veruntamen Tyro & Sidoni remiſſius erit in judicio, quàm vobis* t. Non eſtis igitur oves veræ: propterea *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, & congregabuntur ante eum omnes gentes, ſeparabit* vos tanquam reprobos, *ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis: & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem* vos *à ſiniſtris* u. Deus expectabat à vobis bonos fructus, nimirum fructus ſanctitatis: ideò plantaverat vos in ſolo Eccleſiæ ſuæ, ſicut in eo ab illo plantatus eſt quilibet fidelis, *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo* x. Et ſicut pinguedine circumdatur arbor, ut uberiores fructus producat: ita *adipe frumenti ſatiat* y nos in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Jeſus Chriſtus, dicens, *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Ut producamus fructus vitæ æternæ, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* z. Et ſicut irrigantur arbores: ſic irrigavit nos, *& lavit nos a peccatis noſtris in Sanguine ſuo* a in balneo ſalutari Baptiſmatis, quod totum ſuum deſumit valorem è meritis ipſiuſmet Chriſti, in quo nimirum Baptiſmo renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* b. Et ſicut purgantur arbores, & reſecatur ab eis omne quod eſt in ipſis ſuperfluum, & impedire poteſt ne id quod in ipſis eſt bonum, producat fructus ita Dei Filius reſecat à nobis id omne quod obeſſe poteſt noſtræ ſanctificationi c. Et tamen non habemus niſi folia apparentiarum, & pietatis ementitæ. Religio debet eſſe interior, *in Spiritu, & veritate* d. Cavete ne vos, tanquam ficus infructuoſas e æternâ maledictione damnet *in ignem æternum* f. Eſtote igitur veræ oves, & obedite Paſtori veſtro. Ecce primus character:

Secundus character animæ prædeſtinatæ eruitur ex eâdem ove, ex puritate & fœcunditate ejus ſimul. Caſta eſt, æquè ac fœcunda ovis: propterea in primitivâ Eccleſiâ in nuptiis dabatur ſponſis teſſera, agni charactêre inſignita, ut edocerentur quòd deberent vivere in caſtitate, ſicut iſtud animal, ut haberent in caſtitate ſuâ fœcunditatem. Quòd fœcunditas ſit in puritate, manifeſtum eſt. Quid purius intellectu Patris æterni? Et tamen generat Verbum, quod ipſe producit ſimile ſibi, ut ipſummet Verbum teſtatur, *Ego & Pater unum ſumus* g. Æquè ac Pater ait Filio, quem gignit in puritate, *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* h. Spiritus ſanctus eſt principium totius puritatis, & ſanctificationis, *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in Spiritu Dei noſtri* i. Quid autem eo fœcundius? *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* k. Id eſt, *Cum aurâ calidâ, quam à ſe ſpargebat, aquis quaſi incubabat Spiritus ſanctus, eiſque vim prolificam indebat, ut reptilia, volatilia, piſces, & germina, imò cœli omnes ex aquis producerentur*, ait Cornelius l. Qui ſubdit, *Allegoricè hic ſignificatur Spiritus ſanctus aquis Baptiſmi quaſi incubans, iiſque nos parturiens, & regenerans*, *inquit S. Hieronymus* m. Et Filius Dei, *Verbum caro factum* n *ubi venit plenitudo temporis* o, nonne Divinam habet puritatem? *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* p. Quotnam filios facit adoptivos? *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* q. Quotnam animas lucratus eſt Patri ſuo? *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Paſtor* r. Nunquid non *facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*? ait S. Auguſtinus s. Nimirum, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua* t. Unde ortus eſt Baptiſmus, in quo regeneramur *ex aqua & Spiritu ſancto* u Virgo verò ſanctiſſima nonne eſt pura? imò verò ipſo Sole purior? *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* x. Et tamen ipſa *peperit Filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus Jeſum* y, qui eſt Deus & homo. Ad quod conformiter S. Anſelmus z puritati Deiparæ devotiſſimus dixit, *Decebat ut illius hominis conceptus de Matre puriſſima fieret eâ puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi*. Sic Sponſus ſacer ait illi, *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis* a. Et animæ ſanctæ nunquid non ſunt puræ, & fœcundæ in puritate ſuâ? Quotnam virtutes ipſæ non exercent? Non eſt aliquid quod ipſis magis diſpliceat, quàm impuritas; quodque ipſas magis anxiet, quàm hæc tentatio, quam diabolus inſpirat. S. Paulus purus erat, ſed quàm dirè fatigabatur, *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, ut me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur* b. Sic oportet ut aliquis ſit purus, ad hoc ut accedat ad Deum, qui eſt origo totius puritatis,

cùm

s Prov. 1. 24, & 25.
t Luc. 10. 13, & 14.
u Matth. 25. 31. & 32.
x Pſ. 1, 2.
y Pſ. 147. 3.
z Joan. 6. 52. &c.
a Apoc. 1, 5.
b Joan. 3, 5.

c Coloſſ. 3, 5.
d Joan. 4. 14.
e Marc. 11, 13 & 14.
f Matth. 25. 41.
II. Pars.
g Joan. 10 30.
h Pſ. 109. 3.
i 1. Cor. 6, 11.
k Gen. 1. 2.
l Cornel. in Gen. 1, 2.
m ex S. Hier. Epiſt. 83. Oceanonum 16.
n Joan. 1. 14.
o Galat. 4. 4.
p Sap. 7. 26.
q Joan. 1. 12.
r Joan. 10. 16.
s S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103.
t Joan. 19. 34.
u Joan. 3. 5.
x Cant. 4. 7.
y Matth. 1. 25.
z S. Anſel. lib. de Concep. Virgin. c. 18 citat à S. Bon. ſerm. 1. de B. V. M.
a Cant. 7. 2.
b 2. Cor. 12. 7. &c.

cùm non ſit aliquid quod ita elonget à Deo ac imputitas : ideò probatæ vitæ homines Deum orant, metuentes vitium iſtud. Eſt igitur character prædeſtinationis puritas & fœcunditas ſimul, quam utramque obſervamus in ove, quæ ſingulis annis agnum parit.

Deus promiſit Abrahæ, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris* c. Per *ſemen* intelliguntur Iſraëlitæ, videntes Deum, Electi puri & fœcundi inſter ſtellarum, quarum influentiis, æquè ac luminibus non eſt aliquid purius ac fœcundius, cùm fœcundent terram, quæ alioquin eſſet ſterilis : ſic ſine orationibus Iuſtorum, terra eſſet deſolata : quilibet Prædeſtinatus eſt *lucerna ardens, & lucens* d, fœcundans. Reprobi verò ſignificantur per *arenam quæ eſt in littore maris*, quæ ſterilis eſt, quæ eſt ludus ventorum, & ſemper eſt agitata, *Impij autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum* e. Præterea, Arena prætereuntibus moleſtiam infert ; ſic reprobi Juſtorum virtutem examinant, *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur : aut ideò vivit, ut per illum Bonus exerceatur*, ait S. Auguſtinus f. Examinate voſmetipſos, Auditores. Eſtiſne è numero Prædeſtinatorum ? Eſtiſne puri, caſti, & fœcundi in bonis operibus ? Non eſtis ? Prava conſequentia : Igitur eſtis hirci fœtidi, & abominabiles, non autem oves : ergo vos Deus *ſeparabit, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis* g.

III. Pars. Tertius character animæ prædeſtinatæ eſt ut ſit inſtar ovis deſtinatæ ad occiſionem. In hoc eſt ſita gloria victimæ, ut immoletur, deſtruatur, & veluti ad nihilum redigatur coram Deo, & propter obſequium & honorem Dei: oportet etiam, ut omnia ſe deſtruant , & quaſi ad nihilum redigant coram Deo : propterea Ieſus Chriſtus ſeipſum immolavit ut victimam , & ſe veluti redegit ad nihilum propter honorem & gloriam ejus triplici modo. Primò, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit* h. Id eſt, *Qui Chriſtus, cùm in formâ Dei eſſet, id eſt, veram Deitatem haberet, ſeu unius cum Patre eſſentiæ eſſet, ſecundùm quod ait, Ego & Pater unum ſumus* i, *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, id eſt, ſentiendo ac aſſerendo, ſe eſſe æqualem Deo, non uſurpavit neque aſcripſit ſibi ipſi quod ſuum non erat, quia verè ſic fuit, ſicut arbitratus eſt. Ideò non commiſit rapinam, vocando ſe verum Deum, quia nil à ſe alienum ſibi ipſi aſcripſit, quemadmodum Lucifer, dicens, Similis ero Altiſſimo* k, *conatus eſt facere rapinam. Chriſto igitur non rapina, ſed natura eſt, eſſe Deo æqualem, coæternum, & conſubſtantialem. Propter quod ipſe ait, Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt* l. *Et alibi, Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt* m. *Hoc eſt Divina Eſſentia, quam totam Pater transfudit in Filium. Sed ſemetipſum exinanivit, id eſt, vehementer ſe humiliavit*, ait Carthuſianus n, Et quaſi annihilavit, efficiens ſe non ſolùm hominem , ſed etiam *noviſſimum virorum* o. Et ideò cùm prout Deus non haberet unde ſe immolaret , propterea carnem ſumpſit humanam, ut deſtrueretur ſicut hoſtia, ut elevans ſe ſupra ſeipſum , manifeſtaret gloriam Patris ſui, coram quo omnia entia deſtrui deberent, *Sicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* p. *Id eſt in ſuavem odorem, videlicet in holocauſtum acceptiſſimum atque gratiſſimũ Deo.*

c Gen. 22,17.
d Ioan. 5. 35.
e Iſai. 57. 20.
f S. Aug. in Pſ. 54.
g Matth. 25, 32.
h Philipp. 2, 6. & 7.
i Ioan. 10. 30.
k Iſai 14. 14.
l Ioan. 6. 15.
m Ioan. 10, 29.
n Dion. Carth. art. 2. in Philipp. 2. 6.
o Iſai. 53. 3.
p Ephеſ. 5. 2.

Maximè enim placuit Deo oblatio Chriſti ex parte patiẽtis, nõ ex parte inferentis. Nam ex parte patientis, mors illa erat piiſſima, & ex ſummâ charitate aſſũpta: ſed ex parte inferentis, crudeliſſima erat, ſacrilega, & diſplicentiſſima Deo, ait idem Carthuſianus q. Secundò, *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis* r. Id eſt. *Egenus factus eſt in ſuâ incarnatione, & converſatione in hoc mundo. Propter quod ait, Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos : Filius hominis non habet ubi caput reclinet* s. *Natus quoque poſitus eſt in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio* t. *Cùm dives eſſet, in Divinâ Naturâ habens omnium bonorum atque pulchrorum plenitudinem infinitam, ſimpliciterque perfectam, ut illius inopiâ, id eſt, merito paupertatis Chriſti, vos divites eſſetis, id eſt, ſpiritualem bonorum copiam conſequeremini. Nam Chriſti incarnatio, noſtra deificatio eſt : Chriſti converſatio, noſtra eſt perfectio : Chriſti penuria, noſtra eſt opulentia*, dicit idem Carthuſianus u. Tertiò, *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* x. Id eſt, ut ait idem Carthuſianus y, *Factus obediens Patri uſque ad mortem, non qualemcumque, ſed turpiſſimam, horribiliſſimam, ac amariſſimam, ſicut ſubjungitur, Mortem autem crucis. Mors enim crucifixorum graviſſima eſt, quia in locis nervoſis transfiguntur. Chriſtus autem inter latrones* z *ſuſpenſus eſt, & toto corpore violentiſſimâ laceratione diſtentus, intantùm ut dicat, Dinumeraverunt omnia oſſa mea* a. In quo deſiit ipſe aliquo modo eſſe, *tanquam ovis ad occiſionem ductus* †, & holocauſto conſumptus. Et ſicut *ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* b, oportet etiam ut nos, *quia membra ſumus corporis ejus* c, immolemur more victimarum , ſi præ nobis verè velimus ferre charactéres Prædeſtinatorum, *Sicut oves occiſionis* d. Scilicet, ut exponit idem Carthuſianus e, *Æſtimati à perſecutoribus & perverſis hominibus reputari, & ſprett ut oves occiſionis, id eſt, ſicut oves, quæ occiduntur, ut lana earum & carnes in uſum occidentium veniant.* Audite quid dicat S. Paulus f de his Electis, *Secti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt*, &c. Alij per mortificationes, & abnegationes g ſe deſtruxerunt. Alij *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* h, ac amorem proprium & animalem ſpiritui ſubjicientes, ut ſoli Chriſto viverent, dicentes, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus* i. Poſtquàm ab ipſis ſuus *vetus homo ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultrà non* ſervirent *peccato* k.

Quartus & præcipuus character prædeſtinationis eſt manſuetudo, ut nimirum Prædeſtinati ſint manſueti ut oves, & benefaciant ijs qui ipſis maleſaciunt : tondetur enim ovis, & tamen obmuteſcit : lanam ſuam præbet ſpolianti ſe, & nihilominùs non queritur. Ideò de Chriſto, *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute* l, *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* m; prædixit Iſaias n, *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum* o. Quemadmodum re verâ hæc prophetia adimpleta eſt, *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt : & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum* p. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur* q. Imò verò nec loquebatur, injuriis affectus. Sed fallor : loquebatur quidem, ſed in gratiam inimicorum ſuorum, quibus à Patre ſuo impendendam efflagitabat indulgẽtiam mortis ab illis ſibi conciliatæ, dicens ei, *Pater dimitte illis : non enim ſciunt*

quid

q Dion. Carth. art. 3. in Epheſ. 5, 2.
r 2. Cor. 8, 9.
s Matth. 8. 20.
t ex Luc. 2, 7.
u Dion. Carth. art. 8. in 2. Cor. 8, 9.
x Philipp. 2, 8.
y Dion. Carth. art. 2. in Philipp. 2, 8.
z ex Matth. 27, 38.
a Pſ. 21. 18.
† Act. 8. 32. ex Iſai. 53. 7.
b Coloſſ. 1, 18.
c Epheſ. 5, 30.
d Rom. 8. 36. ex Pſ. 43, 22.
e Dion. Carth. art. 12 in Rom. 8, 36.
f Hebr. 11, 37. &c.
g Coloſſ. 3. 5.
h 2. Cor. 10, 5.
i Galat. 2, 20.
k Rom. 6, 6.
IIII. pars.
l Rom. 1, 4.
m Rom. 8, 29.
n Iſai. 53, 7.
o & ex Matth. 26, 63. & 27, 14.
p Act. 8. 32.
q 1. Petr. 2. 23.

r Luc. 23. 34. *quid faciunt* r. Propterea ait, *Diſcite à me quia mitis ſum* s. Ipſe eſt Prototypon manſuetudinis: &
s Matth. 11, 29. hæc manſuetudo eſt character prædeſtinatorum.
t 1. Cor. 4. 12. & 13. Auſcultate S. Paulum t ſic loquentem, *Maledicimur; & benedicimus: perſecutionem patimur; & ſuſtinemus: blaſphemamur; & obſecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus. Id eſt, reputamur à perfidis, quaſi immunditiæ quædam, inficientes hunc mundum. Idcircò cùm occidimur, putant mundum purgari ab hominibus peſtilentibus. ſicque efficimur*
u Dion. Carth. art. 4. in 1. Cor. 4. 13. *mundi purgamenta*, ſubdit Carthuſianus u. Audite alium Prædeſtinatum, puta S. Stephanum dicentem Deo in gratiam inimicorum ſuorum, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum* x. *Secutus eſt autem*
x Act. 7, 59. *Stephanus documenta, & opera Chriſti tam ſublimiter, quàm conformiter implens quod docuit Chriſtus, Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos* y. *Et ſe-*
y Matth. 5. 44. *quens quod egit in Cruce, Pater, inquiens, ignoſce illis*, ſubdit idem Carthuſianus z. Mititas eſt ſig-
z Dion. Carth. art. 7. in Act. 7. 59. num præcipuum, quod oſtendit animam eſſe verè deſtinatam ad gloriam.

Hoc autem eſt præceptum quod Filius Dei, qui eſt ipſa Manſuetudo, omnibus facit fidelibus, dicens eis, *Mandatũ novum do vobis, ut diligatis invicem: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc*
a Joan. 13. 34. & 35. *cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem* a. *Quamvis enim per alias quaſdam virtutes hoc poſſit cognoſci, videlicet per humilitatem & veram patientiam, per audientiam*
b ex Luc. 11, 28. & ex Joan. 8, 47. *verbi Dei* b, ait Dionyſius Carthuſianus c, *maximè tamen per dilectionem cognoſcitur, cùm ipſa ſit vita animæ, origo, forma, & finis virtutum, pertinens maximè ad gratiam gratum facientem.* Denique, *Si-*
c Dion. Carth. art. 34 in Joan. 13. 35. *cut apud Matthæum* d *loquitur Chriſtus, Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: nec ait, Diſcite à me mundum creare, miracula facere, dæmonibus*
d Matth. 11, 29. *imperare, cordium arcana cognoſcere: ſic loco præſenti diſſeruit. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem. Et non ait, Si miracula feceritis, ſi omnium gentium linguas noveritis, ſi dona prophetiæ, ſapientiæ, ſcientiæ ſortiti fueritis, vel alia qualibet bona ad gratiam gratis datam ſpectantia, quoniam omnia hæc Bonis & malis extant communia. Quo docemur ſuper omnia & in omnibus dilectionem exquirere, cuſtodire, & conſummare, ſine quâ nihil nobis prodeſt, vel ſufficit*
e 1. Cor. 13, 2. *ad ſalutem. Propter quod dicit Apoſtolus* e, *Si habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Poſtremò, Et hoc intuendum, quòd qui unum hominem odit, nec Deum, nec aliquem alium, neque ſeipſum veraciter diligit: eſt enim in mortali peccato. Ideò omnem hominem quantumlibet adverſantem, a-*
f ex Matth. 5, 44. *mare neceſſe eſt* f. Iſtud autem mandatum præ ſe nullam fert difficultatem quantùm ad animas ad gloriam deſtinatas, *Et mandata ejus gravia non*
g 1 Joan. 5, 3. *ſunt* g. Cujus rationes reddit idem Carthuſianus h, dicens, *Primò, Quia virtutes, de quarum*
h Dion. Carth. art. 7. in 1. Joan. 5. 3. *actibus dantur præcepta, ſunt ex ſuâ naturâ ſuaves & convenientes, habentque delectationes ſinceras actibus ſuis annexas. Secundò, Ex adjutorio Dei, qui per dona gratiæ, præſertim per charitatem, hominem ſic confortat, inflammat, & conſolatur, ut ei dulceſcat via ſalutis, & obſervantia præceptorum: imò eum ingenti alacritate & gaudio illa adimpleat. Propter*
i Pſ. 118, 14. *quod ait Propheta, In viâ teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis* i. *Et, Viam man-*
k Pſ. 118. 32. *datorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum* k.
l Pſ. 99. 2. *Iterùmque hortatur, Servite Domino in lætitiâ* l. *Tertiò, Ex inæſtimabili magnitudine præmii deſuper repromiſſi: cujus reſpectu omnis labor, & omnis difficultas, & pœna vitæ præſentis eſt tanquam momentum. Propter quod dicitur, Conſideratio præmii minuit vim*
flagelli. Paulus m quoque, Id inquit, quod in præſenti m 1. Cor. 4. 17.
eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hinc ait Salvator, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve n. Hæc di- n Matth. 11. 28. & 30.
lectio & manſuetudo oſtendit quiſnam ſit verus & præcipuus character qui facit hominem diſcipulum Jeſu Chriſti, qui eum ideò collocat in ovili ovium ipſius, quibus communicare vult gloriam ſuam; eumque diſtinguit ab hircis fœtidis & infamibus, id eſt, à reprobis, quos idem Chriſtus, *qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mor-*
tuorum o, *cùm venerit in majeſtate ſuâ, & omnes* o Act. 10, 42.
Angeli cum eo, & congregabuntur ante eum omnes gentes, ſeparabit ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis: & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim; & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram; & collegiſtis me: nudus; & operuiſtis me: infirmus; & viſitaſtis me: in carcere eram; & veniſtis ad me. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus. Eſurivi enim; & non dediſtis mihi manducare: ſitivi; & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram; & non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me: infirmus & in carcere; & non viſitaſtis me. Et ibunt hi in ſup- p Matth. 25, 34, &c.
plicium æternum: Iuſti autem in vitam æternam p.
Unde videtis differentiam quam dilectio & manſuetudo conſtituit Electorum à reprobis. Intuitu iſtius ſigni cognoſcet unuſquiſque quiſnam ſit diſcipulus Jeſu Chriſti, edoctus in ſcholâ ejus, & è numero illorum, quibus *dedit poteſtatem*
filios Dei fieri q adoptivos per gratiam in hoc ſæ- q Joan. 1. 12.
culo, quibuſque reſervat poſſeſſionem gloriæ communicare in alio, juxta verbum iſtud, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Iſtam à nobis exigit Deus dilectionem & manſuetudinem, quam prius ipſe
nobis eſt impertitus, ut ait S. Auguſtinus r, *Hanc* r S. Aug. tract. 65. in Joan. 13. 34. & 35.
dilectionem nobis donat ipſe qui ait, Sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Ad hoc ergo nos dilexit, ut & nos diligamus invicem: hoc nobis conferens diligendo nos, ut mutuâ dilectione conſtringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexa membra corpus tanti Capitis ſimus. In hoc cognoſcent, inquit, omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Tanquam diceret: Alia munera mea habent vobiſcum etiam non mei, non ſolùm naturam, vitam, ſenſum, rationem, & eam ſalutem, quæ hominibus pecoribuſque communis eſt, verùm etiam linguas, Sacramenta, prophetiam, ſcientiam fidem, diſtributionem rerum ſuarum pauperibus, & traditionem corporis ſui, ut ardeant: ſed quoniam charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil ſunt, nihil
illis prodeſt s. *Non ergo in illis quàmvis bonis mune-* s ex 1. Cor. 13. 1. &c.
ribus meis, quæ habere poſſunt etiam non diſcipuli mei: ſed in hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Hanc eandem veritatem aliis terminis confirmat idem S.
Joannes t, *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii dia-* t 1. Joan. 3. 10.
boli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum. Et poſt illum idem S. u S. Aug. tract. 5. in 1. Joan. 3. 10.
Auguſtinus u, dicens, *Certè jam manifeſtum eſt unde dicat, Et qui non diligit, inquit, fratrem ſuum.*
Dilectio

Dilectio ergo ſola diſcernit inter filios Dei & filios diaboli. Signent ſe omnes ſigno Crucis Chriſti. Reſpondeant omnes Amen. Cantent omnes Alleluja, baptizentur omnes, intrent omnes Eccleſias, faciant parietes baſilicarum, non diſcernuntur filii Dei à filiis diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo x*: qui non habent, non ſunt nati ex Deo. Magnum judicium, magna diſcretio. Quidquid vis habe: hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt. Alia ſi non habeas, hoc habe, & impleſti Legem. Qui enim diligit alterum, Legem implevit, ait Apoſtolus* y*: & plenitudo Legis, charitas.* Ratio autem differentiæ iſtius eſt, quia Deus diligit nos, *In charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te miſerans* z. Diabolus verò nos odit, ut ait S. Petrus a, exhortans fideles ut caveant ab inſidiis illius, dicens eis, *Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Cui reſiſtite fortes in fide.* Et ideò dilectio proximi noſtri eſt verus ſpiritus Dei, & præcipuus character prædeſtinationis noſtræ: odium verò eſt ſpiritus diaboli, & ſignum infame reproborum.

x ex Ioan. 1. 13.
y ex Roman. 13. 8. & 10.
z Ier. 31. 3.
a 1. Petr. 5. 8.

Hanc ſuam corroborat idem S. Joannes b rationem, hortans nos ad praxim manſuetudinis & dilectionis ſacræ Prædeſtinatis conſonæ, cùm ait, *Chariſſimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas eſt. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Si diligamus invicem: DEUS in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Quæ ultima verba ſic exponit Dionyſius Carthuſianus c, ad propoſitum noſtrum: fusè enim explicatis iis quæ præcedunt in eâdem Epiſtolâ, & quorum fuſiorem interpretationem omittimus brevitatis ergo, dicit, *Deinde ponit effectum & ſignum charitatis iſtius infuſæ, In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, id eſt, charitas Dei exiſtens in nobis perfecta eſſe cognoſcitur per hoc, ut fiduciam habeamus in die judicii, id eſt, diem judicii tam univerſalis, quàm particularis, quo ſtatim poſt mortem judicandi ſumus, fiducialiter, ſeu bonâ conſcientiâ expectemus, confidenter quòd tunc beatitudinem conſequamur. Charitas namque contra terrorem judicii confidentiam donat, quoniam amor adventum amati facit optare, & de ejus præſentiâ gloriari. Ideò loquens Salvator de ſignis terribilibus judicium præceſſuris diſſeruit, His fieri incipientibus, levate capita veſtra, quia appropinquabit redemptio veſtra* d. *Verumtamen nullus, quantumlibet juſtus & fervens, debet eſſe nimis ſecurus, cùm aſſerat Auguſtinus, Erunt tunc ſecuri, qui modò non ſunt ſecuri. Et iterùm, Tunc timebunt, qui modò timere nolunt. Charitas autem immoderatum & anguſtiantem timorem judicii tantò plus tollit, quantò ipſa plus creſcit, ſincerior que efficitur. Quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Id eſt, per charitatem intantum Deo aſſimilamur, quia ſicut ipſe eſt in cœlo ex ſuâ charitate & pietate bonis & malis, gratis & ingratis, in ſeculo iſto multa bona impendens, videlicet neceſſaria victus, conſervationem vitæ, Angelorum cuſtodiam, Solis ac Lunæ obſequium, elementorum ſervitutem & uſum: ita & nos in ſeculo per charitatem amicos, adverſarioſque diligimus, pro perſequentibus deprecamur, & bona pro malis rependimus. Quod cùm nos experimur implere, poſſumus horam judicii fiducialiter præſtolari. Hinc monet Salvator, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos* e. *Et eritis filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos* f.

b 1. Ioan. 4. 7. &c.
c Dion. Carth. a. 6. in 1. Ioan. 4. 17.
d ex Luc. 21. 28.
e Matth. 5. 44.
f Luc. 6. 35.

Si autem, quod abſit, non eſt in nobis hæc manſuetudo, quæ eſt character præcipuus Prædeſtinatorum, iſta dilectio, quam exigit à nobis Deus, ut inter filios ipſius adoptivos collocemur in hoc ſeculo, & gloriâ ipſius potiamur in altero; nec conſequenter ſumus è numero ovium ipſius, quid ſupereſt, niſi ut ſtatuamur inter hircos infames & fœtentes reproborum, & ideò cum illis damnandi ſimus *in ignem æternum* g? Cùm verum ſit id quod ait idem diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* h. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem* i. *Id eſt, nullus homicida habet vitam in ſe beatam, imò miſer & impius eſt, ſpiritualiter mortuus, vitâ gratiæ deſtitutus, & vitâ gloriæ prorſus indignus: nec Deum, qui eſt Vita æterna, increata, & ſupereſſentialis, habet in ſe manentem per fidem formatam: ſed diabolum habet cor ſuum excæcantem, ac poſſidentem, atque in eo regnantem*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k.

g Matth. 25. 41. &c.
h Ioan. 21. 20.
i 1. Ioan. 3. 14. & 15.
k Dion. Carth. a. 4. in 1. Ioan. 3. 15.

Cùm igitur, Auditores, veri charactêres prædeſtinationis ſint obedientia, puritas & fœcunditas ſimul, immolatio, & manſuetudo, quæ ſunt ovibus propriæ: obediamus voci Dei; fœcunditatem bonorum operum feramus; præ nobis, æquè ac puritatem; immolemus nos, & omnia quæ in nobis ſunt, ad obſequium Deo exhibendum; præcipuè verò colamus manſuetudinem, ſanctam proximis noſtris impendentes charitatem, *ut filii Patris, qui in cœlis eſt* l, eſſe poſſimus in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam.

l Matth. 5. 45.

FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Et eccè mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Et Ieſus converſus ad mulierem, dixit Simoni, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Luc. 7. 37. &c.

Difficile eſt ſiſtere torrentes impetuoſos, ſed ſanè non ita difficile ut coërceri non poſſint: at difficilius eſt moderatu linguam, cujus fluxus & pruritus nullum patitur frænum, *Conceptum ſermonem tenere quis poterit a?* Oportet, Auditores, ut communicem vobis conceptum, quem iſtis formavi matutinis horis: & ingenuè vobis fateor, quòd maximâ afficerer moleſtiâ, niſi præberem vobis illius notitiam: & neſcio utrùm blanditurus mulieribus, ſim futurus viris importunus. Obſervate autem, ſi placet, quòd quotieſcumque hâc Quadrageſimâ tractatum eſt de viris, nullus ferè unquam præbitus eſt illis acceſſus propitius ad Filium Dei, qui excepit illos dirè, tanquam latrones, deicidas, &c. *Aſcendit Ieſus Ieroſolymam & invênit in templo vendentes boves, & boves, & numularios ſedentes, & cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo* b. Et, *Quid me quæritis interficere* c? &c. Circa initium Quadrageſimæ Dei Filius vocavit Chananæam, mulierem magnæ fidei, *O mulier, magna eſt fides tua* d. Circa medium, cum eodem Filio Dei fœdus init & matrimonium ſpirituale *mulier Samaritana, Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. Dicit ad eum mulier, Domine, Da mihi hanc aquam, ut non ſitiam* e. Circa finem verò, *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, conciliat ſibi cor Salvatoris. Ita ut mulieres conſecutæ fuerint id omne, quod petierint, Maria Magdalena, hæc *meretrix aſtris purior invenitur*, ait S. Chryſoſtomus f. Sed eſt altera Maria, quæ nulli unquam peccato fuit obnoxia, & cui ideo dictum fuit, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* g. Et hæc concepit in ſinu ſuo Salvatorem mundi, qui eſt *Sanctus Dei* h, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* i *Maria.*

a Iob. 4. 2.
b Ioan. 2. 13. &c.
c Ioan. 7. 20.
d Matth. 15, 28.
e Ioan. 4 9. &c.
f S. Chryſoſt. hom 6. de Pœnit.
g Cant. 4 7.
h Marc. 1, 24. & Luc. 4, 34.
i Luc. 1, 28. & 38

Miſericordia Dei omnibus divinis operibus vult præeminere, intendit illorum Præpoſitam generalem agere, & in fronte eorum ſe collocans, ſeſe intuendam præ maximo ſplendore vult exhibere, *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* k. Ipſa vult triumphare de juſtitiâ, ſiſtere omnes violentias ejus, & tantum illi indulgere libertatis, quantum ipſi placuerit, ita ut omnes inſultationes juſtitiæ quaſi regulentur & exigantur juxta licentiam plectendi ſibi datam à miſericordiâ, *Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur* l. Circumquaque cingit juſtitiam miſericordia, hæc illius quaſi obtundit aculeos: quod oſtendit nobis, nullum eſſe peccatum, quantumvis enorme, cui non poſſit indulgentia condonari; nec ullum eſſe peccatorem, cujus ſit *denigrata ſuper carbones facies* m, ſeu anima, cui, ſi ipſum ſuorum verè pœniteat peccatorum, hæc eadem ſua anima non reſtituatur ipsâ nive albior, ut ajebat Deo famoſus pœnitens intuitu divinæ miſericordiæ, cui confidebat, *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor* n. Propterea ait alter celebris pœnitens o ſuper alia verba ejuſdem Pſalmiſtæ: *Miſerator & miſericors Dominus: patiens, & multùm miſericors. Quantos enim ſuſtinet peccatores? Miſericors & miſerator Dominus, in his quibus veniam dedit: in his, quibus non dedit adhuc, longanimis, non damnans, ſed expectans, ipsâ expectatione clamans, Convertimini ad me, & convertar ad vos* p. *Et nimiâ longanimitate, Nolo, inquit, mortem impii, tantum ut revertatur, & vivat* q.

k Pſ. 144 9.
l Pſ. 114. 5.
m Thren. 4. 8.
n Pſ. 50. 9.
o S. Aug. in Pſ. 144 8.
p ex Malach. 3. 7.
q ex Ezech. 33. 11.

Ut autem de iſtâ certi ſimus omnino veritate, & præbeatur nobis fiducia futuræ veniæ nobis indulgendæ, proponit nobis Evangeliſta mulierem peccatricem criminibus ſcatentem, quæ plenam conſequitur veniam vitæ ſuæ anteactæ. Obſervate autem quòd Deus convertere voluit peccatores obnoxios trib⁹ generibus peccatorum enormiũ, & evulſu difficillimorum, qualia ſunt peccata furti; peccata virorum militarium, qui omnibus inſurgunt; & peccata carnis, à quib⁹, cùm ſint demulcentia, & naturæ noſtræ conformia, illi qui eis habenas laxant, vix ſeſe poſſunt expedire. Bonus Latro, nomine Dimas, converſus fuit quãdo Jeſus Chriſtus erat cruci ſuffixus ſuper monte Calvariæ. Saulus duob⁹ annis poſtquã Dei Filius aſcendit in cœlum. Magdalena verò converſa eſt, quandiu ille adhuc inter homines converſabatur, priuſquàm mortem oppeteret: hanc autem, æquè ac illos (quod eſt obſervatu dignum) convertit Salvator juxta inclinationem & propenſionẽ uniuſcujuſq; ex ipſis, æquè ac proprium exercitiũ. Quoad Dimam, occidit hunc Latronem in aëre quantùm ad corpus, ut tribuat ei vitam quantùm ad animam; illum apprehendit quandiu habebat brachia cruci alligata, & pedes ſtipiti adhærẽtes, nec ad ullam erat obſtrict⁹ reſtitutionem: alio enim tempore ſonaſſis jacturam ſuæ ſalutis incurriſſet, eo quòd non reſtituiſſet bona aliis erepta, cùm ita difficilis ſit executu reſtitutio: Dei Filius igitur apprehendit hunc Latronem in hoc ſtatu immuni ab his obligationib⁹, ut innocens interiret Dimas, qui abſq; ſcelere non vixerat. Quoad id quod ſpectat Saulum, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcũ ad Synagogas; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere* r. Quantùm ad Magdalenam, *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, diſſolutionibus & pravis amoribus ſuis immerſa, trahitur è Filio Dei ſuavibus lenociniis, propitiis aſpectibus, & viis conformibus ſexui & inclinationibus ipſius. Multùm laborat Dei Filius ad convertendos ſimiles peccatores ut oſtẽdat difficile eſſe converſũ homines hujuſmodi vitiis deditos. Ut convertat latronem, oportet ut illi ſeſe exhibeat intuendũ

r [illegible] &c.

toto

toto corpore lacerum, clavis perforatum, & ſanguine diffluentem, ac patibulo ſuffixum, *Et dicebat ad Ieſum, Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo s.* Ad convertendum vi- (s Luc. 23. 42. & 43) rum nullicarem violentiis & inſultationibus patrandis aſſuetum requiruntur voces cœleſtes, tonitrua minitantia, & terrore percellentia, ut Jeſus crucifixus deſcendat è cœlo, loquatur, & queratur de inſolentiis ejus, imò verò illum ephippio excutiat præcipitem, & proſternat. Ad redigendam verò famoſam peccatricē ad exercitium pœnitentiæ amplectendum adhibenda ſunt lenocinia ſuavia, & gratiæ ſpeciales. Hoc autem dico, Auditores, ne magni peccatores animum deſpondeant, ſed è contra ut confidant miſericordiæ Dei, qui diſſimulat *peccata hominum propter pœnitentiam t. Ecce, non eſt abbreviata manus Domini ut ſalvare nequeat, neq; aggravata eſt auris ejus ut non exaudiat u.* (t Sap. 11. 24.) (u Iſai. 59. 1.) Hodiernâ die Magdalena audit vocem Dei ſui, *Vt cognovit*, &c. (ex Num. 11. 23.) Ipſa ſequitur illum inſeparabiliter: & ſic ſalutem ſuam operatur: & hæc ſunt tria effecta, & tria ſigna certa animæ verè prædeſtinatæ, ut dicebam vobis heſternâ die, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis x.* (x Ioan. 10. 27. & 28) Hæc ſunt tria ſigna noſtræ prædeſtinationis, quæ videbimus in progreſſu diſcurſus iſtius.

(Diviſio. I. Pars.) Si Dei Filius aliquò pergit, illuc vadit propter commoda & utilitates illorum qui ipſum invitant. Si venit ad nuptias, ideò ut præveniat confuſionē, quā paterendi erant ſponſi defectu vini, exhibitione miraculi, *Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ: & erat Mater Ieſu ibi, Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent. Dicit Ieſus, Implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas uſq; ad ſummum. Et dicit eis Ieſus, Haurite nunc, & ferte architriclino. Vt autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, non ſciebat unde eſſet, miniſtri autē ſciebant qui hauſerant aquam y.* (y Ioan. 2. 1. &c.) Si venit *in domum Principis* Synagogæ Capharnaum, nomine Jairi, ideò ut ſuſcitet filiam ejus mortuam, *Et cùm ejecta eſſet turba, intravit: & tenuit manum ejus, & dixit, Puella ſurge. Et ſurrexit puella z.* (z Matth. 9. 23. & 25.) Si apud Zachæum diverſatur, propterea ut illum faciat filium Abrahami, *Ieſus dixit ad eum, Zachæe, hodie in domo tuâ oportet me manere. Et excepit illum gaudens. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum, Quia hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quod & ipſe ſit filius Abrahæ a.* (a Luc. 19. 5. &c.) Si tranſiens *Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me: & ſurgens ſecutus eſt eum: & in domo b* illius diſcubuit Jeſus, ideò ut illum è publicano faceret Apoſtolum c, & Evangeliſtam. (b Matth. 9. 9. & 10) (c Luc. 6. 13. & 15.) Si *ipſe intravit in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria; quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium d:* (d Luc. 10. 38. &c.) ideò ut duas ſorores iſtas ſuâ honoraret viſitatione. Si domum Lazari *venit Ieſus, & invênit eum quatuor dies jam in monumento habentem:* proptereà ut illum reſuſcitaret, *Voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus e.* (e Ioan. 11. 17. &c.) Hodiernâ verò die venit domum Phariſæi, ut amplectatur cauſam Magdalenæ, ut illam tueatur adversùs murmurationes ejuſdem Simonis, ut illam ſanctificet, & tribuat ei gratiam ſuam, *Rogabat illum quidam de Phariſæis ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe, dicens, Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum, Simon, vides hanc mulierem? Dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata. Fides tua te ſalvam fecit; vade in pace.*

Sed quodnam eſt illud myſterium? Auditores. S. Lucas loquitur de convivio, & ſtatim ait, *Et ecce mulier.* Quænā eſt iſta digreſſio? qualis eſt hæc figura? nedum deſcriberet diverſitatem ciborum, divitias ferculorum, & qualitatem convivarum, *Et ecce mulier.* S. Greg: f ait huic convivio interfuiſſe duplex genus ciborum. (f S. Greg. hom. 33. in Evang) Alii corporales erant. Alii autem erant ſpirituales. Ibi Phariſæus excipiebat Jeſum Chriſtum ut hominem, paſcebat humanitatem ejus; ſed Magdalena paſcebat divinitatē illius, *apud Phariſæum Veritas g paſcebatur foris; apud peccatricem mulierem ſed tamen converſam paſcebatur intùs.* (g ex Ioan: 14. 6.) Non erat hoc ſufficienter illam excipere, ac miniſtrare cibos corpori, Phariſæus excipiebat ipſum corporaliter, Magdalena verò excipiebat illum amore ſuo, qui eſt cibus quem ipſe maximè amat, quèq; plurimi æſtimat, & qui ſolus fuit cauſa quæ ipſum induxit ut iret comeſtum apud Simonē. Sic eſt, Auditores. Iſte fuit finis ejus, hoc fuit conſilium illius, hic eſt cibus quem ipſe eſurit, ut dicebat de Samaritanâ, cujus ſalutem eſuriebat, aut ſitiebat, *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me h.* (h Ioan 4. 34.) Si autem eſurit animarum, & ſitit, illarum ſalus operanda, eſt cibus ipſius, ac potus; & potus ipſius delicatiſſimus, non eſt alius niſi fletus. Propterea idem S. Greg: † loquens de lacrymis noſtræ Pœnitentis, ait, *Diſcite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubeſcit.* († S. Greg. hom. 33. in Evang) Et S. Chryſolog. * obſervat, quòd (* S. Chryſol. ſerm. 99.) præter apparatum ciborum ſpiritualiū huic convivio appoſitorum undiq; præclaro, non erat ipſa oblita ad illud perficiendum, eximium præparare concentū, ſciens appimè, ut edocta maximas urbanitatis, conſuetudinem Magnatum ſatagentium inſumendam muſicam inter convivia, quā ipſa obſervat, adhibens ſuſpiria ſua, & lacrymas ſuas, *Ad delicias Deitatis totas totā pulſat cordis ſui, & corporis ſymphoniam, & dum pectus ipſum conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare.* Egregiū convivium! *Et ecce mulier.* En primus greſſus quem peragit hæc *mulier, quæ erat in civitate peccatrix,* in via Pœnitentiæ. Incipit enim è radiu divini luminis, qui illuminans potentias animæ ejus, diſſipādo earum tenebras, illam deducit in viam ſalutis, *Vt cognovit.* Sed quid? Magnitudinem Jeſu Chriſti, & parvitatem ſuam; ſanctitatem Filii Dei, & crimina ſua; innocentiam Salvatoris, & ſcelera ſua; puritatē Meſſiæ, & ſordes ſuas; miſericordiā Redemptoris, & miſerias ſuas. Felix cognitio! *Vt cognovit.* Statim ac ipſa diſcit, & audit: non enim ipſa hoc ſciebat. Ecce primus effectus, prima nota prædeſtinationis, gratia quæ vocat, vocatio; *Vt cognovit.* Abſque ulla morâ, intuitu primi radii gratiæ, diſſipantis tenebras ipſius: licèt enim mulieres ſint fragiles, & faciles lapſu, non ſunt tamen reſurrectu difficiles: illę ſunt veluti arces, quę perſępè capiūtur

potiùs amore quàm vi; ſed etiam Deus multam non adhibet operam ad illas ſibi amore pariter conciliandas, *Vt cognovit.* Ipſæ deditionem ſubeunt ad primam agreſſionem, *ut cognovit.* Sicut viator, qui coactus ſiſtere in aliquâ ſylvâ propter adventum noctis, ob aërem fulguribus diſciſſum, turbinibus ac tonitruis perſtrepentem, ingreditur aliquam cavernam, quam fortè invenit obviam; noctem ibi tranſigit, ratus ſe ibidem benè ſecurum, gratias agit Deo pro eo quòd ſibi providerit hujuſmodi habitaculum in occaſione, in quâ de periculo vitæ ipſius tanto agebatur: ſed ſtatim ac Sol ſuos ſuper hemiſphærium noſtrum diffundit radios, & iidem radii hanc incipiunt illuminare cavernam, expellendo ab eâ tenebras; homo iſte ab illâ egreditur, & fugit ſtupore percitus, videns periculum manifeſtum, cui erat expoſitus inter ſerpentes, viperas, ſcorpiones, & alias beſtias venenatas: Magdalena inter tenebras peccatorum ſuorum ſe receperat in mundum, qui *mundus totus in maligno poſitus eſt* i. *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* k. Nimirum, ut exponit Dionyſius Carthuſianus *l*, *Quoniam omne quod eſt in mundo, id eſt, tota vitiorum congeries in carnalibus ac mundanis exiſtens hominibus, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, id eſt, triplex hæc inordinata affectio eſſentialiter, aut reductivè. Quia hæc tria ſunt quædam generales vitiorum radices, ad quas univerſa peccata quodammodo reducuntur: Vnde Beda hîc ſcribit, His vitiorum vocabulis omnia vitiorum genera comprehendit. Concupiſcentia namque carnis, eſt omne quod ad corporis voluptatem atque delicias pertinet. In quibus præcipua ſunt cibus, potus, concubitus. De quibus Salomon* m *ait. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, Affer, affer. Concupiſcentia oculorum eſt omnis curioſitas, quæ fit in diſcendis neceſſariis artibus, in inſpiciendis ſpectaculis turpibus, aut in accipiendis ſeu conſervandis temporalibus rebus ſuperfluis: aut obſervandis, cognoſcendis ſeu accuſandis vitiis proximorum. Superbia vitæ eſt cùm quis ſe jactat in honoribus. Per hæc tria homines tantùm tentãtur. Per hæc enim tria tentatus eſt Adam, & victus. Per concupiſcentiam ſcilicet carnis, cùm hoſtis cibum ligni vetiti ei monſtravit, eique ad conſentiendum perſuaſit. Per concupiſcentiam oculorum, cùm dixit, Scientes bonum & malum, & aperientur oculi veſtri. Per ſuperbiam vitæ, cùm ait, Eritis ſicut dii* n. *Per hæc etiam tria Chriſtus tentatus eſt, & vicit. Per concupiſcentiam carnis, cùm Satanas dixit, Dic ut lapides iſti panes fiant. Per concupiſcentiam oculorum, id eſt, curioſitatem, quando hoſtis ſuggeſſit, Mitte te deorſum. Per ſuperbiam vitæ, cùm dicere auſus eſt, hæc omnia (ſcilicet mundi Regna) tibi dabo, ſi cadens adoraveris me* o. *Itaque ad concupiſcentiam carnis pertinent joci, ludi, riſus, diſſolutiones, oſcula, & amplexus, comeſſationes, potationes, laſcivi contactus, & cætera vitia guſtus, ac tactus. Ad concupiſcentiam oculorum pertinent, cupiditas, avaritia, curioſitas. Ad ſuperbiam vitæ, ambitio ſeculi, deſiderium prælationis, excellentiæ appetitus, famæ, laudis, honoris inordinata affectio.* Magdalena, inquam, ſe receperat in mundum, qui eſt domicilium totius improbitatis. Qualis receptus! Magdalena inter noctem peccatorum ſuorum, inter tenebras omnium criminum (hoc enim innuit nomen ejus, *Peccatrix*, quod attribuit illi noſter Evangeliſta, & S. Marcus aſſerit, *ſeptem dæmonia* p *ex eâ fuiſſe ejecta à Filio Dei, Per quæ intelliguntur ſeptem peccata mortalia, quib⁹ ſuit repleta,* ait Dionyſius Carthuſianus *q*) rata ſeſe ibi ſecuram, vitam ſuam jucundè tranſigit inter oblectamenta, & circulos; ſed ſtatim ac *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* r incipit ipſam intimè pervadere, effundere primos radios gratiæ ſuæ in animam ipſius, inde ipſa egreditur, *Vt cognovit.* Suorum cognoſcit ipſa enormitatem criminum, periculum ſuæ ſalutis æternæ, mortem animæ ſuæ, & tot tantaque pericula, quibus ſe intuetur immerſam. Heu! ipſa ſtupet quomodonam ipſa vivere potuiſſet in hoc ſtatu periculoſo, ab omnibus exploſa & exibilata, & circumquaque proclamata ut *mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Heu! intuetur ipſa hæc omnia infortunia, pudore ſuffuſa fugit, *ut cognovit.* Sentiens ſe vulneratam, & cognoſcens quòd ageretur de ſalute animæ ſuæ, quærit Medicum animæ ſuæ, inſtar Sponſæ circumeuntis *civitatem, per vicos & plateas*, & petit à quibuſcumque obviis, *Num quem diligit anima mea, vidiſtis* s? *Vt cognovit* horrorem peccatorum ſuorum, ſcandalum vitæ ſuæ, periculum ſalutis ſuæ, jacturam honoris ſui, & damnationem animæ ſuæ; *ut cognovit* quantum ipſa offenderet Deum ſuum, quot ipſa profligaret animas, quot juvenes ad diſſolutionem induceret, quot familiarum ruinam machinaretur, & quantam progeniei ſuæ inureret injuriam, *ut cognovit*, quòd omnes de ipſâ in malam loquerentur partem, & quòd ipſa digito demonſtraretur ut *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, vitam ducens ſcandaloſam, abſque ullâ morâ, affectus ſequitur cognitionem, & effectus comitantur voluntatem efficacem, *Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia*, ait S. Ambroſius *t*. Ille enim qui veniam promiſit pœnitenti, non eſt ei pollicitus lucem craſtinam, dicit S. Auguſtinus *u*, fidelem alloquens, *Quia propter iniquitates tuas converſo tibi indulgentiam Deus promiſit* x, *ſed craſtinum diem tibi nemo promiſit.* Propterea occaſio arripienda eſt, & adeundi ſunt pedes Jeſu, ut eos adiit Magdalena.

Fronte capillatâ poſt tergum Occaſio calva eſt.

Felix cognitio, quæ reduxit filium prodigum domum paternam, *In ſe autem reverſus dixit, Surgam, & ibo ad patrem meum. Et ſurgens venit ad patrem* y. Sed quæ prius aperuit oculos Protoplaſtorum noſtrorum, *Et aperti ſunt oculi amborum* z, &c. Quæque Davidi fecit impendi veniam criminum ab ipſo patratorum *a*, *Et dixit David ad Nathan, Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatũ tuum, non morieris* b. Et quæ hodie recedere facit hanc mulierem peccatricem ex abyſſo vitæ profligatæ, cui ipſa erat immerſa, *Vt cognovit.* Non eſt in eâ *cras, cras, corui vox* c. Sed *ut cognovit*, eodem tempore, eâdem horâ, abſque dilatione. Poſtquam *fecit Noë omnia quæ præceperat illi Deus* d: *dixit Dominus ad eum, Ingredere in arcam: te enim vidi juſtum coram me in generatione hâc. Adhuc enim & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem ſubſtantiam quam feci, de ſuperficie terræ. Et ingreſſus eſt Noë in arcam propter aquas diluvii: & incluſit eum Dominus deforis* e. Sed quare clauſum eſt ipſi oſtium? Quia videbat quòd *omnis caro corruperat viam ſuam* f. Clauſum eſt igitur ipſi oſtium, ne contaminare-

i 1. Ioan. 5. 19.
k 1. Ioan. 2. 16.
l Dion. Carth. a. 3. in 1. Ioan. 2. 16.
m Prov. 30. 15.
n ex Gen. 3. 1. &c.
o ex Matt. 4. 1. &c.
p Marc. 16. 9.
q Dion. Carth. a. 19 in Lucæ 7. 37
r Eccleſia ex Malach. 4. 2.
s Cant. 3. 2. & 3.
t S. Ambroſ. lib. 2. in Luc. 1. 39
u S. Aug. ſerm. 19. de Verb. Dom. c. 9.
x ex Ezach. 18. 21. & 22.
y Luc. 15. 17. &c.
z Gen. 3. 7. &c.
a 2 Reg. 12. 2. &c.
b 2 Reg. 12. 13.
c S. Aug. ſerm. 16. de Verb. Dom. c. 11.
d Gen. 6. 22. &c.
e Gen. 7. 1. &c.
f Gen. 6. 12.

g Gen. 6. 9. miraretur hujuſmodi ſceleribus, quia *Noë vir juſtus atque perfectus fuit* g. Sic Magdalena, *ut cognovit*, clauſit oſtium ſuum omnibus ineptiis & diſſolutionibus præteritis, eas deſpexit & contempſit ſubitò, non expectando diem craſtinam, nec ignara illius, quod deinde docuit S. Auguſtinus b. h S. Aug. ſerm: 16. de Verb. Dom. c. 11. *Ipſa res eſt quæ multos occidit, cùm dicunt, Cras, cras: & ſubitò oſtium clauditur.* Ipſa non *remanſit ſoris cum voce corvinâ: quia habuit gemitum columbinum.* Si differatur ſalus uſque ad cras, magnum incurritur periculum profligandæ irreparabiliter ſalutis ſuæ, *Cras, cras, corvi vox. Geme ut columbus, & tunde pectus: ſed plagas tibi dando in pectus, caſus correctus eſto, ne non videaris conſcientiam cadere, ſed malam conſcientiam pugnis pavimentare, ſolidiorem reddere, non correcti correctiorem. Geme non inani gemitu. Neſcis quantùm victurus ſis. Eſto correctus, & ſemper paratus.*

II. Pars. Tracta fuit igitur Magdalena ſuavibus lenociniis Salvatoris: ſicut enim eloquentiâ præditus erat divinâ, *Nunquam ſic locutus eſt homo ſicut hic homo* i: i Ioan. 7. 46. ita incomparabilem præ ſe ferebat decôrem, *Speciosus formâ præ filiis hominum* k. k Pſ. 44. 3. Sic omnia trahebat ad ſe ſuavi voluptate, *Ut cognovit.* Hæc eſt prima nota prædeſtinationis, audire vocem Dei; ſed requiritur ſecunda: ſine iſtâ enim nunquam prima foret efficax. Parùm eſt vocari, etiamſi hæc vocatio ſit initium ſalutis noſtræ, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* l. l Rom. 9. 16. Sed cooperandum eſt huic vocationi medio auxilio ejuſdem gratiæ, ut hæc gratia reddatur efficax, & ſalus noſtra efficiatur certa; ſola gratia vocationis non ſufficit, ſed neceſſarius eſt concurſus noſter cum gratia Dei, *Non ego, ſed gratiâ Dei mecum*, ait S. Paulus m. m 1. Cor. 15, 10. Et S. Petrus †, † 2. Pet: 1, 10. *Quapropter, Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Oportet, ut ſequamur gratiam vocationis noſtræ: & hoc eſt quod perfecte peragit Magdalena auditâ voce Dei ſui, ipſa eum quærit, & efflagitat quiſnam ſit locus domicilii illius, *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie* n. n Cant: 1. 6. Non poteſt ipſa vivere deſtituta dulcedine divinæ præſentiæ ejus, *ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Hinc S. Chryſologus o ait, o S. Chryſol. ſerm. 93. *Ad pedes tendit ſemper, etiam veniam qui requirit.* Sacri pedes, ajebat illa gemendo, quomodo non amplecterer vos? quare non oſcularer vos, qui toties tanto labore me quæſiviſtis, & deperditam eripuiſtis me ex inferni faucibus? Adorande Salvator, refrigerium ardorum meorum, tranquillitas impetuoſiſſimarum mearum tempeſtatum, vita mortis meæ, Judex ſalutis meæ, protectio timorum meorum, refugium infortuniorum meorum, medicina malorum meorum, conſolatio dolorum meorum, & ſola ſpes miſeriarum mearum, *ecce mulier peccatrix ſtans retrò ſecus pedes* tuos. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine* p. p Pſ. 24. 7. Fac me experiri effectus divinæ miſericordiæ tuæ, nihil aliud concupiſco niſi invenire *gratiam in oculis tuis* q. q Eſth. 7, 3. *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ſtans retrò ſecus pedes* Filii Dei, nedum audeat apparere coram illo, pudore ſuffuſa intuitu criminum ſuorum. Igitur *ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi,* illuc confeſtim pergit conventum illum, qui acceptâ primâ gratiâ vocationis ſuæ ipſa non poteſt eſſe ſine eo; ipſa ut ferrum trahitur ab hoc divino Magnete; ſicut vaporem ipſam hic adorandus *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* r elevat è terrâ: r Eccleſia ex Mala. 4. 2. ingreditur igitur ipſa apud Phariſæum cum ſuſpiriis & lacrymis. Sed quomodo? quid ſibi vult iſte modus agendi? Auditores. *Muſica in luctu importuna narratio* s. s Eccli. 22, 6. Sic fletus non videntur decere lætitiam convivii, nec illi lacrymæ convenire: Salvator videtur *in domo Phariſæi* diſcubuiſſe, ut ibi aliquantulùm ſeſe oblectaret, & illius epulis intermiſcet Magdalena gemitus & ſuſpiria: videtur ipſa renovatura dolores Filii Dei, ſi ille intueatur ipſam in hoc ſtatu, prout eſt *mulier in civitate peccatrix*, aſpiciendo mulieris iſtius diſſolutæ crimina, quæ ſunt objectum indignationis ipſius, æquè ac cauſa laborum ipſius, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* t. t Sap: 14. 9. Videtur ob præſentiam iſtius peccatricis contriſtandus: cur igitur tot lacrymæ? Ha! ipſa eſt *vulnerata charitate* u. u Cant: 2, 5. juxta LXX. Et, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus*, ait ipſa. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* x. x Pſ. 41. 2 & 3. Projicit ipſa ſe *retro pedes* Domini: non eſt ipſa ampliùs *mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Sed è contrà hæc *meretrix, aſtris purior invenitur* nunc, ait S. Chryſoſtomus y. y S. Chryſoſt. hom. 6. de Pœnit. *Effundite coram illo corda veſtra*, dicit Pſalmiſta z. z Pſ. 61. 9. Quod Magdalena obſervans venit exoneratum ſe: accedit ipſa adhunc ignem, *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* a. a Hebr. 12, 29. ex Deut. 4. 24. Ipſa, inquam, quæ fuerat Aquilo frigidus, lignum viride, ſuſpirat, & gemit: & ſicut lignum viride in ignem projectum, aquam emittit, & fumum; ſic Magdalena, quæ fuerat lignum viride in mundo ratione ætatis ſuæ, pulchritudinis ſuæ, divitiarum ſuarum, & voluptatum ſuarum, approximans ad hunc ignem divinum, lacrymas emittit, & peccata ipſius in fumum abeunt: & ſicut malitia, ſeu peccatum comparatur aquæ in Scripturâ b, *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem*: b Iob. 15. 16. ita Magdalena proxima huic igni divino, totam hanc aquam iniquitatis emittit, & tota hæc aqua nequitiæ conſumetur hoc igne divino, *Flamma combuſſit peccatores* c, c Pſ. 105. 18. *qui quaſi aquam iniquitatem* bibunt. *Et ecce:* Sed non ampliùs *mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Illius ampliùs *denigrata non eſt ſuper carbones facies* d. d Thren. 4. 8. Sed lota, *& ſuper nivem* e dealbata. e Pſal. 50. 9. Cùm peccator ad Deum convertitur, agens *pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt* f, f Ezech. 18, 21. & 22. nihil remanet. *Effundite coram illo corda veſtra* g. g Pſ. 61. 9. Vel, *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini* h. h Thren. 2. 19. Exigit à nobis Deus ut totum cor noſtrum effundamus ante ipſum, inſtar aquæ: ex omnibus enim aliis liquoribus qui effunduntur, ſemper aliquid remanet in vaſe; ſed aquæ effuſæ non remanet in illo aliquid: ſic quãdo verè, & ut decet, convertitur peccator ad Deum, nihil amplius in ipſo remanet criminum ipſius: Magdalena igitur ſanctificata, adhæret Domino ſuo, *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* i. i 1. Cor. 6, 17. Illum ſequitur, & ſequetur eum uſque ad mortem, nedum illum unquam ampliùs deſerat, *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam* k. k Cant. 3. 4. Perget ipſa ad montem Calvariam, nedum illius horrore montis concutiatur, intererit ipſa morti dilecti ſui, *Stabant juxta crucem Ieſu Mater ejus, & Maria Magdalene* l. l Ioan. 19, 25. Ibit

ipſa ad ſepulchrum, unietur ipſa ſemper Domino ſuo, & ab illo erit inſeparabilis, *Unâ autem Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum. Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Converſa illa dicit ei, Rabboni (quod dicitur Magiſter* m.

[m Ioan. 20. 1. &c.]

Obſervat Theodoretus n, quòd Deus *Creator hâc de causâ ipſum Adam e terrâ formavit, ex eo veró mulierem, ut & eandem in illis eſſe naturam demonſtraret, & naturalem quandam benevolentiam mutuam in illis insereret.* Evam decepit *ſerpens*, Eva ſeduxit Adamum, Adam verò, vetito, *de fructu comedit* o cum uxore ſuâ, veritus ne illam triſtitiâ afficeret. Sed ubinam invênit Adamus, quod propter uxorem deſerendus eſſet Deus, & offendendus? Verè dixit Deus, *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ* p: Sed nunquam dixit, quòd eſſet ipſe Deus deſerendus propter uxorem, ſicut ipſum deſeruit Adamus propter Evam. Adam igitur notabiliter peccavit: ſed hodiernâ die Magdalena Adamum confuſione operit, cuncta derelinquit, universâ immolat, totas ſacrificat ſuas potentias *ſtans retrò ſecus pedes* Domini, ut illum nunquam ampliùs dimittat, ſed è contra ut illi ſemper innitatur: ipſa odit id omne, quod antea ipſa amabat, & nihil ampliùs concupiſcit niſi placere Deo ſuo, *Quod ergo ſibi turpiter exhilaraverat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invênit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentiâ, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpâ*, ait S. Gregorius q. Jucundum ſacrificium! Nunquam ampliùs Magdalena deſeret Deum ſuum, poſtquàm ſe totâ ei perfecto holocauſto dedidit. Si triremis capiat aliquam navim in mari, confeſtim hæc navis ita alligatur huic triremi, ut circumquaq; victricem ſuam ſequatur: hodie Filius Dei cepit Magdalenam, quæ ſicut navis multas edebat vaſtitates in mari hujus mundi, de câ triumphat Salvator, illamq; ſuæ ſic alligat humanitati, ut ea nunquâ ſit ipſam deſertura, ſed itura quòcumque divina ipſius voluntas decreverit, & ſecutura Victorem ſuum, cùm tota ipſius gloria ſita ſit in hoc, quòd ab ipſo victa fuerit. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Quod denotat quantitatem lacrymarū. *Et fortaſſe ideò non lavit pedes ſuos Christus, ut eos lacrymis nos lavemus. Et bonæ lacrymæ, quæ non ſolùm noſtrum poſſunt lavare delictum, ſed etiam Verbi cœleſtis rigare veſtigium, ut greſſus in nobis ejus exuberent. Bonæ lacrymæ, in quib⁹ non ſolùm redēptio peccatorum, ſed etiam refectio eſt Iuſtorum. Iuſti enim vox eſt: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* r, ait S. Ambr. s. Et ſicut peccatū occidit omnia bona noſtra opera, & orationes, jejunia, & eleemoſynę nihil proſunt nobis in hoc ſtatu, lacrymę ea omnia ſuſcitant. Deplorabat Jerem: t *interfectos filiæ populi* ſui. Filii noſtri, Auditores, ſunt opera noſtra bona, quæ mortua ſunt, *Deducant oculi noſtri lacrymas, & palpebræ noſtræ defluant aquis*: ſi velimus ut ea Deus ſuſcitet & vivificet. Imitemur hanc Pœnitentem, *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat.* Capilli innuunt ſubjectionem: Magdalena ut ſuam oſtenderet ſubjectionem, ſuos defert capillos *ſecus pedes* Domini, ipſa deſerit quodcumque aliud, ſoloſque defert capillos ſuos, qui occiderant animas Jeruſalem: venit igitur eos immolatum *ſecus pedes* Filii Dei, *Et capillis capitis ſui tergebat.* Dicam quid amplius: Illis veluti vulnerat Filium Dei, *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, in uno crine colli tui* u. Felices capilli, quos mundus reverebitur, & qui magnificabuntur in cœlo, eò quòd obſequium exhibuerint Salvatori! *Et capillis capitis ſui tergebat.* Solebant antiqui in morte propinquorum ſuorum, præcidere capillos ſuos, eoſque projicere in ſepulchrum illorum, quaſi non valentes honoratius aut ditius munus ſuis offerre defunctis: Dei Filio morituro ſuos offert Magdalena capillos ſymbola cogitationum ſuarum, *Spiritualiter verò, capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ*, ait Dionyſius Carthuſianus x. Ut jugem illius memoriam habeat, *Capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus.*

[n Theodoret q. 30 in Gen. 2. 21 &c.] [o Gen: 3. 2. &c.] [p Gen: 2. 24.] [q S. Greg: hom. 33. in Evāg.] [r Pſ. 41 4] [s S Ambroſ lib. 6. in Luc 7. 38.] [t Ier: 9, 1. & 18.] [u Cant. 4. 9.] [x Dion: Carth. a. 44. in Luc: 21. 18.]

Sed quid dicet Simon qui ipſum invitavit? Quid dicturus eſt *Iudas, Iſcariotes, qui erat eum traditurus* y? Ille ſanè dicet, *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Iſte verò aſſeret, eum eſſe virum, qui æquo liberiùs deliciis & voluptatibus indulgeat. Sed abſit. *Oſculum enim mutui amoris indicium eſt, oſculum pignus eſt charitatis*, ait S. Ambroſius z. Sicut oſculum Judæ fuit ſignum perfidiæ & infidelitatis, *Iudas appropinquavit Ieſu, ut oſcularetur eum. Ieſus autem dixit illi, Iuda, oſculo Filium hominis tradis* a. Magdalena igitur *oſculabatur pedes ejus.* Ipſa bibebat in hoc fonte aquæ vitæ, de quo dicitur, *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam* b. Ipſa erat laſſata, *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis* c. Ipſa requieſcit in hoc aſylo, & ſitiens, iſtis ſeſe immergit aquis, & ex iis ubertim bibit. Hæc advertens Simon, obmurmurat, & quaſi ſiniſtra de hoc agendi modo format judicia: ſed ignorat quòd hic agendi modus ſit greſſus Magdalenæ ad juſtificationem, qui eſt ultimus gradus ſaluti ipſius operandæ opportun⁹, per quem perveniat ad gloriam. Solum peccatum impedit quin gloriam conſequamur. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* d. Nullum habet ampliùs Magdalena peccatum, ipſa non eſt ampliùs *mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Inimicus amittit prædam ſuam, dilectus ejus erit clypeus ipſius adversùs Pharisæum, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hæc eſt gratia juſtificans, quam ipſa ſuſcipit per deteſtationem peccatorum ſuorum, ignis dilectionis conſumpſit omnes iniquitates ipſius: nihil ampliùs habet ipſa pertimeſcendum: Dei Filius dicit ipſi, *Remittuntur tibi peccata, Fides tua te ſalvam fecit; vade in pace.* Hæc eſt tertia nota prædeſtinationis ejus.

[y Ioan. 12 4.] [z S Ambroſ: lib. 6. in Luc 7. 38.] [a Luc: 22 47. & 48] [b Ioan. 4 14.] [c Sap. 5. 7.] [d Iſai: 59 2.]

III Pars

Magdalena igitur litem ſuam perduxit ad victoriam, *Dilexit multùm.* Sed quid dicem⁹, Auditores, de Jeſu Chriſto? & quid dicturi ſumus de Magdalenâ? Cauſa enim iſta videtur non ritè judicata, quippe quæ ita feſtinanter, cùm non maturè fuerint examinatæ copiæ illius ſæculares & inſtrumentariæ: & ideò appellatū de ſententiâ à Chriſto in favorem Magdalenę latâ: nam virtute cujus ſcelera condonantur Magdalenę? *Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit?* Jeſus Chriſtus poteſtne ea remittere? Nonne ſcit, quòd *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio* e? Deinde, Ait ei, *Vade in pace.* An ignorat, quòd *fructus juſtitiæ in pace ſeminatur* f? Quæ autem juſtitia Magdalenæ, quæ nihil unquam patravit præter ſordes, ut *mulier, quæ erat in civitate peccatrix?* Præterea, Juſtitia requirit ut morti tradantur ſeditioſi: eſt ergo interimendus Dei Filius, cùm ipſe dixerit, *Non veni pacem mittere, ſed gladium* g. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur* h? Dei Filius poſuit ignem in civitate, domi, in corde Magdalenæ: quamnā ergo poſuit in eâ pacem? Tota

[e Hebr. 9 22.] [f Iacob. 3. 17.] [g Matth. 10. 34] [h Luc 12 49.]

diſſluit

diffluit illa lacrymis: conſcius igitur videtur criminis Dei Filius, eò quòd *non* venerit *pacem mittere, ſed gladium*. Ha! nequaquam. *Vade in pace.* Areſtum eſt rectiſſimæ rationi conſonum, quippe quod à Jeſu Chriſto pronunciatum.

Ut colligat hortulanus roſas ante conſuetum tempus vernum, irrigat aquâ calidâ caulem roſarii: Magdalena irrigat aquâ calidâ lcrymarum ſuarum *pedes* dilecti ſui, & ab eo peccatorum ſuorum veniam conſequitur ante debitum tempus, habet ipſa fructum paſſionum ejus, merita illius ipſi applicantur, acquirit ipſa fructum juſtitiæ, *Vade in pace.* Illo ipſa fruitur per anticipationem, *Quoniam dilexit multùm.* Hæc eſt tota ratio. *Quomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter Gentes?* ait Jeremias i. [i Jer. 51, 41.] Nihil audiet deinceps Magdalena niſi elogia gloriæ, quamdiu Dei Filius non audiet aliquid præter opprobria, & injurias k. [k Matth. 26. 60. & 61.] Chriſtus illudetur indutus *veſte albâ* l. [l Luc. 23. 11.] Magdalena verò *ſtolâ gloriæ* m [m Eccli. 6. 32.] induetur: *Coronam gratulationis* n [n Ibid.] ſuperponet Dei Filius capiti Magdalenæ, quamdiu *milites plectentes coronam de ſpinis, capiti ejus* o [o Joan. 19. 2.] imponent. Magdalena non ſuſcipiet niſi laudes, *Dilexit multùm.* Filius autem Dei nonniſi maledictiones, & blaſphemias, *Vah qui deſtruis templũ Dei, & in triduo illud reædificas ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce* p. [p Matth. 27. 39. & 40. ex Joan. 2. 19.] Solvet debita Magdalenæ, ſatisfaciet pro eâ juſtitiæ Patris ſui in cruce, dimittet illam in pace, dicens ei, *Vade in pace,* quamdiu ipſe erit in bello: remittet *ei peccata multa* quantùm ad pœnam, & quantùm ad culpam, *Quoniam dilexit multùm.* Et cùm culpa inveniri non poſſit in Filio Dei, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* q, [q 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.] ſupererit ipſi pœna, ipſe pœnam ſuſtinebit, ut ſatisfaciat pro pœnâ Magdalenæ peccatis debitâ.

Ipſa igitur *dilexit multùm.* Hæc eſt lectio, quam ipſa nos edocet, & quam ipſa didicit in ſcholâ Filii Dei: diſcam^9 illam appoſitè, ſed non pudeat nos illam diſcere à muliere: ſequamur eam, defert illa vexillum pœnitentiæ: ſi verò hæc conſideratio mulieris noſtros deprimit animos, recordemur verborum, quæ, poſtquàm Domina *Jahel* r [r Judic. 4. 21.] occidit Siſaram, dixit *Debora, Nova bella elegit Dominus* s. [s Judic. 5. 7. & 8.] Et novos milites. Sic eſt, Auditores, Chriſtianus non poteſt eligere perfectius prototypon pœnitentiæ: ſequamur igitur eam, imitemur illâ in pœnitentiâ ipſius, nec erubeſcam^9, ſed potiùs ipſa pudore nos ſuffundat, videndo ardores ipſius, & glacies noſtras; intuendo generoſitates ipſius, & noſtras puſillanimitates; aſpiciendo hanc ſanctam cavernâ, quam ipſa incoluit per tot annos, pœnitentiæ vacans ſeveriſſimæ: auſcultemus vocem Dei vocantis nos ad ſanctitatem, ſicut illam; ſequamur eam, ſicut ipſa; & ſuſcipiemus tandem gloriam, non ſecus ac ipſa.

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm Luc. 7. 47. &c.

QUidam pictor interventu carbonis igniti meliùs inceptũ op^9 ſuum perduxit ad conſummationẽ, quàm illud unquã perfeciſſet beneficio penicilli ſui: iſte carbo candens fuit ipſi favorabilis, & magis quàm fuerint omnes regulæ artis ipſius: eo quippe ſic genuinè pinxit imaginem Amoris, ut ſibi omnium ſpectatorum admirationes & laudes conciliaverit: innixus ergo quòd ita favorabiliter ad votum ſibi ſucceſſiſſet conſilium ſuum, poſuit in imo tabellæ à ſe depictæ carbonem ignitũ cum nomine ſuo, pro hâc inſcriptione, *N. Hoc igne fecit.* Ita apprimè *Verbum caro factum* a [a Joan. 1. 14.] pinxit imaginem ſancti Amoris in Magdalenâ, propter eam conciliavit ſibi tantam gloriam, in illâ virtutes hujus eximiæ Pœnitentis ſic ſplendidè emicant, ut, ſi petatis à me quiſnam imaginem iſtam ſic abſolutè perfecerit, reſpondeam vobis, Jeſus Chriſtus hanc igne ſuæ charitatis fecit. Si autem ritè non poſſum exprimere juxta deſiderium meum omnes perfectiones illius penicillo linguæ meæ, ſaltem intuendum exhibebo affectum meũ erga amabiliſſimam, & amantiſſimam omnium pœnitentium. Ut autem conſilium meum mihi ſuccedat ad votum, indigeo luminibus illius, qui *Charitas eſt* b [b 1. Joan. 4. 16.] ſancta & eſſentialis, quæ mihi proculdubio impetrabit *Mater pulchræ dilectionis* c, [c Eccli. 24. 24.] conteſtim ac illi reverenter, & humiliter dixero, *Ave Maria.*

S. Paulus, qui ſemper loquitur verba tertii cœli, *Quoniã raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* d: [d 2. Cor. 12. 4.] præ aliis quædam protulit, quæ merentur ut ponderentur *juxta pondus Sanctuarii* e, [e Levit. 5. 15.] quod eſt pondus Dei, eò quòd graviſſimi ſint momenti, dicens, ſe adimplere in ſe illa quæ deficiunt paſſionibus Domini ſui, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia* f. [f Coloſſ. 1. 24.] Sed quid? eſtne vacua paſſio Chriſti? deeſtne illi aliquid? Inter multas expoſitiones quæ dantur his verbis Apoſtoli, duas ſumo majoris momẽti, & quæ meliùs propoſito meo congruunt. Loquitur hic ergo Apoſtolus de paſſione mentis Domini ſui: videns enim Jeſus Chriſtus, quòd labores ſui finem eſſent accepturi cum vitâ ſuâ converſante, & paſſiones ſuæ eſſent tranſitoriæ, nec poſſet illas longiùs protrahere, *Conſummatum eſt* g, [g Joan. 19. 30.] pariter propter idquòd illas perpetuare non poſſit in ſe; & ex tunc firmiter ſtatuit eas perpetuare, illaſque extendere *uſque ad conſummationem ſæculi* h [h Matth. 28. 20.] ad Eccleſiam ſuam, *quæ eſt corpus ipſius* i, [i Epheſ. 1. 23.] *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt Principium, Primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens* k. [k Coloſſ. 1. 18. & ex 1. Cor. 15. 21. & ex Apoc. 1. 5.] Id eſt, in aliquos quos elegit, è quorum numero fuerunt S. Paul^9, Seraphicus P. S. Franciſcus, S. Catharina Senenſis, & S. Thereſia, & aliqui alii, qui detulerunt charactêres paſſionis Jeſu Chriſti cordi ſuo impreſſos, ſicut Dion. Carthuſian. l [l Dion. Carth. a. 6. in Gal. 6. 17.] exponit de S. Paulo, verba illius interpretans, *Ego ſtigmata Jeſu, id eſt, ſigna vulnerum, & ſimilitudinem pœnarum Chriſti, in corpore meo porto, bajulando crucem meam indeſinenter, & Chriſtum ſequendo* m, [m ex Matth. 16. 24. & ex Luc. 9. 23.] *ejuſque paſſioni pro viribus me conformando.* Sed S. Franciſcus illos verè & realiter corpori ſuo impreſſos detulit, ita ut verè dicere poſſit id, quod S. Paulus n [n Galat. 6. 17.] dicebat myſticè, *Ego ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* Id eſt, corpori meo impreſſa. Ait igitur S. Paulus, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti.* Id eſt, paſſioni deſiderii ejus, nimirum perpetuandi pœnas ſuas, eaſq; extendendi uſq; ad finem mundi ad aliquos ex Electis ſuis, quos elegit, ut paſſionis ſuæ deferrent ſigna & charactê-

res.

res. Præterea, Per hæc eadem verba, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionũ Chriſti, in carne meâ, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*; intelligenda eſt applicatio pœnarum paſſionis Jeſu Chriſti: hæc enim applicatio deeſt meritis Chriſti; & illa applicuit ſibi S. Paulus, nunc ea ſibi applicant animæ electæ & prædeſtinatæ; & hoc eſt quod perfectè peregit noſtra Amans divina beneficio pœnitentiæ ſuæ, ut oſtendam vobis hâc triplici conſideratione.
Diviſio. Prima eſt, Quòd illud omne, quod fecit Jeſus Chriſtus per crucem ſuam, ſatisfaciendo in toto rigore juſtitiæ Patri ſuo, replendo omnes cogitationes ejus, & cuncta conſilia illius, hoc idem perfectè egit Magdalena per pœnitentiam ſuam. Secunda eſt, Quòd ſicut Filius Dei per *Conſumma-*
a Ioan. 19 30. *tum eſt* o Crucis ſuæ delevit omnia peccata mundi; ita Magdalena per pœnitentiam ſuam annihilavit omnia peccata vitæ ſuæ anteactæ. Tertia eſt, Quòd quemadmodum Jeſus Chriſtus per *Conſummatum eſt* Crucis ſuæ, mundum fecit novum Patri ſuo; ita Magdalena per ſuam pœnitentiam mundum recentem peregit Deo.

I. Pars Quòd ſicut Jeſus Chriſtus per Crucem ſuam ſatisfecit in toto rigore juſtitiæ Patris ſui, qui offen-
p Gen. 3. 6. ſus fuerat peccato Protoplaſti p, & per eandem Crucẽ replevit omnes cogitationes, & cuncta cõſilia illius; ita Magdalena per pœnitentiam ſuam ſatisfecerit rigori juſtitiæ Dei, & repleverit omnes cogitationes, & univerſa conſilia Spiritꝰ Dei, obſervandum eſt, omnia ſacrificia Legis naturæ, & Legis ſcriptæ non fuiſſe niſi umbras & figuras, quæ imperfectè repræſentarent Sacrificia noſtra Legis gratiæ, *Hæc autem omnia in figurâ continge-*
q 1. Cor. 10. 11. *bant illis* q. Et totum illum ſanguinem victimarum, quo rubebãt altaria, fuiſſe veluti proteſtationem publicam & honorariam impotentiæ hominum ad dignè honorandum Deum: ſciit enim propter peccata ſua merebantur ipſi deſtrui, loco ſuipſorum occidebant animalia, eaq; immolabant Deo: ſed cùm hæc ſacrificia non eſſent amplius accepta Deo, hoc induxit Verbũ Divinum ad aſſumendam naturam humanã, ut gratiſſimum Patri ſuo ſuiipſius offerre poſſet ſacrificium, dicens ei, *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite Libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus vo-*
r Pſ. 39. 7. &c. *lui, & legem tuam in medio cordis mei* r. Obſervate autem, ſi placet, fuiſſe alias tria genera ſacrificiorum. Primum erat oblatio, ſecundum immolatio, tertium verò holocauſtum. Oblatio erat veluti obſequium quod exhibebatur Deo è primitiis omnium rerum, primorum florum, & primorum fructuum, juxta id quod ſcriptum eſt, *Primi-*
s Exod. 22. 29. *tias tuas non tardabis reddere* s. Ut innueretur, quòd ille, cui iſtud offerebatur ſacrificium, eſſet Deus naturæ, *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Deus*
t Deut. 6. 4. *unus eſt* t. Et *Creator omnium* u. Hinc ſacrificium
u Eccli. 24. 12. Abelis fuit gratum Deo, quia *Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit*
x Gen. 4. 4. & 5. *Dominus ad Abel & ad munera ejus. Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit* x. Et iſtam acceptationem ſacrificii illius a Deo factam confirmat S.
y Hebr. 11. 4. Paulus y, *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit, Deo; per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo, &*
z Levit. 4. 1. &c. *per illam defunctus adhuc loquitur*. Immolatio z fiebat propter aliquod peccatum particulare, quod perpetratum fuerat: hæc autem ſacrificia participabat Sacerdos: una enim pars ſacrificiorum igne
a Levit. 6. 9. conſumebatur, altera verò Sacerdoti reſervabatur. Sed holocauſtũ a, quod erat ſacrificium perfectiſſimum, omnino conſumebatur igne, nedum illius partem aliquam poſſet Sacerdos prætendere quin ſacrilegium incurreret. Atqui Filius Dei b Ioan. 16 28.
exiens *à Patre, & in mundum* b veniens induit in naturam noſtrã, ut ſatisfaceret rigori juſtitiæ Patris ſui, noſtras portaret *iniquitates, & peccata*
multorum c ferret, cautam præſtans cautam noc Iſai. 53. 11. & 12.
ſtram, hæc omnia tria obtulit ſacrificia, & illa invenio in his verbis S. Pauli d, *Ideò ingrediens mun-* d Hebr. 10. 5. &c.
dum, dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpꝰ autem aptaſti mihi: holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam Deus voluntatem tuam. Superiùs dicens, Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur: tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam: aufert prius, ut ſequens ſtatuat. In quâ voluntate ſanctificati ſumꝰ per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Semetipſum ipſe efficit hoſtiam, ſeipſum conſecrat Deo Patri ſuo ab inſtanti conceptionis ſuæ in ſinu SS. Matris ſuæ, offert ei primitias cordis ſui, omnes cogitationes ſuas, & univerſos affectus ſuos. Deinde, Immolat ei ſemetipſum in templo, *poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur*
Puer e. Ubi ſuum incepit fundere Sanguinem ad e Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.
expianda peccata omnium hominum. Sed holocauſtum, quod eſt ſacrificiorum omniũ perfectiſſimum, ipſe offert ſuper crucẽ in monte Calvariâ, *Et bajulans ſibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locũ, ubi crucifixerunt eum.* Et ubi dixit, *Con-*
ſummatum eſt f. Ibi conſumitur igne ardenti divi- f Ioan. 19. 17. &c.
næ dilectionis ſuæ propter honorem & gloriam ſui Patris æterni: *Unâ enim oblatione, conſummavit in ſempiternum ſanctificatos* g. Sic Pater æternus g Hebr. 10. 14.
contentus eſt, juſtitiæ ipſius eſt plenè ſatisfactum, ac in toto rigore: per ſuam enim Crucem ſatisfecit Dei Filius Patri ſuo pro peccatis omnium hominum, & replevit omnes cogitationes, & univerſa conſilia illius, quæ vergebant ad annihilandum peccatum, *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas* h. Sic h Dan. 9. 24.
Patri æterno factum eſt ſatis, *Sicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* i. Nihil habet am- i Epheſ. 5. 2.
plius efflagitandum juſtitia ejus, poſt iſtud holocauſtum, quod ſuus Chriſtus obtulit in monte Calvariâ, *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* k. k Coloſ. 1. 20.

Dico quòd Magdalena, hæc Amans ſacra per pœnitentiã ſuam fecit id omne, quod Jeſus Chriſtus egit per Crucem ſuam: ipſa ſatisfecit in rigore juſtitiæ pro omnibus peccatis ſuis Deo, ipſa obtulit ſacrificiũ, quod Deus acceptat, & quod non poteſt reſpuere, nimirum cordis ſui contriti & humiliati: David l autem dicebat, *Sacrificium Deo* l Pſ. 50. 19.
ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Super quod ait Incognitus m, m Incogn. in Pſ. 50. 19.
Oſtendit hîc quòd ſacrificia interiora, Deo ſunt accepta: ſicut eſt dolor. & contritio de peccatis: per quam non ſolùm homo affligitur mente: ſed etiam conſequenter & corpore. Hoc enim ſacrificium contritionis, tantùm eſt Deo acceptum, quòd debitè contrito, nunquam peccati denegatur venia. Quoniam (ut dicitur) cùm averterit ſe impius ab impietate ſuâ: ipſe animam ſuam vivificabit n. *Per cor contritum notat interiorem* n Ezech. 18. 27.
contritionem, & peccati diſplicentiam. Et verè ſacrificium eſt Deo, Spiritus contribulatus, id eſt, ſimul de omnibus peccatis tribulatus. Iuſtitia enim requirit, ut per quæ peccaverit homo, per hoc & ſatisfaciat, modo ſcilicet contrario. Sicut ſpiritualiter vult Dei juſtitia, ut qui in peccato vanam delectationem habuit, ſatiſ-

ſaciat

Digitized by Google

faciat dolendo. Hanc autem contritionem comitari debet firmum conſilium emendationis.

Non ait Evangeliſta genus, nec ſpecies peccatorum Magdalenæ, ſed tantùm in genere, quòd *mulier erat in civitate peccatrix*. Ex his verbis venio in notitiam deordinationum ejus, *Erat*. Quaſi diceret S. Lucas, quòd ipſa fuerit, ſed quòd ipſa non ampliùs ſit talis, qualis fuerat. Ut autem cognoſcamus quodnam ſit peccatum Magdalenæ, obſervandum eſt, quòd triplex ſuſcipimus bonorum genus à Deo, naturæ, fortunæ, & gratiæ, quæ bona agnoſcere debemus per gratiarũ actiones exhibendas eidem Deo, & per bonum uſum, ad quem impendere debemus hæc omnia quæ ſuſcepimus, ad honorem illius, qui nobis ea tribuit. Prima igitur bona, quæ ſuſcipimus, ſunt beneficia naturæ, quæ conſiſtunt in ſpecioſo corpore, in præclaro ingenio, & in pulchritudine utriuſque, cùm pulchritudo ſit quædã veluti emanatio faciei Dei, & Reſpublicæ benè moratæ crediderint pulchritudinem dignam imperio: imò & Pſalmiſta *o* prædixerit, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna*. Gratificatus Deus erat Magdalenæ eximiis iſtis naturæ qualitatibus, acumine mentis, æquè ac pulchritudine corporis, ut patet ex ſacris reliquiis ejus, quæ in Provinciâ noſtrâ requieſcunt: & ex ſymmetriâ & diſpoſitione hujus corporis ſic ritè concinnati, & ita jucundi, judicatur quænam fuerit bonitas mentis illius: per domicilium enim agnoſcitur qualitas hoſpitis qui ipſum inhabitat. Addite huic dono naturæ, inſtitutioné: non agnoſcere igitur benefactorem noſtrum, hoc eſt nos exhibere conſcios criminis teterrimi omnium, nimirum ingratitudinis: bonis uti ad offendendum illũ, qui nos ſibi devinxit, ea nobis largiendo, iſtud ad exceſſum uſq; abit: amare enim eos qui nos amant, ipſæ beſtiæ cognitione rationis deſtitutæ iſtud faciunt, iſtud eſt naturale: reddere bonum pro malo, hoc eſt proprium Chriſtianorum, quibus Jeſus Chriſtus præcipit, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos* p. Sed reddere pro bono malũ, iſtud eſt congruum diabolis: atqui hæc omnia peregit Magdalena ante converſionem ſuam: priuſquàm enim ſe totam obſequio Dei manciparet, ipſa adhibuit bona naturæ, pulchritudinem, juventutem, ſanitatem ad offendendum Deum, qui hujuſmodi bonis ipſi gratificatus erat: ipſa igitur aliquanto tempore fuit ingrata, & lapſa in iſtud vitium ingratitudinis, adversùs Deum propriis pugnavit beneficiis. Ipſa etiam malè inſumpſit bona fortunæ, quæ ſunt divitiæ, honores & clara progenies: erat enim orta è nobiliſſimâ progenie totius Judææ; & quamvis nulla ſit differentia inter ſanguinem ruſtici & ſanguiné nobilis, quippe qui ambo ſunt ejuſdem coloris, tamen parentes nobiles cum ſanguine ſuis liberis generoſos communicant animos, & ordinariè nobiles præ ſe ferunt aliquid ſpeciale ſuper homines plebeios; ſuſceperunt veluti quoddam germen virtutis, quod ſe diffundit è parentibus in liberos: abutens igitur Magdalena nativitate ſuâ, divitiis ſuis, honoribus ſuis, omnibuſque naturæ & fortunæ donis, erat ingrata. Tantorum immemor ipſa beneficiorum, quibus ubertim fuerat a Deo cumulata, abutebatur etiam donis gratiæ, ratione quorum poterat ipſa filia Dei effici: erat enim Judæa, & tunc ſola religio Judæorum erat bona, *Notus in Judæâ Deus: in Iſraël magnum nomen ejus* q. Abutebatur prædicatione, & myſterio Incarnationis: Deus enim illam reſervaverat ad hanc plenitudinem *temporis*, quo *miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: ut eos qui ſub Lege erant, redimeret* r.

o Pſ. 44. 5.
p Matth. 5. 44.
q Pſ. 75. 2.
r Galat. 4. 4. & 5.

Abutebatur tandem omnibus bonis luminibus & motionibus internis, ut pravis ſuis adhæreret affectibus.

Secunda ſpecies peccati Magdalenæ eſt, quod ipſa *mulier erat in civitate peccatrix*. Id eſt, *In civitate* Jeruſalem, Metropoli totius Judææ, & hoc aggravabat peccatum ejus. Valdè ſolicitus eſt Salomon s ob inveniendam mulierem fortem, *Mulierem fortem quis inveniet*? Concludit tamen, *Procul & de ultimis finibus pretium ejus*. Pergendum eſt extra civitates, in ſolitudines: in civitatibus enim tot ſunt pericula aperta mulieribus & puellis ad labendum, tot occaſiones malefaciendi inter tot ſcopulos circulorum, & ſocietatum promiſcui ſexus hominum, ad quos impingitur ordinariè caſtitas, *Inter omnia Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria*, ait S. Auguſt. t. Ibi jugitèr verſantur homines inter pruinas. *In civitate*, ubi peccata enormiora ſunt, quàm in pagis, ratione ſcandali, quod exhibetur toti civitati. Eclypſis Solis major eſt quàm ſit defectus luminis in exiguis ſtellis, & Solem nemo intuetur niſi cùm eclypſim patitur: ſic in civitatibus cùm vir, aut mulier conditionis illuſtris in aliquem labitur defectum, quò elevatior eſt, eò peccatum illius majus eſt: eadem culpa eſt gravior ratione pravi exempli, quod invitat & provocat ad perpetrandam ſimilem culpam: atqui Magdalena erat totum hoc, & faciebat omne iſtud in civitate magnâ Jeruſalem, *Mulier erat in civitate peccatrix*.

s Prov. 31. 10.
t S. Aug. ſerm. 250. de Temp.

Tertia ſpecies peccati Magdalenæ continetur in hoc verbo, *Peccatrix*. Id eſt, celebris, & famoſa. Quædam ſunt peccata quæ nomen iſtud ferunt præ excellentiâ, *Peccatum peccavit Ieruſalem, proptereà inſtabilis facta eſt* u. Idem dicendum eſt de Magdalenâ. Quæritur quodnam fuerit peccatum mulieris iſtius, ratione cujus vocetur *Peccatrix*. Non erat infidelitas, cùm ipſa profiteretur religionem Judæorum, & crederet Scripturis. Quid igitur? Sanè veriſimile eſt, quòd peccatum illius fuerit idololatria, quæ eſt peccatum univerſale: eſt enim furtum, cùm ſuffuretur honorem & gloriam Deo. Sed quid? diceris mihi: Magdalena non adorabat idola. Dico, quòd hæc idololatria Magdalenæ ſita erat in amore proprio, quo ducta ſeipſam colebat ut idolum, ſemetipſam quærebat, non autẽ Deum: & ſicut corda Deo debentur, ipſa attrahebat illa ad ſe, eaq; Deo furabatur. Deus regnare debet in cordibus hominum, & ea ab illis exigit, dicens ſingulis ex illis, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* x. Ipſa verò in illis ſuum ſtabiliebat imperium: Ipſa erat interemptrix, cùm animabus inferret interitum: Ipſa erat profanatrix templi Dei viventis y, cùm ipſa *ecce ibi Adonidem* z plangeret, faciens ſe amari loco Dei. *Peccatrix*. Quot peccata! In illo peccato regnabat vanitas, cùm ipſa non ageret niſi propter hoc principium, non attendens niſi ſemetipſam. *Plures quoque Sanctorum inſinuant eam actibus luxuriæ fuiſſe ſubjectam. Hinc quaſi habituata atq; abundãe ſceleribus appellatur peccatrix, quæ etiam ideò ſic vocatur, ut ejus exemplo ad pœnitentiam provocemur, deſperatione & puſillanimitate non frangamur, Divinæ Miſericordiæ fiduciâ inflammemur, quantumlibet vitioſi fuerimus*, ait Dionyſius Carthuſianus a. Hæc omnia, quæ dixi, non ſunt niſi umbræ, quarum oppoſitione magis emicent & ſplendeant vivi colores imaginis pœnitentiæ Magdalenæ facientis per pœnitentiam ſuam id, quod Jeſus Chriſtus egit per Crucem ſuam.

u Thren. 1. 8.
x Prov. 23. 26.
y 1. Cor. 3. 17.
z Ezec. 8.
a Dion. Carth. a. 19. in Luc. 7. 37.

Res inuſitata, & mirabilis viſu, quòd Magdalena unico inſtanti abeat ab extremo ad extre-

mum impertranſito medio, quod non fit in naturâ, nec eſt ordinarium in gratiâ; cùm omnia eant ſucceſſivè, & per grad⁹. Arbores priùs producunt flores, quàm fruct⁹, productiones ſequuntur aliæ alias: imò & ipſa gratia ſuos habet grad⁹: quin etiam ipſe Filius Dei tres inſumpſit annos ad inſtruẽdus *Apoſtolos* b [b Luc. 6. 13. &c.] ſuos; *quibus & præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionẽ ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno* Dei c [c Act. 1. 3.]. Et aſcenſurus in cœlum, eoſq; iiſdem adhuc defectib⁹ inveniens obnoxios, *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiã cordis* d [d Marc. 16. 14.]. Sancti non efficimur, nec perfecti ſubitò; ad hoc requiritur aliquantum tempus. Magdalena verò unico inſtanti tranſit ab extremo ad extremũ, ab extremitate frigoris ad extremitatem arduris, ab extremo peccati ad extremum amoris, *Mulier quæ erat in civitate peccatrix, dilexit multùm.* Dilectio reddit illam perfectè converſam, & pœnitentem, nedum in ipsâ remaneat quidquam peccatorum ſuorum, Deus acceptat dilectionem ejus, & proteſtatur illâ ſibi ſatisfieri, *Dilexit multum.* Sic ipſa in hoc ſtatu pœnitentiæ ſuæ facit id omne, quod Jeſus Chriſtus fecit per Crucem ſuam

Magdalena in ſuâ pœnitentiâ eſt corde contrito, & humiliato, & perfectâ firmiter ſtatuit emendationem, contra maximã eorum de quib⁹ S. Hieron: e [e S. Hier. in Pſ. 50. 19.] ait, *Multi habent cor contritum, ſed non habent humiliatum; quia plangunt quod fecerunt, & poſteà ad ipſũ reverti deſiderant, quod anteà fecerunt, & de præterito nolunt pœnitere.* Propterea, ait S. Auguſt: f [f S. Aug. ſerm. 59. de Temp], *Meretrix illa, quæ pedes Domini lacrymis lavit, & capillis ſuis terſit, ubi cœleſtem Medicum veniſſe cognovit, ultro ſe ingeſſit in domum ubi rogata non fuerat: & quæ prius frontoſa erat ad perditionem, poſteà frontoſior facta eſt ad ſalutem: & ideò audire meruit, quòd ei omnia fuerint peccata dimiſſa. Nec ipſa ſe adhoc reſervavit, ut in fine vitæ ſuæ pœnitentiam ageret, ſed dum adhuc peccare poterat, ſic Deo inſpirante voluit peccata deſerere, ut illam de adulteriis ſuis non neceſſitas ſubtraheret, ſed voluntas.* Intuemini illam ingredientem Sanctuariũ, domum Phariſæi, quæ erat tanquam Sanctuarium, cùm hæc domus eſſet conſecrata & ſanctificata præſentiâ illius, qui eſt *ſecundum ordinem Melchiſedech, Pontifex factus in æternum* g [g Hebr. 6. 20. ex Pſal 109 4.]. Obſervate quomodo Pro ſceleribus ipſa ſuis offerat ibi ſacrificia, *Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentiâ, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa*, ait S. Gregor: h [& ex Geneſ. 14. 18.] [h S. Greg hom. 33. in Evang]. Suas offert ipſa primitias Deo, primas actiones converſionis ſuæ, *Vt cognovit.* Vix gratia illam illuminavit, vix *Sol Iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter* i [i Eccleſia ex Malachiæ 4 2.] diſſipavit tenebras ejus, cùm ipſa offert omnia Deo, vitam novam, lacrymas ſuas, quæ ſunt primitiæ ſuæ, cùm nondum ſimilia obtuliſſet ipſa munera, *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Ditiſſimæ lacrymæ, aqua pretioſa! Aqua tantum aſcendit, quantum deſcendit; & ſicut hæc aqua deſcendit à Deo, qui movet cor Magdalenæ, ita & aſcendit uſq; ad cœlum, & ſupra, cum aſcendat uſq; ad humanitatem Jeſu Chriſti, qui *excelſior cœlis factus* k [k Hebr. 7, 26.] eſt propter unionem hypoſtaticam naturæ divinæ cùm naturâ humanâ, ſic ut dicere quaſi poſſimus, *Aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt* † [† Pſ. 148 4. & Dan. 3. 60.]. Primitiæ novæ, cum tunc cœlum irrigaret terram, nunc autem terra riget cœlum, id eſt, Magdalena pedes Salvatoris, qui ſunt altiores cœlo, *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Omnia inſtrumenta vanitatis ſuæ facit ipſa ſervire ad ſanctificationem ſuam; capillos ſuos, qui animas irretiverant, inſumit ipſa in obſequium Domini ſui, *Et capillis capitis ſui tergebat.* Pretioſi capilli! *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt* l [l Matth. 10. 30.]. Ipſi ſedulo conſervabuntur, & inſumentur ad texendam quaſi telam gloriæ Neſcio numerum peccatorum Davidis, ipſe tamen ait, *Iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei* m [m Pſ. 39. 13.]. Magdalena autem pro ſingulis criminibus ſuis ſingula offert Deo ſacrificia: os ipſius, quod profanatum fuerat oſculis impuris, ſanctificatur Divino attactu pedum Salvatoris. Anima dicitur exhalari per oris oſcula: ha! Magdalena ſuam effundit animam per oſcula ſua. Vel dicamus cum S. Auguſtino n [n S. Aug. in Pſ. 41. 4. & 6.], ipſam Magdalenam eſſe ipſum Sanctuarium, vel Tabernaculum, in quo ipſa ſua Deo offert ſacrificia. *Ecce quanta admiror in Tabernaculo. Tabernaculum enim Dei in terra, homines ſunt fideles. Admiror in eis ipſorum membrorum obſequium; quia non in eis regnat peccatum ad obediendum deſideriis ejus, nec exhibent membra ſua arma iniquitatis peccato, ſed exhibent Deo vivo in bonis operibus: animæ ſervienti Deo* o [o ex Rom 6. 12. & 13.], *membra corporalia militare admiror. Reſpicio & ipſam animam obedientem Deo, diſtribuentem opera actus ſui, frænantem cupiditates, pellentem ignorantiam, extendentem ſe ad omnia opera aſpera & dura toleranda, juſtitiam & charitatem impendentem in cæteris. Miror & iſtas virtutes in animâ. Iam de cupiditatibus omnibus tanquam edomitis victiſq; ſecura ſum*, inquit hæc eadem anima. Tandem, Magdalena facit holocauſtum totius ſuiipſius, ſemetipſam conſumit totam igne dilectionis ſuæ, & per pœnitentiam ſuam ſatisfacit omnino rigori juſtitiæ Dei, & replet omnes cogitationes, & omnia conſilia Dei, ſicut Jeſus Chriſtus fecit per Crucem ſuam.

Obſervate autem, Auditores, quòd omnes cogitationes, Dei reducuntur ad unam. Deus unicam habet cogitationẽ, & hæc cogitatio eſt plena, eſt fœcunda. Cogitatio Dei eſt unica, & hæc cogitatio non eſt alia niſi Verbum ſuum, quod eſt ipſius conceptus. Pater æternus cognoſcit ſemetipſum, & producit Verbum ſuum, quod eſt ſua cogitatio. *Eructavit cor meum Verbum bonum* p [p Pſ. 44. 2.]. Et per totam æternitatem non habebit aliam cogitationem. Hæc cogitatio eſt plena, hic conceptus eſt fœcundus, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* q [q Coloſſ. 2. 3. & 9.]. Pater æternus ipſi communicat id totum, quod ipſe eſt. Hæc cogitatio eſt fœcunda, cùm terminetur ad Deum, cùm Pater producat verbum ſuum, quod eſt Deus. *At ubi venit plenitudo temporis* r [r Gal. 4. 4.], hæc cogitatio facta eſt ſenſibilis, *Cùm benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei* s [s Tit. 3. 4]. Quia non poteramus eam cognoſcere, cum hæc cogitatio eſſet abſcondita, *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator* t [t Iſai. 45. 15.]. Per Incarnationem autem nobis fuit hæc manifeſtata. Hæc cogitatio eſt unica, *Verbum caro factum* u [u Ioan 1. 14.] habet hoc unicum conſilium, hanc unicam voluntatem honorandi Patris ſui, & manifeſtandæ gloriæ ejus, *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper* x [x Ioan. 8 29.]. Eò tantùm tendit, hãc ſolam habet cogitationem, & cogitatio iſta eſt plena cognitione Dei, magnitudinum ejus, perfectionũ illius, & reverentiæ quam ille meretur: hæc cogitatio eſt abundantiſſima, *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiã non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi ſed ut ſit ſancta & immaculata* y [y Epheſ. 5. 27.]. Totam ſuam impendit Dei Filius operam ad comparandos tot Patri ſuo filios, ad acquirendum ei novum mundum, ad conciliãdos ei Electus numero ferè infinitos. Quàm plena & fœcunda erat hæc cogitatio! Quot enim actus internos adorationis, dilectionis, reverentiæ & humiliationis corã Patre

ſuo

a Luc. 3. 23. fuo exercuit iſte Dei Filius ſpatio *quaſi annorum triginta* z vitæ abſconditæ, poſtquam *venit Nazareth, & erat ſubditus* a Parentibus ſuis, & trium annorum vitæ converſantiæ, ex quo *vocavit diſcipulos*
a Luc. 2. 51.
b Luc. 6. 13. &c. *ſuos* b ? &c.

Magdalena unicam duntaxat habuit cogitationē, Dei Filius ipſamet, qui eſt unica cogitatio Patris ſui, hujus veritatis teſtimonium perhibet in gratiā ejus adversùs ſororem ipſius Martham in eam inſurgentem, & de illâ querantem, *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit; & ait, Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi ut me adjuvet. Et respondens, dixit illi Dominus; Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab*
c Luc. 10. 41. &c. *eâ* c. Ad hoc unum tendebat Magdalena, id eſt, ad unionem cum Deo, ad transformationem cum illo. Unica cogitatio quæ erat plena cognitione, plena dilectione, & plena reverentiâ erga divinas magnitudines! Quàm fœcunda erat hæc cogitatio! quot & quantos producebat cor illud actus meritorios fidei, & dilectionis! Quot & quantas exerebat productiones externas, quot operabatur acquiſitiones, quot animas exemplo ſuo & pœnitentiâ ſuâ Deo conciliabat! Denique, Magdalena complet omnes cogitationes, & omnia conſilia Dei: ita enim conſilium Dei erat, ut homines applicarēt ſibi merita paſſionis Filii ſui, Magdalena perfectam peregit in ſe illorum meritorum omnium, univerſarū paſſionum & ſatisfactionum ejus applicationem: Magdalena eſt quaſi mons Calvaria, in quo Crux Chriſti Filii Dei plantata eſt, *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nu-*
d Iſai. 3. 17. *dabit* d. Calvaria erat mons quaſi decorticatus: ita caput Magdalenæ erat veluti calvum, cùm ipſa ſibi quaſi evulſiſſet capillos vanitatis ſuæ, quos inſumpſit ad ſanctificationem ſuam.

II Pars.
e Ioan. 19. 30. Dico pro ſecundâ conſideratione, quòd Filius Dei per *Conſumatū eſt* e Crucis ſuæ delevit univerſa hominum peccata, & in fruſta conſcidit ſchedulā promiſſi quod pepigeramus, & cui ſubſcripſeramus, *Delens quod adversùs nos erat, chirographū decreti, &*
f Coloſſ. 2. 14. *ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci* f. Manum tuleramus ſuper fructū ligni prohibiti cum Protoplaſto noſtro, qui hujuſmodi *de fructu comēdit* g. Et
g Gen. 3. 6.
h Gen. 2. 17. huic ſubſcripſeramus fœdæ cum eodem Adamo, *In quocumq; die comederis ex eo, morte morieris* h. Subſcripſeramus, inquā, proprio infortunio noſtro in perſonâ iſtius Protoplaſti, in quo omnes homines erāt moraliter, habentes conſequenter interpretativè eandem cum illo voluntatem, *In quo omnes pecca-*
i Rom. 5. 12. *verunt* i. Mori debebamus æternâ morte univerſi, ſed, ut ait Dion. Carthuſ. k poſt S. Paulum, *Delens*
k Dion. Carth. a. 2. in Coloſſ. 2. 14 *ipſe Chriſtus merito paſſionis ſuæ, quod adversùm nos erat chirographum decreti, id eſt, memoriale, ſeu literaram humanæ transgreſſionis, quâ homo Protoplaſtus prævaricatus eſt in paradiſo decretum, id eſt, Dei præceptū: (hujus enim transgreſſionis memor fuit Deus ad puniendum, dæmon ad accuſandum: habuitq; diabolus quaſi literam teſtimonialem reatus, quem homo incurrit transgrediendo divinum præceptum, imò & tota poſteritas primi Parentis:) Chriſtus verò ſatisfaciendo pro peccatis noſtris actualibus, ac originalib. eripuit totum genus humanum ab iſto reatu, ſeu debito pœnæ pro peccato infligendæ. Et ita delevit prædictum chirographum, quod contra nos erat, quoniam erat teſtimonium faciens nos damnationi obnoxios. Et ipſum tulit de medio, id eſt, ab univerſis hominibus abſtulit illud chirographum, affigens illud cruci, id eſt, in ſuâ paſſione illud occidens, ſeu deſtruens, quantum in ipſo erat. Eripuit enim nos de pœnâ pro peccato originali poſt hanc vitam infli-*
l ex Coloſſ. 1. 18 *gendâ, dummodo ei ut Capiti* l *uniamur per fidem, & charitatem, quatenus virtus ſuæ paſſionis redundet in nos, tanquam in membra ipſius* m. Magdalena idem
m ex Ephes. 5. 30. peragit per pœnitentiam ſuam, ipſa delet omne debitum quod ipſa contraxerat propter peccata ſua, & Deus ipſe de tali debito facit ipſi gratiam, quaſi acceptum illud refert, nedum illud poſſit recuſare, *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies* n.

n Pſ. 50. 19.
o Gen. 6. 12. *Cùm vidiſſet Deus terrā eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram* o*) factum eſt diluvium 40. diebus, & 40. noctibus: & multiplicatæ ſunt aquæ. Et delevit Deus omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſq; ad pecus* p. Alia vice,
p Gen. 7. 17. &c. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de cælo: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium* q. Adhibuit Deus aquam, & ignem ad perdendam carnem, in quam corruptio irrepſerat: Filius
q Gen. 19. 24. & 25.
r Galat. 4. 4. verò ejus *ubi venit plenitudo temporis* r, quo peccata regnabant in mundo, cujus mores erant corrupti, inſumit aquam lacrymarum ſuarum, & ignem amoris ſui, non ad deſtruendum mundum, ſed ad illum reparandum, *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationesq; ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ* s. Sed quare ſuper Cruce
s Hebr. 5. 7.
t Matth. 27. 46. *clamavit voce magna* t? Quia parturire debebat ibi Juſtos, ſolent autem mulieres prægnantes in partu clamare præ dolore quo anguntur: delet igitur Jeſus Chriſtus mundi peccata aquis lacrymarum ſuarum, & igne dilectionis ſuæ: hæc ardens charitas omnia conſumit; ideo *Jeſus dixit, Conſummatum eſt*
u Ioan. 19. 30.
x Pſ. 105. 18. u. Omnis iniquitas mundi conſumpta eſt hoc igne divino, *Flamma combuſſit peccatores* x.

Magdalena quàm ſatis utitur viis; duob. his modis ad expungenda omnia peccata ſua, atq; delenda, ipſa inſumit aquam lacrymarū ſuarum, *Lacrymis cœpit*. Ipſa quaſi ſpongiam præteritæ facit ſuper totam vitam ſuam criminoſam, ita ut nihil remaneat vitæ ipſius tranſactæ inter crimina & diſſolutiones, omnia peccata ſua diluvio aquæ lacrymarum ſuarum immergit. Adhibet ipſa etiam ignem amoris ſui; hæc autem dilectio ipſius ſic eſt immodica, ut omnia conſumat peccata, nec ullum ex illis remaneat, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Et ſic facit per pœnitentiam ſuam Magdalena id, quod Jeſus Chriſtus fecit per Crucē ſuam. Propterea idem Salvator texuit apologiam vitæ ejus adversùs Phariſæum, qui de eâ murmurabat, *Videns autem Phariſæus qui vocaverat eum, ait intra ſe, dicens, Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum quia peccatrix eſt. Et respondens Jeſus, & converſus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniā dilexit multùm.* Id eſt, (ut exponit Dion. Carthuſ. y,) *univerſa*
y Dion. Carth. 29 in Luc. 7. 47. *ejus peccata, quæ multa ſunt, remiſſa ſunt, ei à me, authoritative ſecundùm quòd Deus ſum: & miniſterialiter ſecundùm quòd homo ſum. Peccata nempe mortalia, quantùm ad culpam pariter remittuntur. Fervor enim dilectionis eſt ſpiritualis ignis peccata conſumens: Ideò Petrus z hortatur, Ante omnia (inquiens) mutuam*
z ex 1. Petr. 4. 8. *charitatem in vobis continuam habentes, quoniam charitas operit multitudinem peccatorum* a. Egit Magdalena per ſuam pœnitentiam id, quod Chriſtus
a Prov. 10. 12. per ſuam crucem.

III. Pars.
b Ioan. 19. 30. Finiam per tertiam conſiderationē, quæ in hoc eſt ſita, quod Jeſus Chriſtus per *Conſūmatū eſt* b Crucis ſuæ, acquiſivit novum mundum Patri ſuo, id eſt,

mundum Electorum & Prædeſtinatorum, ad replēdum vacuum Angelorum deſertorum paradiſi, æquè ac rebellium e. [e Apoc. 12. 9.] Crux fuit lect⁹, ubi ipſe dolores partus ſuſtinuit, & *clamavit voce magnâ* d adpariendos Electos: ibi nos parturivit: & ſi *Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi* e eſt, verè dicere poſſum⁹, nos eſſe filios ejuſdem Jeſu Chriſti Dei morientis, aut mortui in Cruce, ubi nos parturivit, & ubi dolores partus ſuſtinuit. [d Matth. 27. 46.] [e Matth. 16. 16.] In Cruce ergo conciliavit Patri ſuo mundum novum, quantùm ad virtutem, gratiam, meritum, imò & gloriam, mundum ſcilicet Eccleſiæ ortæ ex apertura lateris ipſius, ut ait S. Auguſtinus f. *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis.* [f S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103] Hæc autem acquiſitio Patri æterno facta eſt à Domino noſtro Jeſu Chriſto Filio ipſius, cùm *unus militū lanceâ lat⁹ ejus aperuit: & continuò exivit ſanguis & aqua* g. [g Ioan. 19. 34] Unde manarunt univerſa noſtra merita. Quam modicum laborem invexinus in illum, & quantas illi noſtra nativitas cauſavit paſſiones!

Dico, quòd Magdalena, hæc ſancta noſtra Pœnitens media pœnitētia ſuâ mundum fecit penit⁹ novum Deo, id eſt, mundū virtutis, hominum pœnitentium, mundum Electorū & Prædeſtinatorum: quippe quæ egit per pœnitentiam ſuam id quod Jeſus Chriſtus, qui *eſt Caput corporis Eccleſiæ* h, fecit per *Conſummatum eſt* Crucis ſuæ. [h Coloſſ. 1. 18.] Quis autem numerare poſſet, quantumvis induſtrius ſit Arithmetic⁹, filios ſpirituales quos peperit ipſa Deo, & quot Dominas & mulieres vanas exēplo ſuo abſtraxit à vanitate & à luxu ad amplectendam virtutē, ad exercendam pœnitentiam, & ad vacandum ſanctitati? Ego verò mihi videor poſſe ei dicere id, quod dixit alias Deus Abrahæ, *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuū* i. [i Gen. 15. 5.] Generatio noſtræ glorioſæ Pœnitentis eſt quaſi infinita, & dicere poſſum⁹, quòd nos ſumus productiones illius. Sic eſt, Auditores: Aquę ſextiæ, Maſſilia, Arelas, & tota Provincia noſtra debent illam agnoſcere ut Matrem ſuam ſpiritualem: per illam enim converſi ſumus, per prædicationem ejus illuminati ſumus; ipſa miniſtra fuit ejus *qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum* k. [k 1. Petr. 2. 9.] Non latet autem vos, Auditores, pronunciatum Philoſophicum, *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Quantum ſuſtinuit ipſa laborem in parturiendis nobis! Prædicatio magnum ſecum invehit laborem mentis, æquè ac corporis: ſic vendicat ipſa ſibi nomen partus, ut ait S. Paulus l *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* [l Galat. 4. 19.] Id eſt, ut ait Dion. Carthuſ. m, *Filioli mei, qui parvi eſtis in perfectione virtutum, quos iterùm parturio, id eſt cum dolore & planctu ſpiritualiter regenero transferendo vos à non eſſe ſpirituali ad eſſe ſpirituale, per documenta, donec formetur, id eſt, recipiatur ac deſcribatur Chriſtus in vobis, id eſt, in cordibus veſtris per fidem puram, jugem memoriam, & dilectionem firmatam.* [m Dion. Carth. a. 4. n Gal. 4. 19.] Ipſa fecit ergo mundum novum Electorum, pœnitentium Deo; & ideò per ſuam pœnitentiam egit id, quod Chriſtus fecit per *Conſummatū eſt* Crucis ſuæ.

Concludam⁹ igitur, Auditores. *Vides hanc mulierem?* Conſiderate, ſi placet, Magdalenam. Sed quonam oculo aſpicietis eam? Intuitu Simonis Phariſæi? *Quia peccatrix eſt.* Hoc ſanè eſſet inferre injuriam innocentiæ ejus, & de illâ ſiniſtrum formare judicium. Inſpicienda ea eſt oculo Jeſu Chriſti, qui eſt aſpect⁹ æſtimationis, benevolentiæ, & dilectionis; & conſideranda ut eximia Pœnitens, quæ noſtram ſanctificavit Provinciam, & ſanctam Cavernam domicilio ſuo: ſed intuenda oculo imitationis. Sic eſt, Dominæ meæ: imitatæ vos eſtis illā in vanitatib⁹ veſtris, ſequimini eam in pœnitentiā ipſius: Magdalena eſt ſpeculum præclarum quod non decipit, ſed repræſentat & intuenda exhibet objecta talia, qualia ipſa ſunt: intuemini vos in hoc ſpeculo, & ibi videbitis quid vobis ſit agendum, ibidem diſcetis mutationem vitæ veſtræ inter diſſolutiones effrænes tranſactæ, horrorē vitii, amorem virtutis, & ſedulam pœnitentiæ & ſanctitatis praxim: ibi edocebimini quomodo incumbere debeatis pœnitentiæ, ut ſatisfaciatis juſtitiæ Dei, quam irritaviſtis; quo pacto per eam deſtruere debeatis peccata veſtra, vos renovare, mundum in vobis facere novum per annihilationem vitiorum & per ædificationem virtutum. Magdalena *lacrymis rigavit pedes* Jeſu: lavate eos fletibus doloris & contritionis. Magdalena omnia inſtrumenta vanitatis ſuæ convertit in inſtrumenta ſanctificationis ſuæ: idem peragite & vos. Magdalena unicā duntaxat habet cogitationem, *Porrò unum eſt neceſſariū. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ* n. [n Luc. 10. 42.] Hæc illius cogitatio plena eſt, & fœcunda: ſatagite ut unicam duntaxat habeatis cogitationē ſicut illa, ſed ut hujuſmodi cogitatio plena ſit cognitione, & dilectione Dei; & fœcunda ad producenda bona opera, nimirum opera virtutis, & ſanctitatis. Magdalena *unguēto unxit pedes* Salvatoris: *Chriſti bonus odor ſumus* Deo o. [o 2. Cor. 2. 15.] Imitamini eam: pedes Jeſu Chriſti ſunt pauperes, ungite eos eleemoſynis veſtris, *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* p, ait ipſemet Jeſus Chriſtus. [p Matth. 25. 40.] Pedes ſunt viliſſimæ partes corporis; ita pauperes ſunt deſpectiſſimi totius corporis myſtici ejuſdem Jeſu Chriſti, quod eſt Eccleſia, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* q. [q Coloſſ. 1. 18.] Pedes ſunt affectus, ait S. Bernardus r, *Pes tuus affectio tua*. [r S. Bern. ſerm. 13. in Pſ. Qui habitat.] Odore reſpergite affectiones Dei, id eſt, contendite illi ſatisfacere, replere cogitationes ejus, & reſpondere conſiliis ipſius. *Unguento pedes* ungimus, & devincimus nobis totum corpus, & Caput, quod nobis id retribuet juſtis mercedibus in hoc mundo per gratiam ſuam, & in altero ſeculo per gloriam ſempiternam.

DE DOLOR. B. V. MARIÆ PRO DIE VENERIS VEL SABBATHI POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

QUid dicemus, Auditores, de majeſtate Reginæ Angelorum? Quid cogitare poſſum⁹ de authoritate ſupremâ quam Mater Dei habebat ſuper Filium ſuum? Sed quid cogitare valemus de familiaritate quam hæc ſacra Sponſa Spiritus ſancti habuit aliàs cum iſto Divino Paraclito & Conſolatore? Si unquam imperavit ipſa Angelis qui ſunt ſervi ipſius, nunc ipſa ſuâ debet uti poteſtate, eiſque præcipere ut maneant prope Filium ſuum qui eſt ipſorum Dominus, quia cùm elevatus ſit ſuper ipſam in iſtâ cruce, ipſa non poteſt ei reddere

Digitized by Google

dere teſtimonia bonæ Matris. Si unquam ipſa uſa eſt authoritate quam mater habet ſuper filium ſuum, nunc ipſa debet exorare ſuum ut ſibi verbum dicat aliquod pro ultimo vale, cùm ipſa ſuſcipere non poſſit extremos amplexus, quos filius horâ mortis ſuæ dare debet matri ſuæ. Et ſi unquam Spiritus ſanctus inflammavit affectus ejus, & ſuggeſſit ei ſermones amoroſos, ipſa nunc implorare debet favores ejus, ut cordi ſuo tribuat ſic ferventem amorem ut ipſa non poſſit cum illo qui moritur præ oculis ipſius; aut ſaltem ut linguæ ſuæ tribuat verba ſic dulcia, ut poſſit cum eo miſcere ſermones, eiq; perſuadere ut ſibi ſignificet ultimas voluntates ſuas, & ut oſtendat ſibi utrùm ipſa futura ſit amica ipſius poſt mortem, æquè ac erat amica in vitâ ipſius. Hæc eſt tota felicitas quæ ſupereſt ipſi concupiſcenda in tantâ abyſſo afflictionum, inter quas ipſam derelinquit: & fortè ſi ipsâ alloquatur, dabit ei aliqua nuncia ſuæ futuræ reſurrectionis, & reditus quem faciet verſùs ipſam, poſtquàm peregerit magnam ſuam peregrinationem. Et tamen non audio quòd illa alloquatur Filium ſuum, aut quemlibet alium, qui ſit prope ipſam. Sed quid? Feciſſetne ipſa ſicut faciunt multæ mulieres hujus mundi, quæ facilè commoventur ad minimos eventus infauſtos qui ipſis accidunt, aut alicui ex amicis ipſarum? Abſit a me ut cogitem de illâ ſic exiguam firmitatem in amoribus ejus, qualis videtur in perſonis hujus mundi: ipſa enim nimis eſt ſingularis in omnibus virtutibus ſuis; & motivum quod ipſa habet, nimis gravis eſt momenti, tantum abeſt ut illius ita citò debeat ipſa oblivisci. Quid dicemus igitur de hoc ſilentio? Poſſumusne putare quòd Filius Dei tradat *Spiritum* a ſuum Patri ſuo æterno, quin corpus ſuum reddat Matri ſuæ, & quòd videns eam ſtantem *juxta crucem* b ſuam, lacrymis immerſam, & anguſtiis ac amaritudinib⁹ confectam, nolit vel ullum verbum conſolationis ei dicere? Ha! nequaquam: alioquin detraxiſſet muniis boni Filii, & affectionis ac reverentiæ quas illi ſemper exhibuerat, jugiter ei *ſubditus* c. Apprimè ſciebat ipſe, quippe *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſcõditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* d, quòd iſtud foret unicum remedium ſublevandis doloribus ejus accommodum; & licèt illa non haberet vim dicendi ipſi verbi vel unici; ipſe tamen certus erat quòd illa deſideraret audire ipſum loqui, & quòd ea dicebat in corde ſuo hanc orationem Canticorum e, *Sonet vox tua in auribus meis; Fac me audire vocem tuam.* Ex hàc certitudine fretus illi *dicit, Mulier, ecce Filius tuus* f. Verba quæ perfodiunt ei cor, & quæ nos inducunt ad dicendum ei præ compaſſione, *Eia Mater.*

a Ioan. 19. 30.
b Ioan. 19. 25.
c Luc. 2. 51.
d Coloſſ. 2. 3. & 9.
e Cant. 2. 14. & 8. 13.
f Ioan. 19. 26.

En igitur, Auditores, id, quod B. V. poſtulabat. Sed eritne deinceps ipſa contenta, cùm Filius ſuus teſtetur ipſi, ſe non eſſe oblitum ipſius, & tantum tormentorum diluvium non demeruiſſe affectum, quo ſemper eſt ipſam proſecutus? Heu! ſi unquam B. Virgo habuit anſam ſui ipſius turbandæ ſuper aliquod genus ſalutationis, aut nuncii quod ipſa ſuſceperit; hoc nunc jure merito timere debemus: & ſi cùm Archangelus annunciavit ipſi quòd ipſa futura eſſet Mater Dei, in conturbationem ipſa incidit, & habere voluit otiũ conſiderandæ qualitatis ſalutationis hujuſmodi, *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*: debet ipſa magis turbari propter id, quod dixit ipſi Filius ſuus, & in profundiores quàm tunc ingredi conſiderationes, ut ſatagat intelligere, ſi ipſa poſſit, veritatem verborum iſtorum, videns ſe de novo eſſe Matrem S. Joannis, & ſe ſentiens veluti deſtitutam primâ & eminenti qualitate Matris Dei, quam poſſidebat. Quid eſt hoc? debebat ipſa dicere. Hæccine tota ſalutatio eſt, quam pro vale ultimo expectare debebam à Filio meo ſub finem vitæ ſuæ? Heu quid? excipitne me ipſe rudiùs quàm me exceperit is qui *miſſus Angelus Gabriel à Deo* me viſitavit? Mihi *Angelus dixit Ave.* Et ipſe non me ſalutat. Ille me certam fecit quòd eſſem *gratiâ plena.* Ipſe verò nullum mentionis illius agit. Ille, quòd *Dominus* mecum eſſet: ipſe verò videtur à me velle recedere. Ille, quòd eſſem *benedicta in mulieribus.* Ipſe verò tribuit mihi ſimpliciter nomen mulieris, & me projicit in commune. Ille quòd habiturus eſſem Filium, qui *Filius Altiſſimi* vocaretur: ipſe verò quaſi me pro Matre diffiteri vellet, præbet mihi alterum filium, qui non eſt niſi purus homo. Incucurrine inimicitiam ejus, aut aliquam maledictionem cœli? Eſtne aliqua alia mulier quæ de novo ſit electa ad capiendum locum quem poſſidebam? An quòd in cœlo, quò nunc pergit, non vult habere Matrem, nec elegerat me in Matrem ſuam niſi in hàc vitâ dolorum, & non in gloriâ, quam jamjam poſſeſſurus eſt? Heu! requirebaturne adhuc iſte ictus ad evellendam mihi animam è corpore, & poſt tot anguſtias, quas uſque nunc perpeſſa ſum condolendo malis ipſius, ut viderem me veluti deſtitutam eo quod me ad hanc horam ſubſiſtere fecerat uſque? Sed nunquid non ſufficiebat ut ſuſcepiſſem in anima mea omnia tormenta quæ Filius meus tolerabat in corpore ſuo? Et oportebatne ut non ſolùm percuterer manibus carnificum quando obvia proceſſi Filio meo, & irrui in amplexus illius, ſed etiam propriis manib⁹ ejuſdem Filii mei? Heu! totum reliquum erat tolerabile; nam cùm Filius meus illud ſupportaret, ego poteram quidem illud etiam tolerare poſt illum: nam ſicut ipſum ſcio *plenum gratia* g infinitæ, ſicut ipſe *non habet finem* h: ita mea *gratia eſt immenſa* i aliquo modo, & hàc gratiâ fulta ſuperare poteram ſævitiam carnificum hujuſmodi: ſed ſi proprius Filius meus mihi bellum indicit, ſi iſta lingua Filii mei, quæ eſt veluti *gladius utrâque parte acutus* †, pervadit intimum cor meum verbis ſic acribus, qualia ſunt ea quæ mihi dixit, quomodo reſiſtere potero violentiæ illius ictus? quomodo vivere potero vulnerata manu Dei, qui *mortificat & vivificat* k quoſcumq; vult? heu! Auditores, non requirebatur minus quam conſtantia invincibilis in Maria ad ſuſtinendam talem anguſtiam. Et hoc eſt quod nobis videndum eſt.

g Ioan. 1. 14.
h Baruch 3. 25.
i S. Epiphan. ſerm. de Laud. Deip.
† Apoc. 1. 16.
k 1. Reg. 2. 6.
Propoſitio.

S. Bernardus l compaſſione commotus erga B. iſtam Virginẽ, dicit quòd ipſa ſuſcepit ictum mortalem acriorem eo quem prædixerat ipſi S. Simeon, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* m. Sic igitur illam alloquitur. *Annon tibi pluſquàm gladius fuit ſermo ille reverà pertranſiens & pertingens uſq; ad diviſionem animæ & ſpiritus* n, *Mulier, ecce filius tuus* °? *O commutationem! Ioannes tibi pro Ieſu traditur, ſervus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuoſiſſimam animam pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra, licèt ſaxea, licèt ferrea, pectora ſola recordatio ſcindit?* Et, ſi nobis licet, adorande Salvator, producere admirationem noſtram, Quare renuis illi nomen Matris, quod ipſa detulit uſque nunc? Eſtne minùs nunc ipſa mater tua quam eſſet anteà? Timeſne fortaſſis ne dedignetur ipſa ſe videre Matrem viri ſic miſeri, qualis ipſe es? Aut forſan ipſe non reputas te dignum qui ſis Filius ejus, ſciens quòd ipſa ſit Mater tot ſu-

l S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1. Signum magnũ &c.
m Luc. 2. 35.
n ex Heb 4. 12.
° Ioan. 19. 26.

benedictionis, & quòd iſtâ horâ ipſe ſis ſubjectum & objectum omnium maledictionum, *factus pro nobis maledictum* (*quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno* o?) Propter neutrum ex iſtis deſinere non debes eam vocare Matrem tuam. [o Galat. 3. 13. ex Deut. 21. 23.] Si enim unquam ipſa fecit actum humilitatis, ſi unquam ipſa ſe parvi æſtimavit, ipſa nunc ſemetipſam debet exigui ducere: nam ſi alias ipſa habebat anſam ſibi complacendi in felicitate ſuâ, & habendæ alicujus bonæ opinionis de ſeipsâ, videndo ſe Matrem Dei: ſi aliàs cùm Archangelus ad ipſam tulit ſalutationem benedictionis, cecinit ipſa citò, poſt ſuum *Magnificat* plenum gaudio & oblectamento: ipſa quæ pertranſire non ſinit occaſiones humilitatis ſuæ exercendæ, videns probatione ſic evidenti, quòd ille quem ipſa peperit, non ſolum eſt Deus, *qui ſolus habet immortalitatem* p, & impaſſibilitatem *; [p 1. Tim. 6. 16. * Pſ. 90. 10.] ſed etiam homo mortalis & paſſibilis, deprimet alas æſtimationis ſuæ, & judicabit quòd ſi ſit in re aliquid mortalis & imperfecti, ipſa illius cauſa eſt, & quòd ſi ipſa eſt Mater tua, hoc non eſt prout tu Deus es *perfectus* q, [q Matth. 5. 48.] ſed quarenus es homo omnium iſtorum malorum capax: illud autem quod ei melius hoc perſuadebit, erit cùm agnoſcet ſuper corpore tuo proprium ſanguinem ſuum: ſanguis enim mentiri non poteſt. Dic ei, ſi tibi placet, Mater mea. Dicere autem quòd tu non æſtimes te dignum qui ſis Filius ejus, veriſimile non eſt: ſi enim ipſa eſt Mater totius benedictionis, hoc illi non accidit niſi quia te *peperit* r. [r Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.] Et licèt ſuſcipias in re maledictionem, hoc non eſt niſi ad tempus, imò verò hæc maledictio eſt ea quæ nobis debebatur, & quæ cauſavit toti mundo benedictionem generalem Dei: quare igitur non mereberis ejus Filius eſſe non obſtantibus omnibus benedictionibus ejus, cùm ipſa eas omnes a te teneat ſolo? Quòd ſi Dei Filius, Auditores, non vocat Mariam Matrem, ſed mulierem, Poëta Chriſtianus ſic ediſſerit,

Talibus admonuit Matrem ſine nomine Matris!
Ne materna pium laceraret viſcera nomen.

Illud exiſtimo ſic eſſet ſed ſemper verum eſt, quòd Beata Virgo dolore inuſitato affecta eſt ex hâc nominis mutatione, ſed tanto ut aliqui dicere voluerint, quòd ipſa paſſa ſit inde deliquium animi, & ferè ſemiviva remanſerit, ut accidit perſæpè ut paſſiones immodicæ gaudii aut triſtitiæ hominem extra ipſum conſtituant, & ipſum privent omnino notitiâ, diſcurſu, & uſu rationis, non ſecus ac ſi mortuus eſſet, & inſenſatus. Sed auderemusne, Chriſtiani, talem injuriam irrogare Matri Dei, & huic exemplo totius perfectionis ac admittere in vitâ ejus unicum momentum, quo ipſi defuerit aliqua perfectio? Habebimusne erga eam zelum ſic præcipitatum, & devotionem ita parùm diſcretam, ut facientes eam amantiſſimam Filii ſui, faciamus illam cadere in defectus indignos perfecto amore, & ſanâ charitate? Inferremusne illi multum honorem ac dicere, quòd dolores ipſius vim habuerunt eripiendi ipſi uſus rationis? Ha nequaquam! Angelus enim nos inſimularet mendacii, quippe qui aſſerit quòd ipſa eſſet *gratiâ plena*. Quod innuit quòd ipſa nunquam gratiâ deſtituta eſt: hæc enim plenitudo non ſolùm ſignificat quòd in animâ ſua, & in corpore ſuo ipſa DEI gratias habebat; ſed etiam quòd tota vita ipſius fuit gratiâ plena, quod univerſæ ipſius actiones fuerunt gratiâ plenæ, omnes affectus ipſius gratiâ pleni; tandem, quòd ipſa fuerit gratiâ plena omnibus modis, omnibus temporibus; & in omnibus conditionibus, quibus ipſa conſiderari poteſt: atqui nobiliſſimus & excellentiſſimus modus compatiendi doloribus Filii ſui ſecundùm plenitudinem iſtius gratiæ, eſt ipſum facere non interveniu ecſtaſis, aut ſtuporis ſenſuum, aut ſuppreſſionis cerebri, mentis, & cognitionis, quod intelligitur per hoc verbum deliqui animi; ſed ipſum agere mediâ bonâ & integrâ notitiâ, & ſemper præ libero rationis uſu.

Præterea, Plenitudo gratiæ requirebat ut tota pars ſenſitiva ſubderetur rationi: cùm autem ratio eſſet Domina, ſic refrænare debebat affectus corporis, ut dolori non ſuccumberet Beata Virgo, ſed potius firma & ſtabilis perſiſteret ut fortiſſima omnium mulierum quæ fuerint unquam in mundo: ſi ergo ipſa habuit dominium & plenam libertatem ſuper omnes actiones ſuas, credibile non eſt, quòd elegerit ipſa voluntariè deliquia animi, alienationes mentis, aut ſtupores ſenſuum, quæ omnia ſunt ſemimortes, ut teſtaretur Filio ſuo dolorem quo ipſa afficiebatur ex eó quòd videret ipſum mori: ſed potiùs dicendum eſt, quòd applicuit ipſa totam vim mentis ſuæ, & totam libertatem animæ ſuæ ad obſtringendum ſuum corpus ut firmum permaneret & invincibile in omnibus doloribus ſuis, ad patiendum tantum quantum poſſibile erat pati ſecundùm totam facultatem amoris, quo proſequebatur ipſa eundem Filium ſuum, nedum unquam deſineret ipſa pati, & ſentire actualiter talem dolorem, manens ſemper firma, & jugiter in ſuo primo vigore, ut eſſet ſemper capacior ſentiendi & ſuſtinendi doloris. *Stabat juxta crucem IESV Mater ejus*, canit Eccleſia s. [s Eccleſia ex Ioan. 19. 25.] Quod ipſa facere non potuiſſet, ſi ipſa deliquium animi paſſa fuiſſet, aut ſi mens & ratio vi doloris ſuſcepiſſent aliquod genus alterationis, cùm aliunde eſſet ipſa maximè infirma, tam propter fatigationes quas ipſa ſuſtinebat, quam quia per totum illud tempus ipſa nullum ſumpſiſſet alimentum. Ha quid! diceturne nobis quòd Machabæorum *ſupra modum mater mirabilis, & Bonorum memoriâ digna, quæ pereuntes ſeptem filios, ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo, ferebat propter ſpem quam in Deo habebat: ſingulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter, repleta ſapientiâ: & fœminea cogitationi maſculinum animum inſerens* t? [t 2. Machab. 7. 20. &c.] quòd *ſeptem fratres, filii ſanctæ Felicitatis, matre hortante, in fidei confeſſione perſeverantes, variè necati ſunt*? & quòd *S. Symphoroſa Tiburtina Getulii Martyris uxor*, quæ *ex eo ſeptem filios peperit, quæ filiis fidei magiſtra fuerat, dux eiſdem ad martyrium extitit*? ſicut canit Eccleſia: & quod B. Virgo *gratiâ plena* ſe permiſerit abripi dolore, & in terram ceciderit præ animi deliquio? Nunquam iſtud eſt dicendum: videremur enim injuriam illi irrogare: & ideò credere debemus, quòd, licèt ipſa commota fuerit ac turbata, cùm Filio ipſius *apparuit Angelus de cœlo, confortans eum* u, [u Luc. 22. 43.] & annunciavit ei omnia mala quæ paſſurus erat; cùm *Iudas, qui tradidit eum, accedens ad IESVM, dixit, Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum*; & milites & miniſtri *tunc acceſſerunt: & manus injecerunt in IESVM* x: [x Matth. 26. 47. &c.] cùm *apprehendit Pilatus IESVM, & flagellavit: & milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdederunt eum: &*

venie-

† Ioan. 19, 1 &c. *veniebant ad eum ; & dicebant, Ave Rex Iudæorum : & dabant ei alapas* † : ipſa dolores immodicos experta eſt, & commotiones in animâ maximas omnium quæ poſſint ſuſtineri ; & quòd ſecundùm partem inferiorem ipſa deſiderabat ardenter ut ipſe liberari poſſet à manibus inimicorum ſuorum : & quòd ipſa libenter inſumpſiſſet omnes creaturas ut venirent defenſum Creatorem ſuum à tot injuriis quas innocenter ſuſtinebat. Tamen ipſa nullam patravit unquam ex his actionibus, quas faciunt aliæ mulieres cùm afflictæ ſunt, quæ ſua ſcindunt veſtimenta, ſibi capillos evellunt, contentâ voce & buccis concrepantibus inclamant ſe infelices, vomunt maledictiones adversùs eos qui cauſa ſunt infortunii ipſarum & deſperatione cientur præ inſolentiâ & tumultu : aut ſicut aliæ, quæ amittentes viros ſuos, videntur perdere vitam, & velle ſe facere ſepeliri cum illis, replendo clamoribus omnia, ut commoveant amicos ſuos ad dolendum potiùs de eo quod ipſæ patiuntur, quàm ob jacturam virorum ipſarum : & forſan in animabus ſuis ſunt ipſæ maximè contentæ. B. Virgo non ſic ſentiebat & teſtabatur dolores ſuos ; præ ſe non ferebat infirmitatem mentis, nec diſſimulationem, nec oſtentationem lacrymarum, quæ ipſam inducerent ad præbendum aliquod teſtimonium doloris, quo ipſa correpta erat ; ſed ſolam veritatem doloris, qui apparebat in facie ipſius, & in ſtaturâ ipſius, ut verus teſtis cordis ipſius, & cogitationum ipſius : ſed id totum corrigebatur & ſuſtinebatur ratione, quæ manebat in vigore ſuo, & in optimo exercitio ſuo, teſtando eodem geſtu, & eodem vultu, & dolorem ſuum & conſtantiam ſuam, & infirmitatem corporis ſui & fortitudinem animi ſui. Etiam, Auditores : ipſa enim indigebat, & magnâ fide, & firmâ ſpe, & ardenti charitate, ſed conſtantiâ inconcuſſa, ut ſtaret, ſicut ſtetit, *juxta crucem IESV* y, tam corpore, quàm mente, videns agones, & expectans ultima ſuſpiria ejuſdem Filii ſui. y Ioan. 19. 25. Eſt is id quod magnanimitatem tribuit Abrahæ, ut ſe determinaret ad offerendum ſuum *Filium unigenitum, quem* diligebat, *Iſaac in holocauſtum* z juxta mandatum DEI, fuit firma fides, *Fide, obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur : & unigenitum offerebat, in quo ſuſceperat repromiſſiones ; (ad quem dictum eſt, Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen* a :) *arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt DEVS* b : in quo exercuit magnum actum fidei, & non amiſit ſpem quam habebat talis promiſſionis : fecit actum amoris, timoris, & obedientiæ erga DEUM, ſe diſponens ad implendum hoc mandatum ; & ſimul actum magnanimitatis, ſuperans teneritudinem affectus paterni, quem debebat filio ſuo, rationabili & generoſâ deliberatione complacendi potiùs DEO quàm ſibimetipſi : nunquid non credere debemus quòd hæc B. Virgo exercuit virtutes iſtas omnes in altiori gradu quàm illas in praxim redegerit Abraham ? & quòd memor illius quod Filius ſuus dixerat pluries, ſe reſurrecturum c, & ſtabiliturum in æternam poſteritatem ſuam *Eccleſiam & quòd portæ inferi non* eſſent prævalituræ *adversùs eam* d, ipſa conſenſit morti ipſius cum omni humilitate. Iſtud conſilium ſeu propoſitum MARIÆ fuit ipſi difficile : ipſa ſciebat quòd Pater æternus ſic illud decreviſſet e, &

z Gen. 22. 2. &c.
a ex Gen 21 : 12.
b Hebr. 11. 17. & 18.
c Matth. 20. 19. & Luc. 18. 33.
d Matth. 16. 18.
e Pſ. 39. 9.

quòd oportebat *pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* f. Et ſicut ipſa magis Patrem diligebat & Filium quam diligeret ſemetipſam ; ſic libenter omnibus ſuis abrenunciavit commodis, & voluptati, quâ ipſa fruebatur, videndi Filii ſui viventis, ne reluctaretur decreto DEI ſui : nam, ut ait S. Ambroſius g, *Non ignara fuit quòd genuiſſet reſurrecturum.* Unde ſicut vocetur à S. Epiphanio h *Candelabrum virgineum, quod illuſtravit tenebris involutos.* Juxta id quod dixerat Salomon i, *Non extinguetur in nocte lucerna ejus. Id eſt*, ſubdit Salazar k, *in Chriſti Domini obitu, ac paſſione, cum ferè diſcipulorum, & Apoſtolorum fides, ac ſpes extincta eſt, Deipara fides atque ſpes inextincta magis ac magis enituit. Sic Bernardus de lamentatione Virginis, Non deſperabat, ſed piè & juſtè dolebat, ſperans firmiter certiterque tenens ipſum, ſecundùm promiſſum ſuum, tertiâ die reſurrecturum. In ipſâ enim ſolâ in triduo illo fides Eccleſiæ ſtabat, & dum unuſquiſque heſitabat, hæc quâ fide concepit, fidem quam à Deo ſemel ſuſcepit, nunquam perdidit, ſpeque certiſſimâ Domini reſurgentis gloriam expectavit* l. *Quapropter quibuſdam perſuaſum eſt id ſibi velle Eccleſiam, cùm per tres Hebdomadæ majoris dies ad matutinas horas cereos duodecim extinguit, uno tantùm reſervato, qui ritus, teſte Amalario, innuit Chriſto obeunte ; & patiente, fidem ac ſpem in reliquis defeciſſe, ſed in unâ Virgine vivam atque ſplendidam perſeveraſſe.* Intelligite ritum iſtum ſicut vobis placuerit, & dicite, ſi velitis, quòd duodecim primi cerei ſignificant duodecim *Prophetas*, quos Judæi *occiderunt* m unum poſt alium uſque ad ultimum, & quòd ultimus denotat Filium DEI, quem ubi ipſi crucifigendum ſategerunt, ſemetipſos projecerunt in obſcuras tenebras infidelitatis, & extra ſpem videndi unquam Meſſiæ, quem adhuc invanum expectant. Ego autem intelligo per iſtos duodecim cereos duodecim Apoſtolos, & in illorum perſonis reliquos fideles qui tunc erant, qui aut præ timiditate, aut eò quòd non eſſent ritè fundati, vel præ malitiâ affectatâ perdiderunt fidem, & charitatem, quam habebant erga Filium Dei, *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt* n. Vel, ſi ſecundum conſuetudinem noſtræ regionis, velitis quindecim cereos ponere, quatuordecim primi repræſentant, duodecim Apoſtolos, & duos Evangeliſtas, cùm inter illos duo eſſent Apoſtoli & Evangeliſtæ ſimul : aut, ſi malitis etiam, quatuordecim figurant duodecim Apoſtolos, & alii duo diſcipulos & ſanctas mulieres, complectentes reliquos fideles, viros & fœminas : ſola autem B. Virgo conſervavit & auxit fidem ſuam, & charitatem ſuam : & fuit lucerna permanens & inextinguibilis repræſentata per tertiumdecimum aut quintumdecimum & ultimum cereum, quæ nunquam defecit. Non quòd velim dicere, Auditores, quod omnes Apoſtoli amiſerint omnino fidem illâ horâ præter B. Virginem : ſcio enim id quod Dei Filius promiſerat S. Petro, fidem ipſius permanſuram, & nunquam interrumpendam, *Simon, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* o. Hoc verò promiſſum non poterat eſſe niſi infallibile. Præterea, Non ignoro id quod tenet unanimis Theologorum conſenſus, quòd Eccleſia militans ex quo cœpit eſſe, nunquam deſivit eſſe : atqui ſi in morte Filii Dei, tota fides quæ eſt forma Eccleſiæ, defe-

f Luc. 24. 26.
g S. Ambr. lib. de Inſt. vir. Virg. c. 7.
h S. Epiph. ierm. de Laud. Deip. ex Zach. 4. 2.
i Prov. 31. 18.
k Salaz. in Prov. 31. 18. num. 104.
l S. Bern. tract. de Lament. B. M.
m Matth. 23. 31.
n Matth. 26. 56.
o Luc. 22. 31. & 32.

defeciſſet in Apoſtolis & non permanſiſſet niſi in ſolâ B. Virgine, nulla tunc fuiſſet Eccleſia: unica tunc enim fuiſſet perſona credens, & Eccleſia debet eſſe congregatio fidelium ſub uno Capite unitorum: Eccleſia igitur erat adhuc, & fides inveniebatur adhuc in aliquibus ultra B. Virginem, & forſan in omnibus Apoſtolis: & ſi *Petrus negavit p* Chriſtum, illum non negavit infidelitate, ſed puſillanimitate: credebat enim ſemper in animâ ſuâ id, quod credere debebat de Domino ſuo: ſed ſicut perfecta fides non ſolùm debet eſſe interna, ſed etiam confeſſione externâ & operibus congruis ſuſtinere debet id quod profitetur, & Petrus iſtud non fecit: noluit enim illum fateri prout Dominum ſuum; ſic peccavit contra præceptum fidei, & ipſe, & omnes ſocii ipſius qui fugerunt. Fuerunt igitur cerei extincti, aut eò quòd non eſſet in ipſis hæc externa, quæ *ore confeſſio fit ad ſalutem* q. Vel ſi habebant fidem, non habebant charitatem, quæ vivificat iſtam fidem: aut ſi aliquis ex ipſis cuſtodivit hanc charitatem cum fide, hanc conſervavit cum ſic exiguo fervore, ut videretur ipſe, ſicut & alii (ſi qui erant) inſtar lampadum extinctarum intuitu B. Virginis, quæ nunquam defecit in fide ſuâ, in charitate ſuâ, & in conſtantiâ ſuâ, ſtans ſicut rupes inconcuſſa *juxta crucem Ieſu* r. Non quòd velim dicere, B. Virgo, quod ſis inſenſibilis: detraherem enim ſexui tuo, & amori tuo: ſed intelligo quòd ſenſus tuus, vel affectus tuus nunquam concuſſit fidem & conſtantiam tuam: & ſi omnes triſtitiæ quib⁹ uſque nunc affecta es, perculerunt cor Filii tui, & auxerunt dolores ejus, ſcito quòd magnanimitas quam teſtaris ſtans *juxta crucem Ieſu*, ſpeciali perfundit oblectamento Patrem æternum qui te videt: *Non video quid habeat in terris Iuppiter pulchrius, ſi convertere animum velit, quàm ut ſpectet Catonem jam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum*, dicebat Seneca s. Ego verò dicere poſſum pro majori veritate, quòd Pater æternus incredibili rapitur voluptate, cùm te conſiderat ſic firmam, & ita invincibilem, ſtantem ſub cruce coram tot ruinis publicis, non ſolùm corporis Filii tui, ſed etiam omnium creaturarum t quæ in ruinam ſuam vergere videntur intuitu ſpectaculi ſic inuſitati. O ſi Abraham agnoviſſet quòd uxor ſua Sara conſenſum ſuum dare debuiſſet ſacrificio filii ſui Iſaac, non reliquiſſet illam domi, *Saræ hic non fit mentio; unde videtur eâ inſciâ, (utpote quæ nimis tenerè ſuum diligebat Iſaac) hæc omnia feciſſe Abraham* u: ſed libenter duxiſſet illam uſq; ad apicem montis Moria: non enim poſſibile eſt, ut, cùm cogitabat de illâ, & memor erat quòd ei narranda eſſent omnia quæ ipſe peregiſſet conſummatis omnibus, novas non haberet difficultates, æquè ac anxietates ad ſe determinandum ad obediendum voluntati Dei: & ſi vidiſſet eam paratam ad aſcendendum ſecum mortem, & ejuſdem cum ipſo voluntatis, ipſe dolore ſuo partim ſeſe expertus eſſet alleviatum: ſed quod Abraham facere non eſt auſus erga uxorem ſuam, hoc Pater æternus egit erga te, quæ es *Sponſa Trinitatis* x. Agnoſcens enim te ſic bonâ, tantiſq; meritis repletam, quaſi difficultates expertus eſt ad ſe determinandum ad inferendum mortē Filio ſuo. *Tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem quem creavi* y. Sed majores quaſi expertus eſſet, ſi te agnoviſſet imparatam ad obediendū decreto ſuo; ſed intuitus voluntatem tuam diſpoſitam ad conſentiendum omnib⁹ quæ ipſe acturus eſſet, voluit ut iſta citò ſcires, & aſcenderes ſuper montē Calvariam, qui eſt *alia pars Moria extra urbem Ieruſalem, in quo tam Iſaac, quā Chriſtum per Iſaac ſignificatum, immolatum eſſe* z prævidiſti: ita ut duobus iſtis virtutib⁹ tibi devinxeris Patrē, & Filium: Filium magnâ compaſſione intuitu dolorum ipſius; & Patrem conformatione omnium affectuum, æquè ac commodorum tuorum ad voluntatem ipſius. Non agitur igitur ampliùs ut te determines ad volendam mortē ejus: actum eſt enim de illo: corpus ejus eſt totum lacerum, & ſanguine opertum, & anima illius ivit ſpoliatum infernum, & eductum è poteſtate Satanæ animas fideliū, quæ exierunt ex iſto mundo cum fide & cum ſpe adventus iſtius Redemptoris: *Et expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* a.

p Matth. 26. 69. & 70.
q Rom. 10. 10.
r Ioan. 19. 25.
s Senec. lib. Cur bonis viris mala accidant c. 2.
t Matth. 27. 45. &c. & Luc. 23. 45.
u Cornel in Gen. 22. 1 citans Ioſeph S. Chryſoſt. & Petr.
x S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
y Gen 6. 6. & 7.
z Cornel in Gen. 22. 2.
a Coloſſ. 2. 15.

Omnes creaturæ b videntur lugere ſuper mortem tanti Domini: ſed ſi ſeriò examinarentur, ipſæ dicerent, quòd ſi ex iſtâ jacturâ triduanâ ſuccedere debet reparatio famæ facienda Creatori ſuo qui ab ita longo tempore erat offenſus, ipſæ ſunt eâ contētæ. *Angeli pacis amarè* c fleverunt, videntes Dominum ſuum ſic dirè exceptum, & non valentes ei ſuccurrere: ſed cùm dictum eſt ipſis, quòd non erant confirmati in gratiâ d niſi per fidem quam habuerant futurorum meritorū Filii Dei, non auſi ſunt ampliùs plures admirationes, aut plures planct⁹ edere: quin imò Pater æternus, licèt hic eſſet Filius ſuus, & inde ipſe ſentiret veluti cor ſuum dolore commotum, ex quo ſtatuit ut ſibi ſatisfieret in rigore juſtitiæ, vidēs quòd nullū eſſet aliud remedium redimendo generi humano opportunum quàm *proprio Filio ſuo non parcendo, ſed pro nobis omnibus illum* e tradendo, cōſenſit ſecundo propter primum, & animæ Patrum licèt videre voluiſſent eum, qui ipſas redimebat, in corpore & in animâ nedū mortuus eſſet, tamē quādo ſciverunt, quòd erat neceſſarium ut moreretur ad peragendum hoc opus redemptionis generalis, contentæ fuerunt videre animam ejus ſolam, imò verò conceperunt novam probationem ſuæ reſurrectionis, ratæ quòd ille qui poterat ipſas ab ergaſtulis inferni liberare per deſcenſum animæ ſuæ, poſſet & ipſarū corpora redimere ex ergaſtulis terræ per mortem & ſepulturam ſui corporis. Tu verò Virgo Sacratiſſima, licèt multum fleveris, & dolueris magis quàm omnes creaturæ ſuper mortem Filii tui, quia illum magis diligebas, quàm eum illæ omnes diligerent, illumq; magis planxeris quàm Pater æternus, qui non eſt capax doloris ſicut tu es: tamen acceptâ certitudine magnorum bonorum quæ inde reſultabant, & ſpe quam habebas ipſum citò reſumpturum eſſe corp⁹ ſuum inductum immortalitate, ſtatuiſti conſentire morti ejus. Et ſicut cùm Raphaëli Archangelo *dixit Tobias, Nunquid poteris perducere filium meū ad Gabelum in Rages: dixit ei Angelus, Ego ducam, & reducā eum ad te* f: ſicut reverà illum reduxit poſt recuperata patri debita, & procuratā filio uxorem g: ſic à prima die Veneris vel Sabbathi iſtius Quadrageſimæ tibi promiſimus, nos non derelicturos eſſe Filium tuum in iſtâ magnâ peregrinatione quā peracturus erat, & nos eſſe reducturos eum ad te: quod & fecimus: nam comitati ſumus eum *in montem Olivarū* i, in prætorium Pilati, per compita Jeruſalem, *& in eum qui dicitur Calvariæ locū, ubi crucifixerunt eum* k milites. Quòd autem nunc reducamus illum ad te, hoc non eſt in noſtrâ modò ſitum poteſtate: eſt enim nunc cruci ſuffixus. Sed quare ſoliciti ſumus ob eum tibi reddendum, & illum ad te reducendum? Nunquid non iſti ſpectaculo interfuiſti? Annon eum ſemper es comitata, ſi non corpore, ſaltem mente? Nonne ſcis ipſa melius quàm nos omne iter quod peregit? heu iſtud eſt ſcitu facile: iſtius enim ſatis vivas derelinquit ipſe notas interventu ſanguinis ſui è toto corpore ipſius diffluentis! En igitur ipſe ſuper

b Matth. 27. 45. &c. & Luc. 23. 45.
c Iſai. 33. 7.
d Apoc. 12. 7.
e Rom. 8. 32.
f Tob 5. 14 & 15
g Tob. 11. 17. & 18.
i Luc 22. 39 &c.
k Ioan. 19. 17. &c.

iſtâ

iſtâ cruce: & ſi non potes illum amplecti, ſicut affectus tuus deſideraret, expecta tantiſper, & duo è diſcipulis ejus aſcendent ſuper iſtam ſcalam, & illum deponent de cruce inter brachia tua: invenies in eo faciem alteram quàm haberet cùm diſceſſit à te: ſed ideò quia inter itinerandum *Sol juſtitiæ* l obſcuravit ipſi faciem: ſed ipſe te, æquè ac amicos ſuos exorabit ut ad illud non attendatis, *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decoloravit me Sol* m, inquiet hæc ſacra facies. Tibi autem fieri debet ſatis, quòd ipſe eſt, & non alius. Et ſi in hoc ſtatu quis denuò tibi congratulari velit, dicens tibi, *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*: Id eſt, ſuper gremio tuo, noli turbari, aut exclamare, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quia cùm alias fuerit *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* n, nunc *non eſt ſpecies ei neque decor* o. Nam ſtatim tibi reſpondebimus, *Spiritum ſanctum ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Unde concipies novos ardores, & reſtitues ei citò vitam, & bonum colorem ſuum per reſurrectionem ſuam, quam petes à Deo, & quam æquè facilè impetrabis ac obtinuiſti primâ vice incarnationem & nativitatem ejus. Sua recuperaverit debita, quæ ſunt animæ, quæ redimentur ipſius *ſanguine* p. Veniet deſponſatus: nam ſibi deſponſaverit *Eccleſiam, quam ſanguine ſuo* q acquiſiverit, & quæ fuerit *facta de latere dormientis* r ipſius. Habebis ergo, Virgo ſacra, id omne quod tibi promiſſum fuerit, & eris denuò Mater iſtius Filii Dei, non ampliùs mortalis & miſeri, ſed glorioſi & immortalis; cùm dixeris in omnibus nuntiis à quolibet de morte ejus tibi relatis, hoc verba humilitatis & obedientiæ, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Sine ergo ut tibi valedicam.

Interim, Auditores, veſtrâ intereſt cogitare quis eſt iſte qui crucifixus eſt, propter quid crucifixus eſt, & qui ſunt illi qui crucifixerunt eum. Primum vos excitabit ad admirationem, ad gratiarum actionem, & ad imitationem: eſt enim Deus qui patitur, & qui cruci ſuffigitur. Secundum vos inducet ad notitiam enormitatis peccati, ad horrorem peccati, & ad agenda opera contraria peccato. Tertium verò producet in vobis pudorem, quo operiemini pro eo quòd concurreritis ad hunc actum flagitioſum, deſiderium ſatisfaciendi ei pro hâc offenſâ quam illi irrogaſtis, & perpetuam contritionem de peccatis veſtris. *Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſùm ſemetipſum contradictionem* s. Videte quiſnam eſt ille qui eſt in cruce, & invenietis quòd ipſe eſt *Chriſtus Filius Dei vivi* t. Et admiramini quomodo fieri potuit, ut talis perſona ſic mutata ſit, ut creaturæ vim habuerint inferendæ mortis Deo, *qui ſolus habet immortalitatem* u. Aſpicite favorem inæſtimabilem, quo Deus vos cumulavit, cùm dedit vobis vitam ſine pretio, & ſanguinem valoris infiniti, ſicut ipſe *non habet finem* x, ad redimendas animas veſtras, & ad reddendos vos immortales; & agnoſcite in hoc æternam obligationem, quâ eſtis illi devincti. Æſtimatis vos fœlices, ſi Princeps aliquis vos ſalutet; magni ducitis munus quod ſuſceperitis à Rege, non tam propter ſalutationem, neque propter munus, quàm ratione perſonæ unde iſta provenerunt: ſed quomodo non æſtimaretis hunc

l Malach. 4, 2.
m Cant. 1, 5.
n Pſ. 44. 3.
o Iſai. 53. 2.
p Apoc. 5, 9.
q Act. 20. 28.
r S. Aug. conc. 4. in Pſ. 105.
s Hebr. 12, 3.
t Matth. 16, 16.
u 1. Timoth. 6, 16.
x Baruch 3, 25.

Principem, aut iſtum Regem, qui diceret vobis, quòd ſi pœnæ eſtis addicti, pati vult ipſe pro vobis; & quòd ad hoc ut faciat vos fieri Reges, ipſe non ſolùm vult dare coronam ſuam, ſed etiam perſonam ſuam? Ha nunquid Deus non eſt magis quàm Rex? Ipſe vos ſalutavit, cùm *inclinato capite tradidit ſpiritum* y. Dedit vobis coronam ſuam, cùm *milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus* z. Sed ipſe fuit *in laboribus à juventute* a *ſuâ*, quos experiri debebatis ut intraretis *in Regnum Dei* b. Et nunquid non æſtimabitis hunc favorem? Quid autem cogebat ipſum ad ſuſtinendos tot labores? Amor: *oblatus eſt, quia ipſe voluit* c? Nonne ſufficit iſta ſola ratio ad inducendos vos ad imitationem ejus? Putabatis quòd crux eſſet res probroſa; ipſa non eſt ampliùs talis ex quo Deus ipſam honoravit: quòd eſſet laborioſa; ipſa non eſt ampliùs gravis: æſtimabatis infamiam ac alapam ſuſcipere, parcere, &c. Ha! totum nunc eſt glorioſum: Jeſus Chriſtus enim totum ſanctificavit: quis enim unquam facere potuiſſet ut res quæ non fuerunt productæ niſi per peccatum, fierent glorioſæ, & meritoriæ? *Per peccatum mors* d. Crux & mala non veniunt niſi è peccato; & res erat infamis ac pati, & mori: ſed ex quo Jeſus Chriſtus, *qui peccatum non fecit* e, *ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis* f; honor eſt illis qui ipſum ſequuntur, *Si compatimur, ut & conglorificemur* g. Sed intuemini, ſi placet, enormitatem peccati, cùm alius præter Deum ſatisfactoriam non poſſet illius peragere pœnitentiam: & ſicut cùm *facta eſt tempeſtas in mari*, hæc non ceſſavit donec *nautæ tulerunt Ionam, & miſerunt in mare, & ſtetit mare à fervore ſuo* h: ſic ex quo fuit unicum peccatum in mundo, ira Dei ſic efferbuit ut mitigari non poſſet, niſi magnus iſte Propheta Jeſus projectus eſſet in gurgitem mortis infamis crucis. Ha! nunquid non abhorrere deberemus peccata quæ quotidie patramus, cùm pro illis ſatisfieri non poſſit Divinæ Juſtitiæ niſi per mortem Dei? Quid? vellemuſne nos ingratitudinibus noſtris nobiſmetipſis *rurſum Filium Dei* i *crucifigere*? Cogitabimuſne quòd ſola peccata Adæ & primorum aliorum patrum noſtrorum, crucem invexerint ſuper Filium Dei? Peccata quæ commiſimus, & quæ quotidie patramus, ei patibulum paraverunt: meritum enim ejus eſt infinitum; omnes homines ipſe diligit, & cùm *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* k, ipſe nos omnes repræſentavit, *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* l. Prævidebat enim quòd indigeremus *ſanguine* ſuo m. Sumus igitur nos opifices paſſionis ejus: Judas enim, Judæi, Pilatus, & carnifices n non ſunt moliti ruinam ejus, niſi in nomine noſtro. Ne putetis autem vos excuſare: vos enim ſuperbi, coronâ ſpineâ redimiſtis eum: vos fœneratores, ſpoliaſtis eum veſtimento ipſius: Vos iracundi, lanceam cordi illius infixiſtis: Vos pigri, alligaſtis ei pedes: Vos falſarii, perforaſtis illi manus: Vos ambitioſi, feciſtis illum aſcendere in crucem: Vos impudici, ſtraviſtis illum nudum ſuper hoc triſte cubile: Vos detractores illum falsò accuſaſtis coram inimicis ipſius: Vos blaſphematores, feciſtis illum audire tot blaſphemias, quæ

y Joan. 19. 30.
z Joan. 19. 2.
a Pſ. 87, 16
b Act. 14, 21.
c Iſai. 53, 7.
d Rom. 5, 14.
e 1. Petr. 2, 22, ex Iſai. 53, 9.
f 1. Petr. 3, 18
g Rom 8, 17.
h Jon. 1. 4, &c.
i Hebr 6, 6.
k Ephes. 5. 2.
l 2. Cor. 5. 15.
m Apoc. 1. 5.
n Joan. c. 18. & 19.

quæ vomitæ ſunt adverſùs ipſum palàm Pilato o: Vos voluptuoſi, flagellaſtis eum: Vos æquo liberiores, eum vinculis conſtrinxiſtis: Vos qui amatis luxum, induiſtis eum veſtimento purpureo ptæ deriſu: Tandem, vos omnes qui deſideratis vivere voluptuoſè, & diu, vitam abbreviaſtis ei morte infami. Sed ſi concurriſtis ad inferendam ei mortem iſtam, pœnitentiam agite peccatorum veſtrorum, & ipſe vobis impetrabit miſericordiam à Patre ſuo, & vobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* p.

o Luc. 23, &c.
p Pſ. 83, 12.

DOMINICA PALMARUM.

Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21, 5. &c. ex Iſai. 62. 11. & ex Zach. 9. 9.

MIrum non eſt, Auditores, ſi hodiernâ die Filius Dei agnitus & proclamatus ut Rex, ingreditur ut ſic civitatem Jeroſolymitanam triumphans & glorioſus, cùm non exiverit *à Patre, & in mundum* a venerit niſi ut Victor, atque Monarcha; *Et data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret* b. Nimirum, ait Dionyſius Carthuſianus c, *Et data eſt ei, videlicet, Chriſto ſecundùm quod homo eſt, à Deo, ſeu à totâ Trinitate corona, ſeu dignitas Regia, poteſtas dominativa, beatitudo completa. Exivit itaque vincens diabolum ſuâ profundiſſimâ humilitate, mundum ſuâ paupertate, carnem ſuâ caſtimoniâ, ut vinceret. Nam adverſarios ſuos ſuæ poteſtati ſubjecit, quoſdam convertendo ad fidem & obedientiam, alios deſerendo & abjiciendo damnationi per propria æquitatis ſententiam. Propter quod ait Propheta, Sagitta tua acuta (populi ſub te) cadent in corda inimicorum Regis* d. *Et item, Dominare in medio inimicorum* e. Re autem verâ, Dominicâ primâ Quadrageſimæ triumphavit de diabolo, & de omnibus inſultationibus ejus f. Dominicâ verò præcedenti ſuam propalans innocentiam, ſuis quaſi bellum indicebat inimicis, ut ipſum jure merito alicujus inſimularent criminis, dicens eis, *Quis ex vobis arguet me de peccato* g? Hodiernâ verò die de totâ triumphat civitate Jeroſolymitanâ, *Turba autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis.* Spiritus Divine, qui inflammans corda hominum, linguas eorũ inducis ad concinendos hymnos, & ad publicandas laudes: tu qui es *Sapientia* quæ aperis *os mutorum, & linguas infantium diſertas* h facis hodiernâ die: dignare ſolvere linguã meam, ut triumphi iſtius propalẽ magnitudines. Tu verò Virgo ſanctiſſima, Genitrix digniſſima Triumphatoris noſtri, continua favores iſtos die iſtâ, quâ Filio tuo agnito & proclamato ut Rege, ipſa conſequenter inſtitueris Regina Statuum illius. Sancta Eccleſia, *quæ eſt corpus ipſius* i, æquè ac Sponſa, hoc glorioſo te inſignit nomine; & omnes nos fideles ut dilecti filii ejus, *Quia membra ſumus corporis ejus* k, ſalutantes te cum illâ, dicimus tibi ſimul cum eâ, *Ave Regina cœlorum.*

a Ioan. 16, 28.
b Apoc. 6, 2.
c Dion. Cart. art. 7. in Apoc. 6, 2.
d Pſ. 44, 6.
e Pſ. 109, 2.
f Matth. 4, 1, &c.
g Ioan. 8, 46.
h Sap. 10, 21.
i Ephe. 1, 23.
k Ephes. 5, 30.

Pſalmiſta l loquens de adventu Filii Dei in terram, illum ſic ritè expreſſit ut illi interfuiſſe videatur, ita exactè obſervavit illius mirabilia, dicens ei, *Viderunt ingreſſus tuos, Deus, ingreſſus Dei mei; Regis mei qui eſt in ſancto.* Quid clarius? Loquitur in plurali, ut oſtendat Dei filium multos feciſſe ingreſſus in hunc mundum. Primus ingreſſus eſt ille, quem fecit in uterum Virginis ſanctiſſimæ, Genitricis ſuæ puriſſimæ, cùm noſtram ſumens naturam, ſe fecit hominem, *Et Verbum caro factum eſt* m. Ingreſſus, cujus magnitudo Angelis cœli admirationem cauſavit, & hominibus terræ ſtuporem, & ſilentium. Ingreſſus verè magnificus, ut teſtantur Legati, quia *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo* n. Unde S. Bernardus o ait, *Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui quâlibet ex causâ crebrò ſoleant ad terras fungi legatione. Quod & ex ejus nomine palàm intelligi datur, quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur.* Sic iſte fuit conatus Omnipotentis, *Fecit potentiam in brachio ſuo* p. Spiritus ſanctus huic ingreſſui interfuit, cùm myſterium Incarnationis virtute ipſius peractum ſit, *Maria inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* q. Quid glorioſius? quid auguſtius? Secundus ingreſſus fuit ille, cùm iſte Divinus *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* r incipiens ſuos diffundere radios, & ſe intuendum exhibere ut Regem cœli & terræ, agnitus eſt & adoratus à parvis & magnis, ab ignobilibus & nobilibus: *Viderunt enim aperte Iudæi ingreſſum Chriſti per mundum, utputà quòd in Chriſti nativitate adimpleta erant omnia per Prophetas* s *de venturo Meſsiâ prædicta. Viderunt in ejus ingreſſu Angelos cantantes, Gloria in altiſſimis Deo. Angelum clarâ voce dicentem, Annuncio vobis gaudium* t, *&c. Magos ab Oriente Chriſtum adorare, ſtellâ duce venientes* u, ait Incognitus x. Tertius ingreſſus fuit *in Ægyptum* y. Hunc ingreſſum prædixerat Iſaias z, *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.* Ibi ſuam manifeſtavit potentiam, in terram proſternens & deſtruens idola, & inde ejiciens diabolum, qui ibi ſua reddebat oracula, ita ut probroſo receptu fugam capeſſere inde coactus ſit, & dicere per os Sibyllæ,

l Pſ. 67, 25.
m Ioan. 1, 14.
n Luc. 1, 26.
o S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt.
p Luc. 1, 51.
q Matth. 1, 18.
r Eccleſ. ex Malach. 4, 2.
s ex Iſai. 7, 14. & 9. 6.
t ex Luc. 2, 7. &c.
u ex Mat. 2. 1. &c.
x Incognit. in Pſ. 67. 25.
y Matth. 2. 14.
z Iſai. 19, 1.

Me Puer Hebræus cedere ſede jubet.

Hæc confeſſio diaboli propriam fatetur infirmitatem, æquè ac potentiam illius qui ipſum fugabat è mundo, in quo ipſe ſuum collocaverat thronum, & exercebat imperium, *Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* a. Quartum ingreſſum ſuum fecit hodiernâ die in civitatem Jeroſolymitanam invitis Rabbinis, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Ingreſſus iſte de nullo alio poteſt intelligi, quàm de Jeſu Chriſto, cujus rationem reddit S. Chryſoſtomus b, *Sæpè quidem etiam antea, nunquam verò ita clarè in Ieruſalem aſcendit: non currus, ut cæteri Reges, agens, non vectigalia exigens, non elatus tumore, nec ſatellitibus conſtipatus: ſed magnam undique monſtrans humilitatem. Interrogetur ergo Iudæus, quiſnam Regum aſinâ vectus Ieroſolymam intravit? Neminem profectò præter Chriſtum dicere poſſunt.*

a Ioan. 12, 31.
b S. Chryſ. hô. 67. ex c. 21. Matt.

Non

Non latet vos, Auditores, quomodo Principes terreni, & Magnates mundi in ſimilibus occaſionibus magnificum præ ſe ferunt apparatum, non eſt aliquid quod in illorum triumphis non ſplendeat, ibi aurum rutilat, & ipſi ſunt tanquam aſtra ſplendorem & lumen circumquaque diffundentia, & populus ferè infinitus ſequitur ad honorandas magnitudines hujuſmodi Principum: hîc autem pro toto ſtipatu non intuemur niſi duodecim Apoſtolos vilibus veſtimentis indutos; pro equitatu nonniſi *aſinam, & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Pro aulæis & tapetibus pretioſis nonniſi ſtrata *veſtimenta in viâ.* Pro arcubus triumphalibus nonniſi *ramos palmarum* c. Pro concentu muſico nonniſi *pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David* d. Pro palatio nonniſi idem templum: nec ullum convivium, quod, ſecundùm maximas mundi, terminat gloriam Triumphatoris, cùm cogatur exire è civitate ad quærendam alibi cœnam, *Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique manſit* e. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus f, *Nocte illâ cum ſuis diſcipulis in domo Marthæ. Et probabile eſt, quòd nullus in Ieruſalem audebat recipere eum hoſpitio propter metum Pontificum, & conſpirationem Scribarũ.* De Filio Dei & Mariæ intelligitur ergo hic ingreſſus, cùm nemo unquam tali fuerit exceptus apparatu. Publicatur *Rex.* Et exercet ut Victor imperiũ ſuper corda, æquè ac ſuper labia populi iſtius, *Cùm audiſſent quia venit Ieſus Ieroſolymam: acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviàm ei, & clamabant, Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël* g. Jeſus igitur triumphat hodiernâ die, ſed manſuetudine ſuâ, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Ipſe eſt victor cordium, & imperium ipſius eſt amantiſſimum. Futurus ego ſum, Auditores, præco triumphi illius, eumque vobis exhibebo intuendum evectum uſque ad celſiſſimum gloriæ apicem, ut illum deinde vobis repræſentem ad infimum contemptûs gradum depreſſum.

c Ioan. 12, 13
d Matth. 21, 15.
e Matth. 21, 17.
f Dion. Carth. art. 35, in Matth. 21, 17.
g Ioan. 12, 12.

Diviſio. Iſtæ duæ conſiderationes conſtituent duas partes diſcurſus iſtius, quæ oſtendent vobis eum altiſſimè elevatum, & profundiſſimè depreſſum: Primò evectum ad gloriam triumphi ut Regem, & Victorem: Secundò depreſſum ad confuſionem & ignominiam crucis quaſi reum, & malefactoré.

I. Pars. Ad majorem intelligentiam myſterii quod celebramus hodie, & ad clariorem notitiam illorum quæ dicturus ſum, res eſt incipienda ab ipſâ origine, & ſciendum quòd poſtquàm *Ieſus voce magnâ clamavit, Lazare veni foras; & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus: quidam ex ipſis,* id eſt, ex Judæis, *abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Ieſus ergo jam non in palàm ambulabat apud Iudæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis* h. Sive ad aſſumendas arbores ſolitudinis illius in teſtes innocentiæ ſuæ, & miraculorum ſuorum, quia Judæi obſtinati nolebant eis credere, ut ipſe Jeſus iiſdem exprobraverat jam, *Quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis* i. Sive quia in illâ civitate Ephrem, ut ait Dionyſius Carthuſianus k, *etiam habitaverunt Iudæi, ſed non adverſarii Chriſti. Et ibi morabatur cum diſcipulis ſuis, hoc eſt, Apoſtolis paucis diebus. Nam in principio ſequentis capituli fertur, quòd ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam.* S. Lucas l autem ait, *Et factum eſt, cùm appropinquaſſet Ieſus ad Betphage & Bethaniam ad montem qui vocatur Oliveti.* Quod exponens idem Carthuſianus m, dicit, *Secundùm Gloſſam. Betphage fuit villa, ſeu viculus Sacerdotum prope montem Oliveti. Habebant enim Sacerdotes veteris Teſtamenti vicos extra civitatem ad alendum pecora ſua. Bethania quoque villa fuit non longe à latere montis præfati. Sciendum verò, quòd Lucas non obſervat hic ſtrictè ordinem rei geſtæ. Primò etenim venit Chriſtus in Bethaniam, ſcilicet Sabbatho ante ramos palmarum, & ibi tunc factum eſt convivium, de quo in Ioanne* n *legitur, in quo Lazarus unus fuit diſcumbentium, & Martha miniſtrabat. Die autem ſequenti veniens Ieſus à Bethaniâ in Ieruſalem, tranſivit per Betphage, quæ erat in medio, & ſic venit ad montem Oliveti: qui ideò ſic vocatur, quoniam multæ olivæ creſcebant in eo.* Betphage erat locus, in quo erant multa paſcua, & quò Sacerdotes mittebant agnum paſchalem deſtinatum ad faciendum paſcha, ſecundùm legem Exodi o, & quem deinde illinc educebant cum inſtrumentis muſicis, & aliis hujuſmodi ceremoniis ad immolandum eum: Dei Filius igitur lucem daturus huic umbræ, cujus erat ipſe corpus & complementum; huic figuræ, cujus erat ipſe realitas, venit è deſerto Ephrem, ut oſtenderet, *quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem* p. Et quòd vellet triumphare, antequàm pergeret ad immolandum. Vult igitur ut victoria præcedat triumphum, contra praxim mundi, intendens demonſtrare inde quòd ipſe ſit verè Rex, & Rex innocens, ut oſtendit Dominicâ præcedenti inimicis ſuis, dicens eis, *Quis ex vobis arguet me de peccato* q? Ideò ut Rex, & ut victor ipſe vult triumphare hodiernâ die: propterea in paſſione ſuâ dicturo ſibi Pilato, *Tu es Rex Iudæorum* r? nihil eſt reſponſurus, ut totum fateatur ut innuere videtur Tertullianus s, dicens; *Hic enim Pilato interroganti, nihil locutus eſt: in humilitate enim judicium ejus ſublatum eſt* t. Nihil eſt tunc locuturus, cùm hodie ſe Regem manifeſtet coram totâ civitate Jeroſolymitanâ, quæ procedit ipſi obviàm ad ſuſcipiendum ipſum præ iſtâ qualitate cum innumeris applauſibus, & acclamationibus, *Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis.* Quin imò Præſes qui laturus eſt decretum capitis adverſùs ipſum, agnoſcendum exhibebit eum ut Regem, cùm iſtum ponet *titulum ſuper crucem, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Et cùm dicturi ſunt *Pilato Pontifices Iudæorum, Noli ſcribere, Rex Iudæorum:* reſpondebit *Pilatus. Quod ſcripſi, ſcripſi* u. Quaſi diceret, Quod ſcribendum ſaregi, verum eſt, nec id, quod dixi, retracto. Jeſus igitur triumphat ut Rex, ſed triumpho amoris, ſic ipſe eſt *Princeps pacis* x. Non eſt melior, nec glorioſior triumphus victori, nec utilior victis, nec quem potiùs eligant, eo qui refertur abſque violentiâ, ſed præ dulcedine: hoc etiam modo Jeſus Victor cordium, & *Rex manſuetus,* vult de iis triumphare, & de illis reverâ triumphat amore.

h Ioan. 11. 47, &c.
i Ioan. 8, 37.
k Dion. Carth. art. 29. in Ioan 11, 54.
l Luc. 19, 29.
m Dion. Carth art 42, in Luc 19, 29.
n ex Ioan. 12, 1, & 2.
o Exod. 12, 3. &c.
p Ioan. 13, 1.
q Ioan. 8, 46.
r Ioan. 18 33.
s Tert. lib adverſ. Iudæos c. 13
t ex Iſai. 53, 8.
u Ioan. 19 19. & 21.
x Iſai. 9, 6.

Mihi non placet ferox agendi modus populorũ illorũ, qui nihil ducunt victoriam relatã abſque ullo labore, & omnem gloriam ſuam conſtituunt in violentiâ, & in effuſione ſanguinis. Hæc fortunata temeritas quę revertitur è certamine onuſta ſpoliis hoſtilibus, mihi diſplicet, cũ conſcia ſit tot homicidiorũ; hujuſmodi victoriæ tantũ sũt funeſtæ, quantũ glorioſæ, & majorẽ cauſant moleſtiã victis.

victis, quàm lætitiam victoribus. Hallucinantur illi (meâ quidem ſententiâ) qui autumant ſpecioſiſſimas lauros colligendas eſſe inter ruinas: ratio enim præcipuum debet ſemper exercere officium in conſiliis noſtris; & hoc eſt illi injuriam irrogare, ac eam poſtponere furori & violentiæ armorum: & jure merito damnatur verbum iſtud cujuſdam Imperatoris Romani, qui odio habitus à ſubditis ſuis, inſipienter reſpondit, *Oderint, modò metuant*. Proprium eſt tonitruis timorem & terrorem incutere, quippe quæ totam percellant naturam: ſed Principibus convenit ſubditorum ſuorum amores ſibi conciliare: Jeſus non vult regnare ut Tyrannus, cui non obeditur niſi coactè, omnes ſubditi ejus ſunt voluntarii, nec ullos vult captivos qui ſua non ament vincula: noſtros exigit affectus, & hic eſt primus articulus Legis ipſius hæc verba amoris præ ſe ferentis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ* y. Hæc eſt tota gloria triumphi ipſius. Sic Philippus Macedonum Rex, qui natus erat diſertus, quique tantâ præditus erat induſtriâ ut conciliaret ſibi Legatos Provinciarum alienarum Curiam ipſius adventantium ad negotia tractanda, dicere ſolitus erat, ſe majoris æſtimaſſe dulces illas victorias, quas referebat ſine ſtrepitu eloquentiâ ſuâ, quàm alias tumultuoſas & ſanguinolentas, quas victi nunquam habebant acceptas, quaſque victor referre non poterat abſque ingenti ſtrage, & jacturâ immodicâ: ego verò neſcio utrùm id, quod ſcribit de eo Calepinus z, ex illâ ipſius dulcedine, & eloquentiâ, quâ ſibi populos conciliabat, originem habuerit, mirum quòd iſte *Philippus, Amyntæ filius, & Alexandri Magni pater, Macedonum Rex, rei militaris peritiſſimus, rebuſque geſtis clariſſimus, Macedoniæ Regnum quod anguſtis anteà finibus continebatur, adeò ampliavit, ut centum quinquaginta populi in Macedonum ditione numerarentur*. Amplior eſt gloria ſuperare inſtar Solis ſuaviter, quàm more Aquilonis perflantis violenter ad affligendum viatorem: Jeſus victor cordium triumphat hodiernâ die de totâ civitate Jeroſolymitanâ manſuetudine ſuâ, ſicut brevi triumphabit de morte, & de inferno potentiâ ſuâ, *Ero mors tua, ô mors: morſus tuus ero inferne* a. *Et expolians Principatus, & Poteſtates, traducet confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo* b. *Id eſt, in proprii corporis crucifixione*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus c. Ingreditur hodiernâ die hanc civitatem gloriâ micans, Majeſtas ipſius ſplendet. Sed obſervate quòd Scriptura non repræſentat nobis eum cum illâ pompâ quæ comitatur triumphatores in ſimilibus occaſionibus, ut diſcamus, quòd ſi triumphat, hunc triumphum ſuâ refert ipſe manſuetudine, & clementiâ, quæ omnia devincit corda, *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus* d. Tota victoria debetur manſuetudini ejus, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*. Aut, ſicut dixit Zacharias, *Veniet tibi juſtus, & Salvator*. Non ſicut Reges mundi cum terrore, ſed *Juſtus* erga Deum Patrem, *Pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* e. *Et Salvator* intuitu noſtri, *Et Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* f. Quænam manſuetudo, ratione cujus *erant appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum* g. In triompho illius inveniuntur palmæ, & olivæ, quæ ſunt ſymbola ſuavitatis, æquè ac victoriæ, ut innuatur quòd ipſe non vult triumphare niſi præ amore, *Hoſanna Filio David*, cui propria erat manſuetudo, *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus* h.

y Matth. 21, 37.
z Calepin. in Diction. v. Philippus.
a Oſee 13, 14.
b Coloſſ. 2, 15.
c Dion. Carth. art. 2, in Coloſſ. 2, 15.
d Prov. 20, 28.
e Coloſſ. 1, 20.
f Apoc. 1, 5.
g Luc. 15, 1.
h Pſ. 131, 1, & ex 1. Reg. 24, 5, &c.

Scio quidem, & verum eſt, vincere poſſe aliquem, & triumphare de aliis, tribus variis modis, aut vi, aut authoritate, aut manſuetudine. Vi potentes vincunt infirmos, authoritate Principes ſuperant ſubditos ſuos, ſuavitate verò parentes ſibi conciliant liberos ſuos, & iſte non eſt propriè niſi triumphus amoris. Deus iſtis omnibus triumphare poterat modis, Auditores. Fortior eſt hominibus, quippe qui *Deus Fortis* i. Nemo eſt qui æquiparari poſſit ei quantùm ad fortitudinem, & quantùm ad authoritatem, *Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* k. Sed non vult triumphare niſi præ amore prout *Pater noſter* l. Aliàs ipſe indixit certamina ineunda violentiâ, ſuam adhibuit authoritatem, ſed non cum tanto ſucceſſu, quanto cùm inſumpſit amorem. Amor tribuit ipſi imperium, & facit ipſum Regum cordium, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*. Manſuetudinis præ ſeſe fert inſignia, nec ipſi quis aperit ſui cordis oſtium niſi præ hâc conditione. Aliàs ſubjicere ſibi voluit Deus homines violentiâ. Modò, *Factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram, & delevit Deus omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus* m. Deinde, *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & univerſos habitatores urbium* n. Præterea, Cùm *Dathan & Abiron Principes populi ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Core, quando adverſus Dominum rebellaverunt; aperiens terra os ſuum, devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* o. Inſuper, *Factum eſt in nocte, venit Angelus Domini, et percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia* p. Sed hæc arma ſunt nimis infirma; alio modo enim expugnanda eſt arx cordis humani: nihil proficit Deus rigore ſuo, niſi fortè ut rebelles efficiat. Poſteà, Utitur authoritate ſuâ, ſuam magnificat potentiam miraculis, ſuſcitando mortuos q, æquè ac illuminando cæcos r, erigendo claudos s, & *infirmos* t ſanando: ſed hæc omnia invanùm: iſta enim mirabilia non inducunt inimicos ipſius ad inhærendum currui triumphi ipſius, ad concinnandas ipſi coronas, ad decernendos ipſi honores; quin imò magis irritant animos hujuſmodi obſceſſorum, *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, et dixerunt eis quæ fecit Jeſus* u. Sed venitne cum manſuetudine? Ecce ſtatim unuſquiſque eum ſequitur, *Hoſanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis*. Sic corda non conciliantur niſi amore, oportet ut captivi ſint voluntarii. Prædicet quantùmcumque voluerit S. Joannes Baptiſta Divinitatem ejus, propalet illius miracula, ventilet ipſius authoritatem, *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt* x. Nimirùm *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* y. Cui à me baptizato *confeſtim ecce aperti ſunt cœli: et vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, et venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* z. Nemo ad hæc attendit: majeſtas illius, cujus extollit S. Joannes Baptiſta excellentias, magis irritat animos: ſed ſtatim ac S. Joannes ſtylum ſuũ deprimit, eumque repræſentat

ut

i Iſai. 9, 6.
k Apoc. 19, 16.
l Matth. 6, 9.
m Gen. 7, 17.
n Gen. 18, 24, & 25.
o Num. 26, 9. & 10.
p 4. Reg. 19, 35.
q Joan. 11, 43.
r Matth. 9, 29.
s Matth. 21, 14.
t Luc. 4, 40.
u Joan. 11, 46.
x Ioan. 1, 27.
y Ioan. 1, 18.
z Matth. 3, 16. & 17.

Google

ut manſuetum more agni, *& ait, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* a: diſcipuli ipſius ipſum deſerunt, ut divertant ad Jeſum; hæc manſuetudo eos conciliat, illos attrahit, eſt lenocinium ſuave, potens, & efficax quod compellit ſuaviter voluntates ſine coactione tamen, & abſque violentiâ, & eas ſubire facit deditionem, ducens illas præ triumpho, *Alterâ die iterùm ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis ejus duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit, Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.* Quin imò hodiernâ die audimus ipſos *pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David.* Ut meliùs publicent gloriam triumphi ejus. Sic Scriptura *b* deſcribens deſiderium vehemens Patriarcharum & Prophetarum, iſtis utitur verbis, *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ.* Ut manſuetudo & clementia ejus attrahat corda ad amorem ipſius. Et in hoc ſtatu triumphat, & inducit homines ad ſe amandum, & ad alligandos ſe voluntariè & inſeparabiliter currui triumphi ipſius. Sic nullos habet ipſe ſubditos qui non ſint ſubjecti voluntariè legibus ipſius, & omnes ipſius captivi ſua amant vincula, & maximo ducunt honori ſuam ſplendentem ſervitutem, quæ meliorem ipſis impertitur libertatem, *quâ libertate Chriſtus* c ipſos liberat. Quàm fœlices ſumus, Auditores, cùm ſerviamus tanto Principi, qui regnare non vult in cordibus noſtris niſi præ manſuetudine & amore! Noſtra ſubjectio facit nobis monarchias: incipimus enim regnare, cùm obſequimur Principi, cui *ſervire, regnare eſt,* ut dicitur.

Nobis ergo jam credentibus, ubique Sponſus pulcher occurat, exclamat S. Auguſtinus *d. Pulcher Deus, Verbum apud Deum* e: *pulcher in utero Virginis: ubi non amiſit Divinitatem, & ſumpſit humanitatem* f. *Pulcher natus infans Verbum: quia & cùm eſſet Infans, cùm ſugeret, cùm manibus portaretur, cæli locuti ſunt, Angeli laudes dixerunt* g, *Magos ſtella direxit* h, *adoratus eſt in præſepi, cibaria manſuetorum. Pulcher ergo in cælo, pulcher in terrâ, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis* i, *pulcher in flagellis* k, *pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens* l, *pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro, pulcher in cælo* m, *pulcher in intellectu.* Hâc igitur die triumphi exclamemus præ gaudio cum hoc populo, *Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini.* Cùm pulchritudo, manſuetudo, & dilectio Salvatoris conciliet ipſi imperium ſuper corda noſtra, ut ait illi Pſalmiſta *n*, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna.* Sic cœlum, quod cauſam illius amplectitur, videns eum tantâ & ſic glorioſâ qualitate honoratum, ſolicitat nos ut gaudeamus in ſubjectione noſtrâ, *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Ieruſalem* o. Et quare? *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Amittimusne igitur libertatem noſtram ſub tanto Domino? Non eſt aliquid nobis glorioſius hâc ſervitute. Dicamus ei ergo, *Specie tuâ, &c.* Ut regnet ſuper nos, ut diſponat nos prout ipſi placuerit, & quòd parati ſimus obedire omnibus voluntatibus ipſius.

Sed quàm miſeri ſunt Judæi, cùm opponant ſe gloriæ ejus. Verum quidem eſt, quòd invidia ſit proſperitati alienæ id, quod tinea eſt panno, rubigo metallis, & umbra corpori, quod ſemper ſequitur ipſa: ſic ſpecioſas actiones comitatur inſeparabiliter invidia. Quænam rabies Judæorum! Sibi ſupplicia conciliant ex fœlicitate Filij Dei. Quanta invidia eorum! Conantur offundere caligne lumina, quæ iſte *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* p diffundit per totam civitatem Jeroſolymitanam, *Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna Filio David: indignati ſunt, & dixerunt ei, Audis quid iſti dicunt?* Invidia illos exiccat, illius proſperitas eſt ipſorum carnifex, ejus paradiſus eſt eorum infernus, & gloria illius eſt illorum confuſio; nec æquo ſuſtinere poſſunt animo honorem, qui ei exhibetur: ſed ijſdem invitis aſcendit ipſe ſuper thronum per eoſdem gradus, quos illi præparabant ei ut illum deſcendere facerent in præcipitium: & tota illorum invidia ſervit ad extollendam gloriam triumphi ejus, nedum eam obſcuret.

Sed quæri poſſet quare Filius Dei ita proximus morti ſic ignominioſæ, ſuſcipere voluerit honores, ſed honores qui videbantur imaginarij. Ad ſecundum reſpondeo. Verum eſt, quòd, ſi duntaxat immoremur in cortice, honores iſti videnter imaginarij, cùm in illis nullam intueamur majeſtatem, nec ſplendentem apparatus magnifici pompam: videre enim eum aſſidentem aſinæ, ſtipatum duodecim piſcatoribus, aut vilibus hominibus, & tumultuoſâ puerorum multitudine circumdatum, diceretur hoc potiùs eſſe feſtum alicujus pagi, quàm triumphus Regis: nemo eſt qui de hoc ambigat: Sed ſi ſedulò & accuratè univerſas triumphi iſtius examinemus circunſtantias, videbimus quòd nunquam Principes terreni triumphaverunt majori ſplendore gloriæ & majeſtatis quàm triumphet hodiernâ die Jeſus Chriſtus. Et hoc oſtendo tribus exiguis rationibus, quas eruo è tempore, è loco, & ex apparatu.

Primam rationem educo è tempore, quia triumphat ante victoriam, quod non pertinet niſi ad Deum ſolum: nunquam enim vidimus aliquem triumphaſſe ante certamen, quin conſequenter viderimus eum probroſâ confuſione opertum, & ſuperatum. Iſtam nos edocent Hiſtoriæ veritatem: dicuntur enim Germani procedentes aliàs ad bellum ineundum contra Romanos, detuliſſe ſecum funes & vincula, quibus ſuos ligarent captivos, quos imaginabantur ſe ditioni ſuæ ſubjecturos: ſed Fortunam experti adverſam, ijſdem funibus & vinculis fuerunt ipſi ligati ab ijſdem Romanis, à quibus victi ſunt: ita verum eſt, quòd terrenis Principibus non competat triumphare ante certamen initum, cùm exitus certaminis ita ſit ambiguus. Secundam rationem, quæ extollit gloriam triumphi Jeſu, elicio è loco, cùm Jeſus triumphet in medio inimicorum ſuorum, quod eſt contra morem aliorum Regum, qui triumphant in ſuâ Metropoli in medio amicorum & ſubditorum ſuorum. Tertiam rationem tandem deſumo ex apparatu, *Turba multa quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia venit Ieſus Ieroſolymam: acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviàm ei* q. Palmæ autem ſunt ſymbola victoriæ. Et, *Straverunt veſtimenta ſua in viâ* r, per quam erat tranſiturus. Qui honor non fuit aliàs exhibitus niſi illis qui agnoſcebantur ut Reges, ut delatus eſt Jehu honos iſte, ſtatim ac ad Regiam evectus eſt dignitatem, *Hæc dicit Dominus, unxi te Regem ſuper Iſraël. Feſtinaverunt utique, & unuſquiſque*

a Joan. 1. 29. &c.
b Iſai. 16. 1.
c Galat. 4. 31.
d S. Aug. in Pſ. 44. in princip.
e ex Joan. 1. 1.
f ex Luc. 1. 38.
g ex Luc. 2. 7. &c.
h ex Matth. 2. 1. &c.
i ex Ioan. 2. 7.
k ex Ioan. 19. 1. &c.
l ex Ioan. 20. 1. &c.
m ex Pſ. 10. 5.
n Pſ. 44. 5.
o Zach. 9. 9.
p Eccleſiâ ex Malach. 4. 2.
q Joan. 12. 12. & 13.
r Matth. 21. 8.

tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus ejus, in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tubâ, atque dixerunt, Regnavit Iehu s. Cùm hujuſmodi apparatu illum Regem ſuum agnoſcerent ſubditi.

s 4. Reg. 9. 12. & 13.

Ad primum, quare Jeſus ſuſceperit ante mortem ſuam honores, quos recuſaverat in vitâ ſua, ut ait S. Joannes t, *Ieſus cùm cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus*: reſpondet S. Bernardus u, quòd ſicut ipſe mori voluit inter præclaros dies ſuos; ſic mortem oppetere dignatus eſt medios inter honores: cùm enim moritur homo ſenio confectus, paupertate & infamiâ oppreſſus, dicitur ordinariè, quòd Deus illi immodicam impertitus eſt gratiam, eò quòd illum eduxerit è miſeriâ, in quâ jacebat: ſed cùm quis inventute florens, divitiis affluens, & honoribus opulentus, in hoc ſtatu è medio abripitur, interitus illius unumquemque miſericordiâ ciet, imò verò ipſe dolores mortis ſenſibiliùs experitur: ita Jeſus Chriſtus ut ſenſibiliùs experiretur injurias mortis ſuæ, voluit ingredi triumphans in civitatem Jeroſolymitanam, ut tranſiret ab extremo ad extremum, & deſcenderet à ſupremo honoris apice ad infimum ignominiæ gradum, *Quid fuit quòd proceſſionem habere voluit, qui mox futuram noverat paſſionem? Fortè ut amarior eſſet paſſio, quàm proceſſio præceſſiſſet.* Ut intuendum exhiberet amorem, quo homines diligebat, perpeti voluit id omne, quod poterat tolerari. Propter eandem rationem permiſit ut ſibi *Maria pedes* x ungeret, ut unguentis aperientibus poros, & emollientibus corium, caro ipſius poſteà ſenſibiliùs perciperet dolorem, cùm ipſi perforandi eſſent pedes, & terebrandi in cruce y. Et ob eandem cauſam dum *factus in agoniâ, prolixiùs orabat; factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* z. Id eſt, foras emiſit ſanguinem, quem natura mittebat ad auxiliandum cordi, ut omnino pateretur univerſa illa, quæ ſuſtineri poterant.

t Ioan. 6, 15.
u S Bern. ſerm. 2. Dominic. in Ramis Palm.
x Ioan. 12, 3.
y Ioan. 19, 18.
z Luc. 22. 43. & 44.

Idem S. Bernardus ſtatim pòſt, aliam affert rationem, quare Jeſus Chriſtus ſub finem vitæ ſuæ ſuſcepit honores ſibi exhibitos ab Jeroſolymitis Ut nimirum oſtenderet, quantùm inconſtantes ſint homines, qui veſpere vitam eripiunt ac honorem illis, quibus manè reverentiam exhibuerunt, quoſque innumeris extulerunt laudum acclamationibus; & qui excipientes hodiernâ die Dei Filium præ triumpho, poſt dies quinque crucis patibulo ſuffigendum eum ſategerunt: *Ab eodem enim populo, in eodem loco, & ipſo tempore paucißimis diebus interpoſitis, primò cum toto triumpho ſuſceptus, poſteà crucifixus eſt. O quàm diſsimile eſt, Tolle, tolle, crucifige eum, &, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis! Quàm diſsimile, Rex Iſraël, &, Non habemus Regem, niſi Cæſarem! Quàm diſsimiles, Rami virentes, & crux; flores, & ſpina! Cui priùs ſternebantur veſtimenta aliena, ecce ſuis exuitur, & ſors mittitur ſuper ea.* a Quod edocet nos, ne inflemur vanitatibus, honoribus, & proſperitatibus mundi. S. Auguſtinus b exponens hæc verba Pſalmiſtæ, *Fallax equus ad ſalutem*, ait illa intelligenda eſſe de vanis proſperitatibus mundi, dicens, *Mandax equus ad ſalutem. Mentitur tibi equus, quando promittit ſalutem.* Fortunæ mundi ſunt inconſtantes, & fallaces; elevant, ut deprimant, ſicut videbimus in Jeſu Chriſto in hâc poſteriori parte.

a ex Ioan. 19, 1. &c.
b S. Aug. conc. 2. in Pſ. 32, 17.

II. Pars.

Non eſt aliquid inconſtantius homine, mutatio eſt illi naturalis, nec poteſt niſi præ miraculo per multum tempus perſeverare idem, *Homo vanitati ſimilis* c, *nunquam in eodem ſtatu permanet* d. Et hæc erat aliàs apud Romanos recepta conſuetudo, ut poneretur retro Triumphatorem præco, qui diceret ei jugiter, *Hominem te eſſe memento.* Eique iſtam ſæpè repeteret humilitatis lectionem, ne fortè animus illius extolleretur, & intumeſceret nimis inſolente præſumptione inter acclamationes populi, neve oblviſceretur ſuipſius, & accidentium hujus vitæ ita mutationi obnoxiæ. Idem dico tibi, Salvator adorande, inter omnes iſtos applauſus, inter omnes has laudes, *Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: hoſanna in altißimis.* Nimirum, *Hominem te eſſe memento.* Vel potiùs, *in die bonorum ne immemor ſis malorum* e. *Id eſt, in tempore proſperitatis temporalis, memento adverſitatis, quæ accidere poteſt* f. Quæque tibi brevì accidet: res enim agitur tibi cum populo; qui non minus habet inconſtantiæ in conſiliis ſuis, quàm Protheus varias præ ſe ferat figuras, & diverſos induat chamæleon colores ſecundùm diverſitatem objectorum quæ ipſi præſentantur: voluntatem mutabit, & tantùm pernicioſas humanitati tuæ formabit voluntates, quantùm ex quarum teſtimonium præ ſe fert hodie, ipſi videntur proficuæ & glorioſè perutiles: habeto, ſi placet, hanc gloriam præſentem ſuſpectam, & timeto jure merito ne tranquillitas iſta tandem convertatur in turbines & tempeſtates. Non habet aliquid mundus quod non ſit fallax & doloſum, blanditiæ ejus ſunt funeſtæ omnes, debemuſque illi diffidere, Auditores, ut perfido, & inimico, qui prodit nos quandiu nobis adulatur; nec nos beatos efficit, niſi ut miſeriores nos reddat: agit inſtar Chirurgi qui blanditur venæ, ut illam meliùs perforet: debemus ſemper timere, cùm fœlicitatem perſæpè ſequatur infortunium. Propteteà Salvator noſter triumphantem ſuum facit ingreſſum *ſedens ſuper aſinam*, non autem inſidens currui compacto è nubibus cæruleis, ornato radiis Solis, & vecto à Cherubinis: corda requiruntur probatiſſima, quæ non evaneſcant inter iſtas occaſiones ſplendentes; neceſſaria eſt virtus non mediocris, quæ non deficiat; & adeſſe debet gratia ſpecialis cœli, quæ inter proſperitates cuſtodiat animos ne labantur, *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione* g. Super quod Lorinus h ait, *Euthymius peropportunè annotat, his verbis Deum adjutorem eſſe, tum in proſperitate, ut eam quis conſervet, & ne in ignaviam calamitatum matrem incidat* Et hoc eſt motivum lacrymarum, quas effundit Filius Dei in maximo triumphi ſui ſplendore, *Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam, dicens, Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis* i. Super quod Dionyſius Carthuſianus k ait, *Cùm eam corporalibus oculis aſpexiſſet, ſignum præcipuæ compaſſionis monſtravit, præſentem civitatis iniquitatem atque futuram ipſius calamitatem ac pœnam deſlendo, qui non ſolùm ſecundùm quod Deus, ſed etiam ſecundùm ſcientiam ſuam creatam ac inditam, civitatem illam, omnemque ejus proprietatem & qualitatem ab incarnationis exordio infallibiliter vidit intellectuali intuitu: ſed hâc vice ſenſibiliter eâ viſâ præcipuæ compaſſionis motum ſponte aſſumpſit, quem & materialibus lacrymis tanquam*

c Pſ. 143. 4.
d Iob. 14. 2.
e Eccli. 11, 27.
f Hug. Card. in Eccli. 11, 27.
g Pſ. 9. 10.
h Lorin. in Pſ. 9. 10.
i Luc. 19, 41 & 42.
k Dion. Carth. [illegible] 2. in Luc 19. 41. & 42.

Google

quam ſigno certo oſtendit. Itaque videns urbem præfatam, ejuſque pulchritudinem exteriorem, deflevit ipſius culpam, & pœnam tam temporalem quàm æternam, Nomine autem civitatis, habitatores ejus intelliguntur. Dicens, Quia & ſi cognoviſſes, id eſt, ſi miſeriam & everſionem tibi imminentem cognoſceres, & tu utique fleres, quæ modò infœliciter excœcata lætaris cùm maleféceris, & exultas in rebus peſſimis l, *quia propriam perverſitatem non penſas, & pœnas tibi debitas ac inſtantes non prævides. Et quidem in hâc die tuâ, hoc eſt, in tempore parvo & labili, quo tuis vanitatibus, non Creatoris tui vivis honori, & cultui, quæ ad pacem tibi, id eſt, ea habes, quæ ad tuam carnalem, fallacemque pertinent pacem Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, hoc eſt, adverſa tibi imminentia nunc te latent, quia & mihi ea tibi prænuncianti credere aſpernaris.* Hæc eſt moderatio quam affert Salvator inter maxima motiva gaudii, quod ipſe percipere potuiſſet ab hominibus, niſi illorum agnoviſſet inconſtantiam & mutationem, quæ ita debebat ipſi eſſe injurioſa, ac iſtæ acclamationes eam præcedentes videbantur ipſi eſſe glorioſæ

l ex Prov. 2. 14.

Iulius Cæſar, omnium Romanorum Imperatorum clariſſimus, quemque unum ex Romanis habemus, quem Alexandro Macedoni non modò conferre, verùm etiam jure poſſumus præponere, ait Calepinus *m*, qui triumphavit de numero hoſtium ferè infinito, cùm multoties in civitate Romanâ triumphaſſet, in eaque ſuſceptus fuiſſet univerſaliter cum gaudio & applauſu ab omnibus illius incolis in gratiarum actionem pro beneficiis ab eo ipſis impenſis, & cum omni reverentiâ poſſibili, Pater Patriæ vocatus, & fuerit, ut ait idem Calepinus *n*, *Iulius, menſis dictus quintus à Martio, in honorem* ipſius ejuſdem *Iulij Cæſaris, proptereà quòd eo menſe ad quartum Idus Quintiles fuerit natus : anteà enim Quintilis dicebatur* : omiſſis multis aliis honoribus ipſi exhibitis, qui erant præſagia triſtis alicujus eventus, odio & invidiâ ſuperantibus bonitatem & clementiam iſtius Principis, pugionibus confoſſus eſt in ipſo Senatu Romano. Heu! Auditores, audebone dicere, quod idem eventurum ſit Jeſu Chriſto Regi non ſolum Romani Imperij, ſed etiam totius mundi ? *Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* o. Omnes honores iſti, hic magnificus apparatus, iſtæ palmæ, hæc ſtrata *veſtimenta in viâ*, iſte populus innumerus qui aërem canticis laudum replet, *Hoſanna Filio David*, &c. hæc dignitas Regia quæ ipſi offertur, nunquid non horæ ſunt infallibiles mortis ipſi ſub finem iſtius hebdomadæ inferendæ ? Iſtos *ramos palmarum* p videbimus converſos in flagella *q*: hoc diadema Regium mutatum in *coronam de ſpinis* r. Hæc ſtrata *veſtimenta in viâ*, in nuditatem verſa : omnes laudes iſtas mutatas in blaſphemias *s*, omnes iſtas benedictiones in improperia converſas, & totam iſtam gloriam mutatam in infamiam.

m Calep. in Dictiõ V Iulius Cæſar.

n Idem. Ibid. V. Julius.

o Apoc. 19. 16.

p Ioan. 12. 13.

q Ioan. 19. 1.

r Joan. 19. 2.

s Matth. 27. 39. &c.

Sic eſt, Auditores ; intra dies quinque *ipſe ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum* t. Invidia Scribarum & Phariſæorum qui machinantur illius ruinam, vincet manſuetudinem ejus : ſuſcipiunt eum hodiernâ die cum pompâ, ſed ideò ut illum occidendum ſatagant tanquam victimam deſtinatam ad mortem.

t Iſai. 53. 7.

Quàm perfidus eſt mundus ! Infœlix eſt ille qui ei confidit, imprudens qui in eo ſuas ſpes collocat, & inſenſatus qui inconſtantias illius non formidat. Non eſt aliquid certius miſerijs ejus : ſi ita dirè excepit Creatorem ſuum, quomodo non excipiet illos, erga quos tantam non tenetur impendere reverentiam ? Si infidelis fuit Filio Dei, non debent homines ſibi polliceri ſe mitiùs ab illo excipiendos, nec fœliciorem ab eo expectare exitum. Sic iſtas edocta Eccleſia veritates, vult ut eaſdem addiſcant filij ſui ex ceremoniis quas ipſa exercet, deferendo *ramos palmarum* in proceſſione, & ſtatim pòſt legendo Paſſionem. Quod inducit S. Bernardum *u* ad quærendum quænam poſſit eſſe hæc intentio, *Quid ſibi vult mirabilis iſta conjunctio, aut quid cogitaverunt Patres noſtri Paſſionem addentes proceſſioni ? Nam proceſſio quidem meritò repræſentatur hodie, quia facta eſt hodie. Paſſio verò cur addita eſt, quam ſextâ Feriâ conſtat eſſe ſecutam ? Opportunè itaque proceſſioni Paſſio conjuncta eſt : ut diſcamus in nullâ lætitiâ hujus ſæculi habere fiduciam, ſcientes quoniam extrema gaudij luctus occupat* x. *Propterea non ſimus ſtulti, ut occidat nos proſperitas noſtra ; ſed in die bonorum non immemores ſimus malorum, & è converſo* y. Gloria mundi iſtius eſt inſtar floris, cùm marceſcat eodem ferè inſtanti quo exoritur : ideò habendæ ſunt noſtræ proſperitates ut ſoſpectæ & formidandi adverſæ Fortunæ impetus. Hunc magnificum apparatum triumphi Salvatoris noſtri comitantur lacrymæ ipſius, & tandem ſequitur ipſius paſſio & mors. Quis autem hoc dixiſſet ? quis iſtud crediſiſſet ? & quis iſtam eruiſſet conſequentiam è tam fœlicibus præmiſſis ? Heu ! *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri* z. Fœlicitas ſeu proſperitas mundi iſtius quaſi gradus vitreus eſt, non eſt aliquid eâ fragilius & inconſtantius. Quis autem unquam in animum induxiſſet, quòd populus iſte ita ſollicitus ob honorandum hodie Salvatorem, foret ipſi crucem paraturus ? Heu quàm fallax eſt mundus ! Ne imitemur hunc populum ingratum, firmi ſimus in conſiliis noſtris, conſtantes in obſequiis Deo exhibendis, incipiamus eum laudare in tempore, ut laudes ejus continuemus in æternitate, dicentes ſinguli, *Benedicam Dominum in omni tempore : ſemper laus ejus in ore meo* †. Satagamus ut olivæ noſtræ ſint ſemper virides, & palmæ noſtæ novas capeſſant vires depreſſionibus ſuis : adhæreamus ut captivi currui triumphi ejus in hoc mundo per gratiam, ut uniri poſſimus ei in altero per gloriam.

u S. Bern. ſerm. 2. Dom in Ramis Palm.

x ex Prov. 14. 13

y ex Eccli. 11. 27.

z Iſai. 40. 6.

† Pſ. 33. 2.

IN

IN FESTO S. THOMÆ DE AQUINO CONFESSORIS, ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Sap. 10. 10.

SOcietas favorabilis ſcientiæ & pietatis non invenitur in mundo niſi præ miraculo: reperitur illa in cœlo ubi Sancti ſunt docti & devoti. Homines quærunt ſcire, ſed non benefacere; & ut plurimùm virtutis ſectandæ ſtudium deſerunt, cùm ſcientiarum periti evadere incipiunt. Scriptura *a* doctos vocat Stellas, *Qui docti fuerint, quaſi ſtellæ.* Sed non me latet etiam, quòd, juxta eandem Scripturam *b*, *Stellæ cadent de cœlo. Myſticè, hoc eſt, multi literati avertentur à fide*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *c*. Et Lucifer qui in cœlo incedebat ſuper Stellas, conculcat nunc eas in abyſſo, & infernus non eſt niſi aſtris pavimentatus, Cecidit *de cælo Lucifer, qui manè oriebatur*, & corruit *in terram qui gentes* vulnerabat *ad infernum in profundum laci* d detractus Seu, *Et ecce draco magnus rufus, & caudæ ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* †. Ex iſto non eſt S. Thomas numero, cùm peritus non fuerit niſi ſcientiæ Sanctorum, *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Schedulam in quâ ſcriptis exaratum erat ſacrum Mariæ nomen, ipſe deglutivit à tenerís annis, ut ſenſibilior evaderet ipſius devotio erga ſanctiſſimam iſtam Deiparam. Sciebat ipſe ſcientiâ Divinâ, quòd in Jeſu Chriſto Filio Dei & Mariæ *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* e. Et quòd eoſdem theſauros ipſe inveniebat in eâdem ſanctiſſimâ illius Genitrice, quotieſcumque dicebat illi, more Angeli, *Ave Maria.*

a Dan. 12, 13.
b Matth. 24, 29.
c Dion. Carth. art. 39. in Matth. 24, 29.
d Iſai. 14. 12, & 15.
† Apoc. 12, 3. & 9.
e Coloſſ. 2, 3. & 9.

Diligere Deum & eum non cognoſcere, proprium eſt mortalibus; cognoſcere eum & illum non diligere, ſcientia eſt dæmonum; diligere & cognoſcere illum ſimul, ſolis convenit Sanctis in cœlo, qui diligunt eum & illum cognoſcunt, nec illum cognoſcunt niſi ut illum melius diligant, *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, ait ejuſdem Dei Filius, Patrem ſuum alloquens apud S. Joannem *f*. Et Dionyſius Carthuſianus *g*, *Ex hoc conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac prima veritatis clara, & immediata, eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa fœlicitas: tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt.* Tres ignes invenio qui clarè intuendam nobis exhibent hanc diſtinctionem per convenientiam quam habent cum his tribus luminibus. Horum primus comburit, nec illuminat. Secundus illuminat, nec calefacit. Tertiùs verò claritatem habet & ardorem ſimul. Ignis inferni comburit, ſed non illuminat miſeras illas animas, aut mentes, quæ ſunt victimæ infortunatæ juſtitiæ Dei; dæmones, æque ac reprobi ardent hoc igne qui nullum emittit ſplendorem. Alius eſt ignis qui illuminat, ſed non inflammat: teſtis eſt Lucifer, qui cùm eſſet totus lumen, non habebat ardorem: nam ſuo dicebat *Lucifer in corde, Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis* h. Super quod S. Bernardus i illum ſic alloquitur, *Heu miſer in lateribus Aquilonis! Frigidus eſt mons ille, non te ſequimur.* Tertius ignis qui ardorem fert cum ſplendore, eſt ille quo utimur, qui nos calefacit quandiu nos illuminat, & iſte eſt omnium perfectiſſimus: *Eſt enim*, ut ait idem S. Bernardus k, *tantùm lucere vanum: tantùm ardere parùm: ardere & lucere perfectum.* Hoc igne ardebat, æquè ac lucebat S. Joannes Baptiſta, de quo ait S. Joannes Evangeliſta *l*, *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Et idem S. Bernardus. *Non ait, lucens & ardens: quia Ioannis ex fervore ſplendor, non fervor prodiit ex ſplendore. Sunt enim qui non eo lucent, quia fervent, ſed magis fervent ut luceant. At iſti planè non fervent charitatis ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis.* Iſte eſt ignis qui inflammat & illuminat Beatos qui inhabitant triumphantem *ſanctam Ieruſalem, habentem claritatem Dei* m. Illuminat illos cognitione Dei, ut ait Dionyſius Carthuſianus *n*. *Habentem claritatem Dei, id eſt, Divinæ & increatæ lucis copioſiſſimâ participatione perfuſam. Fulgebunt enim Iuſti ſicut Sol in Regno Patris eorum* o. Et accendit illos amore Dei, ut ſuprà expoſuit idem Carthuſianus. Hic ignis accendit cor S. Thomæ, & illuminat mentem, ejus conſtituendo thronum ejus non *in lateribus Aquilonis* p, inſtar Luciferi, ſed in Meridie, ubi vigent ardores, æquè ac ſplendores: propterea Deus *dedit illi ſcientiam Sanctorum*, faciens illum diſcipulum, ut eſſet Magiſter. Fuit igitur Primò S. Thomas diſcipulus Dei. Secundò Magiſt. hominum.

f Joan. 17, 3.
g Dion. Carth. art. 41. in Joan. 17. 3.
h Iſai 14. 12. & 13.
i S. Bern. ſerm. 4. in Advent. Dom.
k Idem ſerm. in Nat. S. Joan. Bapt.
l Joan. 5. 35.
m Apoc. 21. 10.
n Dion. Carth. art. 22. in Apoc. 21, 10.
o ex Matth. 13. 43.
p Iſai. 14. 13.
Diviſio.

Anima noſtra eſt in nobis vinculum cœli & terræ, æternitatis & temporis, Dei & hominis: per illam enim unimur Deo, qui eſt Pater omnium unionum, & cōmunicamus perfectionibus illius, *Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus eſt* q. Illam collocare poſſumus in triplici ſtatu. Aut deorſum in parte inferiori, quæ beſtijs competit, & hoc eſt detrahere nobilitati originis illius. Aut in medio noſtri, id eſt, cum homine. Aut ſurſum, ſupra nos in parte ſuperiori, id eſt, cum Angelis. Si conſtituamus illam in parte inferiori, non habet ipſa aliud objectum præter voluptates & delicias, more beſtiarum quæ ſolos ſuos explere quærunt appetitus: animales autem homines iſti indigni ſunt nomine rationalium, quod inhonorant ſuis praxibus infamibus, non viventes niſi inſtar brutorum, ſemper immerſi voluptatibus quæ ipſos in cathegoriâ beſtiarum collocāt, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* r. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt*

I. Pars.
q 1. Cor. 6, 17.
r Pſ. 48 13, & 21

Spiritus

Spiritus Dei s. Nimirum, ut exponit Dionyſius Carthuſianus t, *Animalis homo, id eſt, carnalis & vitioſus, cujus affectus & intellectus in ſenſibilibus detinentur, non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, id eſt, ſpiritualia bona.* Si conſideremus eam in nobis, in medio noſtri, non tendit ipſa niſi ad vanitatem: hæc, eſt motivum præcipuum cujus intuitu ipſa ſuas producit operationes; nec unquam potentiùs agunt homines, quam cùm iſto ſtimulantur vanitatis aculeo: ideò ſtatim ac Protoplaſtis noſtris *dixit ſerpens, Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum;* *de fructu comédit* u uterque vetito. Sed ſi elevemus animam ad ſupremum domicilium, ad apicem mentis; fertur ipſa ad Deum, ipſa eſt ferè tota Divina, non obit ipſa ampliùs niſi officium Angelorum, incumbens omnino cognitioni veritatis: ipſa eſt veluti immunis à materià, & in hâc eminenti qualitate non agit ipſa niſi ex commercio quod init ipſa cum Angelis, & cum Beatis, & dicere poteſt verè, *Noſtra autem converſatio in cælis eſt* x. Id eſt, *Per contemplationem & deſiderium bonorum cæleſtium. Eorum itaque converſatio eſt in cælis, qui omnia temporalia atque carnalia tranſcendentes, cæliformem & Angelicam vitam ducunt in terrâ, illi uni, quod ſolum neceſſarium eſt* y, *totâ mente intenti*, ait Dionyſius Carthuſianus z.

s 1. Cor. 2, 14.
t Dion. Carth. art 2, in 1. Cor. 2, 14.
u Gen. 3, 4, &c.
x Philipp. 3. 20
y ex Luc. 10, 42.
z Dion. Carth. art 9, in Philipp. 3. 20.

Dicite autem mihi, ſi placet, In quonam ex iſtis tribus ſtatibus collocabimus glorioſum Doctorem noſtrum S. Thomam? Nunquid in infimo voluptatis cum brutis, ipſum, qui ſemetipſum eſt intuitus quaſi natare in proprio ſanguine ob ordinarias flagellationes, qui auſtera jugiter exercuit jejunia, quique non intermiſſum omnibus corporis voluptatibus & deliciis bellum indixit per continuas ſuæ carnis macerationes? Nequaquam. An conſtituemus eum in medio, in vanitate, ſicut homines mundi, qui hoc ſolo ad agendum ducuntur motivo? Minimè. Cùm ita fuerit humilis, ut nunquam primis fuerit impetitus vanitatis & ambitionis inſultationibus. Licèt enim ex illuſtriſſimâ eſſet ortus proſapiâ, ut patet ex Legendâ vitæ ipſius, nunquam tamen ipſe elatus eſt, nec aliquid egit intuitu iſtius principii, quod tanta præ ſe fert lenocinia, & quod ſciebat ipſe Deo odioſum. Collocemus igitur illum in ſupremo animæ domicilio: jugiter enim erat unitus Deo, omnes cogitationes & omnia conſilia illius tendebant ad cœlum, & dirigebantur ad manifeſtandam gloriam Dei: vivebat more Angeli & puri ſpiritus; & ſicut anima (licèt nemo id advertat) perfungitur muniis infimis vitæ vegetantis, quæ ſunt nutriri & creſcere ſecundùm partem infimam; ſic quantùm ad ſupremam fertur ipſa ad Deum, quem ipſa ſcit eſſe principium eſſe ſui, & operationum ſuarum: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* a. Ipſa unit ſe Deo, & imperceptibiliter fertur ipſa ad cœlum; unde ſuam traxit ipſa originem: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* b. Sic S. Thomas ſemper erat unitus Deo, jugiter adhærebat Deo, continuæ incumbens contemplationi iſtius Entis Divini, quod facit *ſcientiam Sanctorum* quam ipſi tribuerat. Ideò omnes ſuas impendebat operas ad veritatem, nedum unquam aliquid peregerit propter vanitatem. Et hæc eſt ratio propter quam Summa ipſius dicitur continere tot miracula, quot articulos. Quidnam eſt hoc quod miraculum vocamus? Miraculum eſt cùm prætereuntur

a Act. 17, 28.
b Gen. 9, 6.

vires naturæ. Deus duas habet manus, unâ manu agit cum cauſis ſecundis, quæ concurrunt ſimul cum ipſo ad operandas actiones ordinarias. Sed quando vult, alteram ſuam extendit manum, eamque præbet amicis ſuis, ut patrent opera miraculoſa. Duos habet etiam oculos. Uno ex iſtis oculis intuetur omnes creaturas in ſemetipſo. Altero verò oculo ſemetipſum videt in creaturis. Et ſuos tribuit oculos amicis ſuis, ut ipſum poſſint cognoſcere, ſicut ipſum ita ritè cognovit S. Thomas, quoniam *dedit illi ſcientiam Sanctorum.*

S. Dionyſius c ait, *Luminis, quod Patris inſtinctu ac nutu effunditur, progreſſus omnis, ad nos conceſſu & munere Dei perveniens, rurſum nos ut iis conjungit ſ excitando dilatat, atque ad colligentis ſpiritus, ut ita dicam, unitatem, Divinamque ſimplicitatem convertit. Nam & ab eo proficiſcuntur, & ad eum revertuntur omnia* d. Quaſi diceret, quòd Deus facit circulum lucis cum Sanctis ſuis; deſcendit ad illos, & illi reaſcendunt ad eum; gratiam dat illis, & ſi illi hâc gratiâ ritè utuntur, impertitur eis aliam. S. Thomas ſuſcipiebat unum lumen, quo ſe elevaret ad Deum, deinde ſuſcipiebat aliud, & ſic creſcendo favorabili progreſſu luminis & ſplendoris, obtinuit *ſcientiam Sanctorum.* Sic ægritudine decumbens, & ſuſcepturus ſacrum Viaticum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & interrogatus num crederet quòd Deus eſſet in ſanctiſſimâ Hoſtiâ ſibi oblatâ, reſpondit, *Credo: non ſolùm credo, ſed & certò ſcio.* Sed quomodo? cùm fides & cognitio clara non poſſint eſſe ſimul. Hoc innuit, quod ipſe habuerit omnem cognitionem quæ poterat hîc haberi, *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.*

c S. Dion. lib. de Cœl. Hier. c. 1.
d ex Jacob. 1. 17.

S. Auguſtinus e duplicem ponit cognitionem, unam veſpertinam, alteram verò matutinam. Cognitio veſpertina eſt illa quam habemus Dei in creaturis. Cognitio verò matutina eſt ea, quæ habetur creaturarum in Deo, & Dei in ipſo. Homines habent cognitionem veſpertinam, & vident Deum in creaturis: ſed Angeli habent ſcientiam matutinam, & vident creaturas in Deo, & Deum in ipſo. S. Thomas habuit iſtam ſcientiam, *Dedit illi ſcientiam ſanctorum.* Omnia videbat in Chriſto crucifixo, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* f. Per totam vitam ipſius fuerunt iſti *theſauri abſconditi.* Sed poſtquam *inclinato capite, tradidit ſpiritum* g, hæc ſcientia manifeſtata eſt, & S. Thomas ibi vidit omnes creaturas. Sic eſt, avare: in his manibus apertis in ſignum liberalitatis, vidit avaritiam tuam; in hâc linguâ cui oblatum eſt acetum, blaſphemias tuas aſpexit, ô blaſpheme: in hoc capite ſpineâ coronâ redimito, ſuperbiam tuam eſt intuitus, ô ſuperbe: & in hoc corpore flagellis diſciſſo, & clavis ac ictu lanceæ perforato, delicias tuas criminoſas obſervavit; ô voluptuoſe: Sic Crucifixus, erat præcipuum illius ſtudium: & ipſe fatetur ſe magis ibi didiciſſe, quàm in omnibus aliis libris, dicens cum S. Paulo h: *Non enim judicavi me ſcire aliquid niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*

e S. Aug. lib. 11. de Civit. Dei c. 7. & 29.
f Coloſſ. 2. 3.
g Joan. 19, 30, &c.
h 1. Cor. 2, 2.

Habuit *ſcientiam Sanctorum.* Imò verò Angelorum, propterea vocatur Doctor Angelicus, cùm cognoverit ſicut Angeli, tantum quantùm Angeli, quin etiam magis quàm Angeli. Sed quomodo? Angeli habuerunt quendam terminum in cognitione ſuâ, quem nunquâ ſunt prætergreſſi; gloriam habuerunt juxta proportionē

meriti ſui; meritum ſuum ſecundùm proportionem gratiæ; & gratiam juxta menſuram naturæ ſuæ: Deus enim impertitus eſt illis gratiam ſuam, eamque præbuit illis juxta proportionem naturæ ipſorum, ita ut iſtos nunquam præterire potuerint limites: ſed homines creſcere poſſunt in gratiâ, & gratia ipſorum poteſt eſſe illimitata, juxta doctrinam ſupradictam S. Dionyſii, & Magiſtri illius S. Pauli i dicentis, *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus.* Atqui S. Thomas ſemper progreſſus eſt è lumine in lumen, à gratiâ in gratiam, nedum ullum unquam habuerit limitem: videtur igitur habuiſſe majorem lucem, & gratiam, quàm habuerint Angeli: & cùm vocetur Doctur Angelicus, quaſi dicatur Doctor Angelorum, videntur Angeli didiciſſe in ſcholâ ipſius, ſi poſſint ipſi juxta ſanam expoſitionem applicari hæc verba S. Pauli k, *Ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.*

Deus communicat Angelis lumina ſua, & illi ea perfectè exprimunt in ſeipſis, & iiſdem illuminant Angelos inferiores: ſi S. Thomas eſt Doctor Angelicus, vel, ſi vultis, Doctor Angelorum, cùm tanta ſuſceperit a Deo lumina, nonne dicemus quòd illa perfectè expreſſerit: & ſicut ipſe perfectè novit omnes diſpoſitiones quas habuit Virgo ſanctiſſima ut fieret Mater Dei, quæque attraxerunt verbum Divinum in ſinum ejus; nonne debuit ut Doctor Angelicus exprimere in ſemetipſo omnes iſtas luces, & totam iſtam ſanctitatem, quarum notitiam habuerat? Cognovit quòd Deus exire volens extra ſeipſum per creationem, produxit omnia quæ videmus, verbo ſuo, unico *Fiat* l. Et quòd volens egredi extra ſe per reparationem mundi, hoc egit eodem verbo, & quòd ſolum *Fiat* m Virginis Mariæ, ipſum fecit exire *à Patre, & in mundum* n venire, *ut mundus per ipſum* o ſalvaretur. Re autem verâ mitum eſt quòd Filius Dei, cujus *in ditione cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati* p ejus, exigat tamen conſenſum Matris ſuæ. S. Thomas autem cognovit rationes, propter quas Deus hoc fecit. Primò, Quia id, quod eſt magis eſſentiale Matrimonio, eſt conſenſus: atqui Deus non ſolum volebat facere unum Matrimonium per hunc conſenſum, ſed tria: Pater enim æternus debebat habere Virginem in Filiam, Spiritus ſanctus eandem in Sponſam, & Filius debebat ſibi naturam humanam unire, & Eccleſiam ſibi deſponſare, *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſiâ* q. Matrimonium quod quidem eſt inæquale, quia Jeſus Chriſtus eſt *ſpecioſus forma præ filiis hominum* r. Eccleſia verò tunc erat deformis, quam tamen ipſe ſibi ſponſavit in *miſericordiâ & miſerationibus* s. Et cum eâ ſe geſſit ut Sponſus cum Sponsâ: & ſciens, quòd *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ* t: ipſemet *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* †, exivit *à Patre* u. Deinde, Matrem ſuam dereliquit *juxta crucem* x ſuam, perfecit Sponſam ſuam, educens illam è latere ſuo, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* y, ut ait S. Auguſtinus, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis* z: ſicut *ædificavit Dominus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem* a: non tam ut corrigeret defectus ejus, quàm ut magis illam diligeret ut partem ſui, *Sicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ* b. Secundò, Ut oſtenderet, quòd Virgo beatiſſima meruerit incarnationem ſuam, non quidem de condigno, ſed de congruo. Tandem, Ut monſtraret differentiam, quæ erat inter creationem & reparationem: in creatione enim produxit omnes creaturas abſque earum conſenſu, quia non erant; ſed in reparatione conſenſum exegit ab omnibus, quos ſalvare voluit, *Vis ſanus fieri* c? Et, ut ait S. Auguſtinus f, *Sine te fecit te Deus. Non enim adhibuiſti aliquem conſenſum ut te faceret Deus. Quomodo conſentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem.* Beatiſſima autem Virgo conſenſum ſuum præbuit, non ſolùm nomine ſuo, ſed etiam nomine totius Eccleſiæ. Nolite igitur queri de Jeſu Chriſto, quaſi deſit vobis gratia ejus; ſed potiùs accuſate voſipſos qui gratiæ deeſtis, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei* g. *Id eſt, quæ omnibus præſto eſt, dummodò fecerint quod in ſe eſt* h. Cognovit etiam S. Thomas, quòd B. Virgo ſuum præbere debuit conſenſum, Primò, Quia tenebatur accommodare ſe conſiliis Dei, qui ab æterno ſtatuerat unire ſe naturæ humanæ, *Quodcumque limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus*, ait Tertullianus i. Ut exprimeret voluntatem quam habebat uniendi ſe naturæ noſtræ. Propter eandem rationem apparebat Deus Patriarchis in figurâ humanâ, dicit idem Tertullianus k, *Tunc quoque inter illos Angelos ipſe Dominus apparuit Abrahæ ſine nativitate, cum carne ſcilicet.* Et, *Qui putaveris opponendos eſſe nobis Angelos Creatoris, quaſi & illi in phantaſmate putativa utique carnis degerint apud Abraham, & Lot.* Et Iſaias l repræſentat nobis *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum*, inſtar hominis. Secundò, Quia B. Virgo cupiebat devincire ſibi homines, & procurare illis conſtitutis in tenebris claritatem cœli: ut igitur illos erueret è cœcitate, quâ erant obvoluti, conſenſit ipſa verbis Angeli. Et hæc omnia cognovit S. Thomas.

Præterea, Deus *dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Habemus enim cognitionem juxta proportionem tolerantiæ, *Vexatio intellectum dabit* m. Atqui eò majores experimur paſſiones, quò propius accedimus ad Jeſum Chriſtum *Virum dolorum, & ſcientem infirmitatem* n. Et quò magis videbit nos Pater æternus *conformes fieri imaginis Filii ſui* o, eò majoribus immerget nos paſſionibus, & conſequenter majorem nobis præbebit notitiam, juxta hoc pronunciatum Propheticum, *Vexatio intellectum dabit.* Nam *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angelò cum eo, & congregabuntur ante eum omnes gentes* *; animæ quæ ſunt in limbo cum corporibus ſuis reſumptis aſſimilabuntur Jeſu Chriſto ſecundùm naturam humanam, quia non poterunt ei aſſimilari juxta naturam Divinam: ſed fideles ſimiles erunt Jeſu Chriſto crucifixo; & quò ſimiliores ei fuerint in paſſione, eò majori vigebunt cognitione: atqui cùm S. Thomas ſimillimus fuerit illi in paſſionibus, ſequitur quòd maximas habuerit cognitiones, *Vexatio intellectum dabit.* S. Thomas pertulit martyrium amoris, contemptis teneris blanditiis,

& la-

i Epheſ. 4, 15.
k Epheſ. 3, 10.
l Gen. 1, 3. &c.
m Luc. 1, 38.
n Joan. 16, 28.
o Joan. 3, 17.
p Eſth. 13, 9.
q Epheſ. 5, 32.
r Pſ. 44, 3.
s Oſee 2, 19.
t Epheſ. 5, 31.
† Joan. 1, 18.
u Joan. 16, 28.
x Joan. 19, 25.
y Joan. 19, 34.
z S. Aug. conc. 4. in Pſ 103.
a Gen. 2, 22.
b Epheſ. 5, 25.
c Joan. 5, 6.
f S. Aug. ſerm. 15 de verb. Apoſt. c. 11.
g Hebr. 12, 15.
h Dion. Carth. art. 12. in Hebr. 12. 15.
i Tert. lib. de Reſurrect. Carn. c. 6 ex Gen. 2, 7.
k Idem lib. de Carne Chriſti. c. 6. ex Gen 18. 1. & lib. 3. advers. Marcion. c. 9. ex Gen. 18, 1 & 19, 1.
l Iſai. 6, 1.
m Iſai. 28, 19.
n Iſai. 53, 3.
o Rom. 8, 29.
* Matth. 25, 31.

& lacrymis amaris matris ſuæ, quæ ſciens conſilium ipſius, abrenunciandi ſeculo, Deoque ſerviendi in Religione, omnes ſuos conatus adhibuit ut ipſum à tam ſancto propoſito deterreret: fratres ipſius, ſorores, & propinqui univerſas induſtrias poſſibiles inſumpſerunt, ut pio ipſius conſilio adverſarentur, nedum tamen aliquid proficerent: Thomas enim de iſtis omnibus triumphavit blanditiis, & glorioſam de eis retulit victoriam, ut Martyr amoris, & omnes iſtas induſtrias deluſit. Fuit etiam Martyr caſtitatis: longius eſt enim martyrium perpeti martyrium caſtitatis, quàm mori pro tuendâ caſtitate: atqui S. Thomas fuit Martyr caſtitatis, cùm triumphaverit de impudentiâ æquè ac de importunitate famoſæ cujuſdam meretricis in cubiculum ipſius doloſè introductæ, ipſumque ſolicitantis ad turpia, & hunc titionem infernalem alio titione accenſo fugaverit. Paſſus eſt etiam martyrium ſanguinis, corpus ſuum frequentibus flagellationibus cruentans, continuis jejuniis & aliis macerationibus illud affligens. Si ergo S. Thomas tanta pertulit, maximas habet conſequenter convenientias & conformitates cum Jeſu Chriſto crucifixo, & ideò maximè participat ſcientiam illius, juxta iſtud axioma Iſaiæ *p*, *Vexatio intellectum dabit.* Habet igitur ſcientiam Sanctorum, quam eruit è Jeſu Chriſto crucifixo, & è conformitatibus quas habet cum illo, *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.*

p Iſai. 28, 19.

Scientia Sanctorum differt à ſcientiâ hominum terrenorum. Sancti non intumeſcunt, nec ullam capeſſunt è ſuis omnibus cognitionibus anſam ſuperbiendi: norunt enim intra terminos debitæ modeſtiæ ac humilitatis ſe continere, in ſtatu maximæ gloriæ ſuæ conſtituti, ſic *excelſus Dominus humilia reſpicit* †. Econtrà homines mundani ſuperbiunt ob minimam quamlibet qualitatem quam poſſident mentis, quandiu S. Thomas conſideratus ut oraculum, conſultus à peritiſſimis totius orbis viris, arbiter ſcientiarum, & ſcholarum noſtrarum Angelus, ne vel minimâ ducitur vanitate. Sed quid mirum? cùm habeat *ſcientiam Sanctorum* ædificantem, ſed non deſtruentem aut inflantem inſtar ſcientiæ mundanæ, quæ efficit ut ii qui ipsâ ſunt prædíti, obliviſcantur ſui, *Scientia inflat, charitas verò ædificat* q. Si conſideremus hanc *ſcientiam Sanctorum* in eſſentiâ ipſius, inveniemus quòd nobilitas naturæ ipſius reddit ipſam cognatam Dei, & intimè unit Deo illum qui ſeſe ipſi applicat. S. Gregorius r obſervat hominem eſſe ignobilem è tribus partibus, nobilem verò ex unicâ; *Habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire, cum animalibus, intelligere cum Angelis.* At nunquid non deplorandum eſt infortunium, quòd homines ita glorientur de iſtis cognationibus vilibus & depreſſis, ſuaſque cogitationes omnes collocent in rebus caducis amore proprio ducti, nedum illas erigant ad nobile Principium ſuum, quod eſt Deus, ut illi ſe uniant per *ſcientiam Sanctorum*, quam paratus eſt illis dare, ſicut illam præbuit S. Thomæ, nimirum charitatem, quam habuit, immunis ab amore proprio?

† Pſ. 137, 6.

q 1. Cor. 8, 1.

r S. Greg. hom. 29, in Evág. ex Marc. 16, 15.

S. Thomas nullo ductus eſt amore erga creaturas, quia amor creaturarum eſt amor proprius, & tantum malum ut Deus ipſum *de cœlo* expulerit; amor verò Dei tantum eſt bonum, ut eumdem amorem proprium *ad infernum in profundum laci* s detraxerit. Beati in cœlo non diligunt niſi Deum, quem clarè & intuitivè cognoſcunt, *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcunt te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* t. Damnati verò non amant niſi ſemetipſos. Amor Dei facit fœlicitatem Angelorum, qui ipſum intuentur, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* u. Amor verò proprius juſto Dei judicio facit ſupplicium dæmonum: nec ſunt infœlices, niſi quia ſe nimis amant: alii verò non ſunt beati, niſi quia totam ſuam dilectionem refundunt in Deum: & ſicut gratia eſt imago gloriæ, maximi peccatores ſunt illi qui plurimùm ſe amant; è contrà verò maximi ſunt ſancti illi qui nullo ducuntur amore proprio, ſed totum amorem ſuum Deo conſecrant.

s Iſai. 14, 12, & 15.

t Joan. 17, 3.

u 1. Pet. 1, 12.

Amor proprius producit in nobis tres pravos effectus, ſervitutem, diviſionem, & certamen. Homo erat liber in ſtatu innocentiæ, cùm ipſum *formavit Dominus Deus de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* x. Sed ſervus eſt in ſtatu peccati, & in nobis remanet quædam inclinatio ad obediendum ſenſibus noſtris, & ad ſatisfaciendum paſſionibus noſtris: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* y. Et de hâc pravâ inclinatione ſic queritur S. Paulus z, *Non quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei: carne autem, legi peccati.* Ergo, ſecundùm hæc, & juxta S. Joannem a, *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Sed fatendum eſt quòd infœlix hæc eſt conditio, cùm non poſſit finiri, ſicut terminantur aliæ, *Concupiſcentiam verò quis ambigat in hâc vitâ poſſe minui, non poſſe conſumi?* ait S. Auguſtinus b. Qui ſubdit, *Ignorantia minuitur veritate magis magiſque lucente. Concupiſcentia minuitur charitate magis magiſque fervente. Nihil boni horum duorum eſt à nobis. Non enim ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis* c. Utrumque iſtud habuit S. Thomas, quia Deus *dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Potentiſſimi Principes ſunt aliquando captivi, & quandiu leges decernunt, ipſimet leges & deditionem ſubeunt, & in medio ſuæ magnitudinis probroſum inveniunt carcerem. Alexander Magnus teſtimonium præbet huic veritati authenticum, de quo dictum eſt alias, *Alexander ducit exercitum; Alexandrum ducit ambitio.* Erat enim captivus ambitionis. Quilibet Chriſtianus eſt ſervus; alicui enim ſervit paſſioni: *Servus namq; peccati, ſervus eſt tot Dominorum, quot vitiorum,* ait Petrus Cellenſis d. Et, quod pejus eſt, perſæpè ſervi dæmonis efficimur, *A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt* e. *Ipſi autem à*

x Gen. 2, 7.

y Gen. 8, 21.

z Rom. 7, 19, &c.

a Joan. 8, 34.

b S. Aug. lib. 6. contra Julian. c. 16.

c ex 1. Cor. 2, 12.

d Celleſ. lib. de Panib. c. 12.

e 2 Pet. 2, 19.

vitiis & à diabolo victi, idcircò vitiorum ac dæmonum ſervi, ait Dionyſius Carthuſianus *f*. Si ſuggeſtionibus dæmonis conſentimus, ſtatim labimur in tyrannidem illius: ſed ſicut S. Thomas nullum habuit amorem proprium; ita nulli ſubjacuit ſervituti; anima ipſius ſubjecta erat Deo, corpus ipſius erat ſubditum animæ, & ſenſus ipſius obediebat ſpiritui; & ſicut nullum cognoſcebat Dominum niſi Deum; ita nulli ſubjectus erat tyranno.

f Dion. Carth. art. 2, in 2. Petr. 2, 19.

Secundus effectus amoris proprii eſt diviſio. Licèt unicum habeamus cor, duos tamen habemus amores, contra leges ordinarias naturæ, duobus ſubditi ſumus Dominis, idem ſtatus gubernatur à duobus Regibus, & idem mundus illuminatur à duobus Solibus, quod eſt inauditum, & inviſum, & idem cor inflammatur duobus amoribus diverſis, contra id quod dicitur, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire* g. Inde fit ut, quò magis amor proprius ſeu concupiſcentia adhæret cordi noſtro, minus in eodem corde noſtro ſit amoris Dei; & quò plus habemus amoris proprii, minus habeamus charitatis. Hinc dividitur cor noſtrum: cùm enim multum habemus amorem proprium, parùm diligimus Deum: eripimus enim Deo id, quod tribuimus nobiſipſis; ſuffuramur Creatori id, quod impendimus creaturæ; furti nos conſcios efficimus, cùm non reddamus Deo id, quod ad ipſum pertinet. Hoc eſt verum in legitimis affectibus parentum erga liberos, & liberorum erga parentes: licèt enim parentes diligere debeant liberos ſuos, illos tamen debent amare propter Deum; & cùm non elevant ſe uſque ad eum, tunc dividunt cor ſuum, & Creatori eripiunt id, quod tribuunt creaturæ. Inde S. Paulus *h* præfert ſtatum virginalem ſtatui conjugali propter ſolicitudinem quâ anguntur corda conjugum, cùm teneantur curam habere familiæ ſuæ, educationis liberorum ſuorum, & comparandi illis bona temporalia, & ſic corda ſua dividunt, *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* Sicut autem S. Thomas non habebat amorem proprium, ſemetipſum amabat diligendo Deum, cor ipſius non erat diviſum, non intuebatur ipſe niſi Deum in omnibus, illum reſpiciebat in quâlibet creaturâ, & amor ipſius (nedum unquam aberraret) pergebat uſque ad centrum ſuum, nec cor ipſius erat diviſum, ſicut eſt noſtrum.

g Matth. 6, 24.

h 1. Cor. 7, 32, & 33

Tertius effectus amoris proprii eſt certamen, quod tandiu durat, quandiu vita noſtra ſubſiſtit, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* i. Sicut enim duas in nobis habemus partes, ita & affectus habemus diverſos: *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis*, ait nobis S. Paulus k. Mirum eſt id, quod ait Scriptura *l* de Rebeccâ, quòd *collidebantur in utero ejus parvuli*. Sed majus eſt prodigium, quòd duæ partes, è quibus conſtituti ſumus, inter ſe diſſideant, & una alteri adverſetur; & oporteat ut, etiamſi ſpiritus victor evaſerit, idem etiam ſpiritus prælietur jugiter contra carnem. Efficimur filii Dei per Baptiſma, in quo renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* m. Baptiſmus ejecit à nobis peccatum, ſed in nobis dereliquit bellum: cùm enim introduxerit in nos Jeſum Chriſtum, nec à nobis ejecerit Adamum, iſti duo Patres non poſſunt ſociari, *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus* n. Quæ ultima verba ſic exponit Dionyſius Carthuſianus *o*, *Non ergo regnet, id eſt, virtutibus non prævaleat, nec rationem ſubjiciat peccatum actuale, vel fomes peccati, qui dicitur peccatum cauſaliter, quia inclinat ad culpam: & quamvis tranſeat reatu, permanet tamen actu, inquantùm eſt pœna, & virtuoſæ exercitationis ſpiritualiſque pugnæ materia, in veſtro mortali corpore proclive ad vitia, de quo ſcriptum eſt, Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* p. *Ut obediatis concupiſcentiis ejus, id eſt, carnalibus deſideriis, ſeu ſomitis inclinationibus conſentiatis. Hoc namque præpoſterum eſt & perverſum, ut ſenſualitas rationi prævaleat, aut caro dominetur ſpiritui. Propter quod legitur, Poſt concupiſcentias non eas, & à voluptate avertere* q.

i Job 7, 1.

k Galat. 5, 17.

l Gen. 25. 22.

m Joan. 3, 5.

n Rom. 6, 3, & 12.

o Dion. Carth. art. 9. in Rom. 6, 12.

p Sap. 9, 15.

q ex Eccli. 18, 30

Hæc eſt ſcientia, cui addiſcendæ ſedulò debemus incumbere, ſicut S. Thomas, cui Deus *dedit ſcientiam Sanctorum*. Id eſt, charitati, & praxi virtutum, quibus vacavit S. Thomas, ſi Dei, ſicut ille, velimus eſſe diſcipuli in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam. *Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certaverit* r. Vera igitur perfectio, quæ eſt ſcientia Sanctorum, conſiſtit in exercitio virtutis. In cœlo omnes virtutes quieſcunt, & ibi ſola charitas exercetur, *Charitas nunquam excidit* s. *Quod intelligendum eſt, quantum ad charitatis perfectionem internam, quoniam ita perfecta eſt charitas, ut nec actus nec habitus charitatis repugnet ſtatui Beatorum, Unde cum præſenti vitâ non finiuntur, ſed in futurâ perficiuntur*, ait Dionyſius Carthuſianus t. Beati in cœlo præditi ſunt virtute temperantiæ, ſed quia ibi nulla eſt luxuria refrænanda, gaudet ipſa, & quieſcit. Ornati ſunt virtute fortitudinis, ſed quia in cœlis nullæ ſunt adverſitates (*Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt* u) ideò potitur ipſa quiete tranquillâ. Toti ſunt circundati virtute juſtitiæ, ſed quoniam in civitate Jeruſalem triumphante nulli ſunt rei, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium* x, dormit ipſa in deliciis quietis. Repleti ſunt circumquaque prudentiæ virtute, ſed cùm in Empyreo nulla prævidenda ſint infortunia, nec ulla pericula vitanda, idcircò ipſa quieſcit. Ibi ſola charitas exercetur, quia in æternum ardet ipſa dilectione Dei, fruens poſſeſſione beatâ illius quem diligit. Quandiu vivimus, ſedulæ debemus incumbere praxi virtutum iſtarum, quæ in cœlo tranquillâ potiuntur quiete, ſatagentes ut temperantia declinet ab occaſionibus vitii & voluptatis, ad exemplum S. Thomæ: ut fortitudo magnanimiter ſuſtineat afflictiones, quibus impetiti fuerimus: ut juſtitia pœnas infligat corporibus noſtris, ac macerationes conformes captui uniuſcujuſque è nobis, pro peccatis commiſſis contra Deum: & ut prudentia evitet peccata, quæ animas noſtras inquinare poſſent. Hoc eſt quod exercere debemus, ſicut illud exercuit S. Thomas, cùm iſtud ſit ſcientia Sanctorum, quam Deus communicavit ei, *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*.

r 2. Timoth. 2, 5.

s 1. Cor. 13, 8.

t Dion. Carth. art. 13. in 1. Cor. 13, 8.

u Apoc. 21, 4. ex Iſai. 25, 8.

x Apoc. 21. 27.

Sed

Digitized by Google

Sed ſi diſcipulus fuit Jeſu Chriſti, fuit etiam Magiſter hominum.

I I. Part.

Ut docere ritè quis poſſit, aliquam præ ſe ferre debet prærogativam, aut natalitiorum, aut meritorum: ideò ſi Principes docerent, jure merito homines vellent eſſe illorum diſcipuli, & undequaque ad illos currerent, ut haberent Magiſtros, quos natura extuliſſet jam ſupra vulgus jure natalium, & quorum doctrina avidiùs & reverentiùs ſuſciperetur, cùm eſſet exitura ex ore, quod præ ſe ferret aliquid inſigne & commendabile, aut jure naturæ, aut titulo meriti. Propterea Pater æternus qui agnoſcit ubique Filium ſuum, ſive inter depreſſiones *in præſepis y*, ſeu inter ignominias *Calvariæ z*, non proponit eum Magiſtrum niſi ſuper monte Thabor inter ſplendores gloriæ ipſius, cùm *transfiguratus eſt, & reſplendit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite a*.

y Luc. 2. 7.
z Joan. 19, 17.
a Matth. 17. 2. &c.

Quia homines ex illuſtri progenie orti, & præ ſe ferentes aliquem ſplendorem meritorum, meliùs audiuntur, & unuſquiſque auſcultat id quod ab ipſis annunciatur; quandiu nemo dignatur audire doctrinam hominis pauperis, etiamſi foret ipſe eloquentior Cicerone, aut Demoſthene. S. Thomas igitur audiri debet ut Magiſter, cùm magnus ſit meritis, & è progenie illuſtriſſimâ ortus, nimirum è Comitibus Aquinatibus, &c. Noli igitur ampliùs dicere S. Paule *b*, ſi placet, *Non multi potentes, non multi nobiles*. Ecce enim S. Thomas potens, & nobilis, & ita doctus ut docere poſſit omnes homines. Ardorem ipſe fert, æquè ac ſplendorem in ſcriptis ſuis; voluntatem inflammat, æquè ac intellectum illuminat; in Morali, pietatem quærit in veritate; & in Scholaſticâ, ſubtilitatem in veritate: cùm aliquem tractat articulum Theologiæ Moralis, aut aliquem caſum conſcientiæ, omnem deſerit ſubtilitatem, ut ſiſtat in pietate; è contrà cùm aliquam agitat quæſtionem Theologiæ ſpeculativæ & Scholaſticæ, veritatem quærit in ſubtilitate: hodiernâ verò die contrarium peragitur: in Morali, quæritur ſubtilitas in veritate, ita ut hoc tempore deplorando quo vivimus, fœnus, rapina, injuſtitia, &c. excuſentur cum ſpeculationibus & ſubtilitatibus mentis, quæ magis ſerviunt ad profligandas animas, quàm ad illas ſalvandos: è contrà in quæſtionibus Scholaſticis quæruntur veritates in pietate, nedum eæ diſcutiantur in ſubtilitate: S. Thomas igitur habet *ſcientiam Sanctorum*, eamque docere poteſt homines ut illorum Magiſter.

b 1. Cor. 1, 26.

Iſtud eſt pro comperto, & re verâ Schola Sorbonica, quæ eſt prima totius orbis Academia, in quâ inveniuntur peritiſſimi totius Europæ viri, illum conſulit, & documenta illius ſuſcipit ut oracula: cùm enim diſcipulus Dei fuerit, qui *dedit illi ſcientiam Sanctorum*, ipſe debet eſſe Magiſter hominum, eoſque docere, quæ à Deo didicit. Si autem de meritis ejus ambigitis, appellate à judicio meo ad Concilia, quæ illius tempus ſecuta ſunt: illa non loquuntur niſi ore ejus; quod S. Thomas dixit, habetur ab ipſis ut verum, & ut tale recipitur. Si verò iſtud nondum vobis ſatisfacit, appellate adhuc à Conciliis ad ſummos Pontifices. Iſti aſſerunt, tot inveniri miracula in Summâ S. Thomæ, quot in illâ reperiuntur articuli; & quòd adhærere doctrinæ iſtius Doctoris Angelici, eſt incedere per viam ſecuram; & quòd ab illâ recedere, eſt ſe periculo errandi exponere. Quid dicere poſſumus poſt hos ſummos Pontifices, qui ſunt regulæ veritatis, & quorum teſtimonium prævalet adversùs omne quod in favorem noſtri Doctoris Angelici dici poteſt? Si autem à terrâ appellatis ad cœlum, ab hominibus ad Deum, à ſervis ad Dominum, ad quem meliùs poteſtis appellare, quam ad Jeſum Chriſtum, qui *verba vitæ æternæ c* habet? *Neapoli cùm ad imaginem Crucifixi vehementiùs oraret, hanc vocem audivit: Benè ſcripſiſti de me, Thoma; quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam, Domine, niſi teipſum d*. Quaſi diceret, Nolo honores, dignitates, divitias, *Ecce omnia e reliqui*. Minùs autem voluptates, delicias, & oblectamenta, *Mihi abſit gloriari niſi in Cruce* tuâ, *per quam mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo f*. Faſtidio applauſus mundanos, vanas laudes, encomia adulatoria, *Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam tuam, propter quam omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam g* te Dominum meum.

c Joan. 6. 68.
d Eccleſia in ejus Legendâ.
e Matth. 19. 27.
f Galat. 6. 14.
g Philipp. 3. 8.

Ha! homines infortunati qui tantam impenditis operam ad comparandas vobis res tranſitorias, divitias, voluptates, & dignitates; diſcite à S. Thoma quomodo proficuè veſtrum debeatis inſumere laborem propter Deum, nec velle aliud præmium niſi eum; dirigite ad Deum omnes vigilias veſtras propter honorem & gloriam illius; dicite Deo cum S. Thoma, *Mercedem non aliam, Domine, niſi teipſum* deſidero. Ut tamen dignos vos exhibeatis iſtâ mercede, ſequendæ ſunt vobis inſtructiones S. Thomæ, quæ non ſunt aliæ niſi inſtitutiones Jeſu Chriſti, cùm uterque vobis fuerit propoſitus ut Magiſter; in omnibus eſt vobis facienda voluntas Dei, exemplo Jeſu Chriſti dicentis Patri ſuo, *Non mea voluntas, ſed tua fiat h*. In quo amplam ſuſcipimus mercedem, & magno ditamur theſauro, quia ab illo petimus id omne quod ipſe poteſt, & totum illud quod ipſe vult, & quoniam voluntas ejus eſt ut ſalutem noſtram operemur, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, ait nobis S. Paulus *i*. Dicamus igitur ei cum Pſalmiſtâ *k*, *Tuus ſum ego, ſalvum me fac*. Domine, ſubjicio me penitus decretis Divinæ voluntatis tuæ, quæ nonniſi meam quærit ſalutem, *Domine, quid me vis facere l? Tuum eſt imperare, meum parère. Quidquid placuerit tibi, injunge, ad omnia ſum paratus m*. Præcipe, & ego voluntatibus tuis morem geram, *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus n*. Ut eaſdem voluntates tuas exequatur. Quod efficiet ut daturus ſis mihi gratiam tuam in hoc mundo, & futurus ſis mea *merces magna nimis o* in altero.

h Luc. 22, 42.
i 1. Theſſal. 4. 3.
k Pſ. 118. 94.
l Act. 9. 6.
m Dion. Carth. art. 4. in Act. 5. 6.
n 1. Reg. 3. 10.
o Gen. 15. 1.

Digitized by Google

IN FESTO S. IOSEPH CONFESSORIS.

Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli de ſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulvæ. Gen. 49. 25.

FOElix iſta neceſſitas, quæ obſtringit Concionatores ad recurrendum ad beatiſſimam Virginem Mariam, ut ab illâ emendicent auxilium ipſius ſibi impendendum, ceſſare videtur hodiernâ die quâ elaturi ſumus magnitudines Joſeph, qui eſt *vir ejus* a. Sol qui fecit umbras in ortu ſuo, nullas ampliùs relinquit cùm ad mediam pervênit diem, quandiu ipſe totus eſt lux: merita S. Joſeph ita ſunt cognita, & excellentiæ ejus ita manifeſtæ ut nemo prorſus ſit qui illas ignoret: & dato quòd neceſſarium nobis eſſet ſubſidium, Virgo ſanctiſſima cauſam Sponſi ſui ardenter amplexa, libentiſſimè nobis impertiretur ſuum, cùm publicandis Sponſi ilius intendamus laudibus incumbere, & inter Sponſum & Sponſam univerſa debeant eſſe communia: quin imò & ipſe S. Joſeph Sponſus ejus nobis auxiliabitur, ſi reverenter dixerimus Mariæ Sponſæ ipſius, more Archangeli, *Ave Maria.*

a Matth. 1, 19.

Cùm non ſit aliquid magis contrarium quieti mentis, quàm ſit zelotypia, quæ illam innumeris angit cogitationibus importunis, ac diſcerpit, quare permiſit Deus ut S. Joſeph hujuſmodi impeteretur inquietudine? ut quid non ſiſtebat malum quod nonniſi poterat ipſum affligere? Non me latet, aliquos zelotypiâ affectos, & veluti mente infirmos voluiſſe adorare monſtra, & ipſum ferre vitium ſuper altaria noſtra, aſſerentes, quòd innocentiſſima paſſionum omnium eſſet zelotypia, quæ ſuſtinere non poſſet ſeparationem cordium, quæ ipſa volebat integra, nec eſſet fortior aut ſenſibilior probatio affectus, quo conjux ducitur erga conjugem, quàm ſit illa: nam (inquiebant) ſi amor eſt ignis, zelotypia eſt illius ſplendor, & viva flamma. Sed quam cœci fuerunt illi quippe qui non intuerentur, quod zelotypia ſit origo omnium diviſionum, & quòd uxor, cujus maritus zelotypiâ laborat, invenit infernum in Matrimonio, nedum audeat ipſa intereſſe circulis & ſocietatibus quantumvis ſanctis & innocuis, ſed e contrà cogatur jugiter ſolitudinem colore, omni pace, quiete, & mentis oblectamento deſtituta ex quo hæc paſſio, quæ eſt omnium fortiſſima, irrepſit in cor aliquod per aliquas apparentias. Si autem hæ apparentiæ ſunt fortes, & inducunt cōjugem ad dubitandum jure merito de fidelitate conjugis, heu quãta tortura, & quàm immodica mentis anxietas! *Quia dura ſicut infernus æmulatio* b. Et, *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima* c. Super quod Salazar d ait, *Salomon deterret adulterum ab eo flagitio adulterij, objiciens virum proprium, qui ſi zelo exarſerit, atque zelus furorem exacuerit, cohiberi non poterit, donec de injuriâ ſibi illatâ vindictam ſumat. Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. Scilicet vehementiſſimo furore accenſus vindictam aggredietur. Tantus eſt hujus iracundiæ impetus, tamque effrænis, uti leges, etſi manus non arment ad vindictam, tamen illas minimè exarment, id tribuentes juſto dolori, ut vir necem adultero inferre impunè poſſit. Neque verò propterea qui adulteros temerè occidit, vacat culpâ, & delicto; abſit: ſed tamen leges pœnam hujus delicti condonant. Non aquieſcet cujuſquam precibus. Id eſt, nullius precibus flectetur, ut à cauſâ decedat, & litem non urgeat, quoad uſque adulteri pœna legis impoſita fuerit. Itaque zelus, qui eſt illius inſania, omnibus calumniis, & pravis accuſationibus fidem facit; excuſationibus autem, & ſatisfactionibus eandem omnino adimit. Neque ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Vix unquam aliquis inventus eſt maritus adeò ſordidus, & demiſſi animi, ut dedecus, quod ex adulterio conjugis evenerat, pretio aliquo ſibi compenſari permiſerit. Efficit hoc natura dedecoris. Nullus enim eſt ita imperitus æſtimator, qui honorem cunctis non præferat opibus.* S. Joſepho, Auditores, non erant ſolæ apparitiæ, ſed validæ rationes dubitandi de fidelitate Sponſæ ſuæ, *Cùm eſſet deſponſata Maria Ioſeph, antequàm convenirent, inventa eſt in utero habens* e. Heu quid debebat ipſe agere in hoc ſtatu? quânam angebatur S. Joſeph perplexitate, neſciens in quam ſeſe verteret partem, & quid ſibi eſſet agendum in re tanti momenti? Ut quid illum Deus ab hoc non liberabat tormento? *Ioſeph autem vir ejus, cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam* f. Nimirum, ut exponit Dionyſius Carthuſianus g, *Et nollet eam traducere, id eſt, Judæis quaſi adulteram tradere, ſeu puniendam exponere, vel publicè accuſare, voluit occultè dimittere eam.* Sed audite quid ſubdat (non obſtantibus his apparentiis, & rationibus exhibitis S. Joſepho dubitandi de fidelitate Sponſæ ſuæ) juxta mentem SS. Hieronymi & Bernardi, *Sanctus Ioſeph certus fuit de caſtitate Mariæ. Si enim cognoviſſet eam fuiſſe adulteram, & non traduxiſſet eam, fuiſſet injuſtus, quia, ſecundùm Legem, non ſolùm actor ſceleris, ſed & conſcius ejus obnoxius eſt peccato, ſi taceat. Dum ergo Evangelium affirmat Ioſeph juſtum fuiſſe, atque ob id Mariam non traduxiſſe, innuit quòd de caſtimoniâ Sponſæ ſuæ non dubitavit. Et ſi Chriſtus noluit Judæos de ſuæ Matris pudore ſiniſtrum quid ſuſpicari, probabile eſt quòd non permiſit juſtum Ioſeph de tantâ Virgine adulterium opinari.* Malo igitur dicere cum illo poſt tantos Doctores, S. Joſephum id egiſſe præ reverentiâ quâ ducebatur erga ſanctitatem Sponſæ ſuæ, & ideò ſtatuiſſe illam deſerere, quippe qui indignum ſe reputaret amabili & jucundâ illius ſocietate gaudere. Sic autem loquitur S. Hieronymus h, *Ioſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur* *; *& in Lege præceptum eſt, non ſolùm reos, ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati: quomodo Ioſeph cùm crimen celaret uxoris, juſtus ſcribitur? Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quòd Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cujus myſterium neſciebat.* S. Bernardus i autem ita fatur, *Benè cùm eſſet juſtus, noluit eam traducere: quia ſicut nequaquam juſtus eſſet, ſi cognitam ream conſenſiſſet: ſic nihilominùs juſtus non eſſet ſi probatam innoxiam condemnaſſet. Cùm ergo juſtus eſſet, & nollet eam traducere,*

b Cant. 8, 6.

c Prov. 6. 34. & 35

d Salaz. in Prov. 6, 34. & 35. n. 195. &c.

e Matth. 1. 18.

f Matth. 1. 19

g Dion. Carth. art. 3. in Matth. 1. 19.

h S. Hier. lib. 1. in Matth. 1, 19.

* ex 1. Cor. 6. 16.

i S. Bern. Hom. 2 ſuper Miſſus eſt.

ducere, voluit dimittere eam. Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Ioſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat, dicens, Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum †
propter quod & Centurio à domo ſuâ eum prohibebat, cùm diceret, Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum *. *Ita ergo & Ioſeph indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, a tali & à ſanctâ non debere ſibi ultrà familiare preſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebant dignitatem. Videbat & horrebat Divina preſentia certiſſimum geſtantem inſigne: & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentia magnitudinem: expavit Centurio præſentia majeſtatem: exhorruit nimirum & Ioſeph ſicut homo hujus tanti miraculi novitatem, myſterij profunditatem, & ideò occultè voluit dimittere eam.*

† 8a Luc. 5, 8.
* Matth. 8, 8.

Bonum, æquè ac malum ſuam habet gravitatem. Cum *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria; & ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* k: hoc beneficium futuræ Maternitatis Divinæ ipſi annunciatum, fuit ita grave, ut ipſa indiguerit fulcro ad ſuſtinendam ipſius infirmitatem tanto favori imparem portando: proptereà idem Archangelus certam illam reddidit de præſentiâ Spiritus ſancti, *Et reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus ſanctus superveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Id eſt, ſuam poteſtatem immenſam tua capacitati contemperabit, ut ejus influentiam ferre queas: Itaque non ſecundùm plenitudinem ſua claritatis immenſam tibi irradiabit, ſed velut umbram ſua reſplendentia cauſans in te, effectum ſua poteſtatis exercebit in te proportionabiliter ad tuam declivitatem, faciendo in te immediatè per ſe, quod in alijs efficit per viri cauſalitatem, ſeu formativam virtutem* l. Ita S. Joſeph exiſtimabat ſe imparem huic favori ſuſtinendo, nimirum ut ſocietate & amabili præſentiâ gauderet B. Virginis, beneficium hoc immodicum ipſum aggravabat, idcòque diſceſſum ſuû piæ indignitate ſuâ meditabatur, & in hoc ſtatu oportet ut Angelus timorem ipſius ab ipſo procul amandet, *Hac autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens, Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* m. Nimirum, *Audacter eam recipias ad cohabitandum, nec aliquid mali ſuſpiceris de illâ: proles, quam habet in utero, virtute & operatione Spiritus ſancti concepta eſt, non humano ſemine, ſed deifico lumine ſine virginitatis injuriâ* n. Hoc eſt opus Spiritus ſancti. Proptereà *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulva.* Videamus igitur, Auditores, S. Joſepho communicatas benedictiones cœleſtes, & terreſtres, ut illius gloriæ & magnitudines, harum benedictionum, quibus perfuſus eſt, intuitu nobis innoteſcant.

k Luc. 1, 26, &c.
l Dion. Carth. art. 3. in Luc. 1, 35.
m Matth. 1, 20.
n Dion. Carth. art. 3. in Matth. 1, 20.

Propoſitio.

Non poſſumus meliùs videre magnitudines, æquè ac gloriam alicujus ſancti, quàm cognoſcendo excellentiam loci, ad quem elevatus eſt; & virtutes, quas habuit communes cum Angelis, & cum alijs Sanctis: videbimus igitur merita S. Joſeph per convenientias, quas faciemus illius cum eis, imò & cum ipſo Deo. Virginitas eſt una è præcipuis inter omnes virtutes Morales, & prima perfectionum in Divinis ſaltem prioritate originis: ideò Deus qui dedit ardorem Seraphinis, ſcientiam Cherubinis, prudentiam Confeſſoribus, æquè ac fortitudinem Martyribus, ſumpſit virginitatem primam, ſaltem prioritate originis, *Prima Trias Virgo eſt*, ait S. Gregorius Nazianzenus o. Licèt enim Deus ſit Charitas, ut dicet diſcipulus, *quem diligebat Ieſus* p, dicens, *Deus Charitas eſt* q: prius eſt Puritas prioritate originis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* r. Pater qui generat Filium ſuum per viam intellectus, *in ſplendoribus Sanctorum, ex utero* s, eſt totus purus, ſicut & Filius ſuus: *Candor eſt enim lucis æterna, & ſpeculum ſine maculâ Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius* t. Solus Spiritus ſanctus perſonaliter eſt Amor, quia procedit per viam voluntatis Patris & Filij ut ex unico principio, *Paraclètus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* u. Si verò Pater æternus eſſet Amor perſonaliter, generaret Verbum ſuum per viam voluntatis, quod eſſet blaſphemia, nec poteſt dici quin ſtatim incurratur hæreſis. Ne autem detur erroris occaſio, ſciendum eſt, ſecundùm Dionyſium Carthuſianum x explicantem prædicta verba S. Joannis, quòd *Deus eſt Charitas, id eſt pura & ſupereſſentialis Dilectio. Diligit enim imprimis ſeipſum, deinde & alia inquantùm aliquid ſua bonitatis participant. Cui Sapiens* y *dicit, Diligis omnia qua ſunt, & nihil odiſti eorum qua feciſti. Suntque idem in Deo, diligens, dilectio & dilectum, & voluntas cui dilectio competit. Charitas quoque ſecundùm ſe eſt nomen abſolutum & eſſentiale, toti ſupergloriosiſſima Trinitati, & unicuique increatæ perſona conveniens, ita quòd tota Trinitas adoranda eſt una Charitas, ſic & una Sapientia. Nihilominùs ſicut Sapientia* z *appropriatur Filio, quia eſt emanatio intellectus, id eſt, Verbum ab intellectu procedens: propter quod ea qua ad intellectum pertinent, ei appropriantur, aut propria ſunt, ut pote ars, ſapientia, verbum, exemplar, idea, ſplendor, imago: ſic Spiritui ſancto appropriatur Charitas, quoniam Spiritus ſanctus eſt emanatio voluntatis, id eſt, Amor ſpiratus à voluntate Patris Filijque emanans: propter quod ad voluntatem ſpectantia ei appropriantur, aut propria nuncupantur, ut charitas, nexus, pax, oſculum, ſuavitas, donum, communio, gaudium.* Sic, ſecundùm S. Gregorium Nazianzenum ut ſuprà,

o S. Greg. Naz. in Carm. de Virg. ait. citat à Calan at. tom. 1. diſcurſ. 72.
p Joan. 21, 20.
q 1. Joan. 4, 16.
r Iſai. 6, 3.
s Pſ. 109. 3.
t Sap. 7, 26.
u Joan. 15, 26.
x Dion. Carth. art. 6. in 1. Joan. 4, 16.
y Sap. 11. 25.
z ex Sap. 7. 24

Prima Trias Virgo eſt.

Et ſic priùs eſt Deus Virginitas & puritas, ſaltem prioritate originis, quam Charitas: atqui S. Joſeph eſt Virgo, imò verò Cuſtos virginitatis, ut ait S. Bernardus a, *Ioſeph Mariam ſibi deſponſando, ejuſque converſationem in tempore cuſtodiæ ſtudioſiùs comprobando, factus eſt pudicitiæ fidelisſimus teſtis.*

a S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

Virginitas tres magnos habet inimicos, vinum, paternitatem patium, & maternitatem matrum. Hæc tria ſunt omnino oppoſita virginitati. Vinum, quia ſcriptum eſt, *Luxurioſa res vinum* b. Et Salazar c ait, *Quid certius quàm vino venerem nutriri?* Apoſtolus d autem præcipit, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Id eſt, *Cauſaliter, quia calorem auget, atque libidinem concitat*, ait Carthuſianus e. Atqui Ieſus Chriſtus hujuſmodi domuit inimicum, inſtituendo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo *vinum germinans virgines* f eſt. *Hoc vinum eſt Euchariſtia, in quâ ſanguis ſub ſpecie vini vi conſecrationis, putà verborum Chriſti Domini* g, *real-*

b Prov. 20, 1.
c Salaz. in Prov. 20 ...
d Epheſ. 5, 18.
e Dion. Carth. art. 5 in Ephes. 5, 18.
f Zach 9, 17.
g Matth. 26, 27.

ter

ter & ſubſtantialiter præſens in altari ſiſtitur, quod Apoſtolos & fideles nutr.t, eoſdem à terrenis deſiderijs ad cœleſtia traducit, & elevat. Hoc enim ejus vinum, non luxuriam, ſed caſtitatem germinat & producit, ait Cornelius *b* poſt S. Hieronymum, & alios. Secundò, Non eſt aliquid magis oppoſitum virginitati quàm ſit maternitas: eſſe enim matrem & virginem ſunt omnino contraria: & tamen hæc duo contraria unita ſunt in B. Virgine Genitrice Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ eſt Virgo & Mater ſimul, ita ut hæ duæ qualites oppoſitæ, in eodem ſubjecto ſint ſociatæ, ut cecinit Poëta Chriſtianus,

Partus & integritas diſcordes ordine longo,
Fœdera pacis agunt in Virgine Fœderis arcâ.

Et S. Bernardus *i* loquens de tribus mixturis, quibus *conjuncta ſunt ad invicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum*, ait *Secunda mixtura eſt Virgo & Mater: admirabilis planè & ſingularis. A ſeculo non eſt auditum* k, *quòd Virgo eſſet quæ peperit, quòd Mater eſſet quæ Virgo permanſit. Nunquam juxta rerum ordinem virginitas ubi fœcunditas prædicatur; nec fœcunditas ubi virginitas integra conſervatur. Sola hæc eſt, in quâ virginitas & fœcunditas obviaverunt ſibi* l. *Ibi ſemel ſactum eſt, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum: quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.* Sed præſertim non eſt aliqiud magis oppoſitum virginitati, quàm ſit paternitas: hæc enim virtutem illam irreparabiliter deſtruit: & tamen virginitas in paternitate ſubſiſtit, quæ alibi perit: S. Joſeph habet paternitatem & virginitatem, cujus eſt tutor & deſenſor, ut ait idem S. Bernardus *m*, *Ioſeph non minùs teſtis, quàm cuſtos tantæ virginitatis.* Si enim Maria eſt Virgo, iſte ſavor aſcribendus eſt S. Joſepho qui ſedulò cuſtodivit virginitatem ejus: ſuppoſito enim decreto æterno Dei, quòd Virgo paritura eſſet Filium ejuſdem Dei, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium* n: & quòd Maria non poſſet eſſe Virgo juxta leges Matrimonij quod contraxerat cum Joſeph, *Cùm eſſet deſponſata Maria Ioſeph* o; niſi medio favore ejuſdem Joſeph, quia, ut ait Apoſtolus *p*, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir*: ſequitur quòd Maria gratias debet rependere Sponſo ſuo Joſeph pro virginitate ſuâ ſibi ab eo conſervatâ, quia fuit *Ioſeph non minùs teſtis, quàm cuſtos tantæ virginitatis.* Atqui omnes virgines gratiarum actiones retribuere debent S. Joſepho; illius enim beneficio virgines evaſerunt: nam ſi B. Virgo explicuit vexillum virginitatis, favor iſte eſt aſcribendus S. Joſepho: ideò favorem iſtum ab eo ſuſceptum debemus agnoſcere, & dicere cum S. Paulo applicantes ad propoſitum noſtrum verba illius, *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terrâ nominatur* q. *Id eſt, de cujus veriſſimâ paternitate, & nomen paternitatis ſortitur omnis paternitas Angelorum & hominum. Ita quòd paternitas primò & propriè convenit Deo Patri qui genuit Filium, non ſolùm in naturâ ſimilem, ſed etiam ſibi conſubſtantialem. Cæteris verò convenit paternitas per quamdam imitationem paternitatis Divinæ*, ait Dionyſius Carthuſianus *r*. Omnes virgines hæc auguſta nomina Jeſu, Mariæ, & Joſephi ferre debent exarata in cordibus ſuis, æquè ac in frontibus ſuis, *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus Scriptum in frontibus ſuis* s. Id eſt, ut exponit idem Carthuſianus †, *Liberâ & apertâ confeſſione proteſtantes, ſe Patris & Filij eſſe miniſtros, ſummamque Trinitatem inceſſanter laudantes* Hæc tamen expoſitio non impedit quin myſticè hæc verba intelligere poſſimus de Trinitate creatâ Jeſu, Mariæ, & Joſephi, *Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria, Ioſeph* Et Joſeph ſit Pater putativus Jeſu, æquè ac Maria eſt ejus Genitrix naturalis, ut ipſamet *dixit Mater ejus ad illum, Fili quid ſeciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego* u, &c. *Ecce ego & Pater tuus putativus* x, &c. Si verò *Virgines hi ſequuntur Agnum quòcumque ierit* y, per conformitatem puritatis quam habent cum illo; & Agnus qui eſt Jeſus Chriſtus, *Ecce Agnus Dei* z, ſequitur S. Joſephum ut bonus Filius Patrem ſuum, æquè ac Matrem ſuam Mariam, *Et erat ſubditus illis* a: ſequitur quòd omnes virgines vadunt poſt S. Joſephum, & ſequuntur illum ut vexilliferum virginitatis.

b Cornel. in Zach. 9. 17.
i S. Bern. ſerm. 3. in Vigil. Nat. Dom.
k Joan. 9, 32.
l ex Pſ. 84, 11.
m S. Bern. ſerm. 3. in Vig. Nat. Dom.
n Iſai. 7, 14.
o Matth. 1, 18.
p 1. Cor. 7, 4.
q Epheſ. 3. 14. & 15.
r Dion. Car.h. art. 3. in Epheſ. 3, 15.
s Apoc. 14. 1.
† Dion. Carth. art. 15. in Apoc. 14, 1.
t Matth. 1, 18.
u Luc. 2, 40.
x Dion. Carth. art. 7, in Luc. 2, 48.
y Apoc. 14, 4.
z Joan. 1, 29. & 36.

At non ſolùm S. Joſeph eſt Virgo, ſed etiam Martyr. Omnes radij redeunt ad Solem ut ad originem ſuam, & ad principium è quo emanarunt; *Omnia flumina intrant in mare; ad locum unde exeunt flumina, revertuntur* b. Et omnes effectus ſe recipiunt ad cauſas, quæ ipſos produxerunt: martyrium agnoſcit virginitatem ut principium ſuum; maius enim eſt martyrium cuſtodire virginitatem, quàm vitam dare & mori pro tuendâ & cuſtodiendâ virginitate: martyrium & virginitas ſunt duæ qualitates, quæ tanquam ſorores germanæ ſibi jugiter ſociantur, & ſunt veluti inſeparabiles, *Dilectus meus candidus, & rubicundus* c. Eſt *candidus*, ecce virginitas. Eſt *rubicundus*, ecce martyrium S. Joſeph igitur eſt Virgo, & Martyr. Sed quomodo Martyr? dicetis mihi. Non invenîmus enim quòd Scriptura, aut hiſtoria vitæ ejus meminerint quòd S. Joſeph ſit martyrium perpeſſus: mortuus creditur morte naturali ſuavi & quietâ in lecto ſuo inter brachia Jeſu Chriſti qui eſt *vita* d, & ſanctiſſimæ Sponſæ ſuæ Mariæ; in ſocietate Filij ſui chariſſimi, & dulciſſimæ Matris illius, & Sonſæ ſuæ, & ſanctorum Angelorum, qui interfuerunt mori ipſius. Quid ſuavius? quid jucundius? & ubinam juvenimus mortem fœliciorem quàm fuerit mors S. Joſephi? Quænam ſatisfactio, ſi placet, quale gaudium, ac intereſſe conſortio Jeſu Chriſti Filij ſui, & animam ſuam exhalare inter manus Jeſu & Mariæ! Eſtne aliquid majorem afferens conſolationem? Quòd ſi S. Simeon eò quòd viderit, & aliquot momentis præ manibus ſuis habuerit eundum Jeſum, qui eſt *deſideratus cunctis gentibus* e, quem *acepit in ulnas ſuas, benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei, Salutare tuum* f: quaſi præ gaudio moriens, & non valens ampliùs vivere poſt ſuſceptum tantum favorem, qui ſentiri potuit, ſed non poteſt explicari: quanto perfunditur Joſeph oblectamento mori inter brachia Jeſu: cogitate quàm immodica fuerit ejus conſolatio: mihi enim non ſuppetunt verba, quibus eam vobis explicem: nunquam ulla mors fuit ſuavior morte S. Joſephi. Quomodo igitur S. Joſeph fuit Martyr? Sic eſt, Auditores; in meâ permaneo propoſitione: Martyr fuit S. Joſephus, & Martyr amore, quod martyrium eſt maximum omnium martyriorum. Dolor, qui ſentitur ab aliquo, eò gravior eſt, quò illius pars læſa eſt nobilior: ſi v. g. paleâ percutiam mihi manum nullum experiar dolorem; ſed ſi eâdem paleâ tangam pupillam oculi mei,

a Luc. 2, 51.
b Eccl. 1, 7.
c Cant. 5, 10.
d Joan. 14, 6.
e Agg. 2, 8.
f Luc. 2, 28, &c.

inde

Inde lacrymas eruet eadem palea, & ratio iſtius eſt, quia cùm hæc pars ſit nobilior & delicatior, ita & majoris ſenſus ſuſcipiendi capacior: atqui ego dico quòd martyrium amoris S. Joſephi, ipſum majori dolore affecit, quàm alia martyria alios Martyres affecerint: ſicut etiam martyrium dilectionis Mariæ Sponſæ ipſius, & Matris Filii Dei, ſtantis *juxta crucem Jeſu* g, & intuentis apparatum cruentum paſſionis Filii ſui, qui cor ipſius vulnere ſauciavit lethifero, ſicut ipſi prædixerat *S. Simeon, Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* h: martyriorum omnium fuit graviſſimum, propter quod ipſa vocatur ab Eccleſiâ *Regina Martyrum*. Atqui ſicut anima eſt nobilior corpore, ſic & dolor ejus fuit incomparabiliter gravior doloribus omnium Martyrum: omnes alii Martyres paſſi ſunt in corpore, nedum dolores pervenerint unquam ad animas ipſorum, cùm viderimus Martyres noſtros, & Virgines ætate & ſexu infirmas ceciniſſe inter tormenta, & riſiſſe intuitu rotarum gladiis & novaculis acutis inſtructarum, accuſantes carnifices eò quòd non haberent ſatis ſævitiæ ſibi infligendæ; ideò quia in ſolo patiebantur corpore: ſed S. Joſeph paſſus eſt in animâ, cùm martyrium ipſius eſſet martyrium amoris, idcircò plus paſſus eſt, quàm paſſi fuerint Martyres, & ecce quomodo. Si paterfamilias agens extremum vitæ agonem, & videns lectum ſuum circumdatum uxore ſuè, liberis ſuis, & amicis ſuis ſuſpirantibus & lacrymantibus, ne vel ullum proferte poteſt verbum, quo ultimùm eis valedicat, cor habens tanto dolore & ſic ingenti anguſtiâ oppreſſum ut loqui ipſi non liceat, quanto dolore & quàm immodicâ afflictione affectus eſt S. Joſeph, jam jam exhalaturus animam ſuam inter manus Creatoris ſui, unde ipſa exierat, intuitus quòd ipſe teneretur deſerere Sponſam ſuam, æquè ac adorandum Filium ſuum, quorum ipſe non ignorabat ſanctitatem & merita: quàm gravis fuit ipſi diſceſſus iſte, quantùm afflixit ipſum hæc ſeparatio, & quàm ingentem dolorem cauſavit ipſi hæc ſeparatio poſt amorem ſic tenerum inter ipſos initum ſpatio *quaſi annorum triginta* i, quo ipſi uniti fuerant tanquam vinculo iodiſſolubili: cor ipſius dolore fuit affectum incompatabili, quia martyrium hujuſmodi fuit martyrium amoris acerbiſſimum: Alii ſancti aliquâ perfundebantur conſolatione in diſceſſu ſuo ex hoc mundo; quia egrediebantur ex hâc vitâ ut ingrederentur in meliorem vitam, deſerebant terram ut pergerent ad cœlum, derelinquebant homines ut convenirent Angelos, & hâc fœlici ſpe ducebantur, ſe ſtatim poſt mortem ſuam Divinæ inebriandos *ab ubertate domus, & torrente voluptatis* k cœleſtis potandos eſſe: ſed S. Joſeph moriens non ivit ad gloriam, non perrexit ad Empyreum, ſed ad limbum, non ut inveniret ibi Angelos, ſed animas Patriarcharum, Prophetarum, aliorumque ſanctorum hominum ſuſpirantium ad liberationem ſuam, & expectantium adventum ſui Reparatoris, *Ut* diceret ipſis *qui vincti* erant, *Exite: & ipſis qui in tenebris, Revelamini* l. Judicate num dolor ejus non ſit graviſſimus, & num ipſe dicere non debeat præ veritate. *Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus* m. S. Catharina Senenſis cupiebat ſe collocandam præ oſtio inferni, ut impediret ne ulla anima illuc ingrederetur, ſed præ hâc conditione quòd ipſa non eſſet amiſſura intuitum Dei ſui: damnati non patiuntur tantum ex pœnis inferni, quantum ex privatione viſionis Dei: S. Joſeph autem eâ ſe privat, ut eat ad limbum, quò mittitur.

Ipſe igitur eſt Apoſtolus, cùm Apoſtolus nihil aliud ſit niſi, miſſus, & S. Joſeph miſſus fuerit ad limbum. S. Paulus n de ſe loquens in gratiam Judæorum, ait, *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ.* Quæ verba Dionyſius Carthuſianus o exponens ad propoſitum noſtrum, ait, quòd inter alios, *Alii aſſerunt, quòd optabat ad tempus ſeparari à Chriſto per dilationem gloriæ ſibi paratæ, ita quòd optavit diutiùs manere in vitâ præſenti, quatenus Judæorum converſioni intenderet: juxta quem modum agebat ad Philippenſes* p, *Coarctor è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: permanere autem in carne neceſſarium eſt propter vos.* Hoc non erat niſi deſiderium S. Pauli zelo accenſi erga ſalutem fratrum ſuorum qui erant fideles: ſed S. Joſeph reverâ fit *anathema pro fratribus* ſuis Patriarchis, Prophetis, & aliis Sanctis veteris Teſtamenti, *qui ſunt cognati ſui ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ*, quos venit conſolatum degentes in limbo, certos illos faciens, quòd citò ſublevandi eſſent à miſeriâ ſuâ, & quòd ipſorum Liberator brevi venturus eſſet confracturus vincula ipſorum, & donaturus ipſos libertate, ad quam ſic ardenter anhelabant à tempore ſic diuturno. Ipſe eſt igitur Propheta, cùm prædicat futurum: ſi verò S. Joannem Baptiſtâ vocat ipſemet *Jeſus Prophetam, & pluſquàm Prophetam* q, eò quòd ipſum digito demonſtraverit, cùm *vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* †: S. Joſeph aliquid magis egit quàm fecerit S. Joannes, cùm non ſolùm illum priùs digito demonſtraverit æquè, & viderit reclinatum *eum in præſepio* r: ſed ita ſæpè faſciis infantilibus alligatum, & ulnis ſuis ſuperpoſitum, quandiu ipſe ſacra imprimebat ei oſcula: ipſe eſt igitur Propheta, & pluſquàm Propheta. Sed quanto gaudio perfuſi ſunt Patriarchæ, & Prophetæ, aliique Sancti diſcentes hæc bona nuncia!

At quandiu limbus lætitiâ exultat, cœlum cietur admiratione, Quid? dicunt Angeli, non ſumus nos Angeli niſi quia ſumus *omnes administratorii ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* s. Nobis commiſſa eſt hominum cuſtodia; iſte verò homo conſtitutus eſt cuſtos Dei: eſt ergo pluſquàm Angelus. Inter nos ſunt Archangeli qui magna revelant t; ſed Joſeph majora revelat: ergo eſt pluſquã Archangelus. Habemus Principatus qui curã habẽt Provinciarũ, & Regnorũ u, Poteſtates, & Dominationes; ſed Joſeph præpoſitus eſt familiæ Dei, *Et erat ſubditus illis* x: Id eſt, Jeſus Joſepho Patriſfamilias, ſicut & Mariæ Sponſæ ipſius, & Matri ejuſdẽ Jeſu: eſt ergo magis quã ſunt Principatus, Poteſtates, & Dominationes. Inter nos ſunt Virtutes ſubjectæ Deo, *Subjectis ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus* y. Sed Joſeph non eſt ſubjectus Deo, ſed è contra eſt ipſi *ſubditus* z *Dominus Virtutum* a. Ergo Joſeph eſt pluſquàm Virtutes. In nobis ſunt Throni, in quibus ſedet Deus ſua judicia proferens; ſed ſuper brachiis Joſeph tanquam in throno ſedet Dominus *ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus* b ſe. Eſt ergo Joſeph magis quàm Thronus. Inter nos Cherubini pleni ſunt luminibus & notitiis; ſed Joſeph majora habet lumina, & clariores notitias: eſt ergo magis quàm Cherubim. In nobis

g Joan: 19,25.
h Luc: 2, 34, & 35.
i Luc: 3, 23.
k Pſ: 35, 9.
l Iſai: 49, 9.
m Thre: 1, 12.
n Rom: 9, 3.
o Dion: Carth: art 13. in Rom. 9, 3.
p ex Philipp: 1, 23 & 24.
q Matth: 11, 7, & 9.
† Joan 1, 29.
r Luc 2, 7.
s Hebr 1, 14.
t Dan. 10, &c.
u Dan. 10, 13.
x Luc. 2, 51.
y 1. Petr. 3, 22.
z Luc. 2, 51.
a Pſ. 23, 10.
b Pſ. 85, 5.

ſunt Seraphini ardentes amore Dei ; ſed Joſeph plùs dilexit Deum quàm Seraphini : ergo pluſquàm Seraphim eſt. Quid reſtat igitur, Auditores, poſtquàm vidimus S. Joſephum tantis benedictionibus cœleſtibus cumulatum, niſi ut dicamus ei, in ipſo completa eſſe hæc verba Textus noſtri ? *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentu deorſum.*

S. Joſeph habuit omnes benedictiones cœleſtes, & terreſtres, inter illas autem, benedictiones Dei facti hominis, cùm ipſum in Patrem habere voluerit, quæ qualitas eſt eminentiſſima omnium quæ haberi poſſunt in cœlo & in terrâ : nulli enim permiſit unquam Deus homini, ut diceret de Filio Divino, quòd Filius ſuus eſſet : ſed ſuam paternitatem communicavit S. Joſepho Patri Filii ſui, licèt S. Joſephus non concurrerit ad hanc paternitatem, ſed Spiritus ſanctus fuerit illius priocipium, *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph, antequàm convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* c. [c Matth: 1, 18.] Tamen qoia Lege Deuteronomii d cavebatur, [d Deut: 25, 5, & 6] *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri : ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui : & primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſraël*: B. Virgo Maria relicta eſt vidua propter impotentiam voluntariam S. Juſephi, id eſt, virginitatem ejus ; Spiritus ſanctus ſubſtitutus eſt in locum ejus, & B. Virgo concepit operatione internâ Spiritus ſancti; *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* e. [e Matth: 1, 20.] Iſte Filius ſecundùm iſtam Legem non debebat ferre nomen Filii Spiritus ſancti, ſed nomen Filii S. Joſephi : ſic Spiritus ſanctus hoc nomen Patris cedit S Joſepho, qui vocatur Pater Jeſu Chriſti, *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te* f, [f Luc: 2, 48.] ait eidem Jeſu Mater ſua.

Triplex admittitur paternitas. Una quæ influit, & quæ habet dominationem, & hæc eſt paternitas naturalis. Secunda non influit, nec conſequenter habet dominationem, & iſta eſt paternitas adoptionis. Tertia eſt paternitas legalis, quæ non influit, & habet dominationem. S. Joſephus habuit hanc ultimam : non enim aliquo influxit, cùm generatio Filii Dei ſit operatio Spiritus ſancti in utero B. Virginis; *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* g. [g Matth: 1, 20.] S. Joſephus erat ergo Pater legalis, *Ecce Pater tuus putativus*, ait Dionyſius Carthuſianus h. [h Dion: Carth: art. 7, in Luc. 2, 48.] Sed licèt hæc paternitas legalis & putativa non influxerit, habuit tamen dominationem, *Et erat ſubditus illis* i. [i Luc. 2, 51.] *Quoniam ſicut in ſeipſo humillimus fuit ut homo : ſic uſque perfectum in exterioribus humiliavit ſeipſum non ſolùm Matri, ſed & nutritio & miniſtro ſe ſubdens, ſecundùm naturam aſſumptam, & Legem* k, [k ex Exod, 20, 12.] *quam de honoratione parentum dedit, implevit non neceſſitate, ſed dignatione, & pietate. Non enim communi legi fuit aſtrictus; aut de neceſſitate præcepti ſubjectus : ſed ſupra legem: non ſolùm ſecundùm Divinitatem, ſed & ſecundùm humanitatem, ut à Verbo æterno aſſumptam, & toti creaturæ prælatam*, ait idem Carthuſianus l. [l Dion. Carth. art. 7. in Luc. 2, 51] Renuitiſne liberi inhumani, parentibus veſtris id, quod Jeſus tantâ humilitate ſuis tribuit, & maximè S. Joſepho, licèt Patri ſuo legali & putativo? S. Joſeph habebat dominationem ſuper Jeſum Chriſtum : Lege enim Civili fertur, quòd ſi arbor aliqua plantata eſt in fundo alicujus, fructus iſtius arboris pertinet ad illum cujus eſt fundus : Spiritus ſanctus ſpecioſam plantavit arborem in poſſeſſione S. Joſephi: ergo fructus iſtius arboris pertinet ad S. Joſeph, id eſt. Jeſus Chriſtus, qui eſt *benedictus fructus ventris* m [m Luc. 1, 42.] Mariæ. Per Matrimonium enim Maria pertinebat ad S. Joſeph, S. Joſeph erat Dominus Mariæ, ſic Jeſus illum agnoſcit, & S. Joſeph exercet ſuper Jeſum Dominationem ſuam.

Aliàs orationem habens Rhetor quidam coram Philippo Rege Macedonum, poſt enunciata omnia quæ gloriam Principis ſpectabant, & quæ eloquentia, & adulatio in Curiis Principum ordinaria iſti Oratori ſuggerere poterant, ſuam ſic concluſit orationem, *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, patrem te eſſe Alexandri.* Idem dici poſſet de te glorioſiſſime Joſeph: dicere enim poſſem, &c. ſed *hoc unum dixiſſe ſufficiat, Patrem te eſſe Filii Dei.* Et ideò *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulvæ.* Id eſt, abundantiâ favorum & gratiarum. Sic eſt, Auditores: cùm enim B. Virgo *gratiâ plena* p [p Luc. 1, 28.] fuerit, id eſt, plus ſuſceperit gratiarum quam omnes Angeli & omnes Sancti, illarum plenitudinem participabat S. Joſeph lege Matrimonii, quæ reddit omnia communia inter Sponſum & Sponſam: & licèt Maria fuerit ſuperior S. Joſepho, tamen ut Sponſa illius erat eo inferior, & ut ſic ipſa magnas exhibebat illi reverentias, & in omnibus ei obediebat : ut diſcant inde uxores, quòd, etiamſi ipſæ ſint nobiliores viris ſuis, non deſinunt propterea illis eſſe inferiores, & ideò illis debent eſſe *ſubditæ*, ut Sponſæ, *quoniam vir caput eſt mulieris*, ait S. Paulus q. [q Epheſ. 5. 23.] *Id eſt, ſuperior, perfectior, atque diſcretior eâ communiter*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r. [r Dion. Carth. art. 5. in Epheſ. 5. 23.]

Omne infortunium mundi ortum eſt ex ambitione mulieris, ait Moſes Barcepha s, [s Moſes Barceph. Epiſcop. Syriæ. part. 1. de Parad c. 19. ex Gen 3. 1. &c.] id eſt, Evæ volentis imperare viro ſuo, inferioris ſuperiori, *Simul atque ad Evam dixiſſet ſerpens: Eritis ſicut dii ſcientes boni & mali, ſi de illâ arbore guſtaveritis; ereſtigiò illa maximâ cum aviditate, accepto fructu veſcebatur : quare exiſtimandum non eſt, cibi illius ſapore illectam Evam violaſſe imperium Dei, ſed quòd ſperabat ſe Deam fore, Divinitatemque affectaret, & ipſam ediſſe, & viro porrexiſſe.* Hæc mulier ambitioſa, quæ hâc vanâ ſibi blandiebatur ſpe, quòd aſſimilanda eſſet Deo, inſtar alterius Luciferi dicentis ſuo *in corde, Similis ero Altiſſimo* t: [t Iſai. 14. 13. & 14.] ratiocinabatur ſuper hanc propoſitionem ſibi factam à ſerpente, *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & bonum* u. [u Gen 3. 5.] Si comedentes è fructu vetito debemus eſſe quaſi dii, antiquior erit prior; ſi plures eſſe debeant, & ego de illo prior comedam, ero igitur prior Dea, quàm maritus meus ſit Deus, *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comêdit : deditque viro ſuo, qui comêdit* x. [x Gen: 3. 6.] Et ſic videtis quomodo ambitio fuit cauſa ruinæ primæ mulieris, & conſequenter deſolationis totius naturæ y. [y Rom: 5. 12.] Deus punit hanc ambitionem, æquè ac inobedientiam in muliere, illam reddit inferiorem & ſubditam viro, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui* z. [z Gen: 3. 16.] Licèt enim naturaliter mulier debuiſſet eſſe inferior & ſubdita viro ſuo, hæc tamen fuit ipſi pœna inflicta ob ambitionem ſuam : B. Virgo Maria igitur reparatura vaſtitatem iſtius ambitionis, vult obedire S. Joſepho viro ſuo ; etiamſi ſuperior, reverentias exhibet Sponſo ſuo, quem agnoſcit ut ſuperiorem ſuum, *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus uberum & vulvæ.*

E magnitudine S. Joſeph ſuper terrâ inferte magnitudinem ejus in cœlo : & ſi proportionabili-

nabiliter ad gratias quas habemus in hoc mundo, gloriam habebimus in paradiſo; cùm tantam ſuſceperit S. Joſeph plenitudinem gratiarum, facile eſt concluſu in favorem ejus, illum ad maximam gloriam eſſe evectum: cùm enim B. Virgo ſit diſtributrix omnium gratiarum, & canalis per quem illæ tranſeunt, credibile eſt, quòd ipſa plures illi communicaverit, quàm aliis, & quòd iiſdem gratiis potiùs gratificata fuerit Sponſo ſuo, quàm alienis: ſi enim ſponſa virtutis ſtudioſa poſſet aliquem theſaurum diſponere, judicere num maximam illius partem ſponſo ſuo non impertiretur, maximè ſi mutuam inter ſeſe cuſtodiviſſent jugiter pacem, & valido adinvicem ambo fuiſſent uniri affectu: nemo ſanæ mentis compos de hoc unquam ambiget: B. Virgo quæ magis dilexit S. Joſephum, quam ulla ſponſa dilexerit unquam ſponſum ſuum, majorem etiam ei contulit gratiarum ſuarum partem, ita ut, ſi viſus in nobis vigeret ſatis perſpicax, intueremur illum ſublimiter & glorioſè collocatum in cœlo.

Tot habuit merita S. Joſephus, & tantam ſanctitatem in terrâ, nunc ſic immodicam gloriam poſſidet in cœlo, ut videatur adorandus adoratione latriæ; & cultu ſupremo. Non dico quòd ſit adorandus hâc ſummâ reverentiâ, cùm hæc propoſitio eſſet blaſphemia. Si enim Crux adoratur hoc cultu ſupremo, eò quòd tacta fuerit Corpore adorando Jeſu Chriſti, & pretioſo illius Sanguine rigata *a*; potiori jure videretur adorandus iſto ſummo cultu S. Joſephus, qui Puerum Jeſum ulnis ſuis ita ſæpè contrectavit. Præterea, Crux fuit inſtrumentum inferendæ morti Chriſto idoneum, quandiu S. Joſeph non tangebat illum niſi præ blanditiis: non tamen adoratur ipſe iſto cultu ſupremo, ſicut nec B. Virgo Maria ob periculum quod poſſet incurri, ne homines adorarent illos ut Deos, neve hæc adoratio faceret idololatras: hoc autem periculum non

a Joan: 19, 18.

invenitur in Cruce, in clavis, &c. propterea his creaturis inanimatis exhibetur honos iſte ſummus. Quidquid ſit, ſpeciales S. Joſephus meretur reverentias. Debemus igitur omnes ſpeciali devotione affici erga S. Joſephum; rectæ rationi conſonum eſt, ut illum ſumamus in Advocatum noſtrum; cùm ſit potentiſſimus. Si enim aliquid efflagitet à Sponsâ ſuâ, quidnam poteſt ipſi ab eâ denegari? Et ſi Mater aliquid poſtulet è Filio ſuo, quidnam ipſa non impetrabit? Et ſi Filius aliquid expetat à Patre ſuo, quidnam poterit ipſi recuſari? Et ſic habentes S. Joſephum Advocatum noſtrum, omnia conſequemur: ipſe exorabit B. Virginem dilectiſſimam Sponſam ſuam; Beata Virgo deprecabitur chariſſimum Filium ſuum, & iſte *Filius dilectus, in quo benè* b *ſibi Pater æternus complacet*, rogabit eundem iſtum Patrem ſuum, ita ut omnes concurſuri ſint ad favendum nobis, & impetraturi nobis interventu S. Joſephi quodcumque nobis erit neceſſarium. Ut autem dignos iſtis exhibeamus nos favoribus ſuſcipiendis, oportet ut efficiamur tranſumpta & imagines virtutum S. Joſephi. S. Joſeph fuit Virgo; oportet ut unuſquiſque puritatem cuſtodiat conformiter ad profeſſionem ſuam: S. Joſeph fuit Martyr; eſt enim perpeſſus martyrium amoris; oportet ut nos ſimus martyres dilectionis: ſi autem eò uſque patiens fuit ut ſe ptivaverit præſentiâ Jeſu, & Mariæ, effectus *anathema à Chriſto pro fratribus* c ſuis Patriarchis, Prophetis, & aliis Sanctis detentis in limbo; debet nos *zelus domus* d Dei & ſalutis animarum promovendæ ita comedere ut optemus *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus* noſtris. S. Joſeph fuit *Pater* e Jeſu: debemus nos eſſe patres Jeſu, producentes illum in nobis per amorem. Si ſatagamus imitari virtutes ejus, participabimus abundantiam gratiarum illi communicatarum, & conſortes erimus gloriæ, quam poſſides in Empyreo.

b Matth. 17, 5.
c Rom. 9, 3.
d Psal. 68, 10.
e Luc. 2, 48.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS
B. V. MARIÆ.

Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1, 28. &c.

VTinam Seraphinus deſcenderet è cœlo ad purificanda labia mea non carbone ardenti, ſicut aliàs purgavit aliquis ex illis labia Iſaiæ *a* propterea dicentis, *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari: & tetigit os meum, & dixit, Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur:* Sed globo igneo, ut poſſem dignè diſſerere de hoc excelſo & ineffabili myſterio; quod facundiſſimorum quorumcumque exhaurit eloquentiam Oratorum, & mutas efficit linguas omnes vel diſertiſſimas. Saltem requireretur Archangelus iſtius myſterii nuncius, qui dignè illius magnitudines & excellentias explanaret: ego autem, Auditores, ingenuè fateor infirmitatem meam, exiguas meas agnoſco vires, & jure merito vereor ne naufragium perpetiar, explicatis velis Oceano tot mirabilium me committens. Dignitas ſubjecti imponit mihi ſilentium, & intueor quòd ſilentium veſtrum obſtringit me ad diſſerendum vobis de illo. Vellem, ſed nolo: vellem propter deſiderium quo ducor propalandarum myſterii iſtius magnitudinum: ſed nolo intuitu defectus virium mearum. Divine Spiritus, qui debes eſſe principium omnium mirabilium iſtorum, ſolve linguam meam; anima vocem meam, robora pulmones meos, & extolle conceptus meos. Tu verò Virgo ſanctiſſima, cùm hodiernâ die ſis efficienda Mater Dei, & in te compleri debeant iſta myſteria Divina, dignare eſſe mihi propitia,

a Iſai: 6, 6, & 7.

quandiu ego dico tibi cum Archangelo, *Ave Maria.*

Proprium eſt rebus magnis & extraordinariis ſpectatores ſuos in admirationem rapere; & objecta quæ noſtros percutiunt ſenſus, noſtras ſtupore percellunt mentes, quæ attonitæ manent intuitu rerum, quæ nondum fuerant ipſis cognitæ: nuntium myſterii hodierni tantum eſt, ut ipſa B. Virgo (licèt in ipſâ ſit hoc adimplendum) ex illius auditu rapiatur in admirationem, & in conturbationem incidat ad nuntium illius, *Turbata eſt in ſermone ejus:* & ſtupore percita exclamet, *Quomodo fiet iſtud?* Quàm immodica res eſt! quam ſublime eſt myſterium iſtud! & quânam ratione complebitur? Cùm igitur novitas hoc habeat proprium, ut unumquemque trahat ad notitiam ſuî, aviditate ſpeciali quâ ducitur unuſquiſque ſciendi, *Creavit Dominus novum ſuper terram*, ait Jeremias b. Sed quodnam eſt iſtud quod noſtras requirit admirationes novitate ſuâ? *Fœmina circundabit Virum.* Obſervate, ſi placet, novitatem: Propheta non ait, Infantem, ſed *Virum*, id eſt, Virum perfectum, *Quia licèt Chriſtus, quà homo, conceptus & naſcens, ſtaturâ & ætate ſit Infans; eſt tamen à primo ſuæ conceptionis inſtanti Vir, ſapientiâ, gratiâ, & gloriâ perfectus*, ait Cornelius c. Hinc exclamat S. Hieronymus d, *Verè novum, & omnium novitatum supereminens novitas virtutum!* Et ante eum Iſaias e, *Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic ſimile?* In quo, ait Cornelius f, *Alludit ad partum B. Virginis.* Novitas eſt, cùm Dei Filius, *Deus gloriæ* g, *Deus majeſtatis* h, carnem noſtram induit in ventre B. Mariæ Virginis, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* i in utero ejuſdem Virginis B. quæ velut nubes obſcurat ſplendorem luminis pompaticum, quo emicabat in æternitate, *amictus lumine ſicut veſtimento* k: Et *qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt* l, mortalis fiat, æquè ac viſibilis, ut faciat hominem Deum, qui ipſius *in lumine Lumen* m videat: Et qui *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* n, deprimat ſe, & intra limites ſtrictiſſimos ſe concludat: Et qui eſt *accinctus potentiâ* o, infirmus evadat; æternus p, temporalis efficiatur; & *omne Bonum* q, quaſi ad nihilum redigatur. *Verè novum*, Auditores, cùm duæ naturæ differentes, Natura Divina & natura humana ſubſiſtant in eâdem perſonâ, Deus & homo, æternus & temporalis, impaſſibilis r & paſſibilis. *Verè novum*, cùm Deus, ut ait S. Bernardus s, uniat tria extrema ita inter ſe diſtantia, *Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis, ita ſingulariter mirabilia & mirabiliter ſingularia, ut talia nec facta ſint, nec facienda ſint ampliùs ſuper terram. Conjuncta quippe ſunt ad invicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum. Admirabiles iſta mixtura, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diverſa, tamque diviſa ab invicem, invicem potuerunt conjungi. Verbum enim & anima & caro* t *in unam convenêre perſonam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confuſione ſubſtantiæ ſed unitate perſonæ* u. *Hæc eſt prima & ſuperexcellens mixtura, & hæc prima inter tres. Secunda mixtura eſt Virgo & Mater; admirabilis planè et ſingularis. A ſæculo non eſt auditum, quòd Virgo eſſet quæ peperit, quòd Mater eſſet quæ Virgo permanſit. Nunquam juxta rerum ordinem virginitas ubi fœcunditas prædicatur: nec fœcunditas ubi virginitas integra conſervatur. Sola hæc eſt in quâ virginitas et fœcunditas obviaverunt ſibi. Ibi ſemel factum eſt quod factum non fuerat, nec fiet in æternum; quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Tertia eſt fides et cor humanum: et hæc quidem primâ et ſecundâ inferior, ſed non minùs forſitan fortis. Mirum enim eſt, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit, quòd Deus homo eſſet, quòd Virgo manſerit quæ peperiſſet.* Nunquid hæc omnia non ſunt exquiſitæ novitates? *Verè novum* adhuc, cùm uſque nunc non vidiſſemus ſic honoratam naturam humanam, quæ erat inferior naturâ Angelicâ, & cui propterea ſuas exhibebat reverentias. Sic Abraham maximo duxit honori tres Angelos ſub formâ viatorum ſuſcipere in domum ſuam, ibique eos reficere oppiparè parato eis convivio, illiſque miniſtrare, *Ipſe verò ſtabat juxta eos ſub arbore* x. Id eſt, ut exponit Cornelius y, *Ut miniſtrans, et incitans tres ſuos hoſpites ad benè prandendum.* Sic & Agar ancilla ejus, ab illo ejecta domo ſuâ, maximâ perfuſa eſt conſolatione, cùm errans *in ſolitudine Berſabee*, audivit ſibi dicentem Angelum *Dei de cœlo: Quid agis Agar? noli timere* z. Sed hodiernâ die *creavit Dominus novum ſuper terram* a. Angelis ſuas non exhibent ampliùs homines reverentias, ſed è contra intueor quòd ipſi Angeli ſua reddunt obſequia B. Virgini, *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Ego autem obſervo quòd *Angelus* in hâc ſalutatione tres magnas intuendas exhibet novitates. Prima, eſt plenitudo gratiæ, *Ave gratiâ plena.* Secunda, eſt familiaritas cùm Deo, *Dominus tecum.* Tertia, eſt puritas, quod uſque nunc non fuerat, quòd puella fuiſſet virgo & Mater ſimul, *Benedicta tu in mulieribus.* Tres novitates iſtæ triplicem conſtituent diſcurſus iſtius partem.

Ille qui honoratur hoc illuſtri officio, iſtâ glorioſâ legatione, *eſt Angelus Gabriel.* Qui eſt inter primos ſpiritus beatos: ſicut enim ſpiritus ille nequam qui, ut *ſerpens* b, molitus eſt ruinam totius generis humani, (*Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* c) fuit primus omnium Angelorum qui rebellaverunt adversùs Deum, & in abyſſos præcipitati ſunt, *Et ecce draco magnus, et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, et miſit eas in terram; et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, et Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: et projectus eſt in terram, et Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* d: ita oportebat ut iſte qui deferret nuntia reparationis ejuſdem generis humani, eſſet ex primis illis qui permanſerunt: Imò verò aliqui aſſerunt (quod ego tamen non auſim aſſerere) quòd iſte fuerit primus Angelorum, innitentes fortè iis, quæ dicit S. Gregorius e: *Hinc eſt enim quòd ad Mariã Virginẽ non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe miniſteriũ ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nunciabat. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aëreas Poteſtates humilis apparere dignatus eſt. De quo per Pſalmiſtam dicitur, Tollite portas, Principes veſtras.*

b Jer. 31, 22.
c Cornel. in Jer. 31, 22.
d S. Hier. ser. de Aſſumpt. B. V. M.
e Iſai. 66, 8.
f Cornel. in Iſai. 66, 8.
g Act. 7, 2.
h Pſ. 28, 3.
i Philipp. 2, 6 & 7.
k Pſ. 103, 2.
l 1. Timoth. 6, 16.
m Pſ. 35, 10.
n Baruch 3, 25.
o Pſ. 64, 7.
p Dan. 13, 42.
q Exod. 33, 19.
r Pſ. 90, 10.
s S. Bern. ſerm. 3. Vigil. Nat. Dom.
t ex Joan. 1, 14.
u ex S. Athan. in Symbol. n. 34.
x Gen. 18, 8, &c.
y Cornel. in Gen. 18, 8.
z Gen. 21, 14, &c.
a Jer. 31, 22.
Diviſio.
I. Pars.
b Gen. 3, 1, &c.
c Sap. 2, 24.
d Apoc. 12, 3, &c.
e S. Greg. hom. 34. in Evãg.

è

ſtras, & elevamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Et rurſum, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ f. *Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio contra Poteſtates aëreas ad bella veniebat.* Quod appoſitè convenit illi quod dixit etiam S. Joannes g, *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Si enim Legati nationum deferre ſolebant pro inſignibus, ad hoc ut agnoſcerentur, ſuarum ſtemmata nationum, ut Chaldæi flammam ignis, Babylonij columbam, Scythæ fulmen, Perſæ arcum & ſagittas, & Romani aquilam bipartitam; rectæ conſonum erat rationi ut Divinus iſte Nuncius deferret nomini ſuo impreſſam majeſtatem operis propter quod ipſe veniſſet, cùm ſit opus maximæ fortitudinis & potentiæ Dei, ut fatetur ipſa B. Virgo Deipara in ſuo Cantico h, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Fecit potentiam in brachio ſuo.* Ecce igitur Nuncius iſtæ Curiæ cœleſtis venit hodiernâ die, & præ reverentiâ ſe ſubmittit naturæ humanæ in perſonâ B. Virginis, genua flectens, illam ſalutat, eam agnoſcit ut Dominam ſuam (ſicut re verâ ipſa eſt *Domina Angelorum*, ut concinit ei Eccleſia) illamque gratijs repletam proclamat, *Ave gratiâ plena.* Hæc plenitudo eſt illi ſpecialis, ait S. Hieronymus i, *Qualis & quanta eſſet B. & glorioſa ſemper Virgo Maria, ab Angelo divinitùs declaratur, cùm dicitur, Ave gratiâ plena.* Multi alij eximij & ſancti viri ſuſceperunt gratias diviſim, ut Abraham fidem k, Iſaac obedientiam l, Jacob ſimplicitatem m, Tobias conſtantiam n, Job patientiam o, Joſeph puritatem p, Moyſes manſuetudinem q, David charitatem r, & Elias zelum s, ſed B. Virgo omnes ſimul gratias habuit, proſequitur idem S. Hieronymus. *Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus, ut eſſet gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Et benè plena: quia cæteris per partes præſtatur: Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Verè plena, quia etſi in SS. Patribus, & Prophetis gratia fuiſſe creditur, nõ tamen eatenus plena: in Mariã verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit quamquam aliter.* Sic Archangelus non nominat gratias in particulari, ut oſtenderet quòd ipſa omnes illas haberet in generali, *Ave gratiâ plena.* Et, ut ait S. Bonaventura u, *Omnia flumina intrant in mare, dum omnia chriſmata Sanctorum intrant in Mariam.* Jure ergo merito *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave.* Quaſi diceret ei, Ipſa es ſine væ maledictionis: ſicut enim nunquam habuiſti peccatum; ſic illius ſuſtinere non debebas pœnam: quomodo autem peccatum fuiſſet in te, cùm ab inſtanti conceptionis tuæ repleta fueris plenitudine gratiarum, quæ peccato ſociari non poſſunt, *Gratiâ plena? Ac per hoc quidquid maledictionis infuſum eſt per Evam, totum abſtulit benedictio Mariæ*, ait idem S. Hieronymus x.

Quater ſuſcepit B. Virgo gratiarum plenitudinem. Primò, In conceptione ſuâ. Secundò, In incarnatione Filij ſui in ſinu ſuo, quando fuit ipſa gratiis omnibus cumulata, *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata* y. Prima plenitudo erat veluti diſpoſitio ad iſtam ſecundam, in quâ B. Virgo ſuſcepit in ſe gratiam in ſubſtantiâ ſua, concipiens in ſinu ſuo Authorem omnium gratiarum, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum*

f Pſ. 23. 7. &c.
g 1. Joan. 3. 8.
h Luc. 1. 49. & 51.
i S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. B. V. M.
k Gen. 22. 10. &c.
l Gen. 25. 9. &c.
m Gen. 25. 27.
n Tob. 2. 10.
o Job. 1. 7. &c.
p Gen. 39. 8. &c.
q Num. 12. 3.
r 1. Reg. 24. 5 &c. 1. Reg. 18. 40. &c. & 3. Reg. 19. 14.
t ex Joan 1. 14. & 16.
u S. Bon. in Specul. B. M. V. Lect. 3. ex Eccli. 1. 7.
x S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. B. V. M.
y Eccli. 26. 19.
z Joan. 1. 17.

facta eſt z. Et de hâc ſecundâ gratiâ loquitur ei Angelus, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Tertiò, In revelatione Cantici ſui. Si enim *Zacharias repletus eſt Spiritu ſancto, cùm prophetavit* in Cantico ſuo: *& repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth* uxor ejus pariter, cum dixit, *Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* potiori ratione B. Virgo debuit repleri Spiritu ſancto, cùm concinit ſuum Canticum gratiarum actionis: *Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum* a, &c. Quartò, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*, quibus ipſa erat, æquè ac diſcipuli *erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* †. Tunc enim ipſa tantam ſuſcepit gratiam, quantam habuit ipſa ſuſcipiendæ illius capacitatem, & quantam pura creatura poterat gratiam ſuſcipere: ſola B. Virgo illam ſuſcepit ſecundùm totam ſuam capacitatem, ſicut Filius ipſius *Verbum caro factum plenum gratiæ* b fuit ſecundùm totam perfectionem ſuam. Quænam igitur novitas in Mariâ propter plenitudinem gratiarum ſuarum. Audiſtis modò quomodo repleverit gratia Spiritus ſancti Zachariam, & ſponſam ejus Elizabeth: idem ſacer Textus meminit ibidem, quòd S. Joannes Baptiſta illorum filius *Spiritu ſancto, adhuc ex utero matris ſuæ* c fuerit repletus. Quòd diſcipuli, æquè ac Apoſtoli; *cùm complerentur dies Pentecoſtes, repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Et alibi, quòd ubi ſtatuti ſunt ſeptem Diaconi *ante conſpectum Apoſtolorum; & orantes impoſuerunt eis manus*; receperunt iidem Diaconi Spiritum ſanctum: præſertim verè S. *Stephanus*, qui *plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo* d. Sicut & *Saulus*, cùm *Ananias imponens ei manus, dixit, Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in viâ quâ veniebas: ut videas, & implearis Spiritu ſancto. Et ſurgens, baptizatus eſt* e. Sed non omnes æqualiter gratiam receperunt: dicimus quidem quòd fons ſit plenus, & quòd ſtagna ſint plena, licèt magna ſit differentia inter illum & iſta. *Verbum caro factum, plenum gratiæ* f fuit ut fons è quo fluit tota gratia ſicut è Capite in membra. *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus* g. B. Virgo fuit *gratiâ plena*, ut ex hoc fonte oriens *parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, Solemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit.* Nimirum Maria, quam figuravit *Eſther, quam Rex accepit uxorem, & voluit eſſe Reginam* h. Id eſt, *quam Jeſus Chriſtus*, qui eſt *Rex Regum, & Dominus Dominantium* i, non ſolum Sponſam, ſed & Matrem *accepit, & voluit eſſe Reginam* omnium creaturarum. Et ſic cùm dicitur ei ab Angelo, *Gratiâ plena*, innuitur nobis, quòd illi collata fuerit maxima omnium gratiarum quæ ulli unquam potuerit communicari creaturæ, & quòd eâ ita fuit repleta, ut illam fluere fecerit ſuper omnes alios Sanctos, qui eam ſuſceperunt unuſquiſque ſecundum capacitatem ſuam.

Sponſus ſacer loquens de Sponſa ſuâ, ait, *Soror noſtra parva, & ubera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ* k? Ha! Auditores; ſi B. Virgo adhuc puella tenera tantam habet gratiam, ut ſalutetur ab Angelo *gratiâ plena*, quid dicetur de eâ cùm conceperit Filium Dei, & evaſerit Mater Dei, quod privilegium ita excelſum eſt, ut Deus

a Luc. 1. 41. &c.
† Act. 2. 1. &c.
b Joan. 1. 14.
c Luc. 1. 15. &c.
d Act. 6. 5. &c.
e Act. 9. 8. &c.
f Joan. 1. 14.
g Epheſ. 5. 30.
h Eſth. 10. 6.
i 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.
k Cant. 8. 8.

illo minùs non poſſit facere, ut ait S. Thomas *l*. Habet B. *Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito m, quod eſt Deus: & ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eâ: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Qualem igitur gratiam debet habere B. Virgo, effecta Deipara? Ipſa eas habet omnes. *Fecit mihi magna qui potens eſt*, ait ipſa in Cantico *n* ſuo. *Hoc eſt, præclariſſima mihi beneficia eſt largitus, in ſanctificatione, in gratiarum augmentatione, in totius perfectionis collatione, & nunc potiſſimùm in Incarnatione, in quâ veri Dei vera Mater effecta, quodammodo infinita dignitatis prærogativam ſum conſecuta, ab eo qui potens eſt, imò omnipotens eſt* o. Quòd ſi ipſa tantum meruit exiſtens adhuc tenera puella ut ſalutetur ab Angelo *gratiâ plena*, quantas debuit gratias ſuſcipere cùm evaſit Mater Dei? Neceſſaria erat potentia Dei ad operanda hæc mirabilia: & hinc argumentari poteſtis hôc modo: Deus potuit eam gratiam conferre: ergo & illam contulit. Ratio iſtius eſt: Quia quando conceditur aliquod donum, in quo non attenditur diſpoſitio recipientis, ſed ſola poteſtas donantis, tunc id totum aſſerendum eſt, quod ſe tenet ex parte potentiæ donantis: atqui gratiæ collatæ beatæ Virgini nullam aliam habent regulam præter potentiam abſolutam & infinitam Dei, *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Ergo ſi tantam ſuſcepit gratiam cùm ſalutata eſt ab Angelo, quantam debuit ſuſcipere effecta Dei Mater? Argumentamini à minori ad maius: Habet ipſa plenitudinem gratiarum adhuc tenera puella: quid non habebit cùm Deipara evaſerit? cùm adhuc puella tenera, & nondum effecta Sponſa Spiritus ſancti medio hoc Matrimonio ſacro inter illum & ipſam inito, unde ſecuta eſt conceptio Verbi Domini hominis facti in viſceribus ipſius, operatione & virtute Spiritus ſancti, tantis gratijs fuerit cumulata?

Tantam gratiæ plenitudinem contulit Deus Mariæ, ut gloria ipſius Divina magis manifeſtetur in hâc ſolâ B. Virgine quàm in reliquis creaturis cæli & terræ; & omnes aliæ gratiæ diſperſæ inventæ fuerint unitæ in hâc glorioſâ Deiparâ. quam Deus fecit ut arcam ſacram omnium gratiarum, *In plenitudine Sanctorum detentio mea* p. Ad hoc propoſitum explicatur iſte verſus Davidis *q*, *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.* Super quem Lorinus *r* ait, *Galatinus legens* (*Et abacum, quam plantavit dextera tua*) *refert ex vetere Rabbino, quem venerationis causâ vocant Hebræi Rabbenu Hacados, id eſt Rabbinum, ſeu Magiſtrum noſtrum ſanctum, in libro Galerazeia, reſpondiſſe ad ſeptimam quæſtionem Antonini Conſulis, Meſſiæ Matrem hoc loco ſimilem dici abaco, quia fieri debeat velut abacus, ſive armarium, in quo ſedeat Meſſias, ad oſtendendas quaſi opes, gloriamque ſuæ Majeſtatis cunctis mortalibus: plantatam verò dexterâ Dei, quia eſt prima creatura Dei in genere humano, videlicet pura creatura: Meſſiam enim Deum ſimul & hominem illem ille Rabbinus affirmat.* Sicut enim in abacis, Reges terræ ſuam oſtendunt majeſtatem, & ſuarum divitiarum magnitudinem: ita ſuam exhibet intuendam magnificentiam Deus, qui eſt *Rex regum, & Dominus Dominantium* s, in benedictâ Matre ſuâ: In baſilicis Regum videtur ordinariè quidam abacus, ſuper quo explicantur vaſa & cætera inſtrumenta aurea & argentea, quæ inſtituuntur ad miniſterium menſæ eorum, & divitiæ quæ ſunt in palatijs illorum diſperſæ, illuc inveniuntur ſimul collectæ ac congregatæ: Deus fecit multa vaſa argentea & aurea exquiſitarum virtutum decore ornata, Abelem præditum innocentiâ *t*, Abrahamum fide *u*, Iſaac obedientiâ *x*, Jacob ſimplicitate *y*, Joſeph caſtitate *z*, Moyſem manſuetudine *a*, Davidem miſericordiâ *b*, Prophetas revelatione *c*, Apoſtolos zelo *d*, Martyres patientiâ *e*, & Virgines puritate *f*: ſed B. Virgo Mater ipſius, eſt abacus magnitudinis ipſius; in eam congregare voluit omnes theſauros gratiæ ſuæ. Propterea Chryſippus *g* ait illi, *Ave armarium vitæ.* Et de illâ poſt hæc verba Davidis, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ* h. *Arca enim vere Regia. Arca pretioſiſſima eſt Virgo Deipara. Arca quæ excipit totius ſanctificationis theſaurum. Arca non ea in quâ erant omnium animalium genera, quemadmodum in arcâ Noë; quæ fluctuantis univerſi mundi effugiebat naufragium* i. *Arca non ea, in quâ erant tabulæ lapideæ, quemadmodum in arcâ, quæ per totum deſertum unà cum Iſraële perambulabat* k; *ſed arca, cujus Architectus & Incola, Gubernator & Mercator, Comes viæ & Dux erat Opifex omnium creaturarum* l, *quas in ſe ipſe univerſas portat* m, *ſed à cunctis ipſe non comprehenditur* n. Vocat autem illam Chryſippus Arcam, ut innuat quòd poſuit in illâ Deus cumulum omnium gratiarum, quas per illam effunderet ſuper cæteros Sanctos ſuos, *Vt oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam* o. Propter eundem finem Heſychius *p* vocans illam poſt Sponſum ipſius, *Fontem concluſum* q, conceptus ſui rationem reddens, eam ſic alloquitur, *Quia flumen vitæ ex te prodiens replevit terram* r, *aliequi ramus nuptiales fontem tuum nequaquam exhauſit.* Quod convenit cum eo quod ſuprà retuli de fonte Eſther. Quod autem immediatè poſt ſubdit Heſychius, concordat cum eo quod dixit modò Chryſippus, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ: Surge*, ait, Heſychius, Dei Filium alloquens, *unde* [illegible] *ſinu Patris* s, *non ut à Patre ſepareris* t (*hoc enim dicere vel cogitare nefas*) *ſed ut diſpenſationem peragas, vel quidpiam è cælis ante ſecula, & ante generationes tibi præfinitum* u. *Surge ut lapſos erigas, ut claudis antes rectà incedere facias* x, *ut poſſeſſionem tuam recipias, quæ ab hoſte ad hoc uſque tempus tyrannico modo occupatur* y. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ, quæ eſt haud dubiè Virgo Deipara. Si enim tu es gemma, meritò illa eſt arca.* Hæc eximia Domina, Auditores, eſt *ſoror noſtra parva: quid faciemus ſorori noſtræ* z? Habuit ipſa duas plenitudines (ultra duas ſuprà dictas, quæ faciunt quattuor in ſummâ) primam in inſtanti ſuæ conceptionis, ſecundam nunc, effecta Deipara. Prima eſt ei propria, & tota illius eſt. Secundam verò ipſa nobis communicat; efficitur enim ſimul & Mater noſtra, ut culpam Evæ novercæ noſtræ reparet *a*. Debemus illam igitur in æternum laudare: Eva nos perdiderat. Maria verò nos ſaluat, propterea ingreſſus Angelus, *ad eam dixit, Ave.* Quod ſignificat vitam, ut innueret quòd ipſa eſſet Mater vitæ. Unde Cornelius *b* ait ſuper hæc verba Geneſis, *Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ, Eva: eò quòd (futura) eſſet mater cunctorum viventium. LXX. pro, Eva, vertunt ζωὴ, id eſt, vita. Hinc Eva typus fuit Mariæ; quia Mater eſt viventium, non temporali, ſed ſpirituali & æternâ vitâ in cœlo, ut ait S. Epiphanius. Melior ergo Mater eſt Maria, quàm Eva. Eva enim tam morientium, quàm viventium cuncto-*

rum

l S. Thomas 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.
m ex Baruch. 3. 25.
n Luc. 1. 49.
o Dion. Carth. art. 4. in Luc. 1. 49.
p Eccli. 24. 16.
q Pſ. 79. 16.
r Lorin. in Pſ. 79. 16. citans Galatin. lib. 7. c. 3 & 6. c. 4. qui citatur etiam in Theatro vitæ humanæ V. Maria.
s 1. Tim. 6. 15. & Apoc. 19. 16.

t Gen. 4. 4. &c.
u Gen. 22. 1. &c.
x Gen. 22. 9. &c.
y Gen. 25. 27.
z Gen. 39. 7. &c.
a Num. 12. 1.
b 1. Reg. 24. 5. &c.
c Iſai. 1. 1.
d Act. 5. 41. & 42.
e Apoc. 14. 12.
f Apoc. 14. 4.
g Chryſipp. hô. de Laudib. Deipar.
h Pſ. 131. 8.
i ex Gen. c. 6. & 7.
k ex Joſue c. [illegible]
l [illegible]
m ex Hebr. [illegible]
n ex [illegible] Reg. [illegible] 27.
o Rom. 9. 23.
p Heſych. hom. 2. de laud. Deipar.
q ex Cant. 4. 12.
r ex Eccli. 24. 40. &c.
s ex Joan. 16. 28.
t ex Joan. 1. 18.
u ex Iſa. 6. 3.
x ex Iſai. 35. 6.
y ex Joan. 12. 31.
z Cant. 8. 8.
a Gen. 3. 6. &c.
b Cornel. in Gen. 3. 20. citans S. Epiph. Hæres. 78.

rum mater eſt, & vocari poteſt. Origenes c dicit, *Angelus novo ſermone Mariam ſalutavit, quem in omni Scripturâ invenire non potui.* Re autem verâ *Ave* continet tres literas myſticas. Per *A* ſignificatur, Amor qui eſt Spiritus ſanctus, *Ignis, Charitas*, canit Eccleſia d. Per *V* Veritas quæ eſt Filius, *Ego ſum Veritas* e. Per *E* Æternitas, quæ attribuitur Patri, *Deus æterne* f. Vel, *Antiquus dierum* g. Ut ſignificetur, quòd Divinus iſte Nuncius venit à tota ſanctiſſimâ Trinitate. *Hæc autem arca vitæ habebat univerſum Trinitatis complementum*, ait Heſychius loco ubi ſuprà. Et ideò ritè, *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.*

c Orig. hom. 6, in Luc. 1. 28.
d Eccleſia. ex Hebr. 12, 29. & ex 1. Joan. 4, 16.
e Joan. 14, 6.
f Dan. 13, 42.
g Dan. 7, 9.

II. pars.

Secunda novitas, quam oſtendit Archangelus in legatione ſuâ, eſt magna familiaritas, quam B. Virgo habet cum Deo, *Dominus tecum.* Quæ eſt origo totius fœlicitatis ejus: uniri enim Deo eſt tota beatitudo, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* h. Si enim quò quis magis unitur alicui, eò magis communicat familiaritati ejus; cùm B. Virgo magis fuerit unita Deo Patri, Filio, & Spiritui ſancto, quàm quælibet alia creatura, imò verò quàm Sancti, & Angeli, majorem habet cum Deo familiaritatem, quàm ullus ex illis. Ratio iſtius in promptu eſt: B. Virgo parit in tempore *Filium* i, quem Pater æternus gignit in æternitate: & ſicut Spiritus ſanctus eſt terminus amoris Patris & Filij k; ita Filius incarnatus, eſt terminus Patris æterni, & B. Virginis, *Peperit Filium ſuum, qui & illius ſimul & Patris cœleſtis eſt primogenitus & unigenitus*, ait Chryſippus l. Pater concipit & gignit eum mente; B. Virgo verò purâ generatione: Pater intuitu magnitudinum ſuarum, *In ſplendoribus Sanctorum* m &c. Maria autem intuitu humilitatis ſuæ, *Ecce ancilla Domini*, &c. Quamnam familiaritatem debebat illa habere cum Deo, cùm ſciamus illam eſſe eam, quam *Sapientia ædificavit ſibi domum* n. In quâ nimirum Deus habitat. Domus Verbi Dei in æternitate eſt intellectus Patris, *Ego in Patre* o. Sed in tempore eſt in ſinu Virginis B. ubi ipſum habitat novem menſibus, & ubi eadem *Sapientia excîdit columnas ſeptem* p. Id eſt, ſeptem dona Spiritus q ſancti. *Verùm quia munda es à concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni ſorde liberum conſervaſti: & Pater hoſpitatur apud te, & Spiritus ſanctus obumbrat, & aſſumptâ carne Unigenitus ex te naſcitur*, ait illi Heſychius r. Ratione hujus familiaritatis imperabat ipſa Filio ſuo, & ille ei morem gerebat, *Et erat ſubditus illis* s. Familiaritas, quam habet cum Spiritu ſancto, non eſt minor, quippe qui Sponſus illius eſt. *Hæc enim cùm ſit Dei Patris Filia, Filij Dei Mater, Spiritus ſancti Sponſa*, ut ait Cornelius t, *concepit de Spiritu ſancto*, ut canit Eccleſia. Sicut autem Sponſus & Sponſa maximam habent ad invicem familiaritatem; ita familiaritas Spiritus ſancti & B. Virginis erat ingentiſſima; propterea Mariæ *Angelus dixit, Ideòque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ut innueret, quòd Filius B. Virginis ſit etiam *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* u. Idcircò oppoſitè *ad eam dixit, Dominus tecum.* Ut ſignificaret, quòd eſſet cum illâ perfectiſſimo omnium modorum, quibus reperiri poſſit in creaturis. Et cùm gratia nos uniat Deo, ubi major eſt gratia, ibi eſt & ſtrictior unio; & ubi eſt unio, ibi & familiaritas: atqui in B. Virgine gratia fuit maxima præ omnibus creaturis: maximam præ illis ergo habuit cum Deo unionem, & conſequenter ingentiſſimam cum illo familiaritatem, *Dominus tecum.* Pater cum Filiâ ſuâ, Filius cum Matre ſuâ, Spiritus ſanctus cum Sponſa ſuâ ut Sponſus, vel cum Templo x ſuo ut Sanctificator. Tota SS. Trinitas eſt cum illâ in corde ejus, in verbis, operibus, & moribus illius; hodiernâ verò die erat cum illâ novo modo, id eſt, in viſceribus ejus. *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Et, ut ait Damianus y, *Quatuor modis ineſt Deus omnibus creaturis. Primo modo eſſentialiter. Secundo modo operatione. Ineſt & illuminatione. Quarto modo ineſt & uni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt quod illa.* Quia ipſa habet cum illo eandem ſubſtantiam, & eundem ſpiritum, & eandem charitatem, ut docet Arnoldus Carnotenſis z, *Una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus Spiritus, & una charitas. Et ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeveravit promiſſum & donum.* Deus eſt ubique per eſſentiam, cùm omnia repleat, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* a? Per præſentiam, cùm univerſa intueatur, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* b. Per potentiam, cùm omnibus det virtutem agendi, & cum illis concurrat, *Sine me nihil poteſtis facere* c. Præterea, Deus eſt in hominibus bonis & malis per incarnationem, per quam eſt unitus hypoſtaticè naturæ humanæ; eſt cum Juſtis per gratiam habitualem & permanantem d; in amicis ſuis per gratiam actualem & tranſitoriam, ut per inſpirationes, elevationes mentis, & alias motiones ſacras, quæ tranſeunt e. Deus eſt cum B. Virgine omnibus iſtis prædictis modis, ſed ſpecialiter illi *ineſt identitate, quia idem eſt quod illa.* Habet igitur ipſa unde gaudeat præ omnibus creaturis, ex eo quòd, ut ait S. Epiphanius f, *Ipſa Sponſa, & Thalamus, & Dei Mater eſt.* Et ſi Abigail gaviſa eſt, cùm David ipſam ſponſam accepit g; magis gaudere debet B. Virgo, *Cùm ſit Dei Patris Filia, Filij Dei Mater, Spiritus ſancti Sponſa*, dicit Cornelius h.

h 1. Cor. 6, 17.
i Matth. 1, 25. & Luc. 2, 7.
k Joan. 15, 26.
l Chryſipp. hō. de Laudib. Deipar. ex Luc. 2, 7. & Joan. 1, 18.
m Pſ. 109, 3.
n Prov. 9, 1.
o Joan. 14, 10
p Prov. 9, 1.
q Iſai. 11, 2, & 3.
r Heſych. hom. 2, de Laudib. Deipar.
s Luc. 2, 51.
t Cornel. in Act. 1, 14.
u Joan. 1, 18.
x 1. Cor. 3, 17.
y Damian Serm. 1. de Nat. B. M. V.
z Arnold. Carnot. Tract. de Laudib. B. Virg.
a Jer. 23, 24.
b Hebr. 4, 13.
c Joan. 15, 5.
d Rom. 5, 5.
e Cant. 5, 2. &c.
f S. Epiph. hom. de Laudib. Deipar.
g 1. Reg. 25, 41.
h Cornel. in Act. 1, 14.

Sed cùm tantam habeat hæc B. Virgo unionem & familiaritatem cum Deo, ut ſit inſtar alterius Eſtheris prope cœleſtem Aſſuerum, & ideò dicat *ad eam Rex, Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua?* debemus illam, Auditores, deprecari ut ipſa hanc inſumat familiaritatem cum Deo erga nos, ut impetret nobis novas gratias, ut fluere faciat è cœlo novos favores ſuper nos & avertat à nobis id omne quod nobis poſſet eſſe funeſtum, à peccatis noſtris cauſatum; ut intercedat pro nobis miſeris peccatoribus damnatis ad mortem propter peccata noſtra, ut cùm ipſa ſit Mater noſtra eodem tempore ac eſt Deipara, illam qualitatem oſtendat effectibus: *Hæc enim cùm ſit Dei Patris Filia, Filij Dei Mater, Spiritus ſancti Sponſa, quidvis obtinet*, ait idem Cornelius. Diligit ipſa nos: quippe quæ ſine nobis non eſſet Mater Dei, & ipſa talis eſt, quia nos ſumus peccatores: hæc conſideratio inducet illam ut dicat Deo, *Si regi placet, obſecro ut* i benedictionibus tuis cumules omnes peccatores, cùm maledictio peccatorum illorum procuraverit mihi immenſas benedictiones tuas. Et hoc eſt, quod *ingreſſus Angelus ad eam, dixit, Benedicta tu in mulieribus.* Et quod nobis ſupereſt examinandum.

i Eſth. 5, 8. &c.

III. Pars.

Quaſi diceret ei, Benedictionibus redundas ſupra omnes mulieres, inter frigora hyemis peccati, tota pura es; inter crimina creaturarum tota innocens es, *Sicut lilium inter ſpinas,*

ſic

ſic inter filias k tu es. Non eſt niſi puritas in Maternitate tuâ; fœcunda es in virginitate tuâ, cùm deferas Deum, qui *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* l: manens *in virginitate ſancta & præclara Puella, nubes lucida habens intùs Deum Verbum, ad quam vocaliſſimus Iſaias* m, *Ecce nubes levis, & veniet in Ægyptum: mons nullatenus inciſus, præruptam habens Petram Chriſtum. De quâ ſapientiſſimus Daniel ait, Abſciſſus eſt Lapis de monte ſine manibus* n, *hoc eſt abſque viro ſolidam Petram Chriſtum Virgo* o paritura es. Sic eſt, Auditores; expediebat ut ipſa præferretur omnibus mulieribus, expers communis infortunij, cùm criminum illarum non conſcia, pœnis illarum communicare non deberet. Habet ipſa & continet eminenter id omne quod aliæ habent bonum, nedum tamen illarum imperfectiones participet, ideò *Angelus ad eam dixit, Benedicta tu in mulieribus.* Quia Deus eſt cum illâ. *Factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem, dicens, Noli timere Abram, ego ſum merces tua magna nimis.* p Inde omne genus felicitatis venit ſuper hunc Patriarcham, qui nihil habebat ampliùs pertimeſcendũ: nullæ ſunt impuritates in Mariâ: nihil eſt igitur in illâ pertimeſcendum, cùm nihil ſit niſi ſanctum in eâ, cùm concipiat unigenitum Dei, *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* r, cumulabit ipſam benedictionibus ſupra omnes creaturas. Sic S. Anſelmus s dicebat, *Decebat ut Chriſti conceptio de Matre puriſſimâ fieret. Nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret: cui Deus Pater unicum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tanquam ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat, ut naturaliter eſſet unus idemque communis Dei Patris & Virginis Filius, & quam ipſe Filius ſubſtantialiter facere ſibi Matrem eligebat, & de quâ Spiritus ſanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & naſceretur ille, de quo procedebat.* In illâ invenitur unitum id omne, quod eſt diſperſum in cæteris creaturis: omnes virtutes emicant in eâ ſplendore incomparabili ſicut in proprio loco ſuo. Sic eſt proculdubio: Ipſa eſt ſapientior Deborâ t, fortior Judith u, gratioſor Eſther x, humilior Abigail y, prudentior Thecuitide z, formoſior Abiſac a, & caſtior Suſannâ b. Ipſa eſt *Signum magnum* illud quod *apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim* c. Illam fecit ſibi Deus *Sanctuarium*, ad habitandum *in medio ejus*, & compactam *Arcam de lignis ſetim & auro mundiſſimo intùs & foris* d deauratam. Eam ſibi cœleſtis *ædificavit Salomon Domum* e, æquè ac *ferculum fecit ſibi* f, ad requieſcendum ibi. Immenſo magnitudinum B. Virginis Oceano velis explicatis commiſſa mea mens, nullos illarum limites invenit, & dicere cogitur ei cum Sponſo illius, *Tota pulchra es, Amica mea, & macula non eſt in te* g. Multi Sancti tam in veteri quàm in novo Teſtamento, ut dixi ſuprà, floruerunt in vitâ ſuâ aliquo genere ſanctitatis; ſed B. Virgo ſemper fuit *ſicut lilium* h tota pura, *Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum*, ut dicitur cõmuniter. Ipſa eſt tota càndida in Fructu ſuo, & ideò jure merito *benedicta*. Quia partus ejus nullo modo detrahet gloriæ virginitatis ipſius; nec virginitas officiet dignitati ſupereminenti Divinæ Maternitatis, quæ ipſi ſoli conceſſa eſt; non debet ipſa timere, *Et ait Angelus ei, Ne timeas, Maria.* Timere debent illæ quæ gratiam amiſerunt, ſed ab initio mundi nemo præter illam invênit originem & abundantiam gratiæ; *Inveniſti enim gratiam apud Deum.* Ideò pariet ipſa Filium Dei, Verbum æternum. *Benedicta* ratione Fructus, qui eſt Deus. *Benedicta*, quippe quæ electa ab omni æternitate ut puriſſima & ſanctiſſima omnium creaturarum, ad dignitatem maximam omnium, quibus poſſet honorari pura creatura, putà ad Divinam Maternitatem: & ſic Deus præbuit illi gratiam maximam omnium, quæ cadere poſſent in creaturam. Nam, ut aiunt Philoſophi, *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe.* Et Deus magis ſuam magnificavit poteſtatem in hâc B. Virgine, quàm in cæteris creaturis, ut ipſa confitetur in ſuo Cantico i, *Fecit mihi magna qui potens eſt. Fecit potentiam in brachio ſuo.* Et quicumque haberet oculos ſatis perſpicaces ad videndam puritatem B. Virginis, & ad intuendas virtutes, quibus eſt illa prædita, magis propter eas laudaret Deum, quàm pro eo, quod idem *in principio creavit Deus cælum, & terram* k, &c. Quia in re nullâ ſic ſe exhibuit divitem, liberalem & magnificum ac in perfectione & in ornamento hujus B. Virginis.

[Margin, left column: k Cant. 2, 2. — l Sap. 7, 26. — m ex Iſai. 19, 1. — n Dan. 2, 34. — o S. Epiph. hom. de Laudib. Deipar. — p Gen. 15, 1. — r Hebr. 1, 3. — s S. Anſelm. lib. de Concept. Virgin. c. 18. — t Judic. 4, 12. — u Judith 13, 10. — x Eſth. 5, 2. — y 1. Reg. 25, 41. & 42. — z 2. Reg. 14, 4 &c. — a 3 Reg. 1, 4. — b Dan 13, 21, & 24. — c Apoc. 12. 1. — d Exod. 25, 8, & 10. — e 3. Reg 6, 14. — f Cant. 3, 9. — g Cant 4, 7. — h Cant. 2, 2.]

Heſychius l ſuper hæc verba Iſaiæ m, *Ecce Virgo concipiet*, &c. ait, *Ecce Virgo, quænam? Mulierum egregia, è Virginibus electa, præclarum naturæ noſtræ ornamentum, gloria luti noſtri, quæ Evam pudore, & Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis abſcidit* n: *quam concupiſcentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam læſit.* Ipſa eſt quæ prima plantavit puritatem in naturâ, quæ erexit vexillum virginitatis, quam prima vovit Deo, quæque in ipſâ fuit fœcunda Deo. Aliàs deflebatur virginitas ut crimen, aut ſaltem ut opprobrium, ſicut filia Jephte *flebat virginitatem ſuam in montibus* o. Sed nunc laudibus evehitur ut digna gloriâ, poſt exemplum, quod B. Virgo nobis præbuit illius. Quàm verè dicere poſſum ſingulis animabus, quæ die hodiernâ Dei Filium ſuſceperunt in pectora ſua in ſacrâ Communione, *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu.* Cùm ſuſceperint ipſum Authorem gratiæ in ſeipſas. *Ne timeas: inveniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies.* Habentes gratiam, concipimus Dei Filium in nobis ipſis ſicut B. Virgo, *Beatior Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti* p.

Sed finiamus id quod nullum habet finem, limites imponamus his magnitudinibus, ne terminos veſtræ videar imponere patientiæ; gratias & gloriam agamus huic B. Virgini ex omnibus viribus noſtris; & confiteamur ad laudem ejus, quòd ipſa primum & præcipuum noſtræ fuit redemptionis inſtrumentum; arca mirabilis, in quam Verbum æternum ingrediens, ut alter Noë q, mundum ſalvat ab æternâ damnatione. Eia ergo, Auditores, non ceſſent linguæ noſtræ illam laudibus æternis glorificare, dicamuſque ei potiori jure, quàm diceret aliàs populus Iſraël caſtæ Judith victrici de inſolentiâ Holofernis, qui ruinam fuerat Bethuliæ minitatus r, *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri* s. Sic eſt, B. Virgo; nunc cùm Satanas vergit ad ruinam ſuam, & obſidio captivitatis ita crudelis auferenda eſt, cùm propterea Meſſias veniat, ecce pro eo tibi gratias agimus, contentâ voce inclamantes, te eſſe gloriam Eccleſiæ, conſolationem totius orbis, honorem naturæ noſtræ,

&

[Margin, right column: i Luc. 1, 49. & 51. — k Gen. 1, 1. &c. — l Heſych. hom. 2. de Laudib. Deipar. — m Iſai. 7, 14. — n ex Gen. 3, 15. &c. — o Judic. 11, 38. — p S. Aug. lib. de S. Virginitate c. 3. — q Gen. 7, 13 &c. — r Judith. 8, 4 &c. — s Judith 15, 10. &c.]

& totam ſpem cœli & terræ; à te omne noſtrum ſperamus auxilium, & cùm tantùm nos dilexeris in terrâ, à te omne ſubſidium expectamus in cœlo, ubi cœleſtis Salomon dicit tibi, *Pete Mater mea: neque enim fas eſt ut avertam faciem tuam* t. (t 3. Reg: 2, 20.) Ipſa potes omnia, nec aliquid tibi poteſt denegari: eſto nobis igitur propitia, & pro nobis erga Deum intercede. Nos autem, Auditores, exhibeamus nos ei bonos filios; & ipſa ſe ſemper nobis exhibebit bonam Matrem in omnibus neceſſitatibus noſtris ſublevandis. Liberi debent honorare matres ſuas, nihil agere niſi id quod illæ deſiderant, & in quo eæ ſibi complacent; & fugere id omne, quod ipſæ abhorrent. B. Virgo amat puritatem, & odit vitium & incontinentiam: ſi eſtis veri filii Mariæ, ejicite è cordibus veſtris omnes iſtas ſordes, & tunc experiemini dilectionem ejus erga vos, ſublatis omnibus impedimentis, & viventes deinceps in gratiâ, impetrare poteritis interventu illius gloriam ſempiternam.

PRO CONFRATERNITATE POENITENTIVM IN FERIA V. IN COENA DOMINI.

Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Rom. 12. 1.

(a Pſ. 4, 6.) PSalmiſta *a* exhortans homines ad reddenda Deo humilia obſequia obedientiæ ſuæ, ait illis, *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ.* Conſentiunt ferè unanimiter Interpretes, æquè ac Patres, quòd ſacrificium iſtud, quod Deus exigit à nobis, & ad quod Deo exhibendum nos hortatur David, eſt mortificatio carnis, & pœnitentia corporea, juxta paraphraſim Chaldaicam *b*, (b Apud Lorin: & Genebr: in Pſ: 4, 6.) *Domate concupiſcentias veſtras*, aut, *concupiſcentiam veſtram, & reputabitur vobis ſicut ſacrificia juſtitiæ.* Ad cujus confirmationem S. Auguſtinus *c* (c S. Aug: lib. 10. de Civit. Dei c. 6.) ait, *Unde ipſe homo Dei nomini conſecratus, & Deo devotus, inquantum mundo moritur, ut Deo vivat, ſacrificium eſt.* Cùm, toties quoties corpus ſuum macerat ciliciis, flagellationibus, vigiliis, & aliis mortificationibus voluntariis, offerat Deo ſacrificium ipſi gratius quàm fuerint omnia holocauſta Judæorum. Re autem verâ mortificatio carnis, æquè ac ſpiritus, eſt ſolemne ſacrificium quod generoſus Pœnitens exhibet Deo pro peccatis ſuis. Jure autem merito vocat iſtud *Sacrificium juſtitiæ.* Cùm juſtè debeatur Deo, nec aliquid ſit juſtius quàm ut ſatisfaciamus Deo pro peccatis noſtris, & mortificantes appetitus inordinatos carnis, offeramus ei opera juſtitiæ per ſubjectionem corporis, æquè ac mentis, *Offer*, ait ſingulis ex vobis, Domini mei Pœnitentes, S. Auguſtinus *d*, (d S. Aug: in Pſ: 50, 58, &c. e ex Pſ. 55, 12.) *Sanè in te habes quod offeras. Noli extrinſecùs thura comparare; ſed dic: In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi* e. *Noli extrinſecùs pecus quod mactes inquirere, habes in te quod occidas. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Quando totum pecus imponebatur aræ Dei, igne conſumendum, Holocauſtum dicebatur. Totos nos Divinus ignis abſumat, & fervor ille totus arripiat. Quis fervor? Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* f. (f Pſ. 18, 7. g Rom: 12, 11.) *Quis fervor? De quo dicit Apoſtolus* g, *Spiritu ferventes. Non tantùm anima noſtra abſumatur ab illo igne Divino ſapientiæ, ſed & corpus noſtrum, ut mereatur ibi immortalitatem.* Vel, Mortificatio carnis dicitur Sacrificium juſtitiæ, quia per eam recuperamus veram juſtitiam, & perfectam ſanctitatem, quam amiſeramus per peccatum, *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem* h. (h Rom. 6, 19.) Cùm mortificatio, aut pœnitentia ſatisfaciat Juſtitiæ Divinæ, & lavet animas noſtras ab omni iniquitate, eò quòd juſtitia Chriſtiana conſiſtat in mortificatione ſpiritus noſtri, & ſenſuum noſtrorum. Aut quia mortificatio & pœnitentia eſt pars juſtitiæ vindicativæ, quæ ulciſcitur peccatum commiſſum, cùm verus Pœnitens exerceat actum juſtitiæ vindicativæ contra ſemetipſum. Ideò Michæas *i* (i Mich. 6, 8.) docens hominem quidnam debeat Deo, proximo, & ſibi, ait illum uti debere judicio adversùs ſe, *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cũ Deo tuo.* Super quod Cornelius k ait, (k Cornel: in Mich: 6, 8.) *appoſitè & genuinè Rupertus per judicium accipit ſatisfactionem pœnitentiæ. Quaſi diceret, Quid Deus requirit à te, ô peccator, niſi ut tu prævenias Dei judicium. Itaque judices antequàm ipſe te judicet & condemnet, uti jubet Apoſtolus* l. (l 1. Cor. 11, 31.) *Deus enim non quærit oves & boves, ſed cor contritum & humiliatum. Age ergo, conſcende tribunal rationis tuæ, eò cita voluntatem tuam quaſi ream, ejus actus & peccata examina, judica condemna, ac meritum ſupplicium & pœnitentiam ei inflige; ita fiet ut reconcilies tibi Deum offenſum. præſertim ſi huic judicio addas miſericordiam. Unde S. Auguſtinus explicans hæc verba Michææ, Quærebas, inquit, quid offerres pro te? offer te: quid enim Dominus quærit à te, niſi te? quia in omni creaturâ terrenâ nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia tu perdideras te.* Cùm igitur mortificatio & pœnitentia ſit *ſacrificium juſtitiæ*, quod juſtè debetur Deo, judicate num jure meritò Apoſtolus nos non hortetur ad illud Deo exhibendum, *Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, Sanctam, Deo placentem.* Ubi verbum iſtud, exhibere, ſignificat aliquid offerre liberè & voluntariè: ita ut S. Paulus ſolicitet nos ad ſacrificanda corpora noſtra mortificatione & pœnitentiâ liberè & voluntariè, quod eſt prima & præcipua conditio quæ reddit mortificationem & pœnitentiam noſtram Primò gratâ Deo, Secundò meritoriâ nobis ipſis, (Diviſio) Tertiò proficuam toti Eccleſiæ, aut Confraternitati. Hæc tria, Domini mei Pœnitentes, oſtendam vobis in tribus partibus diſcurſus iſtius, poſtquam

humi-

humiliaverimus nos coram B. Virgine, dicendo ei, *Ave Maria.*

Deus ita fœlix & dives eſt, ut ſe ſolo ſit contentus: propterea ab Hebræis vocatur Saddai *m*, id eſt, ſibi ſufficiens. Quod conforme eſt illi, quod ait Abdias *n*, *Si fures introiſſent ad te, nonne furati eſſent ſufficientia ſibi?* Philoſophi Ethnici ſolo dictamine rationis naturalis hanc agnoverunt veritatem, dicentes, quòd Deus contempletur ſemetipſum, & quòd ipſe ſit objectum & ſubjectum gloriæ ſuæ. Inde fit ut Deus ſemetipſo ſit contentus, nec ullâ è ſuis indigeat creaturis. Illas non produxit niſi in tempore, ut oſtenderet quòd illis non indigeret, & quòd ipſe eſſet mundus ſuus, & totum ſuum. Hanc clarè fatetur David *o* veritatem, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quaſi diceret, quòd ſi aliquâ re indigeret, non eſſet Deus. Verum eſt iſtud: Deus enim continet omnia bona imaginabilia, *Ego oſtendam omne bonum tibi p.* Intelligendo de eſſentiâ ſuâ, & præſentiâ ſuâ, de gloriâ quæ conſiſtit in viſione & fruitione Dei, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, ait idem Dei Filius per S. Joannem *r*. Et Boëtius *s*, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum.* Et S. Paulus † ait, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Unde vult inferre, quòd Deus eſt cauſa efficiens, formalis, & finalis omnium bonorum, *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Non poteſt igitur indigere aliquâ re, ſed omnia ipſo indigent, *Ille nullius indiget*, ait Clemens Alexandrinus *t*. Cùm eminenter univerſa contineat, & *ſit omnia in omnibus* *, &c.

l. Pet.
m ex Exod: 6,3.
n Abdias 1,5.
o Pſ: 15,2.
p Exod: 33,19.
r Joan: 17,3.
s Boet: lib. 3. de Conſol. Philoſ. proſ. 2.
† Rom: 11, 35, & 36.
t Clem: Alex lib. 2, & 7, Stromat.
* 1, Cor: 15, 28.

Conformiter ad hunc ſenſum Ægyptii comparabant Divinitatem centro, aut puncto circumferentiæ, quia ſicut punctum eſt indiviſibile, nec poteſt evadere majus, nec minus; & veluti omnes lineæ circumferentiæ emanant è puncto: ita omnia bona & univerſæ divitiæ oriuntur à Deo, *Deus, à quo bona cuncta procedunt*, ait Eccleſia *u*. Alii comparaverunt Deum mari, è quo oriuntur omnia flumina, & ad quod illa revertuntur, nedum tamen illud augeatur, aut minuatur, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterùm fluant x.* Sic licèt omnia bona exeant è ſinu Dei, qui *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus y*, & revertantur in hunc immenſum Oceanum litore & fundo carentem, non evadit propterea ipſe pauper, nec ditior, *Et mare non redundat.* Semper *idem ipſe z* eſt, æqualis, ſimilis ſibi, contentus ſemetipſo, nedum indigeat exire è ſemetipſo, ut aliquid à ſuis emendicet creaturis. Licèt autem hoc verum ſit, complacet tamen ipſe ſibi Deus ut ipſi tribuamus aliquid, ut noſmetipſos ipſi exhibeamus, id eſt, juxta monitum Apoſtoli, ut exhibeamus ipſi *corpora* noſtra in ſacrificium liberum & voluntarium mortificatione & pœnitentiâ. Hæc autem mortificatio ſic eſt grata Deo ut mitiget rigorem iræ, quam ipſe conceperat adversùs nos propter peccata noſtra, & illum diſponat ad effundendum ſuper nos imbrem miſericordiæ ſuæ, ait Poëta,

u Eccleſia ex Jacob. 1, 17.
x Eccl: 1, 7.
y Baruch 3, 25.
z Pſ: 101, 28. & Hebr: 1, 12.

Munera, crede mihi, placant homineſque, Deoſque:
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.

Et Scriptura, *Itaque cùm Achab ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite; factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens, Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei causâ, non inducam malum in diebus ejus a.* Sic poſtquàm Niniven cœpit Ionas *introire civitatem itinere diei unius, & clamavit, & dixit, Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur; & crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem: & pervenit verbum ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere: & vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de viâ ſuâ malâ: miſertus eſt Deus ſuper malitiâ, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit b.* Propterea Tertullianus *c* ait, *Afflictatio carnis, hoſtia Domino placatoria per humiliationis ſacrificium*, &c. Et S. Cyprianus *d* concludit, dicens, *Quoties te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum ſanctum non dubito aſpirantem: cùm intueor flentem, ſentio ignoſcentem*, &c. Si autem Deus gratas habebat oblationes beſtiarum ſibi factas antiquitùs ab Hebræis, *Holocauſtum eſt & oblatio ſuaviſſimi odoris Domino e*; & ſi diebus ſingulis acceptat eleemoſynas manibus noſtris impenſas pauperibus ad ſublevandas illorum miſerias, quantò magis ſuſcipiet ſacrificia noſtra, ſi noſmetipſos offeramus ipſi, & exhibeamus ipſi in ſacrificium corpora noſtra mortificatione & pœnitentiâ, cùm non exigat bona noſtra, ſed tantùm noſmetipſos, ut ait S. Auguſtinus *f*, *Non ſolùm igitur pecore, vel quâlibet aliâ re corruptibili atque terrenâ, ſed ne ipſâ quidem juſtitiâ hominis Deum egere credendum eſt, totumque quòd rectè colitur Deus, homini prodeſſe, non Deo. Neque enim fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe, ſi biberit, aut luci, ſi viderit. Nec quod ab antiquis Patribus talia ſacrificia facta ſunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit, & non facit, aliud intelligendum eſt, niſi rebus illis eas res fuiſſe ſignificatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc tantùm ut inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo conſulamus. Corpus etiam noſtrum cùm per temperantiam caſtigamus, ſi hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo g, ſacrificium eſt.* Ad quod exhortans Apoſtolus, ait, *Obſecro itaque vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Debemus igitur noſmetipſos alacriter exhibere Deo, *In omni dato hilarem fac vultum tuum h.* Offerenda ſunt ei corda noſtra, æquè ac corpora noſtra in ſacrificium voluntarium: *Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam inſtrumento utitur anima, cùm ejus bonus et rectus uſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt: quantò magis anima ipſa cùm ſe refert ad Deum, ut igne amoris ejus accenſa, formam concupiſcentiæ ſecularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ ſubdita, reformetur; hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit ſacrificium*, concludit idem S. Auguſtinus. In hoc agere debemus intuitu Dei, ſicut egit Æſchines diſcipulus Socratis erga Magiſtrum ſuum: de illo autem ait Seneca *i*, *Socrati cùm multa multi pro ſuis quiſque facultatibus offerrent: Æſchines pauper auditor, Nihil, inquit, dignũ te quod tibi dare poſſim invenio: et hoc modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque dono tibi quod unũ habeo, meipſum. Hoc munus rogo, qualecumque eſt, boni conſulas, cogiteſque alios, cum multum tibi darent, ſibi plus reliquiſſe. Cui Socrates, Quidni tu, inquit, mihi magnũ dederis, niſi fortè parvo te æſtimas? Habebo*

a 3, Reg: 21, 27, &c.
b Jon: 3, 4, &c.
c Tert: lib de Pœnitentiâ, c. 13.
d S. Cypr. de Cœnâ Dom. n. 22.
e Levit. 1, 17, &c.
f S. Aug. lib. 10, de Civit. Dei c. 5. & 6.
g ex R. 6. 6. 13.
h Eccli. 35. 11.
i Senec. lib. 1. de Benefic. c. 8.

itaque

itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam quàm accepi. Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnium juvenum opulentorum munificentiam. Sed oportet ut hoc ſacrificium ſit voluntarium, id eſt, ut fiat hoc ſacrificium mortificationis & pœnitentiæ noſtræ, amore, & non vi, *Non ex triſtitiâ, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus* k. Sic dicere poterimus Deo, *Voluntariè ſacrificabo tibi* l. Si ergo, Domini mei Pœnitentes, convenitis ad hoc ſacellum veſtrum, & intereſtis piis exercitiis quæ hîc peraguntur, veniti ne corripiamini à Domino veſtro Rectore; aut huc non venitis niſi præ conſuetudine, aut præ reſpectu humano, oblatio veſtra non eſt voluntaria, ſacrificium veſtrum non eſt Deo gratum. Ethnici bono augurio aſcripſerunt, cùm animal deſtinatum ad ſacrificium offerendum diis ipſorum, alacriter ſeſe offerebat ad ſupplicium; & inde ipſi ſpem concipiebant quòd immolatio illius futura eſſet grata majeſtati deorum ſuorum, & perutilis ad expianda peccata ſua; ſed è contra cùm animal ſe trahi faciebat ad altare, hoc malo imputabant præſagio, è quo nihil pollicebantur ſibi fœlix, aut favorabile: ſic cùm intueor Pœnitentem æquo animo venientem ad peragenda munia Confraternitatis, & ſe offerentem ex ſemetipſo ad perfungendum officiis ſibi impoſitis, æquè ac obviam procedentem humiliationi ſpiritus, & macerationi corporis, tunc de illo bonam ſpem concipio, ratus ſacrificium illius nonniſi Deo gratum eſſe poſſe: ſed è contrà cùm obſervo Confratrem venire invitum, aut præ reſpectu humano ad obeunda exercitia Confraternitatis, hoc pravum eſt augurium, & ſignum evidens, quòd illud omne quod agit, non eſt acceptum Deo; quia opus vi aut coactione exercitum nullius eſt meriti, *Vbi non eſt libertas, nec meritum*, ait S. Bernardus m.

Hæc bona voluntas, iſta cordis alacritas, hæc promptitudo aut propeoſio devota ad peragenda bona opera & exercitia pietatis, jure merito vocari poteſt Coticula, quæ oſtendit num Pœnitens aut Confrater ſit filius Dei, & prædeſtinatus ad gloriam ejus. Ille igitur qui deſiderat ut Miſſa quam audit diebus feſtis, ſit brevis, ſatis exhibet intuendum quòd deſiderium ſuum eſt coticula, quæ oſtendit quòd ipſe non ſit filius Dei, nec devotio ipſius ſit probata: Cùm dormit in concione, & faſtidio afficitur, nec audit verbum Dei, aut, ſi illud audit, ex illo utilitatem ſpiritualem haurire non ſatagit; hic agendi modus eſt coticula, quæ monſtrat quòd ipſe non eſt ex ovibus Jeſu Chriſti, qui ait, *Oves meæ vocem meam audiunt* n. Ha! Miſſa & conciones, veſtrâ quidem ſententiâ, ſunt vobis prolixæ, faſtidioſæ, & importunæ; converſationes verò, ſaltationes, amicitiarum negotiationes, & nugæ videntur vobis nimis breves, quodnam ſignum eſt iſtud? Judicium iſtius vobis relinquo. Cùm murmurat aliquis de Quadrageſimâ, & ait illam eſſe moleſtam, & petit ſuper illam diſpenſationes fultas neceſſitate imaginariâ, & ſenſuali, hæc inobſervantia eſt coticula, quæ demonſtrat quòd alia ipſius opera non ſunt probata, quia opera probata ſiunt cum alacritate ſpiritus, & promptitudine voluntatis. Hilaritas cordis non exhibetur niſi in hoſtiis & ſacrificiis voluntariè Deo oblatis, *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei* o. Agi enim aut duci Spiritu Dei, eſt duci hilaritate & libertate, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas* p. Quando Ieſus *ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo; & cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* q tantâ alacritate cordis, & promptitudine voluntatis, ſtatim inde intulit diabolus, illum debuiſſe eſſe Filium Dei, ut obſervat S. Chryſologus r, dicens, *Vt vidit Dominum jugiter jejunantem, proclamat; Si Filius Dei es.* Et poſtquam idem Jeſus Chriſtus dolores mortis ſuæ tantâ patientiâ & æquanimitate ſuſtinuiſſet, *Videns Centurio qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet: ait, Vere hic homo, Filius Dei erat* s. Quare hoc? Quia tanta apparebat hilaritas in facie ejus, ut unuſquiſque inde poſſet agnoſcere, quòd ipſe liberè & voluntariè moreretur, ſicut re verâ *oblatus eſt, quia ipſe voluit* t.

Ad facienda Deo vota, præſertim verò ſolemnia, qualia ſont vota Religionis, requiritur libertas: alioquin enim hoc ſacrificium nullius eſt valoris & meriti, ſi ſit coactum, quia votum eſt actio liberæ voluntatis, & trito fertur adagio, *Vovere eſt libertatis, reddere verò eſt neceſſitatis.* Hinc infero, quòd, ſi velimus ut ſacrificium corporum noſtrorum, quod offerimus Deo mediâ mortificatione & pœnitentiâ, ſit illi gratum, oportet ut illud ſit voluntarium, id eſt, debemus illud ei præſentare cum puritate intentionis, cum libertate affectionis, & cum ſinceritate attentionis. Non latet vos, quòd Deus priùs intueatur voluntatem oblatoris, deinde oblationem; priùs intentionem, quàm actionem; priùs cor, & poſteà manum; tandem priùs Abelem, & deinde ſacrificia illius: ita ut, ſi offeramus Deo hoc ſacrificium myſticum corporum noſtrorum mortificatorum pœnitentiâ, liberâ & ferventi voluntate, credere debeamus illud futurum acceptum oculis Divinæ Majeſtatis ejus. Ideò ſuper lectionem noſtram vulgatem, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* u, Cornelius x ait, *Nota, quòd Symmachus vertit, Delectatus eſt: Aquila, Conſolationem accepit: Chaldæus, Suſcepit cum beneplacito.* Quod ſignificat, Deum aſpexiſſe oculo propitio ſacrificatorem, & ſacrificium: idem dicendum eſt de ſacrificio corporum noſtrorum voluntario, Deus illud reſpicit, in eo delectatur, ex illo accipit *conſolationem, cum beneplacito* illud ſuſcipiens. Mementote ſacrificii quod offerre voluit Abraham Deo ſuper monte anonymo. Illud ita fuit gratum oculis Divinæ ejus Majeſtatis ut in memoriam perpetuam iſtius Divini intuitus, aſſerat Scriptura, appellatum fuiſſe *nomen loci illius; Dominus videt* y. Quid dicam de ſacrificio tragico quod S. Stephanus Deo obtulit corporis ſui grandine lapidum contriti? In teſtimonium quòd illud eſſet Deo gratum, Jeſus Chriſtus aperit oſtia cœli, & ipſe veluti ſe in pedes erigit, ut illud intueatur quaſi præ admiratione, æquè ac attentione, *Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei* z. Iſte eſt ſenſus moralis duplicis parabolæ Evangelicæ a. Prior eſt boni Paſtoris, qui deperditam ovem *cùm invenerit, imponit in humeros ſuos, gaudens: & veniens domum, convocat amicos & vi-*

k 2. Cor. 9. 7. & 8.
l Pſ. 53. 8.
m S. Bernard. ſer. 81. in Cant.
n Joan. 10. 27.
o Rom. 8. 14.
p 2. Cor. 3. 17.
q Matth. 4. 1. &c.
r S. Chryſol. ſerm. 13.
s Marc. 15. 39.
t Iſai. 53. 7.
u Gen. 4. 4.
x Cornel. in Gen. 4. 4.
y Gen. 22. 14. &c.
z Act. 7. 55. &c.
a Luc. 15. 3. &c.

& vicinos, dicens illis. Congratulamini mihi, quia invêni ovem meam, quæ perierat. Poſterior eſt Patrisfamilias, cujus *adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam; & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè. In ſe autem reverſus, dixit, Surgam, & ibo ad Patrem meum. Et ſurgens venit ad Patrem. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum. Dixit autem ad ſervos ſuos, Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt.* Hinc Origenes *b* vocat converſionem peccatoris, Feſtum Dei, *Habet Deus dies feſtos ſuos? Habet. Eſt enim ei magna feſtivitas noſtra ſalus.* Grata eſt Deo ſolemnitas pœnitentia noſtra habens lacrymas ſocias, & non eſt aliquid quod ipſum æquè lætificet ac converſio noſtra. Quinimò & ipſi Ethnici cognoverunt iſtam veritatem: ſic enim loquitur Seneca *c*, *Ego non miror ſi quando voluptatem capiunt dii, dum ſpectant magnos viros colluctantes cum aliquâ calamitate. Ecce ſpectaculum dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum. Vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus. Non video, inquam, quid habeat in terris Iuppiter pulchrius, quàm ut ſpectet Catonem jam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.* Unde concludere poſſumus, ſacrificium corporum noſtrorum voluntariè æquè ac liberè Deo oblatum, eſſe ei acceptiſſimum.

b Orig: hom. 23, in Num.

c Senec: lib. Cur bonis viris mala accidât. c. 2.

II. Pars. Sed hæc oblatio libera & voluntaria corporum noſtrorum non eſt ſolùm grata Deo, ſed etiam meritoria nobis ipſis. Verum eſt. Quis enim repræſentare poſſet, quantum mereamini, ſacrificantes corpora veſtra mortificatione & pœnitentiâ? Pro comperto tenete, Domini mei Pœnitentes, quòd nullum peragitis greſſum ut veniatis ad hoc ſacellum, quòd nullum hîc inſumitis momentum ad exercitia pietatis vobis conſueta, inter quæ colloco miſericordiam erga pauperes, quin hæc omnia ſint vobis meritoria. Sed cujus? Vitæ æternæ. Eximia conſolatio, quâ perfundimini propter hæc omni. ! Sed ſciendum eſt, quòd meritum non procedit ex iſtis operibus quantùm ad naturam ipſorum, ſed ex charitate, aut gratiâ, quâ ſuppono exercere vos hæc omnia: gratia enim Dei eſt radix, quæ ea vivificat, & largitur eis pretium & pondus; & ſine eâ opera vel ſanctiſſima, ſunt inutilia, & indigna vitâ æternâ, *Facti ſumus ut immundus omnes nos. & quaſi pannus menſtruatæ, univerſa juſtitia noſtræ* d. Hæc ſunt opera naturalia, qualia ſunt infantium, aut ſtultorum, quibus quippe non meremur, nec demeremur; aut opera moralia ſimpliciter, qualia ſunt Ethnicorum: hæc opera non ſunt niſi ſemivirtutes, quæ ad nihil ſerviunt, niſi fortè ut diſponant ad gratiam, ſed cum iſtâ gratiâ deinde pretium ſibi conciliant infinitum. Quid vilius micis è mensâ cadentibus? Tamen ſi eas *dives* epulo erogandas præcepiſſet Lazaro mendico, *qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de mensâ divitis, & nemo illi dabat* e: ſuam conſequi potuiſſet ſalutem. Quid communius aquâ frigidâ? Nihilominùs Dei Filius ait, *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam* f. Sed quàm

d Iſai: 64. 6.

e Luc: 16, 19, &c.

f Matth: 10, 42.

appoſitè locutus eſt Pſalmiſta *g*, dicens, quòd Deus *pro nihilo ſalvos* faceret homines. Vel, Dico, opera noſtra eſſe meritoria vitæ æternæ per merita Jeſu Chriſti, propter quæ Deus ſuſcipit & remuneratur noſtra, licèt levia, & indigna, gloriâ infinitâ. In quo ſe gerit more Regum, qui patrum officia continuant in filiis, intuitu bonorum obſequiorum, quæ iidem patres illorum exhibuerunt Regnis ipſorum: ſic Deus intuitus fidelia obſequia Filii ſui, & communis Patris noſtri, qui vocatur ab Iſaia *h* *Pater futuri ſeculi*, retribuit bonis operibus noſtris, licèt infirmis, vitam æternam, ſuſcipiens ea per merita Jeſu Chriſti. Hoc eſt quod innuit S. Paulus *i*, *Aſpicientes in Authorem fidei, & Conſummatorem Ieſum*, loquens de Moyſe, & aliis eximiis Viris citatis ab ipſo in capite præcedenti, qui tantas pertulerunt afflictiones & pœnas. Quaſi diceret, quòd omnis ſplendor, perfectio, & virtus hujuſmodi paſſionum oriebatur è meritis Meſſiæ venturi, quæ eas conſummarent, & redderent meritorias, non ſecùs ac ſi ipſius illæ fuiſſent paſſiones: atqui opera, cujus ipſe erat Author, erant valoris & pretii infiniti, quia ipſe *non habet finem* k. Ergo & opera noſtra facta per eum, & propter eum. Tandem, Dico quòd opera noſtra bona, meritoria ſunt vitæ æternæ ratione promiſſi & jurisjurandi, cui ſe Deus aliquo modo alligavit, ſe largiturum eſſe gloriam illis, qui ipſi fideliter eſſent ſervituri, *Iusjurandum quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis* l. Sine quo promiſſo nunquam vitam mererentur æternam, *Reddis debita, nulli debens*, ait S. Auguſtinus *m*, Deum alloquens. Et alibi *n*, *In his enim, quæ jam habemus, laudamus Deum largitorem, in his quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit, promittendo. Illo ergo modo poſſumus exigere Dominum noſtrum, ut dicamus, Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti: & hoc tu feciſti, quia laborantes juviſti.* Sicut enim cùm quis vineam veſtram colit, & lucratur diebus ſingulis decem aſſes; ſi promiſeritis ei viginti aſſes, iſti viginti aſſes ſunt ei à vobis ſolvendi, non quod illos mereatur, ſed quia pacto cum illo inito eos illi promiſiſtis: ſic actiones hominis, quæ ad ſummum non excederent mercedem temporaneam, ratione conventionis initæ inter ipſum hominem & Deum, gloriam merentur ſempiternam, *Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Cùm serò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, Voca operarios, & redde illis mercedem. Ergo acceperunt denarios* o. Super quod ait S. Auguſtinus *p*, *Quid ſibi ergo vult ille denarius, qui opere vineæ terminato æqualiter omnibus redditur, ſive iis qui à primâ horâ, ſive iis qui unâ horâ operati ſunt? Quid utique niſi aliquid ſignificat quod omnes communiter habebunt, ſicuti eſt ipſa vita æterna, ipſum Regnum cælorum, ubi erunt omnes quos Deus prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, glorificavit* q? Tenetur igitur Deus ex decentiâ ſuum ſervare promiſſum, *Volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandũ* r. Propterea ait, *Amen dico vobis, quia cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* s. Idcircò admiramini bonitatẽ Dei, qui cũ poſſet nos obſtringere ad ſerviendũ ſibi ſine mercede, cũ ſimus ei creaturæ ipſius, filii, & ſervi, nobis tamen præmiũ promiſit. In quo elucet immenſa ipſius miſericordia, cùm nobis non indigeat, qui *ſervi inutiles ſumus* t,

g Pſ: 55, 8.

h Iſai: 9, 6.

i Hebr: 12, 2.

k Baruch. 3, 25.

l Luc: 1, 73. ex Gen: 22, 16.

m S. Auguſt: lib. 1, Conf: c 4.

n S Aug: ſerm 16, de verb. Apoſt. c. 2.

o Matth: 20, 2, &c

p S. Aug. lib. de S. Virginit. c. 26.

q ex Rõ. 8, 30.

r Hebr. 6, 17

s Matth. 24, 34. & 35.

t Luc. 17, 10.

quan-

quantùm ad idquod ſpectat felicitatem; & ideò cùm alicui vacamus operi pœnitentiæ, aut virtutis, hoc totum in noſtram redundat utilitatem, *Erit ſuperſlua, quantùm ad Dei perfectionem pertinet, productio creaturarum: nihil enim ei attulimus, à nihilo ad eſſe producti. Etſi ad nihilum redigeremur, nihil ab ipſo detrahemus*, ait S. Cyrillus Alexandrinus *u*. Et S. Auguſtinus *x* dicit, quòd Deus ab æterno voluerit producere creaturas, & quòd illas in tempore produxerit, ut oſtenderet, ſe illis non indiguiſſe, ſeque ſine illis fuiſſe felicem, *Hinc eis qui talia videre poſſunt, mirabiliter fortaſſis oſtendens, quàm non eis indiguerit, ſed eas gratuitâ bonitate condiderit: cùm ſine illis ex æternitate, initio carente in non minore beatitudine permanſit.*

u S. Cyril. Alex. lib. 5. Theſaur. c. 6.
x S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei. c. 17.

Ut clarior & omnibus intelligibilis reddatur hæc materia, obſervandum eſt, quòd ad hoc ut opus ſit bonum, & vitæ æternæ meritorium, quatuor conditiones requiruntur. Prima eſt, ut hoc opus emanet ab homine juſto, qui ſit in gratiâ Dei, quia cùm gratiâ Dei ſit forma ſupernaturalis, & participatio Divini Eſſe, conſtituit hominem in ordine ſupernaturali, & collocat illum in ſerie amicorum Dei; & ideò gratia elevat hæc opera, quæ ex ſe erant tantùm naturalia, nec ullum valorem habebant ad conſequendum cœlum, & merendum præmium ſupernaturale, ut ei inadæquata; & efficit ut habeant ſatis valoris ad obtinendam hanc mercedem æternam. Hæc autem prima conditio ſic eſt neceſſaria, ut poſſit quidem Deus liberalitate ſuâ utens extraordinariâ dare cœlum homini pro operibus ſolùm naturalibus ſine gratiâ ſuâ; ſed non poſſit ei gloriam dare ut mercedem de condigno, quaſi illam meruerit homo operibus ſuis, ita gratia eſt neceſſaria ad meritum conſequendum. Secunda conditio eſt, Ut opus ſit liberum & voluntarium, quia in actionibus naturalibus, quales ſunt eæ, quas non poſſumus non facere, non meremur mercedem, nec pœnam, eò quòd dignitas meriti ſita ſit in hoc, quòd opus ſit virtuoſum, & dignum mercede è parte illius propter quem illud actum fuit; ad hoc autem ut ſit dignum laude & mercede, oportet ut opifex potuerit illud facere aliter quàm illud egerit, aut illud non agere abſolutè, cùm ad illud requiratur libertas contradictionis, quæ conſiſtit in hoc, quòd potuerit illud homo agere, & illud non agere *Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus*. &c. Si igitur, Domini mei Pœnitentes, convenitis ad hoc ſacellum veſtrum: & intereſtis piis exercitiis quæ hîc peraguntur, quaſi inclinatione naturali, coactione, aut neceſſitate, veſtrorum incurritis jacturam operum, quæ non ſunt bona, nec mala, *Omne honeſtum, voluntarium eſt. Admiſce illi pigritiam, querelam, tergiverſationem, metum: quod habet in ſe optimum perdidit*, ait Seneca *z*. Ideò prædixerat S. Paulus *a*, *Erunt homines ſine affectione*. Et S. Bernardus *b* hortatur, *Neque ſine affectione ſimus, & corde arido ſolas moveamus manus ad opera*. Quaſi diceret, Elevemus manus noſtras & cor noſtrum ad Deum, cantantes corde, & ore, ut hortatur nos idem Apoſtolus *c* in perſonâ ſuâ, *Pſallam ſpiritu, pſallā & mente* Et S. Auguſtinus *d*, ait, *Multi enim clamant ad Dominum non voce ſuâ ſed voce corporis ſui. Homo ergo interior in quo cœpit habitare Chriſtus per fidem e, voce ſuâ non ſtrepitu labiorū, ſed in affectu cordis clamet ad Dominū*. Id eſt, uniat cor linguæ alacriter, liberè & voluntariè propter Deū.

y Eccli. 31, 10.
z Senec. Epiſt. 66.
a 2. Timoth. 3, 3.
b S. Bern. ſerm. 10. in Cant.
c 1. Cor. 14, 15.
d S. Aug. in Pſ. 91. 2. ex Pſ. 54, 2.
e ex Epheſ. 3, 17.

Tertia conditio boni operis ad hoc ut ſit meritorium, eſt, Ut fiat propter Deum, ut illud remuneretur Deus; non enim acceptat, minùs autem remuneratur opus factum ob reſpectus humanos, aut propter auras populares aucupandas: opera namque hujus generis nullum aliud conſequuntur præmium, *Receperunt mercedem ſuam f*. Fiunt illa propter ventum, & ideò ſibi comparant ventum & fumum. Quæ cæcitas, videre Pœnitentes aut Confratres ſe flagellare præ oſtentatione, aut canere præ vanitate? Sanè *receperunt mercedem ſuam*. Iſti, hiſtriones ſunt, aut comœdi virtutis; quippe qui virtutem theatricè tractant: re autem verâ ſicut omne quod agitur, aut videtur in comœdiâ, non eſt niſi fictio, vel mendacium: ignobilis enim repræſentat perſonam Regis, ſceleſtus ſancti, & mulier impudica virginis, & comœdiâ peractâ iſtud omne diſparet & evaneſcit: ſic hypocritæ virtutem ſcenicè tractant, cælum faciunt veluti comœdiam, & Deum ſcenam illius. Nonne vera comœdia eſt, gloriari nomine Pœnitentis, & habitu, & nullum agere opus pœnitentiæ? deferre nomen Fratrum, & eſſe ejuſdem Confraternitatis, & eſſe ſine fraternitate? Tandem, ſe recipere in hoc ſacellum, & ſe ſeparare à communi aliorum Chriſtianorum, & magnificari in aliquâ proceſſione ad ſatisfaciendum propriæ vanitati, & complacendum alicui creaturæ? Non dico, quòd non debeatis vos producere, cùm Apoſtolus noſter conſulat vobis *ut exhibeatis* vos, quod ſignificat, in palàm adducere; ſed quia debetis hoc facere propter Deum ſolum, ut ultimum finem, ita ut intentio veſtra ad eum dirigatur. Quarta conditio boni operis, eſt, Ut opifex ſit viator, id eſt, ut ſit in loco, in tempore, & in ſtatu in quo mereri poſſit, ita ut non ſit in inferno, nec in purgatorio, nec in cœlo, ſed ſuper terrâ; in viâ, non autem in termino. Mereri autem in viâ intelligi poteſt dupliciter. Mereri pro ſe, aut pro aliis; & mereri pro ſe gloriam eſſentialem, aut accidentalem, non per actum charitatis, qui ſequitur è clarâ viſione Dei, quam vocamus fruitionem, quia Beati non ſunt liberi in hoc ut deſinant diligere Deum: ſed per actum charitatis, inquantùm diligunt proximum, & miſerentur illius, & Deum pro illo orant. Sic Angeli noſtri cuſtodes merentur nobis perſæpè vocationem noſtram, & alia bona innumera, ſed non poſſunt mereri ſibi gloriam eſſentialem, quia hoc debet fieri per actum liberum amoris Dei; Beati autem non habent hanc libertatem; & ſic oportet ut hoc peragatur in ſtatu qui habeat libertatem contradictionis, qui vocatur ſtatus viatoris, & conſiſtit in volendo facere, aut in nolendo facere. Et hoc magnam confert nobis prærogativam ſuper Angelos & Beatos qui ſunt in cœlo, qui mereri non poſſunt pro ſe, nec augere gloriam ſuam eſſentialem, eò quòd ſint comprehenſores, & ſint in termino, extra locum, tempus, & ſtatum merendi: cùm è contrà nos mereri poſſumus, & augere gloriam noſtram quandiu viatores ſumus ſuper terra.

f Matth. 6, 2. &c.

Ex hâc doctrinâ Theologiæ diſcitis quatuor conditiones, quæ comitari debent opera veſtra, ut mereantur gloriam æternam. Sicut igitur mihi perſuadeo quòd omnes Confratres & Pœnitentes iſtius Confraternitatis conantur perfungi omnibus exercitiis pœnitentiæ & pietatis, quæ in hoc ſacello peraguntur; ſic iſtâ piâ ductus perſuaſione illos certos efficio, quòd in omnibus

iſtis mereantur exercitijs. Non me latet, quòd, ad hoc ut redeatis ad gratiam Dei, quod eſt prima è quatuor conditionibus ſupradictis, ad ſacram acceditis Confeſſionem ſingulis Feſtis ſolemnibus anni, ultra reconciliationem mutuam quam peragitis ad invicem, cùm occaſio ſeſe offeri, & neceſſitas id exigit. In animum meum induco, quòd intereſtis omnibus exercitijs iſtius ſacelli præ magnâ hilaritate cordis, & libertate ſpiritus, quod eſt ſecunda conditio, & ideò cum magno zelo ſtatuta veſtræ Societatis obſervatis. Ambigere non debeo quin univerſa faciatis propter ſolam gloriam Dei, & ob ſalutem animarum veſtrarum, quod eſt tertia conditio. Sed præſertim non ignoro, quòd eſtis in loco, in tempore, & in ſtatu viatorum, cum poteſtate & voluntate proficiendi in perfectione; & augendæ veſtræ virtutis, veſtrique meriti amplandi. Unde concludo, & in meam vos omnes convenire debetis ſententiam, quòd hoſtia & oblatio pacifica corporum veſtrorum, quam immolatis Deo interventu mortificationis & pœnitentiæ, eſt non ſolùm grata oculis Divinæ Majeſtatis, & vobis ipſis maximè meritoria; ſed etiam toti Eccleſiæ proficua, æquè ac toti Confraternitati. Et hoc eſt quod nobis ſupereſt breviter diſcutiendum.

III. Pars. Ad probationem iſtius ultimæ veritatis in memoriam revocandus eſt hic articulus fidei Symboli noſtri, quem quotidie recitamus, *Credo Sanctorum communionem*: Neſcio autem utrùm illum intelligamus. Ut igitur illius intelligentiam nobis conciliemus, ſupponendum eſt, Eccleſiam militantem eſſe corpus myſticum, cujus fideles ſunt membra unita ſub eodem Capite inviſibili Jeſu Chriſto, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* g. Nos verò *membra ſumus corporis ejus* h, unita etiam ſub Capite viſibili, quod eſt Papa ſucceſſor S. Petri, & Vicarius ejuſdem Jeſu Chriſti, qui *intuitus eum, dixit, Tu es Simon, tu vocaberis Cephas* i. Et *Cephas idem eſt quod Caput, vel Capitaneus*, ait Dionyſius Carthuſianus k. Ut oſtenderet, quòd illum conſtitueret Caput viſibile corporis viſibilis Eccleſiæ ſuæ, *Simon Ioannis, paſce oves meas* l. Atqui ſicut inter membra corporis humani eſt ſtricta communicatio alimentorum, motuum, ſpirituum, virium, &c. ita inter membra myſtica corporis Eccleſiæ, quæ ſunt fideles, ingens eſt communicatio meritorum, & bonorum operum; communicatio in eâdem doctrinâ, in eâdem fide, in iiſdem Sacramentis, indulgentijs, orationibus, eleemoſynis, jejunijs, mortificationibus, pœnitentijs, peregrinationibus, tandem in alijs omnibus bonis operibus quæ exercentur ab univerſis fidelibus qui ſunt in mundo: ita ut illi omnes qui ſunt in ſtatu gratiæ, re verâ participent omne bonum quod fit non ſolùm in hoc ſacello, ſed etiam in univerſo orbe, ſive à Laicis, ſive ab Eccleſiaſticis, ſive à Religioſis, *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*, ajebat Deo David m. Et S. Paulus ſic Corinthios per Epiſtolam ſuam alloquebatur, *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Quaſi diceret, Licèt multi ſimus numero, unicum tamen corpus conſtituimus, ſicut plurima grana unicum panem conficiunt, & acini innumeri in unicum vinum confluunt. Et conſequenter addit, *Nemo quod ſuum eſt quærat; ſed quod alterius.* Id eſt, ut exponit Dionyſius Carthuſianus o, *Nemo quod ſuum eſt quærat, id eſt, privatum bonum, & proprium commodum tantùm: ſed quod alterius, id eſt bonum commune, ſeu Bonum Divinum finaliter. Ordinatio tamen charitatis requirit, ut unuſquiſque ſibi ipſi primò provideat in neceſſarijs, propriamque imprimis operetur ſalutem. Qui enim ſibi nequam eſt, cui bonus erit* p? Et ſicut id quod fratri noſtro eſt utile, nobis debet eſſe gratum; ita quod illi nocere poteſt, nobis videri debet iniquum.

Iſtud eſt, Domini mei Pœnitentes, quod vobis adjicere debet animos, veſtram animare pietatem, & veſtrum ſolicitare zelum ad obſervantiam regularum & ſtatutorũ Confraternitatis veſtræ. Poſſitis igitur iſtam diu offerre Deo *hoſtiam viventem* corporum veſtrorum, de quâ vobis locutus ſum, interventu mortificationis & pœnitentiæ, cùm iſtud ſacrificium reſultet ad gloriam Dei, & ſit illi gratum; animabus veſtris meritorium; & Confraternitati veſtræ, ſicut & toti Eccleſiæ proficuum. Ideò meum concludo diſcurſum, & reſumens verba Apoſtoli, dico vobis cùm illo, *Obſecro itaque vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Ubi obſervate, quòd primò ipſe obſecrat *vos per miſericordiam Dei*. Eò quòd unuſquiſque naturaliter repugnet mortificationi, & pœnitentiæ, *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fovet eam* q. Secundò, *Vos Fratres* vocat, ut faciliùs perſuadeat vobis exercitium mortificationis & pœnitentiæ, exemplo ſuo, aut imitatione Jeſu Chriſti, qui ſe dicit Fratrem noſtrum Primogenitum, ut aſſimilemur ipſi in crucibus & afflictionibus, ſicut aſpiramus eſſe ipſi ſimiles in mercedibus gloriæ impendendis à Patre æterno nobis, *quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* r. Tertiò, concludit *per miſericordiam Dei*. Quæ, ut verum fatear, non eſt alia niſi paſſio doloroſa Jeſu Chriſti Domini noſtri, per quam *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* s. Nimirum per ſacrificium quod ipſe obtulit ſui ipſius ſuo Patri æterno ad expianda ſcelera noſtra, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* t. Inauditos in ſuo corpore expertus rigores mortificationis, ut nobis viam panderet ad exercitium illius amplectendum: *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus*, ait etiam vobis S. Petrus u, Domini mei Pœnitentes, unà cum S. Paulo, & ego cum utroque, *Obſecro itaque vos, Fratres, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Hæc oblatio erit illi grata, Eccleſiæ, & Confraternitati proficua, æquè ac vobis meritoria gloriæ ſempiternæ.

g Coloſſ. 1, 8.
h Epheſ. 5, 30.
i Joan. 1, 42.
k Dion. Carth. art 6. in Joan 1. 42.
l Joan 21, 17.
m Pſ. 118. 61.
n 1. Cor. 10, 17. & 24.
o Dion. Carth. art 10. in 1. Cor. 10, 24.
p Eccli. 14. 5.
q Epheſ. 5, 29.
r Rom. 8. 29.
s Apoc. 1, 5.
t Epheſ. 5, 2.
u 1. Petr. 2, 21.

FERIA

FERIA VI. PARASCEVES.

Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum. Philipp. 2. 8. & 9.

Difficillimum eſt, non, ut dicebat quidam, ſorptu ſimul & flatu, ſed locutu ſimul & fletu: cùm ad loquendum oporteat ut animus ſit ſui maximè compos, & perfectâ potiatur tranquillitate, nedum aliquo moveatur affectu, qui eripiat ipſi quietem, ut præ maximâ poſſit agere libertate; & ut organa corporis, & maximè pectoris ſint apprimè diſpoſita, quorum tamen exercitium liberum impediri ſolet à fletibus & à lacrymis, cùm dolor animum interturbet, & vocem intercipiant ſuſpiria. Quid autem peracturus ſum ego, Auditores, cui ex officio impoſito incumbit vobis ita loqui, ut mihi tot effundendæ eſſent lacrymæ, quot enuncianda vobis ſunt à me verba? niſi jure merito exprobrari mihi poſſit illud effatum Job *a*, *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus ſtringetur.* Quis enim loqui poſſet de morte crucis ignominioſâ æquè ac doloroſâ, ad quam humiliatur hodie *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* b, quin gemitus edat, lacrymas effundat, & lamentationibus omnia repleat? & quis lacrymis impeditus, poſſet appoſitè aliquid dicere de ſanguinolentâ tragœdiâ iſtius Salvatoris innocentiſſimi, qui eſt *Sanctus Dei* c, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* d: & tamen humiliatur *uſque ad mortem mortem autem crucis*, ſolis infligendam latronibus, quaſi ipſe eſſet eorum Princeps & Anteſignanus, *cum ſceleratis reputatus* e. Inter utrumque vacillantem me deprehendo, ignorans utrùm minùs eloquens apparere debeam, aut minùs pius; quorum utrumque maximo me conficit labore, & prout Concionatorem, & quatenus Chriſtianum. Sed ſi ad aliquid me debeam determinare, malo reputari minùs diſertus, quàm minùs pius, cùm eloquentia à me poſſit abeſſe ſine crimine, defectus autem pietatis non poſſit mihi imputari niſi ad peccatum. Propterea nemo exigat à me hodiernâ die ſpecioſa & facunda verba, & pompoſas artis figuras à diſcurſu ritè concinnato inſeparabiles: aliàs, ſi in me eſt, ſermonem meum tropis rhetoricis ornare ſatagam; hodie ſufficiet nobis ut fleamus, figuræ hujus concionis erunt lacrymæ, quibus compatiemur Filio Dei humiliato *uſque ad mortem, mortem autem crucis*; & tamen ratione hujus mortis confeſtim exaltato à Patre ſuo, ad compenſandas gloriâ ſingulari paſſiones ipſius.

a Job. 41. 15.
b Joan. 1. 18.
c Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
d 1. Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9.
e Iſai. 53. 12.

Verùm enim verò gloria, & honor, unde quis redditur inſignis, eò major eſt profectò, quò ſtatus, in quo poſſidetur talis gloria, & honor, excedit eminentiâ & magnitudine eum, è quo quis eductus eſt. Depreſſio & contemptus, cùm ſunt illi loco nativitatis, multùm concurrunt ad decôrem & ſplendorem illius; & nihilum conditionis vilis & abjectæ extollit modo incomparabili magnificentiam gloriæ iſtius ſtatus oppoſiti priori. Talis fuit gloria Saulis, qui è ſtatu, ad quem ipſius conditio ipſum redegerat, nimirum ad quærendas *aſinas* f, elevatus eſt ad thronum Regni Iſraëlitici, dum *tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait, Ecce, unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam* g. Talis etiam fuit gloria Davidis ſucceſſoris ejus, qui cùm paſceret *oves*, & vix pedum paſtorale tractare ſciret, didicit ſceptrum Regium glorioſè geſtare, dum idem *tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus: & directus eſt Spiritus Domini à die illâ in David, & deinceps* h. Sed viri conditionis depreſſæ elevati medijs fortunatis ſucceſſibus, nihil ſunt, comparati Jeſu Chriſto humiliato *uſque ad mortem, mortem autem crucis*, quem intueor exaltatum medijs depreſſionibus, & elevatum ad gloriam ſingularem interventu infamiæ probroſiſſimæ illarum omnium, quas poſſit unquam quis mortalium excogitare. Ipſemet nos edocet iſtam exaltationem, aut potiùs hanc humiliationem exaltatam in ſuâ propriâ perſonâ, cùm vocat mortem ſuam in cruce exaltationem ſuam, cùm ait, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum, (Hoc autem dicebat, ſignificans quâ morte eſſet moriturus* i. *) Quia per exaltationem intellexit ſuam crucifixionem*, ſubdit Dionifius Carthuſianus k. Re autem verâ gloria Saulis & Davidis elevatorum ad thronum Iſraëliticum; imo verò hæc gloria ſplendens, quam præ ſe tulit idem Dei Filius, cùm *aſſumpſit Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum; & transfiguratus eſt ante eos: & reſplenduit facies ejus ſicut ſol. veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix* l: nunquam approximavit ad illam, quam ſibi comparavit ſuper patibulo infami crucis. Gloria Jeſu Chriſti patientis, quæ ſeſe mihi ducem exhibebit in iſto diſcurſu ſub auſpicijs favorabilibus ſacratiſſimæ ipſius Deiparæ ſtantis *juxta crucem* m, & ideò ſpectatricis ignominiarum & paſſionum Filij ſui humiliati *uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum.* Huic afflictæ compatior ſanctiſſimæ Genitrici intuitu dolorum Filij ſui, & dico ei cum Eccleſiâ,

f 1. Reg. 9. 3. &c.
g 1. Reg. 10. 1.
h 1. Reg. 16. 12. & 13.
i Joan. 12. 32. & 33.
k Dion. Carth. art. 31. in Joan. 12. 33.
l Matth. 17. 2. & 2.
m Joan. 19. 25.

Eia Mater fons amoris, &c.

Velle afferere quòd univerſa hæc orbis machina ſubſiſtat medis effectibus & cauſis contrarijs, videtur æquè ridiculum apparenter, ac verum eſt realiter & admiratione plenum. Hæc propoſitio ſubito percellit nos ſtupore, & directè adverſatur mentibus innixis axiomatibus Philoſophiæ, quæ docet, quòd contrarietas eſt principiū deordinationis & totius diviſionis. Verum eſt quòd huic propoſitioni vix aſſentirer, niſi quotidiana illius veritatem edoceret nos experientia. Sed cùm mentes noſtræ ita ſint exiles ut illius detegere & intimè pervadere cauſas nequeant, ſuam fatentur ipſæ ignorantiam, & deſerentes ratiocinationem ut ingrediantur admirationem, ſtupore manent percitæ, quandiu vident quomodo Deus gubernet & ſubſiſtere faciat hanc ingentem mundi machinam medijs effectibus omnino contrarijs.

Hæc

Hæc veritas non ſolùm perculit admiratione eos, qui vixerunt, & qui vivunt adhuc hoc ſeculo in Chriſtianiſmo præ reverentiâ & adoratione veri Dei; ſed etiam eos, qui idololatriæ tenebris erant involuti; quippe qui attentè meditantes effectus naturæ, ſequelam dierum & noctium alternam, ſucceſſionem ſerenitatis pluviæ, & tranquillitatis tempeſtati, inde iſtam eruebant concluſionem, quòd æternitas ſubſiſteret per contrarietatem, non intelligentes de mirabilibus *æternitatis* n iſtius propriæ, quæ nullam patitur contrarietatem, *Non accedet ad te malum; & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* o: ſed ſolùm de duratione mundi quem aliqui Philoſophi Ethnici æternum eſſe crediderunt. Si autem præ curioſitate, vel ad majorem conciliandam ſibi probationem iſtius veritatis, deſiderio ducatur quis videndæ ſenſibilis experientiæ ejuſdem propoſitionis; poſtquàm hunc orbem univerſum in communi conſideraverit, ſuam poterit denuò mentem applicare conſiderationi partium ejus; & contestim deprehendet iſtam æquè regnare contrarietatem in cœlis ex naturâ ſuâ incorruptibilibus, ac in reliquo elementorum, & aliarum creaturarum. Ne autem prolixior & faſtidioſior texatur deductio poſt conſideratum diſſidium continuum menſium, annorum, ſeculorum, & tempeſtatum, quæ ſibi invicem adverſantur, ut hyems expellit autumnum, & æſtas ver, projiciendi ſunt tantùm oculi ſuper compendium totius orbis, nimirum hominem, qui probationem iſtius veritatis præ ſe feret generalem, vice omnium aliarum creaturarum, quarum ipſe eſt ſumma, ut docuit Chriſtus, dum ſuis diſcipulis dixit, *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ* p. Et confirmat S. Gregorius q, *Omnis creatura aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creaturâ homo: juxta aliquid omnis creatura eſt homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cùm ſoli homini prædicatur: quia ille videlicet docetur, propter quem in terrâ cuncta creata ſunt: & à quo omnia per quandam ſimilitudinem aliena non ſunt.* A nativitate ejus uſque ad mortem illius non eſt in eo obſervare niſi bellum continuum, *Militia eſt vita hominis ſuper terram* r. Innumeras perpetitur contrarietates, quæ nullam indulgent ei quietem & ſtabilitatem, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis; qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet* s. His omnibus obnoxius eſt contrarietatibus in vitâ naturali, civili, & morali. In vitâ naturali mori incipit, cùm vivere inchoat, *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur* t. Non priùs illum illuminavit dies, cùm ipſe ſe tenebris experitur involutum; nec perfectam unico vel momento doguſtavit ſanitatem, cùm ſtatim malignâ ſe febri intuetur impetitum, quæ non minus doloris ipſi infligit, quàm voluptate perfunderetur fruendo contrario illius. Tandem ſtipendium illius ordinarium non eſt niſi continua contrarietas: nihil eſt in eo certius quàm ſit fœlicitas & infortunium, ſanitas & morbus, conſolatio & triſtitia, gaudium & dolor; quandiu ipſe eſt in honorem elevatus mediâ proſperitate; & modò depreſſus in abyſſum profundæ adverſitatis;

n Habac. 3, 6.
o Pſ. 90, 10.
p Marc. 16, 15.
q S. Greg. hom. 29. in Evang.
r Job. 7, 1.
s Job. 14. 1, & 2.
t 2. Reg. 14, 14.

quaſi verò curſus ætatis ejus eſſet ludus ſimilis ludo Athenienſium qui decreverant, ut cùm adveniſſet dies feſtus Fortunæ, omnes pueri civitatis per dies ſex continuos palàm luderent ludo nutationis aut vacillationis, nimirum ut inſidentes trabeculis innixis alijs lignis, aut muris pauliſper elevatis, alternâ mutatione & vacillatione palàm elevarentur & deprimerentur, & quaſi innuerent hoc ludo publico ludum Fortunæ, quæ hodie deprimit eos, quos heri elevaverat; & modò miſeros illos efficit quos paulò antè felices conſtituerat; quod oſtendit contrarium ſucceſſum vitæ civilis, quæ libratur inter duas contrarietates; ſicut etiam vitæ moralis, ut eſt videre ex teſtimonio, quod perhibet nobis S. Paulus u de primis Chriſtianis Corinthi, qui Deo ſerviebant præ infamiâ ſimul & bonâ famâ; habiri ut ſeductores, etiamſi veracitatem præ ſe ferrent in ſermonibus ſuis; modò viventes, & mox veluti morientes; *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut ſeductores & veraces: ſicut qui ignoti & cogniti: quaſi morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

u 2. Cor. 6, 4. &c.

Sed iſta contrarietas nunquam magis nota fuit, quàm in morte Jeſu Chriſti: humiliatio enim ejus in arborem uſque crucis, fuit ipſius exaltatio, & opprobrium gloria ipſius; ſicut tota vita ipſius perpetua fuit contrarietas. Propterea ipſe ſe comparat *grano ſinapis* x, juxta S. Ambroſium y explicantem hæc verba Evangelij de eo: quia ipſo incarnationis momento, nemo unquam ita parvus, & ita magnus apparuit, ſicut ipſe, cùm *Maria inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* z. Eo nihil majus, *Magnus eſt, & non habet finem: excelſus & immenſus* a. Illo tunc nihil minus in ſinu Matris ſuæ, in quo ita parvus extitit ipſo ſuæ conceptionis inſtanti ut *grano ſinapis* aſſimilatus fuerit: Filius enim Dei noſtram aſſumens naturam non expectavit quadraginta dies, ſicut expectare ſolent cæteri pueri, ut infunderetur anima corpori ſancto ipſius, ſed ipſo inſtanti formationis ipſius unico Spiritus ſanctus infudit Animam ipſius Corpori, & utrumque univit perſonæ Verbi, & ſic Jeſus Chriſtus fuit omnium minimorum minimus. Ipſe vocari vult à Prophetâ b ſuo *Vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Et ipſe hoc confirmat metaphorâ vineæ, cui ſemetipſum comparat, *Ego ſum vitis vera* c. Nulla eſt planta, quæ ſit magis ſinuoſa, quàm ſit vinea; ſed nulla eſt etiam gratior illâ. Tempeſtate hybernâ aliquantula remanet in alijs arboribus pulchritudo, ſive in ramis earum, ſive in folijs, ſive in truncis; ſed in vite nihil remanet quod noſtris aſpici poſſit oculis: hyeme vitæ mortalis Chriſti nulla erant in eo commoda vitæ humanæ fovendæ convenientia, *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* d. Et tamen *gloria & divitiæ in domo ejus* e. Nullos habebat ferè propinquos, aut ſaltem paucos, & *fabri Filius* f reputabatur: quamvis ipſe eſſet *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* g. Quaſi imperitus habebatur: nam cùm *jam die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat; mirabantur Iudæi, dicentes, Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit* h. Nec mirum, cùm neſcirent quod in ipſo *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*

x Matth. 13, 31.
y S. Amb. lib. 7. in Luc. 12. 18.
z Matth. 1, 18.
a Baruch. 3, 25.
b Pſ. 21, 7.
c Joan. 15, 1.
d Matth. 8, 20.
e Pſ. 111, 3.
f Matth. 13, 54.
g Joan. 1, 18.
h Joan. 7, 14, & 15.

Digitized by Google

ſcientiæ abſconditi: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter i. Quin imò tanquam mentis inops à propinquis ſuis habebatur, *Sui exierunt tenere eum: dicebant enim, Quoniam in furorem verſus eſt* k. Nihilominùs ipſe *factus eſt nobis Sapientia à Deo* l. At contrarietas illa nunquam magis apparuit quàm in ipſius morte, ut dixi, ubi humiliatio ipſius fuit ipſius exaltatio, *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum* m. Sed quomodo? quod homo damnatus ad mortem, & jam præ denſu *coronam de ſpinis capiti* ſuo impoſitam deferens, *& veſte purpureâ* n circundatus, per hanc infamiam conciliet ſibi gloriam, & honorem! *Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic ſimile* o? Nihil certius eſt rem ita ſe habere. Iſtæ duæ coronæ, Auditores, conſtituent duplicem partem iſtius diſcurſus, in quo non intendo vobis monſtrare contrarietaté conſequentem, nimirum exaltationis poſt paſſionem ejus, aut gloriæ poſt infamiam illius, quia non eſſet mirum, quòd contrarium ſuccederet alteri: ſed ſicut miraculum eſſet ac videre ea ambo eodem tempore in eodem ſubjecto; ſic oſtendere vobis volo paſſionem infamem & exaltationem glorioſam Jeſu Chriſti eodem tempore in eodem ſubjecto, eumque vobis repræſentare ſimul & ſemel crucifixum & coronatum hâc duplici coronâ gloriæ, & honoris, quæ duæ coronæ geminam concionis hujus conſtituent portionem. Attendite, dum incipio.

i Coloſſ. 2,3, & 9. k Marc. 3, 21. l 1. Cor. 1,30. m Hebr. 2, 9. n Joan. 19, 2, &c. o Iſai. 66, 8.

Diviſio. I. Pars.

Hæc corona gloriæ, quâ honoratus fuit Salvator meus inter maximas ſuas humiliationes, cõpoſita fuit è quatuor floſculis, ſeu radiis, veluti quadruplici genere gloriæ, quâ decoratus fuit. Primus floſculus fuit exaltatio ipſius ſupra Angelos, quandiu ipſe erat infra eos. Secundus fuit ſanctificatio ipſius in accuſatione. Tertius, fuit Status beatificus in exceptione ſeu tractatione ipſius infœlici. Quartus fuit imperium vitæ, quandiu ipſe ſubditus erat morti. Quoad primum floſculum, qui componit coronam gloriæ Jeſu Chriſti exaltati & eodem tempore humiliati in cruce, apparuit in eo, quòd eodem tempore quo ipſe depreſſit ſe per paſſionem ſuam infra Angelos, exaltatus erat ſupra eorum naturam. Hanc veritatem docet Scriptura p, dicens, *Eum, qui modicò quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionẽ mortis, gloriâ, & honore coronatum.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus q, *Eum, qui modicò quàm Angeli minoratus eſt, hoc eſt, qui in parvo minor factus eſt Angelis, ſcilicet quantum ad corporis paſſibilitatẽ; videmus oculo fidei Ieſum, ſcilicet minoratum, propter paſſionem mortis, id eſt, merito ſuæ paſſionis lethalis ſibi mortẽ inferentis, gloriâ, & honore coronatũ, ſicut expoſitum eſt* (ab ipſo ſuprà, ubi paulò antea dixerat ſuper hæc verba, *Gloriâ, & honore coronaſti eum. Gloria, eſt clara cum laude notitia. Honor verò eſt exhibitio reverentiæ in ſignum virtutis. Deus ergo Pater, ſeu Trinitas coronavit, id eſt, undique & multipliciter decoravit Chriſtum hominem gloriâ, infundendo cordibus hominum claram cognitionem excellentiæ Chriſti: & honore, inducendo fideles ad venerationem et cultum ipſius.*) *Vnde dictum eſt alibi, Factus eſt obediens uſque ad mortem. Propter quod & Deus exaltavit illum. Et in Pſalmo* r, *De torrente in viâ bibet, propterea exaltabit caput.* Ad quod conformiter Tertullianus s ait, *Minoratus primò modicùm quid citra Angelos, et ita gloriâ, et honore coronatus.*

p Hebr. 2, 9. q Dionyſ. Carth. art. 2. in Hebr. 2, 9, & 7, ex Pſ. 8, 7. &c. & ex Philipp. 2,8. r Pſ. 109, 7. s Tert. lib. de Coronâ Milit. c. 14.

Ubi obſervare debetis, quòd Salvator noſter non potuit eſſe inferior Angelis niſi per paſſionem & mortem ſuam, *Quando Chriſtus dignatus eſt paſſionem & mortem ſuſtinere, minoratus eſt ab ipſis, non quòd plenitudinem ſuam amiſerit, vel in aliquo diminutus fuerit, ſed pravitatem noſtram ſic aſſumpſit*, dicit S. Thomas t. Quia, juxta Theologiam. Jeſus fuit ſuperior Angelis prout homo, eò quòd natura humana Jeſu ſic eſt elevata, ut nihil ſit ſupra eam præter adorandam Trinitatem. Re autẽ verâ licèt natura Angelica ſit gradus altioris quàm ſit natura humana conſiderata ſecundùm ſpeciẽ; tamen natura humana Jeſu conſiderata in particulari, ſic eſt elevata ut nihil agnoſcat ſupra ſe præter ſanctiſſimam Trinitatem, & prævaleat ſupra naturam Angelicam, ut magis elevata ob unionem hypoſtaticam cum Verbo, quod cùm habitaverit in Chriſto, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* u, conſtituit eam Dominam ſuper omnia, & conſequenter ſuper Angelos virtute ſubſiſtentiæ Filii Dei qui *Dominus omnium* x eſt. Et quàmvis ſola attenderetur abundantia gratiarum, quibus humanitas ſacra Jeſu Chriſti ſic ubertim perfuſa fuit, quibuſque omnes communicaverunt homines, *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre) plenũ gratiæ & veritatis: & de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ* y: hæc ſola gratiarũ affluentia ſufficeret ad oſtendendam ſuperioritatem Jeſu Chriſti ſupra omnes Angelorum choros: ſicut re verâ inde infert S. Thomas z, quòd minoritas, de quâ loquitur S. Paulus loco citato, non eſt intelligenda abſolutè de naturâ humanâ Jeſu, ſed prout ſolùm in hâc ſanctâ paſſus eſt Jeſus humanitate, *Chriſtus autẽ eſt minoratus ab Angelis, non quantùm ad Divinitatem, nec quantùm ad Animã, ſed ſolo Corpore*, in quo paſſus eſt, cùm Anima ipſius gloriâ beatificâ jugiter frueretur in terris.

t S. Thom. lect. 2. in Hebr. 2, 9. u Coloſſ. 2, 9. x Eſth. 13, 9. y Joan. 1. 14. & 16. z S. Thom. lect. 2. in Hebr. 2, 9.

Pergit igitur ad hortum Olivarum, in quo incipit paſſio ipſius, *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Et aſſumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari et mœſtus eſſe. Tunc ait illis, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hic, et vigilate mecum. Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, et dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* x. Exceſſus anguſtiarum, quibus afficiebatur, ſatis ſeſe intuendum exhibuit per ſudorem ſanguineum, qui erumpere cœpit ex omnibus poris Corporis ipſius, *Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram* y. Iſtis oſtendere voluit indiciis infirmitatem carnis, quam induerat propter amorem noſtrum, cùm *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* z. Videtur enim manifeſtè, quòd hæc verba orationis ejus proceſſerunt ex infirmitate carnis, cùm ſtatim ſubdat, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma* a. His etiam voluit ſignis monſtrare dolores, quos propter nos ſuſtinuit, ut nos ad amorem ſuum accenderet, *Verè languores noſtros ipſe tulit, et dolores noſtros ipſe portavit. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, et livore ejus ſanati ſumus* b.

x Matth. 26. 30. &c. y Luc. 22. 44. z Philip. 2. 7. a Matth. 26 41. b Iſai. 53. 4. & 5.

Hoc agone laborantem Filium ſuum conſolatione aliquâ perfundere voluit Pater Æternus, eumque confortare ad aggrediendum durius certamẽ, miniſterio Angeli, *Apparuit autẽ illi Angelus de cœlo, confortans eũ* c. Id eſt, *Miniſterialiter tanquã ſervitor, et occaſionaliter quaſi commemorans et proponens cauſam confortationis contra ingentem Chriſti triſtitiam ac pavorem, Chriſtum confortavit, quantum ad partem animæ ejus inferiorem ac ſenſiti-*

c Luc. 22 43.

ſenſitivam, ſecundùm quam minor & inferior Angelis fuit ait Dionyſius Carthuſianus *d*. Sed ſi S. Auguſtinus *e* conſiderans quòd *Ieſus fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem,* ſtupore percitus exclamat, *Iam incipiunt myſteria!* cùm ille qui eſt *Deus, Fortis* f, ſit hodie debilitatus, & confortatione indigeat, quantò potiori ratione debemus nos admirari magnitudinem hujus prodigii, quòd ille qui lætitiâ totum perfundit cœlum, & *in quem deſiderant Angeli proſpicere* g, mœrore conficiatur in terrâ; quòd ille, qui eſt gaudium Angelorum, efficiatur ipſa triſtitia inter homines; quòd *Brachium Domini* †, pavore & tædio æquè ac tremore concutiatur inter peccatores, cùm ſoli conterreri debeant *peccatores,* & poſſidere debeat ſolos *terror hypocritas* h, & ipſemet ſit *Sanctus ſanctorum* i. Quòd *Dominus virtutum, ipſe Rex gloriæ* k, eò redigatur infirmitatis, ut, cùm ſit *Vita* l per eſſentiam, mortem ipſam metuat, & non ſolùm eam formidet, ſed etiam ita authentica præbeat teſtimonia timoris ejus, poſtquàm ipſe dixit diſcipulis ſuis, nullo formidandam eſſe mortem modo, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere* m.

d Dion. Carth. art. 48, in Luc. 22, 43.
e S. Aug. tract. 15, in Joan. 4, 6.
f Iſai 9, 6
g 1, Petr. 1, 12.
† Iſai. 53, 6.
h Iſai. 33, 14
i Dan. 9. 24.
k Pſ. 23, 10.
l Joan. 14, 6
m Matt. 10. 28.

Leo, ut obſervant rerum naturalium Indagatores, mirabili compoſitus eſt modo: Sol mediæ corporis illius parti dominatur, & ſecundùm hoc, nihil ei reſiſtit: terra præſidet alteri parti illius, & juxta iſtud, leo debiliſſimus eſt. Juxta priorem partem, *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum* n, Secundùm poſteriorem, maximè pavidus eſt; & ut ſic genuinè repræſentat nobis Filium Dei, qui eſt *Leo de tribu Iuda* o, qui duas habet naturas in unâ & eâdem perſonâ. Secundùm Naturam Divinam, omnia ſuperat, *Leo rugiet, quis non timebit* p? Juxta naturam humanam, *cœpit pavere & tædere, & ait, Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem* q. Pavor iſte eò magis illum angebat, quò majori amore naturali vitam proſequimur; & eò magis diligimus hanc vitam, quò vita iſta melior eſt, & noſtros magis meretur affectus: atqui ſicut nunquam fuit vita amabilior, juſtior, & ſanctior vitâ Chriſti; ita nulla eſt, cujus privatio ſit ſenſibilior, & metus hujus privationis moleſtior & intolerabilior. Præterquàm quòd, Id, quod agit cumulum doloris ipſius, eſt efflagitare à Patre ſuo oratione ſuâ illud, quod ſcit ſibi eſſe denegandum. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum* †. Non quòd Salvator didicerit aliquid ab iſto Angelo, quod ipſi foret incognitum, *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus* r. *Sed noluit ab Angelo cauſam confortationis audire, & occaſionaliter ſecundùm ſenſitivam ſuam partem confortari, ad oſtendendum in ſe veritatem per omnia naturæ humanæ. Item, ad noſtram inſtructionem, ut ſciamus, quòd devotè & affectuosè orantibus, Angeli ſancti aſſiſtant, & opem ac conſolationem impendant*, ait Dionyſius Carthuſianus *s*. Prætereà, Pater æternus voluit Filium ſuum ab Angelo confortandum, ut præberet ei occaſionem humilitatis, cùm indigeret conſolatione ſibi ſubminiſtrandâ ab uno ex illis, qui in cœlo ipſi miniſtrant *t*. Humiliat igitur Pater æternus Filium ſuum, & ſubjicit eum Angelis, quorum unus confortat illum: & hæc ſubmiſſio illius infra Angelos in naturâ ſupra illos, ut dixi, primum confecit floſculum coronæ gloriæ Salvatoris mei æquè citò exaltati ac humiliati.

n Prov. 30, 30,
o Apoc. 5, 5.
p Amos 3, 8.
q Marc. 14, 83.
† Luc. 22, 43.
r Hebr. 4, 13.
s Dion. Carth. art. 48, in Luc. 22, 41.
t Dan. 7, 10.

Secundus floſculus, qui compoſuit hanc coronam gloriæ mediam inter infamiam ejus altiſſimam, fuit ſanctificatio ejus in ipſius accuſatione; Sanctificatio, quâ humanitas ipſius ſancta fuit honorata ipſo inſtanti, quo fuit ipſa concepta, & quam inviolatè deinde Salvator cuſtodivit ad magnam confuſionem omnium accuſatorum ſuorum, innocentem ſe exhibens, ſicut de facto ipſe talis erat, quippe *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* u, eodem tempore, quo ab inimicis ſuis damnabatur quaſi *reus mortis* x. *Cohors ergo & tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum; & ligaverunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim Socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Pontifex ergo interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrinâ ejus. Reſpondit ei Ieſus, Ego palàm locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagogâ, & in templo, quò omnes Iudæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens, Sic reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Ieſus, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis* y? Ubi videris, Auditores, ſanctificationem ejus. *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem* z. *Principes autem Sacerdotum & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut eum morti traderent; & non invenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes: & dixerunt, Hic dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud* a. Sed Jeſus nihil reſpondebat, quia malitia iſtorum falſorum teſtium erat manifeſta, & innocentia ipſius illam ſuperabat: ſed rabies Pontificis hoc in occurſu apparuit, cùm intuitus falſos teſtes pudore opertos, & Jeſum Chriſtum magis juſtificatum ex accuſationibus illorum, vult eſſe teſtis, Judex, & carnifex, ſi ipſi liceat, & ſatagit terrorem incutere huic Innocenti, *Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi, Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſùm te teſtificantur? Ieſus autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei.* Præcipit illi igitur ut propoſitam ſolvat quæſtionem, ratus infallibiliter, quòd Chriſtus longâ verborum ſerie eſſet expoſiturus & dignitatem originis ſuæ, & cauſam nativitatis ſuæ, & meritum perſonæ ſuæ. Sed ipſe *quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam* b, unico duntaxat reſpondet ei verbo, *Dicit illi Jeſus, Tu dixiſti.* Quia, cùm ſis ſummus Pontifex, tibi incumbit ex officio declarare veritates maximi momenti: nullam autem dicere potes, quæ ſit gravior iſtâ. *Veruntamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce, nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? At illi reſpondentes, dixerunt, Reus eſt mortis.*

u 1, Petr. 2, 22, ex Iſai 53. 9.
x Matth. 26. 66.
y Joan. 18. 12, &c
z Joan. 18. 24.
a Matth. 26. 57. &c. ex Joan. 2. 19.
b Jer: 11. 19.

Deſtinato ſic ad mortem Chriſto & miniſtrorũ manibus tradito, diſcedentibus Caipha Scribis & Phariſæis donec dies illuceſceret, nõ ſpecificat nobis Evangeliũ quid Chriſtus pertulerit reſiduo noctis, poſtquã dixit, quòd ubi *illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis: tunc exſpuerunt in faciẽ ejus; & colaphis eum cæciderunt. alii autẽ palmas in faciẽ ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Chriſte; quis*

eſt

eſt qui te percuſſit? Sed ipſe Jeſus ore Prophetæ ſui e ait, *Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in umbrâ mortis.* Super hoc Incognitus d dicit, *Aggravatur hic Paſſio Chriſti ex iniquorum aſſociatione. Ubi adverte, quòd Principes Sacerdotum volentes in Paſſione Chriſti ipſum coram omnibus diffamare, & oſtendere vitioſum, procuraverunt duos latrones notorios cum ipſo crucifigi, & in medio ipſorum Ieſum poni. Nam, ſecundùm quod dicit Theoph. malam opinionem de Domino populo generare volentes, duos latrones fecerunt crucifigi cum eo e, per hoc populo oſtendere volentes, ipſum eſſe latronem & vitioſum dignum morte. Et hoc notans Chriſtus, ait, Poſuerunt me in lacu inferiori. Ubi adverte, quòd lacus myſticè ſumptus, eſt duplex, pœna, & culpa. Primus eſt ſuperior, & ſecundus inferior. Lacus ſuperior pœna eſt infernus, de quo Iſaias f, Detrahêris in infernum in profundum laci. Lacus inferior culpa eſt ipſum peccatum. Unde volens oſtendere Ieremias g, quòd cauſa captivitatis Iudæorum à Babyloniis fuerat peccatum ipſorum, dicit: Lapſa eſt in lacum vita mea. Quid eſt ergo, Poſuerunt me in lacu inferiori, niſi ſuâ opinione conati ſunt me in peccatum ponere, id eſt, oſtendere peccatorem? Et tamen per hoc apud populum non fuit reputatus peccator, ſed magis clarificatus. Unde declarans, quòd per lacum inferiorem intelligebat peccatum, quod eſt tenebroſum, ideò ſtatim ſubdit: In tenebroſis. Peccatum enim quædam tenebra dicitur: quia totus homo interior obſcuratur, ut ait Magiſter* h. *Et adverte, quòd ut ipſum magis diffamarent, non ſolùm ipſum cum latronibus crucifixerunt, ſed in loco pro morte latronum deputato. Et hoc eſt, quod ſubditur, Et in umbrâ mortis. Ubi ſecundùm Gloſſam umbra mortis eſt locus, quo mali puniuntur. Ideò cum iniquis eum deputaverunt, ut ipſum peccatorem oſtenderent, ſed ex hoc magis clarus evaſit.*

Et ut factum eſt dies, convenerunt Seniores plebis & Principes Sacerdotum & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes, Si tu es Chriſtus, dic nobis, tentantes utrùm perſiſteret in ſe defendendo cùm interrogaretur, ad oſtendendam ſanctificationem ſuam. *Et ait illis, Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes, Tu ergo es Filius Dei? Qui ait, Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt, Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audivimus de ore ejus* i. *Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare, dicentes, Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe* k. *Et cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus, Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur Præſes vehementer* l. S. Auguſtinus m examinans hoc ſilentium myſterioſum, ait, *Forſitan mirum videtur nobis, Fratres, cur Dominus apud Præſidem Pilatum à Principibus Sacerdotum accuſetur, nec aliquem jam eorum reſponſione convincat, cùm utique ingratam accuſationem nonniſi repellere ſolet ſubſecuta defenſio. Mirum, inquam, fit, Fratres, quòd arguatur Salvator, & taceat. Taciturnitas enim negat quod objicitur, cùm non vult reſpondere quod quæritur. Accuſationem ſuam Dominus tacendo non firmat, ſed deſpicit non repellendo. Benè enim tacet, qui defenſionem non deſperat. Ambiat defendi, qui metuit ſuperari. Feſtinet loqui, qui timet vinci. Chriſtus autem, cùm condemnatur, exuperat: cùm judicatur, vincit, ſicut ait Propheta* n, *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante judicium, cui ipſum judicium erat plena victoria? Vicit ergo, cùm judicatur Chriſtus: quia ſic Innocens approbatur. Unde ait Pilatus, Innocens ego ſum à ſanguine hujus Iuſti* o. *Melior eſt igitur cauſa quæ non defenditur & probatur: plenior juſtitia, quæ non verbis aſtruitur, ſed veritate fulcitur.* Juſtus ſolas debet aperire actiones & cogitationes ſuas ad manifeſtandã innocentiam ſuam coram iis, qui ipſum accuſant. Iſtud ſilentium fuit ita validum ad oſtendendam Pilato innocentiam Jeſu, & exhibendam oculis ejus malitiam inimicorum ejus, ut non ſatis ipſi videatur explicuiſſe eis clàm cogitationem ſuam, ſed palàm proteſtetur, quòd in eo nulla ſit cauſa, ratione cujus damnationem capitis debeat incurrere, & quòd ipſe eò magis conſcius foret mortis ejus, quò ipſi magis manifeſtaverunt innocentiam & ſanctitatem actionum illius. *Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum, & ad turbas: Nihil invenio cauſæ in hoc homine. At illi invaleſcebant, dicentes, Commovet populum, docens per univerſam Iudæam, incipiens à Galilæâ uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem interrogabat eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum* p. Mens erat Herodis ut Jeſus velut inſanus reputaretur, præcipiens eũ inducendum veſtimento candido; ſed ſub illius veſtis albæ ſymbolo innocentiam illius declaravit, quem Pilatus à crimine immuné agnoſcens, omnibus modis a morte liberare ſatagebat. *Sciebat enim, quòd per invidiam tradidiſſent eum. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens, Nihil tibi & Iuſto illi* q, quandiu propter reverentiam feſti Paſchalis propoſuerat vir ipſius Judæis Barabbam cum Jeſu utrum vellent ex ambobus dimittendum, ratus eos liberaturos potiùs Jeſum qui erat innocens, quam Barabbam, qui ſceleſtiſſimus erat, *Dicit eis, Ego nullam invenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamaverunt ergo rurſum omnes, Non hunc, ſed Barabbam* r.

Non dubitat ampliùs Præſes quin Jeſus ſit innocens, ſed nova quærit media opportuna liberando eidem Jeſo à furore populi: ut aliquo autem modo ſatisfaciat rabiei illorum, tradit eum illis flagellandum, nedum præſcribat eis ullum modum, & licèt Lex s Judæorum *quadragenarium numerum non* excedendum decreviſſet, oportet ut omnia peragantur ſine ordine, & abſque jure in hâc executione. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Exivit iterùm Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis quia nullam invenio in eo cauſam. Exivit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis, Ecce homo* †, ratus quòd videntes Jeſum ita diſè exceptum, furoribus ſuis aliquos imponerent limites.

Margin notes: e Pſ. 87, 7. — d Incognit. in Pſ. 87, 7. — e ex Mat. 27, 38. — f ex Iſai. 14, 15. — g Thren. 3, 53. — h Magiſt. Sent. lib. 4. — i Luc. 22, 66, &c. — k Luc. 23, 1. & 2. ex Matth. 22, 21. — l Matth. 27, 1 &c. — m S. Auguſt. ſer. 118. de Temp. ſeu 44. in Append. de Diverſ. — n Pſ. 50, 6. — o ex Mat. 27, 24. — p Luc. 23, 4, &c. — q Matth. 27, 18. & 19. — r Joan. 18, 38, &c. — s Deut. 25, 3. — † Joan. 19, 1, &c.

Prodigium inauditum! Unuſquiſque culpam ſuam intuitu mortis Chriſti in alterum trajicit. *Iudas qui eum tradidit, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens, Peccavi tradens Sanguinem juſtum. At illi dixerunt, Quid ad nos* t? Iſti crimen ſuum refundunt in falſos teſtes u, & dicunt, *Nobis non licet interficere quemquam* x. Caiphas adducendum ſatagit Dei Filium *ad Pilatum. Pilatus remiſit eum ad Herodem. Herodes autem eum remiſit ad Pilatum* y, qui lavando *acceptâ aquâ manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à Sanguine Iuſti hujus* z, *exinde quærebat dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur* †.

t Matth. 27, 4. & 4
u Matth. 26, 59, &c.
x Joan. 18, 31.
y Luc. 23, 1, &c.
z Matth. 27, 24.
† Joan. 19, 12, &c.

Sed licèt paſſio ſeu pravus affectus triumphet de ratione, & commoda temporanea ſeu reſpectus humani prævaleant adversùs juſtitiam; Judex iſte, à quo damnatur Jeſus, idem eſt, à quo ipſe Salvator juſtificatur; cùm audieritis quòd modò quandiu plura allegabantur à falſis teſtibus ad calumniandam ſanctitatem ejus, eum altâ voce publicavit magis innocentem, quàm illi prætenderent illum exhibere crimino ſum; & quòd ſupplicia quæ adhibentur ad multandos reos, non debebant impendi ad plectendum Innocentem innumeris dignum coronis, teſtimoniũ perhibens, invitis inimicis ejus, ſanctitati Jeſu eodem tempore, quo *opprobriis* a ſaturabatur. Et nedum famæ ejus detraheretur à falſis illorum accuſationibus, inde ſumpſit ipſe Jeſus materiam conciliandæ ſibi laudis; & id, quod frontem ejus dedecore debebat ſuffundere, illud idem ſervivit ad decorandam & perficiendam ſecundo loco coronam gloriæ ejus.

a Thren. 3, 30.

Tertius floſculus coronæ gloriæ ejus, fuit viſio beatifica, quâ Anima illius ſanctiſſima fruebatur cum Beatis, quandiu ipſe in reorum reponebatur numero: hæc Anima eodem tempore quoad partem inferiorẽ & ſenſitivam patiebatur ab hominibus, & quantùm ad partem ſuperiorẽ & rationalẽ fruebatur Deo: replebatur ipſa malis æquè ac bonis ſimul; malis ratione ſubjecti; bonis verò ratione objecti. Ut autẽ concipiatur hoc myſteriũ, ſciendũ eſt, quòd potentiæ naturales duobus pati poſſunt modis; aut propriâ paſſione, quę oritur ex objecto; aut ex eâ, quæ procedit ex ſubjecto: v.g. cùm quis fixis intuetur Solẽ oculis, eoſdẽ oculos ſtatim experitur caligine ſuffuſos propter nimiã violentiã hujus objecti ſplendentis, & patitur in eis ratione vis immodicæ talis objecti: ſed ſi ille tangat pupillas eorundem oculorũ, ſtatim ingentem patitur dolorẽ ratione ſubjecti iſtius gemini læſi: idẽ dicendũ de vehementiſſimis doloribus, & de ſuavitatibus ineffabilibus, quibus affecta fuit Anima Jeſu, quæ ratione objecti pacifici, id eſt, Divinæ Eſſentiæ, cumulata erat gloriâ & gaudio, licèt ex parte ſubjecti ſubjaceret ipſa pœnis & laboribus per paſſionẽ potentiarũ inferiorũ & ſenſitivarũ, in quarũ ſingulis Jeſus vehementi patiebatur modo, ut ipſe fatetur, *Repleta eſt malis Anima mea* b. Quod S. Auguſtinus c intelligit non de malis culpæ, ſed de malis pœnæ, *Cur non dicamus non hominis peccatis, ſed tamen humanis malis repletam fuiſſe Animam Chriſti?* Et hoc ob ſtrictam unionem Animæ & Corporis, potentiarum ſuperiorũ cum inferioribus, ſed unionem talem ut, per eam cũ Anima eſſet in toto, & in quâlibet parte Corporis, Corpus pati non poſſet in aliquâ parte ſuâ, quin Anima communicaret doloribus ejus, nedum tamen dolor iſte, quo afficiebatur Anima, poſſet ab ipſâ avertere oblectamentum fruitionis Dei, quæ fruitio Divinæ Eſſentiæ fuit tertius floſculus Animæ ipſius ſecundùm objectum eodem tempore quo Paſſio ipſius fuit ipſi ſenſibilis ſecundùm ſubjectum; ita ut tunc fuerit exaltatio & humiliatio ſimul, illa mediâ gloriâ beatâ, iſta verò mediis tormentorum opprobriis.

b Pſ. 87, 4.
c S. Aug. in Pſ. 87, 4.

Quartus floſculus coronæ gloriæ, quâ honoratus fuit Salvator in Paſſione ſuâ, fuit imperium vitæ & mortis, per ſubmiſſionem quâ ſubjecit ſe huic crudeli, cùm *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Quia moriens in cruce, non ſolùm mortis ruinam molitus eſt, ſed etiam illius qui necis regnum uſurpaverat, & de morte ipſâ triumphavit propriâ morte, *Vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium* d. Et ſicut apes ſuum deſerunt aculeum infixum parti corporis, quod ſtimulant, & ſtatim mortem oppetunt, ut aſſerit Poëta e,

Spicula cæca relinquunt,
Affixa in venis, animaſque in corpore ponunt:

d Hebr. 2, 14.
e Virgil. Georg. 4. citat à Mẽdoz. in 1 Reg. 18, ſect. 8

Sic cùm mors Salvatorem jaculis ſuis impetiverit, propterea omnem fortitudinem ſuam amiſit in pœnam ſui criminis; & illa quæ præ ſe tantam ferebat vanitatem & ſuperbiam, & ſuis inſolentiis de univerſo victoriam orbe retulerat, ita evaſit infirma, & tanto operta eſt pudore, ut illi, qui eam formidabant, illi modo bellum indicant; & illi qui ab eâ declinare ſatagebant propter inhumanitates ejus, eam provocent ad certamen ob infirmitatem illius. Illa tandem, quæ erat aliàs totius orbis terror, ab eodem mundo nunc deridetur: & poſtquàm dixit ei Chriſtus per Prophetam f ſuum, *Ero mors tua, ô mors:* nemo eſt qui eam non ſubſannet cum Apoſtolo g, *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Præſertim verò Dionyſius Carthuſianus h, exponens hæc verba S. Pauli, & immediatè præcedentia eruta ex eodem Oſee, quandiu recenſetur ab ipſo *Sermo propheticus, qui ſcriptus eſt in Oſea, ſecundùm translationem LXX. Interpretum, Abſorpta, id eſt, victa eſt mors, ſive diabolus in victoriâ, id eſt, per victorioſam Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit* i, *ſicut & per Oſeam loquitur, Ero mors tua, ô mors &c. Quod etiam jam allegatum eſt ſecundùm tranſlationem LXX. Interpretum. Abſtulit enim à nobis mortem culpæ atque gehennæ, & in fine ſeculi tribuet immortalitatem completam. Prætereà, Apoſtolus de beneficio tanto exultans, & in perſonâ fœliciter reſurgentium loquens ex Prophetâ eodem, adjecit, Vbi eſt ô mors victoria tua? quâ omnes occidiſti: ſicut ſcriptum eſt, Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem* k. *Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Id eſt, peccatum, quod mortem induxit, ſicut ſtimulus læſionem infigit? Ideò ſubditur, Stimulus autem mortis, id eſt, mortem inducens, peccatum eſt actuale, vel originale. Mors enim eſt pœna peccati, quaſi diceret, Iſta victoria mortis, ac ſtimulus ejus ab Electis ablata ſunt. Vnde in Iſaia* l *legitur, Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum, & opprobrium populi ſui auferet. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam jam in ſpe, & partim in re, poſteà autem dabit perfectè in re. Victoriam, inquam, peccati, & mortis non noſtris meritis, ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, id eſt, virtute ac merito Chriſti?* Ha! ut video, præſumptio tua, ô mors, tibi multùm obfuit, & efficit ut modò temeritatis tuæ luas pœnas, & æquè reddit te infirmam, ac ſuperba eras ad debellandos, & proſternendos omnes homines. Omnia profligaveras, & ratam te ſatis potentem ad aggrediendum Salva-

f Oſee 13, 14.
g 1. Cor. 15, 55.
h Dion. Carth. art. 16, in 1 Cor. 15. 54. &c.
i ex Ecclesiâ.
k Pſ. 88, 49.
l ex Iſai. 25, 8.

Salvatorem meum, ex hoc certamine ſingulari inito cum eo, egreſſa es præ minori vigore & fortitudine; & ſucceſſu contrario imaginata humiliare eum, exaltaſti illum, & ante pedes ejus proſtrata es; intendens enim illi inferre mortem, vitam ei largita es; & ex hâc infamiâ, quam cauſare ei volebas in cruce, præbuiſti ei anſam perficiendæ prioris coronæ ſuæ magis ſplendentis per mortem ſuam, quàm per gloriam, quam exhibuit in perſonâ ſuâ inniendam in monte Thabor *m*; & ejuſdem coronæ conſummandæ gloriâ; ſed texuiſti etiam alteram coronam honoris, ut videbimus, poſtquàm tantiſper requievero.

m Matth. 17. 1. & 2.

II. Pars.

Secunda corona, quâ Dei Filius decoratus fuit medias inter infamias ſuas, quæ ad extremum ignominiæ & dedecoris apicem & faſtigium proceſſerant, fuit corona honoris, ſed corona compoſita quatuor titulis honorarijs, veluti quatuor ſpecioſis floſculis, qui tituli ſplendentes magnificaverunt eum præ eminentiâ invitis Judæis, qui illum opprobrijs operiebant; tituli, quos omnia improperia innumerorum calumniatorum nunquam meo potuerunt eripere Salvatori. Primus floſculus iſtius coronæ honoris fuit titulus Regis. Secundus fuit titulus Judicis. Tertius fuit titulus Magiſtri. Quartus fuit titulus ſummi Pontificis. Prout Regi crux fuit ei thronus. Inquantùm Judici eadem crux fuit ipſi tribunal. Quatenus Magiſtro hæc crux fuit illi cathedra doctoralis. Et ut ſummo Pontifici hæc ipſamet crux fuit altare in quo ipſe ſacrificium obtulit Patri ſuo æterno propter amorem noſtrum. Hæc inſignia ſeu hæ qualitates eximiæ compoſuerunt coronam honoris Salvatoris mei humiliati ſimul & exaltati, cùm *humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum.*

Quantùm verò ad primum titulum, Cùm habebatur ut *vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis* à Judæis, qui *omnes videntes* eum, illum *deriſerunt, locuti ſunt labijs, & moverunt caput* n, *deſpectum, & noviſſimum virorum* o illum reputantes; non deſtitit propterea eſſe *Rex regum, & Dominus dominantium* p, & ut talis agnoſci, non ſolùm confeſſione generali omnium creaturarum, quæ cauſam Creatoris ſui ſunt amplexæ, ut ſubditæ imperio ejus, *Et obſcuratus eſt Sol: & velum templi ſciſſum eſt medium* q: *& terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* r: ſed etiam proprio chirographo illius, qui damnavit ipſum ad mortem, qui eàdem manu, & eâ lem pennâ, quâ ſubſcripſit decreto mortis iniquo adversùs innocentiam Jeſu ſibi notam à ſe prolato, declaravit illum Regem Hebræorum præ tantâ ſolemnitate ut titulus hic honorarius ſupremo Crucis faſtigio fuerit appoſitus, & tribus fuerit ſcriptus idiomatibus, Græco, Latino, & Hebraico, ut omnibus innoteſceret; & nedum illum derideret, ut forſan exiſtimabat, teſtimonio ſuo cōprobavit eum Regem fuiſſe nationum univerſarum, *Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper Crucem, Erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Et licèt Scribæ & Phariſæi inſtarent ſuper hanc declarationem Pilati deferentis Jeſu qualitatem Regis, præſertim verò Regis Hebræorum, & ſcriptis, revocandam, nunquam tamen voluit ſe retractare Pilatus, *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum, Noli ſcribere Rex Iudæorum: ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondet Pilatus, Quod ſcripſi, ſcripſi* s. Sic in hoc magno ſpectaculo Majeſtas ejus apparuit cum infirmitate; & in obſcuritate mortis infamis, ſplendor gloriæ ejus fuit exhibitus præ tantâ excellentiâ, ut Judicem ſuum condemnatorem, habuerit teſtem innocentiæ ſuæ: & ſic ſuper paribulo ſupplicij ſui invênit ſuum thronum Regium, in quo alij non reperiunt niſi opprobrium & dedecus.

n Pſ. 21, 7. & 8.
o Iſai. 53. 3.
p 1. Tim. 6, 15. & Apoc. 19. 16
q Luc. 23, 45.
r Matth. 27, 52.
s Joan. 19. 19 &c.

Super hoc autem throno conſtitutus Regio gratias indulget, cùm ſolis conveniat Regibus favores concedere, & veniam ac miſericordiam impertiri. Videte quânam manſuetudine irrogatas ſibi condonat injurias atque vexationes ab inimicis ſuis, ſuumque Patrem exorat ut perſecutoribus ſuis confirmet veniam, quam eis ab ipſo deprecatur, *Pater dimitte illis; Non enim ſciunt quid faciunt* t. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus *u*, *Pater dimitte illis ſcilicet tam Iudæis pœnam hanc procurantibus, quàm Gentilibus eam inferentibus clementer ignoſce, tam ſtud eorum ſupergraviſſimum ſcelus, quàm cætera ſua peccata. Specialiter tamen oravit hoc Chriſtus pro peccatis, quæ tunc peccabant in eum. Nam ſubditur, Quia neſciunt quid faciunt. Non enim ſciverunt* x, *ſe Dei Filium trucidare, ſed hominem impijſſimum ac blaſphemum ſe putabant occidere: & per ignorantiam hanc peccatum eorum, præſertim Gentilium, atque ſimplicium Iudæorum, aliqualiter alleviabatur. Sed majores & doctiores inter Iudæos excuſationem non habuerunt, quia jam dudum aut certitudinaliter, aut probabiliter cognoverant Ieſum eſſe Chriſtum, ſed paulatim invidioſa eorum malitia eos ſic excæcavit* y, *quòd jam reputaverunt oppoſitum, & ſimplices deceperunt. Tanta quoque mirabilia viderunt & perceperunt agi à Chriſto, quòd credere tenebantur. Propter quod Paſſione inſtante, Chriſtus dixit Apoſtolis, Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem viderunt & oderunt me, & Patrem meum gratis* z. Antequàm ſuam conſoletur Matrem ſtantem *juxta Crucem* ſuam, eamque commendet diſcipulo, *quem diligebat* ipſe, dicens ei, *Mulier, ecce filius tuus*; & curam ſuſcipiat ejuſdem diſcipuli dilecti, dicendo *deinde diſcipulo, Ecce Mater tua* a: & priuſquàm neceſſaria provideat amicis ſuis, & *in manus* Patris ſui commendet *Spiritum* b ſuum, remedium providet inimicis & perſecutoribus ſuis.

t Luc 23. 34
u Dion. Carth. art. 49. in Luc. 23, 34.
x ex Ioan. 15, 21.
y ex Sap. 2, 21.
z ex Joan. 15, 24.
a Joan. 19. 25. &c
b Luc 23, 47 ex Pſ. 30. 6.

Primam igitur proviſionem peragit in eorum favorem eodem tempore, quo *ſtabat populus expectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes, Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus, Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes, Si tu es Rex Iudæorum, ſalvum te fac* c. Quandiu Scribæ & Phariſæi, & majores inter populum, qui procuraverant mortem Salvatori inferendam, exacerbabant dolores amarus Corporis ejus, verbis acribus, quæ ipſi vibrabant ut ſagittas ardentes adversùs cor ejus mitiſſimum, tunc exclamabat Dei Filius ad Patrem ſuum, ut veniam eis indulgendam ab eo ſatageret, ſicut ipſe eis ignoſcebat ex toto corde ſuo injurias ab eis ſibi illatas, ac ſubſannationes, quas prædixerat Propheta *d*, inquiens, *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes.* Super quod ait Incognitus *e*, *Iudæi linguas ſuas contra Chriſtum acuerunt, ipſi aperte detrahendo, & perſequendo.* De

c Luc. 23, 35. &c.
d Pſ. 139. 4.
e Incognit. in Pſ. 139, 4.

quibus dicitur, *Filij hominum, dentes eorum arma, & ſagittæ: lingua eorum gladius acutus* f. *Quod ad literam de Iudæis Chriſto detrahentibus intelligitur, ut ibidem exponit Gloſſa, dicens: Filij hominum ſunt Iudæi, qui filij hominum, id eſt, humiles, & manſueti per Legem eis datam eſſe deberent, ſed ut filij ferarum contra Chriſtum crudeles effecti fuerunt. Quoniam dentes eorum arma, & ſagittæ. Per dentes eorum, irriſiones accipe, quorum verba erant arma, & ſagittæ. Arma quantùm ad aſtuta conſilia, quibus ſe à morte Chriſti innocentes conabantur oſtendere: ſed ſagittæ erant quantùm ad verba, quibus Chriſtum vulnerare conabantur. Et ſic lingua eorum erat gladius acutus, dum acutè detrahendo clamabant, dicentes, Crucifige, crucifige* g. *Illæ enim voces, ut gladius acutus, etiam fecerunt Chriſti mortem. Non ergo excuſari poſſunt Iudæi à morte Chriſti. Quia etſi manus contra Chriſtum habuerunt inermes: os tamen eorum contra Chriſtum ut gladius fuit acutus. Unde non ſuffecit Iudæorum Principibus contra Chriſtum acutam detractionis linguam extendere: quin imò & populum ad acutas ſagittas verborum contra Chriſtum jacere procuraverunt, dum perſuaſerunt populis, ut peterent Barabbam, Ieſum verò perderent* h. Non habebant ampliùs dolores infligendos huic Corpori Chriſti flagellato & crucifixo, ſed cùm rabies eorum non eſſet expleta, his tormentis ſic inauditis novas iſtas addiderunt irriſiones, *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas* †, *Salva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. Alios ſalvos fecit; ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei* i. Sed non eſt neceſſe eum deſcendere de patibulo, ſufficit ut eis ignoſcat, ad hoc ut ſe Regem exhibeat.

f Pſ. 46, 5.
g Joan. 19, 6.
h Matth. 27, 20.
† ex Joan. 2, 19.
i Matth. 27, 40. & 42.

Re autem verâ ſuper hoc throno crucis Rex agnoſcitur à Dima, ſeu à bono latrone, qui confitens eum Dominum ſuum, illum exorat ut ſui non obliviſcatur, dicens ad Ieſum, *Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum* k. Super quod ait Euſebius Emiſſenus l, *In latrone fides novella convaluit. Sub ipſo Paſſionis tempore ab ancillâ interrogatus unus ex diſcipulis beatus Petrus, peculiariùs Chriſto cognitus ita reſpondit: Non novi hominem iſtum* m. *Et iſte, qui antè non noverat, exclamat: Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum. Quàm ſingularis & quàm ſtupenda devotio! Sub illo tempore credidit reus, quo negavit Electus. Laudabilius hoc itaque in Latrone ac magnificentius fuit, quòd hominem addictum & inter extrema deficientem ſupplicia Dominum credidit, quàm ſi inter virtutum opera credidiſſet. Non itaque ſine causâ tantum meruit. Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum. Non dixit, Si Deus es, de præſenti ſupplicio eripe me: ſed magis. Quia Deus es, de futuro judicio libera me. Quàm citò eum replevit ſancti Spiritus eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, intolerabile probat eſſe quod metuit: prædicat ſeculi Iudicem, Regemque ſeculorum* n. *Nondum diſcipulus, & jam Magiſter atque ex latrone Confeſſor, Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum.* Quis igitur intuitus hanc confeſſionem, non mirabitur opera Dei? Salvator tunc erat maximè afflictus, traditus à Juda, derelictus à cæteris diſcipulis, negatus à Petro o, blaſphematus à Judæis, deriſus à Gentilibus p, & ferè incognitus ab omnibus, & eodem tempore quo alij eum vituperant & negant, iſte Latro eum adorat, confitetur, & Regem vocat, Super ipſo autem crucis throno non ſolùm apparuit Jeſus Rex, ſed etiam ſummus Imperator, ait S. Cyprianus q, *Imperatoriâ poteſtate latronem præmittis ad Regnum.* Cùm non ſit penes Reges, ſed penes ſolos Imperatores dare Regna integra. Quod autem multùm extollit honorem coronæ ejus ſive Imperatoriæ, ſeu Regiæ ſuper univerſos totius orbis Monarchas, eſt, quòd Imperatores terreni morientes ſuâ amittunt ſupremam poteſtatem; ſed Jeſus ſuum conſervavit Regnum, ſeu Imperium in ipſo ſtatu mortis. Palmæ glorioſæ Principum temporaneorum cedunt tandem funeſtæ cupreſſui; ſed lignum Crucis, licèt funeſtiſſimum, revireſcere fecit floſculos hujus coronæ honoris, quæ coronavit caput Salvatoris mei, cum *milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt Capiti ejus* r.

k Luc. 23, 42.
l Euſeb. Emiſſ. hom. de Latrone.
m ex Luc. 22, 57.
n ex 1. Timoth. 1, 17.
o ex Matth. 26. 40.
p Matth. 27, 40. &c.
q S. Cypr. ſerm. de Paſſion. Dom. n. 7.
r Joan. 19, 2.

Secundus titulus, qui coronavit magna illius merita, fuit titulus Judicis, quem præ ſe tulit eo ipſo tempore quo judicatus eſt, cùm Judæis *Pilatus tradidit illum, ut crucifigeretur* s. Tunc enim in Cruce veluti in ſuo tribunali conſtitutus, Judex fuit mali, & boni latronis, juſtitiam tribuens illi, & miſericordiam impertiens iſti t. Sic illum in Cruce conſiderat S. Auguſtinus u, cùm illum vocat Arbitrum utriuſque, dicens, *Poſitus in patibulo verus arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, ſuſcepit confitentem. Hunc deputat Regno, illum relinquit inferno. Per hæc ergo credamus in majeſtate* x *judicaturum, quem jam in Cruce & miſericordiam videmus exercere & judicium.* Cùm hâc inſignitus qualitate Judicis inter utrumque penderet, quaſi ſedens in ſuo tribunali, & ſuam impertiretur gratiam ſimul ac Regnum ſuum bono Latroni ipſum confitenti, quandiu decernebat, ut malus latro iret *in ſupplicium æternum* y. Quia induratum erat *cor ejus tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* z ſtrictum, cùm *in peccato* a ſuæ obſtinationis moreretur, & conſequenter in impœnitentiâ finali. Hinc ſanctus iſte Doctor iſtud validum eruit argumentum, eum venturum denuò ad judicandos vivos & mortuos, cùm inceperit hoc Judicis officium exercere in tribunali Crucis eodem tempore quo judicatus ipſe eſt, & damnatus ad mortem. Præterquàm quòd Scriptura ipſa aſſerit, *Quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum & mortuorum* b. Hæc autem *authoritas judicandi*, ait Dionyſius Carthuſianus c, *nimirum judicij executio, ſeu prolatio ſententiæ competit Chriſto ſecundùm naturam humanam, quam & ſuâ humiliatione & Paſſione promeruit.*

s Joan. 19, 15. & 16.
t Luc. 23, 43. &c.
u S. Aug. ſerm. 45. in Append. de diverſ.
x ex Matth. 25, 31.
y Matth. 25, 46.
z Job 41. 15.
a Joan 8, 21.
b Act. 10, 42.
c Dion. Carth. art. 10, in Act. 10, 42.

Quis non intuetur ex vobis, Auditores, magnam miſericordiam hujus Judicis ſupremi erga iſtum latronem? Conſiderate quidnam petat iſte Latro. Nihil efflagitat quod ad præſens ſpectet ſeculum, cùm jam jam eſſet ex eo exiturus, ſed favores requirit qui ſeculum aſpiciunt futurum, faſſus, quòd ille, quem videbat ſecum crucifixum, ſatis erat potens ad illos ſibi adjudicandos, non ut Interceſſor apud Deum, ſed ut Deus ipſe, quippe qui *Dominus omnium* d, Regnum cœleſte poſſet diſponere in favorem ipſius, ut docet Dionyſius Carthuſianus e, explicans hæc illius verba, *Domine, memento mei, id eſt, clementer ſuccurre, cùm veneris in Regnum tuum cœleſte. Iam enim credidit Latro Ieſum eſſe Regem Meſſiam in Lege* f *promiſſum, cujus eſt Regnum cœlorum.* Quaſi diceret, Non peto ſedere *ad dexteram tuam, & ad ſiniſtram in Regno tuo* g, nec aliquid aliud efflagito ſpectans ad iſtum mundum, quia tuum

d Eſth 13, 11.
e Dion. Carth. art 49. in Luc. 23, 43.
f ex Gen. 49. 18.
g Matth. 20, 21.

Regnum non eſt de hoc mundo h. Sed tantùm obſecro te ut meminiſſe digneris *mei*, *cùm veneris in Regnum tuum.* Dico, *mei*, non autem peccatorum & furtorum meorum; ſed *mei*, qui ſum homo infirmus creatus *ad imaginem & ſimilitudinem* i tuam. *Memento* quòd propter me *in principio cœlum, & terram* k, & univerſa creaſti. Quòd ob amorem meum, *ubi venit plenitudo temporis* l, temetipſum exinaniviſti, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* m. Quòd intuitu mei jejunaſti n, *pernoctans in oratione Dei* o, & *fatigatus ex itinere* p fuiſti *pauper, & in laboribus à juventute* q tuâ, donec patibulo Crucis iſtius mecum ſuffixus fueris. *Memento*, quòd veniſti *in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum: Sed ideò miſericordiam* conſequi à te cupio: *ut in me primò omnem patientiam* r oſtendas, quâ *miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti* s. Memorare me eſſe fratrem tuum, cùm ſis *ipſe Primogenitus in multis fratribus* t, redemptum *non corruptibilibus auro vel argento, ſed pretioſo Sanguine* u tuo. Magnos à te non expoſco favores, cùm iis indignum me agnoſcam; nec audeo petere à te ut in Regni cœleſtis participationem introducas me, cùm non congruat ut reus, qualis ego ſum, in talem admittatur locum. Non requiro à te ut illuc me deducas, ut ibi miniſtrem cœleſtibus illis incolis, quia illud obſequium nimio meo cederet honori; ſed tantùm ut non obliviſcaris mei ipſius, quem complacuit tibi ejuſdem ſupplicij habere conſortem. *Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum quæ à ſeculo ſunt. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine* x, quæ eſt manifeſta *in foraminibus petræ* y, id eſt, in vulneribus tuis, ad quæ confugio ut *mendicus & pauper. Solicitus mei* z igitur eſto, & ſine ut eorum interventu furari poſſim hodie theſauros gratiæ & miſericordiæ tuæ, ut non minùs ſim latro moriendo, quàm fui latro vivendo. *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* a. O miſericordia incomparabilis Judicis iſtius ſupremi qui videns diſpoſitiones interiores Dimæ latronis, magis illi impertitur, quàm ipſe efflagitet! Ecce igitur Chriſtus Judex eodem tempore quo judicatus eſt.

Tertius titulus coronæ honoris Salvatoris, fuit titulus Magiſtri, *Ecce Teſtem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus* b. Quia, ut exponit Cornelius c, *Chriſtus fuit Teſtis Divinæ voluntatis. Docuit enim nos, quid Deus à nobis fieri velit, ut ei placeamus, atque ab eo ſalutem in pacto novo promiſſam adipiſcamur. Teſtis fuit veritatis, veræque & ſanæ ac ſalutiferæ doctrinæ. Vnde ipſe ad Pilatum ait, Ego in hoc natus ſum, ut teſtimonium perhibeam veritati* d. *Hinc mox ſubdit Iſaias datum eum Ducem ac Præceptorem Gentibus. Hic eſt Dux viæ ad beatam æternitatem, ac præcipiens modos & rationes, quibus eòdem contendamus & perveniamus.* Schola ipſius fuit mons Calvaria, & Crux illius cathedra doctoralis, in quâ nos *inſtruxit Præceptor bonus, tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentes*, ait S. Auguſtinus e. Et ſicut alias *Abraham plantavit nemus in Berſabee, & invocavit ibi nomen Dei æterni* f. *Faciebat enim ibi orationem, & gratiarum actiones Deo de beneficijs datis. Vel, ut volunt Hebræi, ibi hoſpites ad laudandum Deum & gratias reddendum ei pro beneficijs invitabat*, ait Toſtatus g. Cui addunt Alij, conformiter ad id quod vertit S. Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 1. ex Gen. 12. 6. *Perambulavit Abram terram uſque ad locum Sichem ad quercum excelſam*, quòd hæc omnia perageret iſte Patriarcha ſub magnâ quercu, ſub quâ eoſdem ſuos hoſpites docebat Legem Dei, quæ ideò vocabatur Quercus Doctoris: ita Dominus noſter Jeſus Chriſtus elegit montem Calvariam, ubi plantatæ tres erant cruces, ut doceret ſuper unâ ex illis veluti ſuper cathedrâ tot linguis, quot vulnera habebat in Corpore ſuo; proponendo ſe *novi Teſtamenti Mediatorem, & Sanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel* h exhibendo. Ibi altiſſimo functus eſt magiſterio ſuo, & omnibus hominibus *dedit ſcientiam Sanctorum* i, *quâ Sancti eligunt temporaliter cruciari, & in æternum gloriari, ut dicit Bernardus*, quem citat Hugo Cardinalis k, iſtud exponens. *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus* l. Cùm igitur Jeſus punitus eſt quaſi introductor novæ doctrinæ, ſecundùm quod Judæi *invaleſcebant, dicentes, Commovet populum, docens per univerſam Iudæam, incipiens à Galilæa uſque huc* m: quæ doctrina, juxta affectum eorum pravum, & judicium perverſum, adverſabatur doctrinæ Moyſis, & ſtatum deſtruere poterat politicum; tunc ipſe doctiſſimas propoſuit lectiones ut primus Profeſſor illius academiæ, quæ vocatur à S. Paulo n Scientia ſupereminens, in quâ ſita eſt charitas, *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus o, *Vt poſſitis comprehendere, id eſt, ſincerè cognoſcere, cum omnibus Sanctis, hoc eſt, ſicut Sancti in viâ Deo revelante cognoſcunt, quæ ſit latitudo ſpiritualis charitatis, & longitudo, & ſublimitas & profundum ejus. Hæ dimenſiones attribuuntur charitati, per ſimilitudinem corporalium dimenſionum. Poſſitis ſcire etiam ſcientiâ practicâ, hoc eſt, ſciendo imitari, & juſtè agere, ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, id eſt, dilectionem illam præcipuam, quâ Chriſtus ſecundùm ſuam ſcientiam nos dilexit. Dilectio enim ex cognitione procedit. Vel ſic, Poſſitis ſcire charitatem Chriſti ſupereminentem ſcientiæ, id eſt, noſtram notitiam ſuâ magnitudine excedentem.*

Iſtam prædicat ſupereminentem ſcientiæ charitatem exemplo & actionibus, æquè ac verbo, nam antequàm Patris æterni *in manus ſpiritum* p ſuum commendaret, Divina ipſius charitas induxit ipſum ad commendandam Genitricem ſuam S. Joanni, *Cùm vidiſſet ergo Ieſus Matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce Mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam diſcipulus in ſua* q. Super quod S. Auguſtinus r ait, *Hæc nimirum eſt illa hora, de quâ Ieſus aquam converſurus in vinum, dixerat Matri, Quid mihi & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea* s. *Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in quâ deberet ab eâ agnoſci moriturus, de quâ fuerat mortaliter natus. Tunc ergo Divina facturus, non Divinitatis, ſed infirmitatis Matrem velut incognitam repellebat: nunc autem humana jam patiens, ex quâ fuerat factus homo, affectu commendabat humano.*

h Joan. 18. 36.
i Gen. 1. 27.
k Gen. 1. 1. &c.
l Galat. 4. 4.
m Philipp 2. 7.
n Matth. 4. 2.
o Luc. 6. 12.
p Joan. 4. 6.
q Pſ. 87. 16.
r 1. Timoth. 1. 15. & 16.
s Sap. 11. 24. & 25.
t Rom. 8. 29.
u 1. Petr. 1. 18. & 19.
x Pſ. 24. 6. & 7.
y Cant 2. 14.
z Pſ. 39. 18.
a Luc. 23. 43.
b Iſai. 55. 4.
c Cornel. in Iſai. 55. 4.
d Joan. 18. 37.
e S. Aug. tract. 119. in Joan. 19. 27.
f Gen. 21. 33.
g Toſtat. in Gen. 21. 33.
h Hebr. 12. 24. ex Gen. 4. 10.
i Sap. 10. 10.
k Hug. Card in Sap. 10. 10.
l 1. Petr. 2. 21.
m Luc. 23. 5. &c.
n Epheſ. 3. 18. & 19.
o Dion. Carth. art. 3. in Epheſ. 3. 18. & 19.
p Luc. 23. 46. ex Pſ. 30. 6.
q Joan. 19. 26. & 27.
r S. Aug. tract. 119. in Joan. 19. 27.
s Joan. 2. 4. &c.

mano, Tunc enim qui Mariam creaverat, innoteſcebat virtute: nunc verò quem Maria pepererat, pendebat in Cruce. Moralis igitur inſinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruxit Præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis. Hujus itaque ſaluberrimi præcepti ipſe Magiſter Sanctorum de ſeipſo conſtituebat exemplum: quando non ut famula Deus quam creaverat & regebat, ſed ut Matri homo de quâ creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro ſe quodammodo filium providebat.

Quartus & ultimus titulus honoris, quo coronatus eſt Dei Filius inter infamias ſuas, fuit ille quo *quaſi agnus manſuetus ad victimam* t portatus eſt eodem tempore quo erat ipſe Sacrificator, cùm eſſet ipſemet *Ieſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* u. Quem tali titulo inſignitum repræſentat nobis S. Paulus in pluribus locis Epiſtolæ ſuæ ad Hebræos: *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Ieſum Filium Dei* x. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis: neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium Sanguinem introivit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inventâ* y. Quod ſic exponit Dionyſius Carthuſianus z, *Chriſtus autem aſſiſtens Deo Patri ad interpellandum pro nobis* a, *aſſiſtens quoque, ſeu paratus ſuccurrere nobis, Pontifex, id eſt, ſummus ac Sacerdotalis Miniſter, prout homo. Vel, Pontifex, id eſt, in ſuo Pontificatu collator futurorum, id eſt, cœleſtium bonorum, de quibus legitur,* Credo videre bona Domini in terra viventium b, *per amplius, id eſt, multò majus atque capacius, & perfectius tabernaculum utputà cœlum, non manufactum, id eſt, non hominum manibus fabricatum, id eſt, non hujus creationis, hoc eſt, non humana induſtria. Vel, non hujus creationis, id eſt, non exiſtens de naturâ inferiorum creaturarum, quæ corruptibiles ſunt. Illud enim corruptibile eſt, neque per ſanguinem hircorum & vitulorum ut Pontifex legalis* c, *ſed per proprium Sanguinem, id eſt, cum præviâ proprii Sanguinis effuſione introivit ſemel, videlicet in die Aſcenſionis, in Sancta, id eſt, in cœleſte tabernaculum præfiguratum per Sancta ſanctorum, æternâ redemptione inventâ, id eſt verâ beatitudine nobis recuperatâ atque à nobis compertâ.* Quibus verbis exhibet nobis S. Paulus Chriſtum Pontificem ſimul & hoſtiam, cùm obtulerit ad redimendos nos non ſanguinem animalium, ſed Sanguinem venarum ſuarum ad peragendam perfectam criminum noſtrorum expiationem, præ exceſſu Divinæ charitatis ſuæ, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* d, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens, ex alto* e.

t Jer. 11. 19.
u Hebr. 6, 20. ex Gen. 14, 18 & Pſ. 109, 4.
x Hebr. 4, 14.
y Hebr. 9, 11. & 12.
z Dion. Carth. art 10 in Hebr 9. 11 & 12.
a ex Hebr. 7, 25.
b Pſ. 26. 13.
c ex Lev. 9, 8.
d Apoc. 1, 5.
e Luc. 1, 78. ex Zach. 3, 8. & 6, 12.
f Exod. 9, 35.

Cùm erat *ingravatum cor Pharaonis, & ſervorum illius, & induratum nimis: nec dimiſit filios Iſrael, ſicut præceperat Dominus per manum Moyſi* f: *Dominus induxit ventum urentem totâ die illâ, & nocte; & manè facto, ventus urens levavit locuſtas: quæ operuerunt univerſam ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia. Quam ob rem feſtinus Pharao vocavit Moyſen & Aaron, & dixit eis: Peccavi in Dominum Deum veſtrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hâc vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, ut auferat à me mortem iſtam. Egreſſuſque eſt Moyſes de conſpectu Pharaonis, & oravit Dominũ. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam projecit in mare rubrum: non remanſit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti* g. Cùm eligere potuiſſet Deus alium modum ad liberandum populum Ægyptium ab iſtâ plagâ, hanc præſertim elegit, ut ipſa eſſet figura beneficii ineffabilis redemptionis peractæ in gratiam noſtri à Filio ipſius, *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm: & ipſe peccata tulit* h omnia noſtra, quæ, inſtar locuſtarum & animalium immundorum Ægypti, vaſtabant non ſolùm unam regionem, ſed univerſaliter totam deſolabant terram, *Maledictum, & mendacium, & homicidium & furtum inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in eâ* i. Propterea *Dominus iniquitatem omnium noſtrum* tanquam *arreptam locuſtam projecit in mare rubrum* Sanguinis ſui, juxta prophetiam Michææ k, *Deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Id eſt, *per amaritudinem ſuæ propriæ paſſionis*, ait Hugo l Cardinalis.

g Exod. 10, 13. &c.
h Iſai. 53, 6. & 12.
i Oſee. 4. 2. & 3.
k Mich. 7, 19.
l Hug. Card. in Mich. 7. 19.

Propter hanc rationem queritur Patri ſuo æterno, dicens, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* m? Dei Filius omnibus clauſit aditum conſolationibus, quæ ipſi accidere poterant aut è cœlo, aut è terrâ; a Patre ſuo æterno, aut à ſe, ut magis commendaret amorem, quo ergo nos afficiebatur, *Hoc Chriſtus non ex impatientiâ, ſed ad inſinuandum vehementiſſimum eſſe ſuum dolorem clamavit. In omnibus enim membris patiebatur, & propter complexionis ſuæ teneritudinem erat ſummè paſſibilis, & perceptivus doloris. Dicit autem ſe Chriſtus à Deo derelictum, non quòd privatus eſſet gratiâ, vel gloriâ, ſed quia tam graviter patiebatur, ac ſi peccator, & à Deo contemptus fuiſſet, & quoniam voluntati impiorum expoſitus fuit; & quia nulla fiebat pro tunc redundantia conſolationis, & alleviationis à ſuperiori parte Animæ Chriſti, in partem ejus inferiorem. Unde de Chriſto ſcriptum eſt, Nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum* n, ait Dionyſius Carthuſianus o. Hoc idem eſt, quod ipſe vult ſignificare, cùm ait, *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia* p. *Eò quòd nulla eſſet virtus carnis ad evadendam mortiferam paſſionem: ibi namque abſcondita erat fortitudo ejus* q, exponit Lorinus r poſt alios, quos citat. Hæc igitur derelictio debet intelligi, quòd Divinitas permiſit tormentis ut agerent ſuper humanitatem, quantùm poſſibile erat ut creatura pateretur. Sed quia verbis iſtis Dei Filius petit à Patre æterno cauſam derelictionis ſuæ, reſpondere poſſumus præterea, eum fuiſſe derelictum ob protectionem noſtram, ut mundo ſuccurreretur perdito: & Patrem æternum ideò dereliquiſſe Filium ſuum, & Dominum noſtrum, ut nos ſervos ipſius faceret ſalvos, unde concinit ei Eccleſia s, *O ineſtimabilis dilectio charitatis! Ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti.*

m Matth. 27, 46. ex Pſ. 21, 2.
n Iſai. 53, 4.
o Dion. Carth. art 44. in Matth. 27. 34.
p Pſ. 68. 3.
q ex Habac. 3. 4.
r Lorin. in Pſ. 68.
s Eccleſia Sabbath. S.

Hæc eſt etiam ratio, propter quam amantiſſimus iſte Dominus qui noſtram ſeſe exhibibit in Cruce Patri ſuo victimam criminum noſtrorum expiatricem, *dixit, Sitio* t. *Ad literam, Chriſtus corporaliter ſitiebat ex diuturnâ afflictione, vehementi labore, & Sanguinis effuſione, in tantùm ut dicat in Pſalmo* u, *Lingua mea adhæſit faucibus meis. Quæ utique ſitis pœnaliſſima fuit. Spiritualiter verò, multò frequentius ſitiebat noſtram ſalutem, pro quâ omnia fecit, ac pertulit*, ait Dionyſius Carthuſianus x. Quaſi diceret, Mala culparum veſtrarum magis affligunt me, quàm mala

t Joan. 19, 28.
u Pſ. 21. 16.
x Dion. Carth. art 40. in Joan 19. 28.

mala pœnarum mearum afficiant me dolore. Sed ſi noſtram ſitit Chriſtus ſalvationem, & in hoc eſt collocata ſitis ejus, Auditores, lacrymæ noſtræ, & firmum conſilium noſtræ converſionis peragendæ impoſterùm eam quidem poſſent extinguere, cùm ipſe dicat, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitiâ ſuâ, quam operatus eſt, vivet. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat* y? Nos verò crudeliores ipſis carnificibus, *rurſum crucifigentes* nobiſmetipſis *Filium Dei, & oſtentui habentes* z, ducimus *Sanguinem Teſtamenti pollutum, in quo* ſanctificati ſumus, *& ſpiritui gratiæ contumeliam* a facimus; nedum ipſum refrigeremus, & ſitim expleamus ejus, cùm velit ut paſſiones ipſius reddamus efficaces per cooperationem gratiis ipſius, ſicut faciebat Apoſtulus *b*, dicens, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*. Cùm ipſe ſit ipſe *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* c; quique propterea *delens quod adversùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipſum tulit de medio, affigens illud cruci* d.

y Ezech. 18, 21, &c. z Hebr. 6, 6. a Hebr. 10, 29. b Coloſſ. 1, 24. c Joan. 1, 29. d Coloſſ. 2, 14.

Poſt hæc nihil ſupereſt peragendum à Dei Filio ad operandam ſalutem noſtram. Ideò *Ieſus dixit, Conſummatum eſt* e, *quod de meâ Paſſione fuerat prophetatum, myſterium quoque humanæ redemptionis jam extat impletum. Mors etenim Chriſti erat vita ſaluſque mundi*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *f*. Cùm Pater æternus nos omnes reconciliaverit ſibimetipſi in Filio ſuo, ut ait Apoſtolus, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis* g. Ecce igitur reconciliati nos Deo, cùm peccata, quæ perpetraveramus, nobis ſint dimiſſa per merita Chriſti, ſi uniamus nos ei, quem Pater æternus *dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* h, mediâ fide & charitate ut membra ejus viventia, & participes nos efficiamus redemptionis ejus, cùm ſe ſummum exhibuerit Pontificem, qui ſemetipſum obtulit in altari Crucis pro ſalute generali omnium, *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ* i, cùm *clamans voce magnâ, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, & hæc dicens, expiravit* k. Seu cùm *inclinato capite, factus obediens uſque ad mortem*, ut exponit ad propoſitum noſtrum Dionyſius Carthuſianus *l*, *& quaſi gratias agens Patri, tradidit Spiritum.*

e Joan. 19, 30. f Dion. Carth. art. 46, in Joan. 19, 30. g 2. Cor. 5, 19. h Epheſ. 1, 22, & 23. i Hebr. 5, 7. k Luc. 23, 46, ex Pſ. 30, 6. l Dion. Carth. art. 46, in Joan. 19, 30.

Patet igitur quòd Chriſtus fuit ſummus Pontifex, & hoſtia expiatrix omnium noſtrorum ſcelerum, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* m. Hæc autem hoſtia fuit talis valoris & tanti meriti, ut ipſa ſola præ ſe tulerit differentes effectus antiquorum ſacrificiorum, quæ dirigebantur ad tres fines. Primus erat ad educendum peccatorem è peccato, & ad reſtituendum eum in gratiam, in quo ſe mediatorem exhibebat Sacerdos. Secundus ad obtinendam perſeverantiam in illâ gratiâ jam ſuſceptâ. Tertius ut perſeveranti in illâ gratiâ Deus impenderet unionem per gloriam. Atqui Jeſus Chriſtus fuit hoſtia in Cruce ob iſtos tres effectus. Primus eſt, *Traditus eſt propter delicta noſtra* n. Secundus, *Semetipſum obtulit* † pro iis qui ſunt in gratiâ. Tertius, Ipſe fuit oblatio ad gloriam, quia fulti meritis Sanguinis ejus, ſperamus nos perventuros in paradiſum, *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti* o. Et hi effectus texuerunt coronam honoris Salvatoris coronati ut hoſtiæ & Sacerdotis ſimul, *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum.*

m Epheſ. 5, 2. n Rom. 4, 25. † Hebr. 9, 14. o Hebr. 10, 19.

Ecce igitur Jeſus Chriſtus glorioſè exaltatus in Cruce ſicut in ſuo throno gloriæ prout Rex; ut in ſuo tribunali juſtitiæ quatenus Judex; ut in ſuâ cathedrâ doctorali inquantùm Magiſter; & in ſuo ſummo altari ſicut ſupremus Pontifex. Quod autem maximè extollit gloriam iſtarum quatuor conditionum, eſt, quia eas ipſe palam ſtabilit & firmat in loco, in quo erat Curia Regum, tribunal Judicum, academia Rabbinorum, & templum ſacrificiorum, quæ circumſtantiæ ſunt valde notandæ tam ob pudorem & opprobrium Paſſionis, quam propter honorem & exaltationem Salvatoris mei. Ut autem iſtorum omnium probationem exhibeam per ſingula, nimis prolixus eſſem in deducendo vobis in ſpecie, quomodo Jeroſolymis eſſet palatium Regum Juda, ut patet ex Scripturâ *p*; ſicut *in Samariâ* q domus Regum Iſraël. Taceo id quod obſervat Maldonatus *r*, Jeroſolymis fuiſſe ſupremam Curiam compoſitam è tribus tribunalibus, dicens, *Adnotarunt quidam ex Thalmudicis traditionibus tria fuiſſe apud Hebræos tribunalia. Primum Triumvirûm, in quo de minutiſſimis diſceptaretur cauſis. Secundum, in quo viginti tres Iudices de cauſis majoribus, itemque capitalibus cognoſcebant. Tertium in quo unus & ſeptuaginta electi viri de rebus graviſſimis, maximèque publicis, ut de pace, de bello, de falſo Prophetâ, de ſummo Sacerdote judicabant. Primum vocatum fuiſſe judicium, ſecundum συνέδριον conſeſſum, voce à Græcis uſurpatâ, tertium magnum conſeſſum, ſicut Galli magnū Regis conſilium appellant.* Præterea, Nihil dico, quòd ibi eſſet locus univerſitatū & Synagogæ, habitatio Rabbinorum, & domiciliū ſummi Pontificis, Sacerdotum, & Levitarū propter famoſum illud templum, (de quo Salomoni, qui illud ibi ædificandum præceperat, *dixit Dominus, Sanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus* s) præ templo Samaritanorum ſchiſmaticorum, ſicut Salvatori dixerat Samaritana, *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet* t, juxta id quod præceptum erat in Lege *u*, *ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis: & offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras, decimas & primitias manuum veſtrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ovium.*

p 3. Reg. c. 9. & ſeqq. q 4. Reg. 1, 2. &c. r Maldonat. in Matth. 5, 22. s 3. Reg. 9. 3. t Joan. 4, 20. u Deut. 12, 5, & 6.

His ſuppoſitis, dico quòd Paſſio Salvatoris magis probroſior fuit ratione loci, & ideò quòd exaltatio ejus fuit glorioſior, juxta hoc principium conſtitutum, quòd illius exaltatio eodem incedat greſſu, quo ejus humiliatio. Quòd circumſtantia loci pudorem ejus auxerit & confuſionem, nemo eſt qui de hâc ambigere debeat veritate; quia eò gravior eſt ibi injuria, ubi ſpectatores ſunt numeroſiores; & idcircò videre cruci ſuffigi illum, *per* quem *reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*; *per*

quem *principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam* x; poſtquàm damnatus eſt à Curiâ pravis affectibus ductâ, in quâ Judices ſunt Partes, in quâ Rabbini Legis inveniuntur, *Et accuſabant eum ſummi Sacerdotes in multis* y: ubi tandem omnis natio Judæorum mortem ejus machinatur, & illius Sanguini inhiat; hæc omnia confuſionem ejus auxerunt & infamiam, & ſimul gloriam illius atque honorem. Quoniam invito Cæſare Imperatore Romanorum, & Rege Jeroſolymorum, quem inimici ejus cauſæ ejus immiſcuerunt, Pilato, qui *quærebat dimittere eum, dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: Tolle, tolle, crucifige eum: Non habemus Regem, niſi Cæſarem*: ipſe confirmatus fuit Rex in civitate ipſius Regiâ, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* z. Reluctantibus Judicibus magni Synnedrii, qui Principi *Sacerdotum reſpondentes, dixerunt, Reus eſt mortis* a: ipſe palàm jus reddidit ſuper tribunali Crucis, damnans *in ignem æternum* b malum latronem, qui *blaſphemabat eum, dicens, Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos*; & gloriâ donans æternâ eum, qui ipſi *dicebat, Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum: Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* c: & ſic *unicuique ſecundùm opera ejus* d reddens; ſeque ita æquum Judicem exhibens coram illis, ac ii erant judices iniqui, ſceleſti, & deteſtabiles. Deinde, Coram Rabbinis docuit ſuper cathedrâ Crucis præceptum dilectionis, *Ieſus autem dicebat, Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt* e. Et illorum *invidiam* f ſuâ mititate confudit. Tandem, Pudore ſuffudit ſummum Pontificé, & omnes Scribas, & Pharisæos, Sacerdotes, & Levitas machinatores ruinæ ſuæ, quippe *qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo* g. *Tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam* h: *aufert primum, ut ſequens ſtatuat. In quâ voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Ieſu Chriſti ſemel. Unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos* i. Numquid non hæc ſunt magna inſignia gloriæ & honoris inter extremas ignominias & depreſſiones? Quid igitur reſtat nobis, niſi ut ſerviamus huic magno Regi, timeamus hunc æquum Judicé, honoremus hunc bonum Præceptorem, & humiliemus nos ante hunc magnum Pontificem, *propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum* k?

Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomoné in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus l. Exite Animæ devotæ igitur à vobis ipſis, & à perfectionibus veſtris, ut conſideretur à vobis iſte *Pacificus* m Rex Salomon, hic *Princeps pacis* n, in infamiâ ſuâ glorioſâ, & ut ambitio ſancta altiſſimorum quorumcumque veſtrorum conſiliorum nullum alium proponat ſibi ſcopum *niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* o. Si aſpiratis ad aliquam gloriam, cavete ne alibi eam quæratis, *Qui gloriatur, in Domino glorietur* p. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus, *Qui gloriatur in Domino, ſcilicet ſecundùm doctrinam & voluntatem Domini gloriatur, omnia bona ad Deum deferendo finaliter. Vel, In Domino, id eſt, in contemplatione ac dilectione Divinâ, imò in omni actu virtuoſo lætandum eſt. Hoc modo gloriabatur Virgo benedicta, dicendo, Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo* q. *Et Habacuc, Ego, inquit, in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo* r. *Debemus quoque gloriari in Domino; congratulando totis præcordiis Divinæ beatitudini ac perfectioni* s. Vobis *autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti* t. *Id eſt, in contemplatione Filii Dei crucifixi, & beneficiorum ipſius, videlicet in conſideratione Paſſionis, charitatis, & obedientiæ Chriſti. Abſit itaque à* vobis *gloriari in rebus caducis & vanis. Sed hæc ſit gloriatio* veſtra, *in Chriſti Paſſione occupari, ejus beneficia meditari, ipſius veſtigia ſequi: per quem Chriſtum, id eſt, per cujus gratiam, Paſſionem, & imitationem* vobis *mundus crucifixus* eſſe debet, *hoc eſt, mortuus: utputà tam homines ſeculares, quàm concupiſcentiæ, atque divitiæ ſeculi hujus, ita ut talia* vobis *non ſapiant, non delectent, non uniant, nec* vos *ſibi conjungant inordinato affectu: &* vos *mundo per Chriſtum* crucifixæ, *id eſt*, mortuæ eſſe debetis, *ita ut mundo non* placeatis, *non* vivatis, *neque* communicetis, *juxta illud, Quoniam propter te mortificamur totâ die* u, ait idem Dionyſius Carthuſianus poſt Apoſtolum x. Cui conſonat de Ponte y, dicens, *Egredimini, igitur, filiæ Sion, & videte Regem Salomonem. Egredimini ab hoc mundo, qui totus in maligno poſitus eſt* z; *egredimini à mundanâ & carnali converſatione hominum, qui Chriſtum Crucifixum & ſpinis coronatum ſtultitiam & ſcandalum* a *putant: intuemini illum in Cruce triumphum agentem, & ita pacis amantem, ut tam diro ſerto ulceratus non iraſcatur, nec ulciſcatur, cùm poſſet, ſed tanquam agnus innocens obmutuit, nec aperuit os ſuum* b; *& cum his qui oderunt pacem, erat pacificus* c, *& pro pace illis impertiendâ ſuum fundebat cruorem.* Nolite quærere gloriam ejus, cùm in monte Thabor *transfiguratus eſt, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix* d: ſed illam, quam præ ſe tulit in monte Calvariâ deformatus, ſputis & cruore opertus, & *opprobriis* e ſaturatus: quia ſi gloriam, & honorem vobis conciliare velitis, eam & hunc quærere debetis in hâc humiliatione voluntariâ, eòque magis honorariâ quò ignominioſior apparet: ſi fortitudinem cupitis vobis comparare, eam deſumere debetis ab hâc infirmitate ſpontaneâ: & ſi vitâ frui deſideretis, oportet ut illam ſumatis in Regno mortis. *Deus autem, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto* f.

Præter qualitatem Regis, agnoſcamus in eo inſigne Judicis, timeamus decreta ejus, & caveamus ne Crux iſta noſtris impreſſa frontibus ipſâ die Baptiſmatis noſtri, quâ renati *ex aquâ & Spiritu ſancto* g, *in Chriſto baptizati, Chriſtum* h induimus; evadat tribunal juſtitiæ ejus ad noſtram condemnationem. Præterea, Debemus agnoſcere eum ut Magiſtrum, & ab eo diſcere, & in praxim redigere lectiones, quas nos edocuit verbis & operibus ſuper cathedrâ Crucis, nimirum quatuor dimenſiones charitatis, quam S. Paulus i ſuprà vocavit *Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Teneamus memoriâ inſtructiones ejus, & cùm oſtenderit *quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum* iſtius charitatis; diſcamus ſublimitatem bonitatis ejus; longitudinem perſeverantiæ illius, quâ eſt *factus obediens uſque ad mortem.* Latitudinem veniæ injuriarum extenſæ ab eo ad inimicos; & profunditatem depreſſionum ipſius, cùm *humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem crucis* ignominioſam. Et quia Dei Filius *ſemetipſum obtulit* † victimam expiatricem noſtrorum criminum ut ſummus Pontifex, hunc amorem amore mutuo compenſemus. Simus *ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi*, quos ipſe genuit in Cruce, & ambulemus *in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro*

nobis

x Prov: 8, 15. & 16.
y Marc: 15, 3.
z Joan: 18, 12. &c.
a Math: 26, 65, & 66.
b Matth: 05, 41.
c Luc: 23, 39, &c.
d Rom: 2, 6.
e Luc: 23, 34.
f Matth: 27, 18.
g Hebr: 9, 14.
h ex Pſ: 39, 8, & 9
i Hebr: 10, 9. &c.
k Hebr: 2, 9.
l Cant: 3, 11.
m 1, Paral. 22, 9.
n Iſai: 9, 6.
o 1, Cor: 2, 2.
p 2, Cor: 10, 17.
q Luc: 1, 47.
r ex Habac: 3, 18.
s Dion: Carth: art. 10, in 2, Cor: 10, 17.
t Galat. 6, 14.
u Pſ. 43, 22.
x Dion. Carth. art. 6, In Galat. 6, 14.
y De Pôte lib. 6. in Cant. 3. 11, exhort. 35. Parag 1.
z ex 1. Joan. 5. 19.
a ex 1. Cor. 1. 23
b ex Iſa 53, 7.
c ex Pſ. 119 7.
d Matth. 17. 1 & 2.
e Thren. 3. 30.
f Ephef. 2. 4. & 5.
g Joan. 3. 5.
h Galat. 3. 27.
i Ephef. 3. 18 & 19.
† Rom. 4. 25.

nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis k. (k Epheſ. 5, 1, & 2.) Offeramus ei non ſolùm animas noſtras, ſed etiam exhibeamus illi noſtra *corpora hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem* l; (l Rom. 12, 1.) reddentes illi præ juſtitiâ id, quod ille impendit nobis præ miſericordiâ, ut ſimus oblationes tales, quales ipſe requirit, & per mortificationem paſſionum noſtrarum ſuper crucibus voluntariis pœnitentiæ, communicare poſſimus exaltationi Jeſu in gloriâ, cùm tulerimus ejus Crucem, quam vobis relinquo. †.

IN FESTO PASCHÆ.

Surrexit, non eſt hic. Marc. 16. 6.

VEritas eſt indubitata in Theologiâ, quòd beatitudo animæ redundabit ſuper corpus poſt reſurrectionem, ſicut lumen quod illuminat ipſum cryſtallum, in quo incluſum eſt, ita ut corpus & anima futura ſint glorioſa, cùm ambo concurrerint ad comparandam ſibi iſtam gloriam. Ut autem ſciamus quomodo corpus futurum ſit glorioſum, & quamnam gloriam ſit poſſeſſurum, iſtud nos edocet Apoſtolus a, (a Philipp. 3, 20.) cùm ait, *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Unde cognoſcimus quòd corpora Beatorum poſt reſurrectionem donabuntur eâdem gloriâ, quâ præditum eſt Corpus Jeſu Chriſti, ut membra ſint conformia Capiti ſuo, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* b. (b Epheſ. 5, 30.) *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* c. (c Coloſſ. 1, 18.) Juxta id, quod ſcriptum eſt, *Quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* d. (d Rom. 8, 29.) Atqui Corpus Jeſu Chriſti præditum fuit quatuor dotibus poſt reſurrectionem ſuam; corpora verò Beatorum donabuntur iiſdem qualitatibus per redundantiam gloriæ animæ ſuæ, quæ tres ſpecioſas habebit dotes, quas vobis expoſiturus ſum, poſtquàm congratulatus fuero Virgini Deiparæ gloriam reſurrectionis Filii ſui, & dixero ei cum Eccleſiâ, *Regina cœli lætare.*

Velle vobis diſſerere de gloriâ animæ beatæ, quàm magna & eximia illa ſit, res eſt quæ vires meas prætergreditur; & vituperabilis eſſem eò quòd attentaviſſem impoſſibile, cùm S. Paulus, qui *raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* e; (e 2, Cor. 12, 4.) de gloriâ loquens, nihil amplius dicat niſi hæc verba, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* f. (f 1, Cor. 2, 9, ex Iſai. 64, 4.) Quare igitur præſumam loqui de hâc gloriâ, quam nunquam vidi? cùm ille qui eam vidit, & contemplatus eſt, non habuerit verba quibus illam exprimeret. Hoc tamen non impedit quin illius gloriæ aliquid poſſimus concipere ſecundùm quod Theologi de illâ locuti ſunt. Obſervandum eſt igitur, quòd quia gloria æterna datur in mercedem victoriæ, quam homo refert contra vitia interventu virtutum, *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus* g: (g Apoc. 3, 21.) adaptari poſſunt diverſa pretia gloriæ: atqui tres ſunt virtutes præcipuæ, quibus vitam meremur æternam, & quibus reſpondent mercedes gloriæ. Prima virtutum iſtarum principalium, quas Theologicas appellamus, eſt fides, cui reſpondet cognitio Dei cum plenâ viſione. Secunda eſt ſpes, cui convenit poſſeſſio cum firmâ ſecuritate. Tertia eſt charitas, cui conſonat oblectamentum cum fruitione. Si verò, juxta promiſſum meum, ſcire velitis quales ſint dotes corporis glorificati, cùm, juxta id quod jam dixi vobis, beatitudo animæ ſit redundatura ſuper corpus poſt reſurrectionem, Apoſtolus h id declarat, (h 1. Cor. 15, 42, &c.) *Seminatur in corruptione: ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: ſurget in gloriâ. Seminatur in infirmitate: ſurget in virtute. Seminatur corpus animale: ſurget corpus ſpiritale.* Obſervate autem, ſi placet, quòd S. Paulus appoſitè affert comparationes ſepelitionis, aut mortis, aut ſeminationis: ſicut enim granum aut ſemen primò projicitur in terram, deinde corrumpitur, poſteà verò germinat, & fructum facit, juxta id quod ait S. Joannes i, (i Joan. 12. 24. & 25.) *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert:* idem dicendum eſt de corpore humano: non enim poteſt priùs reſurgere ad vitam glorioſam, quin corruptum fuerit. Atqui Apoſtolus quatuor conſtituit dotes glorioſas in verbis ſupradictis. Prima eſt impaſſibilitas, ſecundùm quòd poſt Apoſtolum à Dionyſio Carthuſiano k explicantur iſtæ, æquè ac *ponuntur dotes corporum glorificandorum.* (k Dioni. Carth: art. 16 in 1. Cor. 15, 42, &c.) *Seminatur in corruptione, id eſt, corpus humanum concipitur, generatur, & more ſeminis ſub terrâ humatur corruptibile ſeu corruptum; ſurget in incorruptione, id eſt, in reſurrectione erit incorruptibile per dotem impaſſibilitatis.* Et hæc qualitas acquiritur per patientiam. Secunda eſt claritas, *Simili modo jam ſeminatur in ignobilitate, id eſt, vile atque obſcurum; ſurget in gloriâ, id eſt, reſurgendo recipiet claritatem, ut ſit glorioſum ac nobile.* Et hæc qualitas comparatur per continentiam. Tertia eſt agilitas, *Seminatur in infirmitate, id eſt, fragilitatem & infirmitatem ad motum habens: Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam* l. (l Sap. 9, 15.) *Surget in virtute, id eſt, ſurgendo habebit facillimam mobilitatem juxta animæ voluntatem, per dotem agilitatis.* Iſta verò qualitas acquiritur per diligentiam. Quarta eſt ſubtilitas, *Seminatur corpus animale, id eſt, groſſum, & alimoniis indigens, atque corporibus aliorum animalium ſimile. Surget ſpirituale corpus, id eſt, ſubtile, ac ſpiritui ſimile, quantùm ad aliquas proprietates, non tamen ita ſubtile ut exeat limites naturæ ſuæ. Erit enim palpabile atque viſibile, carnem habens & oſſa, ſicut & Chriſtus in ſemetipſo oſtendiſſe ſcribitur* m. (m ex Luc. 24, 39.) Et iſta acquiritur per abſtinentiam. *Hæ ergo ſunt quatuor dotes corporum beatorum, quæ erunt in corporibus quodammodo ex redundantiâ animæ ad corpus, ſicut in Epiſtolâ ad Dioſcorum tangit Auguſtinus. Ex hoc enim quòd anima fruitivè Deo unitur, quatuor bona conſequitur, videlicet internæ lucis ſplendidiſſimam claritatem, & ex hoc redundat in corpus claritas glorioſa,*

tantò abundantior, quantò major eſt gloria animæ.
n exMat. 13, 43. *Fulgebunt enim Iuſti ſicut Sol* n. *Secundò, Conſequitur anima omnium deſiderium ſuorum plenam quietationem.* *Ex quo redundat in corpus agilitas, ſeu mobilitatis velocitas. Iam enim corpus infirmum eſt, quoniam deſiderio animæ ſatisfacere nequit in executione motus & operationis, tunc verò movebitur juxta deſiderium ac imperium animæ, non tamen in inſtanti. Propterea ſcriptum eſt, Fulgebunt Iuſti, & tan-*
o Sap. 3, 7. *quam ſcintilla in arundineto diſcurrent* o. *Tertiò, Conſequitur anima omnis mali remotionem, & ex hoc redundat in corpus impaſſibilitas. Quartò, Conſequitur anima maximam deiformitatem, juxta illud Ioan-*
p ex 1, Joan: 3, 2. *nis* p, *Similes ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Et ex hoc redundat in corpus ſpiritualitas, ſeu ſubtilitas.*

Omnes iſtæ qualitates fuerunt, & ſunt in Corpore Jeſu Chriſti, & erunt in corporibus noſtris glorificatis, licèt diverſimodè: Jeſus Chriſtus enim per potentiam Divinitatis ſuæ, illis uſus eſt ante mortem, & reſurrectionem ſuam, ut cùm exivit ex utero B. Matris ſuæ, illæſo virginitatis
q Matth. 1, 25. ejus ſigillo q: nos autem illis fruemur tantùm poſt reſurrectionem noſtram. Ratio autem hujus differentiæ eſt, quia anima Jeſu Chriſti, quandiu ipſe viator erat in hoc mundo, in carne mortali *in*
r Baruch 3, 38. *terris viſus, & cum hominibus converſatus* r, erat glorioſa, & fruebatur Deo ratione unionis hypoſtaticæ factæ in perſonâ Filii Dei in inſtanti conceptionis ipſius; ideò gloria animæ poterat & debebat redundare in corpus: ſi autem non redundavit, hoc Divinâ actum eſt diſpenſatione, ut poſſet operari Jeſus Chriſtus in corpore ſuo myſterium redemptionis noſtræ, patiens & moriens
s Joan: c. 18, & 19. pro nobis s: etiamſi manifeſtaverit has glorioſas qualitates in vitâ ſuâ, ut teſtimonium perhiberet potentiæ & Divinitatis ſuæ, ut cùm *aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos: & reſplenduit facies ejus ſicut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt al-*
t Matth 17, 1, & 2. *ba ſicut nix* t. Sicut ait Dionyſius Carthuſianus u, dicens, *Secundùm Hugonem, Chriſtus an-*
u Dion: Carth art. 30, in Matth, 17, 2. *te paſſionem ſucceſſive ſeu diverſis temporibus aſſumpſit quatuor corporis dotes, videlicet, ſubtilitatem in nativitate egrediendo de clauſo dulciſſimæ Virginis utero* x: *agilitatem, ambulando ſuper a-*
x ex Luc: 2, 7. *quarum fluenta* y: *Claritatem in transfiguratione: Impaſſibilitatem in conſecratione ſeu porrectione Cor-*
y ex Joan: 6, 19. *poris ſui in cœnâ* z. Videbimus igitur Primò potentiam reſurrectionis Jeſu Chriſti. Secundò,
z ex Mat. 26, 26. Sicut iſta reſurrectio eſt cauſa reſurrectionis noſtræ, intuebimur dotes animæ glorioſæ. Ter-
Diviſio. tiò, Glorificati corporis qualitates inſpiciemus.

I. Pars. Potentia Jeſu Chriſti manifeſtatur in hoc, quòd ipſe ſemetipſum ſuſcitet propriâ virtute, *Surrexit enim propriâ poteſtate*, ait Dionyſius
a Dion: Carth: art 45. in Matth. 28. 6. Carthuſianus a poſt S. Matthæum. Reſurrectio eſt opus, quod exigit virtutem infinitam, quam ſolus habet Deus qui *non habet finem* b. Circa eam non poteſt aliquid natura, & om-
b Baruch 3, 25. nes vires ejus producendo tali effectui ſunt impares, *A privatione ad habitum non datur regreſſus.* Salvator igitur hic ſuam manifeſtat virtutem infinitam & potentiam Divinam: hic Dominum ſeſe exhibet intuendum, & oſtendit ſe habere
c Pſ. 67, 21. poteſtatem ſuper vitam, & ſuper mortem, *Deus*
d Incog-nit in Pſ. 67, 21. *noſter, Deus ſalvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis* c. Propterea ait Incognitus d, *Hoc de Chriſto exponitur, ut per exitum mortis intelligas, Chriſtum exiiſſe à morte per reſurrectionem. Eſt ergo ſenſus, Deus noſter, Deus ſalvos faciendi. Id eſt, Deus ſalvat nos. Quia Chriſtus à morte per reſurrectionem exivit, & nobis ſimiliter exitum paravit. Et hoc eſt, quod dicit, Et Domini Domini exitus mortis. Sed fortè dices. Quare hic duplicat hoc nomen Domini Domini? Videtur enim quadam nugatio. Sciendum ergo, quòd in Hebræo hic loco Domini Domini, habentur duo nomina ſcilicet Tetragammaton, Adonai. Tetragammatum autem idem ſignificat ſimpliciter quod Deus. Adonai autem idem quod Dominus. Et pro iſtis duobus nominibus, hic dicitur Domini Domini, id eſt, Domini Dei, Domini ſcilicet, qui eſt Deus, ſcilicet Chriſtus.* I-
deò Eccleſia poſt Evangeliſtam e vocat illum in e Luc. 24, 34.
hâc occaſione Dominum, *Surrexit Dominus verè.* Quippe qui ſemetipſum ſuſcitaverit. Alii non ſuſcitant ſemetipſos, ſed reſuſcitantur. Obſervate autem, quòd licet inveniamus in Scripturâ, quòd alias viventes ſuſcitaverunt mortuos, ut cùm *ejectis omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & converſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge: at illa aperuit*
oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit f. Quòd mortui f Act. 9, 40.
ſuſcitaverunt mortuos, ſicut quando *quidam ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei. Quod cùm tetigiſſet*
oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos g. g 4. Reg. 13, 21.
Sed nunquam invenimus quòd mortuus ſemetipſum ſuſcitaverit: atqui Jeſus Chriſtus vivens ſuſcitavit amicum ſuum Lazarum, quando *voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus* h. Ipſe mortuus ſuſcitavit alios
mortuos, *Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt* i. Tandem, Mortuus ſeipſum h Joan. 11, 43, & 44.
ſuſcitavit, ut ipſe prædixerat, *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterùm ſu-* i Matth. 27. 52.
mendi eam k. Id eſt, *In reſurrectione reaſſociando* k Joan. 10, 18.
eam cum corpore. Hæc poteſtas competit Chriſto ſecundùm naturam Divinam. Ipſe enim ut Deus, ſuſcitavit ſeipſum à morte ut hominem, ait Dionyſius Carthuſianus l. In hoc ergo manifeſtatur ejus potentia abſoluta. l Dion. Carth. art 26 in Joan. 10. 18.

Hæc autem Reſurrectio eſt tantæ poteſtatis ut ſit cauſa reſurrectionis noſtræ, & in hac vitâ, & in alterâ. Reſurrectio quæ fit noſtrûm in hâc vitâ, conſiſtit in noſtrâ juſtificatione, *Reſurrexit propter*
juſtificationem noſtram m. Et *hæc* dicitur, & *eſt re-* m Rom. 4, 25.
ſurrectio prima n. Ut exponit idem Carthuſianus o n Apoc. 20, 6.
poſt aliquos, dicens, *Quidam per primam reſurrectionem, intelligunt reſurrectionem ſpiritualem: quâ homo per Baptiſmum, & Pœnitentiam reſurgit à morte culpæ, prout monet Apoſtolus* p, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Reſurrectio quæ fiet noſtrûm o Dion. Carth. art 21, in Apoc. 20 6.
tempore futuro, eſt reſurrectio corporum noſtrorum, & iſta vocatur reſurrectio ſecunda; & ad p Epheſ. 5. 14.
hanc nemo perveniet glorioſam, niſi tranſiverit prius per primam. Ad peragendam primam reſurrectionem, quæ eſt juſtificatio, duæ requiruntur res, abſolutio pœnæ, & collatio gratiæ. Ad faciendam ſecundam reſurrectionem tres exiguntur res, ablatio culpæ, collatio gratiæ, & privatio univerſæ miſeriæ. Atqui Reſurrectio Jeſu Chriſti eſt tantæ poteſtatis ut cauſa ſit efficiens duplicis iſtius reſurrectionis. Sub finem mundi, ſecundam peraget reſurrectionem, quæ erit corporum, *Quoniam quidem per hominem mors* q: *& per* q ex Gen. 3, 4.
hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes vivificabun- r 1 Cor 15 21, & 22.
tur r. Id eſt, *in reſurrectione futurâ, & vitam gloriæ conſequentur omnes Electi: imò meritum Chriſti omnino in ſe ſufficiens eſt ut omnes ſimpliciter per ipſum beatam reſurrectionem ſortiantur*, ait idem Carthuſianus s. Atqui Jeſus Chriſtus diebus s Dion. Carth: art 15 in 1. Cor 15, 22.

lingu-

ſingulis elaborat primam reſurrectionem, per quam peccator reſurgit à peccato ad gratiam, ut fusè docet idem Carthuſianus *t* poſt eundem Apoſtolum, *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram, hoc eſt, ut virtute ſua Reſurrectionis gratiam juſtificantem nobis conferret, & ſua corporalis reſurrectionis exemplo, nos ad ſpiritualem reſurrectionem induceret, quatenus tandem etiam corporaliter, feliciterque reſuſcitemur ab ipſo, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ* u. *Reſurrexit ergo propter juſtificationem noſtram, id eſt, ut juſtificemur gratiam recipiendo, & juſtè vivendo. Reſurrexit namque propter proprij Corporis glorificationem, & ſuæ humanitatis reaſſociationem, quantùm ad partium ejus redintegrationem.* Atqui oportet ut hæc reſurrectio noſtra ſit integra, ut, quemadmodum homo in ſecundâ reſurrectione ſuſcitabitur cum toto ſuo corpore, ſic oporteat ut in primâ reſurgat cum toto corde ſuo; ut, ut ſicut in ſecundâ non deerit aliquid perfectionis naturæ humanæ quod non ſit ſuſcitandum ad gloriam, ita oporteat ut in primâ non deſit aliquid in corde quod non ſuſcitetur ad Pœnitentiam. Atqui in corde quatuor ſunt potentiæ, intellectiva, memorativa, affectiva, & operativa. Aliqui tribuunt ſuam potentiam intellectivam Deo, memorativam peccato, affectivam mundo, & operativam diabolo. In his tres ſunt potentiæ mortuæ, & unica vivens, ideò non omnino reſurgunt. Suam quidem dant facultatem intellectivam Deo, credentes *quoniam unus eſt Deus: & dæmones credunt, & contremiſcunt* x. Memoriam ſuam præbent peccato, recordantes deliciarum ſuarum præteritarum, voluptatum ſuarum criminoſarum, in quibus ſibi adhuc complacent, & dicere poſſunt ut Judæi antiqui, *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia* y. Affectum ſuum mundo conſecrant, licèt Deus ipſis præcipiat per S. Joannem z, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Cujus præcepti duplicem ſtatim idem S. Joannes ſubdit rationem. Prima eſt, Quia amor mundi ſociari non poteſt amori Dei, *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Secunda eſt, Quoniam amor mundi eſt tranſitorius, *Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus.* Operationes ſuas dicant diabolo, cujus filij ſunt, cùm imitentur ejus opera, ut exprobrabat aliàs Dei Filius Judæis, *Vos facitis opera patris veſtri.* Opera autem diaboli ſunt homicidia, mendacia, *Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille, homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus* a. Invidia, ſuperbia, *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo* b. Hæ ſunt actiones ordinariæ filiorum diaboli, ſeu peccatorum. Ut autem homo omnino reſurgat, oportet ut Deo tribuat totum cor ſuum, & omne quod ab illo pendet, ut redigat *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* c, Ut ſit *memor nominis* d, Paſſionis, & beneficiorum ejus, memoriam ſuam ei conſecrando: ut illi dedicet affectum ſuum, diligens illum, *Quoniam Deus prior dilexit nos* e. Et operationem ſuam, cuſtodiens *Legem* f ejus, & ſatagens, *ut per bona opera certam vocationem & electionem* g *ſuam faciat.* Sicut enim *ſurrexit Dominus verè* h: ita peccator debet verè reſurgere à peccato, & vivere in gratiâ. Ut autem homo cognoſcatur verè vivere, duo dantur ſigna, nimirum ſenſus, & motus. Sed obſervate, quòd ſpiritus poteſt uniri corpori quantùm ad motum ſolum, ut quando ſpiritus ingreditur aliquod corpus, & eſt illius quaſi forma aſſiſtens, ſolum motũ ei tribuit; aliquando ſolum ſenſum, ſicut ait S. Auguſtinus *i*, malignos ſpiritus uniri igni infernali, non quòd ei motum tribuant, ſed ab eo ipſi ſenſum percipiant, cùm illo ardeant, *Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corpora, ſpiritus dæmonum, imò ſpiritus dæmones, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum junctura inſpirentur, & animalia fiant quæ conſtent ſpiritu & corpore: ſed miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Atqui nullum ex his corporibus eſt vivens. Spiritus aliquandò unitur corpori, & quantùm ad motum, & quantùm ad ſenſum, ut anima rationis corpori organizato, & tunc corpus iſtud eſt vivens. Tamen ſunt & corpora, quæ nec motum habent, nec ſenſum, ut lapis, qui non ſentit, nec ſemetipſo movetur. Si autem quis ſcire velit utrùm verè reſurrexerit, & an ſit vivens, conſideret num habeat in ſe motum, & ſenſum: ſunt enim aliqui qui habent ſenſum ſolum, id eſt, fidem, virtute cujus credunt Deum eſſe; ſed non habent motum, quia non feruntur ad bona opera, quales ſunt mali Chriſtiani, & illi non ſunt viventes, ſed mortui, *Fides ſine operibus mortua eſt* k. Alij ſunt qui non habent ſenſum, quia non ſanè ſentiunt de Deo, ut deceret, & tamen videntur habere motum, quia apparenter aliqua exercent opera bona, ſeu moraliter bonas faciunt actiones, ſicut Hæretici, iſti ſunt etiam mortui, licèt appareant viventes, & iſtis ſingulis exprobrari poteſt, *Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es* l. Id eſt, ut exponit Dionyſius Carthuſianus *m*, *Morte peccati, de quâ ait Salvator, Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos* n. *Spiritalis ſiquidem vita animæ eſt charitas, quam, qui mortaliter peccat, amittit, ſpiritaliterque moritur, nec aliquem actum Deo placentem ac meritorium operatur: ſed eſt velut turpe fœtidumque cadaver coram ſuperſanctiſſimo Deo.* Alij ſunt qui habent & ſenſum, & motum quantùm ad res bonas, quales ſunt veri Chriſtiani, & iſti ſunt verè reſuſcitati, & viventes, obſervantes id quod ait S. Paulus *o* ipſis, *Ut ſobriè, & juſtè, & piè in hoc ſeculo* vivant. *Sobriè*, quantum ad ſe ipſos. *Et juſtè*, quantùm ad proximum. *Et piè*, quantùm ad Deum. Alij ſunt ſceleſtiſſimi, & obſtinati, quorum eſt induratum *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* p ſtrictum, qui non habent fidem Dei, nec vitæ futuræ: & iſti ſunt ſimiles lapidibus, & ſtatuis, quæ non habent ſenſum, nec motum, *Simulachra Gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur* q, &c. Et iſti non poſſunt eſſe viventes, nec verè reſuſcitati, nec conſequenter frui dotibus animæ glorioſæ, de quibus eſt habendus modò ſermo.

II. Pars.

Incepturus loqui vobis de gloriâ animæ, dico, quòd prima merces eſt cognitio Dei cum clarâ viſione ejus, quæ reſpondet fidei hujus vitæ: ſicut enim homo per fidem humiliat intellectum

Ggg 3 ſuum

t Dion. Carth. art. 7, in Rom. 4, 25.
u ex Philipp. 3, 20.
x Jacob. 2, 19.
y Num. 11, 5.
z 1, Joan. 2, 15. & 17.
a Joan. 8, 41, & 44.
b Iſai. 14. 12, &c.
c 2, Cor. 10, 5.
d Pſ. 118, 55.
e 1, Joan. 4, 19.
f Pſ. 118, 55.
g 2, Petr. 1, 10.
h Luc 24 34.
i S. Aug. lib. 21, de Civit. Dei c, 10.
k Jacob. 2, 26.
l Apoc. 3, 1.
m Dion. Carth art 4. in Apoc. 3, 1.
n Matth. 8, 22.
o Tit. 2, 12.
p Job 41, 15.
q Pſ. 113, 12. &c.

ſuum ad credendum id, quod non videt, ſubjiciens eum authoritati Dei, & illi quod ipſe revelavit per Scripturas, juxta id quod ait Apoſtolus *r*, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*: expedit ut per meritum iſtius fidei clarè videat id, quod crediderat, nedum illud videret. Deus igitur dicet animæ beatæ, Credidiſti id, quod tibi propoſitum fuit ab Eccleſiâ, captivando intellectum tuum ad credendum id, quod non videbat: propterea æquum eſt, ut videas clarè eſſentiam meam, juxta id quod diximus ego, & Apoſtolus meus, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem* s, Et, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* t. Et in hâc viſione conſiſtit tota beatitudo animæ, ut ait S. Auguſtinus *n*, *Contemplatio quippe merces eſt fidei*. Atqui viſione ſuccedente fides ceſſat: in hoc enim ſita eſt natura fidei, ut credatur id, quod non videtur, *Eſt autem fides argumentum non apparentium* x. Et ideo per eundem S. Auguſtinum *y* *nos docet Deus, ut fides noſtra firma ſit in ipſo quandiu illum non videmus, credentes in eum quem non videmus, ut gaudeamus cùm viderimus, & fidei noſtræ ſuccedat ſpecies lucis ejus: ubi jam non nobis dicetur: Crede quod non vides, ſed, gaude, quia vides. Quia fides eſt rerum quæ non videntur.*

r 2. Cor. 10, 5.
s 1. Cor. 13, 2.
t Joan. 17, 3
u S Aug lib. 1, de Trinit. c. 8
x Hebr. 11, 1.
y S Aug. in Pſ. 91. in princip.

Anima beata videt etiam humanitatem Jeſu Chriſti, B. Virginem, & Sanctos. Dicere autem quanta ſit beatitudo, quam ſuſcipit hæc anima ex iſtâ viſione, hoc eſt impoſſibile, & diſcurſus noſtros prætergreditur. Aliquam tamen illius habere poſſumus notitiam per creaturas, quas intueri debemus in triplici ſtatu, ſcilicet creaturæ corporalis, rationalis, & ſpiritualis. Creatura corporalis eſt veluti ſcala multos habens gradus, per quos aſcendimus ad Deum, interventu conſiderationis elementorum, & cœlorum: ſi enim conſideremus terram, deinde mare pulchrius terrâ, poſtea aërem nobiliorem his duobus elementis, inſuper ignem perfectiſſimum omnium; & tandem cœlos, ſemper deprehenderis pulchritudines perfectiores, aſcendendo ad Empyreum uſque. Quantùm ad creaturam rationalem, perpendite quòd unica anima ſpecioſior eſt omnibus creaturis corporeis, & innumeris nobilior mundis: propterea Dei Filius dicebat, *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſua* †? Ratio iſtius eſt, quia anima præ ſe fert imaginem Dei, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* z. Unde oritur ut, ſi homo eſſet Rex totius orbis, omnium elementorum, hominum, & Angelorum, nunquam tamen eſſet contentus, cum ſolus Deus replere poſſit *in bonis deſiderium* a ejus: & in hoc ſita eſt pulchritudo animæ. Cùm igitur in paradiſo innumeræ ſint animæ beatæ pulchritudine differentes, judicate quantus futurus ſit ſplendor animæ beatiſſimæ, cùm dicat Iſaias *b*, *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum*. Super quod Cornelius *c* dicit, *Myſticè, author apud S. Auguſtinum quæſt. 105. In cœlo, ait, fulgebunt ut Sol Iuſti* d, *maximè qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum* e. *Hi enim utpote in juſtitiâ & ſanctitate* f *illuſtres, rectè Soli & Lunæ comparantur, quia in cœlo cæteris ſeptuplo clariores ſunt futuri: ſimiles enim erunt Chriſto* g, *ut meritò reſurrectio eorum Soli ac Lunæ conferatur, cæterorum verò ſtellis* h. Intellectus noſter non poteſt ipſum concipere, memoria noſtra caligine obducitur, omnes ſenſus noſtri decipiunt nos, nec nobis verba ſuppetunt quibus hunc ſtatum beatitudinis explicare poſſumus. Si è creaturâ rationali tranſeamus ad intellectualem, quæ eſt Angelus, ibi tria poſſumus intueri, pulchritudinem, multitudinem, & diſtinctionem. Quantùm ad pulchritudinem, minimus Angelus paradiſi pluries ſpecioſior eſt quâlibet animâ, quam creavit Deus, loquor de pulchritudine naturali. Quoad multitudinem, numerus illorum eſt ferè infinitus, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei* i. Quoad id quod ſpectat ad eorum diſtinctionem, S. Thomas k ait, quòd *omnes Angeli differunt ſpecie ſecundùm diverſos gradus naturæ intellectualis*. Sic unus Angelus eſt ſpecioſior altero, & ſic de cœteris uſque ad Seraphinos. Conſiderantibus igitur nobis primò terram, deinde aquam, poſteà aërem, inſuper ignem, & conſequenter cœlos, ſtellas, animas, & Angelos, quot mirabilia occurrunt inſpicienda. Sed quàm ſpecioſus eſt Deus præ illis omnibus, quæ creavit. Sic eſt eximia pulchritudo ejus, ut nullam admittat comparationem: ſed ex his omnibus pulchritudinibus collectis inferre poſſumus quantus ſit ſplendor hujus domicilij gloriæ, & quânam beatitudine donabuntur illius incolæ. Quanto cumulabuntur gaudio, cùm videbunt Deum per eſſentiam. Quàm ritè tunc Deo dicere poterunt id, quod Salomoni *Regina Saba dixit, Major eſt ſapientia tua, & opera tua, quàm rumor quem audivi* l. Si verò cùm *aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos; & reſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix; Petrus dixit ad Ieſum, Domine, bonum eſt nos hic eſſe* m: quanta dulcedine afficiet animas beatas ipſa gloriæ realitas, cùm vel illius ſpecimen aut umbra tanto gaudio perfunderet Apoſtolum iſtum adhuc viatorem. Poſſumus igitur ex creaturis pervenire in aliquam notitiam infinitæ pulchritudinis Dei, *Invisibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas* n. Cognoſcimus enim bonitatem opificis ex bonitate operum ejus, cùm ideæ ſint perfectiores in mente illius, quàm appareant in ſubjecto materiali, circa quod operatur, & ſuam exercet actionem.

† Matth. 16, 27.
z Gen. 9, 6.
a Pſ. 102, 5.
b Iſai. 30, 26.
c Cornel. in Iſai. 30, 26.
d ex Matth. 13, 43.
e ex Matth. 19. 27.
f ex Luc. 1. 75.
g ex 1. Joan. 3. 2.
h ex 1. Cor. 15, 41, & 42.
i Dan. 7, 10.
k S. Thomas. 1. p. q. 50. a. 4 in reſp. ad 1.
l 3. Reg. 10, 1. &c.
m Matth. 17, 1. &c.
n Rom. 1, 20.

Aliqua nobis exhibet adhuc Scriptura loca, quæ oſtendunt atque innuunt quanta debeat eſſe ſatisfactio quæ percipitur ex viſione Dei. Si enim *Moyſes* tanto perfuſus eſt oblectamento, audiens vocem Dei, cùm *aſcendit ad Deum, vocavitque eum Dominus de monte, & ait* o, &c. Etiamſi ille qui ipſum alloquebatur, eſſet Angelus repræſentans Deum, *Hic eſt Moyſes, qui fuit in Eccleſiâ in ſolitudine, cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sinâ* p: quantâ ſatisfactione cumulabitur anima videns Deum per eſſentiam. Aliàs, *Dixit Moyſes ad Dominum, Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam.* Sed hunc favorem non eſt conſecutus: hoc enim ſuſcepit reſponſum, *Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris* q. Id eſt, in præſenti vitâ: *Non enim videbit me homo, & vivet*. Ut diſcamus quòd in viſione Dei conſiſtat gloria animæ beatæ. Ideò poſtquàm denuò Moyſes Deo *ait*,

o Exod. 19. 3. &c.
p Act. 7. 37. & 38.
q Exod. 33. 20. &c.

Oſtende

Oſtende mihi gloriam tuam : *reſpondit* ei Deus, *Ego oſtendam omne Bonum tibi*. Cùm videndo faciem Dei videatur totum Bonum, & Jeſus Chriſtus, *Hac eſt autem vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* r. [r Joan. 17. 3.] Obſervate autem, quòd Eſſentia Divina videbitur quidem à Beatis tota, ſed non totaliter, quia *non habet finem* s. [s Baruch. 3, 25.] Videbitur diſtinctiùs ab uno Beato, quàm ab alio : & hic defectus non orietur ex objecto quod eſt Deus, qui *idem ipſe* t eſt, [t Pſ. 101, 29. & Hebr. 1, 12.] ſed è potentiâ illius qui ipſum intuebitur, cùm una futura ſit aliâ perfectior, *lumine* u gloriæ interveniente; [u Pſ. 35, 10.] ſicut objectum aliquod ab uno videtur diſtinctiùs quàm ab alio, juxta quod pupilla eſt meliùs diſpoſita ad ſuſcipiendas ejuſdem objecti ſpecies. Atqui obſervandum eſt, quòd aliquid poteſt cognoſci tripliciter. Aut quia eſt. Aut quomodo eſt. Aut id quod eſt. Primo modo cognoſcitur Deus in hâc vitâ à malis, ſecundùm id quod modò dicebat Apoſtolus, *Inviſibilia enim ipſius*, &c. Secundo modo videbitur in cœlo à Bonis, *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt* x. [x 1. Joan. 3, 2.] Tertio modo non videbitur à malis, nec à Bonis, quia *non habet finem*. Finitus autem comprehendere non poteſt infinitum. Videbimus etiam Deum in ipſo, & in nobis, & nos in Deo, & Deum in creaturis, & creaturas in Deo per duplicem cognitionem, quam vocant Theologi matutinam, & veſpertinam poſt S. Auguſtinum y ſic loquentem de Angelis : [y S. Aug. lib. 11. de Civit. Dei. c. 29.] *Sciunt ibi tanquam in cognitione divinâ, in ſeipſis autem tanquam in veſpertina*. Videntes enim Deum, videbimus omnia : cùm enim ideæ omnium rerum ſint in Deo, non poterit videri Deus, quin omnia in illo videantur. Anima ſeparata triplicem poteſt habere notitiam creaturarum. Prima eſt per ſpecies acquiſitas, ſi earum ſibi ſcientiam comparavit, dum eſſet in viâ. Secunda eſt per ſpecies infuſas. Tertia eſt per cognitionem in Verbo. Sicut autem tria dantur ſponſæ, dos, donatio propter nuptias, & bona paraphernalia ; ita animæ beatæ tres prædictæ dantur notitiæ.

Secunda dos gloriæ æternæ eſt ſecura Dei fruitio, quæ reſpondet ſpei : quia enim homo ſperat in hac vitâ ſe conſecuturum in alterâ id, quod non habet, dicens Deo, *Adveniat Regnum tuum* z : [z Matth. 6, 10.] ideò tunc conſequitur id, quod ſperabat, & tunc ſpes deficit. S. Auguſtinus a autem hic hortatur nos, [a S. Aug. in Pſ. 91. in princip.] *Spes etiam noſtra immutabilis ſit, & figatur in illo, & non nutet & fluctuet, non agitetur, ſicut ipſe Deus, in quo figitur, non poteſt agitari* b : [b ex Hebr. 1, 11.] *ſpes enim quæ modò vocatur, tunc non ſpes, ſed res erit. Tandiu enim vocatur ſpes, quandiu non videtur quod ſperatur, dicente Apoſtolo* c : [c Rom. 8, 24.] *Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes : quod enim videt quis, quid ſperat* ? Anima igitur comprehendit Deum, non tali comprehenſione ut includat Deum in ſe : hoc enim eſt impoſſibile intellectui creato, *Non quia Dei plenitudinem quiſquam non ſolùm oculis corporis, ſed vel ipsâ mente aliquando comprehendit. Aliud eſt enim videre, aliud eſt totum videndo comprehendere, quandoquidem id videtur quod præſens utcumque ſentitur : totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumſpici poſſunt*, ait S. Auguſtinus d. [d S. Aug. Epiſt. 112, ad Paulinam de videndo Deo. c. 8, & 9.] Sed quia Deus *non habet finem* e : [e Baruch, 3, 25.] anima illum tantùm ſic comprehendit, ut ab eo ſe reddat inſeparabilem, *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam* f. [f Cant. 3, 4.] Et hoc eſt quod innuere vult S. Paulus g, cùm ait, *Sic currite ut comprehendatis*. [g 1. Cor. 9. 24.]

Tertia dos glorioſa animæ beatæ eſt oblectamentum, quod percipitur è cognitione Dei, & reſpondet charitati : atqui in cœlo *Charitas nunquam excidit*, ait Apoſtolus h. [h 1. Cor. 13. 8.] Et S. Auguſtinus i poſt illum, [i S. Aug. in Pſ. 91. in princip.] *Charitas autem non novit niſi creſcere magis magiſque. Si enim amamus quem non videmus, quomodo amaturi ſumus cùm videbimus* ? Quanta autem ſit delectatio quam percipit anima ex fruitione Dei, mentes noſtræ non poſſunt hoc concipere, tantum abeſt ut linguæ noſtræ illud exprimant. Aliquam illius habere poſſumus ac deſumere notitiam ex oblectamento quod capeſſimus in creaturis : quamnam enim ſatisfactionem non ſuſcipit avarus ex divitijs ſuis ? cùm ad eas acquirendas amittat quietem ſuam, corpus ſuum, & animam ſuam ; &, quod pejus eſt, poſtponat Creatorem ſuum divitiis : conſiderare deberet ; quòd, ſi tantam capit ſatisfactionem in bonis caducis hujus mundi, quæ communia ſunt Bonis & malis, quanta erit ſatisfactio quæ ſuſcipietur è Deo Creatore divitiarum, & omnium rerum. Idem dico de impudico, & de ambitioſo, alioquin homo amittit Creatorem, & creaturas, iſtis malè utens, *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium* k. [k Sap. 14, 11.]

Magnitudinem voluptatis, quæ percipitur ex fruitione Dei, declarat etiam Scriptura, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine* l! [l Pſ. 30, 20.] *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* m. [m Pſ. 45, 5.] *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen* n. [n Pſ. 35, 9. & 10.] Hâc dulcedine inebriati anticipatione quâdam Sancti, omnia deſerebant, poſſeſſiones, amicos, propinquos, corpus, exponentes ſe omni generi ſuppliciorum, ut talem ſibi gloriam conciliarent : ſic Eccleſia concinit de S. Stephano, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*. De quo Scriptura † narrat, [† Act. 7. 55. & 56.] quòd *intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei : & ait, Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*. Intuitus gloriæ iſtius facit ut mors contemnatur, & omnia in diſcrimen adducant Sancti, ut eam ſibi concilient.

[III. Pars.] Viſis dotibus animæ glorioſæ, videndæ ſuperſunt dotes corporis glorificati. Quarum prima eſt impaſſibilitas : erunt enim immortalia ſicut *Chriſtus*, qui *reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* o. [o Rom. 6, 9.] Ratio iſtius triplex eſt, Legalis, Theologica, & Phyſica. Prima, Legalis fert, ut qui ſemel ſoluit, bis ſoluere non teneatur, *Bona fides non patitur ut ſemel exactum, iterùm exigatur*. Atqui unuſquiſque eſt debitor mortis * *Per peccatum mors*. [* Rom. 5. 12.] Ille igitur qui ſemel mortuus eſt, non eſt ampliùs morti obnoxius. Secunda, ſeu Theologica eſt, ut aſſimilemur Jeſu Chriſto ſuſcitato, qui *reſurgens ex mortuis, jam non moritur*. Et, *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ* p. [p Philipp. 3, 10.] Tertia, ſeu Phyſica eſt, quòd cùm cœlum motu ſuo ſit cauſa corruptionis & generationis, hoc motu tunc ceſſante (*Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu tranſient* q) [q 2. Petr. 3, 10.] non erit ampliùs corruptio, nec generatio, quia *ſublatâ cauſâ tollitur effectus*. Ideò *præcipitabit mortem in ſempiternum*

num Dominus r. *Et mors ultrà non erit* ſ. Et ſicut mori non poterunt, ita nec pati; idcircò erunt impaſſibiles Electi. Hâc uſus eſt Jeſus impaſſibilitatis dote ante Paſſionem ſuam: nunquam enim mori potuit, niſi quando voluit, cùm quater mortis periculo fuerit expoſitus. Primò, cùm ipſum quærebat *Herodes puerum ad perdendum eum, & ſeceſſit in Ægyptum* t Joſeph, ipſum illuc deducens. Secundò, cùm Judæi *repleti ſunt omnes in ſynagogâ, irâ, & ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem; & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata; ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat* u. Tertiò, cùm bis illum lapidare voluerunt Judæi, Primâ vice, cùm *dixit eis Ieſus, Amen amen dico vobis, Antequàm Abraham fieret, ego ſum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo* x. Secundâ vice, cùm dixit, *Ego & Pater unum ſumus. Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent eum* y. Quartò, cùm illum veneno perimere quæſiverunt, quod Jeremias z prædixerat, *Mittamus lignum in panem ejus.* Super quod Cornelius a ait, *Chaldæus, S. Thomas, Pagninus, & Vatablus vertunt (Corrumpamus panem ejus ligno) ſcilicet venenato & mortifero. Quaſi dicat: Toxico & ligno venenato infiiciamus panem & cibum, & ſic veneno eum perimamus. Unde per lignum hoc, accipiunt taxum, cujus lignum, folia, baccas, & flores lethalia eſſe. docent Theophraſtus, Plinius lib. 16. c. 10. Dioſcorides, Galenus, & alij, adeò, ait Plinius, ut qui obdormiunt ſub eâ, moriantur.* Sed Jeſus Chriſtus mori noluit niſi in Cruce, quam elegerat ut inſtrumentum ſalutis noſtræ, ideò ait, *Animam meam nemo tollit à me: ſed ego pono eam à meipſo: poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterùm ſumendi eam* b. Hanc autem dotem impaſſibilitatis meremur per patientiam, *Patientia vobis neceſſaria eſt ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem* c.

r Iſai. 25, 8.
ſ Apoc. 21, 4.
t Matth. 2, 13 & 14.
u Luc. 4, 29 & 30.
x Joan. 8, 58. & 59.
y Joan. 10, 30 & 31.
z Jer. 11, 19.
a Cornel. in Jer. 11, 19.
b Joan. 10, 17. & 18.
c Hebr. 10, 36.

Secunda dos eſt claritas. Videmus quàm vile ſit cadaver hominis mortui: licèt enim iſte Princeps fuerit, confeſtim unuſquiſque ipſum deſerit; & quanvis corpus ipſius ſepeliatur in tumulo marmoreo, non eſt aliquid quod impediat quin *ſubter* ipſum *ſternatur tinea, & operimentum ejus ſint vermes* d. Sed ſi reſurgat aliquando inter corpora Electorum, ſplendore lucebit mirificio, *Iuſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum* e. Hâc uſus eſt Salvator in monte Thabor, ubi *transfiguratus eſt, & reſplenduit facies ejus ſicut Sol* f. Nos autem iſtam obtinemus dotem per caſtitatem: ſicut enim hæc virtus facit hominem clarum in conſcientiâ ſuâ, & purum in corpore ſuo, *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate* g! ita corpus glorioſum donabitur hâc qualitate. E contrà impudici ſunt obſcuri in animabus & in corporibus ſuis, deſtituti claritate gratiæ, & ſic abominabiles ſunt hominibus, & Deo.

d Iſai. 14, 11.
e Matth. 13, 43.
f Matth. 17, 1, & 2.
g Sap. 4, 1.

Tertia dos eſt agilitas. Non latet vos, quòd corpus mortui ſit graviſſimum, cùm grave ſit adhuc vivens, ita ut vel robuſtiſſima corpora vix unam leucam intra unam horam poſſint cōficere: ſed poſt reſurrectionem corpus Electorum maximâ erit agilitate præditum. Agilitas equorum eſt magna, major avium, major etiam ſagittarum à brachio valido emiſſarum, imò verò major & Solis; ſed omnes agilitates iſtæ non poſſunt comparari agilitati corporis glorioſi, quod quaſi unico inſtanti ſeu breviſſimo motu pergit ab Oriente in Occidentem, quod mirum non eſt, quia etiam è Judæa Prophetam *Habacuc apprehendit Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylonem in impetu ſpiritus ſui. Et clamavit Habacuc, dicens, Daniel ſerve Dei, tolle prandium quod miſit tibi Deus. Porrò Angelus Domini reſtituit Habacuc confeſtim in loco ſuo* h. Licèt corpus iſtius Prophetæ eſſet grave. Quid igitur non poterit corpus glorioſum agile, & non ampliùs grave? Sic Apoſtoli circumquaque diſperſi, delati ſunt ad hoc ut intereſſent obitui B. Virginis Deiparæ. Hanc intuendam Jeſus Chriſtus exhibuit dotem, cùm *venit ad* diſcipulos ſuos *ambulans ſuper mare* i. Beati habebunt hanc dotem per diligentiâ ſpiritualem, ut Religioſi qui obſervaverint tria vota eſſentialia profeſſionis ſuæ; Eccleſiaſtici qui ſuo ritè perfuncti fuerint officio, & ſic de alijs. Sed pigri, hâc qualitate deſtituentur, maledictionibus obruti, *Maledictus qui facit opus Domini negligenter* k.

h Dan. 14, 35. &c.
i Matth. 14, 25.
k Jer. 48, 10 juxta verſion. l.

Quarta dos eſt ſubtilitas. Corpus glorioſum vocabitur Spirituale, *Surget corpus ſpiritale* l. Non quòd futurum ſit ſpiritus, ſed quia habebit qualitates ſpiritus, futurum ſubtile & penetrans. Aër eſt ſubtilis, qui omnia loca pervadit; lux eſt ſubtilior, quippe quæ penetret vitra, & linteamina tenuia, quæ ventus & aër non poſſunt pervadere; ſubtilior vox hominis, ſicut etiam ſonus cymbali, cùm iſtum, æquè ac illam audiamus in conclavibus noſtris, quorum janua & feneſtræ clauſæ fuerint: ſed corpus glorioſum omnium iſtorum eſt ſubtiliſſimum, cùm exire poſſit è ſepulchris clauſis ſine ullâ eorundem aperturâ, unde nec ventus, nec aër, nec lux, nec vox exire poſſunt. Hanc manifeſtavit Jeſus dotem poſt reſurrectionem ſuam, cùm ad diſcipulos ſuos *venit januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit, Pax vobis* m. Hanc obtinebunt Electi dotem per abſtinentiam, quæ intelligenda eſt non ſolùm de abſtinentiâ ciborum, ſed etiam omnium voluptatum illicitarum, aut licitarum: ſicut enim non ſolum os peccavit, ſed etiam peccaverunt omnes alij ſenſus exteriores & interiores, ſic debent & ipſi, æquè ac os abſtinentiæ vocare, oculus abſtinere à viſu, auris ab auditu, guſtus à cibis, tactus ab eo quod eſt ipſi prohibitum, odoratus ab odoribus ſuavibus olfaciendis: quid enim prodeſſet alicui jejunare; ſi iſtâ ſe ſineret abripi? Hæc abſtinentia ſimilis eſſet abſtinentiæ dæmonis, qui nihil comedit, cùm ſit ſpiritus, ſed *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* n. Id eſt, ad perdendum eum. *Attendite ne graventur corda veſtra in crapulâ, & ebrietate* o, ait vobis Dei Filius. Dicit, *corda,* non corpora: magis enim indigent corda cuſtodiri, quàm corpora, *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit* p. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* q. Satagamus habere has virtutes, ut habeamus has dotes in gloriâ.

l 1. Cor. 15, 44.
m Joan. 20, 26.
n 1. Petr. 5, 8.
o Luc. 21, 34.
p Prov. 4, 23.
q 1. Cor. 2, 14.

FERIA II. POST PASCHA.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24. 26. &c.

NUnquam cogito de gloriâ Sanctorum, quin ſtatim cauſam illius exquiram, & poſt diligentem ac exactam illius inquiſitionem, ut illam meliùs addiſcam, & illius majorem mihi comparem notitiam, eoſdem Sanctos alloquens, ab illis efflagito, per quos gradus ad hanc gloriam cœleſtem aſcenderint, & quibuſnam mediis ad hanc arcem inexpugnabilem pervenerint fœlicitatis Empyrei, ubi ſedent *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* a. Et confeſtim audio illos reſpondentes mihi, æquè ac dicentes Deo, *Tranſivimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium* b. Super quod Incognitus c ait ad propoſitum, *Volens Pſalmiſta oſtendere, quòd adverſa nos ad quietem, & conſolationem ducunt æternam: dicit, Tranſivimus, &c. Ubi nota, quòd hic per ignem ſignificatur adverſitas: ſed per aquam proſperitas, ſecundùm Gloſſam, quia ignis urit, & pœnam infert: & ſic ſignificat adverſitatem. Sed per aquam, quæ mollis eſt, & dulcis, ſignificatur proſperitas: quia aqua naturaliter habet corrumpere res exiſtentes in ipsâ. ſic & proſperitas homines corrumpit, & ad peccatum perducit. In cujus figuram, Aqua, id eſt, proſperitas, verſa eſt in ſanguinem: & piſces, qui erant in aquâ, mortui ſunt* d. *Eſt ergo ſenſus. Tranſivimus per ignem, & aquam. Per adverſa, in illis habendo patientiam. Per aquam, id eſt, per proſpera in illis habendo humilitatem. Et eduxiſti nos in refrigerium, id eſt, ſalutis æternæ. Et hoc eſt quod dicitur, Iuſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* e. Per labores & mortificationes Sancti pervenerunt ad Regnum cœlorum: & hæc via nobis eſt carpenda, ut membra conformentur Capiti Jeſu Chriſto, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* f. *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* g. De quo Capite noſtro ait Textus noſter, *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Non latet vos, quænam pertulerit diebus nuper elapſis tormenta ut mereretur gloriam Corporis ſui, & exaltationem Nominis ſui, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi Nomen quod eſt ſuper omne nomen* h. Et quomodo ſe miſerum effecerit *ubi venit plenitudo temporis* i, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* k in utero B. Virginis, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* l *Maria.*

a Iſai;43, 18.
b Pſ: 65, 12.
c Incognit. in Pſ. 65, 12.
d ex Exod. 7, 20. & 21.
e Sap: 4, 7.
f Coloſſ. 1, 18
g Epheſ: 5, 30.
h Philipp. 2, 8. & 9.
i Galat: 4. 4
k Philipp: 2, 7.
l Luc. 1, 28. &c.

Magnus Imperatoris Trajani Magiſter *Plutarchus, Chæronenſis Philoſophus (nam Trajano libros Apophtegmaton dedicavit) vir eruditiſſimus, & multijugâ eruditione mirabilis ac fœcundus* m, cùm intereſſet alias ſolemni aliquorum conventui Philoſophorum, iſtam cum illis agitavit quæſtionem diſputantibus de magnitudine Alexandri Magni, utrùm ad illam magnam perveniſſet gloriam, & univerſum orbem ditioni ſuæ ſubjeciſſet Fortunâ ipſi favente, aut propriæ virtutis interventu. Aliqui opinati ſunt, quòd Fortuna præliata eſſet in favorem ejus, cùm & ipſi florentiſſimi quique populi, deditionem majeſtatis ejus ſubirent, ſolâ ducti famâ Alexandri: quippe qui videretur ut alter *Timotheus Athenienſis, qui acceptam à patre gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim diſertus, impiger, laborioſus, rei militaris peritus: & (quod ſuper omnia eſt) fortunatus Imperator habebatur. Huic ſtatua publicitùs in foro Athenis poſita eſt ob victoriam, quâ victis Lacedæmoniis, imperium Athenienſium auxit, & muros Athenarum extruxit. Poſt hujus obitum non fuit quiſquam ferè Athenis dignus memoriâ. Hujus geſta æmuli ut laudem ejus imminuerent, Fortunæ adſcribebant, circunferentes paſſim tabulas, in quibus ille pictus erat dormiens, adſtante interim Fortunâ, quæ civitates in retia ejus ageret. Quam rem ille ægre ferens, ſua illa eſſe dicebat, non Fortunæ opera* n. Quidquid de hoc ſit, dicebatur iſte Timotheus civitates dormiendo ſibi ſubjicere. Sed quare, (reſpondebant alii Philoſophi) detrahemus virtuti tanti Principis? Magnanimitas, quam præ ſe tulit in tot certaminibus ab ipſo initio; prudentia quam intuendam exhibuit in tot induſtriis & ſubtilitatibus militaribus, nunquid non aliquem ſplendorem obtinebunt, & aliquam ſibi vendicabunt partem inter trophæa & victorias ipſius? Sed Plutarchus opiniones illorum conciliaturus, concluſit illorum diſceptationes, ſocians Fortunam Virtuti, ut duobus iſtis fulcris Alexandrum ad ſupremum gloriæ apicem eveheret, Non eſt diffitendum (inquiens) quòd vehementer favit Alexandro Fortuna; hæc planas faciebat illi difficultates univerſas: ſed Virtus & Fortuna tantam pepigerunt in illo ſocietatem, ut, ſi illa præbat, iſta retulerit triumphos; ita ut attribuere debeamus gloriam Alexandri, & Fortunæ & Virtuti ſimul Principis ita fortunati, ut Calepinus o ejus encomia terminis iſtis pompaticis celebrat *Alexander, Nomen proprium Regis Macedonici, cujus clariſſima geſta & ab Hiſtoricis, & in ſacris Literis* p *traduntur. Hic longe omnium excellentiſſimus fuit, cui ex rebus actis & auctis, Magni inditum eſt nomen, ne vir unicam gloriam adeptus, ſine laude unquam nominaretur. Nam ſolus, à condito ævo, quantùm hominum memoria eſt, inexuperabili imperio orbis auctus, Fortunâ ſuâ major fuit, ſucceſſuſque ejus ampliſſimos & provocavit ut ſtrenuus & æquiparavit ut meritus. & ſuperavit ut melior, ſoluſque ſine æmulo clarus, adeò ut nemo audeat virtutem ejus ſperare, vel optare fortunam. Hæc Apuleius.*

m Calepinus in Diction. V. Plutarchus.
n Idem Ibid V. Timotheus.
o Idem Ibid. V. Alexander
p ex lib. 1. Machab.

Vidiſtis jam gloriam noſtri Alexandri Magni, id eſt, magnitudinem Domini noſtri Jeſu Chriſti glorioſè ſuſcitati à morte ad vitam: volo nunc quærere cauſam gloriæ ejus, & principium excellentiarũ illius. Reddiditne illum glorioſum bona fortuna, id eſt, favor Divinæ hypoſtaſis? aut meritum virtutis ejus tot eum coronavit prærogativis, & dominio ita ſupremo, ut dicere poſſit in reſurrectione ſuâ glorioſâ, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terrâ* q.

q Matth. 28, 18.

Digitized by Google

Id eſt, præſidendi & dominandi omnibus creaturis cæleſtibus atq; terreſtribus, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r. Qui ſtatim ait, *Per cælum itaque & terrã, tanquam per duo extrema, intelliguntur & omnia intermedia. Quàmvis autem hoc de Chriſto ſecundùm naturam Divinam aliquo modo queat intelligi, quoniã quidquid habet, & eſt, à Patre accepit, & ita à Patre ſuſcepit poteſtatem creandi, gubernandi, & præſidendi, tamen principaliter dictum videtur de ipſo ſecundùm naturam aſſumptam. Chriſto igitur quantùm ad ſuam humanitatem collatus eſt principatus, imperialiſque virtus ſuper omnia creata à primo ſuæ incarnationis inſtanti ratione unionis cum Verbo. Nam eo ipſo quo ſuæ humanitati datũ eſt eſſe unitum Verbo hypoſtaticâ unione, multò ampliùs datum eſt ei eſſe prælatum, & dominari univerſæ creaturæ. Porrò, Poteſtas iſta primò data eſt Chriſto homini quantùm ad authoritatem ab inſtanti conceptionis in Virgine: ex illo inſtanti cœpit ei dari etiam quantùm ad executionẽ & manifeſtationẽ paulatim & pedetentim, ſecundùm moderamen ac diſpenſationem præordinationis Divinæ: unde ſupernaturaliter de utero Matris egreſſus eſt, & multis miraculis fulſit in mundo antequã pateretur, Virtus quippe exivit de illo, & ſanans omnes s. Veruntamen quoniã primus Chriſti adventus erat quodammodo occultus, & in infirmitate juxta illud Iſaiæ, Verè tu es Deus abſcõditus t. Et rurſus, Dominus voluit eum conterere in infirmitate u: ideò dici ſolet quòd poſt reſurrectionẽ data eſt Chriſto omnis poteſtas hæc quantùm ad executionem, & manifeſtationem, quia tunc cœpit in univerſo mundo, imò in inferno, ac cælo maieſtas & dignitas Chriſti declarari, prædicari, ſeu magnificari. In finali verò judicio dabitur ei iſta poteſtas, quantùm ad pleniſſimam conſummationem, quando ad eum venient, confundentur, atque vincentur omnes qui repugnant ei x.* Iſta quæſtio eſt ſatis difficilis: videtur enim unio hypoſtatica jure hæreditatis conſtituens illũ Filiũ Dei, debere illũ inſignire omnibus titulis, & prærogativis, quibus fruitur in cœlo; & cũ nullus labor requiratur, ideò nec ullum meritũ exigitur alienũ ad conciliendã ei hanc gloriã, quippe quæ ad illũ pertineat jure hæreditatis, *Quòd ſi Filius, & hæres per Deũ y.* Et ſic bona fortuna videtur ei acquiſiviſſe magnitudines abſque ullo intuitu meritorum. Sed detrahere tot laboribus, virtutibus, & bonis operibus, & dicere quòd hæc omnia non meruerint nec acquiſiverint gloriã Redemptori, temeritas eſt, & impietas nimia. Magiſter Philoſophorũ Jeſus Chriſtus, qui eſt eſſẽtialis *Veritas* z, *verba vitæ æternæ* a habens, ſuos edocturus diſcipulos peregrinos noſtros, *dixit ad eos, Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuã?* Cùm ait, *In gloriam ſuam*, vocans gloriam ſuam, oſtendit quòd ea ad ipſum pertineat jure hæreditatis. Sed dicendo, *hæc oportuit pati*, hoc eſt allegare cauſam meritoriã. Illud favet primæ opinioni, quòd bona fortuna nativitatis ejus, & hypoſtaſis illius cumulet ipſum fœlicitate. Hoc verò favet ſecundæ, quæ intuetur merita. Utramque problematicè diſcutere intendo in duplici parte diſcurſus hujus, ſociando fortunam virtuti, & ex iis eruere principium capitale tot magnitudinum.

r Dion: Carth: art 45. in Matth. 28, 18.
s ex Luc: 6, 19.
t Iſai: 45, 15.
u ex Iſai: 53, 10.
x ex Iſai: 45, 24.
y Galat: 4, 7.
z Joan. 14. 6.
a Joan: 6, 68.
Diviſio.

S. Thomas b conſtituit fundamentũ, quod nobis eſt ſupponendũ antequàm priorẽ problematis noſtri partem aggrediamur probare, nimirum quòd Jeſus Chriſtus, quatenus homo, ſit Filius naturalis Dei, *Filio incarnato, adoptivã filiationem accepimus ad ſimilitudinem filiationis naturalis ejus.* Ratio iſtius eſt illa, quã reddit ipſemet Salvator, dicens, *Ego & Pater unum ſumus* c. Id eſt, conſubſtantiales. Hæc eſt differentia inter filios adoptivos & filios legitimos, quòd primi nõ habent niſi affectus & favores voluntarios, quos facit ipſis ille qui ipſos adoptat; alii verò habent aliquid interius ſubſtantiæ paternæ, & patrimoniũ paternum eſt illis jure naturæ acquiſitũ; in iſtos impendit aliquid magis pater quã affectus: ſolus enim affectus cordis non poteſt eſſe fundamentũ relationis paternæ: his ſuam pater communicat ſubſtantiã, & hoc attrahit affectus, & filiis conciliat legitimã jure naturæ bonorum paternorũ poſſeſſionẽ. Quòd Jeſus Chriſtus, quatenus Deus, ſit Filius legitimus Patris æterni, maniſeſtiſſimũ eſt, cùm procedat è ſubſtantiã & ex intellectu Patris, *Ex utero ante Luciferũ genui te* d. Super quod Incognitus e ait, *Quòd per uterum Dei ſignificatur Eſſentia Divina, in quã velut in utero, ab æterno omnia, quæ ex tempore erant fienda, concipiebantur, & in quâ ab æterno Electi prædeſtinabantur. Uterus enim in nobis ſignificat mentem noſtram, teſte Gregorio* f *dicente: Sciendũ verò eſt, quòd in ſacro Eloquio uteri nomine mens ſolùm intelligitur. Hinc enim per Salomonẽ* g *dicitur: Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris. Lux enim gratiæ quæ deſuper venit, ſpiraculum præſtat homini ad vitam, quæ videlicet lux omnia ſecreta ventris inveſtigare dicitur, quia occulta mentis penetrat, ut ea, quæ de ſeipſâ latebant animam, ante ejus oculos flenda reducat. Hinc Ieremias* h *ait, Ventrem meum doleo. Qui, ut ventrem ſuum quid dixiſſet oſtenderet, adjunxit: Senſus cordis mei turbati ſunt. Uteri itaque nomine rectè mens accipitur: quia ſicut proles in utero concipitur, ſic cogitatio in mente generatur. Et ſicut in ventre cibi, ita continentur in mente cogitationes. Si ergo in nobis per uterũ ſignatur mens noſtra, ſic & in Deo uterus Dei eſt mens Dei, id eſt, Divina Eſſentia. Dicit ergo Filio Pater: Ex utero genui te. Id eſt, ſecundùm Gloſſam, ex occultâ & ſecretâ ſubſtantiâ meâ genui te ineffabiliter. Et hoc, ante Luciferũ, id eſt, ante omnia tempora. Lucifer enim, quæ eſt emicans ſtella, quæ diẽ nunciat ſeculo, hic accipitur pro omnibus ſtellis, & ſideribus: per quæ ſidera, omnia tempora intelliguntur: quia in ſignis & in temporibus* i *poſita ſunt. Et eſt ſecundũ Gloſſam, Ante Luciferũ genui te, id eſt, ante omnẽ creaturã, & ante omnia tempora, & per conſequens ab æterno, cùm ante omnem creaturã nihil fuerit, niſi æternum.* Cùm Dei Filius ſit conſubſtantialis Patri ſuo æterno, habens eandem eſſentiã, eandem naturã, & eandẽ ſubſtantiã, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* k. *Id eſt, ipſius Patris, qui eſt ſubſtantia, ſeu Divina Eſſentia*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus †. Et ſtatim ait, *Dicit autẽ Apoſtolus, figura, quàmvis figura propriè locũ non habeat niſi in corporalibus rebus. Per figurã enim res maximè cognoſcitur, & in eã ſimilitudo attenditur unius cũ alio. Quoniã ergo Filius Patri per omnia ſimilis, imò ſimillimus eſt, non diſtinctus ab eo, niſi quia ab eo & Patrem repræſentat, eumque notificavit, in tantùm ut ipſe dixerit, qui videt me, videt & Patrem* l: *idcircò Filius appellatur Figura ſubſtantiæ Patris, in quo deſignatur conſubſtantialitas Patris & Filii. Filius equidem eſt imago naturalis & eſſentialis, non imitativa & artificialis Dei Patris, quemadmodum filius Regis eſt imago patris regnantis. In tali autem imagine invenitur natura ejus, cujus eſt imago. Cùm ergo Divina Eſſentia ſit ſimplex ac indiviſibilis, conſtat quòd eadem numero ſit in Patre ac Filio. Propter quod ait, Ego & Pater unum ſumus* m. *Et, Quæcumque habet Pater, mea ſunt* n. Quòd Jeſus Chriſtus, quatenus homo, ſit filius legitimus Dei, nemo eſt qui de hoc ambigat: eſt enim neſcio quid interius in humanitate ejus,

quod

I. Pars.
b S. Thõ: 3. p. q. 3. a. 5. ad 2.
c Joan: 10, 30.
d Pſ. 109, 3.
e Incognit. in Pſ. 109, 3.
f ex S. Greg: lib. 12. Mor. c. 28.
g Prov. 20, 27.
h Jer: 4. 19.
i ex Gen: 1, 14.
k Hebr. 1. 3
† Dion. Carth. art. 1. in Hebr. 1. 3.
l Joan. 14. 9.
m Joan. 10. 30.
n Joan. 16. 15.

quod ipſi acquirit titulum Filii, non ſolùm per communicationem idiomatum ratione hypoſtaſis, ſed etiam quòd habeat quandam formalitatem in ſuâ propriâ naturâ, quæ eſt fundamentum talis excellentiæ. Cùm dicimus, Jeſus Chriſtus eſt ſapiens, hoc non ſolû debet intelligi, prout Deus eſt: quis enim de hoc dubitat? ſed ſicut ſapientiſſimus eſt, hunc habet titulum non per ſolam communicationem ratione hypoſtaſis, ſed etiam quòd in animâ ſuâ formaliter habeat ſapientiam, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* o. Cui concordat Dionyſius Carthuſianus p, hæc verba S. Pauli explicans, *Chriſtus namque ſecundùm Divinitatem eſt ipſa æterna atque immenſa Sapientia, cujus non eſt numerus* q: *eſtque increata Scientia, cui convenit illud, O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei* r! *Secundùm humanitatem quoque aſſumptam, repletus eſt ſapientiâ in contemplatione Divinorum, & ſcientiâ in ſpeculatione creaturarum, præſertim cùm anima Chriſti præ univerſis Beatis Divinitatem ac Trinitatem ab exordio ſuæ creationis clariùs vidit, & omnia illa cognoſcit, quæ cognoſcit & Verbum, ſcientiâ viſionis, id eſt, cuncta quæ unquam fuerunt, ſunt, aut erunt.* Si dico, Jeſus Chriſtus eſt *Sanctus* s: hoc non ſolùm debet intelligi, quatenus Deus eſt: quis enim contrarium huic aſſerat? ſed dico, *Sanctus* eſt, prout homo, & *Sanctus ſanctorum* t. Eo quòd habeat ſanctitatem non ſolùm attributam per unionem Verbi, ſed etiam impreſſam animæ ſuæ per veram ſanctificationem: ſimiliter ſi dico quod ſit Filius Dei, intelligo quòd habeat neſcio quid interius & ſubſtantiale, prout homo, quod faciens ipſum frui Eſſe Divino, reddit ipſum legitimum Filium Dei. Humanitas Filii Dei nullam habet aliam ſubſiſtentiam, niſi ſubſiſtentiam Verbi: ſi ergo natura humana Jeſu Chriſti habet ſubſiſtentiam infinitam, communicare debet eſſe infinita, quia Deus *non habet finem* u. Subſiſtentia enim & eſſe in Divinis idem ſunt: ergo humanitas Jeſu Chriſti, quæ habet eandem ſubſiſtentiam, debet communicare Eſſe Divino, quod non poteſt fieri, quin Jeſus Chriſtus ſit legitimus Filius Perſonæ Divinæ. Re autem verâ B. Virgo non eſſet Mater Dei, ſi Filius, quem ipſa *peperit* x, non eſſet legitimus Filius Dei.

Ex hâc veritate, ut ex antecedente eruemus conſequentias neceſſarias ad roborandam priorem noſtram partem. *Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis*, ait Lex y. Et, *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*, dicit Philoſophia. Ergo Pater æternus qui dederat Jeſu Chriſto naturam, quæ illum reddebat verè & legitimè Filium Dei, debebat illi dare pro hæreditate univerſos theſauros gloriæ ſuæ, *Quem conſtituit hæredem univerſorum* z. Prout hominem, ut exponit Dionyſius Carthuſianus a, *Id eſt, poſſeſſorem ac Dominum omnium rerum creatarum, loquendo de Chriſto ſecundùm naturam aſſumptam. Sic enim conſtitutus eſt omnium Dominus. Nam eo ipſo quo Chriſti humanitas à Verbo aſſumpta eſt ad eſſe increatum, convenit ei, toti creaturæ præferri ac dominari. Propter quod ipſe ait, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terrâ* b. *Et iterùm, Pater diligit Filium* c, *& omnia dedit in manu ejus* †. *Hoc et in Pſalmis* d *cantatur, Poſtula à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Quatenus Deus enim nunquam conſtitutus eſt hæres, cùm ſit æqualis Patri, nec indiguerit aliâ hæreditate niſi fruitione ſui proprii eſſe ſummi & infiniti: nullum igitur aliud requirebatur in Jeſu Chriſto meritum ad conciliandam ſibi hanc gloriam,

o Coloſſ. 2, 3.
p Dion. Carth. art. 2, in Coloſſ. 2, 3
q ex Pſ. 146, 5.
r Rom. 11, 33.
s Marc 1, 24. & Luc. 4, 34
t Dan. 9, 24.
u Baruch 3, 25.
x Matth. 1, 21. & Luc. 2, 7.
y L. Cùm principal. de Diverſ. reg. juriſ. & cap. Acceſſoriû eod. tit. lib 6.
z Hebr. 1, 2.
a Dion. Carth. art. 5. in Hebr. 1, 2.
b Matth. 28, 18.
c Joan. 3, 35
† ex Joan. 13, 4.
d Pſ. 2, 8.

niſi bona fortuna naturæ ſuæ. Si Princeps deſponſet ſibi fœminam è depreſsâ progenie ortam, virtute iſtius Matrimonii evadit ipſa Principiſſa, & meretur ſortiti apparatum Principiſſæ congruum; non requiritur ut novis actionibus ſibi devinciat Principem ad lucrandos ipſius affectus, & ad acquirendam talem magnitudinem, habet ipſa jus titulorum, pomparum, & magnificentiarum ejus: ipſa eſt Principiſſa virtute Matrimonii, quod è duabus perſonis unicum conſtituit caput, *Caput autem mulieris, vir* e; eandem gloriam, eandem magnitudinem, *Et erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, et in Eccleſiâ* f. Natura Divina volens ſponſare ſibi naturam noſtram, elegit inter omnes creaturas humanitatem Jeſu Chriſti: non eſt niſi unicum ſuppoſitum, una caro, una perſona ex his duabus naturis unitis ſimul: nunquid non igitur rectæ rationi conſonum erat ut hæc humanitas donaretur tot prærogativis, titulis, gloriis, theſauris, & divitiis congruis qualitati talis perſonæ? Nulla eſt ergo habenda ratio meritorum: Jeſus Chriſtus virtute ſuæ naturæ debebat ex ipſo inſtanti conceptionis ſuæ potiri theſauris & gratiis ſupremi Principis; agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas, & claritas ſunt ſtipendia quæ erant debita Jeſu Chriſto; jus naturale Filii legitimi Dei, & unionis hypoſtaticæ, ratione cujus erat unica perſona cum Deo, omnes iſtas in ipſum congerebat excellentias: ſi autem iſtis non eſt fruitus ſuavitatibus, ideò quia ſuis propter ſalutem noſtram renunciavit juribus, *Anima autem Chriſti in primo inſtanti ſuæ creationis ac unionis cum Verbo erat verè ac fruitivè beata. Idcircò niſi ex Divina diſpenſationis moderamine retracta atque dilata fuiſſet redundantia beatitudinis animæ ejus in ſacratiſſimum corpus ipſius, omnes quatuor dotes corporis glorioſi fuiſſent in corpore Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti, ſed fuit diſpenſativè dilata*, ait Dionyſius Carthuſianus g. Sicut enim anima unita Verbo Divino, erat glorioſa; ita corpus conjunctum animæ glorioſæ, & Verbo æterno, debebat frui qualitatibus glorioſis jure naturæ Divinæ, ſed ab illis ſe diſpenſavit, ut noſtris ſubjacêret miſeriis. Iſtud eſt exemplum admirabile, ac ſuis renunciare juribus: quænam enim ditior prætentio, quàm potiri quatuor qualitatibus glorioſis corpori congruentibus, cum tantâ magnificentiâ, ut homines, & Angeli, imò & Deus ipſe in iſtis intuiti ſe fuiſſent excellentiis? & tamen Jeſus Chriſtus ſuis renunciavit juribus, ut evaderet *opprobrium hominum, & abjectio plebis* h. Tu verò, ſuperbe, intuitu exigui honoris mundani cuſtodiendi, vel aucupandi, innumera ſuſcitabis diſſidia, nedum velis in aliquo imaginariæ magnitudini tuæ renunciare, neque à tuis conſiliis ambitioſis te abdicare: ſatius enim exiſtimabis deſcendere potiùs in arenam, ſingulare certamen ineundo, & inimicum tuum gladio tuo transfigere, quàm conceptas in mente cogitationes ultionis de eo capeſſendæ deſerere.

Adorande Jeſu, cùm eſſes legitimus hæres gloriæ, nec ullo indigeres merito ad illam tibi conciliandam, quare ita te voluiſti humiliare, ut temetipſum exinaniveris ad pulverem uſque naturæ noſtræ, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* i? Cùm eſſes *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* k? Sanè

e 1. Cor. 11, 3.
f Epheſ. 5, 31, & 32 ex Gen. 2, 24.
g Dion. Carth. art. 40 in Matth. 17, 2.
h Pſ. 21, 7.
i Philipp. 2, 7.
k Sap. 7, 26.

Digitized by Google

non propter aliud ita te humiliaſti, æquè ac tantos labores, tantaque ſupplicia ſuſtinuiſti, niſi ut dilectionem tuam erga nos intuendam nobis exhiberes, humilitatem amplectendam nobis commendares, & à ſuperbiâ ſectandâ nos deterreres. [*l* S. Bern. ſerm. 54 in Cant.] Sed heu! exclamat S. Bernardus *l*, *Invenio me peſte ipſa infectum, quam in Angelo Dominus in tantùm exhorruit, quatenus propterea declinaret ab eo, cùm* [*m* ex Pſ. 124, 2.] *omnes in circuitu ejus montes* m *ſive de Angelis, ſive de hominibus viſitationis ſuæ gratia dignaretur: & pavens tremenſque aio ad memetipſum: Si ſic actum eſt cum Angelo, quid de me fiet terrâ & cinere n?* [*n* ex Eccli. 10, 9.] *ille in cœlo intumuit o; ego in ſterquilinio. Quis non* [*o* ex Iſai. 14, 12. &c.] *tolerabiliorem in divite ſuperbiam, quàm in paupere ducat? Væ mihi ſi tam durè in potente illo animadverſum eſt pro eo quòd elevatum eſt cor p illius; nec ei pro-* [*p* ex Ezech. 28, 17.] *fuit quæ ſignata potentibus ſuperbia eſſe cognoſcitur; quod de me exigendum miſero & ſuperbo. Denique jam luo pœnas, jam acerbiſſime vapulo. Non ſine causâ ab heri & nudiuſtertius invaſit me languor iſte animi & mentis hebetudo, inſolita quædam inertia ſpiritus.* [*q* ex Galat. 5, 7.] *Currebam bene q: ſed ecce lapis offenſionis in viâ: impegi, & corrui. Superbia inventa eſt in me: &* [*r* ex Pſ. 26, 9.] *Dominus declinavit in irâ à ſervo ſuo r. Hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & devotionis inopia, quam patior.* Ecce rationes, quæ ſpectant priorem partem problematis noſtri, quæ concludunt efficaciter, quod gloria, quam Jeſus Chriſtus poſſidet, erat ipſi debita ratione naturæ ſuæ.

[II. Pars.] Sed ecce Cauſidicus qui poſterioris partis causâ tuendam amplectens, Verum eſt (inquit mihi) quòd iſta gloria Jeſu Chriſto erat acquiſita jure hæreditatis; ab ipſo inſtanti conceptionis ſuæ cumulandus erat gloriâ, quâ nunc fruitur: ſed hæc excellentia naturalis non detrahit meritis actionum ejus virtuoſarum: diverſis poſſideri poteſt titulis idem bonum; & quod acquiſitum fuit jure naturali, magnanimitatis actibus denuò poteſt comparari. Davidem in Regem Iſraël un- [*s* 1. Reg. 16, 13.] xerat *Samuel in medio fratrum ejus s*, vivente adhuc Saule: hæc unctio erat acquiſitio naturalis Regnorum, quia *Rex regum, & Dominus dominan-* [*t* 1 Tim. 6, 15. & Apoc 19, 16.] *tium* t, *per quem reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, per quem principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam* u, virtute unctio- [*u* Prov. 8, 15. & 16.] nis iſtius conſtituebat eos reges populi ſui: tamen nonne verum eſt, quòd *poſtquàm mortuus eſt Saul* x, *venerúntque viri Juda, & unxerunt David* [*x* 2 Reg. 1, 1.] *ut regnaret ſuper domum Juda* y, *facta eſt longa con-* [*y* 2 Reg. 2, 4.] *certatio inter domum David & inter domum Saulis: David proficiens & ſemper ſeipſo robuſtior, domus au-* [*z* 2. Reg. 3. 1. &c.] *tem Saul decreſcens quotidie z?* Ita ut David Regnum ſuum nonniſi ſuæ magnanimitatis actibus ſibi conciliaverit, ac ſtabiliverit. Pari modo [*a* Matth. 16, 16.] cum Jeſus *Chriſtus* eſſet legitimus *Filius Dei vivi a*, corona æterna naturaliter ad ipſum pertinebat, iſtud erat jus hæreditatis ipſius: decretum tamen fuit propter gloriam Patris ejus, & ob reparationem mundi, æternâ providentiâ, quòd priùs non eſſet poſſeſſurus hanc coronam, quàm eam meritis laborum & ſuppliciorum ſuorum ſibi comparaſſet, *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Id eſt, ut exponit [*b* Dion. Carth. art. 50. in Luc. 24. 26.] Dionyſius Carthuſianus *b*, *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum propter æterni Patris præordinationem, & Prophetarum verificationem* c, *atque humani ge-* [*c* ex Pſ. 39. 7. &c.] *neris ſalvationem, Sanctorum de limbo eductionem, cœleſtis patriæ apertionem, cœleſtis Jeruſalem reædi-* [*d* ex Iſai. 49, 8 &c.] *ficationem d: & ita, putà per paſſionem intrare in gloriam ſuam? id eſt, in cœlum aſcendere, & corpore glorificari, gloriamque cœleſtem plenariè poſſi-* *dere. Chriſtus quippe ſuâ humiliatione, paſſione & morte promeruit ſibi ipſi præmium accidentale, atque dominium omnis creaturæ, dicente Apoſtolo* e, *Humi-* [*e* Philipp. 2, 8 & 9.] *liavit ſe factus obediens uſque ad mortem: propter quod & Deus exaltavit illum. Et tamen hæc gloria debebatur Chriſto etiam aliunde, videlicet ratione hypoſtaticæ unionis cum Verbo, & propter plenitudinem beatiſſimæ viſionis, ſeu eſſentialis felicitatis animæ ejus, quæ redundaſſet indeſinenter in corpus ipſius, & impaſſibile illud feciſſet, niſi Deo diſpenſante, redundantia illa fuiſſet uſque ad reſurrectionem dilata, ut in epiſtolâ ad Dioſcorum loquitur Auguſtinus. Et ita gloria illa fuit propriè gloria Chriſti: ſed & univerſa gloria curiæ cœleſtis, fuit, & eſt gloria Chriſti, ſecundùm quod Deus eſt, tanquam Domini ac Datoris.*

Hanc eandem verbis expreſſioribus docet Apoſtolus *f* veritatem, *Eum autem qui modico quàm* [*f* Hebr. 2, 9. ex Pſ. 8, 6] *Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Quam ſic elucidat idem Carthuſianus *g*, dicens, *Eum autem qui* [*g* Dion. Carth. a. 2. in Hebr. 2. 9.] *modico quàm Angeli minoratus eſt, hoc eſt qui in parvo minor factus eſt Angelis, ſcilicet quantùm ad corporis paſſibilitatem, videmus oculo fidei Jeſum ſcilicet minoratum propter paſſionem mortis, id eſt, merito ſuæ paſſionis lethalis mortem ſibi inferentis, gloriâ & honore coronatum. Ideò autem modico quàm Angeli minoratus eſt, id eſt, mortalis effectus, aſſumendo naturam paſſibilem.* Sic Jeſus Chriſtus exercuit ſuper apice montis *Calvariæ, ubi crucifixerunt eum* h, & [*h* Joan. 19, 17. & 18.] exemplo ſuo nos docuit octo beatitudines, quas verbo ſuo, *aperiens os ſuum* i, docuerat diſcipulos [*i* Matth. 5. 1. &c.] ſuos in mõte, *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis* [*k* 1. Petr. 2. 21.] *relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* k. Actiones igitur ita ſancti exercitij deberent educere fructus mercedũ, quæ promiſſæ ſunt his octo virtutibus, quæ ſunt origines octo beatitudinum. *Beati pauperes ſpiritu.* Contemplamini *Jeſum Chri-* [*l* 1. Cor 2 2] *ſtum, & hunc crucifixum* l. Quid eo pauperius? *Non habet ubi caput reclinet* m. *Beati mites.* Quænam [*m* Matth. 8, 20.] mititas comparari poteſt manſuetudini Jeſu Chriſti crucifixi? *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non* [*n* Act. 8. 32. ex Iſai. 53 7. & ex Matth. 26 63. & 27 14.] *aperuit os ſuum* n. Si ſuâ uſus eſſet fortitudine, quotnam diſcidiſſet Judæos, prout *Leo de tribu Juda* o? Sed ſe geſſit more ovis, & agni inter lu- [*o* Apoc. 5. 5.] pos truculentos, æquo ſeſe exponens animo poteſtati *tenebrarum* p. *Beati qui lugent.* Quis un- [*p* Luc. 22, 53.] quam plures effudit lacrymas, quam fuderit Salvator? Ipſe eſt qui noſtra ploravit peccata in vitâ ſuâ, *Lacrymatus eſt Jeſus* q. Id eſt, ait Diony- [*q* Joan. 11 35.] ſius Carthuſianus *r*, *Non Lazarum tantùm, ſed* [*r* Dion. Carth. art 28 in Joan. 11, 35.] *totius humani generis multiplicia mala deplanxit, præcipuè mala culpæ, & futuram damnationem multorum.* Præterea, Jeroſolymitanam *videns civitatem, flevit ſuper illam* s. Nimirum, ait idem [*s* Luc. 19, 41.] Carthuſianus *t*, *Cùm eam corporalibus oculis aſpe-* [*t* Dion. Carth. art 41. in Luc. 19. 41.] *xiſſet, ſignum præcipuæ compaſſionis monſtravit, præſentem civitatis iniquitatem atque futuram ipſius calamitatem ac pœnam deflendo, qui non ſolùm ſecundùm quòd Deus, ſed etiam ſecundùm ſcientiam ſuam creatam ac inditam, civitatem illam, omnemque ejus proprietatem & qualitatem ab incarnationis exordio infallibiliter vidit intellectuali intuitu: ſed hâc vice* [*u* ex Matth. 1 25. & ex Luc. 2. 7.] *ſenſibiliter eâ viſâ præcipuè compaſſionis motum ſponte aſſumpſit, quem materialibus lacrymis tanquam ſigno certo oſtendit. Præterea, Lacrymatus eſt Jeſus.* [*x* ex Luc. 2. 21.] *Primò, In ſuâ Nativitate* u, *ſecundùm Sanctos Doctores. Secundò, In ſuâ Circumciſione* x. *Tertiò, In Lazari* [*y* ex Joan. 11, 35. &c.] *ſuſcitatione, ut fertur apud Joannem* y. *Quartò, In hâc proceſſione. Quintò, Inſtante ſuâ Paſſione, quando*

&

& ſudor ejus factus eſt ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram z. Unde ad Hebræos a dicitur, Cum clamore valido & lacrymis preces offerens. Sextò, In ſuâ Paſſione, in quâ & ſæpiùs præ acerbitate dolorum ſponte ploravit. Itaque videns urbem præfatam, ejuſque pulchritudinem exteriorem, deflevit ipſius culpam, & pœnam tam temporalem, quàm æternam. Nomine autem civitatis, habitatores ejus intelliguntur. Inſuper, Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. Quis unquam mortalium noſtram magis eſurivit & ſitivit ſalutem, & gloriam? Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur b? Propterea, dicit, Sitio c. Et ſi clamavit voce magnâ, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me d: ideò, quia cum nimis debilis eſſet, ipſum tædebat, eò quòd non poſſet magis pati. Beati miſericordes. Quænam miſericordia major miſericordiâ Jeſu Chriſti cruci ſuffixi? ait S. Anſelmus e, Quid miſericordius intelligi valet, quàm quòd peccatori æternis pœnis deputato, & unde ſe redimat non habenti, Deus Pater dicit? Accipe unigenitum meum, & da pro te. Ipſe Filius, Tolle me, & redime te. Deinde, Beati mundo corde. Quid mundius Jeſu Chriſto? Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus †. Quid amplius? Beati pacifici. Quis juſtiùs iſtum meretur titulum, quam Pacificus f iſte Salomon myſticus, pacificans per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt g? Tandem, Beati qui perſecutionem patiuntur. Quiſnam majores pertulit unquam perſecutiones, quàm pertulerit Chriſtus? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Chriſtum ejus h.

z ex Luc. 22, 44.
a ex Hebr. 5, 7.
b Luc. 12, 50.
c Joan. 19, 28.
d Matth. 27, 46: ex Pſ. 21, 1.
e S. Anſelm. lib. 2. Cur Deus homo. c. 20.
† 1. Petr. 2, 22 ex Iſai 53, 9.
f 1. Paral. 22, 9.
g Coloſſ. 1, 20.
h Pſ. 2, 2.

Dicere igitur quod Jeſus Chriſtus non comparaverit ſibi gloriam ſuam actibus magnanimitatis ſuæ, eſt aſſerere, quòd praxis omnium virtutum eſſet fruſtranda omni præmio. Unde concludo, quòd gloria, quam Chriſtus ingreſſus eſt poſt reſurrectionem ſuam, eſt illi acquiſita non ſolùm jure hæreditatis, ſed etiam meritis actionũ ſuarũ: poſſidere enim gloriã duplici titulo, major honos eſt, quàm illam unico titulo tenere.

Unus Pſalmiſtæ i locus iſtam confirmabit veritatem, & ſenſim ſine ſenſu nos ad exitum diſcurſus iſtius deducet, De torrente in via bibet. Genebrardus k ait, hoc eventurum die vindictæ Domini, quando judicabit in nationibus, implebit ruinas: ei dicens, Ulciſcetur, ſupplicia ſumet Dominus Pater de Gentibus suum principatum detrectantibus, judicia in eis exercebit, eas tibi ſubiget. Quoniam tantum effuſurus eſt ſanguinem, ut torrentes videndi ſint inundare circumquaque ad ſatiandos eos qui ſanguinem ſitiverint. Eſt hyperbole ſimilis huic, Ecce populus ut leæna conſurget, & quaſi leo erigetur, non accubabit donec devoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat l. Quia hâc horribili ſententiâ intuendam exhibebit potentiam brachij ſui, & ſuæ excellentiam majeſtatis, quam peccatores contempſerunt in hoc mundo, Propterea exaltabit caput. Alij interpretantur, De torrente in viâ bibet. Id eſt, in torrente Divinitatis. Propterea exaltabit caput. Id eſt, ad talem gloriam. Hæc interpretatio favet priori opinioni. S. Auguſtinus m autem meliùs ad propoſitum meum explicat iſtum locum de torrente noſtræ mortalitatis, in quo bibit labores noſtros, qui ipſum ad talem gloriam evexerunt, Quis eſt torrens? Profluxio mortalitatis humanæ. Sicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perſtrepit, currit, & currendo decurrit, id eſt, curſum finit: ſic eſt omnis iſte curſus mortalitatis. Naſcuntur homines, vivunt, moriuntur, & alijs morientibus alij naſcuntur: De hoc torrente bibit ille. Quia ergo de torrente in viâ bibit, propterea exaltavit caput. Id eſt, quia humiliatus eſt, & factus eſt ſubditus uſque ad mortem, mortem autem crucis, propterea eum Deus exaltavit à mortuis n. Hoc ergo innuit in Chriſto cauſam meritoriam. Deſcribitur nobis ab Ezechiele o ſimilitudo quatuor animalium. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, facies leonis, facies bovis, & facies aquilæ. Super quod Cornelius p ait, Hector Pintus cum nonnullis cenſet, hæc quatuor animalia unum idemque fuiſſe animal, repræſentans unum Chriſtum, ſed illud unum habuiſſe quatuor animalium ſpeciem & faciem.

i Pſ. 109, 7.
k Genebr. in Pſ. 109, 7.
l Num. 23, 24.
m S. Aug. in Pſ. 109, 7.
n ex Philipp. 2, 8: & 9.
o Ezech. 1, 5 & 10.
p Cornel. in Ezech. 1, 5.

Juxta hoc, dico Chriſtum ſecundùm hanc quadruplicem faciem bibiſſe in torrente mortalitatis noſtræ. Secundùm faciem hominis, hoc erat illi naturale, ut noſtras omnes infirmitates biberet in calice noſtræ naturæ, omnes amaritudines quæ ſunt in torrente hujus vitæ, Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit q. Juxta faciem leonis, quæ erat inſigne magnanimi Ducis, bibit in hoc torrente: ipſe erat velut alter David, qui certaminibus fatigatus, aquam efflagitabat à militibus ſuis, Deſideravit ergo David aquam de Lacu, & ait; O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſternâ quæ eſt in Bethleem juxta portam r! Nonne aliàs contemplati eſtis quomodo hic Dominus Deus exercituum †, vitijs vacans expugnandis, & educendis animabus è poteſtate Satanæ, ſitiens ſaluteon Samaritanæ, ab illâ potum expoſceret; Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Ieſus, Da mihi bibere s. Nonne hoc erat bibere in torrente? cùm indigentiâ coactus aquam emendicaret a muliere, ſicut Lorinus t introducit aliquos Patres, qui, ſicut ipſe ait, Experientiam exponunt vilis ac tenuis victus, ita ut ſicut hordeaceis veſcebatur panibus, ita biberet obviam torrentis aquam, ſeu ambulans in viâ, ut cùm popoſcit aquã à Samaritanâ fatigatus ex itinere. Si conſideremus Salvatorem cruci ſuffixum, ſitientem ſalutem hominum, dicentem, Sitio u: nonne tunc inundavit torrens ad potandum illum felle & labore x? Tandem, Facies aquilæ, quæ eſt figura Divinitatis, immerſa eſt eidem torrenti, Qui, (id eſt, Filius Dei) cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce cauſa meritoria gloriæ ipſius, Propter quod & Deus exaltavit illum y. Et, Propterea exaltabit caput. Non ſolùm autem iſtam ſibi comparavit gloriam, quatenus Filius Dei, ſed etiam prout Dux magnanimus, qui cùm cucurriſſet ſuper curſum Crucis ſtadium mortalitatis noſtræ, adeptus terminum, meretur ſuſcipere præmium coronæ æternæ. Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certaverit z. Et, Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.

q Iſai. 53, 4.
r 2. Reg. 23, 15.
† Iſai. 6, 3.
s Joan. 4, 6 & 7.
t Lorin. in Pſ. 109, 7. citans S. Chryſoſt. hom. 30. in Joan. 4. hom. 57 ad Popul. & 71. in Matth. & S. Juſtin. in Trypho.
u Joan. 19, 28.
x Thren. 3, 5.
y Philipp. 2, 6 &c.
z 2. Tim. 2, 5.

Hic dimicandi modus Jeſu Chriſti, qui eſt Caput corporis Eccleſiæ a, confuſione operit Chriſtianos qui ſunt membra ſua, Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus b. Qui viventes in delicijs, pollicentur ſibi tamen coronam gloriæ. Si Ieſus Chriſtus qui peccatũ non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus c, coronam non eſt adeptus niſi toleratis laboribus

a Coloſſ. 1, 18.
b Epheſ. 5, 30.
c 1 Petr. 2 22. ex Iſai. 53, 9.

 innu-

innumeris: quomodo poterimus nos inutiles homines *qui quaſi aquam iniquitatem* d bibimus, eam ſine tolerantijs adipiſci? Si ille qui erat Filius Dei naturalis, non aliter ad eam pervênit: quomodo vos, qui non eſtis niſi filij Dei adoptivi, niſi mediis tribulationibus prætendere poteſtis fruitionem tanti Boni? *Si compatimur, ut & conglorificemur* e. Si *de torrente in viâ* bibamus cum illo, *caput* noſtrum cum Capite noſtro aliquando exaltabimus: ſi tribulationibus ejus communicemus, *torrente voluptatis* f ejus potabimur, *Ego Ioannes particeps in tribulatione, & Regno* g. Et re verâ iſtud non datur ſine illâ.

S. Thomas *h* ait, prædeſtinationem Jeſu Chriſti eſſe prototypon prædeſtinationis noſtræ. *Si conſideretur prædeſtinatio ſecundùm terminum prædeſtinationis, ſic prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Sic enim Deus præordinavit noſtram ſalutem, ab æterno prædeſtinando, ut per Ieſum Chriſtum compleretur.* Sicut autem Chriſtus prædeſtinatus eſt ad ingrediendum ſuam gloriam per viam crucis, *Oportuit pati Chriſtum*, &c. ita Electi à Deo prædeſtinantur ut in illam intrent per eandem viam, *Quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui* i. Id eſt, ut ait Dionyſius Carthuſianus k, *Per gratiam adoptionis Filio ſuo naturali, qui eſt imago Patris ſui, cùm ſit imago bonitatis paternæ, candor æternæ Lucis, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis* l. *Filiatio enim adoptiva* m *Electorum, eſt ſimilitudo filiationis naturalis Divinæ. Conformantur ergo Prædeſtinati Filio Dei, cùm ſint Filij adoptivi, quia per gratiam gratum facientem, & cætera dona Spiritus ſancti ſortiuntur quandam ſupernaturalem aſſimilationem cum Deo Patre, cujus Filius eſt imago. Poteſt quoque referri conformatio iſta ad Filium ſecundùm naturam ejus aſſumptam. Sic enim prædeſtinati ſunt conformes fieri imaginis Filij Dei, ut ſint cohæredes Chriſti, & ſicut portaverunt imaginem terreni, ſic portent imaginem cœleſtis* n, *ut ſit ipſe Filius Dei Primogenitus in multis fratribus, id eſt inter Prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam Caput eorum, & jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantiùs percipiendo, eamque alijs diſtribuendo.* Si autem, ſecundùm Jus o Humanum, *Adoptio eſt actus legitimus naturam imitans, ad liberorum ſolativum inductus*: & conſequenter filius adoptivus non poteſt, nec debet habere majus privilegium, quàm Filius naturalis: nonne magnâ perculſi ſumus cæcitate mentis, ſi perſuadeamus nobis, quòd majorem ſit nobis impertiturus Deus favorem, nobis, inquam, qui non ſumus niſi filij ipſius adoptivi, quàm Filio ſuo naturali? cùm non poſſimus nos petere hæreditatem cœli niſi beneficio adoptionis gratuitæ, ille verò poſſit illam jure merito efflagitare titulo generationis æternæ? *Si itaque Chriſtum per paſſionem, & multiplicem tribulationem oportebat propriam gloriam ingredi, nos qui ſumus, qui abſque tribulationibus & adverſitatibus, pœnitentialibuſque operibus gloriam volumus ingredi alienam? Nunquid ſervus major eſt Domino ſuo* p, *aut membrum Capite ſuo præſtantius, aut redemptus Redemptore ſublimior, aut fragilis creatura Creatore ſuo Dei unico Filio? Meritò ergo dixit Apoſtolus, Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cælorum* q. *Et item, Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patientur* r, argumentatur Dionyſius Carthuſianus s. Errorem deponite, Auditores, vobis non blandior, prorſus eſt tentare impoſſibile ac velle pervenire ad terminum, non pertranſeundo medium: ſcitote crucem eſſe *clavem domus David ſuper humerum* Salvatoris impoſitam: *& aperiet, & non erit qui claudat* t nobis introitum cœli, ſi illam noſtris imponamus humeris: & myſticam Jacobi *ſcalam* u, poſtquam illâ *ferculum fecit ſibi Salomon* x cœleſtis, per quam, ſicut ille, pervenimus ad gloriam.

d Job. 15, 16.
e Rom. 8, 17.
f Pſ. 35. 9.
g Apoc. 1, 9.
h S. Thomas 3. p. q. 24. a. 4. in corp.
i Rom. 8, 29.
k Dion. Carth. art. 12. in Rom. 8. 29.
l ex Sap. 7, 26.
m ex Joan. 1. 12.
n ex 1. Cor. 15, 49.
o Theophilus Inſtitut. de Adoptio. in princip.
p ex Joan. 13, 16.
q ex Act. 14, 21.
r ex 2. Tim. 3. 12.
s Dion. Carth. art. 10. in Luc. 24. 26.
t Iſai. 22, 22.
u Gen. 28. 12.
x Cant. 3. 9.

FERIA III. POST PASCHA.

Pax vobis. Luc. 24. 36.

NOn eſt aliquid deſiderabilius pace, nemo eſt qui illam non concupiſcat, quique vehementer ad fruitionem ejus non inclinetur: omnes creaturæ illam inquirunt, quin imò & ipſum bellum, quod univerſa interturbat, non eſt inventum niſi ad reperiendam pacem, ait S. Auguſtinus *a*, *Quandoquidem & ipſi qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt: ad glorioſam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid eſt aliud victoria, niſi ſubjectio repugnantium? Quod cùm factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella: ab his etiam qui virtutem bellicam ſtudent exercere, imperando atque pugnando. Unde pacem conſtat belli eſſe optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. Nam & illi qui pacem, in quâ ſunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, ſed eam pro arbitrio ſuo cupiunt commutari.* Deſiderium, quod formamus adipiſcendæ illius, ſuum debet habere complementum: ut autem illam habere poſſitis, educere volo vos modum illius conciliandæ vobis: ſed ut muniis iſtis proficuè perfungar, & cum fructu, indigeo auxilio Spiritus ſancti, cujus *fructus eſt pax* b. Iſtud autem ſubſidium nobis impetrabit Regina pacis, æquè ac Mater, quæ *peperit Filium ſuum primogenitum* c, qui eſt *Princeps pacis* d, poſtquam concepit eum cùm *ingreſſus Angelus ad eam, dixit, Ave* e *Maria*.

Quòd deſiderium pacis naturale ſit omnibus hominibus, iſtud eſt cui nemo ſanæ mentis contradicat, cum nemo ſit qui inquietudinem à ſe nolit procul amandare, quam contrarium ipſius ſecum affert: ſed ſcire rationes illius, iſtud eſt quod multos latet, & quod volo nunc ego declarare, ut lux quæ illius notitiâ noſtras illuminabit mentes, inflammare poſſit etiam voluntates noſtras ardore hujus deſiderij ad exitum ſuum perducendi. Videmur, Auditores, meâ quidem ſententiâ, omnes nos deſiderare pacem propter quatuor rationes erutas è quatuor motivis validis, ad quæ vehementer inclinamur. Primum motivum, eſt conſervatio eſſe quod habemus: naturaliter enim

a S. Aug. lib. 19. de Civit. Dei. c. 12.
b Gal. 5, 22.
c Matth. 1, 25. & Luc 2, 7.
d Iſai. 9, 6.
e Luc 1, 28. & 38.

conamur cuſtodire eſſe noſtrum, & ſubſiſtere quandiu poſſumus: iſtud eſt pro comperto: atqui noſtrum non poſſumus eſſe cuſtodire aliter quàm per concordiam partium, ex quibus conſtamus, alioquin ſequeretur inde diviſio, & ex diviſione reſultaret ruina hominis omnimoda, *Pax itaque corporis, eſt ordinata temperatura partium*, ait S. Auguſtinus *f*. Et Commentator ejus Coquæus de illo loquens, ſubdit, *Omnia pace conſtare, nec aliqua ſine pace poſſe ſubſiſtere docet*. Inde fit ut deſideremus pacem, ſicut illam quæ eſt naturæ noſtræ conſervatrix. Secundum motivum, eſt vita: nam ſine vitâ, quæ eſt pax naturalis rerum, non poteſt aliquid vivere: cùm membrum præciſum & ſeparatum à corpore ſuo, non ſit ampliùs in pace, & in unione, ſed in diviſione, oportet ut neceſſariò moriatur, cùm ſit ſejunctum ab animâ, quæ eſt principium vitæ, quæ non communicat ampliùs ipſi bona ſua, ſicut illis bonis continuè influit ipſa in alias partes illi continuas: & ideò ſicut naturaliter deſideramus vitam; ita rationabiliter inquirimus pacem, unionem, & concordiam. *Ita etiam terrena civitas, quæ non vivit ex fide, terrenam pacem appetit: in eoque defigit imperandi obediendique concordiam civium, ut ſit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus, humanarum quædam compoſitio voluntatum. Civitas autem cæleſtis, vel potiùs pars ejus, quæ in hâc mortalitate peregrinatur* g, *& vivit ex fide* h: *etiam iſtâ pace neceſſe eſt utatur, donec ipſa, cui talis pax neceſſaria eſt, mortalitas tranſeat*, ait idem S. Auguſtinus *i*. Tertium motivum, eſt inclinatio, quâ ferimur ad gaudium & ad voluptatem: nemo enim eſt qui ſuum non inquirat oblectamentum: atqui vera voluptas non eſt ſine pace, cùm diviſio ſit origo omnium moleſtiarum & infortuniorum, ſicut diſſolutio continui eſt cauſa doloris: proptereà idem deſiderium, quod noſtrum defert affectum ad voluptatem capeſſendam, inclinat nos etiam ad inquirendam pacem, *Sicut nemo eſt qui gaudere nolit, ita nemo eſt qui pacem habere nolit*, ait idem S. Auguſtinus k. Addo pro quarto motivo affluentiam bonorum, quæ ſemper inveniuntur in pace. Pax in Scripturâ ſemper habet abundantiam comitem individuam, *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis* l. Et, *Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis* m. Sic apud Veteres inter multa numiſmata Pacis, duo videmus differentia, quæ tamen eandem rem ſignificant, ſicut & veritatem quam vobis annuncio. Unum illorum præ ſe fert manus junctas, è quibus exeunt multæ ſpicæ frumenti: unionem manuum ut ſymbolum pacis, ſpicas verò tritici ut inſigne abundantiæ: ſi afficiamur erga illam, vehementer etiã deſiderabimus iſtam. Alterum numiſma habet caduceum, ſceptrum pacis apud Ethnicos, & ex adverſo cornu abundantiæ. Si igitur abundantia eſt inſeparabilis à pace, & pax ſemper ſociatur abundantiæ, non poſſumus unam diligere quin ſtatim concupiſcamus alteram. Et ideò, Auditores, quia, ſecundùm S. Auguſtinum *n*, *Omnis uſus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrenâ: in cæleſti autem civitate refertur ad fructum pacis æternæ*: ut in æternum vivere, & ſubſiſtere poſſitis, ſicut & ſempiternam adipiſci valeatis lætitiam, & abundantiam, juxta inclinationem veſtram, conabor vobis oſtendere media, quorum interventu complere poſſitis deſiderium, quo ducuntur univerſi homines erga pacem, pacem autem quam habere debemus cum Deo, nobiſcum, & cum proximis noſtris, nimirum, tres modos, quibus utuntur homines ad ineundam pacem cum illis, quibuſcum diſſentiunt: iſti autem tres modi ſunt via juſtitiæ, via belli, & via concordiæ. Iſti tres modi, aut tres iſtæ viæ incipient diſcurſum noſtrum, eum deducent, & ad finem uſque illum perducent, ſi *Deus pacis ſit cum omnibus vobis* o. Id eſt, ſi auxilietur mihi, æquè ac vobis: mihi diſcurrenti, ut ſpero; vobis autem in pace & in ſilentio permanentibus.

f S. Aug. lib. 19, de Civit. Dei c. 13.
g ex 2, Cor. 5, 7.
h ex Rom: 1, 17.
i S. Aug. lib. 19, de Civit. Dei c. 17.
k S. Aug. lib. 19, de Civit. Dei c. 12.
l Pſ. 71, 7.
m Pſ. 121, 6, & 7.
n S. Aug. lib. 19, de Civit. Dei c. 14.
Diviſio.
o Rom. 15, 33.

I. Pars.

Incipiamus à pace, quam habere debemus cum Deo. Confeſtim ac reſiſtimus voluntati Dei per peccata noſtra, infringimus pacem cum illo, & ipſe nobis bellum indicit, & noſtrum ſe declarat inimicum, *Quis reſtitit ei, & pacem habuit* p? Cujus rationem dat S. Gregorius *q*, *Qui enim cuncta mirabiliter creat, ipſe ut creata ſibimet convenient ordinat. In quo ergo Conditori reſiſtitur, pacis conventio diſſipatur: quia ordinata eſſe nequeunt, quæ ſupernæ moderaminis diſpoſitionem perdunt. Quæ enim ſubjecta Deo, in tranquillitate perſiſtere nequeunt, ipſa ſe ſibimet dimiſſa, confundunt: quia in ſe pacem non inveniunt, cui venienti deſuper in Authore contradicunt. Reſiſtere autem Deo dicimur, cùm repugnare ejus diſpoſitionibus conamur. Habere ergo pacem reſiſtens non poteſt: quia dum ſuperbiam confuſio ſequitur* r, *quod ſtultè per culpam geritur, hoc in agentis pœnam mirabiliter ordinatur*. Hoc idem ait Pſalmiſta *s*, quod Job, cùm ait Deo, *Quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua*. Atqui ſicut non expedit ut habeamus Deum omnipotentem in adverſarium, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis* t: *pacem habeamus ad Deum* u eundem. *Id eſt, Deo humiliter ſubditi ſimus, & noſtram voluntatem Divinæ ordinationi in omnibus ſubjiciamus, quieti atque tranquilli exiſtentes in Deo*, ait Dionyſius Carthuſianus x. Ut autem pacem iſtam cum illo inire poſſimus, carpere debemus modum aut viam juſtitiæ. Auſcultate cogitationem meam, quæ non eſt tam mea, quàm conceptus S. Auguſtini *y*, qui ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, ait, Interroga omnes homines. Vultis pacem? Uno ore tibi reſpondet totum genus humanum, Opto, cupio, volo, amo. Ama & juſtitiam, quia duæ amicæ ſunt juſtitia & pax, ipſæ ſe oſculantur*. Sed quænam eſt hæc juſtitia, quæ diligenda eſt, ut ineamus pacem cum Deo? Triplex eſt juſtitia. Prima juſtitia, per quam habemus pacem cum Deo, eſt Jeſus Chriſtus, qui à S. Paulo z hoc nomine inſignitur, *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*. Cui concordat Origenes *a*, dicens, juxta eundem Apoſtolum, poſt Iſaiam, *Ait Prophetes eſſe Chriſtum viventem juſtitiam, & putabamus ab Apoſtolo ſolùm dictum eſſe, quia Chriſtus ſit juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, & ſapientia. Fortè autem & Apoſtolus inſtructus à Prophetis, novit animatam eſſe juſtitiam, & viventem. Quæ eſt iſta juſtitia? Unigenitus Dei*. Quod autem per interventum iſtius juſtitiæ pacem debeamus inire cum Deo, idem docet Apoſtolus *b*, dicens, *Pacem habeamus ad Deum per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Ratio iſtius eſt, ait Dionyſius Carthuſianus *c*, *Quia per eum ſeu merito ejus pacem iſtam conſequimur. Omnia namque Divinarum gratiarum chariſmata (ſecundùm quòd Mediator eſt Dei & hominum) præſtantur hominibus*. Hæc eſt ergo ratio propter quam Jeſus Chriſtus

p Job. 9, 4.
q S. Greg. lib. 9. Mor c. 8. in Job. 9, 4.
r ex Iſaiæ 14, 12. &c. & ex Gen. 3, 5. &c.
s Pſ. 75, 8.
t Hebr. 10, 31.
u Rom. 5, 1.
x Dion. Carth. art. 8, in Rom. 5, 1.
y S. Aug. in Pſ. 48. 31.
z 1, Cor. 1, 30.
a Orig. hom. 5, in Iſai. 6, 3.
b Rom: 5, 1.
c Dion. Carth. art. 8. in Rom: 5, 1.
d ex 1, Timoth. 2, 5.

Digitized by Google

Chriſtus vocatur *Iuſtitia* noſtra, quoniam eſt Author iuſtificationis per gratiam habitualem, quam nobis meritus eſt effuſione pretioſi Sanguinis ſui, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo* e. Cùm anteà omnes immundi eſſemus, *Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri* f. Sic poſt reſurrectionem ſuam ſuis monſtraturus diſcipulis quanto conſtaret ipſi pax iſta, *ſtetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes* g, *& latus* h. Hæc autem gratia habitualis, quam nobis ipſe meritus eſt, eſt ſecunda juſtitia, per quam reconciliamur Deo, & reſtituimur in amicitiam ejus, & hæc diſtinguit Prædeſtinatos à reprobis, *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios diaboli. Signent ſe omnes ſigno Crucis Chriſti. Reſpondeant omnes, Amen. Cantent omnes, Alleluia. Baptizentur omnes, intrent omnes Eccleſias, faciant parietes baſilicarum: non diſcernuntur filij Dei à filijs diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo: qui non habent, non ſunt nati ex Deo*, ait S. Auguſtinus i. Atqui hæc ſecunda juſtitia tribuitur per tertiam, quæ noſtram facit etiam pacem cum Deo. Hæc tertia juſtitia exercetur in tribunali Confeſſionis, ubi peccata noſtra examinantur, judicantur, condemnantur, & abſolvuntur, ut ait idem S. Auguſtinus k ſuper hæc Pſalmiſtæ verba, *Iuſtitia ante eum ambulabit*, &c. *Iuſtitia illa eſt, quæ eſt in confeſſione peccatorum: veritas enim ipſa eſt. Iuſtus enim debes eſſe in te, ut punias te. ipſa prima eſt hominis juſtitia, ut punias te malum, & faciat te Deus bonum. Ante autem quàm confitereris peccata, interclauſeras ad te viam Dei, non erat quà ad te veniret. Confitere viam, & aperis viam, & veniet Chriſtus, & ponet in viâ greſſus ſuos, ut te informet veſtigijs ſuis.* Ita ut, ſi velimus inire pacem cum Deo, tradere nos debeamus manibus Confeſſionis, quæ tranſire nos faciet ad juſtitiam gratiæ, & juſtitia gratiæ ad Jeſum Chriſtum juſtitiam noſtram, qui reconcilians nos Deo Patri ſuo virtute Sanguinis ſui, faciet nos concinere in gratiarum actionem pro hâc pace ab ipſo nobis conciliatâ canticum ejuſdem Pſalmiſtæ l, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Sed ſcitiſne, Auditores, rationem propter quam initur pax noſtra cum Deo mediâ Confeſſione, interventu iſtius juſtitiæ? Diſcite igitur, quod cùm peccamus, inhonoramus Deum, denigratur enim à nobis *ſuper carbones facies* m noſtra, ſeu imago Dei, animabus noſtris impreſſa: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* n. Et *quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* o, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* p; efficimus corpus ejus monſtroſum, quantùm eſt in nobis: inde oritur, quòd *ſimiliter odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* q. Sed cùm accuſamus peccata noſtra, illa condemnamus, & ea odimus, tunc reparamus culpam noſtram, & Deum honoramus: accuſantes enim noſmetipſos, confitemur quòd Deus *ſanctus* r ſit, nos verò ſimus peccatores; & hoc facit, ut, cùm ipſe *bonus* s ſit, ſuam facilè nobis indulgeat pacem. Et hoc eſt quod docet S. Auguſtinus t ſuper hæc verba Chriſti ſuum Patrem æternum alloquentis, *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ*: dicens, *Si Confiteor, Chriſtus dixit, à quo longè eſt omne peccatum* u: *non ſolius eſt peccatoris, ſed etiam laudatoris. Duæ ſunt utraque confeſſio, ſive cùm te reprehendis, qui non es ſine peccato: ſive cùm illum laudas, qui non poteſt habere peccatum* x. *Si autem benè cogitemus, reprehenſio tua, laus ipſius eſt. Quare enim jam confiteris in accuſatione peccati tui? In accuſatione tuî ipſum quare confiteris, niſi quia ex mortuo vivus factus es?* Atqui ſicut Deus diligit eos qui ipſum laudant, ſic & pacem largitur ijs qui poſtquàm *quaſi aquam iniquitatem* y biberunt, accuſant ſe injuſtitiæ ſuæ in tribunali juſtitiæ Confeſſionis. Et hoc docet idem S. Auguſtinus z ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Veritas de terrâ orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit*, dicens, *Veritas de terra orta eſt. confeſſio ab homine: homo enim peccator erat. O terra! qui quando peccaſti, audiſti: Terra es, & in terram ibis* a. *Oriatur de te veritas, ut reſpiciat de cælo juſtitia. Quomodo ergo orietur à te veritas, cùm tu peccator ſis, cùm tu iniquus ſis? Confitere peccata tua, & orietur de te veritas. Si enim cùm ſis iniquus, dicis te juſtum, quomodo à te orietur veritas? Si autem cùm ſis iniquus, dicis te iniquum, veritas de terrâ orta eſt. Intende illum publicanum longè à Phariſæo in templo orantem, Qui neque oculos ad cælum audebat levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Domine, propitius eſto mihi peccatori* b. *Ecce veritas de terra orta eſt, quia confeſſio peccatorum ab homine facta eſt. Quid ergo ſequitur? Amen dico vobis, quia deſcendit juſtificatus publicanus ille magis quàm ille Phariſæus: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Orta eſt veritas de terra in confeſſione peccatorum: & juſtitia de cælo proſpexit, ut deſcenderet juſtificatus publicanus ille magis, quam ille Phariſæus. Nam ut noveritis, quia veritas pertinet ad confeſſionem peccatorum, ait Ioannes Evangeliſta* c: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quomodo ergo veritas de terrâ orietur, & juſtitia de cælo proſpiciet, audi illum ſequentem, & dicentem: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniquitate. Veritas ergo de terrâ orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit. Quæ juſtitia de cælo proſpexit? Tanquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipſe ſibi non pepercit: ignoſcamus, quia ipſe ignoſcit. Converſus eſt ad puniendum peccatum ſuum, convertar & ego ad eum liberandum.*

Exiſtimo vos, Auditores, ad hanc juſtitiam peragendam eſſe prorſus diſpoſitos, ideò non diutiùs immorabor in perſuadendâ re quæ vobis ſic eſt utilis & proficua: tantummodò dicam vobis ad confirmandum bonum conſilium veſtrum, actionem ſic honorabilem eſſe animabus pœnitentibus ac accuſare peccata ſua, ut aliquo modo adæquet omnes alias virtutes, quarum exercitio poſſetis incumbere. Ita *Iob erat vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* d, ut S. Chryſoſtomus e auſus fuerit illum comparare Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & Juſtis propter multas virtutes. Et S. Gregorius f ſuper hæc verba illius, *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam*, eum proclamat admirabiliorem propter humilem confeſſionem peccatorum ſuorum, quàm propter omnes alias ipſius virtutes, dicens, *Videatur vir iſte cuilibet magnus in virtutibus ſuis, mihi certè ſublimis apparet, etiam in peccatis ſuis. Mirentur in eo qui volunt caſtitatis continentiam, mirentur integritatem juſtitiæ, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minùs admiror confeſſionem humillimam peccatorum, quàm tot ſublimia geſta*

virtutum

e Apoc. 1. 5.
f 1. Cor. 6, 11.
g Luc. 24, 36. & 40.
h Joan. 20, 20.
i S. Aug. tract. 5. in 1. Joan 3. 9. & 10.
k S. Aug. in Pſ. 84. 14.
l Pſ. 84. 11.
m Thren. 4. 8.
n Gen. 9, 6.
o Epheſ. 5. 30.
p Coloſſ. 1, 18.
q Sap 14. 9.
r Iſai 6. 3.
s Pſ 118. 68.
t S. Aug. ſerm. 6. c. 2. de Verb. Dom. in Matth. 11, 25.
u ex 1. Petr 2, 22 & ex Iſai. 53. 9.
x ex Pſ. 8. 3.
y Job. 15, 16.
z S Aug. in Pſ. 84. 12.
a ex Gen. 3. 19.
b ex Luc. 18. 10. &c.
c ex 1. Joan. 1, 8. & 9.
d Job. 1. 1. &c.
e S Chryſoſt. hom. 5. de Patientiâ Job.
f S. Greg. lib. 22. Mor. c. 14. in Job. 31. 30.

virtutum. Cùm igitur Confeſſio ſit honorabilis peccatori, ſequimini hanc viam juſtitiæ, quæ eſt modus facilis conciliandæ pacis cum Deo, & vivendi in quiete conformiter ad inclinationem noſtram naturalem. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo* g. Id eſt, accedite ad hoc tribunal ſacrum juſtitiæ, & ſic cum Deo pacem inibitis, & omnia peccata veſtra vobis dimittentur.

g 2. Cor. 5, 20.

II. Pars.

Secunda pax, quam pangere debemus, eſt ineunda cum nobis ipſis: ipſimet enim ſumus inimici noſtri omnium maximi: & perſæpè accuſamus diabolum quòd rentet nos, cùm non tam diabolus ſuis impetat nos tentationibus, quàm propriæ paſſiones noſtræ nos examinent, & ad malum nos inducant, *Vnuſquiſque verò tentatur, à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus* h. *Id eſt, ab inordinatâ cupiditate, ſeu privato amore*, ait Dionyſius Carthuſianus *i*. Qui ſtatim addit, *Nam radix omnium malorum eſt cupiditas* k, *id eſt, improbus amor ſui: pro quo concupiſcentia hoc loco accipitur. De quo amore aſſerit Auguſtinus* l, *quòd ſit omnium vitiorum origo. Quemadmodum amor Dei eſt omnis boni principium, omnis ſcilicet meritorii actus. Vnde amor ſui uſque ad contemptum Dei, civitatem efficit Babylonis, quæ eſt Eccleſia malignantium* m, *& Regnum diaboli. Quemadmodum amor Dei creſcens uſque ad contemptum ſui, conſtituit civitatem Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, & Regnum Chriſti. Ab hâc ergo concupiſcentiâ tentatur, id eſt, radicaliter impugnatur, quicumque tentatur: quia ab eâ inclinatur & movetur ad diverſa peccata. Non tamen per verba hæc excludit Apoſtolus Iacobus tentationem diaboli: quia frequenter diabolus actuat, ſeu excitat concupiſcentiam iſtam in homine, & per eam tentat eundem. Tentatur ergo unuſquiſque à concupiſcentiâ abſtractus, id eſt, à recto ſalutis itinere, & vero rationis judicio, & illectus, id eſt, ad culpam attractus.* Modus, quem ſervare debemus ut ineamus nobiſcum pacem, in hoc eſt ſitus, ut nobiſmetipſis bellum indicamus. Certum eſt, pacem eſſe fructum belli: non enim juſtum bellum fit niſi propter pacem conſequendam. Hæc eſt intelligentia emblematis ab Alciato *n* nobis repræſentati ſub caſſide unde exeunt apes præ hâc inſcriptione, *Ex bello pax.* Cum apes ſint vera pacis ſymbola. Sic Filius Dei, à quo naſcente orta eſt *in terrâ pax* o, ait in Evangelio *p*, *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Sed gladius iſte producit nobis pacem, ut innuunt verba ſequentia, *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Sed ne diutiùs mentes veſtras ſuſpenſas teneam, bellum iſtud non eſt aliud niſi mortificatio inimici noſtri, carnis noſtræ, & concupiſcentiarum noſtrarum, ut innuere videtur Dionyſius Carthuſianus *q*, ſupradicta verba exponens, *Non veni pacem vitioſam mittere; ſed gladium, hoc eſt, eradicationem, ac ſeparationem hujuſcemodi pacis. Qui non accipit crucem ſuam, hoc eſt pœnitentiæ afflictionem, vitiorum & concupiſcentiarum crucifixionem; & ſequitur me, ambulando per arctam viam, & ingrediendo portam anguſtam* r, *vel etiam mortem corporalem ſuſtinendo pro me, ſi ratio exigat, non eſt me dignus, quia non habet gratiam gratum facientem. Idcircò hortatur Apoſtolus* s, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtrâ mortali. Qui invenit, hoc eſt, verè cognoſcit, & ſpiritualiter diligit animam ſuam, perdet eam, id eſt, præſenti ſeculo eam affliget, ac mortificabit, abſtrahendo ei delectabilia mundi, exponendoque eam omni propter Chriſtum perſecutioni. Et qui perdiderit animam ſuam hoc modo propter me, hoc eſt, amore mei, & ut mihi finaliter uniatur: quod tamen non eſt animam perdere ſecundùm veritatem, ſed ſecundùm carnalium æſtimationem; inveniet eam, id eſt, in futurâ beatitudine eam poſſidebit, & ſalvam reperiet. Alii ſic exponunt, Qui invenit animam ſuam, hoc eſt præſentem vitam carnaliter inordinateque diligit, perdet eam, hoc eſt damnationi faciet eam obnoxiam, ſeu damnatione condignam, cùm præſens vita non ſit amanda in ſe, nec delicioſè fovenda, ſed ad futuram vitam ordinanda.* Non eſt igitur hoc bellum aliud niſi refrænatio paſſionum noſtrarum, quæ nos interturbant, & deordinationes in nobis cauſant, ut ait nobis S. Jacobus *t*, *Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Propterea S. Paulus *u* præſcribit nobis ordinem in iis edomandis cuſtodiendum, & hâc veluti oratione militari edocet nos qualis eſſe debeat noſtrorum mortificatio corporum, *Obſecro itaque vos, Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Nullum eſt hîc verbum quod non mereatur integram reflexionem. Primò, Ait, *Obſecro vos.* Jure meritò incipit obſecrando, quia unuſquiſque immodicè mortificationi repugnat exercendæ: *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fovet eam* x. Secundò, Utitur nomine Fratrum, *Fratres.* Ut perſuadeat nobis mortificationem amplectendam exemplo ſuo, *Imitatores mei eſtote, Fratres* †. Et imitatione Jeſu Chriſti, qui ſe dicit Fratrem noſtrum, ut conformemur ipſi in crucibus & in tolerantiis ipſius, ſicut ſperamus nos aſſimilandos ipſi in gloriâ, & in mercedibus, *Quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* y. Et, *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt* z. Ideò ait tertiò, *Per miſericordiam Dei.* Quæ, ut verum fatear, eſt Paſſio illius, in quâ miſerias noſtras immerſit diluvio Sanguinis ſui, & miſericordiæ ſuæ: in quâ nimirum inuſitatos eſt expertus mortificationis rigores. Quartò, Præſcribens regulas mortificationis Chriſtianæ, decernit immolationem corporum noſtrorum in hoſtiam Deo præſentandam, *Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam.* Nomen hoſtiæ derivatur ab hoſtilitate, quæ eſt propria inimicis: corpus noſtrum, eſt inimicum noſtrum, domemus illud, ut verum ſit iſtud,

h Jacob. 1, 14.
i Dion. Carth. art. 1, in Jacob. 1, 14.
k ex 1. Timoth. 6, 10.
l ex 8. Aug. lib. 14, de Civit. c. 28.
m ex Pſ. 25, 5.
n Alciat. Emblē. 177.
o Luc. 2, 14.
p Matth. 10, 34, &c.
q Dion. Carth. art. 10, in Matth. 10. 34, &c.
r ex Mat. 7, 13. & 14.
s 2. Cor. 4. 10, & 11.
t Jacob. 4, 1.
u Rom. 12, 1.
x Epheſ. 5, 29.
† Philipp. 3, 17.
y Rom. 8, 29.
z 1. Joan. 3, 2.

Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Quintò, Vult & requirit hanc *hoſtiam viventem.* Quia non ſufficit ſacrificium corporum noſtrorum offerre Deo per mortificationem concupiſcentiarum noſtrarum; ſed præterea exigitur, ut hæc hoſtia ſit vivens, id eſt, ut carnis noſtræ mortificatio ſit animata puritate intentionis mentis noſtræ. Sextò, Illam exigit *ſanctam.* Re autem verâ quid prodeſt ad vitam æternam comparandam jejunare, & furari? cilicium induere, & odium in

Digitized by Google

corde cuſtodire? paſſiones animales refrænare, & menti habenas laxare ad ſuperbiam & ad ambitionem? mortificare ſenſus corporis, & permittere animæ ut criminibus indulgeat: Hæc omnia ſunt abuſus: oportet ut gratia & ſanctitas comitentur ſacrificium mortificationis noſtræ. Septimò, Addit, *Deo placentem*. Expedit enim ut hæc hoſtia ſit grata Divinæ Majeſtati, & offeratur ei ſoli, nunquod non debeat manifeſtari mundo, cùm dicat Apoſtolus, *Ut exhibeatis*, quod ſignificat in palam adducere: ſed quia illam ſoli præſentare debemus Deo, qui eſt noſter ultimus *Finis* a, ita ut intentio noſtra dirigatur ad Deum. Tandem, dicit, *Rationabile obſequium veſtrum*. Quia nunquam eſt aliquid extraordinarium exercendum quantum ad auſteritates, & mortificationes corporis, ſine prævio conſilio. Sed quantum ad hoc, Auditores, non exiſtimo vos excedere limites diſcretionis: ſed per hoc *rationabile obſequium* intelligere debemus (meâ quidem ſententiâ) ſic: Rectæ conſonum eſt quidem rationi, ut oculi qui tuam prodiderunt animam nimiâ curioſitate ſua, deinceps leviter non aſpiciant: Ut lingua quæ detraxit famæ proximi ſui, verbis ſuis imponat modum, & ſilentium colat impoſterùm: Ut corpus quod, ut voluptatibus, oblectamentis, & deliciis indulgeret, diſplicuit Deo, patiatur, & pœnitentiam agat. Et quare non? ait Tertullianus b *Quid gravatur pati nunc homo ex remedio, quod non eſt tunc gravatus pati ex vitio? diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicuit occidi in perditionem? nauſeabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum?* Nequaquam, ait S. Ambroſius c, ſed è contra. *Lugubris accipienda eſt veſtis, & mens ac membra ſingula digná caſtigatione punienda. Amputentur crines qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt. Effluant oculi lacrymis, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuriâ maceretur, cinere aſperſum & opertum cilicio perhorreſcat, quia male ſibi de pulchritudine placuit. Cor verò ſit liqueſcens ſicut cera* d, *jejuniis inquietans ſeipſum & cogitationibus ventilans quare ſit ab inimico ſubverſum. Senſus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malo ceſſit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ ſi fuerit, perſeverans audebit ſperare, & ſi non gloriam, certè pœnæ vacuationem.* Dicit enim Deus: *Convertimini ad me, & convertar ad vos* e. *Convertimini ex toto corde veſtro, in jejunio & fletu & in planctu: dirumpite corda veſtra, & non veſtimentum quoniam pius & miſericors ſum* f. *Sic converſus magnus ille David juſtificatus eſt* g. *Sic Ninive peccatrix illa civitas incumbentem ſibi evaſit interitum* h. *Peccator ergo ſi ſibiipſi non pepercerit, à Deo illi parcetur.* Sic ſibi non pepercit Magdalena, & ideò omnes diſſolutiones vitæ ejus præteritæ condonavit illi Deus, *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Et Ieſus dixit ad illam, Remittuntur tibi peccata. Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace* i. Ita per iſtam viam belli & mortificationis, Auditores, pacem inibitis vobiſcum, æquè ac cum Deo, & deſiderio, quo erga eam vobis conciliandam ardetis, penitus ſatisfacietis.

III. Pars. Supereſt nobis nunc diſſerendum de pace ineunda cum proximo noſtro, quam cum illo pangere debemus inquirere; & quam poſſidebimus per viam concordiæ, ſi velimus cum eodem proximo noſtro conciliari. Sed quis noſtrorum erit arbiter diſſidiorum? Non alium inſumamus, Auditores, niſi Jeſum Chriſtum, qui noſtrorum eſt Arbiter certaminum, ut ait Tertullianus k, *Epiſtates veſter Chriſtus Ieſus, qui vos Spiritu unxit* l, *& ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, ut vires corroborarentur in vobis.* Nunquid non vultis ſtare judicio ejus? nonne cauſam litis veſtræ cupitis illi prorſus committere diſcutiendam? Habetiſne aliquam recuſationem adversùs eum allegandam? Quid? *Sicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* m? Quid etiam? *Quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt* n? Quid? Quòd perſonas acceptet? *Non eſt perſonarum acceptio apud Deum* o. Nequaquam, Salvator adorande, recuſamus te; accepimus te ut Arbitrum, agnoſcimus te ut Judicem, pronuncia, & ego annunciabo in nomine tuo decretum tuum toti huic populo. Auſcultate, Chriſtiani, ſententiam diffinitivam, quam tulit Jeſus Chriſtus in gratiam pacis, *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos* p. Ecce concluſio Arbitri diſſidiorũ noſtrorum: non nunnis agitur quàm de jacturâ animæ æternâ, ac nolle huic ſententiæ ſubſcribere, eamque nolle exequi. Sed quamnam difficultatem invenietis, Auditores, circa illius executionẽ? cùm non obſtringat vos Deus ad diligendos inimicos veſtros ob amorem illorũ, ſed propter dilectionem ipſius, qui ita libenter ignoſcit vobis veſtra crimina, qui nonniſi cogitat *cogitationes pacis* q erga eos qui ipſi bellum indicunt; nonne propter amorem ejus debemus illos diligere? r

Caduceum, Mercurii virga fuiſſe fertur, quâ ille ad diſſidia & diſcordias tollendas utebatur: à cadendo dicta quòd contentiones & bella cadere faciat. Caduceũ Ægyptii in ſpecie duorũ draconũ, maris & fœminæ figuraverunt; qui parte mediâ ſui voluminis, nodo, quẽ Herculiũ vocant, ſibi alligantur, primiſq; partibus reflexi, in modum circuli oſcula jungunt. De draconibus autẽ caduceo additis hanc afferunt rationẽ: Mercuriũ, cùm hanc virgã manu teneret in Arcadiã proficiſceretur, duos ſerpentes pugnantes inveniſſe, virgâq; interpoſito dicto citiùs præliũ diremiſſe. Ad cujus rei memoriam poſteri caduceum duorum draconum ſimilitudine fecerunt, quâ etiam in palæſtrâ reliquiſque certaminibus tollendis uſi ſunt, ait Calepinus r. Heu! Auditores, diceturne quòd ſerpentes rixantes mitigati ſint interjectu ſceptri falſi Dei? & quòd Chriſtiani non ineant concordiam interventu Crucis, cui ſuffixus eſt verus Deus, qui Patrem ſuum pro ſuis ſic exoravit inimicis, *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt* s. Quæ eſt illius virga, & ſceptrum, *Factus eſt principatus ſuper humerũ ejus* t. Super quod Cornelius u ait, *Alludit ad virgam humeri V. 4 Quaſi diceret, Diabolus & Tyranni ſuam virgam & ſceptrum putà onera imperii ſui, imponunt humeris ſubditorum; at Chriſtus ſuis humeris ſuſtinebit virgam & onus ſui principatus; præſertim quia Chriſtus inſigne & ſceptrum imperii ſui, putà Crucem humeris ſuis bajulabit, atque regnabit à ligno Deus, ut canit Eccleſia* x. Sapientiores efficiamur, Auditores: de noſtrâ re agitur, nedum eam negligamus: non expedit ut damnationem incurramus æternam, ut ſatisfaciamus paſſioni momentaneæ ultionis; nec æquè conſonum eſt rationi, ut, cùm fragiles ſimus atque mortales, inimicitiæ

a Apoc. 1. 8.
b Tert. in Scorpiac. adverſ. Gnoſtic. c. 2
c S. Ambr. lib. ad Virgin. Lapſam. c. 8
d ex Pſ. 21. 15.
e ex Zachar. 1. 3
f ex Joël. 2. 12. & 13
g ex 2. Reg. 12. 13
h ex Jon. 3. 1. &c.
i Luc. 7. 37. &c.
k Tert. lib. ad Martyr. c. 3.
l ex 2. Cor 1. 21. & 22.
m Epheſ. 5. 2.
n Rom. 5. 8.
o Coloſſ. 3. 25.
p Matth. 5. 44.
q Jer. 29. 11.
r Calepin. in Diction. V. Caduceum.
s Luc. 23. 34.
t Iſai. 9. 6.
u Cornel. in Iſai. 9. 6.
x ex Pſ. 95. 10. & ex S. Auguſt. in Pſ. 95. 10. & ex S. Cypr. de Mont. Sina & Sion n. 10. & ex Tert. lib. 3. contra Marcio. c. 10.

citiæ noſtræ ſint irreconciliabiles: ſed è contrà auſcultemus Apoſtolum *y* ſic nos exhortantem, *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Ubi ex Cornelio *z* *nota, quòd Eraſmus & Vatablus vertunt, bravium & palmam ferat, ut quacumque opinionum, rerum, factorum diverſitas, vel adverſitas accidat, pax conſervetur; primum ſtudium ſit pacis, prima ubique paci deferantur; ut potiùs tuâ ſententiâ decedas, imò potiùs bona tua perdas, quàm pacem; ideòque pax victrix inſtar triumphantis exultet in cordibus veſtris, & is putet ſe viciſſe, in quâvis lite aut diſputatione, qui cæterarum rerum diſpendio pacem conſervarit.* Niſi pacem habeamus cum inimicis noſtris, Deus illam nunquam nobiſcum faciet. *De cætero, Fratres, quæcumque ſunt juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, hæc cogitate. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum* a. Quæ omnia appoſitè ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *b*, *De cætero, Fratres, quæcumque ſunt juſta quoad proximum: quæcumque ſancta quantùm ad cultum Divinum; quæcumque amabilia, id eſt, quæ inducunt ad mutuam amicitiam, hæc cogitate aſſiduè non ſolùm ut ſciatis, ſed ut ea agendo ſeu obtinendo virtuoſi ſalvique ſitis. Quæ & didiciſtis ex meâ prædicatione, & accepiſtis per cogitationem intellectivam; hæc opera virtuoſa agite. & Deus dator, amator, & conſervator pacis internæ, erit vobiſcum quotidie per gratiam ampliorem.* Si autem iſta non ſufficiant vobis, auſcultate S. Auguſtinum *c*, & timete, ne ſi aliquis ex vobis ſit ita immanis, ut ſuis parcere nolit inimicis propter amorem Dei, accidant ipſi infortunia, quæ S. iſte Doctor prædicit his, qui cum illis pacem habere noluerit, *Hanc ergo qui accepit, teneat: qui perdidit, repetat: qui amiſit, exquirat: quoniam qui in eâdem non fuerit inventus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, nihilominùs à ſancto Spiritu alienus efficitur.*

y Coloſſ: 3, 15.
z Cornel: in Coloſſ: 3, 15.
a Philipp: 4, 8, & 9.
b Dion: Carth: art. 4, in Philipp: 4, 8, & 9.
c S. Aug. ſerm. 57, de Verb. Dom.

Sed cùm ob defectus meos, & propter reſiſtentiam veſtram (quippe qui non fuiſtis ſatis induſtrii ad ritè inſumendum cognitiones & motiones ſacras, quas Deus vobis inſpiravit, quandiu Verbum Divinum vobis annunciavi, & ex ore meo ex auribus veſtris in intima uſque cordium veſtrorum ſe diffudit penetralia Sermo iſte Divinus) jure merito verear ne laboraverim *in vacuum, ſine causâ, & vanè fortitudinem meam* d conſumpſerim curis meis præteritis: utinam hoc ultimo conatu, quem facio, abripiam mentes veſtras: & ſicut cùm Dei Filius *dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam: & reſpondens Simon, dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete: cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam; rumpebatur autem rete eorum* e: rationabiliter metuo ne *per totam noctem* diſſolutionum veſtrarum, diebus elapſis *nihil* ceperim, id eſt nihil profecerim ad promovendam ſalutem veſtram: ſed cùm Salvator mihi præceperit ut hodiernâ die etiam laxarem *retia in capturam, in verbo* illius laxavi *rete* ejuſdem ſermonis ejus, conaturus in eo aliquas animas concludere. Hanc ultimam aggreſſus piſcationem, verbis utor Pſalmiſtæ *f*, *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Iſta eſt vox militis, qui ſe ultra vires ſuas extraordinariè impetitum intuitus ab inimicis, qui machinabantur ruinam ipſius, & injoſtè conſpiraverant adverſus ipſum, ut in ipſum turmatim irruerent contra regulas certaminis ſingularis, iſtam ſuſtinere non poteſt inæqualitatem, & incipit inclamare voce contentâ, & implorare ſubſidium Ducis ſui, vocans eum refugium ſuum, & obſequio illius ſe mancipans. Et, ut verum fatear, hæc eſt vox Regis peccatoris *g*, & ſimul pœnitentis *h*, qui loquens in nomine omnium noſtrûm, ab innumeris ſe videns obſeſſum inimicis, qui ipſum aggreſſi fuerant, eò quòd noluiſſet obedire mandatis Dei, agnoſcit peccatum ſuum præcipitio vicinus, & reverſus ad Deum ſuum, auxilium illius deprecatur, & miſericordiam ejus ſibi efflagitat impendendam; cùm ſolus poſſit ipſum à miſeriis ipſius eruere, & à poteſtate inimicorum ipſius ipſum liberare. His etiam ego verbis limites impono omnibus concionibus meis, certus quòd lapſi eſtis in laqueos inimicorum veſtrorum, qui inſenſibiliter veſtram vobis eripiunt libertatem; eâ ductus intentione ut aperiatis ſaltem hâc vice oculos veſtros, & agnoſcatis miſeriam veſtram, & recurratis tandem ad Deum veſtrum per lacrymas vivæ & veræ contritionis. Ego autem primus inter vos, Auditores, ſi hodiernâ die aggreſſus ſum adhuc aperire os meum, & ſolvere linguam meam ad faciendum hunc ultimum conatum in favorem veſtrum, debeo recurrere ad eundem Deum, & ſimul illum deprecari, ut aperiat vobis cor ad audiendam voluntatem iſtius, & claudat aures inimicorum veſtrorum, quibus hæc vox pœnitens, & hæc ſancta propoſitio nonniſi injucunda eſſe poteſt. Iſtud eſt, quod ago, Deus meus: & ſi non poſſum invenire in me verba ad hunc magnum effectum, & ad imponendos limites ſermonibus meis, inſumam adhuc iſta ejuſdem Prophetæ *i*, *Poſuit fines tuos pacem.* Quæ nimirum eſt finis & terminus laborum meorum: poſt tot labores inſumptos, relinquo vobis pacem. Quidam Dux Spartiata gloriabatur, quòd quò extendebatur ſagitta ſua, ibi erant limites poſſeſſionum ſuarum: cùm poſt ſermones tot & ita varios, quos coram vobis habui per decurſum iſtius Quadrageſimæ, diſcurſus meus tandem lapſus fuerit ſuper pacem, hìc meos pono *fines pacem.* Quæ eſt delectatio manſuetorum, *Delectabuntur in multitudine pacis* k. Quæ eſt ſpecioſiſſima Divinarum cogitationum, *Ego cogito cogitationes pacis* l. Quæ eſt vinculum admirabile, quod unit Patrem & Filium & Spiritum ſanctum in indiviſibili Trinitate, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* m. Quæ debet unire ſuper terrâ homines ſanctâ ſocietate. Si à Prophetis *n* prædicitur Meſſias, promittitur ut *Princeps pacis*. Si naſcitur, annunciatur ab Angelis *in terrâ pax* o. Si vivit, de eâ jugiter loquitur diſcipulis ſuis, *In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite, Pax huic domui* p. Si moritur, ideò ut illam ſtabiliat in mundo, *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt* q. Si reſurgit è monumento, vox pacis eſt prima quam profert, *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in primâ Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens, Avete* r. Si aſcenſurus eſt in cœlum, pacem ſuis relinquit diſcipulis, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* s. Semper ſuos *poſuit fines pacem.* Poſt omnes diſcurſus meos, ut ſcopum meæ miſſionis, *pacem relinquo vobis* cum Domino meo, à quo miſſus ſum: *pacem do vobis* ut fructum concionum mearum, *Ut fructus veſter maneat* t. Sicut *Ionas* u, prædicavi

d Iſai: 49, 4.
e Luc: 5, 4, &c.
f Pſ: 142, 9 & 10.
g 2. Reg: 11, 2, &c.
h 2. Reg: 12, 13.
i Pſ: 147, 3.
k Pſ: 36, 11.
l Jer: 29, 11.
m 1, Joan: 5, 7.
n Iſai: 9, 6.
o Luc: 2, 14.
p Luc: 10, 5.
q Coloſſ: 1, 20.
r Matth: 28, 1 & 9.
s Joan: 14, 27.
t Joan: 15, 16.
u Jon: 3, 4.

pœni-

pœnitentiam. Quemadmodum *fecit Noë omnia, quæ mandaverat ei Dominus*: ſic ego vobis declaravi, quòd *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magna, & cataracta cœli aperta ſunt* x ad vomendos torrentes iræ & indignationis, & deinde annunciavi vobis pacem, ſicut idem Noë; & poſtquàm *dimiſit columbam ex arcâ, illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo* y, quæ oliva eſt ſymbolum pacis. More Angelorũ, à quibus annunciata eſt *in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* z, *obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientiâ, ſupportantes invicem in charitate, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis* †. Abeo nunc in ſilentio ſicut *Stella* *, quæ diſparuit poſtquàm deduxit tres Reges ante pedes Redemptoris. Hunc obſecro ut ſuam vobis indulgeat pacem in hoc ſeculo, quò poſſitis illam in æternum cuſtodire in cœlo.

x Gen. 7, 5. & 11.
y Gen. 8. 10. & 11.
z Luc. 2, 14.
† Epheſ. 4. 1. &c.
* Matth. 2. 9.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Joan. 3. 14. & 15. ex Num. 21. 9.

NOn erat aliquid rectæ rationi congruentius, quam ut, quemadmodum in lege naturæ arbor intulerat mortem Protoplaſtis noſtris in paradiſo terreſtri, ubi uterque *tulit de fructu illius, & comedit* a contra prohibitionem ſibi factam à Deo terminis iſtis, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* b: & non ſecus ac in lege ſcriptâ cùm ob murmurationes Iſraëlitarum, eundem *miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora ut tollat à nobis ſerpentes: Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet: Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur* c: ſic in lege gratiæ Dei Filius elevaretur ſuper Crucem figuratam per arborem præfatam, ſecundùm interpretationem Ludovici de Ponte d ſuper hæc verba Canticorum, *Ficus protulit groſſos ſuos. Per ficum Crucem Chriſti intelligimus, vel ipſum Chriſtum crucifixum.* Et per ſerpentem æneum prædictum, ad dandam vitam æternam illis, qui ſeducti à ſerpente in paradiſo deliciarum in perſonâ Protoplaſtorum noſtrorum, & morſi deinceps à ſerpentibus peccatorum, nunquam ſurrexiſſent è miſeriis ſuis, niſi Filius Dei ad ſublevandos ipſos ab eis, ſe miſerum reddidiſſet ſuper Cruce, & priùs *in utero* e Virginis, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

a Gen. 3. 6. &c.
b Gen. 2, 17.
c Num. 21. 6 &c.
d De Pont lib. 5 in Cãt. c. 13. ex hort. 22, parag. 5.
e Luc 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
f Luc. 1. 28.

Sicut umbræ tabellæ alicujus videntur maculæ & deformitates illis qui non ſunt periti picturæ, ſed eis qui illam callent, ipſæ apparent, & ſunt re verâ excellentiæ artis, & partes neceſſariæ & velut eſſentiales ad benè repræſentandam perſonam quæ depicta eſt; & æquè manifeſtatur induſtria pictoris ex umbris ac è vivis coloribus: ſic ſputa, ſanguis, vulnera, lacrymæ, & dolores Filii Dei crucifixi videntur hominibus maculæ & deformitates, & res dedecentes perſonam Jeſu Chriſti, *qui eſt imago Dei inviſibilis* g. *Non eſt ſpecies ei, neque decor* h. Sed iſte Deus magnus, qui eſt Pictor, apprimè ſciebat, quòd ad depingendam imaginem, in quâ omnia mirabilia ſuæ Divinitatis ad vivum figurarentur (ſicut S. Paulus i ait de hâc imagine *Chriſti Ieſu, In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*:) requirebantur umbræ quædam, quæ vivos micare facerent colores. Bonitas Dei, cui proprium eſt ſe communicare, cùm dicat S. Dionyſius k, *Bonum eſt diffuſivum ſui*: manifeſtari non poterat meliùs quam diligendo nos *uſque ad mortem, mortem autem Crucis* l. Liberalitas Dei, quàm dando nobis ſuum *proprium ſanguinem* m. Miſericordia Dei, quam ſolvendo redemptionem noſtram *pretio magno* n. Id eſt, propriæ vitæ ſuæ. Juſtitia Dei, quàm exigendo tantam ſatisfactionem, ut non minus ipſa requireret quàm vitam Dei: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* o. Sapientia Dei, quàm adinveniendo modum ſic congruum redemptioni noſtræ, ſitum in dando corpore Filio ſuo, in quo ipſe poſſet pati & mori, ſicut re verâ in eo *& ipſe peccata multorum tulit* p. Et gloria & majeſtas Dei perſonaliter uniti naturæ hominis *ubi venit plenitudo temporis* q, & patrantis in hâc naturâ tot mirabilia r, quæ excedebant vires & notitias Angelorum, non poterant meliùs diſcerni, quàm per horrorem, infamiam, & opprobrium quæ apparebant ſuper facie iſtius viri deformati, quem vocat Iſaias s *Virum dolorum, & quaſi leproſum*: juxta hanc maximam, *Contraria juxta ſe poſita, magis eluceſcunt.* Ut neceſſariò cogerentur homines dicere, quòd oportebat ut ipſe eſſet Deus ad facienda illa omnia, cùm id quod ipſe habebat hominis, ſic eſſet deformatum, ut non videretur ampliùs illius præ ſe ferre figuram. Iſtæ igitur umbræ reddebant hanc imaginem gratiorem, & perfectiorem. Hinc oſtendam vobis Primò, quòd Jeſus Chriſtus in Cruce, in quam elevatus eſt, apparet propriè Filius Patris æterni: ut concludam Secundò, quòd ſequi debemus eum in Cruce, ſi gloriæ ipſius coheredes eſſe velimus.

g Coloſſ. 1, 15.
h Iſai. 53. 2.
i Coloſſ. 2, 2, &c.
k S. Dionyſ. lib. de Div. Nom. c. 4.
l Philipp. 2, 8.
m Hebr. 9, 12.
n 1. Cor. 6, 20.
o Iſai. 53. 4. &c.
p Iſai. 53, 12.
q Galat. 4, 4.
r Luc. 7. 37, &c.
s Iſai. 53. 3. & 4.
Diviſio.

Crux

Crux eſt thronus Regius, per quem micare cœpit majeſtas Regni Jeſu Chriſti, *Dominus regnavit à ligno*, dicit Pſalmiſta r juxta verſionem S. Auguſtini u, S. Cypriani, & Tertulliani y. Et S. Ambroſius z ait ad iſtud propoſitum, *Et Moyſes de Cruce ejus ita ſignificavit, dicens, Tunc videbitis vitam veſtram pendentem ante oculos veſtros, & non credetis.* Et S. Leo a dicit, quòd verba quæ Salvator dixit Dimæ, ſeu bono Latroni, non fuerunt verba dicta in ſupplicio Crucis, ſed velut oraculum vel decretum pronunciatum è throno Regio, *Ut etiam in ipsâ patibuli ſpecie monſtraretur illa, quæ in judicio ipſius omnium hominum eſt facienda diſcretio, cùm & ſalvandorum figuram fides credentis Latronis exprimeret, & damnandorum formam blaſphemantis impietas prænotaret.* Iſaias b prædixerat, quòd ſuper Cruce collocanda foret tota gloria majeſtatis Dei, *Et erit in ſolium gloriæ domus Patris ſui. Et ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus Patris ejus.* Vocat iſte Propheta Filium Dei crucifixum gloriam Patris ſui, ſicut deinceps Apoſtolus c nominavit eum ſplendorem Patris ſui, *Cùm ſit ſplendor gloriæ. Id eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus d, *radius ſapientiæ Patris ingenita, ſeu candor lucis æternæ, & fulgor majeſtatis paternæ* e, *in quo plenè reſplendet tota perfectio Patris. Est namque Filius mentis Paternæ Verbum æternum, intelligibilis dictio, & ſapientia ejus plena expreſſio. Dicitur ergo Filius ſplendor gloriæ ſeu excellentiæ Dei Patris, quoniam quidquid Patris eſt, ſplendet ac lucet in Filio* f. *Et in hoc inſinuatur coæternitas Filij cum Patre. Splendor enim eſt igni ſeu Soli coævus. Et ſi Sol ab æterno fuiſſet, ſplendor fuiſſet ei conſempiternus.* Nemo ambigit quin ipſe ſit talis ſecundùm ſuam Divinitatem; ſed ipſe eſt etiam in hâc qualitate ſecundùm ſuam humanitatem. Sicut enim Pater ſuus ipſum glorificavit in terrâ, reddens eum glorioſum & immortalem coram hominibus, pro infamiâ & morte quam iiſdem homines ei intulerant, vel procuraverant, cùm dicat Apoſtolus g de eo, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: Propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris*: Et, *Nunc autem dicit Dominus, Quicumque honorificabit me, glorificabo eum* h: ſic Filius glorificavit in cœlo nomen Patris ſui, quod diabolus caligine ſuffundere conatus erat & obſcurare in terrâ per idololatrias, & per pluralitatem deorum. Sed quandonam Jeſus Chriſtus glorificatus eſt, æquè ac Pater ſuus fuit in ipſo glorificatus? Ipſemet hoc *dixit Ieſus, Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo* i. Unde Maldonatus k ait, *Hoc ipſum voluit Evangeliſta declarare, cùm dixit, Cùm ergo exiſſet, indicans, Iudæ diſceſſum, occaſionem Chriſto præbuiſſe, ſermonem commutandi, & de glorificatione ſuâ agendi, Nunc, inquit, clarificatus eſt Filius hominis. Quando nunc? Quando Iudas iam ad vendendum me ad mortem, egreſſus eſt. ut rectè* Origenes l, *&* Auguſtinus m *animadvertunt. Quemadmodum ſi fortis in bello dux, accepto nuntio futuri eo die prælij, geſtiens lætitiâ dicat, Hodierno ego die immortalem gloriam conſecuturus ſum. Aut, quod majorem emphaſim haberet, Nunc ego beatus ſum, nunc immortale nomen conſecutus, loquens per præteritum de re futurâ, ut oſtendat, ſe tam certam habere victoriam, quàm ſi eam teneret manibus, quàm ſi triumphans in patriam reverteretur. Eodem enim modo loquitur Chriſtus, Nunc clarificatus eſt Filius hominis, Crucis ſuæ victoriam, clarificationem ſuam vocans, quòd ob eam datum ſit illi nomen ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* n. *Sic Origenes; Chryſoſtomus, Cyrillus, Theodorus Mopſueſtienſis, Leontius, Theophylactus, & Euthymius, id eſt, Græci omnes Authores interpretantur: inter Latinos etiam Rupertus. Quærunt autem Cyrillus & Leontius, quo modo nunc ſe clarificatum, id eſt, clarificandum eſſe dicat, cùm tot ante miraculis, ſatis, ſuperque clarificatus eſſet. Reſpondent in hanc ferè ſententiam, eam claritatem, quam miraculis conſecutus fuerat, ſi cum eâ comparetur, quam poſteà victo per Crucem hoſte conſecutus eſt, tenebras fuiſſe. Et verò ita eſt: nuſquam tam apertè ejus Divinitas, atque in Cruce cognita eſt.* Propter hunc magnum effectum ipſe oſtendit in Cruce magnam liberalitatem ſuam: nam licèt per totum vitæ ſuæ decurſum ipſe ſe exhibuerit liberaliſſimum, præbens modò manus ſuas, ſicut cùm *adducunt ei ſurdum & mutum: & deprecabantur eum ut imponat illi manum: Et apprehendens eum de turbâ ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus: & expuens, tetigit linguam ejus: & ſuſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi, Ephphetha, quod eſt, adaperire: Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus: & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè* o: modò pedes ſuos, ut cùm *ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat* p: modò oculos ſuos, quemadmodum cùm *ambulans juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum: At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum: Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos: Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum* q; & cùm *vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine; & ait illi, Sequere me: Et ſurgens ſecutus eſt eum* r: & cùm *ingreſſus perambulabat Iericho: Et ecce vir nomine Zachæus: & hic Princeps erat publicanorum, & ipſe dives: & quærebat videre Ieſum qui eſſet: & non poterat præ turbâ, quia ſtaturâ puſillus erat: & præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum ut videret eum, quia inde erat tranſiturus: Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe, feſtinans deſcende: quia hodie in domo tuâ oportet me manere: Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens* †: modò ſalivam ſuam, ut cùm *præteriens vidit hominem cæcum à nativitate: & expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloë, quod interpretatur, Miſſus: Abijt ergo, & lavit, & venit videns* s: modò vocem ſuam, ſicut cùm *voce magnâ clamavit, Lazare, veni foras: Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus* t: & modò virtutem ſuam, ſeu Divinam potentiam ſuam, liberans à poſſeſſione dæmonum quantùm ad corpora, & à tyrannide peccati quoad animas, *Quia omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati* u, Dicebat ipſemet Judæis: *Servus namque peccati,*

3. Pars.
r ex Pſ. 95, 10.
u S. Aug. in Pſ. 95, 10.
y S. Cypr. tract. de montib. Sina & Sion. n. 49.
y Tert. lib. 2. contra Marcion. c. 19.
z S. Ambr. in 1. Cor. 15. ex Deut. 28, 66.
a S. Leo. ſerm. 4. de Paſſ. c. 1, ex Luc. 23, 43.
b Iſai. 22, 23, & 24.
c Hebr. 1, 3.
d Dion. Carth. art. 1, in Habr. 1, 4.
e ex Sap. 7. 26.
f ex Joan. 10, 30.
g Philipp. 2, 8. &c.
h 1. Reg. 2, 30.
i Joan. 13, 31.
k Maldonat. in Joan. 13, 31.
l ex Orig. in Joan. 13. 31.
m ex S. Aug. tract. 63. in Joan. 13. 31.
n ex Philipp. 2, 9. & 10.
o Marc. 7, 32.
p Luc. 7, 37. & 38.
q Matth. 4, 18. &c.
r Matth. 9. 9.
† Luc. 19, 1. &c.
s Joan. 9, 1. &c.
t Joan. 11, 43, & 44.
u Joan 8, 34.

ſervus eſt tot dominorum quot vitiorum, dixit dein-
x Cellens. lib de Panib. c. 15 ceps Petrus Cellenſis x: Et, *Magam dæmon pecca-
tum eſt*, pronunciavit deinde S. Chryſoſtomus y:
y S. Chryſoſt. hom. 33, ex c 8. Matth. ut cùm *erat ejiciens dæmonium, & illud erat mu-
tum; Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus,
& admiratæ ſunt turbæ* z: nunquam tamen ipſe ex-
hibuit ſe ſic liberalem & ita magnificum ac ſuper
arbore Crucis, *Vidimus gloriam ejus gloriam quaſi
Unigeniti à Patre* a. Quod S. Chryſoſtomus b
z Luc. 11, 14 intelligit de Jeſu Chriſto vulnerato & diſcerpto
ſuper patibulo Crucis, dicens, *Quidnam eſt id?
a Joan. 1, 14. Vidimus gloriam ejus gloriam quaſi Unigeniti à Patre.
b S. Chryſoſt. hom. 11, ex Joan. 1, 14. Non utique viſurt, niſi per ſaucium corpus nobis ap-
paruiſſet.* Quaſi diceret, quòd tunc ipſe verè ma-
nifeſtavit, quòd eſſet Filius Dei vivi, cùm illo
tempore plures exercuerit liberalitates, quàm
exercuiſſet toto tempore vitæ ſuæ diverſis vici-
bus, licèt omnia miracula, quæ ipſe patrave-
verat, ſocium ſemper habuiſſent aliquod genus
beneficij, vel liberalitatis. Nam primò ipſe
ſua dedit indumenta militibus, *Milites ergo cùm
crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus (&
fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem)
c Joan. 19, 23. & tunicam* c. Præthereà, Ipſe tribuit pasadiſum
Dimæ, ſeu bono Latroni, *Et dicebat ad Ieſum,
Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.
d Luc. 23, 42, & 43. Et dicit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris
in paradiſo* d. Inſuper, Inſpiravit ipſe Centu-
rioni, & illis qui intererant, quandam agni-
tionem, & aliquem affectum doloris, eò quòd
concurriſſent ad mortem ipſius, *Videns autem
Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, di-
cens, Verè hic homo juſtus erat. Et omnis turba eo-
rum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & vide-
bant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, reverte-
e Luc. 23, 47, & 48. bantur* e. *Per pectoris percuſſionem inſinuabant,
quòd injuſtiſſimè actum eſſet cum Ieſu, & quòd pœ-
niterent de hoc, quòd in ejus crucifixionem conſen-
ſiſſent: ſed & plagam ultionis Divinæ verebantur;
nam & ideò Centurio cum ſuis valdè expavit. Unde
quod Lucas ait, Omnis turba, intelligendum eſt dici
propter multitudinem eorum qui taliter redierunt:
non tamen abſolutè omnes qui aderant, ita egerunt,
imò aliqui ipſorum tam Iudæi quàm Gentiles in priſti-
f Dion. Carth. art. 49. in Luc. 23, 48. nâ perſtiterunt malitiâ*, ſubdit Dionyſius Car-
thuſianus f.

Sed ipſe maxima myſteria manifeſtavit, cùm
g Joan. 19, 30. *inclinato capite tradidit ſpiritum* g. Quapropter
S. Athanaſius h dixit, *Sola mors reſtabat adhuc: atq;
h S. Athan. in Reip. ad quæſt. 70. hæc quidem ſibi metuens, appropinquare non audebat.
Ideò Chriſtus inclinato capite vocavit ipſam. Nam
antequàm caput inclinaret, verebatur propiùs ac-
cedere.* Obſervat ſanctus Doctor iſte hîc quod-
dam genus miraculi, cùm hoc eſſet mutare &
alterare ordinem naturæ, per quem omnis ho-
mo qui moritur, imò verò morte violentâ,
priùs emittit ſpiritum, & deinde inclinat caput.
In quo Jeſus Chriſtus monſtravit, quòd ipſe eſſet
propriè Filius Dei, & conſequenter Dominus
vitæ & mortis, tribuens liberter morti facul-
tatem aggrediendi ſui ipſius, & aperiens illi ja-
nuam clavibus quas ipſius habebat, ſicut ipſemet
i Apoc. 1, 18. ajebat, *Et habeo claves mortis & inferni* i. Et,
k Joan. 10, 18. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam* k. Quod
l Matth. 27, 50. exprimitur veſbis iſtis, *Emiſit Spiritum* l. Et,
m Luc. 23, 46 ex Pſ. 30, 6. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum me-
um* m.

Sed velletis ne, Auditores, ſcire alias ratio-
nes præcipuas myſterioſas & devotas, propter
quas Jeſus Chriſtus Filius Dei voluit ſic inclinare
caput ſuum, antequam ſpiritum exhalaret?

Prima fuit, Ut nobis innueret, quòd ipſe non
moriebatur pro ſe ipſo, nec ut haberet glo-
riam animæ ſuæ: nam, ſicut ait Dionyſius Car-
thuſianus n cum omnibus Theologis, *Anima* n Dion. Carth. art 30. in Matth. 27, 2.
*Chriſti in primo inſtante ſuæ creationis ac unionis cum
Verbo* o, *erat verè ac fruitivè beata*. Et ideò non
indigebat ut elevaret oculos, & caput ad cœ-
lum, more S. Stephani, qui *intendens in cœlum,* o ex Joan. 1. 14.
vidit gloriam Dei p, ad quam aſpirabat; vel in- p Act. 7, 55.
ſtar S. Martini, qui *oculis ac manibus in cœlum
ſemper intentus, Sinite me*, inquiebat, diſcipu-
los ſuos alloquens, ut canit Eccleſia, *cœlum po-
tiùs quàm terram aſpicere, ut ſuo jam itinere iturus
ad Dominum ſpiritus dirigatur.* Sed quia Jeſus
Chriſtus moriebatur pro ſalute hominum, ideò
inclinavit caput ſuum & oculos ſuos versùs ho-
mines, veluti deprecans eos ut educerent utili-
tatem è paſſione & morte ſuâ. Et ſi ipſe com-
mendavit ſpiritum ſuum Patri ſuo, hoc non e-
git præ neceſſitate, nec præ timore ſalutis ſuæ,
ſed ad nos edocendos, ut ageremus idem ipſâ
noſtræ mortis horâ. Propterea *tenebræ factæ ſunt
in univerſam terram & obſcuratus eſt Sol* q, cum q Luc 23, 44, & 45.
moriebatur Filius Dei, qui fecerat *duo lumina-
ria magna, luminare maius, ut præceſſit diei: &
luminare minus, ut præeſſet nocti* r. Iſtæ duæ r Gen. 1, 16.
lampades mundi ſplendorem ſuum amiſerunt
tempore mortis illius qui ipſis præbuerat eſſe.
Hominibus, cùm moriuntur, traduntur cerei
benedicti accenſi, propter timorem, & ob in-
certitudinem loci, ad quem ire debent: & ſicut
tenebræ noctis mortis augent pavorem, ideò
præbentur ipſis cerei accenſi, ſicut etiam ad hoc
ut iſtæ animæ eant ſe præſentatum Sponſo ſuo
præ manibus habentes bona opera expreſſa per
lumen, juxta iſtud verbum Evangelicum s, s Luc. 12, 35, & 36.
*Sint lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimi-
les hominibus expectantibus Dominum ſuum quando
revertatur à nuptijs.* Sed Jeſu Chriſto *tenebræ
factæ ſunt*. Ipſe quippe ſecuriſſimus eſt de ſalute
ſuâ, cùm illam ſecum deferat, *Et ſanitas in pen-
nis ejus* t. Ipſe eſt lumen orbis, ſicut ipſemet t Malach. 4. 2.
ait, *Ego ſum lux mundi* u. In nativitate ipſius,
è nocte facta eſt dies: *Cùm enim quietum ſilentium* u Joan. 8, 12.
*contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter
haberet, omnipotens Sermo exiliens de cœlo à Rega-
libus ſedibus in mediam exterminij terram proſili-
vit* x. *Et paſtores erant in regione eâdem vigilantes* x Sap. 18, 14. & 15.
*& cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et
ecce, Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas
Dei circumfulſit illos* y. Ipſe enim Dominus lu- y Luc. 2, 8, & 9.
cem ſecum ferebat. Et in morte ipſius, è die fit
nox, juxta prædictionem ipſius per Amos z,
*Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam ter-
ram in die luminis.* Ipſe enim abiens, lucem
mundi ſecum abripit. *Poſſunt hæc referri ad tem-
pus paſſionis Chriſti, quando ſextâ horâ Sol non ſu-* z Amos, 8, 9.
*ſtinens Dominum videre in Cruce, retraxit radios:
& quando obcæcatis cordibus Iudæorum in die lumi-
nis verus Sol occubuit, & advenientibus Romanis
feſtivitates & cantica eorum verſa ſunt in luctum: &
ex illâ die omnia repleta ſunt lacrymis, & pœnitu-
dine, & cilicio, & decalvati ſunt, quia Chriſtum
non habent, qui eſt operimentum omnium Electorum,
tunc populus Iſraël, quondam primogenitus Dei, æ-
terno luctui traditus eſt* a.

Pro ſecundâ ratione, Jeſus Chriſtus inclina- a Gloſſ. Ordin. in Amos. 8, 8.
vit caput antequàm expiraret, ad innuendum
hominibus, quòd ira Patris ſui eſſet mitigata pe-
nitus, repræſentando hâc inclinatione capitis
ſui, approbationem ſolemnem quam Pater ſuus
facie-

faciebat ſatisfactionis ab ipſo ſibi impenſæ pro peccatoribus, ſicut Scriptura b ſacra dicit Nicanorem fuiſſe unanimem cum Juda Machabæo, *Et erat viro inclinatus*. Et, *Reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus* c.

Præterea, Dei Filius inclinavit caput ſuum priuſquàm emitteret Spiritum, ad ſignificandum, quòd ipſe ſuis finem jam impoſuiſſet laboribus: in toto enim progreſſu vitæ ſuæ laborioſæ unuquā invenerat ubi caput ſuū reclinaret, ſicut ipſemet ait, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* d. Sed horâ mortis ſuæ ipſe cœpit dicere, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam* e: ſicut cùm *egreſſus Iacob de Berſabee pergebat Haran: cùmque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere poſt Solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco* f.

Inſuper, *Ieſus inclinato capite tradidit ſpiritū* g. Sicut enim homo per culpam factus fuerat mortuus, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* h; & amiſerat hunc ſpiritum, & hanc vitam: ſic oportebat ut Filius Dei, qui ipſi dederat alias hunc ſpiritum, cùm *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* i; quando redire volebat ad Patrem ſuum, miſericorditer reſpiceret homines ad reddendum eis eundem ſpiritum, qui non pendebat niſi ab ipſo. Et ſi cùm *factus eſt primus homo Adam in animam viventem; noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem* k, ad vivificandum illum: ſic *Deus (qui dives eſt in miſericordiâ) propter nimiam charitatem ſuam quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto* l. Et nos renovavit, cùm induimus nos ipſos novo homine, qui eſt idem Jeſus Chriſtus, juxta conſilium quod nobis tribuit idem Apoſtolus m, *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ: & induite novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis*. Sic ut iſta Crux fuerit veluti currus Eliæ, è quo diſcipulus ſuus Eliſeus ipſum rogabat ut effunderet ſuper ſe duplicem ſpiritum ſuum, *Obſecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus* n. Cùm inde homines hæreditaverint veluti duplicem Spiritum Filij Dei, noſtro modo loquendi, *Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* o. Id eſt, Spiritu pro vivis, & Spiritu pro defunctis. Spiritu pro illis qui videbant ipſum mori, è quorum numero erant diſcipuli ſui: *Nam illis* (ut obſervat Dionyſius Carthuſianus p) *Chriſtus dixit, Sine me nihil poteſtis facere* q. *Et Spiritu oris ejus, id eſt, à Spiritu ſancto, qui à Filio quoque procedit* r, *omnis virtus eorum, id eſt, tota poteſtas faciendi miracula, efficaciterque loquendi*. Et Spiritu pro illis qui erant in limbo, expectantes adventum felicem iſtius Spiritus, juxta prædictionem Iſaiæ s ſic alloquentis Salvatorem in Spiritu, *Ut diceres his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini*. Quæ viſitatio fuit ipſis jucundior, quam fuerit aliàs reditus columbæ emiſſæ à Noë ex arcâ: *At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo. Intellexit ergo Noë quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram* t. Qui ramus olivæ fuit ſymbolum pacis ineundæ cum Deo ab omnibus hominibus.

Non latent vos, Auditores, miracula quæ acciderunt tempore mortis Salvatoris, quomodo *velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum: & petræ ſciſſæ ſunt: & monumenta aperta ſunt* u. Lege Levitici x cavebatur, *Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo: veſcetur tamen panibus qui offeruntur in ſanctuario, ita duntaxat ut intra velum non ingrediatur*. Hoc autem ſignificabat difficultatem magnam quæ aderat ingrediendi cœli, quod eſt verum *tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum* y, verè opertum & velatum ante mortem Salvatoris. Sed ſicut idem *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta*, dicit S. Paulus z: *Id eſt, in cœleſte tabernaculum præfiguratum per Sancta Sanctorum*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus †: non ſolùm nullum eſt velum, vel impedimentum, quantùm ad ipſum; ſed etiam ipſe dirupit impedimentum quod aderat quoad nos, & declaravit per fractionem veli quòd impoſterùm ingreſſus paradiſi futurus eſſet nobis facillimus. Et *petræ ſciſſæ ſunt*. Id eſt, ut dicunt aliqui, velut ad ſignificandum, quòd ſi ipſæ dare potuiſſent vitam ad redimendam vitam Creatoris ſui, ipſæ libenter eam impendiſſent: vel, ad ſubminiſtrandum Filio Dej argumentum efficax contra indurationem & obſtinationem Judæorum, & ad dicendum eis, quòd ipſi duriores eſſent ipſis lapidibus, cùm nullo cieri poſſent affectu & motu cordis, intuitu ſic horribilis eventus, quandiu lapides qui ſunt inſenſibilitatis imago, videntur experiri motus extraordinarios, collidendo ſe adinvicem. *Et monumenta aperta ſunt*, quaſi omnia corpora ſanctorum Patrum, quæ ſepulta fuerant, voluiſſent offerre ſepulchra ſua huic corpori pretioſo, quod erat ipſis citò ſociandum: ſicut cùm Princeps aliquis ingreditur aliquam civitatem, ubi non habet ipſe palatium proprium ſeu particulare, ſtatim omnes homines inſigniores illius civitatis vadunt oblatum ædes ſuas, dicentes illi, Sacra Majeſtas, dignare, ſi placet, honorare habitatione tuâ domum meam: cùm ſperent ipſi ex iſtâ manſione Regis, ſe ſuſcepturos eſſe nova nobilitatis & honoris inſignia, & ſe favoribus notabilioribus quàm anteà cumulandos: ita hæc omnia corpora ſperabant ſe ſuſceptura gratias & ſanctificationes cœleſtes per præſentiam corporis Filij Dei, *Et monumenta aperta ſunt*.

Hoc eſt compendium præcipuorum miraculorum quæ acciderunt tempore mortis Salvatoris, repleta beneficijs & largitatibus. Si autem aliquis è vobis non inveniat ea ſatis magna, & ſatis numeroſa, convertat oculos ſuos ſuper ſanctos homines qui miracula peregerunt ex tunc, & reperiet illa patrata fuiſſe virtute Crucis, & aliqua ex eis vel ſolo ſigno Crucis. Si ergo omnia miracula quæ unquam peracta ſunt in favorem hominem, facta fuerunt & fulta virtute Crucis: nonne jure merito dicemus, quòd Jeſus Chriſtus ſe liberaliorem exhibuit in Cruce quàm unquam, & quòd ibi ſe oſtendit propriè Filium Dei, & *hæredem univerſorum* a bonorum ipſius a: cùm ita ſolemnem & generalem diſtributionem eorum fecerit. In Cruce ergo debemus illum ſequi, ſi gloriæ ipſius velimus eſſe cohæredes.

II. Pars. Dei Filius elevatus in Crucem, in eâ poſitus eſt in aëre velut in loco neutro, vel ſicut medio inter cœlum & terram, ut omnia tendant ad ipſum, non ſecus ac omnes lineæ circuli tendunt

ad

b 2 Mach. 14, 24.
c Rom. 5, 10.
d Matth. 8, 20.
e Pſ. 4, 9.
f Gen. 28. 10, & 11.
g Joan. 19, 30.
h Ezech. 18, 4. & 20.
i Gen. 2. 7.
k 1. Cor. 15. 45.
l Ephes. 2, 4 & 5.
m Epheſ. 4, 23. & 24.
n 4 Reg. 2. 9.
o Pſ. 32. 6.
p Dion. Carth. in Pſ. 32. 6.
q Joan. 15. 5.
r ex Joan. 15. 26.
s Iſai. 49. 9.
t Gen. 8. 11. &c.
u Matt. 27. 51.
x Levit. 21, 21. &c.
y Hebr. 9. 3. ex Exod. 26, 33. & 34.
z Hebr. 9. 11. & 12.
† Dion. Carth. art. 9. in Hebr. 9. 12.
a Hebr. 1. 2.

ad centrum ſuum, quod eſt in medio. Pater æternus ivit ad Filium ſuum per agnitionem, & per ſatisfactionem quam ſuſcepit è meritis ipſius: Animæ quæ erant in limbo, iverunt ad eum per humilem actionem gratiarum pro redemptione quam pro ipſis ſolvebat: Angeli cœli perrexerunt ad illum ad deflendam ipſius mortem, & ad admirandam ipſius bonitatem, juxta prædictionem Iſaiæ *b*, *Angeli pacis amarè flebunt*. Dæmones inferni contenderunt ad ipſum, ut tremerent ſub ipſius authoritate, & redderent animas, quas tenebant captivas, *Dæmones credunt & contremiſcunt* c. Cœli & planetæ adierunt ipſum, renunciantes ſplendori ſuo, quandiu Creator ipſorum erat in tenebris: *Erat autem fere hora ſexta: & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol* d. Terra ivit ad illum, teſtans tremore ſuo, quòd ipſa agnoſcebat eum ut Judicem ſuum, *Et terra mota eſt* e. *Per terræ motum figurabatur terrigenarum admiratio & converſio*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *f*. Tandem, Omnia elementa, & univerſæ creaturæ, quæ non habent vitam, nec cognitionem, hanc utramque videbantur acquiſiviſſe, ut irent ad pedes iſtius Dei morientis, & agnoſcerent effectus miſericordiæ ipſius & opera juſtitiæ ipſius ſimul, non ſecus ac peccatores, in quorum ſavorem *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi* g, quemadmodum vivi colores & umbræ alicujus tabellæ, in quibus conſiſtit tota pulchritudo & excellentia imaginis. Si enim ſola juſtitia fuiſſet exercita ſuper Filiũ Dei, homines nõ haberent unde viverẽt; ſic cõtentis, ſi ſola miſericordia micuiſſet ſuper peccatores, pro offensâ irrogatâ Deo non fuiſſet ſatisfactum: utraque adeſt. Hic perficitur hoc opus, & hæc tabella ſic conſummata ut inducat nos ad petendum à Filio Dei crucifixo participationem Crucis ſuæ, quæ tranſumpta ſit è ſuo prototypo, ſi velimus eſſe cohæredes gloriæ ipſius, *ipſe enim Spiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij; & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* h. Sed quare non ſequeremur eum, cùm ipſius Crux ſit ita felix, & ſimul ita levis? *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve* i, dicit ipſemet Salvator. Quis inveniet eam gravem, poſtquàm ipſe Filius Dei, qui ab eâ poterat eſſe immunis, eam ſic facilè portavit? Modus eſt attrahendorum militum amabiliter & ſine violentiâ ad ſuſtinendos labores belli, ac videre quòd Alexander, Cæſar, & Pompeius, primi ſe exponant omnibus periculis, quis autem ſic puſillanimus erit, ut videns Ducem ſuum in fronte exercitus, ruere primum cæco impetu in medios hoſtium cuneos, ire per montes & valles bibitum aquam turbidam, velit poſthæc arma deſerere? *Ait Vrias ad David, Arca Dei & Iſrael, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore meâ? per ſalutem tuam & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc* k. Quis non inveniet Crucem levem, cùm paupertas Jeſu Chriſti nos ditet *l*, deformitas ipſius *m* nos decòret, infamia ipſius *n* nos honoret, triſtitia ipſius *o* nos lætificet, & mors ipſius *p* det nobis vitam. Vocatur *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus* q. Paupertas, lacrymæ, & perſecutiones Juſtorum vocantur beatæ r: & ipſi poſſident jam per anticipationem interventu Crucis, quam deferunt in ſequelâ Jeſu Chriſti, gloriam, cujus eſſe debent aliquando cohæredes: ſicut illud quod eſt pro peccatoribus infortunium, ſit pro Juſtis felicitas. Sic Crux peccatoribus obſtinatis eſt tormentum; ſed Juſtis eſt benedictio: quod inducere nos debet ad ſuſtinendam illam cum patientiâ.

b Iſai 33, 7.
c Jacob. 2, 19.
d Luc. 23. 44. & 45.
e Matth. 27, 51.
f Dion. Carth. art 44 in Matth. 27, 51.
g Pſ. 84, 11.
h Rom. 8. 16. & 17.
i Matth. 11, 30.
k 2. Reg. 11, 11.
l 2. Cor. 8. 9.
m Iſai 53. 2.
n Joan. 19, 18
o Matth. 26, 38.
p Joan. 19, 10.
q Pſ. 115. 6
r Matth. 5. 5. &c.

Sicut elementa ſuſcipiunt tales influentias à cœlis, ut faciant res admirabiles, & quæ videbantur excedere ipſorum captum; imò verò omnes cœli, licèt habeant motus particulares, qui ipſos ferrent in aliquam partem, tamen abripiuntur curſu primi mobilis virtute unionis quæ eſt inter ipſos, ſic ut motus ipſorum naturalis corrigatur ab iſto & moveantur velociùs ſub directione primi mobils, quàm faciant propriâ inclinatione; habemus inclinationes naturales & ſatis vitioſas & noxias, in quarum viâ perſæpè major eſt labor, quàm in illis quæ veniunt ab alio motore: ambitio, avaritia, vindicta, præſumptio, voluntas animalis ſunt pravæ inclinationes noſtræ: ſed projiciamus oculos noſtros ſuper hunc myſticum ſerpentem Cruci ſuffixum, qui vult eſſe primus motor noſter, & ſinamus nos ab eo dirigi; & ipſe nobis imprimet motum ſuum; & inducens nos ad patientiam, velociùs nos diriget in viam ſalutis.

Quid autem? tenueretiſne, Auditores, *bibere calicem quem* s ipſe primus bibit? Aliàs cùm filius armatus rabie & furore, vitam eripiebat illi, à quo ipſe eam ſuſceperat, incurrebat hoc ſuave ſupplicium, ut includeretur tribus diebus cum corpore, quod ipſe peremerat. Exiſtimo autem quòd illi, qui impoſuerant iſtam legem, putabant, quòd objectum horribile criminis erat ſatis ſeverum illi qui hujuſmodi criminis conſcius erat ad hoc ut evelleret ultimas lacrymas ex oculis ejus, & extremos dolores ex animâ illius. Re autem verâ natura nunquam ſibi detrahit: ipſa poteſt quidem dare aliqua intervalla amoris & compaſſionis, ſed tandem ipſa evellit cor è viſceribus conatu digno ſe. Invertamus hoc numiſma, ut eruamus myſterium iſtius veritatis moralis: Nos ipſi repræſentamus hunc filium criminoſum, cùm occiderimus Redemptorem noſtrum, qui eſt *Pater noſter* t. Pœna quam lex juſtitiæ ipſius nobis imponit, eſt ut feramus ipſius Crucem in ſequelâ ipſius, id eſt, ut ipſum jugiter intueamur in Cruce, ubi crimina noſtra fecerunt ipſum expirare, *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum* u. Eſtne autem in mundo ſupplicium ſuavius iſto pro eo quòd effuderimus ſanguinem illius, qui replevit venas noſtras? Lex non petit à nobis niſi lacrymas x pro eo quòd ipſum Cruci ſuffixerimus: Juſtitia non imponit nobis aliam pœnam, niſi ut feramus iſtam Crucem, id eſt, alligemus oculos noſtros compaſſione plenos huic patibulo, cui ipſe ſuffixus eſt: pro eo quòd *coronam de ſpinis capiti ejus* y impoſuerimus, ut conculcemus roſas voluptatum noſtrarum: tandem pro eo quòd ipſi mortem intulerimus, non requiritur à nobis niſi patientia, ad ſuſtinendas miſerias noſtras propter ipſius amorem; & aliquas lacrymas ad teſtandum dolorem de tali morte ipſi inflictâ à nobis conceptum. Quis autem recuſare poſſet compaſſionem vel amorem illi, qui præ amore miſertus eſt noſtri? Cor ipſius liquefactum eſt *lacrymis* z ſanguineis ſuper altari Crucis, *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens* a. Nunquid autem non debemus immergi

s Matth. 20. 22.
t Matth. 6. 9.
u 1. Petr. 2, 24. ex Iſai. 53 4. & 5.
x Ezech. 18, 21.
y Joan. 19, 2.
z Hebr. 5, 7.
a Pſ. 21, 15.

mari

mari fletuum noſtrorum, preſſi turbine dolorum & planctuum noſtrorum? Sinemuſne ut *petræ ſciſſæ* b, nobis improperent duritiem noſtram? *Obſcuratus eſt Sol* c intuitu criminum noſtrorum; nos verò nonne pallebimus dolore pro eo quòd hæc patraverimus? Luna latuit præ pudore: & facies noſtra non ſuffundetur erubeſcentiâ? *Terra mota eſt* d. Corda verò noſtra non frement timore? nedum dicant Deo cum Pſalmiſtâ, *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui* e. *Ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum* f. Et viſcera noſtra manebuntne integra? Tandem, Tota natura paſſa eſt: nos autem immunes erimus à paſſionibus intuitu Salvatoris noſtri patientis? Ipſe captivus erit pro nobis ſuper Cruce; nos verò renuemus pari pro illo? & erimus ſic puſillanimi ut nolimus onerari Cruce ad ipſius imitationem? Nunquid non hoc eſt ſupremum faſtigium honoris, quo poſſimus prætendere ac mori ſequendo eum? Sed nonne ſcimus, quòd tota noſtra fœlicitas tendit ad hoc punctum, ut nunquam ſimus aliam habituri, quàm ut feramus Crucem noſtram poſt Jeſum Chriſtum? Nunquid non eſt ſcala Jacob †, quæ nobis ſervit ad hoc ut aſcendamus in cœlum? Et, juxta verba Textus mei, nonne eſt myſticus Serpens æneus, qui ſanat animas noſtras à vanitatibus ſeculi, ut transferat eas ad gloriam?

b Matth: 27, 51. c Luc: 23, 45. d Matth: 27, 51. e Pſ: 118, 120. f Matth: 27, 51. † Gen: 28, 12.

Sed dicetis mihi, quòd nemo immunis eſt ab hoc onere. Eſtne crux gravior, dicent perſonæ conjugatæ, jugo Matrimonii? quàm quòd mulier ſit ſubdita toto tempore vitæ ſuæ, voluntati viri? quàm quòd vir ſuſtinere quotidie cogatur innumeras uxoris petulantias? Eſtne major crux, dicent viduæ, quàm videre nos oneratas liberis, litibus, & paupertate, & derelictas ab omnibus propinquis & amicis? Concipine poteſt gravior crux, dicet puella, quàm non habere unde honeſtè collocari poſſim in Matrimonio? & ſive pro eo quòd egena ſim, vel deformis, vel propter aliquem defectum fortunæ, vel naturæ, ſim ſemper expoſita periculo incurrendæ alicujus culpæ, & profligandæ famæ meæ, æquè ac denigrandæ *ſuper carbones* g faciei animæ meæ? & ducere virum, quem parentes mei mihi tradent, licèt diſpliceat mihi? Tandem, Nemo eſt, cujuslibet conditionis ſit, qui non ferat crucem ſuam, ſive Dominus ſive ſervus, ſive Domina ſive ancilla, &c. & conſequenter (dicetis vos) unuſquiſque ſequi poteſt Jeſum Chriſtum. Sed conſiderare, Auditores, quòd in cruce duo diſtinguenda ſunt, ſupplicium, & cauſa ſupplicii. Carnifices ſimul cum Jeſu duos *crucifixerunt latrones* h. Uterque portavit crucem ſuam, & tamen unus ſolus ſecutus eſt Filium Dei: unus ferebat illam cum impatientiâ, erumpens in detractiones, in blaſphemias, & in deſperationem; & alter agnovit quòd crimina ſua merebantur ſupplicium majus cruce; ideòque tormentum ſuum ſumpſit in bonam partem, paſſus eſt libenter, & fortunam ſuam commendavit Filio Dei; unus non meruit niſi ſupplicium; alter verò per ſupplicium meruit benedictionem Dei: nam idem qui juſſit vobis ut ferretis crucem veſtram, præcepit vobis ut renunciaretis vobis ipſis, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me* i. Quid autem prodeſt vobis id, quod patimini, ſi præ vobis fertis jugiter impatientias, querelas, rabies, & conatus ad deſcendendum ex illâ cruce? Primus greſſus, quē peragere debetis ad ſequendum Jeſum Chriſtū, eſt renunciare carni veſtræ, & omnibus affectibus ejus, *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis* k. Suntne ſuſtinendæ infirmitates, lites, paupertates, & perſecutiones? eſtne vivendum cum hominibus importunis & moleſtis? ſuntne tolerandæ tentationes carnis & ſpiritus? Quid intereſt, ſi totum hoc tenet locum crucis, & dat mihi modum ſequendi Domini mei, ad hoc ut ſim aliquando cohæres gloriæ ipſius? *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur* l. Iſtud eſt, de quo volo *gloriari* m, ſcilicet, habere vires & animum ad ſequendum Jeſum Chriſtum inter ſpinas æquè ac inter roſas. E cruce debemus, Auditores, educere totam gloriam noſtram: ſed cavete ne ita gloriemini in cruce veſtrâ, ut caligine ſuffundaris Crucem Jeſu Chriſti, id eſt, ne ſic præſumatis de meritis veſtris, ut non agnoſcatis ſemper cauſam meritorum veſtrorum, quæ eſt Crux ipſius. Gloriamini igitur in ambabus: in Cruce ipſius, ad confitendum eum Authorem veſtræ ſalutis: in cruce veſtrâ, ut honori ducatis eum ſequi, ſi velitis eſſe cohæredes gloriæ ipſius.

g Thren: 4, 8. h Luc: 23, 33, &c. i Matth: 16, 24. k Gal: 5, 24. l Rom: 8, 17. m Galat: 6, 14.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Et Dominus quidem Ieſus, poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum. Marc. 16. 19.

Forſitan ſolemnitas iſtius diei facit, Auditores, ut polliceamini vobis gaudia, jubilationes, & applauſus, & quòd cùm ſit dies triumphi Jeſu, potenter hortari debeam vos ad emittendas voces exultationis ad comitandam gloriam & magnificentiam Salvatoris animarum noſtrarum, qui pergit onuſtus palmis & victorijs factum ingreſſum ſuum in cœlum, auguſtiorem abſque ullâ comparatione, quàm fuerit unquam ingreſſus Cæſarum & aliorum Imperatorum, aut Ducum redeuntium Victorum de nationibus exteris in famoſam civitatem Romam totius orbis Matrem. Nihil minùs quàm iſtud ſperare debetis a me, cùm magnitudo illius me redigat ad impotentiam dignè celebrandi & exaltandi iſtius triumphi, & eodem tempore abſcotia triumphatoris & receſſus illius me quaſi dolore perimat. Non diffiteor: ex unâ parte teneri videor vos invitare ad lætitias, cùm Dei Filius completo curſu peregrinationis ſuæ ſuper terram, & nactus terminos paſſionum ſuarum, revertatur ad Patrem ſuum per gloriam, è quo exiverat per amorem, *Exivi à Patre, & veni in mundum, iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem* a. Si autem ex alterâ parte noſmetipſos intuear & commoda noſtra, quis non videat quòd inducere debeam vos ad lacrymas & ad planctus intuitu tan-

a Joan: 16, 28.

tæ jacturæ quam incurrimus, cùm hodiernâ die
cœlum quaſi æmulum felicitatis noſtræ, nobis
eripiat id quod eſt nobis charisſimum & pretio-
ſisſimum præ omnibus illis quæ habemus in hoc
b 1. Joan. 2.1 mundo, nempe *Advocatum* b noſtrum, *Ducem*
c Iſai: 55, 4. *ac Præceptorem* c noſtrum, Conſolatorem d
noſtrum, Patrem e noſtrum, Medicum f, no-
d Pſ: 85, 17. ſtrum, & Paſtorem g noſtrum, & ut ſic cauſam
totius felicitatis noſtræ, ita ut dicere posſimus
e Iſai: 9, 6 ei, *Cur nos Pater deſeris, aut cui nos deſolatos re-*
f Luc 19, 10. *linquis?* Quid igitur agemus, Auditores? Plo-
g Joan: 10, 11. rabimusne, aut lætabimurne? Videbuntur
noſtri fletus criminoſi, & lacrymæ noſtræ con-
ſciæ juſti improperij, quod parùm diligamus
Dominum noſtrum; & exprobare nobis ipſe
poſſet id, quod ipſe dicebat aliàs dicipulis ſuis
in ſimili occurſu: *Si diligeretis me, gauderetis*
h Joan: 14, 28. *utique quia vado ad Patrem* h. Cujus rationem
jam præmiſerat, dicens, *Quò ego vado, vos non*
i Joan: 13, 33. *poteſtis venire* i. Seu, *Quò ego vado, id eſt, ad*
Patrem & Regnum cæleſte, vos non poteſtis venire,
quàmvis ſitis in ſtatu ſalutis, niſi ego primò intra-
k Dion: Carth: art. 34, in *vero, & januam Regni aperuero* k. Quomodo
ergo contriſtari poſſemus de gloriâ Salvatoris
Joan: 13, 33. noſtri, & tenere comitari tot ſpiritus beatos,
qui ſtipantes eum hâc glorioſâ die triumphi ip-
ſius præ lætitiâ, ſuas exhibent ei reverentias?
Currus Dei decem millibus multiplex, millia læ-
l Pſ: 67, 18. *tantium* l. Honor illius nimis nobis debet
eſſe charus nedum denegemus ei id, quod om-
nes creaturæ illi exhibent; & vota veſtra ni-
mis juſtâ ſint ut indulgere non debeam pie-
tati veſtræ id quod exigitis à me in iſtâ mate-
riâ. Sed quia ad hoc ut illam tractem præ fœli-
ci ſucceſſu, & cum utilitate, indigeo auxilio, im-
ploremus ſubſidium cœli interventu ſanctisſimæ
Genitricis Triumphatoris noſtri, quæ ſuâ nos ju-
vabit ope confeſtim ac ipſi dixerimus, *Ave Maria.*

Non invenio aliquid magis attrahens, &
magis obſtringens homines eximios, qui ma-
ximi ducunt honorem inter patranda facino-
ra heroica & virtuoſa, quæ egregium præ ſe
ſplendorem ferunt, quàm ſit affectus erga pa-
triam ſuam charisſimam; & generoſisſimi qui-
que ſatis erunt honorati, cùm invigilaverint
conſervationi & promotioni ejus, & medias
inter occaſiones ad ultimam uſque ſui ſangui-
nis guttam effuderint ad amplectendam illius
cauſam, *Ut vivamus nulla neceſsitas*, dicebat a-
liàs magnanimus Pompeius navigans in A-
fricam, converſus ad Nauclerum & ad nau-
tas qui tremore concutiebantur intuitu pro-
cellarum & tempeſtatum, quæ videbantur il-
los ſingulis momentis debere immergere, eiſ-
que ſepulturam tradere in hoc elemento im-
placabili, *ut in patriam navigemus ſumma ur-*
get neceſsitas. Quaſi dixiſſet eis generoſus iſte
vir, qui explicatis velis alto ſe commiſerat
pelago, ut neceſſaria charisſimæ patriæ ſuæ
indigenti Romæ provideret: Noſtrâ non in-
diget mundus vitâ; ſed amor quem charisſi-
mæ patriæ noſtræ debemus impendere, hoc
ultimum à fidelitatibus noſtris exigit obſe-
quium, & ut in hoc occurſu magnanimiter
nos geramus ad auxiliandum ipſi in tantâ ne-
ceſſitate conſtitutæ; quali majori fœlicitate
cumulari poſſumus, quam vitam noſtram pro-
pter obſequium illius amittere? Non eſt diſ-
fitendum, patria baber neſcio quid demulcens &
attrahens, quod non ſinit ut ullo modo ipſam
tradamus oblivioni:

Dulcis amor patriæ, dulce videre ſuos.

Et aliquo modo eſt eſſe infœlicem ac commo-
rari in regionibus exteris & remotis: quoties
autem dicebat Sertorius, quòd ſatius eſſet pau-
perem eſſe in patriâ ſuâ, quàm exulem ab eâ
eſſe divitem, & aliis præpoſitum, eique impe-
rare.

Sed deſeramus profanos, & videamus id
quod peragitur apud nos, & num nimis hanc
veritatem quotidianâ nobis non liceat experi-
entiâ comprobare. David, quem *quæſivit Do-*
minus ſibi virum juxta cor ſuum m, inter ſceptra m 1. Reg: 13, 14.
& diademata nullam invenit quietem & dele-
ctationem; & cùm roſæ ſuas ſpinas habeant, ſic
nec ceſſabunt illum pungere donec ad locum
pervênerit ipſe deſideratæ patriæ ſuæ; & uſque
ad illud tempus ipſemet oneroſus erit ſibi, &
omnia alia parient ipſi faſtidium; hæc ſola cogi-
tatio proprii exilii immerget omnes ſuavitates,
quas magnitudo ſtatus ipſius poſſent ipſi afferre,
mari amaritudinis, *Heu mihi quia incolatus meus* n Pſ: 119, 5.
prolongatus eſt n! *Advena ego ſum & peregrinus* o. o Pſ. 38, 13.
Et filii Iſraël à patriâ ſuâ exules, nullâ per-
fundi poterant conſolatione, *Super flumina Ba-*
bylonis illic ſedimus & flevimus, dum recordare-
mur Sion. In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus
organa noſtra. Quia illic interrogaverunt nos qui
captivos duxerunt nos, verba cantionum, & qui
abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canti-
cis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini
in terrâ alienâ p? Et juſtus Lot ita diligebat p Pſ. 136, 1, &c.
patriam ſuam ut oportuerit ut Angeli qui invi-
gilabant ſaluti ejus, ipſum vi educerent Sodomâ,
quæ jam jam flammis erat exurenda propter
demerita incolarum ſuorum, ita ut niſi invitus
& coactus ex illâ exiverit, *Diſsimulante illo, ap-*
prehenderunt manum ejus, eduxeruntque eum &
poſuerunt extra civitatem q. Amor, quo affi- q Gen 19, 16, &c.
ciebatur erga Patriam ſuam, eripuerat ipſi om-
nem timorem mortis, quæ ipſi imminebat, niſi
eam citò deſeruiſſet, cùm ſanctitas præſentiæ
ipſius ſiſteret ignes qui eam in cineres redacturi
erant:

Dulcis amor patriæ, dulce videre ſuos.

Hâc veritate ſuppoſitâ, peto à vobis, Unde ve-
nit quòd Salvator noſter, poſtquàm permanſe-
rit peregrinus apud nos in hoc domicilio miſe-
riarum per ſpatium *quaſi annorum triginta* r tri- r Luc. 3, 23.
um t, *opprobriis* t ſaturatus, æquè ac innu- s Joan. 19, 30.
meris tormentis affectus u, & cùm poſſet dice- t Thren. 3, 30.
re meliùs quàm antiquus ille Sertorius, quòd ſa-
tius ipſi fuiſſet manere pauperem in patriâ ſuâ (ſi
liceat ponere paupertatem & penuriam ibi, ubi u Joan. 19, 1 &c.
eſt omne genus abundantiæ & oblectamenti,
Gloria & divitiæ in domo ejus x: Et, *Inebriabuntur* x Pſ. 111, 3.
ab ubertate domus tuæ y) quàm abſentem ab eâ, y Pſ. 35, 9.
eligi Regem, aut ſupremum totius orbis Domi-
num, ſicut re verâ Judæi voluerunt aliàs facere
eum Regem z: ſiſtit adhuc in hâc terrâ mortali, z Joan 6 15.
peractâ longâ peregrinatione vitæ ſuæ, & adim-
pletis muniis noſtræ redemptionis? Ut quid
magnis greſſibus non currit ad patriam ſuâ cœle-
ſtem? cùm tota Curia cœleſtis expectet ipſum,
ut ipſi ſuas exhibeat reverentias ut Domino ſuo?
Quænam eſt cauſa propter quam ſuis *Ieſus Apoſto-*
lis præbuit ſeipſum vivum poſt paſsionem ſuam in
multis argumentis, per dies quadraginta apparens
eis a? Cùm non ſit aliquid ſuavius memoriâ cha- a Act. 1, 3, &c.
risſimæ patriæ.

Dulcis

Dulcis amor patriæ, dulce videre ſuos.

Quid dicemus de hâc retardatione ejus in terrâ? Dicemuſne quòd ideò in terris adhuc illo ſit tempore commoratus, ut doceret Apoſtolos ſuos, & in illorum perſonâ omnes homines, *b* Ibid. *Et loquens de Regno Dei* b? Iſtam præbuit illis inſtitutionem toto tempore ſuæ vitæ, *Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens* c, &c. *c* Matth. 5,1, &c. Allegabimuſne quòd propterea ſit etiam per illud ſpatium cum hominibus converſatus, ut confirmaret eos in fide myſteriorum ſuorum, Divinitatis ſuæ, & reſurrectionis ſuæ? Omnes iſtæ rationes ſunt bonæ: ſed intendo vobis probare quòd ſolus amor induxit illum ad manendum in terris apud nos per ſpatium quadraginta dierum iſtorum poſt reſurrectionem ſuam: amor diviſus in duos ramos, amor duplex, qui duplicem conſtituet diſcurſus iſtius partem, Diviſio. amor Divinus, & amor humanus; amor Jeſu Dei erga homines, & amor hominum erga Jeſum hominem; amor Divinus totus purus, amor humanus non ita purus; amor Dei non quærens niſi bonum & progreſſum hominum, amor hominum qui invenitur miſtus proprio commudo in inquiſitione ſuâ. Attendite, ſi placet.

I. Pars. Quòd amor Jeſu erga homines ſit tota cauſa moræ ipſius ſuper terrâ per ſpatium quadraginta dierum poſt ſuam reſurrectionem, cùm peragere poſſet ingreſſum ſuum triumphantem in cœlum, & intrare in poſſeſſionem & in fruitionem gloriæ ſuæ, quam certamina & paſſiones ipſius juſtè ipſi acquiſiverant, in hoc domicilium deſtinatum ad excipiendam ipſius majeſtatem, non eſt probatu multùm difficile, ſi conſiderentur effectus admirabiles amoris, cui proprium eſt ſic ſtrictè unire amantem rei amatæ ut videatur quòd hoc vinculum quod è duabus rebus non facit niſi unicam, ſit penitus indiſſolubile, cùm una anima animet duo corpora: nam, ut ait Dionyſius Carthuſianus *d*, *d* Dion. Carth. art. 51. in Luc. 12, 34. *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Cùm hæc ſit differentia inter intellectum & voluntatem, quòd intellectus ut cognoſcat, quod eſt propria ipſius actio, attrahat ad ſe objectum ſuum, & illud ſibi reddat ſimile; voluntas verò exeat è ſemetipsâ ut eat unitum ſe objecto ſuo; quod efficit ut duæ res numero differentes, non ſint niſi una per amorem, cùm amans mutet in ſe rem amatam per unionem ſic validam ut nullam patiatur diviſionem, *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David*, ait ſacer Textus *e*, *e* 1. Reg. 18, 1. loquens de mutuâ iſtorum duorum Principum amicitiâ. Unde ſequitur ſenſibilitas maxima, cùm agitur de commodis rei amatæ, & de ſeparatione amantis ab eâdem re amatâ: atqui Salvator fortiter ſuos diligens Apoſtolos, ſtrictè unitus erat eis affectu, cùm efflagitaſſet à Patre ſuo æterno in favorem illorum, fortiſſimam omnium unionum, quæ eſt unio ejuſdem Patris cum ipſomet Filio in Divinitate, *f* Joan. 17, 22. *Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* f. Ita ut Jeſus Chriſtus & Apoſtoli non viderentur ampliùs niſi eadem res, cùm Jeſus Chriſtus intueretur illorum commoda, æquè ac ſua; & hoc planè eſſet ipſum moleſtiâ afficere, ac illis moleſtiam inferre; & tangere pupillam oculorum ipſius, ac illis nocere, *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* g. *g* Zach. 2, 8. Ipſemet queritur, cùm illi perſecutionem ſuſtinent, quaſi ipſe perſecutionis ictus pateretur, *Saule, Saule, quid me perſequeris* h? *h* Act. 9, 4. Sicut è contrà reputat tanquã ſibi impenſos favores illis erogatos, *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* i. *i* Matth. 25, 40. Ita fortiter illis eſt unitus affectu, ut ab illis ſeparari non poſſit, & ſi quietius vult orationi vacare in horto Olivarum, nonniſi quaſi coactus ab illis recedit, *Et ipſe avulſus eſt ab eis* k. *k* Luc. 22, 41. Quaſi tractus ab illis præ violentiâ, *avulſus*, more arboris, quæ jam profundas in terram fixit radices. Quid facit hoc? Amor, quo ipſe proſequitur eos, facit hanc unionem indiſſolubilem; & ſi hodiernâ die aſcendit in cœlum poſtquàm commoratus eſt ſpatio quadraginta dierum poſt reſurrectionem ſuam in terris, idem amor fuit cauſa iſtius moræ: ſic Evangeliſta utitur verbo paſſivo ad exprimendam aſcenſionem illius, *Aſſumptus eſt.* Quaſi eos dereliquiſſet invitus. Et licèt verum ſit id, quod docet nos Philoſophia, quod quò propiùs aliquid accedit ad finem & ad centrum ſuũ, eò magis reduplicat vires ſuas, & eò violentior eſt ipſius motus, cùm inclinatio quam habet uniendi ſuiipſius ei ut loco quietis ſuæ, magis augeatur: Salvator animarum noſtrarum accedens ad centrum ſuum, quod eſt domicilium Sanctorum, locus proprius & debitus magnitudini ipſius, videtur debere idem agere, & illuc ferri fortiori motu, & majori celeritate: & tamen contrarium peragit: non deſerit nos niſi invitus, & cùm venerit ad nos è cœlo magnis greſſibus, ut ait Pſalmiſta *l*, *l* Pſ. 18, 7. *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus*, à nobis non recedit niſi invitus, cùm amor, qui fecit hanc unionem, nonniſi vix pati poſſit ſeparationem à nobis.

Amor iſte inducit ipſum ad renunciandum ſuis propriis commodis, ut meliùs inveniat noſtra, differendo triumphum ſuum, & ingreſſum ſuum glorioſum in cœlum propter nos ſolos. Potens amor, quem S. Auguſtinus *m* vocat nomine ponderis, *m* S. Auguſt. lib. 13. Conf. c. 9. cùm trahat & inclinet amantem ad rem amatam, ut meliùs illos ſimul uniat & conglutinet, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror.* Videte Salvatorem: aſcendere vult ad Patrem ſuum, *Aſcendo ad Patrem meum* n. *n* Joan. 20, 17. Et amor ſuus, pondus iſtud Divinum ſiſtit ipſum & impedit quin abeat: vellet, & non vult: vellet ire ingreſſum poſſeſſionem gloriæ ſuæ, & amor ſuus ipſum retinet, *Pondus meum amor meus.* Hoc experiri poſſumus in nobis ipſis, & judicare ex effectibus amoris de veritate quam vobis annuncio. Nunquid non amor nos inclinat affectu ad rem amatam? nonne pondus eſt quod nos trahit ad illam, quodque nos inducit ad inquirendam illam, ut fruitionem illius nobis conciliemus? cor non cogitat niſi de re amatâ, os jugiter de illâ loquitur, oculus indeſinenter intendit illam videre, auris illam audire loqui, & nuncia de illâ auſcultare; tandem totus affectus tendit ad illam, omnes vires ipſius & potentiæ intuentur eam ut centrum ſuum, ad quod pondus iſtud amoris ipſas inclinat, & in quo ipſas ſiſtit: ſic ſi aliquid ſurſum jaciatis, iſtud aſcendet, ſed pondus, quod retinet, ipſum ſiſtet, & impediet motum ejus. Ha! quale pondus eſt amor: Jeſus aſcendere vellet in cœlum, *Expedit ut ego vadam* o. Sed amor ipſum retinet, *Pondus meum amor meus.* *o* Joan. 16, 7. Ignis, qui eſt ſymbolum amoris, hoc elementum, quod ita vivum eſt in actione ſuâ, flammas ſuas ſemper dirigit versùs ſphæram ſuam, ſed baſim ſuam habet in ligno viridi, in quo inve-

inveniτur adhuc humor: ignis iſte Divinus, *Ver-*
p Joan. 1, 14. *bum caro factum* p. *Etenim Deus noſter ignis conſu-*
q Hebr. 12. 29 ex *mens eſt* q, aſcendit hodiernâ die totus glorio-
Deut. 4, 24. ſus, elevatur in transverſos cœlos omnes, *Aſcendit*
ſupra omnes cœlos r. Sed baſis, quæ eſt amor ip-
r Epheſ. 4, 10. ſius, adhæret adhuc Apoſtolis ipſius, qui ſunt velut
ligna viridia; non vult eos deſerere quin priùs
ejecerit ab illis totum hunc humorem imperfe-
ctionum, conſumpſerit hanc rubiginem quæ in-
venitur adhuc in illis rerum inferiorum & terre-
ſtrium, & aſcendet ad ſphæram ſuam, & ad cen-
trum ſuum, nimirum, ad gloriam paradiſi ſtatim
ac illos omnes calefecerit igne Divinarum flam-
marum ſuarum, *Ignem veni mittere in terram, &*
s Luc. 12, 49. *quid volo niſi ut accendatur* s? Iſtud eſt totum con-
ſilium ejus: ſic quandiu ignis materialis invenit
in aliquo ſubjecto unde alatur, tandiu ibi manet:
ita quandiu ignis iſte Divinus inveniet in Apo-
ſtolis ſuis quod conſumat, tandiu erit cum illis
præſentiâ ſuâ corporali; ſed confeſtim ac illos
totos purificaverit, totos ſpiritualizaverit, &, ut
ita dicam, totos divinizaverit, aſcendet in cœ-
lum, *Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te ignis*
t Deut. 9, 3. *devorans atque conſumens* t. Jeſus Chriſtus *Pater* u
benignus eſt x. Ut ſic non vult relinquere filios
u Iſai. 9, 6. ſuos Apoſtolos præſentiâ ſuâ corporali, quæ in-
x Joël. 2, 13. ſerviebat eis loco directionis & fulcri, ne præ in-
firmitate labantur in aliquod præcipitium, cùm
nondum confirmati eſſent in gratiâ, niſi poſt ad-
ventum Spiritus ſancti, poſtquam eodem *repleti*
y Act. 2, 4. *ſunt omnes Spiritu ſancto* y. Tandem, Ipſe eſt per-
fectus amicus, & nonniſi vix ſeparare ſe poteſt ab
illis quos diligit, & cùm amor ſic ſtrictam fecerit
inter ipſos unionem, invitus ab eis Salvator rece-
dit. Nolite igitur mirari ſi amor ipſius ſiſtit ipſum
in terrâ adhuc per ſpatium quadraginta dierum
poſt reſurrectionem ipſius, cùm verum ſit quòd
eodem amore ductus, *cùm in formâ Dei eſſet, ſe-*
metipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimi-
litudinem hominum factus, & habitu inventus ut ho-
z Philip. 2, 6, & 7. *mo* z. Ut eſſet omnia nobiſcum: & hic amor
idem facit ut tantam reperiat ſatisfactionem in
converſando nobiſcum ut dicat, *Deliciæ meæ, eſſe*
a Prov. 8, 31. *cum filiis hominum* a. Et poſtquàm ipſe ſemetip-
ſum fecit hominem, facit hominem Deum, *Ego*
b Pſ. 81, 6. *dixi, Dii eſtis* b. Ut Deus & homo non ſint am-
pliùs niſi unum, ſint velut inſeparabiles. Qualis
vis amoris iſtius, & quàm multum ſumus ei de-
vincti pro ſocietate quâ dignatus eſt nos honora-
re, nobiſque favere!

Ha! Auditores, quàm potenter Jeſus ſibi nos
obſtrinxit, cedens ſuis propriis commodis, ut no-
ſtra meliùs amplecteretur, & differens fœlicita-
tem ſuam, ut meliùs noſtram ſtabiliret: quid age-
mus igitur pro tot inſignibus beneficiis, & tot e-
gregiis favoribus ab ipſo ſuſceptis? quid retribue-
mus ei pro tanto amore ab ipſo nobis impenſo?
Verum eſt, quòd id omne quod agere poſſumus,
ſemper erit minus eo, quod ſuſcepimus, quia, ut
ait Philoſophia, *Finiti ad infinitum nulla eſt propor-*
tio. Non valemus illud ſufficienter agnoſcere, ni-
mis egeni ſumus nedum tanto perfungamur de-
bito, illud eſt ſupra & ultra vires noſtras: conſo-
lemur nos, Auditores, ipſe acceptam habebit bo-
nam voluntatem noſtram, cùm effectus nobis
deerunt: & cùm dilectio nonniſi reciprocâ dile-
ctione compenſetur, diligamus tantum Benefa-
ctorem *ex toto corde, & in totâ animâ, & in totâ*
c Matth. 22, 37. *mente* c. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus*
d 1. Joan. 4, 19. *prior dilexit nos* d. Efficiamur inſeparabiles ab eo
per amorem, ſicut ipſe per amorem fuit à nobis
inſeparabilis, ut amor iſte ſit reciprocus, & ut,
cùm inceperit in illo, continuetur pro ſemper in
nobis. Iſtud eſt quod ipſe requirit à nobis, &
quod debemus ei retribuere juſtâ gratitudine, ut
tantum favorem poſſimus agnoſcere, *Præbe, fili*
mi, cor tuum mihi e. Unde dicit S. Bernardus *f. A-* e Prov. 23, 26.
mor ſibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in ſe tra- f S. Bern.
ducit affectus. Is per ſe ſufficit, is per ſe placet, & pro- ſerm. 83,
pter ſe. Ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt. Solus eſt in Cant.
amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus, atque affe-
ctibus, in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo, reſpon-
dere Actori, vel de ſimili mutuam rependere vicem.
Verbi gratiâ, Si mihi iraſcatur Deus, num illi ego
ſimiliter reiraſcar? Non utique, ſed pavebo, ſed
contremiſcam, ſed veniam deprecabor: ita ſi me
arguat, non redarguetur à me: ſed ex me potiùs ju-
ſtificabitur. Nec ſi me judicabit, judicabo ego
eum, ſed adorabo, & ſalvans me non quærit à
me ſalvari; nec viciſſim eget ab aliquo liberari,
quia liberat omnes. Si dominatur, me oportet
ſervire; ſi imperat, me oportet parêre: & non
viciſſim à Domino vel ſervitium exigere vel obſe-
quium. Nunc jam videat de amore quàm aliter
ſit. Nam cùm amat Deus non vult aliud quàm
amari: quippe non ad aliud amat niſi ut ametur,
ſciens ipſo amore beatos qui ſe amaverint. Cùm
igitur dilectio vita ſit animæ noſtræ, ſicut
anima eſt vita corporis, diligamus, Audito-
res, ſed continuè diligamus, ut vivere poſſi-
mus in æternum: atqui verus amor conſiſtit in
cuſtodiendâ hâc unione admirabili, quam
cauſat inter Deum & nos, quæ debet eſſe in-
diſſolubilis: etiam, indiſſolubilis, cùm de-
beamus omnes vires noſtras inſumere ad im-
pediendam hanc ſeparationem ab eo: atqui
hæc ſeparatio non fit niſi per peccatum, *Sed*
iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum
veſtrum g. Debemus igitur *quaſi à facie colu-* g Iſai. 59, 2.
bri peccata h fugere, cum nobis damnoſiſſi- h Eccli. 21, 2.
ma ſint omnium, quæ nobis poſſent eveni-
re, eò quòd privent nos maximo bonorum
omnium quæ poſſidere poſſimus, quod eſt a-
mor Dei, & primum donorum ejus, & cau-
ſa omnium aliorum: debemus ergo potiùs pe-
rire, quàm deſiſtere ab amando, & à cuſtodi-
endâ hâc unione Jeſu nobiſcum, quæ infrin-
gitur per peccata, quæ inſtar gravis oneris præ-
cipitant nos deorſum, nedum nos elevent ſur-
ſum cum Jeſu Chriſto aſcendente hodie in cœ-
lum, *Iniquitates ſicut onus grave gravatæ ſunt*
ſuper me i, ajebat inſignis peccator, qui que- i Pſ. 37, 5.
rebatur de tam gravi pondere quo opprime-
batur, quodque ipſum ſeparabat à Deo. Pec-
cata ſunt velut compedes funeſti qui ſiſtunt
greſſus noſtros, & quaſi retia quæ impedi-
unt quin volatum noſtrum dirigamus ver-
sùs cœlum quò aſcendit Dominus noſter:
conari debemus igitur infringere hæc vin-
cula, ut ſequi poſſimus illum per amo-
rem. Apoſtoli diligunt illum: ſed amor
iſte, quo afficiuntur erga ſacram humanita-
tem Jeſu Chriſti, eum retinet adhuc per ſpa-
tium quadraginta dierum in hoc mundo poſt
reſurrectionem ipſius, quod ſupereſt viden-
dum.

Quis ex vobis iſtud crederet, Auditores; II. Pun.
quòd amor, quo afficiuntur Apoſtoli erga Do-
minum ſuum, tantùm detrahat Jeſu Chriſto,
quantùm officit ipſiſmet? Detrahat Jeſu Chriſto,
cùm illum retardet ne eat ad centrum ſuum
quod eſt gloria & domicilium Beatorum.

Obſit

Digitized by Google

Obſit ipſiſmet Apoſtolis, cùm ipſos privet deſcenſu Spiritus ſancti, qui pendet ex aſcenſu Jeſu Chriſti in cœlum, ut ait ipſis idem Dei Filius, *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclêtus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos* k. Cùm miſſio perſonæ in Divinitate ſupponat ſemper proceſſionem. Sed quid? dicetis mihi: nunquid Spiritus ſanctus non venire poterat, etiamſi Jeſu Chriſtus non abiret? Verum eſt, venire poterat, ſed decreto Divinæ Providentiæ ſtatutum eſt, ut tres perſonæ SS. Trinitatis promovendæ ſaluti hominum vacarent; Pater *Filium ſuum unigenitum* l dando, & trahendo ad ſe homines; Filius illos docendo m, redimendo n, & liberando, *Qua libertate Chriſtus nos liberavit* o. Et Spiritus ſanctus, perficiendo eos & ditando multis donis cœleſtibus, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* p. Ideò Dei Filius debet abire, ut majorem teſtetur amorem homini, cùm tota SS. Trinitas ſaluti illius incombat.

k Joan. 16, 7.
l Joan. 3, 16.
m Matth. 17, 5.
n 1. Cor. 6, 20.
o Galat. 4, 31.
p Rom. 5, 5.

Deſcenſus igitur Spiritus ſancti pendet ab aſcenſu Jeſu Chriſti: & in hoc eſt admirabile commercium cœli cum terrâ; oportet ut terra det ad hoc ut ipſa recipiat; oportet ut demus id quod amamus ita fortiter & tenerè, ſi ſuſcipere velimus hunc Spiritum Divinum; requiritur ut cedamus amori noſtro, & privemus nos ſubjecto deliciarum noſtrarum, ſi recipere velimus hunc cœleſtem animarum noſtrarum conſolatorem; neceſſarium eſt ut deſtituamus nos præſentiâ ſenſibili Jeſu, ſi velimus ut aſcendens in cœlum, mittat nobis Spiritum ſanctum ſuum, *Niſi dederitis quod amatis, non habebitis quod deſideratis*, ait S. Bonaventura q. Et ſtatim ſubdit, *Date, & dabitur vobis* r. Et iterùm dicit: *Bernardus*: *Gratum quoddam commercium inter cœlum & terram exiſtit celebratum, ut illi daretur caro Chriſti, iſtis conſolatio Paracliti, eſſetque in terrâ Spiritus, caro in cœlo, ac deinceps omnia eſſent communia in æternum.* Videtis, Auditores, quomodo hic amor Apoſtolorum detrahat Domino ipſorum, quem ſiſtit in terrâ: amor ſenſibilis, quo proſequuntur illius humanitatem ſacram, cujus intuitum nolunt amittere, eſt injurioſa eidem Jeſu Chriſto, ut jam dixi, & jure merito: ſi enim Dei Filius avertere Apoſtolos ſuos à nimio affectu erga humanitatem ſuam vult, & ut ab hoc amore illos diſſoluat, ait illis, *Expedit vobis ut ego vadam* s, innuit illis quòd amor iſte eſt ipſis inofficioſus, cùm impediat quin ſuſcipiant Spiritum ſanctum: ut autem avertat illos ab hoc affectu nimio, facit eis promiſſa, ſicut faceret bonus Pater filio ſuo, qui nollet ipſi concedere aliquid, ipſumque teneret ſtrictum, eò quòd nollet tribuere id quod petit; & ideò diceret ei, Dimitte me, fili mi, præbebo tibi id quod efflagitas: eodem modo ſe gerit Dei Filius erga Apoſtolos ſuos; ſi ipſum dimittant, promittit eis Spiritum ſanctum, & quòd aliter non poſſet eum ad ipſos mittere: *Non enim ante Aſcenſionem ſuam miſit eis Paraclitum; non propter ſuam impotentiam*, ait S. Bonaventura t, *ſed quia ipſi corporali præſentiâ Chriſti contenti erant. Bernardus: Delicata eſt Divina conſolatio, non datur omnino admittentibus alienam.* In quo videtis vim amoris hominum erga Jeſum, cùm eum detineat ne ita citò faciat hanc admirabilem Aſcenſionem. Apoſtoli ſunt affectu conglutinati Domino ſuo, & nullo poſſunt ſuſtinere modo ſeparationem ſuam ab illo, & ſola propoſitio diſceſſus ejus quæ fit ipſis ab eo, ipſos affligit: *Vado ad eum qui miſit me. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum* u. Super quod S. Bernardus x ait, *Quid mirum, Fratres, ſi implebat triſtitia cor eorum, cùm ab eis ſeſe pronunciaret iturum, & adderet, Quò ego vado vos non poteſtis venire* y *modò? Quidni conturbarentur viſcera, turbaretur affectus, hæſitaret animus, hæreret vultus, paveret auditus, nec omnino æquanimiter diſceſſionis ejus ſermo poſſet admitti, ut relinqueret eos, pro quo omnia reliquiſſent* z. *Cæterùm non ut maneret in carne, ſed ut transferretur ad Spiritum, totus abeo in illam carnem diſcipulorum fuerat collectus affectus. Unde & benigniſſimus ille Magiſter blandis eos refovens conſolationibus ait, Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui vobiſcum maneat in æternum* a. *Et item, Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Niſi enim abiero, Paraclitus non veniet ad vos* b. *Grande myſterium, Fratres mei. Quid enim ſibi vult, Niſi ego abiero, Paraclitus non veniet? Itane inviſa Paraclito præſentia Chriſti, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus ſanctus horrebat, quid ſicut Angelo pronunciante cognovimus nec concipi quidem niſi eo ſuperveniente* c *potuerit? Quid eſt ergo, Niſi ego abiero, Paraclitus non veniet? Niſi carnis præſentia veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videtur, Fratres? Si hæc ita ſunt, imò quia ita ſunt, audeat quis de cætero phantaſticus quibuſdam illecebris deditus, ſectans lenocinia carnis ſuæ, carnis utique peccatricis, genitæ in peccatis* d, *aſſuetæ peccatis* e, *in quâ denique bonum non eſt, illum pariter expectare Paraclitum? Audeat, inquam, qui huic ſterquilinio ſemper inhæret, qui carnem fovet, in carne ſeminat, carnem ſapit, illam nihilominùs conſolationem ſupernæ viſitationis, torrentem voluptatis* f *illum, illam ſperare gratiam Spiritus vehementis* g, *quam, ut Veritas* h *ipſa teſtatur, ne cum ipſâ quidem Verbi carne percipere ullatenus Apoſtoli potuerunt? Errat omnino, ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, Divinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa Spiritus miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur.* Obſervate interim, ſi placet, Auditores, ex iſtis quæ diximus, quòd poſſideri non poſſunt ſimul Deus & creaturæ, nec deguſtari ſuavitates paradiſi, aut conſolationes Spiritus ſancti, quandiu affectus ſunt alligati creaturis: dulcedines cœli non tribuuntur amatoribus mundi, carnis, & voluptatum: oportet ut cor noſtrum vacuum ſit omnibus terrenis delicijs & oblectamentis, ſi repleri velimus conſolationibus cœleſtibus: *Neque enim Spiritus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur*, ait idem S. Bernardus i: *præſertim cùm tepiditas ipſi Domino ſoleat vomitum* k *provocare. Si enim Apoſtoli adhunc carni Dominicæ inhærentes, quæ ſola ſancta (quia Sancti ſanctorum* l *erat) Spiritu ſancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ, quæ ſordidiſſima eſt, & diverſarum ſpurcitiarum phantaſiis repleta, adſtrictus & conglutinatus, illum meraciſſimum Spiritum te poſſe putas ſuſcipere, niſi carneis iſtis conſolationibus funditùs renunciare tentaveris? Re verâ cùm inceperis, triſtitia implebit cor tuum* m; *ſed ſi perſeveraveris, triſtitia tua convertetur in gaudium* n. *Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renovabitur, vel potiùs nova creabitur, ut omnia quæ priùs difficilia, non impoſſibilia videbantur, cum multâ percurrantur dulcedine & aviditate. Emitte, inquit,*

q S. Bon. ſerm. 3. de Aſcenſ.
r Luc. 6, 38.
s Joan. 16, 7.
t S. Bon. ſerm. 3. de Aſcenſ.
u Joan. 16, 5. & 6.
x S. Bern. ſerm. 5. de Aſcenſ.
y Joan. 13, 33.
z ex Matt. 19, 27.
a ex Joan. 14, 16.
b ex Joan. 16, 7.
c ex Luc. 1, 35.
d ex Pſ. 50, 7.
e ex Prov. 24, 16.
f ex Pſ. 35, 9.
g ex Act. 2, 2.
h ex Joan. 14, 6.
i S. Bern. ſerm. 3. de Aſcenſ.
k ex Apoc. 3, 16
l ex Dan. 9, 24.
m ex Joan. 16, 6.
n ex Joan. 16, 20.

Spiritum tuum, & creabuntur : & renovabis faciem terræ o. *Sicut per faciem exterior homo cognoſcitur, ſic per voluntatem demonſtratur interior. Emiſſo ergo Spiritu creatur & renovatur facies terræ, id eſt, terrena voluntas fit cœleſtis, parata ad nutum citiùs obedire. Beati qui tales ſunt, quia non ſolùm malum non ſentiunt, ſed in mirâ quâdam cordis dilatatione commorantur. De illis enim quos ſuprà commemoravimus, terribiliter ait Deus, Non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt* p, *id eſt carnales ; & quidquid in eis Spiritus fuerat, in carnem evanuit.*

o ex Pſ. 103. 30.
p ex Gen. 6. 3.

Sed Salvator adorande, aliàs exprobaſti diſcipulis tuis *incredulitatem eorum, & duritiam cordis* q. Revertere, revertere audacter ad exprobrandum idem filijs hominum, qui ita ſunt obſtinati in erroribus ſuis, & pertinaces in incredulitate ſuâ : eandem correptionem illis impende, aut permitte ut in illos invehar iſtis terminis Pſalmiſtæ r, *Filij hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium ?* Errorem deponite vos qui decepti eſtis, videte ubinam collocetis affectus veſtros, qui tendere non debent immediatè niſi ad Deum, nec niſi Deum purè intueri ; & tamen alligatis eos, cui ? carni, commodo, mundo, creaturæ. Scitote quòd nunquam ſatisfactionem invenietis in inquiſitionibus veſtris, quòd in hoc ſtatu nullam unquam veram experiemini cæleſtem conſolationé, quòd Spiritus ſanctus nunquam deſcendet in corda veſtra, niſi quolibet alio amore inveniat ea vacua : ipſa eſt Spiritus totus purus, qui fugit omnem aliam miſtionem ut ſibi non ſociabilem : aperite igitur oculos veſtros ut videatis cæcitatem veſtram, quæ currere vos facit poſt vanitates & mēdacia, quæ nihil habent reale & verum niſi ſolam apparentiam. Ha ! ſi Salvator non ita ſibi placet in magno amore, quo ſacram proſequuntur Apoſtoli humanitatem ipſius, ſi eos corripit quaſi non ſatis amantes ipſum, filij ſeculi quantùm diſplicetis ei cùm collocatis affectus veſtros in ineptijs, in vanitatibus, & in rebus perituris in diſpendium amoris quem debetis ei exhibere, & quem ipſe expectat à fidelitatibus veſtris, cùm præceperit vobis ut ipſum diligeretis *ex toto corde, & in totâ animâ, & in tota mente* s ? Si igitur oportet ut amemus, cùm vivere non poſſimus ſine amore, eamus ad verum ſubjectum legitimorum amorum, diligamus Deum, in quo ſolo vera inveniuntur oblectamenta, collocemus in eo omnes affectus noſtros, cùm ipſe ſolus omnes illos mereatur : diligamus eum igitur, & diligendo eum gaudeamus de triumpho illius aſcendentis in gloriam, & adhæreamus veſtigijs illius, qui nobis aperuit viam per quam ad illum pergeremus, ſicut prædixerat Micheas t, *Aſcendet pandens iter ante eos.* Eò uſque ut ipſemet effectus fuerit via, *Ego ſum via* u. Quid igitur impedit quin ſequamur eandem viam, & adhærentes veſtigijs Domini noſtri, eamus poſt illum ? Ha ! nihil aliud requiritur à nobis niſi ut deſcendamus cum illo ad hoc ut aſcendamus cum illo, *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ* x ? Sola requiritur à nobis humilitas, ſi conciliare nobis velimus honores & veras magnitudines, *Qui ſe humiliat, exaltabitur* y. Et tamen, exclamat S. Bernardus z. *O perverſitas, ô abuſio filiorum Adam, quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum, ipſi & leviter aſcendunt, & difficiliùs aſcendunt parati ad honores & celſitudines. Ad ſequendum autem te Domine Ieſu vix inveniuntur, qui vel trahi patiantur, qui velint duci per viam mandatorum tuorum.* Sequamur igitur Jeſum Chriſtū, eamus poſt eum, cùm referatur, quòd cùm S. Helena mater Imperatoris Conſtantini viſitaſſet omnia ſancta loca, quæ Jeſus Chriſtus honoravit præſentiâ ſuâ in hâc vitâ mortali, & ipſa conſtruendam ſategiſſet Eccleſiam in monte Oliveti, unde Jeſus Chriſtus aſcendit in cœlum, providentiâ Dei ſic ſpecialiter decernente, architectus nunquam claudere potuit illum locum, per quem Jeſus Chriſtus ſe elevavit in cœlum, ita ut ſemper eſſet apertus, quantùmuis magnam adhibuiſſet architectus ille curam ad claudendum eum : cùm vellet inde nobis innuere Deus, quòd ex tunc iter ad cœlum eſſet apertum omnibus, qui ad illud ſe vellent diſponere : *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem* a. Jeſus abſtulit omnia impedimenta, quæ aditum ad paradiſum obſtruebant. Tria invenio obſtacula quæ impediebant acceſſum ad paradiſum terreſtrem. & hæc tria impedimenta auferuntur, ut tribuatur nobis acceſſus ad paradiſum cœleſtem: *Dominus Deus collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* b. Et ecce tria impedimenta, Angelus, gladius, & ignis ; & hæc tria impedimenta auferuntur à Jeſu Chriſto, ita ut nobis apertus ſit nunc aditus ad paradiſum. Adverſùs ignem attulit aquam Baptiſmi, quâ ignis labis originalis extinguitur in nobis renatis *ex aquâ & Spiritu ſancto* c. Sanguine ſuo hebetavit aciē gladij peremptoris : *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus* d. Nullus enim eſt gladius qui non hebetetur ſanguine humano adhuc fumante. Tandem, Angeli innumeri veniunt ei obviàm, ut comitentur eum in hoc ingreſſu ipſius in cœlum, *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium* e. Et iſtis beatis ſpiritibus concinentibus, *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ* : & interrogatis, *Quis eſt iſte Rex gloriæ* ? & reſpondentibus, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ* f: ad hoc verbum Cherubim ſtans ad januam paradiſi, illam aperuit ei, non ſolùm autem illi ut legitimo Regi & Domino ſuo, ſed & omni concioni Electorum, qui ex tunc in eum poſſent ingredi virtute ejus, juxta prophetiam Michææ g: *Aſcendet enim pandens iter ante eos : dividont, & tranſibunt portam, & egredientur per eam : & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Sed ſicut ad hanc gloriam non pervênit niſi per depreſſiones ſuas, *Semetipſum exinanivit, humiliavit ſemetipſum, propter quod & Deus exaltavit illum* h: ſic Evangeliſtæ non tribuunt ei hæc nomina Filij hominis, & ſervi i; ſed hoc glorioſum nomen Domini, *Et Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt.* Hæc depreſſio ſic fuit elevata ut exaltatio ipſius convenientiam habeat cum ipſius humiliatione ; & quò plus ipſe habuit unius, eò plus poſſidet alterius, *Humiliavit ſemetipſum, propter quòd & eum exaltavit illum.* Sed inferiùs deſcendit, *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Quæ eſt centrum omnium depreſſionum : natura enim humana erat incapax ulterioris humiliationis : unde dicebat Iſaias k, *Deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum.* Et Cornelius l, *Pro, noviſſimum virorum Hebraicè eſt ceſſatio vel abſtinentia virorum. Forerius & Sanchez, Chriſtus, inquiunt, vocatur ceſſatio, deſitio, vel ceſſator virorum, id eſt, ultimus finis, terminus, ſeu noviſſimus virorum, ultra quem non eſt ampliùs vir, qui in genere virorum* eſt

q Marc. 16. 14.
r Pſ. 4. 3.
s Matt. 22. 37.
t Mich. 2. 13.
u Joan. 14. 6.
x Ephef. 4. 9.
y Luc. 14. 10.
z S. Bern. ſerm. 2. de Aſcenſ.
a Hebr. 4. 11.
b Gen. 3. 23. & 24.
c Joan. 3. 5.
d Epheſ. 1. 7.
e Pſ. 67. 19.
f Pſ. 23. 9. & 10.
g Mich. 2. 13.
h Philipp. 2. 7. &c.
i Matth. 20. 28.
k Iſai. 53. 2. & 3.
l Cornel. in Iſai. 53. 3.

eſt minimum quod ſic, adeò ut ibi ſit virorum ceſſatio atque deſitio, ita ut virorum ſtatum ultrà procedere non poſſit, ſed in eo deſinat. Manens homo, deſcendere non poterat interiùs, nec magis pati: jure ergo merito elevatur hodie in altiſſima cœlorum faſtigia, *Propter quod & Deus exaltavit illum.* Humiliat ſe, & Pater ipſius ipſum exaltat; reddit ſe obedientem Patri ſuo, & Pater ipſius efficit ut omnes creaturæ ipſum agnoſcant, & exhibeant ei reverentias ſuas, *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Deſcendit uſque ad confuſionem mortis, & Pater ipſius tribuit ipſi nomen ſuper omnia nomina, *Et donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Et ſi deſcendit ad ultimas depreſſiones, ſic eſt elevatus ut attigerit altiſſimum cœli faſtigium, *Dominus Jeſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.* Ita ut, Auditores, ad hoc ut perveniamus eò, quò ipſe pervênit, oporteat ut imitemur eum in humilitate, & in paſſionibus illius, cùm paſſiones ejus, æquè ac humilitas ipſius, ſicut jam audiviſtis, conciliaverint ei gloriam, quâ nunc fruitur,
m Luc. 24. 26. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam* m? Et,
n Hebr. 2. 9. *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum* n. Adimpleamus igitur, Auditores,
o Philipp. 2. 5. conſilium Apoſtoli o: *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu.* Incumbamus iiſdem praxibus, quibus vacavit Jeſus: *In hoc enim vocati eſtis,* ait ſimiliter nobis S. Petrus p: *quia & Chriſtus* p 1. Petr. 2. 21.
paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus. Eamus poſt illum, & perveniemus cum illo ad eandem gloriam: ſi primus aſcendit, ideò ut nos attraheret ad ſe; ſi victor eſt, propterea quia præliatus eſt: deprimamus nos, deſcendamus præ humilitate, & aſcendemus præ honore; generosè præliemur, gloriosè triumphabimus: *Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certaverit* q. *Propter quod in infir-* q 2. Tim. 2. 5.
mitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto r placeamus no- r 2. Cor. 12. 10.
bis, patientes propter amorem ejus quidquid evenerit nobis moleſti in hoc mundo, ut beati poſſimus eſſe cum illo aliquando in altero, *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur* s. Jeſus in- s Rom. 8. 17.
greditur hodie poſſeſſionem cœli, & hoc in t S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. c. 4.
nomine omnium fidelium, ut nobis ſpem tribuat illuc aliquando perveniendi, *Hodie enim paradiſi poſſeſſores firmati ſumus,* ait S. Leo t. Sic non præceſſit nos illuc, niſi ut manſionarius deſignator, u Joan. 14. 2.
Vado parare vobis locum u. Ut compleatur iſtud, x Pſ. 83. 12.
Gratiam, & gloriam dabit Dominus x.

IN FESTO B. FELICIS DE CANTALICO CONFESSORIS.

Die 18. Maij.

Beati qui habitant in domo tuâ Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum in loco quem poſuit. Etenim benedictiones dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Pſ. 83. 5. &c.

Pſalmiſta loquens in Textu, quem ex ipſo deſumpſi, de ſervis Dei, qui habent locum in domo ipſius, ad probationem amoris, quo iſte Dominus eos diligit, ut domeſticos ſuos, aſſerit quòd devinciet illos ſibi favore, qui æquè facit ſanctos in terrâ, ac Beatos in cœlo, cùm ibi ſint fruituri gloriosâ viſione ipſius quæ eſt origo omnium felicitatum paradiſi: qui favor, Auditores, non eſt aliud in illâ vitâ niſi praxis virtutum, quæ velut via certa deducit ipſos ad fruitionem felicita-
a S. Hier. in Pſ. 83. 5. &c. tis iſtius, ut fusè dicit S. Hieronymus a poſt eundem Pſalmiſtam, *Beati qui habitant in domo tuâ. In tabernaculo non habitamus, ſed peregrinamur. Et in atrio quandiu ſumus, non inhabitamus, ſed peregrinamur. De atriis enim tranſimus in domum. Cùm autem venerimus in domum, quid dicitur? Beati qui habitant in domo tuâ: domus quæ habet fundamentum. Quoniam de domo nobis exire non licet, de atriis licet. In valle lacrymarum in loco quem poſuit. Ubi dicitur in valle, neceſſe eſt ut è contrario intelligamus & montem. Ergo quicumque diſponit aſcenſiones in corde ſuo, ubi poſitus eſt? In valle lacrymarum. Conſideremus quòd in valle ſumus, non ſumus in monte, non ſumus in paradiſo, in paradiſi altitudine, ſed in humilitate terræ, maledicta terra, maledictæ, quæ nobis tribulos & ſpinas generat, quæ cibus ſerpentis eſt, de quâ dicitur*
b ex Gen. 3. 17. &c. *ad Adam, Terra es, & in terram ibis* b. *Quandiu ergo ſumus in valle lacrymarum, non debemus ridere, ſed plorare. Propterea dicit & Dominus, Beati flentes,*
quoniam ipſi ridebunt c. *Interdum ergo ſumus in val-* c ex Matth. 5. 5.
le lacrymarum, & ſeculum hoc, lacrymarum eſt, non gaudii. Non debemus ridere, quoniam hoc ſeculum & hoc tempus, lacrymarum eſt, illud gaudii. In valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Quid eſt, quod dicitur, In loco quem poſuit? In loco, hoc eſt, in valle lacrymarum. In loco quem poſuit. Deus nos poſuit ad certamen, ut ſemper in hoc pugnemus. Locus ergo iſte, hoc eſt, vallis lacrymarum, non eſt pacis, non eſt ſecuritatis, ſed certaminis atque bellorum Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te. Nos quidem deſideramus tabernacula & atria & domum tuam: ſed hoc ipſum ut capere poſſimus, non eſt virtutis noſtræ, ſed auxilii tui. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Qui diſpoſuit aſcenſiones in corde ſuo. Beatus vir cujus eſt auxilium à Domino, ille diſpoſuit aſcenſiones in corde ſuo. Quicumque ſanctus eſt, quotidie in priora extenditur, & præterito-
rum obliviſcitur d. *Propterea dicuntur & in Pſalte-* d ex Philipp 3. 13.
rio, Pſalmi Graduum quindecim, & primus dicitur, Ad Dominum cùm tribularer, clamavi: & in ſecundo, Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: & in tertio, Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: & ſemper procedit & proficit & aſcendit in ſublimiora. Quod dicit, hoc eſt aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Fœlix eſt qui quotidie proficit, qui non conſiderat quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat ut proficiat. Sanctus aſcenſiones ſuas in corde ſuo ponit, peccator deſcenſiones. Quomodo qui ſanctus eſt quotidie proficit; ita qui peccator eſt, quotidie decreſcit.

Beatus vir qui diſponit aſcenſiones in corde. Videte conſequentiam Scripturarum. Etenim benedictiones dabit qui legem dedit. Dicat aliquis. In valle lacrymarum in loco quem poſuit. In agonem, hoc eſt, ad certamen. Quare poſuit agonem? quare pugnare nos voluit? Reſpondet ipſe Pſalmiſta, & dicit. Propterea in loco iſto pugnare nos voluit, ut poſſit tribuere coronas: etenim benedictiones dabit Legislator. Iſte Legislator, hoc eſt, Agonotheta noſter propterea nos pugnare voluit, ut nos poſſit benedicere. Videte conſequentiam. Quæ ſunt autem benedictiones iſtius Agonothetæ? Ibunt de virtute in virtutem. Hic vincunt, ut ibi coronentur. Si hic vir fortis apparuerit, ibi robuſtior ſit. Ibunt de virtute in virtutem. Ergo niſi hic habuerimus virtutem, ibi virtutem majorem habere non poſſumus. Neque enim dixit, Ibunt de imbecillitate in virtutem, ſed, ibunt de virtute in virtutem. Vis ibi eſſe fortis? Ante hic eſto fortis. Vis ibi coronari? Hic pugna. Ibunt de virtute in virtutem. Poſſumus & aliter dicere. e ex 1. Cor. 1, 24. *Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia* e: *Qui hic habuerit virtutem, & ibi habebit ipſam virtutem. Ibunt de virtute in virtutem. Quid habebunt dicere cùm ierint de virtute in virtutem? Quid habebunt præmij? Videbitur Deus deorum in Sion. Beati mundo* † Matth. 5, 8. *corde quoniam ipſi Deum videbunt* †. *Sufficit victoribus, ſufficit eis, qui pugnaverunt, ſacies Chriſti. Deum videre, infinita corona eſt. Videbitur Deus deorum in Sion. Quanta lætitia eſt, quanta fælicitas, ire de virtute in virtutem, & hoc ipſum habere præmium, ut Chriſtum videre mereamur.* B. Felix tenuit iſtam viam per totum vitæ ſuæ decurſum: propterea etiam beatus eſt, ſeu felix in cœlo, juxta nomen ſuum. Ipſe ſibi fecit veluti ſcalam virtutum, quæ è profundiſſimis terræ depreſſionibus elavarerunt ipſum ad eminentiſſima faſtigia magnitudinum cœli: ipſe aſcendit per gloriam, ſicut deſcenderat per humilitatem, imitans B. Virginem, quæ humiliavit ſe tempore ſuæ maximæ elevationis, cùm annunciata ad hoc ut eſſet Mater Dei, ſe nuncupet ancillam illius eo momento quo *ingreſſus Angelus,* f Luc. 1. 28, & 38. *ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

Conſiderate, ſi placet, Auditores, attentè prædicta verba iſta Prophetæ, quod Deus volens ſibi devincire ſervos ſuos, qui habitationem habent in domo ipſius, & qui, prout domeſtici ipſius, jugiter concinunt ipſius laudes, non dabit eis pro totâ mercede obſequij ipſorum, niſi quòd progrediantur è virtute in virtutem pro cumulo benedictionum ſuarum, *Etenim benedictiones dabit Legislator: ibunt de virtute in virtutem.* Iſta propoſitio, ut verum fatear, ſtatim ſtupore me perculit, cùm eodem tempore mihi perſuaſerim, quòd Deus facit ex amicis ſuis ſcopum vel ipſum petulantiæ eorum qui deridentvirtutem, & illorum etiam qui redigunt g Job. 12. 4. eam in praxim: *Deridetur Iuſti ſimplicitas* g. Et id quod majori me ciet admiratione, eſt, quòd non eſt aliquid in mundo ſic deplorabile, quemadmodum & ita frequens ac videre virtutem perſecutioni ſubjacere, & quòd ipſa quæ venit è h Jacob. 1, 17. cœlo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* h, & quæ ex juſtitiâ tenere debebat imperium cordium, contemnatur ab hominibus non ſecus ac ancilla. Etiam, Auditores: non erubeſco hoc dicere: Vitium ſe reddidit ſic inſolens hoc ſeculo ferreo quo vivimus, ut perſequatur virtutem, & indicat ei bellum manifeſtum, & irreconciliabile: ex omnibus ipſum facit arma ad inferendam ei mortem, quemadmodum recenſetur aliàs factum in obſidione Carthaginis, ubi vel ipſi capilli mulierum fuerunt adhibiti ad faciendos funes. Hic Iſmahel, qui non debet aliquid prætendere hæreditatis cœli, quia natus eſt *de ancilla* i, ſuſtinere non poteſt, ut vir- i Gal. 4, 22. ex Gen. 16, 15. tus ingrediatur poſſeſſionem boni, quod eſt affectatum nativitati ipſius; & ſi non poteſt ei eripere jura ipſius, ſaltem adverſatur illi: *Sed quomodo tunc is qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum: ita & nunc* k: & ulciſcitur ſe de hâc virtute, auferen- k Gal. 4. 29. ex Gen. 21, 9. do ab eâ pacem vel famam ipſius: ipſa nunquam prodit in publicum quin exponatur deriſui mundi; & illi qui non oderunt eam, non auderent hoc dicere, non ſecus ac illi diſcipuli occulti Salvatoris, qui conveniebant ad ipſum noctu, ut ſuſciperent ab eo *verba vitæ æternæ* l, & qui l Joan. 6, 68. diu habebantur ut infideles in fide populorum: inter quos diſcipulos *erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei, Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum Dei* m. m Joan. 3. 3 &c. &c. Sic ipſa ſæpè ſæpiùs eò redigitur ut cogatur manere abſcondita in conſcientijs Juſtorum ut in vaſtis ſolitudinibus, quò ipſa clàm ſuſcipitur ſine ſplendore & abſque pompâ, quemadmodum illi Principes qui quæſiti ad mortem à ſubditis ſuis, ſalvam faciunt vitam ſuam eo modo quo poſſunt, & magni æſtimant ſi inveniant caſulas, quæ media inter infortunia ſua ipſos recipiant. Quòd ſi contingat, ſicut ſæpè ipſa generoſa eſt, ut ipſa prodire velit, & ſe declarare talem qualis ipſa eſt, ipſa non debet expectare, ſe melius excipiendam, quàm fuerit exceptus Jeſus Chriſtus, qui ſemper habuit inimicos & conſpiratores, ex quo miracula patravit coram mundo: *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem* n. n Joan. 11, 46. &c. Et qui nunquam invênit ſecuritatem niſi in fugâ o, in vitâ incognitâ p, & in deſertis q. Et o Matth. 2, 14. qui ideò dicebat diſcipulis ſuis, *Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non eſt ſervus* p Luc. 2, 51 *major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt: & vos per-* q Matth. 4, 1. *ſequentur* r. Deus promittens igitur fideliſſimis r Joan. 15. 20. amicis ſuis, qui ipſi ſerviunt in domo ipſius majori zelo, pro totâ mercede, quòd ſemper *ibunt de virtute in virtutem,* videtur non procurare eis in iſtâ vitâ niſi novas & perpetuas contradictiones, tam è parte ſpectatorum, qui non poſſunt illam ſuſtinere, cùm hæc ipſis improperet ipſorum crimina, quæ ipſa damnat, quàm è parte illorum, qui eam exercent, propter difficultatem quam in illâ experiuntur. Quòd ita ſe res habeat, nihil intereſt, cùm Deus nolit in domo ſuâ ſervos puſillaminos, & qui non ſint generoſi ad quamlibet probationem ſuſtinendam. Poſthæc dico, quòd qui plus habet virtutis in iſtâ vitâ, plus eſt habiturus gloriæ in alterâ, ubi pro mercede fruetur beatificâ viſione Dei, quæ facit paradiſum Sanctorum in cœlo, *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Cùm igitur glorioſus noſter Felix habuerit cumulum omnium virtutum in iſto mundo, ſicut intendo Propoſitio. vobis

vobis monſtrare in progreſſu diſcurſus iſtius: nunquid non æquum eſt ut Deo fruatur in cœlo? Attendite, & incipio.

Ad probandam vobis propoſitionem meam, quòd B. Fœlix exercuit omnes virtutes per decurſum vitæ ſuæ, poſſem vobis enarrare virtutes omnes Cardinales, Theologicas, intellectuales, & morales; & videretis quomodo cum ſplendore apparuerit ipſe in omnibus in generali, & in ſingulis in particulari. Ipſe perfectè redegit in praxim virtutes Cardinales, quæ ſunt Juſtitia, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia. Ipſe habuit in perfectione ſummâ virtutes Theologicas, quæ ſunt Fides, Spes, & Charitas. Ipſe ſemper progreſſus eſt in virtutes intellectuales, & morales. Virtutes intellectuales, ſunt Sapientia, Intellectus, Scientia, Ars, & Prudentia. Virtutes autem morales, ſunt omnes habitus acquiſiti laudabiles, juvantes & elevantes animam ad operationes ſuas intellectuales vel effectivas, elicitas vel imperatas laudabiliter exercendas. Et ſi fama ipſius ingens eſt ſanctitate, ſcitote, Auditores, quòd virtutes ipſius ſunt etiam majores. Etiam, glorioſe Fœlix: iſtud ego dico ſine adulatione: hoc debeo juſtitiæ & veritati meritorum tuorum: plus habuiſti effectus quàm rumoris, plus realitatis quàm apparentiæ, plus fructuum quàm florum: dico de virtutibus tuis cum ſinceritate, ſicut aliàs Regina Saba de Salomone, & de ſapientiâ modi procedendi ejus, *Viciſti famam virtutibus tuis* s. Ut autem deſcendamus in particulare, cùm ferè nihil dicere ſit ac loqui in generali, ut conſtituamus hoc aſtrum in cœlo ſuo, has Divinas qualitates in ſubjecto proprio, & in quo ipſæ micant cum ſplendore, ſilentio præteriens vota Religionis t, quæ ipſe adimplevit perfectè, utor Diviſione Platonicorum, qui vocant virtutes, alias purgativas, alias illuminativas, alias civiles, & alias exemplares, quas omnes B. Fœlix exercuit.

s 2. Par. 9, 6.

t Matth. 19, 27, &c.

Et ad clariorem intelligentiam illius, quod habemus dicendum, obſervate, ſi placet, quòd virtutes, quas vocamus purgativas, ſunt illæ, quæ dant animæ noſtræ primum charactêrem ſanctitatis: ipſæ enim nobis apprehendunt cor adhuc occupatum paſſionibus terræ, & auferunt ab eo rubiginem tot imperfectionum, quæ ordinariæ ſunt naturæ noſtræ corruptæ, ut ipſum guſtare faciant ſenſibiliùs res cœli. Iſtæ virtutes emicuerunt excellenter in B. Fœlice: ſufficit ut legatur ipſius vita, ad hoc ut ſanctus concipiatur horror pœnitentiæ ejus, quæ fremere facit ardentiſſimos quoslibet, & quæ lacrymas eruit ex oculis illorum omnium qui eam legunt. Ipſe humillimè de ſe ſentiebat, ipſe ſe reputabat omnium minimum, & ſe publicabat univerſorum peccatorum maximum, & ut ſic ſemetipſum ſeveriſſimè caſtigabat. Vix enim eductus eſt è mundo, ut obediret voci Dei, qui vocabat ipſum ad Religionem noſtram, licèt ipſe vixiſſet in ſeculo inſtar alterius Job inter impios, id eſt, ut *vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* u, cùm ſibi præſcripſit mortificationes ad purgandam vitam ſuam ſecularem. Ipſe videbatur conſpiraſſe contra ſeipſum ad ſe deſtruendum vi pœnitentiarum. Ipſe jejunavit ferè tutâ vitâ ſuâ; ſed ita auſterè ut non comederet niſi reliquias micarum & fruſtulorum panis, quæ educebantur è menſâ poſt refectionem communem Religioſorum. Nam ſicut officium Coactoris ſtipis oſtiariæ, quod exercuit ipſe cum tantâ approbatione uniuſcujuſque per quadraginta annos Romæ, ſæpè non permittebat ipſi ut adeſſet communi menſæ cum aliis, ipſe contentus erat reliquiis eorum. Quòd ſi ipſe obſtrictus erat ad comedendum edulium, ut fugeret oſtentationem, quæ eſt actionum præclariſſimarum tinea, quandiu erat cum aliis, imperceptibiliter & clàm infundebat ei aquam, & miſcebat illud cinere, ut ſic auferret ab eo omnem ſaporem. Et licèt ipſius jejunia eſſent ferè continua, tamen ultimis tribus diebus Hebdomadæ Majoris, id eſt, à capturâ Domini noſtri x in horto Olivarum uſque ad ipſius reſurrectionem y, nihil prorſus ipſe comedebat. Ipſe deferebat hamis conſertam tunicam ſuper carnem ſuam: ipſe nunquam accedebat ad ignem hyberno tempore: ipſe unam duntaxat habebat veſtem: ipſe ſtudebat jugiter quomodo macerare poſſet *carnem ſuam* z. Ipſe perpetuò nudis pedibus incedebat: *Cæterùm hyberno tempore tam graves atque amplas ipſius tali rimas agebant, ut cùm non rimæ, ſed vulnera viderentur, plerùmque vivum ſanguinem effunderent. Qualem autem in medicinam adhiberet, ſi poſtulas, haud aliam ſanè accipias, quàm quòd ſubulâ, ac funiculo rimarum labia conſuta, ſevo igne eliquato perfundebat: ita ut acriorem rimarum dolori dolorem accumularet. Eo verò is remedio libentiùs utebatur, quòd amplior illi exercendæ virtutis eo occaſio adminiſtraretur*, ait Boverius a. Ipſe ſe flagellabat ter ſingulis noctibus uſque ad ſanguinem, à capite uſque ad pedes, primâ vice pro peccatoribus, ſecundâ pro benefactoribus, tertiâ verò pro animabus purgatorii, ſed præ tanto rigore, ut, cùm P. Lupos, unus ex amicis ipſius, & unus ex eximiis Prædicatoribus ſeculi ſui, nocte quâdam delituiſſet in cathedrâ Eccleſiæ concionatoriâ ad obſervandas ipſius actiones, exclamare coactus fuerit ad iſtam veluti grandinem tot repetitorum ictuum, *Miſerere tui, Fr. Fœlix, & noli eſſe tui ipſius interemptor.* *Ha! Pater mi*, reſpondit hæc victima mortificationis, *recede, ſi placet: quare ſic incogitantem me obſervas?* Ipſe enim ſolitus erat, ingrediens Eccleſiam, attendere num in eâ eſſet aliquis: ipſe perluſtrabat illam præ manu habens minutam candelam ceream accenſam: nam fugiebat oſtentationem, & præſertim vacabat ſuis ordinariis exercitiis mortificationis quandiu Religioſi erant in cellis ſuis. Aliàs ipſe fuit obſervatus à quodam Religioſo, qui ſe abſcondit in cavernâ, ubi ſepeliebantur cadavera defunctorum, quò veniens F. Fœlix, cùm exuiſſet ſe veſte ſuâ, poſt effuſum torrentem lacrymarum, rudem imbrem ictuum flagellorum ſuper totum ſuum corpus immittens, & ſermonem ſuum dirigens ad mortuos, ſic eos alloquebatur, Fratres mei chariſſimi, quorum vita fuit aliàs tota texta pœnitentiâ, Ha! non fuiſtis puſillanimi, ſed mortui eſtis ut generoſi milites cum armis præ manibus veſtris, poſtquam magnanimiter præliati eſtis certamen ſpirituale: Ha!

u Job 1, 1.

x Joan. 18, 12.

y Joan. 20, 1.

z Gal. 5, 24.

a Boverius Annal. Capuc. ann. Chriſt. 1587 Relig. Cap. 63, num. 9.

Fratres mei, vos proſtraviſtis hunc hoſtem veſtrî ipſorum, qui prout capax omnium conſiliorum quæ formantur adversùs ipſum, dat etiam rudiores inſultationes, vos fortiter eum oppugnaſtis, & de eo glorioſè triumphaſtis interventu pœnitentiarum & mortificationum veſtrarum: veſtram perſonam egiſtis, meum nunc eſt agere vices meas: vos viciſtis, & ego ſum adhuc in prælio: vos triumphaſtis, & ego diſputo adhuc de victoriâ: meâ igitur intereſt magnanimiter me gerere in iſtâ militiâ. Et ſic crudeliſſimè ſe flagellans, inducebat hunc Religioſum, qui hæc audiebat, ad amarè flendum.

Ipſe nolebat aliter vocari quam Frater aſinus, *Ego non ſum F. Fœlix: ego non ſum niſi aſinus Capucinorum.* Et ſi aliquando ipſe tranſire non poterat per vicos propter nimium populum qui aderat, ipſe dicebat, *Date locum aſino Capucinorum.* Et cùm aliquando interrogaretur à quodam, ubinam eſſet aſinus, ipſe reſpondit, *Ecce ego ipſe.* Ha! qualis vita, quales virtutes iſtius Beati. Ipſe non vivit ampliùs vitâ veteris hominis, ſed vitâ novi; ipſe non eſt ampliùs obnoxius imperfectionibus Adæ, quem ipſe mori fecit in ſeipſo; ipſe exinanivit hunc amorem proprium, quem hæreditavimus ab hoc infortunato Protoplaſto, expolians ſe *veterem hominem cum actibus ſuis, & eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum* b, induens. Quàm ritè hæc vita eſt purgativa, cùm triumphet ita glorioſè de omnibus paſſionibus ipſius, quas proſternit, mortificat, & annihilat. Potens virtus, cùm ipſam ſequatur triumphus.

b Coloſſ: 3, 9, & 10

Faciamus hanc exiguam reflexionem: Si B. Fœlix, qui ſatis innocenter & ſanctè vixerat in mundo, levia aliqua delicta quaſi gravia luget, quid agere debent peccatores de magnis & enormibus criminibus? Sic virtus dicitur à vi, *Virtus eſt immenſitas virium in labore & pondere corporis*, ait S. Iſidorus c. Unde Salvator vocat virtuoſos fortes, dicens, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* d. Ad hoc enim ut homines adipiſcantur gloriam paradiſi, debent eſſe neceſſariò generoſi. Et obſervate, quòd violenti inferunt ſibi tria genera violentiarum: Primò, aggrediendo res difficiles, & quæ ſunt ſupra naturam: Secundò, patiendo res rudes & moleſtas: Tertiò, abſtinendo ſe à rebus jucundis, & quæ nobis cauſant voluptatem: nam natura noſtra, ex quo ſuſcepit hunc ictum fatalem in perſonâ Adæ, *in quo omnes peccaverunt* e, facilè fertur ad id omne quod ipſi blanditur, & requiritur vis, imò verò violentia ad hoc ut ab illo recedat. B. Fœlix fecit iſtud omne: exercuit igitur excellenter virtutes purgativas. Primò, Ipſe laboravit ſupra naturam, *Grandis violentia eſt, in terrâ naſci, & cœlum rapere, & habere per virtutem, quod non poſſumus per naturam,* dicit Gloſſa Ordinaria ſuper præfata verba Salvatoris, *Violenti rapiunt illud.* Secundò, Paſſus eſt. Tertiò, Abſtinuit ſe ab omni eo, quod blandiri poterat ſenſibus ipſius, ſicut audiviſtis.

c S. Iſid. lib. 18, Orig. c. 22.
d Matth: 11, 12.
e Rom. 5, 12, ex Gen. 3, 6.

Secundæ virtutes, vocantur à Platonicis illuminativæ: & iſtæ nos illuſtrant, poſtquàm domuimus commotiones ſenſuum, & nos ſtabiliunt in dulcedine quietis alicujus, ubi incipimus contemplari ingreſſus, progreſſus, & egreſſus mundi, in quo ſumus collocati, & curſum ingentis iſtius comœdiæ, quæ vocatur vita; incipimus oculos aperire ad cognoſcendum res cœli, magnitudines & perfectiones Dei, & id quod ipſe meretur reverentiarum & adorationum. Anima noſtra ſic purgata ab omnibus ſordibus & inquinamentis materiæ, interventu virtutum ſuarum redditur perſpicax quoad negotia ſalutis ſuæ. Ha! B. Fœlix ſic excelluit his virtutibus, ut S. Philippus Nerius, qui erat illi ſuppar ſeculo, & amicus ejus, aſſereret de eo, quòd erat unus ex omnibus ſecoli ſui maximè progreſſis in viâ Dei. Quàm peritus erat ſpiritualitatis. Ipſe benè primas iſtas exercuerat virtutes, & non minùs benè redigit in praxim has ſecundas, ſicut & alias. Ipſe inducebat homines ad pœnitentiam peccatorum ſuorum; & vita ipſius erat potens & continua prædicatio, quæ faciebat eos derelinquere vitium ad amplectendam virtutem. Ipſius monita ſemper erant efficacia, eò uſque ut mulieres vel diſſolutiſſimæ proficerent è conſiliis ipſius. Non latet vos fortè conſilium admirabile, quo ipſe uſus eſt tempore Hilariorum, ut averteret populum Romanum à Bacchanalibus crimineſis, quibus intereſſe debebat ad contemptum Chriſtianiſmi, & in diſperdium virtutis, quæ paſſa fuiſſet ibi naufragium. Adinventiones iſtæ, erant effectus mentis ipſius mundatæ, & illuſtratæ luminibus cœli quoad id quod intuebatur ſalutem hominum, gloriam Dei, & bonum animarum. Ipſe viſum internum ſic habebat acutum, ut legeret arcana conſcientiarum; ipſe ventura prædicebat, habebat donum prophetiæ, ſic ut nullæ eſſent tenebræ, quas ipſe non diſſiparet interventu luminum mentis ſuæ.

Hæc autem lumina quæ ſplendore ſuo illuſtrabant ipſius mentem (quod eſt omni laude dignum) inflammabant ardore ſuo voluntatem ipſius. Iſta voluntas ipſius ardet & conſumitur igne & flammis ſanctæ dilectionis: Fœlix extra ſe raptus eſt, video eum in ecſtaſi, ipſe diſſolutus eſt à corpore ſuo, ſic unitus eſt Deo ſuo, Dilecto ſuo, qui eſt motivum languoris ipſius, æquè ac amoris ipſius, *Amore langues* f. *Qui autem adhæret Domino: unus ſpiritus eſt* g. Nam, ſicut ait S. Dionyſius h, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur.* Et, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat,* dicit Dionyſius Carthuſianus i. Mihi videor audire eum in hoc ſtatu raptûs, petentem ſe ſublevari à languore ſuo, & ſibi concedi ad momentum fruitionem Filii Dei: pro impetrando hoc inſigni favore proponit ipſe humillimam ſupplicationem beatiſſimæ Virgini Mariæ Matri ejus. Sed quid denegare poſſet hæc *Mater pulchra Dilectionis* k, huic cordi amanti? Ipſa largitur ei effectum ſuæ petitionis. Lingua mea tace: ipſa ſatis dignè loqui non potes de hoc favore, qui Angelos cœli ſtupore æquè ac admiratione ciet, & cauſare poteſt eis æmulationem. Ipſe ſuis omnibus utebatur luminibus ad imitandum Jeſum Chriſtum Prototypon ſuum perfectiùs in omnibus actionibus ſuis, ſciens quòd Pater æternus dedit *Teſtem populis eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus* l, *dicens, Hic eſt Filius*

f Cant. 2, 5.
g 1. Cor. 6. 17.
h S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
i Dion. Carth: art. 35. in Luc. 12, 34.
k Eccli: 24, 24.
l Iſai. 55, 4.

lius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite m. m Matth. 17, 5. Sicut autem nunquam meliùs apparet amor, quàm in paſſionibus, ipſe volebat ut eadem crux ipſos ambos crucifigeret, dicens cum Apoſtolo o, o Gal: 2, 19, & 20. *Chriſto confixus ſum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Sic ipſe non vivebat ampliùs in ſeipſo, ſed in ſubjecto amoris ſui Jeſu Chriſto, quem jugiter orabat pro converſione peccatorum. Ha! mi Jeſu, ajebat ipſe in exceſſu amoris ſui, miſerere populi hujus, miſericordiam concede benefactoribus noſtris, ut ſanguis tuus pretioſus fruſtrà non fuerit effuſus. Et ſtatim rapiebatur in ecſtaſim, ſine ullo ſenſu, ſic ipſius anima diſſoluta erat à corpore ſuo, & unita Deo ſuo, cujus amore languebat.

Poſt iſtas virtutes purgativas, & illuminativas, quas obſervavimus in B. N. Fœlice, ſequi facio tertias, quæ ſunt civiles, quæ nos educunt è nobis ipſis, ut nos applicent bono & utilitati proximi in ſanctâ & jucundâ converſatione cum illo. Videte quomodo virtutes iſtæ fœliciter ei ſuccedunt: non eſt aliquid illo beneficentius, ipſe devincit unumquemque ſibi, & omnes admirantur eum ut Angelum miſſum è cœlo propter utilitatem ipſorum, ſic ut factus ſit ipſe *ſpectaculum mundo, & Angelis, & hominibus* p p 1, Cor: 4, 9. dulcedine colloquiorum ſuorum, & ſanctitate converſationis ſuæ. Ipſe conſolatur afflictos, & roborat & ſublevat infirmos, quibus compatitur, dicens cum S. Paulo r, r 2, Cor: 11, 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Et totus populus Romanus contentâ voce inclamat ſe devinctum precibus iſtius Beati: quin imò vel ipſe ſummus Pontifex iſtam tribuit ei laudem: Gregorius XV. proſtratus ante tumulum ejus, hæc verba profert in illius favorem: *Nos plurimum huic viro debemus, eò quòd ipſius interceſſione ſingularem à Deo gratiam tulimus.* Denique omnes, magni & parvi, nobiles & ignobiles, docti & ignari, viri & mulieres, *Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, nomen Domini* s s Pſ. 148, 11, & 12. laudant pro ſanctitate viri iſtius, dicentes, *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis* t. t Pſ. 67, 36. Et experiuntur effectus admirabiles virtutum ipſius, quæ non ſunt communes.

Ipſe ſic vehementer elaborat, & ita ferventer quærit bonum & utilitatem proximi ſui, ut majori calore & ſolicitudine amplectatur illius commoda, quàm ſuis invigilet, ſic ut, ad ſublevandum eum à pœnis & laboribus ſuis, inveniens aliquando in quodam templo quendam dæmoniacum, ſuper quem fiebant exorciſmi Eccleſiæ, petiverit à Deo præ gratiâ & favore ſpeciali, ſe poſſidendum ab illo dæmone, ut ille miſer qui ab eo cruciabatur, ab illo liberaretur. Ha qualis charitas! Uſque ad quemnam apicem ſublimitatis, eminentiæ, & perfectionis habebat ipſe virtutes civiles? poſſideri à dæmone, ab hoſte ſic crudeli, qui non machinatur niſi ruinam noſtram, & non elaborat niſi deſtructionem noſtram. Videte rabiem & crudelitatem, quam hic adverſarius noſtræ naturæ exercuit alias adverſus Job, *Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem ejus, qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio* u. u Job 2, 7. & 8. Exceſſus charitatis B. Fœlicis erga proximum.

Illud etiam, fuit effectum Divinæ Sapientiæ, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* x, x Sap. 8, 1. quæ volens ponere hanc *lucernam ſuper candelabrum, ut omnibus qui in domo ſunt* y y Matth. 5, 15. Eccleſiæ, luceret, illuſtrando eos luminibus ſplendentibus actionum ſanctarum ſuarum, & inflammando illos ardore cœleſtium virtutum ſuarum, decrevit ut curam ſuſciperet cogendæ ſtipis oſtiariæ in præcipuâ civitate totius orbis, quò undequaque conveniunt omnia genera nationum, ut actiones ſplendidæ iſtius Beati meliùs cognoſcerentur ab omnibus, & ipſe tot haberet teſtes ſanctitatis vitæ ſuæ exemplaris & admirabilis, quot haberet ſpectatores, qui ſuos ſuper ipſum projicerent oculos. Sic ipſi ſucceſſit ſic proficuè & ita fœliciter hoc officium oneroſum, quod fuit ipſi impoſitum ab eo qui diſponere poterat obedientias ipſius, & quod ipſe ſic exercuit cum ſic ingenti humilitate, prudentiâ, charitate, zelo, & curâ, ut omnes Religioſi & ſeculares inde mirarentur. Sic ut dicere poſſim de illo id quod Eccleſiaſticus z z Eccli. 49, 1. ajebat aliàs de Joſia, *In omni ore quaſi mel dulcorabitur ejus memoria.* Omnia ora aperiuntur ad danda ei elogia, & ad publicandum modeſtiam, dulcedinem, honeſtatem, & tot alias virtutes illius.

Tandem, Ad terminandum hunc diſcurſum ad gloriam B. Fœlicis, cujus non poſſum ſatis exprimere magnitudines, ipſe habuit virtutes exemplares, quæ non ſolùm proficuæ ſunt illis, qui ipſas exercent, ſed etiam aliis, qui ſe reddunt ipſarum ſpectatores: nam ipſæ prodeunt in palàm, ut ſerviant omnibus loco prototypi: & ſicut picturæ, ſunt libri, in quibus illi qui neſciunt legere, diſcunt hiſtoriam; ſic actiones Juſtorum ſunt ampla volumina, ubi peccatores, qui Scripturam ſacram non legunt, edoceri poſſunt omnes articulos legis Dei. Vita virtuoſa iſtud magnum præ ſe fert, ut, poſtquàm ſe ad legem conformavit, in ejus abſentiâ tenere poſſit ipſius locum cum majeſtate, & exercere omnia officia, prout ipſius ſuffraganea. Pudicitia Joſeph Patriarchæ, qui nunquam conſentire voluit importunis Dominæ ſuæ ſolicitationibus, & qui maluit amittere pallium ſuum a, a Gen. 39, 12, &c. quàm innocentiam ſuam, nunquid non docet nos, quòd debemus eſſe caſti, & quòd, quantamlibet præ nobis feramus fortitudinem, fugere debemus occaſionem mali, non ſecus ac flammas incendii? Firmum conſilium Eleazari b, b 2, Machab. 6, 18, &c. qui recuſavit vitam, quæ offerebatur ipſi cum conditionibus, quæ eam inquinaſſent, nobis innuit, quòd non eſt aliquid integritati præferendum, quòd fruſtum prohibitum pejus eſt morte, & quòd altiſſimus apex gloriæ eſt mori pro obedientiâ.

Sic actiones B. Fœlicis nos invitant ad imitationem ſuiipſarum. In duplici genere ſunt virtutes quas ipſe exercuit. Aliæ ſunt, quas debemus admirari, quales ſunt miracula, quæ ſic ipſum per totum mundum reddiderunt celebrem. Aliæ ſunt, quas poſſumus & debemus imitari, & hæ ſunt virtutes, quas uſque nunc vidimus in eo, purgativæ ſcilicet, illuminativæ, civiles, & exemplares. Purgativæ nos purgant à peccatis noſtris, ab impuritate actionum noſtrarum, à

malis conſuetudinibus quas contraxiſſe poſſemus, ab amore proprio qui nos ita potenter elaborare facit conſervationem noſtram temporalem, & hoc mediis mortificationibus, macerationibus, pœnitentiis, jejuniis, flagellationibus, abnegationibus, depreſſionibus voluntariis, humiliationibus, & aliis operibus laborioſis, quæ magnum requirunt animum, ad hoc ut in praxim redigantur, ſicut vidimus in B. N. Fœlice. Illuminativæ, conando diſcere media operandæ ſaluti noſtræ opportuna, id quod Deo placet, & quod ipſe requirit ab obedientiis noſtris, ſatagendo nos conformare ad eum in omnibus. Civiles, nitendo reddere nos utiles Reipublicæ, fieri *omnibus omnia: ut omnes ſalvos* f faciamus. Et exemplares, ut ſervire poſſint aliis vice prototypi, ad hoc ut imitentur nos in ſanctitate actionum noſtrarum, & operentur ſalutem ſuam.

f 1. Cor: 9. 22.

En noſter B. Fœlix in poſſeſſione gloriæ, fruens viſione Dei, quæ facit paradiſum Beatorum, & fœlicitatem Sanctorum, ſicut *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* g. Ipſe magnanimiter exercuit omnes virtutes in iſta vitâ, & virtutes ipſius eſt ſecuta gloria, quæ eſt earum merces, *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Eamus igitur, Auditores, poſt veſtigia Sanctorum, adhæreamus greſſibus illorum, certi quòd ſi imitemur Sanctos in iſtâ vitâ, erimus beati non ſecus ac illi in alterâ: ſi aſſimilemur B. Fœlici in virtute, participabimus fœlicitatem ejus. Imitemur igitur eum, cùm vita Sanctorum non prædicetur & repræſentetur nobis niſi ad hunc finem, ut nobis ſerviat loco calcaris ad nos inducendos majori ardore ad virtutem, quam exercuerunt: nos verò præſertim reverendi Patres, & chariſſimi Fratres, ad hanc imitationem potenter incitamur, cùm profiteamur eandem vitam, & ſimus in eodem ſtatu, & vivamus ſub iiſdem obligationibus, & ſub eâdem Regulâ. Quòd ſi præclara facinora Miltiadis Ducis Athenienſis, ut referunt Hiſtorici, ſic vehementer urgebant mentem Themiſtoclis alterius Ducis Athenienſis, memoriâ quam iſte habebat ipſorum, ut hæc eriperent ei ſomnum, ſic ut ferè noctes omnes inſomnes tranſigeret; & interrogatus aliquando ab uno ex amicis ſuis, quare ſic inquietus eſſet tempore quietis in cubili ſuo, reſpondit, quòd trophæa Miltiadis ſic ipſum tenebant vigilem, & cauſabant in ipſo æmulationem: & idem recenſetur de Julio Cæſare, quòd legens actiones glorioſas Alexandri Magni, flebat amarè pro eo quòd illum nondum potuiſſet imitari: reverendi Patres, & chariſſimi Fratres, nunquid non actiones generoſæ, & trophæa glorioſa N. B. Fœlicis, aliquam facient impreſſionem ſuper animos noſtros? Ipſe ſic generosè præliatus eſt in ſtadio vitæ hujus, quæ eſt bellum continuum, ſicut ait Job b, *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Ipſe ſic glorioſè triumphavit de ſeipſo, & de omnibus conatibus inferni: intuitu ſplendentium victoriarum ejus, complicabimuſne brachia in modum crucis præ puſillanimitate? nunquid non animabimus nos ad exemplum illius, videntes nos ſic remotos à perfectionibus ejus? nonne dicemus excitando nos à lethargiâ noſtræ puſillanimitatis, reflectentes nos ſupra noſmetipſos, Heu! quid agimus? quare non imitamur glorioſum Fratrem noſtrum? Ipſe eſt frater noſter, amicus noſter, domeſticus noſter, Capucinus ſicut nos, indutus velut nos, ſub eodem tecto, & in eâdem conditione vitæ ac nos; ſocii ſumus armorum, expoſiti eidem certamini, habentes eandem naturam, eandem carnem, quæ non eſt minùs rebellis, eoſdem ſenſus proclives ad voluptates ſuas; *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* i: eaſdem paſſiones quæ ſubjici debent imperio rationis, idem pondus quod animam noſtram gravat? *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* k: eundem mundum, a quo ſuſtinemus eaſdem tentationes, æquè ac à carne, & à diabolo, ſicut iſtis ipſe fuit obnoxius. Ha! cogitemus quòd de his referre debemus victoriam, & quòd meliùs gerere non poterimus nos in hoc certamine, quàm imitando N. B. Fœlicem in præliis ipſius. *Tria ſunt igitur, quæ in feſtivitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus,* ait nobis S. Bernardus l, *auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram. Auxilium ejus, quia qui potens in terrâ, potentior eſt in cœlis ante faciem Domini Dei ſui. Debemus etiam attendere exemplum ejus, quia quandiu in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* m, *non declinavit ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed viam Regiam* n *tenuit donec veniret ad illum, qui dicit; Ego ſum Via, Veritas, & Vita* o. *Sed & diligentiori intuitu confuſionem noſtram inſpiciamus: quia homo ille ſimilis nobis fuit, paſſibilis* p, *ex eodem luto formatus* q *ex quo & nos. Quid ergo eſt, quòd non ſolùm difficile, ſed & impoſſibile credimus ut faciamus opera quæ fecit, ut ſequamur veſtigia ejus* r. *Confundamur, Fratres, & contremiſcamus ad vocem iſtam, ſi fortè hæc confuſio adducat nobis gloriam, ſi fortè generet gratiam* s *nobis timor iſte.* Imitemur igitur eum, & nobis æquè ac illi *gratiam & gloriam dabit Dominus* t.

b Job. 7. 1.
i Gen: 8. 21.
k Sap: 9. 15.
g Joan: 17. 1. &c.
l S. Bern: ſerm: in Vigil: SS. Apoſt. Petr: & Paul.
m ex Baruch 3. 30.
n ex Deuter. 2, 27.
o Joan: 14. 6.
p ex Jacob. 5, 17.
q ex Gen: 2. 7.
r ex 1. Petr: 2. 21.
s ex Eccli: 4. 15.
t Pſ: 83. 12.

IN FESTO PENTECOSTES.

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Act. 2. 3. &c.

COnſilium quod aggredior hodiernâ die, convenit fœliciter & favorabiliter cum neceſſitate meâ: nam habens vobis tractandum de miraculis linguarum ignis, quæ effunduntur cum ſplendore ſuper cœnaculum, & ſuper Apoſtolos & diſcipulos Jeſu Chriſti congregatos, indigeo hoc igne ſacro, cujus flammæ mihi ſunt

neceſſa

neceſſariæ ad loquendum de ſubjecto eminenti, quod eſt infinitè ſuper id omne quod de ipſo dicere poſſunt homines, imò verò concipere. Apoſtoli interiùs calefacti ardoribus iſtius ignis Divini, & repleti flammis ejus, inceperunt loqui palàm, *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Omnium enim gentium idioma proferre & intelligere potuerunt: imò quod mirabilius eſt, ſecundùm Gloſſam, & Expoſitores communiter, uno eorum aliquam proferente loquelam, omnes qui aderant quatùmlibet idiomatum conſiſterent diverſorum, loquelam illam tanquam proprium idioma audierunt ac intellexerunt, Divinâ id agente potentiâ: ut ſicut per ſuperbiam & rebellionem filiorum Adæ diviſa ſunt linguæ* a: *ita per humilitatem diſcipulorum Christi, operante Spiritu ſancto unita ſint*; ſubdit Dionyſius Carthuſianus *b*. Spiritus Divine, ſi indignus ego ſum glorioſis effectibus amoris tui, ſaltem noli mihi recuſare præſidium verbi tui, & effice ut inſumam totum diſcurſum iſtum ad inſtructionem & ædificationem totius iſtius auditorij; & ſi gratiarum plenitudinem conceſſiſti Apoſtolis, quia mundum integrum habebant convertendum, largire mihi, quæſo radium iſtius plenitudinis, ut illum communicare poſſim his auditoribus meis, qui ſervient aliquando ad multitudinem Sanctorum adimplendam. Recenſetur quòd in urbe Haj, ubi Dea Minerva adorabatur, extinguebantur omnes ignes, & unuſquiſque accedebat facem ſuam ad ignem presbyteræ, quaſi fuiſſet ipſamet Dea: ſic ſine comparatione, *Sanctiſſima Virgo, quæ velut rubus intellectualis abſque combuſtione Divinitatis ignem tenes* c, ut ait tibi devotus famulus tuus S. Epiphanius *d, qui te appellat velut Sacerdotem pariter*, nos videntes, quòd flammæ amoris Dei ſunt extinctæ in Chriſtianiſmo, nullo ducimur alio deſiderio quàm earum accendendarum: ſed iſtud fieri non poterit quin priùs accenderimus facem noſtram ad *lucernam Chriſto meo* e paratam in te, quæ es etiam *candelabrum virginum, quod illuſtravit tenebris involutos: candelabrum virgineū repellens tenebras, & lucem ſplendere faciens: candelabrum virgineum, quod ignem & oleum inſeparabile ad illuminandum mundum intulit: candelabrum virgineum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem, unum, inextinguibilem* f, *conſubſtantialem, & ad illuſtrandam terram reſplenduit* g, æquè ac inflammandam. Humiliter ergo te deprecamur ut iſtud permittas nobis, poſtquàm reverenter tibi dixerimus, *Ave Maria.*

a ex Gen. 11. 9.
b Dion. Carth. art. 2. in Act. 2, 4.
c ex Exod. 3. 2.
d S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
e Pſ. 131. 17.
f ex Sap. 7. 10.
g S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. ex Zach. 4. 2.

Scriptura ſacra nos edocet, quòd Spiritus ſanctus comparatur diverſis rebus: ſed ſicut apparuit principaliter in mundo ſub tribus formis aut ſpeciebus viſibilibus trium elementorum, nimirum, aquæ, aëris, & ignis; & licèt ſint quatuor elementa, triom duntaxat ex illis ſuſcepit ipſe formam: non quòd natura ſit ditior gratiâ, aut quòd gratia ſit indigentior naturâ; ſed puto, quòd ſi Deus neglexit terram, ideò quia erat corpus grave & opacum, & utſic indignum unione ſic auguſtâ. Vel dicendum, quòd terra ſatis fuerat honorata per unionem hypoſtaticam, in quâ corpus humanum fuit unitum Divinitati, *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis* h. Cætera elementa remanebant honoranda atque deificanda, & hoc eſt quod Spiritus ſanctus fecit in diverſis apparitionibus. Et primò, Iſtud apparere fecit, cùm apparuit ipſemet ſub formâ columbæ, quæ educta fuit ex aquis, *Dixit Deus, Producant aquæ volatile ſuper terram ſub firmamento cœli* i. *Baptizatus autem Ieſus, vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe* k. Propter quod idem Spiritus ſanctus comparatur aquæ: unde Samaritanæ *Ieſus dixit: Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſitam petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam* l. Et per hanc aquam Patres & Expoſitores intelligunt gratiam Spiritus ſancti, qui vocatur *fons vitæ* à Pſalmiſtâ *m*. Et *fons vivus* ab Eccleſiâ. *Id eſt*, ait Dionyſius Carthuſianus *n*, *gratiam Spiritus ſancti, ſeu ipſum Spiritum ſanctum, qui dari tunc dicitur, cùm ejus gratia gratum faciens menti infunditur: ſicque redit in idem, ſive per aquam intelligatur ſpiritus ſanctus, ſeu gratia ejus. Quòd autem per aquam intelligatur Spiritus ſanctus, conſtat ex eo ſicut habetur infrà, Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Quod Evangeliſta* o *exponens, Hoc, inquit, dicebat de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum.* Secundò, Loquor de Spiritu ſancto ſub formâ aëris & venti: Jeſus Chriſtus enim dans Spiritum ſanctum Apoſtolis ſuis, dedit eis illum ſub flatibus venti, *Inſufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum* p. Super quod dicere poſſumus, quòd in creatione mundi Deus oſtendit conſilium quod habebat uniendi hominis ſuæ Divinitati, cùm dixit, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* q. Id eſt, quòd, cùm Filius, qui eſt ſecunda perſona SS. Trinitatis, ſit imago Patris, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* r, uniret ſibi hominem factum ad imaginem ſuam, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* s. Et ideò vitam dare voluit ei flatu, *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* t. Ut innueret, quòd creatio hominis eſſet completa quando Deus dediſſet Divinum ſuum Spiritum repetito flatu ſuo, dicendo, *Accipite Spiritum ſanctum.* Quod induxit S. Cyrillum Alexandrinum *u* ad dicendum, *Quoniam in mortem ex inobedientiâ decidit* x, *& priſtinum decus homo amiſit, formavit ipſum rurſus Deus Pater, & in novam reduxit vitam per Filium, qui morte carnis ſuæ mortem deſtruxit* y, *& reditum nobis ad incorruptibilitatem largitus eſt.* Tertiò, Spiritus ſanctus apparuit ſub formâ ignis, & hoc innuunt verba Textus mei, *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Atqui ex his tribus formis nulla eſt quæ declaret ſenſibiliùs effectus quos Spiritus ſanctus producit in animabus noſtris, quàm forma ignis; propterea volo ut conſiderantes in progreſſu diſcurſus iſtius Spiritum ſanctum ſub formâ ignis, cognoſcamus Primò, illum eſſe Deum; Deinde, tertiam perſonam SS. Trinitatis: Tandem, illum veniſſe ad inſtituendum mundum novo modo vitæ qui nunquam fuerat exercitus ad illud uſque tempus.

h Joan. 1, 14.
i Gen. 1, 20
k Matth. 3. 16.
l Joan. 4, 10.
m Pſ. 35. 10.
n Dion. Carth. art. 11. in Joan. 4, 10.
o Joan 7. 38. ex Joël. 2, 28.
p Joan. 20, 22.
q Gen. 1, 26.
r Coloſſ. 1. 15.
s Gen. 9. 6.
t Gen. 2. 7.
u S. Cyrill. Alex. lib 12 c. 61. in Joan.
x ex Gen. 3, 6.
y ex Oſeæ 13, 14.
Diviſio.

1. Pars.

Dico pro ingreſſu diſcurſus iſtius, quòd eſt difficile locutu de Deo, & de eo quod ſpectat illum, quin recurramus ad conceptus inſignium virorum qui commendabiles fuerunt ſcientiâ, vel ſanctitate vitæ; quia ſubtili acie ingeniorum ſuorum, aut interventu revelationis quæ fuit ipſis communicata, dicere voluerunt, Deum nihil aliud eſſe niſi ignem, & amorem. Ut autem incipiamus à profanis,

z Cornel. in Hebr. 12, 29.

Cornelius z dicit, *Gentiles Deum per ignem repræſentarunt, & definiverunt. Zoroaſtres & Platonici ita Deum deſcribunt: Deus, inquiunt, eſt ignis primus, vivifer, ſive vitam cunctis afferens, ex quo ignes ſiderei, id eſt, ſtella & aſtra, omniaque alia ſunt genita. Quò alludens Horatius de Iulio Cæſare, quaſi inter Deos relato, ita canit:*

Micat inter omnes
Iulium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Et Virgilius ita ſtellas tanquam ignes animatos & Divinos, id eſt, tanquam Deos invocat, & conteſtatur:

Vos æterni ignes, & non violabile Numen
Teſtor.

Apollo quoque rogatus, quis eſſet, & quid omnino eſſet Deus: reſpondit; Per ſe natus, non doctus, ſine matre, immotus, neque in rationem, neque in ſermonem cadens, in igne habitans, hic eſt Deus: parva verò Dei portio ſumus Angeli nos. Denique, Perſæ coluerunt Deum ſpecie ignis, & igni templum erexerunt a. *Cauſa cur Deus potiùs igne quàm aliis rebus ſe oſtenderit, eſt primò, ne ſi aliâ quàm ignis ſpecie apparuiſſet, v. g. ſpecie hominis aut animalis alicujus, Iudæi in idola proclives, illius idolum facerent & colerent: hanc cauſam dat Moſes* b. *Secundò, Quia ignis eſt primum & nobiliſſimum elementum, puriſſimum, ſubtiliſſimum, efficaciſſimum, ſublimiſſimum, celerrimum, lucidiſſimum, calidiſſimum, ſimpliciſſimum, omnino impaſſibile, omnia penetrans, omnia conſumens, interminum, omnia igniens, & ſibi aſſimilans. Talis eſt & Deus, Deique gratia & charitas. Ita docet S. Dionyſius* c, *& S. Thomas* d. Et hoc quantùm ad Authores ſacros poſt Scripturam. Inter alias autem, quas enumerat idem S. Dionyſius, proprietates ignis, non eſt aliquid quòd ſit purum & incorruptibile, ſicut eſt ignis, qui tenet primum locum inter elementa, ſeque ſolum extra inſultationes corruptionis conſervat: atqui nunquid Deus non eſt prima *Veritas* † eſſentialis, immunis ab omnibus corruptionibus & alterationibus naturæ? *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* e. Eſſentia enim ejus eſt ita pura, & expers omnis generis compoſitionis, ut, ſi ipſa confunderetur cum aliquâ re alienâ, non eſſet eſſentia Dei, quæ eſt actus puriſſimus. Unde Dionyſius Carthuſianus f ait ſuper hæc verba S. Jacobi, *Apud quem non eſt tranſmutatio. Quia omnimoda incommutabilitas, quæ eſt plena immortalitas, competit Deo: cùm ſit actus purus, in quo nec eſt potentia limitans, nec differentia contrahens, neque materia uſquam coarctans, ut in Metaphyſicâ ſuâ ſapientiſſimè docet Philoſophus. Et Proclus Platonicus in Elementatione ſuâ Theologiâ ſubtiliſſimè probat hoc. Vnde Malach.* g *conteſtatur, Ego Dominus, & non mutor. Quod Balaam quoque aſtruit, loquens, Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur* h. *Et ſicut contingentia, variabilia, corporalia, invariabiliter intelligit: ita & immutabilis permanens, omnia operatur, ſicut ait Boëtius, O qui perpetuâ mundum ratione gubernans, tempus ab ævo ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri. Quod & primo Timæo diſſerit Plato. Propter quod aſſerit Veritas, Pater meus uſque modò operatur, & ego operor* i. *Nec viciſſitudinis obumbratio. Id eſt, alicujus ſucceſſionis obſcuratio. Quia in ſuperſimpliciſſimo Deo ſunt penitus idem, eſſentia, poteſtas, & actio: ſeu eſſe, poſſe, & agere. Et ipſe unico, ſimpliciſſimo, & æterno actu intelligit, & vult ac diſponit univerſa, & ſingula in ſe ipſo. Vnde & ejus menſura eſt æternitas, quæ eſt interminabilis vitæ tota ſimul perfecta poſſeſſio* k. Præterea, Nihil eſt magis extenſivum, quàm ſit ignis; & ſi aurum pretioſius eſt aliis metallis, ideò quia magis accedit ad naturam ignis: ſed licèt ignis magnam habeat extenſionem, Deus meliùs mundum replet univerſum, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, ait Salomon l. Et poſt illum S. Bonaventura m, *Spiritus Domini, intranſitivè, id eſt, qui eſt Dominus, ſecundum illud Athanaſij* n: *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus. Vel tranſitive, id eſt, Spiritus qui eſt à Domino, ſecundùm illud, Spiritus Domini ſuper me* o, *&c.* Item Ioannes p, *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Replevit orbem terrarum, ſuâ præſentiâ rebus omnibus aſſiſtendo, & ea continendo. Nunquid non cœlum & terram ego impleo* q*? Quia, ſecundùm Gregorium, Vbique eſt Deus, intra omnia non incluſus, extra omnia non excluſus, ſupra omnia non elatus, infra omnia non depreſſus.* Inſuper, Ignis nunquam ſeneſcit, ſed ſemper vividior efficitur: ut ſic eſt imago Dei, qui eſt imago ſui ipſius, & cui infinitas ſeculorum nihil poteſt addere, *Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es: & anni tui non deficient*, ait Pſalmiſta r Deo de cœlis, qui ſunt nobiliſſimi præ cæteris creaturis inſenſibilibus. Et Incognitus s, *Tu autem permanebis. Hoc dicit, quia ſicut æternus eſſe oſtenditur, quia eſt ante omnia: ſic etiam oſtendatur, quia permanet idem poſt omnia mutata. Et anni tui non non deficient, id eſt, æternitas tua.* Et propterea dico, quòd ſi Deus deſcendit ſub formâ ignis, ideò ut nobis declararet naturam ſuam ſub flammis latentem. Sed præter naturam ſuam, voluit etiam nobis manifeſtare perſonam ſuam, & modum proceſſionum Divinarum.

a ex 2. Mach. 1, 34.
b ex Deut. 4, 16.
c ex S. Dion. lib. de cœl. Hie. c. 15.
d ex S. Thom. in c. 10. Iſa. æ.
† Joan. 14, 6.
e Jacob. 1, 17.
f Dion. Carth. art. 2. in Jacob. 1. 17.
g Malach 3, 6.
h Num. 23, 19.
i Joan. 5, 17.
k ex Boet. lib. 5. de Conſol. Philoſ. proſ. 6.
l Sap. 1, 7.
m S. Bon. in Sap. 1, 7.
n S. Athan. in Symbol. V. 17.
o Iſa. 61, 1.
p Joan. 15, 26.
q Jer. 23, 24.
r Pſ. 101. 27. & 28.
s Incog. nit. in Pſ. 101, 27. & 28.

II. Part.

Nonne veriſſimum eſt, Auditores quòd ignis fit ex colliſione duorum corporum ſolidorum adinvicem? Iſtud quotidie videmus, & de hoc non poſſumus ambigere, niſi quotidianæ detrahere velimus experientiæ, quæ nobis oſtendit hanc veritatem luce ipsâ clariorem, ſi enim ſumamus duos ſilices, & uno ex iſtis percutiamus alterum, ex iſtâ percuſſione videmus ignem confeſtim exire, qui etiam producitur partu chalybis & ſilicum percuſſorum: modus autem inveniendi ignis eſt per colliſionem: *Ignis enim ſenſibilis, eſt attritu, ſicuti quâdam vindictâ, connaturaliter & propriè ſubitò relucens*, ait S. Dionyſius t. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus u, *Id eſt, ex conenſione, inſufflatione, percuſſione, repentè erumpens, quaſi multionem ſua percuſſionis, & proprio calore reſuſcitatus ac reſulgens.* Deus ipſe, Pater æternus diligens infinitè Filium ſuum, & Filius reddens Divino Progenitori ſuo tantum amorem, quantum meretur hoc objectum Divinum, producunt flammas amoris infiniti & æterni, quibus iſti Divini amantes manent ligati;

t S. Dion. lib. de Cœl. Hier. c. 15. Interpret. Scot.
u Dion. Carth. art. 67. in S. Dion. lib. de Cœl. Hier. c. 15.

gari : & ſicut ignis unitur per colliſionem duorum corporum , ſic Pater & Filius ardentes iiſdem flammis ligantur ut ſuſpirent eâdem voluntate Amorem , qui eſt utrique ex iſtis communis. Amor iſte non eſt alius , niſi tertia perſona SS. Trinitatis : ideòque dico quòd per ſymbolum ignis venimus ad cognitionem proceſſionis Spiritus ſancti : ſi enim Spiritus ſanctus eſt ignis, ſicut illum nominat Eccleſia, quæ ſic canit,

Fons vivus, ignis, charitas,

& ſi iſte Spiritus , eſt amor Divinarum perſonarum , inde diſco quòd Spiritus ſanctus eſt ignis , quia eſt amor proveniens è Divinis perſonis , & ideò eſt infinitus , ſicut Deus *non habet finem* x. Et hoc eſt quod Dei Filius incarnatus ſuos docebat Apoſtolos, dicens eis , *Cùm venerit Paraclêtus , quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis , qui à Patre procedit* y, &c. Seu , juxta S. Bonaventuram z, *Cùm veneris Paraclêtus , ſcilicet , Spiritus , qui eſt Conſolator contra perſecutionem , & Advocatus contra perſequentes : quem ego mittam à Patre. Et in hoc notatur quòd Pater & Filius ſint unum principium Spiritus , qui procedit ab illis. Signatur tamen in Patre authoritas , quia & ipſe Filius eſt à Patre. Mittam , inquit, vobis, ut ſummum donum. Omne datum optimum , & omne donum perfectum* †. *Spiritum veritatis , non ſolùm Spiritum ſanctum eum vocavit , ſed & Spiritum veritatis , quia omnia certiſſima novit , ait Chryſoſtomus* a. *Qui à Patre procedit. Ecce , ait Chryſoſtomus , non Pater ſolus , ſed Filius eſt qui Spiritum mittit.* Ignis cùm eſt in ſphærâ ſuâ naturali , nihil producere poteſt : ibi enim nullam facit alterationem ; ſed hoc elementum nimis vividum eſt extra ſphæram ſuam , & ideò convertit in ſe id omne , quod ipſe poteſt attingere : ſimili modo dico quòd Spiritus ſanctus deſurſum in Trinitate ſacrâ , velut in propriâ ſphærâ ſuâ manet inſertilis ad intrà : ſed ad extrà , quaſi extra cœlum omnes aliæ actiones & converſiones attribuuntur ipſi. Si enim Dei Filius incarnatus eſt in ventre B. Virginis Mariæ , hæc conceptio peracta eſt operatione internâ & ſecretâ Spiritus ſancti : *Quod enim in eâ natum eſt , de Spiritu ſancto eſt* b. Et ſi Apoſtoli innumeras Deo lucrati ſunt animas, hanc converſionem peregerunt interventu Spiritus ſancti , qui loquebatur ore ipſorum, *Et apparuerunt illis diſpertita lingua tanquam ignis , ſeditque ſupra ſingulos eorum. Id eſt, Spiritus ſanctus in his linguis ignitis ſuper unumquemque diſcipulorum quievit , quemadmodum ſuper Chriſtum in Baptiſmo deſcendit , ac manſit in formâ columba* c. *In linguarum ergo ſpecie apparebat , ad innuendum , quòd omnium linguarum notitiam, facultatem & uſum eis infudit. Secundò , Quia cunctis gentibus prædicaturi erant. Tertiò , Quoniam linguis prædicantium Spiritus ſancti gratia præcipuè neceſſaria extat ,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus d. Non igitur attribuamus has magnas acquiſitiones animarum S. Petro , nec Coapoſtolis ejus , ſed dicamus eas eſſe effectus & productiones admirabiles Spiritus ſancti. Si autem clariùs videre volumus hanc veritatem , oportet ut tranſeam ad tertiam partem meam.

III. Pars.

In quâ videbimus , quòd Spiritus ſanctus deſcendens hodiernâ die ſuper Apoſtolos in formâ ignis, oſtendit ſe veniſſe ad inſtituendam novam Eccleſiam , & ad offerendam mundo novam vitam. Hoc autem fundatur ſuper maximas antiquorum , qui dixerunt, quòd igne cadente de cœlo , homines qui erant circumquaque diſperſi in ſyluis , congregati ſunt in ſocietates civiles, & fecerunt Reſpublicas, *Propter ignis conventionem , conventus inter homines natus eſt.* Sic Spiritus ſanctus venit ſicut ignis ſuper Apoſtolos , ut congregaret Eccleſiam , cujus Jeſus Chriſtus jam fundamenta jecerat paſſione & morte ſuâ : atqui patet quòd Jeſus Chriſtus non congregavit ipſemet *oves* e, de quibus ipſe loquitur ; ſed Spiritus ſanctus interventu Apoſtolorum congregavit omnes fideles in idem ovile : ita ut à deſcenſu Spiritus ſancti è cœlo in terram , Judæi & barbari uniti fuerint interventu fidei in eâdem Eccleſiâ. Hæc autem veritas prædicta eſt ab Ezechiele f, *Faciam eos in gentem unam , & Rex unus erit omnibus imperans , & non erunt ultrà duæ gentes , nec dividentur ampliùs in duo Regna.* Non me latet , quòd S. Hieronymus g iſtud explicat de duobus Regnis Judæorum, putà de Regno Juda & de Regno Iſraël , quæ ſimul reunita ſunt : ſed etiam certum eſt ibidem apud eundem S. Hieronymum , quòd nationes unitæ fuerunt in Eccleſiâ ſub directione Spiritus ſancti. Barbari erant in ſyluis ſine ullâ cognitione ignis ; ſed ex quo cognoverunt eum , inceperunt ſe congregare , domoſque ædificare : ſic Spiritus ſanctus , qui eſt ignis , adveniens congregavit Eccleſiam : nam , ut dixit quidam, *Religio vinculum & coagulum eſt omnis ſocietatis , & pietatis fundamentum.* Et quò perfectior eſt religio , eò conſummatior eſt ſocietas eorum qui in ipſâ vivunt. Et hoc eſt quod induxit antiquos Philoſophos ad dicendum , *Deorum immortalium eſt munus quòd vivimus , Philoſophiæ autem quòd bene vivimus.* Dico meliùs , quòd ſi debemus agere gratias Deo pro vitâ quam ipſe nobis tribuit : *In ipſo enim vivimus , & movemur , & ſumus* h: potiori ratione dicere tenemur , nos ſuſcipere ab eo bonam vitam noſtram. Si autem mihi permittatis, oſtendam vobis , mundum nunquam debuiſſe habere perfectiones, moraliter loquendo, quàm ex quo profitemur Chriſtianiſſimum : deinde , impoſſibile eſſe , ut in atheiſmo reperiatur praxis ſocietatis humanæ , eumque eſſe puram barbariem. Sequela ferè datur infallibilis barbariei & atheiſmi. Conſiderate illum impium Monarcham Ægypti Pharaonem , cùm auſus eſt dicere in diſpendium honoris quem debebat exhibere ſummæ majeſtati Dei Iſraël , cujus deinceps expertus eſt ictus & rigores i, eò quòd Iſraëliticum populum tyrannide ſuâ opprimeret , *Quis eſt Dominus ? neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam* k. Appoſitè locutus eſt Salomon l, cùm dixit, *Viſcera impiorum crudelia.* Et videte quomodo quidam Poëta deſcribens hominem diſſolutum , oſtendit eum velle ſe maximis dedere crudelitatibus , & deordinationibus.

Quis mihi Regnator cœli , quis Conditor orbis,
Aut quæ non meritò mihi ſit metuenda Poteſtas,
Ibo per impuros ferventè libidine luxus. &c.

Videte

x Baruch, 3, 25.
y Joan. 15, 26.
z S. Bon. in Joan. 15,26.
† Jacob. 1, 17.
a ex S. Chryſoſt. hom. 76. in Joan. circa med.
b Matth. 1, 20.
c ex Matth. 3, 16.
d Dion. Carth. art. 2. in Act. 1, 3.
e Joan. 10, 27. & 28.
f Ezech. 37, 22.
g S. Hier. lib 11. in Ezech. 37, 22.
h Act. 17, 28.
i Exod c. 7. & ſeqq.
k Exod 5 2.
l Prov. 12. 10.

Videte igitur quomodo ille, qui eſt in atheiſmo, tantas habet deordinationes non ſociabiles civilitati, ut impoſſibile ſit ut reperiat alibi ſocietatem, quàm in Chriſtianiſmo. Præterea, Dico quòd impoſſibile eſt, ut reperiatur civilitas religionis, quandiu in eâ habetur notitia multorum Deorum: & ideò aliàs Judæi ut civiles habebantur, quia non adorabant niſi unum Deum. Quomodo verò conventio reperiretur inter populum qui diverſos adoraret Deos? Concludamus igitur quòd in noſtrâ Religione vivi poteſt civiliùs quam in quâlibet aliâ: quia in eâ adoramus unum Deum, & ipſa oſtendit optimum & perfectiſſimum vivendi modum. Hoc autem clarè videri poteſt, ſi obſervemus qualia ſint vitia, quæ infringunt amorem & ſocietatem inter homines, quorum primum eſt impuritas: atqui peto: Quænam religio magis arguit impuritates & adulteria, quam noſtra *m*, ſicut re veræ multæ civitates florentiſſimæ, viſæ ſunt profligatæ vitio impuritatis *n*. In quanàm religione meliùs edocetur humilitatis exercendæ praxis, quàm in noſtrâ *o*? Non quòd velim ducere, quòd in Religione noſtrâ vivatur meliùs quàm in alijs, & hoc erit ad noſtram condemnationem *in judicio* p. Sed verum eſt, quòd principio doctrinæ noſtra Religio ſuperbiam damnat & ambitionem *q*, quæ ſunt ruinæ Statuum & Regnorum *r*: in eâ enim nobis præcipitur ut vivimus ſicut diſcipuli Dei humiliati, & crucifixi propter amorem noſtrum *s*. Videtis igitur ex his, quòd, cùm ſocietas hominum venerit ex igne, & Spiritus ſanctus venerit in formâ ignis, idem Spiritus ſanctus oſtendit ſe veniſſe inſtitutum Eccleſiam optimo & perfectiſſimo vivendi modo, qui nondum uſque ad illud tempus viſus fuerat.

m Matth. 5, 27 & 28
n Gen. 19, 24 & 20.
o Matth 11, 29.
p Matth. 12, 41.
q Luc. 12. 29
r 1 Reg. 13, 9. &c. & Dan. 4, 27. &c.
s Philipp. 2, 8.

Hic autem admiror ego providentiam Spiritus ſancti ſuper Eccleſiam ſuam: ſed impoſſibile mihi eſt ut conſiderem ſtatum & vitam Chriſtianorum, quin erumpam in planctus, quia adventus Spiritus ſancti, & conſequenter Eccleſiæ nativitas, aut perfecta congregatio videtur obeſſe gloriæ Dei, & videtur Chriſtianiſmus iſtud ſuſcepiſſe beneficium, ut perveniret ad infortunium maius, quia magnificatio ipſius fuit incrementum vitiorum ipſius, ſic ut dici poſſit, quòd numerus filiorum reddiderit matrem infirmam, *Quæ multos habebat filios, infirmata eſt* t. Id eſt, quòd fœcunditas Eccleſiæ, ipſam reddidit infelicem, quia quò plùs extenſa fuit ipſa corpore, eò plùs ipſa ſpiritu fuit imminuta. Sed veniamus ad exempla, ut juſtificare poſſim id quod enuncio. Reperio quòd in Eccleſiâ primitivâ vivebatur in magnâ paupertate ſpiritus, & in contemptu divitiarum immodico, æquè ac in ſtrictiſſimâ cordium unione; *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia* u. Atqui dico quòd Eccleſia reperiebatur in hâc perfectione, cùm ipſa ſolùm paucis conſtabat fidelibus: ſed nunc cùm eſt circumquaque diffuſa, non videmus ampliùs iſtam charitatem, ſed loco paupertatis omnes quærunt divitias: nunquid non igitur jure merito dicere debeo, ſatius fuiſſe ut fuiſſet Eccleſia intra terminos arctiores, in quibus habuiſſet ipſa plus pietatis, & comitata eſſet ſanctitate actionum ſuarum ſanctitatem Religionis quam profitemur, ut dignos nos gratijs Spiritus ſancti redderemus? Cùm igitur Spiritus ſanctus venerit in formâ ignis ad inſtituendam Eccleſiam novo modo vitæ, qui nondum fuerat exercitus, certum eſt quòd ſatius eſſet, ut nunquam ſuſcepiſſemus à Deo beneficia, quàm ut poſt illa ſuſcepta, eadem malè inſumeremus, nec ea aliter agnoſceremus quàm ingratitudinibus, quod eſt teterrimum omnium criminum, & quod unuſquiſque fugere debet præ quâlibet aliâ re. Privatio beneficiorum nobis multò foret utilior, cùm nullam rationem ſimus reddituri illius quod non ſuſceperimus, *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo* x. Favores, quos à Deo ſuſcepimus, ſic ſunt ingentes, ut cùm omnia, quæ penes nos fuerint, fecerimus, ſemper fateri debeamus, quòd pro illis ſufficientes rependere non poſſumus ei vices, & ideò quòd ſinguli tenemur ei dicere cum Patriarchâ Jacob, *Minor ſum cunctis miſerationibus tuis* y. Et iſtud eſſet etiam multum, ſi poſſemus illi dicere cum eximio iſto viro, *Minor ſum*. Cùm ſit quilibet *homo putredo, & filius hominis vermis* z.

t 1. Reg. 2. 5.
u Act. 4, 32.
x Luc. 12. 48.
y Gen. 32. 10.
z Job. 25. 6.

Et cùm veritas ſuccedat figuræ, & primus Adam fuerit imago ſecundi Adæ, quis non videt quòd Jeſus Chriſtus, qui mittit nobis hodiernâ die Spiritum ſanctum ad reparandum Eccleſiam ſuam, poſſidet eminenter id omne, quòd Deus conceſſerat primo Adæ, ut nobis illud communicaret prout membris ſuis, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* a. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium* b. Adam triplicem vitam ſuſceperat, nimirum vitam Divinam, vitam patientem, & vitam glorioſam. Prima, eſt vita hominis Dei, quæ incepit ubi *Verbo caro factum eſt, & habitavit in nobis* c. Quæ perſeveravit in depreſſionibus terræ *d*, in opprobrijs crucis & mortis Jeſu *e*, & quæ durabit in æternitate, quia quandiu Jeſus erit, tandiu erit Deus, & quod ſemel induit, nunquam dimittet, juxta illud axioma Theologicum, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*. Vita Divininis humana, quæ eſt principium omnium magnitudinum Jeſu, & fundamentam univerſorum meritorum ipſius. Secunda vita Jeſu, eſt tota laborioſa, quæ incepit ex quo ipſe homo factus eſt: ex tunc enim ipſe cœpit eſſe paſſibilis, quod duravit uſque ad articulum mortis ipſius, ſicut ipſemet ait, *In laboribus à juventute meâ* f. Vita autem quam ducimus in terrâ, eſt repræſentatio vitæ ejus patientis, ut participando labores illius, communicemus gloriæ ipſius, *Si compatimur, ut & conglorificemur* g. Tertia vita Jeſu, habet tres differentias. Prima, eſt gloriæ animæ ſuæ unitæ corpori ſuo paſſibili, quæ fecit hanc unionem fruitionis cum tolerantijs. Secunda, eſt gloriæ conſummatæ Jeſu Chriſti in reſurrectione ſuâ *h*. Tertia, eſt vitæ ſuæ glorioſæ, in quam ingreſſus eſt cùm *aſſumptus eſt in cœlum* i. Unde mittit nobis hodiernâ die Spiritum ſanctum. In primâ vitâ privatus fuit gloria ſui corporis. In ſecundâ vitâ privari voluit loco gloriæ ſuæ, qui eſt cœlum, *per dies quadraginta* k, quibus manſit in terrâ poſt reſur-

a Epheſ. 5, 30.
b Coloſſ. 1, 18.
c Joan 1, 14.
d Luc 2, 7. &c.
e Joan. 19, 1, &c.
f Pſ. 87, 16.
g Rom. 8, 17.
h Marc. 16, 6.
i Marc. 16, 19.
k Act. 1, 3. &c.

reſurrectionem ſuam uſque ad aſcenſionem ſuam. Tandem, in tertiâ recipit perfectam conſummationem gloriæ, *Et ſedet à dextris Dei* l. Unde deſcendere facit Spiritum ſanctum propter utilitates noſtras. In reſurrectione enim ſuâ glorioſâ ceſſavit eſſe paſſibilis & mortalis, ſed non deſtitit converſari & habitare cum hominibus: erat glorioſus, ſed loco & habitatione erat adhuc veluti terreſtris & peregrinus, aſcenſio ipſius fuit terminus itinerarii ipſius, & dies quietis iſtius: in reſurrectione ſuâ ceſſaverat pati, ſed non laborare pro nobis; ingreſſus erat gloriam ſuam, ſed non perfectam quietem ſuam. Sicut igitur *complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat* m: ita Jeſus completo toto opere noſtræ ſalutis, & terminatis omnibus vitæ ſuæ myſteriis, ingreditur *in requiem* n ſuam, & mittit ad nos Spiritum ſanctum ad animandam Eccleſiam novâ vitâ, *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia* o. Deſcendere facit Spiritum ſanctum in terram, ut univerſa maneant æqualia, cœlum & terra, & nullus in eis ſit defectus, & ipſe cuncta poſſit implere. Duplex erat defectus, & uterque magnus erat, unus in terrâ, alter in cœlo. Terra deficiebat Spiritu: *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* p. Id eſt, ſubdit Cornelius q, *Quia carnalis, & in vitia carnis ſuâ culpâ projectus eſt. Ita S. Chryſoſtomus, & Ambroſius.* E contrà cœlum deficiebat carne, totum ibi erat Spiritus, *Spiritus eſt Deus* r. Quid agit Deus? Elevat ipſe carnem noſtram in cœlum, ut ſuppleat defectum noſtrum, & ſtatim vice reciprocâ mittit Spiritum ſanctum ſuum in terram, *Ut impleret omnia.* Ut univerſa eſſent unita & æqualia, cœlum plenum carne, & terra Spiritu repleta.

l Marc. 16, 19.
m Gen. 2. 2.
n Pſ. 131, 8.
o Epheſ. 4, 10.
p Gen. 6, 3.
q Cornel. in Gen. 6, 3.
r Joan. 4, 24.

Filii hominum uſquequò gravi corde? dicit vobis Pſalmiſta s. Quouſque cor veſtrum terræ habebitis alligatum? Quouſque terra aggravabit vos? Quouſque affectus veſtri erga eam, facient vos mutare naturam veſtram? *Cupidi quidem ſumus aſcenſionis: exaltationem concupiſcimus omnes: nobiles enim creaturæ ſumus, & magni cujuſdam animi*, ait S. Bernardus t. Et hic affectus noſter immodicus erga bona terrena, hebetat aciem iſtius inclinationis naturalis aſcendendi surſum, ut deprimat nos deorſum. Quid cogitamus? *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, ait Scriptura u. Et, *Solummodò hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum*, ait Salomon x. Et Cornelius y ſuper illa verba Geneſeos inquit: *Recta enim ſtatura & vultus in cælum erectus, indicat animum corporis rectorem cœleſti ſatum origine, Deique ſimilem, æternitatis & Divinitatis capacem, ſuperna ſpectare & ambire debere. Si enim tanti vitrum, quanti margaritum? Ita S. Auguſtinus* z, *& Bernardus* a. *Rectâ ergo ſtaturâ admonetur homo, ſibi non eſſe ſectanda terrena, uti faciunt pecora, quorum voluptas omnis ex terrâ eſt: unde in ventrem cuncta pecora prona & proſtrata ſunt, Hinc Poëta;*

s Pſ. 4. 3.
t S. Bern. ſerm. 4. in Aſcenſ. Dom.
u Gen. 1, 27.
x Eccl. 7, 30.
y Cornel. in Gen. 1, 26.
z ex S. Aug lib. 6, de Gen. ad lit. c. 12.
a ex S. Bern. ſer. 24, in Cant.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cælo ergo nati, cælo creati ſumus: hic finis, hic ſcopus noſter: ab hoc ſi aberremus, fruſtrà homines ſumus, fruſtrà cœlum, Solemque ſuſpeximus: ſatius foret bruta, aut ſaxa fuiſſe: ſin aſſequamur, terque quaterque beati.

Sicut duplex eſt terminus itinerationis Jeſu Chriſti in aſcenſione ſuâ; terra, è quâ diſcedit, & cœlum quò pergit; ſic & duplex eſt ipſius intuitus, unus erga homines qui manent in terrâ, & alter verſus Patrem ſuum, qui ſuſcipit ipſum ad dexteram ſuam, quæ eſt terminus & ſummus gradus elevationis Jeſu; ita ut ex iſto *templo ſancto gloriæ* b ſuæ jugiter intueatur Eccleſiam ſuam, regens eam, & dans ei novam vitam Spiritu ſancto ſuo, quem mittit ad illam, præſervans illam auxilio ejus, illuſtrans eam lumine illius, & ſanctificans illam diverſis influentiis gratiarum ejus. Ex iſtâ dexterâ Patris ſui ſuos intentos habet oculos *omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate* c, & qui laborant, aut patiuntur propter nomen ipſius; ſicut aderat per S. Spiritum ſuum S. Stephano inter ictus lapidum quibus obruebatur d. Intuetur in particulari omnes animas, ad operandos in eis diverſos effectus gratiarum ſuarum, nec unquam ceſſat illas intueri, ſemper eis adeſt, jugiter in illas influit per Spiritum ſanctum ſuum, operando ex parte ſuâ, nedum deſit unico vel inſtanti diſpoſitionibus illarum differentibus, præveniens eas *in benedictionibus dulcedinis* e. Verum quidem eſt, quòd peccatum eſt pondus, quod nos deorſum trahit, & aſcenſionem noſtram impedit. Sic eſt, Auditores; quandiu ſumus in peccato, impoſſibile eſt ut aſcendamus ſine auxilio gratiæ Spiritus ſancti, quæ ex illo nos eruit, ut ait nobis Dei Filius, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* f. Centrum peccati eſt infernus: quid igitur mirum ſi peccatum nos illuc defert? Ideò excutiamus illud, *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum* g, ſi ſuſcipere Spiritum ſanctum volimus. Ubi dicere poſſem vobis id quod quibuſdam diſcipulis ſuis Epheſi *S. Paulus dixit, Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes* h? Si corda veſtra calefacta ſunt flammis ejus cœleſtibus? Si hoc honore donati eſtis ut ipſe ſuâ vos devinxerit ſibi viſitatione? Si virtus veſtra, quæ toties labitur, expleta ſit, æquè ac virtus Apoſtolorum per deſcenſum ignis iſtius cœleſtis? Divinus iſte Spiritus, eſt magnus opifex, qui replere non poteſt animam, quin eam renovet, & mutet omnes languores ejus. Si ingreditur ſervum ſuum Amos, è paſtore facit illum Prophetam i confeſtim: Si deſcendit in Danielem, è puero juniori facit ipſum Judicem ſenum k: Si in Petrum, è piſcatore l facit illum Caput Eccleſiæ ſuæ m: Si in Saulum, è perſecutore & adverſario n facit ipſum Prædicatorem crucis o: Si in Matthæum, è publicano p facit illum Apoſtolum q & Evangeliſtam: Et ſi ingreſſus eſt corda noſtra, oportet neceſſariò ut, cum ibi manere non poſſit otioſus, ex inconſtantibus ea reddiderit firma, ex infirmis potentia, è carnalibus & terreſtribus ſpiritualia & Divina, & è frigidis ardentia. Videte vos ipſi in vobis ipſis, num ignis iſte qui agit & operatur jugiter ad convertendas omnes ſubſtantias in ſuam, operatus ſit in vobis aliquam ſanctam mutationem; num in firmos habitus pietatis mutaverit affectus veſtros pronos *in malum* r: & num è deſideriis veſtris, quæ vos præcipitabant in voluptates illicitas, fecerit ſanctos ardores ad ſectandam ſanctitatem: & ſi agnoſcatis quòd hæc infortunata idola, quæ erexiſtis in corde, ſunt ad-

b Dan. 3, 53.
c Pſ. 144, 18.
d Act. 7, 55. &c.
e Pſ. 20. 4.
f Joan. 15 5.
g Hebr. 12. 1.
h Act. 19, 1, & 2.
i Amos 1, 1, & 2.
k Dan. 13 45, &c.
l Matth. 4. 18.
m Matth. 16, 19
n Act. 9, 1, &c.
o 1, Cor. 1, 23
p Matth. 9, 9.
q Luc. 6, 13, &c.
r Gen. 8. 21.

huc in throno, & quòd eædem paſſiones quæ vos induxerunt ad enormia crimina patranda, ſunt adhuc voluntatum veſtrarum Dominæ: dicite nedum vobis blandiamini, quòd Divinus iſte Spiritus non honoravit vos viſitatione ſuâ, quòd non eſt ingreſſus animas veſtras, & quòd non penetravit corda veſtra, cùm ignis iſte nunquam ingrediatur hominem quàm ad eum comburendum, quàm ad mutandas omnes illius paſſiones, quas invenit rebelles, & ad ſublevandum cor ejus, quànvis ſit è ferro, aut è terrâ, è quâ faciebat centrum ſuum, ipſumque fœliciter reducendum ad Deum. Apoſtoli cognoſcentes infirmitates ſuas, etiamſi promi-
s Act. 1, 8, &c. ſiſſet Dei Filius ipſis in diſceſſu ſuo *s* ſe miſſurum ipſis Spiritum ſanctum ſuum, ad ipſos confirmandos, & ad ſtabiliendam ipſorum ſanctitatem quæ nutabat, non deſtiterunt ab eo petendo per dies decem, quibus incluſi manſerunt in cœnaculo, orationibus ſuis: & iſte bonus Dominus videns charos filios ſuos aquis lacrymarum ſuarum immerſos, miſit eis hunc Spiritum conſolatorem, de quo dicere poſſumus id quod de ipſo refertur in Geneſi *t*, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Id eſt, lacrymarum Apoſto- *t* Gen. 1, 2.
lorum, ut repleret illos gratiis ſuis. Efflagitemus eum, Auditores, mediis lacrymis noſtris, & ipſe replebit nos gratiis ſuis in hoc mundo, & gloriâ ſuâ nos cumulabit in altero.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Ioan. 3. 16.

Cum amare ſit facere bonum, & beneficia pendeant ab amore, ut effectus à causâ ſuâ, & amor, juxta Platonicos, ſit principium & cauſa omnium donorum, imò verò illorum univerſorum primum, ambigere non poſſumus quin Deus nos ſemper dilexerit, cùm jugiter & abſque interruptione continuis nos devinxerit ipſe ſibi beneficiis, quæ totidem ſunt probationes amoris ſui. *In charitate perpetuâ* a, Id eſt, à totâ
a Jer: 31, 3. æternitate dilexit ipſe nos, ſed fortiùs nos diligit in tempore, cùm majus donum ſupponat majorem amorem: ipſe dat nobis hodie ditiſſimum donorum omnium quæ ipſe poterat nobis tribuere, exhaurit ipſe univerſos theſauros ſuos, largiendo nobis Filium ſuum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis*
b Coloſſ: 2, 3, & 9. *corporaliter* b. Quod eſt fortiſſima probatio dilectionis ipſius erga nos: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Sed cùm beata Virgo fuerit inſtrumentum ſic prædivitis myſterii, & concucurrerit ad illius executionem, imploremus auxilium ejus, ipſa favebit nobis hoc in occurſu, ſicut in illo favit ipſa toti generi humano: *Sancta enim*
c S. Epiph: ſerm: de Laud: Deip. *Puella Virgo Maria*, ait S. Epiphanius *c*, *eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus, cui Gabriel inquit, Ave gratiâ plena, Dominus te-*
d ex Luc: 1, 28, &c. *cum* d.

Sicut res novæ cient nos admiratione, ſic & extraordinariæ percellunt nos ſtupore, *Deſcendit Samſon in Thamnatha, videnſque ibi mulierem de filiabus Philiſthum, aſcendit, & nuntiavit patri ſuo, & matri ſuæ, dicens, Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſthinorum: quam quæſo ut accipiatis mihi uxorem. Cui dixerunt pater & mater ſua, Nunquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo tuo, quia vis accipere uxorem de Philiſthym, qui incircumciſi ſunt? Dixitque Samſon ad patrem ſuum, Hanc mi-*
e Judic: 14, 1, &c. *hi accipe, quia placuit oculis meis* e. Non poterat Samſon quin diligeret objectum, quod ipſi eripuerat cor, & licèt parentes ipſius mirarentur modum procedendi ipſius ipſe nullam illius aliam rationem profert, niſi quia Philiſthæam diligit, & quia eam diligit, ideò vult illam ſibi deſponſare. Ha quàm indomitus equus, eſt amor, cùm equitem ſuum trahat quòcumque vult, quaſi non habeat ampliùs libertatem, nec electionem in actionibus ſuis is, qui ipſo captus eſt! Illud non eſt niſi umbra, ſed ecce corpus; illud non eſt niſi figura, cujus vobis aſſero realitatem. Myſticus Samſon, amans hic animarum, Salvator mundi, poſt decretum æternum redimendorum hominum *f*, vulne- *f* Pſ: 39, 7 &c.
ratus amore & veluti confoſſus ſagittis ejus erga naturam noſtram, quærit unire ſe ei interventu Matrimonii ſacri: totum cœlum iſtud miratur, ſtupent inde Seraphini, & cæteri ſpiritus Angelici, & vellent quidem ipſum avertere à conſiliis ipſius, ut magnitudinem ipſius non condecentibus, nec ipſorum naturæ proficuis, cùm ut ſic hæc ipſorum natura poſtponenda foret hominum naturæ quaſi inferior: Quid, inquiunt illi? exire *à Patre, & in mundum* g deſcendere, *g* Joan: 16, 28.
relinquere locum nativitatis tuæ, domicilium gloriæ tuæ, ut eas in mundum repletum miſeriis, ut blandiaris ibi Philiſthinæ, ut diligas ſic vilem creaturam, & deſponſes tibi Matrimonio Incarnationis naturam humanam, ſumens tot formas ob amorem ejus, quot chamæleon colores ob diverſitatem objectorum, *Formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus*
ut homo h. Formam paupertatis, eundo natum *h* Philip: 2, 7.
in præſepio i. Formam tolerantiæ in totâ vitâ tuâ, *i* Lucæ 2, 7
In laboribus à juventute k. Formam humiliatio- *k* Pſ: 87, 16.
nis & obedientiæ *uſque ad mortem, mortem autem*
crucis l. Nunc Deus, adoratus in cœlo *m*, & ſta- *l* Philip: 2, 8.
tim in terrâ Deus & homo, *vermis & non homo, op-* *m* Iſai. 6, 3.
probrium hominum, & abjectio plebis n. Viator &
comprehenſor *o*, paſſibilis & impaſſibilis *p*, & *n* Pſ 21, 7
licèt immutabilis *q*, mutabilis tamen, ſicut Pro- *o* Pſ. 121, 3.
theus *p* Pſ. 90, 10

Geſtans tot in uno corpore formas. *q* Malach. 3, 6.

Nunquid non habes in Empyreo naturam noſtram ſic perfectam, ut eam tibi unias, nedum tibi ſocies hanc Philiſthæâ? O amor incomparabilis! *Nuſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit* r. Et oportet ut exequatur volun- *r* Hebr. 2, 16.
tatem Patris ſui, qui ipſum præ amore mittit in mundum ob ſalutem hominum, *Sic enim Deus dilexit mundum*, &c. Hinc oſtendam vobis Primò

quòd

Diviſio

quòd ſolus Filius ſe incarnavit: Secundò quare potiùs Filius quàm Spiritus ſanctus.

I. Pars.

Veritas eſt, quæ cùm non intelligeretur ab omnibus, aliquos habuit Hæreticos adverſarios, qui cùm non haberent ingenium ſatis acutum, has diſſolvere non potuerunt difficultares, ſicut S. Auguſtinus *s* ait, *Quòd quidam Hæretici ipſum Deum negent eſſe Trinitatem; ſed tantummodò eſſe Deum Patrem aſſeverant, & ipſum aliquando vocari Filium, aliquando vocari Spiritum ſanctum: ſicut Sabelliani, quos quidam Patripaſſianos vocant, ideò quia Patrem perhibent paſſum: cujus cùm negant eſſe aliquem Filium, ſine dubio negant eſſe Spiritum ſanctum.* Sed apage blaſphemiæ monſtrum, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* t. Et juxta hanc veritatem fidei dicit idem S. Auguſtinus *u*, *Neque ſeparabilia ſunt opera Trinitatis.* Actiones SS. Trinitatis ſunt indiviſæ ad extra, & nemo dubitavit unquam de iſtâ veritate quin ſuſpectus eſſet hæreſis. Et ratio iſtius doctrinæ eſt, Quia in hâc Trinitate eſt una duntaxat ſimpliciſſima natura, quæ eſt principium formale actionis, cùm Divinæ perſonæ non habentes niſi eandem potentiam agendi, nunquam dividant actiones ſuas externas, cùm totæ tres ad eas concurrant ſicut ad effectus communes. Non eſt tamen inferendum ex hoc axiomate S. Auguſtini, quod communiter uſurpatur in Scholis ut veriſſimum, quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus toti tres ſe incarnaverint, id eſt, ſe perſonaliter univerint naturæ humanæ: fieri enim potuit ut *tunicam polymitam* x ab Iſraële Patriarchæ Joſeph factam, & conſervatam ab eodem Joſeph, æquè ac ab eodem Patre ſuo Jacob, & à Ruben fratre ſuo, qui toti tres non erant niſi unus amore, ſolus Joſeph induerit, non autem pater ipſius, nec frater ipſius: ſimili modo licèt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus totæ tres perſonæ Trinitatis fuerint cauſa efficiens, juxta axioma præfatum, prædivitis & pretioſæ veſtis humanitatis Salvatoris, totæ tres cooperatæ fuerint ad creandam animam Jeſu Chriſti, ad formandum corpus ejus è puriſſimo ſanguine B. Virginis, & ad uniendam ſimul Divinitatem cum humanitate unione perſonali & ſingulari in utero illius, juxta quod *reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* y: Altiſſimus enim, eſt Pater, *Virtus Altiſſimi, hoc eſt, omnipotens Deus Pater*, ait Dionyſius Carthuſianus z: Virtus, eſt Filius, *Quia & ipſe Filius multis nominibus appellatur, modò Verbum, modò Virtus*, &c. dicit S. Auguſtinus *a*: Et *Spiritus ſanctus* ſuo vocatur ibi nomine: tamen ſolus Filius, ſecunda perſona SS. Trinitatis induit veſtem humanitatis noſtræ terminativè; id eſt, quòd natura humana deſtituta propriâ ſubſiſtentiâ, ſubſtitit ſubſiſtentiâ ſolâ Verbi, juxta doctrinam S. Thomæ *b* dicentis, *Quòd natura dicitur incarnata, ſicut & aſſumens, ratione perſonæ ad quam terminata eſt unio (ſicut dictum eſt* c) *non autem prout eſt communis tribus perſonis. Dicitur autem tota natura Divina incarnata, non quia ſit incarnata in omnibus perſonis, ſed quia nihil deeſt de perfectione Divinæ naturæ, perſonæ incarnatæ.* Et hoc eſt quod conſequenter ſubditum eſt ab Angelo prælato. *Ideòque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

s S. Aug: ſerm. 11, de Verb. Dom: c. 3

t 1. Joan. 5. 7.

u S. Aug: in Enchir. c. 38

x Gen: 37, 3, &c.

y Luc: 1, 35.

z Dion: Carth. art. 3, in Luc. 1, 35

a S. Aug. ſer. 100. de Tẽp. & 2, in Feſto SS. Trinit.

b S. Tho. 3. p. q. 3. a. 4, ad 2. *c* ex a. 1, quæſt. ejuſd.

Hanc veritatem fidei nobis jucundâ declarat S. Auguſtinus *d* ſimilitudine, *Citharam reſpice. Ut Muſicum melos ſonis dulcibus reddat, tria pariter adeſſe videntur, ars, manus, & chorda, & tamen unus ſonus auditur, ars dictat, manus tangit, reſonat chorda. Tria pariter operantur, ſed ſola chorda perſonat, quod auditur. Nec ars, nec manus ſonum reddunt, ſed ea cum chordâ pariter operantur. Sic nec Pater nec Spiritus ſanctus ſuſceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum ſola chorda excutit, carnem ſolus Chriſtus accepit. Operatio in tribus conſtat: ſed quomodo ad ſolam pertinet chordam ſoni redditio ſic pertinet ad ſolum Chriſtum carnis humanæ ſuſceptio.* Solus perſonuit Dei Filius, & ſe audiendum præbuit hominibus, *Pœnitentiam agite* e. O eximiam harmoniam peractam à *Chriſto Ieſu, qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo!* ait S. Paulus *f*. Et ante illum Propheta Baruch *g*, *Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.*

d S. Aug. ſer. 5. de Temp.

e Matth. 4, 17.

f Philip. 2, 6. & 7.

g Baruch 3, 38.

S. Jacobus *h* validam nobis tribuit iſtius veritatis probationem, cùm hortatur nos ad ſuſcipiendum Jeſum Chriſtum, dicens, *Cùm manſuetudine ſuſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* In quo videtur alludere induſtriis hortulanis, cùm ramis inutilibus inſerunt bonos calamos, qui deinde nobilitantes illorum naturam, nedum diverſificent truncum, faciunt produci meliores fructus: ſic Dei Filius ſolus ſumpſit calamum perſonæ ſuæ, illumque inſervit ramo ſeu trunco naturæ noſtræ, uniendo ſe ei, ut deinceps iſte ramus ſeu truncus inutilis naturæ noſtræ quantùm ad opera patranda meritoria vitæ æternæ, produceret fructus valoris infiniti, ſicut ipſemet *non habet finem* i. Et nunquid non S. Joannes k verbis clarioribus ait ſolum Verbum fuiſſe incarnatum? *Et Verbum caro factum eſt.* Nedum alteraret naturam humanam: ſicut enim natura ignis non conſumpſit naturam rubi quem vidit Moyſes ardentem *l*: ſic in Jeſu Chriſto Divinitas, ſeu perſona Verbi non alteravit naturam humanam. *Et*, ut ait Dionyſius Carthuſianus *m*, *Verbum, id eſt, unigenitus Filius Dei verus Deus, in ſe æternaliter ſubſiſtens, caro, id eſt, homo verus factum eſt, aſſumendo humanam naturam ad propriam perſonalitatem, utpote ſubſtantificando eam in ſemetipſo, conferens ei ſubſiſtere in eodem eſſe, in quo & Verbum ſubſiſtit, ita quòd Verbi atque aſſumptæ humanitatis eſt una hypoſtaſis, eademque ſuppoſitalitas ſeu ſubſiſtentia perſonalis: nam & ipſum Verbum eſt ſuppoſitum ſubſtantificans humanitatis ſibi unitæ. Sumitur ergo hoc loco pars pro toto, videlicet caro pro homine, quemadmodum & in Pſalmo* n, *Ad te omnis caro veniet. In Iſaia* o *quoque, Videbit omnis caro, quod os Domini locutum eſt. Itemque, Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri* p. *Sic etiam infrà* q *ait Salvator ad Patrem, Dediſti ei poteſtatem omnis carnis. Denique, Verbum factum eſt homo, aſſumendo ſimul in eodem inſtanti animam rationalem tunc primò creatam, & carnem humanam ex puriſſimis ſanguinibus ſanctiſſimæ atque digniſſimæ Virginis ſumptam, & à Spiritu ſancto formatam ac organizatam, rationalique animâ informatam: ſic quòd in eodem inſtanti creata eſt anima Chriſti, & caro ejus formata, ac animæ copulata, & utrumque ſimul à Verbo aſſumptum: nunquam tamen caro & anima, vel humanitas Chriſti habuit propriam* perſo-

h Jacob. 1, 21.

i Baruch 3. 25.

k Joan: 1, 14.

l Exod: 3, 2.

m Dion: Carth: olt. 5, in Joan. 1, 14.

n Pſ: 64, 3.

o Iſai: 40 5.

p Luc: 3, 6. ex Iſai 52, 10.

q Joan. 17, 2.

perſonalitatem aut ſubſiſtentiam, ſed in momento ſuæ creationis ac partium ſuarum mutuæ unionis, aſſumpta eſt ipſa humanitas à Verbo, & ſuppoſita in ipſo: ſic Virgo verè concepit Filium Dei Deum ac hominem, præbendo materiam animâ Chriſti informatam, ac Verbo immediatè unitam. Hoc eſt novum & ſupernovum, omniumque novorum ac mirabilium noviſſimum ac mirabiliſſimum, de quo vaticinatus eſt Ieremias r, Novum (inquiens) [r ex Jer. 31, 22.] *faciet Dominus ſuper terram, mulier circumdabit Virum. Circumdedit enim in utero ſacratiſſimo Puerum Ieſum, Virum non ætate & quantitate, ſed ſapientiâ & virtute. Incarnatus eſt ergo Filius Dei, ut nos efficiamur Divinæ conſortes naturæ s*, [s ex 2. Petr. 1, 4.] *percipiendo meritis Chriſti copioſiſſimam gratiam in præſenti, æternamque beatitudinem in futuro. Inclinavit & humiliavit ſeipſum, ſervilem formam accipiens t, ut nos in cœleſtibus exaltaret, & Angelis* [t ex Philipp. 2, 7. & 8.] *parificaret: ſimilitudinem carnis peccati u aſſumpſit, ut nos ab omni maculâ culpæ purgaret.* [u Rom. 8, 3.] *In quibus apparet magnitudo Divinæ Dilectionis, atque dignatio ſummæ Majeſtatis ad genus humanum. Cùm enim amoris ſit amantem & amatum unire, unum in alium tranſponere, eoſque inſeparabiliter colligare, conſtat quòd Deus ineffabiliter nos amavit, quoniam noſtram naturam ſibi immediatiſſimè copulavit, videlicet unione hypoſtaticâ, eamque in ſe quodammodo transformavit atque tranſpoſuit, & ſibi indiſſolubiliter connexuit: nam & in triduo mortis manſerunt corpus & anima Verbo unita. In Chriſto ergo ſunt duæ naturæ, & una hypoſtaſis ſeu perſona: ſunt quoque in eo duæ generationes & una filiatio, putà Divina. Generatio namque pertinet ad naturam, filiatio ad perſonam. Et habitavit in nobis, id eſt, in naturâ noſtrâ quam induit, quæ fuit velut templum ac tabernaculum Verbi aſſumentis atque Divinitatis intùs latentis: unde & dixit Iudæis, Solvite templum hoc, quod dixit de templo corporis ſui, prout Evangeliſta x expoſuit.* [x ex Joan. 2, 19. & 21.] *In cæteris ſanctis habitat Verbum per fidem & gratiam, in Chriſto homine habitavit per hypoſtaticam unionem, & beatificam viſionem, atque inſeparabilem copulam. Vel ſic, Habitavit in nobis, id eſt, inter nos commorari ac converſari dignatus eſt, prout dictum fuit per Baruch* ſuprà. Dei Filius igitur induit habitum mortalitatis noſtræ, ſicut egit aliàs Alexander Magnus, natione Macedo, qui cùm eſſet in terris Perſarum, indui voluit ad modum illorum, deferens veſtem partim ad modum Macedoniorum, partim ad modum Perſarum conformatam, ut ſibi hoc modo conciliaret amicitiam iſtius populi: pari modo Dei Filius, *Dominus omnium* y, Rex cœli & terræ, ſe geſſit, miſſus è cœlo in terram à [y Eſth. 13, 11.] Patre ſuo æterno, ut ſibi conciliaret corda hominum, eorumque ſibi devinciret affectus; induit illorum formam, deferendo eorum inſignia, veſtitus indumento vario conſtante ex Divinitate & humanitate ſimul. Idem probat S. Paulus z per [z 1. Cor. 5. 19.] hæc verba, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Et Cornelius a, *Deus erat in Chriſto, id eſt per Chriſtum, mundum reconcilians ſibi. Ita Græci.* [a Cornel. in 2 Cor. 5. 19.] Non ait, per Patrem, aut per Spiritum ſanctum, ſed *per Chriſtum*, qui velut habitum mutans, è Deo qualis erat, homo factus eſt. Videtur Apoſtolus alludere ad id quod accidit in civitate Ninive: ſtatim enim ac *cœpit Ionas introire civitatem itinere diei unius; & clamavit, & dixit, Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur; & crediderunt viri Ninivitæ in Deum; & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem; & pervenit verbum ad Regem Ninive; ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et miſertus eſt Deus ſuper malitiâ, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit* b. [b Jon. 3. 4. &c.] Pater æternus irritatus erat adversùs homines, juſtitia ipſius expetebat ut progenies Adæ periret, ut de peccato vindicta referretur, ut homo damnaretur, & ut rei traherentur ad ſupplicium; ſed ecce Rex cœli, id eſt, Filius Dei, mitigaturus iram Patris ſui, deſcendit è throno gloriæ ſuæ, induens ſaccum naturæ noſtræ, & cineres mortalitatis noſtræ capiti ſuo imponens, & ſic, ait Apoſtolus, *Deus erat in Chriſto*, vel, *per Chriſtum mundum reconcilians ſibi*, mittendo nobis hunc Filium ſuum in terram ad mitigandam iram ſuam, & ad reconciliandos nos ſibi, quandiu iſte Filius ipſius deſponſaret ſibi naturam noſtram. *Solus Ieſus Chriſtus ſuſcepit carnem, & tamen & Pater & Spiritus ſanctus non deſunt majeſtate. Si cœlum & terram implet c Pater, implet & Spiritus ſanctus: carnem Chriſti deſerere non potuerunt, quando in Divinitatis unitate manſerunt,* [c ex Jer. 23. 24.] ait S. Auguſtinus d. [d S. Aug. ſerm. 3. de Tēp.] Licèt Pater & Spiritus ſanctus habitaverint ſub habitu noſtræ mortalitatis, non tamen terminativè, ſicut Filius, ut dicitur in Theologiâ, ſed modo ſpeciali alio ab eo quò ſunt ubique per eſſentiam, per potentiam, & per præſentiam, putà majeſtate, *Filius ſuſcepit carnem, & non deſeruit Patrem, nec ſe diviſit à Patre. Suſcepit, inquam, Filius carnem in proprietate: ſed tamen & Pater & Spiritus ſanctus non deſunt majeſtate. In Divinitate æqualitas, in carne ſola Filii proprietas: non autem ab eo Patris aut Spiritus ſancti receſſit aliquando Divinitas. Cùm ergo una ſit Deitas, una ſit Divinitas, implevit quidem carnem Chriſti & Pater & Spiritus ſanctus: ſed majeſtate, non ſuſceptione. Vis ſcire quia cum eo fuit & Pater? Non ſum (inquit Dominus Ieſus Chriſtus) ſolus: ſed Pater mecum eſt* e. [e ex Joan. 16. 32.] *Audi & de Spiritu ſancto, quia cum eo erat, Evangeliſta refert: Quia Ieſus plenus Spiritu ſancto, regreſſus eſt ab Iordane* f, [f ex Luc. 4. 1.] dicit idem S. Auguſtinus immediatè antè.

Ut hunc intelligatis conceptum, inſumo ſimilitudinem familiarem, quam eruo ex animâ: Nonne verum eſt, quòd potentiæ ejus, mens, memoria, & voluntas ſunt in totis partibus corporis, ſicut ipſa anima eſt tota in toto, & tota in quâlibet parte? ita ut ubique eſt anima, ibi ſint & potentiæ ipſius? tamen ipſæ non ſunt unitæ corpori eodem modo quo anima, cùm hæc unita ſit immediatè illi, illæ verò ſint ei mediatè conjunctæ: ſic licèt Pater & Spiritus ſanctus ſint ibi ubi eſt Filius, & Filius ſit ibi ubi ſunt Pater & Spiritus ſanctus, *Ego in Patre, & Pater in me eſt* †: [† Joan. 14. 10.] & iſtud ob unitatem eſſentiæ quæ eſt communis his tribus Divinis perſonis Patris, Filii, & Spiritus ſancti, propter quam Pater dicitur eſſe in Filio, Filius in Patre, & Spiritus ſanctus in Patre & Filio; ſicut diceremus, ſi unica anima per miraculum informaret tria corpora, Petri, Jacobi, & Joannis, propter hanc unitatem animæ, quòd Petrus eſſet in Jacobo & Joanne, & iſti pariter eſſent in illo: non eſt tamen hinc concludendum, quòd Pater & Spiritus ſanctus incarnaverint ſe, eo modo quo dixi de animâ & potentiis ipſius, ſed quòd aliter habitaverint in Chriſto.

Iſtius intelligentiam myſterii ſatagit nobis dare S. Baſilius g [g S. Baſil. Epiſt. 43.] per experientiam quam

habe-

habemus annulorum catenæ qui ſic uniti ſunt adinvicem ut ſi unus trahatur, cæteri ſtatim ſequantur per neceſſariam concatenationem quæ eſt inter ipſos: *Sicut in catenâ, qui unam extremitatem contigit, etiam alteram extremitatem ſimul attraxit: ſic qui Spiritum traxit, per ipſum etiam Filium & Patrem ſimul attraxit. Et ſi Filium verè quis apprehenderit, habebit ipſum utrinque, ab alterâ quidem parte, ſuum ipſius Patrem, ab alterâ verò Spiritum ſanctum ſimul adducentem.* *Neque enim à Patre is qui ſemper in Patre eſt, diſſectus eſſe poterit, neque à Spiritu unquam ſeparabitur proprio is qui omnia in ipſo operatur. Similiter autem & qui Patrem ſuſcepit, etiam Filium & Spiritum ſanctum potentiâ ſimul ſuſcipit.* Sed etiam ſicut poſſimus ornare, ſculpere, & madefacere aliquem ex illis annulis, nedum tamen tangamus alios qui ſequuntur, & immediatè ſunt ei uniti; ita factum eſt ut Pater & Spiritus ſanctus habitaverint in humanitate Jeſu Chriſti modo ſpeciali, ſed non terminativè, ſicut Verbum indutum naturâ noſtrâ per unionem hypoſtaticam. Hæc eſt doctrina, quâ Dei Filius inſtituit hodiernâ die mundum, cùm ait Nicodemo, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Non ait, Patrem & Spiritum ſanctum ſimul, ſed ſolum Verbum æternum, *Filium ſuum unigenitum.* Si autem iſtius vultis diſcere rationes; ecce produco vobis eas ad perfectionem diſcurſus iſtius, & ad implementum promiſſorum meorum.

II. Pars. b 1. Tim. 2, 5. & 6.

Primam eruo è S. Paulo *b* dicente, quòd oportebat ut ille qui redempturus erat nos, Mediator eſſet inter Deum & homines: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Nam, ſicut non ignoramus, effecti perditi proprijs infortuniis noſtris, Pater æternus erat exacerbatus adverſus nos ob offenſam Protoplaſtorum

i Gen. 3, 6.

noſtrorum i, & ſic iratus ut nemo auderet ad eum accedere. Proptereà prohibuit Deus Iſraëlitis per Moyſen, *Cavete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem,*

k Exod. 19, 12.

morte morietur k. Ita ſe Deus tunc temporis oſtendebat terribilem. Ob eandem rationem, & pro eo quòd *arrepti Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis, impoſuerunt ignem: & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat: egreſſus ignis à Domino, devoravit*

l Levit. 10, 1, & 2.

eos, & mortui ſunt coram Domino l. Et quia *extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniã calcitrabant boves, & declinaverunt eam: iratus eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuum eſt ibi juxta Arcam*

m 2. Reg. 6, 6. & 7.

Dei m. Et quoniam *Ozias tenens in manu thuribulum ut adoleret incenſum minabatur Sacerdotibus, ſtatim orta eſt lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus,*

n 2. Par. 26, 19.

in domo Domini ſuper altare thymiamatis n. Ut igitur reconciliaremur Deo, qui erat ſic *terribilis in*

o Pſ. 65, 5.

conſiliis ſuper filios hominum o, expediebat ut haberemus Mediatorem, qui non poterat meliùs eſſe quàm Filius, ut medius inter Patrem & Spiritum ſanctum, ut eos mitigaret, & reconcilians nos eis, nobis eos redderet propitios. Quare verò putatis, quòd Iſaias *p* nobis repræſẽtat *eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum* in

p Iſai. 53. 4.

cruce? niſi quia ipſe ſe poſuit in medio, ut nos defenderet à jaculis acutis iracundiæ Patris ſui, qui propter amorem noſtrum convertit in proprium Filium ſuum ſagittas iræ ſuæ, quibus iſte

q Pſ. 87, 17.

Filius excipiendis libenter oppoſuit pectus ſuũ, *In me tranſierunt iræ tuæ* q, ut declinantibus nobis ab earum ictibus, ipſe ſuſtineret illarum ſolus omnes dolores, æquè ac omnia vulnera: *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Oblatus eſt quia ipſe voluit* r.

r Iſai. 53, 5. &c.

Expediebat pro ſecundâ ratione, ut Filius incarnaretur: videns enim Pater æternus, quòd nulla eſſet fides ampliùs in mundo, quippe qui non crederet ampliùs doctrinæ quam ipſe propalaverat, modò per ænigmata naturæ, deinde per oracula Prophetarum, & quòd ſermo vivus ſenſibilius tangit quam is qui eſt in Biblijs exaratus, immediatè loqui voluit hominibus, & declarare eis uſic voluntates ſuas, quod egit mittendo Filium, qui eſt Verbum ſuum. S. Auguſtinus s mihi providet hunc conceptum, cùm ſuper hæc verba Pſalmiſtæ t, *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi*, dicit. *Quomodo ſemel locutus eſt, & ſecundò ſonuit: niſi quia Verbum tranſgreſſibile procedens de corde Patris, ſuſcepit carnem, ut eſſet homo, ex utero Matris: venit, & invſit, ad nos venit, à Patre non receſſit? Ecce per hoc quod ſemel locutus eſt, cunctis ſurrexit omnis fabrica noſtra. Per hoc quod ſecundò ſonuit, factus eſt pax noſtra, ut ſolveret inimicitias in carne ſuâ* u. Et hoc idem eſt quod ait Apoſtolus*, *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.*

s S. Aug. Orat. cõtra Jud. Pag. & Arian. c. 6

t Pſ. 61, 12.

u ex Epheſ. 2, 14.

* Hebr. 1, 1, & 2.

Præterea, Expedivit ut Pater æternus mitteret Filium ſuum potiùs quàm Spiritum ſanctum, ut avelleret à cordibus noſtris omne genus timoris, & certi eſſemus quòd inveniſſemus locum in favoribus Patris æterni ipſius, cùm ipſe ſe redderet Interceſſorem noſtrum, & noſtrum *Advocatum apud Patrem* x eundem, nedum renueret tueri infirmitatem cauſæ noſtræ, induendo habitum noſtræ mortalitatis, ut meliùs amplecteretur cauſam corporis, cujus ipſe eſt Caput, *Quia membra ſumus corporis ejus* y: *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* z. Præterquam quòd poteſtas Filij erga Patrem, efficit ut nihil inveniat impoſſibile. ſic Patriarchæ Jacob *reſpondit Laban, Quid poſſum facere filiis & nepotibus meis?* Quaſi diceret, Quid poſſum eis recuſare? *Veni ergo, & ineamus fœdus: ut ſit in teſtimonium inter me & te* a. Idem ferè accidit inter Sabinos & Romanos: uxores enim hujuſmodi Sabinorum, quæ raptæ fuerant, deferentes in medium certaminis infantes ſuos inter brachia ſua, mitigaverunt ſic furorem patrum illorum infantium, qui veniebant ut omnia vaſtarent. Oportebat igitur ut Filius Patris æterni deſcẽderet è cœlo in terram, ut ſe redderet Interceſſorem erga Patrem ſuum in gratiã hominum. Et hoc eſt, quod ait S. Joannes *b*, *Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Non debemus ampliùs metuere, cùm Dei Filius ſe incarnaverit, ut eſſet Interceſſor noſter, & nos reconciliaret Patri ſuo. Sed quid? ambigeremus ne quin hæc quinque vulnera quæ ſuſcepit ipſe in cruce, ubi carnifices *foderunt manus & pedes* c ejus, *& unus militum lanceâ latus ejus aperuit* d, fuerint veluti tot idem Oratores tuentes cauſam noſtrã, & ſicut totidem Præſides in rubris veſtimentis areſtum pronunciantes in favorem noſtrum erga Patrem æternum, ut deberet nobis parcere? Quòd ſi Antipater, Herodis pater, ut refert Joſe-

x 1. Joan. 2, 1.

y Epheſ. 5, 30.

z Coloſſ. 1, 18.

a Gen. 31. 43 & 44.

b 1. Joan. 2, 1. & 2.

c Pſ. 21, 18.

d Joan. 19, 34.

 plius

e Joſeph. lib. 5. de Bell. Judaic. c. 8.

phus *e* accuſatus coram Julio Cæſare, quòd conſpiraſſet contra Statum ipſius, nullo alio uſus eſt Oratore ad dicendam cauſam ſuam, & ad manifeſtandam innocentiam ſuam Imperatori, & ad illum mitigandum in negotio tam gravis momenti, quàm aperire pectus ſuum vulneribus aliàs confoſſum; & cicatricibus inſignitum, & dicere ei, Ecce quænam ſuſtinuit Antipater pro obſequio ſui Principis: hæc autem vulnerum & cicatricum exhibitio tantam præ ſe tulit efficaciam, ut Cæſar ipſum dimiſerit abſolutum, ipſumque ſuper totam Judæam inſtituerit Gubernatorem: dubitabimuſne quin hæc vulnera quæ ſuſcepit Dei Filius in cruce propter amorem noſtrum, cauſam noſtram dixerint in gratiam noſtrî apud Patrem æternum, ut miſeretur noſtrî, cœlumque nobis aperiret? Nequaquam: ſi enim Pater æternus videns iridem cum pulchritudine trium colorum ipſius, retinet iram ſuam, memor intuitu ſigni iſtius, ſe promiſiſſe quòd non ampliùs mundum novo immergeret cataclismo, & de hoc nemo ambigit, cùm Scriptura *f* id ſic ediſſerat, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram: cùmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni animâ vivente quæ carnem vegetat: & non erunt ultrà aquæ diluvij ad delendam univerſam carnem*: dubitabimuſne quin Pater æternus nobis pepercerit, videns hunc Arcum Empyrei Jeſum Chriſtum, cum triplici genere vulnerum inflictorum manibus, pedibus, & lateri ipſius; & quin Arcus iſte ſerviat ipſi loco ſigni & motivi, propter quod non debeat ampliùs homines punire ob ipſorum demerita, & id propter amorem Filij ſui, pro tertiâ ratione?

f Gen. 9, 13. &c.

Quarta & ultima ratio educitur è S. Athanaſio *g* dicente: *Quid (quaſo) aliud decuit fieri, aut cujus opera ad recuperandam iſtam gratiam requirebatur, niſi ſolius Verbi, quod ab initio omnia ex nihilo condiderat* h? *Ejus enim fuit, id quod corruptibile erat, iterùm ad incorruptibilitatem reducere: & pro omnibus, id quod æquum rationique conſentaneum erat, Patri præſtare.* Et è S. Thoma *i* ſic ediſſerente, *Prima rerum creatio facta eſt à potentiâ Dei Patris per Verbum. Unde & recreatio per Verbum fieri debuit à potentiâ Dei Patris, ut recreatio creationi reſponderet.* Lumen affero rationibus magnorum Doctorum iſtorum. Concipite ergo, ſi placet, opus illud eximium Phidiæ ab antiquis ſic celebratum. Recenſetur iſte ſculptor celeberrimus ſculpſiſſe Athenis ſtatuam Minervæ eburneam, altitudinis viginti ſex cubitorum, & ejus clypeo in quo expreſſerat Amazonum pugnam, & Gigantomachiam, indidiſſe effigiem faciei ſuæ tantâ induſtriâ, ut inde fecerit ipſe veluti punctum præcipuum, quò referebantur omnes aliæ partes figuræ per conjunctiones internas, ita ut non poſſet ſeparari imago opificis à reliquo operis, quin diſſolverentur omnes partes, & abirent in primam confuſionem ſuam, & ſic totum amitteret apparentiam ſtatuæ, & Minervæ. Concipite etiam, ſi lubet, hanc admirabilem ſphæram, quam fecit Archimedes, in quâ ex tranſverſo vitro motus & inceſſus cœlorum miro artificio concinnati videbantur, ſic ut illius intuitus vel ipſum Jovem ad riſum impulerit, juxta Poëtæ commentum,

g S. Athan. lib. de Incarnat. Verb. h ex Joan. 1, 3.

i S. Thomas 3. p. q. 1. a. 8. ad 2.

Iuppiter in parvo cùm cerneret æthera vitro,
Riſit.

Et ſecundùm Calepinum *k*, *Hic velut Deus terrenus mechanico artificio ſphæram vitream fecit, in quâ mirâ arte diſſimiles motus circulorum viſebantur. De quâ ſic ſcribit Claudianus,*

k Calepin. in Diction. V. Archimedes.

Iura poli, Regnumque Deorum
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.

Atqui cùm hæc duo mundi mirabilia corruerint; primum, eò quòd ipſi fuerit ablata exigua pars opificis qui ipſum ſculpſerat; & ſecundum, eò quòd deordinati fuerint ipſius motus: nunquid non ingenuè mihi fatebimini, quòd nemo poſſet ipſa meliùs reficere, aut ipſa in priſtinum ſtatum ſuum redintegrare, quàm illi ipſi, qui primam dederunt ipſis formam ſuam juxta ideam quam de ipſis conceperant in mente ſuâ? & nonne diceretis, quòd ſicut iſti duo eximij viri fecerunt hæc duo opera egregia ideâ mentali, aut imagine internâ quam de ipſis conceperant antequàm ipſa inciperent; ſic & eadem poſſent ipſi reformare & reficere eâdem imagine quam conſervaſſent in imaginatione ſuâ, nedum ullo indigerent exemplari externo? Dei Filius, iſte magnus Opifex totius naturæ, ab ipſo mundi initio ſicut alter Phidias, ut ſculptor induſtrius ſculpſit hunc magnum coloſſum totius orbis: &, velut alter Archimedes, condidit ſphæras cœleſtes, planetas, & ſtellas, & inter ſpecioſiſſimas partes iſtius ſtatuæ Palladis, ſeu Minervæ, putà, totius orbis, poſuit hominem ut excellentiſſimum omnium operum ſuorum, quæ omnes partes tendebant ad ipſum, ſicut omnes partes præfatæ ſtatuæ ad ſimilitudinem Phidiæ: *In principio creavit Deus cælum & terram. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram: & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras: Et creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* l. Tandem, & ut totum iſtud unico concludatur verbo, In ipſo reperiebantur in ſummâ & in compendio, juſtæ proportiones & ſymmetriæ univerſarum aliarum creaturarum, ut in illo oſtenderet Deus omnia mirabilia potentiæ ſuæ, ſapientiæ ſuæ, & bonitatis ſuæ, ſicut ipſemet Deo Pſalmiſta *m* fatetur, dicens, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Sed heu! ecce præ infortunio funeſto natura humana videt ſe deſtructam inobedientiâ Protoplaſti ſui Adæ *de fructu* n vetito comedentis, quæ projecit omnes potentias iſtius primi hominis in deordinationes ſimiles deordinationibus horologij, quod amiſit rectitudinem primi ſui & præcipui circuli moventis, en omnes rotæ iſtius ſphæræ deordinatæ & confuſæ, ecce cunctæ potentiæ corporis, & univerſæ facultates animæ extra ſitum ſuum per jacturam juſtitiæ originalis; tandem, ecce totum hoc opus deſtructum & deformatum, ſi idem Opifex qui ipſum condiderat potentiâ ſuâ, non ſtatuiſſet ipſum reficere bonitate ſuâ, id eſt, ſi idem qui ipſum ornaverat tot favoribus in ſtatu innocentiæ, non reparaſſet ipſum adventu ſuo in terram, ſe faciens hominem in viſceribus B. Virginis. Et hoc eſt quod ipſemet ait hodiernâ die Nicodemo, *Sic Deus dilexit mundum,*

l Gen. 1, 1. &c.

m Pſ. 138, 6.

n Gen. 3. 6.

ut

ut Filium ſuum unigenitum daret. Id eſt, Ita Pater æternus amavit hominem, ut videns eum lapſum ex illo primo ſtatu, in quo illum creaverat Verbo ſuo, miſertus illius, miſerit in terram hoc idem Verbum ſuum ad eum recreandum, & ſic ex conſcio redderet eum juſtum, reſtituendo illum in primum ſtatum ſuum. Sed heu quanto conſtitit hæc reparatio? Id adduſco à Sponsâ, quæ Sponſum ſuum faſciculo myrrhæ comparat, inquiens, *Faſciculus myrrha Dilectus meus* o. Et, *Myrrha*, ut ait Calepinus p, *arbuſtula eſt in Arabiâ naſcens, altitudine quinque cubitorum, non ſine ſpinâ, caudice duro & intorto, cujus cortice inciſo defluit lacryma, quæ & ipſa Myrrha vocatur. Ejus præcipua virtus eſt, ut mortuorum cadavera incorrupta conſervet.* Hæc autem inciſio fieri dicitur menſe Martio: Salvator mundi non priùs in mundum venit, cùm ſtatim hanc myrrham pretioſam emiſit ex oculis ſuis, *in præſepio* q plorans. Nam, ut ait Dionyſius Garthuſianus r, *Lacrymatus eſt Ieſus, Primò in ſuâ nativitate, ſecundùm ſanctos Doctores. Secundò, In ſuâ circunciſione* s, *ſecundùm Bernardum, & alios. Tertiò, In Lazari ſuſcitatione* t. *Quartò, In hâc proceſſione* u, pergendo Jeroſolymas. *Quintò, Inſtante ſuâ paſſione, quando & ſudor ejus factus eſt ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram* x. *Vnde ad Hebræos* y *dicitur, Cum clamore valido & lacrymis preces offerens. Sextò, In ſuâ paſſione, in quâ & ſæpius præ acerbitate dolorum ploravit.* Id eſt, inciſus mente Martio flagellis, *ſpinis*, clavis & *lanceâ, & continuò exivit ſanguis* z totus. Myrrha autem quæ fluit ex inciſione factâ menſe Martio, vocatur myrrha electa: & hoc eſt quod ait Sapientia incarnata, *Quaſi myrrha electa, dedi ſuavitatem odoris* a. Juxta quod ait Apoſtolus b, *Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Id eſt, fundendo ſanguinem ſuum, quo reconciliavit nos Patri ſuo: & hoc modo nos *ſic Deus dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Sanguinem, peccator, qui vindictam inclamabit ipſo judicij die contra te, ſi ex ipſo utilitatem tuam non educas: Deus dicet tibi, ſicut Caino poſtquàm *conſurrexit adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum, dixit, Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ* c. Quidnam egiſti, ut amitteres gloriam, quam tibi acquiſiverat ſanguine ſuo Filius meus, qui queritur, *Quæ utilitas in ſanguine meo* d? Nimirum, quòd beneficia, quibus te cumulavit, ſint motiva contemptuum tuorum. *Vox ſanguinis Fratris tui* Chriſti *clamat ad me de terrâ.* Nunquid non audis hunc ſanguinem Fratris tui, & Filij mei, qui voluit præ amore ſe unire naturæ tuæ, contemptâ naturâ Angelicâ e, clamare ultionem, & ut tu damnêris in æternum ſicut alter Cain? Heu quid reſpondebis tunc Deo tuo? Forte conſcius criminum, dices, more iſtius reprobi Caini, *Omnis qui invenerit me, occidet me* f. Ubi obſervate iſtud verbum, *omnis*, quod eſt terminus univerſalis: & ut intelligatur, ſciendum eſt quòd Abel erat Sacerdos; *Domino Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* g. Atqui *in veſte podéris, quam habebat* ſummus Sacerdos Legis antiquæ, *totus erat orbis terrarum* h. Jure ergo merito *dixit Cain ad Dominum, Omnis qui invenerit me, occidet me.* Quia cùm offendiſſet omnes creaturas in perſonâ talis Sacerdotis qualis erat Abel, univerſæ hanc ulciſcerentur injuriam ei ab ipſo illatam. Heu! peccator, ipſo judicij die dices, *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Eò quòd offenderis Jeſū, qui eſt *ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* i, conculcaveris *Filium Dei, & ſanguinem teſtamenti pollutum* duxeris, *in quo ſanctificatus* es, *& ſpiritus gratiæ contumeliam* k feceris. Applica tibi merita ſanguinis hujus, & habebis gratiam, & tandem gloriam.

o Cant. 1, 12.
p Calepin. in Diction. V. Myrrha.
q Luc. 2, 7.
r Dion. Carth. art. 41. in Luc. 19, 41.
s ex Luc. 2, 21.
t ex Joan. 11, 35.
u ex Luc. 19, 41.
x ex Luc. 22, 44.
y ex Hebr. 5, 7.
z Joan. 19, 1, &c.
a Eccli. 24, 20.
b Epheſ. 5, 2.
c Gen. 4, 8, & 10.
d Pſ. 29, 10.
e Hebr. 2, 16.
f Gen. 4, 14.
g Gen. 4, 3, & 4.
h Sap. 18, 24, ex Exod. 28, 6, &c.
i Hebr. 6, 20, ex Gen. 14, 18. & ex Pſ. 109, 4.
k Hebr. 10, 29.

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Act. 2. 2. &c.

CImbri, qui ſunt populi Septentrionales, nunquam videbant aliàs Solem in occaſu ſuo, quin maximum præ ſe luctum ferrent ob triſtitiam, quam receſſus Solis iſtius imprimebat ipſorum frontibus: ſed non priùs incipiebat aurora micare ſuper horizontem ipſorum, cùm ſtatim lætitia renaſcebatur in cordibus ipſorum immodica: potiori jure Apoſtoli & diſcipuli triſtitiâ affecti erant, non videntes ampliùs ſplendere in cœnaculo ſuæ jucundam claritatem illius qui *eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* a, qui *videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum* b, manentes velut involuti horrore tenebrarum à decem diebus, quibus illius erant lumine deſtituti; mihi videor intueri die hodiernâ corda illorum dilatari novo gaudio propter novam lucem, quæ apparet ſuper horizonte ipſorum, *Quapropter profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat, ſed & ſupernæ Virtutes, atque Angelicæ Poteſtates hymnum gloriæ tuæ concinunt*, ait Eccleſia, Deo congratulans. Iſtud eſt motivum quod inducit omnes creaturas iſtius mundi, imò vero Spiritus Angelicos ad teſtandum concentu ſuo gaudium ſuum pro eo quòd videant hoc cœlum Apoſtolicum lucere novâ claritate, & terram deinceps feliciter illuminatam ſic jucundo ſplendore. Spiritus ſancte, qui apparere voluiſti ſub linguis igneis, ut oſtenderes quòd procedis æqualiter & velut ab eodem principio *à Patre* c qui eſt totus ignis, & à Filio qui eſt totus lingua, cùm ſit Verbum jugiter prolatum, ſicut ipſemet Pater ait, *Exultavit cor meum Verbum bonum: Lingua mea calamus ſcribæ* d: tuas effunde ſuper animam meam benedictiones, & effice ut anima mea ſit tota ignis, aut ut ignis amoris tui det mihi linguam ad publicanda hodiernâ die mirabilia tua: hoc à te deprecamur per Sponſam tuam B. Virginem Mariam, quæ eſt *Mater pulchræ dilectionis* e. Da meritis illius id, quod noſtris recuſares indignitatibus, poſtquàm præbuerimus ei corda noſtra per iſtud *Ave Maria.*

a Eccleſia ex Malach. 4, 2.
b Act. 1, 9.
c Joan. 15, 26.
d Pſ. 44, 2.
e Eccli. 24, 24.

Veritas

Veritas eſt ganeraliter admiſſa à quibuslibet ſapientibus, & comprobata experientiâ quotidiana, quòd ſic abhorret natura vacuum, ut omnes totius orbis partes præſtentur in diſpendium propriarum & ſpecialium perfectionum ſuarum, ut ſe tueantur ab iſtâ deordinatione. Non exponit ſe brachium cum tantâ fidelitate gladio acuto ad defendendum caput quantâ aqua aut terra elevant ſe in diſpendium propriæ gravitatis ſuæ naturalis ad impediendam diſcontinuationem inter elementa. Et hoc eſt quod induxit Ariſtotelem *f* Philoſophum ad agnoſcendam influentiam neceſſariam corporum ſuperiorum in corpora inferiora, & ideò ad dicendum, *Motum ponatur hinc nullum alium niſi lationem eſſe poſſe. Certè lationem primam eſſe neceſſe eſt.* Et iſtud quod eximius hic Philoſophus hauſit è lumine naturali, Theologi didicerunt in ſcholâ Spiritus ſancti, qui ipſis dictavit, quòd Lege Divinâ fertur, ut inferiora regantur a Superioribus: quod non poſſet eſſe, ſi natura vacuum admitteret: hæc enim diſcontinuatio privans corpora inferiora influentiâ ſuperiorum, privaret ea etiam totali perfectione ipſorum: modus igitur conſervandis õnibus iſtis rebus ſecundùm regimen iſtud opportunus, efficit ut natura directa à ſapiente manu Divini ſui Authoris, armet omnes creaturas ſuas tantâ virtute & fortitudine, ut vel unica aquæ guttula reſiſtere poſſet Virtutibus Angelicis, ſi per impoſſibile vellent conari cauſare hanc deordinationem, dando gravitatem rebus levibus ad tendendum deorſum, & præbendo gravibus levitatem ſpecialem ad aſcendendum ſurſum. Si è naturâ aſcendamus ad gratiam, videbimus quòd qualem neceſſitatẽ habent corpora elementaria influentiæ corporum ſuperiorum, talem opem expectat anima noſtra à Deo, qui eſt principium influens in nos eſſe, gratiâ, bonitate, & perfectionibus conformibus excellentiæ ejuſdem animæ noſtræ, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, ait S. Jacobus *g*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *h*, *Certum eſt apud Philoſophos, omne quod citra Deum eſt, à Deo fluxiſſe, mediatè, vel immediatè, Ariſtotele proteſtante, Ab hoc Ente omnibus communicatum eſt eſſe & vivere. Atque Authore libri de Cauſis, Omnis cauſa primaria plus influit quàm quævis cauſa ſecunda. Veruntamen aliter dicunt ſancti Theologi, virtutes & actiones meritorias eſſe à Deo quàm Philoſophi. Quia Philoſophi dixerunt hominem naturali poteſtate & propriâ ratione poſſe virtutes acquirere & felicitatem mereri. Quod quamvis verum ſit aliquo modo de virtutibus naturalibus, politicis, in beatitudine naturali, Theologi tamen aſſirmant hominem (quia ad ſupernaturalem beatitudinem eſt creatus) indigere gratiâ gratum faciente, virtutibuſque infuſis ſupernaturalibus ac Theologicis: & inſuper actuali motione Spiritus ſancti in omni meritorio actu: ut ſic media correſpondeant fini. Quinimò itaque per datum optimum, poſſunt intelligi naturalia dona ſuprema in intellectualibus creaturis, ut ſunt memoria, intellectus, voluntas, in quibus ſuperglorioſiſſimæ Trinitatis imago relucet in homine: per donum verò perfectum, dona ſupernaturalia, gratuita & infuſa, ac meritoria opera, quæ omnia immediatè deſcendunt, cauſantur, dependent à Deo: poſſunt tamen per datum optimum intelligi dona ſupernaturalia & infuſa gratia gratum data, Bonis & malis communia: ut ſunt gratia prophetiæ, genera linguarum, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, &c. de quibus Corinthijs* i *ſcribit Apoſtolus.* Verum tamen eſt, quòd Angelus cauſare non poteſt in naturâ peccatum, quod concipi non poteſt niſi per modum privationis, & cauſat in animabus noſtris hanc deſolationem ſeu diſcontinuationem, *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* k. Diſcontinuationem, quam natura abhorret, quam Angeli deteſtantur, & quam Deus ipſe ſuſtinere non poteſt; & ideò ut huic deordinationi remedium afferat opportunum, ſolicitatus à bonitate ſuâ, evertit omnia, cœlo deprimente ſe in terram, & terrâ aſcendente in cœlum. Fides, in quâ vivimus, iſtam docet nos veritatem: Non latent vos ruinæ, quas peccatum cauſavit in cœlo, & in terrâ: ibi dereliquit illa loca deſtinata ad gloriam Principum cœleſtium, vacua & deſolata *l*; hic verò reddidit naturam noſtram privatam benignis influentijs amoris & gratiæ Dei ſui *m*, vacuam ſcientiâ in intellectu, affectibus quibus ducebatur erga Deum ſuum, in voluntate; juſtitiâ originali, quæ in appetitu concupiſcibili reddebat paſſiones ſubditas rationi; fortitudine ſupernaturali, quæ roborabat appetitum iraſcibilem adversùs id omne quod reſiſtere poterat juſtis deſiderijs ipſius. Heu qualis deſolatio invecta ſuper quatuor regiones iſtius microcoſmi rationalis à diſcontinuatione harum influentiarum cœleſtium! Ut igitur lapſus iſte repararetur, & omnes iſtæ partes reunirẽtur principio ſuo, & ut daretur cumulus undequaque, ſicut in naturâ lapis elevat ſe in diſpendium gravitatis ſuæ naturalis, & ignis & aër deprimunt ſe ad impediendum vacuum; ſic Deus deſcedere ſuum Verbum fecit è throno gloriæ ſuæ, *Demiſit lapidem angularem ejus*, ait Job *n*. Et Hugo Cardinalis *o*, *Demiſit, id eſt, de alto miſit lapidem angularem ejus, id eſt, Chriſtum, qui duos populos quaſi duos parietes Eccleſiæ in ſe junxit, ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum* p. Cum amor ipſius ſerviret ipſi vice ponderis, quo inclinaretur ad nos ipſe qui eſt *deſiderium collium æternorum* q, juxta hanc maximam S. Auguſtini *r*, *Pondus meum amor meus, eo feror quocũque feror* Et per merita actionum ſuarum nos reſtitueret in prima jura noſtra: & poſt peractum curſum *quaſi annorum triginta & trium aſſũptus eſt in cœlum* cum apparatu triumphante, elevans hanc maſſam terreſtrem humanitatis ſuæ cum dotibus gloriæ, & cum multitudine innumerâ hominum omnis ſexus, omniſque conditionis, ut daret initium reſtaurationi ruinarum mundi Angelici, & loca cœli vacua repleret animabus hujuſmodi, *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem* u. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia* x. Sic propter eandem rationem deſcendere facit hodiernâ die Spiritum ſanctum in formâ ignis, cui proprium eſt ſurſum tendere: ſed quia eſt totus amor, & amor eſt naturæ rerum gravium, ſervit ipſi loco ponderis ad cumulandas has quatuor regiones microcoſmi, id eſt, intellectum ſacrâ perſpicientiâ; voluntatem ſanctis affectibus; appetitum concupiſcibilem qui habet paſſiones pro domeſticis, bonis deſiderijs; & facultatem iraſcibilem fortitudine ſupernaturali. Propter quod canit Eccleſia poſt Sapientem *y*, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Id eſt, omnem creaturam in toto orbe diffuſam.* ſubdit Hugo Cardinalis z. *Sed omnis creaturæ nomine ſignatur homo, Omnis autem creaturæ aliquid habet homo, Habet namque commune*

eſſe

f Ariſt. lib. 8. Phyſ c. 6. text. 56.

g Jacob. 1, 17.

h Dion. Carth art. 2. in Jacob. 1, 17.

i ex 1. Cor. 12, 8. &c.

k Iſai. 59, 2.

l Iſai. 14, 12, &c.

m Gen. 3, 6.

n Job. 38, 6.

o Hug. Card. in Job 38. 6.

p Epheſ. 2, 14.

q Gen. 49, 26.

r S Aug. lib. 13. Conf. c. 9.

ſ Luc. 3, 23. &c.

t Marc. 16, 19.

u ex Pſ. 67, 19.

x Epheſ. 4, 8. & 10.

y Sap. 1, 7.

z Hug. Card in Sap. 1, 7.

eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura eſt homo, ait S. Gregorius a. Et conſequenter ait idem Hugo Cardinalis, *Orbem terrarum vocat Eccleſiam in toto orbe terrarum diffuſam & dilatatam, quia in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* b. Hanc replevit Spiritus ſanctus die Pentecoſtes chariſmatibus gratiarum *Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes.* Illam David c agnovit neceſſariam dependentiam, cùm dixit, *Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.* Meditabatur, meâ quidem ſententiâ, diei iſtius mirabilia, hanc miſſionem Spiritus ſancti, quæ eſt ineffabilis, ut ſpecioſum fontem, aut fluvium abundantem exeuntem magno impetu è canali ſuo, qui effuſione aquarum ſuarum irrigabat colles Eccleſiæ militantis, id eſt, Apoſtolos, & fertilitate aquarum ſuarum, velut operatione mirabilium ſuorum ſatiabat eorum animas. Adhærebo conſilio eius, Auditores, ut declaratio illius ſit inde gratior: quemadmodum autem *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde in quatuor capita* d dividebatur: ſic videbimus hunc fontem amoris. Spiritum ſanctum irrigantem hunc paradiſum myſticum, ſeu novas iſtas plantas huius paradiſi, fluendo ſuper quatuor regiones animæ, & operando in eis effectus omnino mirabiles. Iſtud eſt quod expectatis à me, & quod volo vobis oſtendere in quatuor partibus diſcurſus illius.

a S. Greg. Hom. 29 in Evang. ex Marc. 16. 15.
b ex Pſ. 18. 5.
c Pſ. 103. 13.
d Gen. 2. 10.
Diviſio.

1 Pars.
e Pſ. 35. 10

Spiritus ſanctus vocatur ab Eccleſiâ *Fons vivus.* Quia gratia quam influit, continet principium vitæ. *Quoniam apud te eſt fons vitæ*, dicit illi David e. *Vivus*, quia origo ipſius non poteſt exhauriri. *Vivus*, quoniam non eſt reſes ipſius aqua, ſed jugiter excitat ad exercitia virtutis. *Vivus*, eò quòd vivificet, & revivere faciat animam quæ erat mortua per peccatum, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* f. Et, *Spiritus eſt qui vivificat* g. S. Joannes h inter ecſtaſes ſuas hoc fluvio myſtico ſe veluti vidit involutum, dicens, *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.* Ricardus Victorinus i interpretatur ipſum de gratia, *Fluvius eſt gratia Spiritus ſancti, cuius impetus lætificat civitatem Dei* k. Rupertus l autem ipſum exponit de Authore & donatore gratiæ, *Spiritus ſanctus, eſt hoc flumen pacis, hic torrens gloriæ hoc flumen lætitiæ, hic torrens voluptatis, & ubertas domus Dei* m. *Ipſe namque eſt amor Sponſi & Sponſæ in illâ glorioſâ civitate.* Cùm autem ait S. Joannes, *procedentem de ſede Dei & Agni*, non intelligit loqui niſi de Spiritu ſancto qui procedit à voluntate Patris & Filij: cùm ſedes, de qua loquitur, ſit illius ſymbolum: ſicut enim ſedes eſt locus quietis, ſic tranquillitas animæ conſiſtit in voluntate, quæ ſatiata & contenta, immunis eſt ab omni motu. Non dicit, duas eſſe ſedes, etiamſi mentionem faciat duarum perſonarum: ſicut enim eſſentia Patris & Filij eſt una & ſimpliciſſima, *Ego & Pater unum ſumus* n: ita Pater & Filius non habent niſi unicam voluntatem, & eandem ſedem. Non loquitur etiam de nativitate, ſed de proceſſione & emanatione, quæ eſt notio perſonalis Spiritus ſancti, per quam concipimus perſonam illius: *Et quia Spiritus ſanctus ex Evangelicâ* * *traditione Domini noſtri, procedens dicitur, & hoc ipſum non tacuit, ait enim de hoc flumine (procedens de ſede Dei & Agni) hoc eſt enim quod in fide Catholicâ profitemur: quia Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedit*, ait ibidem idem Rupertus. Et ſanè non ſine myſterio dicit hunc *fluvium aquæ vivæ ſplendidum tanquam cryſtallum* fuiſſe, quia aquæ illius vivificant, illuminant, & confirmant, ait idem Rupertus, *Et quia talis aqua vivificando illuminat, atque confirmat, benè ait, ſplendidum, addendo, tanquam cryſtallum.* Eſt enim proprium cryſtallo ut ſit fortis & ſplendens. Et certè iſtud verum eſt: iſtæ enim aquæ vivificant contra malitiam, illuminant contra ignorantiam, confirmant contra infirmitatem; illuminant rationalem, vivificant concupiſcibilem, confirmant iraſcibilem; illuminant fide, vivificant ſpe, confirmant charitate; illuminant ad videndum, vivificant ad operandum, confirmant ad patiendum; illuminant contra fallacias mundi, vivificant contra carnem, confirmant contra diabolum; illuminant gratiâ præveniente, vivificant juſtificante, confirmant perſeverante; illuminant intellectum, vivificant voluntatem, & confirmant totum hominem. Sed, ut opinor, mentionem agit *Agni*, ut innuat, quòd hic Agnus immolatus ſuper altari crucis o, meruit nobis ſanguine ſuo affluentiam aquarum iſtarum quæ inundant hodie ſuper cœnaculum, & quòd ipſe mittit Spiritum ſanctum in mundum ſumptum honorem redemptionis quam Ipſe peregit, relinquens illi gloriam faciendæ largitatis donorum ſuorum. Subdit, hunc *fluvium, ſplendidum tanquam cryſtallum* fuiſſe. Cryſtallus nunquam meliùs apparet ſplendens, quàm ex leſſione radiorum Solis, à quibus redditur lucens & ardens. Ha! iſtud nobis innuit, quòd Spiritus ſanctus eſt principium vitæ animarum noſtrarum: ideò S. Auguſtinus p dicebat, *Sicut vita corporis anima: ſic vita animæ Deus.* Sicut igitur omnes generationes procedunt ex humido & calido per concurſum temperatum iſtarum duarum qualitatum, ita ut neutra ex his qualitatibus ſeorſim ſumpta, ſit principium generationis, ſed ambæ debeant uniri propter hunc effectum; neceſſariò requiritur calor ad oſtendendum humorem ipſius. Sed præterea *Splendidum tanquam cryſtallum*, inſtar ſpeculi ardentis in ſignum ardoris ipſius ad producendos filios ſpirituales ſummâ virtute præditos. Et fortè propter hanc rationem ponebantur aliàs præ novarum nuptarum foribus prunæ ignis & vas aquæ, veluti præſagium quòd longa poſteritas exitura foret è tam fœlici Matrimonio. Non ſolùm autem Scriptura repræſentat nobis Spiritum ſanctum ut *fluvium aquæ vivæ*, ſed ipſemet ſe exhibuit intuendum Danieli q ut torrentem ignis, *Antiquus dierum ſedit: thronus eius flamma ignis: rotæ eius ignis accenſus. Fluvius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie eius.* Per antiquum dierum Doctores intelligunt Patrem æternum, qui vocatur antiquus ordine originis, ex ipſo & è Verbo ipſius procedit Spiritus ſanctus ut *fluvius igneus*, ut ſe diffundat ſuper animas electas. Videte quomodo inundet hodierna die ſuper cœnaculum, *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq́; ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Nec miror ſi juxta naturam aliorum fluviorum, ventum excitat, *Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis: & replevit totam domum, ubi erant ſedentes.* Quòd innuit, quòd gratia qua influit, eſt vehemens, *Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia*, ait S. Ambroſius r.

f Ezech. 18. 4. & 20.
g Ioan. 6. 63.
h Apoc. 22. 1.
i Ricard. Victor. part. 2. lib. 2. c. 7 in Apoc. 22.
k ex Pſ. 45. 5.
l Rupert. in Apoc. 22. 1.
m ex Pſ. 35. 8.
n Ioan. 10. 30.
* ex Ioan. 15. 26
o Ioan. 19. 18. &c.
p S. Aug. conc. 2. in Pſ. 70.
q Dan. 7. 9 & 10.
r S. Ambr. lib. 2 in Luc. 1. 39.

Sed nimis immorati ſumus in origine, conſiderandi ſunt nobis deinceps rivi differentes illius

Nnn fluvij,

fluvij. Primus illabitur ſuper intellectum hominum iſtorum Apoſtolicorum ad eos illuminandos & inſtruendos. Scriptura ſ mentionem agit cujuſdam fontis Solis, commemorans *aquas quæ vocantur Fons Solis.* Iſte fons continebatur in diviſione terræ quæ ceciderat tribui Juda. Origenes philoſophans ſuper iſtum fontem, ait quòd Eccleſia eſt hæc terra Juda, cùm pertineat ad fideles, qui habent pro Patriarchâ eum qui præ ſe hanc fert inſcriptionem, *Vicit Leo de tribu Iuda, radix David* t. Sic autem loquitur Origenes u, *Quis autem eſt fons Solis, vel cuius Solis? Illius ſine dubio, de quo ſcriptum eſt, Timentibus autem nomen meum orietur Sol iuſtitiæ* x. *Huius ergo Solis ſi priùs evaſeris mare ſalſum, fontem invenies in terrâ Iuda. Quem fontem? Illum profectò, de quo dicebat Ieſus, Qui autem biberit de aquâ, quam ego do ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* y. Quis igitur erit hic fons qui potet illuminando, & illuminet potando? Ha! is, eſt Spiritus ſanctus, verus fons Solis, qui radiis ſuis illuminat, *Per Chriſtum redimimur, per Spiritum verò ſanctum dono ſapientiæ ſpiritualis illuminamur*, ait Euſebius Emiſſ. z. Sed non ſine myſterio iſte fons Solis erat ultra mare, ita ut trajiciendum eſſet mare ad hoc ut ad ipſum accederetur, *Ab Oriente mare ſalſiſſimum* a. Sic ad deguſtandam dulcedinem aquarum noſtri fontis in Oriente Eccleſiæ, per dies decem ab aſcenſione Salvatoris, quantis repleti ſunt Apoſtoli amaritudinibus, atque timoribus in cænaculo, in quod ſe receperant propter metum Judæorum? Fluctus & motus iſtius Euripi inuſitatis percellebant eos formidinibus. Extra me rapior conſiderans hæc mirabilia: & ſplendor iſtius rivi obtundit aciem aſpectuum meorum, meque compellit ad videndum ipſum fluere ſuper ſecundam regionem animæ, id eſt, voluntatem.

[ſ Ioſue 15.7. — t Apoc. 5. 5. — u Orig. hom. 19. in Ioſue. — x Malach. 4. 2. — y ex Ioan. 4. 14. — z Euſeb. Emiſſ. hõ. in die Pẽt. — a Ioſue 15. 5.]

[II. Pars.]

Inter antiquos celebrabatur quidam fons admirabilis qualitatibus ſuis in eo quòd veluti ſpirituales reddebat eos, qui ad ipſum accedebant: ſed effectus iſti mirabiles ſupernaturaliter meliùs pertinent ad hunc fontem Divinum: qui enim replentur Spiritu ſancto, ab amore terrenorum transferuntur ad amorem cœleſtium; bibentes quippe ex aquis iſtius fontis, fœlices experiuntur in ſemetipſis metamorphoſes: nam quia fons iſte eſt fons amoris, *Deus charitas eſt*, ait S. Joannes c: & Eccleſia concinit hodierna die de Spiritu ſancto,

[c 1. Ioan. 4. 16.]

Fons vivus, ignis, charitas:

& amor eſt virtus transformativa, ſicut ipſe ſe diffundit ſuper voluntatem, ita & facit eam exire è ſemetipſa, & removet illam ab omnibus objectis extra Deum ut illam transformet in eum ſolum: *Secundùm Auguſtinum, anima potiùs eſt ubi amat quàm ubi animat*, ait Dionyſius Carthuſianus d. Et meliùs S. Dionyſius e, *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur.* Propterea David f affectus hoc Amore, dicebat Deo, *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Apoſtoli nullum habentes ampliùs affectum, quàm erga cœlum, ſunt veluti toti ſpirituales, cœleſtes, & Divini, & dicere poſſunt, ſicut deinceps dixit S. Paulus g, *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Verum quidem eſt quòd per leges conditionis ſuæ converſantur in terra quantùm ad corpus, ſed ipſorum cor & voluntas eſt in cœlo: nec miror, cùm voluntas ſit veluti ſpeculum, & ſit talis quale eſt objectum ipſius; ita ut ſi ipſa convertatur ad terram, ſit ipſa tota terreſtris, ſi ad cœlum, cæleſtis, & ſi ad Deum, aliquo modo Divina efficiatur, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror*, ajebat S. Auguſtinus h. Mirum non eſt ſi ita fœliciter ſunt mutati, objectum ipſorum non eſt niſi cœlum, affectus ipſorum ipſos eò transfert, *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Chriſtus* i. Licèt ipſorum vita ſit adhuc in corpore ipſorum, cor tamen ipſorum tranſivit in alteram vitam: amor enim ſacer, quo præſentia ſancti Spiritus ipſis influit, expirare facit ipſos ſimiliter per transformationem in ipſum.

[d Dion. Carth. art. 93. in Luc. 22. 14. — e S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4. — f Pſ. 72. 25. — g Philipp. 3. 20. — h S. Aug. lib. 13. Conf. c. 9. — i Gal. 2. 20.]

[III. Pars.]

Si aquæ iſtæ myſticæ talia operantur mirabilia in parte ſuperiori animæ, ſuper intellectum, & voluntatem; non minores producunt effectus in parte inferiori, ſuper appetitum concupiſcibilem, & ſuper appetitum iraſcibilem. Commemorant Inquiſitores rerum naturalium celebrem quendam fontem, cujus lutum ſic ardens eſt ut comburat id omne quod tangit, & eò magis accendatur quò magis madefit: fortaſſis fons iſte Divinus & myſticus iſtos producit effectus, cùm non intueamur hodie niſi ignem & flammas, *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Ignis iſte ſacer adhæret cordibus Apoſtolorum, & hujuſmodi corda reddit prorſus ardentia. Ego neſcio num decipiar, an num mea mens feratur ad contemplanda hæc mirabilia: intueri mihi videor eos inter has flammas oculis in cœlum erectis, habere corda ſua repleta ſanctis ſuſpiriis, & laudare & benedicere bonitatem iſtius Divini Spiritus, qui micare facit ſuper ipſos gloriæ ſuæ radios, ſicut Iſraëlitæ adoleſcentes *tres quaſi ex uno ore laudabant & benedicebant & glorificebant Deum in fornace* k. Nullum habent ampliùs affectum ſeu amorem, quàm erga cœlum, ſanctum odium inducit ipſos ad deteſtationem peccati: hæc paſſio non inſumitur ab ipſis ampliùs quàm contra vitium, & adverſùs objecta, quorum amor, ſeu inquiſitio inquinat corda, & obſcurat imaginem Dei, quæ ſplendet in animabus noſtris: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* l. Quid dicam de illorum deſideriis? Si unquam affecti ſunt ipſi erga ſummum *Bonum* m, hodierna die ducuntur ardore extraordinario ad illud inquirendum: tali quippe die qualis eſt hodierna, ſentientes ſe privatos fruitione tanti Boni, ad quod ſuſpirabant, credibile eſt quòd dulcedines anticipatæ, quas experiebantur illius in cordibus ſuis, ipſos inducebant, ad dicendum Deo cum Davide n, *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini!* Incredibile eſt, quomodo deinceps res iſtius mundi verſæ ſunt ipſis in faſtidium, cùm eſſent immerſi voluptati, quam ſentiebat ipſorum cor per præſentiam Spiritus ſancti, ſanctè dolentes, eò quòd ſe diutiùs intuerentur in hâc peregrinatione quàm deſideraſſent, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt* o!

[k Dan. 3. 51. — l Gen. 9. 6. — m Exod. 33. 19. — n Pſ. 83. 2. & 3. — o Pſ. 119. 5.]

[IV. Pars.]

Fons iſte Divinus non ſiſtit curſum ſuum ibi, ſed ſe diffundit ſuper quartam regionem animæ, id eſt, ſuper appetitum iraſcibilem, dans Apoſtolis fortitudinem ſupernaturalem, non ſolùm ad vincendos appetitus ſenſuales, nam confirmati fuerunt in gratia, ſed etiam roborans eos ad ſuperandum id omne quod opponere ſe potuiſſet juſtis ipſorum deſideriis, excitans modò iram zelo fervente cuſtodiendi honoris Dei, & glorioſi ipſius obſequii, *Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus* p, ait S. Petrus. Modò animans illorum ſpem ad fruitionem Dei: modò inflãmans illos ſancta audacia ad deridendos Tyrannos & Principes mundi, *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilii: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati* q.

[p Act. 5. 29. — q Act. 5. 41.]

Do-

Docent Philoſophi, quòd potentiſſima meteora, & aliæ impreſſiones igneæ, quæ apparent in aëre, formantur non ex omni genere exhalationum, ſed ex iis quæ educuntur è terris pinguibus, quia ipſarum oleum tribuit ipſis conjunctionem, & cùm ſic uniantur, ſic & meliùs conſervant calorem, quem ipſis Sol imprimit radiis ſuis cùm ab ipſo elevantur: ſic virtute robori ſiſtius à Sole ſuſcepti, reluctantur vaporibus craſſis & frigidis, qui conantur ipſis obſiſtere, & furioſo impetu à ſe repellunt hujuſmodi obſtaculum: iſtud imaginor intueri in Apoſtolis, hoc eſt ſymbolum cœtus iſtius religioſi; cùm ignis iſte ſacer impreſſerit eis Divinum ardorem, elevat illorum paſſiones & affectiones velut expirationes è terrâ pingui; ſic ardor iſte ſacer, erat ſanctus liquor, quem Spiritus ſanctus effuderat ſuper illos, ſicut canit Eccleſia,

Et ſpiritalis unctio,

volens etiam eos transformare in Divinas qualitates ſuas, illoſque attrahere ad ſphæram ſuam in cœlum. Ecce potentia iſtius exhalationis: Nubes craſſæ, vapores eruti è mari procelloſo Synagogæ veniunt ad ſiſtendum curſum iſtius calidæ affectionis, illam involvunt, eam includunt, & videntur eam veluti ſenſu contrario velle extinguere, quemadmodum eadem concinit Eccleſia,

Muſto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat e.

Sed ipſi permanent firmi, & nedum hæc exhalatio

e In Act. 2. 13. &c. & ex Ioël 2. 28.

extinguatur, è contrà ſicut in aëre vapor calidus conflictu ſuo inflammatur, ſic ipſorum affectio creſcit & inflammatur medias inter quaſlibet contrarietates. Quonam modo putatis eos affectos fuiſſe, ſeu compoſitos, exeuntes ex iſto cœnaculo? Eodem planè modo, quo S. Chryſoſtomus s

f S. Chryſoſt. hom. 61. ad Pop. Antioch.

deinceps nobis conſuluit ut à Sacra Communione percepta recederemus, *Tanquam leones ignem ſpirantes, facti diabolo terribiles.* Vapores illi frigidi mundi, qui opponunt ſe motibus ipſorum calore repletis, efficiunt ut potenter perſtrepant, & ſonitum ſuum audiri faciant per totum mundum more tonitruorum, *In omnem terram exivit ſonus eorum* t.

t Pſ. 18.5.

Sponſa ſacra languens Amore Divino inter exceſſus ſuaviſſimorum ardorum ſuorum, exclamabat, *Fulcite me floribus, quia amore langueo* u. Seu,

u Cant. 2. 5.

juxta LXX. *Quia vulnerata charitatis ego ſum.* Unde dicit de Ponte x, *Tunc charitas animam vul-*

x De Pôt, lib. 4. in Cant. 2. 5. exhort. 30 parag. 10

nerat, quando igneus Divini Amoris aculeus cor medullitùs penetrat, ut deſiderio ardeat, affectu æſtuet, nihil aliud præter Deum concupiſcens. Iſte erat ignis, quem Sponſa volebat, ut ipſa diſſolveretur à terra, & illaberetur in ſinum Dilecti ſui. Talia erant deſideria Apoſtolorum, qui ex audio accendunt mundum: proprium enim eſt illis, qui calefacti ſunt iſtis ignibus, procurare parem calorem aliis; ſicut re verâ viri iſti Apoſtolici in primo egreſſu ſuo inflammant corda auditorum ſuorum, *His autem auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos, Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus ſancti. Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illâ animæ circiter tria millia* y.

y Act. 2. 37. &c.

Non eſt aliquid quod non audeat hodiernâ die in cœnaculo, & Jeroſolymis; & nunc cùm Di-

vinus Spiritus mittit radios ſuos directè è puncto Meridiano ſuper capita noſtra, ita ut dici poſſet quòd *nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius* z per quatuor totius orbis oras, non intueor hîc, niſi glacies: mons Sion non emittit niſi ignem & flammas, & ego non video hîc niſi frigora: cor Apoſtolorum eſt inflammatum, & ego non cerno hîc niſi pectora gelida. Poſſibilene eſt ut non inflammemur his ardoribus? Sed fierine poteſt ut credatis, vos ſuſcepiſſe Spiritum ſanctum? *Factum eſt: ut Paulus veniret Epheſum, & inveniret quoſdam diſcipulos: dixitque ad eos: Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum, Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus* †.

z Pſ. 18.7.

Epheſij neſciebant utrùm eſſet Spiritus ſanctus, quia non experiebantur influentias ejus, inter illos & hunc dabatur diſcontinuatio, & vacuum quod impediebat productionem radiorum iſtius.

† Act. 19. 1. & 2.

Heu ſi petam à vobis, *Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes?* quàm merito jure timeo ne recipiam à vobis iſtud reſponſum, *Neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus.* Sed quid dico? Timeo: veriſſimum eſt, vos ignorare ſcientiâ practica, eſſe Spiritum ſanctum: non infidelitate, minùs autem effectu. Nemo veſtrûm eſt qui ipſum non credat: ſed heu! ipſum creditis eo modo propter quem S. Paulus a invehebatur in malos Chriſtianos ſeculi ſui, *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Effectus ſunt notæ & veſtigia cauſæ quæ ipſos producit; fructus quos cauſat iſte ſanctus ros, & fluvius myſticus Spiritus ſancti in paradiſo animarum, quæ ſuſceperunt ipſius influentias, ſunt ij quos enumerat idem Apoſtolus b, *Fructus autem Spiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuedo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Si meos ſuper veſtram civitatem oculos projicio, nihil horum intueor; ingenuè vobis loquar, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas* c. Ipſe mihi inſpirat ut loquar. Si mente percurram omnes ſtatus veſtræ civitatis, ubique non invenio niſi corruptionem & diſſolutiones. Si aſpicio plebem, nihil ea reperio ſceleſtius. Sed forſan peccatum non invenitur niſi inter populum? Heu! infortunium non eſſet ita magnum, niſi conditionis ſublimioris homines peius agerent! *Ego autem dixi, Forſitan pauperes ſunt & ſtulti: ignorantes viam Domini. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viam Domini. Et ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula* d. Hicine ſunt fructus iſtius ſancti roris? hæccine eſt fertilitas, quam cauſare ſolet affluentia aquarum iſtarum ſalutarium? hæcine ſunt flammæ iſtorum ſanctorum ardorum, harum Divinarum illuſtrationum? Proceres excuſſerunt primi jugum Divinorum mandatorum, & pravo ſuo exemplo ſolicitaverunt diſſolutionem reliquo populo: non eſt igitur amplius intueri niſi adulteria, ſcœnora ſunt manifeſta, familiæ plenæ ſunt diviſionibus, ſæculo vivimus infelici quo amicitiæ ſunt mortales, & inimicitiæ immortales, *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia* e. Fructus, quos caro producit, ſunt apparentes, ſed nò ita ſe res habet de Spiritu ſancto, ipſe eſt Spiritus cœleſtis, ipſe non eſt fertilis niſi fructibus congruis perfectioni ſuæ; ipſe eſt Spiritus purus, & quicunque vivunt ſecundum carnem, non poſſunt ſuſcipere influentias ipſius, *Dixitque Deus:*

a Tit. 1. 16.

b Gal. 5. 22. & 23.

c 2. Cor. 3. 17.

d Ierem. 5. 4. & 5.

e Galat. 5. 19. &c.

f Gen. 6. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* f. Id eſt, ſubdit Cornelius g g Cornel. in Gen. 6. 3. *Quia carnalis, & in vitia carnis ſuâ culpâ proiectus eſt. Ita Sanctus Chryſoſtomus, & Ambroſius.* Nulla eſt convenientia inter carnem & ſpiritum, Leges ipſorum nullo ſociari poſſunt modo: *Caro enim cōcupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur,* h Galat. 5. 17. ait Sanctus Paulus h. Et poſt eum Dionyſius i Dion. Carth. art. 5 in Galat. 5. 17. Carthuſianus i, *Caro enim, id eſt, appetitus ſenſitivus, ſeu anima ſecundùm carnem, vel ipſe homo ex parte ſenſualitatis, concupiſcit adversùs ſpiritum, id eſt, ea deſiderat quæ directè ſunt rationi contraria, videlicet delectationes ſenſibiles. De quibus ſcriptum eſt, Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluptate* k Eccli. 18. 30. *tuâ avertere* k. *Spiritus autem, id eſt, appetitus intellectualis, ſeu ratio, vel anima ſecundùm partem ſui ſuperiorem, concupiſcit adversùs carnem, id eſt, ea quæ carni & ſenſualitati laborem & tædium ingerunt, utpote ſpiritualia bona, continentiam, ſobrietatem, Divinorum frequentem ac ſtabilem vacationem, quibus caro caſtigatur, fatigatur, & attenuatur. Hæc enim videlicet caro & ſpiritus, ſibi invicem adverſantur, appetendo contraria, ut dictum eſt. Caro quippe cupit bona delectabilia, & utilia etiam inordinatè, ſeu ultra neceſſitatem: ſpiritus autem bona honeſta per reſpectum ad Deum.* Spiritus ſanctus non eſt niſi amor, bonitas, & ſuavitas: vos autem non fovetis niſi odia, diſſenſiones, & ultiones: nec miror, *Peccata veſtra abſconderunt* l Iſai. 59. 2. *faciem eius à vobis* l. Nubes iniquitatum veſtrarum offundunt caligine hunc Solem ſplendentem, nec ſinunt ut veſtras illuminet animas. Et poſt hæc putatiſne quòd veſtra *portio in terrâ viventium* m m Pſ. 141. 6. futura ſit? *Nolite confidere in verbis mendacij* n. n Ier. 7. 4. o Gal. 5. 21. *Prædico vobis, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur* o. Amor eſt inſigne filiorum Dei; diligere proximum ſuum, dimittere injurias, non apparenter ſolùm, ſed ex toto corde, eſt nota prædeſtinationis æternæ, *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filij Patris veſtri, qui* p Matth. 5. 44. & 45. *in cœlis eſt* p. Poteſtis quidem fallere homines, ſed nunquam decipietis Deum. Si continuetis in his inimicitijs, in æternum exulabitis ab hoc loco fœlicitatis, ut ſuſtineatis *ſupplicium æternum* q. q Matth. 25. 46. Quòd ſi iſtud eſſet aliter, abrenunciarem hâc ipſâ horâ quâ vos alloquar, meritis Filij Dei, Sanguini ejus, Sacramentis illius, verbis & promiſſis ipſius. Heu! fruſtrà eſſet *paſſus pro nobis, relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia eius,* ait r 1. Petr. 2. 21. nobis S. Petrus r. Invanùm nobis dediſſet hanc legem amoris, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ. Diliges proximum tuum ſicut teipſum* s. s Matth. 22. 37. & 39. Inutiliter Sancti Paradiſi ſuas mortificaſſent paſſiones t, ſi poſſideri poſſent coronæ gloriæ, ſatisfaciendo perverſis inclinationibus. t Hebr. 11. 35. &c. Utquid igitur contentâ voce non inclamabo cum Ieremiâ u? u Ier. 2. 12. & 13. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Prætulerunt ſatisfactiones paſſionum ſuarum, ſuavibus conſolationibus Spiritus ſancti: ſtupent Angeli intuitu miſeriæ ſic prodigioſæ cordis humani, quod deſerit Bonum ſic amabile, ut adhæreat rebus ſic deplorabilibus. Uſquequò, miſeræ creaturæ, abutemini patientiâ Dei? quippe qui veſtra diſſimulat *peccata propter pœnitentiam* x. x Sap. 11. 24. Uſquequò, irritabitis cœlum? *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei* †. † Epheſ. 4. 30. Vultiſne continuare in hoc infortunio, in his inimicitijs? Ha! ſi vobis aliqua cura ſupereſt veſtræ ſalutis operandæ, ingreſſum præbete ad vos inſpirationibus illius, ſuſcipite illuſtrationes ejus, aperite corda veſtra flammis ipſius. Idcòque inſumam verba S. Petri intuitu Iſraëlitarum, qui commoti vehementiâ Spiritus ſancti cùm concepiſſent per efficaciam rationum ipſius, verum dolorem de peccatis ſuis, remedium iiſdem culpis ſuis diluendis quærebant opportunum, *Pœnitentiam agite, & accipietis donum Spiritus ſancti* y. y Act. 2. 37. & 38. Dominus eſt *ſuavis & mitis, & multa miſericordia omnibus invocantibus* z ſe. z Pſ. 85. 5. Ipſe tribuit vobis terminum, intra quem in meliorem emendatoris vitæ frugem vos recipiatis; fortaſſis hæc inſpiratio neglecta efficiet ut *in peccato veſtro* a moriamini. a Ioan. 8. 21. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* b. b Hebr. 4. 16. Appropinquemus ad hunc ignem, ut accendamur ardore flammarum illius, dicentes, Sancte Spiritus, qui fers amorem pro ſymbolo, peccata noſtra privaverunt nos illuſtrationibus tuis: noſtræ *iniquitates diviſerunt inter nos & te Deum* c noſtrum: c Iſai. 59. 2. datur diſcontinuatio & vacuum inter te & nos; ſemper glacie conſtricti erimus, niſi nos prævenias *in benedictionibus dulcedinis* d. d Pſ. 20. 4. *Exurge, Domine Deus, in præcepto quod mandaſti* e. e Pſ. 7. 7. Non tenemur ad majorem perfectionem quàm ad te imitandum in obſervantiâ illius legis amoris? volumus te imitari, ſed tribue nobis prior exemplum: Ecce inimici tui; dilige ergo inimicos tuos, diligere eſt velle bonum: effunde ſuper omnes potentias animæ noſtræ aquas gratiarum tuarum, ut tibi tandem poſſimus aliquando uniri in gloriâ.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Matth. 28. 19.

NEſcio num pudore ſim ſuffundendus ex conſilio quod aggredior, & num reperturus ſim pœnam temeritatis meæ, & punitionem criminis mei; cùm non ignorans infirmitatem meam, voluntariè progrediar ultra captum ingenij mei, cujus conatus ſervire non poſſunt niſi loco validarum probationum ad manifeſtandam meliùs inſufficientiam meam: *Grandes materias ingenia parva non ſuſtinent; & in ipſo conatu ultra vires auſa, ſuccumbunt: quantòque maius fuerit quod dicendum eſt; tantò magis obruitur, qui magnitudinem rerum verbis non poteſt explicare,* ait S. Hieronymus a. a S. Hier. Epiſt. 9. in princip. in tom. 1. Et S. Cyprianus b b S. Cypr. in Præfat. de Cardinal. operib. mihi præſens oſtendit periculum quod metuo, & manifeſtat mihi ſcopulum, qui veluti

veluti certum minatur mihi naufragium, cùm dicit, *Sublimes materia ſubtilium ingeniorum exigunt tractatores.* Nimis eſt audere ac fixis oculis intueri Solem, ſpecioſum hunc planetam, cujus majeſtas videri non debet in luminibus ſuis niſi reverenter: propterea radij ipſius ad puniendam hujuſmodi irreverentiam, non cauſant niſi tenebras oculis, qui de ſuis nimis præſumunt viribus, & intendunt ipſius totum ſuſtinere ſplendorum: *Sic qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimetur à gloriâ* c. Plus aggredior quàm moliri poſſim, loqui volo de myſterio, cujus magnitudo mihi verbum, quod de ipſo formare poſſem, abripit: & proculdubio ſi tractandum haberem cum Angelis, non darem eis niſi cogitationes meas, & ſimplices conceptus meos, veritus ne ipſorum nativitas afferret mihi confuſionem, pœnitudinem cauſaret patri à quo producerentur: ſed cùm homines alloquar, indigeo terminis ad exprimendos hujuſmodi conceptus, & verbis ad oſtendendum in Trinitate perſonarum unitatem eſſentiæ. Quid majus? quid difficilius? Poſthæc, Auditores, judicate num iſtis ritè perfungi poſſim munijs; & nunquid non debeam meliùs dicere Deo quàm diceret ei Moyſes, *Obſecro, Domine, non ſum eloquens: mitte quem miſſurus es* d. Aut quàm diceret illi Jeremias e, *A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Cùm renuerent iſti ſuſcipere munus, quo non poſſent, juxta opinionem ſuam, apprimè perfungi, & præ felici ſucceſſu. Quid autem dicam ego de arcano ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio? ſed quid de eo dicere potero? Si intuear inſufficientiam meam, de illo ſatis dixi. Si obediam voci Dei mihi præcipientis ut de eo ediſſeram, non poſſum ampliùs ei reſiſtere: ſilentium enim meum me condemnaret, quia ſi renuerem, id mihi adſcriberetur crimini. Salvator noſter monet nos ut nihil timeamus, cùm Spiritus Patris ipſius ſit ore noſtro locuturus: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis* f. Ut igitur illius meliùs experiar effectus, deprecor illum ut ſuis ſtet promiſſis, & ab eo humillimè efflagito, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Hæc ſunt verba, quæ B. Virgo reſpondit Angelo, cùm hic *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* g *Maria.*

c Prov. 25. 27.
d Exod. 4. 10. & 13.
e Ier. 1. 6.
f Matth. 10. 19. & 20.
g Luc. 1. 28. & 38.

Non ignoratis, Auditores, occurſum favorabilem, quo donatus fuit aliàs S. Auguſtinus, cogitabundus deambulans circum litus maris, ut ſibi conciliaret intelligentiam auguſtiſſimi & ſemper adorabilis myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis. Hunc occurſum voco favorabilem, cùm is attulerit illi quietem, avertens eum à labore, qui cruciabat animum ipſius. Hic erat puerulus, qui ſollicitus erat ardenter de deferendâ in cavo manuum ſuarum aquâ maris in exiguum cavamen, quod ipſe conſultò cavaverat juxta litus. Qui cùm interrogaretur ab iſto eximio Viro, quale eſſet conſilium ſuum, quod ipſum inducebat ad ſuſcipiendum tantum laborem: reſpondit ei, quòd ipſe intenderet totam maris aquam in hujuſmodi cavum exiguum transferre. S. Auguſtinus deridens iſtius ſimplicitatem conſilij, & compatiens infirmitati ætatis, quæ nondum huic puerulo largiebatur uſum fortis & ſolidæ ratiocinationis, petivit ab eo, quandonam putaret ipſe quòd conſilium ſuum poſſet ipſe ad exitum perducere. At iſte converſus ad eum, reſpondit ei appoſitè: Conſilium meum ſortiar, cùm ingrediêris notitiam profundi & ineffabilis myſterij, quod volvis & reverſas cum tantâ mentis anxietate. Is, erat Angelus proculdubio, qui aſſumptâ hâc figurâ, docebat illum, quòd faciliùs eſſet incluſu in exiguo cavo totam aquam maris, cujus extenſio nullos habere videtur limites, quàm conceptu infirmitate rationis purè humanæ myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, cùm incomprehenſibile ſit, æquè ac eſt ineffabile, ſicut Deus eſt *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* h: & ait, *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo Omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis* i. Et illi ipſi, quibus Deus id revelavit, iſtud admirentur. Videte quomodo cùm *aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix: & ecce vox de nube, dicens. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite: audientes diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè* k. Apoſtoli iſti, qui viſum habuerant ſatis validum ad contemplandam gloriam ſacræ humanitatis Verbi incarnati lumine ſplendentis, non habuerunt auditum ſatis fortem quin timerent ad hæc verba, quæ præ ſe ferebant intelligentiam myſterij ſic occulti & ita parùm cogniti quale erat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & ideò *ceciderunt in faciem ſuam*, ut illud venerarentur, eique ſuas adorationes exhiberent, cùm canat Eccleſia in transfiguratione Salvatoris, *In ſplendenti nube Spiritus ſanctus viſus eſt, Paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus*, &c. Jure ergo merito myſterium iſtud imponit mihi ſilentium: quomodo enim lingua mea poſſet exponere id, quod mea mens non poteſt concipere? Satius igitur eſſet mihi illud tacere, quàm de illo loqui, cùm ſilentio laudare debeamus Deum noſtrum, juxta hæc verba Pſalmiſtæ l, *Te decet hymnus, Deus, in Sion*: quæ vertuntur apud Lorinum m ſic, *Tibi ſilentium laus, Deus, in Sion.* Quis enim fortiter poſſet feliciter ſic altum conſilium, cujus magnitudo eſt ultra vires & cognitiones noſtras? *Aut Deus eſſem, aut Deus Deus non eſſet, ſi omnino explicarem*, aiebat Epictetus diſcipulis, qui non benè concipiebant id, quod ipſis dicebat de Deo. Et quidem appoſitè, cùm non poſſit concipi à mentibus finitis ipſe, qui *non habet finem* n. *Et alta profunditas, quis inveniet eam?* petit Eccleſiaſtes o. *Quaſi dicat, Nullus in hâc vitâ*, ſubdit Hugo Cardinalis p. Propterea non intendo probare Trinitatem adorabilem rationibus purè humanis: hæ nimis ſunt infirmæ, & putarem me irrogaturum injuriam ſic auguſtæ veritati, ſi uterer in favorem ejus teſtibus mendacio obnoxijs, & quarum depoſitiones non ſemper æqualiter admittuntur: non affero niſi exiguam lucem ad illuminandas mentes veſtras, & hanc lucem deſumo ab hâc adorabili Trinitate, quæ illius eſt origo, *Quoniam Deus lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt ulla* q: ſed *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* r. Ipſa mihi loco phari ſerviet: ſequimini conceptus meos, & ſi tandem nihil illius poſſitis concipere, dicite ei, ſed dicite feliciùs quàm diceret ille Philoſophus Euripo, *Si te capere non valeo, tu me cape.*

h Ier. 32. 19.
i Exod. 6. [illegible]
k Matth. 17. 1. [illegible]
l Pſ. 64. 2.
m Lorin. in Pſ. 64. 2.
n Baruch 3. 25.
o Eccl. 7. 25.
p Hug. Card. in Eccl. 7. 25.
q 1. Ioan. 1. 5.
r Ioan. 1. 9.

Propoſitio.

Suppono vel ex ipſo principio veritatem fundamentalem contra furorem Hæreticorum, qui niſi ſunt eam funditùs evertere & profligare, nimirum quòd Deus, qui eſt unus in eſſentia, eſt Trinus in per-

in perſonis, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* s. Quòd cùm habeat naturam infinitam, infinitè ſe cognoſcit; quòd provenit Pater generat fœcunditate intellectus ſui, Verbum Divinum, quod vocamus Filium, quia habet perfectam ſimilitudinem & identitatem naturæ, ſicut iſte Filius ait, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* t. Et, *Ego & Pater unum ſumus* u. Et quòd iſtæ duæ perſonæ Divinæ ardore ſuæ voluntatis producunt tertiam, quam, cùm ſit terminus reciprocæ dilectionis ipſarum, vocamus Spiritum ſanctum, ſicut idem Filius incarnatus ait, *Paraclètus, quem ego mittam à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* x. Hoc ſuppoſito & credito ut puncto maximi momenti noſtræ fidei, ecce aliqua mentibus veſtris afferre curabo lumina inter myſterij noſtri tenebras.

s 1. Ioan. 5. 7.
t Pſ. 2. 7.
u Ioan. 10. 30.
x Ioan. 15. 26.

Deus eſt eſſentia ſimplex, *Spiritus eſt Deus*, ait S. Joannes y. *Id eſt ſpiritualis, incorporalis & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus z. Sed eſſentia ſic perfecta, ut immunis ab omni defectu, ſicut ipſe Deus *perfectus eſt* a, poſſideat omnes perfectiones poſſibiles abſque ullis limitibus, & cùm ſic vaſtâ extenſione excellentiarum ut ad infinitum uſque abeant, ſicut & idemet Deus *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* b. Sic Deus habet in ſe eminenter id omne quod eſt diſperſum boni & pulchri in reliquis creaturis, ſine aliquâ miſtione imperfectionis ipſarum, *Superbonum* c, *pulchrum* d, *Euſe*, *vivificans* f, *auguſtiſſima Divinitas*, ait S. Anthiochus g, loquens de Deo. Et S. Damaſcenus h, *Bonus, & omni bonus, & ſuperbonus Deus totus exiſtens bonitas*. Atqui in illis fœcunditas eſt magna perfectio, cùm ſupponat naturam ſic abundantem, ut poſſit agere liberalitates, nedum efficiatur inops; prætérquam quod acquirunt titulum glorioſum principij, & prærogativam, feciſſe bonum loco mali, cùm ſuccedere fecerunt eſſe privationi: dicamus igitur quòd cùm Deus ſit infinitè perfectus, debuit ſe communicare infinitè in æternitate, ut haberet aliquem qui ipſum repræſentaret in unitate naturæ, & qui cùm eſſet in omnibus ipſi æqualis, in nullâ re foret ipſo inferior. Illud eſt quod ipſe nobis aſſerit per Prophetam ſuum Iſaiam i, *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? ſi ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus?* Hoc eſſet detrahere perfectioni ejus, ac illum conſtituere in ſtatu ſterilitatis, cùm ipſe fœcunditatem tribuat alijs. Quòd ſi non ſe communicaſſet, hoc fuiſſet propter unum ex his duobus, aut quia non potuiſſet, aut quia noluiſſet. Neutrum ex illis dici poteſt: habuit enim potentiam ſicut omnipotens: atqui dicere quòd hæc ipſius potentia manſit infertilis per æternitatem, hoc eſt ipſum Deum inſimulare puſillanimitatis, quam ipſamet natura materialis ſuſtinere non poteſt, cùm nullam relinquat è potentijs ſuis inutilem. Ipſe eſt actus purus & infinitus: ideò nullum debemus imaginari momentum, quo ipſe aliquam ſuſcipere potuerit novâ excellentiam: ſed ab æterno debuit omnes habere perfectiones effectivè, & conſequenter fœcunditas ipſius, quæ eſt perfectio, eſt ipſi eſſentialis, ſicut eſſentialiter ipſe eſt Deus, *Ego ſum qui ſum* k. Quid enim egiſſet Deus per totam æternitatem, quæ eſt duratio infinita? Poſſemuſne dicere, quòd per totum illud ſpatium, quod caret principio, progreſſu, & fine, Deus manſiſſet otioſus? Abſit à nobis ut illud dicamus. Deus igitur ſe cognovit ab omni æternitate, & cognoſcendo ſe fœcunditate Divini intellectus ſui genuit Verbum ſuum æquale ſibi in omnibus, cùm proprium ſit Bonitati infinitæ communicare ſe ſecundùm totam extenſionem ſuam: & ſic communicavit ei omnes perfectiones ſuas infinitas: alioquin ipſe non feciſſet niſi productionem deficientem, avaram, & invidam, quia ut ſic non dediſſet ei totum id quod potuiſſet propter perfectam ipſius ſimilitudinem. Hoc argumento ſunt uſi ſancti Patres contra Arianos. Concludamus igitur quòd productio Dei ad hoc ut ſit infinitè perfecta, debet eſſe infinitè ſimilis naturæ ſuæ infinitæ per perfectam identitatem quæ excedat omnes ſimilitudines: *Omne generans generat ſibi ſimile*, dicit axioma Philoſophicum. Effectus in naturâ, eſt eò perfectior quò majorem habet ſimilitudinem cum causâ ſuâ: natura eſt in impotentiâ: Deus *beatus, ſolus potens* l eſt, cujus productio eſt ipſi totaliter ſimilis. Propterea Verbum ſeu Filius vocatur imago & tota ſubſtantia Patris ſui, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*, ait S. Paulus m. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus n, *Cum ſit ſplendor gloriæ, id eſt, radius ſapientiæ Patris ingenitæ, ſeu candor lucis æternæ* o, *& fulgor majeſtatis paternæ, in quo plenè reſplendet tota perfectio Patris. Eſt namque Filius mentis paternæ verbum æternum, intelligibilis dictio, & ſapientiæ ejus plena expreſſio. Dicitur ergo Filius ſplendor gloriæ ſeu excellentiæ Dei Patris, quoniam quidquid Patris eſt, ſplendet ac lucet in Filio. Et in hoc inſinuatur coæternitas Filij cum Patre. Splendor enim eſt ignis ſeu ſolis coævus. Et ſi Sol ab æterno fuiſſet, ſplendor fuiſſet ei conſempiternus. Et figura, id eſt, imago vel character. (In Græco quippe habetur χαρακτὴρ) ſubſtantiæ ejus, id eſt, ipſius Patris, quæ eſt ſubſtantia ſeu Divina Eſſentia. Græci verò utuntur nomine ſubſtantiæ indifferenter pro eſſentia & perſonâ. Dicit autem Apoſtolus, figura, quàmvis figura propriè locum non habeat niſi in corporalibus rebus. Per figuram enim res maximè cognoſcitur, & in eâ ſimilitudo attenditur unius cum alio. Quoniam ergo Filius Patri per omnia ſimilis, imò ſimillimus eſt, non diſtinctus ab eo, niſi quia ab eo & Patrem repræſentat, omnique notificavit, intantùm ut ipſe dixerit, Qui videt me, videt & Patrem* p: *idcircò Filius appellatur figura ſubſtantiæ Patris, in quo deſignatur conſubſtantialitas Patris & Filij. Filius equidem eſt imago naturalis & eſſentialis, non imitativa & artificialis Dei Patris, quemadmodum filius Regis eſt imago patris regnantis. In tali autem imagine invenitur natura ejus, cujus eſt imago. Cùm ergo divina Eſſentia ſimplex ac indiviſibilis ſit, conſtat quòd eadem numero ſit in Patre ac Filio. Propter quod ait, Ego & Pater unum ſumus* q. *Et, Quæcumque habet Pater, mea ſunt* r. Sic Deus cognoſcens ſeipſum vi & fœcunditate mentis ſuæ generat in ſeipſo perſonam, quæ eſt ipſi æqualis: & quia natura, quæ eſt infinita, multiplicari non poteſt, manens ſemper eadem in unitate ſuâ, non eſt in ipſa niſi productio perſonarum; ita ut prima perſona vocetur Pater, eò quòd ipſa ſit fœcunda, & quòd cognoſcens ſeipſam, generet Verbum, quod eſt ipſius imago perfectiſſima; & iſtæ duæ perſonæ Divinæ producant ſimul in unitate principij ſeu ejuſdem voluntatis, tertiam perſonam, quæ eſt Spiritus ſanctus, qui eſt Amor procedens à Patre & Filio. Hæc autem unitas in trinitate, & hæc trinitas in unitate in Deo, nobis non debet inuſitata videri, cùm veſtigia illius inveniamus in creaturis, ut dicemus modo: & iſta trinitas perſonarum non repugnat unitati aut ſimplicitati Dei; quia non adotamus

y Ioan. 4. 24.
z Dion. Carth. art. 1 in Ioan. 4. 4.
a Matth. 5. 48.
b Baruch. 3. 25.
c ex Pſ. 118. 68.
d ex Pſ. 95. 6.
e ex Exod. 3. 14.
f ex 1 Re. 2. 6.
g S. Antio. hom. de Fide.
h S. Damaſc. lib. 4 de Fid. Orth. c. 4.
i Iſai. 66. 9.
k Exod. 3. 14.
l 1. Timoth. 6. 15.
m Hebr. 1. 3.
n Dion. Carth. art. 1. in Heb. 1. 3.
o ex Sap. 7. 26.
p Ioan. 14. 9.
q Ioan. 10. 30.
r Ioan 16. 15.

tamus in eo niſi unicam eſſentiam, & admirabiles iſtæ perſonæ ſolùm denotant ipſius infinitam perfectionem, procedentes ex ipſius infinitâ fœcunditate, quæ ſe diffundit in ſeipſam, nedum diffluat ad extrà: & iſtæ duæ proceſſiones, quas admittimus in Divinitate; Filij, viâ intellectus, & Spiritus ſancti, viâ voluntatis, ſunt proceſſiones immanentes, quæ non exeunt ad extrà. Quòd Filius procedat è fœcunditate mentis Patris ſui, Scriptura id edifferit, cùm eum vocat Verbum, quod proprium eſt intellectui, ac concipere verbum ſuum; Sapientiam, & Imaginem, quod propriè pertinet ad intellectum qui reddit ſibi ſimile id omne quod ipſe cognoſcit. Quæ omnia ſic oſtendit Dionyſius Carthuſianus s ſuper hæc verba S. Joannis, *In principio erat Verbum*, dicens, *Activa generatio Verbi, eſt ipſa intellectio Patris notionaliter ſumpta, quæ terminatur ad Verbi productionem, ſeu ad ipſum Verbum intùs prolatum: & quoniam Pater uno ſimpliciſſimo actu ſeipſum & cuncta intelligit, ideò unico actu intellectivo ſeu unâ locutione gignit ac profert perfectiſſimum Verbum, in quo univerſa reſplendent, repræſentantur & continentur, quia à Patre noſcuntur, & in eius Sapientiâ eluceſcunt, fulgent, ac conſpiciuntur. Eſt quoque exemplar, ſpecies ac ratio omnium creaturarum, quoniam omnes relucent in Verbo, atque ad eius imitationem productæ ſunt. Quoniam ergo tota perfectio & natura Patris perfectè relucet in Filio, quod eſſe non poſſet, niſi Filius eſſet verè immenſus, æqualiſque Patri, & per conſequens verus Deus, eandem cum Patre habens eſſentiam: finitum namque à perfectâ repræſentatione infiniti diſtat ad infinitum: propterea Filius appellatur emanatio claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ, Maieſtatis Paternæ, atque imago bonitatis illius* t, *quemadmodum de Filio Dei ſub nomine Sapientiæ ſcriptum eſt. Unde ad Hebræos* u *ait Apoſtolus, Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Alibi* x *quoque, Qui eſt imago Dei inviſibilis. Inſuper, Cùm Filius procedat ab intellectu Patris, idcircò pertinentia ad intellectum, potiſſimè competunt Filio, quorum aliqua ſunt ei propria, & aliqua appropriata: propria enim Filio ſunt, ſapientia generata, ars genita, verbum, imago: quæ omnia accipiuntur in Deo perſonaliter. Dum autem dicitur Verbum ſeu Filius Dei eſſe Sapientia Patris, & exemplar creaturarum, non eſt ſic intelligendum, quaſi Pater non ſit in ſe, & per ſe ſapiens, & ſapientia ingenita, quæ eſt ipſemet Pater atque exemplar, ſpecies ac ratio univerſorum, alioquin quomodo ſapientem Filium generaſſet? Nullus enim alteri confert, quod ipſe non habet. De hâc æternâ, Divinâ, & inenarrabili Verbi generatione habetur in Pſalmo, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu; ego hodie genui te* y. *Et denuò, Ex utero ante Luciferum genui te* z. *In Proverbiis* a *quoque, Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequàm terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: ante colles ego parturiebar, quando præparabat cœlos, aderam.* Itemque Eccleſiaſticus b, *Ego ex ore Altiſſimi prodivi Primogenita ante omnem creaturam. Hinc etiam ſcriptum eſt, Egreſſus eius a principio, à diebus æternitatis* c. *Eminuerò quòd Deus ineffabilis habeat Filium ineffabilem, & per conſequens ſibi æqualem, clariſſimè innoteſcit ex hoc, quod in libro Proverbiorum* d *legitur, Quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? Quod nomen eius, & quod nomen Filii eius, ſi noſti?* Quòd Spiritus S. procedat viâ voluntatis, non eſt difficile probatu, cùm Scriptura e attribuat Spiritui ſancto charitatem, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et

s Dion. Carth. art. 2. in Ioan. v. 1.
t Vide Sap. 7. 26.
u Hebr. 1. 3.
x Coloſſ. 1. 15.
y Pſ. 2. 7.
z Pſ. 109. 3.
a Prov. 8. 23. &c.
b Eccli. 24. 5.
c Mich. 5. 2.
d Prov. 30. 4.
e Rom. 5. 5.

vocatur à Patribus omnibus ſecundùm propriam notionem ſuam Amor. Sanctus Auguſtinus f autem confirmat hanc veritatem, cùm ait, *Sicut Dei Verbum Filium eſſe nullus Chriſtianus dubitat, ita Charitatem eſſe Spiritum ſanctum.* Atqui charitas refertur ad voluntatem ut ad originem unde ipſa procedit: eſt igitur pro comperto, quod Verbum æternum procedit à mente Patris ſui, qui ſe contemplans generat Filium ſuum; & Spiritus ſanctus à voluntate Patris & Filij, qui reciproco amore ſe diligentes ſpirant hanc tertiam perſonam, quæ eſt terminus amoris ipſorum. Et ſicut Pater eſt Deus, Filius eſt De⁹, & Spiritus S. eſt Deus, & ipſi tres non ſunt niſi unus Deus, & idem, cùm habeant eandem naturam, eandem eſſentiam, eandem potentiam, eandem æternitatem, & eandem æqualitatem, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus*, ait S. Athanaſius g. Pater eſt Deus; id credimus: Filius eſt Deus, & idem Deus; & ecce veritatis illius probationes: Ille qui agnoſcitur ut verus & unicus Deus Iſraël in veteri Teſtamento, eſt idem quem in novo Fœdere vocamus Ieſum Chriſtum. Iſraëliticum in deſerto incedentem *tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutuſque contra Dominum & Moyſen, ait, Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes* h. Iſte eſt verus Deus Iſraël, nemo eſt qui ipſum non fateatur: S. Paulus i ait, hunc eſſe Jeſum Chriſtum, *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt.* In Exodo k ſic *locutus eſt Dominus, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo ſervitutis.* Et S. Judas l dicit, hunc, fuiſſe Jeſum Chriſtum, *Ieſus populum de terrâ Ægypti ſalvans.* Filius eſt igitur idem cum Patre, *Ego & Pater unum ſumus* m. *Philippe qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & Pater in me eſt* n. Idem eruitur è textu Evangelij noſtri, ubi Jeſus Chriſtus ait Apoſtolis ſuis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Atqui dico quòd Sacramenta conferri non debent niſi in nomine & authoritate Dei, qui ſolus eſt ipſorum author, & principium gratiæ, quæ nos generat propter cœlum, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* o. Prætereà, Solus Deus creare poteſt abſolutè: Spiritus ſanctus creat, *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*, ait Pſalmiſta p, Deum alloquens. Solus Deus juſtificat: Spiritus ſanctus iſtud agit, *Sed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*, dicit S. Paulus, ſcribens Corinthijs q. Inſuper, Dicimus quòd Jeſus Chriſtus, prout homo, eſt ſupra omnem creaturam, *Primogenitus omnis creaturæ* r. Spiritus ſanctus eſt major quàm ſit Jeſus Chriſtus, prout *Verbum caro factum* s. Spiritus ſanctus non eſt creatura, ſed Deus. *Pater maior me eſt* t, ait Filius, prout homo. Quia Pater mittit ipſum, prout hominem, quod eſt ſignum ſuperioritatis. Idem agit Spiritus ſanctus, mittens eundem Filium, quatenus hominem, ſicut idem Filius fatetur, *Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius* u. *Unde myſticè, Sanctus Hieronymus*, ſubdit Cornelius x, & alij quos citat; *docent hic ſignificari Sanctam Trinitatem, ſcilicet Filium, qui miſſus eſt à Patre & Spiritu eius, putà à Spiritu ſancto, nimirum quà homo eſt,*

f S. Aug. lib. 9. de Trinit. c. 14.
g S. Athan. in Symbol. V. 7.
h Num. 21. 6. &c.
i 1. Cor. 10. 9.
k Exod. 20. 1. & 2.
l Iud. V. 5.
m Ioan. 10. 30.
n Ioan. 14. 9. & 11.
o Ioan. 1. 12. & 17.
p Pſ. 103. 30.
q 1. Cor. 6. 11.
r Coloſſ. 1. 15.
s Ioan. 1. 14.
t Ioan. 14. 28.
u Iſai. 48. 16.
x Cornel. in Iſai. 48. 16.

ad hominum redemptionem. Nam quà Deus eſt, & Verbum Patris, uti à ſolo Patre procedit, ita & ab eo ſolo mitti poteſt, uti docet S. Thomas & Scholaſtici. Et Anſelmus lib. de Proceſſione Spiritus ſancti ait, Si autem dicunt, quia Spiritus ſanctus mittit etiam Filium, ſicut idem ipſe dicit per Prophetam: Et nunc Dominus, &c. hoc ſecundùm hominem, quem gerebat, intelligendum eſt, quia Patris & Spiritus ſancti unâ voluntate & diſpoſitione, mundum redempturus, mundo apparuit. Rurſum, Ex hoc ſenſu myſtico probat Paſchaſius lib. de Spiritu ſancto c. 7. Spiritum ſanctum ſubſiſtere, & habere in S. Trinitate ſuam hypoſtaſim: ait enim: Alter ergo in perſonâ eſt Dominus Pater, alter Spiritus Dei Patris. Itaque dum à Patre & Spiritu ſancto deſtinari Filius legitur, ſub trinum nomine perſonarum, Spiritus ſanctus à ſemetipſo (id eſt, per ſemetipſum) ſubſiſtere, evidenter aperitur. Rurſum, Quod ait, miſit, non, miſerunt, ſignificat unitatem eſſentiæ Divinæ in SS. Trinitate. Spiritus-ſanctus igitur eſt major quàm ſit Jeſus Chriſtus, prout homo eſt; & æqualis ei in omnibus, quatenus Deus eſt. Sic Eccleſia proponit hanc veritatem credendam ut articulum fidei poſt Concilium Nycænum, *Credo in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Filioque procedit* y: *qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur.* Eſt igitur trinitas in unitate, trinitas perſonarum in unitate eſſentiæ. Quòd Pater æternus generet Verbum ſuum, hoc, eſt unitas, quæ eſt repetita; & Spiritus ſanctus procedens à Patre & Filio, eſt vinculum dilectionis ipſorum reciprocæ, & terminus fœcunditatis ipſorum: ſic videmus numerum ternarium, qui nihil eſt amplius quàm unitas extenſa, tamen indiviſibilis, quia principium, medium, & finis eſt unitas. Vnitas eſſentiæ & naturæ in Deo, quæ cùm ſit infinita, eſt etiam communicabilis multis perſonis: ipſæ tamen non ſunt plures quàm tres: quia unica ſufficit ad tenendum locum primi principij & Patris; unicus Filius, ut ſit ipſius imago ſummè perfecta; & unicus Amor infinitus ſummæ perfectionis: quod nihil deſiderandum relinquit in primâ Eſſentiâ intellectuali.

y ex Ioan. 15. 16.

Quòd ſi mentes veſtræ non habent ſatis luminis ad illuſtrandas omnes iſtas difficultates, ſed nimis infirmitatis nedum ſuſtineant ſplendorem & radios quos emittit iſte *Sol intelligentiæ* z: intuemini eum ex transverſo aliquo ſpeculo, ſicut aſpicitur ſol materialis ex transverſa aqua pellucida, quæ repræſentat illius imaginem: videte originale in tranſumpto ſuo, quod minus habens ſplendoris & lucis, minorem viſui veſtro offundet & caliginem: admiramini igitur hominem, cùm ſit imago Divinitatis, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* a. Videte in eo unitatem in trinitate, & unitatem in trinitate; contemplamini in eo animam, quæ cùm ſit una in eſſentia, eſt trina in potentijs; intellectum, qui fœcunditate ſuâ concipit verbum ſuum, quod eſt plus imago perfecta; ipſe eſt qui concipit ideas rerum ſpiritualium, licèt non intendat aliquando eas in lucem edere; ipſe reflectit ſe ſuper cogitationes ſuas, ipſe ſibi ſpectaculum facit è productionibus ſuis, fruitur in ſe theſauro, quò nemo mortalium ſuos ferre poteſt oculos, aut manus ſuas. Nunquid non iſtud eſt ſpecioſa imago Patris æterni, qui generat Filium Verbum Divinum ipſo puncto indiviſibili ſuæ beatæ æternitatis, in quo ipſe ſibi complacet infinitè per reflexionem quam facit ſuper adorabiles ſuas perfectiones, præ hâc differentiâ quòd productiones internæ & immanentes mentis humanæ non ſunt niſi accidentia, quæ deleri poſſunt ex anima quæ eſt ipſorum principium, necnon deſtruatur ipſius ſubſtantia, quod eſt omnino contrarium intellectui Divino, qui actione ſuâ internâ & immanente producit ſubſtantiam, quæ non minus habet perfectionum quàm principium ſuum, & eſſet ipſe potiùs ſine productione, ſi per impoſſibile haberet aliquam, quæ ſupponeret in ipſo aliquem defectum, & aliquam imperfectionem, & quæ non haberet convenientiam cum excellentijs ipſius eſſentialibus? Et ſicut intellectus humanus eſt imago Patris, memoria repræſentat Filium: *Intelligentia eſt expreſſa ſimilitudo memoriæ, ſicut Filius eſt expreſſa ſimilitudo Patris*, ait S. Thomas b: ſic Dei Filius eſt theſaurus Divinarum idearum Patris, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* c. Voluntas humana, quæ habet pro objecto bonum, & è quâ procedit amor, ut effectus à cauſa ſua, demonſtrat nobis Spiritum ſanctum, ad quem amor pertinet, non ſolùm eſſentialiter, ut ad Patrem & Filium, ſed etiam perſonaliter, prout ipſi proprius. Verum quidem eſt, quòd voluntas noſtra, cùm ſit impotens, ad majus poteſt formare deſideria, nedum poſſit ipſa ſortiri aliquid ſubſiſtens, *Propter noſtrum velle nihil ponitur in re*, ait axioma Philoſophicum. Ipſa eſt inops, & nihil habet amplius quàm id quod ipſa ſumit extra ſe: ſed Deus qui eſt *dives* d in ſemetipſo, nedum aliquid deſumat extra ſe, ſe cognoſcit, & cognoſcendo ſe producit Filium ſuum; diligit ſe, & ipſe & Filius ſuus reciprocè ſe diligendo, ſpirant Spiritum ſanctum; qui eſt terminus amoris ipſorum, qui procedit ab ipſorum voluntate, quæ in Deo fœcunda eſt, cùm ſit principium Spiritus ſancti. Videmus igitur in nobis unitatem quæ repræſentat unitatem Divinæ Eſſentiæ; & trinitatem potentiarum, quæ oſtendit Trinitatem Divinarum Perſonarum: proptereà *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* e. Hanc autem imaginem ritè deferimus, ſi inſumimus unitatem animæ noſtræ, & trinitatem potentiarum ejus ad cognoſcendum eum, ad recordandum illius, & ad diligendum ipſum: in hoc enim conſiſtit imago Dei, ſi mens noſtra concipit verbum ſuum; & ſi hoc verbum ſanctitate ſuâ eſt totum Divinum, tunc erit convenientia tranſumpti cum ſuo originali; ſi memoria noſtra cuſtodit ideas & ſpecies magnitudinum & beneficiorum Dei, ipſa repræſentabit Filium; & ſi flammæ ſancti amoris conſumunt id omne quod eſt mortale in voluntatibus noſtris, ſi nos purificent ab actibus alienis à felicitate noſtrâ, ſi elevant nos à terrâ, ut uniant nos principio noſtro, ſi omnes iſtius potentiæ conatus & ardores non tendunt niſi ad diligendum Deum, erimus Dij f: vel ſaltem magnas habebimus convenientias cum Divinitate, & ſicut imagines repræſentabimus perfectiones adorabiles Prototypi noſtri.

z Sap. 5. 6.

a Gen. 9. 6

b S. Thô. in Gen. 1. 26

c Coloſſ. 2. 3

d 2. Cor. 8. 9.

e Gen. 1. 27.

f Pſ. 81. 6.

Sed heu! id dico lacrymis perfuſus, nihil habemus amplius in nobis, quod nos faciat agnoſci tales quales Deus nos fecit. Etiam, Auditores: nos *creavit Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Et nos non deferimus ampliùs illius charactêres, *Denigrata eſt ſuper carbones facies* g noſtra, id eſt, hæc imago peccatis noſtris. *Veruntamen in imagine pertranſit homo* h. Non fruimur ampliùs hâc prærogativa, nec iſto honore; non deferimus ampliùs inſignia Domini noſtri; gratia amiſſa, hæc imago non ſubſiſtit ampliùs, & Deus nobis dicere poſſet præ veritate, *Nunquam novi vos* i. Quaſi diceret, ſe non feciſſe nos tales, quales ipſi reddidimus nos. Ha! favor hic, qui primus eſt omnium, inducere nos deberet ad reddendas ei gratias immortales; hæc

g Thren. 4. 8.

h Pſ. 38. 7.

i Matth. 7. 23.

Præro-

prærogativa retinere nos deberet, iſta cogitatio refrænare nos deberet, ne offenderemus Creatorem noſtrorum, qui nos honoravit ſimilitudine ſua: nos autem, ô ſacrilegium quod abit in exceſſum! inquinamus eam deformitate criminum noſtrorum, *Homo cùm in honore eſſet non intellexit* k. Neſcivimus agnoſcere gloriæ noſtræ motivum, amiſimus diviſſimum naturæ noſtræ ornamentum, favores ipſius nos rediderunt inſolentes, & ijs non utimur niſi ad meliùs eum offendendum, & ad vacandum diſſolutioni & effræni libertati.

k Pſ. 48. 13. & 21.

Dicebat Job l, quòd homini tantùm ſufficeret, ut videret hanc imaginem Dei ſui impreſſam ſibi, ad hoc ut impeccabilis redderetur, *Viſitans ſpeciē tuam, non peccabis.* Ecce peccatores, qui videntur eum inſimulare mendacij, cùm non ignorantes honorem quem poſſident, ferantur in peccata præ exceſſu: impudenter enim denigrant hanc, quam deferunt, Divinitatis imaginem, nec ullum relinquunt ei veſtigium ad hoc ut cognoſci poſſit, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis* m. Non eſt ampliùs in ipſis imago Divinitatis, mutaverunt eam in imaginem Veneris, ſeu impuritatis ſordidæ, *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt* n. Quale crimen eſt iſtud? Auditores. Quale ſupplicium poſſet iſtud facinus expiare! Si aliquis projiceret lutum contra imaginē Regis, ſi eam tolleret è loco ſuo, ut ibi poneret imaginem hoſtis ipſius, quid judicarens de hac inſolentia? nunquid non conſcius eſſet criminis læſæ Majeſtatis humanæ? Ha! Auditores, cito vos ad tribunal conſcientiæ veſtræ: nunquid non eſtis conſcij criminis ejuſdem, imò verò multò majoris? Etiam, peccator: tu deformas in te Dei imaginem peccato tuo, eam denigras, illam laceras, ut ſubſtituas ei imaginem diaboli, qui eſt hoſtis illius. Quale crimen? Neſcio quodnam ſit iſto majus. Ideò Deus iraſcitur, & illud ulciſcetur, nedum patiatur ut unquam ſibi ſimilis irrogetur injuria, *In civitate tuâ imaginem ipſorum ad nihilum rediges* ait ei Pſalmiſta o, loquens de peccatoribus, qui nunquam fruentur in cœlo præſentia ipſius, eò quod inhonoraverint imaginem ipſius. Vnde dicit Lorinus p, *Multi alludunt ad imaginem Dei contemptam per peccatum. Nonne digni ſunt, ait Auguſtinus, hæc pati, ut Deus in civitate ſuâ imaginem illorum ad nihilum redigat, quia & ipſi in civitate ſua terrenâ imaginem Dei ad nihilum redegerunt? Imago naturalis manet ſemper, obſcuratur peccatis aliquo modo: ea, quæ conſiſtit in configuratione & conformitate gratiæ, & ad Chriſtum tanquam ad exemplar & prototypum, penitus obliterari poteſt; Iuſtus autem, & quicumque piè honeſtèque ſe geſſerit, intrat in civitatem Dei, & infert imaginem ſuam, ut in illâ Dei fulgeat civitate, ut loquitur Ambroſius. Inde, inquit Hieronymus, diſcedere iubentur operarij iniquitatis* q.

l Job 5. 24.
m Thren. 4. 8.
n Oſee 9. 10.
o Pſ. 72. 20.
p Lorin. in Pſ. 72. 20.
q 22 Luc. 13. 27.

Eu quàm diſſimilem Trinitatem, ô anima mea trinitas exulans offendiſti r! exclamat S. Bernardus in perſona impiorum. Infregimus miſerabiliter diviſionibus & odijs noſtris hanc unitatem animæ noſtræ, quæ debat nos inducere ad cuſtodiendam unitatem cordis cum Deo, & affectus cum proximo: unitatem, quam S. Paulus s ſic nobis commendat, *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Unitatem, quam ſic inſtanter petivit Dei Filius à Patre ſuo in gratiam noſtri, *Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* t. Non eſt in nobis ampliùs unitas, qualis erat in primis Chriſtianis, de quibus dicitur, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una* u. Eſt in nobis trinitas, ſed infortunata trinitas. Intellectus noſter non habet ampliùs lumina, nec fœcunditatem, niſi ad concipiendas innumeras aſtutias, quibus invadamus bonum alienum, & offendamus Deum, & proximum noſtrum. Memoria noſtra non eſt niſi ſeclusorium mille ſordidarum imaginationum: ipſa fertilis eſt ad repræſentanda nobis innumera infœlicitatis motiva. Voluntas noſtra prorſus eſt corrupta, fertur ipſa ad bonum appetens in diſpendium boni veri & realis, quod ipſa contemnit: currit ipſa poſt creaturas, affectu recedendo à Creatore ſuo, ipſa non diligit quid ampliùs niſi terram, & omnes flammæ ipſius ſunt impuræ; ipſa ardet igne, qui ipſam conſumit, nedum ipſam purificet, *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina* x. Heu, quàm infœlices ſumus! cùm inſumamus unitatem animæ noſtræ ad inſurgendum in unitatem eſſentiæ Dei; & potentiarum illius trinitatem ad offendendam trinitatem perſonarum iſtius. Intellectu offendimus Deum Patrem, memoriâ Deum Filium, & voluntate Deum Spiritum ſanctum. *O beata & beatificans Trinitas, ad te mea miſera trinitas miſerabiliter ſuſpirat: quoniam à te infeliciter exulat* y. Refice potentiâ tuâ id quod feciſti, curam habe operis tui, *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me* z. Repone in eo primam perfectionem ſuam, è quâ excidit. Sapientia Patris, noli negligere id quod redemiſti *pretio magno* *. Accipe ſpongiam, immerge eam ſanguini tuo, ut deleas ex animâ mea id omne, quod peccatum impreſſit ei: ſume pencillum amoris tui, ut reponas in ea omnia lineamenta priſtinæ ſpeciei ſuæ. Spiritus ſancte, ſanctifica hoc templum, quod tibi fuerat conſecratum: non enim hoc *templum Dei ſanctum eſt* † ampliùs, ſed pollutum; reſtitue ei primam ſanctitatem ſuam, ut aliqua ſit conformitas imaginis ad prototypon ſuum. Trinitas adorabilis perſonarum Divinarum, te nolumus ampliùs offendere, da fortitudinem infirmitatibus noſtris: Ha! releva gratiis tuis miſeram trinitatem potentiarum noſtrarum, ut intellectus noſter non cogitet niſi te, memoria noſtra non recordetur niſi tuî, & voluntas noſtra non diligat niſi te, ut tibi ſimus ſimiles hîc per gratiam, & tandem per gloriam.

r S. Bern. Serm. 11. in Cant.
s Epheſ. 4. 3.
t Ioan. 17. 22.
u Act. 4. 32.
x Iob 31. 12.
y S. Bern. ſerm. 11. in Cant.
z Iob. 10. 8.
* 1. Cor. 6. 20.
† 1. Cor. 3. 17.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Luc. 10. 38. &c.

Si omnia bona deſurſum deſcendunt, ut ait S. Jacobus a, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminū*: quantò potiori ratione cumulus omnium bonorum, qui non eſt aliud niſi Deus ipſemet, qui eſt ſummum Bonum in Sacramento adorabili Euchariſtiæ. Hæc eſt myſtica Bethlem, domus panis Divini, ubi Deus naturæ ſe manifeſtat: hoc Sacramentū eſt caſtellū charitatis, ubi amor ſua ſuavia detegit ubera, *Intravit Ieſus in quoddam caſtellum.* Hîc ipſe totus eſt amo-

a Iacob. 1. 17.

te liquefactus pro nobis, cùm tota noſtra fœlicitas non conſiſtat niſi in uniendis nobis ſanctè & frequenter ſummo Bono quod eſt Deus, qui ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* b. In hoc ſolo ſita eſt tota ſatisfactio noſtra, & tota noſtra beatitudo. Re autem verâ ubinam poſſidere poſſumus omnia bona, quàm in poſſeſſione Dei noſtri in Sacramento amoris ipſius? Deus ſolus facit nos perfectè beatos, cùm veniens ad nos, dignatur nos transformare in ſe, quorum bonum eſt poſſidere Jeſum Chriſtum in Sacramento dilectionis ipſius: ipſe nos facit perfectè beatos, cùm ipſum poſſidemus in Sacramento poſſeſſionum ipſius, in quo poſſidet ipſe omnes charas animas ſuas, quæ hâc fœlicitate fruuntur, ut acceſſū habeāt ad hoc amœnū caſtellum, quod ædificatū fuit *in utero* Virginis Mariæ è propriâ ſubſtantiâ ejuſdē ſanctiſſimæ Deiparæ, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave Maria.*

b Ioan. 6. 56.

c Luc. 1. 28.

Refertur de Alexandro Magno, quòd cùm multos congregaſſet eximios architectos ad ædificandam aliam ſpecioſam & famoſam civitatem, quam nomine ſuo vocari voluit, Alexandriam, & hi vellent eam delineare, & non invenientes in loco cœmentum, vel gypſum, aut terram candidam, aut aliquid aliud exequendo conſilio ſuo idoneum, acceperunt ſannam, & ejus interventu delineaverunt circumferentiam, magnitudinem, & prototypon integrum illius magnificæ civitatis: aves confeſtim advolantes ſuper hoc jucundum alimentum, moverunt hæc omnia veſtigia, quibus civitatis ædificandæ ichnographiam in ſolo exaraverant architecti: quod intuitus Alexander Magnus, recucurrit ad Hariolos, qui reſponderunt, quòd hæc eſſent fœliciſſima præſagia in favorem civitatis, nimirum quòd ipſa futura eſſet altrix infinitorum populorum, & quòd omnes nationes exteræ ditandæ eſſent abundantiâ bonorum illius. En expreſſa figura adorabilis Sacramenti Euchariſtiæ. Dei Filius nobis ædificare volens palatium gratiæ & charitatis, non invenit aliquid aptius magnifico conſilio, quod de illis formaverat, quàm pinguedinem tritici, quàm panem, quo typum deſcripſit hujus adorabilis palatii, *Cibavit eos ex adipe frumenti*, dicit Pſalmiſta d. Et Dionyſius Carthuſianus e, *Cibavit Chriſtus illos, ſcilicet Chriſtianos, ex adipe frumenti, id eſt, Sacramento corporis ſui ſub formâ panis triticei.* Et, *Panem Angelorum manducavit homo: cibaria miſit eis in abundantiâ*, ait idem Pſalmiſta f. Id eſt, Panem Euchariſticum, cùm panis ab Hebræis vocetur nomine quod ſignificat firmamentum. Sed quale firmamentum? Sanè firmamentum univerſorum bonorum, quod omnes aves, id eſt, omnes ſpiritus humani, & Angelici requirunt: augurium fortunatum, quòd omnes nationes, & univerſi populi hoc firmamento panis abundanter reficientur. Unde dicit idem Carthuſianus g, *Panem Angelorum, hoc eſt, Chriſtum ſub formis Sacramenti altaris, manducavit homo, quilibet Chriſtianus electus, Sacramentaliter, vel ſpiritualiter, ſeu modo utroque. Chriſtus namque qui eſt omnium Beatorum refectio in cœlis, ipſe quoque eſt cibus noſter in terris, prout ipſe teſtatur, Qui manducat me, & ipſe vivet propter me* h. *Eſtque neceſſarium omni credenti, hunc panem aliquo prædictorum modorum comedere, ſicut ipſe affirmat, Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* k. *Cibaria miſit, Deus Pater eis, ſcilicet Chriſtianis, in abundantiâ, quoniam omnes Chriſtiani, qui volunt, hoc pane cœleſti refici poſſunt, nec tamē eum conſumere aut comminuere queunt.*

d Pſ. 80. 17.

e Dion. Carth. in explanat. tropol. in hunc locum.

f Pſ. 77. 25.

g Dion. Carth. in Expoſit. Myſtic. in hunc locum.

h Ioan. 6. 57.

k Ioan. 6. 53.

S. Dionyſius l ait, quòd proprium eſt bonitati ſe communicare: *Bonum eſt diffuſivum ſui.* Deus, *cujus natura bonitas*, ait S. Bernardus m, vehementer ſe communicat, præſertim in Sacramento Euchariſtiæ. *Intravit Ieſus in quoddam caſtellum.* Sed dicamus melius, quòd iſtud caſtellum, eſt ille qui communicat, qui ſuſcipit Ieſum Chriſtum in caſtellum animæ ſuæ: Jeſus Chriſtus in ipſum ingreditur, in eo manet, & in illo eſt modo nobiliſſimo omnium, quibus in eo eſſe poteſt: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me* n. Dei Filius in eo eſt eodem modo quo eſt in Patre ſuo, & reperimus in Euchariſtiâ eandem communicationem, quam invenimus in Divinitate. Dei Filius eſt in Patre ſuo tribus modis, ſcilicet, per poſſeſſionem, per identitatem, & per relationem ſeu imaginem: & his tribus modis qui conſtituere debent tres partes diſcurſus iſtius, eſt in Euchariſtiâ in favorem noſtrum.

l S. Dion. lib. de Div. Nō. c. 4.

m S. Bern. ſerm. 1. in Circumciſ. Dom.

n Ioan. 6. 56. & 57.

Diviſio.

Dei Filius in æternitate eſt in Patre ſuo per poſſeſſionem, *Ego in Patre, & Pater in me eſt* o. Pater æternus generat eum verbo ſuo, ſicut ipſemet Filius ait, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* p. Pater loquendo producit ipſum in ſinu ſuo, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* †. Et ibi Pater dat illi vitam. Philoſophi dicunt, quòd vita nihil eſt aliud niſi eſſe quod ſubſiſtit, quod agit, & quod operatur, ut perveniat ad perfectum incrementum. Id quod non eſt, incapax eſt vitæ, & niſi ſubſiſtat per conſervationem, non poteſt mereri nomen viventis, quia origo vitæ ipſius eſt primum momentum mortis ipſius: ſed ſicut *operari ſequitur eſſe*, quemadmodum dicunt Philoſophi, debet etiam dare productiones vitæ, ad quam perfectè poſſidendam oportet ut creſcat uſque ad terminum, quem Deus ipſius naturæ præſcripſit. Iſtud eſt quod Verbum Divinum ſuſcipit à Patre ſuo: & hoc eſt etiam quod recipimus ab eo in SS. Sacramēto Euchariſtiæ. Propterea ait in Evangelio q hodierno, *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Pater æternus Filio ſuo vitam dat ipſo puncto indiviſibili ſuæ fœlicis æternitatis, cùm cognoſcens ſeipſum fœcunditate Divini intellectus ſui producit eum, & communicat ei naturam ſuam, ſubſtantiam ſuam, non more parentum noſtrorum, ſed modo admirabili, quia cùm eſſe ipſius ſit ſimplex & indiviſibile, non poteſt dividi: ſic conſilium ipſius eſt in eo ſitum, ut det ei eſſe perfectum, & communicet illi vitam ſine defectu. *At ubi venit plenitudo temporis* r, dat illi eſſe in ventre B. Virginis per Spiritum ſanctum ſuum: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* s. Nam potentia hominis repleta infirmitatibus, non potuiſſet agere parem productionem: ſic Angelus qui vult annunciare Mariæ incarnationem ejus, certam reddit eam, quòd Deus eſſet operaturus iſtud mirabile, & quòd ipſa foret obūbranda virtute Excelſi, *Angelus dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* t. Potentiæ agunt conformiter ad naturam ſuam: requiritur ergo Divina Virtus ad producendum hominem Deum.

I. Pars.

o Ioan. 14. 11.

p Pſ. 2. 7.

† Ioan. 1. 18.

q Ioan. 6. 57.

r Galat. 4. 4.

s Matth. 1. 20.

t Luc. 1. 35.

Sed quia parum eſt, Auditores, dare vitam, niſi is qui eam præbet, illam conſervet; parum eſt plantam terræ mandare, niſi is qui eam fixit, illam aliquandiu irriget, ut eximat eam ab ardoribus immodicis Solis: ſic ego non exiſtimarem quòd Pater æternus vitam daret Filio ſuo, qui eſt in ipſo per poſſeſſionem, & poſtquàm dedit ei eſſe

hoc

hoc bonum ipſe non conſervaret ei per continuam generationem. Parentes noſtri conſervant nobis quidem vitam, quam nobis dederunt: & ſicut conſervatio, quam ab illis expectamus, eſt exterior, illam procurare poſſumus ex nobiſipſis interventu herbarum, & aliorum fructuum terræ: ſed non ita ſe res habet de hoc Patre Divino in æternitate erga Filium ſuum: hæc conſervatio eſt interior, & neceſſariò continuata, ita ut iugiter dicere poſſit ei hæc verba, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* u. Hoc intelligitur de notitiâ non intermiſſa quam Pater æternus habet infinitarũ ſuarũ perfectionũ. Hæc cõſervatio verificatur etiam circa humanitatẽ ſanctã Verbi Dei. Quid eſt enim conſervare, niſi rem ſtabilem reddere, & occurrere eventibus iniurioſis qui poſſent eam deſtruere, & illam ad nihilum redigere? Ipſe nutrivit ipſum in deſerto, & non permiſit ut fame periret in mundo x. Et ſi verum eſt quòd *operari ſequitur eſſe*, ſicut docent Philoſophi; quòd vita & actio ſunt inſeparabiles; & inſuper quòd opera quæ facimus, non attribuuntur naturæ, ſed ſuppoſito; habemus anſam concludendi, quòd Pater æternus qui dat eſſe perſonale Filio ſuo, communicat ei operationes ſuas: dico quòd iſtud Verbum Deus agit virtute quã ſuſcipit à Patre ſuo in æternitate: propterea ſermonem ſuum ad Judæos dirigens, eis dixit, *Mea doctrina, non eſt mea, ſed eius qui miſit me* y. *Chriſtus enim non ſolùm ſecundùm naturam aſſumptam*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus z, *ſed inſuper ſecundùm naturam Divinam accepit à Patre quidquid habet, putà, eſſentiam, atque ſcientiam. Pro quo ſciendum, quòd ſicut Chriſtus dicitur Verbum* a *& Sermo Patris, quo omnia loquitur, ſic dici poteſt Doctrina Patris, quia per ipſum inſtruit omnes. Itaque ait, Mea Doctrina, hoc eſt, ſapientia qua ego ſum, non eſt mea, hoc eſt, à meipſo, ſed eius qui miſit me, ſcilicet Patris, tanquam primi æternique Fontis atque Doctoris.* Tandem, dico quòd cùm *Verbum caro factum* b, ſit poſſeſſio Patris ſui, recipit omne incrementum ſuæ perfectionis à Patre ſuo, non per ſucceſſionem annorum, ſicut nos qui creſcimus cum ætate, ſed ab æternitate in cœlo, & in terrâ à primo momento ſuæ incarnationis: ſic perfectiones Dei ſunt ſemper completæ; & loqui aliter, hoc eſſet eum reddere participem defectuum noſtrorum, & miſeriarum noſtrarum. Si Evangelium c dicit, quòd *Ieſus proficiebat ſapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines*: hoc intelligitur de opinione populi, qui nunquam cognoſcit res niſi ſecundùm operationes externas. Ecce quomodo Filius Dei eſt in Patre ſuo per poſſeſſionem, quomodo vitam ſuſcipit à Patre ſuo, nimirum, eſſe quod ſubſiſtit in æternum per generationem continuam, & in tempore per conſervationem; eſſe quod operatur virtute ipſius, & quod habet ab ipſo perfectionem completam. Quàm perfecta eſt iſta vita, cùm ſuſcipiat ipſe eam à Patre ſuo! Quàm excellens eſt, cùm originem ſuam trahat à principio ſic perfecto! Vita ſacra, quæ eſt ſine defectu, quæ operatur virtute Dei, & quæ eſt in perfecto incremento!

u Pſ. 2. 7.
x Matth. 4. 11.
y Ioan. 7. 16.
z Dion. Carth. art. 19. in Ioã. 7. 16.
a ex Ioan. 1. 1. &c.
b Ioan. 1. 14.
c Luc. 2. 52.

Quàm fælices igitur ſumus, Auditores, cùm hæc vita, quam Filius Dei, qui eſt in Patre ſuo per poſſeſſionem, educit ab eo, ſit prototypon vitæ quam ſuſcipimus ab eo, & quam recipit ipſemet à nobis, iuxta hæc verba Evangelij d hodierni, *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Dico, quam recipit à nobis: nam ſi Pater æternus verbo ſuo producit ipſum in ſinu ſuo, Sacerdos facit hoc idem in Euchariſtiâ. Sacerdos eſt Pater Jeſu Chriſti, generat ipſum verbo ſuo ſuper altaribus noſtris, dicendo, *Hoc eſt Corpus meum* e. Mater ipſius eſt, cùm ipſum deferat in ſinu ſuo: & ibi Jeſus Chriſtus eſt modo nobiliſſimo omnium. Meliùs quàm in cruce: nam in cruce patiens eſt: meliùs quàm in ſepulchro: ibi enim mortuus eſt, hîc verò apparet quidem veluti mortuus, ſed verè vivens eſt: meliùs quàm in Spiritu ſancto, ad accipiendum, cùm Spiritus ſanctus formaverit ipſius humanitatem ſacram in viſceribus B. Virginis, *Mater eius Maria inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* f. Sed hîc ad dandum, ſi placet vobis, Auditores, *meminiſſe verbi Domini Ieſu* (*quoniam ipſe dixit*) *Beatius eſt magis dare, quàm accipere* g. Meliùs quàm in B. Virgine, in quâ eſt mortalis, & paſſibilis, hîc verò glorioſus, immortalis, & impaſſibilis.

d Ioan. 6. 57.
e Matth. 26. 26.
f Matth. 1. 18.
g Act. 20. 35.

Vel, ſi velitis, alijs terminis æquivalentibus, Pater ſe communicat Filio ſuo tribus modis, nimirum, per proceſſionem, per naturam, & per imaginem. Per proceſſionem, Filius procedit à Patre, *Exivi à Patre* h. Manet in eo, *Ego in Patre* i. Pater ei ſe totum communicat, *Tua, mea ſunt* k, ait Filius, illum alloquens. Et iſte Filius communicat ſe totum communicanti; id eſt, illi qui ſuſcipit corpus ipſius ſacrum. Martha ipſum recipit, *Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.* Et *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* l. Dixi, quòd eſt meliùs in communicantibus quàm in cœlo: nam ſi in cœlo eſt in Sanctis per gloriam, non eſt in eis niſi mediante *lumine* m gloriæ, quod eſt accidens: ſed hîc in Euchariſtiâ communicantes fruuntur ipſo realiter & ſubſtantialiter. Ipſe non eſt in cœlis in aſcenſione ſuâ, *Aſcendit ſuper omnes cœlos* n. Meliùs quàm in B. Virgine, ubi eſt minimus omnium hominum virtute fœcundâ Spiritus ſancti; hîc cùm totâ gloriâ ſuâ, cum totâ quantitate ſuâ, licèt non extensâ: in B. Virgine abſconditus, hîc verò ab Angelis adoratus: meliùs quàm in monte Calvariâ, ubi vilipenditur, *Prætereuntes blaſphemabant eum moventes capita ſua, & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce* o. Hîc verò glorioſus eſt. Meliùs quàm in ſepulchro, ubi mortuus eſt, licèt Scriptura p dicat, *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Verum quidem eſt quòd eius reſurrectio eſt veluti nova nativitas, ſed amor ipſius non apparet: oportet enim diligere uſque ad mortem, ſed poſt mortem non videtur quis ampliùs diligere, ſed vivere oportet: hîc Jeſus Chriſtus mortuus eſt myſticè, & realiter vivit, hoc eſt totum quod deſiderari poteſt. Glorioſiùs & meliùs quàm in Spiritu ſancto, qui ipſi dat eſſe in viſceribus B. Virginis; hîc autem ipſe recipit eſſe ab ore Sacerdotum. Super cruce ipſe eſt *Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech* q, & ibi, more Regis iſtius, *ſine Patre, ſine Matre* r. Id eſt, derelictus ab illo, ſicut ipſemet queri videtur, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* ſ? æquè ac à diſcipulis ſuis, qui *omnes relicto eo fugerunt* t. Et nullum ſuſcipere valens ſolamen ab hac, licèt ſtaret *iuxta crucem* u ipſius. Ipſe eſt Sacerdos & victima ſimul, *Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* x. Non aſſiſtunt ei veluti prout Diaconus & Subdiaconus, niſi *crucifixi cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris*

h Ioan. 16. 28.
i Ioan. 14. 10.
k Ioan. 17. 10.
l Ioan. 6. 55. & 56.
m Pſ. 35. 10.
n Ephes. 4. 10.
o Matth. 27. 39. & 40. ex Ioan. 2. 19.
p Iſai. 11. 10.
q Pſ. 109. 4. ex Gen. 14. 18.
r Hebr. 7. 3.
ſ Matth. 27. 46. ex Pſ. 21. 2.
t Matth. 26. 56.
u Ioan. 19. 25.
x Ephes. 5. 2.

ſtris y. Non habet pro altari niſi patibulum crucis, pro theatro & pro amphitheatro niſi montem Calvariam: in Euchariſtiâ ipſe eſt ſummus Sacerdos: nam ſacerdos loquitur ore illius: & ipſe eſt etjam hoſtia quæ ſacrificatur.

y Matth. 27.18.

Et in hâc qualitate conſiderari poteſt in tribus ſtatibus in hoc Sacramento, inſtituens, conſecrans, & celebrans. Primò, Ipſe facit hoc ſacrificium, ipſemet illud offert Patri æterno. Secundò, Ipſe eſt conſecrans, oblatus & immolatus. Tandem, Ipſe eſt ſummus Sacerdos conſecrans & ſacrificans & ſemetipſum, conſecratus ipſemetà Sacerdotibus. Ut victima, ſeipſum offert in ſacrificium in hoc Sacramento, in quo ſuſcipimus Gratiam ſubſtantialem; Fontem, Solem, & Authorem totius gratiæ, ipſummet ſcilicet Jeſum Chriſtum, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* z. Gratiæ accidentales, ſunt rivi manantes è participatione iſtius primæ gratiæ. Jeſus Chriſtus eſt hic in Euchariſtiâ ut victima Patri æterno oblata ad mitigandam iram eius. Jeſus Chriſtus ab ipſo ſuæ incarnationis momento unctus eſt à divinitatæ velut oleo ſeu chriſmate ſacro, unde procedit nomen Chriſti, Chriſtus à chriſmare, & conſecratus eſt ſummus Sacerdos, *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitia præ conſortibus tuis*, ait illi David a. Et plenitudine gratiarum repletus abundantiùs quàm illi qui participant hanc dignitatem unctionis ſacræ, ſive Sacerdotes, Reges, aut alij, quicumque ſint illi, qui per communicationem gratiæ & per adoptionem conſtituti ſunt ab ipſo *filij Dei, & heredes, cohæredes autem* b gloriæ ipſius, cùm ipſemet fuerit *conſtitutus Rex* c per hanc unctionem ſpiritualem, cœli & terræ, & omnium creaturarum, in humanitate ſuâ ſanctâ unitâ perſonaliter Verbo Divino. Eſt igitur ipſe conſecratus Sacerdos præ omnibus alijs ſacerdotibus miniſtris ſuis: & id, quod ipſe habet iure unionis hypoſtaticæ, convenit ſacerdotibus per conſecrationem d. Ipſe eſt Sacerdos æternus, & ipſius ſacerdotium manebit in æternum; quia cùm ſemel fecerit hoc Sacramentum, illud ipſe quotidie reiterat manibus ſacerdotum: Sacerdotes in hoc Sacramento agunt ut miniſtri in nomine ipſius, ut organa ipſius in perſona ipſius inſtar alterius Jeſu Chriſti loquendo ipſum repræſentantes: proferentes enim ſacra verba, ſemetipſos ſpoliant propriâ perſonâ, & induunt perſonam Chriſti.

z Ioan. 1.17
a Pſ. 44 8.
b Rom. 8. 16 & 17.
c Pſ. 2,6.
d Ioan. 20. 22.& 23.

Quid glorioſius nobis, Domini mei ſacerdotes? Caveamus ne aliquid indignum qualitate noſtra faciamus, transformemus nos omnes in eum, cùm ſuper Jeſum Chriſtum habeamus poteſtatem reddendi ipſius præſentis ubique quatuor verbis iſtis, *Hoc eſt corpus meum* e, quoteſcumque nobis placuerit, licèt verum ſit quòd Pater æternus & B. Virgo hunc dilectum Filium ſuum nonniſi ſemel producant, *Semel locutus eſt Deus* f. *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* g. Ab æternitate *Deus abſconditus*. *Deus Iſraël Salvator* h. Cùm ipſius generatio & Divina proceſſio non fuerit nota niſi paucis Prophetis, *Generationem eius quis enarrabit* i? Abſconditus in humanitate ſua *in utero* k Virginis ſanctiſſimæ: & abſconditus in Euchariſtia, ubi velavit humanitatem ſuam ſpeciebus ſacris: *Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus* l. Super quod ad propoſitum noſtrum dicit Dionyſius Carthuſianus †, *Hoc ait Salvator, ne putaretur parabolicè loqui more conſueto. ita quòd carnem ſuam diceret panem, quia ſignaretur per panem, & eſſet ſub forma panis ſolùm ſicut in ſigno. Vel propter aliquam proprietatem cum pane cibus diceretur, quomodo dicit Apoſtolus *: Petra erat Chriſtus. Quoniam figuravit Chriſtum: Et Iſaias †, Verè fœnum eſt populus, propter convenientiam quandam. Et infrà ait de ſeipſo Salvator, Ego ſum Vitis vera *. Ad inſinuandum ergo quòd caro ſua ſit verè & ſubſtantialiter ſub ſpecie panis, veraciterque ſumatur à communicante: ſanguis quoque ipſius verè ſub ſpecie panis contineatur & recipiatur, adiecit, caro mea, id eſt, corpus. Sumitur enim caro non prout oſſa excludit, ſed pro toto corpore, nervos, venas, ac oſſa habente. verè eſt cibus animæ, non corporis, quia non viſibiliter, nec corporaliter ſumilitur, quamvis verum corpus ſumatur. Et potiùs dicit caro quàm corpus. quia nunc loquitur de corpore ſuo; in quantum eſt alimonia ſpiritus, caro autem magis dicit quid comeſtibile, quàm corpus. Et ſanguis meus verè eſt potus refrigerans, rigans, inebrians mentem, non ventrem.* Hoc idem corpus realiter conceptum virtute Spiritus ſancti, ſanctificatum Divinitate, & ſanctificans corpora noſtra & animas noſtras, Deificatum & conſubſiſtens Divinitati in eadem hypoſtaſi, Verbi, quod tactu ſuo ſanctificabat animas, æquè ac corpora ſanabat m, quod ſuffixum eſt cruci; iſte ſanguis qui effuſus eſt in ea, & anima ipſius beata nobis datur in hoc Sacramento, imò verò tota SS. Trinitas per concomitantiam, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* n, Id eſt, apud communicantem. *Hoc eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus † *mentem eius gratioſè & piè inhabitabimus. Si enim teſte Apoſtolo *, corpora noſtra ſunt templum Dei, quantò magis anima? Et ſi debemus Deum glorificare & portare in corpore noſtro †, quantò magis in animâ per iugem memoriam, verum amorem, contemplationemque ſinceram? Præterea, Vbique & in omnibus eſt Deus, ſed illos inhabitat, in quibus eſt per dona gratiæ gratum facientis, & tandiu inhabitat, quandiu perſeverant in gratia. Qui autem tempore tentationis ſuccumbunt *, non ſtabiliter inhabitantur à Dei. Hinc in Apocalypſi Ioannes † ait, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit in eis.*

e Matth. 26.26.
f Pſ. 61.12
g Luc. 1. 38
h Iſai. 45. 15.
i Iſai. 53. 8
k Luc. 2. 31 ex Iſai. 7.14.
l Ioan. 6.56.
† S. Dion. Carth art. 11. in Ioã. 6.56.
* 1. Cor. 10.4.
† Iſai. 40.7.
* Ioan. 15.1.
m Matt 6.56.
n Ioan. 14.23.
† Dion. Carth art. 20. in Ioan. 14. 23.
* ex 1. Cor. 6. 19.
† ex 1. Cor. 6. 20
* ex Luc. 8. 13.
* Apoc. 21, 3.
II. Pars.

Dei Filius igitur eſt in Patre ſuo per poſſeſſionem, vel per proceſſionem: ſed in eo eſt etiam per identitatem, vel per naturam; & hoc modo reperitur ipſe in Euchariſtia, in qua homo fit eadem res cum ipſo, ſicut ipſe habet eandem naturam cum Patre ſuo. Deus qui tantùm eſt magnificus quantùm liberalis eſt, tria fecit diverſa convivia, unum in mundo archetypo in æternitate, aliud in mundo Angelico, & aliud in mundo elementari. Ipſe fecit primum eſſentiæ ſuæ in æternitate. Secundum ſpiritibus beatis qui ſunt in fruitione invariabili gloriæ. Tertium hominibus viatoribus in terra, & qui ſuſpirant ad patriam ſuam. Convivium ineffabile eſt illud, quod fit in mundo archetypo: cibi qui ibi apponuntur; multùm ſuperant captum mentium noſtrarum, & infirmitatem conceptuum noſtrorum. Pater æternus ipſo punctio indiviſibili æternitatis ſuæ beatæ contemplans ſemetipſum, admirans Divinas perfectiones ſuas,

tis, intuitu Divinorum attributorum ſuorum producit Verbum ſuum, & ipſum producendo hâc cogitatione omnis illius quod ipſe habet eminens in ſeipſo, dat ei id omne quod ipſe eſt, & totum illud quod ipſe habet, excluſâ Divinâ perſonâ ſuâ; ipſum magnificè excipit, dat illi ſubſtantiam ſuam, naturam ſuam, Divinitatem ſuam, in eo eſt per identitatem, cùm ſit idem cum illo, ſicut ipſemet Filius ait, *Ego & Pater unum ſumus* o. Seu ſecundùm Dionyſium Carthuſianum p, *Ego ſecundùm naturam Verbi & Pater unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo, unum, vocatur eſſentiæ unitas individualis, non generica ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ.* Pater æternus & Verbum Divinum invitant ad hoc convivium Spiritum ſanctum qui procedit ab utroque, ſecundùm hæc verba ejuſdem Verbi incarnati diſcipulos ſuos ſic alloquentis, *Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me* q. Per hæc autem verba, *Quem ego mittam vobis à Patre, oſtendit quòd Spiritus ſanctus ab ipſo procedat. Non enim uni Divinarum perſonarum competit dare vel mittere aliam ſecundùm naturam Divinam, niſi ratione originis ſeu authoritatis ad illam: ideò nunquam legitur Pater miſſus à Filio, vel Spiritu ſancto, ſed è contrà*, dicit Dionyſius Carthuſianus r. Qui proſequitur ſupra hæc verba ſequentia, *Qui à Patre procedit, Hoc addit Salvator, ne putaremus, quòd à Filio duntaxat procederet Spiritus ſanctus, eò quòd dixit, Quem ego mittam vobis. Procedit ergo à Patre & Filio, non quaſi à diſtinctis perſonis, ſed quantum ſunt unum in naturâ & voluntate. Eſt namque Spiritus ſanctus amor. Amor verò eſt germen atque proceſſio voluntatis. Sic Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio per id in quo idem ſunt, ſcilicet per voluntatem, propter quod ſunt unus ſpirator, unus fons, unumque principium Spiritus ſancti.* Ita ut ſint tantum duæ perſonæ quæ invitentur ad hoc convivium, nimirum Filius & Spiritus ſanctus; & duæ quæ invitent, ſcilicet Pater & Filius: Spiritus ſanctus nullam perſonam invitat, quia terminus eſt Divinarum productionum. Verum quidem eſt quòd *omnia opera ad extrà ſunt indiviſa*, dicunt Theologi: *Neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis*, ait S. Auguſtinus s. Excluſo hoc ineffabili convivio, totæ tres perſonæ SS. Trinitatis interſunt omnibus productionibus mirabilibus quas operantur: ſed in operibus ad intrà, res non ſe habet ſic: Pater æternus generat Verbum ſuum ab æternitate per viam intellectus, *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* t. Ipſum facit aſſidere menſæ ſuæ. Pater & Verbum invitant ad iſtud convivium Spiritum ſanctum, quem producunt per viam voluntatis, & præbent ei ſubſtantiam ſuam, eſſentiam ſuam, Divinitatem ſuam, ſic ut Pater & Filius ei communicent id omne quod habent exceptis hypoſtaſibus ſuis: Pater & Filius non ſunt Spiritus ſanctus quantùm ad ſubſiſtentias ſuas, nec perſona Spiritus Sancti eſt perſona Patris, aut perſona Verbi: perſonæ enim diſtinguuntur realiter, nec reperitur inter ipſas niſi identitas naturæ, & tota differentia eſt in ſuppoſitis. Deus convivium fecit in mundo Angelico: ibi Angelos excipit cum magnificentia incomprehenſibili, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* u. Oſtendit eis eſſentiam ſuam Divinam, tradit eis id quod habet ipſe exquiſitiſſimum conformiter ad eminentiam ſanctitatis ipſorum: Seraphinis, qui proximè accedunt ad ipſius Divinitatem, præbet amorem, Cherubinis cognitiones & lumina, & ſic de cæteris. Sed aliud ipſe fecit convivium in mundo elementari in favorem hominum, ubi ipſe qui ſemetipſum largitur eis, efficitur res eadem cum illis, ſicut ipſe eſt in Patre ſuo per identitatem, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me* x.

o Ioan. 10. 30.
p Dion. Carth. art. 27. in Ioan. 10. 30.
q Ioan. 15. 26.
r Dion. Carth art. 23. in Ioan. 15. 26.
s S. Aug. in Enchirid. c. 38.
t Pſ. 109. 3.
u 1. Petr. 1. 12.
x Ioan. 6. 57.

In mundo archetypo, & in convivio ineffabili Divinitatis; Pater non ſe dat niſi Filio, Pater & Filius non ſe communicant niſi Spiritui ſancto, & Spiritus ſanctus nunquam ſe communicat, nec invitat Patrem, nec Filium: ſed in mundo elementari Verbum parat convivium, ponit in eo corpus ſuum, ſanguinem ſuum, animam ſuam, & Divinitatem ſuam; & ideò neceſſarium eſt ut Pater & Spiritus ſanctus in eo reperiantur per identitatem naturæ, & per concomitantiam, quia Filius eſt Deus ſicut Pater & Spiritus ſanctus; & habet eandem cum utroque naturam: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* y. Filius poſuit pro primâ menſâ gratiam, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* z. Et pro ſecundâ menſâ gloriam, *Gratiam, & gloriam dabit Dominus* a. Et quia gratia eſt gloria inchoata, & gloria eſt gratia conſummata; ipſe nos reddit jam beatos in hoc convivio Eucariſtico, præbens nobis gratiam ſuam Divinam, ut nos reddat aliquando conſortes gloriæ ſuæ, quæ ſita eſt in videndâ *facie ad faciem* b Eſſentiâ Divinâ. Unde canit Eccleſia, *O Sacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paſſionis ejus; mens impletur gratiâ; & futuræ gloriæ nobis pignus datur!*

y 1. Ioan. 5. 7.
z Ioan. 1. 17.
a Pſ. 83. 12.
b 1. Cor. 13. 12.

Si in æternitate Pater Divinus Filio ſuo communicat claritatem ſuam, virtute cujus iſte Filius eſt unum cum Patre & cum Spiritu Sancto; idem Filius nobis communicat iſtam claritatem in Euchariſtiâ, *Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* c. Sed ne putetis quòd per iſtius cibi Divini receptionem communicetur nobis à Jeſu Chriſto eadem claritas, & eadem natura, quam ipſe ſuſcipit à Patre ſuo, ita ut, quemadmodum Filius recipiens à Deo Patre naturam ſuam, eſſentiam ſuam, Divinitatem ſuam, eſt Deus ſicut ille, eodem modo de nobis ſe res habeat, oportet ut ſciatis, quòd Jeſus Chriſtus in Euchariſtiâ communicat claritatem propriam unicuique qui ipſum ſuſcipit, ſic ut, quantùm conditio naturæ noſtræ patitur, uniamur ei unione, quæ ſuo modo convenientiam habet cum illâ unione ineffabili, quâ Pater eſt unum cum Filio ſuo. Sed licèt unio noſtra cum Jeſu Chriſto in hoc Sacramento, non ſit niſi adumbratio illius unionis, quæ eſt inter Patrem & Filium, tamen quia in hoc eodem Sacramento ſuſcipimus corpus ejus, ſanguinem illius, animam ejus, & Divinitatem illius, pro comperto eſt quòd ſumus idem cum illo. Pater æternus fœcunditate Divini ſui intellectus communicat claritatem ſuam Verbo; Jeſus Chriſtus autem claritatem ſuam nobis uberius communicat in Euchariſtiâ, in quâ dat nobis corpus ſuum, ſan-

c Ioan. 17. 22.

Sanguinem ſuum, animam ſuam, & Divinitatem ſuam. Si videtis, Auditores, quòd terra producit flores & fructus, hunc favorem ferre debet acceptum influentiis Solis; & ſi ipſa includit in ſinu ſuo divitias, & lapides pretioſos, pro his ipſa obſtricta eſt huic magno luminari, quod animat res omnes ſublunares. Sed conjungitur huic aſtro, interventu claritatis & ardoris ejus, terra quæ eſt mater altrix omnium animalium, aperit & explicat ubera ſua ad lactandã totã naturã humanã: ipſa producit nobis racemos, quos calor Solis perduxit ad maturitatem perfectam, & inſuper omne genus fructuum, qui ſunt divitiæ abundantiæ autumni: non eſt aliquis qui ambigat quin omnia bona procedant à Sole, id eſt, à Deo, qui eſt Pater luminum, ſicut audiviſtis ſuprà ex S. Jacobo c, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Tamen cùm iſte *Sol intelligentiæ* d conjunctus eſt cum ſpicâ Virginis in Euchariſtiâ ubi claritas luminum ipſius, & fervor amoris ipſius habent majores extenſiones, diceretis quòd hæc unio Solis iſtius Divini cum hâc ſpicâ Virginis, polliceri debet collectionem generalem omnis generis bonorum: & ſicut claritas eſt primus effectus luminis Solis, qui diſpergens radios ſuos ſuper omnia objecta, quæ erant ſepulta in tenebris, ea illuminat interventu claritatis iſtius, quam eis communicat: ſic primus effectus quem ſuſcipimus in Euchariſtiâ, eſt gratia, quæ eſt radius Divinitatis, quæ nos aliquo modo reddit ſimiles Deo.

c Jacob. 1. 17.

d Sap. 9. 6.

Pater æternus producens Verbum ſuum, effundit ſuper ipſum claritatem ſuam, & unitatem ſuam, quam ſequitur amor ſuus: nam quemadmodum quò magis ignis ſplendet, eò magis calefacit: ſic quo major eſt claritas, quam Dei Filius nobis communicat in Euchariſtiâ, eò ferventior eſt amor qui inflammat corda noſtra: atqui Pater æternus dat Filio ſuo hanc claritatem, hanc unitatẽ, quã ſequitur dilectio ſua & totũ hoc eſt Deus. & in Euchariſtiâ ſuſcipimus hanc claritatẽ, hanc unitatẽ, iſtã identitatẽ cũ Deo, hãc dilectionẽ: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatẽ meã quã dediſti mihi, quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem: ut dilectio quâ dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis* e. Et inſuper corpus, ſanguinem, animam, & Divinitatem Jeſu Chriſti.

e Joan. 17. 24 & 26.

In mundo archetypo Pater ſe communicat Filio, dat ei totam ſubſtantiam ſuam, totam eſſentiam ſuam, & totam Divinitatem ſuam: Verbum & Pater æternus dant Spiritui ſancto totam eſſentiam ſuam, totam ſubſtantiam ſuam, totam Divinitatem ſuam, & Spiritus ſanctus eſt terminus communicationum ipſorum: & in Euchariſtiâ ſuſcipimus tres Divinas perſonas, quæ ibi adſunt totæ per concomitantiam; & præterea corpus ſanguinem, & animam Jeſu Chriſti. Si Pater æternus in Divinis productionibus Filio ſuo communicat id omne quod ipſe habet, & illud totum quod ipſe eſt, & ſi Filius & Pater communicant Spiritui ſancto Divina ſua attributa, iſtæ profuſiones ſunt neceſſariæ & eſſentiales, & ipſi non poſſunt aliter agere: & tamen in auguſtiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, ubi ſuſcipimus tres Divinas perſonas, corpus, ſanguinem, & animam Jeſu Chriſti, quod facit nos unum cum Deo; communicationes iſtæ videntur inſigniores extẽſivè quàm illæ quæ fiunt in mũdo archetypo, ubi non datur niſi Divinitas neceſſariò, cùm hæ communicationes quæ nobis fiunt in Euchariſtiâ, procedant è purâ libertate, & & ſint probationes dilectionis immodicæ. Sed cùm dico quòd Pater æternus intuitu Divinarum ſuarum perfectionum producit Verbum ſuum, & quòd hæc communicatio quam facit illi, omnium attributorum ſuorum abſque ullâ reſervatione, eſt neceſſaria, æquè ac illa per quam Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum in unitate principij per viam voluntatis, non intelligo propterea quòd iſtæ communicationes non ſint voluntariæ: nam licèt actus notionales, per quos cognoſcimus Divinas perſonas, & diſtinguimus alias ab aliis, ſint naturales & neceſſarij, hoc tamẽ nõ impedit quin ſint voluntarij non voluntate liberâ, ſed necceſſariâ, & ecce quomodo Pater æternus comprehendit ſeipſum ab æternitate naturaliter & neceſſariò: ideò generat naturaliter & neceſſariò Filium ſuum: Pater & Filius diligunt ſe amore reciproco naturaliter & neceſſariò: propterea producunt neceſſariò & voluntariè per viam voluntatis Spiritum ſanctum: & ſic actus voluntatis per quem Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum, eſt naturalis & neceſſarius, æquè ac actus intellectus, per quem Pater æternus producit Verbum ſuum: ſed ita ſunt neceſſarij ut ſint etiam voluntarij, non voluntate liberâ, non enim poſſunt aliter facere, ſed neceſſariâ & naturali: ideòque Pater non generat Verbum ſuum liberè, ſed naturaliter & neceſſariò, nec tamen invitus, ſed voluntariè: ſimiliter Pater & Filius non producunt Spiritum ſanctum liberè, ſed voluntariè, & neceſſariò neceſſitate voluntariâ. Et ecce quomodo Fili⁹ Dei eſt in Patre ſuo per identitatem & per naturam, & quo pacto eadem communicatio, quæ ipſi fit in æternitate, nobis in tempore conceditur in S S. Euchariſtiæ Sacramento, ubi efficimur unum cum ipſo. Sed in eo etiam eſt proiu imago, & hoc eſt quod nobis examinandum ſupereſt in hâc tertiâ parte.

Quicumque deſiderat ſcire qualis eſt bonitas & dilectio Patris æterni, qui dedit nobis Filium ſuum pro redemptione noſtra & pro alimento animarum noſtrarum, *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret* f, ſuos projiciat oculos ſuper hunc eundem Filium unicum, qui eſt imago ipſius perfectiſſima, non ſolùm autem ſubſtantiæ ipſius, & pulchritudinis ipſius, ſed etiam bonitatis ipſius, & dilectionis, quam venit declaratum deorſum hominibus terræ, ſicut illam ſurſum exhibuerat Angelis cœli, ut in cœlo & in terra ſemper foret Angelis & hominibus imago gloriæ Dei, cùm pertineat ad Filium ut ſit imago & ſimilitudo Patris ſui, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* g. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* h. Ipſe eſt imago Patris ſui, quia procedit per viam intellectus, qui ſibi reddit res ſimiles: ipſe eſt character magnitudinum illius, & viva ſimilitudo eius, & imago quæ nobis repræſentat in Euchariſtia officium noſtrum. Adeſt enim altaribus noſtris, non ſicut alijs Sacramentis, nimirum per gratiam ſolam, ſed in præſentia ſua reali & perſonali; & non obiter, ad inſtans, per actionem tranſitoriam, ſicut contingit in omnibus alijs, quæ non diutiùs durant quàm actio, ſed uſque ad finem mundi, ſicut ipſemet ait Apoſtolis ſuis, & in eorum perſona univerſis fidelibus, *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* i. *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſiâ per Sacramentalem præſentiam*, ſubdit Diony-

III. Pars.

f Joan. 3. 16.

g Coloſſ. 1. 15.

h Hebr. 1. 3.

i Matth. 28. 20.

k Dion. Carth. art. 45 in Matth. 28. 20. l Prov. 16. 4.

ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. Cùm quotidie comedatur, & veluti renovetur in altari, ipſe vult ut mors ſua repræſentetur ſuper aris noſtris, ut exhibeatur obſequium bonitati Dei, & ſic proteſtatio fiat, quòd omnia annihilari debent in ſe, & ſe tota referre ad Deum, ut ad ultimum finem ſuum, *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* l. *Quoniam Dominus Ieſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens, Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat* m. Propterea perimebantur aliàs animalia n in ſacrificiis antiquis: cùm Jeſus Chriſtus vitam ſic dignam amittere voluerit ut redderet gloriam bonitati ſui Patris æterni: nos non debemus habere eſſe, nec vitam, quàm ut eum adoremus, & pereamus in abyſſis immenſitatis illius, ut vivamus Jeſu Chriſto, vivamus in Jeſu Chriſto, & vivamus propter Jeſum Chriſtum, qui ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, vivet propter me* o.

m 1. Cor. 11. 23. &c. n Levit. 4. 21. &c. o Ioan. 6. 58. &c.

Ha! Humanitas ſancta, ſicut ipſa vivis propter Divinitatem, effice ut ego vivam propter te: quemadmodum ipſa inſeparabilis es à divinitate, utinam ego inſeparabilis ſim à te, pendeam à te: & non ſecus ac Divinitas in te ſemper influit vita ſua, & eſſe ſuo Divino, ſic influe in me plenitudine tua per uſum iſtius Sacramenti. Sed quomodo nos diſponemus ad hoc Sacramentum, Domine? Oportet ut ſimus veluti Marthæ ad te ſuſcipiendum, requiritur ut habeamus parem puritatem, ut dignos nos reddamus favore ſic extraordinario. Eccleſia tibi concinit, *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum*. Cùm tamen hæc Virgo eſſet ſanctiſſima & puriſſima omnium quæ unquam fuerint, vel erunt: quomodo autem poteris unire te nobis, qui jugiter inter crimina, ſordes, & impuritates verſamur? Martha Dei Filium magnificat, Auditores, ſicut & *ait Maria, Magnificat anima mea Dominum* p. Magnum præ nobis deſiderium ferre debemus ei placendi. Hoc eſt Sacramentum grandium, & cibus animarum elevatarum, *Gratia Dei ſum id quod ſum*, dicebat S. Paulus q. Gratia eſt communicatio eſſe Dei: vivimus Deo in hoc Sacramento, Deus in eo nobis dat eſſe ſuum, nobis illud communicat: ſatagamus ut ſimus veluti Marthæ accedendo ad hoc Sacramentum, *Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam*. Suſcipiamus ipſum, propter quod nobis ipſemet *gratiam & gloriam dabit Dominus* r.

p Luc. 1. 46. & 47. q 1. Cor. 15. 10. r Pſ. 83. 12.

Feria VI. infra Octavam Corporis Chriſti.

Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, Maria autem, ſedens ſecus pedes Domini, Luc. 10. 38. &c.

PLatonici loquentes de Deo, dixerunt quòd eſſet ipſe res maxima, & minima totius orbis: & jure merito. Maxima, cùm Deus ſit ubique, & immenſitate ſua, quæ *non habet finem* a, repleat univerſa ſpatia, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* b? Minima, cùm Divinitas ſit indiviſibilis, *Spiritus eſt Deus* c. Et inviſibilis, *Regi ſæculorum inviſibili, ſoli Deo honor & gloria* d. Jeſus Chriſtus in hoc Sacramento Euchariſtiæ eſt maximus, & minimus. Maximus cum tota gloria ſua, prout Deus, *Magnus eſt* e. Minimus, cùm contineatur ſub hoſtia ſic exigua, & ſub ſingulis illius fragmentis. Maximus, cùm poſſim illum vocare ubiquetarium, id eſt, per totum mundum, ſicut ipſemet dixit diſcipulis ſuis, & in eorum perſona univerſis fidelibus per orbem totum diſperſis, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* f. *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſiâ: Primò, per gratiam inhabitando corda fidelium. Secundò, per Sacramentalem præſentiam. Tertiò, per continuam providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam ſuæ poteſtatis ac pietatis in nos. Hinc enim teſtatur, Ego ſto ad oſtium & pulſo* g. *Et, ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* h. *Poſtremò, Tam ineffabiliter, dignanter & intimè adeſt nobis Chriſtus, ut multò ampliùs quàm Moyſes ſeu populus olim Iudaicus dicere valeamus, Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Dominus Deus noſter* i, *unigenitus Filius Dei*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. Minimus, cùm, ſit concluſus. Maximus, cùm, ſicut ait S. Bonaventura l, reperire poſſimus Dominum, ſi quæramus illum cum ſponſâ in tribus magnis locis, *Quærite Ieſum cum ſponſâ dilectiſſimâ in horto deliciarum, ubi deambulat cum adoleſcentulis, ubi lilia colligit* m *cum virginibus, ubi comedit fructus pomorum ſuorum* n *cum iuvenculis. Quærite in cellâ vinariâ* o, *ubi cœnam ſuam præparavit, ad quam ſuas ſpecialiſſimas amicas, quæ ſequuntur eum quocunque ierit* p, *tantùm invitavit. Quærite tandem in cubiculo, ubi requieſcit cum Sponſâ inter amplexus & oſcula. Vbi cubat in meridie* q, *quando ſplendor æternæ veritatis tam luculenter lucet, ardor ſupernæ charitatis tam dulciter ardet.* Sicut inflammavit cor B. Virginis, cùm deſcendit in ſinum ejus, poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* r *Maria*.

a Baruch 3. 25. b Ier. 23. 24. c Ioan. 4. 24. d 1. Tim. 1. 17. e Baruch 3. 25. f Matth. 28. 20. g ex Apoc. 3. 20. h ex Matth. 18. 20. i ex Deut. 4. 7. k Dion. Carth. art. 45 in Matth. 28. 20. l S. Bon. de Quinque Feſtiv. Ieſu Pueri Solemn. 4. m ex Cant. 6. 1. n ex Cant. 5. 1. o ex Cant. 2. 4. p ex Apoc. 14. 4. q ex Cant. 1. 6. r Luc. 1. 28 &c.

Illud eſt pro comperto, quòd Deus habet ideas omnium rerum: ideæ rerum univerſarum ſunt in Divinâ mente, dicit Theologia, ideæ quæ ſunt veluti exemplaria rerum omnium, quæ in Deo ſunt ipſemet Deus, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, ait S. Joannes s. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus t, *Quod factum eſt, id eſt, omne creatum, in ipſo Verbo vita erat, id eſt, in Verbo vitaliter atque intellectualiter ab æterno fuit, ac ſplenduit per rationem exemplarem ſive ideam, quam habet in Verbo omnia cognoſcente, intellectualiterque producente: quemadmodum artifex facit domum, & medicus ſanitatem per ſpeciem ſeu exemplar domus ac ſanitatis quod habet in mente. Vnde ſecundùm Ariſtotelem ſeptimo Primæ Philoſophiæ, & domus, & ſanitas, quæ ſunt in materiâ, ſunt à domo, & ſanitate quæ præexiſtunt in intellectu. Eſſe igitur creaturarum quod habent in Verbo, unà in Patre & Spiritu ſancto, atque ſuperbeatiſſimâ Trinitate, ſeu in Divinâ eſſentiâ,* eſt

s Ioan. 1. 3. t Dion. Carth. art. 1. in Ioan. 1. 3.

eſt eſſe increatum, exemplare, cauſale, ideale, atque vitale. vel, ut planiùs loquar, idea, vita, & lux. Propter quod, ſecundùm Dionyſium, *Omnia ſunt in Deo per cauſam & exemplar.* Nempe, ut ſcriptum eſt in Elementatione Theologicâ Procli Platonici, *Quod eſt in alio, eſt in eo ſecundùm naturam, & modum eius in quo eſt & non ſecundùm proprium eſſe ac modum. Cùm ergo Deus ſanctus & glorioſus, ſit mens æterna, & ſimpliciſſima, certum eſt, quòd omnia ſint in eo per rationem æternam ac ſimplicem, quæ appellatur idea & exemplar, quia per illam Deus cognoſcit, & operatur creata: palam eſt enim, quòd Deus cuncta & ſingula propriis rationibus & ſpeciebus intelligat ac producat.* Si igitur licet nobis comparare res ſublimes cum rebus depreſſis, ſicut in officina celebris Typographi, præter præcipuum Opificem qui dirigit Typographiam, multæ ſunt formæ & literæ differentes, aliæ parvæ, aliæ magnæ: ſic mens Dei eſt velut magna & Regia officina, unde egreſſa eſt tota mundi iſtius impreſſio, & unde poſſunt etiam exire reliquæ creaturæ, quæ nondum habent exiſtentiam: Divina mens, in qua non eſt ſolùm virtus effectrix & opifex omnium rerum, ſed in qua reperiuntur infinitæ & differentes formæ, ſuper quas formantur omnes ſpecies & omnes formæ rerum quas videmus, & earum quas non videmus: & iſtæ ideæ ſunt veluti formæ literarum quæ videntur in thecâ Typographi, unde mundus hic ſpecioſus exivit, & unde innumeri alij æquè facilè exire poſſent, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt* u. Sed licèt Deus omnia perfectè cognoſcat, & intimè pervadat, non cognoſcit tamen privationes ut privationes, ſed per earum formas oppoſitas, peccatum per gratiam, & tenebras per lucem. Iſtud verum eſt: & tamen en Magdalena, *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix* x. Deus cognoſcit peccatum eius per innocentiam quam ipſa debet habere: hæc eſt ſoror Marthæ natu minor? ipſa, non eſt virgo ſicut ſoror ſua, ſed interventu precum & interceſſionum eius ipſa evadit ſancta, in meliorem emendationis vitæ frugem ſe recipit, & vadit procubitum ad pedes Domini ſui, *Maria autem ſedens ſecus pedes Domini.* Ibi Jeſus facit depreſſionem omnium magnitudinum ſuarum, id eſt, exinanitionem perſonalem, exinanitionem ſubſtantialem, & exinanitionem æternam: tres exinanitiones quas invenio in Euchariſtia, & quæ erunt tres partes diſcurſus iſtius.

u Pſ 148 5.
x Luc. 7. 17.

Diviſio.

1. Pars.

Tria Dei Filius habet in Patre ſuo, filiationem, imaginem, & verbum. Ipſe eſt Filius Patris æterni, quod eſt qualitas glorioſiſſima & excellentiſſima, & id quod Pater æternus dicere poteſt de illo in æternitate, & in tempore, eſt, ut ſit Filius ſuus. In tempore, ſuper monte Thabor, *Et ecce vox de nube, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* y. In æternitate, *In ſplendoribus ſanctorum ex utero ante Luciferum genui te* z, ait ipſemet, eum alloquens. Hoc eſt totum dicere, ac dicere eum cum Eccleſia *Filium genitum, non factum.* Et eum S. Joanne a, quòd ipſe eſt *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris.* Et ſicut non poſſunt eſſe multi dij, ſic non poſſunt eſſe multi Filij Dei. S. Paulus b illum vocat opus Virginis, *Factum ex muliere.* Sed in æternitate generatur à Patre Divino qui ipſi dat id omne quod ipſe habet, & totum id quod ipſe eſt: ipſe gignitur in æternitate à Patre ſine matre, & in tempore producitur à Matre ſine Patre. Deus Pater illum generat intuitu magnitudinum ſuarum, & adorabilium perfectionum ſuarum, ſic ipſe glorioſus eſt ſicut Pater ſuus, à quo procedit, *Ego & Pater unum ſumus* c. In tempore, Mater ſua generat ipſum intuitu depreſſionum & humiliationum ſuarum, *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini* d. Super quod ait S. Ambroſius e, *Vide humilitatem, Ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur.* Dei Filius *ſemetipſum exinanivit, humiliavit ſemetipſum* f, *egenus factus eſt, cùm eſſet dives* g, ſicut Mater ſua erat humilis, & egena voluntaria. Sed nunquam ſic exinanitus & humiliatus eſt, ſicut in Euchariſtia. In cœlo ipſe eſt Filius Patris qui eſt Deus: in Incarnatione ipſe eſt Filius Matris quæ eſt Virgo: ſed in Euchariſtiâ ipſe eſt Filius hominis infirmi. In æternitate, ipſe *eſt in ſinu Patris* h ſui: in tempore, ipſe eſt *in utero* i Matris ſuæ: & in Euchariſtia, ipſe eſt in pectore Sacerdotis. In cœlo, ipſe producitur à Patre, qui eſt *Sanctus ſanctorum* k. Id eſt, origo totius ſanctitatis, quam poſſidet per eſſentiam: in Incarnatione generatur à Matre quæ eſt *gratiâ plena* l. Et in Euchariſtia producitur ab homine peccatore, qui perſæpè poterit eſſe totus criminibus repletus: *In multis enim offendimus omnes* m. Pater æternus producit eum, proferendo unicum verbum, *Semel locutus eſt Deus* n. In Incarnatione, B. Virgo producit illum, reſpondens Angelo verba iſta, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* o. Et in Euchariſtia Sacerdos producit eum, pronuncians hæc quatuor verba divina, *Hoc eſt corpus meum* p. Qualis depreſſio & exinanitio in Euchariſtia! Heu! quam ritè ipſe eſt Deus abſconditus, & ignotus; ideòque ei dicere poſſum cum Iſaia q, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.* Vel cùm S. Paulo inveniente *aram, in quâ ſcriptum erat, Ignoto Deo* r. Heu quàm depreſſa & exinanita eſt hæc filiatio in Euchariſtia! Nunquid non deprimere & exinanire nos debemus inſtar Magdalenæ *ſecus pedes Domini*? Debemus eum ſuſcipere, cùm ita ſit abſconditus ut non appareat.

y Matth. 17. 5.
z Pſ. 109 3.
a Ioan. 3. 16.
b Galat. 4. 4.
c Ioan. 10 30.
d Luc. 1 38.
e S. Amb. lib. 2. in Luc. 1. 38.
f Philipp. 2. 7. & 8.
g 2. Cor. 8. 9.
h Ioan. 1. 18.
i Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
k Dan. 9. 24.
l Luc. 1. 28.
m Iacob 3. 2.
n Pſ 61. 12.
o Luc. 1. 38.
p Matth. 26. 26.
q Iſai. 45. 15.
r Act. 17 23.

Præterea, In Dei Filio eſt ſimilitudo ſecundùm imaginem. Spiritus ſanctus non eſt imago, quia procedit per viam voluntatis à Patre & Filio in unitate principii, ſeu eiuſdem voluntatis, quæ non reddit ſibi res ſimiles: *Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* s, ait idem Filius incarnatus, diſcipulos ſuos alloquens. Sed iſte Filius generatur per viam intellectus, qui ſibi reddit res ſimiles, à Patre, ideòque eſt eius imago vera, character magnitudinum illius, & ipſius viva ſimilitudo, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* t. Id eſt, repræſentat ſimul & continet Divinam Eſſentiam, & omnes magnitudines & perfectiones illius. Euchariſtia eſt imago, quæ eaſdem magnitudines exprimit. Sed quænam convenientia ipſius cum iſtis? Videmus in ea exiguam hoſtiam rotundam, &c. verum tamen eſt quòd *ſub diverſis ſpeciebus, ſignis tantùm, & non rebus, latent res eximiæ* u.

s Ioan. 15. 26.
t Coloſſ. 1. 15.
u Eccleſia poſt S. Thom. Opuſc. 57.

Inſuper, Dei Filius eſt Verbum in Patre ſuo. Pater loquitur per Verbum ſuum, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* x. Hoc autem Verbum in Euchariſtia fit mutum, non loquitur, eſt deſtitutum ſermone. In cruce, eſt quidem moriens, ſed in ea loquitur, *Ieſus dixit Matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dixit diſcipulo, Ecce mater tua* y. Verbum iſtud eſt Deus, & in Euchariſtia apparet more falſorum deorum, de quibus David z ait, *Simulachra Gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabũt in gutture ſuo. Similes illis fiant qui faciunt ea.* Eodem modo ſe res habet de Salvatore; talis apparet qualia hæc: ipſe eſt opus hominum,

x Ioan 1. 1.
y Ioan. 19. 26. & 27.
z Pſ. 113. 12. &c.

Digitized by Google

minum, Sacerdotes ipſum faciunt quatuor verbis prædictis, in Euchariſtiâ: in hoc Sacramento ipſe eſt ſine loquelâ, ſine oculorum uſu, &c. Totus mundus loquitur, univerſæ creaturæ loquuntur, Clerici, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes loquuntur in Eccleſiis noſtris, quandiu ipſe eſt ibi ſine verbo, & mutus exiſtit. Quiſnam cauſat ei ſilentium iſtud? Ego qui conſcius ſum criminis, qui mereor pœnam. Sed quam pœnam? Ut ſimilis illi fiam, id eſt, ut evadam talis, id eſt, ſim ſine verbo, ſine oculis, ſine corde, niſi fortè ad diligendum eum: quòd ſi loquar, loquar ut Deus qui producit Deum, ſicut Sacerdotes. Omnes nos ſumus Sacerdotes, viri & mulieres, *Regale Sacerdotium, gens ſancta* a. Reges ſunt uncti, & ſacrati: communicant ſub duabus ſpeciebus: Jeſus Chriſtus eſt Sacerdos, *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me* b. Propterea *Ieſus vocatur Chriſtus* c. Id eſt, unctus, cùm ſacratus fuerit prout *Propheta magnus* d, quatenùs *Rex* e, & *ſecundùm Ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* f. Quia ſicut Propheta, inſtituit nos doctrinâ ſuâ, *Cœpit Ieſus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim Regnum cælorum* g. Prout Sacerdos, ipſe eſt *Mediator Dei & hominum: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* h. *Ipſe enim eſt Pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſuâ: legem mandatorum decretis evacuans: ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo* i. Et quatenus Rex, æternâ nos debet mercede coronare, dicens ſingulis nobis, *Eſto fidelis uſque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ* k. Quale eſt verbum Sacerdotum? *Hoc eſt corpus meum* l. *Quoniam Dominus Ieſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* m. Ecce depreſſio & exinanitio perſonalis Filij Dei in Euchariſtiâ: in hoc enim Sacramento ipſe eſt in perſonâ, *Ego & Pater unum ſumus*, ait ipſemet apud S. Ioannem n. Et apud Dionyſium Carthuſianum o, *Ego ſecundùm naturam Verbi & Pater unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo, unum, vocatur eſſentiæ unitas individualis, non generica ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ.* In Incarnatione, perſona eſt unita unione hypoſtaticâ, unio facta eſt in perſonâ, hæc Divina perſona eſt depreſſa in Incarnatione; ſed profundiùs in Euchariſtiâ cum accidentibus, quæ ſunt veluti non entia, *Accidens, non entis ens.* Depreſſio & exinanitio perſonalis maxima omnium quæ poſſunt eſſe, in quâ dat nobis notas amoris ingentis. Ibi enim reperitur amor immodicus, ubi eſt maxima virtus unitiva: atqui in Euchariſtiâ, eſt maxima virtus unitiva: eſt igitur inferendum, quòd communicationes quæ nobis fiunt in hoc Sacramento, ſunt probationes amoris immodici. Atqui quòd in Euchariſtia ſit maxima virtus unitiva, manifeſtum eſt, quia tota vis amoris explicata eſt in hoc Sacramento: & ſicut unus ex effectibus amoris eſt unire amantem cum re amata, cùm tota vis amoris diffuſa fuerit in Euchariſtia, dicendum eſt quòd in hoc Sacramento eſt maxima virtus unitiva. Præterquàm quòd ſicut iſtud Sacramentum continetur ſub ſpeciebus & accidentibus panis, & panis erutus è furno ardenti, diu cuſtodit calorem ſuum: ſic Euchariſtia eſt tota inflammata amore, quia Panis iſte ſacer exivit è fornace ardenti dilectione. Ignis amoris omnino conſumpſerat Jeſum Chriſtum, cùm inſtituit hoc myſterium charitatis: nam tempore illius ultimæ cœnæ, quando *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe* p, omnes ſermones ipſius non reſonabant niſi amorem, non tendebant niſi ad charitatem, nec præcipiebant niſi praxim dilectionis, *Mandatum novum do vobis, Vt diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* q. Ipſius charitas præcipitavit ipſum in fornaces amoris, unde exivit ipſe ſub ſpeciebus panis, quo illi qui paſcuntur, concipiunt eaſdem flammas amoris, quæ conſumpſerunt hunc Dominum amoroſum uſque ad ſe exinaniendum, *Semetipſum exinanivit* r. Et ſicut proprium eſt igni, ut omnia in ſe convertat: ſic amor hanc habet vim, ut non faciat niſi unum ex homine & ex Jeſu Chriſto, quem homo ſuſcipit in Euchariſtia: *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius s. Et Dionyſius Carthuſianus t. *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Et ſicut id omne, quod Jeſus Chriſtus fecit in cœna, non fuit niſi amor; & Sacramentum quod ſuſcipimus, eſt idem quod Jeſus Chriſtus inſtituit in cœna, dicendum eſt quòd communicationes, quæ nobis fiunt in Euchariſtia, ſunt probationes amoris immodici. Et ſicut unus ex effectibus amoris, juxta doctrinam præfati S. Dionyſii u, eſt, ut uniat amantem cum re amata, *Hoc amoris verbum vim habet faciendi unum & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi:* & Jeſus Chriſt' ſe nobis dat in hoc Sacramēto amoris in quo ſemetipſum exinanit propter amorem noſtrum, oportet ut uniamus nos ei, ſicut ipſe deſiderat, ita Patrem ſuum alloquens, *Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* x. Ut autem nos uniamus Deo, conari debemus habere aliquam proportionem cum Deo: & ſicut *Spiritus eſt Deus* y, ſi velimus nos unire Deo, oportet ut efficiamur ſpiritus, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* z. Et quemadmodum Deus ſanctus eſt, oportet ut ſancti ſimus, ut ipſe nobis imperat, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum* a. Et non ſecus ac Deus eſt perfectus, oportet etiam ut perfecti ſimus more Patris noſtri cœleſtis, ſicut ipſe nobis ait, *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt* b. Et ſicut unitas & perfectio in Deo ſunt unum, ſi velimus eſſe unum cum Deo, debemus conari habere hanc perfectionem, quæ nos reddat conformes Patri noſtro cœleſti, ſicut nobis ſingulis ait Origenes c, *Habeto virtutes, & eris filius Chriſti. Cùm autem fueris Chriſti, eris & omnipotentis Patris, quia unum ſunt, unitaque naturæ.* Si igitur eſſe velimus unum cum Jeſu Chriſto in Euchariſtia, oportet ut per bona opera convenientiam habeamus cum eodem Jeſu Chriſto, & imitemur eum, quantùm poterimus. Hæc autem unitas includit in ambitu ſuo omnes virtutes eo ipſo quo ipſa recedere nos facit ab univerſis vitijs. Sed ſi Jeſus Chriſtus in Euchariſtia pro prima menſa nobis *gratiam* d dat, ut dicebam vobis heri, quippe à quo nobis apponitur *Frumentum Electorum* e comedendum, per exinanitionem quam facit ipſe ſui ipſius, Panis iſte ſacer, quē ſuſcipimus in hoc Sacramento, eſt ſemē omnium gratiarū quæ nobis infunduntur propter hanc unionē, quæ fit noſtrî cū Jeſu Chriſto eodē: ſed

a 1. Petr. 2. 9. b Iſai. 61. 1. c Matth. 1. 16. d Luc. 7. 16 e Pſ. 2. 6. f Hebr. 6. 20 & Gen. 4. 18 & in Pſ. 109. 4 g Matth. 4. 17 h 1. Tim. 2. 5. & 6. i Epheſ. 2. 14. &c. k Apoc. 2. 10. l Matth. 26. 26. m 1. Cor. 11 23. & 24. n Ioan. 10. 30. o Dion. Carth. art. 27. in Ioh. 10. 30.

p Pſ. 110. 4. & 5. q Ioan. 13. 34. & 35. r Philipp. 2. 7. s S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4. t Dion. Carth. art. 31. in Luc. 12. 34. u S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4. x Ioan. 17. 22. y Ioan. 4. 24 z 1. Cor. 6. 17. a Levit. 11. 44 b Matth. 5. 48. c Orig. hō. 4. in Ezech. ante med. d Pſ. 83. 12 e Zach. 9. 17.

ſicut gratia, quemadmodum dicebam vobis etiam heri, & ſecundùm omnes Theologos, eſt gloria inchoata, non ſecus ac gloria eſt gratia conſummata, & gloria nobis datur pro ſecunda menſa in Euchariſtia, juxta id quod canit Eccleſia, *O ſacrum convivium in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paſſionis ejus; mens impletur gratiâ; & futuræ gloriæ nobis pignus datur!* & Pſalmiſta f, *Gratiam & gloriam dabit Dominus* : ideò videre Eſſentiam Divinam *facie ad faciem* g, eſt opus eximium effectuum, quos producit hic Panis Divinus in hoc adorabili myſterio, quòd præcipuè fuit inſtitutum, ut hanc poſſimus obtinere *claritatem quam* h Dei Filius aſſerit ſe ſuſcepiſſe à Patre ſuo. Satagamus, Auditores, ut ſuſcipiamus hoc Sacramentum cum diſpoſitionibus quæ inducant Jeſum Chriſtum ad dandam nobis hanc *claritatem*, *ut unum* ſimus cum illo *ſicut & unum* i ſunt ipſe & Pater ſuus, ſed annihilando nos, ſicut ipſe fecit exinanitionem perſonalem, & ſubſtantialem.

f Pſ. 83. 12.
g 1 Cor. 13. 12.
h Ioan. 17. 22.
i Ibid.

II. Pars

Secunda depreſſio ſeu exinanitio, eſt ſubſtantialis. Hæc eſt differentia inter depreſſionem Dei & depreſſionem hominum, quòd depreſſio Dei eſt ſubſtantialis, depreſſio verò hominum eſt accidentalis. Magnitudo Dei, ſapientia, immenſitas, infinitas, amor, juſtitia, miſericordia, providentia, hæc omnia attributa, & reliqua, procedunt à Deo, quæ in Deo ſunt ipſe Deus: omnes iſtæ perfectiones adorabiles, ſunt inſeparabiles à Divinitate; cùm Deus humiliat magnitudinem ſuam, &c. deprimit ſeipſum, iſtud eſt depreſſio ſubſtantialis. In Incarnatione, natura humana ſubſiſtit in perſona Verbi, quæ perſona eſt fulcrum iſtius naturæ humanæ. Dei Filius humilians ſe, deprimit magnitudines ſuas, gloriam ſuam, naturam ſuam: hoc ipſe facit in Incarnatione, ſed plùs in Euchariſtia. Videte, ſi placet, quomodo apparet ipſe ſine gloria, ſine honore: attributa ipſius non videntur in ea, non eſt ibi quid amplius intueri niſi ſpecies panis & vini: cùm homines ſe deprimunt, id non eſt niſi accidens, quod poteſt eſſe & non eſſe: ipſorum gloria eſt ab ipſis ſeparabilis: ſed gloria Dei non eſt ſeparabilis ab ipſo: iſtud igitur eſt depreſſio ſubſtantialis.

Ipſe inſtituit hoc Divinum Sacramentum ſub ſpeciebus panis & vini: nam quemadmodum panis & vinum ſunt alimenta ordinaria vitæ temporalis hominum: ſic Euchariſtia inſtituta eſt ad cuſtodiendam vitam ſpiritualem gratiæ per Jeſum Chriſtum qui deſtruit ſeipſum. Eſt igitur comedendum, vel moriendum. Comedere debemus, ut conſervemus vitas noſtras: & niſi planta, animal, & homo nutriant ſe, dicere poſſumus quòd nunquam creſcent. Indubium eſt, quòd cibus materialis eſt neceſſarius ad conſervanda & augenda corpora noſtra: ſed ſicut homo conſtat è duabus partibus præcipuis, quas Theologi noſtri Morales appellant partem ſuperiorem, & partem inferiorem, & una eſt ſpiritualis, altera verò materialis; oportet etiam ut anima comedat carnem Salvatoris in Euchariſtia, ubi ipſe facit depreſſionem ſubſtantialem omnium magnitudinum ſuarum, ſi ipſa conſervare & augere velit ſuam vitam gratiæ, quam in ea ipſe nobis offert, dicens, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ* k. Propterea David l dicebat, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Seu juxta S. Baſilium m, *Dominus paſcit me.* Quia proprium eſt Regibus, non ſolùm imperare ſubditis ſuis, ſed etiam eos paſcere. *Paraſti in conſpectu meo menſam: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt*, proſequitur Pſalmiſta. Et alibi n, *Calicem Salutaris accipiam.* Et ſicut alimenta corporalia conſervant nobis vitam temporalem, ſic caro & Sanguis Jeſu Chriſti nobis cuſtodiunt & fovent vitam ſpiritualem, ſic ut hæc vita ſaliat uſque ad *vitam æternam* †.

k Ioan. 6. 51.
l Pſ. 22. 2. & 5.
m S. Baſil. in Pſ. 22. 2.
n Pſ. 115. 4.
† Ioan. 4. 14.

Panis iſte cœleſtis qui nobis vitam tribuit ſpiritualem, & iſtud vinum quod vivificat animas noſtras, eſt expreſſio generationis æternæ Verbi: nam ſicut Verbum generatur à Patre ſuo, nedum tamen ab eo unquam ſeparetur: ſic panis iſte ſacer, ſub cujus ſpeciebus Jeſus Chriſtus depreſſus eſt, poſtquàm comeſtus eſt, ſemper idem remanet: nam licèt ipſum multi ſuſcipiant, ipſe ſemper eſt idem in cœlo, & in omnibus locis mundi ſacris, in quibus conſervatur: *Ideòque Chriſtus Deus, & homo perfectus ſub modici panis & vini ſpecie continetur. Manducatur itaque à fidelibus, ſed minimè laceratur: quinimò diviſo Sacramento, ſub quâlibet diviſionis particulâ integer perſeverat*, ait S. Thomas o. Sed id quod eſt admirabilius, eſt quòd Deus ſe gerit erga nos eodem modo quo egit Patriarcha Joſeph erga fratres ſuos: *Præcepit autem Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Imple ſaccos eorum frumento: quantum poſſunt capere: & pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci. Factumque eſt ita* p. Deus, *cujus natura bonitas* q, & cujus theſauri ſunt inexhauſti: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* r: nobis perſonam Verbi tribuit ad ſuccurrendum neceſſitatibus noſtris, & nobis dat etiam *pecuniam*, id eſt, humanitatem ſacram Filij ſui exinanitam ſub panis & vini ſpeciebus, *in ore ſacci*, ut ipſam ſuſcipiamus ad alendas animas noſtras. Per hanc autem depreſſionem Filij Dei, nos elevamur ſupra Angelos. Nam ſi in cœlo paſcit Deus Angelos clara viſione ſua, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* s: ſi ſpiritus iſti beati adhærent huic luci ſplendenti, quæ illuminat Cœleſtem Jeruſalem: *Nam claritas Dei illuminavit eam* t: ſi ſunt veluti pueri honorarij conclavis Imperialis iſtius ſacræ Majeſtatis, legati iſtius ſummi Monarchæ, & miniſtri hujus florentiſſimi Imperij; homines in Euchariſtia, ubi Ieſus Chriſtus ſe deprimit, ut ſe tribuat eis, non ſolùm viſu & raptu adhærent contemplationi iſtius Divini objecti; ſed ſuſcipiunt in ſeipſis idem objectum, quod facit ipſorum fœlicitatem. Angeli ſunt veluti pueri honorarij aulæ Imperialis, *Decies millies centena millia aſſiſtebant ei* u. Sed homines ſunt amici Domini convivij, quia ait ipſis, *Vos autem dixi amicos* x. Angeli ſunt legati Dei, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* y? Ideòque ſervi hujus ſummæ Majeſtatis, cujus nonniſi voluntates adimplere volunt, *Millia millium miniſtrabant ei* z. Sed homines ſunt Principes propter eminentem qualitatem fratrum Jeſu Chriſti, ita *ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus* a, ob hypoſtaticam Verbi unionem naturæ noſtræ. Et ſi Angeli ſunt miniſtri Dei, homines prout familiares ejus, & deliciæ illius, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum* b, ſunt admiſſi ad diſpenſationem ſacrorum theſaurorum ipſius: & hi ſunt Sacerdotes quibus ipſe dedit poteſtatē ſuper corpus ſuū, & ſuper merita infinita ſuæ paſſionis, ſicut ait S. Paulus c, *Sic nos exiſtimet homo ut diſpenſatores myſteriorum Dei.* Si Pater æternus producit Verbum ſuū in æternitate d, & Verbum genitum hoc puncto indiviſibili æternitatis, & productum in tempore e, eſt Virgo, *Prima Trias Virgo eſt* f: ſi Deus in tempore creavit Angelos, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux* g: & produxit illos virgines: Filius ipſius, in Euchariſtia ubi ſe ſubſtantialiter

o S. Thom. Opuſc. 57. Lect. 1.
p Gen. 44. 1. & 2.
q S. Bern. ſerm. 9. 10 Circumciſ. Dom.
r Sap. 7. 14.
s 1. Petr. 1. 12.
t Apoc. 21. 23.
u Dan. 7. 10.
x Ioan. 15. 15.
y Hebr. 1. 14.
z Dan. 7. 10.
a Rom. 8. 29.
b Prov. 8. 31.
c 1. Cor. 4. 1.
d Pſ. 2. 7.
e Ioan. 1. 14.
f S. Greg. Naz. Carm. de Virginit.
g Gen. 1. 3.

camna-

exinanit. nonne fœliciùs producit virgines? *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius : niſi frumentum Electorum, & vinum germinans virgines* h? Producit virgines, qui ſunt Angeli terræ ſicut Angeli ſunt virgines cœli, *Tua Regio Paradiſus eſt* †.

h Zach. 9. 17.
† S. Hier. Epiſt. 22. ad Euſtoch. de Virginitate ſervandâ. n. 54.

Non ſolùm autem facit nos Angelos; ſed exinaniendo ſeipſum ſubſtantialiter, transformat nos in ſemetipſum in Euchariſtiâ, conformiter ad quæſtionem quam facit, & reſolvit Origenes i, dicens, *Dignum eſt quærere quam ob cauſam, cùm palàm docuiſſet per Ieſus ſingulas civitates, & vicos & Synagogas, prædicans Evangelij verbum* k, *ita ut fama eius exiret in omnem regionem, & ſecundùm faciem manifeſtatus eſſet omnibus habitantibus in Iudæâ, quaſi non cognoſcentibus effigiem eius dedit ſignum Iudas miſſus à Principibus Sacedotum, dicens : Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt. Hoc idem ſignificatur etiam per Ioannem Evangeliſtam* l, *ubi ſciens Ieſus quæ superventura erant ei, procedens foras dixit : Quem quæritis? At illi dixerunt, Ieſum Nazarenum. Et dixit eis Ego ſum. Et abierunt & ceciderunt retrorſum. Vides quia non eum cognoſcebant, cùm frequenter vidiſſent, propter transfigurationes ipſius.* Milites cognoſcebant quidem Jeſum Chriſtum, ſed quia Judas adverterat quòd Coapoſtoli ſui in cœnâ facti fuerant omnes inſtar Jeſu Chriſti per communionem corporis ejus m, traditor iſte verebatur ne Salvator ſe transfiguraret, ſicut & fecit : *Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens, Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum* n. Effectus admirabilis iſtius cibi Divini, qui exinaniendo ſe ſubſtantialiter, nos transformat & transfigurat in Jeſum Chriſtum. Sed quoſnam effectus producit, ſi anima ad ipſum ſuſcipiendum eſt ritè diſpoſita? Producit in eâ effectus ſplendentes : anima enim quæ Deum ſuum ſuſcipit in ſe, licèt ipſa veluti captiva ſit in corpore luteo, incipit ex tunc micare virtutibus, oculi ipſius ſuos habēt intuitus veluti cœlo cōglutinatos, non habet ipſa affectus niſi propter gloriam ejus, os ipſius non ſpirat niſi flammas more Seraphinorum, univerſi ſermones ipſius ſunt ignei; ipſa perſpicax eſt inſtar Cherubinorum; & hæc cloaca, in quâ ipſa eſt collocata, evadit templum Dei : *Anima enim Iuſti ſedes eſt Sapientiæ*, ait Euſebius Emiſſenus o poſt Sapientem. Eſt igitur ipſa ſedes ſummæ Majeſtatis, ſicut Throni, ſuper quos Deus requieſcit, ut ait ille David p, *Sediſti ſuper Thronum.*

i Orig. Tract. 15. in Matth. 26. 48.
k ex Luc. 8. 1. &c.
l ex Ioan. 18. 4. &c.
m Matth. 26. 26.
n Matth. 26. 48.
o Euſeb. Emiſſ. Dom. 1. Advent. ex Sap. 7. 7.

Licèt Angeli ſint in fruitione invariabili gloriæ, non poſſunt tamen facere progreſſus in beatitudine ſuâ eſſentiali, quæ ſita eſt in viſione, ſicut ait S. Thomas q; vel in amore, juxta Scotum r; vel in gaudio beatifico ſeu fruitione, ſecundùm S. Bonaventuram s. Et ratio quam iſtius dant Scholaſtici, eſt, quia merces nullum ſuſcipere poteſt augmentum, niſi per incrementum meriti : atqui in ſtatu Beatorum nulla reperitur accretio meriti; & ſic ibi non poteſt eſſe mercedis augmentum. Hoc probare poſſem ex Scripturâ t : ſed ſufficit mihi ut dicam, quòd hoc pendet à purâ voluntate Dei, & à lege liberâ quam ipſe inſtituit ſuper hoc : nam cùm merita fundentur non ſolùm in gratiâ & in charitate, ſed etiam in promiſſione liberali Dei, certum eſt quòd Deus promittere potuit ſe daturum pro mercede viſionem ſuî, vel amorem, vel gaudium beatificum ſeu fruitionem illis, qui facturi eſſent bona opera in iſtâ vitâ, & non in alterâ : atqui homines in iſtâ vitâ ſemper novos facere poſſunt progreſſus meritorum per opera ſua bona; jugem peragere valent acquiſitionem novarum gratiarum per frequentationem Sacramentorum, præſertim verò Euchariſtiæ. in quâ gratia apponitur pro primâ menſâ : & ſi ibi recipiunt ſemper gratias, & gratia eſt principium gloriæ, dicendum eſt, quòd, cùm homines augere poſſint gloriam ſuam eſſentialem, & Angeli non valeant ſuam, hoc præcipuè hominibus accidit ob Euchariſtiam, in quâ ſuſcipimus Authorem gratiæ. *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* †. Qui nos elevat per depreſſiones & exinanitiones ſuas. Si inter Angelos eſt diſtinctio ordinum & hierarchiarum, quæ cōſiſtit in hoc quòd Angeli ſupremæ hierarchiæ ſunt velut aſſeſſores Dei, à quo immediatè ſuſcipiunt cognitiones & revelationes, quas ipſi deinde communicant alijs inferioribus; in Eccleſiâ militante ſunt etiam Sancti contemplativi, qui ſuſcipiunt, æquè ac illi, immediatè à Deo lumina, quæ ipſi deinde communicant illis, qui ipſis ſunt inferiores ſanctitate : & ſi Angeli ſunt aſſeſſores Dei, iſti ſunt etiam tales, & meliùs quàm illi : tiam Angeli ſuperiores communicantes lumina ſua inferioribus, non augent gloriam ſuam eſſentialem, cùm accretio pendeat à merito, & Angeli in ſtatu beatitudinis mereri non poſſint, quandiu iſti communicantes revelationes ſuas ſupernaturales inferioribus ſuis, porrigunt eis anſam exercendorum operum juſtitiæ & charitatis, quæ producta in ſtatu capaci meriti, poſſunt ipſis mereri & acquirere gratiam : & ſicut gratia eſt gloriæ inchoatio, hæc gratia perducit ipſos ad gloriam quæ eſt ipſius conſummatio, quæ eò majus ſuſcipit incrementum, quò opera, quæ ipſi produxerunt, ſunt eminentiora : & cùm meritum neceſſariò ſequatur ex bonis operibus, oportet ut admittatur proportio inter ipſum & hæc : & ſicut hæc bona opera fuerunt elevata, oportet etiam ut meritum ſit eminens : & quemadmodum merces procedit à merito, cùm meritum ſemper augmenta poſſit ſuſcipere, merces quæ coronat merita, recipere debet incrementa, quæ non reperiuntur in Angelis. Si Angeli ſecundæ hierarchiæ habent gubernationem generalem Eccleſiæ militantis, in eâdem Eccleſia ſunt Prælati qui ſunt Paſtores animarum, qui adminiſtrant eis Sacramenta, ſpiritum, & vitam, quod Angeli facere non poſſunt. Tandem, Si Angeli infimæ hierarchiæ debent ordinare res omnes particulares, in Eccleſiâ habemus Sacerdotes, quibus eſt cura demandata univerſarum animarum, ut introducant eas in gloriam, conferendo eis gratiam per Sacramenta, præſertim verò per Euchariſtiam, in quâ Jeſus Chriſtus eas elevat per depreſſionem ſuam ſubſtantialem, & per exinanitionem ſuam æternam, quæ nobis ſupereſt diſcutiendi.

p Pſ. 9. 5.
q S. Thom. 1-2. q. 3. a. 4.
r Scot in 4. Sent. Diſt. 49. q. 4.
s S. Bon. in 1. ſent. Diſt. 1. a. 3. q. 1. & in 4. ſent. Diſt. 49. a. 1. q. 1.
t Galat. 6. 8.
† Ioan. 1. 17.

Sic eſt, Auditores : Dei Filius à ſemper *ſemetipſum exinanivit, humiliavit ſemetipſum* u, per incarnationem, per crucem, & per mortem; & pro ſemper erit verum dicere, quòd factus eſt homo quòd mortuus eſt ſuper infami patibulo crucis : ipſe defert charactêres, qualitatem, & nomen crucifixi x : jam à mille & ſexcentis & ſeptuaginta annis & ampliùs nobiſcum eſt, & nobiscum erit uſque ad finem mundi, *Ecce ego vobiscū ſum omnibus diebus uſq; ad conſumationē ſæculi* y. Sed ſtupore cieor, cùm cōſidero quòd Deus conſecravit memoriam ſuæ mortis in convivio z. Simili ſtupore percitus eſt S. Joan. a, cùm Spiritu raptus in cœleſtē Jeruſalem, inter cantica lætitiæ vidit *Agnum ſtantē tanquam occiſum.* Heu Auditores, quomodo fieri poteſt ut in Empyreo ubi rāta pax eſt, reperiatur cædes, & mors? Scire vellē rationē propter quā Jeſ⁹ Chriſt⁹ conſervavit memoriā ſuæ mortis in inſtitutione hujus Sacramēti per largi-

III. Pars.
u Philipp. 2. 7. & 8.
x Marc. 16. 6.
y Matth. 28. 20.
z Matth. 26. 26.
a Apoc. 5. 6. &c.

profuſionem quam fecit corporis ſui fidelibus. Ratio illius mihi videtur hæc, quòd, cùm hoc Sacramentum ſit Sacrificium & Sacramentum ſimul, cùm prout Sacrificium adimpletum fuerit ſuper cruce, & quatenus Sacramentum reiteretur quotidie, debebat oſtendere virtutes quæ magis emicuerunt in cruce. Hæ autem ſunt, amor, humilitas, & obedientia.

Sacrificium crucis fuit cruentum, ſed Sacrificium Euchariſtiæ eſt incruentum. Dei filius magnificat amorem ſuum in cruce æquè ac in Euchariſtiâ: nam ſi *maiorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* b, longè majorem habuit Dei filius, qui poſuit ſuam etiam pro inimicis ſuis, ut ait illi S. Bernardus c, *Tu maiorem habuiſti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis.* Pro iſtis enim effudit ad ultimam uſque guttam Sanguinis ſui, ſic ut cruci ſuffixus, nec volens exprimere guttas Sanguinis remanentes in corpore ſuo, effecerit ut *terra mota* d ſit, ut concutiendo crucem, violentia reſiduum illius educeret. Hunc amorem oſtendit in Euchariſtiâ, quam inſtituit in memoriam mortis ſuæ, in quâ nos alit corpore ſuo, ubi nobis dat humanitatem ſuam, & ubi facit æternam depreſſionem. Deus eſt vaſtus Oceanus gratiarum & divitiarum, nos ſumus velut exiguum mare mediterraneum: nulla eſt communicatio Oceani cum mari mediterraneo niſi per exiguum canalem: Deus eſt Oceanus, nos verò mare mediterraneum, communicare non poſſumus gratiis Dei, niſi per canalem humanitatis Sacræ.

Ibi obſervo etiam humilitatem, cujus primus gradus eſt abnegatio propriæ excellentiæ ſuæ intuitu nihili ſui. Humilitas B. Virginis Mariæ diſpoſuit ipſam ad Divinam Maternitatem, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* e. *Id eſt, nihilitatem*, ut vertunt aliqui. Primus iſte gradus Deo convenire non poterat ob magnitudinem ſuam. Secundus gradus illius eſt, cùm quis gaudet in contemptu: iſte convenit Jeſu Chriſto: non enim fuit agnitus niſi parùm in nativitate ſuâ f, in epiphaniâ ſuâ g, & in præſentatione ſuâ in templo h: ferè autem per totum reſiduæ vitæ ſuæ tempus fuit incognitus & contemptus. Tertius, & eminentiſſimus eſt, cùm quis eligit conditionem vitæ, in quâ poteſt humilitatem meliùs exercere. Jeſus Chriſtus natus eſt è Matre paupere, in apparatu egeno inter animalia i: voluit haberi ut *fabri filius* k. Semper vixit *pauper, & in laboribus à juventute* l ſuâ. Diſcipuli ipſius *omnia* m reliquerant, & nihil poſſidebant, ſicut ipſe. Sed humilitas quæ ſtupore ciet homines & Angelos, eſt humilitas crucis, *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem crucis* n. Non ſolùm *formam ſervi accipiens* o, ſed etiam figuram peccatoris, *In ſimilitudinem carnis peccati* p. Quod eſt ultima depreſſio, *Quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant*, ait S. Auguſtinus q.

Tertia virtus eſt obedientia. Ipſe obedivit non ſolùm decreto ſuæ incarnationis, quod impleri debebat in tempore r, non ſolùm parentibus ſuis s, ſed etiam inimicis ſuis, militibus qui ipſum dirè excipiebant t, & carnificibus qui ipſum crucifigebant u: *Ipſe Salvator pratulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiam non implere*, dicit S. Bernardus x. Obedientiam, quam continuavit uſque ad mortem: & hæc eſt perſeverantia y, ſine qua martyrium non eſſet gratum Deo. Depreſſio æterna: cùm homines ſe deprimunt, hoc agunt ad tempus; contemptui gloria ſuccedit: pœnæ noſtræ in hoc mundo non ſunt æternæ: ſed depreſſio Jeſu Chriſti in Euchariſtia eſt æterna. *Exurge Domine Deus in præcepto mandaſti, & Synagoga populorum circumdabit te* z. Ipſe præcipis nobis depreſſiones, ipſe exerces eas, quandiu nos ſuperbia tumemus. Humiliemus nos, Auditores, cùm inde ſimus exaltandi † in gloria.

b Ioan. 15. 13.
c S. Bern. ſerm. in Fer. 4. hebd. Pœn.
d Matth. 27. 51.
e Luc. 1. 48.
f Luc. 2. 14.
g Matth. 2. 1. &c.
h Luc. 2. 28. &c.
i Iſai. 1. 3.
k Matth. 13. 55.
l Pſ. 87. 16.
m Matth. 19. 27.
n Philipp. 2. 8.
o Philipp. 2. 7.
p Rom. 8. 3.
q S. Aug. tract. 1. in Ioan. 1. 3.
r Pſ. 39. 8. & 9.
s Luc. 2. 51.
t Matth. 26. 50. &c.
u Ioan. 19. 18.
x S. Bern. in Declam. in princip.
y Matth. 24. 13.
z Pſ. 7. 8.
† Luc. 18. 14.

SABBATHO INFRA OCTAVAM
Corporis Chriſti.

Maria autem ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Luc. 10. 39. &c.

VErum eſt quòd amor eſt Pater adinventionum. Amoroſus Salvator animarum noſtrarum, ductus amore hominum, quæſivit manifeſtare affectus ſuos per tot genera adinventionum, ut citiùs numeraſſet quis numerum aſtrorum quæ micant in cœlo, quàm minimum artificiorum ingenioſorum quibus Dei Filius hic utitur ad ſe communicandum intimis animabus noſtris, *Notas facite in populis adinventiones eius*, ait Iſaias a. Nunquam tot præ ſe tulit iris colores, nunquam mare tot in abyſſis ſuis habuit ſinus, nunquam pater diei tot habuit radios in luminibus ſuis, quot Divinus iſte Reparator adinvênit modos, quibus mediis teſtaretur nobis amorem ſuum: inter alios autem ipſe ſe reddit Magiſtrum noſtrum: Jeſus eſt veluti Præceptor docens in Euchariſtia: Magdalena eſt ipſius diſcipula, hæc attendit ad id quod ipſe dicit; ipſa non loquitur, ſed audit, *Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Cleopatra, Ægypti Regina diſſolvi fecit aliàs duos uniones pretii incomparabilis, ut ex iis potum propinaret Marco Antonio amaſio ſuo, vel potius ut ex illis ſacrificium faceret vanitati ſuæ: Jeſus autem propter amorem noſtrum nobis dat duos uniones ſuos, Divinitatem ſuam, & humanitatem ſuam in Euchariſtia. Hæc eſt lectio quam Jeſus facit Magdalenæ quæ audit verbum ipſius ad pedes ipſius. B. Virgo eſt auditrix ſimul, *Et Mater eius conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo* b. Ipſa fuit etiam Magiſtra, & Doctrix: ipſa doctè locuta eſt, reſpondens Angelo, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* c, cùm audivit ab eo, *Ave Maria.*

Sponſus ſacer duas res exigit à Sponſâ ſua dilecta veluti probationes affectus, & obedientiæ ipſius erga ſe, nimirum, aures, & oculos, *Audi filia, & vide* d. Sponſus conſiderat illam in duobus ſtatibus, utputà, in Eccleſia militanti, & in Eccleſia triumphante. In ſtatu vitæ præſentis, petit ab ea aurem, ut ſit auditrix, *Audi filia*. In ſtatu verò alterius vitæ, requirit ab ea oculos, ut ſit comprehenſrix, *Et vide*. In hac vita requiritur auris: ſic *Fides ex auditu* e. In hoc Sacramento omnes ſenſus fallunt, excepto auditu. Quotnam abuſus in ſenſibus externis? Quantùm ad viſum, nunquid non putat aliquis ſe videre, cùm non videt,

a Iſai. 12. 4.
b Luc. 2. 51.
c Luc. 1. 38.
d Pſ. 44. 11.
e Rom. 10. 17.

vi-

Digitized by Google

videns interdum veluti volitare ſcintillas cùm caligine ſuffunditur? & ſi videt, nonne videt res, quæ rectæ ſunt, curvas in aqua; & res quæ magnæ ſunt, parvas à longè? Quanta depravatio in guſtu propter vel exiguum humorem qui diſſolvatur in corporibus noſtris? Quàm ingens deceptio inter bonos & malos odores quantùm ad olfactum? Quàm magna deluſio in tactu, ſicut etiam in ſenſibus internis recipientibus objecta ſua à ſenſibus externis? Senſus communis nunquid non ſequitur abuſus conceptos in eis? Et phantaſia quæ ſuos deſumit ex iſto, nonne communicat erroribus ejus? Quin imò intellectus ipſe quomodo determinare & inferre poteſt è tot relationibus infidelibus, niſi ratiocinationes peſſimas? In hoc Sacramento, viſus nos decipit: non enim videmus in eo niſi albedinem, & rotunditatem: guſtus nos fallit, cùm in eo deguſtemus ſapòrem panis: odoratus doloſus eſt, cùm in eo olfaciamus odorem vini: & tactus fallax eſt, cùm in eo non tangamus niſi primas qualitates: ſed auditus eſt certus, *Audi*. In viſu cognitio non eſt certa, ſic ipſa non eſt pro hâc vitâ, ſed reſervatur in alteram vitam, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem* f. Et hoc eſt quòd facit pœnam animarum ſanctarum in iſto mundo, videlicet, non poſſe revelata facie videre. Et ſicut privatio viſionis Dei pro ſemper, eſt infernus damnatorum g; & privatio viſionis ejuſdem Dei pro tempore, eſt infernus animarum languentium in purgatorio h: dico quòd infernus myſticus animarum ſanctarum in iſto mundo, eſt non poſſe videre Dilectum ſuum intuitivè, eoque frui, *Dura ſicut infernus æmulatio* i. Debemus eſſe auditores in iſta vita more Magdalenæ, *Audiebat verbum illius*. Aurem dare debemus, *Audi*. Ex iſto Sacramento Jeſus loquitur ut Magiſter: debemus ergò diſcere ab eo id quod ipſe dicit, ut docti fiamus. Sed ſicut non ſufficit audire, ſed oportet habere Magiſtrum, libros, & ſcientiam: Jeſus nobis eſt Magiſter, liber, & ſcientia in Euchariſtia, quemadmodum volo vobis oſtendere in tribus partibus diſcurſus iſtius.

f 1. Cor. 13. 12.
g Matth. 25. 41.
h Malach. 3. 3.
i Cant. 8. 6.
Diviſio.

Ad diſcendum requiritur Magiſter: & Magiſtri ſemper fuerunt in omnibus Scientiis, & Artibus: Demoſthenes & Cicerones in Eloquentia, Ariſtoteles & Platones in Philoſophia, Doctores Angelici & Seraphici S. Thomæ & S. Bonaventuræ in Theologia, Euclides in Mathematicis, Quinti Curtij in Hiſtoria, & Machiavelli, ſi velitis, in maledicta Politia: oportet ut ſit Magiſter ad edocendos Chriſtianos ſalutem ſuam. Sed quis erit iſte Magiſter? Is erit Jeſus Chriſtus: ſic eſt: Jeſus Chriſtus, & Jeſus Chriſtus ſummus iſte Magiſter in SS. Sacramento Euchariſtiæ. Deus Pater omnia fecit Verbo ſuo, *Omnia per ipſum facta ſunt* k. Sermo vivus ipſius univerſa eduxit è nihilo, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt* l. Oportebat etiam ut repararet mundum eodem Sermone, qui eſſet Magiſter qui doceret homines. Sic Clemens Alexandrinus m ait, quòd in hoc Sacramento *Verbum eſt omnia infanti, & Pater, & Mater, & Pædagogus, & Altor*.

1. Pars.
k Joan. 1. 3.
l Pſ. 148. 5.
m Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 6.

Tres tantùm ſunt perſonæ in SS. Trinitate, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* n. Pater ſolus loquitur in æternitate, *Semel locutus eſt Deus* o. Spiritus ſanctus non loquitur: Verbum eſt ſermo pronunciatus, ſed non loquens; productus, non producens. Deus loquens producit Verbum ſuum, *Eructavit cor meum Verbum bonum* p. Sermo ipſius, ſeu Filius, eſt mutus, eſt auditor in æternitate, *Omnia quæcumque audivi à Patre meo* q. Sic ipſe eſt dictio Patris ſui, quæ ipſum exprimit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* r. Triplex eſt genus perſonarum, quæ ſolùm debent loqui: ſic non pertinet niſi ad Magnates loqui, & benè loqui, ad Deum, ad Angelos, & ad homines. Ad Deum, loqui in æternitate formando Sermonem ſuum, qui eſt ipſius expreſſio viva, character Divinæ ſimilitudinis ipſius, *Qui eſt imago Dei inviſibilis* s. *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* t. Spiritus ſanctus loquitur in tempore, & ſuper terra, & intuendum ſe exhibet Apoſtolis in forma linguarum ignearum, *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis* u. Quod innuit, quòd ad ipſum ſpectat loqui. In cœlo ipſe eſt Teſtis Verbi Patris, ut deponat in favorem illius, ſicut ipſummet *Verbum caro factum* x, ait, *Cùm venerit Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me* y. Hic Spiritus ſanctus loquitur ſuper terra, *Spiritus qui loquitur in vobis* z. Filius nunquid non loquitur in æternitate? Ipſe, eſt Sermo loquens, & mutus. Loquens in tempore, *Aſcendit Jeſus in templum, & docebat* a. Tabernaculum eſt ipſius thronus gloriæ, & cathedra unde ipſe docet. *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus* b. Ipſe, eſt Verbum corporeum *in utero* c Virginis Matris. In cœlo, ipſe eſt Verbum ſpirituale, & non loquitur. Per incarnationem, *In ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inventus ut homo* d. Sed loquitur, & loquitur ut Deus in Euchariſtia, *Hoc eſt corpus meum* e. Illud, non eſt verbum hominis, ſed Dei: verbum potens, efficax, miraculoſum, quod facit hanc mutationem, iſtam tranſubſtantiationem panis in corpus, & vini in ſanguinem Jeſu Chriſti. Sacerdotes non ſunt niſi miniſtri Jeſu Chriſti, non loquuntur niſi ore illius, *Hoc eſt corpus meum*. In hoc ergo Sacramento Verbum incarnatum loquitur, quod ſilentium cuſtodiverat in cœlo: Verbum loquens, & Verbum *vitæ* f, quod facit hoc miraculum: & ibi loquitur ut Deus, *Hoc eſt corpus meum*. Ibi loquitur ut Angelus. Sed quomodo loquuntur Angeli? *Si linguis hominum loquar, & Angelorum* g. Angeli ergo loquuntur: & quomodo? Angeli inferiores volentes loqui ſuperioribus, dirigunt ad eos cogitationes ſuas: & hæc eſt loquela Angelorum inferiorum intuitu ſuperiorum. Superiores loquuntur inferioribus; loquendo eis, purgant eos, & illos illuminant: & hoc modo Verbum nobis loquitur in Euchariſtia, ſicut Angelus: ipſum purgat nos à tot peccatis, à tot pravis affectibus, à tot imperfectionibus. Videte hominem qui accedit ad hoc Sacramentum: intuemini quomodo in meliorem emendationis vitæ ſe recipiat frugem, & non vacet ampliùs malis praxibus: quo pacto fomes iſte concupiſcentiæ h, quem hæreditavimus à primo Parente noſtro i, eſt mortificatus. Hic purgatur à peccato mortali, purgatus ab originali in Baptiſmo, ibi *renatus ex aqua & Spiritu ſancto* k. Præterà, Verbum incarnatum, in Euchariſtia illuminat loquendo, loquitur illuminando. Recenſetur eſſe quidam piſcis qui vocatur Lucerna, eò quòd habeat linguam lucentem: Dei Filius in Euchariſtia illuminat. *Accedite ad eum, & illuminamini* l. Videte has animas perſpicaces in via Dei, & ſalutis ſuæ. Perficit ipſe has animas, quæ abſtinent à minimis imperfectionibus, quæ magnis greſſibus

n 1. Joan. 5. 7.
o Pſ. 61. 12.
p Pſ. 44. 2.
q Joan. 15. 15.
r Joan. 1. 1.
s Coloſſ. 1. 15.
t Hebr. 1. 3.
u Act. 2. 3.
x Joan. 1. 14.
y Joan. 15. 26.
z Matth. 10. 20.
a Joan. 7. 14.
b 1. Reg. 3. 10.
c Luc. 1. 31.
c Iſai. 7. 14.
d Philipp. 2. 7.
e Matth. 26. 26.
f 1. Joan. 1. 1.
g 1. Cor. 13. 1.
h Rom. 7. 23.
i Rom. 5. 12.
k Joan. 3. 5.
l Pſ. 33. 6.

nec-

Digitized by Google

incedunt euntes *de virtute in virtutem* m. Hal ca mius Magiſter, quàm ritè loquitur in hoc Sacramento: hîc loquitur ut homo, non indifferenter, ſed ſicut primus hominum. Quinam ſunt primi hominum? *Hi*, *non* ſunt Reges, quàmvis ſceptra ferant & diademata, cùm præcipua authoritas ſit authoritas ſpiritus: hi ergo, ſunt Sacerdotes, qui habent authoritatem ſuper animas, quam acceperunt ab eodem Filio Dei, dicente *eis*, *Accipite Spiritum ſanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis & quorum retinueritis, retenta ſunt* n. Ad iſtos loqui ſpectat, & ipſi loquuntur in Euchariſtia, in qua non eſt aliquid intueri præter benedictiones & orationes. Verbum in Euchariſtia loquitur ut Pontifex, *Erat prius pontifex ſanguine taurorum & hircorum purificans populum : ſed ex quo venit verus Pontifex, qui ſanguine ſuo ſanctificaret credentes, nuſquam eſt ille pontifex prior, nec ullus ei relictus eſt locus*, ait Origenes o. In hoc Sacramento Jeſus Chriſtus eſt Sacerdos & victima: ut Sacerdos, eſt benedicens; ut victima, benedicitur: benedicit, & benedicitur: videte tot ſigna crucis, non ſolùm ante conſecrationem, ſed etiam poſt, cùm Jeſus Chriſtus ſit ibi benedicens, & benedictus, *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam meam.* Loquitur igitur ut Magiſter eximius, & ſupremus omnium magiſtrorum. Re autem vera axioma Philoſophorum eſt verum, *Cauſa primaria eſt magis influens in effectum, quàm ſecunda.* Quis verò dubitat quin Deus, Magiſter iſte ſupremus, hæc Cauſa originalis omnium cauſarum, influens in animas noſtras hâc luce ſupernaturali fidei, quam nobis inſpirat per aurem, docendo nos, nobis det eam perfectiorem omnibus cognitionibus, quas ſumimus è creaturis, cùm claudemus oculos omnibus notitiis doloſis naturæ, ſenſuum externorum, ſenſus communis, phantaſiæ, & intellectus, ut adhæreamus revelationibus quæ nobis veniunt ab ipſomet Deo per auditum?

m Pſ. 83. 8.
n Joan. 20. 22. & 23.
o Orig. hom. 10 in Levit. c. 9. &c.

Comparatur homo ab aliquibus ellychnio candelæ accenſæ. In hac autem candela triplex obſervatur lux, una rubea adhærens ellychnio, quæ eſt in infima parte ellychnij; altera cærulea adhærens ellychnio rubeo, quæ altior eſt; tertia candida, quæ eſt ſupra cæruleam: ellychnium eſt corpus, hæc triplex lux eſt anima: ſi hæc adhæreat parti nigræ ellychnii, quæ eſt pars inferior & animalis hominis, ipſa efficitur rubea, id eſt, alterata, & ſimilis igni, ad quem ipſa eſt deſtinata: ſi adhæreat ellychnio rubeo quod eſt pars ſuperior animæ, fit ipſa cærulea, id eſt, tota cœleſtis: & ſi ipſa perſeverat *uſque in finem* p, efficitur ipſa candida, id eſt, ſpecioſa & glorioſa in omnem æternitatem. Omne id quod adhæret huic parti inferiori, ab ea conſumitur, & deſtruitur, quia cùm ſit nigra, tenet ipſa locum mortis: ideòque dicebat Apoſtolus q, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed candida conatur ſe diſſoluere à terrenis, ut ſurſum feratur: propterea debemus adhærere huic igni ſplendenti, & iſti lucernæ candidæ fidei, de qua dicere poſſumus id, quod S. Ambroſius r ait de luce communi, quòd ſi hæc deſit, nullum erit ornamentum, vel oblectamentum domi: *Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias ſtruere deſiderat, antequàm fundamenta ponat, unde lucem ei infundat explorat: & ea prima eſt gratia: quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu.* Hoc autem ſanctus iſte Doctor ſumpſiſſe videtur ex Homero, de quo refertur, quòd, cùm aliquando intemperies aëris agitati pluviis, fulguribus diſſecti, & turbinibus commoti induxiſſet ipſum ad ſe recipiendum in quoddam caſtellum, illuc ſuſceptus eſt præ omni urbanitate: & ſicut ipſe rigebat frigore, accenſus eſt ignis ingens in ipſius cubiculo; ſtatimque vir iſte magnus, cuius ingenium non poterat quin produceret aliquid dignum ſe, compoſuit verſus continentes in ſubſtantia, quòd ſicut liberi erant ornamentum & corona patris, turres decor mœnium, equi camporum, naves maris, & Magiſtratus circuli ſeu concionis; ſic ignis accenſus, erat gaudium domus: ſi ingrediamur caſtellum Euchariſtiæ, nihil in eo videbimus ſine hac luce S. Ambroſii, qua Magiſter noſter nos illuminat, illuc excipiemur ab hac ſpecioſa flamma fidei meliùs quàm fuerit exceptus Homerus ab igne illius caſtelli. Ipſa eſt fides, quam ſummus iſte Magiſter nobis inſpirat in Euchariſtia. Ipſa venit ex auditu, & auditus è verbo, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti* s. Quod verbum, prout ardens & inflammatum amore, corda noſtra calefacit affectu ſancto, ſicut ait David, Deum alloquens, *Ignitum eloquium tuum vehementer* t. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius* u. Si autem Magiſter iſte Divinus non facit florere fidem ſuper animas noſtras, quomodo creatura poterit eam in illis collocare? Inniti debemus huic verbo, ſic ut ipſum ſit iſtud lumen, quod præcedat greſſus noſtros, quemadmodum dicit idem Pſalmiſta x Deo, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Et veluti columna ſuper quam fides ſit elevata quaſi præ triumpho, ſicut *nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo* y Iſraëlitico. *Chriſtus enim eſt columna propter rectitudinem & ſtabilitatem, & quia ipſe fulcit Eccleſiam, & infirmitates noſtras, facitque ut & ipſa Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis* z, ſubdit Cornelius a. Convenientiam habens cum lapide qui vocatur Phengites, qui ſuſpenſus in aëre, intuendum exhibet iis, qui ipſum aſpiciunt, id omne quod circum ipſum eſt, quo Domitianus perhibetur uſus in aulis & conclavibus ſuis, ut detegeret quidquid ibi peragerettur, imò verò in triumphis ſuis: *Phengites, lapis duritiâ marmoris, candidus & tranſlucens: unde & nomen habet. Nam φλυγ⊙ ſplendorem ſignificat*, ait Calepinus b.

p Matth. 24. 13.
q Rom. 7. 24.
r S. Ambr. lib. 1. Hexam. c. 9.
s Rom. 10. 17.
t Pſ. 118. 140.
u Pſ. 18. 7.
x Pſ. 118. 105.
y Exod. 13. 22.
z ex 1. Tim. 3. 15.
a Cornel. in Exod. 13. 22.

Sermo Divini iſtius Magiſtri, qui redigit *in captivitatem omnem intellectum in obſequium* c ſui, ſub hoc myſterium fidei. Ut autem meliùs concipiatis iſtam veritatem, obſervate quòd datur quintuplex genus cognitionum, quæ omnes procedunt ab hâc cognitione infinitâ Dei in Empyreo, quæ facit gloriam Sanctorum, & juxta quod ad eam accedunt plùs vel minùs, plùs vel minùs perfectæ ſunt. Prima, eſt cognitio ſenſuum noſtrorum externorum, & internorum. Secunda, eſt intellectus noſtri, de quibus loquebar vobis ſuprà, Tertia, eſt fidei. Quarta, eſt beatifica. Quinta, eſt eſſentialis. Prima, terminatur ad notitiam accidentium; qualia ſunt album & nigrum, &c. Secunda, non ſolùm ad accidentia, ſed etiam ad ſubſtantias naturales. Tertia, comprehendit id omne quod eſt, imò verò res ſupernaturales præcipuè, licèt cum aliquâ obſcuritate. Quarta, extenditur ad res ſupernaturales, Divinas, & futuras, ſecundùm gradum meriti in cœlo. Quinta, ſeu cognitio Dei eſſentialis, terminatur ad omnes res poſſibiles, futuras, & præſentes, *Omnia autem*

b Calep. in Dict. V. Phengites, ex Plin. lib. 36. c. 22.
c 2. Cor. 10. 5.

nuda

Digitized by Google

nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo d. Atqui cognitiones iſtæ, perfectæ ſunt juxta quòd accedunt ad Deum, ſic ut fides quæ eſt participatio perfectior aliis duabus ultimis, accedat plùs ad cognitionem Beatorum, quàm ad rationem: atqui myſterium Euchariſtiæ eſt fundatum ſpecialiter ſuper fidem: nam licèt omnia alia myſteria noſtræ Religionis ſuper eam ſint fundanda, tamen nullum eſt quod ſuper illam ſit plùs fundatum quàm iſtud: alia quippe omnia myſteria plùs habent fundamenti in ordine naturæ, quàm iſtud. Myſterium SS. Trinitatis probatur rationibus, & videmus Solem per ſubſtantiam ſuam repræſentare Patrem; per lumen quod exit ab ipſo, Filium; & per calorem ſuum, Spiritum ſanctum. Sic in Incarnatione, videmus aliquando duos calamos differentes inſertos eidem trunco, quod denotat nobis naturam Divinam & naturam humanam ſimul unitas in perſona Verbi. Semen quod putreſcit, & deinde renaſcitur, nobis figurat reſurrectionem corporum noſtrorum: ſed non invenimus aliquid in natura, quod perſuadere nobis poſſit quòd corpus integrum ponatur in puncto, quòd ſit in pluribus locis eodem tempore, & quòd operetur tot mirabilia. Eſt igitur *myſterium fidei*, ſicut ait Eccleſia. *Præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui.* Et S. Gregorius e, *Unicuique animæ, cui Dominus miſericorditer præſidet, ante omnia fidei fortitudinem præbet.* Et ante hunc, & illum Iſaias f, *Pro eo quòd fuiſti derelicta, ponam te in ſuperbiam ſæculorum.* Intellectus tuus obſequium libenter præſtabit luminibus meis; imò tui ſenſus oſculabuntur veſtigia veritatum, quæ è ſermone meo tranſeuntes per aures tuas, excipientur in cor tuum, *Venient ad te curvi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum.*

d Hebr. 4. 13.

e S. Greg. lib. 31. Mor. c. 17

f Iſai. 60. 15. & 14.

II. Pars.

Non ſufficit habere Magiſtrum ad diſcendum, requiritur ad hoc etiam liber. Quidam non erat doctus niſi in libro ſuo: cum libro ſuo loquebatur aurea, & ſine libro ſuo mutus erat. *Quare S. Antonius cuidam roganti, quomodo in eremo ſine libris vivere poſſet? reſpondit: Meus liber, ô Philoſophe, eſt natura rerum à Deo condita, in qua quotieſcumque mihi libuerit, libros ipſius Dei ad legendum ſuppedit at. Ita refert a Socrates*, ait Cornelius g. *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & Divinitas* h. Alius dicebat, quòd nullus requirebatur liber inutilis: ſed hic excuſabilis erat: nam libri revocant præteritum, & nobis revivere faciunt tot ſpecioſas res, quæ latebant in oblivione, & quæ locari merentur in firmamento. Quid autem facerent homines ſine libris? Authores multi ſunt, qui multos compoſuerunt libros: libri ergo ſunt neceſſarii ad diſcendum: requiritur ad hoc liber, æquè ac Magiſter. Quiſnam autem erit liber iſte? Eritne Methodus ſerviendi Deo? Vos autem non vultis eam diſcere. Introductio ad vitam devotam? Quiſnam igitur? Heu! vos quæritis libros curioſos ad diſcendum benè loqui Gallicè: & hoc eſt totum quod agitis: & interim mente revolvitis omnes impuritates & ſordes Galliæ, Hiſpaniæ, & Italiæ, quæ ex oculis illabuntur corda veſtra ad ea inficienda, quandiu de aliquo libro qui vos edoceat obſequium & officium veſtrum, nullo modo eſtis ſoliciti. Sed neceſſarius eſt vobis liber ad cognoſcendum Deum, ſicut Patri ſuo *Ieſus, ſublevatis oculis in cælum, dixit, Pater, Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum,*

g Cornel. in Gen. 1. 3. citans Socrat. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 18.

h Rom. 1. 20.

& quem miſiſti Ieſum Chriſtum i. In Euchariſtiâ autem, Jeſus Chriſtus eſt Deus & homo: en ſpecioſus iſte liber Jeſus Chriſtus in hoc Sacramento, in quo habemus veras & ſalutares ſcientias ſalutis. Is, eſt liber quem Deus præcepit Ezechieli, ut comederet; & quem iſte Propheta ſic invênit dulcem, ut ipſum more mellis deguſtaverit; ſicut ipſemet ait, *Et dixit ad me, Fili hominis, comede volumen iſtud. Et comêdi illud: & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce* k. Ipſe eſt, ſicut ait idem Ezechiel l, *involutus liber, qui erat ſcriptus intus & foris: & ſcripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Iſte liber, eſt ſcriptus foris ſpeciebus Sacramentalibus, & accidentibus aliquarum figurarum, & aliquorum charactêrum: intus omni magnitudine & omni gloriâ æternâ: & exaratæ ſunt in illo maledictiones adverſùs omnes qui ad ipſum indignè accedunt: *Qui enim manducat, & bibit indignè: iudicium ſibi manducat, & bibit* m. Cùm Deus injunxit Ezechieli, ut comederet hunc librum, Propheta non eſt ratiocinatus ſuper hoc mandatum Dei, noluit ſcire quiſnam eſſet ille liber, eum aperire, legere, & examinare: ſed ſtatim illum comêdit, & invênit eum dulcem inſtar mellis, *Et aperiui os meum, & cibavit me volumine illo. Et comêdi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Jeſus Chriſtus, iſte *Liber eſt vitæ* n, de quo canit Eccleſia,

i Ioan. 17. 3. &c.

k Ezech. 3. 1. &c.

l Ezech. 2. 9. & 10.

m 1. Cor. 11. 29.

n Apoc. 20. 12.

In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

Iſtud, eſt mirabile fidei viventis & promptæ. Obſervate, ſi placet, quàm feſtinanter Hebræi comederent agnum Paſchalem in Lege antiquâ o. Deus exigebat ab eis, ut veluti volarent in hàc actione, & ut os illorum eſſet velut ingens fornax accenſa, quæ ſubitò conſumeret illum cibum legalem; alioquin ſi ignis cordis ipſorum, & ardor oris ipſorû non ſufficiebant ad eum citò conſumendum, ipſe volebat ut inſumeretur ignis materialis in auxilium, in quem reliquiæ cibi illius projicerentur, *Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis. Et comedetis feſtinantes.* Ipſi vel Ethnici legiſſe videntur in iſto libro; nam Ægyptii tempore Moyſis & Pharaonis, ut dicunt aliqui, adorabant agnum circumdatum ignibus & flammis velut Deum ſuum, ut inde fortè ſignificarent, quòd Deus ſuis purificaret omnia, ſicut dicitur de igne; vel forſan ad innuendum, quòd omnia converteret in ſe, ſicut ordinariè videmus in igne: ſed puto, quòd inde volebant oſtendere, quòd non accedendum eſſet ad Deum ipſorum niſi à procul, ſicut ad ignem; quòd ipſe non deberet tangi, nec contrectari ſenſibus, non ſecus ac nos non tangimus ignem; ideòque quòd non deberet conſiderari niſi fide, quæ eſt lumen igneum, ignis amoris, humilitatis, & obedientiæ. Sed quomodo, dicetis mihi, comedere hunc Deum igneum, igne? *Etenim Deus noſter, ignis conſumens eſt* p. Ignis autem devorat-ne alium ignem? Etiam, Auditores. Ignis veſter devorabit ignem illius, & ignis illius devorabit ignem veſtrum, & ex utroque non fiet niſi unus, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* q. Sed Deus oſtendere volens (aiunt Authores illi) quod agnus Ægyptiorum non erat Deus, ſed animal obnoxium corruptioni, præcepit populo ſuo ut comederet agnum legalem; ut conterentes hoc animal dentibus, & convertentes carnem eius & ſanguinem illius in ſubſtantiam ſuam, cognoſcerent illud fuiſſe deſtitutum

o Exod. 12. 11. &c.

p Hebr. 12. 29. ex Deut. 4. 24.

q Ioan. 6. 57.

tum ratione, & creatum duntaxat ob ſervitium hominis, non autem Deum, qui foret finis ultimus & beatitudo hominis. Eodem modo ſe geſſit Moyſes, quem Dominus conſtituerat *Deum Pharaonis* r, adversùs Hebræos idololatras, de vitulo aureo quem elevaverant velut Deum ſuum, *Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt.*
r Exod. 7.1. s Exod. 32. 8. & 20. *Arripienſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël* s. Amor incomparabilis iſtius ſummi Magiſtri! Ipſe vult ut ipſum comedamus, ut fiamus caro ſua, & bibamus ſanguinem ſuum: quod nobis figuratur per illum librum Prophetæ.

Sed quid? quòd comedatur, quòd conteratur dentibus, quòd trajiciatur in ſtomachum, & ibi digeratur? Ha! hoc, non eſt agnoſcere iſtud *myſterium fidei*, quod legimus in Euchariſtiâ. Comeditur quidem: ſed quid? moritur ne propterea?
t Rom. 6.9. Nequaquam: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur* t. Manducatur vivens, & immortalis. Verum quidem eſt quòd tranſit per dentes corporeos, & quòd veſtimenta ſpecierum Sacramentalium & ſenſibilium poſſunt iis conteri; ſed corpus iſtud glorioſum & ſpiritualizatum non poteſt eſſe obnoxium illorum morſibus: ſuaviter illabitur glorioſum & ſine alteratione in ſtomachum, ubi anima & cor uniuntur ipſi, & ibi ipſum tandiu reſidet quandiu veſtes iſtæ ſpecierum Sacramentalium remanent integræ; & ſtatim ac amiſerunt formam ſuam, non adeſt ampliùs ibi iſte Dei Filius per præſentiam ſuam corpoream.

u Apoc. 5.1. &c. En illum, quem vidit S. Joannes u, *Librum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terrâ, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum*, præter Agnum qui novit eundem *aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius.* In quo apparet ipſe manifeſtè, Deus, faciens tantâ poteſtate miracula ſic celebria, ut inveniret modum uniendi ſuiipſius perſonaliter cordibus noſtris. Eſſetne Deus, niſi haberet poteſtatem producendi omnis illius quod amor ſuus, qui *non habet finem* x, dictaret ipſi, præſertim cùm contradictio & repugnantia factibilitatis paſſivæ non
x Baruch. 3.25. y Isai. 45.15. z Pſ. 17.12 a Ezech. 31.1. &c. & Apoc. 10. 9. & 10. reperitur in re de quâ agitur? Sed quis comprehendere poſſet excellentias iſtius libri? Deus ſolus. *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator* y. *Poſuit tenebras latibulum ſuum* z. Comedendus eſt iſte liber, amarus ventri, & dulcis gutturi a. Sed quid ſignificat hoc, amarus ventri? Amarus eſt hominibus animalibus, qui pœnam reperiunt & repugnantiam cùm agitur de confitendis peccatis ſuis, de ſe præparandis & diſponendis ſicut decet cum conditionibus requiſitis ad ipſum ſuſcipiendum:
b I. Cor. 2.14. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei* b. Dulcis verò gutturi, id eſt, ori hominum mortificatorum, qui vacant exercitiis virtutis & ſanctitatis.

Iſte liber Verbi fuit impreſſus primâ vice *in utero* c B. Virginis in Incarnatione, *Verbum caro factum eſt* d.
c Luc. 1.31. et Isai. 7.14. d Ioan. 1.14. e Matth. 26. 26. & 28. Secundâ vice in Euchariſtiâ ſuper altaribus noſtris, *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt ſanguis meus* e. Hæc eſt ſecunda ipſius editio, &, more librorum qui typis mandantur, tot conſecrationes, quæ fiunt ipſius, tot ſunt ipſius editiones. Deinceps prælo mandatus eſt à Spiritu ſancto: nam ſine libris conceptus noſtri evaneſcunt, & pereunt, ait Poëta,

Et ſemel elapſum, volat irrevocabile verbum.

Sed per ſcripturas ipſi remanent. Liber iſte Verbi manet. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis* f. Id eſt, per Spiritum ſanctum, qui eſt digitus Dei, ſicut illi canit Eccleſia, *Dextræ Dei tu digitus.* Pater æternus ipſum pronunciavit, f Pſ. 44.2. g Matth. 1.20. h 1. Petr. 1.23.
& hoc Verbum ſcriptum eſt in viſceribus B. Virginis à Spiritu ſancto: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* g. Et in Euchariſtiâ, quæ eſt ſpecioſus liber, in quo diſcere poſſumus omnes magnitudines, cùm ſciamus in eâ eſſe *Verbum Dei vivi & permanentis in æternum* h, quandiu alia verba pereunt. Loquamur igitur, & conemur habere ſemper in cogitatione hunc librum SS. Sacramenti, more S. Cæciliæ, de quâ canit Eccleſia, *Virgo glorioſa ſemper Evangelium Chriſti gerebat in pectore*: quandiu hebetabimus aciem infirmarum rationum noſtrarum, ut adhæreamus veræ & ſapidæ doctrinæ, quam legimus & deguſtamus in iſto libro Euchariſtiæ.

Ecce liber, cui applicare debemus ſtudium noſtrum: ſed ecce ſcientia quæ nobis eſt addiſcenda. III. Pars.
ſcientia noſtræ ſalutis, vera ſapientia. *Scientia eſt cognitio rei per altiſſimas cauſas*, ait Philoſophia. Diſcimus autem hanc ſapientiam per SS. Sacramentum, ubi Jeſus Chriſtus non eſſet Deus, ſi habens hanc poteſtatem abſolutam, de quâ loquebar vobis modò, non haberet etiam ſapientiam infinitam ad inveniendum medium conveniens executioni efficaci conſiliorum ſuorum. Eſſetne Deus, ſi habens hanc potentiam illimitatam ad omne genus operationum, non haberet etiam voluntatem exequendarum omnium communicationum ſupernaturalium, quas bonitas ſua facere poteſt omnibus creaturis rationalibus? Ipſe videbatur attigiſſe carceres & non plus ultra communicationum ſuarum in Incarnatione ſuâ per unionem hypoſtaticam cum naturâ noſtrâ, ſed hæc unio infinita, & quæ non poterat eſſe maior, non tangebat niſi unicum individuum totius naturæ humanæ: & licèt natura ſit univerſalis in omni individuo, tamen quodlibet particulare habet naturam ſuam particularem terminatam proprietatibus particularibus, huic autem naturæ unio perſonalis erat etiam communicanda, & ad hanc amor Divinæ Bonitatis poterat etiam effundi, ſicut diffunditur per Euchariſtiam, quam ſancti Patres vocant, Incarnationis extenſionem. *In quo divitias Divini ſui erga homines amoris, velut effudit*, ait Concilium Tridentinum i. Id eſt, Deus, in hoc i Conc. Trid ſeſſ. 13. c. 2.
Sacramento.

Admiramini igitur Auditores, quomodo Deus in Euchariſtiâ exhibens ſe cognoſcendum Deum omnipotentem, ſapientem, & bonum, nobis aperit admirabiliter iſtius myſterii fidei veritatem, & nos reddit peritos iſtius ſcientiæ eminentis, circa quam redigere debemus *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* k, ut k 2. Cor. 10.5.
ſuſcipere poſſimus impreſſiones & operationes revelationum & inſtitutionum quas nobis exhibet interventu luminis iſtius, licèt obſcuri, quòd facit hîc totam noſtræ peregrinationis fœlicitatem. Quare putatis quòd, cùm fides iſta ſit lux ita proficua, inſtructa proprietatibus omnibus, quæ habent convenientiam cum ſummo Bono, præſertim proprietate communicationis ſuiipſius, ſic nobiliter diffuſiva ſui, ut ne vel exiguus mundi ſit angulus, ſuper quem non effundat claritates ſuas, l Pſ. 18.5.
In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum l, tamen illuminare non potuerit

tuerit animas aliquorum errantium, qui ſuas haurire noluerunt utilitates ex iſtâ ſcientia, quam interventu iſtius fidei diſcere poterant? Ideò quia iſti mutant conſilia ſua ſecundùm tempora, ſicut turdi ſuũ ordinem volandi ſecundùm tempeſtates; nullam habent ſimmitatem in moribus ſuis, æquè ac nullam ſtabilitatem in fide ſua, ſed vivunt vita mutabili ex una forma in aliam, ſicut aqua quæ mutata ex uno vaſe in aliud, ſemper fluit, & accommodat ſe ad figuram vaſis in quod ſuſcipitur. Interrogatus aliàs Leothyclidas Lacedæmonius, quare ipſe variabilis eſſet, & tot ſitus & formas capeſſeret, quot chamæleon induit colores, ad omne genus occaſionum & occurſuum, Si muter, reſpondit, iſtud mihi contingit ex diverſitate temporum, non autem ex malitia. Sed illud dici non poteſt de novatoribus temporis noſtri, qui ſunt veluti ſpecula diſpoſita ad ſuſcipiendas imagines paſſionum & affectuum Pſeudoprophetharum novorum omnium qui ſucceſſivè per decurſum temporis apparverunt: ipſi non mutaot ripam & regionem per ordinem naturæ, ſicut aquæ fluminis, ſed fidem per cæcitatem: quomodo autem vultis ut radij fidei & ſcientiæ Divinæ poſſint operari ſuper tantam inconſtantiam, cùm ſuſcipi non poſſint inter motus ſic diverſos? Axioma Philoſophorũ circa iſtud eſt manifeſtum, quo fertur, *Virtus quæ influit ab aliquo agente, & quietè non figitur in recipiente, caret ſuâ operatione naturali, ſuo fine debito.* Et hoc ritè applicatur motibus animæ, qui ſupprimi debent per ſuſceptionem ſapientiæ, juxta iſtud aliud pronunciatum Philoſophicum, *Homo fit ſapiens & intelligens, anima dum quieſcit.* Et ipſa eſt fides, quæ collocat animam in quiete, quæ tribuit ei ſcientiam infallibilem, illam ſtabilit, & eam reddit immobilem & invincibilem. Ipſa, eſt hæc anchora aurea, quæ erat ſymbolum memoriæ inter Indos, ob tenacitatem adhærentem quæ retinet omnia. Sicut aliàs deſumebatur ignis ex altari aliorum deorum, ut luceret & arderet ſuper altari ſolis: ſic oportet ut colligamus omnes ignes affectuum noſtrorũ, & univerſos affectus potentiarum noſtrarum, ut eos ſplendere & ardere faciamus in ſuavem odorem humilis obedientiæ, præ radijs Solis *intelligentiæ* †, & ſcientiæ eminentis SS. Sacramenti Euchariſtiæ. † Sap. 7. 6.

Sed heu! Salvator adorande parce mihi, ſi places: non eſt intueri niſi infirmitatem in hâc ſcientia, & in iſta ſapientiâ, quam doces in iſto Sacramento, *Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam* m. Sed auſcultate, Auditores, quid ſtatim ſequatur, *Ipſis autem vocatis, Dei ſapientiam* n. Hic apparent quatuor dimenſiones, de quibus loquitur Apoſtolus o, *Vt poſſitis comprehendere quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Sapientia hîc apparet, quia diſcimus in iſto libro, quæ eſt ſumma ſcientiarum Divinarum. Accedamus igitur ad hunc Divinum Magiſtrum, apud quem ſapientes efficiemur & docti. Deus alloquitur nos in hoc adorabili Sacramento: dicamus, ſed dicamus appoſitè ſinguli, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* p. Sed quid eſt illud quod ipſe dicit? Præbeamus aurem, & audiemus eum dicentem nobis, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris* q. Seu, ſecundum Dionyſium Carthuſianum r, *Diſcite à me, non miracula facere, non mundum creare, ſed quia mitis ſum, inordinationem iræ impatientiæ penitus non habendo. Mititas quippe ſeu manſuetudo propriè dicitur virtus moralis iram refrænans. Mitis utique, imò mitiſſimus extitit Chriſtus, qui tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente obmutuit* s. *Et humilis corde. Quia quidquid ago, ad gloriam Patris refero* t, *& ei omne bonum aſcribo, nullum contemno, claritatem ab hominibus non accipio* u, *in medio diſcipulum fui, ſicut qui miniſtrat* x, *pedes eorum lavi* y, *in omnibus meipſum humilitatis exemplum præbui.* Sed hîc eſt humilis ſub ſpeciebus panis & vini, *Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam* z. Hic mitis eſt, nedum queratur irreverentijs quæ committuntur in Eccleſiâ ſua, & de profanationibus quæ exercentur in templo ſancto ſuo. Auſcultemus doctrinam ejus, & diſcamus reſpondere ei ſicut decet. Aves quæ aliquam diſpoſitionem habent ad formanda aliqua verba, ad hoc ut diſcant loqui, reſentur opponi ſpeculo, & Magiſter qui eſt retro ſpeculum, loquitur eis, & ipſæ ſe intuentes in ſpeculo, imaginantur quòd figura ſua ibi repræſentata, ipſas alloquatur, & hoc modo ipſæ reſpondent: obſervemus, Auditores, modum procedendi avium iſtarum, nec nos pudeat à brutis diſcere munia noſtra, *Interroga volatilia cœli, & indicabunt tibi*, dicit ſingulis nobis Job a. SS. Euchariſtiæ Sacramentum eſt eximium ſpeculum, Deus hîc latet ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſeu ſub accidentibus panis & vini: ipſe nos alloquitur, reſpondeamus ei: ſed in quo? Non quando eſt iratus: cùm ſupplicia nobis minatur: tunc enim eſt tremendum. In quo igitur? Reſpondere debemus ei in amore: ſicut ipſe venit ad nos per amorem; ſic ipſum ſuſcipere debemus per dilectionem; *Amor amore compenſatur.* Auſcultemus igitur hunc ſummum Magiſtrum, noſtras deſumamus utilitates ex iſto libro, habeamus eum ſemper præſentem, ſimus Magdalenæ *ſecus pedes Domini, verbum illius* audientes. Efficiemur periti ſcientiæ ſalutis, ipſe dabit nobis *ſcientiam Sanctorum* b. Reſpondebimus illi per amorem in iſtâ vitâ, & habebimus gloriam ejus in alterâ.

m 1. Cor. 1. 23. — n 1. Cor. 1. 24. — o Epheſ. 3. 18. — p Pſ. 84. 9. — q Matth. 11. 29. — r Dion. Carth. art. 12. in Matth. 11. 29. — s ex Iſai. 53. 7. & ex Act. 8. 32. — t ex Ioan. 8. 50. — u Ioan. 5. 41. — x ex Luc. 22. 27. — y ex Ioan. 13. 5. — z Prov. 9. 1. & 2. — a Iob. 12. 7. — b Sap. 10. 10.

Dominica infra octavam Corporis Chriſti.

Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Luc. 10. 39. &c.

S. Auguſtinus in ſuavem raptus ecſtaſim, contentâ voce clamat, *Hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab ubere: poſitus in medio, quò me vertam neſcio.* Ipſe ſuſpenſus eſt veluti ferrum inter duos magnêtes ipſum attrahentes; intuetur ſe in medio Jeſu & Mariæ: ſi reſpicit vulnera Filij, ab illis paſcitur; ſi ubera Matris occupant ipſius oculos, ab eis lactatur: ipſe neſcit in quamnam ſe partem convertat: dicamus hoc ipſum, poſitos velut inter duos Jeſus, unum glorioſum in cœlo, alterum triumphantem in hoc Sacramento. Ibimuſne in cœlum? faciemuſne hunc ingreſſum glorioſum? Manebimuſne in templis noſtris ſacris, ut contemplemur ibi Jeſum in throno ſuo?

Quid facimus inter duos iſtos magnetes cordium noſtrorum? Satagamus ut ſimus aliæ Marthæ, miniſtremus huic bono Jeſu ſuper altaribus noſtris, *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium.* Reddamus nos famulos Salvatoris, adhæreamus ſervitio ejus, inſtar Marthæ & ſedeamus illius *ſecus pedes Domini, verbum illius* audientes, more Mariæ & ſororis illius, quod eſt verbum *vitæ* a, & gratiæ, cujus altera Maria ſuſcepit plenitudinem; cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* b *Maria.*

a 1. Ioan. 1. 1.
b Luc. 1. 28.

Quòd ſedeat *Maria ſecus pedes Domini*, *Martha autem circa frequens miniſterium* ſatagat, nihil intereſt: ſatis eſt quòd ſupremus apex honoris & gloriæ ſit eſſe ancillam Jeſu Chriſti, & vacare excipiendo eidem Jeſu Chriſto. Martha erat hoſpita Salvatoris, erat œconoma Jeſu Chriſti. S. Thomas c quærit, *Utrùm Chriſtus poſſit dici homo Dominicus.* Et ipſe quæſtioni ſuæ reſpondet, *Non propriè & verè ille homo, ſcilicet, Chriſtus, eſt homo Dominicus, ſed Dominus.* Dominicum, eſt id quod pertinet ad Dominum: cùm ipſe ſit homo Deus, non pertinet ad Dominum, cùm ipſemet ſit Dominus, *Dominus quidem Ieſus* d. Corpus ipſius poteſt quidem dici Dominicum, anima ipſius Dominica, & voluntas ipſius Dominica, cùm iſtæ & illud ſint omnino propter Deum; ſed ipſe non poteſt dici Dominicus. B. Virgo eſt tota propter Dominum: ſi enim Adam non peccaſſet, Dei Filius non ſe incarnaſſet; ſi Verbum non ſumpſiſſet carnem noſtram, B. Virgo non fuiſſet niſi inter res poſſibiles, cùm non fuerit niſi propter Jeſum: ipſa eſt igitur Virgo tota Dominica, tota Domino. Martha eſt tota Dominica, tota Domino, quem ipſa vult excipere: ſed ipſa excipit Dominum, & Dominus vult ab eâ excipi, ut habeat anſam ampliorem excipiendæ illius, ſicut aquam petit à Samaritanâ e, ſed ut illi pretioſiorem aquam tribuat. Et ſicut Jeſus excipit omnes homines bonos & malos in hoc Sacramentum; ſic Martha excipiens Jeſum, excipit Deum, Apoſtolos qui ſunt boni, & Judam qui denotat impios. Martha eſt ergo tota Dominica. Deus habet duas familias, unam interiorem, alteram exteriorem. Tres perſonæ componunt interiorem, Jeſus Maria & Joſeph f. Exteriorem verò Martha Magdalena & Lazarus. In hâc familiâ eſt mulier quædam tota Dominica: in interiori Maria; in exteriori Martha: & ſicut Jeſus Chriſtus excipitur, ſic ipſe excipit in hoc Sacramentum: ideòque vocatur ipſe convivium in Evangelio g hodierno, *Homo quidam fecit cœnam magnam*, &c. Et ſicut triplex eſt nativitas; naturalis, quam educimus à parentibus noſtris per generationem; ſpiritualis, quâ naſcimur gratiæ, per quam adoptivi *ſumus filij Dei* h: & glorioſa, cùm jungimur Deo, *in lumine* gloriæ videntes *Lumen* i increatum: tres iſtæ nativitates dant nobis vitam, ſed differentem. Prima, eſt vita quæ tendit ad mortem. Secunda, eſt vita quæ non debet terminari niſi ad meliorem vitam; & quam ſequi debet tertia, quæ eſt vita glorioſa. Et ſicut iſtæ tres vitæ ſunt differentes, & indigent alimentis, oportet etiam ut ipſarum alimenta ſint differentia. Prima ad cuſtodiendum humorem radicalem utitur alimento corporeo; aliæ verò duæ utuntur cibo qui eſt incorruptibilis, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* k. Dico tamen quòd iſte cibus, licèt ſpiritualis, nobis dat vitam naturæ, vitam gratiæ, & vitam gloriæ, ſicut videbimus in triplici parte diſcurſus illius.

c S. Thom. 3. p. q. 16. a. 3.
d Marc. 16. 19.
e Ioan. 4. 7. &c.
f Luc. 2. 51.
g Luc. 14. 16. &c.
h Rom. 8. 18.
i Pſ. 35. 10.
k Ioan. 6. 58.
Diviſio.

1. Pars.

Ratio, cui innitor ad dicendum quòd hoc Divinum Sacramentum nobis dat tres iſtas vitas, eſt, quia in Jeſu Chriſto latente ſub ſpeciebus panis tres detego ſubſtantias, corpus, animam, & Divinitatem. Corpus ipſius quod in Euchariſtiâ agnoſco, nobis dat vitam naturæ, anima ipſius nobis tribuit vitam gratiæ, & Divinitas ipſius nobis communicat vitam gloriæ. Et licèt hæ tres ſubſtantiæ reperiantur in eodem ſuppoſito, & non conſtituant niſi unum Jeſum Chriſtum, & non poſſimus ſuſcipere corpus ipſius quin recipiamus animam ipſius quæ tribuit ei vitam, & Divinitatem ipſius quæ eſt ſuppoſitum utriuſque: tamen quia vita corporis noſtri habet convenientiam cum vitâ corporis Jeſu Chriſti, vita animæ noſtræ aliquam conſonantiam cum vitâ animæ Jeſu Chriſti, & vita gloriæ aliquam conformitatem cum vitâ Divinitatis Salvatoris: dico quòd corpus Jeſu Chriſti in Euchariſtiâ nobis dat vitam corporis, & conſequenter vitam naturæ; anima ipſius vitam animæ, & ſic vitam gratiæ: & ſicut hoc Divinum Sacramentum nobis eſt arrha gloriæ, in quâ poſſidetur Divinitas, *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur*, oportet ut Divinitas Jeſu Chriſti, quam ſuſcipimus in hoc Sacramento, nobis vitam gloriæ largiatur. Hoc ſuppoſito,

Dico quod corpus Jeſu Chriſti, quod ſuſcipimus in Euchariſtiâ, nobis dat vitam naturæ. Sed ut hoc benè intelligatur, ſciendum eſt quomodo foveatur vita corporis. Corpus noſtrum compoſitum eſt ex calido & humido: atqui ſicut iſtæ qualitates naturales, quæ primæ producuntur in formatione corporum noſtrorum, indicunt ſibi bellum irreconciliabile, contingit ut iſte calor naturalis prædominans humori primigenio, & paulatim eum conſumens, redigat hoc corpus in tales anguſtias ut citò deſtrueretur, niſi repararetur aliunde: nam ſicut ignis lucernæ, poſtquàm conſumpſit oleum quod ipſum fovebat, convertit actionem ſuam totam contra ellychnium, & ellychnio combuſto oportet neceſſariò ut ipſa extinguatur, cùm non habeat amplius pabulum circa quod agat: ſic humore radicali paulatim conſumpto à calore naturali, oportet ut corpus iſtud extinguatur, & amittat vitam. Sed natura quæ ſuas æquè impendit operas ad formandum vermiculum, ac ad generandum gigantem, hæc ſapiens mater totius orbis, iſta ſumma Moderatrix omnium rerum viſibilium, nimis prudens eſt opifex nedum ſuarum vitam productionum ſic prodigat: ipſa occurrit huic defectui, qui mortem cauſaret, ipſa inſtituit multos cibos, quibus unuſquiſque poteſt uti ad libitum ſuum, & reparare vires ſuas amiſſas per deſtructionem humoris radicalis, qui abibat in ruinam, æquè ac ipſius compoſitum: & ſicut hæc mater natura habet ædificium ſuum ſic ritè erectum & unitum, ut nonniſi vix diſſolvi poſſit; ut conſilium ſuum perducat ad exitum, ipſa utitur hâc induſtria: ipſa collocavit in ventre, qui eſt arcarius omnium ciborum, quendam appetitum, quo homo inducitur ad mittendos eoſdem cibos per os ad hanc infimam partem corporis: & quia voluptas eſt perfectio operationis, ipſa tribuit ſaporem cibis, ut guſtus attractus eorum deliciis, deciperet artificioſè laborem quem dentes ſuſcipiunt in eis mandendis: ubi autem cibi iſti trajecti ſunt in ſtomachum, hæc ſapiens mater natura, ibi format quandam ſubſtantiam candidam more lactis, è reſiduo digeſtionis, quæ ſervit

repara-

reparationi humoris radicalis, & quæ vitam fovet corporalem. Panis iſte Divinus, quem ſuſcipimus in Euchariſtiâ, prout panis vivens, nobis dat vitam corporis, ſicut ipſemet Jeſus Chriſtus ait, *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Et panis* l Joan. 6. 51. *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ* l. Sed comedendus eſt, trajiciendus eſt in ſtomachum noſtrum, ut reparare poſſit ibi humorem radicalem conſumptum à calore naturali. Et ad veritatis iſtius probationem, legimus de S. Catharinâ Senenſi, quòd ipſa vixit multos dies nedum tamen capeſſeret ullum cibum corporeum, qui proprium hoc habens fungi munijs humoris radicalis, & ſupplere deſtructionem ejus, ſervire debebat loco alimenti calori ejus naturali, & impedire quin ipſa vitam amitteret: cujus loco non ſumpſit ipſa per illud tempus, niſi Euchariſtiam, quæ vitam naturæ nobis tribuit. Verum quidem eſt, quòd Theologi attribuunt hanc nutritionem corporalem non corpori Jeſu Chriſti, quod eſt glorioſum, & quod ut ſic nutrire non poteſt, ſed ſpeciebus ſenſibilibus panis & vini, licèt ipſæ non ſint niſi accidentia, & non habeant vim nutriendorum viventium; tamen in hoc occurſu ſpecies hujuſmodi veluti vicariæ ſubſtantiæ, quæ converſa eſt in corpus & ſanguinem Chriſti, nutriunt & vivificant corpus, ſicut videmus quòd in abſentiâ Epiſcopi, vel alicujus Superioris, Vicarius ei ſubſtituitur, ut perfungatur illius munijs: ſic ſubſtantia panis converſa in corpus Jeſu Chriſti, ſicut proprium eſt pani quem ſuſcipimus in ſtomachos noſtros, reparare vaſtitates, quas calor naturalis fecit in corporibus noſtris conſumendo humorem radicalem, nutrire nos, & nobis dare vitam, quam amitteremus defectu iſtius auxilij; nobis vitam dat, reparando humorem radicalem quem calor naturalis jam conſumpſerat.

Ecce quomodo corpus Jeſu Chriſti dat vitam naturæ corporibus noſtris. Sed ſicut hæc fortitudo, quam ſapiens mater natura dedit cibis, & ſubſtantia quæ inde manet poſt eorum digeſtionẽ, quæque debet obire vices humoris radicalis, qui abibat in ruinam, ſic eſt exigua, ut non poſſit conſervare vitam corporibus noſtris in æternitatem, cùm perſæpè contingat ut calore prædominante humor radicalis conſumatur, quia ibi nullum, vel ſaltem exiguum eſt alimentum ad agendam reparationem iſtam, & conſequenter hoc modo pereat homo, cùm ſit obnoxius morti, cujus legibus Deus ipſum ſubjecit, quia noluit ut eſſet æternus in iſtâ vitâ, iſte *panis vitæ* m, non dat in iſtâ vitâ corporibus m Joan. 6. 35. noſtris vitam ad æternitatem, cùm ſumma Sapientia pronunciaverit areſtum mortis irrevocabile contra omnes filios Adæ, *Statutũ eſt hominibus ſemel mori* n, ſed ad tantum tempus duntaxat, quantum n Hebr. 9. 27. volet ut maneamus in terrâ, ut nobis det aliquando vitam gloriæ in cœlo, poſtquàm nobis largitus erit vitam gratiæ in iſtâ vitâ. Sed eſt & alia ratio quæ perſuadet quomodo hoc adorabile Sacramentum nobis largitur vitam corporis.

Hæc autem eſt, quòd Panis iſte Divinus delet & dimittit peccata, quæ minuunt vitam corpoream. Ideòque Pſalmiſta o dicebat, *Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos.* o Pſ. 54. 24. Et ſicut medicina dat vitam homini, non quòd nutriat, ſed quia pravos humores ejicit: ita cibus iſte Divinus vitam dat, ejiciendo ex anima noſtra peccata quæ cauſant mortem corpori noſtro, *Per peccatum mors* p. p Rom. 5. 12. Anima enim noſtra habet ignem internũ qui non intendit aliquid aliud niſi deſtructionẽ. Hæc flamma devorans, eſt iſte fomes peccati, qui multis nos ciet commotionibus, qui abbreviat vitam noſtri corporis, æquè ac infirmat aut omnino deſtruit ſtatum animæ noſtræ. Hoc ſeminarium inordinationis facit ut homo nullam quietem reperiat in cupiditatibus ſuis: eſt inſtar Tantali qui habet ſemper guttur ſiccum in medio aquarum, & qui ſemper ſitit: corpus illum inſtigat cupiditatibus ſuis, & inquinat eũ affectibus ſuis impuris, & ſolicitat animam pluribus modis ad malum: ſic ut hæc anima videns ſe commotam bello quod eſt ipſi inteſtinum & domeſticum, vix illud ſuſtinere queat: gemit ipſa ſub jugo implacabili, & ſub legibus ferreis, quæ ipſi imponuntur ab hoc tyranno, & à quibus ipſa ſe non poteſt eximere, ipſa ſuſpirat poſt iſtas rudes commotiones cum Apoſtolo q ſic querente, *Video aliam le-* q Rom. 7. 23. *gem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Seu, cum Dionyſio Carthuſiano r poſt r Dion. Carth. ad 10. in Rom. 7. 23. illum, *Video aliam legem à lege Dei, cui ratio condelectatur, in membris meis, id eſt, in carne meâ mortali, vitiatâ ac fragili: utpote fomitem peccati, qui primò reſpicit carnem, & ex carnis contactu derivatur ad animam, quàm citò corpori copulatur: repugnantem legi mentis meæ, id eſt, legi naturali ac Divina cordi meo inſcripta.* Ne autem hæc anima ſuccumberet commotionibus hujuſmodi, Deus qui dat rebus omnibus ea quæ ſunt ipſis neceſſaria ad hoc ut perveniant ad finem ſuum, *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*, delens & dimittens peccata, dat vitam corporibus noſtris, impedit illorum mortem quæ cauſatur à peccato. Sed ipſe non ita providet corpori quin ſpecialiùs tribuat animæ noſtræ vitam, quæ eſt vita gratiæ, ſicut videbimus in iſta ſecunda parte.

II. Pars.

Nam ſi quia vita corporis noſtri habet convenientiam cum vita corporis Jeſu Chriſti, hoc idem corpus Jeſu Chriſti ſuſceptum in corpora noſtra, dat eis vitam naturæ; cùm vita animæ noſtræ habeat aliquam conformitatem cum vitâ animæ Jeſu Chriſti, quæ eſt vita gratiæ, cùm Jeſus Chriſtus ſit Author gratiæ, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* s: ſuſcipiendo corpus Jeſu Chriſti, re- s Joan. 1. 17. cipimus vitam corporis, quæ eſt vita naturæ: & ſicut hoc corpus eſt unitum animæ ipſius, recipiendo corpus ejus, ſuſcipimus animam illius, & ſic recipimus vitam gratiæ. Quod confirmatur per conceptum Pſalmiſtæ t dicentis, *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ. Et anima mea illi vivet.* t Pſ. 21. 30. & 31. Hebræi rati ſunt quòd David loqueretur de manna, ſed hoc non, cùm dicat ipſe, *adoraverunt.* Atqui Judæi nunquam adoraverunt manna; & id quod conſervabatur in arcâ, non adorabatur, ſed ibi cuſtodiebatur in memoriam poſteritati. Præterea, Ait, *pingues terræ.* Atqui u Exod. 16. 12. &c. non ſolùm illi qui benè valebant, comedebant manna, ſed omnes generaliter u. Tandem, Inquit, *Et anima mea illi vivet.* Atqui anima non nutriebatur manna, ſed corpus: adeps animæ eſt gratia, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea* x. Propterea dicit Dionyſius Carthu- x Pſ. 62. 6. ſianus in locum præfatum Davidis, *Manducaverunt corpus & ſanguinem Chriſti Sacramentaliter, vel ſpiritualiter: & adoraverunt ipſum Sacramentum, ſcilicet, Chriſtum in Sacramento contentum omnes pingues terræ, id eſt, omnes in gratiâ Dei atque virtutibus divites: de quibus Dominus per Iſaiam* y *ait, Delectabitur in* y Iſai. 55. 2. *craſſitudine anima veſtra. Et in Canticis* z, *Co-* z Cant. 5. 1. *medite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Et anima mea illi vivet, id eſt, ad honorem &*

gloriam ejus totam ſuam vitam Dei obſequio mancipabit. Sicut ergo vita animæ noſtræ habet aliquam convenientiam cum vitâ animæ Jeſu Chriſti, quæ eſt vita gratiæ, prout ipſe eſt Author gratiæ, cùm ſuſcipimus animam Jeſu Chriſti unitam corpori ipſius in Euchariſtiâ, recipimus ibi vitam gratiæ.

Præterea, *Iiſdem conſtamus, quibus & nutrimur*. V. g. caro impinguat carnem: dicendum eſt ergo quòd homo, qui compoſitus eſt è corpore & ex animâ, nutritur aliquo quod habet corpus & animam: & ſicut homo in hâc vitâ vivere poteſt vitâ naturæ, & vitâ gratiæ, reperiendus eſt ei cibus, qui poſſit illi dare hanc vitam naturæ, & iſtam vitam gratiæ: nullus autem alius eſt, niſi cibus iſtius SS. Sacramenti. Corpus Jeſu Chriſti, ſicut audiviſtis in primâ parte, dat ei vitam corporis, & conſequenter vitam naturæ; & anima ejus, quæ
a Ioan. 6. 48. eſt unita corpori ipſius, communicat ei vitam gratiæ. *Ego ſum panis vitæ* a. Hoc Verbum *vitæ* b, ſecum
b 1. Ioan. 1. 1. invehit omne genus vitarum, quæ reperiuntur in Jeſu Chriſto: in eo quippe eſt vita naturæ, vita gratiæ, & præcipuè vita Divinitatis, è qua velut ex origine inexhauſta fluunt omnes gratiæ: ad hunc
c Iſai. 55. 1. autem fontem Jeſus Chriſtus nos invitat, cùm ait, *Omnes ſitientes, venite ad aquas* c.

d Tert. lib. de Baptiſm. c. 4. & ſeqq. Tertullianus d obſervat quòd Deus operatus eſt maximam partem mirabilium ſuorum medijs aquis. Si traducere voluit populum ſuum Iſraëliticum ex Ægypto, ubi gemebat ſub jugo implacabili, & ſub tyrannide Pharaonis, in terram promiſſionis, iſtud egit interventu aquarum, faciens illum tranſire per tranſverſum mare rubrum, quod ipſe diviſit velut in duos muros denſos, ut per illud daret illi tranſitum, & cujus aquas ipſemet reunivit,
e Exod. 14. 22. &c. ſtatim ac iſte populus tranſivit, ſic ut illis ſubmerſi fuerint Ægyptij e. Ipſe lavit *pedes diſcipulorum* f
f Ioan. 13. 5. ſuorum aqua. Cùm *nuptiæ factæ ſunt in Canâ Gali-*
g Ioan. 2. 1. &c. *læa, vocatus eſt autem & Ieſus ad nuptias, aquam vinum factam* fuiſſe ab eo Scriptura g perhibet. Idem aquâ fuit *baptizatus Ieſus: & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* h.
h Matth. 3. 16. & 17 Et cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, con-*
i Ioan. 19. 34. *tinuò exivit Sanguis & aqua* i. Quod innuit, quòd è ſacris & vivis iſtis originibus, de quibus ait Iſa-
k Iſai. 12. 3. ias k, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, ſumimus aquas omnium granarum; & quò plus ex ijs ſuſcipimus, plus fluere videmus earum è fontibus iſtis qui exhauriri non poſſunt, ut communicetur animabus noſtris vita gratiæ. Quia ſi Sacramenta hoc habent proprium in communi, prout Sacramenta, ut conferant gratiam animæ, quæ eſt benè diſpoſita ad ipſam ſuſcipiendam, SS. Euchariſtiæ Sacramentum hoc habet ſpeciale ut det formaliter vitam, quam formaliter continet: per hoc igitur Sacramentum Dei Filius nobis vitam gratiæ largitur. Ita ſentiunt omnes ſancti Patres. Non me latet quòd iſtud bonum ſuſcipimus per Baptiſmum, qui eſt nova regeneratio, quippe in
l Ioan. 3. 5. quo renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* l, quique rationabiliter hunc titulum ſuſcipit, cùm è peccato quod eſt nihil, *Quia peccatum nihil eſt, &*
m S. Aug. tract. 1. in Ioan. 3. *nihil ſunt homines cùm peccant*, ait S. Auguſtinus m, reſtituimur in ſtatum gratiæ: & per *Pœ-*
n Luc. 15. 7. *nitentiam* n, quæ delet peccata noſtra actualia, & nobis reddit gratiam etiam poſt Baptiſmum: ſed mihi etiam fatebimini, quòd ſi homo denuò perdit hanc prærogativam malitiis ſuis, & deinde obliviſcitur alicujus peccati mortalis in Confeſſione, Euchariſtia delet hoc peccatum, & confert gratiam, quæ eſt vita animarum noſtrarum;
Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ o. o Ioan. 6. 52.
Educimus concluſionem veritatis quam vobis prædico, per id quod connectitur in hoc Sacramento, quod eſt Jeſus Chriſtus, qui, ſicut dedit veniens in mundum, vitam animabus noſtris ſpiritualem, tribuit eam illis denuò in hoc Sacramento. Non latet iſtud nos: quia paſſio iſtius Salvatoris nobis in eo repræſentatur, *Hoc facite in meam commemorationem* p. Propterea dicimus, quòd effectum, p 1. Cor. 11. 24. & 25.
quem hæc operatur in mundo, eundem hoc Sacramentum operatur in homine: ideòque vocatur à Græcis Euchariſtia; id eſt, bona gratia, cùm contineat Authorem gratiæ. Et hoc diſcimus etiam è modo, quo communicatur nobis hoc Sacramentum, ſcilicet, inſtar cibi, cui proprium eſt nos ſuſtentare, & nobis dare vitam gratiæ, quam continet formaliter.

Sacramentum Baptiſmi dat quidem gratiam rea- q Ioan. 3. 5.
liter, cùm infunditur aqua q ſuper caput infantis: Sacramentum Confirmationis r tribuit gra- r Act. 8. 17.
tiam cum fortitudine ſpirituali, ad confitendam s Luc. 13. 3.
generosè fidem Chriſti in occurſibus: Sacramentum Pœnitentiæ s confert gratiam cùm quis ab- t Iacob 5. 14.
ſolutionem ſuſcipit præ requiſitis conditionibus: Sa- u Ioan. 20. 22. & 23.
cramentum Extremæ Unctionis communicat gratiam cùm unguntur *oleo* t membra infirmi: x Epheſ. 5. 32.
Sacramentum Ordinis u largitur gratiam cùm imprimitur animæ character alicujus Ordinis, qui tendit ad Sacerdotium: *Sacramentum* x Matrimonij præbet gratiam per conſenſum partium, & per mutuam traditionem quam ſponſi faciunt corporum ſuorum, & per acceptationem traditionis iſtius reciprocæ expreſſam ſignis, aut verbis: Et licèt hæc omnia Sacramenta dent realiter vitam, non ſignificant tamen in conceptu ſuo formali vitam, ſicut Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt inſtitutum ad dandam formaliter vitam: & ſi Deus adeſt omnibus alijs Sacramentis, quæ conferunt gratiam, eò quòd ipſe ſit Author gratiæ, non intereſt tamen illis modo æquè particulari ac Euchariſtiæ, in quâ intimiùs eſt quàm in alijs. Propterea ſuſcipientes animam Jeſu Chriſti, quæ vitam dat ipſius corpori in Euchariſtiâ, recipimus ibi formaliter vitam gratiæ, quæ nobis ibi- y Luc. 2. 21.
dem datur cum majori amore, quàm parentes no- z Luc. 22. 44.
ſtri nobis dederint eſſe naturale: ſic Salvator non a Ioan. 19. 1. &c.
contentus quòd effuderit Sanguinem ſuum in circumciſione y, in horto Olivarum z, in prætorio Pilati, & in cruce a, ad generandos nos ſpiritualiter, illum effundit adhuc in corda noſtra per hoc Sacramentum, quod tribuit vitam gratiæ, quam formaliter continet. Quod etiam confirmo per hoc axioma Philoſophicum, *Illud eſt magis tale, quod propiùs accedit ad magis tale*. V. g. quò b Ioan. 14. 6.
propiùs accedimus ad ignem, eò plùs participamus calorem ejus: ſecundùm iſtud dico, quòd, cum Jeſus Chriſtus ſit *Vita* b eſſentialis, quæ rebus univerſis vitam communicat, quò propiùs accedemus ad illum, eò plùs participabimus vitam ejus: & ſicut ad illum propiùs accedere non poſſumus, quàm illum ſuſcipere intra noſmetipſos, oportet ut per hanc receptionem participemus iſtam vitam: & quemadmodum Jeſus Chriſtus tres habet ſubſtantias, corpus, animam, & Divinitatem, & ipſius anima vitam dat corpori ipſius, oportet etiam ut ipſius anima vitam tribuat animæ noſtræ, & faciat eam vivere vitâ gratiæ. Ecce quomodo ſuſcipimus in Euchariſtiâ vitam gratiæ: & quia in Jeſu Chriſto eſt Divinitas, videndum eſt in iſtâ tertiâ parte quomodo nobis tribuat vitam gloriæ.

Quod-

III. Pars.

Quodcumque Deus operatur, iſtud agit ipſe Verbo ſuo, quod eſt idea rationum omnium viventium, ſecundùm quam format univerſa, *Verbum perfectum, ars plena omnium rationum viventium incommutabilium*, dicit S. Auguſtinus c. Atqui Deus non agit aliquid, quod prius ipſe non cognoverit: terminus iſtius cognitionis eſt Verbum, à quo fluit id omne quod habet vitam in Deo, & à Deo, ſicut ait S. Joannes d, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Ideòque nihil ſine Verbo vivere poteſt: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* e. Propterea quicumque uniet ſe intimiùs Verbo, vitâ vivet eminentiori: atqui *Verbum caro factum* f, adeſt Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis & vini deliteſcens: ſi velimus igitur ab eo vitam ſuſcipere, debemus ipſum recipere in hoc Sacramento, oportet ut uniamus nos ei, & per hanc unionem nobis largietur eandem vitam, cuius interventu ipſum dat eam rebus omnibus: & ſicut vita Verbi eſt vita gloriæ, oportet ut, cùm ipſum ſuſcipiemus in Euchariſtia, ipſum largiatur nobis vitam gloriæ.

c S. Aug. lib. 6 de Trinit. c. 10.
d Ioan. 1. 3.
e Act. 17. 28.
f Ioan. 1. 14.

Scio quidem quòd S. Bonaventura g dicit, quòd omnia reperiuntur in Deo, primò, ſicut in principio quod ipſa producit, & quod ipſis dare poteſt eſſe, & ipſa educere è nihilo in quo ipſa ſunt cùm non exiſtunt: ſecundò, ut in exemplari quod ipſa exprimit, & ſic ipſa ſunt in eo ſecundùm notitiam quam ipſorum ille habet: tertiò, ut in fine qui ipſa conſervat, & ſic ipſa ſunt in illo ratione voluntatis: atqui ſecundùm tres iſtos modos eſſendi in Deo, creatura non poteſt eſſe beata: inveniendus eſt igitur alius modus eſſendi in Deo, per quem anima fieri poſſit particeps iſtius eſſe: atqui iſtud eſſe non poteſt eſſe aliud, quàm eſſe ſecundùm Deum: hoc eſſe non eſt aliud niſi eſſe gratiæ: ſicut autem gratia eſt gloria inchoata, quemadmodum gloria eſt gratia conſummata, cùm in SS. Sacramento ſuſcipiamus vitam gratiæ, pro comperto enim eſt, quòd in eo ſuſcipimus vitam gloriæ: nam ſi SS. Sacramentum eſt pignus æternæ gloriæ, ſicut canit Eccleſia, *O Sacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paſſionis: mens impletur gratiâ: & futuræ gloriæ nobis pignus datur!* & pignus ſaltem tantum valere debet quantum res pro qua ipſum datur, oportet ut ſuſcipientes SS. Sacramentum quod eſt pignus gloriæ, recipiamus in eo eandem gloriam: & ſicut iſtud Sacramentum vitam gratiæ dat animæ noſtræ, inferendum eſt quòd largiatur etiam ei vitam gloriæ: & quia vita gloriæ, eſt perfectior vita naturæ, & gratiæ, & Divinitas quæ eſt unita animæ & corpori Jeſu Chriſti, eſt perfectior corpore & anima eiuſdem Jeſu Chriſti, ſuſcipientes Divinitatem in Euchariſtia, cùm Divinitas ſit perfectior corpore & anima Jeſu Chriſti, debemus in ea ſuſcipere vitam perfectiorem: & hæc vita non eſt alia niſi vita gloriæ. Quòd Divinitas ſit perfectior corpore & anima Jeſu Chriſti, nemo eſt qui de veritate iſtâ debeat ambigere. Corpus & anima Jeſu Chriſti ſunt puræ creaturæ, quæ productæ ſunt *ubi venit plenitudo temporis* h, cùm Divinitas ſit ab æterno, *Ego ſum qui ſum* i, ait Deus. *Id eſt, ſum æternus*, ſubdit Cornelius k. Corpus & anima ſunt effectus iſtius cauſæ ſupremæ, quæ eſt origo fœcunda, unde fluunt omnia bona imaginabilia, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum* l. Videntur autem Ethnici, qui vocabant Deum *Omnia*, bibiſſe in his claris originibus ſacræ Scripturæ m, ubi Deus Moyſi dicenti ſibi, *Oſtende mihi gloriam tuam*, *reſpondit*, *Ego oſtendam omne bonum tibi*. Verum quidem eſt, quòd magnus iſte Legiſlator populi Iſraëlitici, *Quia lex per Moyſen data eſt* n, hic Dux invincibilis populi Dei, cuius verba potentiſſima fuerunt miracula o, deſiderans videre congregationem omnium bonorum imaginabilium in uno, contenta voce inclamabat ad Deum, ut videret ipſius faciem Divinum, quæ facit gloriam Beatorum, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum*, dicit Boëtius p, *Si ergo inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam. Dixitque Dominus, Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris* q. Specioſa figura SS. Sacramenti, ubi nedum videamus faciem, detegimus attributa Dei ex tranſverſo ſpecierum ſenſibilium: miraculoſum pallium ſunt ſpecies huiuſmodi, quo veluti humeri Dei operiuntur: adoramus in hoc Sacramento ſub velo accidentium panis & vini, Divinitatem quæ eſt univerſorum origo bonorum: & ſicut maximum bonorum omnium quæ poſſumus concupiſcere, eſt ut unum ſimus cum Deo, Divinitas quam ſuſcipimus in Euchariſtia, nobis dans vitam gloriæ, nos unit Deo, & nos reddit unum cum Deo. Quod Theologi ſic exponunt: Deus non obſtringit nos ad perfectionem ſimilem perfectioni ſuæ, ſimilitudine æqualitatis, ſed ſimilitudine imitationis, ſicut ait Dionyſius Carthuſianus r ſuper hæc verba Salvatoris, *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Huic ergo perfectioni aſſimilari non poſſumus ſimilitudine æqualitatis, ſed imitationis. Scriptum eſt enim, Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei, & cui aſſimilaſtis me, dicit Sanctus* s? *De perfectione deiformi, quâ Deo aſſimilari præcipimur, ait Moyſes, Perfectus eris, & abſque maculâ cum Domino Deo tuo* t. Iuxta quod Salvator Patrem ſuum deprecatur in favorem noſtrum, *Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus, ut ſint conſummati in unum* u. Seu, ſecundùm eundem Carthuſianum x, *Vt ſint unum per charitatem, ſicut & nos unum ſumus per naturam. Vt ſint conſummati in unum, id eſt, ad perfectionem mutuæ unionis (quæ habetur in patriâ) perducantur, ubi inſeparabili charitate connexi ſunt, & ubi eſt Deus omnia in omnibus* y. Deus ponit nobis pro ſcopo perfectionem iſtam, quò tendere debent omnes conatus noſtri, ut, ſi non poſſumus illuc attingere, ſaltem perveniamus eò quò poterimus: ipſe non intendit ut eamus eò uſque, ſed ipſi ſit ſatis dummodo non ſiſtamus in proſecutione noſtrâ. Jeſus ſuſtinuerat & ſuſtentaverat naturam noſtram in Incarnatione: ipſum deferimus in Euchariſtia; nam ipſe videtur nullam habere ſubſiſtentiam: ante Incarnationem mundus non erat perfectus, præcipuè homo, propterea in creatione non dicitur de homine, ſicut de cæteris creaturis, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* z. Quia ſuſcipere perfectionem ſuam debebat ab Incarnatione, tam in animâ ſuâ, quam in corpore ſuo, licèt animæ & corpora hominum talia fuerint qualis fuit anima & quale Corpus Jeſu Chriſti: & ſic facile eſt concludere, quòd hoc myſterium eſt myſterium perfectionis: nam maxima perfectio creaturæ eſt ut ſit unita principio ſuo: ſic perfectio noſtra ſita eſt in eo, ut nos uniamus Deo, & nos reddamus unum cum Salvatore noſtro: atqui hoc non poteſt fieri perfectiùs quàm per iſtius Sacramenti receptionem. Sed ut perfectiùs etiam concipiatur hæc perfectio, quam ex hac unione fœlici recipimus, obſervate

g S. Bon. in 1. ſent. dist. 36. a. 1. q. 4.
h Galat. 4. 4.
i Exod. 3. 14.
k Cornel. in Exod. 3. 14.
l Jacob 1. 17.
m Exod. 33. 18. & 19.
n Ioan. 1. 17.
o Exod. 7. & ſeqq.
p Boet. lib. 3. de Conſol. Philo. proſ. 2.
q Exod. 33. 18. &c.
r Dion. Carth. art. 11. in Matth. 5. 48.
s ex Iſai. 40. 25.
t Deut. 18. 13.
u Ioan. 17. 22. & 23.
x Dion. Carth. art. 6. in Ioan. 17. 21. & 23.
y ex 1. Cor. 15. 28.
z Gen. 1. 31.

ſequentia.

mecum, ſi placet, quòd quintuplex eſt perfectio intuitu hominis. Prima, eſt purè naturalis, id eſt, quantùm ad eſſe, ſive in anima ſive in corpore: talis eſt in Ethnicis & peccatoribus. Secunda, eſt accidentalis, cùm huic animæ, & huic corpori Deus communicat aliquam perfectionem accidentalem, quæ tamen eſt etiam naturalis, id eſt, quæ non conſiſtit in gratiâ ſanctificante, ſed ſolùm in aliquibus donis gratuitis: talis reperitur in peccatoribus, qui habent aliquam notitiam particularem Dei, & myſteriorum eius: talis erat in Platone, Socrate, &c. Tertia, eſt cùm Deus ornat animam noſtram donis ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis, perfectio quæ multò excellentior eſt omni eo quod poſſumus imaginari, cùm ſit participatio SS. Trinitatis. Cùm gratia ſupernaturalis ſanctificans, quæ comitatur ſemper charitatem, non ſit aliud, ſecundùm aliquos, niſi Deus ipſe, quatenus deſcendit in animas noſtras, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis* a. Quæ gratia nobis datur intuitu meritorum Christi, juxta orationem

a Rom. 5. b Pſ. 83. 10.

Pſalmiſtæ b ſic Deum deprecantis, *Reſpice in faciem Chriſti tui.* Specialiùs autem in receptione corporis & ſanguinis eius. Quarta, eſt ea, quam animæ habent in paradiſo, quæ re verâ eſt excellentior perfectione gratiæ, quam habemus in iſto mundo, in eo quòd illæ animæ habent omnes cognitiones poſſibiles: ſed aliunde perfectio noſtra prævalet adversùs illarum perfectionem in eo quòd incorporamus nos cum Jeſu Chriſto, quod illæ non habent. Quinta, erit cùm animæ beatæ reſumpſerint corpora ſua c:

c 1. Cor. 15. 51. &c.

hæc enim tunc habebunt totam perfectionem ſuam, cùm participatura ſint beatitudinem animæ, quæ participatio reddet ipſa ſubtilia, agilia, impaſſibilia, & clara: atqui dico quòd in Euchariſtia iam participamus, ſeu potiùs habemus iam per anticipationem hanc perfectionem Divinam: nam animæ noſtræ illuminantur in intellectu, & inflammantur in voluntate, ſic ut interdum bonæ animæ videant beneficio iſtorum luminum, quæ Deus ipſis communicat, res ſublimiſſimas, teſtibus S. Catharinâ Senenſi, & S. Tereſiâ. Vident etiam corpora ſua fruentia per anticipationem quatuor donis gloriæ: & ſic iſta perfectio eſt aliquo modo excellentior perfectione Beatorum: nam per hanc unionem cum Jeſu Chriſto, ipſæ ſunt certæ de vita æterna, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam* d. Vnde ſequitur quòd ſicut natura humana quæ eſt in Jeſu Chriſto per unionem hypoſtaticam recipit à Verbo vitam, gloriam, æternitatem, ſanctitatem, plenitudinem gratiæ, imò verò immortalitatem corporis, tandem perfectiones omnes; ſic corpora noſtra & animæ noſtræ per receptionem Sacramentalem ſuſcipiunt à Jeſu Chriſto vitam, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me* e. Æternitatem, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* f. Gratiam, *Mens impletur gratiâ.* Arrhas gloriæ, *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Reſurrectionem, *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die* g. Et vitam immortalem, *Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur* h.

d Ioan. 6. 54.
e Ioan. 6. 57.
f Ioan. 6. 58.
g Ioan. 6. 44.
h Ioan. 6. 50.
i Matth. 6. 11.

Accedite igitur ad hanc originem vitæ, ut ea repleans animas veſtras: eſurite cibum iſtum Divinum, hunc *panem ſuperſubſtantialem* i, *panem quotidianum* k. Sed ſi panis eſt quotidianus, quare non ſumitis eum quotidie? *Ecce panis Angelorum* l, *Verè panis filiorum* m, canit Eccleſia. Accedite ad illum: ſed nolite accedere ad illum, cùm non ſitis filii, ſed abortivi per crimina veſtra, *Verè panis filiorum, Non mittendus canibus.* Eſtis enim *ſicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum* n. Ipſe eſt *panis vivus* x. Vos verò mortui eſtis, ſine gratiâ, habetis animam mortuam per peccatum. *Sancta ſanctis*, clamabant aliàs Diaconi. Sed accedite quicumque ſitis. Si eſtis in vitâ purgativâ, en remedium curandis veſtris infirmitatibus accommodum; ipſe purgabit vos ab imperfectionibus veſtris, & à pravis affectibus veſtris: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* y. Si in vita illuminativa, ipſe eſt *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem* z in via cœli & ſalutis. Si in vita unitiva & perfectiva, tribuet vobis fortitudinem ſicut Eliæ, ut ambuletis *uſque ad montem Dei Horeb* a, poſt comeſtum ſubcinericium panem, eundo ſemper *de virtute in virtutem* b, è ſanctitate in ſanctitatem. Venite, accurrite, *Quia iam parata ſunt omnia* c. Dominus convivii vocat vos, imò verò vos compellit ut interſitis ei, *Compelle intrare* d. Sed cavete ne ad hoc convivium accedatis, cùm non habeatis diſpoſitiones requiſitas ad hoc ut ipſi adſitis. Duplex eſt diſpoſitio, una neceſſitatis, altera conſilii. Neceſſitatis: immunes eſſe debetis à peccato mortali: ipſum enim eſt mors animæ: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* e. Hoc autem Sacramentum, eſt Sacramentum vitæ. Conſilii: debetis eſſe expertes peccati venialis, & affectus erga mundana. Baptiſmus & Pœnitentia ſunt Sacramenta mortuorum, ſed Euchariſtia eſt Sacramentum vivorum: ad hoc ut ad iſtud accedatis, debetis habere gratiam, quæ eſt vita animæ. Heu quot animæ mortuæ, elatæ in feretro corporis! Multi ſuſcipiunt Filium Dei, ſed ſine fructu ad damnationem ſuam. Mementote illius quod ait Evangelium f, *Mulier quædam erat in fluxu ſanguinis: acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius: & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius. Et ait Ieſus, Quis me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum illo erant, Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, Quis me tetigit? Et dixit Ieſus, Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiiſſe.* Peccatores comprimunt & affligunt Jeſum Chriſtum, ſed non tangunt eum. Verus tactus eſt actio phyſica continua duorum, quorum fit unio: nulla eſt unio inter peccatores & Deum: *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* g. Nullus eſt tactus, ſed ſola compreſſio & afflictio, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei* h. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè: iudicium ſibi manducat & bibit* i. Attendamus nobis, Auditores, ſatagamus ut imitemur S. Martham, ut ſimus toti Dominici, toti Jeſu Chriſto, accedentes ad eum cum diſpoſitionibus requiſitis, reddentes nos dignos gratia, quam nobis offert in hoc Sacramento, ut tribuat nobis gloriam.

k Luc. 11. 3.
l ex Pſ. 77. 25.
m ex Matth. 15. 26.
n Prov. 26. 11.
x Ioan. 6. 51.
y Luc. 19. 10.
z Ioan. 1. 9.
a 3 Reg. 19. 8. &c.
b Pſ. 83. 8.
c Luc. 14. 17.
d Luc. 14. 23.
e Ezech. 18. 4. & 20.
f Luc. 8. 43. &c.
g Iſai. 59. 2.
h Hebr. 6. 6.
i 1. Cor. 11. 27. &c.

Feria II. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait. Domine, non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi ut me adiuvet. Luc. 10 40. &c.

NUnquid non ingens eſſet motivum ſtuporis alicui, ſi ſe videret in medio labyrinthi multis viarum ambagibus inflexi, ſine fine, ſine oſtio, ſine termino, & abſque exitu? Nemo eſt qui de hoe ambigat. Sed ſi labyrinthus iſte eſſet labyrinthus glorioſorum mirabilium, quæ replere poſſent ipſius oculos admiratione, affectus ipſius oblectamento, & ipſius animam beatitudine, haberetne unde deſideria formaret illinc exeundi? Nequaquam. Eò redacti ſumus, Auditores, diebus iſtis ſacris, quibus *memoriam*
a Pſal. 110. 4. & 5. *fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe* a. Ha, quot miracula, quot raptus & ecſtaſes intuitu magnitudinum quas Euchariſtia continet! Hoc Sacramentum labyrinthus eſt; ſed quà ingrediemur ipſum? & ſi in eo iam ſumus, quà continuabimus diſcurrere de excellentiis eius? Una ſoror queritur de altera, natu maior de natu minori, *Martha ſolicita* eſt, æquè ac importuna: *Maria autem ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Martha requirit auxilium Mariæ. Indigemus nos alterâ Mariâ, dicamus ei igitur, *Ave Maria.*

Quærunt Theologi; num Deus ante creationem hominum & Angelorum, eſſet ſolitarius ab æternitate. Et reſpondent quòd eſſet ſolus, ſed non ſolitarius: erant enim tres perſonæ, Pater, & filius, & Spiritus ſanctus, ſicut deinceps dixit
b 1. Ioan. 5. 7. S. Joannes b, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.* Et licèt ipſi ſint unum in naturâ & tres in perſonis diſtinctis, erant tamen Deus ſolus: non enim poſſunt eſſe multi Dij: erat igitur Deus ſolus, ſed non ſolitarius. Solitudo nullam dicit communicationem, & res dicitur ſolitaria quando eſt cum re inferiori. Deus erat ſolitarius, ſi erat cum Angelis & cum hominibus: iſti enim ac illi ſunt inferiores Deo: ipſe tunc fuiſſet ſolitarius inſtar animæ devotæ, more S. Marthæ, licèt medios inter circulos aliarum Dominarum: vel ſolitarius cum Angelis, ſicut re vera plus eſt quàm Angeli. Deus igitur eſt ſolus, ſicut ipſemet ait nobis, *Videte quòd ego ſim ſolus* c. Et ipſe talis eſt in Euchariſtia,
c Deut. 32. 39. huic Sacramento adeſt ipſe totus ut nos ad amo-
d S. Bern. ſerm. 1. in Circumciſ. Dom. rem ſuum trahat, & nos inducat ad ipſum agnoſcendum in hoc auguſto Sacramento, quod eſt Sacramentum amoris & unionis

Benedico igitur Deum, *cuius natura bonitas* d, pro eo quòd homines ineant pacem & recollectionem, & pro hoc beneficio gratias ago huic Divino Sacramento pacis & amoris, quod producit hunc effectum admirabilem. Sed quandiu homines pacem pangunt, vivunt in ſanctâ unione, commorantes in perfectâ ſocietate concordiæ, quam nulla res alterare poteſt, non habentes niſi unum cor, animam unam, & eadem conſilia propter gloriam Dei manifeſtandam, more primorum fidelium naſcentis Eccleſiæ, de quibus dicitur, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una* e: reperio quòd mulieres e Act. 4. 32.
ſe dividunt, & ſibi bellum indicunt, nempe, duæ ſorores, præcipuæ Dominæ civitatis, & ſanctæ fœminæ. Martha queritur Jeſu Chriſto de ſorore ſuâ, quòd quandiu ipſa eſſet ſolicita de parandis illis quæ erant neceſſaria ad ipſum congruenter excipiendum, ſoror ſua Magdalena ſederet ad pedes ipſius, nedum curam ullam ſuſciperet & ipſam à ſolicitudinibus ſuis aliquo modo ſublevaret. En motivum diviſionis amharum: Martha format Salvatori querelas, eique proponit hanc humillimam ſupplicationem, *Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi ut me adiuvet.* Ideò quia virtutes auxilium requirunt ab invicem, ſicut negotium à negotio. Huic Sacramento Jeſus adeſt in perſonâ, & ad ipſum trahit Patrem & Spiritum ſanctum, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* f. Omnes virtutes hîc adſunt cùm eſt communicandum: dicendum eſt ergo quòd Deus f Ioan. 14. 23.
vult ut deſideremus omnes virtutes. Sic huic Sa- 1. Diviſio.
cramento adeſt Primò totus Jeſus Chriſtus; Secundò adſunt omnes ipſius magnitudines, Tertiò cuncta dona ipſius adſunt.

Totus Jeſus Chriſtus adeſt huic Sacramento, virtute verborum iſtorum, *Hoc eſt Corpus meum* 1. Pars
g. Si mihi tractandum eſſet cum Calvino, vel g Matth. 26. 26.
cum miniſtris eius, probarem realitatem, quòd h Ioan. 6. 55.
verè & realiter Jeſus Chriſtus eſt in ſanctâ Hoſtia ſecundùm quod ipſemet ait, *Caro mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus* h. Si cum Luthero, vel cum ſequacibus illius, oſtenderem quòd panis eſt totus converſus in corpus eiuſdem Jeſu Chriſti per veram tranſubſtantiationem: ſed cùm alloquar filios Eccleſiæ, qui ſunt fideles, ſufficit ut iſtius Sacramenti mirabilia propalem. Dico igitur quòd totus Jeſus adeſt huic Sacramento, *Non confractus, non diviſus, integer accipitur*, canit Eccleſia poſt S Thomam. Ipſe eſt totus in tota Hoſtia, imò verò in ſingulis vel minimis eiuſdem hoſtiæ particulis. Hæc propoſitio videtur adverſari ſapientiæ humanæ, quæ ſibi perſuadere non poteſt. quòd corpus ita magnum, ſic perfectum, & proportionibus ſuis ita concinnè inſtructum, poſſit eſſe in loco ſic exiguo integrum abſque inordinatione, & confuſione partium ſuarum. Sed quàm inconcinnè vult ipſa metiri Divinam Sapientiam ad ulnam ſuam: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dixit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* i. Non i Iſai. 55. 8. & 9.
opus eſt ut huic humanæ ſapientiæ exhibeam intuendas abbreviationes induſtrias factas naturaliter, vel potiùs artificio hominum, ſed continere me volo duntaxat intra terminos myſteriorum fidei noſtræ. Dicite mihi, ſi placet, Ultra diſproportio

maior

Digitized by Google

maior eſt, aut Divinitatis, quam *cœlum & cœli cœlorum capere non poſſunt* k, cum corpore exiguo Salvatoris recenter concepti, quod, iuxta doctrinam Naturalium, non debet eſſe maius tunc quàm ſit apicula: vel corporis glorioſi eiuſdem Jeſu Chriſti cum parvâ hoſtiâ? Nulla adeſt æqualitas: & tamen hæc Divinitas quæ eſt immenſa, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* l? eò uſque ſe coarctat ut involuat ſe exiguo corpore: quare ergo non poterit ipſa idem facere de hoc corpore immortali, redigens ipſum ad circumferentiam parvæ hoſtiæ, vel exigui fragmenti, nedum eripiat ipſi magnitudinem ſuam, non ſecus ac Divinitas nullo modo detraxit magnitudini ſuæ, cuius *non eſt finis* m, per incarnationem ſuam? Difficultas in hoc eſt ſita, quòd conſideratur corpus adorabile Salvatoris ſecundùm qualitatem aliorum corporum ſic ſublime elevatum ſupra alia, ſed modo ſupernaturali, ineffabili, remoto à ſenſibus, & à curſu rerum ordinariarum: proiiciendi ſunt duntaxat oculi noſtræ conſiderationis ſuper animum noſtram ad veritatis iſtius probationem. Nemo ambigit quin ipſa ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte: ipſa eſt igitur æquè magna & æquè perfecta in extremo digito, ac in toto corpore ſimul, quia cùm ſit ſpiritus, eſt indiviſibilis inſtar ſpirituum: & ſic corpus Jeſu Chriſti cùm ſit glorioſum, ſicut eſt in Euchariſtia, habet omnes convenientias, quæ deſiderari poſſunt, cum ſpiritu. Si autem hæc ſapientia humana non habet mentem ad concipiendum, præ ſe ſaltem ferat aures ad auſcultandum Apoſtolum n ſic ediſſerentem, *Seminatur corpus animale: ſurget corpus ſpiritale.* Vel Dionyſium Carthuſianum o poſt S. Paulum, *Seminatur corpus animale, id eſt, groſſum & alimoniis indigens, atque corporibus aliorum animalium ſimile. Surget ſpirituale, corpus, id eſt, ſubtile ac ſpiritui ſimile, quantùm ad aliquas proprietates, non tamen ita ſubtile ut exeat limites ſuæ naturæ. Erit enim palpabile atque viſibile carnem habens & oſſa, ſicut & Chriſtus in ſemetipſo oſtendiſſe ſcribitur* p. Verè & realiter comedimus hoc corpus Divinum, ſed modo ſpirituali; ipſum deguſtamus quidem, ſed guſtu mentis: *Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum*, ait S. Auguſtinus q. Licèt autem dentes & ſtomachus ſuſcipiant iſtum cibum cœleſtem, non tamen eo paſcuntur dentes, neque venter ſaginatur, ſed ſpiritus impinguatur, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea* r. Cùm fide viva & efficaci unit ſe Deo hæc anima ex toto corde ſuo, quandiu corpus adorabile Jeſu Chriſti ſumitur, & in os ac in ſtomachum traiicitur.

k 1. Reg. 8. 27.
l Ierem. 23. 24.
m Pſ. 144. 3.
n 1. Cor. 15. 44.
o Dion. Carthuſ. in 1. Cor. 15. 44.
p ex Luc. 24. 39.
q S. Aug. tract. 26. in Ioan. 6. 59.
r Pſ. 62. 6.

Quàm ingens Dei bonitas, ut ſe faciat cibum animarum noſtrarum! qualis admiratio, ut Jeſus Chriſtus adſit tot locis, quot ſunt Eccleſiæ, & Hoſtiæ conſecratæ! Iſtud, eſt effectus admirabilis potentiæ eius, quomodo corpus ſit in tot locis: ſed eſt etiam adinventio ſapientiæ illius. Non debemus perſcrutari modum quo iſtud fieri poteſt, *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloriâ*, dicit Salomon s. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus t, *Qui ſcrutator eſt Maieſtatis, id eſt, ea quæ Dei ſunt, irreverenter, intimoratè, præſumptuosè ſcrutari præſumit, videlicet occulta Dei iudicia, opprimetur à gloriâ, id eſt, ab excellentiâ, incomprehenſibilitate, ac luce immensâ tanti obiecti vincetur, retundetur, & quodam modo excæcari videbitur. Nam ſicut lux Solis corporei plenitudine ſuæ claritatis viſum corporalem reverberat, & ſi diu ſibi infigatur, excæcat: ſic increata illa Maieſtas ſuâ infinitâ & incircumſcriptibili excellentiâ ac claritate actualiter mentem humanam vincit, ſuperat, & retundit in infinitum. Hinc quoque in Eccleſiaſtico* u *ſcriptum eſt, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Modus & circunſtantia loci eſt extra eſſentiam corporum: & ſic diſſolvuntur univerſæ difficultates quæ poſſunt opponi Divinæ Potentiæ. Non latet nos, quòd Deus multoties ponere potuerit duo corpora in eodem loco, ut cùm ſua Mater ipſum *peperit* x: & cùm *ſurrexit* y ipſe, exiens è ſepulchro ſuo: & *cùm una Sabbathorum, & fores eſſent clauſa, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dicit eis, Pax vobis* z. Eadem facilitate poteſt igitur ipſe collocare corpus unicum in multis locis: & non eſt maior repugnantia in uno quàm in altero. Sed quare quærimus rationes? Ha! potiùs promamus flammas amoris ad adorandam & diligendam hanc ſummam bonitatem Jeſu Chriſti, qui ſe totum nobis dat in Euchariſtia: ſatagentes ut reddamus nos dignos hoc cibo Divino, de quo ſic nobis ſingulis ediſſerit S. Chryſoſtomus a, *Hic terram ſibi cœlum facit hoc myſterium. Aperi ergo cœli portas, & perſpice, vel potius non cœli, ſed cœli cœlorum: & tunc videbis quod dictum eſt. Nam quod illic eſt omnium pretioſiſſimum & maximè honorandum, hoc oſtendam tibi ſitum in terrâ. Sicut enim in regiâ id quod eſt omnium magnificentiſſimum, non ſunt parietes, non tectum aureum, ſed corpus Regis ſedens in ſolio: ſed hoc tibi nunc licet videre in terrâ. Vidiſti quemadmodum quod eſt omnium præſtantiſſimum, & maximè honorandum vides in terrâ: neque ſolùm vides, ſed etiam tangis, & eo accepto domum reverteris.* Et alibi b, *Quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem; hoc nos paſcimur, huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius* c? *Quis paſtor oves proprio paſcit cruore? Et quid dico, paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus: ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.* Exceſſus mirabilis bonitatis iſtius Divini Salvatoris!

s Prov. 25. 27.
t Dion. Carth. art. 12 in Prov. 25. 27.
u Eccli. 3. 22.
x Luc. 2. 7.
y Luc. 24. 6
z Ioan. 20. 19.
a S. Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Cor.
b S. Chryſ. hom. 60. ad Pop. Antioch.
c Pſ. 105. 2.

Sed quânam reverentiâ debemus eum honorare? Si poſſemus habere aliquas reliquias, exhiberemus illis honorem, quem ipſæ mererentur: propterea eas circumquaque quærimus. Si capillum B. Virginis, ſi unam guttam ſanguinis eius, quamnam reverentiam non tribueremus illis? Ha! hîc in Euchariſtia quales reliquas habemus? Ipſam carnem Mariæ: *Una eſt Maria & Chriſti caro*, dicit Arnoldus Carnotenſis d. Sanguis B. Virginis hîc reperitur, cùm è puriſſimis guttis ſanguinis eius formata fuerit humanitas ſacra Jeſu Chriſti à Spiritu ſancto: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* e. Sed iſtud non eſt ſatis: non ſolùm hîc adeſt caro Mariæ, & ſanguis eius: ſed & totum corpus, & totus ſanguis Dei, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus* f. Totus Jeſus Chriſtus eſt in hoc Sacramento, talis qualis eſt in cœlo ſedens *à dextris Dei* g, maior quàm *in utero* h Virginis Matris ſuæ, & aliquo modo realiùs, cùm hîc ſit glorioſus & impaſſibilis, illic autem eſſet mortalis & paſſibilis. Non tenebatur Herodes dare filiæ Herodiadis ſaltatrici id, quod ipſa petebat, quia ipſe non promiſerat illi niſi *dimidium Regni* i ſui: nam caput S. Joannis Baptiſtæ

d Arnold. Carnot. tract. de Laudib. Deip.
e Matth. 1. 20.
f Matth. 26. 26. & 27.
g Marc. 16. 19.
h Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
i Marc. 6. 23. &c.

valebat

Digitized by Google

valebat plus quàm totum Regnum ipſius: ſed caput S. Joannis Baptiſtæ nihil eſt comparatione Jeſu Chriſti qui eſt ſuper altaribus noſtris: non ſolum autem caput, ſed totus Jeſus Chriſtus eſt in Euchariſtia, totus Filius Dei, totus talis qualis eſt, Deus & homo ſimul. Evangeliſta loquens de Joſeph ab Atimatheâ, faciens illius panegyrim, vocat illum hominem divitem, *Venit quidem homo dives ab Arimathæâ, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu* k. Alius vocat eum nobilem decurionem, *Venit Ioſeph ab Arimathæâ, nobilis Decurio* l. Magnæ non videntur divitiæ provenire viro nobili ex eo quòd ſit Decurio. Sed in quonam erat *homo dives?* In eo quod ſubdit Evangeliſta m, *Hic acceſsit ad Pilatum, & petijt Corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſsit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioſeph involuit illud in ſindone mundâ.* Quales divitiæ, ac habere Corpus Jeſu Chriſti, quod plus valet quàm totus mundus! *Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius* n. Ha! quàm dives eſt hæc anima, quæ habet corpus Jeſu Chriſti in pectore ſuo: quàm nobilis eſt hic fidelis qui habet corpus Jeſu Chriſti in interiori ſuo: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* o. Cùm Jeſus Chriſtus ſit totus in hoc Sacramento, vocat nos ad ſe ut ipſum agnoſcamus, & ipſi exhibeamus reverentias noſtras in iſto throno ſacro. In Evangelio Lazari, cùm ſuſcitandus erat iſte *mortuus, Martha ut audivit quia Ieſus venit, abijt, & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, Magiſter adeſt, & vocat te* p, Ideò quia Jeſus præſens erat. Sic in Euchariſtia: *Magiſter adeſt, & vocat te.* Eò nos ipſe vocat, & in hoc Sacramento reddere debemus ei obſequia noſtra, cùm in eo ipſe ſe totum det nobis. Præcipiebat aliàs Deus Iſraëlitis, imperans eis ut Paſchalem comederent *agnum. Caput cum pedibus eius & inteſtinis vorabitis* q. Per caput eſt intelligenda Divinitas, *Caput Chriſti Deus* r. Et per pedes humanitas Jeſu Chriſti. *Deus agnum integrum manere voluit, quia ſignificabit Chriſtum,* dicit Cornelius s. Quod innuit, quòd Jeſus Chriſtus eſt totus & integer, & totum id quod ipſe eſt, in hoc Sacramento. Cùm ergo Jeſus Chriſtus ſe totum nobis det in Euchariſtia, nunquid non totos dabimus nos ei, ut dicere poſſimus ſinguli cum Sponſa, *Dilectus meus mihi, & ego illi* t?

k Matth. 27. 57.
l Marc. 15. 43.
m Matth. 27. 58. & 59.
n Sap. 7. 9.
o Sap. 7. 14.
p Ioan. 11. 28. &c.
q Exod. 12. 9. &c.
r 1 Cor. 11. 3
s Cornel. in Exod. 12. 9.
t Cant. 2. 16.

II. Pars.

Totus Jeſus Chriſtus igitur eſt in Euchariſtia: ſed in hoc Sacramento ſunt etiam omnes magnitudines ipſius, & univerſa ipſius mirabilia. Quænam ſunt magnitudines Jeſu Chriſti in æternitate? A Patre ſuo Divino produci in ſo puncto indiviſibili ſuæ beatæ æternitatis, ſicut ipſemet ait, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* u. Super altaribus autem noſtris producitur à Sacerdotibus, qui ſunt velut ipſius patres, dicendo, *Hoc eſt Corpus meum* x. in cœlo à Patre ſine matre, & ſuper altaribus noſtris à Sacerdotibus ſine matre: In cœlo Pater & Filius producunt *Spiritum veritatis* y, Super altaribus noſtris Jeſus Chriſtus & Pater ipſius producunt Spiritum ſanctum, hunc ignem Divinum in cordibus noſtris: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi ut accendatur* z? *Hoc eſt, aſtuetur, & Spiritus ſancti motione inflammetur, atque in opus virtuoſum erumpat?* ſubdit Dionyſius Carthuſianus a. Exiens *à Patre, & in mundum* b veniens Dei Filius, concipitur *in utero* c B. Virginis: ſuper altaribus etiam ipſe concipitur: B. Virgo concipit ipſum verbis iſtis, quibus reſpondet Angelo, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* *. Sacerdotes autem ipſum concipiunt per verba præfata, *Hoc eſt Corpus meum.* Dei Filius fit *parvulus* d, & naſcitur in ſpeluncâ Bethleem e, quæ ſignificat domum panis: Eccleſiæ verò noſtræ ſunt iſtæ domus panis, qui datur fidelibus: Jeſus Chriſtus ibi parvus eſt ſub unâ parvâ hoſtiâ. Jeſus Chriſtus circumciditur *poſtquàm conſummati ſunt dies octo* f ab ipſius nativitate; & in Euchariſtia accidentia, albedo, rotunditas, & ſapor ſeparata ſunt à ſubſtantia: Jeſus Chriſtus adoratur à Regibus Orientis g, iſtud, eſt ephiphania ſeu apparitio; & ſuper altaribus noſtris, Sacerdotes ipſum elevant, & ſtatim adoratur ab omnibus: Jeſus Chriſtus latet in Nativitate ſua; & in Euchariſtia etiam, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator* h. Quis enim concipere poſſet quòd accidentia ſubſiſtere poſſent ſemetipſis ſine fulcro alicuius ſubiecti? Ipſa eſt potentia Divinitatis quæ ibi abſcondita eſt, quæ ſplendet è tranſverſis velis iſtis, inſtar Solis micantis è tranſverſis vitris, quæque efficit ut hæc quantitas, hæc longitudo, hæc latitudo, hæc altitudo, hæc profunditas, hæ dimenſiones exteriores, quas noſtri ſenſus percipiunt in Euchariſtia, nulli ſubiecto innitantur. Sed quonam ſubiecto fulciri poſſent? Non ſubſtantia panis: hæc converſa eſt in ſubſtantiam corporis Jeſu Chriſti. Non ſubſtantia iſtius corporis glorioſi: iſta non poteſt admittere accidentia alterius ſubſtantiæ. Non corpore aëris: natura illius eſt nimis infirma. Quonam igitur? Nihilo. Hæc eſt potentia Dei noſtri quæ nos latet, quæque nobis manifeſtat ipſius magnitudines, *Ecce, non eſt abbreviata manus Domini* i. Et ſi reflecteremus nos ſuper operationes iſtius Divinæ potentiæ, detegeremus lucem veritatis iſtius in multis occurſibus mirabilibus qui apparuerunt in tempore. Rami petunt inſeri trunco ſuo ad hoc ut floreant interventu humoris qui ad ipſos mittitur à radice: & tamen *virga Aaron* k fronduit aliàs miraculosè ſine trunco, ſine humore, & abſque radice. Conſervatio mundi in integritate ſua, ordo, diſpoſitio, motus, eſſe rerum inferiorum & ſublunarium, hæc omnia pendent à motu planetarum & cœlorum: & tamen, licèt hæc unico momento ſuſtinere non poſſint ſuſpenſionem influentiarum huiuſmodi cœleſtium, nihil periit cùm tempore Ioſue *ſteterunt Sol & Luna* l. Sic, ſecundùm leges communes naturæ, Deus utitur ſubſtantia ad cuſtodienda accidentia in eſſe ſuo: ſed quòd non poſſit fulcire ea ipſa ſolus, hoc eſt æquo ſtrictiùs alligare potentiam ipſius operationibus cauſarum ſecundarum, quarum efficacia approximat, imò verò attingit eò uſque interdum ut videamus nubes graves, plenas aquis, ſe ſuſtinere ſeipſis in medio aëre multò leviori & fluidiori quàm ipſæ ſint. Influentiæ poſſunt iſtud: & nonne Deus poteſt quid amplius? Magnitudo igitur potentiæ ipſius micat hîc præ miraculo, ipſa facit hîc conatum, non ſuper nihilum, ſicut in creatione, non ſuper cœlum, ſuper terram, ſuper elementa, & ſuper mixta, quemadmodum in aliis miraculis, ſed ſuper ſuum verum corpus unitum & conſubſtantiale Divinitati, glorioſum & immortale.

u Pſ. 2. 7.
x Matth. 26. 26.
y Ioan. 15. 26.
z Luc. 12. 49.
a Dion. Carthuſ. in Luc. 12. 49.
b Ioan. 16. 28.
c Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
* Luc. 1. 38.
d Iſai. 9. 6.
e Luc. 2. 7.
f Luc. 2. 21.
g Matth. 2. 1. &c.
h Iſai. 45. 15.
i Iſai. 59. 1.
k Hebr. 9. 4. ex Num. 17. 8.
l Ioſue 10. 13.

Præterea, Corpus Jeſu Chriſti in Euchariſtia eſt velut in violentia continua, contra naturam corporum eſt in pluribus locis, ut dicebam modò, & ſtatim eſt alligatum uni hoſtiæ: quænam violentia? Sanè maior ea quam ſuſtinet lapis cùm ſuſpenſus eſt in aëre: nam proprius locus ipſius, & proprium ipſius centrum eſt cœlum, gloria, dextra Patris ſui. Magnitudo & miraculum bonitatis!

Unitas petit ſe conſervare ſine multiplicatione;& ſua bonitas facit ut ipſe ſe cōmunicet, ſic *Bonum eſt diffuſivū ſui*, dicit S. Dionyſius m. Conſervat unitatem, & tamen ſe communicat. Magnitudo ſapiētiæ voluiſſet ut id fieret ſemel duntaxat, ſed bonitas quæ vult pluries ſe communicare, & quotieſcumq; conſecratur corpus Jeſu Chriſti, multiplicat ipſius præſentiam localem, & conſervat unitatē ſubſtantiæ ipſius. Miraculum, quòd Jeſus Chriſtus ſit totus in Euchariſtia, nedum tamen locum occupet, integer cum omnibus partibus ſuis & totâ magnitudine ſuâ ſub exiguâ Hoſtiâ. Corpus iſtud ſplendidius Sole, ſicut in transfiguratione ſuâ n, habet lumina ſua, nec videri poſſit oculis noſtris. Re autem vera quænam ſpecioſior trāsfiguratio, quàm in Euchariſtia, quæ eſt extēſio Incarnationis? Grande miraculum! Corpus iſtud eſt ſolidum nedum poſſit tāgi, grave nedum perceptibile ſit ſenſibus noſtris, cùm ſit velatum & deliteſcens ſub accidentibus: non creſcit per cōſervationem hoſtiarum, nec minuitur per illarum conſumptionem, *Non confractus, non diviſus, integer accipitur*, canit Eccleſia poſt S. Thomam. Ut illi radii Solis, cùm frangitur cryſtallum, ſuper quo lucet; incapax eſt alterationis omnimodæ: ſpecies corrumpuntur, accidentia manēt à proprio ſubiecto ſeparata, & habent eoſdem effectus, quos ſubſtātiæ, quibus ſpoliata ſunt, nimirum nutrire, & corrumpi. Magnitudines Euchariſtiæ, ubi totum id quod eſt magnum in Divinitate, & in tempore, reperitur. Subſtantia panis in hoc Sacramento deſtruitur, non per annihilationem, ſed per converſionem in corpus Jeſu Chriſti, quę fit unico inſtāti in Euchariſtia, quæ eſt extenſio Incarnationis. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe* o. Sicut Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis, *Memores Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis*, dicimus nos in Canone Miſſæ. Euchariſtia eſt ſacrificium incruentum, & idem ac ſacrificium Calvariæ: Jeſus Chriſtus eſt velatus, ligatus, & vinctus in hoc Sacramēto. hìc eſt veluti mortuus, & ſine oculis, ſine motu & ſine verbo, ſicut in tumulo: ſed hæc admittitur differentia inter eſſe mortuum & eſſe in tumulo: quòd poteſt quis eſſe mortuus, & eſſe viſibilis: ſed illi qui ſunt in ſepulchro, mortui ſunt, & non videntur: ſic Jeſus Chriſtus eſt in Euchariſtia ſub apparentia mortui, & ibi inviſibilis eſt. Euchariſtia eſt reſurrectio, cùm in ea Jeſus Chriſtus ſuſcipiat vitam glorioſam & immortalem. Eſt aſcenſio; Jeſus Chriſtus deſiſtit eſſe in terra, aſcendit in cœlum ſpeciebus deficientibus. Sed mihi videor intueri duos magnos amores pręliantes in Jeſu Chriſto, unum ſuper reditum ſuum in cœlum, alterum ſuper commorationem ſuam in terra. Unus trahit ipſum in cœlum verſùs Patrē ſuum; & alter in terram verſùs Eccleſiam ſuam: unus in cœlum verſus Spiritum ſanctum ſuum; & alter in terram verſùs Sponſam ſuam, eandem *Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo* p. Unus in cœlum verſùs Angelos; & alter in terram verſùs homines. Cœlum, & terra, hæc quis finis iſtius certaminis? Potentia, Sapientia, Bonitas, totæ tres electæ ſunt arbitræ ad componendum iſtud diſſidium. Sapientia dat adinventionem, qua ſimul ſit in cœlo & in terra, cum Patre ſuo & cum Eccleſia ſua, cum ſancto Spiritu ſuo & cum Sponſa ſua, cū Angelis & cum hominibus. Potentia hoc exequitur. Et bonitas ipſum vult, & in ipſo ſibi complacet: propterea ipſe vadit in cœlum, & manet in terra, ſicut ipſemet dicit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi* q. *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſiâ: Primò per gratiam inhabitando corda fidelium. Secundò, per Sacramentalem præſentiam. Tertiò, per continuam providentiam, atque multiplicem efficientiam ſuæ poteſtatis ac pietatis in nos. Hinc enim teſtatur. Ego ſto ad oſtium & pulſo* r. *Et, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* s. *Nunquam ergo deficiet in toto, ſed uſque in finem ſeculi perſeverabit in aliquibus Chriſtiana Religio. Poſtremò, Tam ineffabiliter, ſiguenter, & intimè adeſt nobis Chriſtus, ut multò ampliùs quàm Moyſes ſeu populus olim Iudaicus dicere valeamus, Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Dominus Deus noſter* t, *unigenitus Filius Dei*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus u. Et S. Chryſoſtomus diſtinguit in hoc aſcenſionem eius à raptu Eliæ, dicens, *Elias quidem cùm aſcenderet, melotem Eliſeo dimittit* x: *Chriſtus autem diſcipulis gratiam dereliquit* y. *Neque enim cùm in hoc orbe ageret, Dominus ſecundùm humanam ipſius naturā cœlos ſuâ maieſtate, neq; nunc humanitùs quoq; ſupra cœlos ſublatus, orbem vacuum ſuâ adminiſtratione reliquit* z. Abi Elia, ſed quantùm ad pallium tuum, ſi ſemel illud dimiſeris, ipſum non habebis ampliùs: tu verò, Salvator adorabilis, aſſumere *in cœlum* a. Sed licèt tecum feras prædives & pretioſum humanitatis tuæ pallium, hoc idem tamen nobiſcum ſemper manebit. Magnitudo bonitatis ipſius incomparabilis! Deus ſic diligebat homines, ut, cùm dediſſet eis iam totum eſſe ſuum, totam gloriam ſuam, totam Divinitatem ſuam per gratiam hypoſtaticæ unionis Capiti eorundem hominum adorabili Jeſu, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* b, bonitati ipſius, quæ *non habet finem* c, ſatisfieri non poſſet, niſi adinveniret ipſius ſapientia aliquē modum congruum extendendo huic favori ſublimi ad omnia membra illius in generali, & in particulari, & hoc peractum eſt interventu iſtius Sacramenti Euchariſtiæ, quam propterea ſancti Patres vocant Incarnationis extēſionem, &, *In quo divitias Divini ſui erga homines, amoris, velut effudit*, ait Concilium Tridentinum d de hoc eodem Sacramento. Quia nobis ſervit loco gradus, per quem aſcendamus ad ſublimitatem tantæ amicitiæ: quoniam, ſicut magnes attrahit ferrum, & iſtud ferrum trahit aliud, & hoc item aliud, & omnia ſunt in unione cum magnete, licèt ultima non ſint in tali coniunctione niſi mediatè interventu primi: ſic Verbum æternum, magnes iſte Divinus trahens ad ſe divinitùs omnia, trahit primò humanitatem Jeſu Chriſti, uniens eam ſibi immediatè in hypoſtaſi; & deinde hæc eadem humanitas ſic unita trahit reliquos homines ad unionem ſuam per SS. Sacramentum, uniens ſe eis, faciens ſe unum ſpiritum, unum cor, unam & eandem rem cum illis, ſecundùm iſtud Apoſtoli e, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.*

Ecce quomodo amor poſſidet cor iſtius Divini Amantis, ut nos ipſos reddat illius poſſeſſores. Et ubinam magnitudo iſtius amoris meliùs unquam triumphavit quàm in hoc Sacramento? In Incarnatione, Dei Filius ſe dedit ut fratrem, in morte ut redemptionem, ſed hîc ſe dat ut cibum, canit Eccleſia poſt S. Thomam, *Se naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, ſe moriens in pretium.* In Incarnatione ſe dat ad patiendum, in morte ad moriendum, hîc verò ad nutriendum. Deus videtur habuiſſe in ſeipſo hoc inſigne certamen quod initum fuit alias inter

m S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.
n Matth. 17. 2.
o Pſal. 110. 4.
p Act. 20. 28.
q Matth. 28. 20.
r ex Apoc. 3.
s ex Matth. 18. 20.
t ex Deut. 4. 7.
u Dion. Carth. art. 45 in Matth. 28. 20.
x ex 4. Reg. 2.
y S. Chryſ. ſerm. de Aſcenſ.
z idem.
a Conc. ... de ſeipſo que Moyſes ... de ... Matt. 16. 19.
b Coloſſ. 1. 18.
c Baruch. 3. 25.
d Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2.
e 1. Cor. 6. 17.

inter Apellen & Protogenen duo miracula picturæ. Hic ohimus viſitans aliquando Apellen, invênit lineam ſubtiliter depictam ab iſto pictore, & ſumens penicillum, aliam depinxit ſubtiliorem ſuper illam: cùm veniſſet autem Apelles, & intuitus eſſet hanc lineam ſic ſubtilem non potuiſſe evenire niſi è manu induſtria Protogenis, ductus æmulatione palmæ quam deferebat ipſi fama, penicillo depinxit lineam etiam ſubtiliorem ſuper lineam æmuli ſui: nonne Deus fecit idem in manifeſtatione myſteriorum ſuorum mirabilium, ut myſterium Eucharistiæ exaltaret ſuper omnia? Ipſe depinxit aliàs ſuper telam mentium noſtrarum lineam triangularem ſubtilem & indiviſibilem SS. Trinitatis, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum* f. Vultisne lineam ſubtiliorem ſuper hanc? Confeſtim Verbum ſe abbreviat in carne, *Verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram* g. S. Cyprianus h autem dicit, *Quòd Christus idem ſit Sermo Dei*. Videtis hanc lineam coarctatam in homine. Quò ulteriùs progredi poteſt amor iſtius Divini Pictoris? Tertiam pingit lineam ſubtiliorem ſecundâ, oſtendens nobis illud Verbum magis etiam breviatum ſub ſpeciebus iſtius Divini Sacramenti. S. Ambroſius i ait, Deum in hoc oſtendiſſe magnitudinem amoris ſui, quòd operuerit ſe accidentibus panis & vini, ne horrore conterremur, ſi ſe comedendum, & bibendum traderet in carne, & in ſanguine. *Sed fortè dicis, Speciem ſanguinis non video. Sed habet ſimilitudinem. Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, ut nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didiciſti ergo quia quod accipis, corpus eſt Christi.* Si verum eſt id quod ait S. Gregorius k, *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*: quis impediet quin dicamus, quòd ipſe facit hoc, ut ampliores tribuat extenſiones meritorum fidei noſtræ, & extollat merita noſtra ad gradum uſque infinitum? Prætereà, Oportebat ut ipſe ſe accommodaret ad captum infirmitatis noſtræ, tam quia oculi noſtri debiles ſuſtinere non potuiſſent glorioſum ſplendorem ipſius, quoniam, ut dicitur, *vehemens ſenſibile corrumpit ſenſum*; quàm quia charitas *pietatis memor, immemor maieſtatis* eſt, ait S. Bernardus l. Ideòque amans non verè diligit, niſi ſe accommodet ad captum ſubiecti quod ipſe diligit. Et propter hunc magnum effectum *Dominus Ieſus aſſumptus in cœlum & à dextris Dei* m ſedens, mittit Spiritum ſanctum ſuum in forma linguarum ignearum ſuper Apoſtolos ſuos, *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* n. Quid autem facit iſtud Divinum Sacramentum, niſi miſſiones? Et quid eſt Eucharistia niſi miſſio quam Jeſus Chriſtus facit in animas, cùm ipſe ſe totum dat eis cum omnibus magnitudinibus ſuis? Mirabile immodicum, quòd Deus obediat voci hominis, & hominis peccatoris, dummodò habeat materiam, intentionem, & pronunciet verba. Sacerdos fert circumquaque hanc poteſtatem ſuper Deum, & Deus obedit ei: ipſe deſcendit è cœlo ad verbum illius. Sacerdos conſecrat Jeſum Chriſtum ibi ubi eſt: atqui Jeſus Chriſtus *eſt in ſinu Patris* o. Ibi Sacerdos eum conſecrat, cùm Divinitas ſit ubique. Qualis ſanctitas eſſe debet noſtra, Domini mei Sacerdotes, ut ingrediamur ſinum Patris æterni, ut ibi conſecremus Jeſum Chriſtum, qui ſe totum dat nobis cum omnibus magnitudinibus ſuis mirabilibus? Præbeamus nos totos ei, corda noſtra, affectus noſtros, & productiones noſtras.

f Iſai. 6. 3. g Rom. 9. 28. ex Iſai. 10. 23.
h S. Cypr. lib. 2. contra Iudæos. c.
i S. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4.
k S. Greg. hom. 26. in Evang.
l S. Bern. ſerm. 1 in Cant.
m Marc. 16. 19.
n Act. 2. 3. & 4.
o Ioan. 1. 18.

Jeſus Chriſtus non ſolùm eſt totus in Euchariſtia cum omnibus magnitudinibus ſuis, ſed etiam cum univerſis donis, virtutibus, & gratiis ſuis, *Altaria tua Domine virtutum* p. Invenio quòd ab incarnatione, & ab inſtitutione Eucharistiæ omnes ordines hierarchici ſunt everſi. In Divinitate eſt ordo, ſed non hierarchicus, qui eſt principatus Superiorum reſpectu inferiorum. Deus ſe communicat altiſſimis hierarchiis Seraphinorum; & deinde Seraphini altiſſimi communicant ſe per ordinem Cherubinis, & ſic de cæteris ſpiritus beatis uſque ad ordinem infimum: *At ubi venit plenitudo temporis* q, Spiritus Dei qui ſe communicabat ſpiritibus ut nobilioribus, hoc ordine everſo, ſe totum communicat corpori Jeſu Chriſti ipſo inſtanti conceptionis ipſius: omnia lumina, dona, & gratiæ, hæc univerſa reperiuntur in ipſo excellentiùs quàm in omnibus hierarchiis cœleſtibus ſimul: in inſtitutione Eucharistiæ inveniuntur omnes gratiæ, ſic ut ordo videatur everſus: corpus autem eſt ſupra ſpiritus; ſic ipſum eſt nobiliſſimũ omnium corporũ: ſic iſtud Sacramentum eſt principium originale gratiæ, eſt Sacramentum Sacramentorum, vocatum S. Sacramentum per excellẽtiam. Alia Sacramenta non continent formaliter gratiam, quam conferunt, ſed iſtud includit Authorem gratiæ, ut dicebam vobis heri, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* r. Ipſe nobis communicat in hoc Sacramento vitam gratiæ, quæ in eo continetur ſicut in origine ſua, *Quoniam apud te eſt fons vitæ* s. Sacramenta ſunt ſigna viſibilia gratiæ inviſibilis, & inſtrumenta quibus Deus utitur ad conferendam nobis gratiam, ſed iſtud, non eſt inſtrumentum, ſed ipſemet Dei filius qui venit cum gratis, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paſſionis eius: mens impletur gratiâ!* Iſtud eſt nobiliſſimum omnium Sacramentorum, primum omnium dignitate, centrum omnium, cùm alia omnia tendant ad ipſum ut ad centrum ſuum, ſeu ad finem ſuum. Alia Sacramenta ſunt veluti ſex primi dies creationis, iſtud verò eſt quaſi ſeptimus, qui ſeſe conſummationem, & ſigillum imponit, cùm requiẽ dare videatur Deo, eò quòd Deus non poſſit quid excellentius agere, ſicut idẽ *complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat* t. Sicut Sol eſt ſplẽdidiſſimus inter ſeptem planetas: ſic Eucharistia eſt veluti Sol inter alia Sacramenta. Sol conſiderari poteſt ut cauſa particularis, & ſic propria productio ipſius eſt aurum in viſceribus terræ: ſed prout cauſa univerſalis, ipſe concurrit cum aliis, *Sol & homo generant hominem*. Sic Eucharistia producit effectum ſuum primum, qui eſt gratia, *Apud te eſt fons vitæ* u. *Ego veni ut vitã habeant & abũdantiùs habeãt* x. Cùm dederit vitam per Incarnationẽ, dat abundantiã vitæ per Eucharistiam: ſed poſteà concurrit cũ omnibus aliis ad effectus univerſales, ſicut cauſa univerſalis. In iſto mũdo *gratiã, & gloriã* y dat in altero, cuius præ ſe fert arrhas, *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Illius ſemẽ eſt, imprimit nobis virtutem ſeminalem reſurrectionis: ſic præteritũ, præſens, & futurum cõtinentur ibi, nimirum paſſio præterita, gratia præſens, & gloria futura, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paſſionis eius: mens impletur gratiâ; & futuræ gloriæ nobis pignus datur!*

S. Paulus z loquens de Prædicatoribus, ait, *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Qui ſunt iſti Prædicatores, niſi illi qui annunciant omnes virtutes? Ideò fortè quia in pace ſunt omnes virtutes, ſicut dicitur, *Qui pacem petit, ſimul cum pace bona omnia petit.* In Jeſu Chriſto

p Pſ. 83. 2.
q Galat. 4. 4.
r Ioan. 1. 17.
s Pſ. 35. 10.
t Gen. 2. 2.
u Pſ. 35. 10.
x Ioan. 10. 10.
y Pſ. 83. 12.
z Rom. 10. 15. ex Iſai. 52. 7.

Chriſto in Euchariſtiâ ſunt omnia bona, univerſæ virtutes, cunctæ gratiæ, & omnia dona, & dicere poſſumus eum recipiendo, id quod de Angelo Raphaële, filio ſuo Tobias dixit, *Bonis omnibus per eum repleti ſumus* a. [a Tob. 12. 3. & 4.] Sed quid agere debemus, ut agnoſcamus hæc omnia dona? Imitandus eſt David b, [b Pſ. 26. 6.] qui dicebat, *Circuivi, & immolavi hoſtiam vociferationis.* Sanctus iſte Rex antequàm accederet ad altare, quaſi gyrabat, id eſt, mente revolvebat omnes diſpoſitiones ſanctorum Patriarcharum, & eorum qui ipſum præceſſerant: nos verò adeuntes altaria noſtra, eodem modo nos gerere debemus, eſſe ſemper circum Jeſum in tabernaculo Eccleſiæ ſuæ, dicendo ei cum eodem David c, *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* [c Pſ. 115. 17.] Id eſt, offeram tibi ſacrificium corporis & ſanguinis tui, manibus meis, vel manibus Sacerdotum, cum omni genere actionis gratiarum ad renovandam memoriam donorum tuorum. Sic debemus habere omnes virtutes, Theologicas, & Cardinales, & ſic ad eum accedere, cùm omnia dona in eo ſint, & ſatagere ut anima noſtra ſit centrum omnium virtutum, non autem, ſicut ipſa eſt, omnium vitiorum. Continguntne nobis perſecutiones? Imitemur S. Martham, dicamus Deo, *Dic ergo illi ut me adiuvet.* Ut donum trahat aliud, gratia gratiam, virtus virtutem, & ſanctitas ſanctitatem donec perveniamus ad gloriam.

Feria III. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Martha ait, Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi ut me adiuvet. Et reſpondens, dixit illi Dominus; Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima.
Luc. 10. 40. &c.

POſt ſuavê querelâ quâ Martha formaverat Salvatori ſuper id quòd ſoror ſua ſibi non præſtaret auxilium inter ſolicitudines ſuas, quibus ipſa conabatur ipſum excipere ſecundùm merita ſua, reſpondit ei Dei Filius, quòd ipſa præ ſe nimiam ferret ſolicitudinem, & quod inde arriperet anſam turbanciæ ſuiipſius, unde non debebat illam capeſſere. Maria turbatur, Auditores, Martha in conturbationem incidit, ambæ commoventur: Maria Mater Jeſu commotione cietur, Martha hoſpita Salvatoris conturbatione concutitur, Maria Virgo & Mater, Martha Virgo & ſoror, duæ ſanctæ, duæ illuſtres & virtuoſæ Virgines. Maria turbatur ad vocem Angeli, *Turbata eſt in ſermone eius* a. [a Luc. 1. 29.] Martha verò ad excipiendum Dominum ſuum, *Turbaris erga plurima.* Sancta commotio, turbatio ſacra, cùm vergat ad excipiendum Salvatorem cum majori diſpoſitione & magnificentiâ. Sed hallucinor: B. Virgo Maria non turbatur: ipſa eſt in ſtatu experte turbationis, cùm ipſa ſit repleta gratiâ, ſicut teſtantur hæc verba Angeli ſic illam ſalutantis, *Ave Maria.*

Rês inaudita, quòd, cùm Dei Filius ſit *Princeps pacis* b, [b Iſai. 9. 6.] nullibi adeſt, quin cauſa ſit ibi vel occaſio turbationis & commotionis. Si glorioſus eſt, prout *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* c, [c Ioan. 1. 18.] qui ipſum produxit intuitu magnitudinum ſuarum, *In ſplendoribus Sanctorum* d, [d Pſ. 109. 3.] & ex tunc offertur Angelis adorandus, *Et adorent eum omnes Angeli Dei* e: [e Hebr. 1. 6. ex Pſ. 96. 8.] ipſe eſt occaſio belli & diviſionis eorum, *Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius* f. [f Apoc. 12. 7.] Si exit à *Patre, & in mundum* g [g Ioan. 16. 28.] venit capturus naturam noſtram, & induit um carnem humanam *in utero* h [h Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.] Virginis, ut lavet *nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* i: [i Apoc. 1. 5.] Angelus ſalutat hanc Virginem, turbat eam, *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius* k. [k Luc. 1. 29.] Si naſcitur in ſpeluncâ Bethleem, *cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet* l, [l Sap. 18. 14. & 15.] ecce conturbatio in Curiâ Principis ambitioſi, qui imaginatur quòd iſte Rex recenter natus veniat in mundum ad eripiendum ipſi ſceptrum ſuum & diadema ſuum uſurpatione tyrannicâ, & ad ſpoliandum ipſum Regno ſuo: *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, audiens Herodes Rex turbatus eſt* m. [m Matth. 2. 1. & 3.] Si tenetur ipſe providere conſervationi vitæ ſuæ, fugiendo *in Ægyptum* n, [n Matth. 2. 14.] ibi ſilentium idolis imponit, & illa confuſione operit, juxta prædictionem Iſaiæ o, [o Iſai. 19. 1.] *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius.* Si tradit *Semetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* †, [† Epheſ. 5. 2.] ecce confeſtim inordinatio in totâ natura, *Et obſcuratus eſt Sol* p. [p Luc. 23. 45.] *A ſextâ autem horâ, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt* q. [q Matth. 27. 45. &c.] Si reſurgit è monumento, terrore concutit milites qui ipſum cuſtodiunt circum ſepulchrum, *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui* r. [r Matth. 28. 4.] Si aſcendit in cœlum, Angeli veluti ſtupore cientur, *Attollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ* s? [s Pſ. 23. 9. & 10.] Et ſi priùs deſcendit in infernum, dæmones tremunt, *Quid tremunt? Sine dubio crucem Chriſti, in quâ triumphati ſunt, in quâ exuti ſunt Principatus eorum, & Poteſtates* t, [t ex Coloſſ. 2. 15.] ait Origenes u [u Orig. hom. 5. in Exod. 15.] ſuper hæc verba Cantici Moyſis, *Tunc conturbati ſunt Principes Edom,* &c. *Et cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic* x? [x Matth. 21. 10.] Si honorat animam viſitatione ſuâ per communionem, ſtatim turbatur hæc anima, deſerit ipſa vitium, & praxes ſuas crimi noſas, amplectitur virtutem, & vacat exercitio ſanctitatis. Videte Martham, quando ipſa ſuſcipit illum, prout hoſpita, *Solicita es, & turbaris erga plurima.* Totus mundus turbatur ad adventum illius, ideòque vobis oſtendere volo quòd in Euchariſtiâ, eſt Primò turbatio in mundo elementari, Secundò inordinatio in mundo Angelico, Tertiò velut admiratio in mundo Archetypo [Diviſio.]

Eſt turbatio in omnibus hominibus omnium ſcientiarum. Et primò, Turbatio reperitur in Scriptoribus. [I. Parag.] Scriptores qui componunt libros, quid agunt? Libri conſervant ſcientiam, & ſapientiam, quæ periret ſine ipſis: hæc eſt in eis caraeta: & ecce id quod faciunt Scriptores in mundo elementari. Ipſi ſcribunt literas, unam poſt aliam

ſylla-

Google

ſyllabam poſt ſyllabam: iſtud eſt ordinarium Scriptoribus qui componunt libros: ipſi non faciunt eos unà, quòd ſi reperiretur aliquis qui ſimul conceptus ſuos omnes ſcriptis in libro exararet, librumque integrum componeret, is eſſet ſubiectum admirationis & ſtuporis aliorum Scriptorum: atqui Deus producit librum, qui non eſt aliud niſi Verbum ſuum, *Eructavit cor meum verbum bonum* y. *Liber vitæ* z, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* a. Hunc librum ipſe producit ſimul in æternitate, id eſt, unico actu mentis ſuæ, *Semel locutus eſt Deus* b. *Ex utero ante Luciferum genui te* c. Ecce prima impreſſio iſtius libri. Secunda impreſſio iſtius libri facta eſt *in utero* d B. Virginis Mariæ, in quo Verbum increatum in cœlo, evadit *Verbum caro factum* e in terrâ, per hæc verba quæ Angelo eadem *dixit Maria*, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* f. Tertia verò impreſſio fit ſuper altaribus noſtris unà per hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*. *Hic eſt Sanguis meus* g. En ſpecioſus iſte liber, in lucem editus in his tribus ſtatibus impreſſionis ſimul, in quo ſunt exaratæ omnes magnitudines Divinitatis. Eſt igitur ipſe turbatio & confuſio aliorum Scriptorum, qui tempus requirunt, & qui ſcribunt literam poſt literam, ſyllabam poſt ſyllabam, & verbum poſt verbum. Hic autem liber vocatur à Patribus, *Summa effuſa penitus Divinitatis*, conformiter ad id quod ait concilium Tridentinum h, loquens de hoc SS. Sacramento, *In quo divitias Divini ſui erga homines, amoris, velut effudit.* Dicimus Summam S. Thomæ. Quid eſt Summa Doctoris iſtius Angelici? Eſt compendium operum ipſius: ipſe multa ſcripta compoſuit, ipſe eſt Angelus ſcholarum, ſed inter alia ipſe fecit Summam, in quâ tractat de Deo uno, de Deo trino in perſonis, de Angelis, de beatitudine, de virtutibus & vitijs, de Incarnatione, & de Sacramentis, inter quæ de Pœnitentiâ quæ præcedere debet ſuſceptionem Euchariſtiæ. Sic Euchariſtia eſt Summa Divinitatis, in quâ ſunt omnia mirabilia, univerſæ magnitudines, cunctæ virtutes, omne id quod eſt auguſtum, tota gloria, tota beatitudo, modus fugiendi vitij, & exercendæ virtutis. Cùm totus S. Thomas quantùm ad Theologiam, vel quantùm ad materias quæ in Theologiâ tractantur ordinariè, comprehendatur hoc nomine, Summa, additus eſt tractatus, qui vocatur Supplementum S. Thomæ: Euchariſtia eſt veluti ſupplementum, & id quod requirebatur ad perfectionem omnium operum Dei; ſupplementum ad hoc ut evaderent perfecta. Qualis Summa! *Summa effuſa penitus Divinitatis.* Ipſa, eſt confuſio Scriptorum.

y Pſ. 44. 2. z Apoc. 20. 12. a Coloſſ. 2. 3. b Pſ. 61. 12. c Pſ. 109. 3. d Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14. e Ioan. 1. 14. f Luc. 1. 38. g Matth. 26. 26. & 28. h Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 2.

Ipſa, confuſione operit Grammaticos. Grammatici dicunt quòd idem verbum non poteſt eſſe eodem tempore activum & paſſivum: ſed ecce Verbum quod eſt confuſio Grammaticorum, quippe quod in Euchariſtiâ eſt activum & paſſivum. Paſſivum eſt, cùm deferatur, elevetur, claudatur, malè excipiatur, detur magnis & parvis, divitibus & pauperibus, nobilibus & ignobilibus, Bonis & malis, Juſtis & impijs; hæc omnia perpetitur, eò dum que:atur: & tamen eſt Verbum activum, quod agit in ijs, qui ipſum recipiunt, modo mirabili, producit in illis effectus miraculoſos, replet eorum animas ſuavitatibus incomparabilibus interventu ſuperabundantiæ gratiæ quam illis communicat, quæ ſuperant omnes conſolationes iſtius vitæ, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ*, ait ipſemet Dei Filius apud S. Joannem i. Et apud Dionyſium Carthuſianum k, *Panis quem ego dabo per me ipſum in cœnâ, hoc Sacramentum inſtituendo, diſcipulisque tradendo, & in arâ crucis panem hunc Patri offerendo, & deinceps per meos miniſtros, videlicet, Sacerdotes, quibus convenit Sacramentum iſtud conſecrare, atque porrigere aliis, caro mea eſt, quæ alit mentem fidelium. Tum quia Verbo unita, tum quoniam gratiis plena per redundantiam, & quia Divinitatis gratiâ creantis eſt inſtrumentum, itemque merito ſuæ actionis ac paſſionis, pro mundi vitâ, id eſt, pro ſpirituali vivificatione hominum viatorum in mundo degentium. Ad hunc enim finem ut à morte culpa ac miſeria eriperemur, vitamque gratiæ & gloriæ conſequeremur, dedit Chriſtus corpus ſuum in cruce in pretium, & in Sacramento in edulium atque remedium. Quotidie quoque dat panem iſtum pro vitâ noſtrâ, hoc eſt, ut in vitâ gratiæ roboremur, ac perficiamur.* Eſt igitur Verbum activum & paſſivum ſimul, quod facit confuſionem Grammaticorum.

i Ioan. 6. 52. k Dion. Carth. art. 12 in Ioan. 6. 52.

Confundit & Philoſophos, qui aſſerunt, quòd duo contraria, qualia ſunt V.g. calor & frigus, non poſſunt ſimul & ſemel ſociari & reperiri in eodem ſubjecto, *Duo contraria ſe mutuò expellunt ab eodem ſubiecto.* Sed en illorum confuſio in Euchariſtia. Quid minus Jeſu Chriſto in hoſtia ſacra? Ipſe non occupat locum, ipſe habet totam quantitatem ſuam ſine dimenſione. Quam parvus eſt, ſed quàm magnus eſt, cùm ſit in omnibus Eccleſiis, ubi ſacrum corpus ipſius aſſervatur, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis* l. Cùm ibi habeat totam magnitudinem ſuam. Præterea, Dicunt quòd accidentia non poſſunt eſſe extra ſubjectum ſuum, cùm eorum eſſentia ſit adhærere ſubſtantiæ, *Accidentis eſt ineſſe.* Sed in Euchariſtiâ ipſa ſeparata ſunt à ſubjecto. Qualis confuſio Philoſophorum! In hoc Sacramento oculi noſtri non vident niſi panem, os noſtrum non guſtat quid minùs quàm panis. Dei Filius abſcōdere ſe voluit ſub iſtis ſacris panis ſpeciebus ab omni ſubjecto ſeparatis, quæ inducebant Iſaiam m ad exclamandum ad ipſummet, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.* Et Pintum n poſt iſtum Prophetam, *Et quoniam bonum eſt communicabile, ut ait Dionyſius* o, *ſui ipſius diffuſivum, voluit ſummum Bonum ſummè ſe hominibus communicare. Sumpſit noſtram naturam, verſatus eſt inter homines, mortuus eſt pro illis, & ſeipſum in admirabili Euchariſtiæ Sacramento nobis reliquit, ut ſemper nobiſcum eſſet, & ſummè ſeipſum nobis communicaret. In illâ hoſtiâ conſecratâ verè eſt Deus abſconditus. Quæ poterat maior excogitari communicatio? Quod maius beneficium? Quæ maior amoris abundantia? Quod manus aut magnitudine admirabilius, aut fructu ſalutarius, aut amplitudine magnificentius? Adoro te hoſtia conſecrata, adoro te Chriſte Fili Dei vivi, qui te pro ſalute noſtrâ hoſtiam ſalutarem devoviſti, & ut tuam erga nos immenſam charitatem demonſtrares, corpus tuum ſanctiſſimum in cibum, & ſanguinem tuum pretioſiſſimum in potum, ſub ſpecie panis & vini ſumendum nobis reliquiſti, & ſub modici panis ſpecie tu Chriſte ſancte verus Deus & verus homo contineris. Ideò ego dico cum Propheta, Verè tu es Deus abſconditus. Tu es ſub accidentibus abſconditus, & inviſibilis viſibiliter à nobis ſumeris aliena ſpecie occultatus. Et ita ſumptus peccata deles, animam expias, gratiam tribuis, virtutes auges, & ſumentes admirabilibus gratiarum ornamentis decoras, & ad veram dignitatis amplitudinem perducis. Et quoniam Deus eſt in hoc Sacramento occultatus: Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator. Hic eſt Dei & hominum Mediator* p: *&, ut S. Cypriani verbis utar, hic eſt virtus Dei, hic ratio, hic ſapientia eius & gloria, & idei eum dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus.* Delectat Deus ad accendendum ignem amoris noſtri per hanc

l Pſ. 47. 2. m Iſai. 45. 15. n Pintus in Iſai. 45. 15. o ex S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4. p 1 Tim. 2. 5.

hanc privationem manifeſtæ viſionis ſuæ. In Incarnatione, corpus velabat animam ipſius. corpus & anima tegebant Divinitatem ipſius : & in hoc myſterio, ſpecies & accidentia velant corpus, animam & Divinitatem ipſius propter amorem noſtrum : *Ille autem dicebat, niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum* q. *Quia mutaverat vultum ſuum* q : *quaſi furor iſte & inſania videbatur, dare carnem ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinem. Ideò quaſi inſanus putatus eſt David, quando dixit ipſe Achis, Arreptitium hunc mihi adduxiſtis. Nonne videtur inſania, Manducate carnem meam, & bibite ſanguinem meum? Et, Quicumque non manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam* ? ait S. Auguſtinus r. En Amans iſte ſacer velut in curru amoris, qui ducit ipſum præ triumpho uſque ad intima corda noſtra. Antiqui fingebant alias currum Amoris tractum à duobus cygnis candidis : veritas autem nobis oſtendit currum Amoris Dei noſtri veluti tractum accidentibus candidis, quæ miraculosè ſubſiſtunt extra ſubjectum ſuum, quod confuſione Philoſophos operit.

q ex Ioan. 6. 53. q ex 1 Reg. 21. 13. &c.
r S. Aug. conc. 1. in Pſ. 33.

Medici ſimiliter pudore ſuffunduntur : nam ad reſtituendam infirmo ſanitatem, dicunt quòd præſcribenda ſint remedia, quòd faciendæ ſint evacuationes, venarum inciſiones, capeſſenda pharmaca; & reſtituendam infirmo ſanitatem, dicunt quòd præſcribenda ſint remedia, quòd faciendæ ſint evacuationes, venarum inciſiones, capeſſenda pharmaca; poſthæc curatio eſt incerta ; cùm tamen deberet eſſe certa, prompta, & facilis : & experientiâ quotidiana contrarium probamus. Quid agit Medicus, viſitans infirmum ſuum ? Petit ab illo quomodo ſe habeat. Sed nunquid ipſe hoc non videt ? Sufficit ut præcipiat ei ut educat linguam ſuam, ad hoc ut iſtud meliùs cognoſcat. Deinde, Tangit eum, explorat pulſum illius, ſed tactus ejus non ſanat illum, æquè ac inſpectio linguæ non reſtituit illi ſanitatem. Poſthæc, Veniendum eſt ad remedia, quæ ſunt amara, & captu difficillima, de quibus nemo poteſt etiam eſſe certus, ſicut & de illorum effectibus. Sed quid agit Medicus hoc in occurſu videns infirmum ſuum in extremis poſitum reſpuere medicamen nimis amarum ? Ipſe illud operit eo quod ipſe ſcit magis convenire guſtui infirmi, ut hic infirmus illud ſumens faciliùs & libentiùs, deperditam recuperet ſanitatem, quam non ſemper ſequitur ſumptio remedij. B. Agatha dicebat S. Petro Apoſtolo qui apparuit ipſi, ut mederetur ipſi, *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui : ſed habeo Dominum Ieſum Chriſtum, qui ſolo ſermone reſtaurat univerſa.* Regius Medicus mundi Jeſus Chriſtus (*Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* s) videns quòd nunquam libenter ſumpſiſſemus cibum corporis ipſius, & potum ſanguinis ipſius t, veluti medicinam noſtris animabus ſalutarem, in proprijs ſpeciebus, hujuſmodi cibum & potum ſuaviter operit ſpeciebus panis & vini, quæ nobis nunquam ſunt faſtidio, ut ſic ſumentes hanc Divinam medicinam, recuperemus infallibiliter ſanitatem noſtram ſpiritualem, *Venit Salvator ad genus humanum, nullum ſanum invenit, ideò magnus Medicus venit*, ait S. Auguſtinus u. Sed hallucinor; dico cum S. Agatha ad confuſionem Medicorum, quòd Jeſus Chriſtus in hoc adorabili Sacramento eſt ſummus Medicus qui ſanat loquendo. Sed quomodo ? diceus mihi. Loquitur cordi communicantis. Ha quàm efficacia ſunt ipſius verba ! *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea* x. Sufficit unicum verbum illi qui eſt *Verbum* y Patris, ad hoc ut nobis impertiatur animæ ſanitatem. Loquitur, & ſtatim motum tribuit paralytico, *Dicit ei Ieſus, Surge, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille : & ambulabat* z. Loquitur, *Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus* a. Loquitur, *Et ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus* b. Loquitur, *Et tenens manum puellæ, ait illi, Puella, tibi dico, ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella* c. Verbum è verbis ipſius dat viſum cæco, *Ieſus dixit illi, Reſpice. Et confeſtim vidit* d. Imò verò ſolus tactus fimbriæ veſtimenti ipſius ſufficit ad dandam ſanitatem mulieri fluxum ſanguinis patienti, *Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in Medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari : acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus : & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus* e. Quandonam verò tangimus hanc fimbriam, niſi cùm communicamus, cùm ſuſcipimus corpus Jeſu Chriſti, quod eſt ipſius indumentum ? *Habitu inventus ut homo* f. Tunc enim tactus iſte ſacer nobis ſanitatem dat ſpiritualem, ſi ad ipſum accedimus cum diſpoſitionibus congruis, *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.*

s Luc. 19. 10.
t Ioan. 6. 57.
u S. Aug. ſerm. 6. de Verb. Apoſt. c. 10.
x Eccleſ. ex Matth. 8. 8.
y Ioan. 1. 1.
z Ioan. 5. 8. & 9.
a Ioan. 11. 43. & 44.
b Luc. 7. 14. & 15.
c Marc. 5. 41. & 42.
d Luc. 18. 42. & 43.
e Luc. 8. 43. & 44.
f Philipp. 2. 7.

Sed quænam remedia inſumit ipſe ad operandum effectum, qui nobis eſt ſic proficuus ? Utitur ipſe remedijs ſuavibus, facilibus, & jucundis. Offert ipſe nobis carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum : *Caro enim mea, verè eſt cibus : & ſanguis meus, verè eſt potus* g. Omnis enim ſanitas ſpiritualis animarum noſtrarum oritur è ſanguine Jeſu Chriſti, ex hâc origine fœcundâ, ex iſto principio meritorum : omnes gratiæ noſtræ tinctæ ſunt hoc ſanguine adorabili, unde ipſæ trahunt totum valorem ſuum. Ipſe ſanat ſimilibus, more aliquorum Medicorum ; contrarijs, inſtar aliorum. Contrarijs ſanat in hoc Sacramento, ubi caro ſancta medetur carnibus criminoſis, corpus purum & innocens corporibus immundis & inquinatis. Comeſtio *de fructu* h vetito, nobis fuerat fatalis : comeſtus *panis vitæ* i, nobis eſt favorabilis. Similibus, Corpus medetur alij corpori, Spiritus ſpiritui. Eximius Medicus ! Ipſe confuſione operit omnes alios Medicos.

g Ioan. 6. 56.
h Gen. 3. 6.
i Ioan. 6. 35.

Ipſe pudore ſuffundit omnes Hæreticos, qui dicunt ſe non habere niſi figuram, & cum Capharnaitis, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum* † ? Ipſe non eſt in hoc Sacramento niſi in figurâ, inquiunt illi, ita non ſumunt eum niſi in figura & in umbra, non autem in realitate : ſic non habebunt ipſi in altera vita bonum & felicitatem, niſi in umbra & in figura, ſed in realitate *ſupplicium æternum* k, cùm non habeant arcanum fidei. Non latet vos, Auditores, quod una ex adinventionibus amantium ad manifeſtandas ſecretiſſimas cogitationes ſuas amatrici ſuæ, nedum tamen ipſe detegatur, eſt epiſtola ſcripta characteribus inſolitis & mutatis, quam nemo præter eum qui illam ſcripſerit, aut qui ſecretum illius noverit, poterit concipere : Deus, *cujus natura bonitas* l, ſcripſit nobis multas literas, ſed literas ſecretas, quas comprehendere non poſſumus ſine arcano fidei. Incarnatio ipſius eſt incomprehenſibilis, eſt epiſtola arcana, *Verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram* m. Non poteſt intelligi hæc epiſtola ſine ſecreto fidei, quòd is *qui ſolus habet immortalitatem* n, ſe fecerit mortalem. Euchariſtia, eſt epiſtola ſecreta, nulla videtur in ipſa lux, niſi me-

† Ioan. 6. 53.
k Matth. 25. 46.
l S. Bern. ſerm. 1. in Circum. Dom.
m Rom. 9. 28. ex Iſai. 10. 23.
n 1. Tim. 6. 16.

dijs

diis oculis ſidei, quis enim ſine arcano fidei concipere poſſet, quòd ſub ſpeciebus panis & vini eſſet caro, & ſanguis Jeſu Chriſti? Sed inter omnia arcana literarum ſecretarum illud mihi videtur ſpecioſiſſimum, quo ſcribitur ſuper chartam candidam, nedum literæ appareant, niſi cùm admoventur igni: hoc admirabile Sacramentum eſt charta pura & alba: applicate Eucariſtiam igni amoris, calefacite illam igne ſanctorum affectuum veſtrorum, legetis in eâ magna ſecreta, detegetis in illâ, quàm potens eſt Deus, ſapiens, & miſericors; videbitis in ea amorem infinitum quo ipſe vos dilexerit, magnas divitias quas vobis pollicetur, conſolationes quas tribuit animabus Sanctis, & mala à quibus vos liberavit. Eſt epiſtola ſecreta, quã ipſe nobis detegit in Apocalypſi o, *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.* Et apud Dionyſium Carthuſianum p, *Manna abſconditum eſt ipſemet dulciſſimus Dominus Ieſus, cuius figura fuit manna filiis Iſraël præſtitum* q. *Unde ait Iudæis, Non Moſes dedit vobis panem, ſed Pater meus dat vobis panem verum. Ego ſum panis vitæ* r. *Denique, Chriſtus ſuo corpore & ſanguine nos in præſenti exilio fovet, conſolatur ac reficit tanquam per principale obiectale & beatificativum eduliun. Manna inſuper iſtud abſconditum fertur, ſecundùm Divinitatem Chriſtus eſt incomprehenſibilis, iuxta illud Iſaiæ* s, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator. Et dabo ei calculum candidum, Sed & ipſemet Chriſtus qui eſt pretioſiſſima margarita, pro qua cuncta ſpernuntur* t, *ſplendidiſſimuſque carbunculus in tenebris lucent, eaſque fugant, candidus calculus appellatur.* Euchariſtia, eſt petra alba, *Petra autem erat Chriſtus* u. Charta pura, nullo modo ſcripta, ſicut videtur. Sed fallor: ipſa ſcripta eſt, *Et in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.* In Euchariſtia ſunt literæ, ſed hæ non ſunt notæ niſi illis qui ipſam dignè ſuſcipiunt, id eſt, cum igne amoris, & cum arcano fidei. Hæretici ignorantes iſtud ſecretum fidei, qui faciunt hoc Sacramentum Sacramentum fidei imaginariæ, non intelligunt hoc Divinum myſterium. Capharnaitæ confuſi permanſerũt ad ſolam lecturã literarũ iſtarum ſecretarum: *Dixit ergo eis Ieſus, Amen, amen dico vobis, Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hæc dixit in Synagogâ docens, in Capharnaüm. Multi ergo audientes ex diſcipulis eius, dixerunt, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* x. Illi ſanè hoc intelligunt, qui habent arcanum fidei, non autem ij quos infidelitas privavit luminibus ejus. S. Petrus intelligebat apprimè ſecretum iſtud, ipſe qui habebat arcanum fidei: *Dixit ergo Ieſus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus quia tu es Chriſtus Filius Dei* y. Hæretici noſtri non intelligunt has literas ſecretas, ipſi qui non habent arcanum fidei, nec amorem: ideòque dicunt quòd Chriſti corpus non eſt niſi in cœlo, & in Euchariſtiâ ſolum per figuram. Hanc intelligentiã non habet niſi Sponſa unica, *una columba* z, quæ eſt ſancta Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana, quæ cuſtodit arcanum fidei, & ignem ſacrum amoris: hoc myſterium fidei non intelligunt niſi veri fideles, *in captivitatem redigentes omnium intellectum in obſequium Chriſti* a, qui amorem ſuum exhibet ipſis in hoc Sacramento, & gratias ſuas ipſis tribuit. In hâc confuſione, in quam redigit eos Euchariſtia, Auditores, ſinite illos: *cæci ſunt, & duces cæcorum* b. Ut veniamus ad Mathematicos, quos ſimiliter operit confuſio.

Mathematici dicunt, quòd nulla eſt quantitas ſine dimenſione, longitudine, latitudine, altitudine, & profunditate. Omnis quantitas, omne corpus habere debet quatuor iſtas dimenſiones: & in hoc Sacramento quantitas reperitur ſine ſuis dimenſionibus, niſi fortè reperiantur in ipſo dimenſiones eminentis charitatis de ipſius, quibus ait Apoſtolus c, *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Deſcendit uſque ad nihilum depreſſionis per profunditatem. Per latitudinem ipſe eſt per totum mundum. Per altitudinem præditus gloriâ. Et per longitudinem, *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* d, oblatus Deo ut ſacrificium gratiſſimum omnium. Archimedes totus immerſus ſpeculationibus ſuis Mathematicis, cùm inveniſſet figuram quam ita ſolicitè quæſiverat, in terram procumbit, inclamans præ gaudio, *Verè figuram invéni.* Cùm repererimus, Auditores, hanc adorabilem figuram, quæ transfigurare nos poteſt in gloriâ, oſculemur eam, revereamur & adoremus illam. Mathematici nunquam potuerunt invenire quadraturam circuli: en iſte circulus, hæc quadratura in Euchariſtiâ, quæ quatuor habet dimenſiones, de quibus Apoſtolus. Confuſione igitur operiuntur Mathematici.

Non minore pudore ſuffunduntur Aſtrologi, qui dicunt quòd Sol non debet eſſe fixus, ſtabilis, & immobilis, ſed in motu continuo, alioquin productiones ceſſarent, ſicut aſſeritur de tempore Joſue, cùm *ſtetit Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei* e, ſi diutiùs ſteriſſet. Tamen *Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter* f, ſtabilis eſt & fixus in tabernaculis noſtris ſuper altaribus noſtris, & inde fœcunditates innumeræ, *Mens impletur gratiâ: & futura gloria nobis pignus datur.* Prætereà, Dicunt quòd Sol non poteſt omnino eclypſi ſuffundi, quia cùm eclypſis fiat per interpoſitionem Lunæ, & Luna multò ſit minor Sole, hæc eclypſis non poteſt eſſe totaliter: & tamen iſte *Sol intelligentiæ* g eſt totus eclypſi ſuffuſus, ipſe non apparet ſub tenebris & velo accidentium. Sol videri non poteſt, niſi in eclypſi ſuâ, ſicut dicitur, *Sol niſi cum deficit, non habet ſpectatorem.* Et populus qui non eſt auſus illum intueri ſplendentem, contemplatur eum deficientem. *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* h, prout Sol gloriâ ſplendens, *Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* i, eclipſim paſſus eſt *in utero* k B. Virginis. Et ipſe incognitus eſt, non videmus eum, ipſe ſe abſcondit ſub veſte noſtræ mortalitatis, *Et habitu inventus ut homo* l. Cognoſcitur homo per veſtimenta ſua; corona clauſa demonſtrat Regem, Mitra Epiſcopum, pileus rubeus Cardinalem, tiara Papam, caputium Religoſum: & hoc idem veſtimentum nobis ipſum abſcondit: hoc corpus quod ipſe ſumpſit, impedit quin videamus ipſius Divinitatem, fuit velut typus Divinitatis, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* m. Inſuper, Dicunt Aſtrologi, quòd eclypſis Solis eſt funeſta, denotat innumeras calamitates, mortalitatem, & infortunium: è contrà verò Sol hic Euchariſticus in eclypſi ſuâ producit in nobis mille fœlices ſucceſſus, & fœcunditates abſque numero. Deinde, Repræſentant nobis ſtellam, quam vocant Virginem, & quæ eſt è numero duodecim ſignorum Zodiaci, cum ſpica tritici præ manu, *Spica Virginis*? quam ſedere dicunt ad latus lævum Solis

o Apoc. 2. 17.
p Dion. Carthus. in Apoc. 2. 7.
q ex Exod. 16. 4. &c.
r Ioan. 6. 32. & 48.
s Iſai. 45. 15.
t ex Matt. 13. 46.
u 1. Cor. 10. 4.
x Ioan. 6. 54. &c.
y Ioan. 6. 67. &c.
z Cant. 6. 8.
a 2. Cor. 10. 5.
b Matth. 15. 14.
c Epheſ. 3. 18. & 19.
d Matth. 28. 20.
e Ioſue 10. 13.
f Eccleſia ex Malac. 4. 2.
g Sap. 5. 6.
h Ioan. 1. 18.
i Hebr. 1. 3.
k Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
l Philipp. 2. 7.

lis. Sed ad quid hæc ſpica tritici in manu Virginis? Si poſuiſſent hanc ſpicam frumenti in manu mulieris fœcundæ, vel plantam ortam è terrâ inculta, hoc fuiſſet ad rem: ſed ſpica tritici nata è terra culta, & è germine putrefacti veteris ſeminis, non habet convenientiam cum puritate Virginis, ut videtur. Et tamen hoc eſt, quod confundit Aſtrologos. Quid eſt enim ſpica frumenti, niſi materia panis? *Ego ſum panis vivus* n, ait Jeſus Chriſtus. Panis vivens, & non mortuus: quandonam verò panis eſt vivens, niſi quando ſpica eſt etiam vivens vitâ vegetativa? Jeſus igitur eſt ſpica tritici, ſeu *granum frumenti* o. Et, *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* En litera; ſed quantùm ad myſterium, quodnam eſt iſtud cœlum, niſi B. Virgo? *Illa reperietur eſſe cœlum*, dicit S. Epiphanius p. Et en iſta ſpica tritici in cœlo præ manu Virginis, quæ conſervat animas in vitâ gratiæ, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me* q. Cùm Caldæi vocent hoc ſignum nomine, quod in lingua noſtra ſignificat, *Signum ſuſtentantis.* En Aſtrologi confuſi, cùm ſit ſignum illius, qui ſuſtinet in vita gratiæ. Sed ad majorem illorũ confuſionẽ, dicamus quòd iſtud ſignum non eſt caſu collocatũ in cœlo. Eia erga faciamus horoſcopum Jeſu Chriſti, conſideremus faciẽ cæli, diſpoſitione aſtrorũ occurſum ſtellarum, quomodo erant ipſo puncto nativitatis ejus. Procul hinc igitur Aſtrologi, qui educitis hominum fortunas ex ordine ſtellarum: ineptiis veſtris fidem meam non alligo. Nunquid non impietas foret immodica, ſubjicere qualitatibus aſtrorum, ſupremum illorum Opificem? Tamen manus æterna Divinæ providentiæ ipſius, ordinavit hora nativitatis ipſius, aſtra & ſtellas in ſic fœlici diſpoſitione ut non poſſet hæc eſſe melior, nec magis ad propoſitum ad repræſentanda myſteria incomparabilia, & ſicut ipſe elegit myſterioſè in terrâ locum nativitatis ſuæ, volens ut vocaretur Bethleem. *Cùm natus eſſet in Bethleem* r, quæ nihil aliud innuit, niſi domum panis, ad figurandum hoc Divinum Sacramentum; &, ſicut dicunt Patres, omnes aliæ circunſtantiæ nativitatis iſtius fuerunt plenæ magnis myſterijs: ſic elegit ad naſcendum tempus, quo cœlum, æquè ac terra, repræſentabat mirabilie nativitatis ipſius. Atqui videamus quomodo diſpoſitum erat cælum, quo pacto erant collocati planetæ, & ſtellæ ordinatæ. Primò Hæc nativitas accidit mediâ nocte, quando Sol erat ſub terra, *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet* s. Myſterium, quod denotat depreſſionem Dei ſub terram noſtræ carnis. Secundò, Sol erat in ſigno capricorni, qui eſt animal, partim capra, & partim piſcis: capra, quæ ſalit ſuper altiſſimos montes; piſcis, animal ſine verbo, frigidum, & ſtupidum: & ecce unio duarum naturarum, Divinæ, & humanæ in unâ perſonâ. Prætereà, Hoc ſignum præſagit dignitates, & Auguſtus Cæſar dicitur evaſiſſe Monarcha mundi, eò quòd illud præſediſſet nativitatis ipſius? ſed Jeſus Chriſtus, cùm Sol tunc eſſet ſub terrâ in domo iſtius ſigni, quod eſt partim piſcis, animal exiguæ æſtimationis; deſpicit honores, reddens ſe voluntariè *deſpectum, & noviſſimum virorum* t. Capricornus, inquam, dominabatur nativitati ipſius, cùm Sol gyrans in ſuo excentrico, ſe reddiderat viciniorem terræ, cùm minùs directè percuſſa radiis ejus, erat magis operta frigoribus: etiam, illo tempore, quo mundus glacie conſtrictus, erat opertus frigoribus vitiorum, iſte Sol gloriæ propiùs ad ipſum acceſſit, naſcens in ipſo ſicut homo inter cæteros homines. Prætérquamquòd Sol, cùm eſſet in capricorno, erat etiam contra polum antarcticum, qui honoratus eſt ſpecioſiſſimâ cruce ſtellarum ſplendentium, quæ vocatur crux Auſtri: quod innuit, quòd Jeſus Chriſtus naſcens, ſtatim veniebat ſe ſociatum cruci u, ut ſcalæ deſiderabili magnitudinum iſtarum. Illa crux poli Antarctici eſt maximè remota à polo Arctico: ſic quamnam ſocietatem habere poterat Jeſus Chriſtus, qui eſt oriens *ſtella ex Jacob* x, cum hoc Arctico, ubi non videntur niſi urſæ, & ſerpentes? Hoc ſignum Salvatoris mei ſibi univerat ſpecioſam crucem alterius poli mundi, ut oſtenderet quantùm diſtaret à vitijs, & à ſocietate ſerpentium infernalium, cùm Jeſus Chriſtus eſſet *Sanctus Dei* y. Tandem. Signum præſidens nativitati Salvatoris, fuit Virgo, ſignum evidens Virginis virginum, quæ fiebat Mater Dei. Verbum æternum non pendebat ab ulla creatura; & tamen creatura, quæ eſt Virgo & Mater, ſuſcipit authoritatem ſuper ipſum. Quis neſcit quòd uſque ad illud tempus hæc Virgo manſerat ſub horizonte mundi, *ſicut lilium inter ſpinas* z contemptûs? Filio autem ipſius naſcente, ipſa cœpit ex tunc apparere, & agnoſci: *Ecce enim ex hoc beatum me dicent omnes generationes* a, inquit ipſa. Fuit ipſamet in aſcenſu ſuo, cùm Filius ipſius natus eſt; & micare cœpit in apice ſuo, cùm idem Filius ſe depreſſit,

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna,

aiebat Poëta, quaſi alludens ad Regnum B. Virginis, & ad Regnum Saturni, qui, prout Rex aliorum planetarum, erat in altiſſimâ portione ſuæ elevationis in apice cœli ſui, tempore nativitatis Salvatoris nobis præſagiens reditum ſæculi aurei ficti à fabuloſâ Antiquitate, cùm Saturnus regnabat in mundo. Sed obſervo quòd nomen iſtius Virginis cœleſtis, Erigone Græcè, idem eſt Latinè ac, mater matutini temporis: B. Virgo nunquid non eſt Mater? Et Filius ipſius nonne eſt *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* b, ad confuſionem Aſtrologorum?

Confunduntur & Theologi, qui dicunt quòd nulla vera fœlicitas eſt in iſtâ vitâ, & quòd expectanda eſt in alterâ vitâ: & tamen beatitudo eſt incluſa in Euchariſtia, in qua reperitur vita æterna, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem: habet vitam æternam* c. Item, *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Videtis quomodo confunduntur Theologi, æquè ac omnes homines, & quo pacto turbantur omnes creaturæ. B. Virgo turbatur, æquè ac Martha, ſicut audiviſtis. Fœlix turbatio! hæc non eſt ſicut Angelorum commotio *in cœlo* d, quæ procedebat ex ipſorum ſuperbia; nec ſicut turbatio Herodis e, quæ naſcebatur ex ambitione, & è rabie contra Jeſum; ſed ex zelo, reverentia, & honore. Martha requirebat auxilium, ut ſua ſoror ipſam adjuvaret, ad digniùs excipiendum Dominum ſuum. Ha! omnes animæ ſanctæ, ſolicitæ ſunt: ipſæ vellent ut univerſæ creaturæ ſuas curas impenderent ad ritè excipiendum Deum. Glorioſa ſolicitudo! *Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima.* En turbatio in mundo elementari, videamus inordinationem in Angelico

II. Pars.

Non ſolùm mundus elementaris turbatur, ſed etiam mundus Angelicus inordinatur ſeu confunditur intuitu Divini iſtius Sacramenti: nec enim eſt inſtitutum pro ipſis, nec fit ab ipſis. Non eſt factum pro ipſis, non fruuntur tanto favore, ſed ſoli homines: *Nuſquam enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit* f. Id eſt, Dei Filius. Et magis confunduntur Angeli videntes quod

n Ioan. 6. 41.
o Ioan. 12. 24.
p S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
q Ioan. 6. 57.
r Matth. 2. 1.
s Sap. 18. 14. & 15.
t Iſai. 53. 3.
u Pſ. 19. 7. &c.
x Num. 24. 17.
y Marc. 1. 24. & Luc. 4. 34.
z Cant. 2. 2.
a Luc. 1. 48.
b Ioan. 1. 9.
c Ioan. 6. 54.
d Apoc. 12. 7.
e Matth. 2. 3.
f Hebr. 2. 16.

quòd hoc Sacramentum eſt inſtitutum pro hominibus, & quòd ad vocem hominis pronunciantis hæc verba Filij Dei, *Hoc eſt corpus meum* g, idem Dei Filius adeſt altaribus noſtris. Sacerdotes ſunt veluti Patres Jeſu Chriſti in hoc Sacramento, ipſe eſt in Euchariſtia per eos, & eſt in illis; ſuſcipitur in illorum ſtomachum velut in pyxidem ſacram, & ibi eſt ſicut in throno ſuo: *Anima enim Juſti ſedes eſt Sapientiæ*, ait Euſebius Emiſſenus. h. Interim quandiu verba Sacramentalia proferuntur, Angeli deſcendunt, ut ſuas exhibeant ei reverentias & adorationes: quid autem facere debent homines qui ſunt ei magis obſtricti, quàm Angeli, cùm ſit pro ipſis, per ipſos, & in ipſis? Confuſio eſt Angelorum, & gloria hominum: ideòque iſti præ ſe ferre debent depreſſiones voluntarias; magnum ardorem, & immodicam devotionem erga ipſum.

g Matth. 26. 26.
h Euſeb. Em. ſ. Dom. 1. Advent. ex ſap. 7. 7.

Non ſufficit ut Euchariſtia ſit everſio hominum ſcientiarum omnium, & confuſio Angelorum, dico quòd eſt etiam velut admiratio Dei. Deus in æternitate erat adorabilis, ſed non adorabatur, *Totæ tres perſonæ ſunt coæquales*, ait S. Athanaſius i. Nulla eſt inter ipſas inferioritas, quam adoratio ſupponit. Quid egit Dei Filius per Incarnationem? Se fecit hominem, & hominem Deum. Prout homo, inferior eſt Patre ſuo, *Pater major me eſt* k. Unde adorat eum: adorans eſt, & adoratus: adorans, prout homo; adoratus quatenus Deus.

III. Pan.
i S. Athan. in ſymbol. Fidei.
k Ioan. 14. 28.

Deus non ſatis adorabatur ante Incarnationem propterea *Verbum caro factum eſt* l. Et inſtituit Euchariſtiam, ut ipſi majus exhiberet obſequium: eſt enim Sacrificium graniſſimum, quod exhibet ipſi mille reverentias, innumeras actiones gratiarum, Sacrificium Euchariſticum, ſeu actionis gratiarum quod reverentiam exhibet SS. Trinitati. Proptereà hæc ita ſæpè nominatur in Miſſa, cùm dicatur in eâ ter, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth* m. Ter, *Agnus Dei* n Et, *Placeat tibi, ſancta Trinitas.* Nec poſſumus meliùs agere gratias Deo pro beneficiis, quæ ſuſcepimus ab ipſo, quàm per hoc Sacrificium. Dei Filius inſtituens hoc Sacramentum, *accepto pane, gratias egit* o. Et Sacerdos ait, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam* p. Sacramentum Euchariſticum, quod gloriam Deo tribuit. proptereà eſt *Martha ſolicita, & erga plurima* turbatur. Imitemur, Auditores, Martham, ſoliciti ſimus, requiramus ut omnes creaturæ uniant ſe nobis, ad dignè cognoſcendum illud Sacramentum, quod cauſare videtur admirationem Deo, cùm tribuit illud, quod ipſe non habebat in æternitate, ubi adorabilis erat, ſed non adorabatur: turbemus nos, eò quod non ſimus benè diſpoſiti ad ipſum ſuſcipiendum, & ipſe nobis *gratiam & gloriam dabit* q.

l Ioan. 1. 14.
m ex Iſai. 6. 3.
n Ioan. 1. 29.
o Luc. 22. 19.
p Pſ. 115. 12. & 13.
q Pſ. 83. 12.

Feria IV. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima Porrò unum eſt neceſſarium. Luc. 10. 41. &c.

TAndem, Poſt uniones & multiplicationes, poſt ſimilitudines & diverſitates, ecce pervenimus ad unitatem ſic proficuam & ita neceſſariam, *Porrò unum eſt neceſſarium*, ait Salvator noſter S. Marthæ. Et Dionyſius Carthuſianus a, *Hoc unum quod præ cæteris neceſſarium dicitur, poteſt dici ipſa fœlicitas patriæ, ſeu Deus omnipotens, objectum, & dator beatitudinis ejus, vel contemplatio, ſeu dilectio Dei in vitâ hâc, ſeu pax mentis in Deo, aut unio cordis cum eo, ſeu Deo debitè deſervire, & ſaluti propriæ providere. Quàmvis autem ad obtinendam ſalutem multa ſint neceſſaria, ſcilicet, fides, ſpes, charitas, Sacramenta, impletio præceptorum: unum tamen neceſſarium dicitur antonomaſticè, quia præ cæteris neceſſarium exſtat, vel neceſſitate finis, & propter ſe atque ſimpliciter, alia verò per reſpectum ad finem, & propter ejus adeptionem, videlicet, Deo vacare, juxta illud Pſalmi, mihi autem adhærere Deo bonum eſt* b: *Deum diligere, mente quietâ contemplativam vitam ducere, & ipſum incommutabile Bonum quærere ac habere, de quo in Threnis* c *ſcriptum eſt, Pars mea Dominus, dixit anima mea: proptereà expectabo eum.* Ille profectò ſe geſſit appoſitè, qui faciens emblema amoris, depinxit unitatem coronatam, & quæ conculcaret omnes alias unitates, ut inferiores ſe, id eſt, omnes alios numeros, præ hâc inſcriptione, *Unitas regnat, unitas coronat, cæteroſque calcat.* Hæc eſt ſacra unitas, quam Salvator nobis commendat, unitas ſalutis, Deus unicus, propter quem ſolum poſſidendum, B. Virgo, æquè ac S. Martha ſolicita eſt. Virgo Deipara, tribue nobis illius ſtuitionem, & ſic ſiſte motum cordium noſtrorum quandiu tibi dicemus cum Angelo, *Ave Maria*

a Dion. Carth. art. 21. in Luc. 10. 41.
b Pſ. 72. 28.
c Thren. 3. 24.

B. Virgo *turbata eſt* d in conceptione Filij ſui: conturbata fuit ſimiliter, *cùm natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis Regis: & ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi: futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum* e. Sed nunc in cœlo ipſa eſt immunis ab omni turbatione, ipſa eſt in poſſeſſione, & in fruitione, cor ipſius non ampliùs deſiderat. Fuit S. *Martha erga plurima* turbata, volens excipere Dominum ſuum. Ancillæ Jeſu Chriſti, bonæ animæ turbantur, æquè ac ſolicitæ ſunt, ut omnes creaturæ ſerviant adorabili Sponſo ſuo. Heri totus mundus turbatus eſt, Euchariſtia pudore ſuffudit omnes homines, & Angelos, & fuit velut admiratio Dei: tandem, ſolicitudines omnes noſtræ tendere debent ad unicam rem ſolam, cùm quælibet alia ſit vana & inutilis, *Porrò unum eſt neceſſarium.* Et niſi timerem ne abuterer verbis ſacris Domini mei, illis qui *fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* f, dicerem, *Porrò unum eſt neceſſarium.* Quòd quantùm ad illud Sacramentum, tot quæſtiones, & tot interrogationes ſunt inutiles, Et quomodo hoc? Et quomodo illud? Et quo pacto Jeſus Chriſtus Deus & homo ſimul, poteſt integer in Euchariſtiâ reperiri? Et quâ ratione quantitas inveniri valet in hoc Sacramento ſine ſuis dimenſionibus longitudinis, latitudinis, altitudinis, & profunditatis, quæ ab ipſa ſunt inſeparabiles? Et qui fieri quit ut in Euchariſtiâ tota corporis Chriſti magnitudo ſit, nedum ullum locum occupet, & ut illud corpus ſacrum ſit totum in totâ hoſtiâ, & totum in quâlibet illius particulâ? *Porrò unum eſt neceſſarium.* Totum iſtud, eſt præ ſe ferre ſolicitudinem, ſed res unica ſufficit. *Præſtet fides ſupplementum Senſuum defectui.* Propter quid non datur ſacra Communio ſub duabus ſpeciebus? *Porrò unum eſt neceſſarium.* Unica ſufficit, *Diviſus eſt Chriſtus* g? Nequaquam: ipſe totus eſt ſub unicâ ſpecie: ipſum ſumitis totum ſub ſpecie panis: venite igitur ad ipſum cum vivâ & firmâ fide: hoc eſt quod vobis eſt abſolutè neceſſarium ad hoc ut accedatis cum diſpoſitionibus requiſitis ad ſic

d Luc. 1. 29.
e Matth. 2. 13. &c.
f Iob 24. 13.
g 1. Cor. 1. 13.

ſic auguſtum Sacramentum, Sacramentum Sacramentorum, excellentiſſimum omnium, & finem eorum, quodque continet Authorem Sacramentorum omnium, *Author Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus? De cœlo iſta Sacramenta venerunt. Conſilium enim omne de cœlo eſt*, ait S. Ambroſius h.

h S. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 1.

Sed obſervo quòd in SS. Euchariſtiæ Sacramento reperiuntur omnia bona poſſibilia, bonum honeſtum, bonum utile, & bonum delectabile: omnes ſuavitates, univerſæ ſatisfactiones, & cunctæ voluptates imaginabiles in eo comprehenſæ inveniuntur, ſicut aliàs in manna reperiebatur omne genus deliciarum quæ deſiderari poterant, ſicut ait Sapiens i. Deum alloquens, *Angelorum eſcâ nutriſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem.* Dixerunt aliqui, quòd tria requiruntur ad capiendam veram voluptatem, nimirum, potentia, objectum, & unio utriuſque. Alii verò aſſeverunt cum Ariſtotele †, quòd ſolida voluptas debet habere tres conditiones. Primò, debet eſſe intima, in nobis, unita nobis. Secundò, debet eſſe perfecta. Tertiò, debet eſſe æterna, non autem tranſitoria. Tres conditiones voluptatis, intimæ, perfectæ & æternæ, quæ non inveniuntur niſi in Euchariſtia. Incipio per primam.

i Sap. 16. 20. ex Exod. 16. 14. & ex Nũ. 11. 7. & ex Pſ. 77. 25.

† Ariſt. lib. 8. Ethic. c. 3 & ſeq.

Diviſio.

I. Pars.

Ad hoc ut voluptas vera ſit, ipſa debet eſſe intima: omne enim illud quod eſt extra nos, non poteſt cauſare nobis veram voluptatem: atqui omne illud quod eſt in mundo, eſt extra nos, totus iſte mundus eſt veluti nihilum reſpectu noſtri, ideòque præbere non poteſt nobis ſolidam voluptatem. Cùm autem dico, quòd mundus eſt nihilum, non intelligo quòd ipſe ſit eſſe chimæricum, phantaſticum, vel imaginarium: dico quòd nihil eſt intuitu noſtri, cùm ipſe non ſit noſter, & quælibet creatura agat propter finem alium à nobis. Quò enim tendunt, ſi placet, omnes motus creaturarum terræ? Quinam eſt finis cœlorum qui gyrant in centro ſuo ſine quiete & abſque intermiſſione à tot ſeculis? Quis eſt finis planetarum, qui moventur indeſinenter? Quem finem intendit ignis in ſphærâ ſua ſemper in actione ſine actione, & in motu ſine motu? Quis finis eſt aëris, qui tonat, qui grandinat, & qui perflat ſine ulla ſolida ſtabilitate? Quid intendunt aquæ quæ miſcent amabiles dulcedines ſuas amaritudinibus? Quinam finis eſt avium cœli, quæ nunquam firmæ ſunt in eodem loco? Quemnam finem intendunt animalia, quæ manſuetudo & furor abripit illuc & iſtuc, nedum reperire videamus præfixos actionibus ſuis limites? Tandem, Quemnam ſcopum ſibi proponunt omnes homines cum tot voluntatibus, deſiderijs, anxietatibus, inſtabilitatibus, & agitationibus continuis? Ha! Auditores, hæc omnia pergunt in unum ſinum, appelluntur ad unum portum, & terminantur ad unum centrum: id eſt, omnes iſtæ creaturæ dirigunt omnes conatus ſuos, univerſas inquietudines ſuas, & cunctas proſecutiones ſuas ad felicitatem, quàm unaquæque ipſarum requirit, ſecundum quòd illius capax eſt: & ſic iſtæ creaturæ non ſunt noſtræ, totus mundus eſt nihil reſpectu noſtri, & cum nobis non ſit intimus, non poteſt veram cauſare nobis voluptatem: ſed homo, qui eſt opus eximium Dei, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* k, protendit altiùs ſublimes cogitationes ſuas, aſpirat ad perfectionem altiorem, ad gaudium ſolidius, ad gloriam majorem, ad magnitudinem perfectiorem, & ad felicitatem Dei, *Altera quoque in homine eſt imago Dei, ſcilicet, ſupernaturalis, quæſita eſt in gratiâ & iuſtificatione hominis, quâ ipſe Divinæ fit conſors Naturæ* l, *quæque in gloriâ & vitâ æternâ firmabitur ac perficietur*, ait Cornelius m, qui priùs locutus erat de imagine naturali, quæ eſt in eodem homine. Naturaliter ipſe tendit ad beatitudinem, æquè ac ſupernaturaliter: nemo expers eſt deſideriorum iſtorum ſecretorum verſus ſummum *Bonum* n, quod ſolum dare poteſt ipſi veram voluptatem, cùm ſit centrum, terminus, & locus quietis omnium motuum proſecutionum ipſius, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, dicebat Pſalmiſta o, Deum alloquens. Et S. Auguſtinus p, *Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.*

k Gen. 9. 6.

l ex 2. Petr. 1. 4.

m Cornel. in Gen. 1. 26.

n Exod. 33. 19.

o Pſ. 16. 15.

p S. Aug. lib. 1. Confeſ. c. 1.

Riſum paravit aliàs cœtui magno quidam qui convenerat ad quaſdam nundinas, Scio, inquiens, id quod ſinguli ex vobis concupiſcitis in intimis animarum veſtrarum ſinibus. Urgetur is præ induſtriâ, ad hoc ut promat ſententiam ſuam ſuper id quod ipſe propoſuerat. Ideò, reſpondit ipſe, quia ſinguli ſuſpiratis ad lucrum, nec ex vobis ullus eſt qui non deſideret exaltare pretium venditionum ſuarum, & deprimere pretium emptionum ſuarum. Nunquid non effatus ſum veritatem? Huic pronunciato applauſit tota concio veluti præ deriſu. Sed appoſitè locutus eſſet, ſi dixiſſet, quòd omnes ſuſpirarent ad beatitudinem, quæ cùm ſit intima, ſola poteſt cauſare nobis veram voluptatem, quòd univerſi concupiſcerent fœlicitatem, *Nonne ipſa eſt beata vita, quam omnes volunt, & omnino qui nolit eam nemo eſt*: ait S. Auguſtinus q. Eia ergo, animæ beatæ, accedite ad iſtud Sacramentum, in quo ſatiabuntur omnia deſideria veſtra. Dato, Auditores, quòd tot eſſent in vobis ora quot capilli, & tot appetitus quot cogitationes, tamen perfectè ſatiabimini in Euchariſtiâ, ubi Dei Filius uniens ſe vobis intimè, facere debet hîc in terrâ fœlicitatem veſtram anticipatam, & cauſare vobis veram voluptatem. *Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* r. Mundus non eſt nobis intimus, nihil eſt reſpectu noſtri, neque noſter eſt, cùm non ſit in nobis. Habacuc s vocat homines veluti piſces in aquâ, *Facies homines quaſi piſces maris.* Vocat illos piſces ideò forſan, quia Ieſus Chriſtus vocatur piſces in aquis amaris ſuæ paſſionis, dicens, *Quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam* t. Et omnes Chriſtiani ſunt piſces, ſicut Tertullianus u vocat illos piſces in aquis Baptiſmi, cùm ait, *Sed nos piſciculi ſecundùm ἰχθὺν Ieſum Chriſtum in aquâ naſcimur: nec aliter quàm in aquâ* x *permanendo ſalvi ſumus.* Videte piſces quomodo natant in aquâ: ſic ſunt homines in mari hujus mundi: & interim quandiu ibi ſunt, videte quomodo interventu iſtius aquæ, quæ eſt diaphana, more ſpeculi, Sol videatur inde ſuos radios vibrare, Luna apparet ibi, & deteguntur ibidem aſtra & cœli: & tamen non ſint ibi realiter, ſed ſola ipſorum imago ibi repræſentatur, cùm Sol ſit in cœlo, Luna in ſphærâ ſuâ, & aſtra cum ſtellis ſint in firmamento: ſic quodcumque magnum eſt & micans in mundo, non eſt intimum nobis. Sumite, Si velis, exquiſitiſſimas totius orbis pulchritudines, iſtæ non ſunt in nobis; ſuaviſſimas quaſlibet voces, ipſæ non ſunt in aure noſtrâ; delicatiſſima quæcumque fercula, hæc omnia non ſunt in nobis, ſunt extra nos, non ſunt noſtra, ideòq; cùm non ſint nobis intima, veram nobis non poſſunt cauſare

q S. Aug. lib. 10. Cõf. c. 20.

r Ioan. 6. 55. &c.

s Habac. 1. 14

t Pſ. 68. 2.

u Tert. lib. de Baptiſm. c. 1.

x ex Ioan. 3. 5.

volup-

voluptatem. Quod Pſalmiſta y conſiderans, dixit appoſitè, *In imagine pertranſit homo.* Videte, animæ criminoſæ, hæc ſubjecta adorationum veſtrarum in contemptum altarium noſtrorum ad quæ acceditis ut ea inhonoretis; hæc idola quæ eripuerunt vobis cor, quæ ſunt motivum inordinationum & diſſolutionum veſtrarum; & conſiderate quidnam habeatis ſubjectorum hujuſmodi: & deprehendetis quòd non habeatis eorum quid amplius quàm imaginem, non autem realitatem; ſicut in ſpeculo non eſt niſi repræſentatio, nihil autem reale: *In imagine pertranſit homo.* Omne quod eſt in mundo, eſt naturæ noſtræ, egenum, cùm ſit extra nos, non eſt nobis intimum, non eſt unitum nobis, & in hunc ſtatum non poteſt nobis dare veram voluptatem: ſolus Deus eſt unitus nobis, *replet in bonis* z omnes potentias animæ noſtræ, eſt in fundo cordis noſtri, eſt illi intimus, illabitur centrum animæ noſtræ per Euchariſtiam, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangvinem in me manet, & ego in illo* a. Omnes aliæ virtutes reſident in potentijs animæ. Fides in intellectu; ipſa eſt velut Sol ipſum illuminans, licèt propter umbras, quibus ipſa eſt operta, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate* b: *Eſt autem fides rerum argumentum non apparentium* c; ipſa ſit tota nigra: ad quod conformiter color niger recenſetur ab Ethnicis dedicatus Soli; corvus, qui eſt ſymbolum ſenſus corporei ob eximiam ſuam nigredinem præ omnibus alijs avibus, eidem Soli conſecratus: ſed oportet ut oculi mentis noſtræ ſint inſtar oculi piſcis illius, quem Græci vocant Vranuſcopum, qui habet eum ſuper capite collocatum, *Vranoſcopus piſcis, dictus Vranoſcopus ab oculo, quem in capite habet ita ſitum, ut cælum eo intueri videatur*, ait Calepinus d. Oportet enim ut redigamus *in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti* †. Ut mens noſtra ſuas captivet ratiocinationes ſub obedientiam iſtius luminis, quod facit in terra peregrinationis noſtræ totam fælicitatem: ut memoria, phantaſia ſenſus communis, ſenſus externi, appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis, facultas animalis, pars inferior, caro, & ſanguis, ſint ſubter iſtud lumen. Et ſicut heliotropium influentiâ ſecretâ, & arcanâ diſpoſitione terræ, convertit jugiter ſe versùs radios Solis, qui ipſum circundat; nec unquam obſcuritas efficit ut hæc planta amittat inſtinctum fruendi ſine ullâ intermiſſione hoc ſpecioſo lumine: ſic anima illuminata radijs fidei, nunquam perdit cynozuram, ſemper conversa versùs Solem *intelligentiæ* e, qui ipſam illuminat. Charitas habet ſedem ſuam in voluntate: ſed Jeſus in Euchariſtia penetrat fundum cordis noſtri, pergit uſque ad eſſentiam animæ noſtræ, nobis intimus eſt, & veras nobis dat voluptates. Cætera omnia ſunt inutilia & imaginaria, *In imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur*, ait Pſalmiſta f. *Porrò unum eſt neceſſarium.* Non videntur in hoc Sacramento niſi accidentia, niſi viles ſpecies, quæ nihil ſunt reale, ſicut videtur: & tamen dulcedines, quæ in hâc Euchariſtiâ percipiuntur, tantæ ſunt ut animæ ſanctæ in communione Sacrâ dicere cogantur Deo, *Satis eſt, Domine, contine undas amoris tui.* Cùm ipſæ non poſſint quid amplius hujuſmodi ſuavitatum ſuſtinere. Hebræi vocant Deum, Saddai, quod nomen ſignificat mamillam, *Saddai, Deus mammeus*, ait Cornelius g. Ubinam verò nobis ſua meliùs Deus dat ubera quàm in hoc Sacramento? In Euchariſtiâ ipſe nos lactat dulcedine lactis uberum ſuorum. Idem nomen Hebræum, *Saddai, ſufficiens* dicitur Latinè, ait idem Cornelius. Deus

y Pſ. 38. 7.
z Pſ. 102. 5.
a Ioan. 6. 56.
b 1. Cor. 13. 12.
c Hebr. 11. 1.
d Calepin. in Dictió. V. Vranoſcopus. citans. Plin. lib. 32. c. 7.
† 2. Cor. 10. 5.
e Sap. 5. 6.
f Pſ. 38. 7.
g Cornel. in Exod. 6. 3.

meus erat ſufficiens ſibiipſi, non indigebat me in æternitate, ſicut ait David h, ipſum alloquens, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ipſe glorioſus erat, tota fœlicitas ipſius conſiſtit in fruitione ſui eſſe: ſine creaturis ſuis ipſe beatus erat in æternitate amoris ſui, quem ipſe nobis communicat in hoc Sacramento, in quo nos cumulat ſuavitatibus, in quo nobis intimus eſt: ſic ſe tribuit nobis in Euchariſtiâ ſicut cibum: nunc eſt quid magis intimum quàm ſit cibus, qui ingreditur nos: *Caro enim mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* i. Sub ſpeciebus panis & vini ſua nobis ipſe offert ubera: & cùm Capharnaitæ repererunt hoc lac indigeſtibile, & indignati, fugam atripuerunt ignominioſè, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Ex hoc abierunt retrò* k: Dei Filius non compulit ipſos ad credendum: hoc Sacramentum, eſt Sacramentum amoris, quod non eſt niſi pro filijs amoris. Et cùm Sapientia æterna videns ſcandalum quod hi Capharnaitæ, eorumque ſectatores daturi erant Eccleſiæ, dixerit ſemel, *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala* l: neſcientes rationem propter quam videmus tot motus irregulares in fide hominum, quare jacturam hujuſmodi impiorum non attribuemus incredulitati ipſorum? *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Deus ſolus poteſt nos reddere beatos, cùm veniens ad nos, transformat nos penitus in ſe. Procul hinc igitur hujuſmodi Capharnaitæ, ſumentes ſecundùm ſonum crudum literæ hæc verba Salvatoris, *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* m: rati quòd conterendum eſſet hoc corpus Divinum dentibus. Corpus hoc glorioſum Divinitùs ſpiritualizatum, non comeditur ſic: ipſum ſuſcipimus verè & realiter in os noſtrum, & in corpus noſtrum, ſed eo modo quo ſumi poteſt, & comedi: hæc manducatio, licèt corporea, vera, & realis, fit ſpiritualiter, ſicut illa verba præfata Salvatoris unuſquiſque, ſicut ait S. Auguſtinus n, *tanquam figurativam locutionem conetur interpretari.* Id eſt, metaphoricam per relationem reciprocam corporeæ manducationis ad ſpiritualem, per quam Jeſus nobis intimus eſt. Sponſa ſacra loquens de Sponſo ſuo, ait, *Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt* o. Hæc admittitur differentia inter liquefactionem ſpiritualem & liquefactionem corpoream, quòd in corporea res quæ liquefit, manet ſemper eadem; in ſpirituali verò è contrà, res quæ liquefit, mutatur in eum qui ipſam liquefacit. *Qui manducat, inquit, carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sicuti enim ſi quis liquefacta ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum alterâ per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur*, ait Sanctus Cyrillus Alexandrinus p. Accedite ad eum igitur, vos omnes, qui circumquaque voluptates quæritis: quærite eas ibi, ubi ſunt, id eſt, in Euchariſtia, ubi ſunt intimæ.

II. Pars.

Præterea, Requiritur ut voluptas ſit perfecta, ſit integra, ad hoc ut ſit vera voluptas: atqui omnis voluptas eſt in Deo, quia cùm ſit indiviſibilis, *Spiritus eſt Deus* q. ipſum perfectè poſſidemus, ipſum integrè ſumimus in quâvis hoſtiæ particulâ vel minimâ, *A ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus: integer accipitur. Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantùm eſſe ſub fragmento quantum toto tegitur*, canit

h Pſ. 15. 2.
i Ioan. 6. 55. & 56.
k Ioan. 6. 60 &c.
l Matth. 18. 7.
m Ioan. 6. 53 &c.
n S. Aug. lib. 3. de Doct. Chriſt. c. 17.
o Cant. 5. 6.
p S. Cyrill. Alex. lib. 4 c. 17 in Ioan. 6. 56.
q Ioan. 4. 24.

canit Eccleſia poſt S. Thomam. Deus Filius eſt in quâlibet hoſtiæ particulâ, corpus ipſius eſt ibi integrum, adeſt & ibi ſanguis ipſius, anima ipſius, & Divinitas ipſius, & per concomitantiam adſunt ibi Deus Pater, & Deus Spiritus ſanctus, ſicut idem Ieſus dixit, *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & manſionem apud eum faciemus* r. *Qui enim diligit unam Divinarum perſonarum, diligit omnes tres: & qui ab unâ illarũ diligitur, ſimul à tribus amatur: quia ſicut nos diligimus Trinitatem eâdem dilectione, ita à ſingulis Divinis perſonis eâdem charitate amamur*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus s. Qualis voluptas habere Deum in ſe, & cum illo omnes magnitudines, univerſas gratias, cunctas glorias, univerſos theſauros, & omnes fœlicitates. Voluptates ergo perfectæ ſunt in Euchariſtia, ubi ſuſcipitur totus Deus in qualibet hoſtia conſecrata cum omnibus prærogativis imaginabilibus, præſertim verò cum fortitudine, quæ nos reddit invincibiles. Si enim Euchariſtia eſt turris, mille clypeis honoratur ipſius inſignia, æquè ac ipſa muninionibus eſt inſtructa, *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium* t. Unde dicit de Ponte u, *Sed illud omnem vincit laudem, quòd collum ſponſæ ſit, ſicut turris David, non ſicut turris terrena, ſed cœleſtis & myſtica ipſius Chriſti, qui in Scripturâ ſæpius nomine David inſignitur. Cuius vita meritò turris nuncupatur, quia ſublimiſſima fuit, fortiſſima, & rectiſſima, erectaque uſque ad ſupremum ſanctitatis, & Divinitatis faſtigium; humiliter tamen ſe continens intra menſuras hominis ſubditi Patri ſuo: ut ſicut collum eſt ſub capite, ita Chriſtus ut homo eſſet ſub Deo: nam caput Chriſti Deus* x, *licèt etiam ſimul eſſet Deus ſuo Patri æqualis* y. Si ipſa eſt menſa, menſa rotunda eſt, non Equitum Majoris Britanniæ, ſed Equitum Eccleſiæ, ubi clypei & arma ſerviunt loco ferculorum & ciborum: ideòque videtur litera originalis ſeu Hebraica favere huic conceptui, *Mille clypei ſunt ſuper eâ*. Si ipſa thronus eſt, thronus is eſt, è quo S. Joannes z vidit exire fulgura, voces, & tonitrua, *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*. Id eſt, affectus, admirationes, miracula, potentia, ſapientia, bonitas, manus, oculi, cor, intellectus, memoria, & voluntas Jeſu, unico verbo Jeſus integer. Quales torrentes deliciarum in iſto Sacramento, ubi voluptates ſunt in perfectione!

r Ioan. 14. 23.
s Dion. Carth. ar. 36. in Ioã. 14. 23.
t Cant. 4. 4.
u De Pont. lib. 7. in Cant. 4. 4. Exhort. 22. parag. 4.
x ex 1. Cor. 11. 3.
y ex Ioan. 10. 30.
z Apoc. 4. 5.

Mementote illius quod ait Evangelium a, *Mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in Medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari: acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius: & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius*. Quænam eſt hæc fimbria veſtis Salvatoris, ſi placet? Sanè caro ſua, humanitas ſua: Hæc autem non eſt ſine anima ſua, ſine Divinitate ſua: illa ergo mulier tangens fimbriam veſtimenti Jeſu, tetigit corpus ejus; tangens corpus illius, percepit virtutes & gratias quæ erant in anima, & in Divinitate ipſius, *Mulier meritò de ſummitate fimbriæ pervenit totam ad Deitatis ſummam. O quid iſta mulier vidit habitare in interioribus Chriſti, quæ in Chriſti fimbriâ Divinitatis totam vidit inhabitare virtutem!* dicit S. Chryſologus b. Mirum non eſt igitur, ſi ipſa conſecuta eſt ſanitatem propter magnam fidem ſuam. Sed credere non poſſum id quod refertur, quòd in India ſint ſagittarii ſic induſtrii, ut ictibus ſagittarum depingere poſſint in ſcopo vultum hominis æquè benè ac pictor illum depingeret penicillo ſuo. Illud eſt vanitas: ſed veritas eſt, quòd ſi oculis fidei vibremus ſagittas affectuum noſtrorum in hoc Divinum myſterium, in ſcopum Euchariſtiæ, infallibiliter ibi depingemus non ſolum vultum, ſed totum corpus pretioſum Jeſu Chriſti, qui ſe totum & integrum nobis tribuit, & nos cumulabit omni genere voluptatum perfectarum, quæ reperiuntur in hoc auguſtiſſimo Sacramento.

a Luc. 8. 43. &c.
b S. Chryſol. ſerm. 34.

Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce Mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, clamavit, dicens ei, Miſerere mei Domine fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum dicentes, Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens, ait, Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael. At illa venit, & adoravit eum, dicens, Domine adiuva me. Qui reſpondens, ait, Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit, Etiam, Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſâ dominorum ſuorum c. Ha! ipſa ſciebat apprimè, quòd Deus non ſolùm dat micas, ſed etiam panem integrum: ipſa petit exiguum, ut habeat totum, *Quia dare panem canibus, et ſi humanitatis non eſt, humana tamen eſt rationis*, ait S. Chryſologus d. Deus magnificus eſt: tantum recipimus in parvâ hoſtiâ, quantum in magna; Deus ſe dat integrum, & talem qualis eſt in cœlo. Amatius poteſt quidem notificare ſecreta ſua amaſiæ ſuæ per epiſtolã occultis notis & characteribus incognitis exaratã, ſed non efficere ut hæc epiſtola ſerviat amaſiæ ſuæ, ut detegat ipſi arcãa ſua: Deus tamen hoc facit præ magnificentia amoris ſui: character ſecretus iſtius Sacramenti nobis ſervit loco memorialis amoris ipſius, & ipſi ſervit etiam loco memorialis, ad hoc ut novis gratiis nos cumulet. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe* e: En Deus effectus memoriale pro nobis. *Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui* f: En ipſe factus memoriale pro ſe. Ipſe, eſt epiſtola miſſa, & remiſſa pro reſponſo præ exceſſu magnificentiæ amoris ſui.

c Matth. 15. 21. &c.
d S. Chryſol. ſerm. 100.
e Pſ. 110. f Pſ. 110. 5.

Maria ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum: & neſcio ubi poſuerunt eum. Hæc cùm dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei, Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum: & ego eum tollam g. Sed quare hoc, Auditores? Ideò quia Magdalena volebat ut ſciret unuſquiſque quantâ dilectione & reverentia afficeretur ipſa erga Dominum ſuum: non pudeat itaque vos manifeſtare zelum veſtrum, & reverentiam veſtram, ingrediendo Eccleſiam, ut manducetis hunc Panem Divinum, qui facit voluptates perfectas & integras. *Maria nimio dolore confecta, tota in exceſſu mentis poſita*, dicit Origenes h, *nullam recipit conſolationem, & ad nullum tendit conſolatorem: ſed intra ſe cogitat, dicens: Proh dolor, qualis eſt iſta conſolatio, qualis eſt iſta viſitatio? Oneroſi mihi ſunt omnes conſolatores, gravant me, & non conſolantur. Ego autem quæro Creatorem, & ideò mihi gravis eſt ad videndum omnis creatura. Nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere, quia poſſunt dolorem augere, & non poſſunt penitus delere. Si cœperint mihi multa narrare, & ſi voluero illis ad omnia reſpondere, timeo ne amorem meum magis impediant,*

g Ioan. 20. 11. &c.
h Orig. hom. 10. in Diverſ. de M. Magdal.

quàm expediant. Denique, *Ego non quæro Angelos, ſed eum qui fecit me, & Angelos. Non quæro Angelos, ſed meum & Angelorum Dominum.* Deus ſolus dare poteſt voluptatem perfectam & integram, ideóque non quæramus eam in creaturis, ſed in Euchariſtia, ubi ſuſcipiemus Deum totum, & cum eo omnes ſuavitates imaginabiles. Ha! quis non liquefiet amore ad acceſſus amoris ſic magnifici? quis non reſolvetur totus in dulcedinem ad guſtum tot ſuavitatum? *Illuminati ſunt oculi mei, eò quòd guſtaverim paululum de melle iſto* i, dicebat Jonathas. Ha! quàm potiori jure dicere poſſetis hæc verba, ſi deguſtare velletis has voluptates perfectas, quas Salvator vobis offert in Euchariſtia. Conſiderate quòd ipſe eſt in hoc Sacramento velut *hortulanus* cum Magdalena, qui videns in horto ſuo arborem ſterilem, ſine floribus, ſine fructibus, inſerit ei calamum, qui onerat eam fructibus; id eſt, intuitus corda noſtra arida, & inſertilia nullos producere fructus bonorum operum, inſerit ſe metipſum eis, ut illa fœcundet fructibus dignis paradiſo & gloria, ſic ut dicere poſſimus de illo id quod Sponſa ſacra loquitur in favorem illius, *Fructus eius dulcis gutturi meo* k. Cùm in Euchariſtia det ipſe nobis voluptates perfectas & integras.

i 1. Reg. 14. 29

k Cant. 2. 3.

III. Pars.

Tertiò, Oportet ut voluptas, ad hoc ut vera ſit, non ſolùm ſit intima, & perfecta, ſed etiam æterna. & hoc modo tantùm in Euchariſtiâ reperimus eam in iſto mundo. Non eſt aliquid permanens præter Deum: omnis motus eſt ſucceſſivus, & vix pronunciavimus hoc nomen, voluptas, imò vero primam ipſius ſyllabam, cùm non ampliùs eſt: voluptates ſenſuum iſtius mundi ſunt citiùs prætereuntæ, quàm cogitatæ: quodcumque eſt in iſto mundo, eſt figuræ rotundæ, quod oſtendit ipſius fugam: Sol rotundus eſt, aſtra rotunda ſunt, cœli ſunt ſphærici, elementa ſunt orbicularia: ſolum cœlum Empyreum, quod eſt locus Beatorum, quadratum eſt, *Civitas in quadro poſita eſt* l. Quod innuit firmitatem & immobilitatem ipſius, *Cœlum Empyreum eſt immobile*, ait S. Bonaventura m. Reliqua prætereunt & fugiunt unico inſtanti: omnes voluptates carnis & ſenſuum, divitiæ, & honores tranſeunt, & more fumi evaneſcunt, & poſt brevem poſſeſſionem, invehunt in nos dolorem æternum, *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra: in malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus* n. Solus Deus, eſt ſtabilis & permanens: ſolæ voluptates Euchariſtiæ ſunt æternæ, *Ecce ego nobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* o. Iam à mille & ſexcentis & ſeptuaginta circiter annis Ieſus nobiſcum eſt, & poſt finem ſæculorum erit in cœlo, ubi *cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt* p. Ipſe iſtud dixit, & hoc ita ſe habebit. Ieſus Chriſtus eſt in Euchariſtiâ: hoc eſt dogma fidei, ſicut de fide eſt, quòd ipſe eſt *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* q. Et quòd Pater & Filius producunt *Spiritum veritatis* r ab ipſis procedentē. Verbum debet habere tria, ſcilicet eſſe verū, internus, & efficax. Deus hoc dixit, ipſe eſt *Veritas* s eſſentialis: ideò mentiri nō poteſt: ipſe dixit, *Hoc eſt corpus meū* t. Ipſe verè eſt in hoc Sacramēto. Verbum Dei eſt internus, Deus Pater ipſum pronunciat, *Eructavit cor meum Verbum bonum* u. Ipſum, eſt Verbum increatum in æternitate, *Verbum caro factum* x *ubi venit plenitudo temporis* y. Verbum hominum, eſt verbum externum, quod perit ſtatim ac pronunciatum eſt, æquè ac *mendaces filii hominum* †, qui contraria faciunt eis quæ dicunt, *Eſt Sermo Dei efficax* z. Habet effectum ſuum non autem verbum hominum, quod eſt infirmum,

l Apoc. 21. 16.

m S. Bon. in 2. ſent. diſt. 2. a. 1. q. 2. in concl.

n Sap. 5. 9. & 14.

o Matth. 28. 20.

p 1. Ioan. 3. 2.

q Ioan. 1. 18.

r Ioan. 15. 26.

s Ioan. 14. 6.

t Matth. 26. 26.

u Pſ. 44. 2.

x Ioan. 1. 14.

y Galat. 4. 4.

† Pſ. 61. 10.

z Hebr. 4. 12.

ſine affectu, ſolùm ſignificans, ſed non efficax: ipſi non faciunt id omne quod dicunt: V. g. Princeps aliquis quandam vult capere civitatem, oportet ut cogat milites, tormenta bellica portanda ſatagat, & explodenda, nec illâ potitur civitate, niſi inſultantium validâ impugnatione, aut mœnium labefactione, aut vi, aut obſeſſorum deditione ſeu compoſitione: ſed Deus è contra: verbum ipſius eſt efficax, facit id quod ſignificat, *Hoc eſt corpus meum* a.

a Matth. 26. 26.

Reddamus nos dignos iſtis voluptatibus, quæ ſunt intimæ, perfectæ, & æternæ. *Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus*, canit Eccleſia b. Sed attendite quòd Reges debent iſtas voluptates deguſtare. Sed quomodo? Etiam: omnes boni Chriſtiani, omnes communicantes debent eſſe Reges, id eſt, triumphare debent de paſſionibus ſuis, de vitiis; agere debent ut Principes, eſſe magnanimi, victores, conculcare honores, divitias, & voluptates ſenſuum. Sed labor eſt ablactari à voluptatibus: propterea debemus eſſe Reges ad deguſtandas delicias quæ reperiuntur in Euchariſtiâ, *Et præbebit delicias Regibus.* Sic Deus dicit de ſingulis ſanctis animabus hujuſmodi, *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius* c. Quædam verſio fert, *Ablactabo eam.* Et alia, *Seducam eam.* Sed quomodo quòd Deus ſeducat, quòd Deus ſit ſeductor? Ignoſce mihi, Deus mi, parce mihi, ſi placet: hoc dicere non auderem, niſi me S. Auguſtinus d prævenisset, *Seduxit eos.* Deus ſeductor eſt, Auditores, non eo modo quo inimici ipſius dicebant, *Seducit turbas* e. *Seductor ille* f. In hac ablactatione ipſe ſeducit: oculi falluntur, nihil quippe vident niſi accidentia: guſtus decipitur, æquè ac tactus, & odoratus: ſenſus omnes ſeducuntur, excepto auditu qui non fallitur, *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti* h. Ipſe ſeducit nos, quia id quod videbatur rude & difficile, hoc ipſum reddet ipſe dulce & gratum, ipſe facilem nobis præbebit praxim virtutis, quam imaginabamur difficilem, imò verò impoſſibilem: auxilio ipſius fulti, *aſcenſiones in corde* i noſtro diſponemus ad ſuperandos montes mortificationum; & ibi non inveniemus, niſi ſuavitatem & facilitatem, *Seduxit eos.* O admirabilis ſeductor! Ipſe nos vocat tot viis, tot inſpirationibus, adverſitatibus, proſperitatibus, fœlicibus ſucceſſibus, ſanitatibus morbis, conſiliis proficuis, & bonis exemplis, quæ ipſe mittit ad cognitiones noſtras, ſicut ille *homo quidam*, ſeu homo Deus, quem Evangelium k Dominicæ præcedentis nobis repræſentabat, & qui *fecit cœnam magnam, & vocavit multos; miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia iam parata ſunt omnia*: ut nos invitet ad menſam voluptatum ſuarum æternarum: nos autem irrationales in noſtro procedendi modo, nec de noſtra ſalute ſoliciti, eligimus potiùs menſam mundi & Satanæ, & malumus devorare ſpinas *divitiarum* l, quæ conſcientias noſtras pungunt uſque ad exprimendum ſanguinem, *Villam emi: & neceſſe habeo exire, & videre illam; rogo te habe me excuſatum* m. Quænam excuſatio pro throno bonitatis ejus? Audebimusne illam allegare coram tribunali juſtitiæ illius? Satius ducimus ſubjicere collum noſtrum jugo intolerabili negotiorum terræ, quàm tollere *iugum ſuave, & onus leve* n Salvatoris, quod non conſiſtit niſi in blanditiis interioribus, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te* o! *Et mandata eius gravia non ſunt* p. Sic ut dicamus, quemadmodum *& alter dixit*, *Iuga boum emi quinque*,

b Eccleſia ex Gen. 49. 20.

c Oſee 2. 14.

d S. Aug. in Pſ. 104. 40.

e Ioan. 7. 12.

f Matth. 27. 63.

h Rom. 10. 17.

i Pſ. 83. 7.

k Luc. 14. 16. &c.

l Matth. 13. 22.

m Luc. 14. 18.

n Matth. 11. 30

o Pſ. 30. 20

p 1. Ioan. 5. 3.

q Luc. 14. 19. r Malach. 4. 2.

que, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum q. Quis color? Quomodo non diſſolvetur coram Deo qui eſt *Sol iuſtitiæ* r? Nobis plùs complacemus in ſordibus impuritatis, quàm in candore innocente filiorum Dei, & reſpondemus, ſicut *& alius dixit, Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire* a. Quinam prætextus? Fierine poterit ut non diſpareat oculis Dei, qui abditiſſima quæque perſcrutabuntur? *Quoniam oculi Domini multò plùs lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes* t. Ingrediamur ſemel noſmetipſos, conſideremus quomodo nos geramus erga Deum noſtrum; quanta ſit ingratitudo noſtra adverſùs amorem ipſius, quem ipſe incluſit in hoc exiguo globo, ut ex eo ſphæram faceret beatificam, ut ipſum recipientes in animas noſtras, efficiamur confeſtim beati, cumulandi voluptatibus æternis: interim hunc amorem parvipendimus, & malumus alligare affectus noſtros vilibus creaturis. Amor creaturarum, more canum rabidorum, imprimit rabiem ſuam omnibus illis qui ipſo ſunt affecti; amor iſte habet eaſdem qualitates, quas quidam lapides Lyciæ, qui, ſecundùm Naturales, alligati corpori, illud corrumpunt & depravant. Heu! Auditores, niſi extinguamus hunc amorem profanum, de nobis actum eſt: ſed veniamus conſecratum affectus noſtros huic Deo amoris quieſcenti in hoc adorabili Sacramento. Procul hinc igitur amor ille inſanus. Sed vultiſne illum amittere? Recenſentur eſſe quædam pocula, quæ diſſolvunt mulieres ab amore impudico, quo ipſæ criminosè afficiebantur; ha! ambigitiſne quin *potus* o iſte Divinus, quin ſacrum iſtud *vinum germinans virgines* x, habeat eandem poteſtatem ſuper vos, ſi velitis ipſum ſumere?

s Luc. 14. 20.

t Eccl. 23. 28.

u Ioann. 51. x Zach. 9. 17.

Quis furor hominum, faſtidire ſic vehementer hunc ſupremum Dominum, qui ipſos ita ſic diligit ut ipſos cibet & potet ſeipſo? Heu! Auditores, quanam fronte effractâ audebimus vocare nos Chriſtianos, ita parvipendentes Jeſum Chriſtum, ita parùm deſiderantes Jeſum Chriſtum, ſic exiguè frequenter accedentes ad S. Sacramentum Jeſu Chriſti? *O Sacramentum pietatis, ô ſignum unitatis, ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat, accedat, credat, vivat in Deo, de Deo, incorporetur ut vivificetur*, exclamat S. Auguſtinus y. Eamus igitur, Auditores, inſumamus omnes conatus noſtros ad fruendum deliciis intimis, perfectis, & æternis iſtius adorabilis Sacramenti, *Porrò unum eſt neceſſarium*. Hoc eſt negotium noſtræ ſalutis, in hoc eſt ſita ſalus animarum noſtrarum: hoc adorabile Sacramentum nobis vires tribuet, nos educet è periculo, nobis gratiam tribuet in hoc ſæculo, & vitam æternam in altero mundo, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* z.

y S. Aug. tract. 26. in Ioan.

z Ioan. 6. 58.

In Octava Corporis Chriſti.

Porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. Luc. 10. 42. &c.

CUm ſim vobis locuturus de amore Jeſu Chriſti in ſanctiſſimo Sacramento amoris, in quo ipſe reperitur ut in throno amoris ſui, quomodo ritè potero perfungi his muniis amoris? Oporteret ut acie ingenii vigerem ſubtili ad explicandas tot vitas quæ fluunt è fonte vitæ SS. Sacramenti, de quibus loquebar vobis nuper, *Fons vitæ permanet* a. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* b. Egrediens *fluvius de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, inde in quatuor capita* c dividebatur: & iſte fons vitæ, vobis effudit nuper triplex genus vitarum, nedum vobis ullam mentionem facerem de vita divina, quæ eſt quarta vita, ultra vitam naturæ, vitam gratiæ, & vitam gloriæ. Dei Filius inſtituens hoc Sacramentum, *accepit panem*. Et ex hoc pane, qui erat mortuus, ipſe fecit panem vivum, *Et ait, Hoc eſt corpus meum* d. *Ego ſum panis vivus* e. Inſpiravit huic pani multas vitas. Sed ſicut non poſſimus loqui de vita ſine auxilio illius, è quo ſuſcipimus eſſe, motum, & vitam: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* f: loquor de Spiritu ſancto, quem Scriptura g nobis repræſentat ut *fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni*; & ſine interceſſione B. Virginis, quæ tulit ad nos originem vitæ, quæ eſt Jeſus Chriſtus, qui ait, *Ego ſum vita* h: cui ipſa vitam tribuit temporalem *in utero* i ſuo: ſic ego non poſſum loqui de amore quin recurram ad eundem *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* † & à Filio, prout Amor utriuſque, per interceſſionem eiuſdem Mariæ, quæ cum ſit *Mater pulchræ Dilectionis* k, vobis communicabit dilectionem, qua ipſa accenſa fuit cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* l *Maria*.

a Eccli. 23. 26.
b Ioan. 4. 14.
c Gen. 2. 10.
d Matth. 26. 26
e Ioan. 6, 51.
f Act. 17. 28.
g Apoc. 22. 1.
h Ioan. 14. 6.
i Luc. 1. 31. ex Ioan 15. 26.
† Ioan. 15. 26.
k Eccl. 24. 24.
l Luc. 1. 28.
m Ioan. 13. 1. &c.

Cùm perpendo id quòd S. Joannes m ait de amore, quo Jeſus Chriſtus affectus eſt erga homines in iſto mundo, præſertim verò ſub finem dierum ſuorum, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*: mihi venit in mentem, quòd ipſe loqui vult de paſſione Domini ſui, cùm dicat conſequenter, *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* n. Tamen attentiùs conſiderans tempus, & motivum propter quod hæc verba pronunciavit, obſervo quòd intendit loqui de inſtitutione SS. Sacramenti Euchariſtiæ. Re autem verâ hoc eſt teſtimonium amoris ſinceri: nam Jeſus ſe dans in Euchariſtia, ſe totum dat, ut dicebam vobis nuper: & interventu iſtius pretii, dato quòd idem Jeſus Chriſtus mortuus non eſſet (*ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* o) ſatisfacere poteramus iuſtitiæ Dei; cùm ita ſe dans, ſeipſum offerret & exponeret, non ſolùm morti, ſed etjam multis mortibus, ſi non veris, ſaltem moralibus & apparentibus, exponendo ſe rabiei infidelium, & Hæreticorum. ſic ut ipſe ſuam nobis exhibeat intuendam dilectionem in hoc Sacramento propter iſtas rationes, præſertim verò in eo quòd, cùm amor non tendat niſi ad beneficiendum perſonæ quæ diligitur, quia, ut ait S. Dionyſius p, *Bonum eſt diffuſivum ſui*, interventu Euchariſtiæ fecit ipſe nos participes maximi bonorum, quæ unquam ſperare poſſemus. Imò verò

n Ioan. 15. 13.
o Ephes. 5. 2.
p S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

verò in hoc myſterio ipſe nobis dat beatitudinem per anticipationem: nam fœlicitas Beatorum non conſiſtit niſi in cognitione, & in amore; ſeu in fruitione eſſentiæ Dei, ſicut & Jeſu Chriſti q in Eucharistia, quæ eſt arrha gloriæ, *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Eſt igitur unica res neceſſaria, ſcilicet, unio, *Porrò unum eſt neceſſarium.* Maria *turbata eſt* r in conceptione Verbi Divini: ſed ipſa non turbatur ampliùs, ipſa fruitur in cœlo ſubiecto amoris ſui, nedum quid ampliùs habeat timendum per omnem æternitatem. *Maria optimam partem elegit*, &c. Ipſa poſſidet in cœlo id, quod nos habemus in Euchariſtia: amor ipſius eſt contentus, ipſa habet hoc *unum neceſſarium* Magdalena, es fœlix tu; in eadem fœlicitate dilige Dominum tuum. *Martha*, ipſe eſt motivum ſolicitudinis tuæ, *Solicita es, & turbaris erga plurima.* Amor Mariæ uniens, amor Marthæ dividens, amor Magdalenæ reuniens: tres amores qui præbantur in iſto Sacramento. Primus unionis, nos uniens Jeſu Chriſto. Secundus diviſionis, nos ſeparans à mundo & à creaturis. Tertius reunionis, nos reuniens Deo & proximo. Tres amores, qui facient tres diſcurſus iſtius partes.

q Ioan. 17. 1.
r Luc. 1. 29.

Diviſio.

I. Pars.

Quòd iſtud Sacramentum ſit myſterium amoris, hoc evidens eſt, quia excedit primò id omne quod ſperari poteſt, & quoniam amor cognoſcitur per unionem intimam quam habent amans & res amata: atqui in hoc myſterio eſt perfecta & intima unio Jeſu Chriſti nobiſcum. Ut autem iſtud intelligatur, obſervandum eſt quintuplex genus unionis. Prima unio, eſt accidentalis, ſicut cùm albedo unitur parieti. Secunda, eſt ſubſtantialis, ut cùm anima unitur corpori. Tertia, eſt hypoſtatica, quemadmodum cùm humanitas unita fuit Verbo Divino, *Et Verbum caro factum eſt* a. Quarta, eſt beatifica, qua Beati uniuntur Deo, videntes eum *facie ad faciem* t. Quinta, eſt eſſentialis & perfectiſſima, quæ eſt inter tres Divinas perſonas, quæ meliùs vocatur unitas: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* u. Prima, eſt valde imperfecta, quia, cùm ſit accidentalis, facilè diſſolvitur. Subſtantialis, eſt difficilis diſſolutu, prout dicit ſeparationem animæ à corpore. Hypoſtatica, eſt indiſſolubilis, & eſt etiam ſubſtantialis. Beatifica, non eſt ſubſtantialis, ſed ſit per amorem, & ſic perfectè ut nunquam ceſſare poſſit, quia non poteſt ſe ſeparare ab objecto ſic perfecto: *Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt,* ait Dionyſius Carthuſianus x. Divina, præfatas omnes continet, & eſt fons, origo, & exemplar earum omnium: atqui unio quæ fit inter animam noſtram & corpus Jeſu Chriſti, eſt hypoſtatica realis, non phyſica, ſed moralis: nam Euchariſtia eſt extenſio Incarnationis, ſicut ipſam vocant SS. Patres. Præterea, Quia corpus Jeſu Chriſti fit unum cum anima noſtra, non quòd mutetur in nos, ſed quia anima noſtra mutatur in ipſum, cùm per ſacram Communionem aliquo modo divinizetur hæc anima noſtra quæ unitur Jeſu Chriſto, qui *Deus unum eſt* y, &, ut in ſummam terminos Boëtii z, *ſi dici poteſt uniſſimus eſt.* In Deo ſunt tres perſonæ, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & ipſi non ſunt niſi unum in natura; & totum iſtud, eſt unus Jeſus Chriſtus, eſt idem Jeſus Chriſtus in natura, ſine accidentibus. Unus uni, unus duobus, & unus tribus in hoc Sacramento reperitur iſte Jeſus Chriſtus, cui in hoc eodem Sacramento debet uniri Chriſtianus, Ipſe eſt hic unus uni, & ſic

s Ioan. 1. 14.
t 1. Cor. 13. 12.
u 1. Ioan. 5. 7.

x Dion. Carth. art. 41. in Ioan. 17. 1

y Deut. 6. 4
z Boët. citat. in Compẽd. Theolog. Verit. Albert. Magn. lib. 1. c. 2.

vehementer unus ut non ſit compoſitus; unus, nõ ſubſiſtens niſi per ſuppoſitũ Verbi. Eſt unus duobus, habens hîc corpus & animam, humanitatem, & divinitatem. Eſt unus tribus hîc, ubi habet humanitatem, Divinitatem, & amorem. Sed petitur. Quid eſt Sacramentum iſtud? vocatur ſanctiſſimum Sacramentum: ſic ipſum, eſt Sacramentum Sacramentorum, centrum, finis, æquè ac principium Sacramentorum, cùm contineat Authorem Sacramentorum: *Author Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus?* ait S. Ambroſius a. Vocatur Communio: dicitur, Venit à Communione, Fecit Communionem, id eſt, ſuſcepit ſanctiſſimum Sacramentum. Appellatur Communio, quæ unit animam communicantis, Jeſu Chriſto, & ex ambobus non facit niſi unum, *Ut ſint unum*, id eſt, mecum per gratiam, *ſicut & nos unum ſumus* b, ſcilicet per eſſentiam, ait hic Filius Dei incarnatus, alloquens Patrem ſuum. Per hanc Cõmunionem efficimur inſtar Jeſu Chriſti, quaſi tranſimus in Jeſum Chriſtum. Ideòque Tertullianus c ſuper hæc verba Evangeliſtæ d, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*, dicit, *Poſtulamus individuitatem à corpore eius.* Obſervate, ſi placet, iſtud nomen *individuitatem*, quod ſignificat unam & eandem rem. Gratia nós unit Deo, ſed gratia manet in potentiis animæ, aut in anima, vel in fundo animæ: ſed Jeſus Chriſtus manet in corpore noſtro, pectus noſtrum eſt thronus Dei. Quis unquam rem ſimilem audivit, quòd corpus ſit habitaculũ Dei? Jeſum Chriſtum portamus in corporibus noſtris per ſacram Communionem, in qua ſimiles ei efficimur per unionem quacum eo coniungimur. Propter quod ait Origenes e, *Dignum eſt quærere quàm ob cauſam cùm palàm docuiſſet Ieſus per ſingulas civitates, & vicos, & Synagogas, prædicans Evangelij verbum* f, *ita ut fama eius exiret in omnem regionem, & ſecundùm faciem manifeſtatus eſſet omnibus habitantibus in Iudæá, quaſi non cognoſcentibus effigiem eius dedit ſignum Iudas miſſis à Principibus Sacerdotum, dicens, Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt. Hoc idem ſignificatur etiam per Ioannem Evangeliſtam* g, *Ubi ſciens Ieſus quæ ſuperventura erant ei, procedens foras dixit: Quem quæritis? At illi dixerunt, Ieſum Nazarenum. Et dixit eis, Ego ſum. Et abierunt, & ceciderunt retrorſum. Vides quia non eũ cognoſcebant, cùm frequenter vidiſſent, propter transfigurationes ipſius.* Apoſtoli omnes cõmunicaverant, & per Cõmunionem transformati erant in Jeſum Chriſtum: ideòque verebatur Iudas ne quis ex illis apprehenderetur à militibus loco Jeſu.

a S. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 5.
b Ioan. 17. 22.
c Tert. lib. de Orat. c. 5.
d Matth. 6. 11.

e Orig. tract. 35. in Matth.
20. 42.
f ex Luc. 8. 1.
g ex Ioan. 18. 4. &c.

In Evangelio hodierno tres invenio rationes iſtius unionis. Prima, educitur è verbis iſtis eiuſdẽ Jeſu, *Caro mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus* h. Alimentum verum & reale, non autem phantaſticum. Alimentum recipitur in ſtomachũ, & creſcere facit eum, qui ipſum comedit, aut bibit, ad legitimum uſq; corporis humani modum. Certum eſt, quòd, ad hoc ut creſcat quis, nutriri debet lacte: ſed cùm infans vires ſumpſit, deſerit lac, ut comedat panem, aut aliquem alium cibum conformem naturæ ſuæ, & captui ſuo: nos omnes efficimur filii Dei per Baptiſmum, & renaſcimur ſpiritualiter virtute eius, *ex aquá & Spiritu ſancto* i. Gratia, quam confert nobis iſtud Sacramentum, eſt veluti lac, quod nos alit aliquandiu: ſed ea quo pervenimus ad uſum perfectũ rationis, ſi velimus ire *de virtute in virtutem* k, & creſcere uſq; ad vitam æternam, quæ erit ſtatus perfectionis nobis deſignatus, comedere debemus hunc panem cœleſtem, de quo loquitur hodie Dei Filius, *Qui manducat hũc panẽ, vivet in æternũ* l. Nũquid non iſtud eſt pervenire ad ſtatũ perfecti incremẽti, id eſt, ad

h Ioan. 6. 56.
i Ioan. 3. 5
k Pſ. 83. 8
l Ioan. 6. 59.

faſti-

faſtigium perfectionis? Quia quandiu ſumus ſuper terrâ, nobis *grandis reſtat via* m, [m 3. Reg. 19. 7.] & quantùmvis profecerimus in viâ virtutis, multùm tamen diſtamus à verâ perfectione: ſed cùm ambulaverimus *in fortitudine cibi* iſtius Divini *uſque ad montem Dei Horeb* n, ut inebriemur ibi *ab ubertate domus* ejuſdem Dei, [n 3. Reg. 19. 8.] *& torrente voluptatis* o [o Pſ. 35. 9.] illius potemur, tunc non poterimus ampliùs progredi ad perfectionem eſſentialem, quia anima noſtra tunc conſecuta erit ſtatum & modum ſuum legitimum: alioquin ipſa non eſſet beata, cùm ipſa haberet aliquid deſiderandum, quod ipſa non poſſideret. Cùm beatitudo ſit ſtatus firmus & inconcuſſus, in quo reperitur omnium bonorum imaginabiliũ congregatio, juxta id quod ait Boëtius p, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum*: [p Boet. lib. 3. de Conſol. Philoſoph. pro. 2.] certum eſt quòd quicumque comederit ex iſto pane cœleſti, prout verus juſtus, *quaſi lux ſplendens*, procedet *& creſcet uſque ad perfectam diem* q. [q Prov. 4. 18.] Id eſt, uſque ad meridiem gloriæ, qui eſt ſtatus ipſius legitimus & perfectus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* r. [r Ioan. 6. 52.] Hæc autem admittitur differentia inter cibum iſtum & alios, quòd, cùm alij mortui ſint, convertuntur in eum, qui ipſos comedit: ſed cum cibus iſte Divinus ſit vivens, *Ego ſum panis vivus* s, [s Ibid.] & fortior, convertit ad ſe illum, qui ipſum manducat; & eum unit ſibi.

Et hæc eſt ſecunda ratio: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* t. [t Ioan. 6. 56.] Magna unio, ac eſſe in Deo manere in illo vita gratiæ, & vivere cum eo. Et, ſecundum Carthuſianum u, [u D. Dion. Carth. art. 11. in Ioan. 6. 56.] *Qui manducat meam carnem Sacramentaliter, & ſpiritualiter, & bibit meum ſanguinem eodem modo, in me manet per charitatem & gratiam, & mihi incorporatur. Talis utique habitat in adjutorio Altiſſimi, & in protectione Dei cœli commoratur* x. [x ex Pſ. 90. 1.] *Et ego in eo permaneo, per ſalutares hujus Sacramenti effectus, per gratioſam cuſtodiam, per inhabitationem benignam. Nam & per eadem dona quibus Deus ad nos converti, & in nobis eſſe ac habitare, quaſi in templo aſſeritur, inquantùm ea infundit atque conſervat, nos quoque ad eum redimus, & in ipſo ſubſiſtimus ac manemus. Palam eſt, quod ſpeciebus Sacramentalibus jam conſumptis, deſinat Chriſtus eſſe in communicante per præſentiam carnis & ſanguinis, permanet tamen in eo per præſentiam ſuæ Divinitatis, per effectus Sacramenti. Communicans ergo manet in Chriſto, ſicut membrum in capite recipiendo influentiam ejus, & Chriſtus manet in illo, ſicut caput in membro, influendo in illud. Ecce, quanta beatitudo, dignitas, & gloria devotorum, qui tam præſtantiſſimo alimento reſcuntur, & Chriſto tam intime copulantur, tantiſque gratiæ donis deificis adimplentur: quanta denique eſt dilectio, dignatio, liberalitas, & miſericordia Chriſti veri Dei qui nobis pauperculis & indignis ſic præſtat, ſic unit, ſic ingerit ſemetipſum.*

Habemus in Eccleſia duplicem radicem vitæ: unam è Baptiſmo, quæ eſt velut humor radicalis: & alteram ex Euchariſtiâ, quæ eſt quaſi alimentum reparativum & conſervativum vitæ. Indigemus alimento quod conforme ſit eſſe noſtro, quia renati ſumus ex Deo in Baptiſmo, *ex aquâ & Spiritu ſancto* y: [y Ioan. 3. 5.] ubi ſuſcepimus vitam gratiæ: nobis igitur eſt neceſſarium alimentum Divinum, quod eſt corpus & ſanguis Jeſu Chriſti, qui nos unit ſibi in Euchariſtia, ubi recipimus vitam gratiæ: ſicut enim ſcimus quòd homo non poteſt vivere, quin alimento reparet humorem radicalem, quem calor naturalis jugiter conſumit: ſic vivere non poſſet ſpiritualiter, & ita diu manere, niſi Deus qui ſe unit ipſi in Euchariſtia, conſervaret ei hoc bonum, quod ipſe illi tribuit, quod calor concupiſcentiarum ipſius conatur deſtruere interventu exiguarum imperfectionum, quas iſte calor illabi facit animæ ipſius, *Panis cor hominis confirmet*, deſiderabat Pſalmiſta z. [z Pſ. 103. 15.] Et iſtud eſt pro comperto, quòd uniens ſe nobis, & augens gratiam & charitatem, extinguit in nobis ignem concupiſcentiarum noſtrarum. [a Rom. 7. 23. &c.] Propterea dicebat Apoſtolus a, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ.*

Sed ecce veritatis iſtius rationes expreſſiores: Nemo eſt ex his qui adſunt huic concioni, qui neſciat, aut qui non ſcire debeat, quòd, licèt peccata venialia cauſata à calore concupiſcentiæ, non poſſint inducere nos ad amittendam gratiam Dei, tamen nos diſponunt ad incurrendam hanc jacturam iſtius gratiæ Dei per quamdam infirmitatem quam procurant gratiæ quam poſſidemus: modus igitur reparandæ vaſtitatis hujus, & conſervandæ gratiæ iſtius in ſtatu ſuo, eſt frequens perceptio iſtius Sacramenti. [b Luc 11. 3.] Propterea dicimus Deo in oratione Dominicâ, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* b. Nam panis iſte quotidianus non ob aliud petitur, & ſumi debet niſi ad medendum quotidianæ infirmitati naturæ noſtræ: oportet igitur ut ſæpè communicemus, & uniamus nos Jeſu Chriſto in Euchariſtia, cùm infirmitas ſit quotidiana, & maledictus iſte calor nullas habeat inducias, nec ullas intermiſſiones in actione ſuâ; & ut prætereà, cùm qualitates alimentorum tranſeant in eum qui ipſa ſumit, ſic qualitates iſtius panis adorabilis corporis Jeſu Chriſti tranſeant in communicantem. Sed ſi non videmus hos glorioſos effectus in ijs qui communicant, ideò quia non ſe diſponunt hi ad illos recipiendos. Omnes homines virtutem diligunt, ſed non omnes illam in praxim redigunt propter difficultatem. [c Pſ. 22. 3.] Sed cùm quis recipit Euchariſtiam, ſicut expedit, ſtatim mutat ipſe eſſe ſuum, *Animam meam convertit*, prædixit David c. *Id eſt, accendit animam meam divino amore, qui unit mentem creatam proprio Creatori, quæ unio amoroſa vocatur converſio mentis ad Deum. Itaque animam meam convertit a multis ad unum, à turbatione ad quietem, à creatis caducíſque rebus ad increatum incommutabileque bonum*, ſubdit Carthuſianus d. [d Dion. Carth. in hunc locum.]

Tertia ratio eſt: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me* e. [e Ioan. 6. 57.] Habentes eandem vitam cum Jeſu Chriſto faciemus eaſdem actiones, actiones virtutis & ſanctitatis, convertemus nos in Jeſum Chriſtum: habebimus eaſdem qualitates iſtius alimenti glorioſi quod vitam animarum noſtrarum fovet gratiâ, & unione cum ipſomet Jeſu Chriſto: fruemur iiſdem dotibus glorioſis, quibus gaudet iſtud corpus ſacrum: Subtilitate ad vacandum actionibus virtutis, & praxi ſanctitatis: Claritate ad cognoſcendas difficultates, ad diſſipandas obſcuritates & tenebras, & ad removenda omnia obſtacula nobis importuna: Impaſſibilitate in occaſionibus tolerantiarum, cùm malè excipiemur: ibi erimus inſtar Jeſu Chriſti in Euchariſtia, nullam formando querelam medias inter inſultationes: Agilitate deſcendemus uſque ad purgatorium: ibimus circumquaque ad auxiliandum proximo: aſcendemus in cœlum ad honorandum ibi Deum propterea frangitur hoſtia ſacra in tres partes, quarum una

eſt

eſt pro Eccleſiâ triumphante, alia pro Eccleſiâ militante, & alia pro Eccleſia patiente. Ha! qualis unio! Hæc ipſa eſt, quam Euchariſtia producit.

II. Pars. Secundò, Obſervo in hoc Sacramento amorem diviſionis. Oportet ut diviſi ſimus à toto mundo, ut diſſolvamus nos ab omnibus creaturis, ſicut Jeſus Chriſtus, qui ita unus eſt ut ab omnibus ſit diſſolutus, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* f, Pater æternus producens Verbum ſuum fœcunditate Divinæ mentis ſuæ ipſo puncto indiviſibili ſuæ beatæ æternitatis, nobis publicat per hunc Filium Divinum quem ipſe *ex utero ante Luciferum* g genuit, hoc oraculum, quod eſt in Evangelio S. Joannis h exaratum, *Ego ſum Via, & Veritas, & Vita.* Ut nos edoceat, quòd ad omnes operationes externas Divinitatis, in quibus Deus ſe creaturis communicat, tres Divinæ perſonæ concurrunt: *Neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis*, ait S. Auguſtinus i. Et poſt eum Theologia, *Omnia opera ad extera ſunt indiviſa.* Dicit igitur, *Ego ſum Via*: Ecce perſona Spiritus ſancti. *Ego ſum Via, & Veritas, & Vita*: En Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, cùm unuſquiſque ipſorum ſit Via, unuſquiſque ſit Veritas, unuſquiſque ſit Vita. Hoc apparet in omnibus operibus, quæ Deus producit extra ſe, ſed cum eminentiâ ſupremâ in Euchariſtiâ, quæ eſt opus eximium inter productiones quas ipſe fecit extra ſe. In hoc Sacramento ipſe ſe oſtendit modo ſupremo Viam; hîc apparet per excellentiam Veritas, hîc manifeſtatur ſingulariter Vita. Quòd ſit Vita, inimici ipſius non poſſunt hoc diffiteri, *Viam Dei in veritate doces* k. Et ipſemet Jeſus ait de ſeipſo, diſcipulos ſuos alloquens, *Quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis* l. Quòd ſit Veritas, ipſemet hoc declarat terminis iſtis, *Veritas liberabit vos* m. *In veritate dico vobis* n. Quòd ſit Vita, hoc & ipſe aſſerit, dicens, *Ego ſum panis vitæ. Ego ſum panis vivus* o. Sed licèt ipſe ſit illud totum, tamen hoc non impedit quin ipſe ſit ſemper unus, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris.* Ipſe talis eſt in æternitate ſicut unicus eſt Filius Matris ſuæ in tempore, *Peperit Filium ſuum primogenitum* q. Unicus in ſpeluncâ Bethleem, unicus in domo Nazareth r, unicus ſuper monte Thabor s, unicus in monte Calvariâ t, unicus in monumento novo, *in quo nondum quiſquam poſitus erat* u. Unicus in hoc Divino Sacramento, ubi ipſe diviſus eſt ab omnibus: ſic diviſi nos eſſe debemus, quemadmodum ipſe diviſus eſt: Sic eſt, Auditores: mementote enim, ſi placet, quòd in nativitate ſuâ *non erat ei locus in diverſorio* x. Quid eſt diverſorium? Eſt hoſpitium commune, quò indiſcriminatim omnes ingrediuntur homines, pauperes & divites, nobiles & ignobiles, juvenes & ſenes, viri & mulieres, pueri & puellæ, juſti & impij: non eſt igitur mirum, ſi Deus non vult in eo habitare, cùm velit eſſe ſolus, & diviſus ab omnibus: ſic ſi quodcumque ingreditur cor aliquod, vitium & virtus, impietas & innocentia, Deus in illud non intrabit: *Coangustatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt* y. Ipſe Dominus, *Deus Zelotes* z eſt: ipſe vult eſſe ſolus, alioquin non venit: debemus igitur eſſe diviſi. Sic eſt, Auditores: ipſe eſt Sponſus zelotes, ſed non more virorum zelotyporum: viri habent innumera ſtratagemata, quibus obſervent uxores ſuas: deliteſcunt aliquando in locis ſecretis, ut videant illarum actiones, & procedendi modum earum, ne dum tamen ipſi ab eis videantur: hoc modo videtur Deus ſe gerere: latet ſub his adorabilibus ſpeciebus SS. Sacramenti, ut ſpeculetur actiones animarum Sponſarum ſuarum: propterea ſpiritu Prophetico dicebat ei Iſaias a, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Sponſa ſacra vidit eum aliquando ſub iſtis accidentibus latentem, & contentâ voce inclamavit præ ecſtaſi, *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos* b. Nam, ut ait de Ponte c: *Sicut Verbum Divinum ſtetit occultum poſt parietem carnis aſſumptæ; ſic totus Chriſtus & homo, peractâ conſecratione panis & vini, ſtat poſt accidentia illorum incluſus: ita ut certiſſimâ fide dicat Eccleſia: En iſte ſtat poſt parietem noſtrum. Quis ipſe? Ipſe Dei Filius, ipſe dilectus Sponſus, ipſe Rex, Magiſter, Medicus, Paſtor, & Salvator meus, ipſe ſtat poſt parietem, id eſt, poſt illud craſſum accidentium operculum, quod illum tegit nobis; alioquin immenſum eius ſplendorem ferre nequiremus. Benè autem vocatur paries noſter, quia nos illum ei offerimus, & preparamus, & in commodum noſtrum ordinatur, ſicut panis noſter ſubſtantialis* d *dicitur, quia propter nos fabricatus, & noſtrum nutrimentum, & firmamentum eſt ad vitam, ſed dicitur ibi ſtare tanquam præcinctus, & paratus ad miniſtrandum nobis huius vitæ cibum, & muniendum nos per illum contra hoſtium dæmonum tela: iuxta illud Pſalmiſtæ* e, *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me. Nam ipſe ſtat poſt parietem iſtum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Videt nos clarè, licèt non ſe videndum præbeat niſi obſcurè: nam quantumvis craſſus ſit paries; impedire non poteſt quin Chriſti anima, eiuſque Divinitas lynceis oculis nos, cunctaque noſtra interna intueatur.* Sed attendite, ſi placet, quòd ardens amor eſt rarò ſine zelotypiâ, ſicut ignis non poteſt eſſe ſine fumo, qui fumus eſt defectus reſpectu qualitatum ignis, ſicut zelotypia eſt defectus intuitu amoris hominum; ſed in Deo zelus non eſt defectus, ſed amor ipſius ardentiſſimus. Viri zelotypi aſcendent aliquando ſuper equum, ſimulantes ſe velle peregrè proficiſci, & ſtatim reverentes ſuper greſſus ſuos, mutatis veſtibus intrabunt domos ſuas, ut ibi obſervent modum procedendi conjugum ſuarum: videte Sponſum noſtrum cœleſtem: aſſumitur *in cœlum* f. Illuc aſcendit interventu ſuæ ſplendentis agilitatis, velut equo inſidens, *Nunquid aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio?* ait illi Habacuc g. Et ſtatim adeſt nobis ſub veſtimentis iſtorum accidentium incognitus, ut obſervet motus affectuum noſtrorum, num diviſi ſimus eos cum creaturis. Mariti zelotypi tentabunt interdum fidelitatem ſponſarum ſuarum, præcipiendo eis res difficiles executu: Divinus autem Sponſus noſter examinaturus fidem amoris noſtri, vult ut credamus, corpus ipſius factum eſſe cum totâ ſua quantitate ſub his ſpeciebus ſenſibilibus, licèt miraculosè, ſine extenſione partium ſuarum. Quid dicitis de ſtratagematibus iſtis amoris iſtius? nunquid non mirabilia ſunt? Sic eſt, Auditores: date enim mihi virum, ſi velitis, amantiſſimum omnium ſponſorum, nunquam facere poterit cibum viventem ſui ipſius ſponſæ ſuæ, nec in illam interiùs ſe transformare, vel illam transformare in ſe, ſicut vellet: ſed amoroſus Sponſus noſter iſtud agit facilè: *Caro enim mea verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo* h. Sed etiam zelo ducitur, ſi fortè noſtros affectus alligemus creaturis: ipſe vult ut in ipſo reperiamus omne genus bonorum. Quid enim deſideratis, animæ ſanctæ, Sponſæ Jeſu Chriſti? Scientiam? Ipſe, eſt *involutus liber, ſcriptus intus & foris*, oſten-

f Ioan. 1. 18.
g Pſ. 109. 3.
h Ioan. 14. 6.
i S. Aug. in Enchirid. c. 18.
k Matth. 22. 16.
l Ioan. 14. 4.
m Ioan. 8. 32.
n Luc. 4. 25.
o Ioan. 6. 48. & 51.
q Matth. 1. 25. & Luc. 2. 7.
s Luc. 2. 51.
t Matth. 17. 1.
t Ioan. 19. 17.
u Ioan. 19. 41.
x Luc. 2. 7.
y Iſai. 28. 20.
z Exod. 20. 5.
a Iſai. 45. 15.
b Cant. 2. 9.
c De Pont. lib. 1. in Cant. 9. exhort. 10. parag. 4.
d ex Matt. 6. 11.
e Pſ. 22. 5.
f Marc. 16. 19.
g Habac. 3. 8.
h Ioan. 6. 56. & 57.

[i Ezech. 1. 9. & 10.] [k 1. Reg. 14. 27.] [l Zach. 9. 17.] [m Cant. 2. 1.]

ſus Ezechieli i, in quo perfectè diſcetis omne genus ſcientiarum. Lumina fidei? Conſiderate eum ut *favum mellis*, quo *illuminati ſunt oculi* k Ionathæ. Candorem puritatis? *Quid eſt pulchrum eius, niſi vinum germinans virgines* l? Et ipſemet ait, *Ego flos campi, & lilium convallium* m. Explicate omnia deſideria veſtra, univerſa deſiderabilia repetietis in iſto Sacramento. In ſuavitate iſtius Sacramenti, quod occupare debet omnes affectus noſtros, Deus veluti diſtillare fecit omnes dulcedines, quas anima deſiderare poteſt, & quas

[n Pſ. 30. 20.]

David n quaſi prægustans, & admirans, exclamabat ad eundem Deum, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Pſalmiſta dicit, *multitudo*, quod nomen ſignificat multas dulcedines: ſed ſubdit, *dulcedinis*, quod nomen ſingulare non innuit niſi unicam dulcedinem, quia ipſe cognoſcebat apprimè, quòd eſſet unica dulcedo, velut aqua diſtillata, continens odorem & ſaporem omnium florum aliarum dulcedinum, quòd univerſorum cumulus eſſet bonorum. Sed quid impedit quin fruamur Jeſu Chriſto, quin videamus eum glorioſum, qualis eſt in hoc Sacramento? Parum ſpecierum; en obſtaculum intuitus exigui commodi, affectus aliquis erga creaturas impedit ne videamus Deum, ne fruamur Deo: diviſi non ſumus à creaturis, ſicut Jeſus Chriſtus. Narciſſus intuens ſe in aquâ, nimio amore ſuæ pulchritudinis captus, confeſtim ac ſe deprimebat, ut amplecteretur imaginem ſuam in aquâ apparentem, eandem turbabat aquam; unicum aquæ filum faciebat hoc impedimentum, & puer iſte formoſus privabatur ſic ſatisfactione, quam intendebat, amplectendæ imaginis ſuæ: ſic exigua ſpecies in SS. Sacramento impedit quin Jeſum videamus in ſplendore ſuo: reſpectus privati commodi exigui impedit quin ipſe uniat ſe nobis, & quin deguſtemus dulcedines, quas ipſe communicat in hoc Sacramento. Sed quotnam ſunt homines, qui fatentur ſe nunquam expertos eſſe ſuavitates hujuſmodi? Recipio Euchariſtiam, inquiunt ipſi ſinguli, ſed ſine guſtu, ſed nedum experiar aliquam dulcedinem. Iſtud ego credo, ſed credite etiam mihi, quòd iſtud non eſt adſcribendum defectui SS. Sacramenti: ſed ideò quia vobis *contigit illud*

[o ex Prov. 26. 11.] [p 2. Petr. 2. 22.]

veri Proverbij: Canis reverſus ad ſuum vomitum o: *&, Sus lota in volutabro luti* p. Id eſt, quoniam acceditis ad ipſum cum conſcientia peccati mortalis, cum ore polluto aliquâ abominatione. Debetis eſſe diſſoluti ab omnibus creaturis, ut reuniamini Deo, & proximo veſtro.

[III. Pars.]

Hoc adorabile Sacramentum nos reunit tandem Deo, & proximo. Spiritus ſanctus eſt principium iſtius reunionis. Deus Pater generat Filium ſuum *in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum* q. Pater & Filius diligentes ſe ſimul pro-

[q Pſ. 109. 3.] [r Ioan. 15. 26.]

ducunt *Spiritum veritatis* r, qui eſt unio ipſorum, qui eſt vinculum ſacrum, quod ipſos unit, & omnes uniones procedunt hinc, *Qui vivis & regnas in unitate Spiritus ſancti Deus.* Ipſe, eſt principium unionum ſanctarum & Divinarum, *Unitatis & pacis dona concede.* Odium dividit corda, & amor illa unit: Spiritus ſanctus eſt hic amor: ipſe eſt igitur principium unionum, & in tempore, & in æternitate: ipſe nos unit Deo, & proximo. Sed unde procedit ut recipientes Jeſum Chriſtum in hoc Sacramento, quod eſt Sacramentum unionis, non ſuſcipiamus hos glorioſos effectus? Nunquid non comedimus eundem cibum factum ex grano frumenti: unde oſtenditur unio? *Diviſus eſt Chriſtus* s? Nequaquam: *Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura*, &c. In uno operatur hanc unionem, & non in altero. Quid? nonne idem eſt? quare non producit eoſdem effectus?

[s 1. Cor. 1. 13.]

Propter indiſpoſitionem iſtius, & diſpoſitionem illius. Videte, ſi placet, quomodo Sacerdos ponit aquam in calice: hæc aqua poſt conſecrationem non manet, mutatur in Sanguinem: ſic transformamur in Jeſum Chriſtum: nam populi ſignificantur per aquas, *Aquæ multæ, populi multi*, ait Ghislerius t. Quòd ſi hæc gutta non converteretur, & haberet aliquam notitiam, ipſa nunquam vellet ſe ſeparare à calice propter honorem quem ipſa recipit ex hoc quòd ipſa ſit in hoc ſanguine adorabili: ſic nos manemus in Jeſu Chriſto per hanc unionem ſacram. Per iſtam autem unionem ineffabilem, quæ fovere debet eam, quam debemus etiam habere cum proximo noſtro, ipſemet Jeſus Chriſtus vult ut ingrediamur communicationem potentiæ ipſius, quæ nos reddet velut columnas inconcuſſas inter commotiones carnis, ut conſequamur perfectionem, quam requirit à nobis, quæ conſiſtit in hac unione, ſicut dicebam vobis ſuprà cum ipſo ſic Patrem ſuum alloquente, *Ut*

[t Chiſler. in Cant. 1. 7. ex Apoc. 12. 15.]

[u Ioan. 17. 22.]

ſint unum, ſicut & nos unum ſumus u. Ut dimicemus pro gloriâ ipſius, ſicut heroës invincibiles, & repellamus inſolentias inferni, quæ videntur irruere

[x Iſai. 55. 1.]

ſuper nos. Invitat nos etiam *ad aquas* x gratiarum ſuarum, quas nobis offert in hoc Sacramento, bibendas, ut ſiamus conſortes ſapientiæ ipſius, ut lucere poſſimus ſicut Soles ſplendore bonorum exemplorum noſtrorum, & diſſolvere radijs noſtris hujuſmodi vapores atros, & transformati in ſacros ardores ſancti amoris ipſius, ita firmiter adhærere ſanctitati iſtius amoroſæ unionis, ut hi qui ſcintillis diviſionum noſtrarum vellent accendere ignem lætitiarum ſuarum, potiùs operiantur confuſione. Ipſe nobis aſſerit, quòd, ſi quæramus antidota accommoda curandis tot generibus malorum, quæ videntur impetere nos undequaque, ſufficit ut curramus ad aquas iſtas; & quòd fruſtrà ſunt omnia remedia humana, ſi non potemus cor noſtrum aquis iſtis Divinis; quòd invanùm ſuſpirabimus ad ſummum Bonum noſtrum, niſi haurientes iſtas

[y Iſai. 12. 3.]

aquas in gaudio de fontibus Salvatoris y ipſiuſmet, hauriamus inde ſimul poteſtatem tendendi ad idem ſummum Bonum noſtrum; quòd incaſſùm aggrediemur viam, niſi diſcamus ab ipſius ſapientiâ ſolidiſſima media perveniendi id ipſum; & quòd inutiliter illuminabimur luce cognitionis, niſi dirigamur à lucernâ ardente amoris ipſius ad hujuſmodi centrum deſiderabile.

Plantaverat Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formaverat: lignum etiam vitæ in medio paradiſi; lignumque ſcientiæ boni & mali z. Sed poſtquàm homo vetito

[z Gen. 2. 8. & 9.]

tulit de fructu, & comêdit, emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis; & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ a. Ante

[a Gen. 3. 8. &c.]

adventum Jeſu Chriſti, nullus dabatur acceſſus ad arborem vitæ: ſed Deus plantavit alteram arborem vitæ in medio paradiſi Eccleſiæ ſuæ, quæ eſt Euchariſtia, quæ eſt *lignum vitæ*, dicit S. Joannes b. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus c, *Hic verò per lignum vitæ intelligitur Chriſtus Sapientia Dei Patris: ſecundùm quod in Proverbijs* d *de Sapientiâ Salomon faſſus eſt, Quia lignum vitæ eſt omnibus apprehendentibus eam.* Non prohibet nobis Cherubim ne accedamus ad hanc arborem vitæ; quin

[b Apoc. 2. 7.] [c Dion. Carth. art. 31. in Apoc. 22. 2.] [d ex Prov. 3. 18.]

è

è contrà gladius verbi Divini, *Eſt enim ſermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti* e, obſtringit nos ut ad ipſam adeamus, dicens, *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* f. Non eſt igitur nobis dimicandum cum Cherubino (qui prohibebat ingreſſum ad paradiſum) ut colligamus fructum vitæ plantatum in medio ejus, aut ponùs ut hauriamus ex illius originibus diverſa genera vitarum, quæ nos debent animare, & nos reunire Deo, & proximo noſtro: paradiſus Eccleſiæ nobis eſt apertus, & ſine alio conatu capere poſſumus ex altaribus e us hunc cibum ſublimem, hunc panem vivum, hoc Sacramentum adorabile, non Sacramentum ſimpliciter, ſed Sacramentum Sacramentorum, ſicut Theologia eſt Scientia Scientiarum, quemadmodum æternitas eſt ſæculum ſæculorum, ut Empyreum eſt Cœlum cœlorum, & non ſecus ac Deus eſt *Sanctus Sanctorum* g. Sacramentum, quod SS. Patres vocant pharmacum immortalitatis, præſervativum à morte, & conſervativum vitæ, quod nobis tribuit favores cæli, & nos cumulat omnibus gratiis, reuniendo nos Deo, & proximo noſtro. Hic amor prodigioſus Jeſu Chriſti nunquid non liquefacere deberet corda noſtra, licèt hæc eſſent glacie conſtituta? Ipſi non ſufficit ut nobis det carnem ſuam, ſanguinem ſuum, animam ſuam, Divinitatem ſuam in cibum, & inſumat, omnes perfectiones ſuas, potentiam ſuam, ſapientiam ſuam, bonitatem ſuam, & cæteras ad manifeſtationem ſuæ dilectionis erga nos: ſed ipſe vult etiam ut noſmetipſos demus ipſi totos; ipſe tantùm nos eſurit, quantum vult ut ipſum eſuriamus, ad faciendam hanc admirabilem reunionem noſtri cum ipſo, & cum proximo noſtro. Sed ipſe non eſt contentus carne noſtrâ, ipſe devorare vult oſſa noſtra, medullas noſtras, corda noſtra, & animas noſtras, & ut hæc omnia aſſentur igne ſanctæ dilectionis ipſius, quibus ſic aſſatis, irruet ipſe ſuper nos more vulturis eſurientis, & corda noſtra diſſolvens amoroſâ liquefactione, conſumet nos fœliciter, mutans ſubſtantiam noſtram in ſubſtantiam ſuam, corda noſtra in cor ſuum, animas noſtras in animam ſuam, & vitam noſtram in Divinitatem vitæ ſuæ. Ha! quis erit ille qui videns hunc zelum qui conſumit Jeſum, poterit ſe continere quin ſe ferat in os ejus, ut paſcat illum, & paſcatur ab illo? Vultiſne admitti ad participationem iſtius facti cibi? Apponite voſipſos ei ut jucundum alimentum. Vultiſne inebriari pretioſo Sanguine ejus? Date voſipſos illi in omni puritate; ſatagite ut inter cogitationes veſtras dilectio Jeſu ſit prima; ut omnia potiùs ad nihilum redigantur, quàm amittatis amorem Jeſu. Habete eum ſemper in cordibus veſtris, in oribus veſtris, & in affectibus veſtris. Si faſtiditis aliquid, nolite unquam eum faſtidire: & ſi æmulamini rem aliquam, terminate veſtras omnes æmulationes ad illum, *Æmulamini chariſmata meliora* h. Talis eſſe debet uſus iſtius Divini Sacramenti, quo reddetur hic amor æternus in vobis. In hoc ergo Sacramento reuniemur Deo, & proximo noſtro, transformando nos in Jeſum Chriſtum. Quale privilegium! *Quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro*, exclamat S. Chryſoſtomus i. Et S. Cyprianus k, *Dico igitur Domino Deo meo: Deus meus es tu: & dicit mihi Dominus Deus meus: Ego Dominus Deus tuus. Homo, cuius Deus eſt, quid amplius quærit? Si ſufficit tu Deo, ſufficiat tibi Deus: eſto tu Dei, & erit tuus Deus tuus.* Conſervemus hanc unionem, Auditores, quæ eſt optima portio, *Porrò unum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Faciamus hanc unionem in iſtâ vitâ per gratiam, quæ durabit in æternum per gloriam.

e Heb. 4. 12.
f Ioan. 6.51.
g Dan. 9. 24.
h 1. Cor. 12.31.
i S. Chryſ. hom. 60. ad Pop. Antioch.
k S. Cypr. ſerm. de Aſcenſ. n. 2.

IN NATIVITATE S. IOANNIS Baptiſtæ.

Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ Matth. 11. 11.

QUòd Ioannes Baptiſta, hic incola ſolitudinis, hæc vox tonans & terrens deſerti, præcurſor iſte Meſſiæ, de quo S. Matthæus a ſcripſit, *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim Regnum cælorum: Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam* b *Prophetam, dicentem, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius: Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pellis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſta, & mel ſylveſtre*: ſit magnus coram hominibus, non miror: ſed quòd *Angelus* ipſum præclamet magnum palam Deo, *Erit magnus coram Domino* c, iſtud eſt quod ſtupore me ciet: cùm omnes magnitudines terræ non ſint niſi parvitates coram Deo: *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce, inſulæ quaſi pulvis exiguus. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo: & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei* d. Ipſe eſt magnus coram hominibus, iſtud eſt quod aſſerit Filius Dei, *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ.* Ipſe eſt *magnus coram Domino*, juxta prædictionem Angeli. Cælum & terra publicant eum magnum, Deus & Angeli proclamant illum talem: quis autem ſine crimine de magnitudine illius poſſet ambigere? Ipſe eſt magnus in terrâ, magnus in cœlo, magnus in nativitate ſuâ quæ lætitiam ſecum invexit, juxta quod prædixit idem *Angelus*, *Multi in nativitate eius gaudebunt* e. Magnus in nomine ſuo, ſecundùm id quod pater ipſius Zacharias *ſcripſit*, *dicens*, *Ioannes eſt nomen eius* f. *Quaſi dicat: Non mater, aut ego infantis nomen impono, ſed Divinitùs per Angelum impoſitum* g *pando*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus h. *Ioannes namque in quo eſt gratia interpretatur. Rectè ergo Ioannes vocari præcipitur, cui tanta fuerat gratia danda, ut de ipſo Chriſtus teſtatus ſit, Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſtâ, qui & Chriſtum (per quem gratia & veritas facta eſt) cecinit adfuturum, & monſtravit præſentem* i, dicit idem

a Matth. 3.1.&c.
b ex Iſai. 40.3.
c Luc. 1.13. & 15
d Iſai 40. 15.& 17.
e Luc. 1. 13. & 14.
f Luc. 1. 63
g ex Luc. 1. 13.
h Dion. Carth. art. 5. in Luc. 1.63.
i ex Ioan. 1. 17. &c.

Digitized by Google

k Dion. Carth. art. 3. in Luc. l. 1. ſer. Lovit. l 16
m Marc. 6. 17. &c.

idem Carthuſianua k. Magnus in vitâ ſuâ, magnus in officio ſuo, magnus in conſiliis ſuis, magnus in effectibus ſuia, ut patet ex dictis; magnus in morte ſuâ, quam pertulit ob defenſionem veritatia: *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratru tui* l. *Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum.* Sicut re verâ ad ipſius machinationem, *Rex miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco, & decollavit eum in carcere* m. Ipſe eſt ubique, & in omnibus magnus. Ut meliùs videamus illiua magnitudinem, deprimamua noa ad pedes Mariæ, & præ magnâ reverentiâ dicamus ei cum Angelo, *Ave Maria.*

Si vera res eſt, ſicut eſt proculdubio, quòd merita illius qui laudat, reddunt perſonam laudatam, & excellentiorem, & commendabiliorem: quis magni non æſtimabit S. Joannem Baptiſtam? & quis non contenta voce proclamabit illius magnitudinem? cùm Filius Dei ipſemet, qui eſt tota *Virtus altiſſimi* n, & tota Sapientia ſui Patris, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientia abſconditi: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* o: & oraculum omnium veritatum, ſicut ipſemet ait, *Ego ſum Veritas* p: voluerit concinnare panegyrim virtutum eius, dans illi elogium ſic excellens, ut ipſum ponat ultra omnem comparationem, ſubijciendo omnes homines natos è mulieribua, magnitudini ipſiua: *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ.* Alexander Magnus aliàs æſtimavit Achillen beatum pro eo quòd habuiſſet Homerum Principem Poëtarum Græcorum, qui laudes ipſius in lucem edidiſſet. Sed totum hoc, nihil eſt, magne Princeps: Homerus eſt homo, cuius cognitiones ſunt obſcuræ, & iudicium fallibile: ſed admirare S. Joannem Baptiſtam, qui habet encomiaſten magnitudinum ſuarum vel ipſum Filium Dei, cuiua authoritas prævalet ſupra id omne quod de eo poſſet ediſſeri. Jeſus Chriſtua proclamat Joannem Baptiſtam, magnum & maximum inter homines è mulieribus natos: & ipſe talis eſt, cùm Dei Filiua qui eſt oraculum veritatum, hoc aſſerat, ipſe qui fallere non poteſt, nec decipi. Homines ut plurimùm ſunt adulatores, & paſſio, quæ ipſos excæcat, fert ipſos in exceſſum, cùm illi perſæpè ſint digni vituperio coram Deo, qui plurimi æſtimantur palam hominibus, & qui ab eis maximos ſuſcipiunt applauſus, *Mendaces filij hominum in ſtateris*, ait Pſalmiſta q. *Quia mendaciter iudicant, præferentes mala ac falſa bonis & veris*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r. Datur appellatio à iudicio mundi, & cœlum ſæpè condemnat criminis idipſum, quod homines qualificant nomine ſanctitatis: ita verum eſt illud, quod ait Apoſtolus s: *Ille probatus eſt, quem Deus commendat. Id eſt, laude dignum iudicat, ſeu commendabilem facit per virtutes & ſigna*, ſubdit idem Carthuſianus t. *Sic eò plùs laudare debemus homines, quò pluribus laudibus evehuntur à Deo.* Cùm igitur Jeſus Chriſtus laudet S. Joannem Baptiſtam, dicens, *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ*: videamus Primò in progreſſu diſcurſus iſtius, magnitudinem eius: Secundò in quo hæc conſiſtat, ut meliùs percipiamus veritatem iſtius propoſitionis enunciatæ à Filio Dei in favorem ipſius.

n Luc. 1. 35.
o Coloſſ. 2. & 9
p Ioan. 14. 6.
q Pſ. 61. 10
r Dion. Carth. in Pſ. 61. 10.
s 2. Cor. 10. 18.
t Dion. Carth. art. 10. in 2. Cor. 10 18.

Diviſio.

S. Joannes Baptiſta eſt maximus omnium hominum, qui nati ſunt è mulieribus. Veritas eſt, quam os quod ipſam protulit, nobis reddit indubitabilem: ipſe talis eſt, quia Jeſus Chriſtus hoc dixit; & Salvator iſtud ſic effatus eſt, quia re verâ talis eſt S. Joannes: *Re verâ*, dicit Senior Macarius u, *inter natos mulierum nullus maior Ioanne Baptiſtâ: complementum enim eſt omnium Prophetarum: ac omnes quidem vaticinati ſunt de Domino, procul oſtendentes eum venturum: ille verò dum de Salvatore prophetaret, demonſtrabat ante omnium oculos clamans ac dicens, Ecce Agnus Dei* x. Et S. Ambroſius y concludit: *Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Salvator teſtimonium perhibet, dicens, Inter natos mulierum maior non eſt Ioanne Baptiſtâ* z. *Præcellit cunctis, eminet univerſis, antecedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis de muliere natus, inferior eſt Ioanne.* Nec mirum ſi ſancti Patres tueantur iſtam veritatem, quæ negari non poteſt, cùm Dei Filius qui eſt ipſamet *Veritas* a, eam pronunciaverit; & ipſum *Prophetam, & pluſquàm Prophetam* vocaverit apud S. Matthæum b. Seu, iuxta Dionyſium Carthuſianum c, *Virum qui eſt pluſquàm Propheta, hoc eſt, excellens Propheta, & maiori honore ac gratiâ atque cognitione de Chriſto decoratus, quàm cæteri Prophetarum. Nam nondum natus ſigno prophetavit, & Spiritu ſancto præventus, uſum rationis accepit, & Chriſtum agnovit* d, *Chriſtum quoque baptizavit* e, *ac digito demonſtravit* f. *& per Prophetas* g *prophetatus eſt, atque Angelus appellatus erat; que finis Legis ac Prophetarum, nova Legis exordium. Unde dici poteſt horizon, ligamentum, ac cingulus novi & veteris Teſtamenti.*

I. Part.
u Macar. Homil. 18.
x Ioan. 1. 29
y S. Ambr. ſerm. 1. de S. Ioan. Bapt.
z ex Luc. 7. 28.
a Ioan. 14. 6.
b Matth. 11. 9.
c Dion. Carth. art. 21. in Matth.
11. 9.
d ex Luc. 1. 41.
e ex Matth. 3. 15.
f ex Ioh. 1. 29.
g ex Malach. 3. 1.

Ipſe fuit ita magnus, ut nemo unquam natus è muliere, quantùmlibet ſanctus, ſive in veteri Fœdere, ſive in novo Teſtamento pervenire potuerit ad ipſius magnitudinem, & ferre manum ſuam eò, quò ipſe ſuam tulit. Si enim Jeſus Chriſtus eſt vera regula & vera menſura veræ magnitudinis, & S. Joannes plùs accedit ad eum, & ampliorem habet convenientiam cum illo quàm reliqui Sancti nati è mulieribus, ſequitur quòd ipſe eſt eorum maximus. Magdalena, hæc ſacra pœnitens, veniens ſe menſuratum ad hanc regulam, ad hoc prototypon magnitudinis, non vadit niſi uſque ad pedes, *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius & unguento ungebat* h. Mulier laborans fluxu ſanguinis, non pertingit niſi ad fimbriam veſtimenti illius, *Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius* i. Thomas adit ipſum incredulus, & non pervenit niſi ad latus, *Ieſus dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis* k. Diſcipulus dilectus, S. Joannes Evangeliſta venit etiam ſe menſuratum, & amplectens Dominum ſuum, non pertingit niſi uſque ad pectus eius: *Erat recumbens unus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu* l, &c. Sed cùm *venit Ieſus à Galilæâ in Iordanem, ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo: Ioannes autem prohibebat*

h Luc 7. 37. & 38.
i Matth. 9. 20.
k Ioan. 20. 26. & 27.
l Ioan. 13. 23. & 21

bebat eum, dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me: Reſpondens autem Ieſus, dixit ei, Sine modò: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam: tunc dimiſit eum m S.Joannes Baptiſta, poſtquàm tulit manum ſuam ſuper caput Jeſu, quò nullus homo, necullus Angelus unquam potuit attingere. Confiteamur igitur ingenuè ad gloriam eius, quòd nullus eſt hominum è mulieribus natorum, qui non ſit eo inferior magnitudine, *Non ſurrexit inter natus mulierum maior Ioanne Baptiſtâ.* Ipſe fuit ſic magnus, ut vix ipſius excellentia poſſit concipi. Sic præfatus *diſcipulus ille, qui fluenta Evangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit, beatiſſimus Evangeliſta & Apoſtolus Ioannes*, ſicut canit Eccleſia, hæc Aquila Divina, quæ volavit uſque ad ſinum Divininatis, loquens de hoc Salvatoris Præcurſore, & de perfectionibus illius, non tractat de eis aliter quàm per negationes, *Non erat ille lux* n. Qui modus loquendi per negationes congruentior eſt modo loquendi per affirmationes, ut docet S.Dionyſius o, *Negationes in Divinis rebus vera ſunt, affirmationes verò non conveniunt, nec digna ſunt maieſtate Dei omnium occultiſſimi* p. Cùm enim natura Divina ſit incomprehenſibilis, nec poſſit intelligi eo modo quo ipſa eſt in ſe, *Incomprehenſibilis cogitatu*, dicit Ieremias q, Deum alloquens; cognoſcimus meliùs per negationem id quod ipſa non eſt, quàm per affirmationem id quod ipſa eſt in veritate: eodem modo ſe res habet de S.Joanne Baptiſtâ, virtutes & excellentiæ ipſius ita magnæ ſunt, & merita ipſius ſic ingentia, ut exprimendis eis magis congruant negationes quàm affirmationes. S.Auguſtinus r circa ipſum procedit hoc modo, & dicit de ipſo, & de magnitudinibus ipſius totum quod ipſe eſt, dicendo id quod ipſe non eſt, *Vis ſcire quid ſit Ioannes? Non eſt Deus, non eſt Chriſtus.* Sed poſt hæc ipſe totum eſt: non eſt aliquid quod ſit ipſi æquale: ipſe eſt primus inter homines è mulieribus natos, *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ*, ait Filius Dei. Qui vocavit eum etiam *Prophetam, & pluſquàm Prophetam* s. Sed quid? dicetis mihi. S.Joanns fuitne fortaſſe maior Ieremia? Etiam, ait S Bernardus t: *Longè minor Ieremiæ ſanctificatio quàm Ioannis. Ille quidem in utero matris ſanctificatus* u, *hic Spiritu ſancto repletus fuiſſe cognoſcitur* a. *Multò quippe excellentius eſt Spiritu ſancto repleri, quàm ſanctificari. Vbi enim ſanctificatio emundationem, hic repletio inundationem ſignat.* Sed quid cedis de Elia? dicetis etiam mihi. Eſt etiam S.Joannes maior eo, proſequitur idem S.Bernardus, iudicans quòd ipſius *quanta ſublimitas fuerit, non eſt currentis linguæ volubilitate diſſerendum, ſed Evangeliſta dignitatis comprobandum eloquio. Ioannes, inquit, habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſta, & mel ſylveſtre* y. *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt* z. *Rigida veſtis & duriſſimis hiſpiditatibus contexta, rigore ſquallidiſſimo corpus afficit Patriarcha, carnemque tenerrimam innatura diſtrictio diſciplinæ feritate coarctat, teneros artus. & ſacratiori Spiritu ſuperfuſos continuè quaſſat longitudo martyrij. Cibus autem eius qualis erat. Non quæruntur perdices, faſiani, ſeu aliæ aves: non per totam curritur regionem, ut Patriarchalis ſtomachus impleatur. ſed erat eſca eius locuſta, & mel ſylveſtre Cœli rore paſcitur, & animalis viliſſimi ſatiatur edulio, nihilque coctum accepit ieiunantis auſteritas. Caſtigato ventri & diuturnâ maceratione diſtento ignota fuit varietas ferculorum, nec introivit in os eius quod gulam alliceret, ſuffarciret ventrem, ſtomacho blandiretur. Elias comedit carnes: & ſi quid aliud apponebatur, ſumgratiarum actione percepit* a: *nec aliquem legimus ex illâ veteri officinâ ad legis huius aſpiraſſe faſtigium. Veſtis aſpera, cibus tenuis, mens devota, profectò perfectum conſervant Patriarcham.* Prætereà, Si Elias perſecutionem ſuſtinuit ab impia Regina Jezabele, *Miſit Iezabel nuntium ad Eliam, dicens, Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hâc horâ cras poſuero animam tuam ſicut animam unius ex illis* b, id eſt, è falſis prophetis Baal, quos hic Propheta occiderat: S.Joannes Baptiſta capite truncatus fuit ex mandato deteſtabilis Regis Herodis, *Rex miſſo ſpeculatore præcepit afferri caput eius in diſco, & decollavit eum in carcere* c. Inſuper, Si cùm in monte Thabor Dei Filius *transfiguratus eſt*, Elias d apparuit ibi ad latus eius: S.Joannes Baptiſta in flumine Iordane manum ſuam tulit ſuper caput illius, cum illuc idem *venit Ieſus, ut baptizaretur ab eo* e.

Sed audebimuſne dicere quòd S Joannes major fuerit Moyſe? de quo ſcriptum eſt, *Non ſurrexit ultrà Propheta in Iſrael ſicut Moyſes* f. Verum quidem eſt, ſed hoc duntaxat intelligitur de Prophetis veteris Teſtamenti: at S.Joannes Baptiſta ſe tenet & è veteri Teſtamento, & è novo Fœdere, cùm ſit finis veteris, & initium novi, ideòque Judaiſmus finiatur in ipſo, & Chriſtianiſmus incipiatur: propterea ipſe Moyſe maior eſt: *Nam pleniſſimè conſtat, ideò obmutuiſſe Zachariam Sacerdotem* g, *quia ſacrificia ſecundùm Legem & Propheriam offerebat. Significabat enim quòd ſacrificia iam adveniente Chriſto, Lex & Prophetæ adimpleti tacerent: & ideo Lex & Prophetæ uſque ad Ioannem ſunt, quæ ad conceptionem eius ſurſum tenuerunt*, ait S.Chryſoſtomus h. Et S.Bernardus i, *Moyſes aſſumitur in ducem populo Iudæorum* k, *Pharaoni in Deum conſtituitur* l: *facit Deum per ipſum in Ægypto magnalia, mirabilia in terrâ Cham, terribilia in mari rubro* m. *Aſcendit Moyſes in caliginem, in quâ erat Deus, & datur ei in monte multiplex præceptorum authoritas* n: *loquitur cum Deo quaſi homo ad vicinum ſuum* o: *non eſt occultatum à Moyſe, quod fecit Deus in occulto* p, *& religioſum nomen Adonai (quod omnibus fuerat obvelatum) et revelatur* q: *ſed in his omnibus Regni cœlorum memoria nec nominatur, nec auditur. Aſtat Aaron ſummus Sacerdos potentis virgæ geſtatim* r, *unctus & delibutus cœleſtium ſacrariorum unctione* s: *ſuccedit Ioſue* t, *& omnis illa Iudicum multitudo: nec eſt vel ulla tenuit mentio Regni cœleſtis. Invênit Dominus David virum ſanctum ſecundùm cor ſuum* x, *Salomonem filium eius ſapientiâ cumulat ſingulari* y: *& omnem illum Prophetalem chorũ Spiritus ſanctus ordinat & infundit, & nihil de cœleſtis Regni gloriâ prophetatur. Claudit Elias cœlum annis tribus, & mẽſibus ſex* z *Eliſeus etiam mortuus mortuũ vitæ reſtituit* a, *& ab his nec vel ulla ſcintilla beatæ manſionis elucet. Quid plura? A principio mundi uſq; ad Ioannem univerſitatis humanæ electionem recollige, nec in ſermone vel opere illius ſanctuarij poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Ioannem: & audi vocem exultationis, vocem novitatis, vocem lætitiæ, verbum miſericordiæ, ſermonem gloriæ, largitatem gratiæ, quod celaverat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ neſcierunt. Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum* b. *Verbum pœnitentiæ dulce & glorioſum, verbum Regni cœlorum*

m Matth. 3.14 &c.
o Ioan. 1.8 &c.
o S.Dion. lib. de Cœl. Hier. c. 2.
p ex Iſai. 45.
q Ierem. 32.19
r S.Aug. lib. 50. Homil. hom. 44
s Matth. 11.9.
t S.Bern. ſerm. de Privil. S. I. Bapt.
u ex Ier. 1.5.
a ex Luc. 1.15.
y Matth. 3.4.
z Matth. 11.8.
a ex 3. Reg. 17.6. &c.
b ex 3. Reg. 19. 2. & 1.
c Marc. 6. 16 & 17.
d Matth. 17.3. &c.
e Matth. 3.13. &c.
f Deut. 34. 10.
g ex Luc. 1.20.
h S.Chryſ. ſerm. de Nativit. S. I. Bapt.
i S.Bern. ſerm. de Privil. S. I. Bapt.
k ex Exod. 3.10.
l ex Exod. 7.1.
m ex Pſ. 105. 21. & 22.
n ex Exod. 24. 20. &c.
o ex Exod. 33.11.
p ex Pſ. 138.15.
q ex Exod. 6.2. & 3.
r ex Exod. 7.10.
s ex Exod. 28.41.
t ex Iſue c.1. & ſeqq.
u ex Iudic. c.1. & ſeqq.
x ex 1. Reg. 13.14.
y ex Eccl. 1. 16.
z ex 3. Reg. 17.1. & ex Eccli. 48.1. & ex Iacob. 5.17.
a ex 4. Reg. 13.21.
b Matth. 3.2.

Digitized by Google

latum & adorandum, illi ſoli primò conveniens, qui primus novi Teſtamenti fundamenta poſuit. Sed ut breviter concludamus, Omnis illa Patriarcharum ſive Prophetarum ſocietas nullam vel in ſermonibus, vel in rebus de Patre & Filio & Spiritu ſancto apertè legitur feciſſe mentionem. Veni ergo, & intuere filium Zacharia Deum & hominem proprijs manibus contingentem, & vide quia cœli aperiuntur ibi, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in Chriſtum, & vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus. Vides quia ad ſacratiſſimorum nominum novitatem cœlorum palatia reſerantur. Pater auditur in voce: Filius baptizatur in flumine: Spiritus ſanctus demonſtratur in columba ſpecie c. *Adeſt Ioannes totius medius Trinitatis, glorioſumque Baptiſtam ſignant induiſſe ſubſtantia aperta vocabula: nomenque Trinitatis prioribus ſeculis obvelatum, abſque totius velaminis obumbratione relucet.* Hinc ergo jure merito concludere debemus cum Filio Dei, eum eſſe *Prophetam, & pluſquàm Prophetam* d.

c ex Matt. 3.16. &c
d Matth. 11.9

Sed non ſatis eſt in honorem S. Joannis id quòd ait Salvator in gratiam ipſius, *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ.* Gloria ipſius non ſiſtit ibi: ipſe eſt Angelus: *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te,* dicit idem Dei Filius de eo per Malachiam apud S. Matthæum e immediatè pòſt. Sed quòmodo hoc, dicetis mihi, cùm Angeli ſint immediatè creati à Deo f; & S. Joannes ſit filius Zachariæ & Elizabeth g? Ipſe eſt Angelus, non naturâ, ſed officio, & virtute. Proprium eſt Angelis mitti, & Angelus idem eſt ac miſſus: *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* h? Et, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes* i. Vocatur homo, ut innuatur, quòd ſi eſt Angelus per officium, eſt homo per naturam: *Dicitur quippe Ioannes Angelus, ratione officij, non natura,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus k, *& quoniam Angelica converſationis fuit.* Ipſe eſt igitur Angelus, & tantum quantum omnes Angeli, cùm perfungatur officio omnium Angelorum. Obit ipſe munia Seraphinorum, quibus proprium eſt ardere flammis Divini Amoris; & velle illis accendere unumquemque: S. Joannes Baptiſta eſt ignis ardens qui poteſt calefacere omnia pectora flammis ſuis, æquè ac illuminare univerſas mentes ſplendoribus ſuis ſicut Cherubini, qui deferunt hunc nomen ob ſcientiam ſuam, cùm Cherubim plenitudo ſcientiæ dicatur, *Ille erat lucerna ardens & lucens* l. Ha! quali ſcientiâ non fuit ipſe præditus? numquid non habuit notitiam Divinitatis & humanitatis Ieſu Chriſti in terrâ? Auſcultate quomodo loquatur ipſe de hoc Deo homine: *Medius veſtrùm ſtetit, quem vos neſcitis, ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt* m. Cùm ait, *Medius*, oſtendit quòd Ieſus Chriſtus eſt ſecunda perſona SS. Trinitatis, dicens, *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt*, monſtrat ipſius humanitatem. Et concludens, *Ante me factus eſt*, innuit ipſius Divinitatem. Officium Thronorum eſt ferre areſta, & judicare: S. Ioannes nunquid non egit hoc idem? Nonne damnavit Herodem impietatis ſuæ, & inceſtûs ſui? *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui* n. Si tranſeamus ad ſecundum ordinem Angelorum, Dominationes nos edocent, quomodo nos gerere debeamus erga ſubditos noſtros: & S. Ioannes Baptiſta honorabatur à parvis, & timebatur à magnis: *Herodes enim metuebat Ioannem* o. Principatus nos inſtruunt quo pacto debeamus honorare Superiores noſtros: & S. Ioannes nonne dicit præſummâ reverentiâ erga Dominum ſuum? *Cuius ego non ſum dignus, ut ſolvam eius corrigiam calceamenti* p. Officium Poteſtatum eſt reprimere inſolentiam dæmonum: & S. Ioannes hoc exercet, cùm inducit homines ad pœnitentiam, quæ eſt ſupplicium dæmonum, *dicens, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim Regnum cælorum* q. Et *Satan tolerabilius ſuſtinet flammam ſuam, quàm lacrymam noſtram* dicit Petrus Cellenſis r. Si deſcendamus ad infimum ordinem Angelorum, Virtutibus proprium eſt facere miracula: & nonne tota vita S. Ioannis eſt continuum miraculum? *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſylveſtre* s. Officium Archangelorum eſt revelare nobis res magnas, & ſpectantes ſalutem noſtram t: auſcultate quàm proficuè S. Ioannes loquatur ad utilitatem noſtram, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* u. Officium Angelorum verſatur circa res minimas: & S. Ioannes nos inſtituit quoad bonos mores, *Neminem concutiatis* x. Nunquid non igitur jure merito eſt Angelus, & tantum quantum omnes Angeli, cùm ſic perfectè fungatur officio omnium? Angelus officio, Angelus virtute, cùm non habeat aliquid inferius Angelis. Si Angeli ſunt actus puri: nonne S. Joannes fuit purus toto tempore vitæ ſuæ? Quis unquam plùs dilexit puritatem quàm Angelus iſte terreſtris? Cùm Angeli cœli non habeant corpus, immunes ſint à materiâ, non indigent cibo, nec potu: & nonne S. Joannes fuit immunis ab iſtis neceſſitatibus quæ ſunt inſeparabiles ab hominibus? *Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens* y. Cùm parum hic pro nihilo reputetur. Si Angeli non comedunt; nec etiam dormiunt, ſed ſemper vigilant, & jugiter vacant contemplationi Divinitatis: S. Juannes æquè parùm dormit ac comedit, ipſe ſemper eſt intentus contemplationi Dei, jugiter *in deſerto* z, ut meliùs eo fruatur, & ſine ullo obſtaculo impuritatis. Si Angeli ſunt virgines: *Ioannes Virgo, imò virginitatis inſigne ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum,* ait S. Bernardus a. Si Angeli à primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt magnam notitiam: S. Joannes ex utero matris ſuæ habuit uſum rationis, & cognovit Deum: *Exultat* b *enim Ioannes antequàm naſcatur, & priuſquàm oculis mundi habitum recognoſcat, iam ſpiritu mundi Dominum recognoſcit,* dicit S. Ambroſius c. Et præfatus S. Bernardus d, *A ſeculo non eſt auditum, quòd quis exultaverit in utero matris, cùm hic in gaudio exultaſſe legatur. Prorſus obſtupenda dignatio, puerum vix conceptum, in motum exultationibus erumpere, eique gratanter occurrere ſervitio dulciori, quem virginalis ſubſtantia præſenſit infuſum.* Concludamus igitur verè, quòd S. Ioannes Baptiſta fuit Angelus officio, & virtute: quod eſt ipſi glorioſius, quàm ſi illud habuiſſet per naturam, cùm ipſe acquiſiverit hunc titulum propriâ virtute ſuâ adjuta à cœlo, cùm non eſſet niſi homo, *Vnus eſt, & ſimilem non habet, qui choris inſertus Angelicis, ſublimioris coronæ titulis univerſitatis humana tranſcendit aſcenſum.*

Deni-

e Matth. 11.10. ex Malach. 3.1
f Gen. 1.2.
g Luc. 1.13.
h Heb. 1.14
i Ioan. 1.6.
k Dion. Carth. art. 4. in Ioan. 1.6.
l Ioan. 5. 35.
m Ioan. 1. 26. & 27.
n Marc 6. 18. ex Levit 18. 16
o Marc. 6. 20.
p Ioan. 1. 27.
q Matth. 3.2.
r Cellenſ. lib. de Panib. c. 12.
s Matth. 3.4.
t Luc. 1. 16 &c.
u Ioan. 1. 29.
x Luc. 3.14
y Matth. 11.18.
z Matth. 3.1.
a S. Bern. ſerm. de Privil. S. Ioan. Bap. in fine
b ex Luc. 1.41.
c S Ambr. ſerm. 1. de S. Ioan. Bapt.
d S. Bern. loco ubi ſuprà.

Denique Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſtâ, dicit idem S. Bernardus e. *Mulier hoc loco accipitur pro fœminâ cognitâ à viro , ſicque Chriſtus natus de Virgine* f, *& Virgo Mater , quæ fuit inter natas, non inter natos, excipiuntur*, ait Dionyſius Carthuſianus g.

Sed licèt iſtud verum ſit, obſervate tamen tantam convenientiam in rebus omnibus inter Jeſum Chriſtum & S. Joannem Baptiſtam , ut vix diſcernere poſſint eos abinvicem homines ; & niſi ſint perſpicaciores quàm Judæi h, ſemper ſumpturi ſint unum pro altero, tanta eſt ſimilitudo inter utrumque, & quantùm ad vitam, & quoad mores. Si enim Angelus Gabriel annunciat nativitatem æquè ac conceptionem Domini noſtri Jeſu Chriſti Matri ipſius, *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro , cui nomen erat Ioſeph, de domo David : & nomen Virginis Maria : & ingreſſus Angelus, ad eam dixit , Ave gratiâ plena, Dominus tecum , benedicta tu in mulieribus : ecce concipies in utero, & paries filium* i: idem Angelus annunciat nativitatem S. Joannis Baptiſtæ patri ipſius, *Apparuit illi Angelus Domini, ſcilicet Gabriel*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus k. *Et ait ad illum , Zacharia , exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium* l. Si Jeſus Chriſtus fuit conceptus miraculoſè è Virgine: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* m: S. Joannes Baptiſta conceptus eſt ſupernaturaliter à muliere ſterili, *Et ecce Elizabeth concepit filium in ſenectute ſuâ , quæ vocatur ſterilis* n. Si mundum lætificavit nativitas Salvatoris reclinati *in præſepio : & paſtores erant in regione eâdem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum : & ecce , Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos : & dixit illis Angelus , Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus eſt vobis hodie Salvator , qui eſt Chriſtus Dominus , in civitate David* o: Hoc idem Zachariæ *ait Angelus, Erit gaudium tibi & exultatio , & multi in nativitate eius gaudebunt* p. Jure verò merito gaudemus hodie, quia Ioannes præceſſit & annuntiavit nobis Lucem mundi mox ſubſecuturam , ſicut Lucifer præcedit ortū Solis. Quis autem non lætaretur, ſi in diuturnis tenebris ſedens , nuntium accipiat adfuturæ lucis. Hoc enim cum gaudio prædicat in Cantico ſuo Zacharias , *Viſitavit nos, Oriens ex alto illuminare his qui in tenebris , & in umbra mortis ſedent* , &c. Angelus admonuit B. Virginem nominis Filij ſui , *Vocabis nomen eius Ieſum* q. Similiter Angelus monuit Zachariam nominis filij ſui , *Vocabis nomen eius Ioannem* r. Si ab Iſaia s Jeſus Chriſtus vocatur *Magni conſilij Angelus* : Malachias dat idem nomen S. Joanni Baptiſtæ : *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt , Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam , qui præparabit viam tuam ante te* t. Si Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Jeſum Chriſtum, prædixit Iſaias u: *In ipſo enim , ut ait Apoſtolus* x, *complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare : Requievit igitur in Filio Spiritus Domini, hoc eſt , æternâ habitatione permanſit : non ut avolaret , & rurſum ad eum deſcenderet, ſed iuxta Ioannis Baptiſtæ teſtimonium iugiter permaneret, qui ait, Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo , & manſit ſuper eum , ut refert S. Ioannes* y Evangeliſta, ſubdit Pintus z verbis iſtis Iſaiæ, *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini* : idem Spiritus ſanctus requievit ſuper eundem S. Joannem Baptiſtam, juxta prædictionem Angeli, *Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris ſuæ* a. Si Jeſus Chriſtus habuit uſum rationis à conceptione ſuâ *in utero* b B. Virginis Matris ſuæ : S. Joannes Baptiſta fruitus eſt eadem prærogativa , cùm agnoverit præſentiam Domini ſui , & lætitiâ exultaverit ad eum ſalutandum , incluſus adhuc in ventre matris ſuæ , ſicut ait S. Ambroſius c poſt Evangeliſtam, *Vocem prior Elizabeth audivit , ſed Ioannes prior gratiam ſenſit. Illa naturæ ordine audivit , iſte exultavit ratione myſterij. Illa Mariæ , iſte Domini ſenſit adventum.*

e S. Bern. loco ubi ſuprà in princip.
f ex Matth. 1. 20. & ſeq.
g Dion. Carth. art. 21 in Mat. 11, 11.
h Matth. 11, 9. & Luc. 3. 15 &c.
i Luc. 1. 26. &c.
k Dion. Carth. art. 2. in Luc. 1. 11.
l Luc. 1. 13. &c.
m Matth. 1. 20
n Luc. 1. 36.
o Luc. 2 7. &c.
p Luc. 1. 13 & 14.
q Luc. 1. 31.
r Luc 1. 13.
s Iſai. 9. 6. juxta LXX.
t Matth. 11. 10. ex Malach. 3. 1.
u Iſai. 11. 2.
x Coloſ. 1. 19.
y Ioan. 1. 32.
z Pint. in Iſai. 11. 2.
a Luc. 1. 15.

Nunquid non iſtæ convenientiæ ſunt valdè potentes ? Ipſæ reſpiciunt eorum nativitates ; en aliæ , quæ concernunt officia & exercitia illorum. Jeſus Chriſtus miſſus fuit à Patre ſuo , *Miſit Deus Filium ſuum in mundum* d. Nonne S. Joannes ſimiliter ab illo miſſus eſt ? *Fuit homo miſſus à Deo , cui nomen erat Ioannes* e. Jeſus Chriſtus miſſus eſt ad edocendum mundum viam Dei , *Ipſe docebat in Synagogis* f. Et S. Joannes *ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius* g. Ad docendum opus eſt verbo, & voce : propterea Dominus noſter miſſus eſt, prout Verbum Patris, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis* h. Et S. Joannes miſſus fuit ut vox ipſius , ſicut *Zacharias pater eius repletus Spiritu ſancto, prophetavit, dicens, Tu puer, præibis ante faciem Domini parare vias eius* i. Vox præcedit verbum, & illud exprimit ; S Joannes præceſſit Dominum noſtrum , eumque demonſtravit, dicens , *Ecce Agnus Dei , ecce qui tollit peccatū mundi* k. Jeſus Chriſtus vocatur Lux , *Erat Lux vera quæ illuminat omne hominem venientem in hunc mundū* l. Et S. Joañes defert idem nomen, *Ille erat lucerna ardens & lucens* m. Si Jeſus prædicavit , æquè ac exercuit pœnitentiam , *Ieſus cùm ieiunaſſet quadraginta diebus , & quadraginta noctibus : exinde cœpit prædicare , & dicere , Pœnitentiam agite : appropinquabit enim Regnum cœlorum* n: S. Joannes Baptiſta vacavit ſimiliter prædicationi , & exercitio pœnitentiæ , *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ , & dicens , Pœnitentiam agite : appropinquabit enim Regnum cœlorum. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum , & zonam pelliceam circa lumbos ſuos : eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylveſtre* o. Jeſus Chriſtus quæſivit in omnibus gloriam Patris ſui cœleſtis , ſicut ipſe , cùm *dixit Mater eius ad illum , Fili , quid feciſti nobis ſic ? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te , ait ad illos , Quid eſt quòd me quærebatis ? neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt , oportet me eſſe* p? Et S. Joannes Baptiſta recuſat gloriam ſibi oblatam , ut meliùs ſtabiliat gloriam Domini ſui : Judæi volunt ipſum agnoſcere ut Meſſiam , qui venerat in mundum ad operandum myſterium adorabile noſtræ redemptionis : ſed ipſe reddit gloriam iſtius eminentis qualitatis ei , ad quem ipſa pertinet, confitens ſe non eſſe dignum ſic auguſto titulo , nec eſſe eum , quem ipſi putant : *Exiſtimante autem populo , & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne , ne fortè ipſe eſſet Chriſtus : reſpondit Ioannes , dicens omnibus , Ego quidem aquâ baptizo vos : veniet autem fortior me , cuius non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum eius : ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni* q. Tandem, Si Ieſus Chriſtus amiſit vitam pro defenſione veritatis , *Princeps Sacerdotum ait illi , Adiuro te per Deum vivum , ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei : Dicit illi Ieſus , Tu dixiſti : veruntamen dico vobis , Amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei , & venientē in nubibus cœli : Tunc Princeps Sacerdotū ſcidit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemavit : quid adhuc egimus teſtibus? ecce, nunc audiſtis blaſphemiam :* quid

b Luc 1. 41. ex Iſai. 7. 14.
c S. Ambr. lib. 2. in Luc. 1. 14.
d Ioan. 3. 17.
e Ioan. 1. 6
f Luc 4. 15.
g Luc. 1. 77.
h Ioan. 1. 1. & 14.
i Luc. 1. 67. & 76.
k Ioan. 1. 29.
l Ioan 1. 9.
m Ioan. 5. 35.
n Matth. 4. 2. & 7.
o Matth. 3. 1. &c.
p Luc 2. 48. & 49.
q Luc. 3. 16. & 17

Digitized by Google

quid vobis videtur ? At illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis r: S. Ioannes mortuus pro eo quòd veritatem publicaverit, *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui* s. *Et Rex miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco, & decollavit eum in carcere* t. Quòd ſi S. Joannes Baptiſta ſic aſſimilatur Jeſu Chriſto in omnibus actionibus & exercitijs ipſius, in vitâ & in morte ipſius; quomodo non eſſet primus inter omnes homines è mulieribus natos, cùm quò propiùs accedimus ad hoc prototypon veræ magnitudinis, eò plùs etiam participemus veram magnitudinem ?

r Matth. 26. 25. &c. s Ex Luca 3. 19. t Marc 6. 18. &c.

II. Pars. Si autem ſcire deſideretis in quo conſiſtat hæc magnitudo : dico quòd hæc non eſt ſita in potentiâ temporaneâ, in poſſidendo Imperio magnæ extenſionis, & in habendo magno numero vaſſallorum ditioni ſuæ ſubditorum : S. Joannes in ſtatu, in quo ipſe erat, non habebat theſauros, redditus, poſſeſſiones, bona mobilia, & immobilia, quæ homines æſtimant inſeparabilia à magnitudine, quippe quæ ſunt lapides præcipui, qui illam ſtabiliunt : & tamen vel Veritas fallitur (quod eſſet blaſphemia duntaxat vel cogitare) vel ipſius magnitudo erat elevata ſuper univerſas mundi magnitudines. Sed quænam eſt hæc magnitudo ? Ipſa, non eſt magnitudo Cræſi, Craſſi, vel Heliogabali: ipſe non habet quidquam magnitudinis illorum, cùm ipſe vitam pauperem duceret. Præterea, Omnes iſtæ magnitudines terræ, quæ pereunt eo ipſo quo apparent, quæque non derelinquunt in jacturâ ſui niſi dolorem, quo anguntur is, qui ipſas poſſidit, non poſſunt S. Joanni dare hoc elogium, quod ipſum evehit ſupra omnes è mulieribus natos, & ipſum conſtituit ultra magnitudines univerſas purè humanas. Præterquàm quòd Deus, qui non judicat inſtar hominum: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus: quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris* u: non intuetur hæc omnia, ſed ipſa deſpicit æquè ac ſi non eſſent, cùm indigna ſint Divinâ cognitione ipſius, *Alta à longe cognoſcit* x. Et, *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus. Omnes Gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei* y. Omnes Magnitudines mundanæ ſunt ſicut flos hemerocallis, manè florens, & veſperi arens, *Hemerocallis nomen accepiſſe putatur à floris fugacitate, quòd uno tantùm die pulchritudinem ſuam tueatur* z. Et ut *Ephemeron animal naſcens apud Hypanim fluvium, qui influit in Boſphorum, eadem quo naſcitur die interiens. Hinc natum adagium, Ephemeri vita. De ijs qui ſtatim emoriuntur, aut pereunt* a. Sic nihil eſt amphùs omnium iſtarum magnitudinum, quæ nos præceſſerunt : ipſæ non fuerunt niſi ad capiendum finem, nec earum recordamur, niſi ad admirandos illarum caſus. S. Joannes igitur non eſt magnus hâc magnitudine, quam mundani ſic vehementer ambiunt : magnitudo ipſius, eſt magnitudo, quam Deus æſtimat, cùm velit eſſe illius encomiaſtes : nimirum quæ conſiſtit in virtute : ſic de illo *ait Angelus, Erit magnus coram Domino* b. Reliqua enim omnia non poſſunt hominem reddere magnum coram Deo. Eſtote tantùm potentes quantùm volueritis; convertite omnia in aurum more Midæ, Regis Phrygiæ, cui (*ut eſt in fabulis*) *propter Bacchum hoſpitio ſuſceptum conceſſum eſt, ut quidquid vellet, optaretve, futurus voti compos : optavit autem ut quidquid corpore contigiſſet, in aurum verteretur : quod annuente Baccho, factum eſt* c. Reddite vos arbitros populorum, ſoliditate ingenij veſtri; habete tantam cognitionem, quantam Angeli; eſtote æquè magni generoſitate ac Alexander Magnus, Conſtantinus Magnus, & Carolus Magnus; robore ac Hercules, & Samſon d; eloquentia ac Demoſthenes, & Cicero; & ſapientia ac Salomon e: niſi habeatis virtutem, quæ eſt anima omnium actionum moralium, omnes iſtæ qualitates vobis erunt inutiles : & ſic ſinguli cogeremini, Deum alloquentes, *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te* f. Eſtote Magiſtratus, Judices, Cauſidici; verba veſtra, veluti tonitrua, tanto tremore concutiant forum ut concilietis vobis admirationes omnium, ſi non habetis virtutem, dicite, *Factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens* g. Eſtote nobiles, Principes, Reges; *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt* h. *Gratiâ Dei ſum id quod ſum* i. Non ſumus niſi id, quod gratia nos facit; ipſa nobis impertitur valorem & pretium : cùm poſſidemus hunc theſaurum, magni ſumus coram Deo, licèt parvi & contemptibiles præ oculis mundi. *Mendicus Lazarus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſâ divitis*, in gratia conſtitutus, majoris æſtimatur à Deo, quàm iſte dives : *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives: & ſepultus eſt in inferno* k. Parvus gratiæ gradus plùs valet quàm omnes theſauri mundi; & Deus illum pluris æſtimat, quàm omnes magnitudines terræ. Gratia commendat nos coram Deo, & nos reddit verè magnos : *Sicut vita corporis anima : ſic vita animæ Deus*, ait S. Auguſtinus l. Omne id quod haberis pulchritudinis, Dominæ meæ, venit ex anima veſtra, quæ animat corpus veſtrum, ipſum movet, & dat illi jucundum colorem iſtum, qui conciliat vobis amorem intuentium : ſi autem hæc anima deſerit veſtrum corpus, confeſtim illi qui vos diligebant, vos odio proſequuntur, & admiratores veſtri non poſſunt ampliùs fœtorem veſtri cadaveris ſuſtinere : hoc idem gratia facit animæ, quod anima corpori : quamdiu anima prædita eſt gratia, Deus intuetur eam ut objectum in quo ipſe ſibi complacet; ſed ex quo gratia non eſt ampliùs in ea, ipſa eſt abominabilis coram Deo, *Similiter odio ſunt Deo, impius & impietas eius* m. Gratia ſola nos reddit magnos : incſibamus virtuti, & conemur præ omnibus obtinere gratiam : evitemus id omne quod cauſare nobis poteſt illius jacturam, nimirum peccatum, & occaſiones peccati : ſi gratia ſit in nobis, erimus magni coram Deo : & cùm ipſe ſit eſſentia omnium magnitudinum n, erimus verè magni : cùm enim gratia ſit participatio Entis Divini, erimus aliquid Divinum, magni in iſto mundo per gratiam, & magni in altero ſæculo per gloriam.

u Iſai 55. 8 & 9. x Pſal. 137. 6. y Iſai. 40. 15. & 17. z Calep in Diction. V Hemerocallis. a Idem ibid. V. Ephemerà. etiam Ariſt. lib. 5. Animal. b Luc. 1. 15. c Calep in Diction. V. Midas d Iudic. 14. 6. &c. e Eccl 47. 16 f Pſ. 38. 6. g 1. Cor. 13. 1. h Iſai 40. 15. i 1. Cor. 15. 10. k Luc. 16. 20. &c. l S. Aug. conc. 1. in Pſ. 70 m Sap. 14. 9 n Pſ. 47. 2.

In Feſto Viſitationis B. V. Mariæ.

Maria intravit in domum Zachariæ, & Salutavit Elizabeth. **Luc. 1. 40. &c.**

IOb, quem Scriptura nobis repræſentat ut miraculum patientiæ, æquè ac omnium aliarum virtutum ſpeculum terminis iſtis : *Vir erat in terrâ Hus nomine Iob : & erat vir ille ſimplex & rectus, ac timens*

timens Deum, & recedens à malo : & in omnibus eventibus ſiniſtris eidem Deo gratias agens, *Dominus dedit, Dominus abſtulit* : *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum* a: loquens de virgine, dicit, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* b. *Id eſt, quaſi quodam fœdere reſtrinxi eos, ne incautè aliquid reſpicerent, quod mens poſteà malè concupiſceret* c. Ego verò è contra hodiernâ die educere volo gloriam meam, totam ſatisfactionem meam, æquè ac integram fœlicitatem meam è conſilio quod aggredior cogitandi & loquendi de Virgine: & nos omnes erimus fœlices ſi habeamus ideas continuas & juges recordationes iſtius Virginis. Noſtra fœlicitas conſiſtit in eâ imitandâ, in illâ ſequendâ, in eundo poſt ejus greſſus *in domum Zachariæ*; in audiendâ voce illius, in publicandis magnitudinibus illius, in illâ reverendâ, & diligendâ, imò & in concupiſcendo decôre ejus, ſicut concupivit *Rex decôrem illius*, ait Pſalmiſta d. *Et Pater miſit arrhabonem de cælo Spiritum Sanctum, præparavit Virginem unigenito Filio cæleſti Sponſo, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit Chriſtus*, inquit S. Epiphanius e. Et ſtatim ſubdit, *Virgineum indumentum, juxta ſuavem Davidis* f *cantionem, In Sole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo*. Ipſe eſt decor quẽ Deus concupiſcit, & induit, requirens eum à qualibet animâ fideli Sponſâ ſuâ, æquè ac à S. Genitrice ſuâ ſicut dicit S. Bernardus g. *Ait Propheta* h, *Dominus regnavit decôrem induit. Quidni imagini ſuæ pariter & Sponſa ſimile capiat indumentum? Tantò profectò ſibi charior illa, quantò ſimilior ſibi. Porrò eſſulgentem & veluti quibuſdam ſuis radijs erumpentem, mentis ſimulachrum, corpus excipit & diffundit per membra & ſenſus: quatenus omnis inde reluceat actio, ſermo, aſpectus, inceſſus. Ex hoc iam gradu audet qui huiuſmodi eſt cogitare de nuptijs. Quidni audeat eo ſe nubilem quo ſimilem cernens? Non terret celſitudo quam ſociat ſimilitudo, amor conciliat, profeſſio maritat. Profeſſionis forma hæc eſt: Iuravi & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ* i. Iſte eſt decor qui attraxit Dei Filium in uterum B. Virginis, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave Maria*.

Proprium eſt bono ſe diffundere, *Bonum eſt diffuſivum ſui*, dicit S. Dionyſius k. Deus qui eſt ſummum Bonum, ſicut ait ipſemet de ſeipſo, Moyſen alloquens, *Ego oſtendam omne bonum tibi* l, perfectè ſe communicat, & intra ſe, & extra ſe. Ad intra, ſe diffundit concipiendo Verbum ſuum, ſicut fatetur idem Verbum conceptum, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* m. Iſtud Verbum ipſe concipit æquale ſibi, conſubſtantiale, & habens univerſas perfectionis principij ſui, quemadmodùm idem *Verbum caro factum* n *ubi venit plenitudo temporis* o, proteſtatur, dicens, *Ego & Pater unum ſumus* p. *Seu, Ego (ſecundùm naturam Verbi) & Pater unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo, unum, notatur eſſentia unitas individualis, non generica ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus q. Ad extrà, ſe communicat animabus juſtis, quæ ſunt ipſius productiones & expreſſiones: Sancti enim procedunt ex hoc principio ſanctitatis, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis* r. Deus qui eſt Pater; generat ad extrà Juſtos, *Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? ſi ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus* s. Ideò dicit, homines alloquens, *Ego dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*, recenſet Pſalmiſta t. Et Evangeliſta u nos inducit ad admirandam dilectionem Dei ad filiationem Divinam & gratuitam ſeu adoptivam nos evehentis, dicens nobis, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus. Id eſt, quàm magnam ſuam erga nos dilectionem nobis oſtendit, ſeu quantùm ſe diligere nos monſtravit, per hoc quòd contulit nobis gratiam iſtam talem ac tantam, adoptivi filij eius vocemur & ſimus*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus x. B. Virgo Maria imitatur Patrem æternum in productionibus ſuis: ipſa ſe communicat, & interiùs, & exteriùs. Interiùs, producens *Filium* y, qui eſt ipſi ſimilis. *Propterea Maria Mater electa eſt, & ſuper omnes creaturas prælecta, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute & ſanctitate in utero repleta, ut de mundiſſimâ Matre mundiſſimus Filius naſceretur. Et ſicut in cælo Filius habuit Patrem immortalem* z, *& æternum* a; *ſic & in terrâ haberet Matrem omni corruptione carentem. Igitur in cælo qualis eſt Pater, talis eſt Filius: & in terrâ qualis eſt Mater, talis ſecundùm carnem Filius*, ait S. Auguſtinus b. Sic ipſa communicat ei propriam naturam ſuam. Ad extrà ipſa etiam ſe diffundit, ipſa habet filios ſpirituales, qui ſunt fideles, quorum ipſa Mater eſt. Confeſtim enim ac ipſa fit Mater Jeſu Chriſti Filij ſui naturalis, efficitur & ipſa Genitrix innumerorum filiorum ſpiritualium; *Peperit Filium ſuum primogenitum, ſcilicet Ieſum Chriſtum: qui dicitur primogenitus, quoniam Chriſtus naſci dignatus eſt ex Virgine, ut per ſpiritualem regenerationem fratres multos acquireret*, ait Dionyſius Carthuſianus c poſt S. Lucam. Propterea Guerricus d loquens de nativitate B. Virginis, ait, *Nata eſt hodie Mater nova, quæ primæ matris maledictionem diſſoluit: ut per iſtam benedictionem hæreditatem poſſideant, qui per illam ſub præiudicio maledicti æterni fuerant nati*. Et hoc atteſtatur Divina Scriptura e, *dum ait, Venter tuus acervus frumenti vallatus in lilijs. Ipſa eſt ager minimè cultus, quæ verbũ velut granum frumenti ſuſcipiens, etiã manipulum germinavit*, inquit S. Epiphanius f, loquens de Virgine Deiparâ. *Virtute enim Altiſſimi obumbrante concepit in utero* g, *atque portavit in ventre Chriſtum Dominum* (dicit de Ponte h) *qui ſe grano tritici comparavit, cùm dixit, Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert* i. *Propter quod, ut dicit S. Ambroſius* k, *venter Virginis dicitur acervus tritici, non terreni, ſed cæleſtis: nam deſcendens de cælo & cadens in terram uteri virginei, cùm poſteà mortuum eſt in cruce, fructum attulit non tantùm centeſimum* l, *aut milleſimum, ſed quem nullus poſſet numerare. Eius enim fructus ſunt omnes Sancti, qui ab initio mundi uſque ad finem, gratiam: & gloriam adepti ſunt, vel adipiſcentur. Vnde etſi beatiſſima Virgo unum tantùm conceperit tritici granum, venter eius tamen acervus tritici nominatur, quia in illo uno coacervantur innumeri: ſi enim Anna, Samuelis mater, etſi unum tantùm genuiſſet filium, laudes Dei canens, ait; Donec ſterilis peperit plurimos* m: *quia ille unus pro pluribus computabatur: quantò magis glorioſiſſima Deipara dicere poſſet, Quoniam Virgo peperit plurimos, etſi unum tantùm pepererit, in quo tamen continebantur* in.

a Iob. 1. &c.
b Iob. 31. 1.
c Hug. Card. in Iob. 31. 1.
d Pſ. 44. 12.
e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
f Pſ. 18. 6.
g S. Bern. ſerm. 85. in Cant. 6 ex eſ. 9. 1.
i Pſ. 118. 106.
k S. Dion. lib de Div. Nom. c. 4.
l Exod. 33. 19.
m Pſ. 2. 7.
n Ioan. 1. 14.
o Gal. 4. 4.
p Ioan. 10. 30.
q Dion. Carth. art. 27. in Ioa. 10. 10.
r Rom. 5. 5.
s Iſai. 66. 9.
t Pſ. 81. 6.
u 1. Ioan. 3. 1.
x Dion. Carth. art. 4. in Ioan. 3. 1.
y Matth. 1. 21.
z ex 1. Timot. 1. 17.
a ex Dan. 3. 4.
b S. Aug. ſerm. 10. de Fe. in Scen.
c Dion. Carth. art. 4. in Luc. 2. 7.
d Guerricus ſerm. 1. de Nativit. B. M.
e ex Cant. 7. 2.
f S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
g ex Luc. 1. &c.
h De Pont. lib. 9. in Cant. 7. 2. exhort. 13. parag. 2.
i Ioan. 12. 24.
k S. Ambr. lib de Inſtit. Virg. c. 14.
l ex Matth. 13. 23.
m 1. Reg. 2. 5.

innumeri? imò omnes quotquot fuerunt, & erunt filij, huic non æquiparantur. Propter quem etiam virgineus uterus vocatur vallatus lilijs, id eſt, ipſomet Filio quem portabat, qui ſe vocat Lilium convallium n: *& quàmvis unum ſit, tamen plura lilia vocatur,* (n ex Cant. 2.1.) *& acervus liliorum, ſicut & granorum tritici, quia ipſe omnia Virginum lilia germinavit. Ita hunc locum interpretatur S. Ambroſius, dicens, In quo Virginis utero ſimul acervus tritici, & lilij flores gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat & lilium, &c.* Si enim vocatur S. Monica, *Sancti Auguſtini dupliciter mater, quia eum & mundo & cœlo peperit*, ut canit Eccleſia: primò mater naturalis, ſecondò mater interventu lacrymarum ſuarum: heu quid ageretur de tot miſeris hominibus ſine cura huius bonæ Matris? Proculdubio fierent illi victimæ flammarum. Prout Mater hominum, pergit ipſa viſitatum conſobrinam ſuam S. Elizabeth: ipſa eſt quid magis quàm ſit S. Elizabeth, effecta Mater Jeſu Chriſti: ſed quatenus mater hominum, ipſa viſitat, ut auxilietur, ſuccurrat, & faueat Joanni Baptiſtæ in utero matris ſuæ. B. Virgo eſt viſitans, cùm viſitata fuiſſet: ipſa viſitata fuerat, & nunc ipſa eſt viſitans. Ipſa viſitat conſobrinam ſuam S. Elizabeth, Zachariam, & Joannem Baptiſtam. Ipſa eſt viſitans, cùm ipſamet viſitata fuerit ab Angelo, viſitata a Spirito ſancto, viſitata a Filio Dei. Videamus tres iſtas viſita-

Diviſio. tiones viſitatas & viſitantes, & omne id quod in illis peragitur, in tribus partibus diſcurſus iſtius.

Glorioſa Virgo Maria viſitata fuit ab Ange-

I. Pars. lo, ſed ab Archangelo, ſed à ſortitudine Dei, *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo David, & nomen Virginis Maria* o. Super quod S. Bernardus p ait, *Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui quâlibet ex cauſâ, crebrâ ſoleant ad terras fungi legatione. Quod & ex eius nomine palam intelligi datur, quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur: & quia non ab alio aliquo fortè excellentiore ſe, ut aſſolet, ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur. Propter hoc poſitum eſt, à Deo, vel ideò dictum eſt, à Deo, ne cui vel beatorum ſpirituum, ſuum Deus antequàm Virgini revelaſſe putetur conſilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele, qui utique tanta inter ſuos inveniri potuerit excellentia, ut tali & nomine dignus haberetur, & nuncio. Angelus verò Fortitudo Dei appellatus eſt, quia huiuſcemodi meruerit prærogativam officij, quo Virginem naturâ pavidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expaveſceret, confortare deberet. Ne timeas (inquiens) Maria: inveniſti gratiam apud Deum.*

(o Luc. 1. 26. &c.)
(p S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt.)

Hic igitur Archangelus Mariam ſalutat gratiâ plenam, *Et ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave gratiâ plena.* Proclamat illam plenam gratiâ, ſed eam non illi communicat: Maria viſitata, ſalutatur *gratia plenâ.* Sed Maria viſitans non ſolùm ſalutat, *Maria intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth:* ſed etiam defert in *utero* ſuo Authorem gratiæ, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* q. *Id eſt, liberatio à peccatis, iuſtificatio generis humani, ſupernaturale donum Spiritus ſancti perficiens animam, eamque Deo acceptam, & ad promerendum idoneam faciens, per Ieſum Chriſtum facta eſt. Chriſtus namque ut Deus, cauſa eſt*

(q Ioan. 1. 17.)

principalis atque efficiens gratiæ huius: ſed ut homo talis, eſt cauſa inſtrumentalis ac meritoria eius, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r. Qui Author gratiæ communicat illam toti domui Zachariæ, præſertim verò Joanni Baptiſtæ, cùm Maria non veniat domum eius, nec ſuſcipiat hanc laborioſam peregrinationem, niſi ut communicet ei gratiam Filii ſui. Filius urgebat Matrem ſuam, & Mater portabat Filium ſuum, ut iret repletum gratia animam Joannis Baptiſtæ. Filius Matri ſuæ indebat deſiderium peregrinationis iſtius aggrediendæ, ſicut videmos quòd infantes in clauſtris adhuc incluſi maternis, deſideria in ſuis cauſant matribus habendæ rei alicuius: ideòque Maria eſt viſitans, & aggreditur hanc itinerationem, ut pergat communicatum gratiam. Ha quàm iucundum eſt viſu eam ſic incedentem! *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis* s! Sponſus Sponſam ſuam laudat propter ipſius inceſſum. Ut quid non publicat decôrem eius, dicens? *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum* t. Quare non magnificantur ab illo *manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis* *, ſicut ſunt ſuæ, non autem eius calceamenta? Auſcultate quid dicat ſuper hoc de Ponte u, & id quod inquit ipſe de Sponſa, aut de anima fideli, applicate & Mariæ, & vobis, Animæ Religioſæ, æquè ac Chriſtianæ, *Meritò à calceamentis laudatur Sponſa, cui indecens eſſet, & indecorum nudis pedibus ambulare. Calceantur autem ex honeſtate & decentiâ, vel etiam ne terram contingant, & inquinentur luto, aut ne lapidibus & ſaxis lædantur, diutiuſque poſſint in labore itineris perdurare: ſic pedes animæ, qui eius affectus ſunt, induere oportet calceamentis ſolidis & pretioſis, nimirum virtutibus moralibus, quæ hos affectus moderantur, præceptis etiam Divinæ Legis, quæ eos cohibent, & Sanctorum qui mortui iam ſunt præclariſſimis exemplis: calceamenta enim ex animalium mortuorum pellibus fieri ſolent. Prætereà, Clemens Alexandrinus refert fœminas olim in calceorum ſoleis habuiſſe formas quaſdam aut notas, quibus terræ imprimerent ſui amoris ſymbola, cùm veſtigia relinquuntur impreſſa; veluti ſi ſigillum ſoleis eſſet affixum: aut in ſuperiori parte aliqua portabant ſigna ſuum amorem atteſtantia*, *ſicut antiquiſſimi Romanorum geſtabant lunas, ut oſtentarent ſui generis antiquitatem: ſic calcei Iuſtorum pulcherrimi ſunt ex huiuſmodi Divini Amoris ſymbolis, quæ in ſe geſtant, nimirum externis ſui abnegationibus, & carnis mortificationibus, aut alijs bonis operibus, quæ ab affectibus, interniſque virtutibus procedunt, & verum Dei indicant amorem. Nam probatio dilectionis exhibitio eſt operis* x: *ac ſi diceret, Stigmata Ieſu etiam in calceamentis porto* y. *De his autem omnibus laudatur Sponſa, cùm dicitur, Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis! Id eſt, quàm pulchri ſunt affectus quibus omnia agis, in virtutibus quæ externis operibus, & pulchris ſanctitatis veſtigijs manifeſtantur. Oportet ergo ſummopere curare, ut amor & odium, ſpes & timor, atque huiuſmodi animi affectus ita ſint virtutibus ornati, Divinis tecti præceptis, & ad Sanctorum exempla efformati, ut rectos ſemper greſſus faciant & profectus.* Idem dicere ergo ſingulis vobis ego poſſum, Animæ Religioſæ, æquè

(r Dion. Carth. art. 3. in Ioan. 1. 17.)
(s Cant. 7. 1.)
(t Cant. 1. 14.)
(* Cant. 5. 14.)
(u De Pont. lib. 9 in Cant. 7. exhort. 10 parag. 2. citans Clement. Alex. lib. 2 Pædag. c. 11.)
(x ex S. Greg. Hom. 30. in Evang.)
(y ex Galat. 6. 17.)

æquè ac Chriſtianæ. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis!* Domum veſtram convenit Maria, ut ſuas communicet vobis prærogativas, æquè ac *intravit in domum Zacharia, & ſalutavit Elizabeth*, ut communicaret ibi gratiam. Et hæc eſt prima communicatio Jeſu, prima manifeſtatio ipſius, & prima exhibitio Divinitatis ipſius agnoſcendæ. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: mediâ charitate conſtravit propter filias Ieruſalem* z. *Ac ſi diceret, Non ſolùm Chriſtus hoc ferculum ſibi fecit* (ſubdit idem de Ponte a, loquens de Virgine Deiparâ) *& tam mirabiliter ornavit propter ſe, ſed etiam propter filias Ieruſalem, tam terrena quàm cœleſtis, ut omnes in charitatem, quæ medium illius occupat, reſpicerent, indeque magnum emolumentum reciperent; ſed maximè propter filias Ieruſalem terrena, qua eſt Eccleſia militans, Deipara hanc ſortita eſt dignitatem. Propter nos, ô beata Virgo, facta es ferculum Chriſti, ſicut ipſe propter nos in te factus eſt homo: propter nos dedit tibi columnas argenteas, fecit reclinatorium aureum, & aſcenſum purpureum; propter nos lapidibus pretioſiſſimis omnium virtutum te conſtravit, & ipſa Charitas increata requievit in utero tuo, ut ex plenitudine donorum tuorum nos etiam ditares; omnia denique tuâ mediâ ſummâ charitate conſtravit, ut ipſe Mediator Dei & hominum* b, *ad ſeipſum te noſtram faceret Mediatricem. Opus* (inquit Bernardus c) *erat Mediatore ad Mediatorem iſtum, nec alter nobis utilior quàm Maria. Hac omnibus omnia facta eſt* d; *ſapientibus, & incipientibus copioſiſſimâ charitate debitricem ſe fecit* e; *omnibus miſericordia ſinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant univerſi* f, *captivus redemptionem, ager curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, Iuſtus gratiam, Angeli lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij perſona carnis humana ſubſtantiam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore eius* g. *Gaudeamus igitur*, proſequitur de Ponte, *& gratias agamus Deo, qui talem nobis Mediatricem benigniſſimâ miſeratione providet, taleque ſibi propter filias Ieruſalem elegit ferculum, quod eum celeriter deferret ad fidelium animas, ut ſanctificaret illas, introducens eum quem tenuit, ut ſuprà* h *diximus, in domum matris ſua, ut filias eius ſuâ præſentiâ charitate inflammaret: in cuius ſignum mox eum detulit, ut ſuum Spiritu ſancto repleret Præcurſorem: & præterea, ut filia Ieruſalem, anima nimirum fragiles & infirma, qua ad Chriſtum Deum & hominem, & omnium Iudicem timerent accedere, confidenter* (ut inquit S. Anſelmus i) *ad Matrem confugerent, & per illam admitterentur in conſpectum Filij, à quo precibus Matris ſua miſericordiam impetrarent, & gratiam. Tandem, Facta eſt propter filias Ieruſalem ferculum Chriſti, ut ab ornatu illius omnes diſcerent quomodo ſe ornare deberent, ut ipſum etiam Chriſtum in ſe dignè ferre valerent. Cuncta enim qua de ipſâ retulimus, exempla ſunt ſanctitatis, qua filiabus Eccleſia imitanda proponuntur. Hinc* (ait S. Ambroſius) *ſumatis licet exempla vivendi: ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt* k. *Diſce à Virgine columnas in te argenteas maiori, quâ potueris, puritate erigere: diſce intra cor tuum tranquillum Chriſto reclinatorium aureum præparare: diſce etiam diſponere in corde tuo aſcenſum purpureum, per omnes patientiæ gradus, ut dignus habearis, in quo charitas, qua Chriſtus eſt* l, *libenter quieſcat in ſæcula ſæculorum.*

z Cant. 3. 9 & 10.
a Ludov. de Ponte lib. 4. in Cant. 3. 10 exhort. 31. parag. 1.
b ex 1. Timot. 2. 5.
c ex S. Bern. ſerm. de Verb. Apoc. 12. 1 Signum magnum, &c.
d ex 1. Cor. 9. 22.
e ex Rom. 1. 14.
f ex Ioan. 1. 6.
g ex Pſ. 18. 7.
h Lib. 6. in Cant. 14. exhort. 9. par. 1. & 6.
i ex S. Anſel. lib. de Excellent. Virg. c. 6.
k S. Ambr. lib. 2. de Virginib. in princ.
l ex 1. Ioan. 4. 16.

Prima viſitatio Verbi in carne noſtra, exhibita eſt B. Virgini, in qua idem *Verbum caro factum eſt* m. Secunda viſitatio Verbi incarnati, fit Joanni Baptiſtæ per Mariam: ſicut enim altiſſima, ſanctiſſima, & Diviniſſima communicatio Dei extra Deum, fit Verbo unito carni noſtræ in myſterio Incarnationis, & omnes aliæ emanationes naturæ & gratiæ fiunt interventu Verbi, *Omnia per ipſum facta ſunt* n: ſic omnes profuſiones gratiæ, & univerſæ communicationes hominis Dei, fiunt in illa, aut per illam animabus noſtris: per illam enim, æquè ac in illa ipſe dignatur *illuminare hos qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis* o, juxta prophetiam Zachariæ patris eiuſdem Joannis Baptiſtæ, ipſe qui eſt *Lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* p. Et dat nobis ſanctum Spiritum ſuum. Propterea de Ponte q ſuper hæc verba Canticorum, ubi Sponſa dicit, loquens de Sponſo ſuo, *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris mea, & in cubiculum genitricis mea*, ait, *Hac verba ſonant ſtabile Deipara propoſitum non dimittendi Filium donec eum ſpiritualiter introducat in mundum & Synagogam, atque in mentes & corda hominum per veram fidem & cognitionem, ardentemque amorem. Hac enim ſunt ſpirituales domus* r, *templa Dei vivi* s, *ac cubicula, in qua Chriſtus introduci cupit, ut habitet in eis per fidem charitate indicatam. Beatiſſima autem Virgo electa eſt in Matrem eius, non tantùm ut illum corporaliter pareret, Synagogaque ac mundo exhiberet viſibiliter præſentem; ſed etiam ut ſpiritualiter eum introduceret in eorum mentes, ita quòd eum ut verum Meſſiam fide reciperent, amarent, colerent, eique ſervirent, & propter hoc ait, Non dimittam donec introducam in fratres meos filios Synagoga, ut eum teneant eo modo, quo ego teneo. Hoc potiſſimum eius deſiderium & munus à Deo ſibi iniunctum nonnulla præclariſſimis exemplis declarant Evangeliſta, dum infantiam narrant Salvatoris. Etenim vix Chriſtum in utero conceperat, cùm poſt Angeli diſceſſum ſubdit S. Lucas: Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda, & intravit in domum Zacharia. Quò abis, ô Virgo puriſſima in montana? cur exurgis & relinquis quietem domus tua? cur ita properas, & intras in domum Zacharia, baiulans in utero quem diligit anima tua? Propero, ut Dilectum quem invêni, celeriter introducam in domum matris mea, inter cognatos meos ſecundùm carnem, ut per fidem & gratiam in ſpiritum prophetia introducam eum in Ioannem Baptiſtam, & novo modo in parentes eius. Charitas enim Chriſti urget me* *, *ut non ſolùm illum mihi velim, ſed alijs, quia nec tantùm pro me invêni, & accepi, ſed pro reliquis. Vnde tunc Virginis ope impleri cœpit vaticinium illud de Chriſto; Inventus ſum à non quærentibus me: palàm apparui ijs, qui me non interrogabant* t. *Non enim quærebat Baptiſta Salvatorem, quem tunc invênit. Zacharias autem & Elizabeth, etſi adventum eius deſiderabant, & quærebant, nondum tamen inveniebant: invenerunt autem per Deiparam eum ad eos deferentem, qui tanti myſterij iam peracti mirabilem eis tribuit revelationem.*

m Ioan. 1. 14.
n Ioan. 1. 3.
o Luc. 1. 79.
p Ioan. 1. 9.
q Pont. lib. 4. in Cant. 4. exhort. 9. parag. 4.
r ex 1. Petr. 2. 5 & ex Hebr. 3. 6.
s ex 2. Cor. 6. 16.
* ex 2. Cor. 5. 14.
t Rom. 10. 20. ex Iſai. 65. 1.

Hæc viſitatio Filii Dei per Matrem ſuam in favorem Joannis Baptiſtæ, facit tria quæ S. Paulus a obſervat in œconomiâ prædeſtinationis, *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iuſtificavit: quos autem iuſtificavit, illos & glorificavit.* Primum, eſt vocatio. Ha qualis vocatio; *Et ſalutavit Elizabeth.* Ipſa erat vox quæ vocabat Joannem Baptiſtam à ſtatu peccati originalis in quo erat, ad ſtatum gratiæ. Joannes Baptiſta audit iſtam vocem, *Vt audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in in utero eius.* Medici dicunt, quòd infantes in utero matrum ſuarum habent faciem ſuam converſam verſùs dorſum: Joannes Baptiſta ſe convertit ad vocem Mariæ. Hoc eſt primum mirabile, quod operatur vocatio Jeſu per Mariam viſitantem. Secundum, eſt iuſtificatio: *Et quos vocavit, hos & iuſtificavit.* Illum iuſtificat, eum ſanctificat à peccato, in quo conceptus fuerat, æquè ac cæteri filii Adæ, *In quo omnes peccaverunt* x. *Et eramus naturâ filij iræ, ſicut & cæteri* y. Reddit illum filium cœli, è filio gehennæ facit illum maximum natorum è mulieribus, ſicut ipſe deinceps dixit, *Amen dico vobis, Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ* z. Et hoc per infuſionem gratiæ, & totum per Mariam. Tertium mirabile, eſt glorificatio: *Quos autem iuſtificavit, illos & glorificavit.* Glorificatio dicit gaudium, æquè ac viſionem: *Hæc eſt autem vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum,* ait apud S. Joannem Evangeliſtam a idem Salvator Patri ſuo; *id eſt, in clara & fruitiva aſſectu Patris, & Filij, ſecundùm eius Divinitatem, haud dubium quin & Spiritus ſancti, beatitudo omnis mentis creatæ eſſentialiter ſita eſt. Trinitas namque ſuperbenedicta eſt unum beatificum obiectum omnium Beatorum: in cognitione autem Chriſti ſecundùm ipſius humanitatem, beatitudo conſiſtit, quantùm ad præmium accidentale, & ex conſequenti, vel ſecundariò. Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directe, ita quòd contemplatio ſummæ ac primæ Veritatis clara, & immediata, eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa fœlicitas: tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adiunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus b. Joannes Baptiſta glorificatur: & hoc eſt quod ait mater eius, quam idem Dionyſius Carthuſianus c ſic loqui facit Mariæ poſt S. Lucam, *Ecce enim, O Maria, ut facta eſt, hoc eſt, audita vox ſalutationis tuæ, quâ me tam charitativè atque humiliter ſalutaſti, in auribus meis, id eſt, ſtatim exultavit in gaudio, formaliter, ſive cauſaliter infans in utero meo, ita quòd illa exultatio fuit gaudium, vel exultatio ad corpus per redundantiam pertinens, ex mentis gaudio naſcebatur. Itaque Ioannes Sponſi amicus de Sponſi gaudebat præſentiâ, ſecundùm quod ipſe poſteà ore tenus fatebatur. Amicus Sponſi qui ſtat, & audit vocem eius, gaudio gaudet propter vocem Sponſi* d. *Propter quod ait S. Ambroſius, Ioannes exultavit ratione myſterij, utpote quoniam Vnigenitum Dei iam novit incarnatum, veraciterque præſentem: ex quo evidens reor, quod & Ioannes interiori auditu internam Chriſti allocutionem, ſeu illuſtrationem advertit. Dicit ergo Gorra hoc loco, Ecce quanta virtutis eſt beatæ Virginis ſalutatio, quæ confert gaudium, confert & Spiritum ſanctum, confert revelationem Divinorum ſecretorum, confert & prophetiæ actum: verùm intelligendum eſt hoc de collatione per modum cauſæ meritoriæ. Maria enim tam ardenter & humiliter ſalutando cognatam, præfata bona meruit ei quodammodo. Inſuper, Sicut & Beda fatetur, certum eſt, quòd nonniſi Spiritu ſancto Elizabeth novit, quòd Maria eſſet iam Mater Chriſti effecta, ab Angelo ſalutata, eiuſque verbis crediderit, quòd item exultatio Ioannis eſſet ob Chriſti corporalem præſentiam. Hinc ei Elizabeth addidit, Et beata quæ credidiſti. concordat quod ait Salvator, Beati qui non viderunt, & crediderunt* e. *Porro Gregorius ſuper Ezechielem, Simul, inquit, de præterito & præſenti ac futuro per prophetiæ ſpiritum tacta eſt Eliſabeth, quæ beatam Mariam promiſſionibus Angeli credidiſſe cognovit, & Matrem nominans, quæ Redemptorem in utero portaret, intellexit, & cùm omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro ſequeretur prædixit. Itaque cognitio fidei eſt inchoatio quædam cognitionis beatæ in patriâ: ipſum quoque credere ex charitate meritorium eſt beatitudinis conſummatæ, & ad illam ſe habens ſicut meritum ad præmium. Denique, Sicut aperta viſio, eſt fœlicitas patriæ; ſic cognitio fidei, beatitudo eſt viæ. Beatitudo enim viæ eſt imperfecta, & diſpoſitio ad perfectam patriæ fœlicitatem.* Joannes Baptiſta ad vocem Mariæ ſe convertit ad videndum Jeſum, illum videt, eo fruitur, & aliquo modo glorificatur. Obſervate autem, quòd Jeſus Infans operatur hæc omnia mirabilia cum infante: ſicut Vir prædicat hominibus virilis ætatis †; ſicut moriens ſuper monte Calvariâ, convertit virum agonem extremum vitæ agentem *: ſed hîc Infans operatur hæc mirabilia cum infante. Videte quomodo Maria viſitans, eſt *Virgo admirabilis, Virgo ſingularis.* Ha ſi digni eſſemus iſtâ viſitatione, quàm immodica eſſet noſtra fœlicitas! Inducamus hanc bonam Dominam obſequiis noſtris ut nobis iſtum favorem tribuat: ipſa erit origo noſtræ fœlicitatis, cùm ad nos ſit Jeſum deductura, & gratiis nos cumulatura.

Maria non ſolùm viſitata eſt ab Angelo, qui publicavit ipſam *gratiâ* plenam: ſed etiam à Spiritu ſancto, qui deſcendit ſuper eam, & reddidit illam fœcundam, *Et reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Id eſt, modo abundantiori quàm in alios Juſtos Spiritus ſanctus fuit verus eius Sponſus. Duos habebat B. Virgo Sponſos, unum interiorem, & alterum exteriorem. Habebat Sponſum exteriorem inter moleſtias quas ipſa ſuſtinere debebat, incommoda, faſtidia itinerationis f, in quibus indigebat ipſa auxilio, & hic Sponſus exterior, erat S. Joſeph, *Cùm eſſet deſponſata Maria Ioſeph* g. Sed Sponſus eius interior, erat Spiritus ſanctus, *Inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto* h. Non me latet, quòd bonæ animæ ſunt Sponſæ Spiritus ſancti, ſed non ſicut B. Virgo, *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus: una eſt columba mea, perfecta mea* i. Id eſt, *Vna eſt columba, & una perfecta ex plenitudine gratiæ, ſanctitatis ac perfectionis quam obtinuit, ad quam nullus ſanctorum potuit pervenire. Nam etſi plures dicantur pleni gratiâ, & repleti Spiritu ſancto, quia totam gratiarum habuerunt plenitudinem, quam co-*

a Rom. 8. 30.

x Rom. 5. 12.

y Epheſ. 2. 3.

z Matth. 11. 11.

a Ioan. 17. 3.

b Dion. Carth. art. 41. in Ioã. 17. 3.

c Idem art. 3 in Luc. 1. 44. & 45.

d ex Ioan. 3. 29.

e Ioan. 20. 29.

† Matth. 4. 17. & c. 5. & ſeqq.

* Luc. 23. 40. &c.

f Matth. 1. 14.

g Matth. 1. 18.

h Ibid.

i Cant. 6. 7. & 8.

eorum munus, ſtatum, & electio exigebat, tamen in hoc Deipara incomparabiliter omnes antecellit, ſicut dignitas Matris Dei alias ſuperabat, ait de Ponte k poſt S. Thomâ. Sicut igitur ipſa viſitatur, viſitatur à Spiritu ſancto, qui operatur in ipſâ, & reddit ipſam fœcundam Verbo incarnato: ſed ſicut ipſa eſt viſitans, ipſa non ſuſcipit ipſum, ſed ipſum producit in Joanne Baptiſtâ: poſt infuſionem, ipſa facit illius effuſionem: *Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto, & prophetavit, dicens, Benedictus Dominus Deus Iſraël.* Et per B. Virginem fit iſta productio. In Divinitate Pater æternus producit Filium ſuum l: Pater & Filius in unitate principij ſpirant *Spiritum* in ſanctum. In hâc viſitatione Jeſus qui erat principium Spiritus ſancti in cœlo cum Patre ſuo, eſt principium illius cum Virgine, qui ambo producunt illum in Joanne Baptiſta, Elizabeth, & Zacharia: & ſic mediâ iſtâ infuſione, *major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptiſta nemo eſt* n. Et ideò S. Joannes o Evangeliſta non vocat eum infantem, ſed hominem, *Fuit homo miſſus à Deo.* Loquens enim de Incarnatione antequàm ad eam perveniat, poſtquàm dixit æternam Verbi generationem, *In principio erat Verbum*, &c. interrumpit diſcurſum ſuum, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes*, &c. *Et Verbum caro factum eſt*, &c. Quàm ſingulares ſunt magnitudines Joannis Baptiſtæ! & quàm devinctus eſt Jeſu per Mariam viſitantem!

k De Pont. lib. 5. in Cant. 6. &. exhort. 1. parag. 4. ex S. Thô. 3. p. q. 27. a. 1. & q. 7. a. 10. ad 1.
l Pſ. 2. 7.
m Ioan. 15. 26.
n Luc. 7. 27.
o Ioan. 1. 1. &c.

XII. Pars.

Maria non ſolùm viſitata eſt ab Angelo, ab Archangelo; à Spiritu ſancto; ſed etiam à Filio Dei ſumente carnem humanam *in utero* ipſius. Viſitatio Spiritus ſancti præceſſit viſitationem Filij Dei, cùm B. Virgo præparata fuerit à Spiritu ſancto, qui diſpoſuit domum Filio Dei, ſinum B. Virginis, in quem ſuſcipiendus erat Dei Filius per Incarnationem, quæ eſt viſitatio, *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit*, &c. *Et reſpondens Angelus, dixit ei, Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Spiritus ſanctus non eſt prima virtus Altiſſimi: Pater eſt Altiſſimus: eſt enim primus origine in Divinitate: poſteà producit Filium ſuum, qui eſt ante Spiritum ſanctum, id eſt, prioritate originis: Filius igitur eſt, *Virtus Altiſſimi.* Iſte Filius igitur (dicit Gabriel B. Virgini) tibi faciet umbram: cùm calore æſtuamus, umbra nos refrigerat, in eâ quietem reperimus, voluptatem, recreationem, virium que reparationem: ſic B. Virgo invenit in Filio ſuo quietem, ſatisfactionem, refrigeriumque ſanctis ardoribus ſuis. Hæc viſitatio Filij Dei exhibita Mariæ, conſtituit ipſam creaturarum omnium primam. *Et ait Maria: Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc viſitatio eſt ipſi proficua, & eſt origo omnium magnitudinum ipſius, in tempore, & pro æternitate. Sed cùm ipſa eſt viſitans, hæc viſitatio eſt perutilis toti domui Zachariæ. Zacharias recuperat loquelam, Elizabeth prophetizat, Joannes Baptiſta exultat, & purgatur à culpâ originali, quæ eſt cauſa diviſionis *inter homines & Deum* p. Hæc viſitatio eſt etiam accommoda ipſi Jeſu, ita ut aliquo modo nobis liceat uſurpare hæc verba, quæ Archangelus dicit B. Virgini de Filio Dei reſpectu ipſius, *Obumbrabit tibi*, de B. Virgine in favorem ejuſdem Filij, *Obumbrabit tibi.* Ipſa ſervit ei loco umbræ, illum tuetur, eum protegit, hic ſuam capeſſit in ipſa quietem, & ſatisfactionem. Umbra eſt & procedit à corpore, minor eſt corpore, nihil eſt, evaneſcit, eſt defectus luminis. Depreſſio Jeſu! annihilatio Jeſu per Incarnationem! *Semetipſum exinanivit* q. Videtur deſinere eſſe, ipſe eſt quaſi non ſit. Umbra fuit initium picturæ: pictores videntes umbram corporis ſuper terra, inceperunt picturam in ipſa: per umbram habemus notitiam Jeſu Chriſti. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* r. Et, *Homo natus de muliere, fugit velut umbra* s. Depreſſio Verbi incarnati! Non eſt ipſum ferè ampliùs, prout *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* t, *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus* u in gloria cœli; ſed eſt velut in defectu ſuper terra: ſed ſtatim ac Maria eſt viſitans, Filius ipſius efficitur magnus, *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.* Filius ipſius apparet præ ſplendore, & manifeſtat Divinam potentiam ſuam: ſic iſta dies, eſt epiphania: *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam: & intrantes domum, invenerunt Puerum cum Mariâ Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum* x. Hic autem Joannes infans, Zacharias & Elizabeth parentes ejus ipſum agnoſcunt. Ieſus *magnus* y, Jeſus *parvulus* z. Jeſus *excelſus* a, Jeſus humiliatus, *Humiliavit ſemetipſum* b. *Obumbrabit tibi.*

p Iſai. 59. 2.
q Philipp. 2. 7.
r Ibid.
s Iob 14. 2. & 8.
t Ioan. 1. 18.
u Hebr. 1. 3.
x Matth. 2. 1. &c.
y Baruch 3. 25.
z Iſai. 9. 6.
a Baruch 3. 25.
b Philip. 2. 8.

Qualis eſt veſtra fœlicitas, Dominæ meæ! cùm deferatis nomen Filiarum Viſitationis, & ſitis filiæ B. Virginis. Hæc ſunt verba ſynonyma. Deus diverſos habuit ſtatus, & in cœlo, & ſuper terrâ. In ſingulis agnoſci voluit ab Angelis, Archangelis, &c. In cœlo à Seraphinis c qui exprimunt ardores ipſius, à Cherubinis d qui repræſentant cognitiones ipſius, à Thronis e quibus inſidet tanquam Judex. Super terrâ ſimiliter diverſi ſunt ipſius ſtatus: Ordo Seraphici S. Franciſci habuit ipſius paupertatem: Religio S. Dominici ſeu Prædicatorum, ipſius eloquentiam: aliæ ſunt Inſtituta, ut Compaſſionis B. Virginis ſtantis *juxta crucem* f, Filiarum Paſſionis: ſed nulla eſt Religio ſicut veſtra, Viſitationis, quæ eſt prima manifeſtatio Filij Dei per Mariam; quæ viſitatio fuit ſic proficua, & viſitatæ in ipſa, & viſitans in tuitu domus Zachariæ. Eſtote imagines hujus viſitationis: cùm ſitis Filiæ Viſitationis, id eſt, filiæ Virginis viſitatæ & viſitantis, producite eoſdem effectus. S. Pater veſter mirabiliter fuit inſpiratus per hoc nomen Viſitationis, quæ eſt epiphania interior & ſpiritualis: domus veſtræ ſunt expreſſiones domus Zachariæ, ſicut Ordo veſter defert titulum Viſitationis: ibi exultat *infans, & Spiritu ſancto Elizabeth* repletur; Maria benedicit utrique, & Jeſus & Maria ibi manent. Iſtæ quatuor perſonæ vobis ſervire debent ut quatuor diſpoſitiones excellentes (quas vocare poteſtis Cardinales) & præcipuæ profeſſionis veſtræ. Parvus Joannes, qui fuit nihilum præ oculis ſuis g. & vocatus *Magnus coram Domino*; & quo *non ſurrexit inter natos mulierum major* h: magnus, cùm meretur ferre manum ſuper caput Salvatoris: in fluvio Jordane, eum baptizando i; parvus, ut diſcipulus Salvatoris: magnus, cùm credatur Meſſias, & fiant ad eum legationes k; & parvus, cùm non ſit niſi *vox* k Sermonis Patris, *illum oportet creſcere, me autem minui* l: ſic Joannes eſt in ſolſtitio æſtatis, & Jeſus in ſolſtitio hyemis; Joannes ut dies incipiunt decreſcere, & Jeſus ut incipiunt creſcere: debetis imitari Joannem, & humilitatem ejus: tota cura veſtra debet eſſe ad deprimendas vos, & ad exaltandum Jeſum Chriſtum in vobis, & per vos. Imitamini ſimplicitatem Elizabeth. *Ex abundantiâ cordis, os loquitur* m ipſius, & è plenitudine Spiritus ſancti, *Reple-*

c Iſai 6. 2. & 6.
d Pſ. 79. 2.
e Pſ. 98.
f Ioan. 19. 25.
g Matth. 3. 11.
h Matth. 11. 11.
i Matth. 3. 16.
k Ioan. 1. 23. ex Iſai. 40. 3.
l Ioan. 3. 30.
m Matth. 12. 34. & Luc. 6. 45.

Repleta Spiritu ſancto. Et ſermones ipſius non ſunt, niſi de Jeſu & de Mariâ, ſicut debent eſſe veſtri. Unitore vos obſequijs quæ Joannes *in utero* matris ſuæ exhibet Jeſu Chriſto, celebrate magnitudines B. Virginis, ſicut Elizabeth: Maria reddet vos participes ſuæ puritatis Angelicæ: ipſa eſt enim vivacillis imago: ut Filiæ S. Mariæ, imitamini eam: Jeſus recenter conceptus, vobis inſpirabit amorem ſuum, erepto vobis originali ſcelere n, & inſitmato fomite peccati o in vobis, vos mundabit *ab omnibus inquinamentis veſtris* p mortalibus, & venialibus; vos faciet exultare *in gaudio*, viſitatione ſuâ & præſentiâ ſua. Si imitemini quatuor iſtas perſonas, ſi vos honoret viſitatio B. Virginis, ipſa vos cumulabit omnibus bonis; & ſi eam reveteamini, per eam vobis *gratiam, & gloriam dabit Dominus* q.

n Joan. 3. 5. — o Rom. 7. 20. — p Ezech. 36. 25. — q Pſ. 83. 12.

In Feſto S. Annæ Matris B. V. Mariæ.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7. 16.

CUm è fructibus, ſecundùm veritatem Evangelicam, habeatur notitia & feratur judicium de bonitate arboris, quæ ipſos produxit, locuturus vobis de glorioſa S. Anna die iſtâ auguſtâ ſolemnitatis ipſius, non poſſum meliùs illius excellentiam vobis manifeſtare, quàm vobis oſtendendo fructus admirabiles quos ipſa produxit. Quòd ſi ordinariè magnis gaudijs quæ præceſſerunt, ſuccedunt faſtidia & moleſtiæ, quæ ipſa comitantur, *Extrema gaudii luctus occupat* a: ratione contrariorum, moleſtijs præteritis perſæpè ſociantur ſatisfactiones & gaudia quæ ipſis ſuccedunt, *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis*, ait Tobias b, Deum alloquens. Quænam major moleſtia noſtræ Sanctæ quàm ipſius infœcunditas per viginti annos in Matrimonio, tempeſtate, & in Lege c quæ condemnabant ſterilitatem veluti conſciam magni alicujus criminis? ſed quodnam majus gaudium huic ſanctæ mulieri ad dulcia nuntia quæ ipſa ſuſcipit ex ore Angeli, interventu viri ſui S. Joachim, cui Angelus hic apparuit, quòd ipſa portatura foret theſaurum totius naturæ ditiſſimum, quòd eſſet ipſa paritura filiam, quæ foret tota felicitas mundi, cùm hæc datura eſſet ei Reparatorem ſuum concipiendo *in utero, & pariendo Filium* d Patris æterni? *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus: quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit* e *Chriſtus*, ait S. Epiphanius f. Id eſt, poſt hæc verba, *Ave Maria.*

Solicitus eſt Salomon g de invenienda muliere forti, muliere magnæ virtutis, muliere quæ ſit ultra ſexum, cùm nihil habeat niſi infirmum & depreſſum, eò quòd mulier ſit imago infirmitatis & inconſtantiæ, *Mulier à mollitie tanquam mollier detractâ literâ, vel mutatâ appellata eſt mulier*, ait S. Iſidorus h. Sic, ut dicatur homo puſillanimus, uocatur mulier, effœminatus; ſicut è contrà ad laudandam mulierem fortem, dicimus quòd ipſa habet animum virilem. Sed ubinam reperiemus mulierem hujuſmodi? Salomon, magnus iſte vir, & ſapientiſſimus omnium illorum qui ipſum præceſſerunt, ſicut ipſumet ait, *Locutus ſum in corde meo, dicens, Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Jeruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici* i: inter omnia lumina, quibus mens ipſius erat illuſtrata, inter omnes cognitiones quas habebat, & experientias quas fecerat ſexus iſtius k, proteſtatur quòd peregrè proficiſcendum ſit, ad hoc ut mulier fortis inveniatur: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Ipſa, eſt theſaurus abſconditus, qui nonniſi vix reperitur; ipſa, eſt phœnix, quem vix integra ſecula nobis producunt: nihil pretioſius, ſed etiam nihil rarius, & difficilius inventu. Verum eſt, magne vir, quòd peregrè ſit eundum, ad hoc ut inveniatur hæc mulier fortis, cujus ideas concepiſti, & quam propoſui Auditoribus iſtis exhibere cognoſcendam: quære igitur à principio mundi, ſume lampadem præ manu, & pro certo non invenies illam ſæculis quæ te præceſſerunt, in tota Lege naturæ; progredere, examina Legem ſcriptam, conſidera cum attentione omne id quod in utraque peractum eſt, & ibi reperies quidem magnas Dominas, Saras l, Rebeccas m, Lias n, Racheles o, Jaheles p, Deboras q, Abigailes r, Thecuitides s, Bethſabees t, Judithas u, Eſtheres x, & multas alias, inter quas eſt Anna mater Samuelis Prophetæ, *Concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eò quòd à Domino poſtulaſſet eum* y. Sed totum iſtud, non eſt hoc quod quæro, *Procul & de ultimis finibus pretium ejus* z. Omnes illæ Dominæ, quantùmvis ſint ipſæ conſummatæ, non ſunt niſi umbræ, quæ concurrant ad meliùs extollendum ſplendorem virtutum heroicarum mulieris iſtius incomparabilis, de qua vobis ſum locuturus. Omnes eximiæ qualitates illarum, non ſunt niſi delineationes tabellæ, quam facere volo vobis illius. A principio creationis mundi veniamus ad extrema Legis ſcriptæ, & ferè ad principium Legis gratiæ, & inveniemus ibi hanc *mulierem fortem*, quam Salomon præ tantâ petit anxietate, & quam nos quærimus præ diligentiâ ſic ingenti. En, Auditores, hæc mulier fortis; ipſa, eſt S. Anna, mulier verè fortis, & prædita virtute tali, qualem Salomon deſcribit in Proverbijs ſuis, & qualem deſiderare poſſumus. Ipſa, eſt theſaurus rarus, ad productionem cujus oportuit, ut omnia ſæcula quæ præceſſerunt, concurrerint, ut redderent illam æquè perfectam ac videbitis, & ego ſum vobis eam repræſentaturus. Sed cùm, ſicut in principio diſcurſus iſtius jam dixi vobis, nunquam meliùs cognoſcatur arbor, quàm ex excellentiâ fructus ipſius, judicemus de eo quod valet Sancta noſtra, ex excellentia & perfectione fructuum quos ipſa produxit. Duo genera fructuum in ea conſtituo. Alij ipſius fructus ſunt ipſi proprij. Alij fructus ipſius ſunt nobis communes. Primi generis ſunt fructus mentis & voluntatis ipſius, qui ſunt ipſius virtutes, & glorioſæ actiones quas fecit. Secundi generis eſt fructus ventris ipſius, qui eſt B. Virgo Maria, communis nobis omnibus per ipſius bonitatem. Videamus iſtorum fructuum valorem in duabus primis partibus iſtius diſcurſus, ut ex his concludamus in tertia quanti debeamus æſtimare arborem, quæ produxit illos.

a Prov. 14. 13. — b Tob. 3. 22. — c 1. Reg. 1. 6. — d Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14. — e ex Pſ. 18. 6. — f S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. — g Prov. 31. 10. — h S. Iſid. lib. 11. Orig. c. 2. — i Eccl. 1. 16. — k 3. Reg. 11. 1. &c. — l Gen. 23. 1. &c. — m Gen. 25. 20. &c. — n Gen. 29. 32. &c. — o Gen. 30. 21. &c. — p Judic. 4. 18. &c. — q Judic. 5. 1. &c. — r 1. Reg. 25. 18. &c. — s 2. Reg. 14. 4. &c. — t 3. Reg. 1. 19. &c. — u Judith. 11. 9. & 10. — x Eſth. 15. 4. &c. — y 1. Reg. 1. 20. — z Prov. 31. 10.

Diviſio. — 1. Pars.

Non

Non me latet, quòd hæc quæſtio fuit aliàs agitata inter magnos Philoſophos, Num virtutes mulierum in occaſionibus laudandæ forent & publicandæ. Plutarchus propoſuit, quòd nullo modo deberent ſciri virtutes, & vita mulierum, & quòd ipſe æſtimabat eam virtuoſiorem, & excellentiorem, cujus non ſciebatur bonum, nec malum, & cujus ignorabantur æqualiter virtus & vitium. Sed, ut verum fatear, iſtud eſt obeſſe mulieribus virtuoſis, ad nimis adulandum & parcendum imperfectis. Alius meliùs opinatus eſt, meâ quidem ſententiâ, contendens, quòd pulchritudò mulieris debebat quidem eſſe operta, ſed quòd unuſquiſque debebat habere notitiam virtutis ejus. Ego ſto è partibus iſtius Philoſophi, & ſubſcribo ſententiæ ejus, quippe quæ favorabilior eſt virtuti, eò vel maximæ quòd & idem ſentiat Salomon in præfatos Proverbijs a, ubi conſulit hominibus ut publicent mulierem ſapientem propter heroicas ipſius virtutes, quarum panegyrim texant in illius favorem, *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Atqui dico quòd ſi unquam fuit aliqua mulier quæ dignis deberet laudibus honorari, hæc, eſt præſertim S. Anna, cujus celebramus hodiernâ die feſtivitatem, cùm Deus ditaverit illam univerſitate omnium virtutum, ut redderet illam dignam matrem illius, quæ debebat eſſe Genitrix Filij ipſius *ubi plenitudo temporis* b veniret.

a Prov. 31. 31.

b Gal. 4. 4.

Non eſt meum conſilium loquendi vobis in ſpeciali de omnibus virtutibus S. Annæ, cùm conſcius efficerer criminis, eò quòd illas in diſcurſu ſic abbreviato vellem comprehendere. Taceo illas, quas ipſa exercebat in interiori ſuo, quæ non ſunt cognitæ niſi Deo, ut non diſſeram vobis niſi de illis quæ parent ad extrà in conditione Matrimonij, cui ipſa erat alligata. Super quod obſervare debetis opera, quæ mulierem conjugatam reddunt vehementer illuſtrem. Antiqui ea figuraverunt in communi picturâ, quò ſi qualitates omnes, quas ipſa debet habere, concurrant, proculdubio nullum tribunal erit, nec ulla porta, nec nullum judicium, ubi non decernatur ſententiâ publicâ, ut ipſa laudetur. Figura, talis erat: Mulier habens jugum in collo, præ hac inſcriptione, *Tacita*: colum præ manu, cum iſto ſcripto, *Laborioſa*: candelam accenſam ad latus ſuum, cum iſta Scriptura, *Fidelis*: cingulum in pectore, cum eſſato iſtius naturæ, *Caſta*: compedes in pedibus, cum iſto dicto, *Quieta*. Quòd ſi attribuuntur hæc pulchra epitheta, & iſti utili excellentes mulieri honeſtæ, & quæ ex ſe & propter merita ſua laudabilis eſt: quantò potiori ratione convenire poſſunt & appropriari S. Annæ, prout dignæ majoribus elogijs? Nam primò ſi attentè obſervemus jugum Matrimonij, ipſa tulit illud hilariter cum magna humilitate, & perfecta ſubjectione, nedum daret unquam genus ullum moleſtiæ S. Joachim viro ſuo, cùm in hoc ſtatu ſocietatis ambo viverent in perfecta pace, & in unione Angelicâ. Sicè ſanctitate iſtius Matrimonij naſcitura erat filia perfectiſſima omnium, quæ unquam fuerunt, & quæ erunt ſæculis futuris in tota natura.

Prima excellentia igitur, quæ mulierem ſapientem conitari debet, eſt, quòd ipſa diſcreta ſit ad loquendum, *Tacita*. Et Eccleſiaſticus c teſtimonium perhibens fæminæ virtuoſæ, & prudentia præditæ, ait, *Mulier ſenſata, tacita.* S. Anna fuit re vera prædita omni genere virtutum eximiarum, ſed ipſius maxima patientia, præcipuè manifeſtat ipſius excellentiam ſingularem. Relinquo continuas orationes ejus, nihil dico de bonis operibus ejus præſertim verò de eleemoſynis illius, cùm ipſa & vir ſuus bona ſua diſtribuerent in tres portiones, quarum primam impendebant in familiam ſuam, ſecundam erogabant in templum & in miniſtros illius, tertiam verò largiebantur pauperibus; ſolam facio mentionem raræ patientiæ ipſius, quæ ſic vehementer emicuit, ut ipſa plus meruerit unico inſtanti quandiu ipſa fuit in praxi virtutis iſtius inſignis, quàm toto tempore, quo continuis incubuit ipſa orationibus, eleemoſynis, & alijs bonis operibus: ipſa enim patiebatur id, quod ipſa ſola poteſt explicare videns pudorem quo ipſa ſuffundebatur, ſicut & vir ſuus, eò quòd eſſent ſteriles, quod erat nota infamiæ, & velut effectus maledictionis tempore illo quo expectabatur Meſſias promiſſus in Scriptura d. Interim S. Anna patienter ſuſtinet hanc ſterilitatem præ ſilentio, nedum erumpat in querelas & murmurationes, ſicut agunt mulieres impatientes, *Tacita*, ipſa patientiam habet: ſed hæc virtus non erit ſine fructu: nam Deus qui deſtinat eam ad res magnas, intuitus moleſtiam ejus, mittit Angelum ad eam conſolandam, & ſpem illi tribuit, quòd eſt ipſa portatura filiam excellentiſſimam omnium creaturarum.

c Eccl. 26. 17.

d Gen. 49. 18.

Secunda excellentia mulieris virtuoſæ, eſt ut ſit *Laborioſa*. Propterea pingebatur habens colum præ manu: & Salomon e loquens de muliere forti, qualem deſcribimus eam in perſona S. Annæ, non obliviſcitur imponere digitis ejus fuſum inter vel ipſum exercitium maximæ fortitudinis ipſius, *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Et maxima occupatio Deboræ, iſtius magnæ Dominæ, quæ ſervivit loco Judicis & Ducis populo Iſraëlitico (*Erat autem Debora Propheteſſa uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore* f) ſita erat in nendo xylo ad facienda ellychnia candelabro Sanctuarii, *Expoſito eſt ipſius Raſchi, aliorumque Rabbinorum, fuiſſe fœminam lampadum id eſt, arte lychnopæam, quæ ad ſacrarum lucernarum uſum lychnos conficeret*, ait Serarius g, eruendo hoc nomen è textu præfato, *uxor Lapidoth. Et Lapidoth, fulgores ac lampades.* Sicut colus iſtius incomparabilis Dominæ, ſociaretur ipſius gladio: quod eſt contra praxes & maximas Matronarum ſeculi noſtri, quæ ſunt indignæ ut ferant enſem, quia dedignantur tractare fuſum: ipſæ nunquam quid aggrediuntur magnum, quia contemnunt vel ipſas res, quæ propriæ ſunt ipſarum ſexui, & iſtud ipſæ faciunt otio criminoſo, quod mulieres virtuoſæ, more S. Annæ, fugiunt: *Laborioſa*, ipſa nunquam fuit otioſa: ipſa laboravit ſemper labore honeſto, & decente conditionem ſuam, docens B. Virginem filiam ſuam nere, & texere: *Manum ſuam miſit, &c.*

e Prov. 31. 19.

f Iudic. 4. 4.

g Serar. quæſt. 1. in Iudic. 4. 4.

Tertia excellentia mulieris ſapientis, eſt, ut ſit *Fidelis*. Propterea ponebatur lucerna ad latus ipſius è regione cordis, quia cor mulieris conjugatæ vehementer emicat fidelitate ſua: ſicut è contrà cor mulieris infidelis eſt tenebroſum, & privatum claritate, *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur*

opera

antur opera eius h. Nihil fidelius Sancta noſtra, nihil illuminatius & illuminantius ipſa, & ſi perſonæ coniugatæ vellent eam imitari in Matrimonio, procul dubio nunquam delinquerent circa hoc Sacramentum. Ipſa eſt etiam caſta, iuxta repræſentationem ſeu picturam mulieris ſapientia, cuius pectori ideò cingulum apponebatur præ hac inſcriptione, *Caſta*: & eò uſque caſta, ut ſanctitas iſtius Matrimonii paritura ſit mundo Virginitatem, quæ erit fœcunda Deo. Oportebat ut flos virginitatis veniret è radice Matrimonii ſanctiſſimi totius mundi: & ſi Deus daturus erat omnipotentiæ ſuæ teſtimonia, faciens oriri Virginem virginum è parentibus ſterilibus, oportebat ut ſanctitas tali favore reddidiſſet illos prorſus dignos. *Felix, quæ ut in Deum creſceret, in ſenibus ſic defecit natura: fœlix, quæ ſterilitatis damna virgineâ fœcunditate mutavit: fœlix, quæ uno concepit in partu, quidquid in toto orbe confundere deplorabat: fœlix, quæ facta eſt vitalium germinans mater, quæ erat antè origo miſeranda mortalium, ad dolores pariens cum dolore, ad gemitus edens cum gemitu, ad pericula producens hominem cum periculo generantis, & in ipſo ortu occaſum nuntians per lamenta, & lacrymas: ſemper devorans partus ſuos, ſciens ſe tantis mœroribus generare morituros*, exclamat ad hoc propoſitum S. Chryſologus i. Demus igitur hanc etiam inſcriptionem, ſed per excellentiam Sanctæ noſtræ. *Caſta*, & dicamus eam eſſe caſtam.

h Ioan. 5. 20.

i S Chryſol. ſerm. 87.

Quarta & ultima qualitas, quæ mulieri virtuoſæ datur, eſt ut ſit *Quieta*. Proptereà repræſentatur habens compedes in pedibus. Glorioſa S. Anna non indiget his compedibus, cùm egreſſus, & ingreſſus ipſius non eſſet niſi domo ſua in templum, & è templo domum ſuam: huiuſmodi compedes appoſitiſſimè convenirent mulieribus huius temporis, quæ non ſunt idoneæ niſi ad currendum; ſed non ad templa ſacra, quæ ſunt ſolitaria, & loca, quæ ipſæ minùs frequentant; ſic non multùm ſunt ipſæ virtuoſæ. Dominæ meæ, ſi afficimini erga virtutem, ſicut ad eam æmulandam ſanctè vos exhortor, laborate more S. Annæ, facite ad eius imitationem actiones gloria dignas, quæ ſerviant ad poblicandas virtutes veſtras; imitamini hanc glorioſam mulierem, cuius depinxi vobis tabellam; ipſa, eſt prototypon, ad quod vos conformare debetis: ipſa, eſt mulier, cuius heroicæ virtutes ſatis publicant ipſius meritum, & manifeſtant pretium & valorem: mulier, cuius opera & actiones ſerviont loco præconum ad proclamandam circumquaque ipſius excellentiam, *Et laudent eam in portis opera eius* k. Ecce fructus, qui, ſicut dixi vobis, manifeſtant excellentiam arboris, quæ ipſos produxit; fructus mentis & voluntatis ipſius, qui ſunt propriæ ipſius actiones, & virtutes admirabiles quas ipſa produxit, & exercuit. Supereſt ut oſtendam vobis in hac ſecunda parte fructum inappretiabilem ventris ipſius, qui fuit origo omnium benedictionum.

k Prov. 31. 31.

II. Pars.

*S*i è fructibus cognoſcitur arbor; dicendo quòd S. Anna produxit incomparabilem Mariam, *Cuius parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vitâ ſuâ Deo placuerunt, atque etiam fructum eiuſmodi germinaverunt, ſanctam Virginem Mariam, templum ſimul & Matrem Dei*, dicit S. Epiphanius l: ſolis verbis iſtis ediſſero quidquid dici poteſt prærogativarum in favorem illius: hoc eſt facere ſummam omnium mirabilium matris iſtius ac dicere quòd ipſa habuit talem Filiam. Si enim Evangeliſta m redigit in ſynopſim & comprehendit omnes laudes B. Virginis, dicendo quòd ipſa peperit Filium Dei, *De quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*: quare non faciam propter eandem rationem compendium omnium meritorum S. Annæ, & totius excellentiæ ipſius, dicendo, *De qua nata eſt Maria?* Nam qualitas eſta ſupponit, quòd Deus largitus eſt ei gratias omnes neceſſarias ad hoc ut iſtis dignè perfunderetur muniis, *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*, dicit proloquium Philoſophicum. Si mater eſt ordinariè talis, qualis eſt filia; & filia talis, qualis eſt mater per imitationem virtutum eius, cùm mater ſerviat loco prototypi, ad quod conformare ſe debet filia; quantam ſanctitatem collocare debebat Deus in ea, quæ erat ad hoc deſtinata ut eſſet mater, magiſtra, & prototypon Filiæ ſic eximiæ ut perfectione ſuperaverit omnes Sanctos paradiſi? *Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob* n. Ex incomparabilibus Mariæ Deiparæ virtutibus inferte excellentiam meritorum S. Annæ: & dicite in favorem ventris, qui illam geſtavit, & uberum quæ eam lactaverunt, ſicut S. Marcella Jeſu Chriſto aliàs dixit, *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti* o. Nihil perfectius hac Filia, nihil etiam poſt eam conſummatius matre illius: ſic ut iure merito dicere poſſimus de matre id, quod Filiæ S. *Eliſabeth dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui* p. Deus non poterat facere quid excellentius.

l Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

m Matth. 1. 16.

n Pſ 86. 1. & 2.

o Luc. 11. 27.

p Luc 1. 41. & 42.

Ethnici illi ſunt appoſitè locuti, qui dixerunt, quòd lapides illi, qui inſumuntur ad ædificanda templa, & ad erigenda altaria, ſunt fortunati, propter honorem quem ſuſcipiunt ex eo quòd adhibentur ad obſequium Dei. Sed, ut verum fatear, hic honor non tangit niſi leviter lapides mortuos, quia ſunt ſenſu deſtituti: at non ita ſe res habet de lapidibus vivis S. Joachim & S. Anna, qui ad hunc honorem aſſumpti ſunt, ut ſervirent ædificationi auguſtiſſimi templi Sapientiæ incarnatæ, quod non eſt aliud niſi glorioſa Virgo Maria: nam præter hunc honorem, quo cumulati ſunt, experti ſunt gaudium inexplicabile in productione iſtius Filiæ incomparabilis, quæ ſola plus valet quàm totus mundus ſimul: hæc Filia merito & excellentia ſuperat omnes filios & filias qui erunt in tota æternitate: S. Anna igitur habet unde gaudeat & exultet in productione iſtius Filiæ miraculoſæ, de qua S. Bernardus q ait, quòd

q S. Bern. ſerm. 4 de Aſſumpt.

Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.

Omnes matres plùs gaudent in productione maſculorum, & earum gaudium minus eſt, cùm enituntur fœminas. Omnes rationes quæ afferuntur de hoc differente deſiderio parentum, quod eis affert amplius gaudium in nativitate puerorum quàm puellarum, reduco ad tres. Prima eſt, quia maſculi poſſunt altas poſſidere dignitates, & iis cum fœlici ſucceſſu perfungi: ipſi ſunt veluti ſpecioſi flores, è quibus parentes expectant odorem, vitam, & famam progeniei ſuæ, quod expectari non poteſt à fœminis, cùm tota illarum gloria ſita ſit in propria virtute ſua. Secunda ratio attenditur penes educationem delicatam, magnam & continuatam curam quæ eſt habenda puellarum,

cùm

cùm nimii ſint occurſus, qui poſſunt eis eſſe funeſti, & vel minimus vapor faciat areſcere ſpecioſiſſimum florum illarum, & minima macula obſcuret ſplendorem pulchritudinis earum, quandiu maſculi non obnoxii tot ſcopulis enavigant cum majori ſecuritate inter tempeſtates, quæ cauſant ordinariè naufragium ſexui fœminino. Tertia ratio eſt, quia ad hoc ut commodè & honorabiliter puellæ collocentur in Matrimonio, requiritur multa pecunia; & hæc eſt ratio propter quam tot puellæ ponuntur in Monaſteriis, ubi cum minoribus ſumptibus collocantur: hoc ſeculo ferreo, quo vivimus, amplior habetur intuitus pecuniæ quàm virtutis, potiùs reſpiciuntur nummi quàm merita; & illa puella ſemper præfertur quæ plus habet divitiarum, licèt minus virtutis: ſed maſculi promovere poſſunt fortunam ſuam, progrediendo ad multas dignitates interventu alicujus venti propitii: & multi recenſentur in Hiſtoriis ab aratro aſcendiſſe ſuper thronos, & è pulvere evecti ad faſtigium ſummorum honorum. Atqui omnes iſtæ rationes nullum habent locum in B. Virgine: ipſa, eſt Filia, quæ ſola plus valet incomparabiliter quàm omnes filii & filiæ qui fuerunt unquam in ordine naturæ. Nam primò quantùm ad id quod ſpectat homines, & eorum dignitates, tantam Deus reſervat huic Puellæ dignitatem, ut abeat in infinitum, ſic ut Deus omnipotentiâ ſuâ non poſſit illam ſublimiùs elevare, ſicut ait S. Thomas r, *Quòd humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo* s, *& beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei* t, *& beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei* u, *habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito* x, *quod eſt Deus: & ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Deus tantum præparat huic Puellæ honorem, ut id omne quod eſt creatum in cœlo & in terrâ, ſit ipſam veneraturum, Deus ipſe ſit eam reveriturus prout Reginam omnium creaturarum, & Matrem Filii ipſius, qui futurus eſt ei *ſubditus* y. Re autem verâ dixit deinceps Dionyſius Carthuſianus z, *Sicut in ſeipſo humillimus fuit ut homo, ſic uſque perfectum in exterioribus humiliavit ſeipſum, non ſolùm Matri, ſed & nutritio & miniſtro ſe ſubdens, ſecundùm naturam aſſumptam, & Legem* a *quam de honoratione parentum dedit, implevit non neceſſitate, ſed dignatione & pietate. Non enim communi Legi fuit aſtrictus, aut de neceſſitate præcepti ſubjectus, ſed ſupra Legem, non ſolùm ſecundùm Divinitatem, ſed & ſecundùm humanitatem, ut à Verbo æterno aſſumptam, & toti creaturæ prælatam.* S. Anna igitur habet unde lætetur in nativitate Filiæ ſuæ, cùm hæc excellentiſſima ſit omnium creaturarum. Secunda ratio non habet etiam locum in B. Virgine: nam parentes ejus non debent eſſe ſoliciti de eâ, nec vivere in anxietate propter id quod illam ſpectat: nam præcipua & ſecuriſſima cuſtodia alicujus puellæ eſt gratia: atqui B. Virgo poſſedit eam cum tanto ſplendore, ut cùm ſuſceperit illius plenitudinem, in eâ confirmata fuerit, nedum ipſa peccaverit unquam originaliter, aut actualiter, habẽs paſſiones ſuas ſic ritè ordinatas ut exactè obedirent rationi, & rationem gereret Deo, *Quoniam à primo ſuæ conceptionis inſtanti,* ſicut ait de Ponte b, *uſque ad finem vitæ veriſſimè de illâ Sponſus dixit, Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te: ut quod de quibuſdam Juſtis pro aliquo temporis brevi ſpatio dicitur, hoc in glorioſiſſimâ Virgine ſemper fuiſſe intelligatur. Eò quòd ſingulari privilegio nunquam inventa eſt in eâ macula peccati originalis, nec actualis quantùmvis minimi, nec ulla ruga, aut imperfectio; ſed ſemper fuerit amica, ſemper proxima, ſemper pulchra, ſemper immaculata, ſemper denique omni ex parte integra & perfecta. Præterea, Omnes etiam fatentur Deiparam totam pulchram, integram, & perfectam ſemper fuiſſe in animâ, quæ nullos in parte ſentiente defectus ex peccato originis provenientes experta eſt: nunquam eam vexavit peccati fomes, nunquam caro concupivit adverſus ſpiritum* c, *nunquam appetituum motus rationem ejus prævenerunt, & turbarunt; ſed ſemper magna fuit intùs concordia, magnuſque omnium appetituum ejus cum ratione conſenſus, ut præ omnibus Deipara homini ſuo exteriori, ſeu inferiori portioni dixerit, Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu* d. *Cùm igitur dona Dei ſint perfecta* e, *qui Matri contulit ut effectibus peccati originalis careret, multò magis contuliſſe dicendum eſt, ut ipſa nunquam maculata fuerit; quia hoc optabilius ei erat, ne vel ad momentum temporis, Dei diceretur inimica, & ab eo eſſet elongata, quæ per quandam antonomaſiam amica & proxima nuncupatur. Fuit ergo tota pulchra etiam ſpiritu & mente, quam nulla infecit labes, ſemper ornavit gratia, & intima cum Deo ipſo amicitia.* Sic ut ipſius parentes non gravarentur curâ quam habere debebant illius, licèt eam à teneris annis ipſius collocarent in templo, ut eſſet in omni ſecuritate in domo Dei, elongata ab omnibus malis occaſionibus, quæ ipſi potuiſſent eſſe funeſtæ, ſi ipſa minus habuiſſet virtutis. Qui modus procedendi fuit potiùs ob inſtructionem noſtram, quàm ut iſta ſancta Virgo indigeret hâc præſentatione in templo, cùm ipſa ſuperaret Angelos perfectione à primo inſtanti ſuæ conceptionis. Tertia ratio, quæ oſtendit moleſtiam parentum in nativitate filiarum, non valet in B. Virgine: nam dos illi conceditur: parentes nihil habent timendum circa illam: nam Dei Filius captus amore illius, voluit eam ſibi deſponſare, & conſequenter eam magnificentiſſimè dotare: *Nam ex dilectione Chriſti erga Sponſam Eccleſiam* f, dicit de Ponte g præfatus, *& ex efficaciâ meriti ejus ad ſanctificandum, deducit S. Paulus dona quæ contulit Sponſæ ſuæ: cùm igitur Dei Filius plùs dilexerit Matrem ſuam quàm reliqua membra Eccleſiæ, excellentioremque cum eâ unionem habere decreverit, non tantùm ut Sponſi cum Sponſâ, ſed ut Filii cum Matre ex eâ geniti, & in utero* h *bajulante illum, juxta id quod S. Auguſtinus Virginem alloquens, ait, Te ipſe Rex regum* i, *ut Matrem veram, & decoram Sponſam præ omnibus diligens, amoris amplexu ſibi aſſociat: conſequens eſt ut nobiliori modo ſanctificaverit illam; non quidem mundans eam à peccato poſt lapſum, ſed præſervans ne laberetur, conferens munditiam quæ maculam impediret. Hoc enim & efficax Chriſti paſſio facile poterat, & dignitas Filii ac Matris exigebat, ut Filius exhiberet ſibi Matrem glorioſam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſemper eſſet ſancta & immaculata* k. *Decebat enim, ut Chriſtus ſummam quam habebat poteſtatem ſanctificandi animas, ſummo modo erga Matrem* oſten-

r S. Thom. 3. p. q. 25. a. 6, ad 4.
s ex Joan. 1, 14.
t ex Joan. 17, 3.
u ex Mat. 1, 20, & 25.
x ex Baruch 3, 25.
y Luc. 2, 51.
z Dion. Carth. art. 7. in Luc. 2, 51
a ex Exod. 20, 12
b D. Pôt. lib. 7. in Cant. 4, 7, exhort. 20, Parag. 6.
c ex Gal. 5. 17.
d Pſ. 54. 14. & 15.
e ex Jacob. 1, 17
f ex Epheſ. 5, 25.
g De Pôte lib. 7. in Cât. 7. 4. exhort. 20, Parag. 5.
h ex Luc. 1, 31 & ex Iſai. 7. 14.
i ex Apoc. 19. 16.
k ex Epheſ. 5. 27.

oſtenderet, cui alia inſignia privilegia hâc de cauſâ contulit. Quod ipſa Virgo Divino afflata Spiritu de ſe cecinit, dicens, Quia fecit mihi magna qui potens eſt l. *Non ait, qui juſtus eſt, aut bonus, vel ſapiens,*
l Luc: 1. 49. *ſed qui per excellentiam potens, & omnipotens nomen ejus, qui ſuam erga me exerere voluit omnipotentia virtutem: faciens mihi magna, id eſt, magnifica, ejuſque omnipotentiâ digna conferens dona.* S. Anna igitur habet magnam anſam gaudendi de prærogativis incredibilibus hujus Filiæ, quæ perfectione ſuperat omnes puras creaturas cœli & terræ. Reginæ matres gaudere ſolent cùm habent filiam bonam, modeſtam, & ſapientem, æquè ab ſpecioſam, quia ſperant ſe collocaturas eam aliquando in matrimonio cum aliquo magno Principe, & ſe viſuras ſucceſſu temporis nepotes ſuos moderaturos habenas Imperiorum: quæ poterit mater æquiparari S. Annæ, cùm Filia ejus B. Virgo Maria, quæ eſt Filia gratiæ, non naturæ, non ſolùm ſit pulchra, bona, modeſta, & ſapiens, ſed ipſamet pulchritudo, bonitas, modeſtia, & ſapientia? Sic ipſa electa eſt ad hoc ut ſit Mater Dei. Qualis gloria S. Annæ, videre ſanguinem ſuum elevatum ad ſic ſublimem dignitatem, ut uniendo ſe Deo regnare debeat in æternum, cùm de iſto Dei Filio dicatur ab Ange-
m Luc. 1, 33. lo, *Et Regni ejus non erit finis* m. Fœlix mater quæ produxit ſic excellentem Filiam, quæ plus valet quàm totus mundus ſolus. Qualis gloria, ſe conjungere Deo! Quænam corona ſplendidior concipi poteſt, Auditores, quàm habere in Filiam eam, quæ vocatur ab Eccleſiâ *Regina Angelorum*, & in Nepotem illum, qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus domi-*
n Apoc: 19, 16. *nantium* n? Dicamus igitur de Filiâ in favorem matris, de B. Virgine in gratiam S. Annæ, quòd omnipotentia Dei non poterat B. Virginem facere meliorem, prout Genitricem Filii ſui, cum non reperiatur filius melior Filio ſuo: ſic aſſerere poſſumus, quòd S. Anna tantam habuit excellentiam, ut omnipotentia Dei non poſſet ipſam reddere meliorem, quia nullus reperitur nepos perfectior Nepote ipſius, minùs autè reperiri poteſt avia conſummatior ipſâ. Habet igitur ipſa magnam anſam gaudendi pro omnibus iſtis prærogativis, præſertim verò propter inappretiabilem fructum ventris ſui, qui eſt principium & cauſa omnium magnitudinum ipſius, ſicut & eſſe debet univerſorum gaudiorum & oblectamentorum ipſius. Ipſa eſt mater Matris Dei: totum dixi, poſt iſtud nihil mihi ſupereſt dicendum: ſic de illâ ſileo, ut eam meliùs honorem ſilentio meo, quod erit confeſſio inſufficientiæ meæ, æquè ac reverentiæ meæ. Auſcultaviſtis, Auditores, excellentiam fructuum: admiramini nunc bonitatem arboris, & cognoſcite quanti debeatis eam æſtimare in tertiâ parte diſcurſus iſtius.

III. Pars. Illud eſt pro comperto, quòd quò quis plùs eſt evectus in potentiam & in dignitatem, eò plùs diſtribuit dignitates ampliores. Principes terræ, prout imagines vivæ Principis cœli debent in omnibus conari illum imitari. Quòd ſi inſigniſſima excellentia potentiæ Dei eſt ea, quam David
o Pſal. 112, 5, &c. o laudat verbis iſtis, *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terrâ? Suſcitans à terrâ inopem, & de ſtercore erigens pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui:* hoc idem faciunt Principes terræ, & quò propiores ſe Deo reddunt potentiâ ſuâ, eò plùs diſtribuunt dignitates ſublimiores: V. g. Papa habet poteſtatem creandorum Cardinalium juxta beneplacitum ſuum: Reges & Imperatores vigent potentiâ faciendi Principes, & diſtribuendi officia honorabilia, & titulos illuſtres, ſicut videri poteſt in Pharaone elevante Joſeph *p*, & in Aſſuero evehente p Gen: 41. 40, &c.
Mardochæum ad primos honores Regni *q*: q Eſth. 6, 10, &c.
quin etiam Sancti habent poteſtatem communicandarum dignitatum veſtibus, calceamentis, baculis, imò verò terræ quam pedibus conculcant. Quod cùm ita ſit, Auditores, quis imaginari poterit ad qualem gradum honoris & dignitatis B. Virgo elevat eam, è carne cujus ipſa ſumere voluit carnem ſuam, in cujus viſceribus ipſa manſit per novem menſes, è cujus uberibus ipſa ſuſcepit lac, & inter brachia cujus ipſa ſic ſæpè requievit? Deſunt mihi verba, nec exprimere valeo favores, quos ita digna & ſic potens Filia conceſſit matri tantis meritis præditæ. Quòd ſi pro eo quòd *habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus, benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus* r: qualem benedictionem ſuſcipere debuit r 2. Reg: 6. 11.
S. Anna pro eo quòd novem menſibus in viſceribus ipſius requieverit Maria, quæ eſt myſtica *Fœderis Arca*, ſicut canit Eccleſia, & per aliquot annos brachiis ipſius fuerit portata? Judicate quòd omnes gratiæ paradiſi deſcenderunt ſuper eam, ſicut innuit ipſius nomen, *Anna interpretatur gratia*, dicit S. Epiphanius *s*. s S. Epiph: ſerm. de Laud. Deip.
Et jure merito: nam ſi B. Virgo gratias diſtribuit aliis: *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt theſaurus diſpenſationis planè arcanus*, ait idem S. Epiphanius *t*: ipſa dare debet eas Matri t Idem Ibid.
ſuæ cum majori liberalitate. Sed quomodo largitur eas illi? Auſcultate quomodo *ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth* u. Quòd ſi verbum, vel ſalu- u Luc 1. 41. &c.
tatio Mariæ fert ſalutem, delet originalem culpam, concedit lumen Propheticum, reddit Joannem Baptiſtam *Prophetam & pluſquàm Prophetam* x, & replet illum Spiritu ſancto æquè x Matth: 11. 9.
ac matrem ejus, quam ſimiliter prophetare facit, *Et exclamavit voce magnâ, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* quot verba S. Anna audivit ex ore Mariæ? quoties diebus ſingulis fuit ipſa ſalutata à Mariâ? & quanto ſpiritu fuit ipſa ditata à ſpiritu Mariæ? Non miror igitur, ſi ipſa eſt gratioſa, cùm B. Virgo gratiam dec verbis ſuis, & dans eam aliis, communicet ei illam abundantiùs, prout ſibi proximæ. Nos ſumus ei in æternum devincti: & confiteamur ad laudem ejus, quòd ipſa ſola meretur hoc nomen Annæ, cùm ipſa præ tantâ prærogativâ ſuſceperit illius effectus in favorem noſtrum, qui ſunt ut ſit *gratioſa*, ſive *miſericors*, juxta alias nominis ejuſdem ſui interpretationes. Unde rationabiliter infero, Auditores, quòd S. Anna tantam habet authoritatem erga Mariam & Filium ejus Jeſum, ut faciant ad inſtantiam ipſius id omne quod ipſa poſtulat ab eis, juxta id quod Pſalmiſta *y* dixit de Deo in favorem amicorum ip- y Pſ. 144. 19.
ſius, *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Ad hoc propoſitum refertur de Themiſtocle quòd dicebat aliàs, quòd filius ſuus imperabat abſolutè Athenienſibus: & quòd interrogatus quomodo id fieri poſſet, ipſe reſpondebat, quòd ita ſe

res

res habebat, eò quòd mater faceret id omne quod filius vellet, & Themiſtocles ageret illud univerſum quod placeret matri, & Athenienſes promptè morem gererent omni illi quod ipſemet Themiſtocles exigeret ab illorum obedientiis: unde ipſe inferebat, quòd filius ſuus imperaret: hoc idem dicere nos poſſumus de S. Annâ: Omne quod ipſa petit à Filiâ ſuâ, hæc iſtud idem concedit ipſi; & omne illud quod B. Virgo petit à Jeſu Filio ſuo, hoc Jeſus tribuit ipſi, & *omnia quæcumque Dominus in cælo & in terrâ* a vult & imperat, mandatur executioni. Unde ſequitur in bonâ conſequentiâ, quòd id omne quod S. Anna vult, adimpletur in cœlo & in terrâ. Qualis poteſtas, & quàm excellens iſtius glorioſæ Sanctæ! Sic eſt, Auditores: unico verbo, vel ſuſpirio ipſa omnia poteſt. Huic convenit id quod recenſetur de Alexandro Magno, quòd cùm aliàs multi formarent coram ipſo varias querelas de matre ipſius, ipſe auditis eorum lamentationibus, dixit illis, quòd minima lacryma matris ſuæ haberet plus vis, quàm omnes ipſorum querelæ: idem dico intuitu interceſſionis S. Annæ: Licèt cùm peccator adit *cum fiduciâ ad thronum gratiæ* Regis cœli, *ut miſericordiam conſequatur & gratiam in auxilio opportuno* a inveniat, adſit diabolus cum peccato, de quo ſcriptum eſt, *Statim in foribus peccatum aderit* b: Et, *Magnus dæmon peccatum eſt* c: ſi inclamet ultionem contra devotos S. Annæ, quis non videt, quòd minima lacryma hujus ſanctæ mulieris majorem habebit energiam quàm tota accuſatio inferni? Et B. Virgo Filia ejus dicet eadem verba, quæ dicebat aliàs Alexander, quòd minima lacryma matris ſuæ plus habet vis ad impetrandam gratiam pœnitentibus, quàm omnia peccata & univerſi diaboli ad faciendum ut peccatores pereant, ſi ipſi velint operari ſalutem ſuam.

a Pſal. 134. 6.

a Hebr. 4. 16.

b Gen. 4. 7. &c.

c S. Chryſoſt. hom. 33. ex c. 9. Matt.

Glorioſa S. Anna, quandiu crimina noſtra vindictam clamant adverſùm nos, imploramus auxilium tuum, non ut effundas lacrymas in domicilio gaudii, quod nullam admittit *lacrymam* d, ſed ut oſtendas Filiæ tuæ ubera è quibus ipſa ſuxit lac; & ipſa detegat Filio ſuo pectus, in quo ipſe altus eſt e; & Filius ipſius monſtret Patri ſuo vulnera, quæ ipſe pertulit pro nobis f; certi quòd lac, ſanguis & vulnera poterunt omnia in favorem noſtrum, quippe quorum intuitu Pater æternus mitigabit *omnem iram* g ſuam, & nobis *gratiam, & gloriam dabit* h.

d Iſai. 25. 8. & Apoc. 21. 4.

e Luc. 11. 27.

f Joan. 10. 18. & 34.

g Pſ. 84. 4.

h Pſ. 83. 12.

IN FESTO S. IGNATII DE LOYOLA CONFESSORIS.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Gen. 12. 1. &c.

QUàm admirabiles ſunt viæ, quas Deus ſumit ad exequenda conſilia ſua! Ipſe vulnerat corpus S. Ignatii, ut ſanet illius animam: ipſe permittit ut cadat in deordinationes militiæ temporalis, ad hoc ut inſtituat Ordinem benè moratum militiæ ſpiritualis; & ſenſibiles faciat experientias promiſſionum hominum, ut experiatur fidelitatem promiſſorum Divinorum. Deus tangit illi cor interventu lecturæ vitarum Sanctorum tempore morbi ipſius, illuminat mentem ejus, & inflammat voluntatem illius ad proſecutionem virtutis, ad quam vocat illum per contemptum quem facit illum concipere objectorum caducorum terræ, non ſecus ac ipſe *dixit ad Abram, Egredere de terra tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui.* Ipſe ſe reddit attentum ad ſuaves iſtas inſpirationes, quæ vocant ipſum ad eminentem perfectionem, dicens cum Pſalmiſtâ a, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Ipſe conſentit motionibus his interioribus, ſicut B. Virgo conſenſit verbo Angeli ad hoc ut elevaretur ad ſupereminentem dignitatem Maternitatis Divinæ, poſtquàm *ingreſſus, ad eam dixit, Ave* b *Maria.*

a Pſ. 84. 9.

b Luc. 1. 28. & 38.

Omnes Doctores dicunt mirabilia de obedientiâ, & Scriptura ſacra præfert hanc virtutem, quæ eſt prima Moralium, ſicut *charitas* c eſt prima Theologicarum, victimis; *Melior eſt enim obedientia quàm victimæ* d. Et poſt ſcripturam S. Gregorius e ait: *Obedientia quippe victimis jure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Antiquitas illam magni ſemper æſtimavit, & obſervat Hiſtoria de quodam, quòd cùm poſſet occidere hoſtem patriæ ſuæ, ſtitit ictum poſtquàm continuit brachium ſtatim ac cantum fuit receptui, cujus audivit ipſe ſignum: & Sparta non fovebat gloriam ſuam niſi interventu extremæ obedientiæ ſubditorum ſuorum: ipſa faciebat crimen è victoriâ, & ducebat ad ſupplicium, nedum triumpho honoraret eum, qui reportaverat illam de hoſtibus ſuis ſine mandato ſui Ducis generalis. Sed ſicut in omnibus artibus requiritur magiſter ad hoc ut nos edoceat, prototypon, quod debeamus imitari, & idea quæ nos dirigat: Deus proponere non vult S. Ignatio exemplum Filii ſui, vocando illum ad perfectionem: ſi ipſe præ oculis ejus poſuiſſet praxes illius, ipſe dicere potuiſſet in principio converſionis ſuæ, quòd hæ nimis habebant excellentiæ ad hoc ut ipſe ſibi proponeret illas imitari, cùm ille fuiſſet *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* f, id eſt, à primo inſtanti vitæ ſuæ renuntiaſſet propriæ voluntati ſuæ, ut exequeretur voluntatem Patris ſui, cùm veniſſet in mundum ut adimpleret ejus intentiones inviolatâ fidelitate, ſicut ipſemet ait per Pſalmiſtam ſuum g, *Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Deus habet rationem infirmitatis illius, ipſe relinquit exemplum Filii ſui, qui eſt

c 1. Cor. 13. 13.

d 1. Reg. 15. 22.

e S. Greg. lib. 35. Mor. c. 10.

f Philip. 2. 8.

g Pſ. 39. 8. & 9.

Deus non ſecus ac ipſe, ſicut ipſemet Filius ait. *Ego & Pater unum ſumus* h: ut proponat ei ideam hominis, qui habuit eoſdem affectus cum ipſo, cùm & eandem naturam & conditionem cum ipſo haberet; iſte, eſt Abraham, magnus iſte vir, quem Deus proponit illi in principio vitæ novæ ad quam ipſum vocat, ut ipſi ſerviat loco exempli imitationis in toto ſuo procedendi modo. Cum homo incurriſſet jacturam ſuam per inobedientiam i, quæ ipſum eduxit à Deo ſummo bono ſuo, non poterat ad illum meliùs reverti quàm per praxim virtutis iſtius, quæ ei eſt oppoſita: ſic Deus eligere volens populum qui foret dilectus ſuus, cepit Abraham, ait Scriptura, & eum probavit hâc virtute, quæ reddidit eum dignum ipſius benevolentiâ: atqui tribus diverſis mandatis examinavit eum. Primum, fuit relinquendi patriam ſuam, & propinquos ſuos. Secundum, fuit præceptum circumciſionis k. Tertium, fuit immolandi ſuum *filium unigenitum Iſaac* l. Ipſe facit hæc tria mandata S. Ignatio. Primò, Ipſe facit eum contemnere terram, ut ipſi ſerviat in Religione, quam præcipit ei inſtituere. Secundò, Facit eum circuncidere ſe in membris ſuis, quæ ſunt filii ipſius, corrigendo eos defectuum ipſorum, ut dirigat eos ad Deum. Tertiò, Facit illum immolare filium ſuum, qui eſt vetus homo pravorum affectuum ſuorum.

h Joan: 10, 30

i Gen: 3, 6.

k Gen: 17. 10, &c

l Gen: 22, 2, &c.

Diviſio

1. Pars.

Deus præcepit Abrahæ, ut derelinqueret patriam ſuam, ut recederet à propinquis ſuis, & ſumeret aliam domum, in quâ nunquam habitaſſet: præceptum valdè rude, & cujus executio magnum petit animum: nam unuſquiſque diligit patriam ſuam, juxta iſtud Poëtæ,

Dulcis amor patria, dulce videre ſuos.

Nemo eſt qui ſibi non complaceat cum amicis ſuis, nullus eſt qui non diligat propinquos ſuos, & qui non exeat niſi invitus domo ſuo, præſertim ſi agatur de vivendo in regione incognitâ. Sic Sertorius dicebat, quòd maluiſſet vivere pauper in domo ſuo, & cum propinquis & amicis ſuis, quàm dives in regione alienâ. Et hoc interim eſt mandatum, quod Deus fecit Abrahæ, & quod iſte Patriarcha exequitur hilariter æquè ac exactè: *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui. Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus.* Deus ait interiùs S. Ignatio ſicut huic Patriarchæ, *Egredere de terrâ tuâ,* &c. *Ignatius natione Hiſpanus, nobili genere, Loyolæ in Cantabriâ natus, primò Catholici Regis aulam, deinde militiam ſecutus: in propugnatione Pampelonenſi, accepto vulnere graviter decumbens, ex fortuitâ piorum librorum lectione, ad Chriſti, Sanctorumque ſectanda veſtigia mirabiliter exarſit. Ad montem Serratum profectus, ante aram beatæ Virginis ſuſpenſis armis, noctem excubans, ſacræ militiæ tyrocinium poſuit. Lutetiæ Pariſiorum adjunctis ſibi ex illâ Academiâ variarum nationum ſociis novem, qui omnes artium Magiſterio, & Theologiæ gradibus inſignes erant ibidem in Monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit: quem poſteà Romæ inſtituens, ad tria conſueta, quarto addito de Miſſionibus voto, Sedi Apoſtolicæ arctiùs adſtrinxit: & Paulus Tertius primò recepit, confirmavitque: mox alii Pontifices, ac Tridentina Synodus probavêre,* ſicut canit Eccleſia.

Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat m. Quare Deus non aſſignavit niſi unum diem quietis pro ſex diebus operationis, qui illum præceſſerunt, unde videtur quòd merces ſit minor operatione? S. Anſelmus n ſuppoſito eo quod dicitur in Geneſi o, quòd ſex dies qui inſumpti fuerunt in creatione, erant compoſiti è veſpere & manè, *Factum eſt veſpere & manè dies unus*, reſolvit hanc quæſtionem, dicens, *Unus iſte dies non habet veſperam. Ubi Deus ſanctificavit requiem, ibi dicitur, Factum eſt manè, ut inciperet ipſa quies. Sicut enim Sabbathum, in quo Deus requievit, non legitur habuiſſe veſperam; ſic requies Iuſtorum non habebit finem. Quia ſicut Deus ceſſavit ab operibus; ſic illi ceſſabunt perpetualiter ab omni opere, liberi penitus ab omni laboris anxietate.* Intuitu iſtius gloriæ non intermiſſæ, S. Ignatius ſtatuit generosè contemnere terram, ad ſerviendum Deo magnanimiter in Religione quam ipſe inſtituit: feſtinat interventu bonorum operum ſuorum, laborando *ad majorem Dei gloriam* pro ſalute animarum, mereri hanc gloriam immortalem, juxta conſilium S. Pauli, *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem* p. *Ne fides ſit otioſa*, ſubdit S. Ambroſius q. Cùm opera ſint neceſſaria ad fidem, S. Ignatius hanc in praxim redigit, ne relinquat eam in otio, impendens labores ſuos ad progreſſum Ordinis ſui, ad promovendam ſalutem animarum. Cùm civis aliquis Reipublicæ Venetæ vult ædificare domum Venetiis, decretum eſt, quia fundamenta fieri debent in aquâ, ut Reſpublica elevatura ſit ea uſque ad ſuperficiem aquæ, & ut poſteà civis iſte ſit continuaturus ædificium uſque ad perfectionem ſuam: Reſpublica Eccleſiæ quæ eſt ſtabilita in *aquâ* r Baptiſmi, ponit fundamenta fidei omnibus illis qui volunt eſſe cives ipſius in hâc aquâ myſterioſâ: *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit* s. Poſtquam autem baptizati ſunt, & pervenerunt ad uſum rationis, oportet ut jugiter operentur ſuper hoc fundamentum fidei, quod Eccleſia jam poſuit, in diligendo Deo *ex toto corde* ſuo, *& in totâ animâ* ſuâ, *& in totâ mente* t ſuâ, & proximo *ſicut* ſeipſo, in frequentandis Sacramentis, in exercendis bonis operibus, in laborando pro gloriâ Dei, in procurandâ ſalute animarum, in contemnendâ terrâ, ſicut agit S. Ignatius, ut ſe reddat attentum ad vocem Dei, quæ dicit ipſi, ut derelinquat patriam ſuam propter hunc magnum effectum.

m Gen: 2, 2.

n S. Anſelm: in Hebr: 4, 11.

o Gen: 1, 5, &c.

p Hebr: 4. 11.

q S. Ambr: in Hebr: 4, 11.

r Joan: 3, 5.

s Hebr. 11, 6.

t Matth. 22, 37. & 39.

Iſtud hoc modo S. Anſelmus u intelligit, cùm præfatis verbis Apoſtoli, *Feſtinemus ingredi in illam requiem*, ſubdit, *Nec in his terrenis, quæ nos impediunt, immoremur. Feſtinemus fide & bonis operibus.* Et propter quid diceretis quòd Deus vocari voluit *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob* x? Nunquid non videbatur honorabilius ut faceret ſe vocari Deum cœli, &c? Prædictus S. Paulus y reſpondet, *Fide, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, neſciens quò iret. Fide demoratus eſt in terrâ repromiſſionis, tanquam in alienâ, in caſulis habitando cum Iſaac & Iacob cohæredibus repromiſſionis ejuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex & conditor Deus.* Magna fides Abrahæ, licèt eſſet magnus Dominus, *in caſulis* habitare. Ratio iſtius eſt, *Expectabat enim*, &c. Ipſe cogitabat ſemper gloriam cœli, quæ faciebat ipſum contemnere

u S. Anſelm in Hebr. 4, 11.

x Exod. 3, 15.

y Hebr. 11. 8 &c. ex Gen. 12. 4. & 13. 1.

terram,

terram, ibi erat ſpes ipſius, ſicut & S. Ignatij, qui ſæpè dicebat, *Quàm ſordet terra, cùm cœlum aſpicio.* Sic illi qui fundant ſpes ſuas in cœlo, contemnunt poſſeſſiones terræ, reputantes ſe peregrinos in iſto mundo, & incolas cœli, *Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum* z. Cùm *Judas retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & ſenioribus, dicens, Peccavi, tradens ſanguinem juſtum: Principes Sacerdotum conſilio inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum,* ait S. Matthæus *a.* Et poſt eum S. Maximus Taurinenſis *b, Peregrinis qui erant ſine domo, ſine patriâ & toto orbe exules jactabantur, requies Chriſti ſanguine providetur, ut quibus non eſt in mundo poſſeſſio, iis in Chriſto ſit ſepultura. Iſtos autem peregrinos quos eſſe dicimus, niſi devotiſſimos Chriſtianos, qui renunciantes ſeculo, & nihil poſſidentes in mundo, in Chriſti ſanguine requieſcunt?* Qualis eſt S. Ignatius, qui relinquens *omnia &* c ſequens Chriſtum per vota Religionis, quam inſtituit, plùs participat ſanguinem ejuſdem Salvatoris, & quietem reperit ampliorem in fructibus paſſionis ejus, ſuſcipiens primos flores miſericordiæ illius.

z Hebr. 11, 16.
a Matth. 27. 5. &c.
b S. Maxim. Taur. hom. de Jud. Prodit.
c Matth. 19, 27. &c.

Cùm benedixerit *Deus* d cæteris creaturis, non invenimus quòd benedixerit plantis. Et ratio iſtius eſt, quòd plantæ ſuis radicibus veluti tot brachiis amplectuntur terram: creaturæ autem quæ adhærent terræ ſic ſtrictâ unione, non merentur ſuſcipere benedictionem Dei. Unde minatur Deus hominibus, qui alligant affectus ſuos bonis caducis, nedum collocent eos in bonis æternis. Sic dicente Scripturâ *e, Cain ædificavit civitatem,* S. Gregorius *f* ſubdit, *Ut aperte monſtraretur, quia ipſe in terrâ fundamentum poſuit, qui à ſoliditate cœleſtis patriæ alienus fuit.* Cùm *Deus g* nos creaviſſet inter quatuor elementa, poſuit graviora & opaciora ſub pedibus noſtris, ut abſconderet oculis noſtris horrores inferni, & ne nos exciperet ut ſervos timore ſuppliciorum, & tremore minarum: alia duo, quæ ſunt diaphana, ſcilicet aërem, & ignem, poſuit ipſe ſuper caput noſtrum, ne nobis eriperent intuitum cœlorum, & ut ſic ſemper eos haberemus præ oculis noſtris; nobis inde ſignificans, quòd ipſe vult ut intuitum noſtrum jugiter intendamus versùs thronum gloriæ. Iſtud eſt quod S. Paulus *h* intelligit per hæc verba: *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.* Id eſt, ne nobis accidat ſicut illis Legis antiquæ, qui cùm ſuſcepiſſent à Deo pollicitationem terræ promiſſionis, ad eam non ſunt introducti i defectu fidei, & bonorum operum; ad quam tamen pervenerunt illi, qui iſtis fuerunt muniti, & qui fuerunt in parvo numero k.

d Gen. 1, 22, & 28.
e Gen. 4, 17.
f S. Greg. lib. 6, Mor. c. 4.
g Gen. 1, 27. &c.
h Hebr. 4. 11.
i Num. 20, 12. &c.
k Joſue. 14, 6, &c.

Reverendi Patres, Deus dixit interiùs alloquens vos ſicut Abraham in perſonâ Patriarchæ veſtri S. Ignatij, *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui.* Iſtud eſtis executi ingredientes Religionem, quam profeſſi eſtis, relinquentes *omnia* l, renunciantes illi omni, quod habebatis chariſſimum die profeſſionis veſtræ, quæ fuit mors mundo, ut viveretis in Religione, quæ eſt alia terra: generosè pedibus conculcaſtis omnes affectus carnis & mundi: ſatagere debetis ut id quod nunc eſt in vobis mortuum, non incipiat ampliùs vivere, ut amor erga parentes & propinquos veſtros, non ſit ampliùs in vobis, ſicut erat antea, ut egreſſi ſitis domibus eorum affectu, æquè ac corpore, ut non ampliùs afficiamini erga mundum, quod non poteſt in vobis eſſe niſi crimінoſum, poſtquàm renunciaviſtis ei per egreſſum quem feciſtis ex eo, ut obediretis voci Dei, qui vos vocabat in Religionem ad ſequendum Patrem veſtrum, Religionem quæ eſt domus ipſius, quippe in quâ ipſe habitat.

l Matth. 19, 27.

II. Pars

Secundum præceptum, quod Deus fecit Abrahæ, fuit circuncìſionis, cujus executio non poteſt eſſe niſi difficilis carni ætate quâ erat tunc ille Patriarcha: & tamen Abraham obedivit voluntati Domini ſui: *Dixit iterum Deus ad Abraham: Circuncidetur ex vobis omne maſculinum: & circuncidetis carnem præputij veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Abraham nonaginta & novem erat annorum quando circuncidit carnem præputij ſui* m. Societate Jeſu inſtitutâ à S. Ignatio, & confirmatâ à ſummo Pontifice, Congregatio fuit habita Romæ tempore Quadrageſimæ anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi primi, in quâ ipſe fuit electus Generalis unanimi omnium conſenſu, quod ipſe noluit acceptare: ſed re commendatâ Deo per quatuor dies, ipſe fuit electus denuò, & ipſe nunquam acceptaſſet officium, niſi Confeſſarius ſuus ipſum obſtrinxiſſet in conſcientiâ ad illud acceptandum. Ipſe conatus eſt igitur eo dignè perfungi: quales enim ſunt Superiores, tales ordinariè ſunt inferiores: *Homo ſanctus in ſapientiâ manet ſicut Sol: nam ſtultus ſicut Luna mutatur* n, In hoc loco juſtus. bonus Prælatus comparatur Soli: nam ſicut iſte planeta, licèt tranſeat per ſigna leonis, tauri, & ſcorpionis, qui videntur omnes ſe opponere ipſi ad impediendum tranſitum ipſius, non ſiſtit propterea, nec ungues iſtius leonis, nec cornua iſtius tauri, nec aculeus iſtius ſcorpionis ſiſtere poſſunt curſum ipſius; ita ſe res habet de bono Superiore: in vanum in viâ virtutis, in conſilio faciendi obſervari Regulam, Conſtitutiones, bonas conſuetudines, & incedere in ordine inviolabili obſervantiam Regularem, inducendo unumquemque ad perfugendum munijs ſuis, ponuntur ipſi pro obſtaculo leones, tauri, & ſcorpiones; quia ſimilis Soli, ſemper proſequitur curſum ſuum, & vadit quæſitum Deum ſuum, qui eſt totus ſcopus quò ipſe tendit; ipſe non intuetur zelo ſancto ductus niſi Deum, qui ipſi præcipit ut ſe circumcidat in membris ſuis, quæ ſunt inferiores ipſius, utendo erga eos correctionibus & reprehenſionibus, cùm has neceſſitas exegerit.

m Gen. 17, 5. &c.
n Eccli. 27, 12.

Videtur S. Ignatius à Moyſe didiciſſe quomodo deberet uti correctione erga Religioſos ſuos: *Reverſus Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſuâ, ſcriptas ex utrâque parte, & factas opere Domini, cùm appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros: dixitque ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum? Ergo Moyſes ſtans in portâ caſtrorum, ait, Si quis eſt Domini, jungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filij Levi: quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & redite de portâ uſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Levi juxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ quaſi viginti millia hominum* o. Moyſes habebat hanc poteſtatem, non prout homo, ſed propter legem quam ferebat in manu ſuâ: nam quatenus homo, non erat plus quam illi, nec habebat authoritatem corripiendi, & puniendi eos; ſed prout habebat præ manu legem

o Exod. 32, 15. &c.

gem Dei, & commiſſionem generalem agendæ curæ illorum, utrumque agere poterat, quod & fecit: & niſi tuliſſet præ manu ſuâ legem iſtam, exiſtimatus eſſet fuiſſe è numero eorum qui vitulum aureum adoraverant, & reprehenſiones ipſius ad nihil utiles fuiſſent: ſed ferens hanc legem præ manu, oſtendit eis, quòd non erat conſcius criminis ipſorum, & quòd non dereliquerat cultum veri Dei, ſicut ipſi, adorando vitulum conflatilem. Utinam omnes illi, quibus incumbit alios reprehendere, eodem modo ſe gererent: facillimum eſt reprehenſû, ſed reprehenſiones non ſunt ſemper utiles: tædet quidem nos aliquando videre deordinationes & diſſolutiones, quæ patrantur in populo: vellemus quidem eis opportunum afferre remedium; ſed habemus brachia abbreviata, non habemus omnem poteſtatem & omnem authoritatem quam deſideraremus, & correctio noſtra ad nihil utilis erit. Unde procedit iſtud, Auditores? Ex hoc quòd non portamus legem Dei in manu, quòd non afferimus ad reprehenſionem noſtram ſpiritum & intentionem Dei, ſicut è contrà agebat S. Ignatius, qui inductus interdum ex officio ſuo ad corrigendos in Religioſis ſuis aliquos leves defectus, & ad circuncidendas in eis aliquas exiguas imperfectiones, quibus eſt obnoxia vita humana, legem Dei portabat in manibus ſuis, non agebat in hujuſmodi reprehenſionibus ſuis niſi ex principio boni zeli & ſanctæ intentionis: non afferimus igitur ad correptiones noſtras ſpiritum & intentionem Dei: illi quos aggredimur corrigere, non obſervant aliquid in nobis, quod ſit extra commune, imaginentur quòd nos obnoxij ſimus iiſdem defectibus, quibus ipſi, & fortaſſe veritatis iſtius certas habent probationes, & ut ſic noſtras parvipendunt reprehenſiones. Sed ſi Superior Eccleſiaſticus, aut ſecularis, volens reprehendere defectus aliorum, habet manus munitas bonis operibus, adimplet legem Dei, & non agit aliquid ſimile illi quod corripit in alijs, reprehendere poterit alios cum majori ſecuritate, fungetur officio legati ſeu nuntij Dei, in pulverem rediget idola eorum, & faciet eos bibere totidem minas quod volet eâdem facilitate, quâ præfatus *Moyſes arripiens vitulum quem fecerant*, id eſt, Iſraëlitæ, *combuſsit, & contrivit uſque ad*
p Exod.
pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo po-
32. 20 &
tum filiis Iſraël p. Ipſe exterminabit, ſi non pec-
20.
catores, ſaltem peccata totidem quot occurrent: non enim ſcient quid ei dicere; & ipſe dicet illis quidquid voluerit: alioquin ſatius erit illi ut taceat, ne fortè ij improperent ipſi id, quòd aliquando Dei Filius improperavit cuidam, qui ſolitus erat alios reprehendere culparum levium, quandiu conſcius erat ipſemet gravium, *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo*
q Matth. *fratris tui* q. Sed nunquid non audiviſtis unquam
7. 3. & 5. id quod reſpondit ipſemet, cùm *acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes, Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas cùm panem manducant. Ipſe autem reſpondens ait illis, Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit, Honora Patrem*
r Exod.
& matrem r. *Et, Qui maledixerit patri, vel matri,*
20, 12.
s Levit. *morte moriatur* s. *Vos autem dicitis, Quicunque di-*
20, 9. *xerit patri, vel matri, Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam,* : *& irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias* t, *dicens, Populus hic, labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et quaſi S. Paulus proficere voluiſſet ex hoc reſponſo Domini ſui, dicebat aliquando, ſcribens Romanis u, *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.* Quaſi diceret, Obſervo quidem quotidie defectus in vobis, & ſi vellem os meum aperire, poſſem quidem vos reprehendere multarum rerum, quas vidi vos facere contra juſtum obſequium, & rectam rationem: ſed ſentiens quòd non ſum æquè perfectus ac eſſe deberem, & quòd obnoxius ſum iiſdem defectibus, quorum vos eſtis conſcij, non audeo vobis dicere mediam partem cogitationis meæ, nec exhortari vos ad faciendas eaſdem res, quas ego non ago, nec reprehendere vos imperfectionum veſtrarum, donec ab eis immunis ego ſim privatim.

t ex Iſai. 29, 13.
u Rom. 15, 18.

Re autem verâ quales ſunt Superiores, tales ſunt ordinariè ſubditi, *Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo* x. Inferiores ordinariè ſe conformant ad Superiores, cùm Herode turbato omnes alij etiam turbati ſint, & cùm malus Dux, ſive ſecularis, ſive Eccleſiaſticus habeat poteſtatem trahendi unumquemque poſt ſe: nam ſi bonus eſt, facit alios bonos; ſi verò malus eſt, efficit alios malos. Cùm S. Matthæus y dicat, *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi: Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum & Matrem ejus nocte; & ſeceſsit in Ægyptum: Et erat ibi uſque ad obitum Herodis: Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam Pueri*: peto, Si Evangeliſta dicit, quòd ſolus Herodes eſſet mortuus, *Defuncto autem Herode*; cur recenſentur ab Angelo multi mortui? *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam Pueri.* Solus Hedodes ſublatus eſt è vivis: quomodo ergo dicit Angelus, quòd illi qui perſequebantur Jeſum Chriſtum, è vitâ exceſſerunt cum illo? Ratio iſtius eſt, quia *defuncto Herode*, inimici perſecutores Salvatoris mortui ſunt cum eo: nam ſubditi vivunt, aut moriuntur in Superiore vel Duce ſuo: & ſi iſte bonus eſt, ipſi ſunt boni; ſi autem malus, mali ſunt. Iſte conceptus confirmatur ab alio Toſtati z ſuper hæc verba Scripturæ, *Videns autem populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus adversùs Aaron, dixit, Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit. Quæret aliquis, quare petierunt Iſraëlitæ Deos, ſive Deum tanquam Directorem: nam ipſi ante à habuerunt Moyſen tanquam Directorem. Videtur ergo quòd magis petere deberent aliquem alterum virum Directorem, ſicut dixerat Moyſes* †. *Reſpondetur. Viſum fuit eis, quòd nullum ſufficientem Directorem habere poterant, niſi Deus eſſet.* Si Dux eſt malus, ſubditi ſunt etiam ordinariè mali; ſi verò bonus eſt, ſubditos facit etiam ordinariè bonos: ſolus Deus ſupplere poteſt defectum illius: Herodes, qui erat malum Caput, turbatur ne? In eo turbantur omnes incolæ civitatis. Vivitne? In illo vivunt omnes inimici Jeſu Chriſti. Eſtne mortuus?

x Matth. 2. 3.
y Matth. 2, 13. & 20.
z Toſtat. quæſt. 2, in Exod. 30, 1. & 2.
† ex Exod. 4. 13.

mortuus ? Omnes perſecutores Salvatoris, in eo mortui ſunt. Idem habetur in Communitate, ſive ſeculari, ſive Regulari : Si Superiores ſunt mali, ſubditi ſimiliter ordinariè erunt mali ; ſed: ſi ſunt boni, deducent inferiores ſuos ad Deum. S. Joannes Baptiſta providet eis iſtud exemplum, *Ioannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti: mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi, Tu es qui venturus es an alium expectamus* a? [a Matth. 11, 2. & 3.] Super quod ait Gugo Cardinalis b, [b Hug. Card. in Matth. 11, 2. & 3.] *Ioannes ſciens ſe in proximo moriturum, volens omnem dubitationem amovere à cordibus diſcipulorum ſuorum de Chriſto, miſit eos ad Chriſtum, ut ſic certificentur.* Ecce curaquam debent habere Superiores, præſertim vero Regulares quoad regimē animarum, quod ita difficile eſt, juxta verbum iſtud, *Ars artium, regimen animarum.* Multos *in principio creavit Deus* cœlos, æquè ac Angelos, ſed unum *hominem* c. [c Gen. 1, 1. &c.] Quaſi dixiſſet, Videamus quid ſit de regimine illius animæ, & poſteà creabimus plures. Sic, ut innuatur, quòd regimen animarum eſt difficile, forè multi Superiores ſunt in inferno, qui non iviſſent *in ſupolicium æternum* d, [d Matth. 25, 46.] ſi non habuiſſent iſtud officium, & niſi eò uſque ſibi complacuiſſent ut ſibi proprias redderent culpas alienas. Non eſt ſacrificium charius & gratius Deo poſt ſanctum Miſſæ ſacrificium ſacrificio zeli ſalutis animarū. Et propter quid putaretis quòd Prælati comparantur ſali ? [e Matth. 5, 13.] *Vos eſtis ſal terræ* e. Sàl non cauſat ordinariè ſitim ſui ipſius, ſed aquam : poſſunt eſſe Superiores, qui applicabunt omnes curas ſuas ad ſatagendum, ut ſitiantur ipſimet, id eſt, requirantur ; ſed verus Superior debet ſitire Deum, & gratiam illius, hoc eſt conſilium Dei qui illum ad iſtud officium eligit. Sublimitas dignitatis ipſius, non debet ipſum inducere ad obliviſcēdum ſui ipſius, ſed potiùs ad hoc ut laboret fideliter & cum tremore in hujuſmodi officio, quod eſt *onus Angelicis humeris formidandum* f. [f Conc. Trid. ſeſſ. 6. Decret. de Reformat. & Reſident. c. 1.]

Reverendi Patres, Deus præcipit vobis in perſonâ Patriarchæ veſtri, ut circuncidatis vos, id eſt, ut reſecetis à votis imperfectiones veſtras, pravas cōſuetudines veſtras, & peccata quæ dominati poſſent in vobis: Præceptum iſtud ſemper viget, & illud in praxim redigere ſemper tenemini, quandiu in vobis erit aliquid reſecandum: jugiter enim tendere debetis ad perfectionem, mortificantes paſſiones veſtras, & id omne quod poſſet diſplicere Deo. Iſtud eſt, quod egit Abraham ; hoc eſt, quod fecit Patriarcha veſter ſanctus, & quod facere debetis ad illius imitationē, ut meliùs obediatis Deo, qui vobis id præcipit, & qui regit vos per Superiores veſtros. In quo vobis ſatisfieri debet, eſſe eis inferiores, nedum æmulemini eorum dignitatem. *Martha ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait, Domine, non eſt tibi cura, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare ?* ſecundum S. Lucam g. [g Luc 10, 40. &c.] *Erat enim Maria intenta dulcedini verbi Domini. Intenta erat Martha quomodo paſceret Dominum, intenta Maria quomodo paſceretur à Domino. A Marthâ convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam jucundabatur*, ait S. Auguſtinus h. [h S. Aug. ſerm. 27. de Verb. Dom.] S. Martha videns ſororem ſuā magis progreſſam quàm eſſet ipſa, inde concepit æmulationem ſanctam, quam S. Paulus i nobis conſulit, [i 1. Cor. 12, 13.] *Æmulamini chariſmata meliora.* Unde S. Bernardus k dicit, [k S. Bern. ſerm. 3. in Aſſūp. B. V.] *Felix domus, & beata ſemper congregatio eſt, ubi de Mariâ Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorſus indignum, prorſus illicitum eſt. Alioquin ubi legitur Mariam cauſantem, quia ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare ? Abſit, abſit, ut qui Deo vacat, ad tumultuoſam aſpiret Fratrum officialium vitam.* Quæ perſæpè cauſat dominationem, cùm elevatio ad dignitates ſit periculoſa. S. Auguſtinus l explicans hæc verba Pſalmiſtæ, [l S. Aug. in Pſ. 4. 8.] *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt*, obſervat quòd Propheta, non dicit, *ſatiati*, ſed *multiplicati* ; poſſunt enim multiplicare deſideria ſua, ſed non poſſunt illa ſatiare, *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt*, ait Oſée m. [m Oſee. 10, 2.] Solus Deus ſufficere vobis debet, ſicut Magdalenæ, nedum turbemini erga reliqua : circuncidere debetis vos ab omnibus, ut fruamini Deo. *Vacate, & videte* n. [n Pſ. 45, 11] Et, *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*, ait S. Auguſtinus o, [o S Aug. lib. 10. Conf. c. 29.] Deum alloquens. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus* p. Vel, ut vertunt aliqui, *Vacuitatem pauperum exaudivit Dominus.* Et Genebrardus q, [p Pſ. 9, 38.] *Preces quibus deſiderat, auxilium, vel vota & pios motus animi.* [q Genebr. in hunc locum.] Propterea *Maria optimam partem elegit* r, juxta Jeſum Chriſtum. [r Luc. 10, 42.] *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate* s. Aliqui vertunt, *circundata vacuitate.* [s Pſ. 44, 10.] Vacui eſſe debetis omni genere deſideriorum, excepto deſiderio fruendi Deo, dulcis quietæ contemplationis, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* t. [t Cant 8, 6.] Sicut mors privat omnibus, ſic amor circuncidere & privare vos debet univerſis, ut meliùs adhæreatis Deo. Magdalena reliquit totum mundum ſuum muliebrem, ut adhæreret huic uni neceſſario, *Porrò unum eſt neceſſarium* u. Sic nullâ ex parte debetis eſſe alligati mundo, ut meliùs adhæreatis Deo. [u Luc. 10, 42.]

[III. Pars.] Tertium mandatum, quod Deus fecit Abrahæ, eſt ut immolaret ipſi filium ſuum : *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum, Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis : atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi* x. [x Gen. 22, 1 &c.] Quod erat executu difficillimum propter multas rationes. Primò, Quia Deus exigebat ab illo ſancto viro privationem rei, quam præ omnibus ipſe diligebat in mundo : non enim amat pater aliquid æquè ac filium ſuum, præſertim verò cum eximiis præditus eſt qualitatibus, ſicut erat Iſaac. Præceptum Dei non ſiſtit ibi, ſed fert, ut pater occidat dilectum filium ſuum, ut deſtruat id quod ipſe fecit, ut prodat naturam, & omnes affectus ſuos, ut meliùs obediat Deo, qui iſtud præcipit. Quamnam difficultatem debebat experiri pater hic amans ? quali certamine dimicabat intra ſe ad ſe determinandum : nam pater poſſet quidem ſe determinare ad hoc, ut privandus foret viſu filij ſui, ut obediret Deo volenti ſic ut ipſe non eſſet eum viſurus ampliùs : ſed ad hoc ut ſe determinet ad eripiendam ei propriâ manu ſuâ vitam, requiritur virtus pluſquàm communis. Quòd hæc mors fortuitò contingeret, nedùm eā pater cogitaret, tranſeat. Ha ! Deus vult ut Abraham eam inferat determinatâ voluntate. Quòd ſi pater iſte multos haberet filios, jactura iſtius patrem tanto non afficeret dolore : ſed Abraham non habet niſi iſtum filium, Iſaac eſt unicus matris liberæ y. [y Gal. 4. 23.] Nihil intereſt : Deus hoc ita vult, & præcipit huic patri ut illum perimat : & id quod augere debet ipſius dolorem, eſt quòd uxor ſua, quæ erat ſterilis, hunc ipſi *peperit filium in ſenectute ſuâ* z præ miraculo. [z Gen. 21, 2.] Præterquàm quòd Deus fecerat ipſi magnas promiſſiones in favorem iſtius filij, *Cùm benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ* a. [a Gen. 18, 18.] Non ſolùm præcipit ei ut illum interficiat, ſed etiam ut eum comburat, *Offeret eum in holocauſtum.* Cùm holocauſtum totum flammis eſſet conſumendum,

mendum. Et id quod auget dolorem ipſius, eſt, quòd per tres dies deducere debet illum ad locũ ſacrificij, per quos ipſius patientia erat meliùs examinanda, æquè ac affectio paterna, *Die atem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul.* Inſuper, Videbat ipſe filium ſuum innocentem, & quòd è morte ejus nulla provenire poterat utilitas. Deinde, Iſtius præcepti nullus erat teſtis, ſic ut ipſe dicere non poſſet ad excuſandam actionem ſic tragicam, quòd talis eſſet voluntas Dei, qui ſic præcepiſſet eam, cùm nemo hoc audiviſſet cùm Deus id ipſi præcepit. Præterquàm quòd hæc actio repugnabat qualitati & affectioni patris, & erat contraria rationi, ut pater occideret filium ſuum, & filium benè moratum & innocentem: & inde ſcandalum videbatur imminere, cùm eſſet res inaudita, quòd pater foret carnifex filij ſui. Non obſtantibus omnibus his rationibus difficultate præcepti, & injuſtitiâ ejus apparente, ipſe promptè obedivit mandato Dei, nedum ſe vellet excuſare, & petere juſtitiam & cauſam mandati; & illud executus eſt ſecretò, ne ab illius impediretur executione. Deus præcipit S. Ignatio, ut immolet Iſaac ſuum, qui eſt iſte *vetus homo noſter* b; ut morti tradat pravas conſuetudines vitæ ſuæ præteritæ, & malos affectus ſuos: & ipſe promptè obedit. *Ignatius natione Hiſpanus, nobili genere, Loyolæ in Cantabriâ natus, primò Catholici Regis aulam, deinde militiam ſecutus eſt. In propugnatione Pampelonenſi, accepto vulnere graviter decumbens, ex fortuitâ piorum librorum lectione, ad Chriſti, Sanctorumque ſectanda veſtigia mirabiliter exarſit. Ad montem Serratum profectus, ante aram beatæ Virginis ſuſpenſis armis, noctem excubans, ſacræ militia tyrocinium poſuit. Inde, ut erat indutus ſacco, traditis anteà mendico pretioſis veſtibus, Manreſam ſeceſſit. Vbi mendicato pane, & aquâ victitans, exceptiſque diebus Dominicis jejunans, asperâ catenâ, ciliciοque carnem domans, humi cubans, & ferreis ſe flagellis cruentans, per annum commoratus eſt*, &c. canit Eccleſia. Judicate de mortificationibus, quas deinceps exercere debuit uſque ad finem vitæ ſuæ, ut occideret omnino ſuum Iſaac, ſeu pravos affectus ſuos præteritos.

b Rom. 6. 6.

Reverendi Patres, Deus præcipit vobis ut Immoletis veſtrum Iſaac, more Abrahæ, & inſtar Patriarchæ veſtri, ſeu ut offeratis ipſi propriam voluntatem veſtram, nedum quid illius remaneat, quod igne non comburatur: auſcultare debetis vocem Dei, & mandata quæ ipſe vobis facit interventu Superiorum veſtrorum. Natura tenuit ſe ſubmittere: cavete ne propria veſtra voluntas inveniatur in obedientijs veſtris, non faciendo niſi id quod vobis placebit, nedum cæco impetu obediatis: ſatagite ne propria veſtra voluntas, quæ eſt venenum actionum ſanctarum, inveniatur in veſtro modo procedendi; & ne, ſi dicatis Deo, *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti: humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* ipſe reſpondeat vobis, *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra* c. In actionibus veſtris virtuoſis nolite quærere voſmetipſos, in illis agite purè per obedientiam; & ſi Superior adverſatur affectibus veſtris, ſi vobis imperat aliquid, quod vobis non arrideat, & interim vos ſubijcitis alacriter mandatis ejus, ecce modus immolandi *veterem hominem cum actibus ſuis*, ad faciendum revivere *novum eum qui renovatur in agnitionem ſecundùm imaginem ejus qui creavit illum* d.

c Iſai. 58. 3.

d Coloſſ. 3. 9.

IN FESTO CONSECRATIONIS ECCLESIÆ S. MARIÆ ANGELORVM.

Quid petis ut detur tibi? Et pro quâ re poſtulas? Eſth. 5. 6.

ACtum erat de natione Judæorum, *Et ſcriptum eſt, ut juſſerat Aman, ad omnes Satrapas Regis, & Iudices Provinciarum, diverſarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine Regis Aſſueri: & literæ ſignatæ ipſius annulo, miſſæ ſunt per curſores Regis ad univerſas Provincias, ut occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero uſque ad ſenem, parvulos & mulieres uno die, & bona eorum diriperent* a: niſi Mardochæus dolore ſenſibiliter affectus intuitu infortunij quod videbat imminere capiti ſuo, & toti populo ſuo, imploraſſet favores Reginæ Eſther, *Quæ cùm audiſſet Mardochæus, oſtendens amaritudinem animi ſui, mandavit Eſther, dicens, Ne putes quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis: ſi enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu & domus patris tui peribitis. Et quis novit utrùm idcircò ad Regnum veneris, ut in tali tẽpore parareris* b? Quæ gratioſa Regina lenocinijs ſuis revocandum ſategit id omne, quod edictum à Rege Aſſuero latum præ ſe ferebat funeſtum: *Eſther autem procidit ad pedes Regis: illaque conſurgens ſtetit ante eum, & ait, Si placet Regi, & ſi inveni gratiam in oculis ejus, & deprecatio mea non ei videtur eſſe contraria, obſecro, ut novis epiſtolis, veteres Aman literæ inſidiatoris & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis Regis Provincijs perire præceperat, corrigantur. Quomodo enim potero ſuſtinere necem & interfectionem populi mei? Reſponditque Rex Aſſuerus Eſther Reginæ, & Mardochæo Iudæo, Scribite Iudæis, ſicut vobis placet, ex Regis nomine, ſignantes literas annulo meo. Accitiſque ſcribis & librarijs Regis ſcriptæ ſunt epiſtolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad Principes, Procuratoreſque, & Iudices, qui centum viginti ſeptem Provincijs ab Indiâ uſque ad Æthiopiam præſidebant: Provinciæ atque Provinciæ, populo & populo juxta linguas & literas ſuas, & Iudæis, prout legere poterant, & audire. Ipſaque epiſtolæ, quæ ex Regis nomine mittebantur, annulo ipſius obſignatæ ſunt, & miſſæ per veredarios: qui per omnes Provincias diſcurrentes, veteres literas novis nuntijs prævenirent. Quibus imperavit Rex, ut convenirent Iudæos per ſingulas civitates, & in unum præciperent congregari, ut ſtarent pro animabus ſuis* c, &c. De noſtrâ omnium ſalute actum erat, Auditores: & non ignoratis, quòd fecerat nos peccatum ſtipendiarios juſtitiæ Dei, & victimas iræ ejus, quòd debebamus nos õnes per ignes trãſire, & quòd flãmæ vindices purgatorij debebãt expetere ſatisfactionem de demeritis noſtris, niſi appoſitè humilis P. S. Franciſcus, myſticus iſte Mardochæus, lacrymis perfuſus præ exceſſu amoris ſui, & affectus moleſtiâ immodicâ intuitu infortunij noſtri (idem enim eſt Mardochæus ac amara contritio) impetraſſet hodiernâ die literas libertatis, quæ nos eximunt è pœnis, quas meritò ſubire debebamus propter

a Eſth. 3. 12. & 13.

b Eſth. 4. 8. &c.

c Eſth. 8. 2. &c.

ter noſtra crimina; ſed interventu & favoribus i-
ſtius ſpecioſæ & gratioſæ Eſther, id eſt, Mariæ,
quæ ſuavibus lenociniis ſuis induxit Deum, mag-
num cœli Aſſuerum, ut deponeret arma iræ ſuæ,
& cùm eſſet in cœlo, ut eundẽ idem *Mardochæus*
deprecatus Dominum, memor omnium operum ejus,
d Epheſ. 3, 8. & 9. *dixit, Rex omnipotens* d, exiens *à Patre, & in mun-*
e Joan. 16, 28. *dum* e veniens, ſuo fieret *in utero* f *parvulus Fi-*
f Matth. 1, 23. ex Iſai. 7, 14. *lius* g, & admirabili fiat ſalvaret mundum, poſt-
quam ipſa reſpondiſſet, *Fiat mihi ſecundùm verbum*
tuum h, Angelo, qui ipſi dicturus eſſet, *Ave Maria.*
g Iſai. 9, 6. Veritas eſt infallibilis, quòd ad hoc ut conci-
piatur horror adversùs peccatum, cognoſcenda
h Luc. 1, 38. eſt illius enormitas, quæ inducit Dei Filium ad
emittenda ſuſpiria *cum lacrymis* i, & ſub ſuâ gra-
i Hebr. 5, 7. vitate opprimit Sanctos priſcorum temporum,
qui tantùm erant perſpicaces in innocentiâ ſuâ,
quantùm nos cœci ſumus in criminibus noſtris;
quique præferebant infernũ, & omne illud quod
hic habere poterat rigoris, omni illi quod pecca-
tum præ ſe fert alliciens fallacibus ſuis apparen-
tiis. Fortè non ignoratis quòd S. Anſelmus *d* di-
d S. Anſelm. lib. de Beatitud. c. 190. citat. à Stapleton. Dom. de Paſſ. in prompt. Mor. Hyem. xerit ſupra propoſitũ iſtud, *Si hinc peccati horrorẽ,*
inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & neceſ-
ſariò uni eorum immergi deberem, priùs infernum
quàm peccatum appeterem. Et, *Mallem purus à pecca-*
to & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde
pollutus, cœlorum Regna tenere. Sed ſi aliquis inter
Sanctos illud unquam abhorruit, & ob illud affe-
ctus eſt moleſtiâ propter vaſtitatem quã peccatũ
hujuſmodi edit in mundo, & propter funeſtas ru-
inas quas in illo cauſavit à primo momento nati-
vitatis ipſius, quis neſciat quòd is ſit humilis P. D.
Franciſcus, cùm deferret in corpore ſuo eadem
vulnera, quæ peccatũ impreſſerat humanitati ad-
orabili Jeſu Chriſti? *Verè languores noſtros ipſe tu-*
lit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus
eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humilia-
tum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates no-
ſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtras, prædixit Iſa-
ias *e* de Filio Dei. Et humilis P. D. Franciſcus me-
e Iſai. 53, 4. & 5. liùs dixit quàm diceret S. Paulus *f*, *Ego ſtigmata*
f Galat. 6, 17. *Domini Jeſu in corpore meo porto.* Jam à longo tem-
pore Sanctus iſte non cogitabat niſi de morte Sal-
vatoris ſui, ut inde meliùs horrorem peccati con-
ciperet; diu noctuque lacrymas effundebat, ſoli-
tudines non reſonabant niſi gemitibus & quere-
lis ejus, ipſe ſibi fecerat quaſi alter *Heraclitus*, de
g Calep. in Diction. V. Heraclitus. quo ſcribit Calepinus *g*, quòd *hic quoties domo e-*
grediebatur, flebat, ſed fœliciùs quã iſte, continuũ
exercitium lacrymarum ſuarũ: omnia objecta vi-
debantur ipſi funeſta, & natura nihil ipſi offere-
bat, unde non ipſe ſumeret occaſionem in novas
triſtitias abeundi: ſi videbat Solem opertũ nebu-
lis, ipſe recordabatur ſpecioſioris Lucis, nempe
h Eccleſia ex Malach. 4, 2. illius, quæ *eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* h, aliis
vaporibus atrioribus infeſtatæ: ſi intuebatur illum
occidere, aſpiciebat Salvatorẽ ſuum in claritate
i Joan. 19, 30. ſuâ moriente, *inclinato capite ſpiritum* i tradere, &
legebat dolores ejus in ipſius occaſu, qui apud A-
k Amos 8, 9. mos k *dicit, Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere*
faciam terram in die luminis. Unde dicit S. Hiero-
nymus *l*, *Poſſumus hunc locum & in Domini intelli-*
l S. Hier. lib. 3. in Amos 8, 9. *gere paſſione, quando Sol horâ ſextâ retraxit radios*
ſuos: & pendentem in cruce Dominum ſuum ſpectare
non eſt auſus, quando tenebris cuncta complectenti-
m ex Luc. 23, 44. & 45. *bus* m, *feſtivitates & cantica, Veſpaſiano Titoque ſu-*
perantibus, in planctum luctumque mutata ſunt. Om-
n Joan. 19, 17. & 18. nes arbores repræſentabant ei illam quam *baju-*
lans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ
locum, ubi crucifixerunt eum n. Videndo lapides,

ſtatim in memoriam illius revocabantur eæ, quæ
in morte ejus *petræ ſciſſæ ſunt* o. Annunciabat po- o Matth. 27, 51.
pulis paſſiones ejus, & potenter declamabat ad-
versùs vitia quæ illi mortẽ intulerant, & invehe-
batur in eos, qui erant *rurſum crucifigentes ſibimet-*
ipſis Filium Dei p. Nemo unquam magis compaſ- p Hebr. 6, 6.
ſus eſt pœnis ejus, nullus unquã etiam magis ab-
horruit peccatũ, quod ſciebat fuiſſe cauſã mortis
illius: Ipſe quærebat deſerta remotiſſima, ſicut &
montes elevatiſſimos, quorũ ſilentium & horror
fovere poterant moleſtias ipſius ordinarias ſine
ullâ intermiſſione: Ipſe non aſpirabat nec ſuſpi-
rabat niſi ad annihilationem peccati, ut meliùs
ædificaret ſuper ruinas ejus, ſuperque eas ſtabili-
ret piæ majori gloriâ trophæa amoris Domini
ſui: Ipſe non ignorabat quanto Salvatori conſti-
tiſſet redemptio animarum noſtrarum, quas *dile-*
xit, & lavit à peccatis in ſanguine ſuo q. Quod indu- q Apoc. 1, 5.
cebat ipſum inter vehementiſſimos ardores ſuos
ad inſtanter efflagitandũ, quantùm in ipſo erat,
ut omnes iſtæ pœnæ non forent in vanum; ſed ut
animæ exoneratæ à peccatis ſuis, & onuſtæ Divi-
nis ipſius meritis promovere poſſent gloriam ip-
ſius, & citiùs ibi agnoſcerent, quàm infinitè eſſent
devinctæ Liberatori ſuo, *Quâ libertate Chriſtus nos*
liberavit r. Sicut igitur *beatus Franciſcus omnes Ec-* r Galat. 4, 31.
cleſias ſemper quoad vixit ſummoperè dilexit; maximo-
que in honore habuit: præcipuo tamen ſtudio, ſingula-
rique religione ædiculam illam propè Aſsiſium coluit,
quæ Eccleſia tum ſancta Maria Angelorum, tum Por-
tiuncula nominatur: idque multis de cauſis: Pri-
mùm, propter ejus incredibilem in beatiſsimam Ma-
trem Dei pietatem, maximamque in ſanctos Angelos
obſervantiam: Deinde, quod non ſolùm ex aliis
cognoviſſet, in eo ſacello ſuaviſsimos angelorum con-
centus audiri, ex quo etiam cognomen accepiſſe pu-
tabatur: ſed etiam ipſemet expertus eſſet, eorum-
que aſpectu, colloquiis, ac ſolatio potitus eſſet: Po-
ſtremò, quòd ea eſſet Eccleſia tanto longè anteà à
Domino præparata, in quâ Ordinem ſuum incho-
aret, quam idcircò Eccleſiam Portiuncula appella-
ri voluiſſet, quòd eſſet futura Mater & Caput pu-
ſilli gregis Fratrum Minorum: quamobrem mirum
in modum cupiebat, ut ab omnibus in ſummâ ve-
neratione haberetur: cùm nocte quâdam oraret in
habitaculo ſuo ſupradictæ Eccleſiæ proximo, ſigni-
ficatum eſt ei divinitùs, in ipſa Eccleſiâ eſſe Do-
minum Jeſum, ejuſque ſanctiſsimam Matrem cum
ingenti multitudine Angelorum. Quo nuncio in-
credibili affectus lætitiâ, confeſtim ſurrexit: &
ſummâ cum religione delubrum ingreſſus, cùm
primùm ineffabilem illam Filii Dei majeſtatem
& gloriam aſpexit, ante conſpectum cujus pro-
cubuit, eumque quam maximâ potuit animi ſub-
miſſione ac pietate adoravit. Quem Dominus be-
nigniſsimè appellans admonuit, ut ab eo aliquod be-
neficium pro ſalute hominum peteret. At ille ad-
jutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat,
ſupplex petiit, ut omnibus Eccleſiam illam introeun-
tibus concederet veniam & indulgentiam omnium
peccatorum ſuorum, quorum confeſsionem Sacerdoti
feciſſent. Reſpondit Dominus id ſibi placere, præcepit-
que illi, ut ejus Vicarium adiret, & ab eo ſuo nomine
illam indulgentiam poſtularet. Tandem intelligens
Pontifex Divinam Voluntatem, conceſſit eam beato
Franciſco plenariam quidem, et liberam; ſed unius
duntaxat diei naturalis cujuſcumque anni, hoc
eſt, à veſperis Calendarum Auguſti uſque ad ve-
ſperas ſequentis diei, qui eſt anniverſarius dies Con-
ſecrationis ſupradictæ Eccleſiæ, ſicut in iſtâ canit Ec-
cleſia ſolemnitate.

Quot myſteria, Auditores! Extra me rapior in-
tuitu magnitudinis illorū. Franciſcus eſt beatus,
cùm habeat fruitionē Dei, cujus poſſeſſio facit to-
tum paradiſum Beatorum, ſicut aliàs Patri ſuo idē
*Ieſus ſublevatis oculis in cœlum dixit, Pater, hæc eſt vi-
ta æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deū verum, & quē
miſiſti Ieſum Chriſtū* s. Ha! quid de illis dicemus?
s Joan: 17, 1, & 3. Loquemurne de iſtâ gloriâ? vel laudabimuſne
liberalitatem Domini volentis ita vehementer
gratificari ſervo ſuo? Quinpotiùs, & meliùs ad
propoſitū noſtrum, admirabimur zelū hujus Se-
raphini incarnati erga ſalutē animarū, efflagitan-
tis mediâ libertate quam tribuit ipſi Dominus pe-
tendi à ſe quidquā ad hujuſmodi finē, indulgentiā
plenariā, eo modo quo jam dictū eſt, quæ & ipſi
conceſſa fuit. In quo Seraphicus iſte Pater petivit
Diviſio. Primò id quod erat gratiſſimum Deo: Secundò
illud quod erat utiliſſimum hominibus. Et hoc
eſt etiam quod oſtendam vobis in duabus parti-
bus diſcurſus iſtius.

I. Pars. Deus qui non agit niſi propter ſemetipſum, &
qui in operationibus ſuis proteſtatur ſe non in-
tueri niſi gloriā ſuá, quippequæ eſt terminus om-
nium conſiliorū ipſius, *Univerſa propter ſemetipſum*
t Prov: 16, 4. *operatus eſt Dominus* t, ita diligit ſalutē hominum
ut præ ſe ferre videatur curas pluſquàm paternas,
ut hi cōmunicare poſſint aliquando Divinæ ſuæ
fœlicitatis omnia peragit, nulli rei parcit ad ope-
randam eorū converſionē, & ſalutē promoven-
dā: & cū hæc converſio, ſeu ſalus ſit opus eximiū
manus ipſius, cū ipſemet eis dicat, *Sine me nihil po-*
u Joan: 15, 5. *teſtis facere* u, eam inſumit ad hunc effectum emi-
nentem: & quaſi verò ſalus hominū addere poſ-
ſet aliquod incrementū ipſius gloriæ, aut aliquid
novi Divinæ ipſius fœlicitati, procurat ipſe eam
tanto ardore, ut ipſe, *qui cùm in formâ Dei eſſet, non
rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet-
ipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitu-*
x Philip: 2, 6, & 7. *dinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* x,
continuis laboribus & pœnis *quaſi annorum tri-*
y Luc: 3, 23, &c. *ginta* y trium non pepercerit, ſicut ipſemet fate-
z Pſ: 87, 16. tur apud Pſalmiſtam z, *Pauper ſum ego, & in labo-
ribus à juventute meá*; imò nec effuſioni ſanguinis
ſui, quē ipſe liberaliter tribuit ut unicū pretium,
quod judicat ipſe neceſſariū ad operandam hujuſ-
modi redemptionē, *Sicut & Chriſtus dilexit nos, &
tradidit ſemetipſum pro nobis oblationē & hoſtiā Deo*
a Epheſ: 5, 2. *in odorem ſuavitatis* a. *Qui omnes homines vult ſal-
vos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim
Deus, unus & Mediator Dei & hominū, homo Chriſtus
Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omni-*
b 1, Tim: 2. 4, &c. *bus* b. Nemo autē putet quòd *Verbum caro factū* c
c Joan: 1, 14. eſſet, niſi Adā vetito *de fructu* d comediſſet; quòd
d Gen: 3, 6. *unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* e, eodem exi-
e Joan: 1, 18. viſſet *à Patre, & in mundum* f veniſſet, ut *ubi venit
plenitudo temporis* g, *in utero* h B. Virginis Mariæ
f Joan: 16, 28. carnem ſumpſiſſet humanā; quòd ſuſcepiſſet hanc
g Galat. 4, 4. magnam itinerationē è cœlo in terrā tantis greſ-
h Matth. 1, 23. et Iſai: 7, 14 ſibus, ut velocitatē gigantis imitaretur, ſicut ait
i Pſ: 18, 7. Pſalmiſta i, *Exultavit ut gigas ad currendā viam, à
ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad
ſummū ejus: nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*. Et
k Gen: 3, 18. quòd deſerviſſet aliquo modo ſuæ fœlicitatis æ-
ternitatē, ut veniret in terrā, quæ *ſpinas & tribu-
los* k germinare debebat, quibus aliquando *mili-
l Joan. 19, 2. tes plectentes coronam de ſpinis, capiti ejus* l impuſi-
turi erant, uſque ad educendū inde ſanguinē ip-
m Jer 31, 3. ſius. Noſtra ſalus, fuit ſolum motivū iſtius longæ
itinerationis, amor quo *in charitate perpetuâ* m
n 1, Joan. 3, 8. ipſe dilexit nos, ipſum eduxit è cœlo: *In hoc appa-
ruit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli* n. Et finis
præcipuus miſſionis ejus in hoc eſt ſitus, ut nos
reducat in ovile Patris ſui, ſicut ipſemet dixit, *Et
fiet unum ovile, & unus paſtor* o. Et omnes labores
ejus nullum aliū habebant ſcopū niſi ſalutē mun- o Joan. 10, 16.
di: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvū facere
quod perierat* p. Unde S. Auguſtinus q ſuper hæc p Luc. 19, 10.
verba S. Pauli, *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum*
peccatores ſalvos facere, quorū primus ego ſum, dicit, q S. Aug. ſerm. 9. c. 1. de Verb. Apoſt. 1. Timoth. 1, 15.
*Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi pecca-
tores ſalvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nul-
la cauſa eſt medicinæ. Si venit de cœlo magnus Medi-
cus, magnus per totū orbē terræ jacebat ægrotus. Ipſe æ-
grotus genus humanū eſt.* Quòd ſi Adam, iſte primus
homo, & hic primus peccator nō eſſet tranſgreſ-
ſus mandatū Divinū, iſtud nunquā accidiſſet, quia
fine ceſſante media terminantur: finis adventus
Filii Dei in mundū non fuit niſi ſalus hominum à
funeſto lapſu Protoplaſti eorū, qui non contigiſ-
ſet, ſi ille permanſiſſet in innocentiâ in quâ crea-
tus fuerat r: & ſic Incarnatio quæ fuit electa ut r Gen. 2, 27.
medium peragendæ ſaluti totius mundi, quæ
erat illius finis, opportunum, neceſſaria non fuiſ-
ſet. Ita ſentit maxima pars Theologorum cum S.
Thoma s poſt S. Auguſtinum.

Pater æternus præ exceſſu dilectionis erga cre- s S. Thom. 3, p. q. 1. a. 3. in corp.
aturas ſuas, ſacrificat proprium Filium ſuum uni-
cū univerſis rigoribus juſtæ iræ ſuæ, & vult ut ex-
periatur in corpore ſuo innocente id, quod cōſcii
criminum merebantur ſupplicii: *Qui etiam pro-
prio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradi-
dit illum* t. Quam eximiam charitatem admirata t Rom: 8. 32.
exclamat Eccleſia u, *O mira circa nos tua pietatis* u Eccleſia Sabbat. S. in Benedict. Cerei Paſch.
*dignatio! O inæſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervū
redimeres, Filium tradidiſti. O certè neceſſarium Adæ
peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O fœlix
culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemp-
torem!* Tantum præ ſe fert Pater æternus rigo-
rem, & ſic ingentem ſeveritatem adversùs dile-
ctum Filium ſuum, quantam exhibet ſuavitatem
& affabilitatē inimicis ſuis: ipſe punit Dominum,
*qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore
ejus* x: ut ſalvet ſervum inter crimina ſua, *Propter* x 1, Petr: 2, 22, ex Iſai: 53, 9
ſcelus populi mei percuſſi eum y. Et mors unius ſer-
vi te non debet niſi ad dandam vitam alteri, ſicut y Iſai: 53, 8.
iſte Filius ait, *Ego veni ut vitam habeant, & abun-
dantius habeant* z. Et ſanguis iſtius Filii qui eſt z Joan: 10, 10.
pretii infiniti, debet eſſe remedium curandis uni-
verſis infirmitatibus ſuæ plebis accommodum.
Nunquid non exceſſus iſte eſt cumulus amoris,
qui jam pervēnit ad extremam ſuæ perfectionis
periodum, & ad altiſſimum excellentiæ ſuæ api-
cem? Ego autem majorem iſto reperire non
poſſum.

Filius qui non habet aliquid detrahens aut mi-
nus iſtis exceſſibus dilectionis Patris ſui, volunta-
riè ſe vult crudelitatis creaturarū ictibus expone-
re, & redimere *ſanguine ſuo* a homines, quos Pa- a Apoc: 1, 5.
ter ſuus *creavit* miſericordiâ ſuâ *ad imaginē, & ſi-
militudinē ſuā* b. Læto animo & corde amoroſo b Gen: 1, 27.
perpeſſionibus offert ſe ſubeundis, *Oblatus eſt,
quia ipſe voluit* c. Et Patrem ſuum alloquens, ait c Iſai: 53. 7.
illi, *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem
perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non po-
ſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri
ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam,
Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis
mei* d. Ha! volo mori, dummodò peccato-
res vivant. Sanguis meus eſtne neceſſarius ad d Pſ: 39. 7 &c.
impertiendam illis iſtam vitam? Ha! illum da-
re volo præ profuſione, ita ut *unus militum lan-* e Joan. 19. 34.
ceâ latus meum aperiat, & continuò ſanguis e iſte
totus

totus exeat ad ultimam uſque guttam, ut ex hâc apeiturâ videant homines flammas amoris mei erga ipſos, & conſequenter ardeant iiſdem flammis quibus ego conſumor, quippe qui *ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi ut accendatur* f? Ego volo eſſe objectum tyrannidis, & omnium rigorum, ut iiſdem homines nihil habeant ampliùs ſperandum niſi ſuavitates poſt ſic amplam & ita exuberantem ſatisfactionem pro criminibus ipſorum juſtitiæ tuæ Divinæ a me impendendam: derideo omnia tormenta, *Quia fortis eſt ut mors dilectio. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* g. Propterea *tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum* h. Amor ſuus inducebat ipſum ad tacendum medias inter paſſiones ſuas, veritus ne ſermo ſuus foret obſtaculum paſſioni ſuæ, ſi vim eriperet inimicis ſuis: infringere poterat illis brachia, & declinare ab omnibus conſiliis eorum, proferendo vel unicum verbum, non ſecus ac cùm in horto *dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram* i. *Jeſus autem tacebat, & non reſpondit ad ullum verbum* k. Quia ſua vox contraria fuiſſet conſiliis ſuæ charitatis, ſi in terram proſtraviſſet perſecutores ſuos. Ut autem oſtenderet cum quanto ardore patiebatur ob ſalutem noſtram, ipſe recuſavit auxilium præſens & infallibile verbi quod ipſum educere poterat ex omnibus pœnis ſuis, ſicut jam ſubſidium ſuſcipere noluerat ab Angelis, quos ipſi Pater ſuus mittere potuiſſet ut auxiliarentur ipſi, ſicut ipſemet dixit Petro in horto, *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum* †? Suis abrenunciat ipſe conſolationibus, ut meliùs delicias nobis paret in diſpendium oblectamentorum ſuorum per recuſationem voluntariam cujuslibet auxilii quam facit illius in neceſſitate conſtitutus. Exceſſus ſuæ charitatis facit ipſum pati cum tanto amore, ut vix amiſerit vitam media inter tormenta, cùm videtur illorum oblitus, cùm dicat duobus diſcipulis ſuis euntibus *in caſtellum, nomine, Emmaus, Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad invicem* l? A tribus duntaxat diebus ipſi mors illata fuerat, & ipſe non cogitat ampliùs de paſſionibus ſuis: & ſi priùs cruci ſuffixus, ſic querebatur Patri ſuo, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* m? ideò quia non habebat ampliùs vires, quibus diuturniùs & ardentiùs pati poſſet, ut meliùs nobis teſtaretur amorem ſuum, qui cùm ipſum induxiſſet ad paſſiones à primo inſtanti vitæ ſuæ, comitari debebat ipſum uſque ad extremum ſuæ mortis momentum, ut faceret ipſum pronunciare hoc ultimum verbum conſolationis, quod finem conſtituit omnibus conſiliis ſuis, *Conſummatum eſt* o. Omnia ſunt finita, ſi excludatur amor meus, qui *non habet finem* p, quippe qui *in charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te, miſerans* q, ait ipſemet, alloquens ſingulos noſtrûm.

f Luc. 12, 49.
g Cant. 8, 6, & 7.
h Act. 8, 32. ex Iſai. 53, 7.
i Joan. 18, 6.
k Matth. 26, 63, & 27, 14.
† Matth. 26, 53.
l Luc. 24, 13, & 17.
m Matth. 27, 46, ex Pſ. 21, 2.
o Joan. 19, 30.
p Baruch 3, 25.
q Jer. 31, 3

Spiritus ſanctus, qui eſt vinculum Patris & Filii r, amplectitur etiam cauſam noſtram, & oſtendit nobis praxibus ſuis, ſe non minori zelo duci erga ſalutem noſtram, quàm moveantur aliæ duæ perſonæ Divinæ SS. Trinitatis, quia cùm ſit principium amoris, & origo omnis boni, quærit in omnibus ſe nobis communicare, & vellet quidem nullam reperire reſiſtentiam, ut ſibi conciliare poſſet corda noſtra, nedum foremus *ipſi rebelles lumini* s gratiarum ſuarum. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus ſicut oportet neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* t. Ipſe jugiter ſtat *ad oſtium* cordium noſtrorum, *& pulſat* u, ut illa ingrediatur, licet interdum & perſæpè experiatur ſe repelli, quod ipſe pati non poteſt, videns ſe fruſtratum conſiliis ſuis, quànvis hæc nobis ſint proficua, quippe quæ non tendunt niſi ad operandam juſtificationem noſtram, & ad nos meliùs reddendos dignos gratiis ſuis, quæ ſunt cauſa noſtræ fœlicitatis; & ipſe tanti æſtimat ſalutem noſtram ut deſerere videatur Verbum quod ipſum inſpiravit, & à quo ipſe æquè ac *à Patre procedit* x in æternitate, relinquens ipſum deſtitutum conſolationibus, ratus quòd talis derelictio remedium eſſet ſanandis malis noſtris opportunum, cùm dicat iſtud Verbum ſic derelictum, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* y.

r Joan. 15, 26.
s Job 24, 13.
t Rom. 8, 26.
u Apoc. 3, 20.
x Joan. 15, 26.
y Matth. 26, 38.

Tandem, Tota SS. Trinitas potenter elaborat profectum noſtrum, & prodit aliquo modo (ſi mihi iſtud licet dicere ſinè blaſphemiâ) fœlicitatem ſuam, cui injurioſa videtur, ut meliùs faveat cauſæ noſtræ, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* z. Eſt igitur correſpondere conſiliis Dei ac zelo duci erga ſalutem animarum, in quo ita eſt fortiſſima cogitatio Dei, qui *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, ait nobis S. Petrus a, æquè ac maximus conatus potentiæ Dei, ſicut ait S. Auguſtinus b ſuper hæc verba Filii Dei, *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet. Quæ opera niſi ut ex impio juſtus fiat? Prorſus majus hoc eſſe dixerim, quàm eſt cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo & in terrâ. Et cœlum enim & terra tranſibit* c: *Prædeſtinatorum autem, id eſt, eorum quos præſcit* d, *ſalus & juſtificatio permanebit.* Hoc eſt eſſe coadjutores illius, ac curas ſuas inſumere ad reducendum id quod ipſe maximè diligit, ait S. Dionyſius e, *Uniuſcujuſque eorum qui in hierarchiâ cooptati ſunt, in eo poſita perfectio eſt, ut pro ſuâ quiſque virili parte ad Dei imitationem contendat: & id quo nihil Divinius eſt, Dei, ut ſacra Scriptura* f *loquitur, fiat adjutor, Divinamque in ſe actionem* g *quantùm poteſt oſtendat.* Fœlix officium! fortunatum miniſterium! gratum exercitium! cum afferat oblectamentum & gloriam Deo, qui ſolus vero & ſolido perfundere poteſt oblectamento creaturas ſuas, communicando ſe eis præ exceſſu bonitatis ſuæ. Seraphicus P. D. Franciſcus petens remiſſionem & indulgentiam plenariam peccatorum, flagitat juſtificationem impiorum, quæ eſt opus maximum inter ea quæ exire poſſunt è manu Dei; requirens igitur hanc indulgentiam, poſcit etiam ut conſilia Dei ſuos habeant effectus, ut Divina Potentia manifeſtetur in gratiam peccatorum, quos, ad hoc ut illam lucrentur, pœnitere debet ſcelerum ſuorum cum firmo propoſito ab iis impoſterum abſtinendi, & præ actu amoris Dei, qui uſque ad tempus illud deſpectus fuerat, cum tamen ſit diligendus *ex toto corde* h, quod eſt ultimus gradus, & extrema diſpoſitio ad gratiam juſtificantem: hæc omnia Seraphicus P. D. Franciſcus efflagitat cùm exigit indulgentiam plenariam tribuendam iis, qui pœnitentes, confeſſi, & ſacrâ Communione refecti ingrediuntur hanc Eccleſiam: & ideò concludamus conformiter ad propoſitionem noſtram, quòd tribuit oblectamentum Deo, cùm in omnibus adimpleat conſilia ipſius, quæ non ſpectant niſi ſalutem hominum, quæ eſt terminus actionum ipſius ad extra, & motivum miſſionis Divinarum Perſonarum: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mun-*

z Rom. 8, 31. & 32.
a 1. Petr. 3. 9.
b S. Aug. tract. 72. in Joan. 14. 12.
c ex Mat. 24. 35.
d ex Rô. 8, 29.
e S. Dionyſ. lib. de Cœl. Hier. c. 3.
f ex Matt. 5. 48.
g ex Joan. 5. 17.
h Matth. 22, 37.

mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum i. Deus amoroſâ voluntate *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* k. Et Seraphicus P.D.Franciſcus oratione ſuâ petit ut iſta voluntas ſit efficax per integram abolitionem omnis criminis, quæ nos reddat capaces gloriæ poſſidendæ. Sed non ſufficit ad extollendam excellentiam orationis Seraphici P. D. Franciſci,ut ipſius poſtulatio ſit grata Deo; ea eſt etiam utiliſſima & maximè proficua hominibus, cùm ipſa non intueatur niſi illorum commodum & emolumentū. Et hoc nobis ſupereſt videndū.

i Joan 3. 17.
k 1 Tim. 2 4.

II. Pars. Nunquam meliùs aut ſplendidius manifeſtatur amor, quam cùm agit purè propter bonum rei amatæ, nedum intueatur commodum ſuum privatum, quod facit vaſtitatem iſtius ſancti exercitii charitatis. Seraphicus P. D. Franciſcus ſuſceptâ à Dei Filio libertate petendi a ſe favoris alicujus, & certus ab eo redditus ipſum conſecuturum ab ipſo quidquid efflagitaverit, petit igitur amicus iſte Jeſu, ſed quid? num aliquid quod ſit ipſi proprium? aliquod privilegium pro Religione ſuâ, quæ erat adhuc in cunis, ad ſtabiliendā eam? Nequaquam: ſed potius ſciens quod bonum privatū cedere deberet publico, præfert totum corpus uni è partibus ſuis, bonum totius Chriſtianiſmi bono ſui Ordinis, petit hanc indulgentiam fidelibus univerſis communem, quā ad ſolos ſuos terminare & reſtringere poterat filios; in hoc generoſus, quòd non intuetur niſi bonum publicum, non autem privatū. Ambitioſus imaginaretur, quod iſte Seraphinus incarnatus datâ ſibi libertate petendi quodcumque vellet, efflagitaturus eſſet honores, æquè ac divitias, & commoda temporalia, quæ faciunt ſolidiſſimam gloriam mundanorum, qui *beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt* l. Ha judiciū fallax! Seraphicus iſte Pater non majoris æſtimat hæc omnia quā ſtercus, & præ tanta veritate præ quanto affectu dicit cum Apoſtolo m, *Omnia arbitror ut ſtercora ut Chriſtum lucrifaciam.* Univerſa deſpicio quæ mundus multi æſtimat, gloriæ ejus ſunt opprobria mea, & omnes confuſiones meæ ſunt motivum dulciſſimorum gaudiorum meorum: unum ambio duntaxat, ut lucrari poſſim Deum meum, & proximum meū illi. Voluptuoſus, hic amator ſui pluſius ait, quòd expoſcere deberet voluptates corporis ſui, delicias illius, & obleſtamenta ejus. Ha! nequaquam; illud enim ipſe excipiet tantâ ſævitiâ ut efflagitaturus ſit ab eo veniam antequàm moriatur pro eo quòd ipſum ita dirè tractaverit. Ha! Seraphicus P. D. Franciſcus, hic amans animarum nihil æquè flagitat ac ſalutem earundem animarum, zelo comburitur erga profectum illarum, ſuam petitionem dirigit ad earum utilitatem, cùm iis deprecetur gratiam, quæ in hoc mundo eſt ſemen gloriæ, & ſola via per quam ad iſtā pervenitur. Nunquid non iſtud eſt ſibi devincire Chriſtianiſmū in æternitatē interventu ſupplicationis hominibus ita favorabilis?

l Pſ. 143. 15.
m Philip. 3. 8.

Ego autem exiſtimo majori obligatione non poſſe devinciri eum, qui lapſus eſt in aliquam foveam, quàm ſi porrigatur ipſi manus aliqua charitativa, quæ ipſum illinc educat; nec ullas eſſe gratiarū actiones, quæ ſatisfacere poſſint beneficiis ejus qui dirupit catenas, quæ nos tenebant captivos inter populos incognitos, & qui nihil habebant familiarius homicidio; & qui, cùm ſemper manere deberemus exules à patriâ noſtrâ inimici Principis noſtri, reſtituit nos in amicitiam illius, & in poteſtatem fruendi omnibus favoribus, quos liberalitas ejus nobis alias conceſſerat tempore innocentiæ noſtræ, & quibus ejus juſtitia nos privaverat propter crimina noſtra. Hæc veritas eſt ita manifeſta ut nobis non permittat poſſe dubitare quin iſtæ prærogativæ ſint maximæ earum quæ nobis fieri poſſunt, & quas poſſumus ſuſcipere: ingredimini, ſi placet, hodiernâ die in vosmetipſos, Auditores; cogitate quàm multùm devincti eſtis Seraphico P. D. Franciſco, cùm requirat reſurrectionem veſtram poſt lapſum veſtrum in foveam peccatorum: ſufficit ut levetis manus cum Rege pœnitente intuitu criminū ſuorū, & dicatis Deo ſinguli, non ſecus ac ille, *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis* n. Deus magne, lapſus ſum in labyrinthum omnis infortunii, in foveâ peccati & maledictionis, incucurri inimicitiam tuā, projectus in hunc puteum profundum, unde exire non poſſum ſine funiculo gratiæ tuæ. Incucurreramus omnes inimicitiā Dei, Auditores, captivi detinebamur ſub crudeli ſervitute Satanæ. *Quia omnis qui facit peccatū, ſervus eſt peccati* o. Et, *Magnus dæmon peccatū eſt* p. Et Seraphicus P. D. Franciſcus hodiernâ die ſit liberationis noſtræ mediator, ſufficit autem ut cum illo cooperemur, ut *vere liberi* q ſimus. Ha! quā magnus favor! Peccatū nos relinquebat ſtipendiarius juſtitiæ Dei, & debebamus ei ſolvere uſque ad *noviſſimum quadrantē* r, aut in hoc mundo per bona opera, orationes, jejunia, & eleemoſynas s, necnon & paſſiones t, aut in altero per ignē purgatorii deſtinatū ad nos purgandos u, ſicut aurum purgatur in fornace, & nos reddendos ita puros ut intrare poſſimus in gloriā, cùm ſcriptū ſit x, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatū, aut abominationē faciens & mendacium.* Licèt enim per *Pœnitentiā* y, quæ eſt Sacramentū, deleatur culpa, tamē ſæpè contritio ſic ingens non eſt ut aliquid pœnæ non remaneat expiandum; quod Hæretici noſtri non admittunt contra propriā experientiam, quā illius egit Rex David poſt peccatū ſuum adulterii patrati cū Bethſabee, & homicidii, cùm præcepiſſet deinde interimendū virū ejus Vriam, quod & factum eſt z. Iſtiũ Principē pœnitet iſtius utriuſq; peccati, *Et dixit David ad Nathan, Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatū tuū: veruntamen filius qui natus eſt tibi, morte morietur* a. Unde patet mutatio pœnæ æternæ, quā incurrere debebat Rex iſte, in pœnā temporalē mortis filii ſui ex illo cōcubitu illegitimo ſuſcepti. Sed, Auditores, *ſinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorū* b. Licèt totū haberent iſti Solem præ oculis, ſemper eſſent tales: hæc eſt juſta pœna obſtinationis ipſorū; derident ipſi pœnā iſtā temporalē, culpâ peccati dimiſſâ, quamvis præfatam veritatē nemo negare poſſit quin manifeſtè Scripturæ adverſetur. Seraphicus P. D. Franciſcus impetrans igitur indulgentiā plenariā univerſis illis, qui contriti, confeſſi, & ſacrâ Cōmunione refecti viſitabunt Eccleſiā S. Mariæ Dominæ Angelorum ſitam Aſſiſii, (& per communicationē omnes alias Ordinis noſtri per diplomata ſummorum Pontificū) impetrat remiſſionē culpæ, & totius pœnæ, quæ ſuſtineri debebat in hoc mundo, aut in purgatorio. Judicate quā multū eſtis ei devincti propter magnitudinem petitionis ipſius.

n Pſ. 143. 7.
o Joan. 8. 34.
p S. Chryſoſt. ho. 33. ex cap. 9. Matth.
q Joan. 8. 36.
r Matth. 5. 27.
s Tob 12 8, & 9, & Dan. 4, 24.
t Act. 14. 21.
u Malach 3, 3.
x Apoc. 21, 27.
y Luc. 13, 3.
z 2. Reg. 11, 4, &c.
a 2. Reg. 12, 13, & 14.
b Matth. 15, 14.

Re autē verâ quid utilius hominibus, & omnibus fidelibus? Nunquid nō iſtud eſt ſibi devincire petitione iſtâ totā Eccleſiā militantē, patientē, & triumphantē? Eccleſiam militantē, cùm poſſimus virtute iſtius indulgentiæ, quæ non eſt aliud, niſi meritū & pretium ſanguinis Filii Dei, ſatisfacere juſtitiæ Dei pro omnibus pœnis quas ſuſtinere debebamus ad expianda peccata noſtra, Eccleſiam

patien-

patientē, cùm lucrati poſſimus hanc indulgentiā pro animabus detentis in his ergaſtulis ardentib⁹ igne & flammis iræ & juſtitiæ vindicativæ Dei, eamq; illis applicare per modū ſuffragii. Eccleſiā triumphantē: Ha! quantas agunt gratias animæ hujuſmodi, videntes quòd per hanc indulgentiā fruuntur ipſæ citiùs præſentiâ Divini Sponſi ſui, liberatæ à pœnis, quas juſtè pati debebant in præfatis purgatorii ergaſtulis: quamnā præ ſe ferunt gratitudinem erga liberatorem ſuam, qui ipſas ſic valdè devinxit ſibi; & erga totam SS. Trinitatē ſimul, quæ non volebat niſi fœlicitatē ipſarū, quippe quæ ex naturâ ſuâ eſt *ſuavis & mitis, & multæ*

c Pſ. 85, 5.

miſericordiæ omnibus invocantibus c ſe, cùm juſtitia

d Iſai. 28. 21.

ſit velut *alienum opus ejus* d. Cœlum non eſt ingratum, Auditores, Eccleſia triumphans incumbit actionibus gratiarū pro beneficii ſuſceptis: Eccleſia patiens expectat ſuffragia noſtra: & Eccleſia militans nos hortatur ut hauriamus utilitatem è theſauris iſtis. Ha! obſecro, ne ſimus injurioſi felicitati noſtræ, blandientes nobis in puſillanimitate noſtrâ: quòd ſi viget adhuc aliquis in nobis affectus erga ſalutem noſtram, ne ſimus crudeles nobis ipſis, recuſantes id quod noſtram promovet beatitudinem: Deus ſuas nobis offert gratias interventu ſervi ſui: erimuſne eò uſque infelices ut renuamus illos præ deſpectu? Angelus iſte, id eſt, S. Franciſcus, cum verè ſit Angelus (ſicut illum vocat S. Bonaven-

d S. Bon. in Prolog. Legendæ S. Franc.

tura d, dicens, *Vidi, ait Ioannes* e, *alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis habentem ſignum Dei vivi. Hunc Dei nuncium amabilem Chriſto, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, ſervum Dei fuiſſe Franciſcum, indubitabili fide colligimus:*

e Apoc. 7, 2.

ſi culmen in eo eximiæ ſanctitatis advertimus, quâ inter homines vivens imitator fuit puritatis Angelicæ, quâ & poſitus eſt perfectis Chriſti ſectatoribus in exemplum) nos excitat, & invitat ad ſurgendum, & nobis dicit in ſervitute peccati conſtitutis ſingulis, non ſecus ac ille qui heri S. Petrum

f Act. 12, 7. &c.

Angelus Domini excitavit, dicens, Surge velociter f. Sed præ hâc differentia, quòd innocentiâ Apoſtoli reddebat ipſum reum, & catenis oneratum, quandiu crimina noſtra faciunt nos captivos Satanæ, eò quòd renuerimus reſpondere gratiæ, quæ nos vocabat ad libertatem g. Nobis igitur

g Prov. 1. 24. &c.

dicit hic Angelus, *Surge velociter.* Vade te proſtratum ante pedes Sacerdotis, ut ibi conteras catenas tuas, & ſuſcipias hodiernâ die literas libertatis, ne detinearis ut debitor & ſtipendiarius juſtitiæ Dei. *Circunda tibi veſtimentum tuum.* Ha! peccator, attende admonitiones iſtius Angeli, qui ſic potenter elaborat ſalutem tuam, exequere conſilia ejus, *Circunda tibi veſtimentum tuum*, quod exueras, reſume gratiam iſtâ die ſacrâ, quâ cœlum ſuas effundit liberalitates, & quâ captivis libertas publicatur univerſis. Ha! Chriſtiane, noli renuere ſavorem iſtum, cùm in tuâ ſitus ſit poteſtate, *Et ſequere me.* Id eſt, hunc Angelum, quantùm ad zelum quo duci debes erga ſalutem tuam; quantùm ad conſilium quod tibi præbet exeundi è criminibus tuis, per quæ *inimicus Dei* h con-

h Jacob. 4, 4.

ſtitueris, ſervus Satanæ, titio inferni, & objectum omnium rigorum, poſt amiſſum jus quod habebas ad gloriam ut filius *Dei* i. Quòd

i Rom. 8. 16. & 17.

ſi ſequaris hunc Angelum tutelarem ſalutis tuæ, ha! quantâ cumulabetis felicitate, & quàm immodicâ lætitiâ perfunderis. Deſunt mihi verba quibus iſtud gaudium ingens, quo exultabis, explicem; exceſſus me abripit extra me ipſum, & ſola cogitatio dulcedinum illius non ſinit me eſſe meî ipſius compotem: ipſe dices tunc in illam raptus ecſtaſim (*Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur* k) more S. Petri, liber

k S. Dion. lib. de Div. nom. c. 4.

à vinculis, quæ te conſtringebant, admiratus Bonitatem Divinam, quæ illa diruperit, *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* O felix momentum, quod aperit mihi oculos ut videam liberationem meam à tyramide peccati, quod me reddebat captivum Satanæ, iſtius Herodis inferni. *Nunc ſcio verè.* Id eſt, quam proficuum ſit liberari *à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* l. Deteſtor cæcitatem meam præteritam, & nolo ampliùs habere lacrymas niſi ad illam

l Rom. 8, 21.

deflendam. Deus mi, verum eſt, non diffiteor, miſiſti Angelum tuum, id eſt, S. Franciſcum, ut eſſet coadjutor zeli tui, & miniſter conſiliorum tuorum: nunc cognoſco obligationes immortales, quibus illi ſum devinctus pro eo quòd eruerit me è naufragio communi: de meâ prorſus erat ſalute conclamatum, & tu me ſalvaſti interventu illius, *Nunc ſcio verè*, &c. Magne Sancte, tota Eccleſia, militans, patiens & triumphans tibi gratias agit organo meo pro charitatibus à te ſibi impenſis: cùm poſtularis à Deo veniam criminibus noſtris impertiendam & remiſſionem pœnarum quæ pro illis juſtitiæ ejus debebantur; efflagita in favorem noſtrum perſeverantiam in iſtâ gratiâ: hæc tibi concedetur, & hæc gratia perſeverans perducet nos ad gloriam, & ſic per te nobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* m.

m Pſ. 83. 12.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna. Eccleſia.

ADmiretur quicumque voluerit *columbam, quæ cùm non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad* Noë, *portans ramum olivæ virentibus*

a Gen. 8, 8. & 9.

foliis in ore ſuo a. Mirabilior eſt Maria: *Ipſa enim eſt cœli & terræ Mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit*, ait S. Epiphanius b de B. Virgine. Et ſtatim dicit illi, *O beata Virgo, columba pura, & Sponſa cœleſtis Maria, cœlum, templum, & thronus Divinitatis.* Arcam eximiam, quæ

b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

poſtquàm ſuſtinuit impetus & violentias diluvij univerſalis, *& imminuta ſunt aquæ, & clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli: & prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo: reverſæque ſunt aquæ de terrâ euntes & redeuntes: & cœperunt minui, requievit ſuper montes Armeniæ* c. Sed magis, ait Heſy-

c Gen. 8. 1. &c.

chius d, *Arcam arcâ Noë latiorem, longiorem, illuſtriorem. Illa erat animalium arca, hæc autem arca vitæ: illa corruptibilium animalium, iſta verò vitæ incorruptibilis: illa ipſum Noë, hæc verò ipſius*

d Heſych. ſerm. 2. de Laud. Deip.

Noë

Noë Factorem portavit: illa duas & tres contignationes & manſiones habebat, hac autem univerſum Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus ſanctus adveniebat atque hoſpitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero geſtatus inhabitabat: Spiritus enim ſanctus (ait) ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei e. *Vides quanta & qualis eſt Deiparæ Virginis dignitas.* Nam hæc arca myſtica facta ex ligno incorruptibili, poſtquàm manſit invincibilis & inconcuſſa f inter vires inferni & in medio aquarum diluvij peccati, quod immerſit totum genus humanum in Adam, *in quo omnes peccaverunt* g. defertur ſuper brachia Angelorum, & proprij Filij ſui ſupet altiſſimos montes glotiæ æternæ, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum* h? Æquè ac iſta puriſſima columba non inveniens ſupet terrâ locum habitatione ſuâ dignum, revertitur in cœlum, quò cœleſtis & Divinus *Noë inebriatus* i aliàs amote hominum (*Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* k) ipſam ſuſcepit cum maximâ gloriâ, & magnificentiâ incomparabili. Admiratione cieat homines *navis inſtitoris de longe portans panem ſuum* l, feliciter appulſa ad portum, poſtquàm reſtitit tempeſtatibus maris: Maria, quæ, ut ait Salazat m, *ſimilis eſt navi onerariæ frumenti ac panis vim magnam in Eccleſiam aſportanti: ipſa enim eſt, quæ panem è cælo deſcendentem* n, *Chriſtum ſcilicet portans in Bethleem* o *ſoluit, qui interpretatur Domus panis:* & quæ vocatur à S. Epiphanio p, conformiter ad hoc, *Clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitæ* q *calidum mundo in eſum attulit, de quo Salvator mundi Chriſtus ait, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum* r: devictis tempeſtatibus mundi, appellitur tandem feliciter hodie ad portum ſalutis æternæ. Miretur qui voluerit Samſonis *matrem mel de corpore leonis* s aſſumptum à filio ſuo comedentem: felicior eſt Maria quæ comedit in æternitate mel ſuave & jucundum vitæ fortunatæ, quod Filius ipſius Samſon æternus eduxit è diabolo, qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* t; & è morte, ſicut ipſemet ait eis apud Oſee u, *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.* Tandem, Admitentur quantumlibet voluerint homines, matrem Salomonis, qui præceſſit *omnes ſapientiâ, qui fuerunt in Ieruſalem* x, Reges, ſedentem à dextrâ ejuſdem filij ſui. *Venit Bethſabee ad Regem Salomonem, poſitusque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus* y. Maria Genitrix pacifici Salomonis cœleſtis, qui vocatur *Princeps pacis* z, & *Sapientia* a, videlicet, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* b: ſedet ad dexteram Filij ſui, qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* c: per quem *reges regnant*, per quem *principes imperant* d: qui ſolus dat coronas & diademata Regnorum cœli & terræ, hominum & Angelorum, cùm hodie concinat Eccleſia in honorem illius; *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna.* Maxima gloria, quæ immodicam meretur attentionem, & auxilium Spiritus ſancti, & requirit interceſſiones Genitricis iſtius Reginæ, ut talis agnitæ ab

e Luc. 1. 35.
f Cant. 4. 7.
g Rom. 5. 12.
h Cant. 8. 5.
i Gen. 8. 10, & 25.
k Ephes. 5. 2.
l Prov. 31. 14.
m Salaz in Prov. 31. 14. num. 78
n ex Joan. 6. 55.
o ex Luc. 2. 4 &c.
p S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
q ex Joan. 6. 48.
r ex Matth. 26. 26.
s Judic. 14. 9.
t 1. Petr. 5. 8.
u Oſee. 13. 14.
x Eccl. 1. 16.
y 3. Reg. 2. 19.
z Iſai. 9. 6.
a Sap. 7. 24.
b Coloſſ. 2. 3. & 9.
c Apoc. 19. 16.
d Prov. 8. 15. & 16.

Archangelo S. Gabriele, qui *ingreſſus ad eam dixit, Ave* e *Maria.*

Nemo eſt iſta ſubtilis, cujus ingenij aciem non obtundat S. Bernardus f, ſi diſcurrere præſumat de ſuſceptione ſolemni B. Virginis Deiparæ in gloriam, & de altitudine throni Regij, in quem elevatur ipſa hodie: non enim invenit minus gloriæ in exaltatione illius in cœlum, quàm in deſcenſu Filij ipſius in terram: ſic autem loquitur, *Quem enim in caſtellum* g *mundi hujus intrantem priùs ipſa ſuſceperat, ab eo ſuſcipitur hodie ſanctam ingrediens civitatem* h. *Sed cum quanto putas honore, cum quantâ putas exultatione, cum quantâ gloriâ? Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cœlis Regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius ſublimavit. Felix nimirùm utraque ſuſceptio, ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis eſt. Vtquid enim ea hodie in Eccleſijs Chriſti Evangelica lectio recitatur, in quâ mulier benedicta in mulieribus* i *excepiſſe intelligitur Salvatorem? Credo, ut hac quam celebramus, ex illâ ſuſceptione aliquatenus æſtimetur: imò ut juxta illius inæſtimabilem gloriam inæſtimabilis cognoſcatur & iſta: Quis enim ſi etiam linguis hominum, Angelorumque loquatur* k, *explicare queat quemadmodum ſupervenıente Spiritu, obumbrante virtute Altiſſimi* l, *caro factum ſit Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia* m, *& Dominus majeſtatis* n, *quem non capit univerſitas creatura* o, *intra Virgineæ ſeſe clauſerit viſcera factus homo? Sed & illud quis cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodie mūdi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum cæleſtium legionum prodierit multitudo: quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta, quàm placido vultu, quam ſerenâ facie, quàm Divinis amplexibus ſuſcepta à Filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum eâ gloriâ, quæ tantum decuit Filium? Felix planè Maria, & multipliciter felix, ſive cùm excipit Salvatorem, ſive cùm à Salvatore ſuſcipitur: utroque mira dignitas virginitas Matris: utrobique amplectenda dignatio majeſtatis. Intravit (inquit) Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam excepit illum in domum ſuam.* Si enim ut, obſervavit S. Thomas p, tria ſunt in mundo creato, quæ in limitatione entis ſui creati, poſſident magnitudinem aliquo modo infinitam, putà, humanitas Jeſu Chriſti propter unionem ipſius cum perſonâ Verbi, unde deſumit magnitudinem aliquo modo infinitam, cùm Jeſus Chriſtus fiat Deus & homo ſimul: maternitas Divina Mariæ, quæ eſt altiſſima dignitatum omnium quas pura creatura poſſidere poſſit: & gloria Beatorum, qui poſſident Deum in cœlo, & communicant naturæ ejus Divinæ: *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo; & beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei* q; *& beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito* r, *quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo:* B. Virgo ſuſcepit tres iſtas excellentias & perfectiones, cùm ipſa ſit Dei Mater, ut talis agnita ab omnibus nationibus, & hoc titulo ſalutata ab univerſis Chriſtianis in orationibus ſuis, *O Virgo pura, ſancta Mater Domini*, ait illi S. Epiphanius s. Prætereà, Pars carnis & ſanguinis ejus unita fuit ſubſtantialiter perſonæ Verbi Divini, unde dixit Arnoldus Carnotenſis t, *Vna eſt Maria & Chriſti caro.* Et conſequenter ipſa eſt

e Luc. 1. 28.
f S. Bern. ſerm. 1. de Aſſumpt. B. Mar.
g ex Luc. 10. 38. &c.
h ex Apoc. 21. 2.
i ex Luc. 1. 28. &c.
k ex 1. Cor. 13. 1.
l ex Luc. 1. 35.
m ex Joan. 1. 14 & 3.
n ex Pſ. 28. 3.
o ex 3. Reg. 8. 27.
p S. Thomas 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.
q ex Pſ. 35. 10.
r ex Baruch. 3. 25.
s S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
t Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.

eſt ordinis penitus Divini & ſupernaturalis Incarnationis. Tandem, Hodiernâ die defertur ipſa in gloriam, elevatur ſuper omnes Angelos, & ingreditur poſſeſſionem Regni cœleſtis. Quòd ſi ratiocinari vellem ſuper omnia mirabilia, quæ comitantur hanc exaltationem glorioſam, conſilium aggrederer infinitum, cùm magnitudinis illius numero & perfectione ſint infinitæ, non intuens ibi niſi gloriam & magnificentiam : *Felicia prorſus oſcula labijs impreſſa lactentu, cui Virgineo Mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non feliciora cenſebimus, quæ ab ore ſedentis in dexterâ Patris* u *hodie in beatâ ſalutatione ſuſcepit cùm aſcenderet ad thronum gloriæ epithalamium canens, & dicens, Oſculetur me oſculo oris ſui* x? *Chriſti generationem* y, *& Mariæ aſſumptionem quis enarrabit ? Quantum enim gratia in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in cœlis adepta eſt præ cæteris : tantum & in cœlis obtinet gloriæ ſingularis*, ait S. Bernardus z. Proptereà concinit Eccleſia in laudem illius *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna.* Super quod duas eligo tantùm hodie conſiderationes, Prior quarum erit ſuper reſurrectionem ipſius glorioſam, Poſterior ſuper triumphantem ejus exaltationem.

Illud eſt pro comperto, quòd mors Mariæ fuit præclariſſima & admirabiliſſima omnium illarum quæ nnquam contigerint alicui creaturæ : illa quæ non eſt alijs hominibus niſi ſtipendium peccati, ut docet S. Paulus, *Stipendia peccati mors* a, nullum poterat inferre damnum illi, quæ nullo modo particeps erat peccati Protoplaſti ſui, *in quo omnes peccaverunt* b. Cùm dicat ei Sponſus ſuus, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te* c. Hæc ratio videbitur illam debere eximere à lege, quæ ſic eſt generalis toti naturæ humanæ, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* d. Tamen Deus noluit illam ab eâ liberare, ut redderet eam admirabiliorem moriendo, quàm fuiſſet forſan manendo immortalis : mors enim ipſius cauſata non fuit niſi ab amore immodico, quo ipſa ardebat erga Deum ſuum in corde ſuo, *Quia fortis eſt ut mors dilectio* e. Vita mortem ipſi tribuit, nedum tamen ipſi vitam abſtulerit. Et iſtud eſt de quo ipſa gloriatur, cùm ait, *Qui me invenerit, inveniet vitam* f. Quod LXX. ſic vertunt, *Egreſſiones enim meæ egreſſiones vitæ.* Non ſolùm autem quia deſeruit hanc vitam, ut ingrederetur meliorem, quod ipſi eſt commune cum alijs Sanctis, ſed etiam quia mors fuit ipſi cauſata à principio vitæ, quod eſt amor Dei : ita ut dicere poſſimus de eâ illud quod Jeremias reliquit in Lamentationibus g ſuis, *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me.* Et ſecundùm LXX. *De excelſo ſuo miſit ignem, in oſſa mea deduxit eum.* Quaſi dicat ipſa, quòd Deus ipſam ad ſe traxit ſuavi impreſſione amoris : *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* h. Cùm Doctores ſentiant, quòd anima illius ſeparata fuit à corpore ſuo violentiâ ſuavi motus ſanctè amoroſi. Quòd ſi favor iſte perhibetur conceſſus aliquibus Sanctis, nemo debet ambigere, quin indultus fuerit glorioſiſſ. B. Virgini Reginæ Sanctorum omnium, quæ incomparabiliter illum meliùs merebatur quàm omnes Sancti, qui gloriâ nunc fruuntur ſempiternâ. Ita ut ſicut diſcimus ex Scripturâ, quòd *mortua eſt Rachel, & ſepulta eſt in viâ quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethleem : erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum ejus* i; ſuper quo poſuiſſe dicitur, ut referunt aliqui Hebræi, hanc inſcriptionem, *Hîc jacet pulchritudo, & amor* : ita cùm B. Virgo eſſet mortua in loco ſacro, in quo Filius ipſius corpus ſuum præbuerat primâ vice diſcipulis ſuis comedendum k, erectum fuit ipſi ſepulchrum in loco Gethſemani, cui ſepulchro ſuperponere debemus hæc verba, *Hic jacet fortitudo, & amor.* Et hinc eruo conſequentiam hanc infallibilem, quòd mors ipſius glorioſa debebet ipſi cauſare incorruptionem corporis ipſius, quod fuit *tabernaculum Dei cum hominibus* l, & arca Divinæ ſanctificationis, juxta vaticinium Davidis, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ* m, *quæ eſt haud dubiè Virgo Deipara*, ſubdit Heſychius n: ſed arca facta ex ligno incorruptibili per gratiam & privilegium (cujus figuram fuiſſe ſcimus *arcam de lignis ſetim* o compactam) cùm per naturam haberet corpus ipſius eadem principia quæ noſtra, & iiſdem eſſet obnoxium defectibus & accidentibus : quomodo enim perſuadere nobis poſſemus, ut corruptio tetigiſſet hoc corpus, quod Dei *Filius inhabitavit*, ait S. Epiphanius p, qui eſt *Vita* q per eſſentiam, & quem Heſychius r vocat *Alimentum vitæ, incorruptionis dulcedinem* ? Ita ut, licèt verum ſit, quòd *præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Ionam : & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus* : tamen non potuit ipſum Jonam cete digerere : *& dixit Dominus piſci : & evomuit Ionam in aridam* s: ita quàmvis mors deglutiverit corpus B. Virginis, illud non potuerit corrumpere. Et ſicut *Deus concluſit ora leonum, & non nocuerunt* t Danieli projecto in lacum, ut ab illis devoraretur : ſic prohibuit ne vermes accederent ad corpus B. Virginis corrumpendum. Si enim balſamum impedit quin corpora corrumpantur, Dei Filius qui manſit novem menſibus in viſceribus ejus, quæ ipſe replevit virtute ſuâ Divinâ ſuaviori & efficaciori omni balſamo materiali, & univerſis unguentis aromaticis, nonne præſervare debebat à corruptione carnem iſtam pretioſam, quam ipſe induerat ? *Sicut balſamum aromatizans odorem dedi* u. Et cùm dicat Arnoldus Carnotenſis x, *Vna eſt Mariæ & Chriſti caro* : & & caro Chriſti non fuerit infecta corruptione, juxta Pſalmiſtæ vaticinium, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* y: *Id eſt, non permittes corpus meum immaculatum, per corruptionem incinerari*, ait Salvator apud Incognitum z: rectæ rationi conſonum erat ut caro Matris immunis eſſet etiam à corruptione : hoc enim repugnaret, corpus Jeſu Chriſti & corruptio : & corpus Matris Jeſu Chriſti & corruptio : nam quod debetur Filio per naturam, debetur & Matri per gratiam. Tranſivit ipſa quidem ſub jugum commune mortis, ſed prærogativa, quâ ipſa decorata erat ut eſſet templum Dei, (*Illa enim reperietur eſſe cœlum, templum, & thronus : quia Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem : peperit enim Dominum, qui eſt ſpes a totius mundi, nempe Chriſtum*, ait S. Epiphanius b,) permittere non poterat ut eadem mors redderet illam captivam, & redigeret eam ſub ſervitutem communis conditionis, incinerando eam, & faciendo illam cibum vermium, quæ lacte ſuo Virgineo aluerat totius orbis Deum : ſicut enim ſcimus, quòd Filius illius Dominus noſter Jeſus Chriſtus non ſubivit condemnationem latam in Protoplaſtum c, quantùm ad id quòd Divinam

Margin notes (left column):
- u ex Marc. 16, 19.
- x Cant. 1, 1.
- y ex Iſai. 53. 8.
- z S. Bern. ſerm. 1. de Aſſumpt. B. M.
- Diviſio.
- I. Pars.
- a Rom. 6, 23.
- b Rom. 5, 12.
- c Cant. 4. 7.
- d Hebr. 9, 27.
- e Cant. 8. 6.
- f Prov. 8, 35.
- g Thren. 1, 13.
- h Hebr. 12, 29. ex Deut. 4, 24.

Margin notes (right column):
- i Gen. 35, 19, & 20.
- k Matth. 26, 26, &c.
- l Apoc. 21, 3.
- m Pſ. 131, 8.
- n Heſych. hom. 2. de Laud. Deip.
- o Exod. 25, 10.
- p S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
- q Joan. 14, 6.
- r Heſych. ſerm. 2, de Laud. Deip.
- s Jon. 2, 1 & 11.
- t Dan. 6, 22.
- u Eccli. 24. 20.
- x Arnold. Carnot. tract. de Laud. Deip.
- y Pſ. 15, 10.
- z Incognit. in Pſ. 15, 10.
- a ex Pſ. 141, 6.
- b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
- c Gen. 3, 19, &c.

Divinam prorſus dedecebat ipſius perſonam: ſic diſcimus in Scholâ Chriſtianâ illum eandem prærogativam pet gratiam tribuere B. Virgini Mariæ, quæ propter ſanctitatem ſuum merita eſt de congruo, ut Dei Filius habitaret in viſceribus ipſius. Ipſa habet Filium omnipotentem in cœlo & in terrâ, qui cùm conſervare potuerit integritatem ipſius, cùm ipſa ipſum concepit, & peperit, ſicut ipſamet fatetur apud S. Epiphanium d, *Non experta nec cognoſcens virum* e, *peperi Deum, qui eſt ante ſecula, ipſum Chriſtum: nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm anteà: ſine labore peperi, non ut omnes mulieres: diſsimiles enim fuerunt res mea ac illarum inter pariendum: non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo, qui in me habitavit*: qui Filius, inquam, cùm cuſtodire potuerit ipſius integerrimam puritatem, curam ipſius ſuſcepiſſe debet poſt ipſius obitum, impediens rigores indecentes, quos prætendebat mors ſuper corpus ipſius. Hoc autem non auderemus aſſerere, niſi conceptum formaremus prorſus alium de iſto corpore, quàm de noſtro, quod nihil habet quod ipſum poſſit eximere ab hâc lege generali corruptionis: ſed quantùm ad corpus illius, præterquàm quod ſcimus quòd illud fuerit theca gratiarum inſigniſſimarum omnium earum, quas fuerit unquam Deus ſuper terram dilargitus, habemus promiſſum infallibile, quo ipſe ſe nobis obſtrinxit, quòd ipſe tenere vellet ſervos ſuos prope ſe, *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam* f: & ſi *multa corpora Sanctorum* qui ipſi ſervierant, & *qui dormierant, ſurrexerunt* g: quid dicemus de eâ, quæ ipſum aluit, ipſi ſervivit, ipſumque adjuvit toto tempore vitæ ipſius, & in morte ipſius, ſtando *juxta crucem* h ipſius, ibi ipſi compatiendo, cùm non poſſet ei tunc aliud auxilium impendere? Hinc concludo, quòd ipſa verè reſurrexit. Et hoc eſt quod ſublevare debet ſpes noſtras: audeo enim dicere, quòd aliquo modo meliùs confirmamur in fide futuræ noſtræ reſurrectionis per reſurrectionem B. Virginis Mariæ, quàm per reſurrectionem Filij ejus in æternum adorabilis in cœlo & in terrâ. Ratio autem ibi prorſus eſt manifeſta, meâ quidem ſententiâ. Licèt enim Salvator reſurgens præbuerit nobis firmam ſpem, quòd eſſemus reſurrecturi, *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors* i: *& per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, ait S. Paulus k: & poſt illum Dionyſius Carthuſianus l: *Ita & in Chriſto, id eſt, in virtute & merito Chriſti, omnes vivificabuntur in reſurrectione futurâ, & vitam gloriæ conſequentur omnes Electi, imò meritum Chriſti omnino in ſe ſufficiens eſt ut omnes ſimpliciter per ipſum beatam reſurrectionem ſortiantur: porrò, quod impij reſurgent, non erit merito Chriſti, ſed Divinâ ejus virtute: Apoſtolus autem nunc loqui videtur de omnibus Electis, qui merito Chriſti, beatam immortalitatem adipiſcentur, de quibus & Chriſtus dixit, Omnia traham ad me ipſum* m: Daniel n Propheta quoque, *Omnes (inquit) populi, tribus, & linguæ ſervient ei*: tamen illi qui vellent adverſari huic veritati noſtræ fidei, aliqua reperire poſſent ſubterfugia, remittentes hoc miraculum ad aliquod privilegium ſpeciale convenienter indultum Jeſu Chriſto propter unionem hypoſtaticam Verbi cum noſtrâ naturâ humanâ, quæ nullo modo diſſolui poterat, cùm dicatur, *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Sed quando opponam reſurrectionem Matris illius, quæ erat pura creatura ſicut nos, concepta eodem modo quo nos, educta è carne Adæ per generationem ordinariam non ſecus ac nos, non habent niſi in captivitatem redigere temeritatem intellectus ſui, intuitu argumenti ſic manifeſti. Et inde videmus, quòd Jeſus Chriſtus non reſurrexiſſet, ſi alij homines non deberent aliquando reſurgere: potiori ratione B. Virgo non reſurrexiſſet, ſi alij homines non deberent tandem reſurgere, cùm ipſa ſit inferior Filio, nec poſſideat niſi per gratiam magnitudines & perfectiones, quas Filius ipſius poſſidet per naturam. Hic autem adimpletur deſiderium Pſalmiſtæ o dicentis Deo, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Unde dicit Incognitus p, *Per arcam ſanctificationis intellige glorioſam Virginem Mariam, quæ & arca Chriſti dicitur, quia in ipsâ Chriſtus novem menſibus habitavit. Dicitur enim ſanctificationis, quia ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſsimus* q. *Quam piè credimus jam poſt Chriſtum in requiem ſurrexiſſe.* Et quæ figurata fuit per *arcam de lignis Setim* compactam, id eſt, quæ fuit incorruptibilis, quod denotat magnitudines & excellentias Mariæ incorruptibilis undequaque, in animâ ſuâ, & in corpore ſuo, quod ſignificatur etiam per hoc quòd eadem arca erat deaurata *auro mundiſſimo intus & foris* r. In animâ ſuâ, quæ præſervata fuit ab omni peccato, non ſolùm actuali, ſed etiam originali s. In corpore ſuo, quod non fuit inquinatum in partu ſuo, ſicut nec in conceptu, quemadmodum alloquitur illam Heſychius t, *Peperiſti tanquam mulier, non tamen ut mulier concepta es: juxta legem naturalem geſtabaris in utero, quoniam tempus pariendi præſcriptum expectabas: veruntamen concepiſti præter legem naturalem* u. Nec ſuſtinuit corruptionem poſt mortem ſuam; cùm B. Virgo eodem potita fuerit privilegio quo Filius ſuus, qui, ut canit Eccleſia, *reſurrexit tertiâ die, ſecundùm Scripturas* x. Re autem verâ hæc caro B. Virginis, quæ immunis fuerat ab omni corruptione, ſuſtinere non debebat pœnam inflictam alijs hominibus propter peccatum, quibus dictum eſt in perſonâ Adæ, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* y. Cum igitur puriſſimum B. Virginis corpus in ſepulchro fuiſſet reconditum, Angeli & Apoſtoli ſtatim cecinerunt laudes Domini noſtri, & ſanctiſſimæ Matris ejus, & circum tumulum ejus manſerunt per tres dies, quibus elapſis acceſſit S. Thomas Apoſtolus (non enim interfuerat obitui ſacratiſſimæ Virginis) & inſtantiſſimè requiſivit ab alijs Apoſtolis, ut aperiretur tumulus, ut intueri & honorare poſſet ordine ſuo ſanctiſſimum iſtud corpus, cùm non eſſet meritus venire, & his juſtis munijs perfungi citiùs: cùm Deus iſtud ſic permiſiſſet, ut manifeſtaret per hanc occaſionem gloriam B. Virginis. Aperto enim ſepulchro, non eſt ampliùs inventum in eo corpus iſtud ſanctiſſimum, ſed ſola reperta ſunt in eo linteamina, quibus fuerat involutum, quod manifeſtè illis oſtendit, illud verè reſurrexiſſe, & reunitum fuiſſe animæ ſuæ. Hæc eſt igitur arca, quam Deus ſanctificavit, vel, ſi malitis, quæ fuit origo ſanctificationis noſtræ, cùm Verbum æternum peregerit ſalutem noſtram mediâ carne,

quam

d S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
e ex Luc. 1, 34.
f Joan. 17, 24.
g Matth. 27, 52.
h Joan. 19, 25.
i ex Gen. 3, 6. & ex Rom. 5, 12.
k 1, Cor. 15, 20.
l Dion. Carth art. 15, in 1, Cor. 15, 22.
m Joan. 12, 32.
n ex Dan 7, 14.
o Pſ. 131, 8.
p Incognit. in Pſ. 131, 8.
q ex Pſ. 45, 5.
r Exod. 25, 10, & 11.
s Cant. 4, 7.
t Heſych. ſerm. 2, de Laud. Deip.
u ex Matth. 1, 18. &c.
x ex Marc. 16, 6.
y Gen. 3, 19.

quam eduxit è viſceribus ejus, unde obſtringuntur omnes homines illam intueri velut originem & principium boni ſui, & beatitudinis ſuæ, ſicut obſervavit S. Bernardus *a*: *Chriſtus ergo ibi primũ*
a S. Bern. ſerm. 2. de Pent.
medicinã apposuit, ubi primus vulneri patebat locus; & ſubſtantialiter utero Virginis illapſus, de Spiritu ſancto conceptus eſt, ut conceptionem noſtram mundaret, quam ſpiritus malus, ſi non fecerat, tamen infecerat, ut non eſſet etiam in utero vita ipſius otioſa, dum novem menſibus purgat vulnus antiquum; ſcrutans, ut dicitur, uſque ad imum putredinem virulentam, ut ſanitas ſempiterna ſuccederet. Et tunc jam operabatur
a ex Pſ. 73, 12.
ſalutem noſtram in medio terræ a, *in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno*. id eſt, in purgatorio, *& qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorũ, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cœlo, ut reſarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui*
b Eccli. 36, 18.
præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur b; *qui ſequuntur, ut glorificentur. Et beatã te dicunt omnes*
c ex Luc. 1, 48
generationes c, *Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. Omnes, inquã, generationes. Sunt enim genera-*
d ex Epheſ. 3, 15
tiones cœli & terræ. Pater ſpirituũ, ait Apoſtolus d, *Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terrâ nominatur. Ex hoc ergo beatã te dicũt omnes generationes: quæ omnibus generationibus vitã & gloriã genuiſti. In te enim Angeli lætitiã, juſti gratiã, peccatores veniã invenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.* Et inde concludere poſſumus, num ſublevari non debeat ſpes noſtra, & num conſolari non debeamus nos
e Job 19, 25, &c.
cũ Job *e*, qui dicebat, *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deũ. Quẽ viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Quod dicere debemus potiori rationi ſinguli, Credo quòd Mater Redemptoris mei reſurrexit, & vivit in cœlo, & ſicut illa, reſurgam. Sepulchrum illius celebratur triumphis multò incomparabiliùs quàm ſepulchra antiquorũ Monarcharum, qui terrore totum perculerunt orbẽ, quorũ corpora ſunt in pulverem redacta, & animæ cruciantur in inferno. Operiri potuerunt illorũ miſeriæ magnifico tumulo; ſed ipſi non mutaverunt propterea naturam, cùm ſtercus oſſium ipſorum non amiſerit horrorem & infectionem ipſis congruentem: ſed ſepulchrum Mariæ non continet niſi balſamum & odoramenta, & de eo poteſt dici id, quod prædixit Iſaias *f* de ſepulchro Filii
f Iſai. 11, 10.
ejus, *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.*

Recenſetur quòd poſtquã mortuus eſt Iſocrates, ſuper tumulo ejus videbatur Siren inſidens arieti cum citharâ in manu, ſed ſicut cithara erat muta, ita per imaginationem duntaxat dulcedo harmoniæ ejus percipienda erat: ſuper ſepulchro B. Virginis Deiparæ, mẽte intueor ſpiritus Angelicos, qui ſuſtinentur voluntate Agni, *qui occiſus*
g Apoc. 5, 12.
eſt g ob peccata noſtra, & quem *Agnum* ab Iſaia *h*
h Iſai. 16, 1.
deſideratũ, æquè ac prædictũ, Cornelius *i* vertit
i Cornel. in Iſai. 16 1.
ex Hebræo, *Arietẽ*. Et audio voces & cantus lætitiæ illorum, non imaginariè, ſed realiter ob teſtimonium Apoſtolorũ & diſcipulorũ qui interfuerunt huic obitui, ut ſuprà jam dixi. Sculptus fuit aliàs ſuper ſepulchro Q. Martii, aries quieſcens ſuper duobus pedibus, & lepus mortuus ad latus ejus. Aries ille ſanguinarius repræſentabat generoſitatem magni Ducis illius: lepus verò mortuus hoſtes ejus devictos. Simile trophæum collocare volo ſuper ſepulchro B. Virginis, cũ ipſa devicerit poteſtates mundi, quas video proſtratas præ pedibus illius, qui ſunt humilitas & ſanctitas ipſius *k*: k Luc. 1. 28. & 48.
ita ut, ſi aliàs ſuper monumẽto Alexandri Magni videbantur Aſia, Africa, & Europa conſtrictæ vinculis captivitatis cũ duobus verbis iſtis, *Alexandri victoria*: nunc intuear mundũ, diabolũ, & mortem vinculis ſubjacentes ſuper tumulo B. Virginis præ hoc elogio ſplendenti duorum verborũ iſtorum, *Exaltata eſt*. Legebatur olim hiſtoria vitæ Themiſtoclis ſuper lapide ſepulchri ipſius, præ hâc inſcriptione, *Memoranda facta Themiſtoclis*. Si autẽ projiciamus oculos noſtros in monumentũ apertũ B. Virginis, non videbimus ibi niſi claritatẽ & lumen, & ibi legemus præclara facinora magnitudinis ejus expreſſa verbis iſtis, *Exaltata eſt*. Ipſa ſe elevavit in conceptione ſuâ ſupra omnes alias creaturas, quæ univerſæ lapſui fuerunt obnoxiæ: licèt enim verum ſit, quòd Deus Angelos *creavit, ſimul in eis condens naturã, & largiens gratiã*, ait S. Auguſtinus *l*: tamen tertia pars illorũ fuit obno- l S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei. c. 9.
xia crimini, *Et ecce draco magnus rufus, & cauda ejus trahebat tertiã partem ſtellarũ cœli, & miſit eas in terrã* m. Et quanvis ſciamus, quòd idẽ *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* n, id ex Gen. 1. 3.
eſt, in gratiâ; nihilominùs vetito idem homo *de* m Apoc. 12 3. & 4.
fructu comẽdit o; *Propterea ſicut per unum hominem* n Gen. 2. 17.
peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo
omnes peccaverunt p: ipſa tamen B. Virgo ſemper o Gen. 3. 6. &c.
ſtetit, nedum unquam lapſa fuerit *q*. Ipſa fuit ele- p Rom. 5, 12.
vata in vitâ ſuâ, cùm progrederetur & iret *de virtute in virtutem* r, de gratiâ in gratiam, de charitate in charitatẽ, & de merito in meritum: elevata ad dignitatem Matris Dei; elevata in morte ſuâ amoris; elevata poſt mortem ſuã per reſurrectionem; elevata ſuper omnes ſpiritus creatos, humanos, & Angelicos, *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & Mater*, ait S. Epiphanius *s*. Et hoc eſt quod canit Eccleſia, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna.*
q Cant. 4, 7.
r Pſ. 83, 8
s S. Epiphan. ſerm. de laud. Deip.
II. Pars

Hæc eſt ſecunda conſideratio, quã facio ſuper gloriã hujus incomparabilis creaturæ, quæ totum orbẽ lætificat. Super quod memini ceremoniarũ ſolemniũ, quas obſervaverunt aliàs Reges Iſrael in ſuſcipiendâ arcâ Fœderis: dicit enim Scriptura ſacra, quòd inſumpſerunt id omne quod invenire potuerunt gloriæ & magnificentiæ: quod bis peractum eſt. Primò à David, *Nuntiatumque eſt Regi David, quòd benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia ejus propter arcam Dei. Dixitque David, Ibo, & reducam arcam cum benedictione in domum meam. Abiit ergo David, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: & erant cum David ſeptem chori, & David, & omnis domus Iſraël ducebant arcam Teſtamenti Domini, in jubilo, & in clangore buccinæ* †. Secundò à Salo- † 2. Reg. 6, 12, &c.
mone, *Tunc congregati ſunt omnes majores natu Iſraël cum Principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Iſraël ad Regem Salomonem in Ieruſalem, ut deferrent arcam Fœderis Domini, de civitate David, id eſt, de Sion. Conveniique ad Regem Salomonem univerſus populus. Veneruntque cuncti ſenes de Iſraël; & tulerunt arcam Sacerdotes, & portaverunt arcam Domini. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſraël quæ convenerat ad eum, gradiebantur cum illo ante arcam. Et intulerunt*

Sacerdotes arcã Fœderis Domini in locũ ſuũ, in oraculũ templi, in Sanctũ ſanctorũ ſubter alas Cherubim t. Nunquid non iſta ſuſceptio eſt præclara figura gloriæ & magnificentiæ, quâcum Maria, arca vivens Divinitatis, excepta eſt à Principe æterno bis? *Arca enim verè Regia. Arca pretioſiſſima eſt Virgo Deipara. Arca quæ excepit totius ſanctificationis theſaurũ*, ait Chryſippus u. Primò, Cum ipſa concepit Verbum æternũ, illã ſalutavit mundi Reginã Angelus, *Ave gratiâ plena, Dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus* x. Secundò, Ubi ipſa eundem *peperit Filiũ ſuũ primogenitũ, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio: ecce Angelus Domini ſtetit: & ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantiũ Deum, & dicentiũ, Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* y. Nunc autẽ cùm ſuſcipitur in cœlũ, & collocatur in altiſſimo loco templi gloriæ. Angeli veniunt ei obviã cum gaudio, invitantes omnes populos ad lætitiã: in quo binam ejus ſuſceptionẽ in cœlum conſidero. Primò, Ipsâ die mortis ipſius, quâ anima ipſius delata eſt in cœlũ. Secundò, Cum eadẽ anima ipſius reſumpſit corpus ſuum triduo poſt mortem ſuam, ingrediens cœlum, ſtipata omni Curiâ cœleſti, & Principe Filio ſuo qui honorat feſtum ipſius, *innixa ſuper Dilectum ſuum* z.

Quanta verò fuerit hujus egreſſionis è mundo, & in cœlũ ingreſſus majeſtas, & pompa, dicit Salazar a, *elegantiſſime deſcripſit Anſelmus. De quâ eò libentiùs hic aliquid adſcribendũ eſſe duxi, quia in quibuſdam Codicibus (neſcio an mendosè) legitur: Egreſſiones ejus egreſſiones gloriæ* b. *Ergo cùm Anſelmus prius inquiſivat: cur Dominus in cœlũ aſcendens, Matrẽ etiam ſociã pariter non rapuerit? occurrit ad hunc modũ. Quomodo (inquit) potuiſti pati te in Regnum gloriæ tuæ remeante* c, *illã quaſi orbatã in miſeriis mundi relinquere, ut non eã ſtatim tecũ regnaturã aſſumeres? Fortaſſis, Domine, ne Curiæ tuæ veniret in mentẽ, cui potiùs occurrat, tibi videlicet Domino ſuo tunc Regnũ tuum in aſſumptâ carne petenti, an ipſi Dominæ ſuæ ipſum Regnũ jam ſuum, materno jure effectũ aſcendenti? Nam ut in partes ſuo occurſu divideretur: quatenus pars ſibi, & pars tibi in primo occurſu obſequeretur, non decère exiſtimo. Præſertim cùm tota ſit tua, totaque per te vadẽ cœleſtis Curia ſuaſit. Prudentiori ergo & digniori conſilio uſus illã præire volebas, quatenus ei locum immortalitatis in Regno tuo præpararet, ac ſi comitatus totâ Curiâ tuâ feſtivus ei occurreret, eamque ſublimius, ſicut decebat tantam Matrem, ad te ipſum exaltares. En pompam, quæ Virginis ingreſſum in cœlum proſecuta eſt, tota videlicet Curia cœleſtis ſimul cum Chriſto, quâ minorem ullam tantam Matrem haud decère exiſtimavit Anſelmus.* Unde debemus inferre, quòd ſuſceptio B. Virginis in cœlum, fuit aliquo modo magnificentior receptione Filii ipſius in Empyreum, cùm Jeſus Chriſtus aſcendens in cœlũ, ſtipatus eſſet ſolis creaturis, quandiu ſuſceptio Virginis Deiparæ honoratus præſentiâ Filii ſui, qui ipſam defert in cœlum, ut lucere faciat ipſam ibi in æternum, & ditet ita dignâ creaturâ habitationem beatitudinis, *Maria præſentiâ totus illuſtratur orbis, adeò ut & ipſa jã cœleſtis patria clariùs rutilet, virgineæ lampadis irradiata fulgore*, ait S. Bernardus d. Et ratio iſtius eſt, quia ſicut cœleſtis *civitas non eget Sole, neque Lunâ, ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus* e: ſicut inquam, hæc civitas pacis & gloriæ, cõtinuè illuminatur à Sole, qui eſt Jeſus Chriſtus, & à Lunâ quæ eſt Mater ipſius, ut canit ei Eccleſia f. *Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter*: Et S. Epiphanius g, *Rurſum itaque præ-*

t 3 Reg. 8, 6, &c.
u Chryſipp: ſer: de Laud: Deip.
x Luc: 1, 28, &c.
y Luc: 2, 7, &c.
z Cant: 8, 5.
a Salaz: in Prov: 8. 31. n. 448, & 449, citans S. Anſelm: lib de Excellẽt: Virg: c. 6.
b Verſ. in Prov: 8, 35
c ex Act: 1, 9.
d S. Bern: ſer. 1. de Aſſump: B. M.
e Apoc. 21, 23, ex Iſai. 60, 19.
f Eccleſia ex Luc. 2, 7, & ex Malach. 4, 2.
g S. Epi-

clara Puella Maria beatum nomen interpretatur illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaveris: & aliquantò pòſt, *Sancta Virgo & Mater Chriſti, quæ ſplendidam lucernam relucentem in cœlo & terrâ Chriſtum geſtavit, ad quam Propheta Zacharias* h, *Ecce candelabrum aureum, & lucerna ſuper eum*; ſic uterque cumulat incolas illius gaudio & fœlicitate in eo quòd iſti habent Patrem qui eſt Deus, & ſororem quæ eſt Mater ejuſdẽ Dei. Quis honor hominibus videre naturam ſuam humanã ſic exaltatam ſupra ſpiritus Angelicos in utroque ſexu? Viri vident illam exaltatam in perſonâ Filii Dei, mulieres verò intuentur illam elevatam in perſonâ B. Virginis Genitricis ejuſdem Filii Dei: & ſic mulieres tantùm honorantur hodie, quantùm fuerant uſque nunc honorati viri. Et ſanè oportet ut fatear inſufficientiam meam ad concipiendam & explicandam gloriam iſtius Dominæ gloriæ. Si enim S. Paulus i dixit poſt Iſaiam, *Quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*: quis concipere poterit id quod Deus conceſſit S. Genitrici ſuæ, quæ ipſum dilexit præ omnibus hominibus & Angelis? Propterea S. Hildephonſus k ait in laudem illius, *Sicut incomparabile eſt quod geſſit, & ineffabile donum quod percepit, ita & ineſtimabile atque incomprehenſibile præmium, & gloria quam promeruit.* Ex iſto throno gloriæ intuetur ipſa peccatores qui ſunt adhuc ſuper terrâ, & quærit media ſublevandis illis opportuna ut Mater piiſſima: nõ enim cogitare debemus, quòd licèt aſcenderit in cœlum, ipſa fuerit oblita eorũ qui ſunt adhuc inter miſerias mundi iſtius maligni in quo vivimus: ſi enim quandiu ipſa erat adhuc ſuper terrâ, habebat ipſa curam ſpecialẽ hominum qui recurrebant ad favores ipſius; nunc quandiu amor ipſius eſt in totali & integrâ perfectione ſuâ, ipſa non poteſt deſerere eos, quos Filius ipſius *omnes vult ſalvos fieri* l, & quos *dilexit, & lavit à peccatis in ſanguine ſuo* m, & quos ideò collocare intendit in cœlo. *Aſcendens ergo in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus* n. *Quid ni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cœlorum eſt, miſericors eſt, denique Mater eſt unigeniti Filii Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus ſeu pietatis magnitudinem commendare; niſi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis poteſt omnino, in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa quæ ex Deo eſt charitas* o, *novem menſibus corporaliter requievit? Et hæc quidem propter nos dixerim, Fratres, ſciens difficile eſſe ut in tantâ inopiâ charitas illa perfecta non quærens quæ ſua ſunt* p, *valeas inveniri. Ut tamen interim ſileam beneficia, quæ pro illius glorificatione conſequimur, ſi eam diligimus, gaudebimus utique quia vadit ad* q *Filium, planè. nunquam, congratulabimur ei; niſi forte (quod abſit) inventrici gratiæ omnibus modis inveniamur ingrati*, ait S. Bernardus r. Quotnam enim Chriſtiani inveniuntur hodie in mundo, quibus ipſa exprobrare poſſet id, quòd Filius ipſius improperabat Judæis? *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me* s. Iſti extremis labris honorant Virginem Deiparam, & ipſorum cor defert & alit venenum peccati: ingrediuntur ſacra templa noſtra, habentes animas ſuas oneratas criminibus & abominationibus, & ſalutant ut Matrem miſericordiæ illam, quam faciunt Matrem juſtitiæ & iræ, & audent ſibi polliceri gratiam ab eâ, quam irritant ingratitudi-

nibus

phiſer: de Laud: Deip.
h ex Zachar. 4, 2.
i 1. Cor: 2, 9, ex Iſai: 64, 4.
k S. Hildeph: ſer: 2. de Aſſumpt: B. M.
l 1. Timothea, 4.
m Apoc. 1, 5.
n ex Epheſ. 4, 8 & ex Pſ. 67, 19.
o ex 1. Joan. 4, 7.
p ex 1. Cor. 13. 5
q ex Joan. 14, 28
r S. Bern. ſer 1. de Aſſump. B. M.
s Matth: 15, 8, ex Iſai. 29, 13.

nibus ſuis: ita ut ſi hæc ſancta Domina exciperet
ipſos ſecundùm ipſorum demerita, de ipſis actum
eſſet, qui vellent ſuſcipere favores cœli mediis in-
terceſſionibus illius, quam armant ipſimet fulmi-
nibus. Offeramus igitur ei corda noſtra ſoluta ab
omnibus affectibus erga terrena, vivamus in gra-
tiâ Dei, & ſimus jugiter in amore, ut moriamur
amore ſicut ipſa, *Quia fortu eſt ut mors dilectio* t. t Cant. 8, 6.
Et ut reſurgamus mediis flammis ejuſdem dile-
ctionis, quæ nos ferat in cœlum, ubi regnare poſ-
ſimus cum illâ, æquè ac cum Filio ejus *in æternum
& ultrà* u. u Exod. 15, 18.

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS.

Nardus mea dedit odorem ſuum. Cant. 1. 12.

a S. Bern. ſerm. 42. in Cant. 1, 12.
GLorioſus S. Bernardus *a*, cujus opera
ſunt excellentia, & cogitationes au-
reæ, explicat hæc verba Sponſæ ſacræ
in gratiâ humilitatis ipſius: ego autē
intendo iiſdem uti ad magnificandā præ majori
ſplendore ipſiuſmet S. Bernardi humilitatem: ait
igitur quòd Sponſus quaſi admiratus pulchritudi-
nes Sponſæ ſuæ, aggrediens panegyrim virtutum
ejus, propalat elogia illius, magnificat eximias il-
lius qualitates, quę propter ſplendorem ſuū ipſam
omni veneratione dignā exhibent, nedū cor ip-
ſiuſmet Sponſi reſiſtere poſſit lenociniis ejus: *Au-
dierat. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturu: & collum
tuū ſicut monilia. Acceperat & repromiſſionē ornatus*
b ex Cāt. 1, 10, & 11.
aurei b: *& nihilominùs tamen cū humilitate reſpon-
det: & quantò majorem ſe audit, tantò humiliat ſe in
omnibus* c. *Non gloriatur in meritu, nec inter laudes*
c ex Eccli. 3, 20.
*ſuas humilitatis obliviſcitur: quā & humiliter confite-
tur ſub nardi nomine. Ac ſi voce Virginis Mariæ dicat,
Nullius mihi meriti conſcia ſum ad tantā dignationē,*
d ex Luc. 1, 48.
niſi quia reſpexit Deus humilitatē ancillæ ſuæ d. *Nam
quid eſt aliud: Nardus mea dedit odorē ſuū, quàm pla-
cuit mea humilitas? Non mea, inquit, ſapientia; nō mea
nobilitas, nō mea pulchritudo, quæ nonnulla erant mi-
hi; ſed quæ ſola inerat humilitas dedit odorē ſuū, id eſt,
ſolitū. Solito placet Deo humilitas. Solito planè atque*
e ex Pſ. 137, 6.
ex conſueto excelſus Dominus humilia reſpicit e: *& i-
deò cū eſſet Rex in accubitu ſuo, id eſt, in excelſo habi-
taculo ſuo, illuc quoq; humilitatis odor aſcendit.* Quid
reverentius, quid humilius hoc modo procedendi
Sponſæ, quē ante eundē S. Bernardū obſervavit S.
f S. Ambr. lib. 2, in Luc. 1, 38.
Ambroſius *f* in prædictâ B. Virgine Mariâ Deipa-
râ mox futura? *Ecce, inquit, ancilla Domini, contin-
gat mihi ſecundùm verbum tuū. Vide humilitatē, vide
devotionē, ancillā ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur,
nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam di-
cendo, nullā ſibi prærogativā tantæ gratiæ vendicavit,*
g ex Mat. 11, 29.
quæ faceret quod juberetur. Mitē enim humilemq; g
*paritura, humilitatē debuit etiam ipſa præferre. Ecce
ancilla Domini, cōtingat mihi ſecundū verbū tuū.* Iſtud
eſt quod ipſa reſpōdit Angelo dicēti ſibi, *Ave Mar.*

Neſcio, Dominæ meæ, num inſimulaturæ vos
me ſitis audaciæ, & ni futurus ego ſim temerarius
in exprimendis conſiliis meis vobis, ut ea vobis
meliùs exhibeam cognoſcenda. Exiſtimaſtis vos
devincturas eſſe me vobis, hoc officium æquè ho-
noratū ac glorioſum mihi cōmittendo; ego autē
obſtrictum me intueor ad exhibendas pro eo gra-
tiarū actiones vobis; licèt in ſubjecto gloriæ jure
merito timeā ne confuſione operiar, & ne ſplen-
dor iſte qui blanditur mihi, deſerviat mihi ad fa-
ciliùs inveniendum præcipitium meum, ſurſum
me elevans, ut me probroſiùs metiri faciat caſum
meum, juxta iſtud commune Poëtæ proloquium,

Tolluntur in altum,
Vt lapſu graviore ruant.

Multum pollicemini vobis à me: ſed, ut ingenuè
verum fatear, exigua res ego ſim, nec poſſum niſi
ferè præ miraculo veſtris expectationibus ſatisfa-
cere. Propterea incipio ab excuſationibus, & ab
humili inſufficientiæ meæ confeſſione. Glorioſus
Patriarcha veſter, cujus celebramus hodiernâ die
feſtivitatem, tanta præ ſe fert merita; ſubjectum
magnitudinum illius ita vaſtum eſt ut mea mens
operiatur confuſione in conſiderandâ extenſione
meritorum ejus, & in diverſitate eximiarū virtu-
tum illius, ego caligine ſuffundar ob nimiū ſplen-
dorem ex eo emicantem, & inter tot mirabilia
neſciam ad quodnam ex illis ſim me determina-
turus eligendum, ita ut dicere poſſim,

Inopem me copia fecit.

Forſitan expectatis à me, & jure merito, ut pro-
palē magnitudines ſancti Patris veſtri; ſed nō pu-
tatis quòd ipſe nihil æquè minùs diligit ac lauda-
ri, ita multùm ipſe ſibi complacet in humilitate
h S. Bern. ſerm. 3. in Nativit. Do.
quā nobis prædicat & cōmendat, *Ama neſciri* h.
Licèt enim ſatis præ ſe tulerit magnanimitatis ad
conciliandas ſibi lauros innumeras interventu a-
ctionū ſuarū heroicarū, non affectat tamen hujuſ-
modi ſe ornare coronis, & voluntariè renuit om-
nē gloriā, quā inde poſſet ipſi mundus attribuere.
Si in mediū promā virtutes ejus, zelū illius ad a-
gendū, patientiam ipſius ad generosè ſuſtinendas
adverſitates quaslibet obvias, vereor ne cùm illæ
ſint abſq; exemplo, deſerviant nobis loco confu-
ſionis, æquè ac praxes illius irreprehenſibiles, &
ſanctitas vitæ ejus, meliùs manifeſtent puſillani-
mitates & imperfectiones noſtras. Undequaque
conſpicitur iſte Sanctus ut Sol illuſtrans mundū
luminibus ſuis, & eū calefaciens ardore flamma-
rū ſuarū, ita ut dicere poſſim de illo idquod ipſe-
i S. Bernard. ſer. in Nativit. S. Joan. Baptiſt. de verb. S. Joan. 5, 35.
met i ait de S. Joanne Baptiſtâ poſt S. Joannē E-
vangeliſtā, *Ille erat, inquit, lucerna ardēs, & lucens.
Non ait, lucens & ardens, quia Ioannis ex fervore ſplē-
dor; non fervor prodiit ex ſplendore. Sunt enim qui non
eo lucent, quia fervent, ſed magis fervent ut luceant.
At iſti planè non charitatis ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis.
Vultis noſſe quemadmodum arſit Ioannes, & luxit. Ego
utrumq; in eo triplicē poſſe arbitror inveniri, & ardo-
rē ſcilicet, & ſplendorē. Ardens enim erat in ſeipſo ve-
hementi auſteritate converſationis: erga Chriſtū inti-
mo quodā & pleno fervore devotionis: erga peccantes
proximos conſtantiâ liberæ increpationis. Luxit nihil-
ominùs (ut paucis dixerim) exemplo, digito, verbo, &*
k ex Gen. 1, 16.
ſeipſum oſtendens ad imitationē: & luminare majus k
*quod latebat ad peccatorū remiſſionē: & ipſas quoque
tenebras noſtras illuminans, ſicut ſcriptū eſt, Quoniā tu
illuminas lucernā meā, Domine: Deus meus, illumina*
l Pſ. 17, 29.
tenebras meas l: *utiq; ad correptionē.* Gloria ejus ſic
ſublimiter eſt elata, ut poſſimus quidē æmulari ei
fœlicitatē illius, ſed nonniſi difficilè poſſidere me-
ritū ejus, cū natura ſit avariſſima munerū ſuorū,
& cœlū non faciat ſemper ſimilia miracula. Plu-
res habet iſte Sanctus admiratores virtutū ipſius
quā imitatores; plures qui malunt ipſum admira-
ri præ ſtupore, quā ſanctè imitari ipſum, magis fa-
cilitatis invenientes in theoriâ mortificationis,
quàm voluptatis in ejus praxi, quæ mori facit ſen-
ſus omnibus deliciis quæ non ſunt cœli, nec ipſis
vitam relinquit niſi propter virtutem. S. Bernar-

dus facit in praxi ſuâ omnes actionês ſuas præ tantâ puritate, ut homines caligine ſuffundantur ob nimium earum ſplendorem, nec poſſint illarum lumina ſuſtinere niſi per reflexionem; vereor autem ne gloria virtutum ejus deprimens ſe uſque ad os meum, reddat ſe profanam, & ne rudis diſcurſus meus puriſſimos illarum obſcuret radios. Poſt hæc quid dicere poſſem de illo? Ipſe eſt ſupra omnia elogia, & de illo ne vel ullam formare poſſum laudem, cùm ipſe ſit ſupra laudes elevatus univerſas. Dona naturæ & privilegia quæ ſunt illi ſpecialia, & quæ ipſe ſuſcepit præ communitate hominum, ſimpliciſſima ſunt ornamenta quibus illum inſignire poſſem, cùm vel minima actionum ejus ſplendore ſuo obſcuret lucem nobilitatis nativitatis ejus, & omnis magnitudo progeniei ejus quaſi nihil appareat, ſi iſtæ omnes ejus eximiæ qualitates, & inſignes hi tituli ſimul referantur cum unâ ex actionibus ipſius. Omne quod ipſe egit, ſapit fere miraculum, taceo progeniem ejus, ſileo de iis quæ præceſſerunt nativitatem illius, non loquor de ecſtaſibus, raptibus, & viſionibus ipſius; neceſſarii mihi eſſent aliquot dies, nedum mihi unica vel brevis ſufficiat hora ad diſcurrendum de illo: taceo, quia nimia habeo dicenda de illo, & mihi ſatis eſſe videtur ſi more Coſmographorum notem res magnas exiguis punctis. Egrediamur cum noſtro Sancto è mundo, cùm etiam totus mundus indignus ſit qui fruitionem illius ſibi conciliet: videamus eum in clauſtro, in domo Dei, quæ eſt habitatio ſanctitatis, & ubi nardus iſta exhalat odorem ſuum. Nihil à foris deſumo, & ſubjectum meum nimis prædives eſt ut mihi pluſquam uberem diſcurrendi materiam ſubminiſtret. Sola ſignificatio nominis ejus, Bernardus quaſi verè nardus, & proprietates ejus, erunt totius iſtius diſcurſus ſeges.

Propoſitio.

S. Gregorius explicans hunc locum Canticorum, *Nardus mea dedit odorem ſuum*, ait quòd iſta nardus non eſt aliud niſi Sancti, qui ex quo *Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei* m, *& cùm complerentur dies Pentecoſtes, repleti ſunt omnes Spiritu ſancto* n Apoſtoli, & diſcipuli, replent mundum bono odore vitæ ſuæ, conformiter ad id quod ait S. Paulus o, *Chriſti bonus odor ſumus in iis qui ſalvi ſiunt, & in iis qui pereunt*. Sic ergo loquitur S. Gregorius p, *Rego quippe in accubitu ſuo poſito, nardus odorem dat, dum quieſcente in ſuâ beatitudine Domino, Sanctorum virtus in Eccleſiâ magna nobis gratiam ſuavitatis adminiſtrat.* Huic conceptui S. Gregorii alludit & ipſemet S. Bernardus q, cùm ait, *Primitiva Eccleſia potes hunc congruentiſſimè aptare ſermonem, ſi recordaris dies illos, quibus aſſumpto Domino ubi erat priùs, & ſedente in dexterâ Patris ille ſuo antiquo nobili atque glorioſo accubitu, diſcipuli erant congregati in loco uno: perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ Matre ejus, & fratribus ejus* r. *Nonne tibi videtur re verâ tunc temporis nardum parvula & trepidantis Sponſa dare odorem ſuum? Denique, Cùm factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes, annon meritò paupercula tunc dicere potuit, Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum?* Atqui inter omnes Sanctos quis non videat quòd S. Bernardus, & in nomine ſuo, & in vitâ ſuâ ſingulariter ſimilis fuit nardo? Bernardus quaſi verè nardus, & in moribus ſuis, & in converſatione ſuâ, cùm perfectè nardi proprietates expreſſerit.

m Marc: 16, 19.
n Act: 2, 1. &c.
o 2, Cor: 2.15.
p S Greg: lib. 38. Mor: c. 15.
q S. Bern: ſerm: 42, in Cant: 1, 12.
r ex Act: 1, 14.

Nardus non eſt aliud, ut aiunt Naturales, niſi frutex, & exigua planta, parùm ſublime aſcendens, & in hoc eſt ſymbolum humilitatis, *Nardus quippe herba humilis eſt, & pectus purgat; ut manifeſtum ſit humilitatem nardi nomine deſignari*, ait ipſemet S. Bernardus s. Qui hâc virtute ſemper excelluit, & ſe commendabilem exhibuit, deſerens libentiſſimè, ut meliùs eam exerceret, univerſas magnitudines mundanas; *omnia* t relinquens, ut amplecteretur vitam humilem in Religione Ciſtercienſi fundatâ à venerabili Abbate Roberto ſub Regulâ S. Benedicti, & confirmatâ à ſummo Pontifice anno Domini MCVIII. quæ unicum duntaxat habebat Monaſterium in ſylvâ ſitum, & erat ſic auſtera & reformata, ut pauci ipſam inquirerent. Locus iſte fuit electus à S. Bernardo viginti duos annos nato, ut ibi ſe totum Deo manciparet in humilitate, & in contemptu mundi; ſciens quòd Salvator noſter, quem Pater æternus dederat *Ducem ac Præceptorem Gentibus* u, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite* x: ſe tantæ virtutis Magiſtrum profeſſus erat, dicens, *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde* y. Ingreditur igitur Bernardus ſcholam tanti Magiſtri, ut meliùs proficiat ut bonus diſcipulus è documentis ejus per ſanctum contemptum ſuîipſius, obediens omnibus, quaſi inferior eſſet univerſis, & cunctorum minimus: exercet ipſe id quod eſt domi abjectiſſimum & humillimum, ita ut abjectione ſuâ voluntariâ fiat humilitatis ſpeculum, æquè ac *ſpectaculum mundo, & Angelis, & hominibus* z, ſciens quòd deſcendere non poſſumus è magnitudine noſtrâ proportionabiliter ad id quòd Dei Filius deſcendit è ſuâ, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* a. Alioquin enim nullus inveniretur gradus humilitatis ſatis depreſſus ad nos recipiendos, quia depreſſio & humiliatio Dei ad eſſe noſtrum eſt infinita ratione objecti infiniti, quod eſt Deus, qui *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* b. Et reverentia, quam exhibemus hominibus, quibus ſimiles ſumus in naturâ, non poteſt eſſe niſi leviſſima, & ſolùm quantùm ad accidentia. Bernardus, qui proponit ſibi Jeſum Chriſtum ut exemplar imitandum, quique ſuas exigere & conformare vult actiones ad hoc prototypon perfectionis, reſpuit dignitates: ubi enim inſpiravit Deus Abbati Stephano, qui ſucceſſerat præfato Roberto in Monaſterio Ciſtercienſi, ut ædificandum ſatageret Claravallenſe Monaſterium in territorio Lingonienſi, eique præficeret Bernardum Abbatem, qui dirigeret hanc novam coloniam egreſſam è Monaſterio Ciſtercienſi, & ſuper eam radios ſuos diffunderet, *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub medio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt* c: Bernardus omnes ſuos conatus adhibuit ne ullius Superior fieret, ſed è contrà ut omnibus ſubditus eſſet: ſed tandem collum jugo ſubmiſit obedientiæ, ſciens quòd illuc non mitteretur ad quieſcendum, ſed ad laborandum: *Melior eſt enim obedientia quàm victima* d. Non ignorabat ipſe, quippe quem *Dominus magnus ſpiritu intelligentiæ* e repleverat, quòd voluntas noſtra peccato aggravata, non inclinatur niſi ad terram, & quòd quò magis efficimus nos parvos, eò magis minuemus velocitatem lapſus noſtri, & in ſtatu nos

collo-

s S Bern: ſer: 4. de Aſſump: B. M.
t Matth. 19, 27.
u Iſai: 55, 4.
x Matth: 17, 5.
y Matth: 11, 29.
z 1, Cor: 4, 9.
a Philip: 2, 6, &c.
b Baruch 3, 25.
c Matth. 5, 16.
d 1. Reg. 15, 22.
e Eccli. 39, 8.

collocabimus in quo leviter ſurſum abripimur hoc igne qui deſcendit de cœlo, de quo Salvator ait, *Ignem veni mitere in terram, & quid volo niſi ut accendatur* f? Qui reverti non debet vacuus, *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his ad quos miſi illud* g. Ipſe ſciebat, quòd ignis iſte (*Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt* h) delere deberet ex corde noſtro univerſos affectus erga magnitudines, vanitates, divitias, & voluptates ſenſuum: ſic ipſe ſemetipſum exhibebat ut tabulam raſam diſpoſitam ad excipiendas omnes impreſſiones gratiæ, quam Divina Manus in ipſo vellet repræſentare; ipſe deſerebat proprium motum ſuum, ut non ageret ampliùs niſi motu cœli; derelinquebat vitam ſuam languentum, miſeram, obnoxiamque peccato, ut deinceps non viveret niſi vitâ Jeſu Chriſti more S. Pauli i dicentis, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Felix & Divina vita, quæ rectà nos deducit ad gloriam! Sic inſigniores non poſſumus illi exhibere gratiarum actiones pro beneficijs, quæ ab illo ſuſcepimus, quàm offerre ei ſacrificium cogitationum noſtrarum, conformare vitam noſtram ad humilitatem actionum ejus, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris* k. Sic ut ſinguli dicere poſſimus cum eodem Apoſtolo l, *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Cùm mortificatio paſſionis ejuſdem Jeſu Chriſti, ejus humiliatio *uſque ad mortem, mortem autem crucis* m, fuerit medium, quo Deus jacturam noſtram reſarſit, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* n. Quodque nobis eſt inſtitutum, ut meliùs nos conſervemus in Divinâ ejus gratiâ.

f Luc. 12, 49.
g Iſai. 55, 11.
h Hebr. 12, 29. ex Deut. 4, 24.
i Galat. 2, 20.
k 2. Cor. 4, 10.
l Galat. 6, 17.
m Phil. lipp. 2, 8.
n Apoc. 1, 5.

Igitur, ut ait ipſemet S. Bernardus o, *eſt nardus humilis herba: quam & calida ferunt eſſe natura hi, qui herbarum vires curioſius explorarunt: & ideò per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, ſed quæ ſancti amoris vaporibus flagret.* Jeſus Chriſtus perfectionem conſtituit in profundis ſuis praxibus humilitatis: perfectè Sanctus noſter illis adhæſit, jugiter manens in humili notitiâ ſui ipſius inter abundantiam gratiarum, quibus perfundebatur à Deo, quaſi favoribus hujuſmodi fuiſſet indignus: eſt igitur totus ſanctus in hàc virtute, quæ ipſum reddit admirabilem & amabilem toti mundo, qui miratur eum quam dat iſta nardus odorem. Apperet potiùs Angelus cœli, quàm homo terræ, cujus non obit munia niſi præ neceſſitate, vivens in corpore quaſi non haberet corpus: omnes turmatim ad eum currunt; & ſi ritè obſervaretur affluentia populorum ad ipſum convenientium, judicaretur quòd generationes viderentur terminandæ, & quòd deinceps non eſſet mundus niſi clauſtra contenturus. Unuſquiſque trahitur bono odore nardi iſtius, nemo eſt qui imitari nolit hunc Sanctum in vitâ ipſius, & in praxi virtutum ipſius, ita ut ſinguli, imò verò propinqui & fratres eius dicerent ei, *Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum* p. Ipſe eſt veluti magnes, qui attrahit illos, quorum induratum eſt *cor tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus* q ſtrictum: & illi qui minimè inclinantur ad virtutem, & cujus praxis videtur ipſis nimis auſtera, amantes ejuſdem virtutis exercendæ fiunt ad exemplum illius, & attrahuntur odore ejus. Ad imitationem ejus, homines tempore illi ſuppares habebant aliquam levem apprehenſionem ſanctitatis, aliquam ideam & ſimplicem notitiam virtutis, ſed inſtar illorum Aſtronomorum qui non cognoſcunt ſtellas niſi ſuper globis, & more Medicorum qui diſcurrunt de qualitatibus plantarum juxta ea quæ de illis recenſentur in hiſtorijs, nedum cognoſcant eas aliter quàm per libros: cùm enim agebatur de redigendâ in praxim virtute, ſapientes ferè omnes eidem exercendæ minùs erant idonei quàm cæteri: videbatur illis ſicut antiquis Phariſæis, quòd integritas morum menſuranda foret ad ſpeculationem legis, & quòd ſufficeret ipſis ut eſſent Doctores, ad hoc ut non eſſent vitioſi: & de quibus ideò aliàs *Ieſus locutus eſt ad turbas & ad diſcipulos ſuos, dicens, Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis; ſervate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt* r. Bernardus evertit iſtas maximas, & conſtituit actiones ſuas ut fundamentum doctrinæ ſuæ, ipſemet facit id quod edocet alios, ſicut *cœpit Ieſus facere & docere* s. Ita ut nihil amplius ad hoc requiratur ut quis ſit perfectus niſi ut illum imitetur, cùm obſervetur in eo pietas verè delineata, cujus viſæ non fuerant niſi falſæ imagines. Omnia corda caleſiunt ardore iſtius nardi, quippe quæ attrahit odor quem exhalat hæc nardus in parvitate ſuâ, ita ut indiſcriminatim magni & parui, nobiles & ignobiles, viri & mulieres ad Bernardum convenirent, ut in domum Dei admitterentur, ibique ſe Deo in perfectum holocauſtum conſecrarent, ideòque viri uxores ſuas, & uxores viros ſuos à vinculo ſoluerent conjugali, dicentes ſinguli præ contemptu mundi, quòd quantumvis mundus ipſis deinceps eſſet explicaturus, ipſorum oculi non eſſent ampliùs intuituri pompas ejus & lenocinia illius niſi præ faſtidio inſtar Pſalmiſtæ t, *Et dixi, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ: & volabo, & requieſcam? Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Et more Danielis u, *Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus, & declinavimus à mandatis tuis ac judicijs. Tibi Domine juſtitia: nobis autem confuſio faciei. Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te, & non audivimus vocem Domini Dei noſtri, ut ambularemus in lege ejus; quam poſuit nobis per ſervos ſuos Prophetas.* Id eſt, per tot Prædicatores quos audivimus, ſed nunc, Domine, volumus auſcultare novum Prophetam iſtum, aut Magiſtrum cœleſtem, quem nobis providiſti, cùm cor noſtrum non reſpiret ampliùs niſi propter gloriam tuam, nec ullâ ſit unquam perfundendum ſatisfactione, niſi cùm miſericordia tua ejuſdem gloriæ tuæ tribuet ei fruitionem, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* x. Videte quomodo calor iſtius nardi eos calefaciat, ſed quomodo odor ejus illos attrahat, ita ut ingens numerus Monachorum admittatur in Monaſterium Claravallenſe. Ha qualis mutatio! Cùm non eſſet Claravallis, antequàm perfunderetur odore nardi iſtius, niſi obſcura & fœtida vallis, ſcatens infectione; non priùs honoratur præſentiâ noſtri ſancti, qui ibi con-

o S. Bern. ſerm 42, in Cant. 1, 12.
p Cant. 1, 3.
q Job. 41, 15.
r Matth. 23, 1. & c.
s Act. 1, 1.
t Pſ. 54, 7. & 8.
u Dan. 9, 4. & c.
x Pſ. 16, 15.

ſtituit

ſtituit domicilium ſuum, cùm ſtatim evad t verè clara vallis, ubi Angeli & Princeps Angelorum ſuas capeſſunt delicias, & olfaciunt præ ſuavitate dulcedinem nardi iſtius quæ exhalat odorem, qoo vel ipſum perfunditur cœlum, ſicut dicat *Dominus virtutum, Rex gloria y: Delicia mea, eſſe cum filÿ hominum z.* Priùs non erat Claravallis niſi ſpelunca latronum, & ex tunc efficitur domicilium Sanctorum, ubi universæ virtutes exercentur. Aliàs vocabatur vallis Abſinthii, aut quia in eâ erat multa hujuſmodi herba, ſeu propter amaritudines quas latrones inferebant viatoribus, qui in ipſorum manus incidebant; nunc autem dici poteſt vallis dulcedinis, cùm non ſuſcipiatur ibi ampliùs niſi genus omne bonorum officiorum, eò quod effecta fuerit paradiſus propter eum bonum, quem exhalat iſta *nardus odorem ſuum.*

y Pſ. 23, 10.
z Prov. 8, 31.

Aliam præ ſe fert nardus qualitatem, quæ in hoc eſt ſita, ut ſi ſuavis ſit quantum ad odorem, amara ſit quantum ad ſaporem, *Nardus, frutex eſt, teſte Plinio, aſpero ſapore,* ait Calepinus *a.* In quo repræſentat appri mè qualitates S. Bernardi, qui cum eſſet ſuavis & affabilis omnibus, ſummis Pontificibus, Prælatis, Imperatoribus, Regibus, Principibus, magnis & paruis, ita ut videamur ei applicare poſſe id quod Salomon *b* ait de Sapientiâ, cujus S. Bernardus ita bonus erat diſcipulus: *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tadium convictus illius:* videbatur potiùs Angelus cœleſtis, quàm homo terrenus: ſed adverſum ſe ſic auſterus erat & rigidus, ut corpori ſuo videretur indixiſſe bellum non intermiſſum, & inimicitiam prorſus irreconciliabilem: eo modo ſe gerebat ac ſi nullum corpus habuiſſet, ita parùm de providendis ei illis quæ ipſi neceſſaria erant ſuſtentando cogitabat; illud ſuſpectum habebat ut hoſtem infidum; illud excipiebat ipſe ut captivum; ſi comedebat, cibum capeſſebat quaſi invitus, & cum Prophetâ *c* manducabat *cinerem tanquam panem, & potum cum fletu* miſcebat ſuum: a cibis abſtinebat delicatis ut à veneno, vita ejus non erat niſi amaritudo & mortificatio, non alebatur niſi pane compacto ex milio, aut ex avenâ, & fabæ aut herbæ componebant illius edulia; ſic medijs ſuis mortificationibus ordinarijs eò proceſſerat inſenſibilitatis ut comederet adipem crudū pro butyro, & oleum pro vino biberet. *Iejunio ita deditus erat, ut quoties ſumendus eſſet cibus, toties tormentum ſubire videretur: In vigilÿs etiam & orationibus mirificè ſe exercebat: & Chriſtianam paupertatem colens, quaſi cœleſtem vitam agebat in terris ab omni caducarum rerum curâ, & cupiditate alienam* †. Quò refertur alia nardi proprietas: nardus enim recenſetur eſſe ſemper viridis: ſic S. Bernardus nihil unquam reſecuit ex auſteritatibus ſuis ordinarijs: idem ſemper erat ipſe in ſuis occupationibus laborioſis medias inter infirmitates ſuas, quæ exigebant aliquod levamen, ut ſe meliùs ſemper animaret ad prælium in ſtadio virtutis percurrendo, & in peragendâ deſtructione vitij, quod eſt illi contrarium, quod erat finis propter quem ingreſſus erat Religionem, dicens ordinariè ſibimetipſi, *Bernarde, Bernarde ad quid veniſti?* Ipſe clauſtro ſe mancipaverat, ut mundum, & vanitates ejus contereret, & in viâ virtutis & perfectionis infatigabiliter proficeret. Quidnam eſt quod dicere quis auderet ſuper conſilium, quod tantam exigit magnanimitatem, cujus exitus ſic eſt glorioſus, ac progredi ſemper in perfectionem, nec unquam retrò reſpicere? Dirè noſtrum corpus excipiamus, Auditores, ne nobis imperet, & nos contemnat; tractemus illud ut captivum, ne ſibi dominium conciliet ſuper nos, & nobis imponat leges, quæ nobis eſſent intolerabiles, quia rectæ rationi non eſſent conſonæ; & ſatagamus ut deinceps vivamus vitâ ſpiritus. Sic ipſe requirebat ab ijs qui veniebant è ſeculo ad induendum habitum Monaſticum, & ad amplectandam Religionem ipſius, ut relinquerent corpus præ foribus Monaſterij, & ne ingrederentur Clauſtrum niſi cum ſolo ſpiritu, ne ſubditi eſſent ampliùs tam iniquo & ſic rigido creditori, id eſt, corpori, cui nunquam ſit ſatis, ſed quod ſemper petit, ita ut blanditiæ quibus afficitur, ipſi non deſerviant niſi ad hoc ut magis inſoleſcat, utens fortitudine & valetudine ſuâ ad moliendam ruinam noſtram, *Prodÿt quaſi ex adipe iniquitas eorum* d.

a Calepin. in Diction. V. Nardus, citans Plin. lib. 12, c. 12.
b Sap. 8, 16.
c Pſ. 101, 10.
† Eccleſia in Legendâ ipſius.
d Pſ. 72, 7

Finiamus, Auditores, hanc convenientiam quæ admittitur inter nardum & S. Bernardum, per hanc eximiam qualitatem, quam referunt de hâc plantâ Naturales, quòd ex eâ pretioſiſſimum fiat unguentum, quo curatur omne genus morborum malignorum & peſtiferorum, miſſo quòd alijs inſerviat uſibus huic propoſitio non congruentibus; ita ut appoſitè poſſimus huc afferre id quod ait de Ponte *e* ſuper verba Textus noſtri. *Etſi per nardum aggregationem omnium virtutum, quarum fundamentum eſt fides, repræſentari diximus: peculiariter tamen in hoc loco ſymbolum eſt duarum, quæ exiſtente Rege in ſuo accubitu gratiorem odorem ediderunt. Prior eſt humilitas, cui aptè conveniunt cuncta quæ de nardo refert Plinius. Nardus, inquit, frutex eſt gravi, & craſſâ, ſed brevi ac nigrâ fragiliq; radice, quamvis pingui ecdolente, ut cupreſſi, aſpero ſapore, folio paruo, & denſo: cacumina in criſtas ſe ſpargunt, nardo delibuta oleo ſit unguentum pretioſiſſimum.* Hæc ille. *Quæ omnia humilitatis ſunt propria inſignia. Humilis enim ex veriſſimâ ſui cognitione ſibiipſi vileſcit; nam ſe agnoſcit ærumnis gravem, brevem duratione, peccatis nigrum, tentationibus fragilem, nullâque ſtabilitate ex ſe munitum, ſibi aſperum, in oculis ſuis paruum, & mundo deſpicabilem, cùm tamen reverâ ſit ob humilitatem ipſam devotione pinguis, odore ſanctitatis valde redolens, coram Deo pretioſus, hominibus admirabilis, & ad omnia utilis, cùm ex eâ & dilectione tanquam ex nardo cum oleo ſit ſpirituale unguentum quo anima ungitur. & pelluntur ab eâ languores, flatuſque ſuperbiæ.* Noſtra nardus, id eſt, S. Bernardus à quotnam malignis morbis liberavit homines ſeculi ſui, quibus illud tempus erat infectum? Parùm eſt ac ſanare corpora, ſed multum eſt ſanitatem animabus impertiri: hæc curatio eſt eò excellentior, quò difficilior eſt: & ſicut anima incomparabiliter eſt nobilior corpore; ſic remedium illius debet eſſe pretioſius: atqui quis neſciat quòd maximus omnium morborum, & violentiſſimum cunctorum venerorū quibus laborare poſſit anima, ſit hæreſis, aut ſchiſma? Nullo modo differunt hæreſes ab idololatriâ; tam ratione authoris ipſarum qoi eſt diabolus, quàm propter ipſarum ſtatum, qui eſt jactura & damnatio animarum: & ideò S. Auguſtinus *f* vocat Hæreticos Idololatras, quia adorant phantaſias & chimæras mentis ſuæ, *Phantaſmata ſua colunt.* Atqui quotnam hæreſibus peſtilentibus pretioſum hoc unguentum, id eſt, S. Bernardus

e De Pont lib. 4. in Cant. ſ. 12. exhort. 2. citans Plin. lib. 12, c. 12.
f S. Aug. lib. de verâ Relig. c. 38.

nardus

nardus proficuum fuit antidotum ? Nonne poſtquàm ipſe monstraſſet clàm Petrum Abaillardum, virum ſubtili quidem mente præditum, ſed de cætero ſuperbum & vanitate tumentem, qui ſeductus à patre mendacij, id eſt à diabolo, *Quia mendax eſt, & pater ejus* g, ſeminare cœpit novam doctrinam, & aliquas falſas opiniones, æquè ac pernicioſas, ut ab illis ſe retractaret; & ipſe videret quòd contra hunc ſuperbum hæreticum viâ benignitatis nihil proficeret ipſe; illum convicit in Concilio Senonenſi coram plurimis Prælatis & Doctoribus, & ſic illum ad æquum reduxit obſequium, ut ille pudore ſuffuſus non habuerit quid reſponderet rationibus Sancti ? Nunquid non ipſe biduo diſputavit in Concilio Rhemenſi contra Gilbertum Porretanum Epiſcopum Pictavienſem, virum Scripturæ ſacræ notitiæ quidem peritum, ſed de reliquo temerarium & arrogantem, qui majori ſubtilitate quàm veritate docebat novum dogma circa myſterium SS. Trinitatis ; eumque tandem coegit ad ſe retractandum de erroribus quos divulgaverat ? Non minùs pernicioſa fuit impietas falſi Miniſtri & apoſtatæ Henrici, qui debacchatus eſt contra cœlum, & indixit bellum Jeſu Chriſto, impugnans ſancta Sacramenta, & in terram proſternens antiquum uſum hierarchiæ Eccleſiaſticæ : & quia ſubtilis erat, æquè ac loquax & garrulus, ingentem ediderat in Aquitaniâ ſtragem, ubi propter deteſtabilem ejus doctrinam, inveniebantur Eccleſiæ ſine Sacerdotibus, & Sacerdotes abſque ullâ reverentiâ, ſeu, ut meliùs dicatur uno verbo, Chriſtiani, ſine Jeſu Chriſto. Papa miſit Legatum qui tanto mederetur diſpendio : iſte verò Legatus tranſivit per Monaſterium Claravallenſe, unde ſecum duxit S. Bernardum, qui ab Aquitanis ſuſceptus fuit præ devotione incredibili : ipſe autem vitâ ſuâ, doctrinâ ſuâ, & miraculis ſuis, evulſit è cordibus hujuſmodi populi decepti malum ſemen quod diabolus in illa injecerat manibus Miniſtri ſui Henrici : & illi qui perverſi fuerant à fide, ad eandem reducti ſunt interventu S. Bernardi. Eximium antidotum, cujus virtus morbos pellit, & ſanitatem tribuit !

Alter morbus periculoſus, & animabus vehementer noxius, eſt ſchiſma, quod membra dividit à ſuo capite. Hoc morbo importuno furioſè laboravit Eccleſia tempore S. Bernardi per aliquot menſes, cùm unus è præcipuis Romanis, nomine Petrus Leo, pravo artificio uſurpavit cathedram S. Petri ſub nomine Anacleti, & oppoſuit ſe Innocentio II. vero & legitimo Pontifici, unde magnum paſſus eſt Chriſtianiſmus ſcandalum, & pernicioſiſſimam diviſionem ; quia ab initio non erat ſic facile verificatu, uter eſſet legitimus ſucceſſor S. Petri, & Vicarius generalis Jeſu Chriſti : ad quod ſanandum ſchiſma congregatum eſt Concilium Stampenſe in Galliâ, & ad illud vocatus eſt S. Bernardus, ita requirentibus Rege Chriſtianiſſimo & Prælatis Eccleſiæ, qui invocato Divino auxilio declaravit Innocentium Papam & Paſtorem Eccleſiæ, nedum inveniretur aliquis in toto Concilio qui contradiceret ei, & opponeret ſe hujuſmodi declarationi, ut refert Coriolanus h. *In hâc Synodo, authore S. Bernardo, damnatum eſſe Petrum Antipapam, qui ſe Anacletum nominabat, contrà verò approbatam fuiſſe electionem Innocentij canonicè & legitimè ordinati, teſtatur Vincentius.* In quo completa fuit viſio matris ejus, dum eſſet ipſo fœta ; ſomniavit enim quòd deferret in ventre ſuo parvum canem candidum, habentem ſuper dorſo ſuo notam rubeam, & latrantem : & conſulens quendam ſervum Dei, didicit ab eo pro reſponſo, quòd iſte infans futurus eſſet magnus Prædicator, & latraturus adverſus impios ad cuſtodiendam domum Dei quæ eſt Eccleſia, & linguâ ſuâ medicinali ſanaturus ulcera multarum animarum. Sic iſte parvus canis vehementer latravit contra Guilielmum Ducem Aquitaniæ : cùm enim ſchiſma non eſſet prorſus abolitum in Aquitaniâ propter ambitionem Gerardi Epiſcopi Engoliſmenſis, qui adjutus favore Guilielmi potentiſſimi Principis, innumeras agebat inſolentias, ſummus Pontifex miſit S. Bernardum in Aquitaniam ad redigendum Guilielmum ad juſtum obſequium, & ad retundendum tyrannidem mali Epiſcopi. Pertexit S. Bernardus ad Aquitaniam allocutum Ducem Guilielmum, & conatus eſt eum redigere ad obedientiam vero Paſtori exhibendam ; ſed videns obſtinationem ejus, & quòd media humana eſſent inutilia ad reducendum eum ad juſtum obſequium, ipſe adhibuit Divina, pergens ad Eccleſiam celebratum Miſſam, & accepto SS. Euchariſtiæ Sacramento acceſſit ad Ducem, qui ingredi non poterat Eccleſiam, eò quòd eſſet excommunicatus & manebat præ foribus, quem voce terribiliter horribili ſic eſt allocutus, Obſecravimus te, & tu nos contempſiſti : omnes iſti ſervi Dei, Epiſcopi, & alij te deprecati ſunt ; & eos deſpexiſti: ecce Filius B. Virginis, Dominus & *Caput corporis Eccleſiæ* i, *quem tu perſequeris* k inſtar alterius Sauli, qui venit ante te : *Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* l. Et anima tua citò tranſibit per manus ejus : videamus an revereberis eum, aut num illi terga vertes, ſicut ea vertiſti nobis. Ad hæc verba in terram proſtratus Guilielmus, ex Schiſmatico factus eſt Catholicus, è feroci leone agnus manſuetus, & è malo Chriſtiano ſanctus tandem evaſit.

Ha ! Auditores, ſeculum iſtud nunquid non producet nobis aliquem S. Bernardum ? nonne ſuſcitabit nobis aliquem parvum canem cum notâ rubrâ, qui latret, & confundat omnes iſtos lupos rapaces, qui non congregantur niſi ad turbandum tranquillitatem Eccleſiæ, & ad perdendas animas ; veras peſtes Galliæ, ſicut & aliarum Monarchiarum ? *Præcipita Domine, & divide linguas eorum : quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate* m. *Muta fiant labia doloſa* n. Confunde, Domine, conſilia eorum, claude ora eorum ſacrilega, ne blaſphemias vomant, & ſuſcita Bernardos, & parvos canes cum notâ rubrâ, qui compellant illos ad ignominioſum receptum. Dominæ meæ, non puto me irrogaturum vobis injuriam, ſi comparem vos Patri veſtro, cùm totam gloriam veſtram educere debetis ex ejus imitatione : eſtote igitur ad exemplum ejus, & ſicut id veſtræ veſtes vobis innuunt, canes candidæ puritate, cùm deferatis illius inſignia ; ſatagite ut cor veſtrum præ ſe ferat hanc notam rubram, & ardeat igne ſanctæ dilectionis, latrate præ ſanctis ardoribus veſtris, videntes tot animas ſubditas tyrannidi Satanæ, efflagitate liberationem earum orationibus veſtris ; clamate more canis illius Evangelicæ o, id eſt, Chananææ poſt Filium Dei, *Miſerere meî Domine, Fili David : filia*

mea

g Joan. 8, 44.
h Coriol. Capucin. in Summ. Concil. V. Conc. Stampenſe apud Vincent. lib 27, c. 6, & lib. 2. in vitâ S. Bern.
i Coloſſ. 1, 18.
k Act. 9, 5.
l Act. 10, 42.
m Pſ. 54, 10.
n Pſ. 30, 19.
o Matth. 15, 22. &c.

mea malè à dæmonio vexatur. Petite cum inſtantià ſalutem ſpiritualem tot animarum, quas nunc miſerabiliter dæmon poſſidet, & excæcat, ne cognoſcant virtutem, latrate contra infernum, obſtringite eum precibus veſtris ad deſerendam probroſè prædam ſuam: imitamini zelum Patris veſtri, & ardete flammis ejus propter converſionem animarum errantium. Bernardus fuit unguentum pretioſiſſimum, & ut ſic ſanitatem præbuit animabus ægris peccato: Bernardus fuit nardus humilitatis profundæ, cujus ſuavis odor mundum traxit univerſum ad obſequium Deo præſtandum, inflammando homines ardore ſuo, ſancto amore ejus: Bernardus totam reparavit Eccleſiam Dei, eamque replevit odore ſanctitatis ſuæ, & virtutum ſuarum eminentium, ita ut dicere poſſit præ veritate, *Nardus mea dedit odorem ſuum.* Angeli cœli, & tota Curia cœleſtis perfundetur ſumo odoramenti ita ſuavis, quod aſcendit ad cœlum Empyreum uſque, quaſi lætificare Deum ipſum debeat.

Ha! taceo, & non habeo ampliùs niſi admirationes propter gloriam ejus, & nimia ſeges loquendi de eo inducit me ad ſilentium: hanc eſt gloriam ejus profanare, ac ore meo enunciare eam, cùm non habeam ſatis verborum ad illam prædicandam; de eâ nimis dixi ne conſcius ſim eam ſic malè retuliſſe. Etiam, magne Sancte: ingenuè fateor, & ad confuſionem meam, & ad maximam gloriam tuam, Neceſſaria erat mens ſubtilior meâ, & lingua diſertior

p Iſai 6, 5.

meâ, *Vir pollutus labijs ego ſum* p. Ideóque requirebatur *unus de Seraphim, & in manu ejus calculus,* ut tangeret *os meum* hoc calculo ignito,

q Iſai. 6. 6. & 9.

ſicut aliàs *tetigit labia* q Iſaiæ Prophetæ. Tandem, Feci id quod potui, ſed non totum quod erat officij mei: nimia habes merita, ego verò nimiam inſufficientiam ad ea digne extollenda; ego ſum in defectu, tu verò in exceſſu; & ſi pauper ego ſum, ideò quia tu nimis dives es, *Inopem me copia fecit.* Numerus perfectionum tuarum in admirationem me rapuit, magnitudo meriti tui ſtupore me perculit, ſplendor virtutum tuarum caligine me offudit, & inter iſtas admirationes, hos ſtupores, & has caligines invenio ſatisfactionem in defectu meo, eumque credo glorioſum, cùm umbra ejus procedat è luminibus tuis, & inſufficientia mea ſerviat ad extollendam præ majori ſplendore gloriam tuam, quæ laudes omnes excedit.

Quanta eſt veſtra felicitas, Dominæ meæ, ac habere Patrem ſic glorioſum, reddite vos ſanctitate actionum veſtrarum digniores titulo & nomine quo eſtis inſignitæ; conformate vos ad hoc prototypon perfectionis, ſatagite ut tanquam vera tranſumpta convenientiam habeatis cum veſtro exemplari, ut vita veſtra ſit nardus, ut mores veſtri exhabent hunc odorem Bernardinũ, ad attrahendas animas ad obſequium Dei, & ad inflammandas eas ardoribus veſtris amore ejus ſacro, ut dicere poſſitis ſingulæ in civitate N. *Nardus mea dedit odorem ſuum.* Magne Sancte, cùm loquar organo filiarum tuarum, teneor hanc tibi proponere ſupplicationem in gratiam illarum, Robora conſilia illarum auxilijs tuis, imitari volunt ipſæ zelum tuum, & vivere nolunt ampliùs niſi vitâ tuâ, ſicut tu non vivis niſi vitâ Dei, *Fiat in eis duplex ſpiritus tuus* r. Effice ut ſint ipſæ nardi ſuper terrâ & in Clauſtris humilitata ſuâ primò, deinde ardore zeli ſui, ut, cùm mundum repleverint odore ſanctitatis ſuæ, & animas infirmas peccato ſanaverint, aſcendere poſſint in cœlum *ſicut virgula fumi* s, ad lætificandos Angelos, imò verò & ad oblectandum aliquo modo Deum in gloriâ.

r 4. Reg. 2, 9.

s Cant. 3. 6.

IN OCTAVA ASSVMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Cant. 2. 4.

ILlud eſt inuſitatum & inauditum in naturâ, quod ut verum recenſetur à quibuſdam, qui dicunt quòd cùm vas aliquod aureum, aut cryſtallinum eſt plenum rore, & ita obturatum ut in ipſum non poſſit aër ingredi, quànvis eſſet in centro terræ, nihil impedire poteſt quin Sol ipſum attrahat, & ipſum exire faciat è viſceribus terræ, in quibus eſt incluſum: & inde poteſt conijci (ſi ita ſe res habet) quantùm Sol ſit amans roris, propter quem ipſe non invenit aliquid ita ſolidum quod non reddat leve, nec ita firmum quod non efficiat tranſpirabile radijs ſuis. Veritaſque poſſet eſſe dubia illi qui vellet ipſam examinare per prodigia gratiæ, quæ eſt ſupra naturam, ubi

a Eccleſia ex Mala ch. 4. 2.

invenio quòd *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter* a, eò quòd repleverit Matrem ſuam rore cœleſti gratiæ ſuæ: nam, ut ait S. Epiphanius b, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*: ideò attrahit illam

b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.

è terra, ut illam elevet in cœlum, quò eam Angeli deferunt unà cum ipſo, cui innititur hæc ſacra Genitrix, *innixa ſuper Dilectum ſuum* c, qui introducit ipſam in cellas gloriæ ſuæ, ut uſurpem verba Textus mei, ſicut ipſamet fatetur, *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me*

c Cant. 8. 5.

charitatem. Unde ſubintelligendum eſt nomen, Dilectus, ait De Ponte d: *ut ſenſit ſit, Dilectus*

d De Pont. lib. 4. in Cant. 2, 4. exhort. 39.

quem deſideraveram, introduxit me in cellam vinariam, & benè ait, introduxit me; quia niſi Dilectus eam introduceret, ipſa ſua virtute illuc intrare nequiret. Miraculum, quod cùm non ſit commune, requireret ut ipſum explicarem ſtylo qui non eſſet ordinarius, *Vas admirabile, opus Excelſi*, ait Eccleſiaſticus e. Et poſt illum Hugo Cardinalis f, *Vas admirabile beata Virgo, urna aurea plena manna* g. *Opus Excelſi, Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* h. Expediret itaque ut B. Virgo extollens gloriam ſuam, elevaret diſcurſum meum, quandiu ego deprimens vocem meam, & flectens genua mea præ humilitate, ipſi exhibeo omnem reverentiam poſſibilem cum verbis Angeli qui agnoſcit hanc veritatem, dicendo ei, *Ave Maria.*

e Eccli. 43. 2.

f Hug. Card. in Eccli. 43. 2.

g ex Hebr. 9. 4.

h Eccli. 24. 12.

Concipimus in Deo in prædeſtinatione hominum, veluti conſilium formatum, ſed quod nullo modo lædit ordinem admirabilem providentiæ ipſius, aut regulas juſtitiæ ipſius: ſi enim decrevit Deus ab æterno communicare eis fruitionem gloriæ ſuæ, ideò quia diligit illos. *In charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te, miſerans* i,

i Jer. 31. 3.

nec

nec vult ut diu maneant in miſeriis mundi. Sed ſi illos ſapienter diligit, ſic & ſapienter diſponit ſortem Electorum, in quibus ſicut eſt differentia meritorum, ſic eſt & differens communicatio gloriæ quæ fit eis ſecundùm amorem cordis ipſorũ, ſicut ait ipſemet Filius Dei, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* k. Seu, *In domo Patris mei, id eſt, in Eccleſiâ triumphante, in cœleſti beatitudine, in patriâ Beatorum, manſiones multæ ſunt, id eſt, diverſi gradus præmiorum, variæ dignitates & diſtinctiones in participando fruitionem Bonitatis Divinæ, ſecundùm quòd in præſenti vitâ fuerint gradus atque diſtinctiones meritorum, quibus præmia correſpondent. Et charitatis fervori correſpondet ac datur præmium eſſentiale, quod eſt viſio Dei per ſpeciem, propter quod viſio Dei in mentibus comprehenſorum diſtinguitur quantùm ad gradum perfectionis, ſecundùm quòd unus in viâ ferventiùs dilexit Deum quàm alter. Vnus enim clariùs intuetur, ac dulciùs atque perfectiùs fruitur Deo quàm alter, quoniam charitatis affectio aperit, capacemque efficit mentem amantis amati. Vnde qui ardentiùs Deum dilexit, pleniùs eum participat, poſſidet, retinet*, ait Dionyſius Carthuſianus l. Ex hoc principio concludere poſſumus, quòd juſtitia & ſapientia Dei diſtribuunt Electis gloriam ſecundùm quòd plus aut minus charitatis & meritorum invenerint in illis: *Nam quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*, ait S. Paulus m. Et poſt illum fusè ad propoſitum, quod aggredior, idem Carthuſianus n. *Nam quos præſcivit, id eſt, ab æterno prænovit ad vitam, & per approbationem, ſicut ad Moſen loquitur, Scio te ex nomine* o. *Et prædeſtinavit, id eſt, in ſuâ diſpoſitione æternâ præmiſit atque præordinavit conformes fieri per gratiam adoptionis, imaginis Filii ſui, id eſt, Filio ſuo naturali, qui eſt imago Patris ſui; cùm ſit imago bonitatis paternæ, candor æternæ lucis, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis* p. *Filiatio enim adoptiva Electorum, eſt ſimilitudo filiationis naturalis Divinæ. Conformantur ergo Prædeſtinati Filio Dei cùm fiunt filii adoptivi, quia per gratiam gratum facientem, & cætera dona Spiritus ſancti ſortiuntur quandam aſſimilationem ſupernaturalem cum Deo Patre, cujus Filius eſt imago. Aſſimilantur quoque & Filio, qui eſt, Verbum* q, *Veritas* r, *& Sapientia* s *Patris, cùm natura eorum intellectualis Divinorum contemplatione perficitur. Poteſt quoque referri conformatio iſta ad Filium ſecundùm naturã ejus aſſumptam. Sic enim Prædeſtinati ſunt conformes fieri imaginis Filii Dei, ut ſint cohæredes Chriſti* t, *& ſicut portaverunt imaginem terreni, ſic portent imaginem cœleſtis* u, *ut ſit ipſe Filius Dei, primogenitus in multis fratribus, id eſt, inter prædeſtinatos fideles (qui fratres ejus ſunt ſecundùm naturam aſſumptam) primatum tenens, ordinem dignitatis, tanquam Caput eorum* x, *& jus primogenituræ poſſidens, hæreditatem Patris abundantius percipiendo, eamque aliis diſtribuendo. Quæ autem bona prædeſtinationem ſequantur, oſtendit Apoſtolus. Quos autem prædeſtinavit ab æterno, hos & vocavit ad ſtatum ſalutis, ad fidem & gratiam, vel per inſpirationem internam vel per inſtructionem Angelicam, vel per prædicationem humanam. Et quos vocavit, hos & juſtificavit, indulgentiam conferendo, & gratiam infundendo. Quos autem juſtificavit, illos & glorificavit, exaltando eos in gloriâ. Quoſnam enim jam magnificavit hoc modo, alios magnificabit. Itaque prædeſtinatio gratiam præparat, reſpicitque gratiæ bonum finale. Vocatio gratiam offert, & retrahit à malo. Iuſtificatio gratiam confert, & reſpicit bonum gratiæ initiale. Magnificatio gratiam conſummat in gloriâ, & concernit futurum bonum fœlicitatis æternæ. Horum quatuor, prædeſtinatio eſt in Deo: alia tria in nobis ſunt.* Et in hoc ſenſu Maria Deipara agnoſcit in miraculo triumphi ſui, quòd ipſa tenet gratiam & gloriam, quas poſſidet, à Filio ſuo, qui ipſam eduxit è reſectione creaturarum. Re autem verâ charitas reperitur in Mariâ ſine ullâ comparatione; ita ut ſi propter *humilitatem* y ſuam ipſa fuerit exaltata, aut propter paſſiones ſuas, quippe cujus *animam doloris gladius pertranſivit* z quandiu ſtaret *juxta crucem Ieſu* a ejuſdem Filii ſui, cùm utrumque ſonet ipſius nomen *Maria, Exaltata, amaritudinis mare*: & prætereà dicat S. Epiphanius b: *Illa enim reperietur eſſe cœlum, templum, & thronus. Rurſum, Nomen illud Maria interpretatur Myrrha maris.* Aut ſi, ut omnia unico verbo concludamus, ipſa fuit exaltata propter infinitatem amoris ſui, quemadmodum ſuprà dixit idem S. Epiphanius, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*, & ſicut ipſamet ait de ſe, *Ego Mater pulchræ Dilectionis* c: *id eſt, Chriſti, qui eſt pulchra Dilectio* d: *Deus Charitas eſt* e: Et, Deus *magnus eſt, & non habet finem: excelſus & immenſus* f: ipſa ſemper ducit titulo honoris, ſuſcipere gloriam à Filio ſuo quem vocat nomine Dilecti, juxta interpretationem de Ponte ſuprà allatam: *Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedit* g *Chriſtus*, dixit S. Epiphanius h. Unde vult ipſa innuere, quòd in duobus ſtatibus Filius ſuus, de quo ipſamet ait, *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*, fecit ipſam conſortem *Divinæ Naturæ* i, ſeu perfectionum Divinitatis. *Cùm enim ſit homo*, ait Dionyſius Carthuſianus k, *ad ſummæ Trinitatis imaginem ſimilitudinemque* l *productus, & per conſequens per dona naturæ aliqualiter conſors Divinæ Naturæ, ſeu particeps perfectionis ac bonitatis proprii Creatoris, certum eſt quòd per dona gratiæ altiori perfectione quàm modò Deo aſſimiletur. Filiorum namque eſt ſuo Patri aſſimilari. Et iſti communionem, conſortium, ſeu ſocietatem quandam habent cum Domino. Et quia communio, aſſimilatio & unio jam præfata cum Deo, multò perfectiùs habentur in patriâ, quam in viâ: idcircò Electi & Sancti dicuntur Deo in cœlo perfectè aſſimilari, & conſociari. Propter quod ſcribit Ioannes* m, *Similes ei erimus; quia videbimus eum ſicut eſt.* Primus ergo ſtatus, cujus Mariæ facta eſt conſors, eſt ſtatus gratiæ, & ſecundus eſt ſtatus gloriæ, ipſi reſervatus pro domicilio immortalitatis: ita ut, cùm B. Virgo cogitat profuſionem gloriæ, quæ ipſam reddit triumphantem, & cùm ipſa intuetur ſe ſuſcepiſſe plenitudinem gratiæ in gradu accedente ad gradum in quo ſuſcepit eam Filius ſuus, ipſa videat, quòd amor Dei fecit in ipſâ duas ſanctas metamorphoſes, unam gratiæ, & alteram gloriæ, quæ duas conſtituent diſcurſus iſtius partes.

Diviſio.

I. Pars.

Quarum prior inſigniri non poteſt expreſſiori charactère quàm ſit ille quo Iſaias n collocat Dominum in nube levi, dicens, *Ecce, aſcendet Dominus ſuper nubem levem.* In quo repræſentat Deum ut Solem lucidum; & proculdubio hæc nubes, quæ ſuſcipit illius radios, non eſt alia niſi beatiſſima Virgo. Re autem verâ ſi conſideremus Solem quando format nubem, inveniemus quòd iſte planeta percutiens terram radiis ſuis, facit expreſſionem, cùm inde eruit

k Joan. 14, 2.
l Dion. Carth. art. 15, in Joan. 14, 2.
m Rom. 8, 29, & 30.
n Dion. Carth. art. 12, in Rom. 8, 29, & 30.
o ex Exod. 33, 12.
p ex Sap. 7, 26.
q ex Joan. 1, 1.
r Joan. 14, 6.
s ex Sap. 7, 24.
t ex Rom. 8, 17.
u ex 1. Cor. 15, 49.
x ex Coloſſ. 1, 18.
y Luc. 1, 48.
z Eccleſia ex Luc. 2, 35.
a Joan. 19, 25.
b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
c Eccli. 24, 24.
d Hugo Card. in Eccli. 24, 24.
e 1. Joan. 4, 16.
f Baruch 3, 25.
g ex Pſ. 18, 6.
h S. Epiph. ſer. de Laud. Deip.
i 2. Petr. 1, 4.
k Dion. Carth. art. 1, in 2. Petr. 1, 4.
l ex Gen. 1. 27.
m ex 1. Joan. 3, 2.
n Iſai. 19, 1.

iſtam nubem, quæ veniens ex hoc principio, videtur amittere defectum illius, & nihil terræ tenere: Sol enim aufert frigiditatem, impuritatem, & gravitatem. E quâ obſervatione educitur prima perfectio Mariæ: qui enim intuetur eam in origine ipſius, non ignorat quòd illam ſit enixa mulier viâ communi generationis, quæ videtur illam conſtituere in cõditione generali reliquorum hominum deſcendentium ex Adam, *in quo omnes peccaverunt* o. Sed ipſa inde exivit ſicut vapor qui exiens è terrâ, amittit omnes illius qualitates, & elevatur ſuper eam, à quâ producitur: licèt enim verum ſit, Auditores, quòd ipſa ſit orta è progenie Adæ, & natà è filiis ejus, ut ait S. Epiphanius p, *De radice Ieſſe ortus eſt Rex David, & de tribu Regis Davidis ſancta Virgo: ſancta, inquam, & ſanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vitâ ſuâ Deo placuerunt, atque etiam fructum ejuſmodi germinarunt, ſanctam Virginem Mariam*: tamen ipſa eſt elevata per abundantiam gratiæ, quam ipſa ſuſcepit à Filio ſuo, qui ipſam conſtituit in gradu accedente ad gradum gratiæ, cujus ipſemet eſt fons, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* q. Ita ut ipſa nihil teneat corruptionis limi, è quo ipſa parta eſt, in hoc ſimilis nubi, quam Sol educit è terrâ, & elevat in ſedem ſuam, diſſolvens eam ab impuritatibus & ſordibus terræ, licèt hæc ſit illius origo: & iſte eſt ſenſus quem S. Ambroſius r tribuit verbis Iſaiæ, *Ecce, aſcendet Dominus ſuper nubem levem*, dicens, *Nubem Mariam dixit, quia carnem gerebat: levem, quia Virgo erat nullis oneribus gravata*. Quis enim neſciat, quòd omnes alii ſancti ſunt nubes? ut dixit idem Iſaias s, *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant?* Sed nubes aggravatæ peccato, ſaltem originali: ſed B. Virgo eſt immunis ab hoc onere, eſt nubes ſemper ſplendens lumine & claritate, nedum fuerit unquam ſuffuſa tenebris, quæ involvunt cæteros homines *in iniquitatibus* t conceptos, ſaltem per aliquantum tempus.

o Rom: 5, 12, ex Gen: 3, 6.
p S. Epiph: ſerm: de Laud: Deip: ex Iſai. 11, 1, & ex Matth: 1, 6, &c.
q Joan: 1, 17.
r S. Amb: Exhortat: ad Virgin.
s Iſai. 60, 8.
t Pſ: 50, 7.

Sed progrediamur ulteriùs, & repræſentemus B. Virginem Mariam decoratam prærogativis Filii ſui: quod ritè nobis figuratur exemplo Solis, qui producit imaginem ſuæ pulchritudinis excellentis in nubibus, quæ ipſi ſunt oppoſitæ. Diceretis, quòd iſtæ nubes ſunt ignis in naturâ, & quòd ſpecioſus iſte planeta quaſi ſibi complacet in conſtituendâ imagine ſuâ in nubibus: in illis ſemetipſum exprimit & delineat, ſed non ſe collocat in eis in ſubſtantiâ: idem facit ipſe in aquis, in ſpeculis, in metallis, & in corporibus diaphanis & transparentibus, ſed præſertim cùm invenit nubem diſpoſitam ad ſuſcipiendos ardores radiorum ipſius, tunc imprimit ei imaginem ſuam. Quod Iſaias u præfatus authoritate ſuâ confirmat, cùm veritus ne ſuſpicaretur aliquid in B. Virgine Mariâ, quod eſſet humanum & naturale, de eâ ſic loquitur, *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles*. Quaſi diceret, quòd B. Virgo defert faſtigium virtutum ſuarum, & meritorum ſuorum ſuper reliquos homines, ad quantumlibet pretium pervenire poſſint privilegia excellentiarum & perfectionum ipſorum: conſiderate enim Apoſtolos cum amore ipſorum x, Virgines cum puritate ipſarum y; Martyres cum patientiâ ipſorum z; uno verbo, ponite vobis ob oculos mentis diverſos ordines Electorum ut altos montes: B. Virgo eſt elevata ſuper illorum apices, id eſt, virtutes illius ſunt in eminentiâ, *Fundamenta ejus in montibus ſanctis* a. Verba, quorum ſenſus vobis erit conceptu facilis, ſi imaginemini domum ædificatam ſuper faſtigium montis excelſi; ſic ut inde velit innuere Propheta, quòd ibi B. Virgo incepit perfectionem ſuam, quò alii terminos ſuæ perfectionis extendunt; quòd altiſſimus progreſſus, ad quem alii pervenire poſſunt, eſt centrum eminentium perfectionum illius; & quòd apex ſanctitatis juſtiſſimorum quorumcumque hominum, eſt ſedes & fundamentum gratiarum, quas ipſa ſuſcepit in tantâ plenitudine ut ſecluſis gratiis Filii ipſius, nullo modo poſſint explicari. Propterea ſic illam ſalutat S. Epiphanius b poſt Angelum, *Ave gratiâ plena* c. *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa. Ave gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade geſtans lucem inextinguibilem* d, *Sole ſplendidiorem. Ave gratiâ plena, bami eſca ſpiritalis, in te ſiquidem bamus Divinitas. Ave gratiâ plena, gloria ſpiritalis. Ave gratiâ plena, quæ es urna aurea continens manna cæleſte* e. Quò coincidit id quod ſuprà retuli ex Eccleſiaſtico f, *Vas honorabile opus Excelſi*. Et ex Hugone Cardinali g poſt illum, *Vas admirabile beata Virgo, urna aurea plena manna. Opus Excelſi. Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo* h. Ut innuatur, quòd ipſa eſt opus ſpeciale Spiritus ſancti, qui ipſam formavit, æquè ac elegit, ſicut Sol virtute ſuâ format aurum in viſceribus terræ ad imaginem ſuam. Nemo eſt qui non ſciat, quòd hoc pretioſum metallum, ſi ritè inquiratur origo ipſius, non eſt niſi lutum, quod non meretur ut Sol ipſum intueatur: & tamen hic planeta pervadit intima uſque terræ viſcera, & ibi purificat iſtud lutum: Spiritus ſanctus ſanctificans Mariam ab ipſo vel inſtanti conceptionis ipſius primo, & præveniens illam *in benedictionibus dulcedinis* i, defæcat illam ab hoc luto quod eſt principium fatale corruptionis, & radix peccati k, ſicut Sol calore ſuo facit expreſſionem illius quod eſt luteum, ut non relinquat ibi niſi res puras: ſed ſicut Sol è terrâ facit aurum, & imprimit ei imaginem & colorem radiorum ſuorum, ut amittat priorem formam: ita Spiritus ſanctus mutat id quod eſt terreſtre in Mariâ, imprimens ei imaginem ſuam, & charactêres Divinæ ſimilitudinis ſuæ; ita ut Maria *ab æterno ordinata* l ad Divinam Maternitatem, amittens defectus in naturâ ſuâ, ſuſceperit charactêrem gratiæ, & veluti aurum electum quod habet notas Solis, receperit charactêres Spiritus ſancti, qui infudit in ipſam gratiam ſuam.

u Iſai: 2, 2.
x Joan: 21 15, &c.
y Apoc: 14, 4.
z Hebr: 11, 33, &c.
a Pſ: 86, 1.
b S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
c Luc. 1, 28.
d ex Sap. 7, 10.
e ex Hebr. 9, 4.
f Eccli. 43, 8.
g Hug. Card. in Eccli. 43, 2.
h Eccli. 24, 12.
i Pſ. 20, 4.
k Rom: 5, 12, & 7, 23.
l Prov: 8, 23.

Si autem concipere velitis quid magnum de Mariâ, renovate hic attentiones veſtras. Dico enim, quòd ipſa eſt velut cera pura, cui Pater æternus impreſſit etiam ſigillum ſuum, & figuram ſuam, ut in eâ idem Pater æternus tanquam in imagine aut in ſtatuâ intuendas exhiberet gratias & perfectiones Filii ſui. Duo ſunt in ſigillo, in eo eſt vacuum, & in illo eſt plenum. Cùm imprimitur, cauſat plenum, & vacuum in ſubjecto quod ipſum ſuſcipit; & videtis quid in eo peragitur: vacuum ſigilli repletur pleno materiæ, & vacuum materiæ impletur pleno ſigilli: Dei Filius eſt ſigillum Patris ſui, *Cùm ſit figura ſubſtantiæ ejus*, ait S. Paulus m. *Id eſt, imago vel character ipſius Patris, qui eſt ſubſtantia ſeu Divina Eſſentia. Græci verò utuntur nomine ſubſtantiæ indifferenter pro eſſentiâ & perſonâ*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus n. *Hunc enim Pater ſignavit Deus*, ait S. Joannes o. Quomodo autem inveniemus plenum, & vacuum in illo? Sanè plenum reperiemus in eo ſi auſcultemus eundem

m Hebr: 1, 3.
n Dion. Carth. art. 1, in Hebr: 1.
o Joan: 6, 27.

dem S. Joannem *p* dicentem de illo, *Vidimus plenum gratia & veritatis.* Nec deeſt ei vacuum, ſi attendamus ad illa, quæ ait illi Pſalmiſta *q*, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Ipſe eſt plenus gratiâ & perfectione, & vacuus omnibus miſeriis. Sed quale erit plenum, & vacuum ſubjecti, in quo eſt, quod eſt Maria? Si conſideraremus eam ut ſimplicem creaturam, nedum intueremur dignitatem ſupereminentem Matris Dei, ad quam ipſa eſt elevata, ipſa eſſet plena, & vacua; ipſa eſſet natâ, & vixiſſet plena miſeriis, ſicut nos; & vacua gratiis, ut nobis aſſimilaretur: ſed cùm fœlicitate incomparabili Pater æternus præveniſſet eam gratiis ſuis, & cumulaſſet illam affluentiâ benedictionum ſuarum, & magna ſuper ipſam conſilia formaſſet, impreſſit ei ſigillum ſuum, characterem ſuum, figuram ſuam; & hoc ſigillum communicavit ei plenum ſuum, ut repleret vacuum ejus, & vacuum Filii repletum fuit pleno Mariæ Matris ſuæ, ſic ut aſpiciatur à nobis Filius plenus miſeriis, & ſaturatus *opprobriis* *r*, Mater autem *gratiâ plena* *s*. Nunquid ipſa non eſt etiam Filia Patris æterni, cùm ipſa deferat characterem & figuram Filii ipſius, qui communicavit ipſi per participationem & per gratiam quidquid habet ipſe per naturam & per eſſentiam? ita ut applicare poſſimus illi id quod Ezechiel *t* loquitur in perſonâ Regis Tyri, *Tu ſignaculum ſimilitudinis.* In quo, ut ait Cornelius *u*, *Alludit Propheta ad creationem Angeli, æquè ac primi hominis in paradiſo (unde utrique hæc omnia rectè adaptes)* Sed præcipuè B. Virgini, quæ *ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna, & Mater* *x*.

Præterea, Maria eſt etiam Filia Patris æterni alio modo, quia ipſa defert figuram ejus, & figuram Filii ipſius, ita ut ſi Verbum ſit *Filius* *y* Patris æterni, cùm habeat ſimilitudinem ejus, Maria ſit Filia ejus, quia præ ſe fert etiam ſimilitudinem illius. Duas res obſervo in Patre, naturam, & perſonam. Communicat ipſe Filio quidem naturam ſuam, ſed non communicat illi perſonam ſuam. Per naturam ſuam Filius eſt ſimilis Patri ſuo, quia eandem eſſentiam habet cum illo: non eſt autem illi ſimilis quantùm ad perſonam, alioquin nulla eſſet diſtinctio perſonarum, *Ego & Pater, unum ſumus* *z*, ait Filius. Seu, *Ego (ſecundùm naturam Verbi) & Pater, unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo, unum, notatur eſſentiæ unitas individualis, non generica, ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus *a*. Inſuper, Non dicimus, quòd Filius generet alium Filium: Pater igitur communicat Filio ſuo naturam ſuam, non autem perſonam ſuam; hanc autem perſonam communicat ipſe B. Virgini, cui dat poteſtatem pariendi in tempore eundem Filium *b*, quem ipſe gignit in æternitate, & eodem momento indiviſibili: ſicut enim in æternitate Pater æternus generat Filium ſuum ſine Matre, ut ait S. Gregorius Nazianzenus *c*,

Prima Trias Virgo eſt:

Sic *ubi venit plenitudo temporis* *d*, Maria gignit illum ſine Patre, ait S. Epiphanius *e*, *Manſit in virginitate ſancta & præclara Puella Maria, quæ eſt nubes lucida habens intus Deum Verbum: ad quam vocaliſſimus Iſaias, Ecce nubes levis, & veniet in Ægyptum* *f*, *mons* *g* *nullatenus inciſus, præruptam habens Petram Chriſtum, de quâ ſapientiſſimus Daniel* *h* *ait, Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. Hoc eſt, abſque viro ſolidam petram Chriſtum Virgo peperit, ipſa templum minimè compoſitum, quæ lapidem cœleſtem habet Chriſtum, ipſa nubes tonitruiformis, quæ fulgur interim in utero geſtat: ſermonique meo atteſtatur Divina Scriptura* *i*, *dum ait, Venter tuus acervus frumenti, vallatus in liliis. Ipſa eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti* *k* *ſuſcipiens, etiam manipulum germinavit.* Videtis hic igitur figuram perſonæ Patris, & ſic illam vocare poſſumus Filiam Patris æterni, *Tu ſignaculum ſimilitudinis* *l*. Ipſa eſt imago perfecta, quæ repræſentat nobis perfectiones Divinas, nedum ullam ex iis nobis abſcondat, perfectiones, inquam, Patris, & Filii. Sed cum dico, perfectiones Filii, exiſtimo me facere epitomen & compendium prærogativarum, quas cœlum elegit ad compingendam gloriam & coronam B. Virginis. Unde fit, ut Evangeliſtæ ubiubi, & quovis tempore loquuntur de illâ, non immorentur in deſcribendis laudibus ejus: ſufficit autem ut dicatur, quòd ipſa Mater eſt illius, qui agnoſcit Deum prout Patrem, ſicut ipſamet ait apud S. Epiphanium *m*, *Ego Virgo incorrupta, quæ in utero geſtavi, effecta ſum templum impollutum habitantis in me Verbi Dei nuptiarum expertis. Emmanuelem geſtavi in utero incorrupto* *n*, *in ventre impolluto, ſimilis effecta throno Cherubico* *o*: *in quâ caro factum eſt Verbum* *p* *Patris, qui Deus eſt initio carens* *q*: *& licet inviſibilis* *r*, *ſpectabilis* *s* *tamen per diſpenſationem aſſumptæ carnis factus eſt. Non experta nec cognoſcens virum* †, *peperi Deum, qui eſt ante ſecula, ipſum Chriſtum. Nam etiam nunc ſum Virgo poſt partum, purior (ſi dicere licet) quàm anteà: ſine labore puerperii, non ut omnes mulieres: diſſimiles enim fuerunt res mea ac illarum inter pariendum. Non novit natura humana partum meum, excepto ſolo Deo, qui in me habitavit.* Sciſtiſne, Auditores, id quod refertur de nobili Matronâ Romanâ Corneliâ? quòd intuita quòd aliæ Matronæ Romanæ non gloriabantur niſi de pulchritudine ſuâ, & de divitiis ſuis, ſumpſit filium ſuum conſecratum ſaluti Reipublicæ, & dixit illis, *Hæc mea ornamenta ſunt.* Ecce ſancta gloriatio beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ advertens quòd vanæ mulieres mundi gloriantur de prærogativis quas ipſæ ſuſceperunt à Deo, vel à fortunâ, nihil habet aliud dicendum, niſi quòd ipſa ſit Mater Dei, & quòd Jeſus Chriſtus Filius ſuus eſt Deus: quid autem innuit illud, niſi quòd ipſa accedat quantùm pura creatura accedere poteſt, ad perfectionem Dei, & hoc virtute Filii ipſius, qui ipſam elevavit ad gradum gratiæ accedentem ad Divinitatem uſque eò ut repleretur theſauris gloriæ, ſicut videbimus in hâc poſteriori parte.

Quod Salomon *t* videtur attingere, cùm beatam Virginem præclaro comparat ſpeculo, dicens, *Speculum ſine maculâ Dei majeſtatis.* Characteres illius cum tantâ refert convenientiâ & ſimilitudine, ut pulchritudo unius reflectatur ſuper pulchritudinem alterius: & talis eſt beata Virgo, quæ ita recipit characteres Divinitatis per acceſſum Divinæ perſonæ, ut nulla videatur admittenda differentia inter imaginem & prototypon, *Et imago bonitatis illius*, ait conſequenter Salomon. *Nulla enim ex puris creaturis eſt, in*

p Joan. 1, 14.
q Pſ. 90, 10.
r Thren. 3, 30.
s Luc. 1, 28.
t Ezech. 28, 12.
u Cornel. in Ezech. 28, 12.
x S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
y Pſ. 2, 7.
z Joan. 10, 30.
a Dion. Carth. art. 27. in Joann. 10, 30.
b Matth. 1, 25, &c. & Luc. 2, 7.
c S. Greg. Naz. in Carm. de Virginit.
d Galat. 4, 4.
e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
f ex Iſai. 19, 1.
g Iſai. 2, 2.
h Dan. 2, 34.
i ex Cant. 7, 2.
k ex Joan. 12, 24.
l Ezech. 28, 12.
m S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
n ex Mat. 1, 23, & ex Iſai. 7, 14.
o ex Pſ. 98, 1.
p ex Joan. 1, 14.
q ex Dan. 15, 42.
r ex 1. Tim. 1, 17.
s ex Tit. 3, 4.
† ex Luc. 1, 34.
t Sap. 7, 26.

quâ omnia Trinitatis attributa & perfectiones magis emicuerint, dicit Salazar u: *nulla, in quâ ſuam virtutem, & efficaciam magis prodiderint*. Id eſt, Perſonæ Divinæ.

u Salaz: in Prov: 8, 23, nu. 301.

Atque adeò ſatis accommodatè illi adſcribi ſolent ea verba Sapientiæ, Speculum ſine maculâ Dei operationis. Græcè, energiæ, ſeu efficacitatis. Quia nimirum in eâ tanquam in ſpeculo, Divinorum attributorum efficacia, & energia maximè ſpectatur. Tandem, Ipſa eſt beata per Filium ſuum; intuendo ſe in eo, videtur ipſa eripere illi cor. Pater æternus, licèt beatus ſit ſemetipſo, tamen ipſe non eſt ſolum ſuæ beatitudinis objectum: habet enim Filium qui eſt ipſius *imago* x naturalis, qui eſt Deus ſicut ipſe, & quem producit è ſubſtantiâ ſuâ; & intuitu & contemplatione iſtius Filii, Pater ſe tenet quaſi minùs beatum in eo quod ipſe eſt in ſeipſo, quàm in eo quod ipſe eſt in Filio ſuo: ſic Maria videns ſe elevatam ſopra Angelos (quemadmodum de illâ canit Eccleſia, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia Regna*) & introductam *in cellam vinariam* Divinitatis, veluti nihili magnitudinem ſuam ducit intuitu ſatisfactionis, quâ ipſa perfunditur ex magnitudine Filii ſui, quem ipſa produxit è ſubſtantiâ ſuâ, & in cujus decôre ipſa ſe videt repræſentatam præ iſtis prærogativis, quòd pulchritudo Verbi æterni, quod ipſa produxit, oritur ex eâdem formâ, unde procedit ipſius pulchritudo; & ſic ipſa ſe intuetur in cœlo prout Matrem glorioſam Dei.

x Sap: 7, 26.

Iſtud eſt quod agnoſcit S. Bernardus y, qui ipſum eruit è S. Joanne z: ait enim Apoſtolus iſte, *Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum*. Quaſi diceret, quòd Jeſus Chriſtus qui ſub flagellis, *ſpinis*, clavis, & *lanceâ* a cautam præſtiterat cauſam noſtram, nunc eſt in cœlis, ubi vices obit Advocati noſtri, & hæc eſt ratio propter quam *aſſumptus eſt in cœlum* b.

y S. Bern: ſer. 1. de Aſſump. B. V.
z 1. Ioan: 2, 1.
a Joan: 19, 1, &c.
b Marc: 19, 16.

Et propter eandem rationem illuc eſt ipſum ſecuta Mater ſua, dicit S. Bernardus, *Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit*. Et hoc eſt miniſterium, quod ipſa magis diligit, quàm gloriam triumphi ſui, quodque efficit ut ipſa veluti non afficiatur erga proprium bonum, & non cogitet niſi de nobis, nec gloria Angelorum ſit ipſi jucunda ſine noſtrâ: *Aſcendens ergo in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus* c. *Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cœlorum eſt, miſericors eſt, denique Mater eſt unigeniti Filii Dei*, proſequitur idem S. Bernardus.

c ex Epheſ. 4, 8, & ex Pſ. 67, 19.

Quod efficit ut ipſa authoritatem ſuam inſumat erga omnes, ut ait iſte S. Abbas alibi d: *Denique, Omnibus omnia facta eſt* e: *ſapientibus & inſipientibus copioſiſſimâ charitate debitricem ſe fecit* f, *omnibus miſericordiæ ſinum aperit*. Sed ſinum qui non eſt minùs immenſus, quàm ſit ſinus Oceani, qui extenſione ſuâ terram replet univerſam: ſed nunc cùm ipſa habet gratiam conſummatam in ſtatu gloriæ, iſtud mare non ſe coarctat intra limites, ſed circumquaque ſe diffundit in gratiam hominum, qui inveniunt in hoc ſinu remedium curandis malis & infirmitatibus ſuis opportunum, ait conſequenter idem S. Doctor, *Vt de plenitudine ejus accipiant univerſi* g, *captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus* h.

d S. Bern. ſerm. de Verbis Apoc. 12, 1, Signum magnū, &c.
e ex 1. Cor. 9, 22.
f ex Rō. 1, 14.
g Applicatio ex Joan. 1, 16.
h ex Pſ. 18, 7.

Sed præcipuè *æger curationem*. Non enim habet aliquid ipſa charius curatione peccatorum, propterea dicit Arnoldus Carnotenſis i, *Securum acceſſum jam habet homo ad Deum, ubi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrē. Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera, Maria Chriſto pectus & ubera, nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni linguâ diſertius, hæc clementiæ monumenta, & charitatis inſignia. Dividunt coram Patre inter ſe Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inviolabile teſtamentum.*

i Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.

Sic ut ſanguis Filii interpellet pro nobis, ſed velut animatus lacte Matris, altiùs etiam loquatur in gratiam noſtri. Idcircò Sponſa habet labia duplicem colorem præ ſe ferentia; modo ipſa præ ſe fert illæ rubra inſtar vittæ coccineæ, nunc ea habet alba more lactis, ut ait illi Sponſus ſuus, *Sicut vitta coccinea labia tua. Lac ſub linguâ tuâ* k. Hoc innuit quòd B. Virgo interdum labia ſua amoroſa applicat ſanguini Filii ſui, per quem illum obſecrat ut nobis parcat: & quòd aliàs ea dealbat in lacte ſuo virgineo, ut Divinam nobis conciliet Miſericordiam; & hoc eſt officium, cui incumbit hæc ſacratiſſima Regina in favorem noſtrum.

k Cant. 4, 3, & 11.

Sed non ſatis eſt ac dicere, quòd B. Dei Genitrix obſecrat Filium ſuum, ut nobis parcat, cùm ipſa triumphet etiam de illo propter utilitates noſtras, & propterea comparetur palmæ, ſicut ipſamet ait, *Quaſi palma exaltata ſum in Cades* l. Et Sponſus ipſius ſic congratuletur ipſi, *Statura tua aſſimilata eſt palmæ* m. Palma eſt ſymbolum victoriarum, ideò ſemper triumphis appropriatur. Ratio propter quam Maria palmæ comparatur, eſt quia ipſa eſt tota coronata triumphis.

l Eccli. 24, 18.
m Cant. 7, 7.

Fuiſtiſne unquam admirati certamen initum à Patriarchâ Jacob cum Angelo, ſeu, ut meliùs dicatur, cum Deo in perſonâ Angeli? *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque manè. Qui cùm videret, quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim aſcendit aurora* n. Sanctus iſte Patriarcha videbatur quaſi victus per noctem, ita ut percuſſus in femore, remaneret claudus ex luctâ: ſed ſtatim ac aurora tenebras noctis expulit, hæc ipſi ſic fuit propitia, ut, quànvis Verbum Divinum luctaretur cum ipſo, ſicut *Theodoretus, Iuſtinus, Tertullianus, Hilarius, Ambroſius, Cyrillus, & alii apud Pererium, videntur dicere, fuiſſe Filium Dei, putà Verbum quod futurum erat caro* o; *& probatur, quia ipſe Iacob V. 30. eum vocat Deum*, ait Cornelius p: tamen hoc idem Verbum deditionem ſubiverit, quaſi deprecans Patriarcham ut ipſum dimitteret, nullam dans aliam rationem illarum, quas petebat, induciarum, niſi quia aurora jam inciperet apparere.

n Gen. 32, 24. &c.
o ex Joan. 1. 14.
p Cornel. in Gen. 32. 24.

Videamus, ſi placet, myſterium; Per noctem Patriarcham vincit Deus in figurâ Angeli: & cùm aurora incipit micare, ipſa hic eſt propitia Jacob ut iſte Patriarcha triumphet de Deo. Aliqui Doctores ſentiunt, quòd in hâc luctâ figurantur certamina, quæ ineuntur inter Deum & peccatores; & victoriæ, quas Maria retulit de Filio ſuo in gratiam peccatorum, & omnium filiorum Adæ, præſertim illorum qui criminibus ſunt addicti. Ipſa repræſentatur per auroram, cùm ſic vocetur in Canticis q, *Quæ eſt*

q Cant. 6. 9.

iſta

Digitized by Google

iſta quæ pregreditur quaſi aurora conſurgens ? Quando Deus luctatur cum peccatore, & eum malè excipit, B. Virgo accurrit in auxilium peccatoris, eumque non ſolum liberat è manibus Dei; imò verò Deus ipſemet ſe quaſi victum fatetur, *Dimitte me: jam enim aſcendit aurora*. Ut autem miſericordia B. Virginis ſplendidiùs emicet, & videatur manifeſtiùs auxilium illius, & favor, eſt duntaxat inſpiciendum infortunium illorum qui conſtituti ſunt in conditione culpæ, & conſiderandum in quàm deplorandum ſtatum redactus eſt peccator, cùm offendit Deum ſuum: tunc enim deſtitutus eſt auxilio omnium creaturarum: & ſic majoris ducemus auxilia, & favores B. Virginis.

Poſtquàm *adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè: in ſe autem reverſus dixit, Surgam, & ibo ad patrem meum: & ſurgens venit ad patrem ſuum: dixit ei, Pater, pec-*
r Luc. 15. 13. &c. *cavi in cœlum, & coram te* r. Quare dixit iſte Filius prodigus? *In cœlum.* Nonne ſufficiebat ut diceret, ſe offendiſſe contra Deum, in perſonâ patris ſui? Ratio propter quam filius iſte prodigus præfata verba ſubdidit, eſt, quia omnes chori Angelorum videntes, quòd peccator inſurgit in Deum, & ingratitudine intolerabili offendit Creatorem ſuum, arma capeſſunt adverſus eum, & eodem volunt ulciſci modo crimen quod commiſſum eſt contra Regem ipſorum, ac ſi injuria ipſiſmet eſſet irrogata: & ſic otioſus & nequam ac æquo liberior ille filius revertens domum patris ſui conſideravit omnes ſpiritus Angelicos quaſi arma præ manibus tenentes, quibus machinabantur ipſius jacturam, eò quòd vitijs ſuis inſurrexiſſet in Dominum eorum: *Dixitque ei filius, Pater, peccavi in cœ-*
s Titus in Luc. 15, 25. *lum.* Quaſi diceret, ait Doctor Titus s, *Haud ſecus firmamenti faciem metuo, atque accuſatoris cujuſpiam vocem.* Idem poſſumus dicere de Sanctis, & de omnibus creaturis, cùm arment ſe contra peccatores, cùm vident quòd iſti offendunt Dominum ſuum: ideò ſic loquitur iſte
t Dioſ. Carth. arꝰ. 38. in Luc. 15, 21. filius apud Dionyſium Carthuſianum t, *Peccavi, mala committendo, & bona omittendo, in cœlum, id eſt, coram ſupernis ſpiritibus, & ſpecialiter contra Angelum vitæ meæ cuſtodem, cujus præſentiam inhonoravi peccando, & ejus inſpirationibus non acquieſcendo. Præterea, Qui Creatorem offendit, totius creaturæ meretur offenſam incurrere, atque ut omnis creatura contra eum inſurgat, & Creatoris ſui in eo ulciſcatur injuriam: nam & peccando in Deum, omnem creaturam quodammode inhonorat, cujus Deum ac Creatorem ſic parvipendit, inhonorat, ſeu ſpernit: quemadmodum qui Regem terrenum injuſtè percuteret, quemlibet ejus ſubditum inhonoraret atque offenderet. Sicut enim honor, ita & inhonoratio Regis & cujuslibet Præſidentis redundat in ſubditos. Veruntamen creatura incomparabiliter magis debet Deum Creatorem ſuum amare ac venerari quàm ſubditi Regem terrenum. Unde de Dei inhonoratione ſummè dolendum eſt.* Sponſus facer celebrare volens nuptias cum quinque Virginibus prudentibus, reprobat fatuas, & claudit
u Matth. 25, 1. &c. iſtis januam. Non invenitur in Evangelio u, quòd *quinque prudentes* orarent pro fatuis. Hæc
x S. Chryſoſt. hom. in Pſ. 48. prope finem. eſt obſervantio S. Chryſoſtomi x dicentis, *Notæ erant virgines Virginibus, ſed nihil eas juvit ea familiaritas.* Quare Virgines ſapientes ſic inurbanas ſe fatuis exhibuerunt? Reſponſio ad iſtud facilis eſt, quia fatuæ erant inimicæ Dei, & offendentes Deum, offenderunt pariter Angelos & Sanctos per Virgines ſapientes figuratos, ita ut iſti ſint irati, & ulciſcantur injuriam Domino ſuo ab illis illatam. Idem dicendum eſt de creaturis iſtius mundi inferioris: Rex Sennacherich, qui fuit blaſphemus contra Deum, & inimicus ejus, ratus ſe benè ſecurum in templo Ninives, in quo adorabat idolum, à proprijs filijs occiſus eſt: *Sennacherib Rex Aſſyriorum habitavit in Ninive. Et factum eſt, cùm adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech, & Saraſar filij ejus percuſſerunt eum gla-*
dio y. Ita ut, cùm aliquis offendit Deum, & y Iſai 37. 37. &c. inimicus eſt Dei, tantam cœlum decernat ei pœnam, ut proprij liberi mutantes amorem filialem in furorem, mortis ictum ei infligant ita ſtatuente Divinâ Juſtitiâ. Non ſatis eſt ut Angeli & Sancti amplectantur cauſam Domini ſui, cùm vident illum offendi ab inimicis ipſius; non ſufficit ut creaturæ rationales intuitu offenſæ illius eò uſque afficiantur ut violare videantur leges pietatis & reverentiæ; imò verò illæ, quæ ſunt ratione, ſenſu, & animâ deſtitutæ, inſurgant adversùs peccatores, Sol, Luna, planetæ, ſtellæ malis ſuis influentijs, *Armabit crea-*
turam ad ultionem inimicorum z. Unione quæ z Sap. 5. 18. erat inter Deum & homines diruptâ per peccatum, *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos &*
Deum veſtrum a: omnes creaturæ conatus ſuos a Iſai. 59. 2. univerſos inſument ad deſtruendos peccatores, *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos* b. Ut patet in Jona c.

Sed quid agendum eſt inter tot infortunia, ac b Sap. 5. 21. ſe videre ſine aſylo & abſque refugio? Ad quem- c Jon. 1. 4. &c. nam locum ſacrum confugiet peccator, ut ſaluti ſuæ conſulat, & eximat ſe à periculo? Quiſnam providebit illi aſylum, & ubinam reperiet ipſe protectionem, ſi cœlum, terra, elementa, & omnes creaturæ moliuntur ruinam ipſius? Ha! aſylum tutiſſimum, & protectio ſecuriſſima eſt interceſſio beatiſſimæ Mariæ Virginis Deiparæ: ſi enim interceſſio illius interveniat, cùm juſtitia Dei propter peccata noſtra capitibus noſtris impijs imminet infligenda, Maria victoriam refert de Juſtitiâ Divinâ, & libertatem captivis impetrat à Deo, æquè ac recētes gratias, & favores. Ecce poteſtas & bonitas iſtius incomparabilis Reginæ cœlorum in favorem noſtrum. Sed heu! quam ingratus eſt ille, qui ſe ſeparat ab obſequio ejus, quàm infelix eſt is, qui renuit illi reverentias ſuas; & quàm infortunatus eſt ille, qui recedit à protectione ipſius, tempore peccati ſui. Ipſa diſſipat tenebras peccatorum, ſicut aurora materialis obſcuritates noctis: hæc *aurora* d myſtica illuminat peccato- d Cant. 6, 9. res, ut intueantur miſerias ſuas, & ab illis recedant. *Itaque præclara Puella Maria beatum nomen interpretatur Illuſtrata, utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit*, ait S. Epiphanius e. Et Eccleſia canit ei, *Gaude Maria* e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. *Virgo: cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Recurramus ad eam, & per eam habebimus à Domino *gratiam, & gloriam* f. f Pſ. 83, 12.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

Factus eſt in pace locus ejus. Pſ. 75. 3.

SEmper exiſtimavi quòd eſſet terra devincta cœlo, quòd hæc corpora pompatico lumine ſplendentia, æquè eſſent elevata omni genere perfectionis ſuper hoc elementum viliſſimum & abjectiſſimum omnium, ac ſunt ſitu ſuo & altitudine ſuâ: ſed hodie contrarium ſentiens, fateri cogor quòd cœlum multum eſt addictum terræ, cùm è viſceribus ſuis producat florem, qui odore ſuo perfundit totum paradiſum, & cujus pulchritudo rapit in admirationem univerſos illius incolas, id eſt, Mariam, *Ego flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias* a. Et de Ponte b, *Ipſa inſtar Fily, flos eſt etiam campi, & lilium convallium, omnibus carpere volentibus expoſitum; quia nullus eſt qui non poſſit ad eam accedere, nullus qui non fragrantia ipſius particeps eſſe valeat; nullus qui apud ipſam miſericordiam & gratiam, ſi velit, non inveniat. Si fueris in campo plano conſolationis, ſive in profundâ convalle deſolationis, utrobique invenies propitiam Mariam, & multoties Chriſtus flos campi, & lilium convallium ſuam peccatoribus pulchritudinem abſcondit, quam tamen libenter illis exhibet Mater ipſius.* Quæ hâc die Nativitatis ſuæ lætificat cœlum, & gaudio univerſali totum perfundit orbem, ut concinit ei Eccleſia, *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo.* Illud eſt præſagium maximæ felicitatis quâ cumulandi ſumus, cùm hæc ſancta Puella quæ naſcitur hodie, datura ſit aliquando mundo Reparatorem ſuum, cum reſpondebit Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, poſtquàm ille dixerit *ad eam, Ave* c *Maria.*

a Cant. 2, 1.
b De Pont. lib. 4 in Cát. 2, 1. ex hort. 13. parag. 1.
c Luc. 1, 38. & 28.

Dies nativitatis erat aliàs inter antiquos non ſolùm profanos & infideles, imò verò fideles & juſtos amicos Dei, dies lacrymarum, dies nigro lapillo notatus, imò verò, quod eſt ſtupendum, dies maledictionis. Thraces flebant in nativitate liberorum ſuorum, & apparatu funeſto luctus & ſuſpiriorum excipiebant triſtem illorum adventum in mundum. Salomon d dicebat, *Laudavi magis mortuos, quàm viventes: & feliciorem utroque judicavi qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub Sole ſunt.* Et quòd melior *eſt dies mortis die nativitatis* e. Et Job f ulterius progrediens, & dolorem ſuum magis exprimens, immunetis onerabat imprecationibus nativitatis ſuæ diem, dicens, *Pereat dies, in quâ natus ſum.* Unde venit igitur, ut ſpecioſâ die iſtâ quam celebramus, lacrymæ convertantur in gaudium, ſuſpiria in cantus lætitiæ, & maledictio in benedictionem, ad excipiendam cum applauſu, celebrandam cum laude, & benedicendam cum honore hanc novam & beatam nativitatem? Quale novum privilegium comitatur eam quæ naſcitur hodie in mundo, ut in eum afferat lætitiam, cùm omnes alij qui eam præceſſerunt, non invexerint in illum unquam niſi fletus? Aut quodnam aſtrum ſic favorabile præſidet natalitiis ejus ut lætitiâ totum perfundat orbem? Gaudium univerſale totius orbis comitatur iſtam nativitatem, Auditores: quippe quæ bonum annunciat mundo univerſum: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo: ex te enim ortus eſt* g *Sol juſtitiæ* h *Chriſtus Deus noſter, qui ſolvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem* i, *donavit nobis vitam ſempiternam* k. Ipſa annunciat adventum communis Redemptoris, propter eà communem annunciat ipſa lætitiam: ipſa prædeſtinata fuit ab æterno tantâ providentiâ, *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequàm terra fieret* l. Promiſſa ab initio temporis tanto amore, *Ipſa conteret caput tuum* m. *Mulier eſt beata Maria Evæ filia*, ait Cornelius n. Expectata ab omnibus ſeculis præ tantâ neceſſitate, ut ait Salazar o poſt S. Damaſcenum, *Nimirum quædam concertatio, inter ſecula non modò à conditione mundi, ſed etiam ante conditionem inita eſt. Nam cùm ab æterno quodlibet ſeculum, vel ſpatium æternitatis Mariam ſibi vendicaret, & poſtularet à Deo, eam Divinæ cognitioni præſentiſſimam offerebat. Hanc ſeculorum concertationem deſcripſit Damaſcenus his verbis, Certabant, inquit, ſecula quodnam maximè ortu tuo gloriaretur. Verùm eorum concertationem præfinitum Dei, à quo ſecula facta ſunt, conſilium ſuperavit: & poſtrema prima facta ſunt, dum ipſis feliciſſima nativitas tua obtigit.* Propter eà ipſa excipitur cum tantâ congratulatione, in eâ prædeſtinatio mandatur executioni, Prophetiæ adimplentur, *Orietur Stella ex Iacob*, ait Scriptura p. Et S. Bernardus q, *Ipſa eſt igitur nobilis illa Stella ex Iacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipſa, inquam, eſt præclara & eximia Stella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſariò ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis.* In illâ promiſſiones ſuum ſortiuntur effectum, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel* r. *Peperit Filium ſuum primogenitum: & vocavit nomen ejus Ieſum* s. In ipſâ figuræ ceſſant, & umbræ abeunt ac recedunt, *Omnia in figurâ contingebant illis* t. Imò verò cùm Veritas apparet, mors perit, peccatum extinguitur, vita renaſcitur, injuſtitia recedit, gratia ſuccedit, Redemptor accedit, omnia mala fugiunt, & omnia bona adveniunt: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, cùm benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei*, ait S. Paulus u. Et ante illum David x prædixerat, *Veritas de terrâ orta eſt: & juſtitia de cælo proſpexit.* Super quod ſic diſertè loquitur S. Auguſtinus y, *Veritas de terrâ orta eſt, Chriſtus de Fœminâ natus eſt. Veritas de terrâ orta eſt, Filius Dei in carne proceſſit. Quid eſt veritas? Filius Dei. Quid eſt terra? Caro. Interroga unde natus eſt Chriſtus, & vides quia Veritas de terrâ orta eſt. Sed hæc Veritas quæ orta eſt de terrâ, erat ante terram: & per ipſam factum eſt* z *cælum & terra. Sed ut juſtitia de cælo proſpiceret, id eſt, ut juſtificarentur homines Divinâ gratiâ. Veritas nata eſt de Mariâ Virgine: ut poſſit pro illis juſtificandis offerri ſacrificium Crucis.* Et unde

d Eccl. 4, 2. & 3.
e Eccl. 7, 2.
f Job 3. 3.
g ex Mat. th. 1, 25.
h Malach. 4, 2.
i ex Ozee. 13. 14.
k ex Joan. 10, 10.
l Prov. 8, 23.
m Gen. 3, 15.
n Corn. in Gen. 3, 15.
o Salaz in Prov. 8, 23. de Deip. nū. 197. citans S. Damaſc. orat. 1. de Virg. Nat.
p Num. 24. 17.
q S. Bern. hom. 2, ſup Miſſ. eſt in fine.
r Iſai. 7, 14.
s Matth. 1, 25.
t 1. Cor. 10, 11.
u Tit. 2, 11 & 3 4.
x Pſ. 84. 12.
y S. Aug. in Pſ. 84, 12.
z ex Joan. 1, 3.

Digitized by Google

unde offerret ſacrificium pro peccatis noſtris, niſi moreretur? Vnde autem moreretur, niſi à nobu acciperet ubi mereretur? Id eſt, niſi à nobis ſumeret carnem mortalem, Chriſtus mori non poſſet: quia Verbum non moritur, Divinitas non moritur, Virtus & Sapientia Dei non moritur. Quomodo ergo offerret ſacrificium victimam ſalutarem, ſi non moreretur? Quomodo autem moreretur, niſi carnem indueret? Quomodo carnem indueret, niſi Veritas de terrâ oriretur? Veritas de terrâ orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit. Quis igitur non gaudebit? Lacrymæ ſequuntur omnes alias nativitates, quia peccatum illas inquinat, *A plantâ pedis uſque ad verticem non erat in nobis ſanitas* †: *erraveramus ab utero* a: *in utero damnati antequàm nati, quia de peccato, & in peccato concepti* b, ait S, Bernardus *c*. Sed gaudium comitatur iſtam, quia gratia illam honorat, ut teſtatur Sponſus ſacer, cujus verba Eccleſia applicat B. Virgini, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te* d. Aliæ nativitates ſecum invehentes culpam originalem, repræſentant nobis infortunium noſtrum; hæc autem præ ſe ferens in ſanctificatione ſuâ promiſſionem ſanctificationis noſtræ, nobis annunciat felicitatem noſtram; aliæ immergunt, aut ſaltem committunt mari miſeriarum, hæc verò viam aperit ad portum veræ feliciteris; aliæ addicunt morti, iſta verò pollicetur vitam; aliæ invehunt maledictionem, hæc autem ſecum defert benedictionem: *Chriſtus ergo ibi primùm medicinam appoſuit*, concludit S. Bernardus, *ubi primus vulneri patebat locus; & ſubſtantialiter utero Virginis illapſus, de Spiritu ſancto* e *conceptus eſt, ut conceptionem noſtram mundaret, quam ſpiritus malus ſi non fecerat, tamen infecerat, ut non eſſet etiam in utero vita ipſius otioſa, dum novem menſibus purgat vulnus antiquum; ſcrutans, ut dicitur, uſque ad imum putredinem virulentam, ut ſanitas ſempiterna ſuccederet.* Quis ergo mirabitur ſi aliæ nativitates incipiant à ſuſpirijs, & hæc annunciat lætitiam univerſalem toti orbi? *Nativitas tua, Dei Genitrix, Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo.* Nativitas B. Virginis annunciat & affert gaudium mundo Arthetypo, mundo Angelico, & mundo humano, Deus, Angelus, & homo inveniunt in eâ quietem ſuam, ut videbimus in triplici parte diſcurſus iſtius.

† ex Iſai. 1, 6.
a ex Pſ. 57, 4
b ex Job. 14. 4. & Pſ. 50, 7.
c S. Bern. ſerm. 2, de Pent.
d Cant. 4, 7.
e ex Matth. 1, 20.

Diviſio.

I. Pars.

S. Bernardus vocare videtur B. Virginem centrum pacis & quietis, cùm immediatè verbis prædictis, addit, *Et tunc jam operabatur ſalutem noſtram in medio terra* f, *in utero videlicet Virginis Maria, quia mirabili proprietate terra medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno,* (id eſt in purgatorio) *& qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo, ut reſarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur* g; *qui ſequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes* h, *Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cæli. Omnes inquam, generationes. Sunt enim generationes cæli & terra. Pater ſpirituum, ait Apoſtolus* i, *Ex quo omnis paternitas in cælo & in terrâ nominatur: Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes; quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, Iuſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat, recreavit.* Omnia inveniunt pacem & quietem in B. Virgine. Ibi pax eſt, ubi reperitur unio; & ubi unio major eſt, ibi & pax eſt excellentior: & ſicut unio non poteſt eſſe major quàm ibi ubi eſt ſumma unitas, quæ eſt Deus in trinitate perſonarum in ſimplici unitate eſſentiæ, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* k: ſic pax reperitur in Divinitate in altiſſimo perfectionis apice, & de hâc loquitur Apoſtolus *l*, cùm ait *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum.* Quæ cùm ſit ineffabilis, æquè ſupergreditur notitias noſtras ac verba noſtra, ſenſus noſtros ac experientias noſtras, ſicut & cognitiones Angelorum, ut dicit Dionyſius Carthuſianus *m*, *Et pax Dei increata, immenſa, æterna, id eſt, Deus pacificus, quæ pax exuperat omnem ſenſum, id eſt, omnem intellectum creatum, Angelicum, & humanum, omnemque guſtum & experientiam ejus in infinitum excedit.* Ideò de illâ ſileo præ reverentiâ, ut loquar de aliâ quam video, & quam Deus invenit in B. Virgine, *Et factus eſt in pace locus ejus.* Et ecce quomodo ratiocinor: Opifex, aut pictor, ſi malitis, ſumens penicillum poſt miſtos colores ſuos, intendit curis ſuis & labore ſuo quibus incumbit, concinnare perfectam imaginem illius, cujus concepit ideam in mente ſuâ, ut tranſumptum conveniat originali ſuo, nec unquam contentus eſt, donec feliciter ad exitum perduxerit conſilium ſuum, & imago repræſentet prototypon ſuum; colores coloribus applicat, bis, ter, & ampliùs, & cùm conſilium ſuum ipſi ſucceſſit ad votum, tunc penicillum deſerit, contentus eſt, & quietem capeſſit in fruitione finis quem ſibi propoſuerat: Deus, eximius hic Opifex, Pictor iſte Divinus intra ſe ſpecioſam produxit imaginem, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* n. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius* o. Sed imago quæ ſic illum perfectè repræſentat, ut ipſa unum ſit cum prototypo ſuo, *Ego & Pater unum ſumus* p. Sic ipſe contentus eſt Deus in ſeipſo in æternum. Operatur ad extrà, & intendit facere aliam imaginem ſuiipſius, ſeu expreſſionem; ſumit penicillum, & facit Angelos præditos omnibus donis naturæ & gratiæ, ut docet Theologia poſt S. Auguſtinus *q*, qui ait quòd Deus *eos creavit, ſimul condens in eis naturam, & largiens gratiam.* Et hoc cùm ipſe *dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux* r. *In quâ naturâ intelliguntur omnes Angeli ſancti, atque Virtutes,* ait idem S. Auguſtinus *s*. Ecce Deus contentus, ſed velut non diu: oblectamentum ejus quaſi non durat niſi inſtans, cùm poſt illud inſtans hæc imago ſeu expreſſio ſtatim ſit denigranda peccato, quod eſt illius ruina, *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem* t. Iterùm ſumit penicillum, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Ipſe format hominem, qui defert impreſſum Divinæ magnitudinis characterem, *Et creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* u. Et ecce nobilis hic effectus quaſi ſimilis aut conveniens excellentiæ cauſæ quæ ipſum produxit, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* x. Hæc imago veluti convenientiã habet cum ſuo prototypo, ecce Deus contentus,

f ex Pſ. 73, 12.
g Eccli. 36, 18.
h ex Luc. 1. 48.
i ex Epheſ. 3, 15.
k 1. Joan. 5, 7.
l Philipp. 4. 7.
m Dion. Carth. art. 4, in Philipp. 4, 7.
n Pſ. 2, 7.
o Sap 7, 26.
p Joan. 10, 30.
q S Aug. lib. 12, de Civit. Dei, c. 9.
r Gen. 1, 3.
s S. Aug. lib. 2, de Gen. ad lit. c. 8.
t Job. 4, 18.
u Gen. 1, 20. & 26.
x Gen. 9, 6.

ceſſat

Digitized by Google

ceſſat ab operatione ſuâ, & quietem capeſſit, *Requievit ab univerſo opere quod patrarat* y. Sed Deus iſtam citò quaſi perdidit quietem, cùm homo tranſgreſſus eſt Divinum mandatum, *De ligno ſcientia boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* z. *Et tulit de fructu illius, & comêdit* a. Quid faciet Deus ut ipſi feliciter ſuccedat conſilium ſuum, & gloriam educat ipſe ex opere ſuo? Denuò manum ſuam penicillo applicat, & facit B. Virginem talem, qualem eam volebat, vivam & perfectiſſimam imaginem magnitudinum & perfectionum ſuarum. In eâ videmus omnipotentiam Dei, ut in perfectiſſimâ omnium creaturarum, quam ipſamet confitetur, dicens, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt* b. *Hoc eſt, præclariſſima mihi beneficia eſt largitus, in ſanctificatione, in gratiarum augmentatione, in totius perfectionis collatione, & nunc potiſſimùm in Incarnatione, in quâ veri Dei vera Mater effecta, quodammodo infinita dignitatis prærogativam ſum conſecuta, ab eo qui potens eſt, imò omnipotens eſt, & adeò potens ut ejus reſpectu omnis creatura ſit impotens, nec ſine illius manutenentiâ per momentum ſubſiſtere valens. Illi quidem idem eſt eſſe, & potentem eſſe, cujus eſſentia eſt ſua potentia, independens, illimitata, & penitus infinita, cui ſunt omnia æquè facilia, qui dominatur in virtute ſuâ in æternum* c, *à quo omnis poteſtas*, dicente Apoſtolo d, *Non eſt poteſtas niſi à Deo. Unde ſcriptum eſt, Sapiens corde eſt, & fortis robore, qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus* e, *qui per me mundum liberare dignatus eſt, & præ omni creaturâ me honoravit, ita quòd Deum omnium Creatorem ac Dominum concepi, & porto* †. Sic in eâ Deus invenit quietem ſuam, & in eâ ſibi complacet inhabitare, *Factus eſt in pace locus ejus.* Si enim, ut dixi, pictor quieſcit, cùm conſilium ſuum perduxit ad exitum, & ceſſat ab opere ſuo, habens fruitionem illius quod ipſe tantâ cū curâ quærebat: hic poſtquàm Pater æternus fecit B. Virginem ita conſummatam, & talem qualem illam volebat, capeſſit ipſe in illâ quietem ſuam, *Et factus eſt in pace locus ejus.*

Quotidie, imò verò momentis ſingulis & abſque ulla intermiſſione operatur Deus, Auditores, ut pingat in nobis imaginem Filij ſui, *Donec formetur Chriſtus in vobis*, ait nobis Apoſtolus f. Heu, quàm infelices ſumus! Ipſe reperit in nobis reſiſtentiam: applicat nobis colores gratiarum ſuarum & favorum ſuorum, ſed rebellis anima noſtra non vult eis conſentire, & annumeramur cum illis *qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus* g. Deus vellet in nobis quieſcere, ſed eum à nobis criminosè expellimus: Deus nos deſtinat ad faciendam habitationem ſuam in nobis, fecit animam noſtram *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* h, ut domum idoneam in quâ ipſe maneret, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* i. Sed domum aliquo modo adæquatam eſſentiæ k, infinitati l, & æternitati m Dei, cùm anima rationalis ſit ſpiritualis in eſſentiâ ſuâ, infinita in capacitate ſuâ, & æterna in duratione ſuâ; ſpiritualis ad recipiendum Deum qui eſt purus Spiritus, *Spiritus eſt Deus* n. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata*, ait Dionyſius Carthuſianus o. Infinitè capax quæ recipiat Deum qui *non habet finem* p. Et in æternum durabilis à parte poſt, ut ſit

y Gen. 2, 2.
z Gen. 2, 17.
a Gen. 3, 6.
b Luc. 1, 49.
c Pſ. 65. 7.
d Rom. 13. 1.
e Job. 9. 4 & 10.
† Dion. Carth. art. 4, in Luc. 1, 49.
f Galat. 4, 19.
g Job 21. 14
h Gen. 1. 27.
i Joan. 14. 23.
k Exod. 3. 14
l Baruch. 3. 25.
m Dan. 13. 42.
n Joan 4. 24.
o Dion. Carth. art. 11, in Joan. 4. 24.
p Baruch. 3. 25.

ſedes Dei æterni: ſic, juxta axioma Philoſophicum (ſi illud nobis liceat hîc uſurpare, cùm Deus non ſit in loco) *Inter locum & locatum debet eſſe proportio.* Qualem committimus injuſtitiam, quantam irrogamus Deo injuriam, cùm criminosè tenuimus illi dominium cordium noſtrorum, & impedimus quin in illa veniat, ut ibi requiem ſuam ſumat. *Et factus eſt in pace locus ejus.* Si ergo ſola anima rationalis poteſt eſſe ſedes Dei, ita & ipſa ſolo Deo repleri poteſt, ait S. Bernardus q. *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt; repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit.* Ideò Deus efflagitat inſtanter ut ſuſcipiatur in habitaculum cordis noſtri, ad hoc ut illud repleat, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* r. Jus habet ipſe petendi ingreſſus in illud, cùm ſit illius Architectus per creationem s, Reparator per redemptionem t, & *Dominus* u omni genere titulorum: & tamen, peccator, hanc ei irrogas injuriam, ut, cùm ipſe ſolus ſit verus illius Dominus, alij ſint ejus poſſeſſores, *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc* x! Quis poſſidet cor tuum, quod Deus ædificavit, reparavit, & emit ſanguine Filij ſui? Inimici ejus, diabolus, mundus, caro, & peccatū. Qualitas eorum, quos conſtituis illius dominos, in infinitum aggravat indignitatem injuriæ quā illi infers; ipſe ædificavit domum, inimici illius eam occupant; ipſe eam refecit, & redemit *pretio magno* y. Adverſarij ejus in eâ triumphant, occupant præ oculis illius opus manuum ejus; & non vereris ultionem ejus, tu qui eripis ei locum, domum, & dominium ipſius, tradens cor tuum inimicis ejus, rebellione & malitiâ tuâ. Cor tuum (alloquor ego te, qui es rebellis *luminis* z, id eſt, Deo, in peccato mortali conſtitutus) cor tuum eſt arx rebellis ſupremo Domino ſuo, qui eſt Deus, ſed arx cincta foſsâ concupiſcentiæ, circundata mœnibus obſtinationis, circunvallata munimētis malitiæ, inſtructa loco militū, cupiditatibus animalibus; habens pro armis, rationes & maximas ſapientiæ *carnis*, quæ *inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt* a. Pro cibarijs voluptates corporis, & vanitates ſeculi, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* b. Et in medio ejus eſt turris *Babel* c. Turris confuſionis, turris conſiliorum, quæ non habens fundamentum niſi in deordinatione tuorum appetituum effrænium, turris quā numquam perficies, *cujus culmen* nedū *pertingat ad cœlum* d, ignominiosè in terram proſternetur, & in inferos detrudetur, ita ut de illâ dici poſſit id quod ait Pſalmiſta e de ſimilibus, *Cogitaverūt conſilia, quæ non potuerūt ſtabilire.* Sic arx iſta rebellis, cor tuum armatum & munitum reluctatur Deo legitimo Domino ſuo, *Dixerunt, quis eſt Omnipotens, ut ſerviamus ei* f? Et, *Quis noſter Dominus eſt* g? *Quaſi dicerent, Quis eſt cui ſubdamur? quaſi dicerent, Nullus*, ſubdit Incognitus h. Deus mittit ad te præcones ſuos, qui ſunt legati ſermonis ipſius, *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo* i. Tu derides verba illorum, ſicut de antiquis Judæis dicitur, *Mittebat Dominus Deus patrū ſuorum ad illos per manum nuntiorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens: eò quòd parceret populo, & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuntios Dei, & parvipēdebant ſermones ejus, illudebantq; Prophetis: donec aſcenderet furor Domini in populum ejus, & eſſet nulla curatio* k. Et dicis, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* l. Proponi tibi facit exemplum ſupplicij inflicti

q S. Bern. 10 Declamat. in med.
r Prov. 23. 26.
s Gen. 1, 27.
t 1. Cor. 6, 20.
u Exod. 20, 2.
x Jer. 2, 12.
y 1. Cor. 6, 20.
z Job. 24, 13.
a Rom. 8, 7.
b 1. Joan. 2, 16.
c Gen. 11, 9.
d Gen. 11, 4.
e Pſ. 20, 12.
f Job. 21, 15.
g Pſ. 11, 5.
h Incognit. in Pſ. 11. 5.
i 2. Cor. 5. 20.
k 2. Paral. 36. 15 & 16.
l Luc 19, 14.

Angelis

Digitized by Google

Angelis apoſtatis, qui *in terram miſſi ſunt* m, *ad infernum in profundum laci* n detracti: oculis tuis ſubjicit *de paradiſo voluptatis Adam* o ejectum: quomodo *factum eſt diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram, & delevit omnem ſubſtantiam qua erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli* p: quâ ratione *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium* q: quo pacto *fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus* r: & quòd cùm *Dathan & Abiron Principes populi ſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ſeditione Corè, quando adversùs Dominum rebellaverunt; aperiens terra os ſuum, devoravit Core morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros* s. Et tamen adhuc indureſcis, *Et appoſuerunt adhuc peccare ei* t. Ipſemet venit, & pulſat fores cordis tui ſuis inſpirationibus, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo* u. *Aperi mihi ſoror mea* x. Tu verò nedum aperias januam cordis tui huic Divino Sponſo, circumvallas illud novis munimentis fortioris obſtinationis, *Quia vocavi, & renuiſtis* y, &c. Sed quid accidit? Tunc ipſe te cingit obſidione, & undequaq; te oppugnat. E terrâ, mediis afflictionibus temporaneis, *Et tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex eâ* z. Et, *Congregabo ſuper eos mala* a. E cœlo, interventu minarum jacturæ gloriæ, *In terrâ Sanctorũ iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini* b. Ex inferno, tormentis bellicis ſuppliciorum æternorum, quæ perſtrepere facit ad aures tuas, *Convertantur peccatores in infernum* c. Perſeverabiſne ſemper in rebellione? Viſne expectare extremã expugnationem, cui nemo poteſt reſiſtere, expugnationẽ, inquã, mortis, quæ te viventem ſub tuis ſepeliet ruinis? *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernũ viventes* d. Arx rebellis, cor pertinax, formida mortẽ, metue judiciũ, & ſi nolis revereri Dominum tuum, time ſaltem Judicẽ tuum; ſi non cedis reverentiæ obſequii tui, cede ad minus deſolationis tuæ minis, adi citò miſericordiam ejus, noli expectare ut ruina tua præveniat pœnitentiam tuam, *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra* e. Aperi Domino tuo, Regi tuo, Deo tuo januam domus ipſius, oſtium cordis tui, fac ut illuc ingrediatur triumphans de vitiis tuis, de carne tuâ, & de inferno: illinc ejiciet regimenta malorũ deſideriorum, quę illud occupant, & dæmonum, quæ illud ad rebellionẽ inducunt, dejiciet mœnia obſtinationis, munimenta malitiæ, turrem ſuperbiæ, & in illo eriget novum ædificium, *Cor mundum crea in me Deus* f. Ibi ponet fundamenta vivæ fidei, mœnia fortis ſpei, tectum perfectæ charitatis, columnas donorum gratiæ ſuæ, & turres virtutum, & tunc habitabit ibi.

Verbum caro factum g, invenit etiam quietem ſuam in B. Virgine, *Factus eſt in pace locus ejus*. Habitaculum debet eſſe adæquatum perſonæ, quæ in eo debet habitare: Deus quærebat ubique domos, in quibus manere poſſet, & nullam inveniebat idoneam ut ſuſcipere poſſet ipſius majeſtatem, quia cùm ipſe ſit infinitus, *Magnus eſt & non habet finem* h, & omnia ſint limitata, nulla erat inter ipſum & hæc habitacula finita, proportio: ſolum invenire potuit cor hominis infinitum deſideriis, capacitate, & extenſione; ſed iſtud cor humanum, infortunium ſanguineis lacrymis deflendum! noluit ipſum ſuſcipere, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* i. Sola B. Virgo fuit dignum illius habitaculum, ut canit Eccleſia, *Deus qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti*. Et ibi ſuam quietem ſumpſit, *Et factus eſt in pace locus ejus*. Sapientia æterna quærebat ubique locum ſuæ magnitudini ſuſcipiendæ congruum, *In omnibus requiem quæſivi* k. Exiens *à Patre, & in mundum* l veniens *ubi venit plenitudo temporis* m, ut applicaret manum operi noſtræ redemptionis, invênit omnia loca occupata à dæmonibus, profanata peccatis, clauſa rebellione, rebellia obſtinatione, & ea quæ poterant videri magis diſpoſita ad ipſum ſuſcipiendum, ſic parùm munita, & ita parùm digna tali hoſpite, ut in totâ terræ extenſione nullus inveniretur locus ipſi ſuſcipiendo conſonus, *Non erat ei locus in diverſorio* o. Niſi Deus ab æterno præparaſſet hanc Virginem, ut in eâ habitaret, & ibi ſumeret quietem ſuam, *Ipſe fundavit eam Altiſſimus* p. *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi*, dicit Pſalmiſta q. Et Lorinus r, *Accommodatè de animâ Mariæ locus hic intelligi poteſt, quam Dominus poſſedit* s, *& in quâ firmatus eſt tanquam in Sion, & velut in civitate ſanctificatâ requievit* t3 *& ædificavit ſicut unicornis ſanctificium ſuum in terrâ, quam fundavit in ſecula* u. *Videri poteſt huc alluſiſſe Eccleſia, dum de beatâ Virgine præſertim, licèt etiam de aliis, canit, Elegit eam Deus, & præelegit eam (habet enim præeligendi verbum hic ſecundo, ac tertio loco) in tabernaculo ſuo habitare facit eam.* Hæc domus fundata eſt à Deo prædeſtinatione ipſius, ædificata gratiâ ipſius, conſervata providentiâ ipſius, conſecrata à Spiritu ſancto, ornata omnibus virtutibus, *clauſa* x diabolo, carni, mundo, peccato, & aperta ſoli Deo legitimo Domino ſuo mediâ integrâ & totali obedientiâ. In ſolâ ergo B. Virgine Dei Filius invenit quietem ſuam. Sic videmus per experientiam, quòd productiones ſemper habent quietem in cauſis ſuis & in principiis ſuis, & inquietæ ſunt cùm ab iis ſunt elongatæ; Flumina in originibus ſuis ſunt pacifica, & ſine ſtrepitu, ſed vix ab eis recedunt, cùm ſtatim ſtrepitus edunt, & fluctus eorũ ſemet ipſos adinvicẽ perſequuntur. Radii in Sole ſunt toti puri, & conformiter ad naturã iſtius ſpecioſi planetæ ſunt in perfectâ pace, & in tranquillâ quiete, quia ſunt in cauſâ ſuâ, & omnia ſunt pacifica in principio ſuo; ſed ſtatim ac iſti radii ſeparant ſe & exeunt à Sole qui ipſos produxit, mare mittit vapores ſuos, & terra exhalationes ſuas, ut ipſos offundant caligine. Filius Dei in æternitate eſt beatus & quietus in ſinu Patris ſui, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris* y. Ibi eſt in principio ſuo: ſed ſtatim ac exit *à Patre, & in mundum* z venit, inquietudinibus & perſecutionibus impetitur, ejicitur undequaque in occaſione, in quâ ſuſcipiendus erat præ miſericordiâ; oportet ut quærat ſpeluncam & ſtabulum tempeſtate totius anni frigidiſſimâ, *Quia non erat ei locus in diverſorio* a. Ut fugiat antequàm uſum pedum habeat, & cùm nationibus exteris habitet, quaſi ſuo ad mortem, *Cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte; & ſeceſſit in Ægyptum: & erat ibi uſque ad obitum Herodis* b. Oportet ut quaſi ſuam vitam ſalvam faciat *in deſerto, cum beſtiis* c habitans, nedũ alicubi requiẽ naciſcatur.

m Apoc. 12, 9. n Iſai. 14, 15. o Gen. 3, 23. & 24. p Gen. 7, 17. &c. q Gen. 19, 24. & 25. r Exod. 14, 27. s Num. 26. 9. & 10. t Pſ. 77, 17. u Apoc. 3, 20. x Cant. 5, 2. y Prov. 1, 24. &c. z Job 38, 13. a Deut. 32, 23. b Iſai. 26, 10. c Pſ. 9, 18. d Pſ. 54. 16. e Pſ. 94, 8. f Pſ. 50, 12. g Joan. 1, 14. h Baruch 3, 25. i Luc. 19, 14.

k Eccli. 24, 11. l Joan. 16, 28. m Galat. 4, 4. o Luc. 2, 7. p Pſ. 86, 5. q Pſ. 131, 13. r Lorin. in Pſ. 131, 13. s ex Prov. 8, 22. t ex Eccli. 24, 15. u Pſ. 77, 69. x Ezech. 44, 2. y Joan. 1, 18. z Joan. 16, 28. a Luc. 2, 7. b Matth. 2. 1. &c. c Marc. 1, 13.

Heu! Salvator, quàm ritè concipio hodiernâ die veritatem iſtius loquelæ tuæ, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* d. Magnates ejiciunt te à ſe ambitione ſuâ, avaritia te procul amandat à divitibus, deſperatio te excludit domibus pauperum, in templis tuis indicitur tibi bellum mediis inſolentiis, quæ protenduntur ad exceſſum uſque eò ut auſo ſacrilego ſuper altaribus tuis tibi fiant inſultationes: & quare, Salvator mi, niſi quia non poteſt à te inveniri pax aut requies niſi in principio quod te produxit? Atqui principium Jeſu Chriſti in hoc mundo, Auditores, eſt B. Virgo: ſi enim in æternitate Pater æternus eum producit, *Ex utero ante Luciferum genui te* e: in tempore B. Virgo *peperit* f eum, cum ipſe ſuam carnem traxerit ex eâ, *Una eſt Maria & Chriſti caro*, ait Arnoldus Carnotenſis g Propterea Dei Filius invenit in eâ quietem ſuam, *Et factus eſt in pace locus ejus*. Hæc arca † ſacra detulit hunc myſticum Noë, liberavitque eum à tempeſtate, ita ut dicere poſſit præ veritate æquè ac præ gloriâ, *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* h. Ubique Dei Filius invênit bella, perturbationes, & perſecutiones, nedum alibi quietem repererit in hoc mundo, niſi in ſinu B. Virginis Matris ſuæ, cùm ibi eſſet in principio ſuo, & conſequenter in omni genere pacis, quietis, & ſecuritatis. Ibi debemus, Auditores, habere pacem & quietem, cùm in eâ ſimus ut in principio noſtro, eò quòd exierimus ex iſto ſinu Virginali, cùm Maria ſit noſtra Mater per adoptionem, talis effecta à Filio ſuo, cùm idem Filius ſuo dixit *diſcipulo*, *Ecce Mater tua* i. Accedamus igitur ad illam cum fiduciâ in omnibus occaſionibus; & quiete potiemur ut conſtituti in principio noſtro, extra quod inquietudinibus concuteremur: maneamus ergo ſemper in Jeſu & in Mariâ, in duobus iſtis principiis noſtri eſſe, & perfectâ ſemper quiete fruemur.

Spiritus ſanctus, qui eſt tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, invenit etiam quietem ſuam in B. Virgine. Obſervat Textus k ſacer quòd in principio temporum, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Quaſi videretur tentare num ſuper terrâ poſſet aliquem reperire locum, in quo ſuum conſtituere poſſet domicilium, & quietem reperire: ſed nullus erat ei locus; impuritas occupabat omnia loca: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam* l. Et cùm ipſe eſſet ipſa Puritas per eſſentiā m, non poterat intereſſe domibus impuris, quas odit, & abhorret, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* n. Id eſt, *Quia carnalis, & in vitia carnis ſuâ culpâ projectus eſt* o. Atqui cùm B. Virgo eſſet tota pura, nedum contraxerit unquam vel minimam ullius peccati labem, (quod peccatum eſt macula animæ) ſicut fatetur idem Spiritus ſanctus, dicens ei, *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te* p: digna habita eſt quæ fieret habitaculum ejuſdem Spiritus ſancti, qui in ipsâ conſtituit domicilium ſuum, & in eâ invênit quietem ſuam, *Et factus eſt in pace locus ejus*. Si enim, ut ipſamet *Veritas* q, ait, Spiritus Divinus non requieſcit niſi ſuper humiles, *Super quem, (inquit) requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum* r? Cum nemo fuerit unquam humilior B. Virgine, quæ erat centrum humilitatis, ut ait S. Ambroſius s ſuper hæc ejus verba, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum: Vide humilitatem, vide devotionem, ancillam ſe dicit Domini quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt: ſimul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vendicavit, quæ faceret quod juberetur: Matrem enim humilemque* t *paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre*: ſequitur quòd Spiritus ſanctus nunquam invênit ampliorem quietem quàm in B. Virgine, in quâ ſuum conſtituit domicilium præ tantâ pace, *Et factus eſt in pace locus ejus*. Nec mirum eſt quòd in eâ repererit quietem ſuam, cùm in eâ fuerit operatus maximum operum ſuorum mirabilium, reddens eam Virginem & Matrem ſimul, ſed Matrem Dei, quæ qualitas eſt eminentiſſima earum omnium, quas ulla poſſit unquam poſſidere pura creatura: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt* u.

II. Pars.

Cùm B. Virgo fuerit locus quietis totius ſanctiſſimæ Trinitatis, ut audiviſtis; ipſa eſt etiam locus requiei Angelorum & ſpirituum beatorum qui componunt Curiam Dei. Ut concipiatis iſtā veritatem, debetis obſervare, quòd Angeli ex parte Dei ſunt toti beati, & perfectâ fruuntur quiete, cùm ſemper contemplentur Divinam Eſſentiam, quæ eſt totum objectum fœlicitatis ipſorum, & ſubjectum gloriæ ipſorum, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* x. Sed ex parte hominum ſunt veluti jugibus certaminibus ſuſtinendis expoſiti, quaſi medias inter verſantur occaſiones, arma præ manibus habendo, ut ita loquar, & excubias agendo, ut præ magnis curis tueantur nos ab inſultationibus adverſariorum noſtrorū, eorumque prava conſilia procul à nobis eliminent, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorii ſpiritus: in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* y? Sed in B. Virgine invenerunt quietem ſuam: cùm enim nullum peccatum fuerit unquam in eâ, aut actuale, aut originale, propterea non indiguit ipſa cuſtodiâ Angelorum, nec eorum curâ aut protectione ad hunc effectum, cùm eſſet immunis ab omni maculâ, & conſequenter libera ab omnibus inſultationibus inimicorum: quin imò omnes dæmones fugiebant curam eâ, cùm non poſſent illius ſuſtinere ſanctitatem, quandiu peccatores tacti compunctione revertebantur ſanctificati: nullam cauſabat igitur ipſa Angelis curam, ſed è contra illi inveniebant in ipſâ omne genus quietis, *Et factus eſt in pace locus ejus*.

III. Pars.

Si iſta Virgo incomparabilis quietem tribuit Deo, & Angelis, ſanè requiem non recuſabit hominibus: ne ambigamus de curis ejus erga nos, cùm ſciamus illā eſſe veluti centrū pacis & quietis, in quo omnia ſuā quietē reperiunt. Obſervant Philoſophi, ſeu Mathematici, quòd duplex datur centrum in mundo, centrū magnitudinis, & centrum gravitatis. Centrum gravitatis ut terra, quò omnes res graves tendunt. Centrum magnitudinis, cùm omnes lineæ circunferentiæ tendunt ad centrum. Cùm autem hæc duo centra ſunt inter ſe diſtātia, inquiunt illi, totus orbis deordinatur, & terra tremit; ita ut oporteat ut hæc duo centra uniantur, ad hoc ut pax ineatur: Dei Filius eſt centrū magnitudinis, quò omnes veræ magnitudines tendunt, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ* z. B. Virgo eſt centrū gravitatis ob humilitatem ſuam, quæ ipſam deprimit ad nihilum uſque, *Ecce ancilla Domini* a. Cùm igitur hæc duo centra à ſe invicem remota erant in mundo, non videbantur ibi niſi bella, rigores, & exercitia juſtitiæ, ſicut audiviſtis ſupra: Et cùm *factum eſt verbum Domini ad Ionam filiū Amathi, dicens, Surge, & vade in Niniven civitate grandem, & prædica in eâ: quia aſcendit malitia ejus corā me: & ſurrexit Ionas*,

ut

d Matth. 8, 20.
e Pſ. 109. 3.
f Matth. 1. 25.
g Arnol. Carnot. ſerm. de Laudib. Mar.
† Gen. 7. 7. &c.
h Eccli. 24, 12.
i Joan. 19, 27.
k Gen. 1, 2.
l Gen. 6, 12.
m Iſai. 6, 3.
n Gen. 6, 3.
o Cornel. in Gen 6. e citās S. Amb & S. Chryſoſt.
p Cant. 4, 7.
q Joan. 14, 6.
r S. Bern. hom. 1. ſuper miſſus eſt ex Iſai. 66, 2.
s S. Ambr. lib. 2. in Luc. 13, 8.
t ex her. ib. 1129.
u Matth. 1, 20.
x Joan. 17, 3.
y Hebr. 1, 14.
z Pſ. 23, 10.
a Luc. 1, 38.

ut fugeret in Tharſis à facie Domini: Dominus miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri: & timuerunt nautæ, & tulerunt Ionam, & miſerunt in mare b. Tunc omnia bellis ſcatebant, nihilque erat intueri in mundo præter conturbationes: ſed ubi centrum magnitudinis fuit unitum cum centro gravitatis, id eſt, ſtatim ac Jeſus fuit in ſinu Virginis, non fuit in orbe ampliùs intueri niſi pacem & miſericordiam, ita ut ex tunc non appareat ampliùs *Dominus, terribilis* c, *Dominus Deus exercituum* d, *Deus ultionum Dominus* e: ſed ſicut *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* f. Qui ut ſic non habet aliud ampliùs niſi dulcedinem; ſic cibus ipſius ordinarius eſt butyrum & mel, *Butyrum & mel comedet* g. Et præcipua è qualitatibus ejus eſt, ut ſit *Princeps pacis* h. Et ſic homo invenit quietem ſuam in B. Virgine, *Et factus eſt in pace locus ejus.*

b Jon: 1, 4, &c.
c Pſ: 46, 3.
d Iſai: 6, 3.
e Pſ: 93, 1.
f Joan: 1, 29.
g Iſai: 7, 15.
h Iſai: 9, 6.

Recurramus igitur ad illam, Auditores, in omnibus occaſionibus, inter quas imminebit nobis aliquod infortunium, & in eâ ſecuritatem & aſyli locum reperiemus adversùs omnes inſultationes inimicorum noſtrorum, *Per te enim*, ait illi S. Epiphanius i, *ô ſancta Virgo, medius obſtructionis paries inimicitias diſſolvit* k, *per te pax cœleſtis donata eſt mundo, per te homines facti ſunt Angeli, per te homines appellati ſunt amici* l, *ſervi, & filii Dei* m, *per te homines meruerunt eſſe conſervi Angelorum, & cum eis familiariter converſari, per te notitia cœleſtis, à terrâ tranſmittitur in cœlos: per te homines fiduciam habent in cœlo erga Altiſſimum.* Per Mariam, Auditores, *adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* n. Ipſa eſt ſpes noſtra inter conturbationes & infœlicitates iſtius mundi, in eâ inveniemus quietem: ipſa eſt portus noſter inter omnes tempeſtates, ipſa tranquillabit univerſas procellas noſtras, & inter omnes occaſiones belli faciet nos frui perfectâ pace. Ita ut, Auditores, in beata Virgine Deus, Angeli, & homines inveniant quietem ſuam. Nos autem pro omni actione gratiarum pro tanto beneficio debemus hâc die lætitiæ & fœlicitatis, imitari Benefactricem noſtram, renaſcentes cum eâ: ſi autem fortè mortui eſſemus per peccatum, renaſcamur pro ſemper, vivamus cum illâ in gratiâ. Qualis fœlicitas! cùm in eâ ſimus habituri quietem in hoc mundo, & per eam conſecuturi ſimus gloriam in altero.

i S. Epiph: ſerm: de Laudib. Deipar.
k ex Epheſ 2, 14, &c.
l ex Joan: 15, 15.
m ex Rom 8, 16, & ex 1, Joan. 3, 1.
n Hebr. 4, 16.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Ioan. 12. 32.

Cum cor, quod eſt officina, ubi formantur omnia conſilia, clauſum ſit cuilibet alii à Deo, qui habet ipſius clavem, *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor* a: nec poſſimus meliùs judicare de affectionibus ejus quàm è ſermonibus ipſius, qui ſunt illarum interpretes: credere debemus, quòd Jeſus loquens de Cruce ſuâ ſic ardenter, & ſic frequenter, valdè dilexit eam, cùm unuſquiſque ſæpè & libentiſſimè loquatur de re quam amat. Ipſe dilexit eam, cùm elegerit eam ab æternitate b, ut eſſet inſtrumentum peragendæ redemptioni generis humani accommodum. *At ubi venit plenitudo temporis* c, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d, ipſe non habuit motum, niſi ad eam attingendam, reſpiciens eam ſemper ut centrum ſuum, & tandem uniens ſe ei inſeparabiliter ſuper monte Calvariâ, amittens amoroſè inter ejus brachia vitam, quam ipſe receperat *in utero* e Virginis, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* f *Maria.*

a Jer: 17, 9, & 10.
b Pſ: 39, 8, &c.
c Gal: 4, 4.
d Philip: 2, 7.
e Luc: 1, 31, ex Iſai: 7, 14.
f Luc. 1, 28.

Antequàm juſtificem veritatem propoſitionis meæ, quòd Jeſus non habet motum niſi ad Crucem, quam ſemper ipſe reſpexit ut ſuum centrū, ubi notavit ipſe quietem ſuam, ſciendum nobis eſt, quinam fuerint motus ipſius, & num eorum fuerit ipſe capax, cùm eſſet Deus, qui eſt immobilis. Reſpondeo ad ſatisfaciendum huic difficultati, quòd admittimus in Jeſu Chriſto duas naturas, unam Divinam, & alteram humanam, cùm ipſe ſit Deus & homo ſimul. Prout Deus, ipſe eſt immobilis. Quatenus homo, ipſe motui eſt obnoxius. Et inde Sapiens g ait, *Omnibus mobilibus mobilior eſt Sapientia.* Quæ mobilitas, duplex intelligi poteſt, una activa, & altera paſſiva. Mobilitas ipſius activa conſiſtit in hoc, quòd dat motum, & moveri facit res omnes alias extra ſe. Paſſiva verò in eo, quòd motum ſuſcipit intra ſe. Duæ mobilitates, quæ conveniunt Sapientiæ Divinæ: ſicut etiam ipſa duas habet facies, unam Sapientiæ increatæ, & alteram Sapientiæ incarnatæ: prout Sapientia increata, ipſa eſt æquè immobilis, & incapax ſuſcipiendi motus alicujus in ſe, ac ipſa eſt immenſa, id eſt, ubique, & ultra totum, per ſuam immenſitatem, implens h omnia Divinâ ſuâ præſentiâ: atqui per motum è loco in locum, derelinquendus eſt unus pro altero, quod convenire non poteſt Divinæ Sapientiæ, quæ eſſentialiter adeſt omnibus locis eodē inſtanti & ſemper: præterquàm quòd cùm ſit immobilis, ipſa non eſt capax mutationis in aliquod accidens novum: & conſequenter ipſa non poteſt eſſe paſſivè mobilis, ſuſcipere in ſe ullum genus motus, vel ab alio, vel à ſeipsâ; ſed duntaxat ipſa dare poteſt motum aliis, & eum re verâ tribuit, prout prima Cauſa univerſalis rerum omnium, quæ cooperatione ſuâ fulcit motum omnium cauſarum ſecundarum, & prævenit eas virtute ſeu poteſtate agendi, quam hæ ſuſceperunt ab ipsâ: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia.* Sic ut immobilis manens in ſeipsâ, moveri faciat ipſa res omnes alias extra ſe. Et in hoc ſenſu debemus intelligere hunc locum Sapientis, ſecundùm Theologos, & ſanctos Patres, juxta quem intelligunt & hunc locum Apoſtoli i, *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Cùm Spiritus ſanctus det inſpirationem & motum aliis ad orandum cum gemitibus ineffabilibus. Et hæc eſt prima mobilitas activa Divinæ Sapientiæ, prout increatæ. Quatenus Sapientia incarnata, non ſolùm activè, ſed

g Sap. 7, 24.
h Jer. 23, 24.
i Rom. 8, 26.

etiam paſſivè *omnibus mobilibus mobilior eſt.* Activè, in omnibus illis quos movet, & in quos agit k Luc: 1, 39. & 40. interiùs, juxta idquod S. Lucas k ait de Mariâ, poſtquàm concepit iſtam Sapientiam incarnatam, *Exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda: & intravit in domum Zacharia, & ſalutavit Elizabeth.* Et de paſtoribus, ſtatim ac audiverunt nuntia nativitatis ejuſdem Sapientiæ incarnatæ, *Et venerunt feſtinantes; & invenerunt Mariam & Ioſeph,* l Luc. 2, 16, &c. *& Infantem poſitum in præſepio* l. Sed quantùm ad mobilitatem paſſivam, ipſa non poteſt convenire, niſi Sapientiæ incarnatæ, quia ipſa ſola capax eſt admittendorum motuum in ſe, ſicut eos ipſa ſuſcepit re verâ pluſquàm ulla creatura mundi; motus paſſionum, qui tendebant omnes ad Crucem; quæ fuit centrum ejuſdem Jeſu in iſto mundo, ſicut oſtendam vobis in primâ parte diſcurſus iſtius. In ſecundâ Diviſio. verò videbimus quatuor genera motuum circum iſtud centrum.

I. Pars. Cùm motus Jeſu tendant omnes ad centrum ſuum, ſciendum eſt, quòd prout Deus, ipſe habet pro centro ſuiipſius Divinam Eſſentiam ſuam; ſic prout homo, ipſe habuit in hoc mundo pro centro extra ſe ſanctam Crucem, quæ aſpecta fuit ab ipſo omnibus momentis & motibus vitæ ſuæ viatricis ſuper terram; quæ Crux adorabilis meretur cum omni genere prærogativæ & eminentiæ qualitatem centri, cùm ipſa perfuncta fuerit muniis centri Jeſu, qui Crucem conſultò elegit, ut teſtaretur in eâ per mortem ſuam, ſui Divini m Luc. 9, 31. amoris *exceſſum* m. Crux igitur Jeſu eſt centrum motuum ipſius: ſicut enim omnia tendunt jugiter ad centrum ſuum, quandiu ſunt ab eo ſeparata; ſi non effectivè, eò quòd aliquando vi impediantur ne illud attingant; ſaltem inclinatione, ſicut lapis qui evectus ad faſtigium domus, terram reſpicit inclinatione ut centrum, quò fert ipſum gravitas ſua: ſic actiones Jeſu ſemper ad Crucem tetenderunt ut ad centrum ſuum, quod ipſæ jugiter habuerunt pro ſcopo ab æternitate. Et in hoc ſenſu poſſunt intelligi hæc verba *Agni, qui occiſus eſt ab origine* n Apoc. 13, 9. *mundi* n, ſumendo originem pro voluntate Dei opifice totius orbis, & qui ab æternitate totâ ſuum Filium deſtinavit ad Crucem propter ſalutem hominum, cùm in Deo concipiatur à nobis hæc duplex voluntas ab æterno, una creandi mundum, altera pacificandi *per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ* o Coloſſ. 1, 20. *in cœlis ſunt* o. Atqui ſicut voluntas Patris & Filii eſt una, *Ego & Pater unum ſumus* p: poſp Joan. 10, 30. ſumus & debemus dicere, quòd Jeſus ab æterno voluntatem ſuam tulit ad Crucem, vel potiùs, quòd Verbum Divinum ſtatuit in eâ mori in naturâ humanâ; & conſequenter ad eam ferre omnes actiones ſuas, ut ad centrum ſuum ad perficiendam ibi redemptionem noſtram. Hic locus Apocalypſis intelligitur etiam communiter, quòd Jeſus mortuus eſt in figurâ ab initio mundi, quando ipſe erat immortalis, q Joan. 1, 18. prout *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* q: ſic ardenter deſiderabat ipſe mortem, anticipans terminum ipſius per mortem animalium, quæ erant figuræ mortis ipſius in Cruce, & per ſacrificium Abelis, qui *Domino obtulit de primogenitis* r Gen. 4, 3. & 4. *gregis ſui, & de adipibus eorum* r ſuper lignile, quod erat figura ligni Crucis ipſius: ſic præſens erat Crux menti, & dilectioni ipſius, quæ jugiter aſpirabat ad ipſam. Sic *Ieſus cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* ait S. Joannes †. † Joan. 13. 1. Quaſi diceret, quòd cùm ſuos amaviſſet ab æternitate, prout Deus, eos amavit uſque eò ut voluerit, prout homo, mori pro illis, & ſuffigi Cruci, quam ipſe vocat finem, centrum, & terminum affectuum ſuorum. Similiter alloquens Judæos apud eundem S. Joannem s, *dixit eis, Amen, amen* s Joan. 8. 58. *dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego ſum.* Et conſequenter capax amoris. Quòd ſi Crux fuit charum objectum, & centrum deſideriorum ipſius antequàm ipſe eſſet homo; quantò plùs deinceps, ſicut videre poſſumus in toto decurſu vitæ ipſius?

Crux fuit etiam centrum ipſius, pro ſecundâ ratione, quia ipſa fuit locus ultimæ quietis ipſius, quò finiti ſunt omnes motus ipſius, & ubi profundè dormivit: cùm legamus in Scripturâ, eum bis dormiviſſe: primò in naviculâ, quæ erat figura Crucis, *Ipſe dormiebat: & acceſſerunt, & ſuſcitaverunt eum.* Id eſt, Apoſtoli ipſius, ait S. Matthæus t. t Matth. 8. 24. Et poſt eum S. Hieronymus u, *Ipſe dormit, & ſuſcitatur, & imperio ac Sacramento paſſionis ſuæ liberat ſuſcitantes.* u S. Hier. lib. 1. in Matth. 8. 24. Secundò in Cruce, quæ vocatur à S. Auguſtinô x lectulus *morientis.* Sic ipſe vehementer dilexit eam, & tanti illam æſtimavit, ut ipſam x S. Aug. tract. 119 in Joan. 19. 26. rebus omnibus prætulerit, imò verò gloriæ corporis ſui, *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contemptâ* *. * Hebr. 12, 2. Quin imò dico, quòd ipſe Crucem prætulit Matri ſuæ, & teneris amplexibus ejus, ut ſibi conciliaret amplexus iſtius Crucis, quæ fuit ipſi loco Matris: ſi enim Mater ipſius tulit ipſum *in utero* y ſuo Virgineo; Crux iſtud y Luc. 2, 31. ex Iſai. 7. 14. exhibuit ipſi officium in ſinu ſuo: ſi Mater ipſius tenuit ipſum in brachiis ſuis; Crux hoc idem peregit: ſi Mater ipſius dedit ipſi ubera ſua ad ipſum lactandum; Crux obtulit ipſi duo ubera ſua valdè amara, ſel, & acetum, ſicut ipſemet ait, *Et dederunt in eſcam meam ſel, & in ſiti meâ potaverunt me aceto* z. z Pſ. 68, 22. Ipſe quievit in gremio Matris ſuæ; ſic ipſe ſumpſit extremam quietem ſuam in ſinu Crucis, ubi mortuus eſt; & ita finivit dies ſuos ibi, ut ipſe non ſibi complacuerit niſi in eâ, deſerens omnia propter eam. Ideòque cùm aſcendiſſet ſuper iſtud lignum, non vocavit ampliùs Matrem ſuam niſi mulierem, *Mulier* a. a Joan. 19, 26. Quia ipſe tranſtulerat hanc qualitatem Matris ad Crucem. Sicut enim ipſe fuit *fructus ventris* b B. Virginis: ſic fuit & fructus b Luc: 1, 42. noſtræ ſalutis in Cruce, & per Crucem.

Tertiam affero rationem ad oſtendendum, quòd Crux fuit centrum Jeſu in iſto mundo. Sicut enim terra eſt centrum mundi, cùm ſit profundiſſima totius orbis; ſic in adorabili Cruce Jeſus homo Deus maximè fuit humiliatus, ut in loco, in quo ipſe non ſolùm deſtitit eſſe Deus apparenter, ſed etiam quaſi homo effectivè, ſic vehementer fuit ipſe deformatus, & exinanitus, *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum & non erat aſpectus, & deſideravimus eum. Deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum* c. Quod induxit c Iſai: 53, 2, &c. ipſum ad dicendum, *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis* d. d Pſ. 21, 7. Ubi poſitus eſt nudus, inſtar vermis terræ, ipſe qui erat *Rex gloriæ* e. *Ubi crucifixerunt eum, & cum* e Pſ. 23, 7, &c. *eo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum* f. f Joan. 19. 18. Tanquam ſceleſtiſſimus eſſet omnium, ipſe qui in cœlo eſt inter Patrem & Spiritum ſanctum, adoratus ab Angelis g. g Iſai. 6. 3. Et ſicut terra, quæ eſt centrû mûdi, ſic eſt profunda, ut ex altiſſimo cœlo perſpicaciſſimos quoslibet oculos eclypſi ſuffunderet;

ſic

ſic iſtud myſterium Jeſu Chriſti crucifixi ſic eſt profundum & ſic incomprehenſibile, ut nullum ſit ipſo admirabilius. Propterea vocat ipſum S. Paulus *b Dei ſapientiam, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo Principium hujus ſeculi cognovit: Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Quin imò diabolus, qui vocatur in Scripturâ *i Princeps hujus mundi*, ita parum hujus myſterij cognoſcit, ut omnes cognitiones dæmonum non ſerviant niſi ad ipſum elevandum, & non ad penetranda ſecreta ſapientiæ ibi latentis, quæ talis eſt profunditatis, ut licèt à mille & ſexcentis & aliquot annis doctiſſimi quilibet orbis homines ſuper hanc materiam ſcripſerint, & diſertiſſimæ quæque linguæ de hoc myſterio loqui contenderint, nunquam tamen pervenire potuerint ad centrum illius abyſſi ſapientiæ. Angeli, qui ſunt Principes ſeculi futuri, æquè ac iſtius in eo quòd gubernant Regna k, provincias, civitates, & homines per miniſterium quod ſuſceperunt à Deo, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſsi propter eos qui hereditatem capient ſalutis l?* & cæteri cœleſtes incolæ comprehendere non poſſunt omnia arcana iſtius ſapientiæ mortis Jeſu Chriſti. Licèt enim videant faciem Dei, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum m*: & in hâc viſione contemplentur emanationes Divinarum Perſonarum *n*, & multas res liberarum voluntatum Dei, quantùm placet huic ſpeculo voluntario Divinæ Eſſentiæ ipſis repræſentare, juxta proportionem meriti ipſorum, & gloriæ ipſorum; tamen non vident ibi omnia myſteria & mirabilia ſapientiæ in paſſione & morte Jeſu Chriſti crucifixi. S. Paulus *o* videtur gloriari ſe fuiſſe miſſum à Deo ad manifeſtanda eis hæc arcana, *Mihi omnium Sanctorum minimo, data eſt gratia hæc, In Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creavit, ut innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus, in cœleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Sed tamen nec ipſe, nec omnes Apoſtoli, licèt Magiſtri in Eccleſiâ Filij Dei, edocti à Spiritu ſancto *p*, imò verò nec B. Virgo illuminatiſſima omnium creaturarum, potuerunt unquam comprehendere in hâc terrâ exilij, vel in patriâ cœleſti omnes circumſtantias, & profunda ſecreta illius Divinæ ſapientiæ: *Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terrâ, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum*, aiebat S. Joannes *q*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *r*. *Id eſt, ſecreta ejus comprehendere aut rimari. Hinc per librum iſtum potiùs arbitror deſignari horum ſecretorum notitiam ſecundùm quod eſt in Mente Divinâ: cujus ſcientiam incomprehenſibilem eſſe conſtat.* Jeſus Chriſtus diligit jugiter Crucem ſuam, eique vult inſeparabiliter eſſe unitus, *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum s*. Vocatur poſt reſurrectionem ſuam nomine Crucifixi, cùm diligat adhuc Crucem ſuam: ſic per eam veniunt ad nos omnes gratiæ, cùm per eam ſuſcipiamus juſtificationem noſtram, quæ eſt effectus Crucis, *Iuſtificati in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti t*. Qui dicebat, *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo, dicens, Et clarificavi, & iterùm clarificabo u.* Id eſt, *te in Paſsione x*, & in Cruce, quæ eſt centrum tuum, *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus y*.

b 1. Cor. 2, 7. & 8.
i Joan. 12, 31.
k Dan. 10. 13.
l Hebr. 1, 14.
m Joan. 17, 3.
n Pſ. 2, 7. & Joan. 15, 26.
o Epheſ. 3. 8. &c.
p Act. 2, 4.
q Apoc. 5, 3.
r Dion. Carth. art. 6, in Apoc. 5, 3.
s Marc. 16, 6.
t 1. Cor. 6, 11.
u Joan. 12, 28.
x Dion. Carth. art. 31. in Joan. 12.
y Habac. 3, 4.

Videtis ex his quæ diximus hactenus, quomodò ſancta Crux eſt centrum mirabiliter profundum, prout incomprehenſibile. Centrum igitur profunditatis, centrum quò Jeſus Chriſtus tulit omnes motus ſuos, æquè ac centrum in quo ipſe cepit quietem ſuam. Quanti ergo, Auditores, debemus æſtimare Crucem, quam Jeſus Chriſtus ſic vehementer dilexit? nunquid non debemus ad illius imitationem, eam reſpicere ut centrum noſtrum? & nolle nec prætendere quietem niſi in fruitione illius? Eò nos Spiritus Dei vocat, & tantum habebimus Spiritus Dei, quantum habuerimus Spiritus Jeſu Chriſti, qui eſt principium Spiritus ſancti, ſicut teſtatur ipſemet Jeſus Chriſtus, Apoſtolos ſuos alloquens, *Paraclêtus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis z*. Et conſequenter tantùm agimur *Spiritu Dei* a, quantùm participamus motus Jeſu moti & acti in omnibus *à Spiritu* b. *Hoc eſt, à Spiritu ſancto* c. Et qui datus eſt nobis ut prototypon, ad quod conformare debemus omnes actiones noſtras, ſicut intendit Pater ipſius, *dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite* d. Cùm igitur ipſe Crucem ſit intuitus ut centrum ſuum, debemus eò tendere ut ad locum quietis noſtræ, non habere motum niſi ut illuc perveniamus, nec effectum niſi ut conciliemus nobis illius fruitionem. Sed heu! habemus motus contrarios motibus Jeſu Chriſti: & proponimus nobis centrum valdè differens à centro ipſius.

Invenio duo centra hominis, unum verum, & alterum falſum. Juſti non feruntur niſi ad verum. Impij verò duntaxat inclinantur ad falſum. Verum centrum hominis eſt Deus, ſicut ait S. Auguſtinus *e*, eum alloquens, *Domine, feciſti nos ad te: & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Omnes motus noſtri tendere non debent niſi ad te, qui es *Finis* f noſter ultimus, & centrum noſtrum. Et quoniam non poſſumus, Auditores, ſalutatiùs & efficaciùs invenire Deum, qui *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt* g, quàm in Cruce, per quam ſumus *empti pretio magno* h, & per quam ſalvabimur; certum eſt etiam, quòd verum centrum Dei in hoc mundo, eſt Deus in Cruce, vel in Jeſu Chriſto crucifixo. Sic ibi Juſti reperiunt ſatisfactiones ſuas: in hoc centro conſiſtit quies ipſorum & in ipſum ferunt ſuos omnes motus, dicentes cum Apoſtolo *i*, *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ipſi proteſtantur ſe nolle ſuſcipere ullam ſatisfactionem, niſi in Cruce, quàm intuentur ut centrum felicitatis ſuæ, extra quod non poſſunt invenire quietem: ibi contringunt omnes motus ſuos, non exiſtimantes ſe perfundendos eſſe unquam plenâ ſatisfactione, niſi cùm ſe videbunt unitos Jeſu ſuo crucifixo, & ferent ſuper ſe charactêres paſſionum ipſius, dicentes ei cum Pſalmiſtâ k, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Vel potiùs cum Pinto apud Lorinum *l* ad propoſitum noſtrum, *Satiabor, cùm aſſlictus fuero ad ſimilitudinem tuam.* Crux eſt centrum juſtorum, & omnium deliciarum ipſorum.

Quantùm ad centrum falſum hominis impij, hoc non eſt aliud niſi natura ſua corrupta, quæ in corpore eſt ſatisfactio ſenſuum; & in animâ libertas mentis per inobedientiam, & elevationem ſuam per vanitatem pro eò quòd *creavit*

z Joan. 15, 26.
a Rom. 8, 14.
b Luc. 4, 1.
c Dion. Carth. art 10. in Luc 4, 1.
d Matth. 17, 5.
e S. Aug. lib. 1, Conf. c. 1
f Apoc. 1, 8.
g Prov. 16, 4.
h 1. Cor. 6, 20.
i Gal. 6, 14.
k Pſ. 16. 15.
l Lorin. in Pſ. 16, 15.

Digitized by Google

Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam m. *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* n. Sic ut centrum hominis ſit duplex, ſicut ipſe compoſitus eſt è corpore & ex animâ, quemadmodum etiam verum centrum ipſius conſtat è Deo homine & è Cruce. Infortunati peccatores, qui deſeruot verum centrum, ut eant ad falſum, cùm ibi non ſint inventuri, niſi genus omne confuſionis. Heu! utquid ſanguineas non habemus lacrymas, ad meliùs deplorandam cæcitatem noſtram? Sola vel cogitatio S. Paulum o defert ad lacrymas, & inducit eum ad dicendum, *Flens dico, inimicos Crucis Chriſti; quorum Deus venter eſt, quorum finis interitus; & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Iſti impij, qui non habent alium terminum in iſto munde, niſi animalitatem, nullum habebunt etiam alium finem, nec ullum aliud centrum in alterâ vitâ, quæ erit vita moriens, & mors ſemper animata p, niſi ſupplicia, quò ipſos ferunt ipſorum continui motus: infelices in æternum, cùm futuri ſint in ignibus & flammis, quandiu Juſti qui tenderint ad Crucem verum centrum omnium motuum & affectuum ſuorum, potientur veris delicijs paradiſi: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: Iuſti autem in vitam æternam* q.

m Gen. 1, 27. n Gen. 8, 21. o Philipp. 3. 19. p Apoc. 9, 6. q Matth. 25, 46.

II. Pars. Sed ſi deſideratis adhuc ſcire, quomodo Filius Dei ſemper eſt intuitus Crucem ut centrum omnium actionum ſuarum extra ſe, quò tulit omnes motus vitæ ſuæ, affero quatuor genera motuum, ut meliùs nos elevemus veluti per totidem gradus in ordinem gratiæ, & inde ad Authorem illius, qui eſt *Verbum caro factum* propter amorem noſtrum, *Quia gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt* r. Sciendum igitur eſt, quòd in naturâ quadruplex eſt motus ex uno loco in alium locum. Primus eſt ille qui exit è centro. Secundus eſt ille qui it ad centrum. Tertius eſt ille qui fit in centro. Et quartus eſt ille qui fit circum centrum. Explico me. Motus qui exit è centro, eſt motus lapidis v. g. cùm projicitur in aërem versùs cœlum contra pondus ſuum naturale, quod ipſum fert deorſùm versùs terram ut ad centrum ſuum, & ad locum quietis ſuæ; & qui ideò non aſcendit niſi contra inclinationem naturæ ſuæ, motu violento: talis eſt etiam motus flammæ, cùm, nedum dirigatur versùs ſphæram ignis, quæ eſt centrum ſuum collocatum in concavo Lunæ, vi deprimitur, & cogitur deſcendere, nedum aſcendat. Quantùm ad ſecundum motum, qui eſt motus ad centrum ſuum, iſte motus eſt etiam lapidis, cùm tendit deorſùm versùs terram ut ad centrum ſuũ, & ad locum quietis ſuæ: & motus flammæ, cùm dirigitur versùs cœlum, nec ceſſat ſe elevare, donec pervenerit ad locum ſuum naturalem prope cœlum. Tertius motus qui fit in centro, eſt motus animalium, quæ incedunt, & repunt ſuper terram; piſcium qui natant in aquis; avium, quæ volant in aëre; imò verò Angelorum, & Beatorum in cœlo Empyreo, in quo moventur, ſicut ipſis placet, ab extremo in extremum, motu velociſſimo ſine labore, quod cœlum eſt ipſorum centrum, ſicut ſupradicta elementa ſunt centrum animalium. Quartus motus, qui fit circum centrum mundi, quod eſt terra, quæ eſt elementum omnium infimum, eſt motus cœlorum, qui habent motus ſuos ordinatos, nec ceſſant gyrare ſuper capita noſtra, & infra pedes noſtros, & circuire terram. Hæc ſunt quatuor genera motuum relativorum ad centrum, applicabilium quatuor alijs generibus motuum gratiæ, reſpectivorum ad Crucem Jeſu, quæ fuit ipſius centrum.

r Joan. 1, 14. & 17.

Primus motus Jeſu, qui exit è centro, eſt repugnantia naturalis, quam ipſe habet morti Crucis, cujus horrore perculſus, *ait, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* s. Quæ verba teſtantur magnam triſtitiam, quâ ipſe afficiebatur in parte inferiori animæ ſuæ; triſtitiam autem ſic urgentem, ut, niſi præ miraculo, intuliſſet ipſi mortem, & fuiſſet peremptrix vitæ ipſius, exprimendo ei animam è corpore ipſius, ſicut tormenta ſanguinem è venis ipſius: hic iſto triſtitiæ percitus affectu, ſermonem ſuum dirigens ad Patrem ſuum, petit ab hâc paſſione ſublevari, *dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* t. Unde videmus quomodo hæc triſtitia immodica facit ipſum exire è centro ſuo partis ſuperioris animæ ſuæ, quod eſt Crux: & omnes iſtæ repugnantiæ ſunt totidem receſſus, & conſequenter totidem motus extra centrum ſuum, involuntarij tamen, & purè naturales, *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat* u. Id eſt, non voluntas inferior animæ meæ: nam quantùm ad voluntatem ſuperiorem & rationalem, ipſa eſt plùs tua, quàm mea, per integram conformitatem, uniformitatem, & deiformitatem cum tuâ, quæ eſt eadem. *Unde eo modo quo Chriſtus appetijt non occidi, oravit calicem ſibi auferri, non autem appetijt hoc ſecundùm voluntatem ſuam Divinam & increatam, quam habet, ut Deus, qua in ipſo & in Patre ac Spiritu ſancto una eſt numero, ſicut in tribus perſonis eſt una eſſentia* x, *nec appetijt iſtud ſecundùm voluntatem ſuam humanam deliberativam, ſuperiorem & intellectivam, qua proprie atque ſimpliciter nominatur voluntas, nec ſecundùm rationem. Hæc enim voluntas, & ratio animæ Chriſti fuerunt Divinæ & increatæ voluntati ſemper conformes, tam in volito, quàm in modo ac cauſâ volendi*, dicit Dionyſius Carthuſianus y.

s Matth. 26, 38. t Matth. 26, 39. u Luc. 22, 42. x ex 1. Joan. 5, 7. y Dion. Carth. art. 48, in Luc. 22, 42.

Et iſte motus voluntatis ſuperioris Jeſu per ſubmiſſionem voluntati ſui Patris æterni, facit ipſius ſecundum motum, qui tendit ad Crucem ut ad centrum ſuum, motum autem qui incepit in Jeſu ab inſtanti Incarnationis. *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contemptâ*, dicit, S. Paulus z. Et Cornelius a, *Addit Rupertus, Patrem æternum Chriſto in primo incarnationis ſuæ inſtanti propoſuiſſe optionem gaudij & Crucis, ita ut ſi vellet Chriſtus, poſſet gaudens, delicians & triumphans ſalutem afferre mundo: Chriſtum verò præ gaudio hoc ſibi propoſito amplexum eſſe Crucem.* Propterea per Pſalmiſtam b ſic alloquitur ipſe eundem Patrem ſuum, *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quaſi diceret ei, Ex quo conceptus ſum, ſic mihi placuit hæc lex quam mihi præſcripſiſti, ut eam chariſſimè cuſtodiam in totâ plenitudine affectus mei, prout eam, quæ dirigit omnes voluntates meas, & quæ motum imprimit univerſis actionibus meis, ut ferat eas omnes ad centrum Crucis, quò ipſæ tendunt & aſpirant jugiter, ut totidem motus qui tendunt ad hoc centrum commune omnium actionum & paſſionum mearum in eo quod ſpectat redemptionem generis humani. Quia centrum

z Hebr. 12, 2. a Cornel. in Hebr. 12, 2. b Pſ. 39. 7. &c.

trum, Auditores, eſt ultima perfectio cujuslibet rei: propter quod omnes cogitationes ipſius, affectiones, ſermones, actiones, & paſſiones fuerunt totidem motus tendentes ad hoc centrum, & omnes reſpirationes ipſius totidem aſpirationes ad hanc Crucem adorabilem. Quod juſtificare poſſumus per totum vitæ, & paſſionis ipſius decurſum, qui erat motus jugis ad iſtã Crucem, *Et in laboribus à juventute meâ* c, ait ipſemet. Quemadmodum motus lapidis, quò plùs is accedit ad centrum, eò rapidior eſt, & majori impetu invehitur, eò plus urgens vim ſuam, quò plùs appropinquat ad centrum ſuum: eodem modo ſe res habebat de hoc lapide myſtico Jeſu Chriſto, ſicut eum vocat S. Paulus *d*, *Petra autem erat Chriſtus*. Motus ipſius erant eò violentiores, quò propiùs accedebant ad hanc Crucem, quæ finem erat impoſitura vitæ ipſius; & quò plùs ipſe accedebat ad mortem ſuam oppetendam ſuper iſto ligno ſacro, objecto ſpinoſo ſuæ quietis extremæ. Hic autem vehementior impetus apparebat vel in ipſius verbis, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur* e. Sicut enim in inceſſu ſuo demonſtrabat ipſe iſtam deſiderij vehementiam: nam S. Marcus *f* obſervat, quòd ſic velociter gradiebatur ad mortem Crucis, ut diſcipuli ſui non poſſent ipſum ſequi, ita motus ipſius vehementes erant versùs centrum ſuum: *Erant autem in viâ aſcendentes Ieroſolymam: & præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant.* &c.

E diſtrictu tertij motus in centro Crucis fuerunt omnes actiones, & omnia verba Jeſu, ſicut cùm incubuit ſuper eam, extendit ſe ſuper illam, & prolongavit membrum poſt membrum, brachium poſt brachium, crus poſt crus, offerens modò unum, modò alterum ſacrilegis carnificibus ſuis, ut eis claves infigerent repetitis ictibus malleorum *g*, qui percutiebant cor B. Virginis affectæ dolore intuitu paſſionũ ejuſdem Filij ſui, juxta prophetiam S. Simeonis, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* h: & qui faciunt adhuc echum doloroſam in cordibus hominum amantium, qui compatiuntur doloribus Jeſu & Mariæ, Filij & Matris. Et iſti motus Jeſu in Cruce ſuâ, fiebant cum tanto exceſſu amoris, ut viderentur totidem amplexus, quos exhibebat ei, veluti propriæ matri ſuæ: *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum*, dicit ipſemet apud Iſaiam *i*. Et Pintus k ait, *Eſſe hunc populum Iudaicum indicat Apoſtolus* l. *Conſidera Dei miſericordiam. Iudæi Chriſtum crucifigebant, ille autem eos vocabat. In Cruce manus expanſas habebat, & brachia extenſa, quaſi peccatores vocans, eoſque amplecti deſiderans. Ideo apud Salomonem* m *has voces emittit: Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. In Cruce homines vocavit, & manus extendit.* Et hæc ſeptem verba admirabilia & prodigioſa, quæ ipſe protulit in Cruce *n*, nonne ſunt tot motus iſtius Sapientiæ incarnatæ in hoc centro doloroſè amoroſo, quorum ultimus fuit ipſius inclinatio capitis, & ipſius expiratio in hâc eâdem Cruce?

Quartus motus ipſius circum Crucem, fuit die reſurrectionis ſuæ glorioſæ, & ſuæ triumphantis aſcenſionis *o*. Die reſurrectionis ſuæ, quâ poſſumus obſervare multos motus circulares cœleſtes & Divinos, qualis eſt motus ſuæ mortis ad vitam, motus privationis gloriæ

c Pſ. 87, 16.
d 1. Cor. 10, 4.
e Luc. 12, 50
f Marc. 10, 32. &c.
g Pſ. 21, 17.
h Luc. 2, 35.
i Iſai. 65, 2.
k Pint. in Iſai. 65, 2.
l ex Rom. 10, 21.
m Prov. 1, 24.
n Matth. 27, 46. & Luc. 23, 34 &c. & Joan. 19. 26. &c.
o Marc. 16, 6. & 19.

corporis ſui ad gloriam quæ debebatur ipſi per naturam, & per merita ſua, *Anima autem Chriſti in primo inſtante ſuæ creationis ac unionis cum Verbo* p, *erat verè ac fruitivè beata. Idcircò niſi ex Divina diſpenſationis moderamine retracta atque dilata fuiſſet redundantia beatitudinis animæ ejus in ſacratiſſimum corpus ipſius, omnes quatuor dotes corporis glorioſi fuiſſent in corpore Chriſti à primo ſuæ formationis inſtanti, ſed fuit diſpenſativè dilata: aliquando tamen fuit permiſſa, ſcilicet in transfiguratione*, dicit Dionyſius Carthuſianus *q*. Et ſic per iſtos motus Salvator rediit, eò, unde diſceſſerat, nimirum è vitâ ad vitam, è gloriâ in gloriam, finiens per initium ſuum, ſicut agit circulus, & motus orbicularis cœlorum, qui incipiens ab Oriente, revertitur illuc per Occidentem: ſic Jeſus per occaſum vitæ ſuæ, & ignominiam Crucis ſuæ, recuperavit vitam & gloriam pretioſi corporis ſui: & iſte motus circularis & glorioſus factus eſt circum Crucem ſuam, ſicut fit motus cœli circum terram, ad communicandum ei lumen ſuum & influentias ſuas, quæ fœcundam reddunt eam bonis, fructibus, & theſauris: ſic iſta glorioſa reſurrectio reddit merita Crucis hujus efficacia noſtræ juſtificationis per applicationem quam nobiſcum facit illorum ſingulis nobis. Unde S. Paulus *r* ait, quòd Jeſus Chriſtus *traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Ubi Apoſtolus attribuit juſtificationem noſtram reſurrectioni Jeſu Chriſti, potiùs quam paſſioni & morti ipſius, contra omne genus apparentiæ, & rationis, ut videtur: ſed quod debet intelligi eo ſenſu modò dicto, ſcilicet de applicatione meritorum ſuæ paſſionis in Cruce; non autem de meritis ſuæ reſurrectionis, quæ non potuit eſſe meritoria, cùm merita ipſius finita fuerint cum vitâ viatrice & mortali, non ſecus ac noſtra, quæ curſum non habent niſi per progreſſum vitarum noſtrarum morientium, ex ordinatione Dei, qui præſcribit eundem terminum meritis & vitæ, quæ terminantur ambo per mortem corporis: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, ait Eccleſiaſtes *s*. *Si enim receſſerit anima à corpore in charitate & converſione ad Deum, invertibiliter manebit ad ipſum in æternum converſa. Si autem in averſione ſeu culpâ mortali, inconvertibiliter & inflexibiliter manebit averſa à Deo. Ideò aſſerit Damaſcenus* t, *Quod Angelis fuit ruina, hoc hominibus eſt mors. Quemadmodum enim Angeli tenebrarum immutabiliter manent in illâ actione & averſione, in quâ erant peccando & corruendo ex cœlo* u: *ita & anima jugiter manet in diſpoſitione & affectione, quâ receſſit à corpore horâ mortis. Nam tota hæc vita & tota ejus duratio eſt via & peregrinatio ad futuram, cujus via mors terminus eſt. Idcircò poſt mortem non manet ſtatus aut duratio promerendi, aut demerendi*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *x*. Ideò reſurrectio Jeſu duntaxat eſt applicativa meritorum Crucis ſuæ, quia poſt reſurrectionem ſuam, & non ante, ipſe dedit Apoſtolis ſuis poteſtatem abſoluendorum peccatorum, & prædicandi verbi ſui circumquaque, *Inſufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* y. Et, *Euntes docete omnes gentes* z. Quæ erant duo media efficacia ad peragendam applicationem meritorum paſſionis & mortis ſuæ in Cruce, *Quoniam ſic ſcriptum eſt* a, *& ſic oporte-*

p ex Joan. 1, 14.
q Dion. Carth. art. 30. in Matth. 17, 2.
r Rom. 4 25.
s Eccl. 11, 3.
t ex S. Damaſc. lib. 2. de Fid. Orth. c. 4.
u ex Iſai. 14, 12. &c.
x Dion. Carth. art 11, in Eccl. 11, 3.
y Joan. 20, 22. & 23.
z Matth. 28, 20.
a ex Pſ. 18, 6, & 7.

bat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes b. Unde concludit Apoſtolus c, *Si Chriſtus non reſurrexit: inanis eſt ergo prædicatio noſtra: inanis eſt & fides veſtra.* Quaſi diceret, quod id omne quod Jeſus Chriſt fecerat, & paſſus erat, eſſet inutile & ſine fructu, niſi ipſe reſurrexiſſet, & omnia merita ipſius forent pro nihilo, licèt eſſent ipſa plus quàm ſufficentia, & valoris infiniti, ſicut ipſe *non habet finem* d.

b Luc. 24, 46. & 47.
c 1 Cor. 15, 14.
d Baruch. 3, 25.

Hi ſunt quatuor motus Jeſu reſpectivi ad centrum ſuum, quod eſt Crux; motus quos idem Jeſus dat Juſtis, trahens eos ad idem centrum, quandiu impij ab eo recedunt, ſibi proponentes centrum contrarium centro Crucis: ſicut enim non habent idem centrum: ſic & differentes & contrarios motus habent. Primus motus Juſtorum, qui exit è centro, & ille qui recedit à naturâ vitiatâ, ſcilicet, à commodis & voluptatibus corporis prohibitis & criminoſis, imò verò ab illis, quibus indulgere poſſent licitè & ſine culpâ, & hoc, renunciando omni generi imperfectionis: & licèt habeant hunc motum naturalem exeundi è centro Crucis, ſicut Jeſus Chriſtus, quantùm ad partem inferiorem, is non eſt niſi inſtinctus purè naturalis, cui ſtatim renunciat ipſorum voluntas, quemadmodum reluctantiam partis inferioris Domini ipſorum ad ſuſtinendam Crucem, ſuperavit ipſius voluntas: ſed impij habent hunc motum, qui ipſos trahit & fert extra centrum Crucis, & hoc, electione & voluntate deliberatâ, quæ eligit vivere in iſtâ rebellione, & alienatione à centro ſuo, quod eſt Jeſus Chriſtus crucifixus, & ſequi ſemper ſenſus & affectus inordinatos naturæ ſuæ corruptæ, nedum ex ijs unquam exeant, nihil æquè horrentes ac Crucem, nec aliquid æquè deſiderantes ac ſatisfactionem ſenſuum ſuorum, quod eſt centrum omnium motuum ipſorum, quò ipſi dirigunt omnes intentiones, actiones, & conſiderationes ſuas: ut autem illud meliùs attingant, ipſi ſe diſpenſant ab omni eo quod ipſis afferre poteſt laborem, aut ſubjectionem corpori vel ſpiritui ipſorum cauſare. Inde fit ut pedem laxent omni genere obligationem Civilium, Eccleſiaſticarum, & Divinarum, excutientes jugum omnis generis legum bonorum morum, praxeom virtutis, pietatis, & mortificationis, ut rectà pergant ad centrum ſuum commune, quod eſt voluptas corporis, & libertas effrænis ſpiritus; in quo conſiſtit ſecundus motus impiorum, qui totus tendit ad propriam ipſorum ſatisfactionem cum horrore Crucis Jeſu Chriſti, quem ſuſtinere non poſſunt, *Inimicos Crucis Chriſti: quorum Deus venter eſt*, vocat ipſos Apoſtolus e.

e Philipp. 3, 18 & 19.

Secundus motus Juſtorum, qui vadit ad centrum, eſt ille qui fert ad Crucem omnes affectus naturæ corruptæ ipſorum, qui libenter crucifigit omnes concupiſcentias, libertates effrænes, & vanitates mentis, juxta hæc verba S. Pauli f, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiys & concupiſcentiys.* Deum quærit jugiter in Cruce, & habet pro inſcriptione hæc verba S. Auguſtini g, qui poſtquam dixit Deo, *Domine, feciſti nos ad te*, quaſi diceret ei, quòd non dedit ipſi aliud centrum & alium finem, niſi ſe, ſubdit hæc verba requiſitionis & amoris; *Et inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Sed ubi in te? niſi in Cruce, Auditores, ubi duntaxat ipſe ſumpſit in terrâ quietem ſuam, & quò anima, quæ *Spiritu Dei* h agitur, fert omnes cogitationes, affectiones, & paſſiones ſuas ut ad centrum, quò tendunt omnes lineæ potentiarum ipſius intelligentium, operantium, & patientium; & ubi ipſa confringit univerſos motus ſuos. Impij verò procedunt è contrà.

f Gal. 5, 24.
g S. Aug. lib. 1. Conf. c. 1.
h Rom. 8, 14.

Tertius motus Juſtorum qui fit in centro, ſunt omnes actiones, omiſſiones, & paſſiones animarum ipſorum, ſed cum Jeſu Chriſto crucifixo præ amore, crucifigente & crucifixo, & qui habent pro inſcriptione hæc verba S. Ignatij i Martyris, *Meus Amor crucifixus eſt.* Quod efficit ut non ſumant oblectamenta, niſi in Cruce Jeſu Domini ſui, quæ eſt verum centrum ſatisfactionum ipſorum, ſicut ipſa fuit centrum oblectamenti Jeſu; ſe extendentes ſuper Crucem, nos ſecus ac Jeſus extendit ſe ſuper Crucem ſuam. E contrà impij non habent pro toto motu ad centrum ſuum, niſi ſolas ſuas ſatisfactiones, omnia peragentes intuitu ſui ipſorum, nedum ſibi vim ullam inferant, immunes ab omni lege, eò uſque ut ſervire Deum faciant proprio oblectamento ipſorum, quod totam deficiat ipſorum abominationem, ſicut idem Deus ſingulis ipſis improperat per Prophetam ſuum Iſaiam k, *Servire me feciſti in peccatis tuis.*

i S. Ignat. Epiſt. 15.
k Iſai. 43, 24.

Tandem, Quartus motus Juſtorum circum centrum Dei in Cruce, ſunt omnes ipſorum converſiones & reverſiones ad Deum, qui eſt *Principium & Finis* l ipſorum, per exitum jugem à Deo, & per reditum continuum ad Deum præ amore; quod facit & perficit circulum amoroſum omnium actionum & paſſionum animarum ipſorum, quæ habent omnes pro objecto & pro fine Principium ſuum, quod eſt Deus, unde incipiunt, & quò terminantur, facientes ſic motum circularem amoris per ſuas converſiones & reverſiones ad Deum, Principium & Finem ſuum, cùm non priùs exierint è Jeſu in Cruce, cùm ſtatim urgentur in eum redire. Et in hoc conſiſtit motus circularis animarum circum centrum ſuum, quod eſt Deus in Cruce, quò terminantur omnes lineæ intentionum, actionum, & paſſionem ipſarum, vel actualiter, vel virtualiter. Impij è contrà pro ultimo motu circum centrum ſuum, nunquam exeunt è naturâ ſuâ, niſi ut meliùs eam denuò ingrediantur, incipientes & finientes per eam res omnes, ut perficiant in ſe motum hunc circularem circum centrum ſuum, quod eſt propria ſua ſatisfactio naturalis, ad quam jugiter tendunt explendam. Poſthæc mirabimini ne ſi cùm evitaverint crucem in iſto mundo, reperturi ſint eam in altero, nec illam unquam derelicturi, ſed ſine merito, cùm inviti ſint eam laturi, quandiu Juſti qui illam dilexerint in iſtâ vitâ, non ſint habituri niſi felicitatem in alterâ? & jure merito, quippe qui, cùm habuerint idem centrum in omnibus motibus ſuis cum Jeſu, quod fuit Crux in hâc lacrymarum valle (quò tendere debetis, Auditores) habituri ſunt idem centrum felicitatis in gloriâ.

l Apoc. 1, 8.

IN OCTAVA NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

Per me Reges regnant. Prov. 8. 15.

a Cant: 4, 13.

SAlomon *a* loquens de B. Virgine Mariâ, comparat eam malo granato, *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum Punicorum cum pomorum fructibus.* Hæc eſt autem differentia inter malum granatum & alios fructus, quòd iſti non ſalutant diem, nec veniunt in mundum niſi ut captivi, quaſi vinculis conſtricti, quandiu malum granatum apparet ut Monarcha habens coronam Regiam in capite, & veluti purpuram majeſtatis in dorſo, ipſo puncto nativitatis ſuæ. Omnes alii fructus, quibus onerat ſe natura, ut noſtris ſerviat uſibus, & quos in virium ſectandum proſtituimus, teſtantur flexibus ſuis, hujuſmodi ſinus ſuos eſſe charactêres ſuæ ſervitutis, ſe non eſſe niſi ſubditos & captivos, quandiu malum granatum ſolum generosè elevat ab ipſo ſuæ nativitatis inſtanti acies coronæ ſuæ, & ornat ſe purpurâ, quæ ſunt duæ notæ dignitatis ipſius Regiæ: eandem differentiam, quam conſtituo inter hunc fructum & alios, obſervo inter B. Virginem Mariam & alios homines, cùm omnes alii homines veniant in mundum ut criminoſi, trahentes vincula ſua ut captivi, *in utero damnati antequàm nati: quia de peccato, & in peccato* b *concepti,* ait S. Bernardus *c*, qui unus eſt ex illorum numero. Ita ut mors ſit ab ipſis præponenda vitæ, cùm mors diſrumpens ipſorum vincula, aperiat ipſis viam ad libertatem, id eſt, ad liberationem è captivitate ipſorum repræſentatâ per lacrymas, quas incipiunt effundere vel ex ipſo ſuæ nativitatis inſtanti, ut teſtatur Salomon *d* de ſe, quànvis naſceretur Filius Regis, captivus tamen more cæterorum, *Et ego natus primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Sola B. Virgo venit in mundum ut Regina, ſicut malum Punicum inter fructus; ipſa ſemper fuit libera, & æquè citò coronata ac nata, imò verò concepta, nedum ipſa commiſerit unquam peccatum actuale, aut contraxerit originale, ut ait ei Sponſus ipſius, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te* e. Sed ipſa non ſiſtit ibi, ipſa extendit etiam purpuram ſuam & imperium ſuum ſuper fructum ſuum, quem ipſa coronare debet aliquando confeſtim ac ab ipſâ natus erit: ipſa venit in mundum ut Regina, ut communicet aliquando Regiam dignitatem Filio quem pariet, ſicut agit malum Punicum erga grana ſua, *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Fructum enim proferet ipſa*, dicit de Ponte *f*, *unicum, qui ipſe paradiſus eſt, & omnium hominum jucunditas, ac ſumma fœlicitas.* Ipſa non eſt arbor ſterilis, ſed ſimilis eſt malo Punico operienti non ſolùm ſe purpurâ, ſed etiam induenti eâ omnia grana ſua, quæ incipiunt rubere purpurâ ſtatim ac omnino formata ſunt, & ſingula participant diadema quod coronat matrem: Maria non debet ſibi ſoli retinere coronam, ſed ipſa imponet eam aliquando capiti Filii ſui ſtatim ac eum pepererit. In cœlo Dei Filius tenebat Regiam dignitatem à Patre ſuo, qui non potuit ipſi dare eſſentiam ſuam, quin ipſi communicaret Imperium ſuum, ſicut ipſemet Filius fatetur: *Ego autem conſtitus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus: prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu; ego hodie genui te* g. Super terrâ autem idem Filius ſceptrum ſuſcipiet è manu Matris ſuæ, quæ faciet ipſum Regem eo momento quo Archangelus ipſi dixerit, *Ave Maria.*

b ex Job 14. 4. & ex Pſ: 50, 7.

c S. Bern: ſerm: 2, Pent.

d Sap: 7, 3.

e Cant: 4, 7.

f De Pōte lib. 7, in Cant: 4, 13, exhort. 29, parag. 5.

g Pſa. 2. & 7.

Res eſt maniſeſtiſſima in naturâ, quòd cùm effectus ſint expreſſiones cauſarum ſuarum, conantur ipſi in omnibus & ubique eis aſſimilari. Omnes creaturæ ſunt veſtigia Dei: *Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* h. Propterea ſicut ipſe eſt Rex, ita & illæ omnes rendunt ad Regiam dignitatem, cùm nitantur effectus imitari cauſam ſuam: cùm enim filius ſit imago viva patris ſui, & non poſſit effectus quin aſſimiletur cauſæ ſuæ, mirum non eſt, Auditores, ſi omnes creaturæ, quæ ſunt veluti filii Dei & filiæ, aſpirant ad regnum & ad imperium: Omnes aliæ inclinationes creaturarum ſunt limitatæ; ſed inclinatio deferendi ſceptri eſt æquè generoſa ac eſt univerſalis. Non erit vobis multùm difficile agnitu mecum hanc veritatem, ſi placeat vobis oculos veſtros projicere ſuper tres ordines creaturarum, quæ ſunt muta, ſenſibilis, & rationalis. Quantùm ad creaturas mutas & inanimatas, Terra licèt ſit ſuo modo ſtupidiſſima omnium creaturarum, intendere tamen videtur Regiam dignitatem, cùm ornat ſe coronâ imperiali, quæ elevat Regnum ipſius ſupra alios flores; ſicut Princeps extollit thronum ſuum ſupra ſubditos ſuos; & licèt ipſa ſit captiva, cùm ſerviat avaritiæ & ambitioni hominum, ipſa tamen non deſinit gloriâ duci, & faſtu pompatico ipſa ſe coronat floribus, ſicut Sol ornat ſe radiis ſuis, & cùm in hâc abundantiâ ipſa ſe onerat malo Punico, quod purpuram dorſo, & coronam capiti impoſitam defert. Cœlum eſt mutum & inanimatum, intendit tamen imperium, cùm exponit Solem, qui eſt Rex planetarum, coronatum luminibus & radiis aureis: ita verum eſt, quòd omnes creaturæ, imò verò eæ quæ ſunt ipſa imago inſenſibilitatis, intendunt Regiam dignitatem & imperium. Tranſeamus ad alium ordinem, & aſcendamus ad ſtatum creaturarum ſenſibilium; ibi videbimus Leonem coronatum ut Principem & Monarcham omnium animalium; Delphinem deferentem coronam in aquis inter piſces; & numquid non inter aves agnoſcitur Aquila ut Monarcha ab omnibus ſuis ſubditis? Quin imò Regiam admiramur dignitatem inter Apes: & ſi in ſphærâ Ignis ſunt entia viventia, ibi Salamandra regnat, cùm deferat coronam. Unde videtis, quòd creaturæ mutæ, & ſenſibiles intendunt gubernationẽ: ſed tamen imperiũ debetur ſoli creaturæ rationali, & intellectuali: ſicut enim omnes aliæ deficiunt ratione, ſic nõ poſſunt habere ullam veram directionẽ: ſic in iſta naturâ intellectuali, homines qui ſunt infimæ intelligẽtiæ, regnare volunt, omnes ſuos adhibent conatus

h Rom: 1, 20.

ad ſtabiliendum imperium ſuum, quin imò ad impietatem uſque tranſeunt cùm agitur de ferendo ſceptro, *Si violandum jus eſt*, ajebat Princeps quidam ductus ambitione, *regnandi causâ violandum eſt*. Monarchias inſtituunt & Imperia in familiis particularibus, ut ſatisfaciant huic inclinationi generali naturæ, quæ inſpirat ipſis gubernationem. Inter Angelos iſtæ puræ intelligentiæ ſibi vendicant imperium, *Sive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates* i. In Religione, Regia dignitas exhibetur intuenda, Sacerdotes ibi ſunt veluti Reges, *Regale Sacerdotium* k. Servi Dei ibidem ſceptrum deferunt, *Servire Deo, regnare eſt*. Quin imò in inferno, qui eſt Regnum diviſionis, in hoc conveniunt dæmones ut *Beelzebub dæmoniorum* l Principem agnoſcant: ita verum eſt quòd univerſæ creaturæ habent pruritum quendam regnandi, quia ſunt imagines aut veſtigia Dei, qui ſolus poſſidet verum Imperium, & qui eſt ſupra reges terræ id, quod iſti ſunt ſupra ſubditos ſuos, *Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium* m. In Divinitate tres ſunt perſonæ Regiæ deferentes coronam: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt* n. Et licèt Deus habuerit ab ipſis vel mundi naſcentis incunabulis imperium abſolutum ſuper omnes creaturas, propter hanc plenam dependentiam, quæ eas ipſi ſubjicit, ut *Mardochæus deprecatus Dominum, memor omnium operum ejus, dixit, Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita: & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati* o, &c. audeo tamen dicere, nedum verear ne mea propoſitio temeritatis inſimuletur, & aſſerere præ omni reverentiâ poſſibili, quòd B. Virgo Maria quæ naſcitur hodie cum electione & nominatione ad Maternitatem Divinam, dabit ſceptrum tribus iſtis Perſonis Divinis, ita ut ſit ipſa intra tempus aliquantum factura aliquo modo Reges, & diſtributura coronas. Politicus quidam volens inſtruere Reges, ait, quòd tria ſunt illis neceſſaria ad fœlicem conſervationem Statuum ipſorum, nimirum potentia, ſapientia, & amor. Tres iſtæ qualitates reddunt Monarchas commendabiles. Potentia ſervit Principibus ad domandos æquo liberiores, ſapientia ad dirigendos populos, & amor ad conciliandа ſibi corda ſuorum ſubditorum: Theologia tres iſtas agnoſcit qualitates aut potiùs perfectiones in Divinitate, attribuens potentiam p Patri, ſapientiam q Filio, & bonitatem r Spiritui ſancto: & tres iſtæ Perſonæ Divinæ regnabunt per B. Virginem quæ naſcitur hodie, quæ aliquando tribuet Primò ſummum dominium potentiæ Patri; Secundò regnum ſapientiæ Filio; Tertiò imperium amoris Spiritui ſancto, ut videbitis in tribus partibus diſcurſus iſtius.

i Coloſſ: 1, 16.
k 1. Petr: 2, 9.
l Luc: 11, 15.
m Apoc: 19, 16.
n 1. Joan. 5, 7
o Eſth: 13, 8. & 9
p Pſ. 64, 7
q Pſ. 103, 24.
r Rom: 5, 5.

Diviſio.

I. Pars.

Et primò quantùm ad ſupremum dominitum Patris, illud eſt pro comperto, quòd ad hoc ut quis ſit Rex, & dignus Rex, oportet ut detur convenientia & relatio inter ipſum & ſubditos, cùm qualitas ſubditorum multùm extollat gloriam Dominorum ſuorum: & ſicut ſceptrum eſt nobiliſſimum inſigne Principis, debet etiam eſſe conforme & adæquatum magnitudini illius qui debet imperare. Si Princeps, cui meritum & nativitas præbuerunt ſceptrum, ſolis haberet imperare formicis, profectò valdè miſer eſſet, & Regnum ipſius potiùs eſſet ipſi loco probri & confuſionis, quàm eſſet ipſi motivũ gloriæ & honoris: ſi filius Monarchæ veniret in mundum deferens coronã capiti impoſitam, & ipſo ſuæ nativitatis inſtanti reperiret cunas ſuas ſceptris circumcinctas, magnam ſibi non conciliaret ipſe inde gloriam, ſi ſolos vermes haberet gubernandos: qualitas ſubditorum deprimeret majeſtatem imperii ipſius, cùm gloria Regum educatur è magnitudine vaſſallorum; & non habere ſummum dominium niſi ſuper vermes, hoc non ſit eſſe verè Regem, cùm ſic exigua ſit proportio, imò verò tanta ſit differentia inter vaſſallos & Dominum: ita verum eſt quòd dominium reſpondere debet merito & excellentiæ perſonæ quæ dominatur.

Verum quidem eſt, quòd imperium, quod Deus habet ſuper creaturas, eſt ſatis extenſum, cùm includat omnes res à viliſſimo verme ad ſublimiſſimum Seraphinum uſque: hoc tamen imperium non erat dignum Deo: non enim extendebatur niſi ad creaturas mutas, ad animalia, ad homines, & ad Angelos, quorum natura eſt infinitè inferior Deo; illorum merita & excellentia erant nimis abbreviata, nedum menſurari poſſent tantâ capacitate Dei, qui *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* s. Requirebatur ſubjectum infinitum, quod potentiâ dirigeretur infinitâ: atqui nullum erat in naturâ, in cœlo, aut in terrâ, donec B. Virgo Maria veniens in mundum per nativitatem ſuam, produceret aliquantò poſt Filium, qui eſſet eodem tempore Deus & homo, & fieret ſubditus idoneus imperio Dei, juxta Iſaiæ t vaticinium, *Ecce, Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Ante Incarnationem Pater æternus non regnabat niſi quaſi ſuper vermes, cùm ſummum ſuum dominium non exerceret niſi ſuper homines, qui ſunt vermes intuitu Dei, ut ait Job u, *Filius hominis vermis*: imò verò aliquid minus, ſicut dicit Iſaias x, *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputata ſunt. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt ei*. Depreſſio ſubditorum ipſius detrahebat magnitudini ſceptri ipſius, & in hoc ſtatu ſummum dominium ipſius non multùm magnificabatur: Deus non fuerat uſque ad hoc tempus dominatus niſi hominibus & Angelis, ſed nunc cùm Maria venit in mundum, ſicut ipſa eſt deſtinata ad hoc ut ſit Mater Dei, quemadmodum ait ipſa anticipativè per os Salomonis avi ſui, *Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens* y: *Id eſt, genui Chriſtum, qui eſt in cœlis lumen indeficiens* z: ipſemet Deus incipiet intra tempus aliquantum imperare Deo æquali ſibimetipſi, æquè potenti, ſapienti, & perfecto ac ipſe potens, ſapiens, *& perfectus eſt* a. Nam B. Virgo ſubjiciet ei hunc *Filium ſuum primogenitum* b, quem eſt aliquando paritura, qui eſt ille idem, quem ipſemet Pater *in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum* c genuit, & *qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum* exinanivit, *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* d, ad ſtabiliendum ſummum dominium ipſius. B. Virgo igitur ipſo inſtanti incarnationis Filii ſui, aut horâ partus ſui, dabit Patri æterno ſupremum dominium potentiæ, manifeſtatura tunc præ magno ſplendore dominationem illius, ita ut dicere poſſimus, quòd tunc Maria ſit perfectè ſtabilitura ſummum dominium Patris æterni, cùm ipſa tribuet ei ſubditum, quem nondum habuerit, & cui majori authoritate imperabit quàm aliis, & tunc Pater æternus dicere poterit, quòd per illam regnare cœperit.

s Baruch 3, 25.
t Iſai: 7, 14.
u Job 25, 6.
x Iſai: 40 15, & 17.
y Eccli: 24, 6.
z Hugo Card: in Eccli: 24 6.
a Matth: 5, 48.
b Luc: 2, 7.
c Pſ: 109, 3.
d Philip: 2, 6, & 7.

Intra

Intra tempus aliquantum B. Virgo ſubjiciet illi Filium ſuum, & dabit illi poteſtatem & authoritatem ſuper eum, qui eſt ipſi æqualis in æternitate, ſicut ipſemet Filius fatebitur poſtquàm incarnatus fuerit, *Ego & Pater, unum ſumus* e. Seu, *Ego (ſecundùm naturam Verbi) & Pater, unum ſumus, hoc eſt, ſubſtantialiter idem, & in perſonis diſtincti. Dicendo unum, notatur eſſentiæ unicas individualis, non generica, ſive ſpecifica, ſed mera naturæ identitas. Dicendo autem, ſumus, inſinuat diſtinctionem perſonæ* f. Quàm ſummum dominium, habere Deum in ſubditum! Re enim verà ille qui imperaret ſolis Regibus, aut Principibus, dominaretur majori gloriâ & ſplendore quàm ille qui ſolis principaretur hominibus vulgaribus: atqui cùm Maria, quæ naſcitur hodie cum electione & nominatione ad Maternitatem Divinam, dabit Patri æterno ſubditum & ſervum, ipſa non offeret ei hominem communem, ſed eum qui imperat omnibus regibus terræ. Verbum eſt quidem Filius Dei, & Patris æterni, ſed non eſt ſervus illius in æternitate; in Divinitate Pater eſt quidem principium Filii, ſed Filius non eſt ejus effectus in hâc primâ nativitate ſuâ: ſed in ſecundâ nativitate ſuâ tranſibit iſte Filius à conditione Filii in ſtatum ſervi, qualem ſe fatetur Filius ipſemet per Iſaiam, *Et dixit mihi, Servus meus es tu* g. *Chriſtus vocatur ſervus Dei, quia cùm in formâ Dei eſſet, ſponte, noſtri amore formam ſervi* h *accepit*, ait Cornelius i. Verbum ab æterno eſt æquale Patri ſuo, Filius nihil habet inferius principio quod ipſum producit, *Qualis Pater, talis Filius*, ait S. Athanaſius k. Filius eſt independens à Patre, & idem habet cum illo ſupremũ dominium: ſed ſuper terrâ B. Virgo quæ naſcitur hodie ad hoc ut ſit Mater iſtius Filii, ſubjiciet aliquando hunc Filium Patri ipſius, reddet eum dependentem ab illo, eoque inferiorem, & tunc fatebitur Filius ſe talem, *Quia Pater major me eſt* l *ſecundùm naturam aſſumptam* m. Ecce ſubjectio ejus. E parte Patris ſui, *magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus* n, ſicut Pater ſuus: ſed è parte Matris ſuæ, parvus erit, limitatus, depreſſus, *& in præſepio* o reclinatus, ſubditus erit Patri ſuo: quia Mater ſua concipiet ipſum intuitu humilitatis ſuæ, & depreſſionum ſuarum, cùm dicet Angelo myſterii Incarnationis nuncio, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* p. Obſervate enim, quòd impreſſio quæ habetur alicujus objecti, cogitatio quæ concipitur illius, eſt ita valida, ut productiones quæ inde ſequuntur, maximas cum eo habeant convenientias: ſic imaginatio matrum tantam habet efficaciam ſuper infantes, quibus ſunt fœtæ, ut imprimant eis omnes bonas aut malas qualitates, quibus ipſæ vacant conſiderandis cum illos concipiunt: ſic oves Jacob conceperunt agnos maculoſos, ſecundùm diſpoſitionem virgarum, quas ipſis exhibuerat intuendas in canalibus iſte Patriarcha, & quarum repræſentatio remanſerat imaginationi ipſarum impreſſa: *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractiſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt ut oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diverſo colore reſperſa. Diviſitque gregem Iacob, & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum; erant autem alba, & nigra quæque, Laban: cætera verò, Iacob, ſeparatis inter ſe gregibus* q. Sic Seraphicus S. Franciſcus, eò quòd vivè cogitaſſet de Paſſione Salvatoris ſui, ita intimè impreſſit cordi ſuo vulnera illius, ut ex interiori corde ipſius, ubi ipſa cœperunt, tranſierint ipſa ad exteriores uſque partes corporis ipſius, & facerent ipſum admirari ut alterum Jeſum Chriſtum crucifixum, ita ut id, quod S. Paulus r dicebat præ affectu, & ſpiritualiter, *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*, ipſe dicere poſſet verè, cùm ea realiter ſuo corpori impreſſa deferret, ſicut recenſet S. Bonaventura ſ, *Novus homo Franciſcus novo & ſtupendo miraculo claruit, cùm ſingulari privilegio retroactis ſeculis non conceſſo inſignitus apparuit, ſacris videlicet ſtigmatibus decoratus, ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, ſed in carneis membris deſcriptam digito Dei vivi*. Sic B. Virgo quæ naſcitur hodie, pariet aliquando Filium, qui ſtatim ac conceptus, aut natus fuerit, efficietur ſervus Patris ſui, etiamſi ſit Deus ſicut idem Pater. Dei Filius duplicem habet nativitatem. Per primam eſt ejus Filius in æternitate, & ab eo generatur ut Verbum increatum, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* t. Ut ſic eſt liber, Rex, & ſupremus Dominus, ſicut Pater ſuus, quia non habet vitam aut libertatem aliam à vita aut libertate Patris ſui, qui producit ipſum intuitu adorabilium perfectionum ſuarum, & contemplatione ſummi dominii ſui, quod eſt inſeparabile ab ipſius eſſentiâ Divina, *In ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te* u. Sed per ſecundam nativitatem, per quam fit Filius Virginis, *Et Verbum caro* x, in tempore ſervus eſt, quia Mater ipſius non debet ipſum concipere niſi intuitu humiliationum ſuarum, & ſervitutis ſuæ. Quòd ſi lex ſervitutis & dependentiæ tranſit à matre in filium, & ad fœtum quem ipſa geſtat in utero ſuo, *Partus ſequitur ventrem; id eſt, liberi quoad ſtatum, matris conditionem ſequuntur* y: Maria proteſtans ipſâ die futuræ annunciationis, quòd ipſa erit *ancilla Domini* z, proteſtabitur etiam, quòd Filius quem ipſa feret in viſceribus ſuis, erit illi ſimiliter ſubditus. Ideò Pater æternus illi *dixit, Servus meus es tu* a. Pater æternus igitur concipiens Verbum ſuum mente ſuâ, intuitu omnium magnitudinum ſuarum, generat ipſum magnum, *Quod verò ad honores & dignitates pertinet, patrem liberi ſequuntur* b. Pater æternus producit Filium ſuum æqualem ſibi, beatum ſicut ipſe beatus eſt, ita ut tribuens ei eſſe, præbeat illi univerſas perfectiones ſuas, cùm Filius ſit in omnibus æqualis Principio quod ipſum producit, quandiu ſua Mater ipſum concipiens intuitu infirmitatum & depreſſionum ſuarum, faciet ipſum infirmum, ſubditum, & inferiorem, ſubjiciendo ipſum in tempore illi, cui ipſe ab æterno in omnibus æqualis eſt: & Pater qui ab æternitate nullum habet imperium ſuper Filium ſuum, ſtatim ac illi ſuas voluntates in tempore manifeſtaverit exequendas, videbit illum præ reverentiâ mandata ſua exequentem, ita ut tunc dicturus ſit *Ieſus, Quæ placita ſunt ei, facio ſemper* c. Cùm B. Virgo debeat illi dare ſummum dominium potentiæ ſuper Filium ſuum, & Pater qui dedit ei vitam in æternitate, non poſſit eam illi auferre, oportebit ut B. Virgo hanc tradat ei poteſtatem, quia faciendo illum hominem,

e Joan. 10, 30.
f Dion. Carth. art. 21, in Joan. 10, 30.
g Iſai. 49, 3.
h ex Philipp. 2, 6, & 7.
i Cornel. in Iſai. 49, 3.
k S. Athanaſ. in Symbol. V. 7.
l Joan. 14, 28.
m Dion. Carth. art. 36, in Joan. 14, 28.
n Baruch 3, 25.
o Luc. 2, 7.
p Luc. 1, 38.
q Gen. 30, 37, &c.
r Galat. 6, 17.
ſ S. Bon. in Legendâ S. Franc. c. 13.
t Joan. 1, 18.
u Pſ. 109, 3.
x Joan. 1, 14.
y L. Partum. C. de Rei Vind.
z Luc 1, 38.
a Iſai. 49, 3.
b L. Filiis, & L. Liberos D. de Senat.
c Joan 8, 29.

ſaciet illum mortalem, & ſic Pater æternus habebit authoritatem ſuper illum, *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus illum* d tradet. Nonne igitur verum eſt, quòd B. Virgo datura eſt ſummum dominium potentiæ Patri æterno, qui interventu ipſius regnabit? ita ut ipsâ verè dictura ſit, *Per me Reges regnant.*

d Rom. 8. 31. & 32.

Videte igitur num Maria, quæ naſcitur hodie, non debeat eſſe aliquando felix, cùm dando Filium mundo, datura ſit Deo illuſtriſſimum è ſubditis ipſius, cujus nativitas imponet coronam gloriæ & potentiæ Patri æterno. Ut autem meliùs & clariùs concipiatur hæc veritas, ſunt nobis enodanda verba S. Petri e, à quo vocatur miniſterium Sacerdotum, non Regnum Sacerdotij, ſed, *Regale Sacerdotium.* Et S. Joannes ait in Apocalypſi f ſua, *Feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus.* Dionyſius autem Carthuſianus g dicit, *Regale Sacerdotium, id eſt, Sacerdotes Regij ſeu Regales, videlicet Chriſto ſummo Regi ac Sacerdoti aſſimilati & incorporati, ac pertinentes ad eum. Siquidem quamadmodum Chriſtus homo eſt templum Dei, Sacerdos ac hoſtia: ſic Chriſtianus fidelis eſt templum, Sacerdos ac hoſtia Dei. Et quoniam ſummus Regis Sacerdos eſt, & ſacerdotium ejus ad Regnum ordinatur cœleſte, meritò Regalis Sacerdos vocatur. Denique, Omnes fideles, Reges dicuntur, ſe ipſos per rationem regendo, paſſiones ac vitia ſuperando. Sacerdotes quoque dicuntur hoſtiam laudis* †*, ſacrificium orationis, munera eleemoſynarum, & cætera ſpiritualia exercitia, virtuoſaque opera Domino offerendo. Propterea in Apocalypſi fatentur, Chriſtus fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.* Sumus igitur Regnum Dei per obedientias noſtras, & per ſubmiſſiones noſtras proteſtamur imperium, quod Deus habet ſuper nos. Iſtud meliùs manifeſtant Sacerdotes, cùm medijs ſacrificijs ſuis declarant excellentiā majeſtatis Dei, & authoritatem quā habet ſuper vitas noſtras, & ſuper id omne quod eſt in naturâ, quod perire debet ad honorandum imperium ipſius, & cùm dicitur, quòd *Regale Sacerdotiū* eſt, & quòd regnabit, *Et regnabimus*, hoc innuit, quòd Sacerdotes qui ſe humiliant coram Deo, ut trahant ad ſe benedictiones illius, reliquo populo ſuperiores efficiuntur miniſterio ſuo, quod ipſos ad Deum facit propiùs accedere: atqui juxta conceptum iſtum dicere poſſumus, ſed præ veritate, quòd Maria declarabit & ſtabiliet ſummum dominium potentiæ Patris æterni, cùm in humiliationibus ſuis ipſa ſubjiciet ei non ſolùm perſonā ſuam, ſed etiam Filium quem ipſa concipiet in ſinu ſuo; & præſentabit ei nobiliſſimum votorum ſuorum, cùm offeret illi Filium, quem ipſa recenter pepererit, qui naſcens deferet coronam Patri ſuo, ſed coronam potentiæ, quam Pater æternus non reſervabit ſibi ſoli, ſed communicabit eam illi, quæ ipſi eam acquiſiverit; id eſt, Pater æternus communicabit authoritatem & poteſtatem, quam habebit ſupra Verbum incarnatum, B. Virgini, volendo ut Filius ſuus, qui ipſi erit ſubditus per cōditiones naturæ humanæ, & prout ſervus, ſit etiam *ſubditus* h Mariæ Matri ſuæ, prout verus Filius, ſicut & Joſepho Sponſo illius, & Patri ſuo nutricio: Maria igitur efficietur Regina eodem tempore quo Mater, ipſa acquiret imperiū quod elevabit ipſam ſuper perſonam Dei, qui ipſi exhibebit eoſdē honores, quos deferet ipſe Patri ſuo, propter poteſtatem quam ipſa acquiſiverit huic Patri. Sed præterea ipſa præbebit Regnum ſapientiæ Filio, ut videbimus in iſtâ ſecundâ parte.

e 1. Petr. 2, 9.

f Apoc. 5, 10.

g Dion. Carth. art. 4. in 1 Petr. 2, 9.

† ex Pſ. 115, 8.

h Luc. 2, 51.

II. Pars.

Etiamſi potentia ſceptra ſtabiliat in manibus Principū, violentia tamen aliquando ea illis abripit, & favor non ſemper tribuit illa meritis. Si ita ſe res haberet, nunquam videretur in mundo dominatio tyrannica: populi enim gubernarentur à ſapientibus, juxta vota Philoſophorū antiquorū, qui deſiderabant ut mundus regeretur ab illis, qui clariſſimis eſſent illuſtrati luminibus, quippe qui melioris capaces directionis: ita ut vocarent Rempublicam fœlicem eam, quā moderarentur Philoſophi, id eſt, ſapientes: non enim parùm intereſt ut Status politici habenas potiùs tractent viri, quos longū ſtudiū ſapientiæ & virtutis reddidit quietos & dominos ſuiipſorum, quā homines inquieti & inconſtantes, quia agitationibus ſuis ſunt incapaces ſuſcipiendi effectus alicujus boni luminis, quandiu illi diſpoſiti ſunt ad recipiendas influentias cœli, & bonæ intelligētiæ, quia animā præ ſe ferunt quietā. Electionis iſtius neceſſitas, ſeu gravitas patet nobis ex familiari cōparatione: Homines illi qui domini ſunt ſuiipſorū medio ſtudio ſapientiæ, ſimiles ſunt aquis illis quietis clariſſimi fontis: obſervamus enim, quòd ſi in illū fontē projiciamus lapidē, ſtatim formantur in aquarum illius ſuperficie innumeri exigui circuli, qui fontē illū coronant ſeſe extendendo, & cujus fontis veluti ſilentiū & quies non interrumpunt ſequelā parvorū iſtorū orbium, qui ipſi ſerviunt ornamenti loco, donec perfectè formati fuerint: è contrà homines illi inquieti & inſtabiles aſſimilantur magnis illis fluviis, quorum rapiditas fluctuum impedit & deſtruit iſtos orbes exiguos, quos lapis formaret, ſi aquæ illorum eſſent quietæ: ita verum eſt, quòd naturaliter imperium & regimen debetur & eſt committendū hominibus ſapientibus. Quòd ſi probatio iſtius Philoſophiæ, eſt rectæ rationi concinna, concludendū eſt, quòd imperium mundi debebatur Filio Dei Jeſu Chriſto jure nativitatis. Prout enim Deus, ipſe eſt Sapientia increata, & Verbū Divinū includens in eſſentiâ ſuâ omnia clariſſima lumina æternitatis, & originem omniū luminum creatorū: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei majeſtatis* i Sic prout homo, poſſidet etiā totā ſapientiā in plenitudine ſuâ propter unionē hypoſtaticā cum Verbo Divino, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* k. Jure merito igitur imperiū mundi pertinet ad Jeſū Chriſtum; in eo tamen non agnoſcetur, & ibi æquè citò inveniet rebelles, quorum *cor indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus* l, ac reperire ſubditos deberet: veniet *in propria, & ſui eum non* m *recipient*, de quibus nimirum prædixit Job n: *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus: nec reverſi ſunt per ſemitas ejus.* Et, *Quia lux veniet in mundum, & diligent homines magis tenebras quàm lucem: erunt enim eorum mala opera* o. Sed ipſe ſuſcipiet auxilium è duabus manibus, quæ ipſum adjuvabunt ad recuperandos Status ſuos; è manu Patris æterni, & è manu Mariæ Matris ſuæ: Pater æternus dabit ipſi id quod ipſe habet auguſtiſſimū, ut ſapientiā ſuam, ſcientiam ſuam, potentiam ſuam, & authoritatē faciendorum miraculorum: è contrà Mater ſua tribuet ipſi infirmitates, humiliationes, affectus dependētiæ, carnē paſſibilem & mortalē, & loco armorum non præparabit ipſi niſi flagella, ſpinas, funes, clavos, crucem, & lanceam p, quibus affligatur, & confodiatur. Ipſe priùs inſumet id quod ſuſceperit à Patre ſuo, miracula patrabit ſuper totam natu-

i Sap. 7. 26.

k Coloſſ. 2, 3. & 9.

l Job 41. 15.

m Joan. 1. 11.

n Job 24. 13

o Joan. 3. 19.

p Joan. 19. 1. &c.

q Joan. 1, 6. naturam q, & ſuper mortuos r, æquè ac pronunciabit oracula, & propalabit doctrinam
r Luc. 7. 14. ſuam, cùm aſcendet *in templum* & s docebit,
s Joan. 7. 14. ſed inutiliter. Mirabuntur *omnes quidem, ſed non omnes* t convertentur: id eſt, homines admirabuntur potentiam & ſapientiam illius, ſed
t S. Aug. tract. 29. in Joan. 7, 15. non diligent bonitatem ejus, nec inde capeſſent anſam agnoſcendi & adorandi illius; ſed è contrà carpent illinc multi occaſionem ejiciendi illius, & nedum agant illi gratias pro beneficijs
u Luc. 8, 37. quæ ab eo ſuſcipient, rogabunt *illum ut ab ipſis* u diſcedat. Sed cùm adhibebit arma, quæ ſuſcipiet à Matre ſuâ, ſtatim homines incipient eum agnoſcere: confeſtim ac Mater ſua reclinaverit *eum in præſepio, paſtores in regione eâdem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum,* venient *feſtinantes, & invenient Mariam, &*
x Luc. 2, 7. &c. *Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio* x, quem adorabunt. *Cùm ergo natus eſt Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venient Ieroſolymam, dicentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Ori-*
y Matth. 2, 1. & 2. *ente, & venimus adorare eum* y. Sed quantùmvis inopem vitam ſit paſſurus, & dictitus, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius*
z Matth. 8, 20. *autem hominis non habet ubi caput reclinet* z: perfectè non agnoſcetur tamen talis qualis eſt, niſi tollatur in crucem, ſicut ipſe dicet, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum* a. Seu, *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, id*
a Joan. 12, 32. *eſt, in cruce levatus, omnia genera hominum traham ad meipſum, non violenter, ſed amoroſè, id eſt,*
b Dion. Carth. art. 31. in Joan. 12, 32. *per fidem, & charitatem convertam eos ad me* b. Jeſus videns quòd nativitas quam ſuſcepit à Patre ſuo, eloquentia ſua, & miracula ſua nullo modo profuerint ad acquirendum ipſi imperium mundi; inſumet novum genus armaturæ, amplectetur panopliam omnigenarum paſſionum, tradet ſe manibus carnificum, corpus ſuum exponet flagellis *& ſpinis* dilaniandum, clavis per-
c Joan. 19, 1. &c. forandum, & *lanceâ* c aperiendum, ſed præ
d Matth. 27, 45. &c. & Luc. 23, 45. tantâ ſævitiâ ut tota natura ſit commovenda d, & illi qui aderunt huic ſpectaculo, *viſo terræ motu, & his quæ fient,* dicturi ſint, *Verè Filius Dei erat iſte* e. Id eſt, concludent ex omnibus
e Matth. 27, 54. iſtis alterationibus naturæ, eum eſſe verum Deum adorandum. Ecce Regnum ſapientiæ, quod Jeſus ſuſcipiet à Mariâ, quæ etiam ſceptrum amoris tribuet Spiritui ſancto, ut ſupereſt videndum.

III. Pars. Etianſi Spiritus ſanctus ſit Deus, ſicut aliæ duæ Perſonæ Divinæ, & in hâc conditione ſit Rex omnium creaturarum, quia Regnum Dei eſt indiviſum & commune tribus Perſonis SS. Trinitatis; videtur tamen ipſi deeſſe conditio, quæ maximè decet imperium ipſius: non enim imperat Deo, ſicut nec Pater æternus dominatur illi: ſed amor conciliabit ipſi id, quod felix neceſſitas impoſſibile reddit in æternitate: Spiritus ſanctus enim nihil producit in Trinitate, cùm ſit terminus beatus omnium Divinarum productionum: amor igitur dabit ſervum & ſubditum Spiritui ſancto in tempore: ille erit ſubditus dignus imperio ipſius, *Spiritus ſanctus*
f Luc. 1, 35. *ſuperveniet in te* f, inquiet Archangelus aliquando Mariæ. Quaſi dicturus ſit, quòd non ſit aliquid futurum in Jeſu Chriſto niſi digniſſimum opus Spiritus ſancti: Spiritus enim ſanctus formaturus eſt illius ſacrum corpus in viſceribus Mariæ, quin imò ipſe ſibi appropriabit iſtud opus, & ſuper hoc intendet imperium ſuum ſtabilire: *Quod enim in eâ naſcetur, de Spiritu ſancto* g erit. Spiritus ſanctus igitur acquiret imperium g Matth. 1, 20.
in conceptione, aut in nativitate Salvatoris, & Maria quæ naſcitur hodie, cùm concipiet *in utero & pariet Filium* h, dabit ſubditum Spiritui h Luc. 1, 31. & Iſai. 7, 14.
ſancto, & coronam imponet capiti ejus etiam: ipſa poteſt ergo dicere præ veritate, *Per me reges regnant* Spiritus ſanctus igitur ſtabiliet ſceptrum ſuum in perſona Jeſu Chriſti, quem Iſaias ſic introducit loquentem, *Spiritus* i *Domini ſuper me, eò quòd unxerit me* i. *Super me enim, id eſt,* i Iſai. 61, 1.
ſuper meâ humanitate, Spiritus Domini k requieſcet. Sic Jeſus Chriſtus obediet omnino voluntatibus ejus, ſequetur motus & impreſſiones iſtius Spiritus, qui erit per totam vitam illius, regula actionum ipſius: viſibiliter enim in ipſo regnaturus eſt Spiritus ſanctus. Videte ergo quomodo. k Cornel. in Iſai. 61, 1.

Sed, ut verum fatear, ſtupore me cient hæc verba, quibus Archangelus eſt promiſſurus intra tempus quoddam B. Virgini, quòd Filius, quem ipſa concipiet, & pariet, *erit magnus, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus: & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni ejus non erit finis* l. Tamen multùm difficile eſt conciliatu hoc promiſſum cum experientiâ, quâ l Luc. 1, 32. &c.
comprobabimus, quòd Jeſus Chriſtus naſcetur in ſtabulo m, quòd vitam tranſiget inopem, m Luc. 2, 7.
pauper, & in laboribus à juventute n ſuâ; & quòd n Pſ. 87, 16.
morte perimetur infami, æquè ac doloroſâ, in quâ cruciſigentur *cum eo duo latrones* o. Erit o Matth. 27, 38.
tamen facile vobis compoſitu promiſſionem iſtâ cum experientiâ, quam illius habebimus, ſi placeat vobis obſervare mecum, quòd David duos habuit thronos valdè oppoſitos. Primus fuit, *Poſtquàm mortuus eſt Saul* p, *cùm ſediſſet* p 2. Reg. 1, 1. &c.
Rex in domo ſuâ, & Dominus dediſſet ei requiem undique ab univerſis inimicis ſuis q. Iſte thronus q 2. Reg. 7, 1. &c.
fuit honoris & gloriæ: imperium enim ejus ſic fuit glorioſum, ut nemo eſſet qui tremore non concuteretur ad nomen Davidis, & ad rumorem armorum, & victoriarum ipſius. Secundus, fuit thronus infamiæ, miſeriæ, & humiliationis, nimirum cùm *ſurrexit David, & fugit à facie Saul* (qui ipſum perſequebatur) *& venit ad Achis Regem Geth, dixeruntque ſervi Achis ad eum cùm vidiſſent David, Nunquid non iſte eſt David Rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia? Poſuit autem David ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valdè à facie Achis Regis Geth. Et immutavit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ejus ſalivæ in barbam. Et ait Achis ad ſervos ſuos, Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad me? An deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, ut fureret me præſente? hiccine ingredietur domum meam* r? *Abiit ergo David inde, & fugit* r 1. Reg. 21, 10 &c.
in ſpeluncam Odollam. Quod cùm audiſſent fratres ejus, & omnis domus patris ejus, deſcenderunt ad eum illuc. Et convenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtiâ conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo: & factus eſt eorum Princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri s. Concilie- s 1. Reg. 22, 1. & 2.
mus nunc veritatem promiſſionis Spiritus ſancti cùm experientiâ, quam obſervabimus in Jeſu Chriſto venturo. Cùm ait Evangelium de illo, quòd ſeſſurus eſt ſuper thronum Davidis, iſtud non eſt hoc ſenſu intelligendum, quòd Salvator ſit dominaturus præ ſplendore gloriæ Davidis, & fortitudine armorum: ſed explicandum eſt

quantùm ad ſecundum thronum, ſuper quem ſedit idem David tempore afflictionum ſuarum, cùm convenerunt ad ipſum omnes afflicti Regni Iſraël, ut ipſum ſequerentur, ipſique obedirent ut Regi miſerorum : ſic Jeſus Chriſtus venturus eſt in mundum ad perficiendum id quod David inceperat, ſubſtituetur in thronum illius, efficietur Rex miſerorum, & ipſe qui non fuerat agnitus ab Angelis *t*, æquè ac ab hominibus *u* in ſtatu gloriæ ſuæ, trahet ad ſe populos, corda eorum ſibi conciliabit, cùm apparebit conſtitutus in neceſſitate & in miſeria; crux ipſius & tormenta, æquè ac lacrymæ quas effundet ibi, ſicut & in nativitate ſuâ, plures acquirent ei ſubditos, quàm fortitudo brachij ſui, imò verò quam miracula ſua, & tunc apparebit *in Gentibus, quia Dominus regnavit* x. Id eſt, *à ligno* y.

t Iſai. 54, 82 &c. *u* Gen. 3, 6. *x* Pſ. 95. 10. *y* S. Aug. in Pſ. 95, 10. S. Cypr. de Mõtibus S na & S.on & Tert. lib. 3. cont. Marcion. c. 19.

Quid igitur ſupereſt, niſi ut admiremur hanc ſummam Mariæ potentiam, quantum ad faciendos Reges. Ego autem peto à vobis : Quidnam in mundo cognoſcere potuiſtis, ex quo perveneritis in notitiam iſtius potentiæ? Totum eſt nihil coram Deo; ſi homines ſunt menſura totius, quales erunt homines, tale erit totum, *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputata ſunt : ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei* z. Hæc omnia non ſunt niſi inſtar exigui pulueris intuitu Dei. Sicut Deus mundum creavit unico verbo, quo mundos producere potuiſſet innumeros, ſic creans Mariam ad hoc ut eſſet Mater ſua, produxit illam talem, ut potentia ejus librari poſſit momentis & ſacomatibus excellentiæ infinitæ & illimitatæ. Sed licèt hæc B. Virgo electa fuiſſet in concilio æternæ Sapientiæ, *ab æterno ordinata* a, ut eſſet Mater Dei, etiamſi ipſa eſſet è progenie Regiâ *b*, & ipſa deſtinata eſſet ad faciendos Reges, ſcimus tamen illam futuram immunem ab affectibus erga terrena, victuram in ſummâ paupertate cum Filio ſuo quem ipſa eſt aliquando conceptura, & paritura, & cum illo multa paſſura, edoceamur inde contemnere terreſtria, honores mundi, & delicias ſenſuum ad imitationem ejus, & Filij illius, qui futurus Filius Davidis non eſt perventurus ad thronum gloriæ niſi per afflictiones *c*, per quas ſolas eſſe poſſumus *filij, & heredes Dei, coheredes autem Chriſti : ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur* d.

z Iſai. 40, 15. & 17. *a* Prov. 8, 23. *b* Matth. 1, 1. &c. *c* Luc. 24. 30. *d* Rom. 8. 17.

IN FESTO IMPRESSIONIS STIGMATVM IN CORPORE S. P. N. FRANCISCI.

Fortis eſt ut mors dilectio. Cant. 8. 6.

Debemus hodiernâ die proclamare veritatem iſtam, cùm ſit publica, quòd amor præ ſe in morem non fert fortitudinem quàm habeat interitus, cum vulnera infligat corpori Seraphici Patris mei S. Franciſci ſimilia eis, quæ alias intulerunt mortem Jeſu Chriſto *a*, qui eſt Dominus vitæ: *in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus* b. Mors non habet aliquid, quod amor non poſſideat, ſed cum prærogativâ : ſi mors habet falcem, amor eſt armatus ſagittis, & videmus illius ictus ſic admirabiles, ut confuſione operiant animos noſtros, & inducant populos ad adorandam omnipotentiam ipſius per impreſſiones quas facit ſuper hanc carnem innocẽtem iſtius Seraphini incarnati : *Quia fortis eſt ut mors dilectio.* Iſtud non eſt ſatis : potentior eſt, cùm de illâ triumphet : nec mirum, cùm triumphum referat vel de ipſo Deo : *O ſuavitatem, ô gratiam, ô amoris vim! Itane ſummus omnium unus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen non tam violentum? Amor eſt. Quæ eſt iſta vis, quæſo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam! Denique, Semetipſum exinanivit* c, *ut ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata eſt*, exclamat S. Bernardus *d*. Dei Filius ab hoc amore victus, exivit *à Patre, & in mundum venit*, & factus eſt mortalis *in utero f* B. Virginis, cùm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave Maria*.

a Pſ. 21, 18 & Joan. 19, 18 & 34. *b* Act. 17, 28. *c* Philipp. 2. 7. *d* S. Bern. ſerm. 64. in Cant. 2, 15. *e* Joan. 16. 28. *f* Luc. 1, 31. ex Iſai. 7, 14. *g* Luc. 1, 28.

Afferre probationes, & in medium adducere convenientias amoris cum morte ad juſtificandam veritatem propoſitionis iſtius, quòd ille non habeat minus fortitudinis quàm iſta, & quòd hæc æquè ac ille ſint ejuſdem & paris poteſtatis, hoc eſſet proculadubio injuriam irrogare oraculo Divinæ veritatis, cujus ego non ſum niſi organum, & interpres illius quod ipſa protulit, *Fortis eſt ut mors dilectio.* Cum illa nihil agat, quod hæc non exequatur : Mors occidit : & nonne dilectio infert interitum? Mors incutit horrorem, dicetis mihi; quin imò ſola vel ipſius cogitatio, terrore percellit quoslibet generoſiſſimos, *O mors quàm amara eſt memoria tua h!* Heu quàm moleſta eſt illius recordatio, & quantam amaritudinem cauſat eis, qui de ipſâ cogitant! Verum eſt, reſpondeo vobis, & hoc ingenuè fateor cum S. Bernardo *i* poſt Pſalmiſtam, quantùm ad impios, qui nollent mori, & mortem metuunt ut ultimum ſuppliciorum ſuorum, *Mors peccatorum peſſima. Mala in amiſſione mundi, quia non poſſunt ſine dolore ſeparari ab eo quem diligunt. Pejor in diſſolutione carnis, à quâ evelluntur eorum animæ à ſpiritibus malignis. Peſſima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuù ſimul addicuntur ignibus.* Propterea præfatus Eccleſiaſticus ubi dixit, *O mors quàm amara eſt memoria tua*, ſtatim ſubdit, *homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* Sed quantùm ad Juſtos, mors non habet aliquid auſteri, ipſa eſt tota ridens, & ipſius nuntium non eſt eis minùs dulce, nec minus illos conſolatur, quàm conſolentur occurſus auri illos, qui ſuas impendunt operas circa foſſilia. *Qui expectant mortem & non venit, quaſi effodientes theſaurum* k. Ipſi habent mortem in deſiderio, & vitam in patientiâ, cùm nihil æquè conſoletur ipſos ac ſua diſſolutio, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, In domum Domini ibimus*, ajebat Pſalmiſta *l*, quem quæſivit

h Eccli. 41, 1. *i* S. Bern. ſerm. 42. ex Parvis, ex Pſ. 33. 22. *k* Job. 3. 21. *l* Pſ. 121, 1.

Domini

1.Reg. 14.

Dominus ſibi virum juxta cor ſuum m. Et S. Bernardus opponens mortem Bonorum morti impiorum præfaturum, concludit, *E contrario Bonorum mors optima, quoniam quidem ſit ibi quies à labore, ſit jucunditas de novitate, ſit ſecuritas de æternitate.* Mors igitur eſt dulcis & amara, ipſa conſolatur & affligit ſimul: amor habet omnes iſtas qualitates, lætificat & affligit, habet dulcedines ſicut & amaritudines: *Improbus ſui provocator eſt amor, & dulcem agit in patientes tyrannidem*, ait Gillebertus n. Cùm non minor videatur in eo rigor quàm ſuavitas, nec ipſius dulcedo ſit major quàm ipſius amaritudo. Mala ipſius adæquant ipſius voluptates; ipſe ſic abundat ſatisfactionibus & doloribus, ut ſi vellem ei dare nomen ad exprimendas ipſius qualitates, neſcirem utrùm illud ſumerem è blanditijs, vel è rigoribus ipſius: ipſe non eſt minùs moleſtus illis qui experiuntur ipſius tyrannidem, quàm videtur eis jucundus: ipſe ſecum invehit ſeveritatem & ſuavitatem. Iſtud eſt certum, Auditores, quòd amor ſacer Jeſu Chriſti eſt dulcis & acerbus, conſolans & affligens: conſolationes ipſius ſunt mixtæ rigore, & vita quam nobis communicat, eſt ſemper unita morti: ipſe nos occidit ut nos vivere faciat, & vita ſemper præceditur à morte, *Ego occidam, & ego vivere faciam* o. Divinus iſte Cupido habet pharetram ſuam repletam ſagittis quæ lethaliter vulnerant: ipſæ occidunt, ſed ut meliorem vitam largiantur, *Dominus mortificat, & vivificat* p. Videbimus iſtos ictus in perſonâ Seraphici Patris mei S. Franciſci: intuebimur illum vulneratum, ut reſpiciamus illum tandem mori amore: conſideremus igitur mortem & vitam, acerbitatem & dulcedinem, dolorem & gaudium effectus amoris in progreſſu diſcurſus iſtius ex occaſione ictuum quos ab ipſo ſuſcipit Seraphicus Pater meus S. Franciſcus.

n Gillebert. ſerm. 19, in Cant. ſ. 10.

o Deut. 32, 39.

p 1. Reg. 2, 6.

Propoſitio.

Quòd amor ſacer, quòd ſancta dilectio habeat in ſe aliquid rude, quòd præ ſe ferat aliquem aculeum doloris ad pungendum ſubjectum cui ineſt, iſtud eſt quod me rapit in admirationem, & ſtupore me ciet. Res inaudita, quòd charitas, quæ non reſpirat niſi dulcedinem, quæ mavult pati malum, quàm illud patrare, & renunciare illi quod ad ſe pertinet, quàm rapere id quod non eſt juris ſui, quæ nulla habet conſilia ambitioſa, quæ emit pacem patientiâ & tolerantiâ omnium pœnarum, quæ nullam habet actionem contra injurias, quæ maledicta ſuſcipit non ſecus ac favores, & quæ credit univerſa, ſicut ait Apoſtolus q, *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non eſt ambitioſa, non cogitat malum: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet*: ſit tamen ſatis immitis ad inferendam mortem, & quòd tota humilis & patiens qualis ipſa eſt, ipſa perimat: & ſi Seraphicus Pater meus S. Franciſcus ſentit dolores ejus, ideò qoia ſuſcepit ictus illius; & ſi ipſe moritur, vitam amittit ab eâ vulneratus: charitas intulit illi mortem; & ſi non ita diu vixit, propterea quia nimis dilexit. Ignis iſte ſacer ſanctæ dilectionis quem ipſe fovebat in ſe, hæ flammæ Divinæ quæ ipſum inflammabant amore Dei ſui, conſumebant totum cor ipſius in hoc ſancto exercitio, quod ipſe nunquam interrupit à converſione ſuâ. Amor faciebat ipſum exire a ſe, ut ipſum meliùs uniret ſubjecto, quod ipſe diligebat: eſt enim proprium amori unire amantes, ſi non eſſentiâ, vel perſonâ, ſaltem conformitate cordium & voluntatum: *Hoc amoris verbum vim habet faciendi unum & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi. Dimovet etiam de ſtatu Divinum Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius r. Non vivebat ampliùs S. Franciſcus primâ vitâ ſuâ, cùm jam totus transformatus eſſet in dilectum ſuum, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat*, dicit Dionyſius Carthuſianus s. Et Scriptura ſacra t ſic loquitur de amore Jonathæ erga David, *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam.* Mors amoris S. Franciſcum privaverat omnibus functionibus hominis terreſtris, ut non relinqueret ampliùs ei actionem, niſi quoad cœlum: ipſe non erat ampliùs id quod ipſe fuerat, & ipſe erat id quod ipſe nunquam fuerat antea, *Charitas occidit quod fuimus, ut ſimus quod non eramus*, ait S. Auguſtinus u. Nemo enim poteſt mori primæ vitæ ſuæ, niſi interventu vulnerum, quæ ipſe ſuſcipit ab armis charitatis: propterea in Scripturâ x vocatur *Deus Charitas.* Nam ſicut Deus eſt Author mortis & vitæ, hæc virtus charitatis, quæ nos vivere facit, nos interimit, & producit in nobis duos effectus omnino contrarios eâdem potentiâ. S. Franciſcus eſt mortuus in ſe, & non habet ampliùs aliam vitam, niſi vitam dilecti ſui: Amor ſacer inflixit ei ictum, ſic ipſe affert illi remedium; potentia quæ intulit ei mortem, illum ſuſcitat ad meliorem vitam; *Ego occidam & ego vivere faciam, percutiam & ego ſanabo* y. Charitas æquè facilè vivere facit ac mori, & ictus ipſius, licet mortales, ſunt tamen utiles illis qui ipſos ſuſcipiunt: ipſa non vulnerat niſi eos, quos ipſa vult ſanare; & ſi ipſa mortem infert, ideò ut meliorem vitam conciliet: ſic eſt neceſſariò moriendum vitijs ad vivendum virtutibus, & præſentia gratiæ ſupponit ſemper abſentiam peccati, juxta axioma Philoſophicum, *Corruptio unius eſt generatio alterius.* Lapſus unius eſt reſurrectio alterius, deſtructio unius eſt ſtabilitio alterius, &, ut uno verbo dicatur, mors unius eſt vita alterius.

r S. Dion. lib. de Div. Nom. c. 4.

s Dion. Carth. art. 33. in Luc. 12, 34.

t 1. Reg. 18, 1.

u S. Aug. in Pſ. 121, 7.

x 1. Joan. 4, 16.

y Deut. 32. 39.

Felix & millies felix ille, qui vulneratur manibus amoris, qui in ſe ſuſcipit ictus ſacræ dilectionis, & quem ſancta charitas *poſuit quaſi ſignum ad ſagittam* z. Hoc eſt enim certum, quòd nunquam meliùs valemus, quàm cùm ſuſcipimus ictus ejus ſalutares æquè ac doloroſos: *Cùm enim infirmor, tunc potens ſuum*, ajebat S. Paulus a. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus b, *Cùm enim infirmor, id eſt, affligor, vel corpore langueo, tunc potens ſum in animâ, per gratiam ferendo adverſa.* Hoc eſt infirmari ac non percuti ictibus iſtis, & iſtud eſt non vivere ac non mori iſtâ morte, *Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram ſanitatem non poteſt pervenire*, dicit S. Auguſtinus c. Ha! Auditores quàm felix eſt S. Franciſcus, cùm manifeſtè vulnera charitatis deferat: hæc afficiunt eum dolore immodico, non eo inficias; ſed etiam quis neſciat quòd ipſa perfundunt illum ingenti gaudio & conſolatione? Amor ſacer eſt dulcis & acerbus, & ipſius vulnera ſuavitatem participant & amaritudinem. Vulnera igitur beata! Dolores millies deſiderabiliores omnibus voluptatibus ſenſuum, cùm ſint ingreſſus & aditus, per quos anima iſtius Seraphini incarnati ſuſcipit diluvium Divinarum conſolationum! S. Franciſcus defert charactêres Sponſi cœleſtis in corde ſuo, & in brachio ſuo, juxta deſiderium ejuſdem

z Thren. 3, 12.

a 2. Cor. 12, 10.

b Dion. Carth. art 12. in 2. Cor. 12, 10.

c S. Aug. in Pſ. 37, aliquantò poſt init.

q 1. Cor. 13, 4. &c.

Sponſi ſic ipſum priùs alloquentis, *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio.* Ipſe portat, inquam, inſignia illius, ut hoc objectum ſemper præſens oculis ipſius, jugiter foveat ipſius flammas; rigores dolorum ſuorum, & omnia incommoda quæ ipſe patitur è ſacris ſtigmatibus ſuis, ſunt ipſi totidem motiva conſolationis, quia hæc reddunt ipſi horam quaſi præſentem, quâ cœlum ipſi tribuit hanc gratiam incomparabilem: & in languoribus iſtis ipſe ſimilis eſt illi Duci, qui claudus effectus ex ictu ſuſcepto in quodam prælio, è quo ipſe victor evaſerat, dicebat quòd ſinguli greſſus ſui in ſuam memoriam revocabant gloriam ſuam. Amor ſacer igitur conſolatur & affligit ſimul, occidit & vitam largitur unà, vulnerat & conſequenter remedium ſanando vulneri congruum affert.

Si ſponſa ſacra eſt contenta ex unâ parte, ipſa languet ex alterâ: ipſa ſuſcipit omnia oblectamenta in agone, qui ipſam inducit ad querendum & ad habendum & proferendum ſermonē perſonæ morientis *Adjuro vos, filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei, quia*
d Cant. 5. 8. *amore langueo* d. Vel juxta LXX. *Quia vulnerata charitatis ego ſum.* Non eſt igitur ampliùs commentum dicere, quòd amor ſacer eſt armatus jaculis, cùm videamus illius ictus in perſonâ Seraphici Patris mei S. Franciſci, & Sponſa queratur ſe ſuſcepiſſe eos, *Quia vulnerata charitatis ego ſum.* Ita verum eſt, quòd nunquam perfectè Deum diligimus, donec vulnerati ſimus ſagittis iſtius Divini Cupidinis, cùm charitas ſancta nos redigat ſemper ad agonem ictu digno ſe, qui nos proſternit in terram, & vitam nobis avellit. Sed quid intereſt noſtrâ ut amittamus vitam peccatricem, cùm hæc non eripiatur nobis, niſi ut nobis tribuatur vita cœleſtis & Divina? Sagittæ charitatis ſunt jacula,
e Pſ. 44. 6. quæ, ſecundùm Pſalmiſtam e, vulneraverunt tot populos, qui deinceps viſi ſunt proſtrari ad pedes Jeſu Chriſti agnoſcere imbecillitatem ſuam, & confiteri potentiam ejus, *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* Iſtis ſagittis ipſe domuit nationes infideles, & ditioni ſuæ ſubegit voluntates rebellium: *Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille. Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine, quid*
f Act. 9. 1. &c. *me vis facere* f? Saulus ſtabat ut rebellis, qui audebat inſurgere in Deum, & reſiſtere Evangelio ejus: ſed quandiu hic inſolens ſibi pollicebatur ſe patraturum majus malum, Deus qui confundit conſilia hominum eo ipſo quo hæc glorioſiùs ſuccedere videntur ad eorum deſiderium, humiliavit iſtum ſuperbum ictu ſagittæ cœlitùs emiſſæ, eumque proſtravit, ait S. Auguſti-
g S. Aug. in Pſ. 44. 6. nus g poſt Pſalmiſtam præfatum. Et è victoriâ quam ipſe retulit de eo, ipſe nos edocuit, quòd anima non habet ampliùs potentias, quæ reſiſtant Divinæ Potentiæ, cùm ipſa eſt vulnerata charitate. Quàm felicia ſunt igitur hæc vulnera! quàm deſiderabilia ſunt! & utinam vulneraremur ſagittis ejus. Sacra Sponſa non queritur niſi de vulnere, quod, cùm eſſet abſconditum, videbatur accuſare amorem vel exiguæ fortitudinis, eò quòd non percuteret niſi clàm; vel quòd parùm conſuleret honori ſuo, quippe qui non manifeſtaret ictus, qui ſubjiciunt ipſi corda. ecce ipſe triumphat in Seraphico Patre meo S. Franciſco cū majori ſplendore & magnificentiâ: ipſe non eſt contentus alligare omnes cogitationes ejus, omnes ſenſus illius, univerſoſque affectus ipſius charo ſuo Crucifixo, eruere illi oculos nimiâ vi lacrymarum ad quas effundēdas illum inducit; ſed ulterius progreditur, & ut elevet trophæum victoriæ ſuæ, ipſe imprimit pedibus, manibus, & lateri ejus vulnera ſimilia eis, quæ Filius Dei ſuſcepit, poſtquàm *bajulans ſibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum, & unus militum lanceâ latus ejus aperuit* †. † Joan. 19. 17. &c.

Ad ampliorem intelligentiam illius quod peractum eſt in hoc myſterio amoris, obſervandum eſt id quod de iſto Seraphico incarnato canit Eccleſia b ex eo quod ſcripſit circa illud Seraphicus
S. Bonaventura, filius ipſius ſpiritualis: *Fidelis re verâ famulus & miniſter Chriſti Franciſcus, biennio antequàm ſpiritum redderet cælo, cùm in loco excelſo ſeorſum, qui mons Alverna dicitur, quadragenarium, ad honorem Archangeli Michaëlis jejunium inchoaſſet, ſuperna conſolationis dulcedine abundantiùs ſolito ſuperfuſus, ac cæleſtium deſideriorum ardentiori flammâ ſuccenſus, ſupernarum cœpit immiſſionum cumulatiùs dona ſentire. Dum igitur Seraphicis deſideriorum ardoribus ſurſum ageretur in Deum, & affectus compaſſivâ teneritudine in eum transformaretur, cui ex charitate nimiâ crucifigi complacuit: quodam manè, circa feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, in latere montis orans, vidit quaſi ſpeciem unius Seraphim, ſex alas tam fulgidas quàm ignitas habentem, de cælorum ſublimitate deſcendere; qui volatu celerrimo ad aëris locum viro Dei propinquum perveniens, non ſolùm alatus, ſed & crucifixus apparuit: manus quidem & pedes habens extenſos, & cruci affixos, alas verò ſic miro modo hinc inde diſpoſitas, ut duas ſupra caput erigeret, duas ad volandum extenderet, duabus verò reliquis totum corpus circumplectendo velaret. Hoc videns, vehementer obſtupuit; miſtumque dolori gaudium mens ejus incurrit, dum & in gratioſo ejus aſpectu ſibi tam mirabiliter quàm familiariter apparentis exceſſivam quandā concipiebat lætitiam, & dira conſpecta crucis affixio, ipſius animam compaſſivi doloris gladio pertranſibat* i. i ex Luc. 2. 35.
Intellexit quidem illo docente interiùs qui & apparebat exteriùs; quòd licet paſſionis infirmitas cum immortalitate ſpiritus Seraphici nullatenus conveniret: ideò tamen hujuſmodi viſio ſuis fuerat præſentata conſpectibus, ut amicus ipſe Chriſti prænoſceret, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti Ieſu crucifixi expreſſam ſimilitudinem transformandum. Diſparens itaque viſio, poſt arcanum ac familiare colloquium, mentem ipſius Seraphico interiùs inflammavit ardore: carnem verò Crucifixo conformi exteriùs inſignivit effigie, tanquam ſi ad ignis liquefactivam virtutem præambulam ſigillativa quædam eſſet impreſſio ſubſecuta. Statim namque in manibus & pedibus ejus apparere cœperunt ſigna clavorum, ipſorum capitibus in inferiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex adverſo. Dextrum quoque latus quaſi lanceâ transfixum rubrâ cicatrice obductum erat: quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens, tunicam

&

b Eccleſia ex S. Bonav. in Legend. S. Franciſ. c. 13.

Digitized by Google

& femoralia reſpergebat. A longo tempore vir iſte Seraphicus non cogitabat ampliùs niſi de morte Domini ſui, quam plangebat die ac nocte; cùm ſibi continuum feciſſet exercitium lacrymarum ſuarum, attenuatus longâ abſtinentiâ, doloribus confectus, lacrymis perfuſus, ſentiebat ſe urgeri vehementi deſiderio patiendi ad imitationem Domini ſui, ſolus in ſanctuario prætatæ ſolitudinis quò nemo præter ipſum habebat acceſſum, oculis in cœlum erectis, conſiderans in fervore ſpiritus Deum omnipotentem indutũ noſtrâ naturâ, & patientem mortem ignominoſam æquè ac doloroſam ad ipſum redimendũ, Heu, inquiebat ipſe ei, utquid aperire non poſſum venas meas? cur nõ honoror hâc glorioſâ prærogativâ, ut effundam ſanguinem meum pro obſequio tuo, ad commendandum amorem, quo te diligo? Salvator adorande, nunquid non mihi licebit ut moriar ſuper cruce ignominoſâ & doloroſâ ſimul, ſicut tu, clavis confoſſus, & lanceâ perforatus? Heu, quare formabo ſemper inutilia deſideria? Crux ſui Salvatoris amabilis, Auditores, quæ ipſi ſemper fuerat objectum compaſſionis, ciet ipſum amore: ipſe non vult ampliùs eam à procul aſpicere, ipſe ſe vult unire ei, ipſe vult illi inſeparabiliter adhærere; & quia nemo ſe offert ad ſatisfaciendum deſiderijs ipſius, & ad implendos ſanctos ardores, quibus ipſe ducitur intuitu mortis oppetendæ, ipſe queritur quòd homines, qui ſatis habuerunt crudelitatis ad non parcendum Creatori, ſe nimis mites oſtendunt creaturis illius. Deſideria Franciſci erunt efficacia, ipſa ſortientur effectus quos ipſe concupiſcit; ipſe crucifigetur, ſed manibus amoris: carnifices nullam ſibi partem vendicabunt in paſſione illius: oportet ut Seraphinus imprimat ipſi vulnera ipſius, & ſe reddat authorem ſupplicij & martyrij ipſius amoris. Heu! quantis amoris ducitur ipſe affectibus, videns Dominum ſuum ſub figura Seraphini crucifixi cruci ſuffixum: & quantis doloribus cruciatur, intuens illum clavis terebratum ſuper iſto ligno, & totum ſanguine opertum: dolor & gaudium dividunt cor ipſius, & in his diverſis motibus ipſe ſuſcipit ſatis voluptatum, & patitur ſatis pœnarum, ut ſe dicat beatum, & ſit miſer. Interim Seraphinus hic apparens, deſcendens uſque ad infimam aëris regionem, perforat ipſi pedes, manus, & latus radio penetrante, ibi facit vulnera ſimilis prorſus ſuis. Heu! quantos aculeos dolorum, ſed quàm inexplicabilia diluvia conſolationem cœleſtium & Divinarum experitur tunc hic amans ſacer, & quàm merito jure dicere poteſt Salvatori ſuo cum Pſalmiſtâ k, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meã.* Vel, juxta Dionyſiũ Carthuſianum l, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, id eſt, ſecundùm quòd multipliciter afflictus ſum corde pro juſtis cauſis, ſcilicet pro peccatis propriis, aut alienis, pro dilatione fœlicitatis æternæ, pro injuriâ Majeſtatis Divinæ: conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam, id eſt, multiformiter conſolatus es me conſolatione ſpirituali, occultâ, Angelicâ.* Hoc eſt, *quod dicit Apoſtolus* m, *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Et denuò n, *Benedictus Deus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtrâ.* Hinc alibi o *quoque ſcriptum eſt, Poſt tempeſtatem Domine, tranquillum facis, & poſt fletum exultationem infundis. Omnis nempe qui pro causâ honeſtâ affligitur, dummodò afflictionem ſuam æquanimiter toleret, omnemque carnalem ac vilem delectationem deſpiciat, promeretur conſolari à Domino tantò exuberantiùs, quantò abundantiùs dolet. Si igitur ad Divinarum conſolationum, quæ veræ dulciſſimæque conſiſtunt, guſtum pertingere nitimur, multarum tribulationum afflictionem perpeti non dedignemur, ſed gratulemur, quoniam ſi ſocii fuerimus paſſionis, & ſocii conſolationis, ſecundùm Apoſtolum* p, Auditores.

k Pſ. 93, 19.
l Dion: Carth: in Pſ. 93, 19.
m 2. Cor. 1, 5.
n 2. Cor. 1, 3. & 4.
o ex Tob 3, 22.
p ex 2. Cor. 1, 7.

Amor Jeſu acerbus & dulcis, affligens & conſolans, mori faciens & vitam largiens ſimul. Franciſcus patitur, ſed cum immodicâ voluptate, cum deliciis incomprehenſibilibus; ipſe perfunditur conſolationibus in eo quòd habet ipſe deſideriorum ſuorum implementum, quòd vota ſua ſortita ſunt effectum ſuum; & quòd amor ſuus qui non tendit niſi ad unionem, ipſum confundit & transformat in Dilectum ſuum, & quòd ipſe ſit totus illi. Franciſcus neſcit ampliùs, an ipſe vivat, vel moriatur, ipſe non eſt ampliùs ipſemet: amor, qui non eſt minùs fortis quàm mors, fecit ex ipſo fœlicem transformationem: Jeſus Chriſtus vivit in ipſo, & ipſe dicere poteſt, ſicut dicebat S. Paulus q, *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum r, *Vivo autem jam non ego, id eſt, poſtquàm confixus ſum cruci, vivo, & non vivo. Vivo enim non ſolùm vitâ naturæ, ſed gratiæ: non vitâ humanâ, ſed Divinâ: non vitâ carnali, mundanâ, & conſuetâ, ſed ſpirituali, cæliformi, ac novâ. Ideò ſubditur, Vivit verò in me Chriſtus, id eſt, non ſecundùm meipſum vivo, ſeu ago, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationem, voluntatem, atque doctrinam. Chriſtus ergo vivit in me, id eſt, regnat in animâ meâ, & poſſidet me, facitque me in ſe vivere. Vivere autem eſt actum vitalem habere. Amor verò transponit & mutat amantem in amatum. Dum ergo homo in Chriſti amore ſuccenditur, creſcit, & perficitur: moritur in ſemetipſo, quia non agit ſecundùm propriam voluntatem, ſecundùm naturalem inclinationem, ſecundùm privatum amorem, ſed ſecundùm Divinæ Charitatis inſtinctum, & Chriſti juſſionem, atque conſilium,* Auditores.

q Gal. 2, 20.
r Dion: Carth: art. 2, in Gal. 2, 20.

Quandiu anima Franciſci ſe totam transformat in Dilectum ſuum in quiete ecſtaſis, ipſa ſuſcipit illius affectus & voluntates, ſicut corpus ipſius præ ſe fert imaginem & charactères ſenſibiles illius. Franciſcus eſt crucifixus, & poſtquàm ſuſcepit hæc inſignia honorabilia, Salvator recedit, & ecce ipſe imago viva Filii Dei, quá nemo poteſt intueri, quin cogitet de myſterio noſtræ ſalutis. Quis inflixit ictum? quis vulneravit iſtud corpus? *Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potẽs, ſuaſu efficax* s. Actio & paſſio iſtius martyrii eſt æqualiter grata Deo: Jeſus eſt agens; Franciſcus eſt patiẽs: Jeſus facit vulnera; Franciſcus illa recipit. Quòd ſi petatis ab eo, ſicut aliàs Pater ęternus interrogabat Filiũ ſuũ per Zachariã t, *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuũ tuarũ?* ipſe vobis reſpondebit, ſicut iſte Filius chariſſimus reſpondit Patri ſuo, *His plagatus ſum in domo eorũ qui diligebant me.* Quaſi diceret, Dilectus meus me ſic vulneravit; Filius Dei, *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me* u, honoravit me ſacris iſtis vulneribus. Ha! quàm hinc ſum glorioſus: hinc ego deſumo totum motivum meæ fœlicitatis, & totam cauſam maximæ gloriæ meæ; *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto* x. Franciſcus eſt totus Jeſu

s S. Bern. ſerm 64. in Cant. 2. 15.
t Zach. 13, 6.
u Gal. 2, 20.
x Gal. 6, 17.

Chriſto, ipſe eſt velut alter Jeſus Chriſtus: en ipſe induit *novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis* y, non ſolùm in interiori, ſicut volebat S. Paulus, & Dionyſius Carthuſianus z, ſubdens his verbis iſtius Apoſtoli, *Induite novum hominem: Id eſt, ſimilitudinem Chriſti aſſumite, ejus ſequendo veſtigia: ſicut ſuperiùs* a *dictum eſt, Induimini Dominum Ieſum, hoc eſt eſſe virtutum & gratiæ adipiſci curate, ut quotidie in charitate & gratiâ proficientes, indeſinenter recentes & vigoroſi, imo in dies magis recentiores ſiatis*: ſed etiam in exteriori, modo admirabiliori, & cujus cogitationem nondum dederant ipſi ſuæ ecſtaſes. Id quod apparet in exteriori, nos inducit ad judicandum, quòd hæc vulnera erant jam formata in interiori, & in animâ ipſius, antequàm manus cœli ea impreſſiſſet membris ejus. Ignis interior exigebat iſtos caminos, & ſibi pandens aditum, cauſavit iſtas aperturas. Franciſcus, ut alter Saulus, *vas electionis eſt* b Quippe qui ſuſceptâ in ſe abundantiâ gratiarum, vult has effundere inter fideles, & inducere eos ad ſerviendum Deo, ad agendas ei gratias pro ſuis *laboribus à juventute* c ſuâ & paſſionibus, renovans in eis memoriam hujuſmodi paſſionum per notas illarum quas ipſe defert: *Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* d. Favor inſignis, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus impreſſerit ſacra dolorum ſuorum ſtigmata corpori iſtius Seraphici Patriarchæ, cùm non impreſſerit ea ut pœnam, cujus probrum & dolor ſerviunt ad punitionem criminis, ſed velut inſignia honorabilia ſuæ Divinæ dilectionis. Franciſcus eſt templum, in quo Jeſus Chriſtus vult adorari: *Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos* e. Ipſe eſt palatium, quod Salvator eligit in manſionem ſuam: ideò inſignit ipſum ſtemmatibus ſuis, quæ ſunt inſignia crucis: propterea Franciſcus ait, *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Sic S. Franciſcus, ut narrat Bonaventura, ab Angelo Seraphino Crucifixum alis ſuis continente, Chriſti crucifixi ſtigmata, id eſt, clavos per pedes, & manus, vulnuſque lateris inſtar Chriſti accepit, quia totus in Chriſti crucifixi amorem, imitationem, & obſequium tranſire geſtiebat*, ſubdit Cornelius f his verbis, quæ ſunt Apoſtoli.

y Epheſ. 4. 24.
z Dion. Carth. art. 4. in Epheſ. 4. 24
a Rom. 13. 14.
b Act. 9. 15.
c Pſ. 87. 16.
d Gal. 6. 17.
e 1. Cor. 3. 17.
f Cornel. in Gal. 6. 17.

Ad cognoſcendum quanti vir hic eximius æſtimat iſtum favorem, mementote, ſi placet, illius quod aliàs reſpondit Aman, amicus Regis Aſſueri, huic Monarchæ; *Rex ait illi, Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat? Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans quòd nullum alium Rex, niſi ſe, vellet honorare, reſpondit, Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus Regiis* g. Quaſi diceret, quòd Rex non poterat plùs honorare hominem, quàm illum ſuis induere veſtimentis. Ecce tota gloria, juxta ſententiam illius ambitioſi, quam Rex præbere poterat amico. Sed quid eſt illud, Auditores, niſi fumus exiguus vanitatis? Eſtne, ſi placet, tanta magnitudo ac deferre hominis mortalis veſtes, ut tanti ſit æſtimandus favor hujuſmodi? Ha! quàm major eſt honor Seraphici Patris mei S. Franciſci, quàm ſolidior, prout realior & verior. Ha! quàm fœlicius ipſe diligitur ab eo, qui *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium* h. Quippe qui impreſſa corpori ſuo defert authentica teſtimonia paſſionis ipſius, & ſigna viva vulnerum ipſius. Qualem honorem, & qualem reverentiam non meretur ab hominibus ſuſcipere? ſecundùm ſententiam Aman, *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus Regiis.* Quàm fœlix igitur eſt Seraphicus Pater meus S. Franciſcus, & quanta eſt gloria illius, cùm poſſideat hanc glorioſam prærogativam! Etiam, Auditores: hæc vulnera Seraphici Patris mei conſiderari debent à Chriſtianis ut veſtes Regiæ, quibus Dominus noſter operire voluit dilectum ſuum favore qui habet convenientiam cum illo, quo Aſſuerus remuneravit fidelitatem Mardochæi. Hæc vulnera, quibus S. Franciſcus eſt inſignitus, ſunt vulnera Filii Dei, & ſigna publica & honorabilia amoris ipſius erga ſervum ſuum Franciſcum, juxta id quod canit Eccleſia,

g Eſth. 6. 5. &c.
h Apoc. 19. 6.

Signaſti, Domine, ſervum tuum Franciſcum
Signis redemptionis noſtræ.

Hic amor, eſt agens in S. Franciſco: quidquid agit ipſe, procedit ex hoc principio, cùm amor ſit anima quæ facit agere, ſicut ait S. Auguſtinus i, *Pondus meum amor meus, eo feror quòcumque feror.* Hic amor, eſt patiens in hoc Patre Seraphico: ipſe comparitur doloribus Dilecti ſui, quem videt ipſe cruci ſuffixum. Hic amor, eſt uniens in illo: unit enim eum Deo, cum proprium ſit amori unire, ſicut audiviſtis ſuprà: & Philoſophia dicit, *Amor eſt unitivus: plùs unit potentia & objectum quàm materia & forma.* Atqui S. Franciſcus habebat ſemper præſentem *Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* k. Ille amor convertit & transformat illum in Salvatorem ſuum: eſt enim proprium amori reddere ſimiles, *Amor aut pares invenit, aut facit.* Dat ei vulnera ipſius: nam ignis manere non poteſt abſconditus: oportet ut ſe manifeſtet: propterea facit aperturas & caminos, ut exhalari poſſit, & ut reddat S. Franciſcum perfectam imaginem ipſius.

i S. Aug. lib. 13. Conf. c. 9.
k 1. Cor. 2. 2.

Deus operatus erat, & non habuerat requiem, donec feciſſet imaginem perfectam: uſque ad S. Franciſcum videbantur ipſius conſilia veluti non ritè ipſi ſucceſſiſſe. Fiunt imagines tripliciter, vel per ſimplicem picturam, vel per prominentis effigiei exſtantiam, vel per cælaturam. Primò, Per additionem, addendo colorem colori, & lineamentum lineamento. Secundò, Per ſubtractionem, ſicut agunt ſtatuarii, qui reſecant ſemper à materiâ circa quam operantur. Tertiò, Per cælaturam, cælo æs aut aliam materiam incidendo & ſcalpendo. Et tribus iſtis modis S. Franciſcus defert imaginem perfectam Jeſu Chriſti. Ipſe eſt imago per additionem, cùm Deus addiderit ipſi a converſione ſuâ ſemper novas gratias, & novos gradus meritorum. Ipſe eſt imago per ſubtractionem, cùm Deus ab eo reſecuerit illud omne quod erat in ipſo vitiorum & pravarum conſuetudinum vitæ ſuæ præteritæ, ablactando eum à divitiis, commodis, & ab omnibus voluptatibus vitæ vel innocentiſſimis. Ipſe eſt imago perfecta per cælaturam, cùm Jeſus Chriſtus in formâ Seraphini inflammati, intimè & profundè pedes, manus, & latus ejus radiis ſplendentibus tanquam cælis ſeu ſcalpellis inciderit, & quinque partibus iſtis corporis ejus charactères ſuæ paſſionis impreſſerit. En igitur ipſe perfecta imago Jeſu crucifixi.

Sic applicare ei poſſum poſt S. Bonaventuram l hæc verba Apocalypſis m, *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis habentem ſignum Dei vivi, Hunc Dei nuntium amabilem Chriſto, imitabile nobis, & admirabilem mundo, ſervum Dei fuiſſe Franciſcum,*

l S. Bon. in Prolog. Legend. S. Franciſc.
m Apoc. 7. 2.

indu-

indubitabili fide colligimus. Nomen Angeli, eſt nomen officii, non naturæ: Angelus idem eſt ac miſſus. Apoſtoli erant Angeli. Prælati etiam in Scripturâ vocantur Angeli, *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe* n. Sacerdotes ſimiliter, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt* o. Atqui S. Franciſcus eſt hæc omnia. Angelus eſt, cùm miſſus ſit, *Cùm lacrymoſis oculis intenderet in Dominicam Crucem, vocem de ipſâ Cruce delapſam ad eum corporeis audivit auribus, ter dicentem: Franciſce, vade, & repara domum meam, quæ, ut cernis, tota deſtruitur* p. Apoſtolus eſt, *Franciſcus vir totus Apoſtolicus* q. Habet ſcientiam, ſicut Sacerdotes, nam influxit, ut Caput, ſuper omnia membra ſua: ipſe fuit Doctor Seraphicus cum S. Bonaventurâ, Subtilis cum Scoto, Irrefragabilis cum Alexandro de Halez, &c. Præterea, Angelus: *Si culmen in eo eximiæ ſanctitatis advertimus, quâ inter homines vivens imitator fuit puritatis Angelicæ, quâ & poſitus eſt perfectis Chriſti ſectatoribus in exemplum* r. Franciſcus igitur eſt Angelus, ſed qui defert charactêres Dei viventis. Non peto à vobis, in quo, & an ſit pluſquàm homo, cùm non vivat ſecundum maximas mundi, ſciens apprimè quòd *ſapientia hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum* s: præcipiens ſuis, ut foderent in terram plantas cum radice ſurſum, ad innuendum, quòd filii ſui ſpirituales jacere debebant radices ſuas in cœlum, & ſic diſponere ſuam obedientiam. Angelus paupertate, relinquens *omnia, &* t ſequens Chriſtum. Deus, eſt Deus, quia nullâ re indiget u, & eſt independens ab omnibus x: Franciſcus nihil poſſidet, ubicumque ſit. Ipſe habet inſignia Dei viventis, quæ ſunt ipſius vulnera: ipſe aſſimilatur ei. Si enim Filius Dei annunciatur ab Angelo y; ſic & S. Franciſcus: Si ille naſcitur in ſtabulo z; & hic ſimiliter: Si *Ieſus transfiguratus eſt* a; ita Franciſcus transformatus eſt in curru igneo: Si *accepit Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantùm volebant* b: *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum* c in deſerto: ſic Franciſcus in primo ſuo Capitulo generali habito in agro Aſſiſii, ſatiavit quinque millia Fratrum ſuorum: Si carnifices *foderunt manus & pedes* d Jeſu, & *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* e; Franciſcus ait, *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* f. Quæ Dei Filius ei imprimit in formâ Seraphini inflammati, qui ipſum reddit *alterum Angelum habentem ſignum Dei vivi* g.

n Apoc: 2, 1.
o Malach: 2, 7.
p S. Bon: in Legend: S. Franciſc. c. 2.
q Eccleſia in ejus officio ex S. Bon.
r S. Bon: in Prolog: Legend. S. Franc.
s 1. Cor: 3, 19.
t Matth: 19, 27.
u Pſ: 15, 2.
x Exod: 3, 14.
y Luc: 1, 31, &c.
z Luc: 2, 7.
a Matth: 17, 1.
b Joan: 6, 11.
c Matth: 14, 21.
d Pſ. 21, 18.
e Joan: 19, 34.
f Gal: 6; 17.
g Apoc: 7, 2.

Cùm favor iſte ſit ſingularis, ita ſingularem debemus ei reverentiam, conſiderando eum ut Signiferum Filii Dei in terrâ, & eum qui repræſentat meliùs myſteria ineffabilia paſſionis ejus, cujus ſuſcepit ipſe vulnera in membra ſua privilegio amoris, qui transfiguravit ſervum in Dominũ ſuum, faciens eum mori in ſeipſo, ut non viveret ampliùs niſi in Jeſu dilecto ſuo. Vita & mors ſimul! Unà vivens & moriens! Vita ipſius, erat mors per paſſiones ſuas ordinarias, quæ nõ erant tolerabiles niſi zelo Seraphini incarnati, & quæ tandem exhauſiſſent patientiam communem: & hæc mors ordinaria, erat ipſi vita dulciſſima propter oblectamentum indicibile, quo ipſe perfundebatur, videns ſe inſignitum characteribus Domini ſui, & dignum ut pateretur aliquid propter amorem ejus, qui operabatur in ipſo eoſdem effectus quos mors, *Quia fortis eſt ut mors dilectio.* Sed quàm fœlices eſſemus, Auditores, ſi eadem cauſa operaretur in nobis eoſdem effectus, quos produxit in S. Franciſco! quàm precioſa eſſet iſta mors, cùm mori nos faciens in nobis ipſis, vivere nos faceret in Jeſu Chriſto! Ens noſtrum nobilitaretur, cũ operationes ejus eſſent Divinæ. Amor facit iſtas fœlices transformationes. Diligamus, more S. Franciſci, & transfigurabimur, inſtar illius, in Dilectum noſtrũ; compatiamur doloribus Jeſu crucifixi, ut, ſi non meremur ferre foris ſtigmata paſſionis ejus, ſaltẽ ſuſcipiamus intùs eorũ impreſſiones. Hoc eſt conſiliũ Dei: amor infliget ictũ, ſi nos inveniat paratos, inſtar S. Franciſci, ad ipſum ſuſcipiendum. Toti ſimus ei, ut Franciſcus, & ipſe nos inſigniet charactêre ſuo ut rem ſuam, honorans nos paſſionibus ſuis: ſic erimus triſtes & conſolari, & in hoc ſtatu dolorum & gaudiorum, dicemus verè quòd moriamur amore, ſicut S. Franciſcus, ut vivamus in Jeſu hîc per gratiam, & aliquando per gloriam.

IN FESTO S. P. N. FRANCISCI.

Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Gen. 2. 18.

ANtiquitas æquè ſolers conſiliis ſuis, ac provida judiciis ſuis, non minoris æſtimavit aliàs induſtriam illius artificis, qui explicuit ſcientiam ſuam ſuper parvum & breviatum ſubjectum, quàm alterius, qui petebat montes integros, ut ex iis faceret opus manuum ſuarum ſubtiliſſimum. Myrmecides defert palmã, & ſemper præferetur in parvitate laboris ſui, magnitudini illius, qui unâ manu includebat civitatem, & ex alterâ videbatur exhaurire fluvium: hic labor, ſeu opus iſtud hujus ultimi, erat ſtatua Alexandri ſculpta ex alto & prærupto monte: ſed induſtria primi meliùs apparuit in exiguo & breviato opere ſuo, *Myrmecides, inſignis ſculpendi eboris artifex fuit*, ait Calepinus a, *qui quadrigam ex ebore confecit adeò minutam, ut muſcæ alis tegeretur, & navim, quam apicula pinnis abſconderet. Plin. lib. 36. cap. 5. Myrmecides, cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis muſca. Cic. 4. Acad. ut etiam inter Deos Myrmecides minutorum opuſculorum fabricator fuiſſe videatur.* Opus iſtius fuit excellens; cùm acquiſiverit illi gloriam velut inveniendi loci inter falſa Numina: quod non fuit de illo altero propter illum coloſſum immodicæ magnitudinis, unde deſumebatur motivum excellentiæ ipſius, æquè ac admirationis omnium illorũ, qui in opus ſic ingens ſuos projiciebant oculos: Deus, cujus ſapientia & magnitudo nihil æquè æſtimat ac parvitatem voluntariam hominum: *Super quem (inquit,) requieſcet Spiritus meus niſi ſuper humilem, & quietum* b: ſic extollit hodie humilitatem S. Franciſci, minimi omnium, & Patriarchæ Minorum; ut inde educat occaſionem manifeſtandæ gloriæ ſuæ, & comparandarum ſibi reverentiarum noſtrarum; ipſe eligit eum inter multos, ut faciat illum depoſitorum ſuorum myſteriorum cuſtodem, & opus eximium potentiæ ſuæ, cujus magnitudo nihil habet commune cum depreſſione ipſios; & ſic excellens,

a Calepin. in Diction. V. Myrmecides.
b S. Bern. hom. 1, ſuper Miſſus eſt. ex Iſai. 66. 2.

in latere montis vidit Seraph unum ſex alas habentem tam ignitas quàm ſplendidas de cœlorum ſublimitate deſcendere. Cùmque volatu celerrimo perveniſſet ad aëris locum viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi in modum crucis manus & pedes extenſos habentis & cruci affixos. Intellexit tandem ex hoc Domino revelante, quòd ideò hujuſmodi viſio ſuis fuerat præſentata conſpectibus, ut amicus Chriſti prænoſceret, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti crucifixi ſimilitudinem transformandum. Diſparens igitur viſio, mirabilem in corde ipſius reliquit ardorem, ſed in carne non minus mirabilem ſignorum impreſſit effigiem. Statim namque in manibus ejus & pedibus apparere cœperunt ſigna clavorum, quemadmodum paulò antè in effigie illâ viri crucifixi conſpexerat. Dextrum quoque latus quaſi lanceâ transfixum rubrâ cicatrice obductum erat, quod ſæpè ſanguinem ſacrum effundens, tunicam & femoralia reſpergebat, ait S. Bonaventura u.

u S. Bon. in Legẽd. S. Franciſc. c. 13.

Timerem ne haberer ut temerarius in propoſitione meâ, niſi Deus cautam præſtaret ratiocinationem meam. Verum eſt, & hoc non ignoro, quòd cùm merita Dei ſint infinita, quia ipſe *non habet finem* x, ipſe non indigebat auxilio in laboribus ſuis: iſtud vel ſolùm cogitare, eſſet crimen quod abſolvere nollem a ſacrilegio, ſic eſſet ipſius cogitatio criminoſa. S. Franciſcus non eſt cauſa meritoria noſtræ reparationis, ſed impetratoria gratiarum, quæ nobis neceſſariæ ſunt ad operandam ſalutem noſtram: ipſe eligitur ut inſtrumentum ad hoc ut ſerviat loco adjutorij conſilijs Filij Dei, potenter cooperando ſaluti animarum ad reparandam *Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo* y idem Filius Dei. Quòd ſi S. Paulus z. ſcribens Corinthijs, ſe vocabat abſque vanitate, & ſine timore reprehenſionis incurrendæ, cooperatorem Dei, eò quòd collaboraſſet ad reductionem errantium: *Dei enim ſumus adjutores*: quare non vocabo S. Franciſcum adjutorium Dei in acquiſitionibus ipſius? coadjutorem ipſius? Quis autem unquam cooperatus eſt ei cum majori ardore, cum pluribus lacrymis & ſuſpirijs? Aſſumo teſtes iſtius veritatis ſolitudines, quæ non reſonant niſi planctibus ejus. Loquimini, rupes, loquimini in favorem Seraphici Patris mei. Mons Aluerna, dic admirabiles affectus iſtius Amantis Divini: Franciſcus verbum vobis erogat. Ha! Echo veſtra reſonans, ſatis jus cauſæ meæ juſtificat. Ipſe dicere poteſt hominibus jure merito id, quod Iſraëlitis Moyſes dixit, *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos* a. Ipſe impetrat eis admirabilem hanc indulgentiam Portiunculæ, ſeu Eccleſiæ Dominæ Angelorum: ſic ipſe ſe opponit fulminibus Dei, ut ipſemet Deus dicere videatur ipſi, ſicut aliàs dixit *ad Moyſen: Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos* b. Ipſe ardet amore erga homines, ipſe vult eorum ſalutem in diſpendium vitæ ſuæ; flammæ ſuæ ipſum conſumunt, & deferunt iſtum inter infideles, ut ſit victima rigoris illorum, vel cauſa felicitatis eorum: ipſe mori vult eâ conditione, ut illi vivant; ipſe mori vult conſcius criminis apparenter, quoad corpus, ut faciat eos naſci innocentes, quoad animam: ipſe vult ut ſanguis ſuus ſit ſemen ſalutis eorum, & cauſa impetratoria productionis & nativitatis illorum, quantùm ad animam: *Ferventi charitatis incendio glorioſum ſanctorum Martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Deſiderabat proptereà & ipſe illâ perfectâ charitate ſuccenſus, quæ foras mittit timorem* c, *per martyrij flammam hoſtiam Domino ſe offerre viventem* d, *ut vicem Chriſto pro nobis morienti rependeret, & ad Divinum Amorem cæteros provocaret. Sexto namque converſionis ſuæ anno deſiderio martyrij flagrans, ad prædicandam fidem Chriſtianam, & pœnitentiam Saracenis, & alijs infidelibus ad partes Syriæ transfretare diſpoſuit,* ait S. Bonaventura e. Qui poſt multa concludit in favorem iſtius Martyris deſiderio, *Sic utique factum eſt, ut ignis ille Divinus adhuc perfectiùs ipſius æſtuaret in corde, ut pòſt potentiùs evaporaret in carne. O verè beatum virum, cujus caro & ſi tyrannico ferro non cæditur: occiſi tamen Agni* f *ſimilitudine non privatur! O (inquam) verè ac plenè beatum, cujus animam & ſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit!*

x Baruch 3. 25.

y Act. 20, 28.

z 1. Cor. 3, 9.

a Deut. 5, 1. & 5.

b Exod. 32, 9. & 10.

c ex 1. Joan. 4, 18.

d ex Rom. 12, 1.

e S. Bon. in Legẽd. S. Franciſc. c. 9.

f ex Apoc. 5, 12.

Ipſe eſt adjutorium Dei in reparatione mundi, &, prout talis, generoſè perfungitur his munijs ad commendandos labores ſuos, quos fecit conducere ad honorem Domini ſui, qui ipſum judicavit idoneum & reddidit dignum ſic alto miniſterio, qui ipſum aſſociavit voluntariè in conſilijs, quæ ipſe habuit reparandi mundi. Et cùm ſit proprium manui omnipotenti, & quæ non habet alios terminos ad ipſam limitandam, niſi ſolam ſuam voluntatem, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terrâ* g, dare gratias congruentes dignitatibus & officijs, ad quæ elevat amicos ſuos, ut cum honore poſſint obire munia, quæ pendent ab ipſius authoritate abſolutâ, ſicut eorum bonus ſucceſſus ab ipſius providentiâ, *Idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti*, dicebat S. Paulus h: ſic & dat S. Franciſco omnia media apta & neceſſaria ad executionem ita digni officij, reddit eum vivam imaginem ſuam, tribuit illi poteſtatem ſuam: & ſic S. Franciſcus defert ſui Principis charactères: *Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* i. Et ſicut Giezi baculo Domini ſui Eliſei operabatur eadem mirabilia, quæ iſte Propheta k: ſic Franciſcus, hic humilis ſervus, in commiſſione quam ſuſcepit, tantum poteſt, quantum Dominus, qui eam ipſi tribuit: cùm ergo ſuſceperit eandem poteſtatem, ipſe reparat ruinam iſtius ædificij, cujus Dominus ſuus fuerat primus Architectus l, qui dicit ipſi ter: *Franciſce, vade, & repara domum meam, quæ, ut cernis, tota deſtruitur* m. Et nonne hoc, eſt eſſe adjutorium Dei ac conſervare id quod ipſe fecit? Gloria primæ productionis illius, debetur abſolutè Deo, ſicut gloria conſervationis ejus eſt attribuenda Franciſco, cum dependentiâ tamen à Deo: *Conſervatio eſt continuata productio.* S. Franciſcus eſt hic myſticus Atlas, qui ſuſtinet hanc magnam machinam, cuius eſt *onus Angelicis humeris formidandum*, ait Concilium Tridentinum n. *Chriſti Vicarius Dominus Innocentius III. videbat namque in ſomnis, ut retulit, Lateranenſem Baſilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus modicus & deſpectus proprio dorſo ſuumiſſone caderet ſuſtentabat. Verè, inquit, hic eſt ille, qui opere & doctrinâ, Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam*, dicit S. Bonaventura o.

g Pſ. 134, 6.

h 2. Cor. 3, 6.

i Gal. 6, 17.

k 4. Reg. 4, 29.

l Matth. 16, 18.

m S. Bon. in Legẽd. S. Franciſc. c. 2.

n Con. Trid. ſeſſ. 6. decret. de Reformat. & Reſidẽt. c. 1.

Eſt igitur officium Franciſci, iſtius adjutorij Dei, ſitum in conſervando eo quod Deus ædificavit, & in deſtruendo illo quod Deus vult diſſipare: ſic ipſe bellum ſine inducijs indicit om-

o S. Bon. in Legẽd. S. Franciſc. c. 3.

nibus vitijs, quæ, veluti tot hoſtes, opponebant ſe conſilijs ipſius, ad attendẽdam eorum tulnam: ipſe reſiſtit omnibus inſultationibus eorum, &, ſicut alter Matathias, qui videns ſui *contritionem populi, & contritionem civitatis ſanctæ, Sancta in manu extraneorum ſacta; templum ejus ſicut homo ignobilis; ſcidit veſtimenta ſua, & filij ejus; & operuerunt ſe cilicijs, & planxerunt valde: & exclamavit voce magnâ in civitate, dicens, Omnis qui zelum habet legis ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me; Et fugit ipſe, & filij ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate: Tunc deſcenderunt multi quærentes judicium & juſtitiam, in deſertum; & ſederunt ibi, & filij ejus, & mulieres eorum, quoniam inundaverunt ſuper eos mala* p:

p 1. Mach. 2. v. &c.

ipſemet cum filijs & filiabus ſuis ſpiritualibus relinquit *omnia*, & q ſequitur Chriſtum, ad ſerviendum Deo commodiùs, ad reædificandum templum, quod vitium hominum diſſolutorum deſtruxerat.

q Matth. 19. 27. &c.

S. Franciſcus explicuit vexillum Crucis, quæ ſervit loco confuſionis & ſtultitiæ ſapientibus terræ, *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*, dicebat S. Paulus r. Et vix ſignum datum eſt, cùm turmæ innumeræ congregatæ ſunt, & dederunt nomen ſuum militiæ & Religioni, quæ non pollicetur militibus & filijs ſuis, niſi paſſiones in terrâ s, ut mutentur aliquando in gloriam *in terrâ viventium* t, quæ debet eſſe ipſorum hæreditas. Et ut certamen eſſet fortius contra poteſtates inferni, ipſe congregat omne genus hominum, virorum & mulierem, Regularium, & ſæcularium, ut erigant trophæa & victorias ſuper ſpolia & ruinas conſiliorum Poteſtatum illarum, rapientes cœlum, quod *vim patitur* u. Et ſicut in principio mundi, *dixit Dominus Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*: ita dedit S Franciſco adjutorium ſpirituale, nimirum S. Claram, ad adjuvandum illum in conſilijs ſuis, & ad perducendum utrumque ſexum in cœlum; non ſecus ac Adæ dederat Evam in adjutorium ad replendum mundum.

r 1. Cor. 1. 23.
s Matth. 10. 38.
t Pſ. 141. 6.
u Matth. 11. 12.

Quòdſi mentibus veſtris nondum eſt ſatisfactum quoad elucidationem meæ propoſitionis, ecce nova lumina, quæ vobis clarè manifeſtabunt excellentiam officij ejus, quod reverentiam cauſat Angelis, & cujus magnitudo vel eoſdem ipſos Angelos admiratione ciet & ſtupore, cùm ipſe teneat id omne, quod habet ipſe eminens, à Deo, cujus exercet ipſe miniſterium. Quis enim, quæſo, reſtaurare poſſet illius Eccleſiam poſt ruinam ejus, niſi ille qui fuit primus ejus Architectus nimirũ Jeſus Chriſtus, ſicut ipſemet hoc dixit S. Petro, qui futurus erat illius viſibile Caput? *Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* x. Hoc erat igitur opus manuum Dei, & reſervatum ſoli potentiæ ejus: nam cùm aliquod magnificum ædificium minatur ruinam, vocatur architectus qui illud fecit, qui meliùs cognoſcens illius defectus, ei afferet meliora & fortiora fulcra: Jeſus Chriſtus debebat igitur denuò deſcendere è cœlo, ad reparandas ſanguine ſuo ruinas Eccleſiæ, quam ipſe ædificaverat, *quam acquiſivit ſanguine ſuo* y eodem; quippe *ſacta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis*, ut ait S. Auguſtinus z: eamque reſtituere in primum ſtatum ſuum. Nolite autem dicere mihi, quòd perſæpè praxis ita non eſt in uſu, cum aliquando videamus illius contrarium: nolite, hoc mihi allegare: nam quædam ſunt opera ſic delicatè & tantâ induſtriâ elaborata, ut requirant eandem manum, quæ ipſa fecit, ad hoc ut reſtituantur in priſtinum ſtatum ſuum poſt ruinam ſuam, Eccleſia Jeſu Chriſti habet convenientiam cum hujuſmodi operibus eximijs, cùm nemo, niſi ipſe, qui eam ædificavit, poſſit illam deducere, & illam reſtituere in primum ſtatum ſuum poſt jacturas ſuas: tempore S. Franciſci, hic admirabilis ordo quem Salvator in eâ inſtituerat, erat deperditus; non erat in eâ aliquid ampliùs regulare, omnia erant ibi deordinata; Jeſus Chriſtus erat neceſſarius ad illius reformationem: debebat igitur propter hunc eminentem effectum redire è cœlo in terram, ſicut neceſſitas Eccleſiæ Sponſæ ſuæ hoc requirebat: ipſe non venit in perſonâ, ſed miſit Vicarium ſuum S. Franciſcum, alterum ſeipſum, ſecundum Jeſum Chriſtum in terrâ, ad ſupplendum in ipſius abſentiâ, & faciendum ipſius authoritate id omne, quod feciſſet ipſemet per præſentiam ſuam. Ipſe venit cum totâ poteſtate Domini ſui, ipſe defert notas ſui Principis, quæ ſunt probationes ſuæ commiſſionis: ipſe eſt inſignitus vulneribus Regis ſui, ad hoc ut recipiatur ut alter ipſemet, & mundus cognoſcat per operationes ipſius, quæ accedunt ad Divinitatem, quòd ipſe eſt adjutorium Dei, cùm obſerventur inter utrumque ſic admirabiles convenientiæ, ut non videantur hæ ampliùs facere niſi ex ambobus unum: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri diebus iſtis noviſſimis in ſervo ſuo Franciſco omnibus verè humilibus & ſanctæ paupertatis amicis, qui ſuperaffluentem in eo Dei miſericordiam venerantes, ipſius erudiuntur exemplo, impietatem, & ſecularia deſideria funditus abnegare, Chriſto conformiter vivere, & ad beatam ſpem a deſiderio indeſeſſo ſitire. In ipſum namque ut verè pauperculum, & contritum, tantâ Deus excelſus benignitatis condeſcenſione reſpexit* b, *quòd non ſolùm de mundialis converſationis pulvere ſuſcitavit egenum* c: *verùm etiam Evangelicæ perfectionis Profeſſorem, Ducem, atque Præconem effectum, in lucem dedit credentium* d; *ut teſtimonium perhibendo de lumine* e, *viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim quaſi ſtella matutina in medio nebulæ* f, *clarus vita micans, & doctrinæ fulgoribus, ſedentes in tenebris, & umbrâ mortis irradiatione præfulgidâ direxit* g *in lucem, & tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ* h *ſignum in ſe Dominici fœderis repræſentans, pacem, & ſalutem evangelizavit hominibus, exiſtens & ipſe Angelus veræ pacis: ſecundùm imitatoriam quoque ſimilitudinem Præcurſoris deſtinatus à Deo, ut viam parans* i *in deſerto altiſſimæ paupertatis tam exemplo quàm verbo pœnitentiam prædicaret: primùm ſuperna gratiæ præventus donis, dehinc virtutis invictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus ſpiritu, necnon & Angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & ut vir hierarchicus curru igneo ſurſum vectus, ſicut ex ipſius vitæ decurſu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur veniſſe in ſpiritu, & virtute Eliæ* k. *Ideòque alterius amici Sponſi* l, *Apoſtoli, & Evangeliſtæ Ioannis vaticinatione veridicâ ſub ſimilitudine Angeli aſcendentis ab ortu ſolis, ſignumque Dei vivi habentis aſtruitur non immeritò deſignatus. Sub apertione namque ſexti ſigilli, Vidi, ait Ioannes in Apocalypſi* m, *alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi. Hunc Dei nuntium amabilem Chriſto, imitabilem nobis*

x Matth. 16. 18.
y Act. 20. 28.
z S. Aug. conc. 4. in Pſ. 103. ex Joan. 19. 34.
a ex Tit. 2. 11. &c.
b ex Iſai. 66. 2.
c ex 1. Reg. 2. 8.
d ex Iſai. 49. 6.
e ex Joan. 1. 7.
f ex Eccli. 50. 6.
g ex Luc. 1. 79.
h ex Eccli. 50. 8.
i ex Luc. 3. 4. & ex Iſai. 40. 3.
k ex Luc. 1. 17. & ex 4 Reg. 2. 11. &c.
l ex Joan. 3. 29.
m Apoc. 7. 2.

Digitized by Google

nobis, admirabilem mundo, ſervum Dei fuiſſe Franciſcum, indubitabili fide colligimus; ſi culmen in eo eximiæ ſanctitatis advertimus, quâ inter homines vivens imitator fuit puritatis Angelicæ, quâ & poſitus eſt perfectis Chriſti ſectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter ſentiendum, & piè, non ſolum inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum, & planctum, calvitium, & cingulum ſacci n, ſignandique thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium o ſigno pœnitentialis crucis, & habitus cruci conformis: verùm etiam irrefragabili veritatis teſtificatione confirmat ſignaculum ſimilitudinis Dei viventis, Chriſti videlicet crucifixi: quod in corpore ipſius fuit impreſſum, non per naturæ virtutem; vel ingenium artis: ſed potiùs per admirandam potentiam Spiritus Dei vivi, ait S. Bonaventura p.

Suppoſito eo quod ait Scriptura q, *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam:* S. Thomas r docet, *Quòd imago Dei tripliciter poteſt conſiderari in homine. Vno quidem modo ſecundùm quòd homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum & amandum Deum. Et hæc aptitudo conſiſtit in ipſâ naturâ mentis, quæ eſt communis omnibus hominibus. Alio modo ſecundùm quòd homo actu vel habitu Deum cognoſcit & amat, ſed tamen imperfectè. Et hæc eſt imago per conformitatem gratiæ. Tertio modo ſecundùm quòd homo Deum actu cognoſcit & amat perfectè. Et ſic attenditur imago ſecundùm ſimilitudinem gloriæ. Vnde ſuper illud Pſalmi s, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, Gloſſa diſtinguit triplicem imaginem, ſcilicet, creationis, & recreationis, & ſimilitudinis. Prima ergo imago invenitur in omnibus hominibus. Secunda in Iuſtis tantùm. Tertia verò ſolùm in Beatis.* Et alibi t loquens de Chriſto, dicit, *Triplicem perfectionem habuit proles iſta in inſtanti conceptionis, videlicet, naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Similiter dicere poſſum, quòd iſtæ tres imagines, naturæ, gratiæ, & gloriæ, reperiuntur in Seraphico Patre meo S. Franciſco. Imago creationis, cùm habuerit habitum amandi Dei ſui. Imago recreationis, cùm actu dilexerit eum, & fuerit in praxi amoris. Imago ſimilitudinis, cùm Deum dilexerit ex totâ extenſione animæ ſuæ, & æquè perfectè in terrâ ac Beati in cœlo. Quantùm ad imaginem creationis vel naturæ, quis non videt quòd ſtabulum eſt locus communis nativitatis u ipſorum annuntiatæ ab Angelo x? Franciſcus incipit à primo inſtanti vitæ ſuæ in mundo imitari Prototypon ſuum, ut ſe conformem reddat omnino perfectionibus ejus. In morte ſuâ ipſe morietur in ſe ipſo, ut meliùs & perfectiùs vivat in dilecto ſuo: & ad primum radium cognitionis quam habebit Dei ſui, ſtatim deferet imaginem recreationis, ſeu gratiæ, quæ imprimet ipſi ſenſibiliores charactêres ſimilitudinis. Eadem Crux, quæ eſt inſtrumentum, quo Jeſus Chriſtus utitur ad reparandum mundum y, erit tota cauſa victoriarum Franciſci, ſicut maxima pars laborum ipſius. Sic Divina Providentia vocans hunc ſanctum à commercio vitæ communis ad perfectionem Evangelicam, ab imagine naturæ ad imaginem gratiæ, utitur apparitionibus Crucis, & tangit animam ejus primis affectibus pietatis, hoc ſigno, quod fuerat inſtrumentum noſtræ ſalutis, intermedio. Et ad hoc ut aſſimilaretur Domino ſuo z, *Tentabat pater carnis, filium gratiæ, pecuniâ jam nudatum ducere coram Epiſcopo civitatis, ut in ipſius manibus, facultati-*

n ex Iſai. 22, 12.
o ex Ezech. 9, 4.
p S. Bon. in Prolog. Legend. S. Franciſc.
q Gen. 1, 27.
r S. Thô. 1 p. q. 93. a. 4. in corp.
s Pſ. 4, 7.
t S. Thô. Opuſcul. 60, art. 3.
u Luc. 2, 7.
x Luc. 1, 26. &c.
y 1. Petr. 2, 24.
z Matth. 8, 20.

bus renunciaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ad quod faciendum ſe promptum exhibuit verus paupertatis amator: perveniensque coram Epiſcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit: ſed continuò depoſitis omnibus veſtimentis, reſtituit ea patri. Inventum eſt autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem ſub veſtibus delicatis. Inſuper, Ex admirando fervore, ſpiritu ebrius rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: Vſque nunc vocavi te patrem in terris: amodò autem ſecurè dicere poſſum: Pater noſter qui es in cœlis a, *apud quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocavi. Hoc cernens Epiſcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei fervorem, protinus exurrexit, & inter brachia ſua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius, & bonus, pallio quo erat amictus, operuit, præcipiens ſuis, ut aliquid ſibi darent ad membra corporis contegenda. Oblatus eſt autem ei mantellus pauper & vilis cujuſdam agricolæ ſervientis Epiſcopo. Quem ipſe gratanter ſuſcipiens, cum cæmento, quod ſibi occurrit, ad modum crucis manu propriâ conſignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis ſeminudi. Sic igitur ſervus Regis altiſſimi nudus relictus eſt, ut nudum ſequeretur crucifixum Dominum, quem amabat: ſic utique cruce munitus, ut animam ſuam ligno ſalutis committeret, per quod de mundi naufragio ſalvus exiret*, ait S. Bonaventura b. Ipſe eſt nudus in nativitate ſuâ ad gratiam, cùm ipſius vita moriens deberet habere convenientiam cum ipſius morte vivente. Jeſus prædicat c, Jeſus laborat pro ſalute animarum d: ha! quid non agit S. Franciſcus? Ipſe ſumit, ad imitationem Domini ſui e, duodecim diſcipulos, quos mittit, ut totidem Apoſtolos, prædicatum ad convertendas animas. Jeſus patitur pro peccatoribus: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur* f? Dilatio pœnarum ſuarum eſt ſupplicium amori ſuo: S. Franciſcus ardet zelo, & mori vult pro illis, ipſe queritur de peccato mundi, ipſe vellet illud lavare, ſi poſſet, torrente lacrymarum ſuarum: ipſe ſemetipſum exinanit conſiderans demerita naturæ noſtræ, & favores Creatoris ſui: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* g. Taceo ejus humilitatem, cùm hæc redderet illum viliſſimum terræ, & valdè conformem Domino ſuo, qui venerat è cœlo in terram ad eam edocendam h. Sileo de ejus poteſtate, quæ dabat ei authoritatem ſuper omnia elementa, ſic ut dici poſſet de ſervo æquè ac de Domino, *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei* i? Bruta reddebant illi obſequia, ſicut illi, qui non patraverat motivum rebellionis ipſorum. Cùm videbatur Franciſcus, videbatur Jeſus, & actiones unius non erant niſi vivæ expreſſiones virtutum & ſanctitatis alterius, *Adjutorium ſimile ſibi.* Tandem, Cùm Deus congregaſſet in hominem omnes perfectiones creaturarum inferiorum, & feciſſet eum compendium mundi materialis, dedit ei pro ultimo & excellentiſſimo titulo honoris, ut eſſet ipſius imago, quoad animam, quæ in eſſe ſuo indiviſibili, in memoriâ ſuâ, in mente ſuâ, & in voluntate ſuâ repræſentat tres perſonas Divinas, & unitatem ſimplicis Eſſentiæ: ſed ex quo Deus *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* k eſt, & dici potuit de Jeſu Chriſto, quòd erat Deus & homo, ipſe ſe reddidit cauſam noſtræ ſalutis univerſalem, per augmentum gloriæ

a Matth. 6, 9.
b S. Bon. in Legẽd. S. Franciſc. c. 2.
c Joan. 7. 14.
d Joan. 4, 5. &c.
e Luc. 6, 13. &c.
f Luc 12, 50.
g Luc 19, 10.
h Matth. 11. 29.
i Matth. 8. 27.
k Philipp. 2. 7.

gloriæ ſuperadditum naturæ humanæ : & congruum fuit ut, ſicut habemus imaginem Dei in animabus noſtris, ſic eſſet homo, qui deferret imaginem Jeſu Chriſti in corpore ſuo : atqui figura, quæ eſt ei maximè propria, eſt figura hominis crucifixi : talis eſt enim finis, ad quem ipſe retulit Incarnationem ſuam, & ſequelam totius vitæ ſuæ : vulnera ſua ſunt trophæum amoris ſui : & in hoc ſtatu ipſe eſt in gloriâ, & apparebit *cùm venerit in majeſtate ſuâ* l. In hoc ergo ſitu & in iſto apparatu debebat ipſe repræſentari, ut homo deferret imaginem Dei in duabus partibus ſuis quæ ipſum componunt, Dei in animâ ſuâ, Jeſu Chriſti hominis Dei in corpore ſuo, habens ſtigmata paſſionis ejus, quod eſt verum prototypon prædeſtinationis : *Nam quos præſcivit : & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui* m. En ergo privilegium, quod ſecula præcedentia non viderant : Princeps duntaxat uſque ad hoc tempus inſtruxerat carnem noſtram legibus ſuis, nunc imprimit ei figuram ſuam, & novam dat extenſionem bonitati ſuæ per productionem ſuæ ſimilitudinis in perſonâ S. Franciſci. Cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* n, ſine interventu alicujus è creaturis ſuis : & Jeſus Chriſtus ipſemet imprimit ſacra ſtigmata corpori Seraphici Patris mei, & facit eum mori mundo, ut animet illum propriâ vitâ ſuâ : & hæc vulnera ſunt à nobis conſideranda ut veſtis Regia, quâ Dominus noſter operire voluit dilectum ſuum præ favore qui habet convenientiam cum illo, quo Rex Aſſuerus remunerare voluit fidelitatem Mardochæi o. S. Franciſcus induit *novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ, & ſanctitate veritatis* p, non ſolùm in interiori, ſed etiam in exteriori, modo prorſus admirabili : & dicere poteſt præ veritate, meliùs quàm S. Paulus q, *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.*

l Matth. 25. 31.
m Rom 8. 29.
n Gen. 2. 7.
o Eſth. 6. 10 &c.
p Epheſ. 4. 24.
q Gal. 6. 17.

Quoad convenientiam quæ eſt inter gloriam Franciſci & gloriam Jeſu Chriſti, nemo eſt qui non ſciat, quòd ſimilitudo eſt cauſa amoris, & quòd juxta proportionem unius communicamus alteri : cùm Franciſcus plùs aſſimiletur Jeſu crucifixo quàm ullus alius è Sanctis, *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui* r ejuſdem Pater æternus ; plùs ergo diligitur : atqui amare eſt facere bonum : cùm S. Franciſcus plùs aſſimiletur, & plùs diligatur ; ſuſcepit igitur plus boni : cùm bona Dei ſint communicationes gratiarum ipſius, & Franciſcus ſuſceperit plus gratiæ, ſuſcepit etiam plus gloriæ, cùm gratia ſit ſemen gloriæ, & fertilitas unius ſupponat abundantiam alterius. Sic exhibitus fuit in viſione cuidam è ſociis iſtius ſancti viri thronus eminens gloriâ in cœlo, qui erat deſtinatus humilitati ejus. Oportebat etiam ut locus ſuperbiſſimi Angelorum occuparetur ab humillimo hominum.

r Rom. 8. 29.

Tandem, Hæc imago creationis, & ſimilitudinis, naturæ, gratiæ, & gloriæ ſic ritè impreſſa erat Seraphico Patri meo, ut non eſſet ipſe niſi unum cum Jeſu, *Adjutorium ſimile ſibi.* Ipſe totus erat transformatus in Deum ſuum, qui erat totum objectum amoris ipſius ; ipſe non habebat ampliùs vitam, niſi eam, quam ſumebat è flammis ipſius : ipſe non erat ampliùs ſecum, & quærendus erat in perſonâ Ieſu, quem ipſe diligebat, & dicere poterat æquè ac S. Paulus s, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Ipſe totus erat transfiguratus in illum, ſic ut ceſſans eſſe id quod ipſe erat, ipſe cœperit eſſe id, quod ipſe diligebat : ipſe mutavit conditionem æquè ac naturam, evadens ſimilis Dilecto ſuo, cùm talis ſit vis amoris Divini, ut nos elevet ſupra nos ipſos, & mirabili metamorphoſi faciat nos eſſe id quod nos facit diligere, ex hominibus faciat Deos, & è Franciſcis faciat Jeſus Chriſtos, *Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror,* ajebat S. Auguſtinus t. Sed quàm infelices ſunt illi, qui cùm poſſint deligere Deũ, ſuos alligant affectus terræ, & ſe privant hâc altâ felicitate, quàm pollicetur ipſis Divinus Amor ! amando enim creaturas, non tam communicant earum perfectionibus, quàm participant illarum defectus, *Facti ſunt ſicut ea quæ dilexerunt* u. S Franciſcus ſe geſſit ſapientiùs & ſanctiùs, cùm non habens niſi Deum ut objectum amoris ſui, totus mutatus fuerit in eum, evadens ut Deus in terrâ, *Hoc amoris verbum vim habet faciendi unum & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi,* dicit S. Dionyſius x. *Adjutorium ſimile ſibi.*

s Gal. 2. 20.
t S. Aug. lib. 13. Conf. c. 9.
u Oſee. 9. 10.
x S. Dion. lib. de Diu Nō. c. 4.

Suſcipite igitur, Revedendi Patres, & chariſſimi Fratres, hunc exiguum diſcurſum, cùm non poſſim meliùs dirigere imaginem Patris quàm ad filios, qui ſtudent ipſum imitari in virtutibus ipſius, ſic ut ipſe dicere poſſit ipſis quemadmodum S. Paulus y dicebat Philippenſibus, *Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea.* Cùm dicat Salomon z, *Filius ſapiens lætificat patrem.* Quòd ſi boni mores noſtri faciunt diadema honoris & pulchritudinis Inſtitutori noſtro, quomodo ſplendor gloriæ ejus non reſiliet ſuper facies noſtras ? Ha ! quanta gloria nobis, ſi dicere poſſimus, more Tobiæ, *Filij Sanctorum ſumus* †. Id eſt, tranſumpta viventia iſtorum originalium cœleſtium : intueamur ſpeculum quod propoſui vobis, & contemplemur nos in hoc prototypo, ſicut S. Franciſcus intuitus eſt ſe in ſuo, quod erat Jeſus, ſe reddens vivam imaginem illius, *Adjutorium ſimile ſibi.* Et cùm breviter audiveritis id quod erat Pater noſter, per juſtam reflexionem conſideremus id quod nos eſſe debemus ; ſimus illi id quod ipſe fuit Jeſu ; ſimus adjutoria ardori, zelo, & amori ipſius quoad ſalutem animarum, ſicut ipſe fuit adjutorium conſiliis Jeſu ad reparandum mundum ; ſimus ei ſimiles in virtutibus ipſius, in ſanctitate ipſius, ardeamus iiſdem flammis, animemus nos eodem zelo erga converſionem animarum. In hoc eſt ſita tota perfectio filiorum, ſcilicet, in imitatione patrum ſuorum. Sed magne Sancte, cùm elevatus fueris ad hanc eminentem dignitatem adjutorij Filij Dei, quæ exigit à nobis omnes reverentias noſtras, impende potentes interceſſiones tuas pro ſalute noſtrâ, & eorum qui hîc adſunt : zelus tuus reddidit te ſimilem Jeſu Chriſto, eſto ſimilis ei etiam, ſalvando nos ſuffragiis tuis : fac nos experiri favorabiles effectus adjutorij tui : ipſe es amicus Regis gloriæ, cùm ornatus ſis veſtibus ejus, ſicut alias Mardochæus fuit indutus *veſtibus Regijs* * Aſſueri, in probationem affectus quo Rex ipſum diligebat. Potenter elabora pro bono fidelium, æquè ac pro noſtro, libera nos à perſecutionibus Aman infernalis : & impetra nobis gratiam in iſtâ vitâ, ut frui gloriâ nos facias in alterâ.

y Philipp. 1. 4.
z Prov. 10. 1.
† Tob 2. 5.
* Eſth. 6. 8. &c.

IN FESTO S. TERESIÆ VIRGINIS.

Media nocte clamor factus eſt, Ecce Sponſus venit, exite obviàm ei. Tunc ſurrexerunt omnes Virgines illæ: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Matth. 25. 6. &c.

QUàm infœlices ſunt impii in impietate ſuâ, quàm injuſta eſt ipſorum excuſatio in eo quòd non diligunt virtutem, dicentes quòd hæc noſtris non reperitur ſeculis, ne videantur obſtringi ad illius exercitium; quòd ipſa erat fructus, quem terra primitivæ Eccleſiæ irrigatæ ſanguine adhuc fumante Filii Dei, *Quam acquiſivit ſanguine ſuo* a, producebat, calefacta Divinis his flammis, quæ faciebant ipſam germinare cum tantâ gloriâ ſanctitatem, *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat* b. Et quòd hoc tempore quo vivimus non cognoſcitur virtus aliter quàm nomine. Error eſt, Auditores, qui blandiens ipſorum puſillanimitati, non excuſat eos, & ſeculum noſtrum æquè corruptum ac illa quæ nos præceſſerunt (*Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ* c) fuit æquè fœlix in productionibus ſuis, ac ſecula præterita fortunata fuerunt in ſuis, quas admiramur: & oculi patrum noſtrorum videre potuerunt Tereſiam virtute conſummatam, prototypon perfectionis, & opus eximium gratiæ: quod nobis oſtendit quòd omnes tempeſtates, cunctæ ætates, & univerſa ſecula colendæ ſanctitati ſunt idonea. Videbimus igitur ſortem fortunatam iſtius Sanctæ, quomodo Deus eam direxerit, illamque elegerit ſibi in Sponſam. Sed ut ad votum videamus prærogativas iſtius novæ Sponſæ Jeſu Chriſti, ſunt nobis efflagitanda lumina Spiritus ſancti interventu Matris ejuſdem Jeſu Chriſti, quæ eſt *Mater pulchræ Dilectionis*, ait Eccleſiaſticus d, æquè ac illius Sponſa, dicit S. Epiphanius e, *Sancta enim Puella Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit. Ipſa eſt enim Sponſa & thalamus, & ex eâ Sponſus procedens* f *Chriſtus.* Dicamus ergo ei ad hunc effectum, *Ave Maria.*

a Act. 20, 28.
b Act. 4, 32. &c.
c Gen. 8, 21.
d Eccli. 24. 24.
e S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip.
f ex Pſ. 18, 6.

In hoc differt amor Dei ab amore creaturarum, quòd homines amant ſubjectum in quo ipſi ſibi complacent, propter bonum quod in illo reperiunt, quod in eo ſupponunt, & quo inveniunt illud jam præditum: ſed id quòd Deus diligit in creaturâ, eſt potiùs effectus bonitatis ſuæ, quam objectum ſuum. Deus ab æterno dilexit hominem, ſicut ipſemet ait illi, *In charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te miſerans* g. Et ſicut dilexit illum propter ſe, & in ſe, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* h: ita ditavit & cumulavit eum omnibus favoribus, quorum natura ipſius capax eſſe poterat: *Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis* i, *cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit. Inde eſt quod naturali quidem deſiderio ſummum quivis probatur appetere Bonum, nullam niſi adepto eo requiem habiturus,* ait S. Bernardus k. Propterea Deus tribuit ei Filium ſuum: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* l. Illuſtravit eum luminibus Spiritus ſancti. Filius Dei præ exceſſu dilectionis univit ſe naturæ noſtræ, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* m. Id eſt, faciens ſe ſimilem nobis, ut nos redderet ſimiles ſibi, *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſiâ*, ait S. Paulus n. *Id eſt, in ſpirituali diſpenſatione inter Chriſtum & Eccleſiam factâ, quando videlicet Verbum caro factum eſt* o, *& noſtram naturam aſſumens, oſtendit quantum dilexerit nos, cum quibus idem fieri voluit*, ſubdit Carthuſianus p. Videbimus hoc idem fœdus ipſius cùm S. Tereſiâ, quomodo deſponſavit eam ſibi ſuper monte Carmelo, ad ineundum cum eâ Matrimonium ſanguinolentum ſuper monte Calvariâ, duobus montibus commendatis in Scripturâ q ob effectus admirabiles, quos Deus eſt in ipſis operatus. Videamus ergo Primò ſponſalia ſuper monte Carmelo, Secundò Matrimonium ſuper monte Calvariâ.

g Jer. 31, 3.
h Prov. 16, 4.
i ex Gen. 9. 6.
k S. Bern. in Declamat. circa med.
l Joan. 3, 16.
m Philip. 2, 6, & 7.
n Epheſ. 5, 32.
o Joan. 1, 14.
p Dion. Carth. art. 5. in Epheſ. 5, 32.
q 3. Reg. 18. 42, &c. & Joan. 19, 17, &c.

Diviſio.

Deus loquens per Prophetam ſuum Oſee r de animâ quam ipſe diligit, ait, *Ducam eam in ſolitudinem & loquar ad cor ejus.* Hæc eſt via per quam Ipſe dirigit dilectas Sponſas ſuas, illas trahens ad ſe, ut ſeorſim alloquatur eas. Carmelus eſt mons elevatus ſitu ſuo; eſt velut alter mons Thabor, in quo fiunt admirabiles transformationes & transfigurationes s: aut, ſi vultis, eſt ſicut alter mons Selmon, de quo ſic loquitur Pſalmiſta t, *Nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis. Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Et Dionyſius Carthuſianus u, *Nive dealbabuntur in Selmon, id eſt, ſuper nivem purificabuntur fideles in umbrâ gratiæ Dei. Selmon enim uno modo eſt proprium nomen cujuſdam montis, alio modo eſt nomen commune, obſcuritatem ſignificans, ſicque accipitur modò, & poteſt deſignare gratiam viæ, quæ obſcura eſt per comparationem ad gratiam patriæ. Vel poteſt ita intelligi, Nive dealbabuntur Gentes, quæ ante converſionem ad fidem ſeu gratiam erant in obſcuritate ac tenebris. Et quoniam fideles taliter mundabuntur, idcircò mons Dei, id eſt, Eccleſia militans, de quâ in Iſaia x dicitur, Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium. Dicitur enim Eccleſia mons propter altitudinem gratiæ Dei, ſublimitatemque vitæ fidelium cœleſtia contemplantium. Hic itaque mons Dei, eſt mons pinguis, id eſt, ſpiritualibus bonis abundans, ex infuſione donorum Spiritus ſancti. Eſt*

1. Pars.
r Oſee 2, 14.
s Matth. 17. 1. &c.
t Pſ. 67. 15. &c.
u Dion. Carth. in Pſ. 67. 15. &c.
x Iſai. 2. 2.

quoque hic, mons coagulatus, id eſt, per modum caſei ex diverſis perſonis compactus, videlicet ex ſimplicibus, pauperibus & abjectis collectus. Mons pinguis, quoniam multas elegantes perſonas intra ſe habet, ſicut ſunt viri Orthodoxi, id eſt, glorioſè fideles, alios verbo atque exemplo ſpiritualiter impinguantes. Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Hic enim mons eſt congregatio Electorum, de quibus increata Sapientia in Proverbiis y *ait, Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum. Et in Apocalypſi* z, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus; & habitabit cum eis. Etenim Dominus habitabit in finem, non ad horam, ſeu modicum temporis, ſed uſque in finem ſeculi, imò in ſempiternum habitabit cum Eccleſiâ Electorum, habitando in eis per fidem & gratiam, quemadmodum Chriſtus promiſit, Ecce (inquiens) ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* a. Sed obſervate quòd ad hoc ut perveniatur ad apicem montis hujus, aſcendendum eſt: aſcenſus ad illum ſunt rudes, anfractus ſunt ibi difficiles, & ibidem ſunt nebulæ, obſcuritates, & tenebræ. Heu! Auditores, ut perveniamus ad apicem montis iſtius, ad quem Deus nos vocat, quanti labores ſunt ſuſtinendi, & quantæ difficultates exhauriendæ: *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam,* ait Dei Filius apud S. Matthæum b. *Itaque arcta dicitur via hæc,* ſubdit Dionyſius Carthuſianus c, *quoniam omnis qui vult Deo placere, oportet in omnibus Divinæ Voluntati, Matri Eccleſiæ, & rectæ rationi obtemperare: quod non eſt parùm difficile homini fragili ac mortali, in carne viventi, quemadmodum Eccleſiaſtes* d *inquit, Quid eſt homo ut ſequi poſſit Regem Factorem ſuum? Tamen dicitur nobis, Si quis totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus* e. *Et, Nemo coronatur, niſi qui legitime certaverit* f. Tranſeundum eſt per obſcuritates, per tenebras, per noctes ad hoc ut ad faſtigium montis iſtius aſcendamus. Duplex autem eſt nox. Prima nox, eſt ſenſuum, quæ non eſt alia quàm mortificatio ſenſuum, & pravorum affectuum, ad quos nos fert noſtra natura corrupta: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram,* dicit nobis Apoſtolus g. Cujus *magis genuinè ad phraſim Apoſtoli* cenſet Cornelius h, quòd ipſe *membra terreſtria hic vocat affectus pravos, & motus concupiſcentiæ: hi enim ſunt quaſi membra veteris hominis, terreſtris Adæ & totius corporis concupiſcentiæ: omnia enim peccata, quaſi unum ſunt corpus, & unum regnum concupiſcentiæ.* Secunda nox, eſt fidei, cùm incedamus velut inter tenebras, & ratio ſit cæca; *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate,* dicit idem S. Paulus i. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus k, *Videmus oculo intellectuali, id eſt, Deum cognoſcimus, nunc, id eſt, in præſenti exilio, per ſpeculum, id eſt, per obſcuras imagines, ſcilicet creatas eſſentias, quæ Dei naturam imperfectè, imò obſcuriſſimè repræſentant. Non enim oſtendunt quid Deus ſit, ſed quid non ſit. Nec oſtendunt de Deo quid eſt, ſed quia eſt. Sic ergo videmus per ſpeculum, in ænigmate, id eſt, in umbroſâ ſimilitudine, utpote in formis intelligibilibus, & Scripturarum figuris ac tropis, in quibus modicum quid Divinæ lucis reſplendet. Omnis namque creata eſſentia, omniſque ſpecies intelligibilis intellectum in hâc vitâ perficiens, in infinitum occumbit, & deficit à perfectione Divinæ Naturæ. Idcircò eam repræſentare non poteſt, niſi obſcurè & circumvelatè. Propter quod Diviniſſimus Dionyſius aſſerit, Impoſſibile eſt aliter nobis lucere Divinum radium, niſi circumvelatum variis velaminibus ſenſibilium rerum.* Tranſeundum eſt per omnes iſtas tenebras, *Mediâ nocte clamor factus eſt.* Tempore mediæ noctis, cùm nihil videtur, & objecta non apparent. Sponſa comparat capillos Sponſi ſui, nigredini corvi, æquè ac altitudini palmæ, *Coma ejus ſicut elata palmarum, Nigra quaſi corvus* l. Dionyſius Carthuſianus m dicit, *Spiritualiter, Capilli ſunt cogitationes.* Corvus accingens ſe ad prædam, oculos eruit cadaveri ſuper quod irruit: Ha! Deus vult ut eruamus nobis oculos rationis, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* n: ut incedamus in his tenebris, ut aſcendamus ad apicem Carmeli. Unde dicit idem Carthuſianus o, *Gregorius per comas Chriſti intelligit generaliter ipſos fideles, per fidem & charitatem Chriſto ut Capiti inhærentes, & quæ ſurſum ſunt quærentes ac ſapientes* p, *ſicq; de ſua ſalutis hoſtibus triumphantes: ſicut palma aſcendunt in altum, & ſuâ ſignificatione oſtendunt triumphum.*

y Prov. 8, 31
z Apoc: 21, 3.
a Matth: 28, 20.
b Matth. 7, 14
c Dion. Carth. art: 15, in Matt. 7, 14
d Eccl: 2, 12
e ex Jacob. 2, 10
f ex 2. Tim. 2, 5.
g Coloſſ: 3, 5
h Cornel. in Coloſſ 3, 5.
i 1, Cor 13 12
k Dion. Carth art. 9. in 1, Cor 13 12.
l Cant: 5, 11.
m Dion: Carth. art 44, in Luc. 21, 18
n 2, Cor. 10. 5.
o Dion. Carth. art. 10, in Cant. 5, 11.
p ex Coloſſ 3, 1, & 2.

Vultiſne videre quomodo Tereſia tranſivit per ſpirituales iſtas obſcuritates noctis ſenſuum, & fidei, ut perveniret ad faſtigium montis Carmeli? Dicitur enim *Carmel, Cognitio circumciſionis,* Vel, *Agnus circumciſus,* juxta interpretationem Hebraicam. *Ducam eam in ſolitudinem,* ait Deus per Oſee q. Deus qui utitur diſpoſitionibus naturæ ad facienda eximia opera ſua, Tereſiam naſci facit è ſanguine nobili; non quòd admittatur differentia inter ſanguinem nobilem & ſanguinem ignobilem: uterque habet eundem colorem, & Deus non intuetur niſi opera & bonos mores: *Non enim perſonam hominum* r reſpicit. Tamen è parentibus noſtris fluit in nos aliquis affectus ad res magnas, quæ magis decent homines illuſtres, quàm ignobiles. Et Scriptura s commendat progeniem Tobiæ nolentis dare directionem filii ſui Angelo Raphaëli, quin ejus nobilitatem ſciret, *Rogo te, indica mihi, de quâ domo, aut de quâ tribu es tu? Cui Raphael Angelus dixit, Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius. Et Tobias reſpondit, Ex magno genere es tu.* Igitur *Tereſia Virgo nata eſt Abulæ in Hiſpaniâ, parentibus tum genere, tum pietate præclaris,* canit Eccleſia in ipſius Legendâ. Ut è primis iſtis diſpoſitionibus Deus faceret opus ſuum eximium: & cùm nota fuiſſet eam ut prædam amoris ſui, vocat eam ad obſequium ſuum.

q Oſee 2, 14.
r Matth. 22, 16.
s Tob 5, 16. &c.

Sicut non eſt aliquid in mundo quod Deus æquè diligat ac hominem; ſic non eſt aliquid quod ipſe æquè cuſtodiat ac illum, eos verò præſertim, in quibus ipſe ſibi complacet. Unde David t dicebat ei, velut extra ſe raptus intuitu ſic ingentis dilectionis, *Domine quid eſt homo, quid memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Deus diligit Tereſiam: hæc eſt prærogativa ſanctarum Sponſarum Dei, ut fiant trophæa Principis amoris, id eſt, Jeſu Chriſti: in hoc ſitus eſt altiſſimus apex fœlicitatis ipſarum, ut ſint captivæ ejus, obediendo ei, quia, ut dicitur, *Servire Deo, regnare eſt.* Ideò S. Auguſtinus u, qui nobis repræſentat currum triumphalem Amoris Divini ſuper hæc verba Pſalmiſtæ; *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in ſancto,* nobis illum exhibet circundatum captivis innumeris, qui præ gaudio concinunt, qui diligunt

t Pſ. 8, 2. & 5.
u S Aug. in Pſ 67. 18.

gunt vincula, quibus ſunt alligati, quique
nihil æquè abhorrent ac libertatem: *Ingen-
tem itaque multitudinem Sanctorum atque fide-
lium, qui portando Deum ſunt quodammodo currus
Dei, ſignificavit hoc nomine. Hanc immanendo &
regendo perducit in finem tanquam currum ſuum,
velut in locum aliquem deſtinatum. Initium enim
Chriſtus: deinde qui ſunt Chriſti in præſentiâ ejus,
deinde finis. Hæc eſt ſancta Eccleſia quæ ſunt
quod ſequitur, millia lætantium. Spe enim ſunt*
x ex Ro: *gaudentes* x, *donec perducantur in finem, quem*
12, 12. *nunc expectant per patientiam. Mirificè autem
cùm dixiſſet, millia lætantium: continuò ſubjecit,
Dominus in illis. Ne mireris quòd lætentur. Do-
minus in illis. Nam per multas tribulationes opor-*
† ex Act. *tet nos introire in Regnum Dei* †. *Sed Dominus*
14. 21. *in illis. Ideò & ſi ſunt quaſi triſtes, ſemper ta-*
y ex 2. *men gaudentes* y, *nec jam in ipſo fine quò nondum*
Cor: 6, *venerunt, ſed ſpe ſunt gaudentes, & in tribulatio-*
10 *ne patientes* z, *quoniam Dominus in illis. In Sina*
z ex Rom *in ſancto. In nominum Hebraicorum interpretatio-*
12, 12. *nibus invenimus. Sina interpretari mandatum.
Reddens enim cauſam quare lætarentur illa millia,
quibus conſtat currus Dei, Dominus, inquit, in il-
lis in Sina in ſancto, id eſt, Dominus in illis in man-
dato, quod mandatum ſanctum eſt, ſicut dicit Apo-*
a Rom: 7 *ſtolus* a, *Itaque lex quidem ſancta & mandatum*
12. *ſanctum & juſtum & bonum. Sed quid prodeſſet
mandatum, niſi Dominus ibi eſſet, de quo dicitur,
Deus enim eſt qui operatur in vobis & velle & perfice-*
b ex Phi- *re pro bona voluntate* b. Jeſus Chriſtus non
lipp: 2, 13 quærit niſi tales captivos: & quia vincula ſem-
per diſplicent cùm ſunt coacta, utitur ipſe e-
loquentiâ ſuâ ad faciendos captivos, eoſque
ſic ſuaviter inducit ad ſubeundam deditio-
nem, ut velit ut ipſimet fabricent ſibi pro-
prias catenas ſuas. Victoria quam refert de
animabus interventu gratiæ iſtius, cujus effe-
ctus eſt infallibilis, non eſt acquiſitio violen-
ta, ſed fœdus quod non initur quin anima ei
ſubſcribat, & cujus articuli, in ipſo exara-
ti, debent acceptari à voluntate, quam ipſe
non cogit, & quam relinquit in exercitio
ſuæ libertatis, quæ eſt character & inſigne
nobilitatis ipſius. Jeſus Chriſtus offert iſtos
Tereſiæ in ſponſalibus quæ ipſe contrahit cum
eâ ſuper monte Carmelo, ſed ſic utiliter,
ibique terminis ſunt ita potentibus exarati,
ut ipſa, quantùm in ſe eſt, conſentiat omni-
bus quæ Sponſus ſuus ab ipſâ requirit, ip-
ſamque tædeat, quòd citiùs ipſa non amplexa
fuerit hoc bonum, quod priùs terrore ſen-
ſus concuſſerat, & quod natura cæca ode-
rat.

Prima vocatio quam Deus facit animarum
ad obſequium ſuum, fit vocibus ſenſibilibus,
ſicut videmus in Adamo; *Vocavit Dominus Deus
Adam, & dixit ei, Ubi es? Qui ait: Vocem tuam
audivi in paradiſo: & timui, eò quòd nudus eſſem,
& abſcondi me* c. In Moyſe; *Dominus vocavit*
c Gen: 3, *eum de medio rubi, & ait, Moyſes, Moyſes? Qui re-*
9. & 10. *ſpondit, Adſum* d. In Samuele; *Vocavit Domi-*
d Exod: 3. 4. & 5. *nus Samuel. Qui reſpondens ait, Ecce ego* e. Et
e 1. Reg: 3. 4. Job f in hâc experientiâ Deo dicebat, *Vocabis
me, & ego reſpondebo tibi.* Et cùm *Saulus adhuc*
f Job 14, 15. *ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſ-
ſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſto-
las in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet
hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ie-
ruſalem: Et cùm iter faceret, contigit ut appropin-
quaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de
cœlo: Et cadens in terram, audivit vocem dicentem
ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris? Qui dixit,
Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus, quem tu per-
ſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitra-
re: tremens ac ſtupens dixit, Domine quid me vis
facere? Et Dominus ad eum, Surge, & ingredere
civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat face-
re* g. Secunda vocatio eſt per inſpirationes
ſecretas & interiores, quæ conclamant ad ar- g Act: 9. 1, &c
ma, non tubâ, ſed clàm, quod fit cùm Deus
nobis loquitur in ſolitudine cordis, & habet no-
biſcum ſermonem de pace & reconciliatione,
cùm immittit in animas noſtras radios ad eas il-
luminandas, & excitandas à ſomno peccati, &
ad dandum nobis cor mundum, quale David h h Pſ. 50,
efflagitabat, dicens ei, *Cor mundum crea in me* 12.
Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.
Seu, ſecundum Dionyſium Carthuſianum i, *Cor* i Dion:
mundum crea in me Deus, hoc eſt, eſſe ſpirituale & Carth. in
meritorium age & inchoa in me per gratiæ creatio- hunc lo-
nem. Beati enim mundo corde: quoniam ipſi Deum cum.
videbunt k. *Cordis enim munditia omnium exer-* k ex Mat.
citiorum noſtrorum finis ultimus eſſe debet, ſecundùm 5. 8.
quod Salomon l *admonet, Omni cuſtodiâ cuſtodi cor* l ex Prov.
tuum. Et ſi veram cordis puritatem adipiſci deſide- 4. 23.
*ras, hunc verſum mente & ore ſic iteres, tractes, co-
gites, ores, & depromas, quomodo naribus tuis anhe-
litum trahis. Spiritum rectum innova, id eſt, Spi-
ritum ſanctum de novo infunde, in viſceribus meis,
id eſt, in intimis animæ meæ dando gratiam, ſapien-
tiam, cæteraſque virtutes, ac dona Spiritus ſancti.*
Et tunc Deus nos invitat ut revertamur ad ip-
ſum, & facit nos audire hæc ſuavia verba, ſicut
Tereſiam, quam ſibi deſponſat ſuper monte Car-
melo, *Revertere, revertere Sunamitis; revertere,
revertere, ut intueamur te* m. *Aperi mihi ſoror* m Cant. 6, 12.
mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni
mei guttis noctium n. *Ecce ſto ad oſtium, & pul-* n Cant: 5, 2
ſo o. Vocat illam in Religionem, procul eli-
minando ab eâ omnes eſcas & occaſiones pecca- o Apoc. 3, 19.
ti, educendo ipſam è mundo, & è commercio
negotiorum ſecularium, quæ potentia ſunt im-
pedimenta virtutis, & quietis interioris, cùm to-
tidem ſint fluctus & turbines qui nos agitant, ad
locum & portum ſecuriſſimum & tranquilliſſi-
mum, immunem à tempeſtatibus, quæ continuè
minitantur hominibus laicis expoſitis huic mari,
quod non habet niſi ſcopulos, ad quos impingunt
quàm multi: collocat illam in arce circumqua-
que benè munitâ, unde generosè reſiſtere poteſt
ipſa diabolo, & glorioſè triumphare de univerſis
conatibus illius, ſic ut ipſum pudeat & pœniteat
aggreſſum eſſe hanc magnanimam bellatricem,
licet videatur, ſicut ait Job p de illo, quòd p Job 41, 24.
non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.
Quòd ſi aliquam victoriam refert, hanc reportat
ordinariè ab aliquo milite inermi, expoſito ſine
auxilio rabiei ipſius, & quem ideò reperit ſine re-
ſiſtentiâ, & hunc in mundo, ubi erigit ipſe cur-
rum ſuum triumphalem: in mundo quippe impe-
rat ipſe abſolutè, ibi ipſe ſibi conciliat obedien-
tias: ſic mundus eſt locus certaminis ipſius, æquè
ac triumphi: mundus eſt armamentarium ipſius,
in quo ipſe ſtruit acies ſuas, ut ibi mundanos pro-
fliget, *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſ-
centia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum,
& ſuperbia vitæ* q. Tria hæc, ſunt arma fu- q 1. Joan. 2. 16.
neſta, quorum ictus ſunt omnes mortales mun-
danis: ſed in Religione hæc arma ſunt ſine
effectu, & ibi diabolus invenit homines mag-
nanimos, rei militaris peritos, & cataphractos,

qui obſtringunt ipſum ad numerandas proprias vaſtitates ſuas per propria certamina ſua. Illuc autem Deus vocat Tereſiam vocatione non communi, ſed extraordinariâ, quæ appellari poteſt alta, ſecreta, & victorioſa. Alta, cùm elevet illam è terrâ, eamque deſpicere faciat res, quæ erant objectum amoris ipſius, *Tereſia Virgo vigeſimum ætatis annum agens ad Moniales ſanctæ Mariæ de monte Carmelo ſe contulit*, canit Eccleſia in ipſius Legendâ. Alta, quia cùm non eſſet ipſa inſumenda niſi ad res magnas, ipſa tot erat operatura mirabilia: alta, propter circunſtantias ſuas, propter effectus ſuos, & propter finem ſuum: *Angelicis ditata virtutibus, non modò propriam, ſed publicam etiam ſalutem ſolicitâ charitate curavit. Quare ſeveriorem veterum Carmelitarum Regulam, Deo aſſlante, & Pio IV. approbante, primùm mulieribus, deinde viris obſervandam propoſuit. Effloruit in eis conſiliis omnipotens miſerentis Domini benedictio: nam duo ſupra triginta Monaſteria inops Virgo potuit ædificare, omnibus humanis deſtituta auxiliis, quinimò adverſantibus plerumque ſeculi Principibus*, canit eadem Eccleſia. Secreta: quàm multa peraguntur inter Deum & Tereſiam arcana, quæ nos latent; & licèt ipſa multa dicat de hoc Divino commercio in ſcriptis ſuis, *Multa cœleſtis ſapientiæ documenta conſcripſit, quibus fidelium mentes ad ſupernæ patriæ deſiderium maximè excitantur*, proſequitur eadem Eccleſia: de multis tamen ipſa ſilet arcanis hujuſmodi. Deus illuminabat ejus intellectum, & inflammabat illius voluntatem. Victorioſâ, faciens eam aſcendere per montem Carmelum, per viam noctis mortificationis ſenſuum, & per viam noctis fidei, triumphans de omni eo quod eſt humanum & fragile in eâ, nudans eam omni amore creaturarum, ſeipsâ, affectibus propriis, proprio judicio, & propriâ voluntate, *Tanto autem Divini Amoris incendio cor ejus conflagravit: ut meritò viderit Angelum ignito jaculo ſibi præcordia transverberantem; & audierit Chriſtum datâ dexterâ dicentem ſibi, Deinceps ut vera Sponſa meum zelabis honorem*, concinit Eccleſia prætata.

II. Pars. Matrimonium ſanguinolentum conſummatur. Lex eſt Matrimonii, ut uxor, & id omne quod ipſa habet, ſit viri: ipſa perdit totum, imò verò proprium nomen, ut aſciſcat ſibi nomen conjugis ſui: quin imò perdit ipſa bonum, corpus, & animam. Bonum, cùm bonum ipſius tranſeat ad communitatem rei familiaris, cui præeſt vir. Corpus, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet: ſed vir* r. Animam, cùm infundat eam in conjugem ſuum, *Et erunt duo in carne unâ* s. Cùm è duobus entibus non ſint ampliùs niſi unum vir & uxor, eoſdem habeant affectus, & experiantur gaudia æquè ac dolores quibus afficiuntur, & hâc admirabili metamorphoſi uxor non ſit ampliùs ſui, ut ſit tota viri ſui, *Quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi: quomodo placeat viro* t. Unitas, vel unio, eſt cauſa quietis; diviſio, impedimentum illius, *Turbaris erga plurima* u. Præterea, Lex Matrimonii requirit, ut uxor fruatur prærogativis & dignitatibus viri ſui: ſi Rex ducat in uxorem, plebeiam, hæc erit Regina, ſicut ipſe ſummus Princeps eſt: Tereſia ſuper monte Calvariâ Matrimonium contrahit cum Jeſu Chriſto, ipſa non eſt ampliùs ſui, ſed eſt tota illius; totum quod ipſa habet, eſt Dei: *Dimovet de ſtatu Divinus Amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam quæ amantur*, ait S. Dionyſius x. Et Dionyſius Carthuſianus y, *Secundùm Auguſtinum, Anima potiùs eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Ipſa non vivit ampliùs in ſe, ſed vitâ Sponſi ſui, qui eſt ſubjectum, in quo ipſa ſibi complacet: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, ait ipſamet, inſumens verba Apoſtoli z. Ipſa communicat omnibus prærogativis Divini Sponſi ſui; & ſicut ipſe eſt Deus, ſic Tereſia eſt Divina, tota ſimilis Dilecto ſuo, afflicta ſicut ipſe. Quis autem ſibi perſuadere poſſet iſtud, niſi hoc Eccleſia nobis cautum præſtaret? *Ibi per duodeviginti annos graviſſimis morbis, & variis tentationibus vexata, conſtantiſſimè meruit, in caſtris Chriſtianæ pœnitentiæ nullo refecta pabulo cœleſtium earum conſolationum, quibus ſolet etiam in terris Sanctitas abundare.* Heu! quanti turbines impetunt cor Tereſiæ, quantis tempeſtatibus agitatur ipſa per tot annos. Salvator adorande, utquid non liberas ab eis fidelem Sponſam tuam? Quot actus dilectionis non exercuiſſet ipſa per totum illud tempus? quantis bonis operibus, & quàm gratis non incubuiſſet ipſa toto illo derelictionis intervallo, quibus omnes iſti turbines tentationum non ſinebant ipſam vacare, toto illo ſpatio, quod erat ipſius purgatorium, quo voluit ipſam Sponſus ſuus ab univerſis ſuis inquinamentis prorſus defæcare? *Ipſe enim quaſi ignis conſlans, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitiâ*, prædixit Malachias a. Et Salomon b, *In paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invênit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probavit illos.* Deus eſt Deus ignis Tereſiæ, Deus eſt tota crux Tereſiæ, Deus ipſam affligit.

S. Chryſoſtomus c ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Cur timebo in die malâ? Iniquitas calcanei mei circundabit me*, dicit, *Vidiſti quomodo eſt problema, & ænigma, & obſcura oratio, & permultum obſcuritatis: ſed, ſi videtur, primùm intelligamus quemnam dicit malum diem? Quemnam ergo malum diem ſolet vocare Scriptura? Diem calamitatum, diem ſuppliciorum, diem ærumnarum.* Ænigma eſt res obſcura, quæ unam rem exhibet, & ſignificat aliam: videre Juſtos afflictos eſt ænigma, quod antequàm *Verbum caro factum* d eſſet, illi qui nos præceſſerant, non potuerant comprehendere: ſic enim ratiocinabantur: Virtus meretur mercedem, ſicut vitium punitionem: Juſti ergo debent remunerari, non autem pœnis affici. Sed hoc ænigma fuit explicatum cùm vel Innocentiſſimi fuerunt infortuniis impetiti. Jeſus Chriſtus qui eſt *Sanctus Dei* e, plus paſſus eſt, cùm ſanctiſſimi quique homines plùs communicaverunt ſacrificio paſſionum: propterea ſic ipſe querebatur Saulo, *Saule, Saule quid me perſequeris* f? Et quare? *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* g. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* h. Idedque Saulus perſequens fideles, perſequebatur etiam ipſum. Tereſia per multos annos ſubjacet derelictionibus. Et cur? *Ut deſtruatur corpus peccati* i. Hoc eſt totum conſilium Sponſi ſanctæ Virginis iſtius, & iſtud eſt quod ipſe adimplet, *Conſummatum eſt* k. Et hoc eſt etiam, quod intendit ipſe facere in favorem noſtrum. Quid autem mirum? cùm ipſa ſe deberet conformare Sponſo ſuo ſuper monte Calvariâ, ubi *milites Præſidis crucifixerunt eum. Et tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris. A ſex-*

r 1. Cor: 7, 4.
s Epheſ: 5, 31, ex Gen: 2, 24.
t 1. Cor: 7, 34.
u Luc: 10 41.
x S. Dion: lib de Div. Nom: c. 4.
y Dion: Carth: art. 33. in Luc: 12, 34.
z Gal. 2, 20.
a Malach: 3, 2. & 3.
b Sap. 3, 5. & 6.
c S. Chryſoſt in Pſ. 48, 6.
d Joan. 1, 14.
e Marc 1. 24. & Luc. 4. 34.
f Act. 9. 5
g Epheſ. 5, 30
h Coloſſ. 1. 18.
i Rom. 6 6.
k Joan. 19. 30.

rá

tâ autem horâ, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam
l Matth. 27, 27. &c. *terram, uſque ad horam nonam* l. Illo tempore
Dei Filius perfecit res maximas, adimplevit
m Gen. 49. 18. deſideria Patriarcharum *m*, & Prophetias *n*,
n Dan. 9. 26. & ſatisfecit prorſus juſtitiæ Patris ſui, *Chriſtus*
dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblatio-
o Epheſ. 5. 2. *nem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis* o. Et ta-
men quid ipſo miſerius? Pater ſuus deſerit ip-
ſum, ſicut ipſemet ei queritur, *Deus meus, Deus*
p Matth. 27, 46. ex Pſ. 21, 2. *meus, ut quid dereliquiſti me* p? Spiritus ſan-
ctus non conſolatur eum. Quin & ipſemet re-
linquit humanitatem ſuam expoſitam paſſioni-
bus, & extremo agoni, *Ieſus autem clamans*
q Matth. 27, 50. *voce magnâ* q, *dixit, Conſummatum eſt* r. Quaſi
r Joan. 19, 30. diceret, Amor meus habet perfectionem ſuam.
In hoc ſtatu deplorabili conſummatur Matri-
monium Tereſiæ cum Jeſu: hîc Tereſia in ci-
neres redigitur inter ignes & flammas Divini
Amoris.

Ubi, ſi placet, obſervate differentiam quæ
eſt inter ignem materialem & ignem Divinum:
quòd ignis elementaris aſcendit & elevatur in
cuſpidem, ut eat ad ſphæram ſuam: ignis verò
Divinus deſcendit, ut uniat ſe creaturæ: & ig-
nis hominis elevat ſe, ut adhæreat Deo. To-
tum hoc repetitur in Tereſiâ. *Tres ſunt qui*
teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spi-
ritus ſanctus. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in
terrâ, ſpiritus, aqua, & ſanguis, ait S. Joan-
s 1. Joan. 5, 7. & 8. nes *s*. Per ſpiritum intelligo puritatem Te-
reſiæ, quæ manet Virgo, licèt conſummet
Matrimonium ſuper monte Calvariâ cum Divi-
no Sponſo ſuo: per ſanguinem pœnitentiam &
mortificationem, quam ipſa exercet ſuper hoc
monte ſanguinolento: & per aquam fœcundi-
tatem ejus in puritate ſuâ, cùm fiat Mater Vir-
go. Per ſpiritum intelligo puritatem, quia
Spiritus eſt illius principium. Continentia eſt
donum Dei, *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe*
t Sap. 8, 21. *continens, niſi Deus det*, ajebat Sapiens *t*. Cùm
caro noſtra nos inducat ad impuritatem, *Video*
aliam legem in membris meis, repugnantem legi
u Rom. 7, 20. *mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ*
eſt in membris meis, dicebat Apoſtolus *u*. Deus
Spiritus ſanctus habet puritatem, *Domus pudici*
pectoris, Templum repentè fit Dei, canit Eccle-
ſia. *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus*
x Gen. 6, 3. *in homine in æternum, quia caro eſt* x. Per hanc
puritatem fit Matrimonium quod reddit totum
commune, ſicut dicebam ſuprà. Tereſia de-
fert nomen Sponſæ Jeſu, imò verò nomen il-
lius, ſicut ſponſæ nomina ferunt ſponſorum ſuo-
rum: ipſa vocatur *Tereſia à Ieſu*. Ipſa commu-
nicat omnibus prærogativis ejus, cùm ſit tota
pura, & dicere poteſt inſtar S. Agnetis, ſicut
canit Eccleſia, *Annulo fidei ſuæ ſubarrhavit me, &*
immenſis monilibus ornavit me. Pura in ſpiritu ſuo,
pura in corpore ſuo, in vitâ ſuâ, in actioni-
bus ſuis, in intentionibus ſuis, & in omnibus
ſuis procedendi modis.

Per ſanguinem eſt intelligenda mortificatio.
Jeſus effudit ſanguinem ſuum ſuper monte Cal-
variâ: & ſicut ibi conſummat Matrimonium
cruentum cum Tereſiâ; ſic ipſa ſe debet confor-
mare Divino Sponſo ſuo ibi, & participare paſ-
ſiones ipſius: *In tenerrimâ adhuc ætate cùm San-*
ctorum Martyrum acta perlegeret, adeò in ejus me-
y ex Pſ. 38, 4. *ditatione ſancti Spiritus ignis exarſit* y, *ut domo*
aufugiens, in Africam trajiceret, ubi vitam pro glo-
riâ Ieſu Chriſti, & animarum ſalute profunderet.
A patruo revocata, ardens martyrij deſiderium, elee-
moſynis, aliiſque piis operibus compenſaverit, jugi-
bus lacrymis deplorans optimam ſibi ſortem z *fuiſſe* z ex Luc. 10, 42.
præreptam, canit Eccleſia in ipſius legendâ.
Quod fuit ipſi martyrium ſeverius eo, ad quod
ipſa ſuſpirabat, cùm ipſa deſideraret trajicere
maria, & ſe morti tradere pro Sponſo ſuo, &
pro membris ejus, quæ ſunt fideles. Re au-
tem verâ meliùs apparet amor in paſſionibus, &
in deſiderijs, quibus ducitur aliquis patiendi:
charitas ſemper progreditur, eòque plùs, quò
objectum quod diligitur, majora præ ſe fert me-
rita: objectum Tereſiæ erat infinitum, quia
Deus, ut ait Baruch *a*, *magnus eſt & non habet* a Baruch. 3, 25.
finem. Sic iſtius Divinæ Sponſæ dilectio magna
erat, nec ullos habebat limites. Ipſa patieba-
tur à cœlo, & à terrâ. A cœlo, id eſt à Sponſo
ſuo, qui, ſicut audiviſtis ſuprà, dereliquit ip-
ſam diu in ſiccitatibus & ariditatibus ſpirituali-
bus, nedum tamen ipſa deſponderet unquam a-
nimum inter illos turbines, *Sic Deum alloqui ſo-*
lita; Domine aut pati, aut mori, ſicut canit Ec-
cleſia de ipſâ. *Quia fortis eſt ut mors dilectio* b. b Cant. 8, 6.
Ipſa erat veluti myrrha, cujus omnia folia ſunt
perforata, *Sagittæ Potentis acutæ cum carbonibus de-*
ſolatorijs c. Nam, ſicut audiviſtis ſuprà ex ca- c Pſ. 119, 4.
dem Eccleſiâ, *Tanto Divini Amoris incendio cor*
ejus conflagravit: ut meritò viderit Angelum ignito
jaculo ſibi præcordia tranſverberantem: & audierit
Chriſtum datâ dexterâ dicentem ſibi, Deinceps ut
vera Sponſa meum zelabis honorem. Sicut alias i-
dem Jeſus Chriſtus ſub formâ Seraphini, Sera-
phici Patris S. Franciſci *carnem Crucifixo conformi*
exterius inſignivit effigie, dicit S. Bonaventura *d*. d S. Bon. in Leg. Ed. S. Franciſc. c. 13.
Ipſa fuit pluſquàm Martyres, qui paſſi ſunt ma-
nibus carnificum: ſed ipſa paſſa eſt manu Amoris
ipſius, qui eſt Sponſus ſuus, & ipſa dicit ei, *Amore*
langueo e. Seu, juxta LXX. *Vulnerata Charitatis* e Cant. 5, 8.
ego ſum. Res quæ fiunt miraculoſè, fortiores ſunt
illis quæ fiunt naturaliter, ſicut humanitas Jeſu
Chriſti delicatior eſt, quia *de Spiritu ſancto eſt* f. f Matth. 1, 20.
Jeſus Chriſtus inſignivit eam inviſibiliter vulne-
re cordis ſui interventu Seraphini, ut intueret
Seraphicum amorem ejus. Ideoquè ipſa patie-
batur etiam à terrâ, id eſt, à ſeipſâ, ſicut canit
Eccleſia, *Cùm autem aſſidua ederet exempla vir-*
tutum, tam anxia caſtigandi corporis deſiderio æſtua-
bat, ut quàmvis ſecus ſuaderent morbi, quibus af-
flictabatur, corpus cilicio, catenis, urticarum ma-
nipulis, aliiſque aſperrimis flagellis ſæpè cruciaret,
& aliquando inter ſpinas volutaret, ſic Deum al-
loqui ſolita: Domine aut pati, aut mori.

Per aquam nobis ſignificatur fœcunditas, *Aqua*
multæ, populi multi g. Cùm Tereſia conſum- g Verſio ex Apoc. 17. 15.
met Matrimonium ſanguinolentum cum Jeſu
ſuper monte Calvariâ, ſed præ tanto amore, ut,
ſicut ipſe ſub vitæ ſuæ finem, Patris *in manus*
ſpiritum h ſuum commendavit: ſic ipſe Sponſam h Luc 23. 46. ex Pſ. 30. 6.
ſuam commendaverit eidem Patri ſuo, cùm il-
lam ſic familiariter fuerit allocutus in vitâ ipſius,
ut aliquando perforaverit ei manum uno è cla-
vis ſuis, promittens ei ſe amplexurum cauſam
ipſius, & invitans eam ad tuendam ſimiliter
cauſam ſuam Divinam. Ex hâc unione cor-
dium, & ex iſto Matrimonio Virginali, quod
conſummatum eſt ſuper monte Calvariâ, exivit
præclara fœcunditas: ipſa produxit, ſeu refor-
mavit Ordinem ſuum mulierum & virorum: ipſa
peperit tot Martyres, tot Doctores, tot Ponti-
fices, tot Confeſſores, tot Virgines ſuavitate
odoris puritatis ſuæ, tot filios & filias ſpiritua-
les prælantes ſub vexillis ipſius, *Gaudia matris*

habens cum virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, ut applicem illi verba, quæ S. Bernardus *i* dicit de Virgine Deiparâ. Id eſt, poſt Mariam, quæ verè & realiter fuit Mater & Virgo: ipſa verò effectivè quidem Virgo, ſed ſpiritualiter tantùm Mater. Vel iſta Canticorum *k*. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum Punicorum cum pomorum fructibus.* Ipſa eſt inſtar mali granati, quod venit in mundum cum coronâ in capite, ſicut Sol cum radijs ſuis: ſic ipſa produxit filios ſuos, & filias ſuas calore ſuæ Divinæ charitatis. Et hoc eſt quod teſtimonium reddit S. Tereſiæ.

i S. Bern. ſerm. 4. eadẽ pt.

k Cant. 4. 13.

Conemur imitari iſtam Sanctam in puritate ſuâ, in mortificatione ſuâ, & in abundante fœcunditate ſuâ. Animæ Religioſæ, ſatagite ut res iſtæ res teſtimonium perhibeant in favorem veſtrum, ut oſtendatis vos eſſe productiones S. Tereſiæ. Progenies Carmeli, proles Jeſu: nam Tereſia defert illius nomen, *Tereſia à Ieſu*, quanta vobis hinc gloria provenit. Sed facite *ſecundùm exemplar quod in monte monſtratum eſt* l vobis. Incedite per noctem mortificationis ſenſuum, & per noctem fidei, imitando Matrem veſtram. Et vos, Auditores, diſcite, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* m. Deus cognoſcit quòd iſtud iter crucis eſt vobis neceſſarium ad conſummationem perfectionis veſtræ, & ideò ſic Patrem ſuum orat in favorem veſtrum, *Pater, opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam: ut ſint conſummati in unum* n. Conſummate id quod ei promiſiſtis. Solitudo S. Tereſiæ replebit mundum, ſterilitas ipſius erit fœcunda, *Sterilis peperit plurimos* o. Ipſa parturiet proles, quæ erunt ornamentum domus Dei, derelictiones ipſius mutabuntur in fruitiones, & omnia ſuplicia ipſius convertentur in delicias, ſi vos ſimiliter comitemini ipſam per montem Carmelum, & per montem Calvariam, incedentes per noctes mortificationis ſenſuum, & fidei, ut *in lumine lumen* p videre poſſitis.

l Exod. 25, 40.

m Act. 14, 21.

n Joan. 17, 1. &c.

o 1. Reg. 2, 5.

p Pſ. 35, 10.

IN FESTO S. VRSVLÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. 2, Cor. 11. 2.

NOn indigent Sancti noſtris laudibus ut ijs utantur tanquam ornamentis, cùm ora noſtra nimis ſint profana quæ illorum prædicent præconia, & ſtatus felicitatis cui ſunt immerſi, inebriati *ab ubertate domus* Dei, *& torrente voluptatis* a ejus potati, ſit ſuperior illis omnibus, quæ de ijs linguæ noſtræ poſſent enunciare: mentes noſtræ non habent ideas ſatis fortes, manus noſtræ ſunt nimis graves, & colores noſtri non ſunt ſatis vivi ad delineanda tranſumpta & ad formandas imagines quæ nobis repræſentent pulchritudinem, ſplendorem, perfectionem, & gloriam prototypi: eloquentia noſtra non eſt ſatis diſerta, verba noſtra non ſatis exprimunt magnitudinem actionum illorum, diſcurſus noſtri ſunt conſcij defectus, & ſolus zelus meretur ipſis veniam: cùm igitur, Dominæ meæ, locuturus ſim de ſanctâ Urſulâ glorioſâ Matre veſtrâ, & ſimul de undecim millibus Sanctarum ſociarum ejus, quid dicam de eis? ſed quid de illis poſſum dicere? Si vellem intra limites ſic exigui diſcurſus omnes virtutes earum comprehendere, hoc eſſet prorſus (ut verum fatear) onerare me improperio, quod me pudore ſuffunderet, eò quòd attentaviſſem impoſſibile, & brevitate meâ obfuiſſem gloriæ meritorum illarum, quæ requirunt & tempus amplius, & ampliorem eloquentiam ad ipſa prædicanda: ſiſto in ſolâ qualitate quam poſſident ipſæ Virginum, ſicut in illâ quæ magis in illis emicat, & quæ eſt in eis cauſa omnium aliarum qualitatum, quamque beatiſſima Virgo Maria prætulit ſupereminentiſſimæ dignitati Matris Dei, cùm ſuum non præbuerit conſenſum ad complementum myſterij ineffabilis Incarnationis, niſi ſub eâ conditione, quòd ipſa permanſura foret virgo, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* b? *Hoc eſt, nequaquam cognoſcere decrevi, & vovi quantum in me eſt* c. Iſtud eſt quod ipſa popoſcit ab Angelo, cùm *ingreſſus, ad eam dixit, Ave Maria.*

a Pſ. 35, 9.

b Luc. 1, 34 &c.

c Dion. Carth. art. 1, in Luc. 1, 34.

Non poſſum meliùs, Auditores, extollere gloriam virginitatis, nec vobis oſtendere præ majori ſplendore fœcunditatem ejus, quàm dicendo vobis, quòd ipſa produxit in perſonâ B. Mariæ Deiparæ ſalutem toti mundo, & hoc eſt quod S. Joſepho Sponſo illius dixit *Angelus in ſomnis, Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* d. Iſtud eſt totum quod de eâ dici poteſt, poſt quod nihil amplius mihi ſupereſt dicendum, quod non ſit inferius ijs quæ de illâ enunciavi: cogitate, ſi poteſtis, aliquid eâ maius, non eſt aliquid quod ei ſit æquiparandum. Dei Filius, *qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* e; & qui ut ſic naſci voluit liber à peccato †, quo purgatum veniebat mundum *, nativitatem ſuam ſumpſit è Virgine puriore ipsâ luce, ſine ullo concurſu viri, ſed ſolâ operatione Spiritus ſancti: in quo fregit ordines naturæ, vivens ſemper in caſtitate, quæ vel à minimâ ſemper immunis fuit ſuſpicione. Sic Deus qui producit res in ſtatu perfectionis, immodicè diligens puritatem, quæ fuit lenocinium, quod ipſum attraxit è cœlo in terram, & è Deo ipſum fieri fecit hominem, faciens ipſum exire *à Patre, & in mundum* f venire, & qui dat eis illud quod eſt optimum, *creavit hominem* g virginem: & Adam manſit in paradiſo terreſtri quandiu fruitus eſt hâc Divinâ qualitate, *Princeps generis Adam & Eva quandiu intellectu carebant, nudi agebant. At ubi de arbore agnitionis guſtaverunt, nihil primum ſenſerunt quàm erubeſcendum*, ait Tertullianus *h*. Cùm paradiſus ſit domicilium virginitatis, & ij qui eam poſſident, digni ſint hâc habitatione paradiſi, unde ejiciuntur Protoplaſti noſtri amiſſâ virginitate, *Eva in paradiſo virgo fuit*,

d Matth. 1, 20. & 21.

e Philipp. 2.6 & 7.

† Pſ. 5.5.

* Dan. 9. 24.

f Joan. 16, 28.

g Gen. 1, 27.

h Tert. lib. 1. de Virg Veland. c. 11. ex Gen. 3, 6. &c.

ſuit, poſt pelliceas tunicas initium ſumpſit nuptiarum.
i S. Hier. epiſt. 22. num. 54 &c. *Tua regis paradiſus eſt*, ait S. Hieronymus *i* ſcribens ad virginem Euſtochium de Cuſtodiâ Virginitatis. Et ſtatim ſubdit, eandem virginem alloquens, *Serva quod nata es, & dic: Revertere*
k ex Pſ. 114. 7. *anima mea in requiem tuam* k. *Et ut ſcias virginitatem eſſe naturæ, nuptias poſt delictum: virgo naſcitur caro de nuptiis, in fructu reddens, quod in radice perdiderat.* Quantum ad præceptum quod ſuſceperunt à Deo Protoplaſti noſtri mul-
l Gen. 1, 28. tiplicandæ ſpeciei, *Creſcite & multiplicamini* l: hoc fuit ipſis damnum particulare, & minus bonum remuneratum conſideratione commodi generalis: *Creſcat, & multiplicetur ille, qui impleturus eſt terram*, ait paulò antè idem S. Hiero-
m Gen 4. 5. &c. nymus. Lex naturæ *m*, & Lex ſcripta *n* mun-
n 1 Reg. 5, 10. &c. dum replebant hominibus, licèt in utrâque non deeſſent virgines. In Lege naturæ Abel *o* erat
o Gen 4, 2. virgo. In Lege autem ſcriptâ Elias *p*. Sed Lex gratiæ replere debebat cœlum virginibus
p 4 Reg. 1, 8. qui ſunt illius Angeli, *Sunt ſicut Angeli Dei in cœ-*
q Matth. 21, 30. *lis*, ait S. Matthæus. *q*. Quamobrem S. Hieronymus ait paulò pòſt, *Vacuus erat orbis; &, ut de typicis taceam, ſola erat benedictio liberorum.*
r ex Gen. 25, 1. &c. *Propterea & Abraham jam ſenex Ceturæ copulatur* r. *Paulatim verò increſcente ſegete, meſſor immiſſus eſt: virgo Elias, virgo Eliſeus, virgines multi filii Prophetarum. Statim ut Filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, novam ſibi familiam inſtituit, ut, qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris.* Sic idem ſanctus Doctor non laudat Matrimonium, niſi quia ex eo virgines procedunt, *Laudo nuptias, laudo conjugium: ſed quia mihi virgines generant: lego de ſpinis roſam, de terrâ aurum, de conchâ margaritam.* Ubi obſervate, ſi placet, quòd *complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fece-*
s Gen. 2, 2. *rat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat* s. Id eſt, quòd ſi ceſſavit facere productiones, eas terminavit die, quem deſtinavit ad ſanctitatem, ad perſuadendum nobis ut eſſemus caſti, ſi perfectâ frui vellemus requie, & anticipare ſuper jura reſurrectionis, quando homines vivent more Angelorum, quia re verâ Angeli ſunt virgines cœli, ſicut virgines ſunt angeli terræ: *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Quod dico contra hæc ora infamia quæ condemnant conditionem iſtius felicis ſtatus, qui proximè accedit ad Deum, qui facit homines Angelos, & niſi inſimuletis me exceſſus, dicam
t S Baſil. lib. de Verâ Virginit. cum S. Baſilio *t*, quòd iſte ſtatus eos ſimiles Deo faciat, *Magnum quidem, ut verè dicam, eſt virginitas*, ait Sanctus iſte Pater, *incorruptibili Deo, ut ſummatim dicam, hominem ſimilem faciens.* Poſt hæc quid dici poteſt amplius? Si caſtitas non eſſet perfectio, Jeſus Chriſtus non reduxiſſet ipſemet eam in praxim; non dilexiſſet eam in Virgine ſanctiſſimâ ſuâ Matre, quam audiſtis ſu-
u Luc. 1, 34. prà reſpondentem ſic Angelo, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* u? Et in Apoſtolis ſuis, præſertim verò in S. Joanne Evangeliſtâ, de quo canit Eccleſia, *Diligebat autem eum Ieſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit. In cruce denique moriturus, huic Matrem ſuam Virginem virgini commen-*
x ex Joan. 19, 27. *davit* x. Et cùm ſit ipſamet *Veritas* y, non
y Joan. 14, 6. præbuiſſet conſilium contrarium legi ſuæ; ita ut condemnare hanc puritatem, idem ſit ac pronunciare blaſphemias contra merita Jeſu Chriſti, accuſare falſi conſilia ejus, & vitam ejus inſimulare imperfectionis. Quod dictum ſit obiter ad tuendam virtutem iſtam, cùm dies iſte ſit dies panegyris, non autem controverſiæ. Ulteriùs progredior, & viviores applico colores, ut majorem ſplendorem & gloriam virginitati concilem in favorem S. Urſulæ Ducis tot ſanctarum Virginum, quæ ſic ubertim mundum implent, ut aliquando cœlum ſint repleturæ. Dico igitur, quòd, cùm Deus tria magna ſuſtinuerit diluvia, id eſt, tres inſignes moleſtias aut dolores ſuſceperit (ſi ita loqui ſit fas, cum in Scrip-
z Gen. 6, 5. & 6. turâ *z*. *Deus tactus dolore cordis intrinſecùs* dicatur) nunquam majori perfuſus eſt conſolatione quam ex virginitate: & credo quòd poſt B. Virginem
Diviſio. Mariam B. Urſula magis lætificavit eum inter tædia & dolores ipſius, ut videbimus in triplici parte diſcurſus iſtius, inter tria diluvia.

I. Pars. Etiamſi Deus ſit beatus in æternitate ſuâ *a*,
a Pſ 2, 7. & Joan. 1, 18. & deliciis fruatur ineffabilibus *b*, æquè ac immortalibus *c*, ad quas utic nulla pervenire pot-
b 1 Cor. 2, 9. eſt adverſitas, ut ait ei Pſalmiſta *d*, *Non accedet*
c 1. Timoth. 6, 16. *ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo:* primum diluvium quod paſſus eſt,
d Pſ. 90. 10. prima moleſtia quam ſuſtinuit, & primus dolor quem ſuſcepit, fuit in caſu Angelorum rebellium ab ipſo mundi principio, cùm mundus ſuis erat adhuc in cunis: cùm enim per totam manſiſſet æternitatem nedum aliquid produxiſſet extra ſe, ſemper beatus in fruitione ſuæ felicitatis, & in contemplatione ſuæ naturæ, & in dilectione ſui, creavit in principio temporis has nobiles creaturas, quas eduxit è nihilo, ut daret eis eſſe æquè elevatum ſupra humanum, ac homo nobilior & excellentior eſt ipſis animan-
e Gen. 1, 3. tibus: *Dixitque Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux* e.
f S Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 9. Unde S. Auguſtinus *f* intelligit Angelos, dicens, *Illud ante omnem diem feciſſe intelligitur, quod dictum eſt, In principio fecit Deus cœlum & terram* g:
g ex Gen. 1, 1. *ut cœli nomine intelligatur ſpiritalis jam facta & formata creatura, tanquam cœlum cœli hujus, quod in corporibus ſummum eſt.* Quantùm vero ad prærogativas illis à Deo conceſſas, idem S. Doctor *h*
h S Aug. lib 12 de Civit. Dei, c. 9. dicit alibi, quòd *eos crearit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Vehementer igitur afflictus fuit (ſi mihi liceat ponere afflictionem in loco beatitudinis, quò nulla admittitur afflictio, loquor noſtro concipiendi modo) & ut meliùs conceptum meum exprimam, exacerbatus fuit, videns tot ſpiritus Angelicos, demerſos in mare ſuperbiæ, & mutatos è ſolibus emicantibus lumine in phantaſmata horribilia & in dæmones terrificos, & denſis tenebris obvolutos. Impetuoſus ventus ſuperbiæ, qui extollens illos in contemptum Dei ſuper aſtra, præcipitavit eos in profundas abyſſos inferorum: aſcenderunt, ſed & deſcenderunt, & aſcenſus eorum non deſervivit ipſis niſi ad reddendum caſum ipſorum probroſiorem, ſicut illos ſubſan-
i Iſai. 14, 12, &c. nat Iſaias *i* in perſonâ Luciferi ipſorum Anteſignani, dicens ei, *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Atqui id omne quod eum conſolatus eſt in hoc infelici & funeſto naufragio, fuit conſideratio virginitatis, conſideran-
k Iſai. 7, 14. do quod *Virgo Filium* k *Deum* conceptura & paritura eſſet, qui reparaturus eſſet hunc caſum,

&

& quòd à virginibus replendum eſſet vacuum Angelorum apoſtatarum : atqui ex omnbus virginibus (ſolam excipio Deiparam) nulla unquam fuit purior, aut in puritate ſuâ fœcundior noſtrâ S. Urſulâ, quæ unica duntaxat vice peperit undecim millia Virginum cœlo? Mitto innumeras alias quæ diſperſæ ſunt per totum orbem, quæ lætificant puritate ſuâ, & bono odore ſanctitatis ſuæ, majeſtatem ſupremam Dei, & deſtinatæ ſunt ad replenda tandem & occupanda loca Angelorum ſuperborum : ſic virgines terræ, ſicut diximus, ſunt velut Angeli cœli, *Sunt ſicut Angeli Dei in cœlo* l. Super quod S. Ambroſius m ait, Virgines alloquens, *De hoc mundo eſtis, & non eſtis in hoc mundo. Seculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quàm præclarum autem Angelos propter intemperantiam ſuam in ſeculum cecidiſſe de cœlo, Virgines propter caſtimoniam in cœlum tranſiſſe de ſeculo.* Sic magis admirari debemus Virgines quàm Angelos, quia Virgines habentes corpus vivunt non ſecus ac ſi eſſent abſque corpore, ſic triumphus Virginum eſt glorioſior, cùm referant victoriam præ majori labore & difficultate : illud enim quod elevat Virgines ſupra Angelos, eſt, quia Angeli ſunt tales naturâ ſuâ, Virgines verò tales ſunt virtute ſuâ ; ſic Angeli reverentur Virgines, & converſantur familiariter cum illis, *Vide ne feceris : conſervus tuus ſum* n, ajebat Angelus S. Joanni Evangeliſtæ, qui erat Virgo, & qui volebat ipſum adorare cultu ipſi debito. Propterea Tertullianus o dicebat, *Puella jam in terris non nubendo, de familiâ Angelicâ deputantur.* Quale gaudium paradiſo, videndo ſe repletum eodem tempore undecim millibus Virginum? Qualis ſatisfactio Angelis, intuendo ruinas ſuas reparatas tanto numero animarum beatarum ſimul? Qualis lætitia Reginæ Angelorum, aſpicienti comitatum ſuum virgineum ſic honorabili ſocietate auctum? Sed qualis gloria S. Urſulæ, eò quòd ſic feliciter direxerit iſtas victimas ad portum ſalutis, & iſtas puras & innocentes columbas volare fecerit ſic feliciter in Empyreum, exhortans eas exemplo ſuo, æque ac verbis ſuis ad amittendam potiùs vitam quàm pudicitiam?

l Matth. 22, 30.
m S. Ambr. 1. lib. de Virg. prope finem.
n Apoc. 19, 10.
o Tert. lib. 1. ad Uxor. c. 4.

Ha S. Urſula eſt inſtar alterius Deboræ, quâ Deus utitur ad conciliandas ipſi animas! Barac Dux populi Dei adverſus inimicos ejuſdem populi, & Dei *aſcendit cum decem millibus pugnatorum, habens Deboram in comitatu ſuo* p. Dei Filius, quem Pater æternus dedit *Ducem Gentibus* q ad lucrandas ipſi animas: *Venit enim Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat* r; *exivit vincens ut vinceret* s. Et ideò *aſcendit cũ millibus* undecim Virginum, Urſulam *habens in comitatu ſuo.* Quænam majores deliciæ cordi Dei afflicti propter ruinam exercitus ſui, ob jacturam tertiæ partis militum ſuorum, qui per rebellionem ſuam ex Angelis effecti fuerunt diaboli? *Et ecce draco magnus rufus, & cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem : & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* t. Quale gaudium Deo, videndo turmas ſuas bellicas ſubitò auctas & roboratas ita generoſo & magnanimo regimento compoſito ex undecim millibus militum, ex undecim millibus Virginum, & omnium Martyrum exeuntium victricium recenter è certamine adhuc proprio ſanguine purpuratarum; ſed etiam ex numero innumero aliarum Virginum, quæ viventes in Clauſtris, & prælïantes ſub vexillis hujus generoſæ & incomparabilis Bellatricis, poſt datum nomen ſuum militiæ ejus, lætificat Deum puritate ſuâ, & bono odore ſanctæ vitæ ſuæ, deſtinatæ ad replendum in Empyreo locum vacuum Angelorum ſuperborum?

p Judic. 4. 10.
q Iſai. 55, 4.
r Luc. 19, 10.
s Apoc. 6, 2.
t Apoc. 12, 3. & 9.

Gordianus Imperator lætificaturus populum Romanum, recenſetur exhibuiſſe ei in notam liberalitatis ſuæ intuendum ſpectaculum decem millium urſorum eodem die : ſed illud nihil eſt, æquiparatum admirabili ſpectabulo quod S. Urſula exhibet intuendum Curiæ cœleſti, & omnibus incolis ejus, non decem millium urſorũ, ſed undecim millium Virginum Anglarum, quæ ingreſſum ſuũ peragunt triumphantem eâdem die, & eâdem horâ in cælum, poſtquàm feliciter vicerunt mundum cum omnibus vanitatibus ejus, diabolum cum univerſis conſortibus ejus, & carnem cum cunctis lenocinijs illius ſub directione parvæ urſæ, id eſt, S. Urſulæ micantioris & elevatioris nubilitate, & quâlibet aliâ qualitate quam ſunt duæ urſæ cœleſtes, major & minor.

Secundum diluvium ſuſtinuit Deus in mundo, cùm juſte exacerbatus propter peccata hominũ, quorum tolerare non poteſt horrorem, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* u; univerſum mundum ſubmerſit aquis diluvij generalis, exceptâ unicâ familiâ, cujus caput juſtũ erat: *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit* x. *Factumque eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram. Et delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli; & deleta ſunt de terrâ : remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arcâ* y. Qualis moleſtia Deo? cùm omnes opifices ſemper affectu ducantur erga opera ſua, & nulla ſit cauſa quæ naturaliter non diligat effectum ſuum : Deus Creator erat iſtius orbis, & homines erant opus eximium manuum ejus, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem* a. Videns igitur omnes homines periiſſe in diluvio univerſali, quomodo libẽter jacturam illorum ſuſtinere potuiſſet, poſt exhibitas eis ita validas probationes dilectionis ſuæ? miſeretur infortunij illorum, & proteſtatur quòd nollet feciſſe illos, videns ſe obſtrictum ad deſtruendos eos juſtitiâ ſuâ, quæ peccatum relinquere non poteſt impunitum; *Pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terrâ* b. Quomodo autem complacuiſſet ipſe ſibi in deſtructione illius ejuſdem rei, quam tantâ curâ concinnaverat? Pœnitet illum igitur, & ipſe aliquo modo patitur in executione juſtitiæ ſuæ, & velut invitus deſtruit opus ſuum, non valens illud ſuſtinere in ſtatu malitiæ, quæ jugiter provocat iram ejus, *Et tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cœli; pœnitet enim me feciſſe eos* c. Atqui in hâc afflictione quæ fuit univerſalis, in hâc ſtrage quæ deſtruxit omnia, Deus non eſt contentus, nec ullam ſuſcipit ſatisfactionem, niſi ex virginitate : cùm enim Noë prudentiâ ſingulari, & notitiâ cœleſti magni amoris quo Deus diligebat hanc virtutem, introduxiſſet in *arcam* d multas ſpecies beſtiarum & volucrum virginum, ad ſacrificandas eas Deo poſt diluvium : *ædificavit autem* peracto diluvio idem *Noë altare Domino : & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis,*

II. Pars.
u Sap 14, 9.
x Gen. 6, 9.
y Gen. 7, 10. & 23.
a Gen. 2, 7.
b Gen. 6, 6.
c Gen. 6, 6. & 7.
d Gen. 7, 15.

obtulit

obtulit holocauſta ſuper altare: odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis, & ait ad eum; Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines e. Ita ut fumus iſtius ſacrificii lætificaverit Deum, quia exibat ex beſtiis & volucribus virginibus, & quæ nullâ infectæ erant maculâ. Impuritas eum irritaverat, *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam* f. Tota natura ante diluvium corrupta erat peccato carnis: Deus moleſtè ferebat ſe ejici ab hominibus, quorum ſordes & fœtores ſuſtinere non poterat, *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* g. *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* h. Puritas traxit illum ad locum domicilii ſui: ubi invenitur contrarium ipſius quod eſt impuritas, Deus ibi non adeſt. Urſula, ha! Urſula diſponens undecim millia Virginum ad præliandum pro conſervatione virginitatis, conſecrat eodem tempore undecim millia templorum Deo, ut in eis Deus conſtituat domicilium ſuum, & in illis habitet, quieſcat, & ſuas delicias reperiat; dicat ei undecim millia hoſtiarum, ut offerantur ei in ſanctuario ipſius: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos* i. Ha! dicamus, Auditores, præ immodicâ ſatisfactione, exclamemus præ ingenti gaudio, ſicut aliàs populus Iſraeliticus in deſtructione Siſaræ hoſtis ſui, æquè ac Dei, *Nova bella elegit Dominus* k. Deus elegit ſibi recentes milites, novas virgines præliantes pro puritate, & exeuntes victrices è certamine; elegit ſibi Deus novas victimas ſacrificandas in templo ſuo. Urſula igitur dat gloriam Deo; & ſi ipſe non eſſet ubique per immenſitatem ſuam, quod eſt impoſſibile, *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* l? ipſa induceret eum ad veniendum è cœlo in ſanctuarium cordis ſui, ut ipſe reperiret ibi delicias ſuas, & frueretur ibi caſtis ipſius amoribus, qui nihil habent profanum, & cujus flammæ ſunt prorſus Divinæ, *Dilectus meus mihi, & ego illi qui paſcitur inter lilia* m. Ipſa tribuit omnes amores ſuos Deo, & hoc eſt ipſam vehementer affligere ac ipſi loqui de amore creaturarum: ipſa perfundit igitur oblectamento Deum, ipſa lætificat eum puritate ſuâ & ſociarum ſuarũ inter dolorem quo afficitur intuitu fœtorum hominum qui irritant iram ipſius, quæ juſtè inducit ipſum ad capeſſendam de eis ultioné, *Delebo hominem quem creavi* n.

III. Pars. Tertium diluvium, fuit illud quod perpeſſus eſt Salvator animarum noſtrarum, ignominioſæ æquè ac doloroſæ cruci ſuffixus, factus *opprobrium hominum, & abjectio plebis* o, cùm omnes fluctus elevati ſunt adversùs illum, ut ipſemet queritur, *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me* q. Cùm innocens hæc victima fuit immolata, cùm myſticus iſte Jonas miſſus eſt *in mare: & ſtetit mare à fervore ſuo* r. Sed Jonas *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* s.) cùm alter eſſet criminoſus) *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum* t. Crudele diluvium, ſed diluvium Sanguinis, quod cœlum non poteſt intueri, & quod tota natura deplorat, *Et obſcuratus eſt Sol; & velum templi ſciſſum eſt medium* u. *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt* x. Omnes creaturæ, exceptâ rationali ut ingratâ, ſuo modo compatiuntur morti Creatoris ſui: atqui in hoc amaro Oceano paſſionis ſuæ; dulciorem non ſuſcipit ipſe conſolationem quàm à virginitate, ſciens apprimè quòd Virgines præ omnibus ſibi deberent applicare primitias ſanguinis ipſius, & ex eo præ univerſis haurire ſalutem ſuam, juxta id quod dixit S. Joannes in Apocalypſi y ſuâ, loquens de virginibus, *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Jeſus deſtinat virgines ad poſſidendas primitias ſanguinis ſui; ſic *hi ſequuntur Agnum quòcumque ierit* z. Nec illum unquam derelinquunt: ſic *tunc* cùm *diſcipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt: adoleſcens quidam ſequebatur eum* a. *Scilicet Chriſtum jam comprehenſum. Iſte creditur fuiſſe Joannes Evangeliſta*, ſubdit Carthuſianus *b*. Qui erat virgo, ſicut dixi ſuprà: ſic *juxta crucem* c, nullam ſuſcipit conſolationem niſi à Virginibus compatientibus doloribus ipſius, à B. Virgine Matre ſuâ, à Mariâ Magdalenâ quæ poſt converſionem ſuam, ut ait S. Chryſoſtomus *d*, *aſtris purior invenitur*. Et à S. Joanne Evangeliſtâ. Nihil fortius, nihil generoſius, nihil etiam difficilius virginitate: *Virtus verſatur circa difficile*, ait Philoſophia. Cùm hæc virtus verſetur circa id quod eſt difficillimũ: ſic major gloria comparatur, cùm vincitur *Angelus Satanæ* e, id eſt, concupiſcentia, quàm cùm diabolus ejicitur è corporibus; & ille eſt Angelus, & non homo, qui victor evadit in hoc certamine. Non dico ſatis; hoc eſt eſſe pluſquàm Angelum, cùm hæc victoria fiat *ſpectaculum Angelis* f. Virginitas eſt virtus ita perfecta & heroica, cùm ſit ſupra naturã, *Quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det*, ajebat Salomon *g*, ut eam Deus non præcipiat, ſed tantùm illam conſulat, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do*, dicebat S. Paulus *h*. Et S. Iſidorus *i*, *Virginitas admonita tantùm, non juſſa, ſed ideò tantùm admonita, quia nimis excelſa*. Sed præ illis omnibus Jeſus Chriſtus, *Qui poteſt capere, capiat* k. Quaſi diceret, Hæc virtus eſt voluntaria, & ad eam neminem obſtringo, hæc eſt perfectio quæ non eſt communis omnibus; ſic meretur ipſa mercedem ſpecialem quæ propria non eſt niſi Virginibus: ipſa eſt quæ facit Martyres, cùm ad eam cuſtodiendam tradatur ſanguis: ſi autem *majorem hâc dilectionem nemo habet ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* l; quonam affectu non dilexit Urſula Sponſum ſuum? quid eſt quod ipſa non egit? Non ſolum ipſa renunciavit deliciis carnis, vanitatibus & honoribus mundi, æquè ac divitiis, ad quas conditio ipſius, prout filiæ Regis, ipſam vocabat; ſed etiam ſanguinem ſuum, vitam ſuam, & totum quod habuit, impendit in amorem ejus. Sic ipſa triumphat de Tyrannis, de eorum blanditiis & promiſſis, conſentire non vult profanis amoribus eorum, & mavult mori quàm violare fidem promiſſam Divino Sponſo ſuo in Baptiſmate ubi renata eſt *ex aquâ & Spiritu ſancto* m. Præterea, Suas impendit ipſa operas ad replendum cœlum: & poſthæc quomodo curæ ejus, zelus ejus, ardores ejus non perfunderent oblectamento Deum, videndo quòd undecim millia Virginum eodem tempore utilitatem deberent carpere ex fructibus paſſionis ſuæ? Hæc cogitatio temperat dolores ejus, & gaudet ſe paſſum eſſe pro victimis innocentibus, quæ debebant ipſi immolari, & ipſi reddere ſanguinem pro ſanguine, & vitam pro vitâ: Urſula laborat pro Deo, & reddit pro ſe & pro ſociabus ſuis merita ipſius efficacia, ita ut dicere poſſit ipſa cum S. Paulo *n*, *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*. Et ecce quomodo.

Cùm Tyrannus Maximus ſub Imperio Gratiani filii Imperatoris Valentiniani Magni, expuliſſet incolas ex Armoricâ, Provinciâ Franciæ, aut eos internecione delevuſſet, ita ut illa Provincia

e Gen. 8, 20, & 21.
f Gen. 6, 12.
g Gen. 6, 3.
h Sap. 1, 4.
i 1. Cor. 3, 17.
k Judic. 5, 8.
l Jer. 23, 24.
m Cant. 2, 16.
n Gen. 6, 7.
o Pſ. 21, 7.
q Pſ. 60, 2.
r Jon. 1, 15.
s Hebr. 7, 26.
t Iſai. 53, 8.
u Luc. 23, 45.
x Matth. 27, 51.
y Apoc. 14, 4.
z Ibid.
a Marc. 14, 50, & 51.
b Dion. Carth. art 14, in Marc. 14, 51.
c Joan. 19, 25, &c.
d S. Chryſoſt. hom. de Pœnit.
e 2 Cor. 12, 7.
f 1. Cor. 4, 7.
g Sap. 8, 21.
h 1. Cor. 7, 25.
i S. Iſid. lib. de ſũ. Bon. c. 40.
k Matth. 19, 12.
l Joan. 15, 13.
m Joan. 3, 5.
n Coloſſ. 1, 24.

ab eo ſubjugata, deſerta fuerit ab eo relicta; miſit illuc ad eam propagandam, coloniam militum Anglorum, qui dederunt Armoricæ nomen Britanniæ novæ, vel minoris, ut diſtinguerent eam à majori Britanniâ, quam nunc vocamus Angliam: & quia milites illi nondum erant conjugati, judicavit Tyrannus quòd ad ritè ſtabiliendam coloniam, providendæ eſſent eis uxores ortæ ex iiſdem regionibus, è quibus ipſi orti erant; ideò tot eligendas ſategit puellas, quot erant viri, uſque ad numerum undecim millium: inter eas præcipuâ, erat Urſula filia Dioconi Reguli Cornubiæ deſtinata ad ineundas nuptias cum Conano, primo Duce exercitus Maximi; aliæ verò puellæ deſtinatæ fuerunt ad contrahenda Matrimonia cum aliis viris, ſingulæ cum ſingulis ſecundùm qualitates & merita uniuſcujuſque: & omnes eas in naves fecit aſcendere; ſed vix explicitis velis Oceano commiſſæ erant, cùm venti impetuosè flare cœperunt, ita ut fluctus elevarentur in montes, & poſteà cavarentur in abyſſos; & naves quæ incipiebant impleri, deferrent nudas, quibus deferri debebant; & idem elementum quod eas ſublevabat, ipſis eſſet onus; & illi qui in eis erant, evidenti mortis periculo ſe expoſitos intuentes, tremore concuterentur, auxilium Divinum inclamantes, & levantes manus ſuas ad cœlum, vocem ſuam confunderent cum tempeſtate: de illis omnibus actum videbatur, & nihil amplius videbatur ſupereſſe proponendum, niſi fortè num expectandum eſſet naufragium, aut illud præveniendum audaciâ deſperatione miſtâ. Heu! quàm ingentia promebant ſuſpiria, & in quas erumpebant querelas tot puellæ, quæ nunquam fuerant expertæ tempeſtatem, in loco ſecuro ſemper conſtitutæ in ſocietate matrum ſuarum, perfuſæ conſolationibus & viſitationibus propinquorum & amicorum ſuorum, deliciis indulgentes innocuis, cùm ſe tunc derelictas viderent ab omnibus, exceptis procellis quæ ipſas comitabantur. Nedum naves appellerentur Galliam, delatæ ſunt impetu ventorum ultra inſulas Selandiæ, & Hollandiæ uſque ad os Rheni fluvii qui ſeparat majorem Germaniam à minori, & cadit in Oceanum Hollandiæ: innocentes oves iſtæ ratæ ſe evaſiſſe ex uno periculo, cui ſe viderant expoſitas, inciderunt in aliud majus, ita ut ipſis ſingulis applicari poſſet id, quod ait Poëta,

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Id eſt, è naufragio apparenti in labefactionem realem: inciderunt, inquam, in manus piratarum Hunnorum, qui diſſolutiſſimi ſunt, & ventri ſuo præ cæteris nationibus indulgentes, *Gens Hunnorum impudica*, ait Salvianus *o*. Piratæ eripuerunt eis omnia, & cùm univerſa ab eis abſtuliſſent, famam illarum præſumebant etiã attentare. Quid agetur de innocentibus iſtis Virginibus? quid facient oves iſtæ manſuetæ inter iſtos lupos rapaces? Ha! Urſula nobiliſſima, conſtantiſſima, & generoſiſſima omnium, eas ſic alloquitur; Chariſſimæ ſorores meæ, oportet ut in hâc occaſione noſtræ magnanimitatis probationes exhibeamus, ne unquam nobis improperetur, nos aliquid perpetraſſe virtute indignum, quod denigrare poſſit famam noſtram, & pravum exemplum poſteritati præbere: mementote finis propter quem eductæ fuimus è patriis noſtris invitę, nimirum ut ſociaremur militibus in regione alienâ, & nobis ignotâ, & in quâ non debebamus nobis polliceri niſi commotiones, & conclamationes ad arma: offert nobis Dominus noſter ſortem nobiliorem eâ, quam ſperare poteramus in illâ regione devictâ, ubi lacrymæ populorum nondum ſunt abſterſæ: penes nos eſt habere Divinum Sponſum: atqui Sponſus *p* iſte Virgo, natus è Matre Virgine *q*, non diligit porcos, ſed *porcos* *r* facit receptũ dæmonũ; ſuſtinere non poteſt hircos, ſed ſtatuit *hædos à ſiniſtris* *s* maledictionis ſuæ: nullum præbeamus conſenſum hircis iſtis & infamibus porcis, qui nobis eripere volunt theſaurũ, quẽ ſemel amiſſũ Deus reſtituere nobis ipſemet non poteſt: mactæ igitur animo filiæ Dei, Sponſæ chariſſimi Filii ejus, mactæ animo pretioſæ margaritæ, ne ſinatis conculcari vos *pedibus* *t* porcorũ iſtorũ; ſed potiùs ſtatuite vitam amittere quàm famam; & recordamini muris Pontici, animalis verè caſti, cujus imitari debetis puritatem, & inſcriptionem ejus præ vobis ſingulæ deferre, *Malo mori quàm fœdari*. Si iſti barbari vobis necem inferant, ſi vos in fruſta diſcindant, ſi vos flammis tradant conſumendas, ſi piſcibus vos projiciant devorandas; ſi corium vobis præcidatur ſicut S. Bartholomæo, ſi cruci ſuffigamini more S. Andreæ, ſi applicemini rotæ aculeis & novaculis armatæ inſtar S. Catharinæ Alexandrinæ, ſi evellantur vobis dentes ut S. Apolloniæ, ſi recentur vobis ubera ſicut S. Agathæ, & ſi redigant hi vos in cineres, Deus qui fecit vos è cineribus *u*, poterit vos reficere & reparare, *Ecce non eſt abbreviata manus Domini* *x*. Nihilum agnovit potentiam ejus *y*, & id quod habet eſſe, nunquid non obediret illi? Moriamur igitur magnanimiter & generosè, mors honorabilis præferenda eſt vitæ ignominioſæ; ſic moriendũ eſt nobis aliquando, *Statutum eſt hominibus ſemel mori* *z*. Eligamus igitur mori pro caſtitate, & ob dilectionem, & fidelitatẽ quam debemus Sponſo animarũ noſtrarũ, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* *a*. Compenſemus dilectionẽ ejus erga nos mutuâ dilectione, reddamus ei ſanguinẽ pro ſanguine, & vitam pro vitâ, cùm nulla gratitudo major iſtâ poſſit inveniri. Sexus noſter eſt infirmus, verum eſt, & tormentorum timor vos terrore percellit, iſtud eſt quod intueor: ſed mactæ animo, gratia Dei qui vos aſpicit & vos adjuvat in hoc prælio, fortior eſt Tyrannis, & omnibus tormentis, quæ illorum ſævitia comminiſci poteſt: hæc gratia aliis opem tulit, & junioribus & infirmioribus quàm ſitis vos, dum eſſent amplexæ cauſam ipſius: S. Agnes, S. Lucia, S. Catharina, & tot aliæ innumeræ ſunt expertæ auxilium ejus, eidem periculo expoſitæ: eandem nos amplectimur cauſam ipſius: utquid ergo ſuum denegaret nobis auxilium in eodem periculo conſtitutis? Nolite timere, non tradet *beſtiis animas confitentes* *b* ſibi: bonitas ejus paterna nunquam deſerit eos & illas qui confidunt ipſi, ut ait illi Daniel *c*, *Quoniam non eſt confuſio confidentibus in te*. Illius bonitati confiſæ, poſtquàm ſingulæ dixeritis cum Pſalmiſtâ *d*, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram*: dicere poteritis cum Apoſtolo *e*, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. Id omne quod peragere poterunt in corde ſuo, aut in exceſſu furoris ſui ad vos excruciandas, non ſerviet niſi ad augendam gloriam veſtram, & ad vos decorandas pretioſioribus coronis. Hoc diſcurſu ſic S. Urſula ſocias ſuas animavit, ita eas igne Divinæ dilectionis inflammavit, ut unanimi conſenſu ſimul omnes ſtatuerint potiùs ſanguinem ſuum ad ultimam uſque guttam effundere, & vitam ſuam tradere inter atrociſſima quæque tormenta ſibi ab impiis illis

perſe-

o Salviã: lib. 4, de Provid.

p Matth: 25, 1.
q Matth: 1, 21.
r Matth: 8, 32.
s Matth: 25, 33.
t Matth: 7, 6.
u Gen. 3, 19.
x Iſai: 59, 1.
y Gen. 1, 1, &c.
z Hebr. 9, 27.
a Apoc. 1, 5.
b Pſ. 73, 19.
c Dan. 3, 40.
d Pſ. 120, 1. & 2.
e Philip. 4, 13.

perſecutoribus infligenda, quàm perdere gratiam Dei, & honorem puritatis; quod conſilium re verâ mandaverunt executioni, perpetientes generosè martyrium pro cuſtodiâ virginitatis ſuæ. Qualis gloriæ S. Urſulæ, huic parvæ urſæ, ſic ritè linguâ ſuâ & ſermone ſuo has productiones formaſſe *donec Chriſtus in* f *eis formaretur*?

f Galat. 4. 19.

Poſthæc quid dicere poſſum de S. Urſulâ? Sanè nihil aliud, niſi quòd ipſa non habeat ſimilem, ſed ſit abſque exemplo, *Non eſt talis mulier ſuper terram* g. Sol nunquam illuminavit, nec mundus unquam talem educavit Virginem, ſtupore me ciet magnanimitas ejus, æque ac eloquentia ejus exigit a me admirationes, & virtus illius meas ſibi conciliat reverentias totas: ipſa eſt miraculum in naturâ, & ſpectaculum gratiæ in mundo, quod unuſquiſque debet contemplari; ipſa ſervit loco improperii minùs virtuoſis, & prototypon perfectioribus ſe proponit imitandum: &, ut omnia uno verbo concludam, ipſa eſt quid magis eo omni quod de illâ poſſum enunciare, & ſtylus meus eſt nimis depreſſus nedum ſufficiat ad extollendas illius excellentias.

g Judith 11, 19.

Quantùm verò ad id quod vos intuetur, Dominæ meæ, quàm fœlix eſt ſors veſtra, quippe quæ vocatæ eſtis ad præliandum ſub vexillis Ducis ſic generoſæ: nomen veſtrum militiæ illius dediſtis, imitamini magnanimitatem ejus, conformate vos actionibus illius, & adhærete veſtigiis ipſius. Euge igitur, Animæ Religioſæ, *Imitari non pigeat, quod celebrare delectat*, ait vobis Pater veſter S. Auguſtinus *h*. Nihil eſt quod magis lætificet Sanctos, quàm cùm intuentur quòd imitamur virtutes ipſorum: non indigent laudibus noſtris, velut ornamentis, cùm dignè ſit illos laudare ac exemplum illorum ſequi: & iſtud eſt etiam totum quod efflagitant & expectant à devotionibus veſtris: imitamini igitur, Dominæ meæ, glorioſam Matrem veſtram S. Urſulam, proterite pedibus veſtris omnes vanitates mundi, ſpernite pompas illius univerſas, triumphate de inferno, & de cunctis conſortibus illius, tribuite gaudium Deo mediâ puritate veſtrâ; & eligite potiùs obire mortem, quàm aliquid patrare quod poſſit illam tantiſper denigrare. Re autem verâ iſtud officium deberet eſſe ordinarium Sanctimoniali ac mori, & ſacrificare jugiter ſuper arâ cordis ſui cunctos affectus ſuos, cùm vita Religioſa ſit, ut ait S. Bernardus *i*, *Martyrium ſine ſanguine*. Id eſt, mediis actibus frequentibus & non interruptis pœnitentiæ, qui in ipſâ exercentur. Et S. Hieronymus k laudibus evehens Paulam, & virginem Euſtochium filiam ejus alloquens, ait illi, quòd non ſolùm illi ſunt Martyres qui effundunt ſanguinem ſuum propter cauſam Chriſti, ſed etiam illi qui ducunt in obſequio ejus vitam devotam, ſanctâ, & immaculatam: *Mater tua longo martyrio coronata eſt: non ſolùm enim effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur; ſed devota quoque mentis ſervitus immaculata, quotidianum martyrium eſt.* Aliqui conſtituunt martyriũ Religionis in paupertate voluntariâ, quæ privat hominem omnibus commodis temporalibus; propterea, inquiunt illi, Deus eandem mercedẽ impendit pauperibus voluntariis, quàm Martyribus, *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum*. Et, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum* l. Quò referri poteſt id quod paulò antè dicit idem S. Hieronymus de paupertate voluntariâ Paulæ præfatæ, *Quid hâc virtute mirabilius, fœminam nobiliſſima familia, magnis quondam opibus, tantâ fide omnia dilargitam, ut ad egeſtatem pene ultimam perveniret? Iactent alii pecunias, & in corbonam Dei æra congeſta, funalibuſque aureis dona pendentia: nemo plus dedit pauperibus, quàm quæ ſibi nihil reſervavit. Nunc illa divitiis fruitur, & iis bonis, quæ nec oculos vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt* m. Alii ponunt illud in obedientiâ ob magnam difficultatem & repugnantiam hominis naturalem captivandę ſuæ mentis & voluntatis, judicio & voluntati Superioris. Tandẽ, S. Ambroſius *n* collocat illud in caſtitate: *Non enim ideò laudabilis virginitas, quia in Martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres faciat*. Præliandum eſt quippe die ac nocte ad vincendum ſpiritum fornicationis. Præliamini igitur, Dominæ meæ, ad exemplum S. Urſulæ Matris veſtræ, ſatagite ut omnes curæ veſtrę, & univerſa opera veſtra, æquè ac verba veſtra tendant ad dirigendas animas ad Deum: eſtote omnes coadjutrices Dei, eſtote univerſæ Urſulæ, id eſt, cunctæ parvę urſæ ad formãdas linguis veſtris, inſtructionibus veſtris, & ſanctis documentis veſtris puellas ad virtutem, edocentes eas id quod neceſſariũ eſt ad peragendam ſalutẽ ſuã. Iſtud eſt officiũ Angelorũ *o*, exercitiũ S. Joannis Baptiſtæ *p*, & praxis Jeſu Chriſti, quem Joël *q* vocat *Doctorẽ juſtitiæ*. Et qui ſic repræſentatus nobis à Clemẽte Alexandrino *r*; *Verbũ e ſupernis adhortans, deinde fungẽs Pædagogi officiis in omnibus, & nos edocẽs*. Hoc erit imitari S. Urſulã pharum veſtrã quæ tot millia animarũ duxit in cœlum: ſi imitemini eã, conſortes eritis gloriæ ejus.

h S. Aug. ſerm. 47. de Sanctis.

i S. Bern. in Sententiis.

k S. Hier. epiſt. 27. num. 81.

l Matth. 5. 3. & 10.

m ex Iſai. 64. 4. & ex 1. Cor. 2. 9.

n S. Ambr. lib. 1. de Virginib. poſt init.

o Hebr. 1. 14.

p Marc. 1. 4.

q Joel. 2. 23.

r Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 1.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Matth. 5. 12. &c.

OMnis merces ſupponit laborem, ſicut univerſus labor juſtè meretur, & expectare poteſt mercedem. Servi & mercenarii, non ſecus ac milites, ſuſcipiunt ſtipendium ſuum ordinarium à Domino ſuo, & die tranſacto mercedem laboris ſui, *Militia eſt vita hominis ſuper terram: & ſicut dies mercenarii, dies ejus. Sicut ſervus deſiderat umbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi*, dicebat Job *a*. *Quæ autem ſit merces*, ſubdit Hugo Cardinalis *b*, *habetur*, *Ego ſum protector tuus, & merces tua magna nimis* c. *Habui menſes vacuos adhuc remuneratione æternâ. Et noctes laborioſas enumeravi mihi, id eſt, adverſitates ſuſtinui, ex quibus cumulum virtutum coacervo. Creſcit enim virtus laceſſita.* Sub iſto titulo vitam Deus offert hominibus æternam, poſtquàm illos aluit curis providentiæ ſuæ *d*, ſicut *Dominus virtutum, Rex gloriæ* e, à quo bonis operibus reſervatur *corona juſtitiæ, quam reddet juſtus Iudex* f illis qui ea exercuerint, cuidam qui præ ſe bonam voluntatem ferebat operandæ ſalutis ſuæ, dixit, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* g. Iſte eſt labor, quem Deus exigit à nobis, nimirum, qui eſt obſervantia Divinorum mandato-

a Job 7. 1. &c.

b Hug. Card. in Job 7. 2. & 3.

c ex Gen. 15. 1.

d Luc. 12. 24. &c.

e Pſ. 23. 10.

f 2. Tim. 4. 8.

g Matth. 19. 17.

rum ipſius. Hæc beatitudo nobis hodiernâ die explicatur ſub diverſis nominibus, & promittitur per diverſa bona, quæ conveniunt virtutibus, quæ bona Sancti, qui pervenerunt ad gloriam, fecerunt, & quæ illi, qui adhuc vivunt, facere poſſunt. Pauperibus *ſpiritu regnum cælorum* datur, & illis qui patienter perſecutiones ſuſtinent; poſſeſſio terræ quæ deſurſum eſt, reſervatur mitibus; filiatio pacificis, & ſic de cæteris exaratis in Evangelio hodierno, ſed univerſis *merces copioſa eſt in cælis*. Imitemur eorum virtutes, ſi participare velimus eorum coronas, quod non poſſumus impetrare ſine gratiâ cœli, & quod *Regina Sanctorum omnium* nobis impetrabit, ſi dixerimus ipſi, *Ave Maria*.

Sapientia infinita Creatoris, quæ communicare ſe voluit creaturæ, nunquam meliùs apparet quàm in inclinatione, quam ipſa favorabiliter eſt omnibus largita entibus aſpirandi continuè ad id quod eſt conforme naturæ ipſorum, & quod intuentur ut finem ſuum, & perfectionem ſuam: licèt enim omnia perfecta ſint quantùm ad conditionem ſuam naturalem, *Dei perfecta ſunt opera* h; tamen ipſorum perfectio manca eſſet, niſi ipſa agerent propter aliquem finem, & niſi ipſa haberent aliquod objectum, ſeu, ut meliùs dicam, aliquos operationum ſuarum terminos. Verum quidem eſt, quòd hanc obſervamus differentiam, quòd entia purè libera & rationalia, agunt cognitione & electione, quandiu alia agunt cæco impetu & neceſſario, & hæc non impelluntur ad ſuum terminum, niſi ex ſolâ inclinatione junctâ, ſi velitis, alicui notitiæ imperfectæ deſumptæ a ſenſibus, nedum tamen ipſa cognoſcant futurum: illa verò roborata duplici auxilio, nimirum inclinationis, & rationis, agunt cum cognitione finium, & mediorum termino ſuo conſequendo opportunorum; & per eandem rationem deliberare poſſunt de iis quæ meliùs ipſorum perfectioni congruunt. Quòd ſi progrediamur ulteriùs, videbimus quomodo inter hæc, aliqua honorata lumine ſupernaturali, vident quò debeant pertingere, & illuc cum fervore feruntur: & licèt *ſignatum ſuper nos lumen vultus* i Divini, nobis oſtendat aliquid finis ultimi noſtri, qui non poteſt eſſe alius, niſi Deus, tamen iſte radius ſic infirmus eſt & imperfectus ut ad eum deducere non poſſit ſine radio ſupernaturali gratiæ. Cùm *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam* k, ſicut illum fecit ob gloriam ſuam, ita & voluit eſſe finis ejus, ſicut & cæterarum creaturarum, & prætereà merces ejus; ut, ſi natura eum defert ad ipſum, ut ad terminum ſuum, gratia faciat illum tranſire fœliciter ad ipſum, ut ad mercedem ſuam, quæ comparatur per opera laborioſa, quæ beatos nos conſtituunt in cœlo, ſicut etiam in terrâ; in cœlo per viſionem l, & cætera bona quæ ipſam ſequuntur; & in terrâ per amorem qui dat nobis beatitudinem inceptam, & qui perficitur in patriâ. Ecce quò tendit diſcurſus meus, nimirum ad loquendum vobis de duabus beatitudinibus, unâ in cœlo ſicut mercede, alterâ in terrâ velut merito, in duabus ipſius partibus.

h Deut: 32. 4
i Pſ: 4,7.
k Gen: 1, 27.
l Joan: 17,3.
Diviſio.

I. Pars.

Sicut omnes homines naturali fortiſſimâ & ardentiſſimâ inclinatione feruntur ad vitam; ſic Dominus vitæ, qui eſt ipſamet Vita, ſicut ipſemet ait, *Ego ſum Vita* m; & origo è quâ omnes aliæ vitæ procedunt, ſicut dicit ei David n, *Quoniam apud te eſt fons vitæ*, appoſitiſſimè locutus eſt, cùm repræſentavit mercedem ſub titulo vitæ, quæ tamen eſt eminenter elevata ſuper omnes vitas, quas ducimus in terrâ, quæ omnes ſunt mortales & caducæ, cùm obnoxiæ ſint mutationibus & viciſſitudinibus. Alia eſt vita ſimpliciter naturalis, qualis eſt plantarum. Alia eſt vita ſenſibilis, qualis eſt brutorum. Alia verò nobiliſſima & perfectiſſima, eſt intellectualis, qualis eſt hominis, Angeli, & Dei, & cujus operatio nobilior & excellentior, quæ eſt cognitio, eò ſublimior erit, quò adhærebit objecto altiori, quod ſatisfaciat ipſius actioni, quod nunquam poterit eſſe quandiu ipſa ſiſtet in creaturis, quæ non poſſunt implere vaſtam extenſionem capacitatis ipſius, ſed per ſolam contemplationem Creatoris. In hoc autem puncto eminenti ſtabilire & conſtituere debemus poſt Filium Dei, vitam æternam, gloriam beatificam, & fœlicitatem interminabilem: hic igitur *Ieſus ſublevatis oculis in cælum, dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* o. Seu, juxta Dionyſium Carthuſianum p, *Hæc eſt vita æterna, id eſt, vera atque cæleſtis fœlicitas conſiſtit in hoc, Ut cognoſcant clarè per ſpeciem, quod Apoſtolus* q *dicit, facie ad faciem te Patrem ſolum Deum verum, qui es Deus verus, præter quem non eſt alius Deus* r: *ita quòd dictio illa excluſiva, ſolum, determinat Deum, excludens omnem aliam Deitatem: quoniam non eſt Deitas præter eam quæ eſt in Patre, & quæ eadem numero eſt in tribus Perſonis, quæ ſunt unus ſolus verus Deus: eſtque hoc modo unaquæque earum ſolus Deus verus. Sic ergo cognoſcant te, & item quem miſiſti Ieſum Chriſtum, id eſt, in claro & fruitivo aſpectu Patris, & Filii, ſecundùm ejus Divinitatem, haud dubium quin & Spiritus ſancti, beatitudo omnis mentis creatæ eſſentialiter ſita eſt. Trinitas namque ſuperbenedicta eſt unum beatificum objectum omnium Beatorum: in cognitione autem Chriſti ſecundùm ipſius humanitatem, beatitudo conſiſtit, quantum ad præmium accidentale, & ex conſequenti, vel ſecundariò. Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac primæ Veritatis clara, & immediata, eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa fœlicitas: tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt. Hinc dicit Auguſtinus* s, *quòd viſio eſt tota merces, in quâ utique Ioannes* t *noſtram deiformem, & ſummam perfectionẽ, & per conſequens veram fœlicitatem conſtituit, dicens, Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Propoſitio certiſſima, cùm præter teſtimoniũ infallibile Salvatoris, ipſa ratio cõciliet ipſi authoritatẽ, quippe quæ nos docet, quòd fœlicitas primò perficere debet altiſſimam partẽ animæ, & nobiliſſimam facultatũ ejus, quæ eſt intellectus, cui nihil poteſt ſatisfacere, niſi ſolus Deus.

m Joan: 14, 6.
n Pſ. 35, 10.
o Joan: 17.1, & 3.
p Dion: Carth: art. 41. in Joan: 17, 3.
q 1. Cor: 13, 12.
r ex Deuter: 32, 39
s ex S. Aug: lib. 1, de Trinit c. 8.
t ex 1, Joan: 3, 2.

Hæc eſt illa requies, quam S. Paulus pollicebatur populo dilecto Dei, conformiter ad vocem cœli, quæ beatos prædicat illos, qui moriuntur in gratiâ Dei, *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis* u. Quod non ſolùm debemus intelligere de laboribus corporeis, quos Sancti magnanimiter pertulerunt, juxta communem expoſitionem; ſed etiam de laboribus, quibus anxiantur ipſorum mentes, eò quòd non ſatis in hâc vitâ perfectè cognoſcere poſſint id, quod ſolum præfigere poteſt limites ipſorum cognitioni: propterea dicebat David x, Deum alloquens, ſe nullam unquam habiturum requiem, quin videret gloriam maje-

u Apoc. 14, 13.
x Pſ. 16, 15.

majeſtatis ipſius, *Satiabor cùm apparuerit gloria tuâ.* En illud, quod Apoſtolus *y* vocat requiem, aut Sabbatum, ſi velitis, quod idem eſt, cùm ait, *Relinquitur Sabbathiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis, Deus z.* Quibus verbis ferè omnes Doctores & Patres Eccleſiæ intelligunt quietem gloriæ, & Sabbatum beatitudinis æternæ, quod Sabbathum non ſolùm ſolari debet labores noſtros, ſed prætereà gloriã præbere debet incredibilem, ut in omnibus & ubique Sancti ſint ſimiles Deo, qui non ſolùm requiem veluti cepit die ſeptimâ, ſed etiam ſuſcepit ab omnibus operibus ſuis honorem maximum, & gloriam ſingularem, cùm dicat Pſalmiſta *a*, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Unde dicit Dionyſius Carthuſianus *b*, *Relinquitur, id eſt, paratur & conſervatur Sabbathiſmus, id eſt plena quies in cœlo ſignificata per Sabbathũ & terra promiſſionibus quietem populo Dei, id eſt, electis fidelibus, cui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt c. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, id eſt, qui cœleſtem quietem adeptus eſt, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, id eſt, à laborioſis exercitys vitæ præſentis, ſicut & à ſuis operibus Deus quievit ſeptimo die. Unde & legimus, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis. Nec obſtat id quod in Apocalypſi d aſſeritur. Requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus, &c. quia requies ſumitur ibi impropriè pro ceſſatione ab actu. Sancti autem in patriâ indeſinenter aliquid agunt, Deum laudando, amando, videndo. Propriè autem requies ſumitur pro ceſſatione à labore aut motu.* Hæc autem actio Beatorum vocatur à S. Auguſtino *e* otioſum negotium, ſuper hæc verba Pſalmiſtæ, *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te,* cùm ait, *Tanquam jocundatorum habitatio omnium jocundatorum in hâc civitate: in peregrinatione iſtâ conterimur. Habitatio noſtra, jocunditas, ſola erit. Peribit labor, & gemitus f, tranſeunt orationes, ſuccedunt laudationes. Ibi ergo habitatio jocundatorum non erit gemitus deſiderantium, ſed lætitia perfruentium. Aderit enim cui modò ſuſpiramus: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt g. Ibi totum negotium noſtrum non erit niſi laudare Deum, & frui Deo. Et quid aliud quæremus, ubi ſolus ſufficit, per quem facta ſunt omnia h? Habitabimus, & habitabimus: ſubjicientur illi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus i. Beati ergo qui habitant in domo tuâ. Unde beati? habendo aurum, habendo argentum, numeroſam familiam, multiplicem prolem? unde beati? Beati qui habitant in domo tuâ, in ſecula ſeculorum laudabunt te k. Hoc uno beati otioſo negotio.* Quòd ſi profundiùs vellemus ratiocinari ſuper diſcurſum Apoſtoli præfatum, invenio quòd videtur alludere ad locum & ad diem quietis, qué antiqui Hebræi ſuſceperunt poſt liberationem ſuam à ſervitute Ægyptiacâ. Primus qui fuit locus quietis, fuit terrâ promiſſa, cumulata benedictionibus cœli, repleta bonis omnibus, fertilis & abundans univerſis rebus, & quæ fuit illis data poſtquàm multa paſſi ſunt non ſolùm in ſervitute ſuâ *l*, ſed etiam poſt liberationem ſuam ab illâ, in deſerto *m*, poſt devictos inimicos ſuos, & ſuſtetas innumeras inſultationes, *Cepit ergo Ioſue omnẽ terram, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen. & tradidit eam in poſſeſſionem filijs Iſraël ſecundùm partes & tribus ſuas: quievitque terra à prælijs n.* Quæ omnia repræſentant nobis pœnas & tolerantias bonorum Chriſtianorum, victorias quas referunt de peccatis, inſultationes quas patiuntur ab inimicis ſuis viſibilibus & inviſibilibus, & de quibus manent tandem victores; poſt quæ certi ſunt, ſe futuros poſſeſſores gloriæ paradiſi, & cumulãdos omni genere benedictionum, cùm nihil minus ſint ſuscepturi quàm Deum, qué poſſidebunt *in æternum & ultrà o*, & in quo reperient amoroſam quietem, & diem qui nunquam terminabitur, & quem nulla ſequetur unquam nox, nec ullæ obſcurabunt unquam tenebræ: quia ſcimus, quòd primi ſex dies deſtinati ad productionem creaturarum, fuerũt compoſiti veſpere & manè, *Factum eſt veſpere & manè dies unus p*, &c. Sed dies ſeptimus nullum habuit veſperem, nec de ipſo ſermo habetur, niſi prout die, *Complevitq́, Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat q.* Sic docere voluit nos Deus, quòd maximæ felicitates, quas induſtria noſtra poſſet nobis dare ſuper terrâ, miſtæ ſunt nocte infortuniorum. Omne quod eſt in mundo ſpecioſum, ſuas habet deformitates; omne quod in eo bonum eſt, ſuos habet defectus; omne quod in illo dives eſt, ſuas habet penurias; omne quod in eo magnum eſt, ſuas habet depreſſiones; omne quod in illo forte eſt, ſuas habet infirmitates; omne quod in eo firmum eſt, ſuas habet mutationes & viſſitudines; omne quod in eo eſt glorioſum, ſuas habet infamias; aut ſaltem ſi bona hujus vitæ habent ſua initia, habent & finem ſuum; ſi habent nativitatem ſuam, habent etiam & mortem ſuam; ſed felicitas Sanctorum nullum eſt unquam finem habitura, licèt habuerit principium; nullam habebit unquam mortem, quàmvis nativitatem habuerit: ipſa, eſt dies qui nunquam obſcurabitur; Sol qui nullam unquam ſuſtinebit eclypſim; & omnes Beati mutati & transformati in Deum, quem poſſident, nullum pati poſſunt unquam defectum luminis; hæc cognitio quæ ipſos deificat, eſt incapax tenebrarum & obſcuritatis, *Quoniam Deus lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt ullæ r.* Seu, juxta Dionyſiũ Carthuſianum *s*, *Quoniam Deus Trinitas, & unaquaque Divina ac increata Perſona lux eſt, lux utique ſpiritalis, & pulchritudo immenſa. Deus namque eſt ipſa Sapientia ipſa Veritas, ipſa Puritas ſimpliciſſima, Sanctitas infinita. Sapientia autem & veritas lux eſt mentis: & ſicut ſolus Deus eſt eſſentialiter ſapiens, & ipſa ſapientia t ſua: ſic ipſe ſolus ſubſtantialiter lucens eſt, & lux ſua. Denique, Si in corporalibus lux vocatur, quod alia immediatè manifeſtat atque clarificat, quantò magis Deus lux eſt, qui cuncta illuminat, & cuncta abſcondita manifeſtat? Hinc alio loco ait idem Ioannes u de Chriſto, Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hanc autem prædicationem Apoſtoli audierunt à Chriſto frequenter, cùm ait, Ego ſum lux mundi x. Et rurſus, Quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi y. Deus ergo eſt lux ſupereſſentialis, pura, & infinita, viva, ſapientialis, munificentiſſima, & ſuperpulcherrima; ideò ſubditur, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. Si per tenebras, errores, & ignorantiæ ac vitia intelligantur, quis neſciat nullas in Deo tenebras eſſe? De quo ait Pſalmiſta z, Quoniam rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. De quo & Eliu conteſtatur, Abſit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas a. Imò hoc modo in Beatis tenebræ non ſunt ullæ, niſi quis quandam neſcientiam in eis eſſe affirmet, quia non omnia ſciunt quæ Deus, cujus ſapientiæ non eſt numerus b, loquendo de ſcientiâ intelligentiæ ſimplicis, quâ Deus ſcit penitus infinita, quæ nunquam fuerunt, nec ſunt, nec erunt.*

y Hebr. 4, 9. & 10.
z Gen. 2, 2.
a Pſ. 18, 2. &c.
b Dion. Carth. art. 4 in Hebr. 4, 9. & 10.
c Apoc. 19, 9.
d Apoc. 4. & ex Iſai. 6, 3.
e S. Aug. in Pſ. 86, 7.
f ex Iſai. 35, 10.
g 1. Joan. 3, 2.
h ex Joan. 1, 3.
i ex 1. Cor. 15, 28.
k Pſ. 83, 5.
l Exod. 3, 7. &c.
m Ibid. 15, 22, &c.
n Joſue. 11, 23.
o Exod. 15, 18.
p Gen. 1, 5. &c.
q Gen. 2, 2.
r 1. Joan. 1, 5.
s Dion. Carth. art. 1. in 1. Joan 1, 5.
t ex Sap. 7, 24.
u Joan. 1, 9.
x Joan 8, 12.
y ex Joan. 9, 5.
z Pſ. 91, 16.
a Job 34, 10.
b ex Pſ. 146, 5.

Salomon *c* iſtam nobis explicat felicitatem, cùm introducit Sapientiam æternam ſic loquentem, *In ijs juſtitia ambulo, ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Vel, ſi malitis, juxta literam Hebraicam, *Ad hæreditare faciendum diligenter me.* Id eſt, ad dandum ijs qui me diligunt, pro hæreditate ditiſſimâ & pretioſiſſimâ omne quod eſt; quia re verâ illi qui Deum dilexerunt in hoc mũdo, Domini fuerunt illius omnis quod eſt in orbe, & poſſident adhuc omnia, cùm poſſideant eum in quo ſunt univerſa: *Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt quòd ibi neſciunt, ubi ſcientem omnia ſciunt* d. Quid eſt quod non poſſideant in cœlo, cùm ibi poſſideant eum, qui eſt *Dominus omnium* e? Sed ſequamur, ſi placet, verſionem vulgatam, quæ ait, quòd Deus replere vult theſauros Juſtorum & amicorum ſuorum; & repræſentate vobis eodem tempore omnes potentias animarum noſtrarum, & corporum noſtrorum, ut divites officinas, quæ nullâ re quæ ſit in mundo repleri poſſunt; hæ ſunt veluti crumenæ avari, quæ nunquam dicunt, Sufficit, ſicut *avarus non implebitur pecunia* f. Intellectus fertur in cœlum, ut contempletur illius mirabilia, & ſtatim deſcendit in in abyſſos, ut illius intima pervadat viſcera; tranſit ultra mundum, in quo imaginatur ſpatia immenſa, quæ non habent eſſe niſi in phantaſiâ ipſius: & poſthæc non eſt contentus, donec ipſũ ſuâ Deus cognitione repleat: Cor principium amoris, ſeu voluntas cauſa affectuum, poſtquàm adhæſit creaturis, nullam poteſt inter eas reperire quæ dare poſſit ipſi oblectamentum perfectum: Memoria nullam reperit in illis ſatisfactionem: Potentiæ corporis nullum reperiunt objectum, quod repleat ipſarũ capacitates, *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*, ait Eccleſiaſtes g. Et poſt illum S. Bonavẽtura h, *Quia duobus ſenſibus maximè addiſcimus, viſu ſcilicet, & auditu, oſtendit quòd in neutro eſt ſatietas: & propterea dicit: Non ſaturabitur oculus viſu. Oculi enim hominum inſatiabiles* i. *Nec auris impletur auditu, quoniam eſt ibi pruritus audiendi nova & curioſa. Ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus* k. *Et ratio hujus eſt, Quia illud, in quo eſt vera ſatietas, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit* †: *& quòd in his terrenis non poſſit reſici, oſtendit: quia oculus & auris vult nova percipere: ſed nihil in nativitate manet: ergo auris, & oculus in nullo implentur.* Tandem, Theſauri ſunt, quos totus mundus replere non poteſt, & quibus Deus ſolus poteſt ſatisfacere: propterea cum Dei Filio in Evangelio noſtro beatos prædico eſurientes & ſitientes juſtitiam, quia ſatiabuntur, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Ita fames & ſitis juſtitiæ meretur intuitum & quietem Dei, *In vijs juſtitiæ ambulo,* ait Sapientia. Et ideò, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Quòd ſi nihil deeſt Beatis, nihil etiam ipſos latet, quia fruendo gloriâ integrâ, fides quæ monſtrat hominibus *nunc* in terrâ myſteria fidei *per ſpeculum in ænigmate*, perficitur clarâ viſione & cognitione ejuſdem Dei, qui videtur ab eis in cœlo *facie ad faciam* l. Spes quæ conſolatur nos in malis noſtris, quâ fulti Deum oramus ſic, *Pater noſter qui es in cœlis, Adveniat Regnum tuum* m, & quæ ſuſtinere nos facit hujus vitæ miſerias, coronatur poſſeſſione boni quod ſperamus, *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis; & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* n. Et amor qui nos unit Deo, *Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt* o; cum periculo tamen illius amittendi, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* p: conſummatur amore erga eundem Deum, qui tamen nunquam amittetur, *Charitas nunquam excidit* q. Quem amorem in viâ, & in patriâ ſic explicat Dionyſius Carthuſianus ſuper hæc verba Apoſtoli r, *Charitas nunquam excidit. Id eſt, nunquam finitur, aut eſſe deſinit. Quod intelligendum eſt, non quantùm ad ſubjectum charitatis: nam habens charitatem, poteſt eam amittere, juxta illud, Habeo adverſùm te, quod charitatem tuam primam reliquiſti* s. *Et Chriſtus in Evangeliſto* t, *Refrigeſcit, inquit, charitas multorum. Sed intelligendum eſt, quantùm ad charitatis perfectionem internam, quoniam ita perfecta eſt charitas, ut nec actus nec habitus charitatis repugnet ſtatui Beatorum. Unde cum præſente vitâ non finiuntur, ſed in futuro perficiuntur. Tunc enim charitatis præceptum perfectè implebitur.* In illâ quiete ſempiternâ homines beati non formidant ictus linguarum, nec ſuſpiciones indiſcretas, nec judicia temeraria eorum, quibuſcum converſamur, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* u. S. Joãnes x loquens de gloriâ Beatorum, ait, *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Et Cornelius y inter alias expoſitiones ad rem noſtram: *Maximè genuinè, Peterim, Mare vitreum, ait, eſt cœlum Empyreum, quod eſt ſedes Dei, Angelorum, & Beatorum. Hoc dicitur mare ob amplitudinem, quia vaſtiſſimum eſt. Alludit ad cœlos Empyreo vicinos & ſubjectos, qui ex primogeneâ aquarum abyſſo à Deo efformati ſunt, indeque Hebraicè vocantur, illic aqua* z. *Empyreum vocatur vitreum, ob ſoliditatem & tranquillitatem. Unde & Ioannes a comparat cœleſtem Ieruſalem vitro & cryſtallo: Ioannes enim vidit hic gloriam Dei in cœlo Empyreo. In hoc quaſi mari emicant Angeli, & Beati quaſi piſces, uti eos in illo pingunt pictores noſtri.* Et in hoc quaſi in ſpeculo unuſquiſque intuetur conſcientiam ſuam, & conſcientiam proximi ſui. Suſpirate, hodiernâ die, Auditores, ad fruitionem tanti boni, putà Dei veſtri, flete præ timore amittendi amoris ejus, & excidendi è gratiâ ejus & admiramini felicitatem Sanctorum paradiſi, qui fruuntur Deo, nedum poſſint illum unquam amittere; qui ſunt in amore ejus, nedum ab illo poſſint unquam excidere: & ſi gloria animarum illorum inflammat cor veſtrum, eò quòd videatis eam ſic perfectam; intuemini etiam gloriam quæ expectat eorum corpora per communicationẽ gloriæ animarum. Huc accedit conceptus Salomonis b dicentis, *Omnes enim domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* Et Hugonis Cardinalis c ſubdentis, *Duplex veſtis, quâ cives & domeſtici Dei induuntur, eſt duplex ſtola beatitudinis, de quâ Iſaias* d, *In terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt.* Quæ verba Iſaiæ ſic expreſſis explicat Cornelius e, *Anagogicè, Beati poſſidebunt duplicia, id eſt, eximiam gloriam, eamque duplicem, putà tam in corpore quàm animâ in cœlo.* Iſtud autem deſumpſit à S. Gregorio f dicente, *Certè ſancta Eccleſia in fine ſuo duplum recipere, eſt in ſingulis nobis & de beatitudine animæ, & de carnis incorruptione gaudere. Hinc eſt enim quòd per Prophetam de Electis dicitur: In terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt. Hinc eſt quòd Ioannes Apoſtolus* g *de Sanctis finem mundi quærentibus dicit: Data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt eis, ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec compleretur numerus conſervorum & fratrum eorum. Ante reſurrectionem Sancti ſingulas ſtolas accipiunt,*

quia

c Prov. 8, 20, & 21.
d S. Greg. lib. 4. Dial. c. 33
e Eſth. 13, 11.
f Eccl. 5, 9.
g Eccl. 1, 8.
h S. Bon. in Eccl. 1, 8.
i ex Prov. 27. 20.
k 2. Timoth. 4. 3.
† ex 1. Cor. 2. 9. & ex Iſai. 64. 4.
l 1. Cor. 13. 12.
m Matth. 6. 9. & 10.

n Iſai. 32, 18.
o 1. Cor. 6, 17.
p Ezech. 18. 4. & 20.
q 1. Cor. 13. 8
r Dion. Carth. art. 13, in 1. Cor. 13, 8.
s Apoc. 2, 4
t ex Matth. 24, 12.
u Pſ. 90, 10.
x Apoc. 4. 6.
y Cornel. in Apoc. 4. 6.
z ex Gen. 1, 7.
a ex Apoc. 21, 11.
b Prov. 31, 21.
c Hug. Card. in Prov. 31. 21.
d Iſai. 61, 7.
e Cornel. in Iſai. 61. 7.
f Greg. lib. 35. Mor. c. 9. ex Job. 42, 10.
g ex Apoc. 6. 11.

quia ſolâ animarum beatitudine perfruuntur: in fine autem mundi binas habituri ſunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis Beati gloriam poſſidebunt. Hæc igitur duplex veſtis non eſt aliud niſi gloria, quæ licèt ſit una quantùm ad objectum, quod eſt Deus, eſt tamen duplex ratione mediorum & differentiarum quibus hoc objectum apprehenditur, per gloriam eſſentialem quæ deificat animam per viſionem, & amorem ſeu fruitionem Dei, & per gloriam accidentalem quæ communicat corpori & ſenſibus ejus prærogativas & operationes omnino Divinas, ita ut jure merito debeamus exclamare id quod Regi Salomoni *Regina Saba dixit, Beati viri tui, & beati ſervi tui qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſa-*
h 3. Reg. 10, 1. &c. i Matth. 10, 42. *pientiam tuam* h. Et quare ? *Et ecce plus quàm Salomon hic* i. Id eſt, Princeps incomparabiliter magnificentior Salomone, & ditiſſimus omnium regum mundi, cujus domeſtici & ſervi jure merito debent haberi beati. Quis enim conſiderare poſſet abſque ſtupore numerum ferè infinitum Sanctorum, altitudinem ac eminentiam felicitatis illorum? Perpendite, ſi placet id omne quod eſt ditiſſimum, pulcherrimum, & excellentiſſimum in mundo; & dicite quòd iſtud totum, nihil eſt intuitu illius quod Beati poſſident in æternitate. Quid eſt iſte mundus? Nihil. *Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputata ſunt: ecce, inſulæ quaſi pulvis exiguus. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic*
k Iſai. 40. 15. & 17. *ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputata ſunt ei* k. Quid eſt paradiſus? Omnia. Propterea Deus Moyſi ab ipſo petenti, *Oſtende mihi gloriam tuam, reſpondit, Ego oſtendam omne bonum*
l Exod. 33, 18, & 19. *tibi* l. Mundus eſt repletus bonis, divitijs, voluptatibus, & magnitudinibus; in eo eſt Sol, qui mentes noſtras ſtupore percellit, quandiu noſtros oculos offundit caligine; in illo eſt firmamentum ſtellis emicans velut infinitis; in eo eſt intueri terram quæ quotidie producit mirabilia; & in illo admiramur innumeram diverſitatem creaturarum, quæ omnes habent perfectiones ſibi conſonas: ſi autem hæc omnia tribuuntur hominibus in hâc valle ſuſpiriorum detentis, quidnam eſt quod non reſervatur Beatis in patriâ? Conſideramus in iſto puncto animam beatificatam per gloriam eſſentialem, per viſionem & cognitionem claram & manifeſtam Dei, & per dilectionem ſeu fruitionem iſtius ſummi Boni: perpendamus tantiſper gloriam accidentalem, quam communicabit hæc anima beata corpori ſuo reſuſcitato, eruens illud à corruptione & mortalitate, ut reddat illud incorruptibile & immortale: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem* m: è gravi & craſſo le-
m 1. Cor. 15, 53. ve & ſubtile, & ex obſcuro & opaco, quale illud videmus, lucidum & diaphanum, ac ſimile corpori Jeſu Chriſti glorificato *in cælis: un-*
n Philipp. 3, 20. & 21. *de etiam Salvatorem* eundem dicit S. Paulus n, *expectamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Seu, juxta Dionyſium
o Dion. Carth. art. 3. in Philipp. 3. 21. Carthuſianum o, *Qui reformabit, id eſt, ad priſtinam formam reducet ac ſuſcitabit in die judicij, corpus humilitatis noſtræ, id eſt, corpus iſtud paſſibile, in quo dejectionem tribulationemque patimur* p,
p ex 2. Cor. 4. 9. *quod etiam nobis occaſio eſt ad humiliandum nos ipſos, penſantes quòd pulvis ſumus* q. *Sic autem refor-*
q ex Gen. 3. 19. *mabit illud quòd erit configuratum corpori claritatis ſuæ, id eſt, ſimile erit corpori Chriſti glorificato.* Quod erit objectum adorabile oculorum noſtrorum, cujus vox dulcis noſtras aures demulcebit, cujus unguenta Divina perfundent odoratum noſtrum, cujus acceſſus lætificabit tactum noſtrum, & cujus Divinæ ſuavitates mitigabunt ſitim noſtram, & explebunt famem noſtram. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini* r. r Pſ. 83, 2.
O beata felicitas, in quâ omnes potentiæ noſtræ ſperant ſe glorificandas eſſe, & ad quam, cùm nondum poſſint eam poſſidere, feruntur affectu, deſiderantes illam mereri laboribus ſuis, qui poſſunt ipſas reddere beatas ſuper terrâ! Et hoc ſupereſt videndum.

II Pars.

Exiſtimare poſſideri poſſe felicitatem in terrâ, nunquid non eſt, Auditores, veſtrâ quidem ſententiâ, temeritas ingens, & immodica præſumptio? Nonne illud eſt cadere in errorem illorum, qui ultimam hominis felicitatem conſtituebant in rebus externis, ſeu bonis creatis? *Patet, quàm rudis ſit Saracenorum, Iudæorumque cæcitas, qui fœlicitatem ponunt in exterioribus bonis, delicijſque carnalibus, ſcilicet in voluptatibus guſtus, & tactus, atque ſimilibus. Corporalia enim non ſunt bona ſimpliciter, neque finalia, ſed ad ſpiritualia ordinantur. Carnales inſuper voluptates nobis & beſtijs ſunt communes, & inſerviles ſunt. Beatitudo autem conſiſtit in ſummis, honeſtiſque bonis, & felicitas eſt bonum prædignum, ſpirituale, Divinum, videlicet optima operatio optimæ potentiæ, ſecundùm virtutem perfectam*, dicit Dionyſius Carthuſianus s. Audebo tamen dicere quòd licèt habe- s Dion. Carth. art 41. in Joan 17, 3.
re non poſſimus in hoc mundo totalem & perfectam beatitudinem, poſſumus nihilominùs illius habere aliquam communicationem, quæ non poteſt meliùs acquiri quàm per unionem cum Deo, quæ fit per charitatem, quæ nos beatos reddit in terrâ, ſicut clara viſio ejuſdem Dei reddet nos felices in cœlo, juxta doctrinam S. Thomæ t dicentis, *Quòd aliqualis beatitudinis* t S. Thô. 1. 2 q 5. a. 3. in corp. & ad. 1.
participatio in hâc vitâ haberi poteſt, perfecta autem & vera beatitudo non poteſt haberi in hâc vitâ. Ergo dicendum, quòd beati dicuntur aliqui in hâc vitâ, vel propter ſpem beatitudinis adipiſcendæ in futurâ vitâ, ſecundùm illud, Spe ſalvi facti ſumus u. *Vel* u Rom. 8, 24.
propter aliquam participationem beatitudinis ſecundùm aliqualem ſummi Boni fruitionem.

Non conveniunt Doctores propter quem finem præcipuè factus fuerit homo. Verùm quidem eſt, quòd inſtar cæterarum creaturarum, creatus eſt propter Deum, qui omnia fecit propter ſe, ſicut dicit Salomon x, *Univerſa propter* x Prov. 16, 4.
ſemetipſum operatus eſt Dominus. Sed ſcire quomodo poſſit homo adhærere Deo, iſtud eſt, de quo diſputant. Aliqui dixerunt quòd ideò productus eſt, ut contemplaretur & cognoſceret gloriam Divinitatis ejus. Sed quis neſciat quòd multi antiqui Philoſophi re verâ cognoverunt eum, & tamen jacturam ſuam incucurrerunt, eò quòd non honorificaverint illum juxta cognitionem quam illius habebant? *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Invisibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe* y Rom 1, 19. &c.
ſapientes, ſtulti facti ſunt y. Alij cenſent, quòd ideò creatus eſt, ut prædicaret magnitudinem

&

bus, nec eſt unquam contenta bono quod ipſa
& excellentiam ejus. Sed quis ignorat quòd
z Pſ. 18, 2. *cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus
annunciat firmamentum* z? Propterea illi meliùs
ſenſiſſe videntur, qui dixerunt ideò illum fuiſſe
creatum, ut ſerviret & obediret Deo, & leges
a Eccl. 12, 13. ac præcepta illius cuſtodiret, juxta id quod eì
ait Eccleſiaſtices a, *Deum time, & mandata ejus
obſerva: hoc eſt enim omnis homo.* Quod eſt illi
b Pſ. 118, 91. commune cum cæteris creaturis, quæ omnes
obediunt Deo, & inviolatè mandata illius cuſto-
diunt præ homine, ſicut ait Pſalmiſta b, Deum
alloquens, *Ordinatione tuâ perſeverat dies, quo-
niam omnia ſerviunt tibi.* Dico igitur, hominem
præſertim fuiſſe conditum ad diligendum Deum,
ad fruendum eo, & ad poſſidendum illum amo-
re. Vera cognitio reſervatur ei in cœlo, quæ
non poteſt eſſe ſine amore, & ſi amor deeſt co-
gnitioni quam homo habet illius in terrâ, ipſe
c Prov. 25, 27. jacturam ſuam incurret in curioſitate ſi:â, *Qui
ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloriâ* c.
Laudes quas Deo tribuet, erunt ipſi inutiles;
niſi procedant è principio charitatis; & obe-
dientia erit ſervilis & mercenaria, niſi gigna-
tur ab amore, ita ut charitas ſit ipſius beatitudo
in hoc mundo, per quam accedit ad Deum, ut
ad ultimum finem ſuum: ſi autem virtus eſt cæ-
mentum quod nos unit Deo, nulla eſt virtus ſi-
d 1. Cor. 13, 2. &c. ne charitate, quâcum habemus omnes alias vir-
tutes d, & ob eandem rationem beatitudinem
noſtram. Re autem verâ omnes beatitudines,
quas hodiernâ die Salvator noſter explicat, ſuam
deſumunt pulchritudinem & perfectionem ex
amore, qui ipſas omnes includit, ſicut ignis &
lux includunt omnes partes mundi. Beati igi-
tur ſuper terrâ illi qui diligunt Deum, quia
habent id omne quod Beati ſperare poſſint in
cœlo. Date enim mihi animam, quæ ritè di-
ligat Deum ſuum, ipſa erit pauper corde & af-
fectu, diſſoluta ab omni deſiderio bonorum &
e Prov. 30, 8. commodorum terræ, remota à concupiſcentiâ
congregandarum divitiarum, & dicet Deo ſicut
Salomon e, *Divitias ne dederis mihi: tribue tan-
tùm victui meo neceſſaria.* Ipſa eſt igitur felix,
cùm Regnum cœlorum ad ipſam pertineat. Si-
cut è contrà anima privata hoc Divino Amore,
non ducitur deſiderijs niſi erga terrena, ipſa in-
ſatiabilis eſt ad congreganda bona, ipſa nun-
quam ſatis habet theſaurorum, & divitiarum:
ipſa eſt igitur infelix, cùm Regnum Dei ipſi
clauſum ſit, nec participet niſi Regnum terræ, aut
f Matth. 6, 21. inferorum, cui alligavit cor ſuum. *Ubi enim
eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* f. Date mi-
hi animam, quæ Deum amet, ipſa eſt mitis u-
nicuique: ipſa eſt igitur beata, cùm terra bene-
dictionis ſit ipſi reſervata: è contrà anima priva-
ta amore, immitis eſt: ergo infelix, cùm ipſa
non participet niſi terram maledictionis: A-
nima quæ Deum ſuum diligit, gemit jugiter
intuitu præteritorum peccatorum ſuorum, dolet
de receſſu Dei ſui, & de retardatione fruitionis
ejus: ipſa eſt ergo felix, cùm ipſa ſuſceptura
ſit conſolationes quas expectat; ſed è contrà a-
g Job. 21, 13. nima quæ non diligit niſi creaturam, ducit *in
bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna* g deſcen-
dit. Anima quæ amat Deum ſuum, eſurit &
ſitit virtutem, in eâ magnis incedit ipſa greſſi-
bus; & eſt quaſi in perpetuo motu: quamdiu

agit: ipſa eſt igitur beata, cùm ipſa ſit ſatianda:
è contrà anima quæ eſt amore deſtituta, non
afficitur erga virtutem, Deo ſervit præ menſu-
râ: ipſa patietur igitur *famem, ut canes* h. Ani-
ma quæ diligit Deum, amat etiam proximum
ſuum, cui ipſa compatitur: quid igitur expecta- h Pſ. 58, 7.
re poteſt ipſa, niſi ut ipſi indulgeatur miſericor-
dia à Deo? ſed ea quæ eſt amore deſtituta, immi-
ſericors eſt omnibus, & multò meliùs ſibi, cùm
deſtituta miſericordiâ, ſe reddat indignam quæ
eam ſuſcipiat: *Iudicium enim ſine miſericordia illi
qui non fecerit miſericordiam* i. Anima poſſeſſa i Jacob. 2, 13.
à Divino Amore, eſt pacifica, & conatur con-
ciliare diſſidia quæ accidunt inter proximos ip-
ſius, & multò meliùs compeſcere rebelliones
appetitus proprij inſurgentis adverſùs rationem
ſuam: ipſa eſt igitur inſignita titulo Divinæ fi-
liationis, & conſequenter beata: ſed anima,
quæ non habet hunc Amorem, ſeminat diſcor-
dias, & in hoc eſt infelix filia diaboli, qui eſt
pater diviſionis, *& deſideria patris facere* k vult
ſui. Quam contentus eſſem ſi reperire poſſem k Joan. 8, 44.
animam cum amore Dei: Sol non haberet tantam
puritatem, quantam cor ipſius; & ſic ip-
ſa mereretur videre Deum: ſicut è contrà ani-
ma deſtituta hoc amore, immunda eſt, & pe-
ribit in impuritate ſuâ, & nedum videat un-
quam Deum: nunquam videbit niſi dæmones,
ejecta *in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtri-
dor dentium* l. Tandem, Anima quæ habet
charitatem, eſt ſpeculum conſtantiæ in adver- l Matth. 8, 12.
ſitatibus, exemplar patientiæ in perſecutioni-
bus, ipſa currit ad ſupplicia & ad mortem non
ſecus ac ad nuptias, ipſa non afficitur appetitu
vindictæ adverſùs injurias ulciſcendas, & cor-
pus ipſius videtur jam participare perfectiones
corporum glorificatorum, ſic Regnum cœleſte
ad ipſam pertinet: è contrà anima privata amo-
re, eſt etiam deſtituta patientiâ, & minimo
malo impetita, ingreditur ipſa rabies & deſpe-
rationes: ipſa eſt igitur infelix, quippe quæ
jam patitur tormenta Regni inferorum. Per
amorem igitur habemus felicitatem noſtram in
terrâ, & ſi Sancti in cœlo ſunt transformati in
Deum, ſi Deus eſt totus in ipſis, & ipſi ſunt to-
ti in Deo, per Divinam charitatem fruimur iiſ-
dem prærogativis in terrâ: *Deus charitas eſt: &
qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in
eo* m. Sic Deus geminum vult nobis dare pa-
radiſum, unum in hoc mundo, & alterum in m 1. Joan. 4, 16.
cœlo Empyreo; nolite igitur dicere, Auditores,
quòd impoſſibile ſit, ut habeamus duos paradi-
ſos, id eſt, ut ſimus beati in hâc vitâ, & in
alterâ. Si veſtrum paradiſum collocetis in bo-
nis terræ, in delicijs corporis, & in honoribus,
conſentio vobiſcum; ſed ſecundùm maximas
Chriſtianas & praxes Sanctorum, prorſus con-
trarium video: Deus offert nobis paradiſum
ſuum per poſſeſſionem ſui ipſius, & vult ut
illum lucremur per alium paradiſum, &
per amorem per poſſeſſionem ſui ipſius;
qui nobis dat ipſius beatitudinem in terrâ, vult
ut lucremur ipſius viſionem ſeu notitiam, quæ
nobis dat paradiſum in cœlo. Diligite Deum,
Auditores, & eritis beati in hâc vitâ per eun-
dem amorem ipſius, & in alterâ per claram vi-
ſionem, & cognitionem ipſius.

IN

IN DIE COMMEMORATIONIS OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Dolores inferni circundederunt me : præoccupaverunt me laquei mortis. Pſal. 17. 6.

HÆc eſt infortunata conditio noſtræ naturæ mortalis, ut ſit obnoxia mutationi & viciſſitudini, *Homo vanitati ſimilis* a, *nunquam in eodem ſtatu permanet* b. Diu non fruimur eâdem beatitudine. Fœlicitates non ſunt apud nos niſi tranſitoriæ, velut alienæ ſtatui naturæ noſtræ, & idem dies qui videt eas naſci, ſervit loco teſtis intentus illarum, & gaudia maxima ſecum invehunt inſeparabiliter dolores immodicos, *Extrema gaudii luctus occupat*, ait Salomon c. Heſternâ die pulmones noſtros inflabamus, voces noſtras exaltabamus, totus aër lætitiâ reſonabat propter Feſtum omnium Sanctorum, quod præ tanto gaudio celebrabamus; hodiernâ verò die non intueor niſi luctum, & non audio niſi ſuſpiria; ſic non poſſumus meliùs honorare commemorationem Defunctorum quàm fletibus & lacrymis noſtris: heri omnia pompâ renitebant, & templa noſtra ſuis erant decorata pretioſiſſimis ornamentis; hodie autem non videmus niſi pannos funebres, & objecta lugubria, quæ noſtros lædunt oculos, & confeſtim corda noſtra dolore vulnerant non vulgari: heri loquebamur de Sanctis qui triumphant in gloriâ, inebriati Divinæ *ab ubertate domus, & torrente voluptatis* d ejus potati; hodie verò non debemus diſſerere niſi de animabus languentibus in ignibus & flammis purgatorii accenſis flatu iræ Dei: *Ipſe enim quaſi ignis conflans: & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum* e. Tandem, Heſternâ die contemplabamur animas glorioſas; hodiernâ verò die non audimus niſi animas patientes, & clamantes, *Dolores inferni circundederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.* Quæ nos potenter ſolicitant ut compatiamur ipſarum miſeriis, dicentes, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me* f. Ad hoc ut ipſas educamus è miſeriis iiſdē, imitando B. Virginem, quæ ſciens infortunium noſtrum, miſeratione commota, ipſa quæ eſt *Mater Miſericordiæ*, attulit ei remedium opportunum, conſenſum ſuum præbens verbis Angeli, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, poſtquàm idem *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* g *Maria.*

a Pſ. 143, 4.
b Job 14, 2.
c Prov: 14, 13.
d Pſ. 35, 9.
e Malach: 3, 2. & 3.
f Job 19, 21.
g Luc: 1, 38, & 28.

Datur purgatorium, locus admittitur ſubterraneus, qui ſervit loco carceris & ergaſtuli juſtitiæ Dei, ut ibi cruciet animas Defunctorum, qui non omnino ſatisfecerunt in iſto mundo ipſimet eidem Divinæ Juſtitiæ pro pœnâ peccatis ſuis debitâ. Veritas conſtans eſt, & univerſaliter & abſque contradictione recepta ab omnibus fidelibus: ſola impietas noſtri temporis adverſatur ei, ſola hæreſis noſtri ſeculi non vult illam admittere, poſt confeſſionem ipſam generalem totius Eccleſiæ, probationes formales Scripturæ ſacræ, veteris Fœderis, & novi Teſtamenti, poſt declarationem Conciliorum quæ illam explicant, poſt unanimem SS. Patrum conſenſum, Doctorum Orthodoxorum ſententiam, & vim rationis, quæ omnia favent huic doctrinæ fidei, cui conſequenter nemo jure merito poteſt contradicere.

Ipſa eſt fundata in Scripturâ: ut autem iſtud oſtendam, non affero praxim Judæ Machabæi, *Factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccato ſacrificium, benè & religioſè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperſluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam ſpem. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur* h. Nihil dico de illo quod Archangelus Raphaël utrique Tobiæ *dixit occultè, Bona eſt oratio cum jejunio; & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam* i. Hæc omnia ſunt convincentia, licèt adverſarii noſtri falsò dicant, libros iſtos Machabæorum & Tobiæ eſſe apocryphos, vi locorum iſtorum reſiſtere non valentes, quæ ſtabiliunt iſtam veritatem. David k dicit, *Calix in manu Domini, vini meri plenus miſto: veruntamen fæx ejus non eſt exinanita.* Cùm dicit, *vini meri*, nonne videtur loqui de gaudio puro Sanctorum? Cùm ait, *fæx ejus*, annon hæc eſt fæx, quam bibunt damnati in inferno? Et addens, *vini meri plenus miſto*, nunquid non alludit ad animas purgatorii? nam licèt ob pœnas hæc potio ſit amara, miſta tamen eſt aliquâ conſolatione propter ſpem quam ipſæ habent inde citò exeundi, ob certitudinem ſuæ ſalutis, & ob frequentem viſitationem Angelorum ſuorum cuſtodum. *Calix in manu Domini, vini meri quantùm ad Sanctos qui ſunt in patriâ. Plenus autem miſto, quantùm ad Sanctos qui ſunt in viâ, & in purgatorio; quia gaudium quod habent de fœlici expectatione, non eſt merum, quia, ſecundùm quod dicitur, Spes quæ differtur, affligit animam* l, ſubdit Hugo Cardinalis m. Et Ezechiel n dicens, *Ecce involutus liber: & ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ*: quid aliud voluit inde innuere, niſi per cantilenas lætitiam Sanctorum in cœlo; per maledictiones vel blaſphemias, niſi infortunium damnatorum in inferno; & per lamentationes, niſi querelas animarū purgatorii? Ecce quantùm ad vetus Teſtamentum. Quantùm ad novum Fœdus, S. Matthæus o ait, *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Quaſi diceret, quòd reperitur aliquod peccatum, quod omnino deletur in altero mundo. Hoc autē non poteſt intelligi de peccato mortali: debet igitur intelligi de peccato veniali, vel de reliquiis peccati mortalis, quæ ſunt debitæ ſatisfactiones, quæ dimittuntur in purgatorio, cùm non fuerint in iſto mundo adimpletæ.

h 2. Machab. 12, 43, &c.
i Tob: 12, 8, & 9.
k Pſ. 74, 9.
l Prov: 13, 12.
m Hugo Card. in Pſ. 74, 9.
n Ezech. 2, 9, & 10.
o Matth: 12, 32.

Quantùm ad Patres Græcos, S. Clemens *p* ait *Pro quieſcentibus in Chriſto, Fratres noſtri, rogemus ut benignus Deus, qui ipſius animam ſuſcepit, dimittat ei omne delictum voluntarium, & involuntarium*, S. Dionyſius, S. Gregorius Nazianzenus, & S. Chryſoſtomus, citati in Concilio Florentino *q*, teſtantur iſtam veritatē. Inter Latinos, Tertullianus *r* ait, *Oblationes pro defunctis, annuâ die facimus*. S. Auguſtinus †, & S. Bernardus *s* ſubſcribunt huic veritati, omiſſis multis aliis Latinis, & Græcis, & innumeris aliis Doctoribus. Bellarminus *t* ait, quòd *hæc omnia fabulas eſſe Calvinus dicit, & ſimiliter diſcipulus ejus Beza, & Magiſter ejus Bucerus*. Quænam impudentia iſtorum Hæreticorum, quâ auſi ſunt adverſari veritati, quam tot Concilia generalia approbaverunt. Concilium Carthaginienſe IV. *u*, quod ait, *Qui oblationes Defunctorum aut negant Eccleſiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam ingentium necatores excommunicentur*. Concilium Toletanum XI *x*. Concilium Florentinum *y*, & tandem Concilium Tridentinum *z*.

Ut iſti veritati majorem concilium lucem, affero ad eam rationis lampadem: Perſæpè contingit ut homo moriatur in gratiâ Dei cū culpâ peccati venialis, vel cum obligatione alicujus pœnæ temporalis quæ debetur ob culpam peccati mortalis quæ dimiſſa eſt per Pœnitentiam *a*. Talis non debet eſſe damnatus: nam mortuus eſt in gratiâ, & conſequenter ſine peccato mortali, quod ſolū eſt dignum inferno. Non ibit in gloriam paradiſi, quandiu ipſi remanet aliqua obligatio ad pœnam, *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum* b. Non ibit ad limbum infantium mortuorum ſine Baptiſmo, in quo ſolum peccatum originale punitur. Nec ad Limbum Patrum, cùm nemo vadat illuc ampliùs ex quo Dei Filius *ſurrexit* c. Eſt ergo concludendum, quòd eſt aliquis locus, in quo anima purgatur antequam ingrediatur cœlū, & iſte locus eſt id quod vocamus purgatorium. *Conſtituunt enim Scholaſtici communi conſenſu intra terram quatuor ſinus, ſive unum in quatuor partes diviſum, unum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus ſine Baptiſmo abeuntibus, quartum pro juſtis qui moriebantur ante Chriſti paſſionem, qui nunc vacuum remanet: quorū ſufficientia ſumitur penes genera pœnarum: ſunt enim hæc omnia loca pœnalia: omnis autem pœna, aut eſt tantùm damni, aut etiam ſenſus: & rurſus aut æterna, aut temporalis: pro pœnâ ergo ſolius damni æternâ, eſt limbus puerorum: pro pœnâ ſolius damni temporali, erat limbus Patrum: pro pœnâ damni & ſenſus temporali, eſt purgatorium*, ait Bellarminus *d*. Purgatorio igitur ſic ſtabilito ex Scripturâ, ex Patribus & Doctoribus, ex Conciliis, & ex ratione; quidnam eſt quod animæ ibi detentæ patiuntur? Volo vobis oſtendere Primò dolorem earum: Secundò extremitatem doloris illatum. Iſtud eſt quod hodie conſtituet diſcurſus iſtius ſubjectum.

Huic Octavæ tribuo nomen paſſionum, & dolorī animarum detentarū in purgatorio. Verum quidem eſt, quòd hoc nomen paſſionis præcisè non pertinet ad ſpiritus, cùm paſſio ſequatur corpus, ſed ſolùm lato modo, cùm animæ patiantur dolorē. Duplex eſt paſſio, una interior, altera exterior. Paſſio exterior venit ab objecto exteriori, quod affligit ſubjectū, quod ipſam ſuſcipit; & hæc eſt dolor cauſatus ab igne animabus purgatorii, quem vocamus pœnam ſenſus, quæ facit ſubjectū diſcurſus iſtius. Dantur paſſiones interiores, quas animæ ſuſtinent, quales ſunt amor, deſiderium, & triſtitia, quæ conſtituent tres ſermones ſequentes. Alii tres erunt de motivis quæ habemus adjuvandarū earū animarū. Et ultimus erit de mediis idoneis præſtando ei hujuſmodi auxilio. Et ecce tota Octava. Paſſiones igitur quantū ad iſtas animas, & compaſſio quoad nos, cū doloribus earū debeamus cōpati. Videamus igitur qualis eſt illarū dolor, ut meliùs compatiamur earum pœnis.

Quàm injurioſi ſunt illi, qui habenas laxantes appetitibus ſuis animalibus, & eripientes è mundo omne juſtitiæ genus, malitiosè perſuadere conantur, quòd nulla tormenta ſunt in alterâ vitâ; vel ſi in eâ ſunt, illa non eſſe niſi pœnas imaginarias. Is eſt procedendi modus atheorum, Ethnicorum, & hominū ſine religione: ſicut enim credimus & firmiter tenemus, quòd animæ Sanctorū in cœlo ſunt glorioſæ, & quòd animæ impiorum ſunt in inferno expoſitæ pœnis, ut victimæ infœlices juſtitiæ Dei, cùm iverint *hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam* e: ſic credimus, quòd animæ illorum, qui non penitus ſatisfecerunt in iſto mundo eidem juſtitiæ Dei pro pœnâ peccatis ſuis debitâ, patiuntur in purgatorio dolores ingentes, qui cauſantur ipſis ab igne, quo comburuntur. Quòd ignis agat in purgatorio adverſùs has animas, iſtud eſt quod S. Paulus *f* aſſerit, cùm ait, *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen quaſi per ignem*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *g*, *Si cujus opus arſerit in purgatorio, detrimentū patietur, pœnam luendo, gloriamque minorem habendo. Ipſe autem ſalvus erit, cùm fuerint opera ejus dignè cremata & expurgata: ſic tamen quaſi per ignem purgatorii, per quem tranſibit ad gloriam, quoniam non diſceſſit à fundamento, nec aliquid prætulit Deo: ſed ultimo Fini magis inhæſit, quàm alicui bono creato, quamvis à terrenis affectibus non fuerit ſatis mundatus*.

Re autem verâ magna difficultas eſt in Scholâ, ſciendi & concipiendi, quomodo cùm ignis purgatorii ſit materialis & ejuſdem naturæ cujus eſt noſter elementaris, habet poteſtatem & vim agendi contra animas, quæ ſunt ſpiritus deſtituti corpore, & immunes à materiâ, contra axioma Philoſophicum, quod ait, *Inter agens & patiens debet eſſe contactus*: ſicut iſtæ duæ partes uniantur, alioquin nulla unquam eſſet actio & paſſio: atqui nullus poteſt eſſe acceſſus, vel contactus, niſi inter corpora, quorum termini & extrema ſunt ſimul: quomodo igitur poteſt eſſe acceſſus, aut contactus inter ignem purgatorii & animas quæ ipſo cruciantur? quo pacto poſſunt iſtæ pati ab eo, & ille ſic potenter adverſùs illas agere? Hæc difficultas vehementer cruciavit maximam partem Theologorum. Aliqui putaverunt, quòd animæ non cruciabantur aliter igne purgatorii, quàm illum videndo, & quòd ſolus illius intuitus erat illarum ſupplicium, ſicut cùm *Baltaſſar Rex fecit grande convivium, & in eâdem horâ apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur* h. Quia apprehenſus (aiebant illi) ut res noxia, efficitur punitivus, & contriſtat has animas, & hæc triſtitia illas affligit, & tantos eis cauſat dolores; ſicut viſus iſtius carnificis, juxta illos, totum faciat earum ſupplicium. Alii aſſeruerunt, quòd, licèt ignis corporalis non poſſit animas comburere, ipſæ tamen apprehendunt eum ut inimicum ſuum, & flagellum ſuum; & quòd

ex

p S. Clem: lib. 8. Conſtit. c. 47.
q Conc: Florent: poſt init.
r Tert: lib. de Coron. Milit: c. 3.
† S. Aug: lib. de Curâ pro Mortuis, c. 1.
s S. Bern: ſer. 66. in Cant: circa finem.
t Bellarmin: lib. 2. de Purgat. c. 6. citans Calvin: lib. 2. Inſtit: c. 19. Parag. 9. & Bezam in c. 2. Actor. & Bucer. in c. 27. Matth.
u Conc. Carth. 4. can. 95.
x Conc: Tolet: 11. can 12.
y Conc. Florent. poſt init.
z Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. & ſeſſ. 25. decret. de Purgator.
a Luc. 13. 3.
b Apoc. 21, 27.
c Matth. 28. 6.
d Bellarmin. lib. 2. de Purgat. c. 6.
Diviſio.
I. Pars.
e Matth. 25. 46.
f 1. Cor. 3. 15.
g Dion. Carth. art 3. in 1. Cor. 3. 15
h Dan. 5. 1. &c.

ex hâc apprehenſione provenit eis timor, & dolor: quia cùm dolor ſit diſſolutio continui, & fiat per tactum, & ſic inveniri non poſſit in ſpiritibus niſi per metaphoram, quandiu intellectus apprehendit ignem ut ſibi noxium, & voluntas abhorret illum, dicunt iſti, quòd hoc facit dolorem animarum iſtarum. Sed iſtud non poteſt eſſe: nam hoc modo paſſio animæ proveniens ab igne, non eſſet realis, nec vera, ſed apparens duntaxat, & imaginaria, cùm iſtæ animæ imaginarentur pœnam, quæ non eſſet in naturâ. Alii tandem ſuſtinuerunt, quòd iſtæ animæ patiuntur realiter ignem corporeum, & quòd iſtud elementum agit verè ſuper illas, non prout ipſæ vident ipſum ut ſibi noxium, vel apprehendunt ipſum ut ſibi inimicum, ſed quatenus ipſum experimentaliter ſentiunt. Et explicantes modum quo ignis iſte agit, dicunt quòd conſiderari poteſt ignis duobus modis: primò, ut agens purè & ſimpliciter naturale & corporeum; & hoc modo ſumptus ignis, nullam poteſt actionem habere ſuper animas; ſecundò, ut inſtrumentum Juſtitiæ Divinæ; & hæc Divina Juſtitia videtur juſtè decreviſſe, ut hæc anima quæ peccando ſe depreſſit infra res corporeas, patiendo ſit eis etiam ſubdita, cùm dicat Salomon *i*, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

i Sap: 11. 17.

Et hoc modo nullum eſt inconveniens, ut hic ignis, licèt corporeus, elevet actionem ſuam interventu obedientiæ quam exhibet Deo, ſeu per potentiam obedientialem, ut terminis utar Scholaſticis, ad agendum contra res ſpirituales, cùm inſtrumentum, ſicut ait Philoſophia, non agat ſolùm virtute propriæ naturæ ſuæ, ſed etiam virtute cauſæ principalis: ſic ut ignis iſte purgatorii ferens qualitatem inſtrumenti Juſtitiæ Divinæ punitivæ, & elevatus à Deo per potentiam obedientialem ad agendum ſupra captum ſuum & ultra vires naturæ ſuæ, agat proculdubio, ſed modo reali & vero contra animas Defunctorum, & affligat eas ſenſibiliter in purgatorio veris doloribus, licèt hic agendi modus ſit omnino mirabilis, ut ait S. Auguſtinus *k*, *Cur enim non dicamus, quànvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari?* Eodem modo quo Sacramenta legis Evangelicæ, quæ, licèt è rebus materialibus & ſenſibilibus ſumpta & electa ut inſtrumenta Omnipotentis, & elevata ad effectus ſupernaturales, & contra curſum communem ordinarii modi ſui faciendi, aguut in eſſentiâ animæ, & producunt infallibiliter gratiam Divinam in eâ, illamque ſanctificant. Quid eſt aqua pura & naturalis in Sacramento Baptiſmatis, ſanctum chriſma in Sacramento Confirmationis, oleum ſacrum in Sacramento Extremæ Unctionis, & verba Sacramentalia quæ Sacerdos profert ad conficiendam Euchariſtiam? Nunquid non hæc omnia ſunt res corporeæ, & collocatæ in cathegoriâ ſenſuum? Et tamen res omnes iſtæ impulſæ ab agente ſuperiore, & aſſumptæ ut cauſæ inſtrumentales, pertingunt uſque ad animam, & mediâ actione reali & Phyſicâ conferunt ei gratiam, quæ eſt ipſius vita ſpiritualis. Sed iſtud nondum ſufficit: ſunt alii Theologi, qui contendunt, quòd non eſt ſatis dicere, quòd ignis iſte agit ut inſtrumentum Juſtitiæ Divinæ punitivæ; ſed quòd inſuper eſt aſſignanda huic tortori animarum aliqua actio quæ ſit ipſi connaturalis, ad hoc ut agnoſcatur ut talis, & ut vindex ex parte Dei vivi, peccatorum, pro quorum pœnâ non eſt impenſa Dei juſtitiæ integra ſatisfactio in iſto mundo: nam omne inſtrumentum habet actionem propriam, & quæ eſt ipſi naturalis, contra ſubjectum ſuper quod inſtrumentaliter operatur ultra & ſupra eam quæ ipſi communicatur à cauſâ principali, ſicut aqua in Sacramento Baptiſmi lavando corpus infantis, confeſtim ſanctificat animam, & hæc lotio eſt ipſi actio connaturalis, juxta quod Nicodemo apud S. Joannem *l* *Ieſus dixit, Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Et apud Dionyſium Carthuſianum *m*, *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit, id eſt, ſpiritualiter regeneratus in fonte Baptiſmatis, ex aquâ, quæ eſt materiale elementum, corpus lavans, & diſpoſitivè regenerans, & Spiritu ſancto, qui eſt inviſibilis Actor intùs mentem purificans, & efficienter regenerans gratiam influendo, quæ eſt res Sacramenti, & cauſa formalis intrinſeca hujus regenerationis, non poteſt introire in Regnum Dei, quod eſt triumphans Eccleſia, vita æterna, ſeu patria Electorum.*

k S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei. c. 10.

l Joan: 3. 3. & 5.

m Dionyſ. Carth. art. 2. in Joan. 3. 5.

S. Thomas *n*, qui ſe reddit arbitrum diſſidiorum noſtrorum, & qui componit pugnas innocuas, quas in Scholis agitamus ordinariè, poſtquàm recenſuit prædictas opiniones Theologorum fundatas ſuper quaſdam authoritates S. Gregorii, & quibus reſpondet in ſubſtantiâ eo modo quo ſuprà diximus, ait, quòd cogitari non poteſt alia actio iſtius ignis in animam, niſi inquantùm ipſe projiciens omnes calores ſuos, & cunctas ſcintillas ſuas adversùs illam, detinet illam ut captivam, & quaſi alligatam, prout ipſe eſt inſtrumentum Juſtitiæ Divinæ punitivæ, & hoc modo cauſat ei pœnam, & affligit illam ſenſibiliter, retardans eam ab executione ſuæ propriæ voluntatis, & impediens conſilia ejus, ſic ut ipſa non poſſit operari ibi ubi ipſa vult, nec quomodo vult, ſed maneat ſub hâc pœnâ, non ſecus ac captivus catenæ ſuæ ad ſcamnum triremis alligatus: *Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, ut perfectè videatur quomodo anima ab igne corporeo patiatur, ut ſcilicet dicamus, quòd ignis ex naturâ ſuâ habet, quòd ſpiritus incorporeus ei conjungi poſſit, ut loco locatum. Sed inquantùm eſt inſtrumentum Divinæ Juſtitiæ habet, ut ipſum quodammodo retineat alligatum, & in hoc veraciter ignis ille eſt ſpiritui nocivus, ut ſic anima ignem ut ſibi nocivum videns ab igne crucietur. Unde Gregorius in 4. Dialogorum omnia iſta per ordinem tangit, ut ex ejus authoritatibus patet.* Tandem, Omnes Doctores concludunt unanimiter, quòd animæ detentæ in purgatorio, patiuntur ab igne qui ipſas cruciat in omnibus ipſarum potentiis, quæ ab eo ſe vident undequaque circundatas, & velut unitas huic ſupplicio, quod cauſat ipſis dolores inexplicabiles. Animæ deſolatæ, vos ſolæ quæ dolores iſtos experimini, poteſtis illos concipere. Dantur igitur dolores, qui affligunt animas in purgatorio, Auditores. Videamus conſequenter extrema dolorum iſtorum in ſecundâ parte diſcurſus iſtius.

n S. Tho. ſupplem. q. 70. a. 3. in concl.

II. Pars.

Dolores, quos animæ purgatorii patiuntur, ſic ſunt extremi, & ſic vehementes in extremitate ſuâ, ut prætereant & ſupergrediantur univerſa tormenta quæ ſuſtineri poſſunt in

iſto mundo. Nolite mihi credere, ſi placet, Auditores, ſed ſaltem crèdite S. Auguſtino *o* qui eſt fide dignior quàm ſim ego: auſcultate ergo loquentem ſanctum iſtum Doctorem de animabus Defunctorum exeuntibus è purgatorio, *Quànvis ſalvi per ignem* p; *gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hâc vitâ*. Re autem verâ dolores omnes qui ſuſtineri poſſunt in iſto mundo, quantùnvis acuti, nihil ferè ſunt comparatione pœnarum purgatorii, quæ majores ſunt omnibus illis, quas pertulerunt unquam Martyres, & univerſis ſuppliciis quæ unquam carnifices immaniſſimi exercuerunt, vel adversùs generoſos iſtos fidei defenſores, vel contra ſceleſtos homines ad punienda eorum facinora.

o S. Aug: in Pſ: 37. poſt init.
p ex 1. Cor: 3, 15

Proponite vobis S. Joannem Baptiſtam *q*, & S. *Iacobum* capite truncatos, ſeu *gladio* r occiſos ex mandato Regis Herodis, S. Paulum eodem ſupplicio peremptum, S. Petrum cruci ſuffixum, S. Bartholomæum excoriatum vivum, S. *Stephanum* s lapidibus obrutum, S. Laurentium, & S. Vincentium *igne* t examinatos, & prunis ardentibus ſuperpoſitos, & in craticulis aſſatos, imò verò id omne quod univerſi Martyres pertulerunt acerbiſſimum, quin & illud quod Jeſus Chriſtus toleravit in paſſione ſuâ *u*: hæc univerſa non ſunt niſi veluti dulcedo comparatione pœnarum purgatorii: *Vnde cùm dicimus Chriſti dolorem eſſe maximum, non comparamus ipſum dolori animæ ſeparatæ*, dicit S. Thomas *x*. En extremitas dolorum quos animæ patiuntur in purgatorio.

q Marc: 6, 28.
r Act: 12, 2.
s Act: 7. 59
t Pſ: 16. 3
u Joan: c. 18, & 19.
x S. Tho: 3. p. q. 46 a. 6. ad 3.

Ut autem dolorum iſtorum perfectiorem vobis notitiam tribuam, ſic ratiocinor: Ad cauſandum magnum dolorem, æquè ac ad producendam ingentem ſatisfactionem, tres neceſſariò res concurrunt, nimirum, potentia, objectum, & unio ſeu conjunctio utriuſque. Quantùm ad potentiam, proculdubiò potentia rationalis eſt ſine comparatione ullâ capacior doloris quàm animal ſit illius capax: nam quantùm ad apprehenſionem, intellectus eſt velut origo, & ſenſus non ſunt niſi quaſi rivi: quantùm ad appetitum, voluntas eſt veluti fons, appetitus inferior velut exiguus rivulus: cùm ergo anima immediatè ſola crucietur in purgatorio, dolor iſte quem ipſa in eo experitur, non poteſt eſſe niſi maximus: nunc enim non tam anima, quàm corpus patitur, cùm dolores corporis tranſeant ad animam, quæ iis afficitur ob unionem, quæ eſt inter iſtas duas partes. Quantùm ad objectum, ſi ibi eſt verus ignis, ſicut probavimus, ſanè violentiſſimus eſt, quia non eſt inſtitutus niſi ad ſerviendum loco inſtrumenti Juſtitiæ Divinæ punitivæ, quæ vult in hoc manifeſtare potentiam ſuam. Quantùm ad unionem & conjunctionem utrinſque, potentiæ ſcilicet & objecti, ignis & animæ, hæc erit maxima: hic enim, ubi res omnes corporeæ ſunt, conjunctio non fit niſi per contactum extremorum & ſuperficierum; ſed ibi in purgatorio, ignis intimè penitus pervadet animam: ſicut enim videmus quòd anima unitur corpori, ut illud animet, vivere faciat ipſum, & ipſa lætetur & patiatur cum illo; ſic ignis unitur animæ, ut meliùs eam cruciet in purgatorio. Videtis igitur quomodo dolores non poſſunt eſſe ibi, niſi extremi.

Propheta Iſaia *y* manifeſtare nobis volens meliùs iſtam veritatem, utitur terminis inſignibus, & qui appoſitè exprimunt extremitatẽ dolorũ, de quibus loquimur; obſervate, ſi placet, quomodo loquatur, *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion in ſpiritu ardoris*. Res expreſſæ habent ampliorem vim & majorem virtutem, cùm plus habeant formæ quæ habet totam activitatem, & minus materiæ quæ eſt ſine actione: V.g. aqua vitæ, habet plus ſpiritus quàm vinum, quia plus habet formæ, & minus materiæ, quæ remanſit in clibano æneo: ſic Deus, ait Propheta, purgat animas in purgatorio, ubi facit illas pati *in ſpiritu ardoris*, expreſſionem doloris. Heu! quàm ingens eſt iſte dolor, & quàm extremus, tam ex parte ſubjecti quod patitur, quàm ex parte illius qui ipſum affligit. Anima eſt ſubjectum patiens: atqui quò ſubjectum nobilius eſt, eò majores ſunt dolores quos experitur: V. g. cùm pupilla oculi ſit delicatior manu; ſic vel minima res ipſam offendit, & cauſat ipſi dolorem: ſimiliter cùm anima ſit nobiliſſima & delicatiſſima, non poteſt ipſa niſi acerbiſſimè pati. Præterquàm quòd ſi corpus patitur & affligitur propter animam, dolor quem ſola experitur anima, major eſt, juxta axioma Philoſophicum, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Atqui corpus patitur in iſto mundo propter animam, quatenus eſt conjunctum ei: ergo anima plus patitur, teſte quodam qui interrogatus circa hanc materiã, reſpondit, quòd ſi totus mundus, & totum illud quod in eo eſt, igne conflagraret, hoc non eſſet æquiparandum igni purgatorii, & pœnis ejus, quæ, licèt non ſint æternæ, ſunt tamen acerbiſſimæ omnium pœnarum temporalium. Id quod affligit animam, eſt ignis, qui ſervit vice inſtrumenti Juſtitiæ Divinæ punitivæ: atqui inſtrumentum non agit niſi virtute cauſæ ſuæ; & quò cauſa plus habet virtutis, eò inſtrumentum plus habet actionis: jure ergo merito dicit Iſaias, *in ſpiritu ardoris*, ut oſtendat extremitatem dolorum quos patiuntur animæ languentes in purgatorio.

y Iſai. 4, 4.

Ad cujus confirmationem, refertur, quòd cùm quidam infirmus decumbens, ſebribus æſtuans, & gravibus doloribus cruciatus, importunas ad cœlum preces mitteret ad hoc ut omnino liberaretur à malis ſuis, Deus tot clamores exaudiens, intuitu miſeriarum ejus, miſit ad eum Angelum ſuum cuſtodem, qui diceret illi, vel ut eligeret tres horas pœnarum in purgatorio ſuſtinendarum, vel annum integrum inter dolores, quibus angebatur, tranſigendum. Miſer ille, datâ ſibi hâc optione, elegit tres horas pœnæ in purgatorio perpetiendæ: Angelus accipit ſpecioſam conditionem, ecce languidus ille exhalat animam, quam Angelus comitatur in purgatorium: vix autem ipſa manſerat in eo per dimidiam horam, vel circiter, cùm Angelo ſuo queri cœpit, & crudelitatis eum inſimulare, quaſi decepiſſet ipſam infœliciter, dicens ei, quòd jam integros ipſa tranſegiſſet annos in his flammis, quarum ardores poſſunt experientiâ comprobari, ſed non ſermone explicari. Angelus accedit ad hanc animam, ſe juſtificat à crimine ſævitiæ ſibi ab eâ impoſito, dicens illi, quòd corpus quod ipſa animaverat, erat adhuc in cubili ſuo, calidum, nedum elatum eſſet ad ſepulturam. Petit ipſa præ gratiâ & favore, ut ſibi liceat denuò reverti in corpus ſuum ad illud animandum; & quòd deinceps ipſa eſt actura pœnitentiam ſuam in mundo: quod & fecit, ſed præ tanto rigore ut ſtuperet unuſquiſque intuitu paſſionum ejus, delicatiſſimi quique erubeſcerent, & maximè auſteri confuſione operirentur, quandiu

patiens

pariens iſte redivivus nihil aliud dicebat ſpectatoribus ſuis, niſi verba iſta, Heu! ſi ſciretis quid ſit purgatorium. Heu! ſi ſciretis quænam ſint pœnæ quæ in eo tolerantur, & quàm illæ ſint extremæ.

Super hoc quod aiunt Evangeliſtæ, quòd *venit Ieſus in villam qua dicitur Gethſemani; & procidit in faciem ſuam orans; & iterùm ſecundò oravit; & iterùm oravit tertiò* z: & quòd hâc tertiâ vice, quâ *factus in agoniâ, prolixiùs orabat, factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* a: obſervant aliqui quòd idem Dei Filius primâ vice oravit pro peccatoribus obſtinatis, ſecundâ vice pro Juſtis oppreſſis, tertiâ verò vice quâ ſanguinem effudit, pro doloribus animarum purgatorij, qui ſunt extremi. En opinio, quæ præ ſe ferens plus pietatis, quàm veritatis, nobis tamen oſtendit extremitatem dolorum animarum quæ ſuſpirant in flammis purgatorij.

z Matth. 26. 36.

a Luc. 22, 43 & 44.

Finiamus hunc diſcurſum dolorum earum per duas reflexiones, quarum una erit pro nobis, & altera pro illis. Incipio à nobis, quia, juxta proloquium commune, *Charitas benè ordinata incipit à ſeipſo.* Videamus igitur gravitatem peccati, ut illud horreamus; conſideremus enormitatem illius, quippe quod irritat Deum, accendit iram ejus, inducit juſtitiam illius ad præparandos ipſi ignes, quibus puniat vel ipſius reliquias in Sponſabus ſuis quæ ſunt animæ purgatorij. Quàm infame eſt peccatum, quàm deforme, quàm injurioſum Deo, & quàm noxium animabus quæ ipſum perpetrant: & quantus labor eſt inſumendus ad purgandam ab eo animam cùm ſemel illo eſt inquinata. David b poſt patratum peccatum ſuum, procumbit in genua, percutit pectus ſuum, & præ ſe ferens oculos lacrymis perfuſos, & cor amaritudini immerſum, & contritione diſcerptum, proponit hanc ſupplicationem Deo, quem offenderat, *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Sed iſtud non eſt ſatis: ipſe ſubdit confeſtim, *Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Fac veluti tranſire ſpongiam ſuper iniquitates meas, quæ me conſcium criminum reddunt coram Divinâ Majeſtate tuâ. Ipſe continuat, *Ampliùs lava me.* Aufer maculam à peccato meo, tolle ab eo culpam, & debitam huic culpæ pœnam, quæ ſunt duo effectus iſtius cauſæ damnabilis, *Ampliùs lava me.* Vel, ſecundùm verſionem Caſſiodori c *Vſquequaque lava me.* Noli deſerere animam meam quin munda ſit, & ſuſceperit priſtinam pulchritudinem ſuam. David agit more viri nobilis, qui præcipit famulo ſuo ut mundet parietem qui inquinatus eſt; ait illi ut illum lavet, & eum relavet, nec illum relinquat donec omnino ſit mundus, *Vſquequaque lava me.* Heu! quantus labor eſt inſumendus ad evellendum penitus peccatum ex animâ quæ illud contraxit: quanta difficultas ſatisfaciendi plenè juſtitiæ Dei pro pœnâ quam peccatum iſtud meruit: eſt multùm laborandum & ſudandum propter hunc effectum. Fugiamus igitur, Auditores, peccatum, quod cauſat tantum laborem, & ſic ingentem ſecum invehit difficultatem; peccatum, quod eſt ſic injurioſum Deo, & ſic noxium ijs qui ipſum committunt; peccatum, quod apparens dulce in acceſſibus ſuis, eſt ſemper funeſtum in exitibus ſuis. En quoad id quod nos intuetur.

b Pſ. 50. 1. &c. ex 2. Reg. 12. 1. &c.

c Caſſiod. apud Lorin. in Pſ. 50. 4.

Quantùm ad animas purgatorij, conſideremus earum dolorem qui eſt extremus; videamus eas languentes & patientes in his flammis quæ ipſas cruciant, & inducunt ipſas ad exclamandum præ dolore, *Dolores inferni circumdederunt me.* Patimur eundem ignem, quem damnati ſuſtinent in abyſſis. Sic eſt, Auditores: ignis purgatorij eſt idem ac ille qui comburit in inferis: hæc ſola admittitur differentia inter ſupplicia animarum quæ ſunt in purgatorio; & damnatorum qui ſunt in inferno, quòd pœnæ reproborum ſunt æternæ, pœnæ verò animarum purgatorij ſunt temporales: in inferno ſunt deſperationes & rabies; in purgatorio verò ſpes & conſolatio: in inferno diaboli qui ſunt tortores & miniſtri juſtitiæ Dei, cruciant animas extremâ ſævitiâ; in purgatorio verò animæ conſolationes ſuſcipiunt à bonis Angelis: in inferno animæ ſunt omni auxilio deſtitutæ; in purgatorio verò animæ quæ ſunt in gratiâ Dei, expectant ſuffragia noſtra, quæ ipſæ efflagitant à nobis vocibus iſtis, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* d. Heu! Auditores, triſtes iſtæ lamentationes nunquid non vulnerant vobis cor? iſti clamores nonne vos inducunt ad miſerationem? Liberi, nunquid non auditis clamores parentum veſtrorum? uxores, maritorum veſtrorum? hæredes, nonne auditis ſupplicationes benefactorum veſtrorum? amici, ſi eſtis veri amici, clauditiſne aures veſtras iſtis lamentabilibus accentibus? *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Deus eſt qui affligit has animas, manus Domini tangit eas. Heu! qualis dolor: quàm gravis eſt iſta manu. Omnia flagella, quibus Deus flagellavit Ægyptum, converſio prodigioſa aquæ *in ſanguinem* e, & quodcumque legimus inuſitatum contigiſſe in hâc occaſione, totum hoc non erat niſi effectus digiti Dei, *Digitus Dei eſt hic* f. Sed hîc non digitus Dei, ſed *manus Domini*; non manus Patris erga filios ſuos, ſed *manus Domini* adversùs captivos ſuos. Sed quid, intuitu tanti rigoris exerciti adversùs has animas patientes, erimuſne abſque ullo affectu compaſſionis, more tigridum? Nunquid non miſeria propinquorum noſtrorum commiſeratione nos afficit? Nonne conabimur educere animas eorum è pœnis quas ipſæ patiuntur, interventu ſuffragiorum & bonorum operum noſtrorum, quæ ipſæ efflagitant à nobis, & quæ debemus eis ex juſtitiâ, niſi ſimus immitiores tigridibus, & duriores ſaxis quæ ſunt inſenſibilitatis ipſius imago? Tota ſpes ipſarum eſt in nobis repoſita: ecce fortunatiſſima omnium dierum quas animæ iſtæ habeant per totum annum; hodiernâ die ipſæ lætantur, expectantes meritum ſuffragiorum noſtrorum. Huc tendere videbatur David g, cùm dicebat Deo, *Auditui meo dabit gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Et hoc quod Rex iſte pœnitens dicebat, juxta verſionem S. Baſilij h, *Hâc, inquit, lætitiâ aures meas adimpleto, perfectam purgationem pollicitus, ut gaudium hoc omnia percurrat: non corporis membra, ſed ſpiritalia oſſa, quæ nunc afflictione ſunt humiliata, ut illa denuò floreant, vigoremque ſuam reſumant*: videtur applicari poſſe languentibus iſtis animabus. Conſideremus id quod ait S. Bernardus i, *Tria ſunt loca quæ mortuorum animæ pro diverſis meritis ſortiuntur, infernus, purgatorium, cœlum. In inferno impij, in*

d Job. 19. 21.

e Exod. 7, 20.

f Exod. 8. 19. &c.

g Pſ. 50. 10.

h S. Baſil. in hunc locum.

i S. Bern. ſerm. de Quinque Negotiatiõ & Quinque Regionib.

purgatorio pugandi, in cælo perfecit. Qui in inferno ſunt, redimi non poſſunt: quia in inferno nulla eſt redemptio. Qui in purgatorio ſunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicujus gravitate doloris. Qui in cælo ſunt, gaudio gaudent ad viſionem Dei, Chriſti fratres in naturâ k, *cohæredes in gloriâ* l, *ſimiles in æternitate jucundâ. Quia igitur primi redimi non poſſunt, tertij redemptione non indigent, reſtat ut ad medios tranſeamus per compaſſionem, quibus juncti ſumus per humilitatem. Vadam in iſtam regionem, & videbo viſionem hanc grandem* m, *quomodo plùs Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occiſionem, ſed ad purgationem: non ad iram, ſed ad miſericordiam: non ad deſtructionem, ſed ad inſtructionem: ut jam nō ſint vaſa iræ apta in interitum, ſed vaſa miſericordiæ præparata ad Regnum* n. *Surgam ergo in adjutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpirijs, orationibus intercedam, ſatisfaciam ſacrificio ſingulari, ſi fortè videat Dominus & judicet ut laborem convertat in requiem, miſeriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & hujuſmodi officiis poteſt eorum pœnitentia reſecari, finiri labor, deſtrui pœna. Percurre ergo quæcumque es fidelis anima regionem expiationis, & vide quid in eâ fiat, & in nundinis iſtis fac ſarcinam tuam affectum compaſſionis.* Hactenus S. Bernardus. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* o in favorem iſtarum animarum patientiam. Deprecemur Juſtitiam Divinam, quæ ſic ſeveram ſe monſtrat ad puniendas eas, ut ipſa contenta ſit illis pœnis, quas ipſæ pertulerunt uſque nunc, nedum permittat ut earum ſupplicia & dolores diutiùs prolongentur: ideòque dicamus huic Deo miſericordi, æquè ac juſto, *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* p, exaudi humillimam ſupplicationem quam proponimus præ throno clementiæ tuæ in favorem animarum languentium in purgatorio, quæ ſunt Sponſæ tuæ, cum ſint in gratia; *Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.* Erue eas a pœnis ipſarum, & poſtquam ſatisfecerint juſtitiæ tuæ pro peccatis ſuis, introduc illas in æternitatem gloriæ tuæ.

k ex Rom. 8. 29.
l ex Rom. 8. 17.
m ex Exod. 3. 3.
n ex Rom. 9. 22. & 23.
o Hebr. 4. 16.
p 2. Cor. 1. 3.

SECUNDA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFUNCTORUM.

Domine ne avertas faciem tuam à me: ne declines in irâ à ſervo tuo. Pſ. 26. 8. & 9.

QUòd amor profanus cruciet eos quos poſſidet, iſtud non eſt mirabile, nec ego propterea miror, cùm hoc, ſit peccatorum ipſorum effectum, & Juſtitia requirat ut unuſquiſque puniatur iiſdem rebus quæ ſervierunt ad committendam offenſam, *Quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur* a. Sed quod eſt dignum admiratione, eſt, quòd amor Dei, qui eſt ſuavis, & beneficus, cum ſit effectus gratiæ, ſit cauſa languorum & dolorum illis qui ipſo ducuntur; & ij qui habent plus unius, experiantur plus aliorum. Propterea Sponſa dicebat, *Amore langueo* b. Seu juxta LXX. *Vulnerata charitatis ego ſum.* Unde dicebat de Ponte c, *Hinc deducenda eſt horum verborum explicatio de charitate creatâ animæ infuſâ, à quâ, cùm vehemens eſt, dicitur vulnerata & languida, ſed juxta diverſitatem amantium eſt diverſitas vulnerum & languorum. Languor enim amoris, ut docet S. Thomas* d, *eſt triſtitia de abſentiâ rei amatæ ex vehementi illius deſiderio proveniens. Quod clarè indicant verba ejuſdem Sponſæ cùm dixit, Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ut ſi inveneritis Dilectum, nuncietis ei, quia amore langueo* e, *vel, quia charitate vulnerata ſum. Quod in genere ſic explicat S. Auguſtinus* f, *Quidquid amamus & non habemus, neceſſe eſt ut doleamus: nam ille amat & non dolet qui habet quod amat. Qui autem amat, & nondum habet quod amat, neceſſe eſt ut in dolore gemat, & ideò Sponſa vulneratam ſe dicit charitate. Amabat enim, & nondum tenebat; dolebat, quia nondum habebat: ergo ſi dolebat, vulnerata erat, ſed hoc vulnus ad veram ſalutem rapiebat: & qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram ſanitatem non poteſt pervenire. Hæc S. Auguſtinus.* Et B. Virgo Maria, quæ plùs amabat Deum, plus etiam patiebatur: illi, ſicut ait S. Bernardus g, *ſolus dolor luctuſque remanſit amicus. Nam gladius mortis Chriſti, quò magis amabat, ſævior fiebat in Matre. Vulnera Chriſti morientis, erant vulnera Matris dolentis. Dolores ſævi, fuerunt tortores in animâ Matris. Mater erat laniata morte chari pignoris. Mente Mater erat percuſſa cuſpide teli, quo membra Chriſti ſervi foderunt iniqui* h. *Ipſa enim erat quam dolor tenebat. In mente ejus creverant immenſi dolores, nec poterant extrà refundi. Intùs atrociùs ſævientes dolores Nati, Matris animam gladiabant. In carne Chriſtus ſolvebat debitum mortis, quod gravius erat, quàm mors in animâ Matris.* Ipſa plùs diligebat, quia plus habebat gratiæ; ipſa plus habebat gratiæ, cùm concepiſſet in utero i ſuo Authorem gratiæ, *Quia gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt* k. Id eſt, eo momento, quo *ingreſſus Angelus, ed eam dixit, Ave* l *Maria.*

Peccatum, quod eſt res totius mundi funeſtiſſima, cùm in eo cauſet omnem deordinationem, & univerſum infortunium, duos habet effectus, qui ipſum comitantur inſeparabiliter, nimirum, culpam, & pœnam, cùm omne malum ſit culpæ, vel pœnæ. Illud, eſt cauſa neceſſaria iſtius; iſtud verò, eſt conſequentia infallibilis illius. Peccatum, ex natura ſuâ eſt primum malum, & conſequenter cauſa ſecundi mali; imò verò eſt utrumque, & ideò omne malum, malum malorum, ſupremum & unicum malum mundi, & ſine quo nullum eſſet malum. Quòd pœna ſit annexa culpæ, ſicut umbra corpori, & quòd hæc alteram ſecum invehat inſeparabiliter, notum eſt, & experientiâ rudiorum, & ſcientiâ doctiorum. Peccatum complectitur culpam & pœnam, quia peccator duo facit offendendo, avertit ſe à Deo, ut

ſe

a Sap. 11. 17.
b Cant. 2. 5.
c De Pōt. lib. 4. in Cant 2. 5. exhort. 37. parag. 2.
d ex S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 5.
e ex Cant. 5. 8.
f S. Aug. in Pſ. 37.
g S. Bern. ſerm. de Lament. B. Mariæ.
h ex Pſ. 21. 17.
i Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
k Joan. 1. 17.
l Luc. 1. 28.

convertat ad creaturam, *Peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam*, dicunt Theologi, juxta iſtud effatum Dei apud Jeremiam *m*, *Hæc dicit Dominus, Quare averſus eſt populus averſione contentioſâ? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Propterea dicit Bellarminus *n*, *Certum eſt, unam purgatorij pœnam eſſe carentiam Divinæ viſionis: non enim poſſunt animæ illæ non dolere, quòd videant ſe propter ſuas culpas impediri à fruitione ſummi Boni, quæ vocatur pœna damni. Certum eſt, præter hanc pœnam eſſe etiam aliam pœnam, quam Theologi vocant pœnam ſenſus, quæ conſiſtit in aliquo dolore proveniente aliunde, quàm ex carentiâ viſionis Dei: ut enim qui peccat, avertit ſe à ſummo Bono, & convertit inordinatè ad creaturas, ita poſteà puniri debet non ſolùm carentiâ ſummi Boni, ſed etiam afflictione inflictâ ab aliquo alio creato objecto.* Propterea Deus facit ut ignis, qui eſt creatura, ſit inſtrumentum ſupplicij ejus, ſicut creatura fuerat inſtrumentum peccati illius, avertendo eum à Deo.

m Jer. 8, 4. &c.

n Bellarm. lib. 2 de Purgator. c. 10.

Quæritur autem quid ſit hæc averſio à Deo. Aliqui dicunt quod ipſa, eſt horror Dei, odium eſſe illius, & attributorum ejus, contemptus qui fit illius, paradiſi & gloriæ ipſius, ſic ut peccare ſit odiſſe Deum, ſit velle deſtruere illum cum omni eo quod eſt eſſentiæ ipſius: Deus autem non poteſt quin oderit peccatum, *Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus* o. Non poteſt quin perſequatur peccatum ut inimicum ſuum, quippe quod conatur ipſum deſtruere: & ſicut ipſe ſemetipſum diligit *p*, ſic odit ipſe neceſſariò peccatum, nec ullo poteſt illud modo diligere. Averſio à Deo, dicunt alij, eſt receſſus quem peccator facit à Deo, ut ſe convertat ad creaturam; iſtam cum illo comparat; & quaſi creatura plus valeret quàm Creator, valedicit peccator Creatori, ut meliùs adhæreat creaturæ, eique conſecret amorem ſuum; & quaſi Deus non mereretur labores & curas ipſius, quaſi indignus eſſet amore ipſius, ipſe peccator eum deſerit, & criminosè proteſtatur ſe eo non indigere, more impiorum illorum, *qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt Omnipotens, ut ſerviamus ei? & quid nobis prodeſt ſi oraverimus illum* q? Vnde fit ut peccator avertens ſe, ſeu recedens à Deo, mereatur ejus privationem, quæ privatio eſt motivum languoris & doloris animarum purgatorij, qui dolor eſt eo major, quò amor ipſarum erga eundem Deum eſt ardentior. Videbimus igitur primo hanc earum dolorem: Secundò extremitatem doloris iſtius, in duabus partibus hujus diſcurſus,

o Sap 14, 9.

p Joan. 15, 20.

q Job. 21, 14. & 15.

Diviſio.

I. Pars.

Hæc admittitur differentia inter privationem Dei, quam ſuſtinemus in iſto mundo, non videntes eum, & privationem illius, quam patiuntur animæ in purgatorio, quòd hæc privatio ejus quam toleramus in iſtâ vitâ, non affligit nos, ſicut privatio illius quam ſupportant animæ in purgatorio, ipſas dolore afficit, & hoc propter tres rationes. Prima eſt: quia Deum videre non poſſumus in iſto mundo, conditio noſtræ mortalitatis, privat nos iſtâ felicitate, *Deum nemo vidit unquam*, dicit S. Joannes *r*. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus *s*, *Poteſt exponi quatuor modis, ſecundùm quòd quadriformis eſt viſio, & viſio Dei. Eſt enim corporalis viſio Dei, non tamen ſecundùm Divinitatem, de quâ ait ſanctus Iob t, In carne meâ videbo Deum Salvatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt. Ex quâ authoritate oſtendit Thomas in Summâ contrà Gentiles, quòd beatus Iob noverat Deum incarnandum. Alia eſt viſio Dei imaginaria, de quâ communiter eloquuntur Prophetæ, ut Iſaias u, cùm dicit, Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum. Tertia eſt viſio Dei per ſpeciem, quâ Deum vident Sancti in Patriâ. Quarta eſt viſio perfectæ comprehenſionis, quâ res cognoſcitur totaliter tamque perfectè, ſicut ex ſuâ naturâ cognoſcibilis eſt, quâ ſolus Deus videt ſeipſum. Verùm breviter reſpondendo dicendum, quòd verbum Evangeliſtæ his quatuor modis intelligi poteſt. Primò, ſic, Deum, Trinitatem, vel quancumque Divinam perſonam, nemo vidit, videt, videbit, videreve poteſt unquam viſu corporali, quantùm ad Divinitatis naturam, cùm Deus ſecundùm propriam eſſentiam ſit incorporalis, incircumſcriptus; ſimpliciſſimus atque puriſſimus actus x. Vnde dicit Apoſtolus y, Quem nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt. Secundò ſic, Deum in ſuâ eſſentiâ, nemo vidit unquam, viſione imaginariâ. Quamvis enim in tali viſione dicatur Deus videri, hoc tamen non eſt, niſi inquantùm in ſenſu interiori formantur corporales ſimilitudines ad repræſentandum Deum. Tertiò ſic, Deum in ſuâ eſſentiâ, ſeu per ſpeciem, nemo, hoc eſt, nullus homo purus viator, vivens vitâ humanâ ac ſenſitivâ vidit unquam. Sic enim Deus videri non poteſt, niſi per ſpeciem increatam, cùm omnis ſpecies, forma, ac ſimilitudo creata, in infinitum deficiat à clarâ repræſentatione Divinæ Eſſentiæ; ſicut & omnis creatura à repræſentatione perfectionis Divinæ. Quartò ſic, Deum nemo, hoc eſt, nulla creatura vidit viſione perfectæ comprehenſionis unquam. Sic enim nec anima Chriſti videt Deum: qui ſicut eſt infinitæ actualitatis, ſic eſt infinitæ cognoſcibilitatis, propter quod perfectè atque totaliter cognoſci & comprehendi non valet, niſi ab intellectu infinitæ virtutis. Sed advertendum, quòd res dicitur à cognoſcente comprehendi dupliciter. Primò quoniam ejus eſſentia cernitur, & ſic ipſa immediatè attingitur. Hoc modo Sancti in patriâ comprehendunt Deum, & comprehenſores dicuntur; quoniam vident, hoc eſt, intelligunt & cognoſcunt Deum; ſicut eſt, ſecundùm Ioannem z, ſeu, facie ad faciem juxta Paulum a. Secundò, Res dicitur comprehendi, quia intantùm cognoſcitur, ſicut ex ſuâ naturâ cognoſcibilis eſt, ita quòd nil ejus latet; ſed quaſi infra certos terminos continetur in animo cognoſcentis. Hoc modo infinitum à finito comprehendi non poteſt: ſicque Apoſtolus b loquitur. Quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi Spiritus ejus.* Corpus non poteſt videre Spiritum, & oculus noſter cùm ſit materialis, quomodo intueretur Deum qui eſt purus Spiritus? *Spiritus eſt Deus* c. Iſtud fieri non poteſt: quin imò & anima noſtra, licèt ſeparata à materiâ, non habet hanc virtutem ex ſe ipſâ, indiget ipſa auxilio alieno, nimirùm *lumine* d gloriæ, quod ipſam ferat ad iſtius objecti Divini viſionem, & fruitionem. Hæc privatio viſionis Dei non affligit nos in iſto mundo, pro ſecundâ ratione, Quia nondum tempus eſt videndi illius, ſumus adhuc viatores, *Scientes quoniam dum ſumus in corpore; peregrinamur à Domino:*

per

r Joan. 1, 18. & 1. Joan. 4. 12.

s Dion. Carth. art. 1. in Joan. 1. 18.

t Job 19. 20 & 27.

u Iſai. 6. 1.

x ex Joan. 4. 24.

y 1 Tim. 6. 16.

z ex 1. Joan. 3. 2.

a 1. Cor. 13. 12.

b ex 1. Cor. 2. 11.

c Joan. 4. 24.

d Pſ. 35. 9.

Google

e 2 Cor. 5, 6 & 7.

per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem e. Requiritur autem ad hoc, ut ſimus comprehenſores. Tertia ratio eſt, Quia non patimur hanc privationem viſionis Dei, culpâ noſtrâ, proptereà inde non affligimur. Non deferimus ſceptrum, & privatio coronarum non reddit nos inquietos: quia nativitas noſtra non vocat nos ad hunc ſtatum magnitudinis, ſed gratia & miſericordia Dei, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & ſimus. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt* f.

f 1. Joan. 3, 1. & 2.

Omnes iſtæ conſiderationes quæ ſublevant mala noſtra, & nobis blandiuntur in infortunio noſtro, concurrunt ad afferendum dolorem animabus purgatorij. Nam primò ipſæ poſſunt videre Deum, privatæ hoc corpore quod faciebat ipſarum ſeparationem ab eo, ipſæ liberatæ ſunt ab hoc obſtabulo quod inducebat S. Paulum ad ſuſpirandum ad diſſolutionem ſuam ab ipſo, deſiderando manum favorabilem quæ ipſum educeret ex iſto carcere, qui eripiebat ipſi libertatem fruendi perfectè Deo, dicendo, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* g? Et ipſe, velut inquietus erat, *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* h.

g Rom. 7, 24.

h Philipp. 1, 23.

Ipſæ ſunt ſeparatæ a materia, & cùm ſint in gratiâ, ipſæ poſſunt frui Deo. Petereà, Verum tempus eſt videndi Dei, cùm non ſint ipſæ ampliùs in viâ, ſed perfecerint curſum ſuum. Tandem, Idquod plus aggravat earum dolorem in privatione quam ipſæ patiuntur Dei, eſt quòd ipſæ privatæ ſint hujuſmodi Dei viſione, propriâ culpâ ſuâ. Ipſæ ſciunt, quòd ipſæ ſunt opifices proprij infortunij ſui, quòd ipſæ ſe privaverunt hoc objecto adorabili, cujus intuitus facit felicitatem Beatorum, ſed objecto quod ipſæ diligunt, & cujus privatio totam conſtituit ipſarum pœnam: amor ipſarum facit ipſas pati: nam ſicut ipſæ perfectè Deum diligunt, ipſæ vellent eum manifectè videre, illoque frui, ut dilectæ Sponſæ ejus; & cùm non poſſint id aſſequi, hæc privatio ipſas affligit; ipſæ patiuntur, quia diligunt; & quò plus amant, eò plus patiuntur: videntes ſe privatas objecto, in quo ipſæ ſibi complacent, experiuntur ipſæ quòd amor ſuus eſt tortor ſuus.

Quòd ſi fortaſſis ambigitis, Auditores, de rigore amoris Dei ad affligendas ſanctas animas Sponſas ſuas in purgatorio, videte vim amoris profani, quomodo torqueat hic corda eorum, quos fecit captivos ſuos, & quos redegit ad vincula. Locum meum cederem libenter inſano amaſio, qui edoctus proprijs ſuis experientijs, contentâ voce promeret rigores iſtius tyranni. Quid agit, ſed quid non agit amor hujuſmodi? Ipſe imperat abſolutè; & nemo eſt qui non gerat ipſi morem abſque ullâ contradictione, qui non ſolvat omnes difficultates, qui cuncta non inſumat, & qui univerſa non peragat, cùm agitur de obediendo ipſi: quot enim acceſſibus & receſſibus repetitis libentiſſimè vacat amans profanus? quot laboribus, curis, & ſolicitudinibus incumbit? Tamen iſtud omne videtur ipſi dulce inter amaritudines, & nihil ipſum affligit æquè ac privatio quam patitur objecti dilecti. Videte, ſi placet, in Scripturâ *i* quomodo Jacob obſtringat ſe ad ſuſtinẽdos laboris annos quatuordecim, ut deſponſare ſibi poſſit ſpecioſâ Rachelẽ

i Gen. 29, 17. &c.

filiam Labani, *Erat Rachel decora facie, & venuſto aſpectu. Quam diligens Iacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filiâ tuâ minore, ſeptem annis. Servivit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Tandemque potitus optatis nuptiis, ſerviens apud eum ſeptem annis alijs* fuit. Amor erat tortor iſtius Patriarchæ, & motivum ſupplicij ipſius erat dilatio fruitionis ſubjecti quod ipſe diligebat: amabat Jacob, & quia amabat, ideò affligebatur: Heu! animæ purgatorij patiuntur, ipſæ affliguntur, quia diligunt, amor eſt tota cauſa ſupplicij ipſarum, privatio viſionis Dilecti ſui cauſat ipſarum pœnam: privatio viſionis Dei producit dolorem, quem iſtæ languentes animæ patiuntur in purgatorio. Ecce dolor, videamus extremitatem doloris ejuſdem.

Pœna damni, eſt maxima omnium pœnarum, quæ ſuſtineri poſſint, & in iſto mundo, & in purgatorio. II. Punct. Ratio iſtius eſt: Quia ſicut fruitio boni vehementer deſiderati generat gaudium; ſic & dolor naſcitur ex abſentiâ boni, cujus poſſeſſio deſideratur: atqui bonum, quod animæ purgatorij deſiderant, eſt maximum, & ipſarum deſiderium eſt etiam vehementiſſimum: nam intellectus cognoſcit clariùs quàm magna ſit prærogativa videndi Dei, & quanti ſit æſtimanda præ rebus univerſis, cùm viſio iſtius objecti adorabilis conſtituat felicitatem Beatorum in cœlo, ſicut *Ieſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum* k.

k Joan. 17, 1. &c.

Appetitus autem naturalis, & deſiderium quod habemus per charitatem infuſam, ſic ingens eſt ut ſit ultra vires noſtras, ſuperet captum noſtrum, & non habemus ſatis virium ad ipſum exprimendum: non enim impeditur à maſſâ corporis, & à voluptatibus ſenſibilibus, ſicut iſtius exempla dare poſſemus in iſtâ vitâ. V. g. ſi quis extraordinariè laboraret maximâ & urgentiſſimâ fame, poſtquàm tranſegiſſet dies aliquot per quos nullum cepiſſet cibum, vel arderet intolerabili ſiti, & videns coram ſe menſam cibis omnibus deſiderabiliſſimis, & vinis exquiſitiſſimis inſtructam, non poſſet tamen ad hanc menſam accedere, minùs autem ad illam ferre manum ſuam, ut ſubveniret neceſſitati ſuæ quæ eſt extrema, quoniam dolore, ſi placet, angeretur ipſe? nonne dolor hic eſſet extremus, cùm ſciret ipſe aliunde, quòd totus iſte prædives apparatus eſt factus propter ſe, quòd hæc omnia fercula, æquè ac omnes iſti cibi, & hæc vina deſtinata ſunt ad uſum ſuum, & ad ſerviendum neceſſitatibus ſuis? Heu! qualis dolor ipſum afficeret, videndo ſe ijs univerſis privatum eo momento quo redactus eſt ad extremas anguſtias. Eodem modo ſe res agit de animabus purgatorij: ipſæ eſuriunt gloriam, ipſæ deſiderant habere fruitionem viſionis Dei, ipſæ ſciunt ſe eſſe factas propter paradiſum, & deſtinatas ad fruendum hâc felicitate, ad quam ipſæ ſuſpirant, *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* l.

l Prov. 16, 4.

Et tamen ipſæ non poſſunt accedere ad hanc gloriam, ſic ut ipſarum deſiderium, & ipſarum amor, qui facit ipſas deſiderare, ſit cauſa doloris ipſarum qui eſt extremus in hoc loco doloris & tolerantiæ, videndo ſe privatas objecto adorabili, quod ipſæ diligunt & concupiſcunt ſupra id omne quod diligi & deſiderari poteſt. Unde infero quòd damni pœna eſt maxima omnium pœnarum, quas animæ patiuntur in ignibus & flammis purgatorij.

Prætereà,

Præterea, Poteſt aliquis affligi ex jacturâ alicujus boni, propter duas rationes. Prima eſt, propter excellentiam boni, quo voluntariè & liberè ſe privavit, culpâ ſuâ. Secunda eſt, propter exiguum, cujus interventu poterat ipſe habere fruitionem hujus boni, cujus tamen ipſe non habet fruitionem. Atqui excellentia boni, cujus animæ ſanctæ Sponſæ Dei patiuntur privationem in purgatorio, non eſt ſolùm paradiſus, beatitudo, felicitas, gloria, ſed Deus ipſemet, qui præſentiâ ſuâ facit paradiſum, ubi ipſe videtur *facie*

m 1. Cor. 13. 12. n 1. Joan. 3, 2.

ad faciem m, *ſicuti eſt* n. Deus, qui conſtituit totam felicitatem, & qui eſt tota cauſa gloriæ beatæ, *Ita quòd ipſam ſuperadoranda Deitatis ſuperſubſtantialem eſſentiam in ſeipsâ, per ſeipſam, clarè, & immediatè conſpicieimus. Cognitis autem, ſecundùm Philoſophos, fit per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, inquantùm ſimilitudo ſeu ſpecies cogniti ineſt cognoſcenti. Cùmque omnis forma creata à clarâ & immediatâ repræſentatione Divinæ Eſſentiæ deficiat infinitè, conſtat quòd Divina Eſſentia à mente creatâ clarè & immediatè videri non valeat per formam ſpeciemve creatam. Ideo ipſamet Divina Eſſentia unitur mentibus Beatorum loco ſpeciei & intelligibilis formæ, ita quòd ipſa eſt quod, & quo, id eſt, quod videtur, & id quo fit viſio, ſeu objectum, & ſpecies: ſicut & ipſe Deus videt ſe per ſe, ſic quòd in ejus æternâ & increatâ ſuiipſius intuitione idem ſunt objectum & ſpecies. Per hanc ergo beatificam viſionem, claram & penitus ſupernaturalem Beati Deo perfectiſſimè aſſimilantur: cùm ipſa Divina Eſſentia eis tam ineffabiliter, ac intimè uniatur. Hæc eſt admiranda, ſuperpiiſſima, liberaliſſima communicatio beatitudinis: quâ ſuperbonus Deus beatitudinem ſuam immenſam Electis ſuis communicat, & vitam eorum ſuæ vitæ conformat, eoſque plenam ſocietatem ſecū facit habere. Quoniam ſicut Deus clarè & ineffabiliter, ſummè & ardentiſſimè contemplatur* o

o ex Pſ. 2, 7. p ex Joan. 15, 16 q Dion. Carth. art. 5. in 1. Joan. 3, 2. r Exod. 33, 19.

& amat ſeipſum p: *ita & ipſi indeſinenter, clarè, ferventiſſimè contemplantur & diligunt eum*, ait Dionyſius Carthuſianus q. Deus, in quo omne bonum eſſentiale, originale, & quodcumque bonum deſiderari poteſt, reperitur, ſicut aliàs ipſe Moyſi *reſpondit, Ego oſtendam omne bonum tibi* r. Deus, qui formaliter continet univerſas perfectiones, & modo eminenti id omne quod eſt laudabile, perfectum, & commendabile inter omnes creaturas. Deus, de quo interrogatus Philoſophus Simonides à Rege Syracuſano, quid eſſet, petivit diem dilationis ad reſpondendum; termino autem tranſacto, poſtulavit alterum, & deinde alium: inquiſitus autem de dilatione ſuâ ad ſatisfaciendum quæſtioni propoſitæ, reſpondit, quòd quò plus de eo cogitaret, eò plura in

s 1. Cor. 2, 11.

illo mirabilia reperiret. Et jure merito: nam, ſicut ait Apoſtolus s, *Quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei*. Noſter intellectus eſt nimis infirmus, & mens Angelica non habet ſatis notitiæ ad concipiendas omnes illius perfectiones; nec poteſt meliùs de his diſſeri, quàm tacendo; cùm ſilentium noſtrum ſit confeſſio noſtræ infirmitatis, æquè ac magnitudinum ejus. Deus, qui eſt omnia, & in quo reperitur excellenter id omne quod eſt bonum & pulchrum, ſic *ut ſit Deus omnia*

t 1. Cor. 15, 28. u Dion. Carth. art. 15. in 1. Cor. 15, 28.

in omnibus, ait S. Paulus t. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus u, *Ut ſit Deus omnia, cauſaliter, objectivè ſeu fruitivè in ōnibus comprehēſoribus. Quidquid enim amari poſſit vel appeti, habent in Deo, & Deus eſt cauſa totius beatitudinis Electorum, qui nihil quærunt aut diligunt niſi Deum, & alia in Deo propter Deum, & ſecundùm Deum. Deus quippe eſt unum illud, quod ſolum neceſſarium eſt* x, *in quo*

x ex Luc. 10, 42.

eſt omnium bonorum ac pulchrorum ac deſiderabilium plenitudo immenſa, qui ſolus quietat rationalis creaturæ affectum. Cùm poſſidetur Deus, poſſidentur omnia, cùm in eo repetiantur omnes perfectiones poſſibiles, & omnes prærogativæ, quas mens noſtra concipere poſſit, & ultrà: & cùm amittitur, amittuntur omnia, cùm amittatur ille qui omnia eſt. Et ego reperio quòd ille idololatra non immeritò querebatur de eo quòd idola ſua ſibi fuiſſent erepta à militibus, ſicut recenſet Scriptura ſacra y, *Qui dixerunt*

y Judic. 18, 23.

ad Micham, Quid tibi vis? cur clamas? Qui reſpondit, Deos meos tuliſtis, & omnia quæ habeo: & dicitis, Quid tibi eſt? Sic eſt, Auditores: Deus tenet locum rerum omnium, & cùm illum amiſimus, omnia perdidimus. Heu! animæ purgatorii ſunt privatæ viſione Dei, quæ viſio facit totum paradiſum Beatorum: ipſæ privatæ ſunt hoc ſummo Bono, ſed eo privatæ ſunt propriâ culpâ ſuâ: quanto ergo dolore ipſæ affliguntur: fatendum eſt quòd hic ipſarum dolor eſt extremus.

Sed quare ſunt ipſæ illo privatæ? Ecce ſecunda ratio, quæ auget ipſarum pœnam. Utquid animæ iſtæ patientes privatæ ſunt iſtâ felicitate? Cur? Loquimini, Animæ afflictæ, quandiu populus iſte paratus eſt ad vos audiendas. Quare patimini privationem tanti Boni? Auſcultate, ſi placet, Auditores. En Sacerdos, Religioſus, qui certos nos reddit, quòd propter exiguum, quòd propter levem murmurationem, propter aliquam parvam diſtractionem in officio, propter aliquam levem negligentiam in obeundis muniis ſuis. Ecce Epiſcopus qui nos edocet motivum pœnarum ſuarū, is eſt S. Severinus Archiepiſcopus Colonienſis, qui, eò quòd eſſet expediēdis negotiis Status Politici addictus, manè totum ſuum Officium Divinum recitabat ſemel & unà, ut per diem liberior eſſet ad reſolvenda quælibet occurentia negotia, ideòque patitur in purgatorio propter iſtud ſolum, & non propter aliud. Mulieres autem præbete, ecce matrona, ſeu fœmina nobilis, quæ queritur de infortunio ſuo in his flammis purgātibus, ipſa patitur, eò quòd ſe nimis curioſè ornaverit, quòd æquo vanior fuerit, licèt ſine pravo conſilio; ecce motivum pœnarum ipſius, exigua vanitas quam præ ſe tulit ſoror S. Thomæ Aquinatis, eò quòd faciem ſuam laviſſet die Veneris. Loquaces, garruli, audite has animas quæ de ſuis queruntur ſuppliciis pro eo quòd aliqua protulerint otioſa verba, & æquo liberiores fuerint ad loquendum ſine neceſſitate. Tandem, Animæ aliæ in purgatorio patiuntur, propter res majores & propter res minores. Qualis afflictio, propter ſic exiguum tāta pati: qualis dolor, propter rem ita levem perdere tantum Bonum, id eſt pati ad tempus privationem viſionis Dei, quæ viſio eſt maximum bonorum omnium. Iſte dolor eſt extremus, & propter excellentiam boni amiſſi, & propter exiguum, quod fecit ipſum amitti, & facit ipſius privationem.

z Gen. 25, 33. & 34.

Scriptura ſacra z nobis repræſentat guloſum quendam, ſcilicet Eſau, qui ſua *vendidit primogenita, accepto pane, & lentes edulio, & abiit, parvipendens quòd primogenita vendidiſſet*, quæ magnæ conſiderationis erant inter antiquos. Hæc prærogativa perdita, & pro re ſic exiguâ relicta, non dereliquit ei niſi pœnitudinem, quæ ſerviebat illi ſupplicii loco. Et Hiſtoria profana

præ noſtris ponit oculis Lyſimachum Regem Macedoniæ, qui ſiti oppreſſus, ſeipſum vendidit, & exercitum ſuum pro potu Scythis, contra quos prœliabatur, & cùm bibiſſet, & ſe captivum videret, Heu! inquit, pro quàm exiguo amiſi Regnum meum, & libertatem meam. Hic intuitus ſuæ facilitatis, erat tortor criminis ipſius. Idem dico ego de animabus purgatorij, Memoria ſuæ culpæ commiſſæ, eſt cauſa doloris ipſarum, eò quòd pro ſic exiguo ipſæ ſe privaverint tanto Bonu. Qualis dolor! is eſt extremus, videre ſe privatas viſione Dei, cujus ipſæ ſe cognoſcunt capa-

a Pſ. 41, 4.

bes, dicere valentes cum Davide *a*, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte : dum dicitur mihi quotidie : Ubi eſt Deus tuus?* Apprimè ſciebat Abſalom quòd idem David pater ſuus dimiſiſſet ſibi necem, quam ipſe præceperat inferendam fratri

b 2. Reg. 13. 28, &c.

ſuo Amnon *b*; imò vero ex tunc idem *manſit Abſalom in Ieruſalem duobus annis*. Sed quia *faciem Regis non vidit*, id eſt ejuſdem patris ſui, hæc privatio cauſabat ipſi tantum dolorem, ut diceret *ad Ioab, Obſecro ut videam faciem Regis : quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me* c. Quaſi di-

c 2. Reg. 14. 28.

ceret illi, Impoſſibile mihi eſt ut diutiùs vivam privatus præſentiâ Regis Domini mei : ſatage igitur ut illum videre poſſim, vel ut occidat me potiùs quàm me teneat in iſto ſtatu rigoris, quem ſuſtinere nequeo, & quem vel ipſi morti poſtpono. Animæ purgatorij non ignorant quòd Deus ſibi dimiſit peccata ſua : ipſæ vivunt in hâc certitudine, quòd intra dies aliquot ipſæ fruentur in cœlo beatâ præſentiâ ejus : nam, ſicut ait Bellarminus *d*, *Communis Theologorum*

d Bellarmin. lib. 2 de Purgator. c. 4.

ſententia eſt, omnes animas quæ in purgatorio ſunt, habere certitudinem ſuæ ſalutis. Ut autem intelligatur quantam habeant certitudinem, notandum eſt tres eſſe gradus certitudinis. Primus eſt ille, qui excludit omnem ſpem, & omnem timorem, talis eſt Beatorum, quibus beatitudo non eſt futura, ſed præſens. Secundus eſt ille, qui excludit omnem timorem, ſed non omnem ſpem, & talis eſt in purgatorio : nam beatitudo eſt illis futura, non præſens, & ideò non tollit expectationem; & rurſum eſt ardua, quia per pœnas ad eam pervenient, & ideò illorum expectatio poteſt vocari ſpes, tamen non eſt contingens, ſed neceſſaria, quia non poſſunt ampliùs ab eâ excidere, & ideo tollit omnem timorem. Tertius eſt ille, qui neque ſpem, neque timorem excludit, & dici poteſt conjecturalis certitudinis gradus, & talis eſt noſter : nobis enim beatitudo eſt bonum futurum, non præſens : arduum, non facile : contingens, non neceſſarium vel impoſſibile : & ideò propriſſime ſperamus, & timemus : ſumus enim adhuc in prælis, in ſtadio, in agone. Sed id quod magis eas cruciat, & acriorem cauſat illis dolorem, eſt videre retardari ſpē

e Prov. 13, 12.

ſuam, *Spes quæ differtur, affligit animam* e : & ſe pati privationem objecti, quod ipſæ plurimùm diligunt. Non eſt aliquid quod ſic ipſas affligat ac iſta privatio : & omnes pœnæ quas ipſæ patiuntur, eſſent ipſis quaſi dulces, & ignes eſſent ipſis veluti refrigerium comparatione doloris iſtius, qui eſt ipſis extremus, & qui eſt pœna damni.

Diabolus exorciſmorum virtute compellitur hanc fateri veritatem, ideòque interrogatus quidnam faceret infernum ſuum, & acerrimos dolores ſuos, reſpondit quòd id eſſet privatio viſionis Dei quam patiebatur. Interrogatus quid ipſe pati vellet ad ſe liberandum à tali pœnâ, reſpondit, quòd ſi ipſe corporeus eſſet, & eſſet columna à terrâ uſque ad cœlum, pectinibus ferres, gladijs, & novaculis inſtructa, alijſve ſimilibus inſtrumentis armata, per eam vellet ipſe trahi ab imo uſque ad ſupremū & à ſummo uſque ad infimum. Interrogatus quandiu vellet ipſe pati hoc ſupplicium, reſpondit, Quandiu? Non ſemel, non decies, nec milles, ſed uſque ad judicium extremum. Heu! quale conſilium! quàm extremus eſſe debet dolor iſte, privari viſione Dei. Diabolus eligit hoc ſupplicium ut inferius. Animæ verò purgatorij cùm ſint in gratiâ, prout ſponſæ Dei, quid non patiuntur ab hâc dilatione? Dolor ipſarum eſt extremus, & mihi verba deficiunt quibus illum explicem : ipſæ ſolæ quæ eum experiuntur, dicere poſſunt quid ſit privari præſentiâ Dei.

Job *f* qui in doloribus ſuis eſt imago animarū patientium in purgatorio, de nullâ re æquè queritur Deo ac de iſta privatione, dicens ei, *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuū? Contra folium quod vento rapitur; oſtendis potentiam tuam.* Job loquitur de potentiâ Dei, & jure merito : non enim poteſt Deus acriùs punire, quam privatione ſuæ viſionis. Sic Job vocat iſtud ſupplicium conatum omnipotentiæ ejus, in quo ipſa ſe manifeſtat præ majori ſplendore, *Oſtendis potentiam tuam.* Ipſe in omnibus jacturis ſuis ſilet, & ſi loquitur, ideò ut Deo gratias pro illis agat, & dicat in ſignum ſuæ reſignationis voluntati ejus Divinæ, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt : ſit nomen Domini benedictum* g. Solum queritur de oculo, pro eo quòd munijs ſuis non fuerit perfunctus, *In amaritudinibus moratur oculus meus* h. Ideò quia privatus eſt viſione Dei. Ecce motivum doloris Job, & animarum purgatorij, Quarum ipſe eſt imago, privatio viſionis Dei, pœna damni, quæ eſt dolor qui eſt extremus.

f Job 13, 24. & 25.

g Job 1, 21.

h Job 17, 2.

Ex iſto diſcurſu educamus duas reflexiones more ſolito, unam pro nobis, alterum pro his animabus. Quantùm ad nos, Conſideremus horroré peccati, quod eſt res maximè injurioſa Deo, & maximè noxia homini, qui ipſum committit; averſionem à Deo, quæ eſt maximum omnium malorum, quæ homo poſſit in ſe invehere, declarare ſe inimicum Dei, indicere ei bellum, velle illum exinanire, eſſe ejus, & omnia ipſius attributa. Quantùm horrere debemus iſtud monſtrum, quod inſurgit in Deum, & nos privat ejus viſione, quæ debet eſſe objectum noſtræ felicitatis per æternitatem. Quàm deforme eſt peccatum, quantam malitiam præ ſe fert. Scitiſne quid ſit peccatum? Eſt rebellio creaturæ contra Creatorem, nihili cōntra illum *Qui eſt* i, hominis contra Deum, ſed hominis qui vult ſe reddere Dominum illius, cujus eſt ſervus, qui ex inferiore qualis eſt ex ſe, conatur ſe reddere ſuperiorem illo præſumptione ſuâ, ſi vires ſuæ eſſent æquales temeritati ſuæ : certum eſt enim quòd peccator, quantùm poteſt, Deum ſpoliat authoritate ſuâ, & aufert ab eo ſceptrum ſuum & diadema ſuam, cùm inſurgens adversùs ejus voluntaté, teſtetur quòd, ſi poſſet, inſurgeret etiam contra potentiā illius, quòd privaret illum imperio, cùm nolit ei morē gerere; & quòd eriperet ei ſummum dominium, cùm renuat ei ſubjectionem. Inſolentia peccatoris ad hunc temeritatis uſque prorumpit exceſſum, ut, ſi poſſet, exinaniret Deum, & illum penitus de mūdo tolleret : quomodò autem Deus non perſequeretur peccatum ut crudeliſſimum inimicum ſuum? quo pacto non eſſent *ſimiliter odio Deo, impius & impietas ejus* k, à quibus tot ſuſcipit injurias? Et quare non abhorreremus

i Exod. 3, 14.

k Sap. 14, 9.

hoc

hoc monſtrum, cùm nos reddens inimicos Dei, nos privet gratijs ejus, nos reddat indignos qui videamus unquam faciem illius, & nos ponat in ſtatu privationis æternæ viſionis Dei, quæ viſió totam facit in cœlo Beatorum felicitatem. Fugiamus igitur peccatum ut maximum malorum omnium quæ nobis poſſint contingere, cum nos perducat *in ſupplicium æternum* l.

l Matth. 25, 46.

Triplex reperitur ignis, unus qui urit & non conſumit, ſecundus qui urit & conſumit, ſed lentè; tertius qui urit & conſumit totum ſimul & unà. Primus qui urit & non conſumit, eſt ignis inferni, ubi peccatum non dimittitur, nec unquam dimittetur, licet ibi puniatur per æternitatem. In purgatorio, ignis urit & conſumit, ſed lentè, juxta obligationem quam habent animæ ibi manendi per quoddam tempus. Tertius qui urit & conſumit totum ſimul & unà, eſt ignis chatitaris, ſeu amor Dei: hic autem poteſt eſſe ſic intenſus ut totum conſumat, & culpam, & pœnã culpæ debitam. Videmus hunc ignem in Magdalenâ, cujus peccata ipſe conſumpſit omnia, & quantùm ad culpam, & quantũ ad pœnam criminibus ipſius debitam, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* m. Ardeamus in iſtâ vitâ hoc igne Divino, ut ignis purgatorij nihil inveniat purgandum in nobis, ut purificati flammis ejus, evitemus flammas æternas inferni, ubi ignis jugiter urit, nedum conſumat animas, circa quas in æternum aget.

m Luc. 7, 47.

Quantùm ad animas purgatorij; Conſideremus earum languorem in ſtatu cæcitatis, ubi privatæ viſione Dei, qui ipſas excipit ut captivas, abſcondens ipſis faciem ſuam, experiuntur dolores acerrimos. Mihi videor audire mortuos in ſtatu miſeriæ ſuæ ſic ſingulos Deum exorare, *Domine, ne avertas faciem tuam à me: ne declines in irâ à ſervo tuo.* Vel, *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus* n. Quòd ſi audiens eas animas queri in iſtis ignibus, miſeratione commotus intuitu anguſtiæ earum, ab illis peto, Animæ afflictæ & patientes, quid intenditis iſtis ſuſpirijs quæ emittitis? Poſtulatiſne allevamentum a pœnis veſtris? requiem ab inquietudinibus veſtris? & refrigeriũ ardoribus veſtris? Nequaquam, reſpondent ipſæ: omne iſtud non inducit nos ad formandas querelas. Quid igitur? *Vt videam* o. Ipſæ poſtulant viſum, privatio viſionis Dei eſt ipſis intolerabilis, & in hoc ſtatu ſuæ cæcitatis ipſæ non poſſunt habere ullam requiem, nec ullum oblectamentum, & proteſtantur ſe nullâ poſſe lætitiâ perfundi, privatæ gloriæ *lumine, lumen* p æternum ipſis oſtendere valente; dicentes, ſicut Tobias, *Quale gaudiũ mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video* q? Ideòque ipſæ Deo clamant, more cæci Jericunthini, *Domine ut videam.* Cùm ex iſto viſu pendeat tota noſtra felicitas, nihil amplius petimus quàm iſtam viſionem faciei tuæ.

n Pſ. 79, 4.

o Luc. 18, 41.

p Pſ. 35, 10.

q Tob. 5, 12.

Compatiamur, Auditores, doloribus iſtarum animarum afflictarum, concurramus ad earum allevationem, ne habeant ipſæ unde de nobis querantur ob nimiam crudelitatem, & nobis improperent quòd ipſas perſequantur, non ſecus ac Deus, *Quare perſequimini me, ſicut Deus* r? Quia cùm Deus ipſas redegerit in hunc ſtatum doloris, qui eſt extremus, non dignamur ipſas curis noſtris, ſuffragijs noſtris, & bonis operibus noſtris inde educere; & quod peius eſt, & melius oſtendit ingratitudinem noſtram, quod ſaturamur ipſarum carne, *Et carnibus meis ſaturamini* s? Nimirũ, quòd id omne quod comedimus, & bibimus, & inſumimus ad ſatisfaciendum appetitibus noſtris, non eſt niſi ſudor ipſarum, effectus laboris ipſarum. Et tamen, res inaudita, & ſupplicio digna! obliviſcimur earum in pœnis ſuis, nedum cogitemus de ipſis inde eruendis, *Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde*, queruntur ſinguli mortui per Pſalmiſtam t. Et per Dionyſium Carthuſianum u, *Vicini ac noti mei obliti ſunt mei, nil curando de me, nec compatiendo, neque ſuccurrendo miſerijs meis.* Impendamus operas noſtras in favorem iſtarum animarum, inſumamus laborem noſtrum ad huc ut impetremus eis viſionem faciei Dei, quæ facere debet totam illarum felicitetem, ut dicere poſſint more cæci nati, poſt ſuſceptum beneficium viſus, quo erat privatus, *Cæcus cùm eſſem, modò video* x. Ipſæ nobis erunt obſtrictæ, & in hoc ſtatu pro gratiarum actione procurabunt ipſæ nobis eandem felicitatem, impetrantes nobis in mundo iſto gratiam, quæ eſt viſus, qui eſt nobis neceſſarius ad poſſidendam conſequenter eandem ipſarum gloriam.

r Job. 19, 22.

s Ibid.

t Pſ. 30, 13.

u Dion. Carth. in Expoſit. tropolog. in hunc locum.

x Joan. 9, 25.

TERTIA DIE INFRA OCTAVA COMMEMORATIONIS DEFUNCTORUM.

Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Pſ. 37. 10.

AMor immodicus, quo animæ porgatorij ducuntur erga Deum, non eſt ſola cauſa pœnæ ipſarum, ſed etiam ingens deſiderium, quo ipſæ feruntur, conciliandæ ſibi fruitionis illius, concurrit ad ipſas affligendas. Doctores dicunt, quòd beatitudo eſt ſtatus qui complectitur in ſe omne genus oblectamenti, nedũ poſſit in eo quis genus aliquod experiri moleſtiæ, *Liquet eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum*, ait Boëtius a. Beatitudo eſt ſtatus perfectus, quia voluntas noſtra non habet quid amplius deſiderandum: nam alioquin nõ eſſet vera felicitas, cùm deſiderium cauſaret ibi novas pœnas. Patriarcha Joſeph vehementer diligebat fratrem ſuum Benjamin, & amor iſte cauſabat in ipſo deſiderium videndi illius, & amplectendi, quod deſiderium cruciabat ipſum, ideòque cùm erat ipſe Prorex Ægypti, dixit fratribus ſuis, qui *deſcendentes ut emerent frumenta in Ægypto, Benjamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus ejus, Ne fortè in itinere quicquam patiatur mali; ingreſſi ſunt terram Ægypti cum alijs qui pergebant ad emendum (erat autem fames in terrâ Chanaam) Fratrem veſtrum minimum adducite ad me* b. Animæ purgatorij ſunt afflictæ, ipſæ patiuntur in hoc loco, quia deſiderant habere fruitionem viſionis Dei. Oſtendam vobis illarum deſiderium, & pœnã quam deſiderium iſtud illis cauſat, *Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Imploremus auxilium B. V. à quâ productus eſt *Deſideratus cunctis Gentibus* c, conceptus *in utero* ejus poſtquàm *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* d *Maria.*

a Boet. lib. 3. de Conſol. Philoſ. proſ. 2.

b Gen. 42, 3 &c.

c Agg. 2, 8.

d Luc 1, 31. & 28.

Etiamſi cœli multùm diſtent à terrâ, tamen inter hanc & illos eſt magna communicatio: Sol, Luna, & aſtra ſuis influentijs, lumine ſuo, & calore ſuo fœcundant terram, cauſant ei virtutem prolificam: & terra mittit ſurſum exhalationes ſuas, è quibus cœlum formatt meteora ſua: Non eſt aliquid quod non

ſit in commercio in civitatibus : in communitatibus quæri debet bonum omnium civium: In homine ipſo eſt communicatio ; ſtomachus recipit eſculenta & poculenta, & deinde emittit ſanguinem, cor ſubminiſtrat ſpiritus vitales, & cerebrum providet animales. Hoc ſuppoſito, dico quòd ſicut eſt triplex Eccleſia ; triumphans, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ* e, militans,
e Iſai. 32, 18.
Militia eſt vita hominis ſuper terram f: & patiens,
f Job 7, 1.
Ipſe enim quaſi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, ait Malachias g, loquens de Deo purgante animas hujus Eccleſiæ patientis: ſic inter iſtas tres Eccleſias debet reperiri cõmercium: Eccleſia triumphans adjuvare debet Eccleſiam militantem, & iſtæ duæ ſublevare debent Eccleſiam patientem, quæ magnis ardet deſiderijs fruendi felicitate triumphantis, & cujus deſideria ſunt cauſa afflictionum & pœnarum ipſius.
g Malach. 3, 2. & 3.

Amor eſt pater deſiderij, ipſe producit illud ; & aliquis deſiderat, quia amat : deſiderium eſt effectus amoris, & nunquam deſideraremus, niſi amaremus. Dixerunt aliqui quòd amor & deſiderium eſſent idem : ſed, pace illorum dixerim, ſunt duæ res differentes, ſicut effectus & cauſa ſua : deſiderium differt ab amore : nam licèt omnis amor ſit deſiderium, tamen omne deſiderium non eſt amor : hæc admittitur inter utrumque differentia, quòd amor intuetur bonum in generali, præſens, vel abſens, quo quis fruitur, vel quo eſt privatus ; ſed ſolum bonum abſens eſt objectum deſiderij. Amor eſt veluti pondus, & deſiderium quaſi motus. *Pondus meum amor meus, eo feror quòcunque feror*, ait S. Auguſtinus h. Deſiderium eſt motus qui nos inducit ad inquirendum id quod amamus, & nos affligit, ſi non poſſumus habere illius fruitionem. Aliqui dixerunt, quòd deſiderium non erat paſſio particularis, ſed communis omnibus alijs : deſideramus enim id quod amamus, & hoc nos affligit, ſi nequeamus illius fruitionem habere ; ſi oderimus aliquid, deſideramus illo privari. Ego autẽ dico quòd eſt paſſio particularis, quæ nos inducit ad requirendum objectum amatum ; & cùm non poſſumus conciliare nobis illius fruitionem, hoc deſiderium nos affligit, ſicut oſtendere volo vobis in animabus purgatorij per tria motiva, quæ conſtituent tres diſcurſus iſtius partes.
h S. Aug. lib. 13, Conf. c. 9.
Diviſio.

I. Pars. Ad intelligentiam illius quod habeo dicendũ, ſuppono, quòd omne deſiderium cauſat motum in animâ & in corpore illius qui deſiderat, motum qui ipſum inducit ſemper ad requirendũ objectum amatum. Philoſophia dicit, quòd *natura eſt principium motus & quietis*. Ut perveniatur ad quietem, ut habeatur illius fruitio, requiritur motus: natura deſiderij talis eſt ut nullam det requiem, quam non præcedat motus, qui ſociam & individuam ſemper habet inquietudinem : ſemper enim ſumus inquieti, deſiderantes aliquid, & dilatio fruitionis rei illius ad quã ſuſpiramus, afflictione nos afficit, *Spes quæ differtur, affligit animã*, dicit Salomon i. Eſt poſt eum Dionyſius Carthuſianus k, *Spes quæ differtur, id eſt, à deſiderati boni adeptione retardatur, affligit animam cupientis, quam facit avidè & anxiè aſpirare ad bonum ſperatum, præſertim ad beatificam Altiſſimi fruitionem, ipſaq; dilatio tanti Boni affligit. Unde dixit Propheta, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt* l: *Itemq;, Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus* m? *Et tali dolore clamavit Apoſtolus* n, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc ſuppoſito, dico quòd deſiderium quo animæ purgatorij ducuntur habendæ fruitionis Dei, quem ipſæ perfectè diligunt, ipſas affligit, & hoc propter tria motiva, quorũ primum, eſt motivum centri, cùm ipſæ non ſint in proprio centro ſuo.
i Prov. 13, 12.
k Dion. Carth. art. 13, in Prov. 13, 12.
l Pſ 119 5.
m Pſ. 41, 4.
n Rom. 7, 24.

Propria & naturalis inclinatio omnium entiũ in hoc eſt ſita, ut perveniant ad centrum ſuum : omnes ſuos adhibent conatus ad hoc ut uniantur ei, cùm ſint in ſtatu violento, & cum coactione extra ipſum. Videte quomodo terra gravitate extra maſſam ſuam, quæ eſt centrum ſuum: ſi ſumatis eam manibus, ipſa moleſtat vos gravitate ſuâ. Quare? Quia ipſa eſt in ſtatu violentiæ, in quo ipſa patitur : nec mirari debemus ſi ipſa nobis infert paſſionem, ipſa tendit ad centrum ſuum, ut ad locum quietis ſuæ : & lapis pretioſus, quietus eſt in luto ſuo, & velut inquietus ſuper diademate Regum, vel ſuper tiarâ ſummorum Pontificum, ubi collocatus eſt præ tanto ſplẽdore, cùm quaſi coactus occupet unum ex iſtis locis, ubi etiam ſe reddit gravem, quia neuter eſt proprium centrum ſuum: & cùm lapides ſunt in altiſſimis faſtigijs ædificiorum, in locis eminentiſſimis palatiorum & baſilicarum, ipſi ſunt ibi præ vi & coactione, ibi manent cum violentiâ, & inclinantur ſemper ad centrum ſuum, ut ad locum quietis ſuæ. Aqua gravitat, æquè ac terra, ſi educatis eam è centro ſuo, quod ipſa nõ facit cùm in illo eſt. Videte hoc, trahendo ſitulam è puteo : non gravitat ſitula, quandiu trahitis illam uſque ad ſuperficiem, iſtud agitis facilè, ſed poſteà cùm educitis illam ex aquâ, reperitis laborem, difficultatem, & reſiſtentiam, *Elementa non gravitant, nec levitant in proprijs centris*, ait Philoſophia. Tandem, Singula elementa ſibi violentiam inferunt, ut perveniant ad centrum ſuum : & Ægyptij qui agnoſcebant ignem ut Deum, eique, tanquam fuiſſet Divinitas, exhibebant reverentias & adorationes, quæ non debẽtur niſi ſummæ majeſtati Dei o, ſummo manè ſurgebant ad præſtanda ei obſequia ſua, illumque fovebant lignis aromaticis & pretioſis : ſed vix ignis erat accenſus, cùm ſtatim flammas ſuas ſurſum elevabat versùs ſphæram ſuam, quaſi diceret verbo muto cæcis adoratoribus ſuis, Injuriam mihi irrogatis, torquetis me: non eſt hic cẽtrum meum, & locus quietis meæ, ſinite ut eam me unitum ſphæræ meæ, quæ eſt centrum meum, locus quietis meæ, qui terminat motus meos, extra quem vehementer patior, & non poſſum eſſe niſi cum violentiâ. Strepitus tormentorum bellicorum, hæc ora ignea, quæ totam tremore concutiunt naturam, aër incluſus cum violentiâ in terrâ quam ſic furioſè concutit, ut ſibi pandat exeundi inde libertatem, hæc omnia non ſunt niſi ad hoc ut perveniant ad centrum ſuum, cùm omnia patiantur extra illud. Animæ purgatorij detentæ ibi captivæ, cùm ſint extra centrum ſuum, deſiderant inde exire, & hoc deſiderium quod eſt maximum, cauſat ipſis dolorem qui eſt extremus. Centrum animarum egreſſarum è corpore, non eſt purgatorium, non eſt ignis, non eſt ſupplicium. Loquor de animabus ſanctis, quæ exeunt ex iſto mundo in ſtatu gratiæ : nam quantùm ad illas, quæ diſcedũt ex iſtâ vitâ in ſtatu peccati mortalis, præcipitantur in infernum ut in proprium locum ſuum, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt* p. Quale eſt igitur centrum animarum juſtarum, animarum Dei ? Gloria, viſio Dei, cœlum, imò verò Deus ipſemet, *Univerſa propter*
o Exod. 20. 3.
p Job 21, 13.

ſemet-

ſi metipſum operatus eſt Dominus, ait Salomon q. *Id eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r, *ex propriâ liberalitate ac bonitate, & propter ſuiipſius gloriam ac honorem, non ob aliquam indigentiam aut profectum ſeu commodum ſui, qui bonorum noſtrorum non indiget* s, *ſed ut ex ſuâ plenitudine ac munificentiâ ſeipſum creaturis communicaret, ſuamque perfectionem ac beatitudinem eis multipliciter participaret. Hinc magnus Theologus Dionyſius aſſerit, quòd Divinus amor non relinquit eum ſine germine eſſe. Ideò per Iſaiam* t *teſtatur Dominus: Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. Et alibi* u, *Non propter vos ego faciam, notum ſit vobis, ſed propter nomen ſanctum meum. Unde & Plato cauſam finalem productionis mundi inquirens, ait in primo Timæi, Dicendum cur Conditor & Fabricator univerſi omne hoc inſtituendum putaverit. Optimus erat, ab Optimo porrò invidia longè relegata eſt. Itaque conſequenter ſui ſimilia cuncta prout cujuſque natura capax beatitudinis eſſe poterat, effici voluit, quam quidem voluntatem Dei originem rerum certiſſimam ſi quis ponat, rectè eum putare conſentiam. Hinc Deus dicitur omnium cauſa non ſolùm effectiva, ſed & finalis ac exemplaris. Nam ſicut omnia ex propriâ bonitate & voluntate produxit: ſic ad ſeipſum cuncta finaliter ordinavit, & ſecundùm ideales ſuæ æternæ ſapientiæ rationes cuncta inſtituit. Propter quod teſtatur, Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis* x. Quandiu autem iſtæ animæ ſunt extra centrum ſuum, ipſæ ſunt in ſtatu violentiæ, ipſæ patiuntur, & ipſatum deſiderium eſt cauſa paſſionis ſuæ, & doloris ſui. Deus eſt centrum animarum: oportet igitur ut animæ revertantur ob fœlicitatem ſuam ad illum, cùm in eo ſolo reperiant ipſæ quietem & beatitudinem ſuam. Ipſæ dicere poſſunt ſicut dicebat Salvator, loquens de exitu ſuo à Patre ut veniret in mundum, ubi fuit *in laboribus à juventute* y ſuâ, *Exivi à Patre, & veni in mundum* z. Propter oblectamentum ſuum, & totalem ſuam fœlicitatem oportet ut ipſe faciat circulum, relinquat mundum, & revertatur eò onde exierat, nempe ad centrum ſuum, ubi habebit ipſe requiem, & omne genus fœlicitatis, *Iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem* a. Animæ purgatorii dicere poſſunt idem, Exivimus à Deo, ut a principio noſtro, *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me* b. Ut igitur inveniamus requiem, reverti debemus ad illum ut ad finem noſtrum, & ad centtum noſtrum. Cùm *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* c. Deus inſufflavit, ut oſtenderet, quòd venimus ab ipſo, quòd ipſe eſt principium noſtrum, finis noſter, & centrum noſtrum, ubi habemus requiem, quam nullibi reperire poſſumus niſi in ipſo. Animæ igitus purgatorii ſunt in ſtatu violentiæ in hoc locu doloris & pœnæ inter ignes & flammas. Judicate de illarum tolerantiâ ex inclinatione naturali quam quælibet res habet perveniendi ad centrum ſuum, ubi reperit ipſa quietem & ſatisfactionem ſuam, ſemper patiens quandiu eſt in privatione illius.

q Prov: 16,4.
r Dion. Carth. art 14, in Prov. 16, 4.
s ex Pſ. 15, 2.
t Iſai. 43, 7.
u ex Ezech. 36, 22.
x Apoc, 1,8.
y Pſ: 87, 16.
z Joan. 16,28.
a Ibid.
b Job. 10, 8.
c Gen. 2, 7.

II. Pars.

Secundum motivum quod affligit, & quod pati facit animas in purgatorio, eſt fames: nam quælibet res naturaliter conſervationem ſuam deſiderat; & animal non fovetur niſi alimento; hoc deficiente non poteſt quin patiatur: & fames eſt res ſic acerba, ut S. Baſilius d vocet ipſam caput omnium miſeriarum, *Fames humanarum calamitatum caput exiſtit.* Hiſtoria ſacra e tremere nos facit horrore, cùm repræſentat nobis id quod accidit alias in obſidione Samariæ, quando matres comedebant proprios filios ſuos præ fame: *Congregavit Benadab Rex Syriæ, univerſum exercitum ſuum, & aſcendit, & obſidebat Samariam. Factaque eſt fames magna in Samariâ. Cùmque Rex Iſrael tranſiret per murum, mulier quadam exclamavit ad eum, dicens: Salva me Domine mi Rex. Qui ait, Non: te ſalvet Dominus: unde te poſſum ſalvare? de areâ, vel de torculari? Dixitque ad eam Rex, Quid tibi vis? Quæ reſpondit, Mulier iſta dixit mihi, Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die alterâ, Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abſcondit filium ſuum.* Quis audivit unquam talem barbariem? Quid crudelius, quid inhumanius, quàm ut mater, quæ ordinariè ſic tenerè diligit productiones ſuas, ſe reddat ſic ſævam proprio ſanguini ſuo, ut inferat mortem proprio fructui ſuo, fame compulſa? Nihil violentius fame igitur. Proptereà Deus providit omnibus entibus proprium alimentum quod ipſa fovet, & in eſſe ſuo ipſa conſervat.

d S. Baſil. conc. in Fame & Siccit.
e 4. Reg. 6,25, &c.

Quintuplex datur genus entis, quod indiget ut Deus ipſum ſic conſervet: eſt enim ens ſimplex, ens vegetans, ens ſenſitivum, ens rationale, & ens intellectuale ſeu Angelicum. Enti ſimplici, quale eſt cœlum, Deus neceſſaria providit ſapientiâ ſuâ & providentiâ ſuâ. Quantùm ad eſſe vegetans, plantæ & arbores nutriuntur pinguedine terræ. Quantùm ad eſſe ſenſitivum, animalia aluntur fructibus & herbis. Quantùm ad eſſe rationale, homo paſcitur fructibus, animalibus, & cæteris quæ Deus deſtinavit ad ipſius uſum. Quoad eſſe intellectuale, Angelus habet cibum inviſibilem, ſicut utrique Tobiæ Raphaël *dixit Angelus, Cùm eſſem vobiſcum, videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor* f. Cùm ergo Deus alimenta providerit omnibus entibus; enti ſimplici, ut cœlis; enti vegetabili, ut plantis; enti ſenſitivo, ut animalibus; enti rationali, ut homini, (ſicut ſcriptum eſt, *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* g: *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, maſculum & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam: & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis quæ moventur in terrâ, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum* h) æquè ac enti intellectuali ſeu Angelico, prout audiviſtis: quis non credet quòd Deus qui dat omnes prærogativas requiſitas ad perfectionem creaturæ, providerit etiam animabus alimenta neceſſaria, quibus ipſæ poſſint uti cùm illis indiguerint? Sed quænam ſunt hæc, ſi placet, alimenta? qualis eſt iſte cibus, quem Deus tribuit animabus noſtris. Animæ conſiderari poſſunt in duobus ſtatibus, ipſæ poſſunt aſpici ſecundùm duas facies quas habent, aut ſecundùm ſtatum purè naturalem, vel ſecundùm ſtatum ſupernaturalem. In ſtatu naturali, cibus quem Deus ipſis tribuit, eſt notitia veritatis & bonitatis, veri & boni, cui vacaverunt aliàs antiqui Philoſophi. In ſtatu ſupernaturali, hæc refectio eſt gratia Dei, quâ Juſti vivunt in iſto mundo, cum dicere poſſint, ſicut Dei Filius intentus converſioni Sa-

f Tob. 12, 17, &c.
g Pſ. 32, 6.
h Gen. 1, 27, &c.

maritanæ, & rogatus à diſcipulis ſuis ut comederet, *dixit eis, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, ut perficiam opus ejus* i. Præterea, Animæ conſiderari poſſunt vel in iſto mundo ubi vivimus, vel in altero. Vita animarum ſanctarum, Sponſarum Jeſu Chriſti, quæ non reſpirant hic niſi complacere Sponſo ſuo, qui ait, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ* k, eſt ſanctiſſima Euchariſtia. Et in altero mundo eſt cognitio Dei, quemadmodum idem *Jeſus ſublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* l. Et S. Thomas m, *Beatitudo intellectualis naturæ conſiſtit in actu intellectus.* Vel dilectio ejuſdem Dei, ſicut docet Scotus n: vel, ſi velitis, illius fruitio, juxta doctrinam S. Bonaventuræ o, qui conſiſtere facit beatitudinem Sanctorum in fruitione Dei, videndo illum, & amando eum: nam Sancti in cœlo fruentes Deo, ſunt beati, viſio ejus facit ipſorum fœlicitatem, & videndo eum cognoſcunt illum, & cognoſcendo eum diligunt illum. *Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſummæ ac primæ Veritatis clara & immediata, eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa fœlicitas: tamen in quantum contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt. Hinc dicit Auguſtinus* p, *quòd viſio eſt tota merces. In quâ utique Joannes* q *noſtram deiformem, & ſummam perfectionem, & per conſequentiam veram fœlicitatem conſtituit, dicens, Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* ſubdit Carthuſianus r. Et ſicut cognitio Dei s, & dilectio ſui t, eſt vita ſua, & Deus facere non poteſt, quin ſe cognoſcat, & cognoſcendo ſe quin ſe diligat: ſic vita & alimentum animarum in cœlo, eſt cognitio Dei, & dilectio illius, ſeu fruitio ejus cognitionem & dilectionem complectens: atqui animæ purgatorii privatæ ſunt iſto cibo, ipſæ eſuriunt eum, & hæc fames eſt motivum paſſionis ipſarum; ipſæ deſiderant iſtum cibum; & ſicut ipſæ non poſſunt eum habere, proptereà ipſæ dolore afficiuntur. Judicare autem poteſtis de extremitate doloris iſtius cauſati à fame, ex effectibus quos fames operatur in iſto mundo, cùm dolore & rabie pereat quis, ſi patiatur eam per tres aut quatuor dies: quid dicetis autem de fame animarum purgatorii, quæ non durat ſolùm tres aut quatuor dies, ſed menſes, & annos integros? Heu qualis dolor! Nunquid non compatiemur huic dolori? Et ſi mihi liceat ſingulis Defunctis qui ſunt in purgatorio, applicare verba filii prodigi, *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo* u, introducam illos ſingulos ſic querentes. Nam licèt filius ille nequam & æquo liberior repræſentet nobis peccatorem, & Defuncti qui ſunt in purgatorio ſint in gratiâ Dei, habent tamen aliquas reliquias peccati, id eſt, ſolvendam pœnam juſtitiæ Dei pro peccatis ſuis debitam, & ſub hâc conſideratione mihi videor aliquo modo poſſe vobis eos repræſentare ſic clamantes, applicando eis partim verba quæ Dionyſius Carthuſianus x dicit de illo filio diſſoluto, *Quanti mercenarii, id eſt, valde multi Deo propter æternam mercedem deſervientes, ſecundùm illud Pſalmiſtæ* y, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem: Unde de Moyſe ait ad Hebræos* z *Apoſtolus, Aſpexit in remunerationem: Et in Geneſi* a *Abraham loquitur Deo, Domine Deus, quid dabis mihi? Cui & in Geneſi* b *Dominus ait, Ego Protector tuus, & merces tua magna nimis: in domo patris mei, id eſt, in Eccleſiâ militanti, quæ dicitur domus Dei, ſeu Patris cœleſtis, prout ſcribit Apoſtolus* c, *Scias quomodo te oporteat in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi: abundant panibus, hoc eſt, multiplici alimoniâ ſpirituali, videlicet, pane Sacramentali, de quo ait Salvator, Ego ſum panis vitæ. Itemque, Caro mea, verè eſt cibus* d. *Inſuper, pane pœnitentiali, de quo fertur in Pſalmo* e, *Cibabis nos pane lacrymarum. Et* f, *Cinerem tanquam panem manducabam. Eſt etiam panis bonæ operationis, de quo Chriſtus, Meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris mei* g. *Eſt denuum & panis contemplationis, juxta illud Eccleſiaſtici* h, *Cibabit illum pane vitæ & intellectus. Eſt iterùm panis ſanctæ affectionis, de quo fatetur ardens amator, Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* i. *His panibus abundant, qui in Eccleſiâ Deo diligentiſſime obſequuntur, ſicut ait fidelis miniſter, Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocavit* k. *Ego autem hîc fame pereo, id eſt, ego qui quoniam ſum filius Patris cœleſtis, ex ſpiritualis defectu alimoniæ in animâ morior.* Nunquid non, Auditores, compatiemini eis? eritiſne eò uſque crudeles ut denegetis ipſis eleemoſynam, quam à vobis requirunt ad ſublevandam famem ſuam, quæ eſt cauſa doloris quem patiuntur? Audite quomodo contentâ voce inclamant, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* l. Neceſſitas illarum animarum in purgatorio languentium ad extremas eſt anguſtias redacta, & niſi in hoc ſtatu deplorabili miſeriarum & paſſionum quibus ipſæ affliguntur, adjuvetis eas, eritis conſcii ſævitiæ, cujus rationem reddetis Deo *cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Tunc dicet his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* m. Nam dico de illarum fame, ſicut S. Auguſtinus n ait de fame materiali pauperum & egenorum in iſtâ vitâ, *Paſce fame morientem: ſi non paviſti, occidiſti.* Non paviſtis eas redactas ad extremas doloris anguſtias, concurriſtis ad illarum paſſiones, ideòque crudelitatis eſtis conſcii.

Tertium motivum, quod pati facit animas in ergaſtulis horribilibus purgatorii, eſt ingens deſiderium quo ipſæ ducuntur, perveniendi ad finem ſuum, qui debet imponere finem hujuſmodi deſiderio, ſicut & ipſarum pœnis. Finis habet iſtud ſibi proprium, ut fruitione ſui placeat; contenti ſumus ſtatim ac conſecuti ſumus finem noſtrum, ſicut è contrà patimur videntes nos ab eo elongatos, & iſte viſus nos affligit. Amaſii mundi, cito vos ad deponendum in favorem iſtius veritatis, quam in medium promo: Nunquid non eſt verum quòd dolore afficeremini immodico, ſi poſt inſumptum multum tempus ad conciliandam vobis amicitiam alicujus puellæ ſpecioſæ, divitis, & eximiis qualitatibus præditæ, ipſâ die nuptiarum cum eâ celebrandarum adveniente, raperetur vobis hæc puella, & ſic privaremini fruitione legitimorum amorum veſtrorum? Quantam pœnam tunc ſuſtineretis? Nonne crudeliter in vobis cruciaremini, videntes vos elongatos à fine, propter quem adipiſcendum ſic ardentur labora-

i Joan: 4, 31, &c.
k Joan: 6 51.
l Joan: 17, 1, &c.
m S. Th: q. 26, a. 3, in concl.
n Scot. in lib. 4, ſent: diſt. 49 qu. 4
o S. Bon: in 1. ſent. d. 1, a. 3, q. 1 & in 4. ſent. d. 49, a. 1, q. 3.
p ex S. Aug. lib. 1, de Trinit c. 8.
q ex 1 Joan: 3, 2.
r Dion. Carth: art 41. in Joan: 17, 3.
s Pſ: 2, 9.
t Joan: 15, 26.
u Luc: 15, 17.
x Dion: Carth: art 38. in Luc: 15, 17
y Pſ: 118, 112.
z ex Hebr: 11, 26.
a Gen: 15 2.
b Gen: 15 1.
c ex 1. Tim: 3. 15.
d Joan: 6 48. & 55.
e Pſ: 79. 6
f Pſ: 101, 10.
g ex Joan: 4. 34.
h Eccli: 15, 3.
i Pſ: 41, 4
k Pſ: 22. 2.
l Job 19: 21.
m Matt: 25, 31, &c.
n S. Aug: citat. à S. Bon. in ſerm. 2. Dom. 8. poſt Pēt. III Pars.

boraveratis? Quàm acer eſſet vobis iſte dolor, videndo vos fruſtratos expectatiooe veſtrâ, & privatos fine quem propoſueratis vobis, & qui erat motivum & cauſa ardentiſſimarum proſecutionum veſtrarum.

Miſerande Jacob, compatior pœnis tuis, & afflictioni tuæ, videns te malitioſè deceptum à ſocero tuo Laban. Quid eſt quod non egeras propter poſſidendam ſpecioſam Rachelem? ſed quid non pertuleras ad conciliandam tibi fruitionem iſtius eximiæ polchritudinis? Amor ejus erat tibi crudelis, cùm eſſet motivum ſupplicii tui. (Auſcultate, Auditores quid de eo dicat Scriptura ſa-
[o Gen. 29, 16, &c.] cra o, æquè ac de ſocero illius Laban qui *habebat duas filias, nomen majoris Lia, minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie & venuſto aſpectu. Quam diligens Iacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filiâ tuâ minore, ſeptem annis. Reſpondit Laban: Melius eſt ut tibi eam dem quàm alteri viro: mane apud me. Servivit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Et quid ipſemet dicat, alloquens ſocerum ſuum, *Die noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis* p.) Sed quàm
[p Gen. 31, 40.] immodico dolore affectus es cùm in locum Rachelis ſubſtituta fuit tibi Lia, tempore nuptiarum à ſocero tuo, ſicut ipſemet quereris ei, *Quid eſt quod facere voluiſti? nonne pro Rachel ſervivi tibi?*
[q Gen. 29, 25, &c.] *quare impoſuiſti mihi* q?

Si Dux, vel Gubernator alicujus arcis, poſtquã pollicitus eſſet ſe cuſtoditurum fidelitatem inviolabilem Principi ſuo, & ſe potiùs moriturum quàm deditionem ſubiret, & deinde reſtitiſſet hoſti uſque ad extremas anguſtias, ideòque ſe expoſuiſſet exploſionibus catapultarum & tormentorum bellicorum ſuſtinendis, cogeretur tandem inire compoſitionem cum eodem hoſte, quibus pœnis non angeretur antequàm ſe determinaret ad hujuſmodi deditionem ſubeundam? Et ſi ſtatuarius deſtinaſſet aliquod marmor eductũ è fodinâ, ad hoc ut collocaretur in conclavi Principis, aut in aliquo prædivite & magnifico altari; & deinde inſumeretur hoc idem marmor ad ſerviendum loco gradus alicui ſtabulo, alterive loco vili & profano: ſi hoc ipſum marmor haberet os & verba ad querendum, & exprimendum dolorem ſuum intuitu injuriæ ſibi irrogatæ, nunquid non ſenſibiliter oſtenderet moleſtiam ſuam propter contemptum qui fieret ſui, & per uſum infamem ad quem fuiſſet inſumptum? nonne doleret vehementer, videndo ſe privatum fine ſuo? Heu! Auditores, purgatoriom non eſt finis animarum, quæ in eo ſunt, ſed locus exilii, rigoris, & ſupplicii; & ipſæ ſunt ibi afflictæ & percuſſæ à tribus magnis attributis Dei, à magnitudine ejus, à juſtitiâ illius, & à ſanctitate ejus: ideòque ipſæ contentâ voce inclamare coguntur auxilium, dicentes, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici*
[r Job 19, 21.] *mei, quia manus Domini tetigit me* r. Viſus iſtius magnitudinis offenſæ, quam ipſæ diligunt, ipſas cruciat. O magnitudo Dei, cujus *non eſt finis* s,
[s Pſ. 144, 3.] contra quam inſurreximus, nos viles creaturæ tuæ! O juſtitia Dei, cui proprium eſt reddere *uni-*
[t Rom. 2, 6.] *cuique ſecundùm opera ejus* t, peccato pœnam quam meretur! *Pro menſurâ peccati erit & plaga-*
[u Deut. 25, 2.] *rum modus* u. *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum* x. Quàm ſevera eſt juſtitia tua! heu! quàm
[x Pſ. 118, 137.] rigida eſt. Sanctitas Dei ipſas affligit, quippe quæ nullas ſuſtinere poteſt maculas, *Nunquid juſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non ſplendet, & ſtella non ſunt mundæ in conſpectu ejus* y. Hæc ſan-
[y Job 25, 4, & 5.] ctitas facit ipſas pati: & in hoc ſtatu ipſæ clamant, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* z. Quod oſten-
[z Job 19, 21.] dit nobis, quòd iſte locus non eſt finis ipſarum, cùm ſit domicilium dolorum ipſarum. Iſtæ animę ſanctæ ſunt deſtinatæ ad finem eminentiorem, qui eſt cœlum, ad fruendum viſione & præſentiâ Dei, prout Sponſæ ejus: ipſæ collocari debent in Empyreo ut lapides Jeruſalem cœleſtis: videntes ergo ſe detentas velut captivas in hoc ergaſtulo ignium & flammarum, & exceptas ut inimicas Dei, qui ipſas caſtigat tribus præcipuis attributis ſuis, magnitudine, juſtitiâ, & ſanctitare, quanto dolore afficiuntur, intuentes ſe elongatas à fine ſuo. Qualis eſt finis animarum purgatorii? Deus, fruitio illius: hoc ergo fine dilato, ipſæ patiuntur, ipſæ ſuſpirant, ipſæ deſiderant habere hunc finem; & hoc deſiderium quod non habet effectum ſuum, eſt cauſa dolorum ipſarum: *Spes quæ differtur, affligit animam* a. Ipſæ poſſunt igitur dicere verè,
[a Prov. 13, 12.] ſicut dicebat S. Auguſtinus b, Deum alloquens,
[b S Aug. lib 1. Conf. c. 1.] *Domine, feciſti nos ad te; & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.*

Faciamus duas reflexiones ſecundùm conſuetudinem noſtram, unam pro nobis, alteram pro his animabus. Pro nobis, Cùm deſiderium cauſet paſſiones, imponamus terminos deſideriis noſtris, cùm non concurrant niſi ad nos affligendos, nec ſimus infœlices niſi quia deſideramus, & deſiderando non habeamus fruitionem deſideriorum noſtrorum. Videte hunc ambitioſum qui erigit ſibi cruces & patibula ad meliùs ſe cruciandum, eſurit is honores, paſcitur vento more chamœleontium, omnia vult ſibi conciliare, deſiderat univerſa, & deſideria ſua ipſum affligunt: Hic avarus deſiderat divitias, eaſque ſibi comparare vult quoquo modo, licito, vel illicito, ut dicitur,

Per fas, perque nefas, per mille pericula tendunt.

Et ſi non conſequitur illarum fruitionem, hæc privatio ciet ipſum rabie; & infœlix eſt, quia deſideravit id quod non poteſt habere: Voluptuoſus iſte qui circumquaque quærit unde ſatisfaciat concupiſcentiis ſuis, qui non alitur niſi ſtercore, qui non ſe volutat niſi in ſordibus, ſatagit ut ſenſibus ſuis ſatisfaciat: ſed vix intuetur adimpleta ſua deſideria cùm ſtatim hæc ſequitur pœnitudo, cùm momentum voluptatis ſecum invehat æternitatem pœnæ. Sic antiquus ille appoſitè locutus eſt, cùm ſolicitatus ad indulgendum ſimilibos voluptatibus illicitis, ſapienter reſpondit, *Tanti pœnitere non emo.* Concludamus igitur, Auditores, quòd, ſi oportet ut deſideremus aliquid in iſtâ vitâ, deſiderare debemus vivere hîc in obſervantiâ Divinorum mandatorum, operari ſalutem noſtram, pervenire ad cœlum, habere fruitionem Dei, cujus viſio facit fœlicitatem omnium Beatorum. Hæc ſunt deſideria ſancta, legitima, & proficua iis qui ipſa formant, cùm tendant ad bonum, non ſicut deſideria damnatorum, quæ, prout inutilia, nunquam ſuos ſortientur effectus: hi ſunt in ignibus, deſiderant ab iis exire, ſed nunquam ab illis exibunt: *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit* c. Recordabuntur fœlicitatis
[c Pſ. 111, 10.] Sanctorum, viſionis Dei, & rabie ciebuntur ac deſperatione illius unquam poſſidendæ. *Peccator,* qui per totum vitæ ſuæ decurſum nunquam cogitare voluit in quamnam vitii abyſſum ſe demergeret, nedum ſe converteret recogitans miſeriam ſuæ conditionis, licèt ſibi data eſſent monita

nita ſalutaria, *videbit*, ſed invitus, in inferis qualis erit finis ſuus,& exclamabit opertus confuſione cum conſortibus ſuis, *Ergo erravimus à viâ veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentia non eſt ortus nobis* d. Tunc *videbit* Deum iratum contra ſe, Juſtos inimicos ſuos elevatos, æternam fœlicitatem amiſſam, & diabolos ut tot immites & inexorabiles tortores ſemper paratos ad ipſum cruciandum. Tandem, *Videbit* id omne quod augere poteſt pœnas ſuas, *& iraſcetur*, videns ſpectaculum ſic horribile & ita odioſum; & hâc irâ immodicâ commotus, præ exceſſu rabiei & deſperationis, *dentibus ſuis fremet, & tabeſcet*. Sed totum iſtud nihil eſt comparatione verborum quæ ſequuntur, *Deſiderium peccatorum peribit*. Id eſt, deſiderium, quo ducentur peccatores, videndi finem imponi pœnis ſuis, quod eſt omnibus naturale, ad nihilum redigetur, & non ſortietur effectum ſuum, quia tota ſpes illorum non terminabitur niſi ad deſperationem. Hoc eſt deſiderium damnatorum: ubique enim deſideratur, ſuper terrâ, in inferno, & in cœlo. Super terrâ, homines deſiderant, & poſſunt obtinere. In inferno, dæmones & damnati deſiderant, ſed eorum deſiderium nullum habebit unquam effectum. In cœlo, Beati & Angeli deſiderant, ſed deſiderant continuationem illius quod poſſident, & illius quo fruuntur, quod eſt Deus, *In quem deſiderant Angeli proſpicere* e. Quod eſt deſiderium complacentiæ, non autem neceſſitatis, quod ſupponere poſſit privationem alicujus boni quod non poſſideant. Deſideramus igitur res, quarum poſſeſſio poſſit nos reddere fœlices.

d Sap. 5. 6.

e 1. Petr. 1. 12.

Pro animabus purgatorii. Ipſæ deſiderant etiam: ſed quid? Heu! exire è loco tormentorum ſuorum, imponere finem exilio ſuo, frui viſione Dei, cujus privatio & dilatio ipſas affligit, videndo ſe in ſtatu paſſionis, extra centrum ſuum, & ut ſic in ſtatu extremæ neceſſitatis, quæ procedit à fame, quam ipſæ patiuntur: & in ſtatu miſeriarum ſuarum poſſumus eis eſſe ſavorabiles, & eas adjuvare, ac ſatagere ut per bona opera noſtra perveniant ad centrum ſuum, cùm extra illud ſint. Ipſæ eſuriunt, erogemus aliquam eleemoſynam pauperibus in gratiam earum, & hoc ſublevabit illarum pœnas, & mitigabit hanc famem, quæ facit illas pati. Interventu auxilii noſtri ipſæ pervenire poſſunt ad finem ſuum, ubi reperient perfectam requiem ſuam, & complementum omnium deſideriorum ſuorum.

David f duobus verbis complectitur id quod agendum eſt in earum favorem, *Nec obliti ſumus te: & iniquè non egimus in teſtamento tuo*. Primum reſpicit omnes illos qui bona ſuſceperunt ab eis, & qui illis ſunt devincti. Secundum verò ſpectat hæredes, executores teſtamenti earum, & Tabelliones, qui præ malitiâ ſinentes ſe corrumpi, non manifeſtant illud. *Nec obliti ſumus te*. Charitas inducit unumquemque ad auxiliandum illis, ſed juſtitia obſtringit ad id propinquos, & amicos, qui non debent ita citò & ſic facilè earum oblivisci. Sic ut iſti defuncti ſinguli queri poſſint alioquin per eundem Pſalmiſtam g, *Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde*: Non dicunt, *tanquam mortuus*: multi enim ſunt, qui, licèt mortui mundo, vivunt tamen in affectu & in memoriâ propinquorum ſuorum; ſed, *tanquam mortuus à corde*, ut oſtendant ſe eſſe mortuos mundo, & in animâ propinquorum & amicorum ſuorum, ſic ut hi non meminerint ampliùs ipſorum. Imitantur autem iſti pincernam Pharaonis, quem ſic alloquitur Joſeph, *Memento mei cùm benè tibi fuerit, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere* h. Ideſt, Propinqui, amici mei, fruentes divitiis meis, & hæreditate meâ, ſatagite ut Deus per ſuffragia veſtra me liberet à purgatorio. Sed quid accidit? Auſcultate quomodo loquatur David i, *Introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii: partes vulpium erunt*. Iſte Defunctus poſſidebat tria bona, corpus, animam, & divitias. Quantùm ad corpus, *Introibunt in inferiora terræ*, id eſt, citò ſepulturæ mandabitur. Quantùm ad animam, *Tradentur in manus gladii*, ſcilicet, tradetur ipſa gladio Juſtitiæ Divinæ. Et quoad divitias, *Partes vulpium erunt*, nimirum, propinqui, callidi & malitioſi, non ſecus ac vulpes, current poſt eas, & divident illas inter ſe, nedum meminerint Defuncti, qui verè dicere poterit, *Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde*. Sicut *ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui*. Id eſt, Joſeph prædicti.

f Pſ. 43. 20.

g Pſ. 30. 13.

h Gen. 40.14. & 23.

i Pſ. 62. 10. & 11.

Heu! Auditores, ne obliviſcamur earum, præbeamus eis manum noſtram, ſeu auxilium noſtrum. Ipſæ multa deſiderant, dicetis mihi. Verum eſt. Ipſæ multùm deſiderare poſſunt exitum ab igne, qui ipſas cruciat, finem exilii ſui quod ipſas affligit, & fruitionem viſionis Dei, cujus privatio ipſas dolore afficit: ſed unicam rem deſiderant, putà, fruitionem Dei, viſionem illius, admitti in domicilium gloriæ ejus, ut benedicant ei in æternum ſine ullâ miſtione imperfectionis, *Domine, ante te omne deſiderium meum*. Et, *Unā petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini* k. Quæ non eſt alia, niſi gloria æterna,

k Pſ. 26. 4.

QVARTA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFVNCTORVM.

Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Pſ. 41. 6.

STatui imitari hâc horâ induſtriam eximii pictoris antiqui, qui vocabatur Timanthes, qui palàm expoſiturus ſacrificium Iphigeniæ filiæ Regis Agamemnonis, inſigni pulchritudine præditæ, & inſtructæ præclaris omnibus qualitatibus, quæ poterant ipſam reddere & amabilem & admirabilem, reddidit ipſemet artem ſuam admirabiliorem induſtriâ ſuâ, quàm ſplendore & vivacitate colorum ſuorum, & tenuitate penicilli ſui: oſtendebat enim in tabellâ ſuâ fletus propinquorum, & dolorem amicorum, eorumque omnium qui aderant huic ſacrificio: ſed cùm actum eſt ut pingeret triſtitiam patris hujus puellæ, nullum reperiens colorem exprimendæ eidem triſtitiæ idoneum, vultui ejus velum lugubre ſuperpoſuit, *Timanthes, nomen pictoris celeberrimi. Inter ejus verò ingenii monumenta, Iphigenia Oratorum laudibus celebra-*

celebratur, quam pinxit ad aram ſtantem, jamque Dianæ immolandam, & cùm omnes mœſtos pinxiſſet, omnemque triſtitia imaginem conſumpſiſſet, patris vultum, quem dignè effingere non potuit, velo obduxit, ait Calepinus *a*. Eodem modo me gero nunc, Auditores: ſermonibus meis præcedentibus potui quidem oſtendere dolorem animarum purgatorij, qui cauſatur ipſis ab igne qui ipſas cruciat, & amorem qui ipſas affligit, videntes ſe privatas objecto beatifico quod ipſæ perfectè diligunt, & ardens deſiderium, quo ipſæ ducuntur, habendi fruitionem ejus, quod ipſas angit, cùm non poſſint illud poſſidere: ſed loqui vobis de triſtitiâ quam ipſæ experiuntur, & de pœnâ quam hæc ipſis cauſat, & quam eſt extrema, hoc non eſt in meâ poteſtate, *Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?* aiunt Defuncti ſinguli qui ſunt in purgatorio. *Eſt autem quædam triſtitia bona, procedens ex dilatione gloriæ*, dicit Dionyſius Carthuſianus *b*. Poſſum quidem adducere palam motiva quæ cauſant ipſis hanc triſtitiam: ſed ad hunc effectum indigeo auxilio B. V. Deiparæ, quæ ferè parem pertulit triſtitiam & dolorem in abſentiâ Filij ſui, ſicut teſtâtur hæc verba ipſius *ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te c*. Ipſa mihi favorabilis erit hoc in occurſu, ſi ipſi dixero, *Ave maria*.

a Calep. in Diction. V. Timanthes.
b Dion. Carth. in Pſ. 41, 6.
c Luc. 2, 48.

Portio cœli, eſt gaudium, quod procedit è poſſeſſione boni quod diligitur, *Redempti à Domino, venient in Sion cum laude; & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus*, ait Iſaias *d*. Et poſt eum Pintus *e*, *Per Sion intellige Eccleſiam triumphantem, ubi Beati Deo fruuntur, & æterno gaudio replentur*. Beati diligunt Deum, habent illius fruitionem, ideòque gaudent; ſic ut in cœlo non ſint niſi motiva gaudij & lætitiæ, cùm omne motivum faſtidij & triſtitiæ procedentis ex timore alicujus mali, vel ex abſentiâ alicujus boni, illinc exulet: nam in cœlo nulla eſt paupertas & penuria, nulla infirmitas, aut contentio, quæ turbent requiem incolarum ipſius, *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt*, ait S. Joannes *f* poſt Iſaiam. Et poſt utrumque Dionyſius Carthuſianus *g*, *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Perfecta enim beatitudo omnem excludet ab eis miſeriam, omnem mali admixtionem, omnem pœnam, & occurſum contrarium. Et mors non erit ultrà in eis, quia nec mors naturæ, nec culpæ, neque miſeria. Neque luctus pro quâcunque causâ. Neque clamor ex dolore proveniens, vel ex deſiderio aliquid obtinendi. Neque dolor, quia nec dolebunt dolore afflictivo de ſuis peccatis. Quæ prima abierunt, id eſt, mala iſta pœnalia in præcedenti vitâ fuerunt, & finem ceperunt*. Cœlum eſt domicilium gaudij continui, quod nunquam interrumpitur aliquâ commotione, quæ moleſtiam cauſare poſſit. Quòd ſi gaudium eſt ſors cœli, & rabies & deſperatio eſt pars inferni, *Peccator videbit, & iraſcetur: dentibus ſuis fremet, & tabeſcet h*: dico quòd triſtitia eſt portio purgatorij, ubi Defuncti ſinguli dicunt, *Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?* Triſtitia eſt ſtipendium animarum quæ captivæ detinentur in hoc ergaſtulo Juſtitiæ Divinæ punitivæ, quæ triſtitia eſt cauſa pœnæ ipſarum.

d Iſai. 35, 10.
e Pintus in Iſai. 35, 10.
f Apoc. 21, 4. ex Iſai. 25, 8.
g Dion. Carth. art. 21, in Apoc. 21, 4.
h Pſ. 111, 10.

Philoſophi Morales dicunt, quòd cùm amor ſit origo & principium omniũ paſſionum, meretur primum locum. Amor præcedit deſiderium; re autem verâ, non deſiderat quis niſi id quod ipſe amat: præcedit gaudium; nemo enim gaudet, niſi quia amat: præcedit ſpem, nec ſperat quis niſi bonum quod ipſe diligit: præcedit odium; non enim odit aliquis malum, niſi quia diligit bonum; & malum non eſt malum niſi quia eſt contrarium bono: idem ego dico de omnibus alijs paſſionibus: ſtatim ac amor cor aliquod poſſidet, excitat ibi omnes alias paſſiones. Hæ dividuntur in iraſcibiles, & in concupiſcibiles: nam bonum, vel eſt præſens, & tunc diligitur; vel eſt abſens, & tunc deſideratur; ſi haberi poteſt, habetur ſpes ipſius; ſi haberi non poteſt, concipitur deſperatio ipſius; ſi obtinetur, en gaudium; ſi obtineri non poteſt, en triſtitia quæ procedit ex abſentia & è privatione hujus boni quod diligitur, & quod deſideratur ut jucundiſſimum & utiliſſimum. De hâc autem triſtitiâ volo vobis loqui, & vobis oſtendere dolorem extremum quẽ cauſat animabus purgatorij, per tria motiva, quæ conſtituent tres partes diſcurſus iſtius.

Diviſio.

I. Pars.

Incipiam probare id, quod vobis pollicitus ſum, ſi vobis placet obſervare, quòd triſtitia cauſatur & procedit à duabus rebus, à præſentiâ mali, & ab abſentia boni. Appetitus ſenſitivus timet ne patiatur malum præſens; & appetitus intellectivus metuit privationem boni. Animæ purgatorij habent duas iſtas res quæ ipſas affligunt, privationem boni, quod ipſæ diligunt, & quod deſiderant præ omnibus poſſidere, quæ vocatur pœna damni: & præſentiam mali, dolorem quem ipſæ patiuntur ab igne qui ipſas comburit, quæ præſentia mali nuncupatur pœna ſenſus. Primũ igitur motivum triſtitiæ ipſarum, quod ipſas acriter affligit, eſt videre extremam ſuam paupertatem & penuriam, & totalem impotentiam ſuam: & cùm non liceat ipſis agere in favorem ſuum, ipſæ non poſſunt quin patiantur in hoc ſtatu lamentabilis indigentiæ: non eſt enim quidquam quod magis affligat quàm paupertas, ex quo quis intuetur ſe excidiſſe primo ſtatu ſuo, & prærogativis quibus fruitus erat ad votum. Vir nobilis, cui proſpera ſemper riſerat Fortuna, qui fruebatur omnibus cõmodis, quæ conditio ſua ſibi ſubminiſtrare poterat, decidens iſto gradu, & labens in paupertatem, verè dignus eſt commiſeratione; & iſte ſtatus, quò ſe videt redactum, non poteſt quin ipſum affligat, poſtquàm abundavit his omnibus, quibus nunc indiget, & quorum patitur privationem. Nunquid non ducimini miſeratione intuitu depreſſæ ſortis ad quam lapſus eſt vir iſte nobilis? Ipſe magnificabatur aliàs in Curiâ præ tãto ſplẽdore: nunc autem ſordet in miſeriâ, experiens Fortunam novercam, quam priùs agnoverat dulcem matrem: ipſe erat veluti Sol in meridie ſuo, gloriâ fulgens, & lumine renitens pompaticè; & ecce nunc eſt in occaſu ſuo, tenebris involutus: ſumptus ipſius erant aliàs honorabiles, domũ ipſius adibant omnes conciones; nunc autem vix habet unde vitam poſſit miſeram tranſigere: en ipſe ſenio confectus, & innumeris circũcinctus liberis, quos promovere non poteſt ad ſtatum progeniei ſuæ conſonum, & qui conſumunt id exiguum quod ipſi ſupereſt ex hæreditate majorum ſuorum; ipſe circumquaque debita contrahit, ut ſubveniat his qui ipſum urgent ad ſe ſpoliandum ut ipſos induat; & in quamlibet ſe convertat partem, non intuetur niſi motiva lacrymarum & afflictionum: cogitatio primi ſui ſtatus, oſtendit ipſi miſeriã iſtius ſecũdi, ad quem redactus eſt. Hodie Dionyſius Tyrannus timorem incutit

tertore & potentiâ æquè ac ſævitiâ, cras autem cogetur pueros docere in ſcholâ: & ipſius redditus pendebit à miſericordiâ parentũ qui mittent filios ſuos ſtudiis vacatũ ſub Præceptore, quẽ Fortuna redegerit ad deferendum habitũ Pædagogi,

Heu! quantùm mutatus ab illo,

i Calepin: in Diction: V. Dionyſius. citans Cic: Attic. l. b. 9, Quintil. Orat. Inſt. lib. 9. & Plutarch.

Ait Poëta. Et Calepinus i, *Dionyſius cùm civitatem Syracuſanã cadibus repleſſet, expulſus eſt. Iterùmque receptus, cũ crudelior in dies fieret, rurſus extorris Corinthũ in exiliũ proficiſcitur, ubi in ſordidiſſimũ vitæ genus deſcendit, in popinis, lupanaribuſq; reſidens, ut contemnendus videretur. Unde proverbialis allegoria, Dionyſius Corinthi, quâ ſignificamus aliquẽ e ſummâ dignitate, atq; imperio ad privatam humilemq; redactũ fortunã. Cicero, Quintilianus, & Plutarchus. Noviſſimè ſe ludi Magiſtrũ profeſſus, pueros in trivio docebat: ut quoniam viris imperare non potuerat, ſaltem pueris imperaret.* Gaudia ipſius præterita erant velut incrementum amaritudinis doloribus ipſius præſentibus: videndo enim ſe in hoc ſtatu miſeriæ & paupertatis, hoc valdè ipſum affligebat: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat,* ait Salomon k. Et Dionyſius Carthuſianus †, *Riſus dolore miſcebitur, id eſt, vanam lætitiã pœna ſequetur.*

k Prov. 14, 13

† Dion Carth art. 14, in Prov. 14. 13.

Animæ purgatorii ſunt in extremâ neceſſitate, ipſæ ſunt inopes ad hoc uſque punctũ paupertatis ut nihil prorſus habeant, nec aliquid poſſint ad ſolvenda debita ſua Juſtitiæ Divinæ. Qualis triſtitia! Illas conſidero in ſtatu paralyſis univerſalis ſine motu & abſq; actione quantũ ad ſe: ipſæ indigent manu favorabili, & auxilio alieno ad movendã aquam in gratiã ipſarum, & ad mittendas ipſas more paralytici illius habẽtis *triginta & octo annos in infirmitate ſuâ, in piſcinã* l meritorũ Jeſu Chriſti. Quã ingens triſtitia! Deficiunt mihi verba quibus illam explicẽ. Quandiu ipſæ cogitant, quòd habebant aliàs præ manibus ſuis omnes theſauros cœli: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* m: Id eſt, omnia merita Jeſu Chriſti, B. Virginis Matris ejus, & Sanctorũ, quæ ipſæ ſibi facilè poterant applicare mediis Sacramentis, & indulgentiis, & iis uti ad magnũ emolumentũ ſuum; affligit ipſas vehementer hæc cogitatio, quæ oſtendit ipſis poteſtatẽ ſuã præteritã, & impotentiam ſuã præſentẽ. Quandiu ſumus in iſto mundo, innumera habemus media ſolvendorum debitorum noſtrorum ſemper facere poſſumus novas acquiſitiones meritorũ, eundo *de virtute in virtutẽ*, ſicut ait Pſalmiſta n. Et per nos ſolos ſtat ut divites efficiamur. Primò, Habemus Baptiſmũ, in quo renaſcimur *ex aquâ & Spiritu ſancto* o; per quem peccata noſtra nobis dimittuntur, & quantũ ad culpã, & quantũ ad pœnã; ſic ut ſi aliquis immediatè poſt ſuſceptũ Baptiſmũ moreretur, ſtatim rectà pergeret in cœlũ fruiturus gloriâ. Baptiſmus delet omnino peccatum originale, & peccatum actuale, mortale, & veniale, nedũ quid amplius purgandũ remaneat poſt ipſius receptionẽ. Secundò, Habemus martyrium, quod eſt Baptiſmus ſanguinis, qui lavat ſimiliter & mundat ab omni peccato, originali, & actuali, *Baptiſmus ſanguinis, putà martyriũ cũ voto ſeu deſiderio Baptiſmi fluminis*, ait Dionyſius Carthuſianus p. Et Chriſtus apud S. Joannẽ q, *Majorem hâc dilectionẽ nemo habet, ut animam ſuã ponat quis pro amicis ſuis.* Et Bellarminus r concludit, *Itaq; Eccleſia nunquam orat pro Martyribus, quia, ut Auguſtinus dicit; injuria eſt orare pro Martyre cujus nos debemus potiùs orationibus commendari.* Tertiò, Doctores aliqui tenent, quòd profeſſio in Religione approbatâ, eſt veluti novum Baptiſma virtute, cùm aliquis ipſam agens, & *omnia* s relinquens, obtineat remiſſionẽ à culpâ, & à pœna. Sed omnes non ſunt adulti in Baptiſmo ſuo, omnes non ſunt Martyres, omnes non vocantur ad emittendam profeſſionem in aliquâ Religione: daturne aliquod aliud medium ſatisfaciendi Juſtitiæ Divinæ pro peccatis commiſſis? Etiam: dantur alia, & faciliora: habemus enim indulgentias, *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* t. Sed ſcitiſne quid ſint decem, viginti, triginta anni indulgentiæ? Obſervate, ſi placet, quòd alias pro ſingulis peccatis mortalibus injungebantur ſeptem anni pœnitentiæ peragendæ (non ſicut nunc cùm ſola imponitur recitanda Corona B. Virginis, vel dicendum ejus Roſarium pœnitentibus injungitur duntaxat à Confeſſariis, qui mites ſunt apparenter, ſed re verâ crudeles, cùm non audeant præ puſillanimitate afferre remedium curando malo opportunum, unde procedit ut fiat inſanabile, quod dictum ſit obiter:) aliàs cùm lucrabatur quis quadraginta dies indulgentiæ, idem erat ac ſi peregiſſet quadraginta dies rudis pœnitentiæ, & ſic ſatisfaciebat Juſtitiæ Divinæ pro quadraginta diebus, quibus peragere debuiſſet pœnitentiam; id eſt, obtinebat tantam pœnæ remiſſionem, quantam obtinuiſſet, ſi tanto tempore pœnitentias juxta Canones egiſſet. Præterea, Habemus *Pœnitentiam* u, ſeu Confeſſionem Sacramentalem & auricularem, actum contritionis: hic autem actus poteſt eſſe ſic intenſus, aiunt Theologi, ut poſſit quis conſequenter obtinere remiſſionẽ omnium peccatorum ſuorum, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam: ſicut aliàs Magdalena propter actus ardẽtes ſuæ dilectiones meruit ut Dei Filius pronunciaret hoc areſtum jucundum miſericordiæ in favorem ſuum, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minus dimittitur, minùs diligit* x. De hâc autem contritione ſic loquitur Concilium Tridentinum y ad rem iſtam, *Contritio quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiduciâ Divinæ Miſericordiæ & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Sancta Synodus docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquàm hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominùs reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non eſſe adſcribendam.* Quàm fœlices igitur ſumus in iſto mundo! quàm fortunata eſt conditio noſtra! nam præterquàm quòd poſſumus omnino ſatisfacere Juſtitiæ Divinæ pro pœnâ peccatis noſtris debitâ, poſſumus etiam ſemper agere novas acquiſitiones gratiæ in iſto mundo, & gloriæ in altero: *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion*, ait Pſalmiſta z, Deum alloquens. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus a, *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, id eſt, fœlix homo nunc in ſpe, & tandem in re, cui tu Domine modò auxilium gratiæ tuæ impendis, ut operetur & adipiſcatur per gratiam, quæ eſt ſupernaturale donum, omnem naturalem dignitatem & facultatem excedens, quod nec agere, nec acquirere ſufficit*

per

l Joan 5, 5, &c.

m Sap 7, 14.

n Pſ 83, 8.

o Joan. 3. 5.

p Dion: Carth: art. 8, in Joan: 3, 5

q Joan: 15. 13.

r Bellar: lib. 2. de Purgat c. 9. citãs S Aug ſerm. 17 de Verb. Apoſt.

s Matth. 19. 27.

t Sap. 7. 14.

u Luc. 13. 3.

x Luc: 7. 47.

y Conc: Trid: ſeſ: 14. cap 4.

z Pſ. 83. 6. &c.

a Dion: Carth. in Pſ 83. 6. &c.

per naturã. Aſcenſiones, id eſt, ſpiritualiũ profectuum gradus, virtuoſorum proceſſuũ incrementa in corde ſuo diſpoſuit, proponens fortiter proficere, & gratia Dei per liberi uſum arbitrii cooperari in valle lacrymarum, id eſt, in præſentis peregrinationis exilio, in quo peccata ſemper plangenda ſunt, in loco quẽ poſuit, id eſt, quem homo ſibi ipſi vallẽ lacrymarũ effecit, quoniã peccando paradiſo expulſus eſt b, *& in hanc vallẽ projectus. Vel, in loco quẽ Deus poſuit homini pro valle lacrymarum, quatenus in eo vitia ſua deploret, ad patriamque plorans aſpiret. Unde Dominus Adæ, Maledicta (inquit) terra in opere tuo. In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo* c. *Etenim benedictionẽ, id eſt, cæleſtis gratiæ infuſionem, ac Divinorũ donorum multiplicationẽ dabit in hâc vitâ Electis ſuis Legislator, id eſt, Chriſtus utriuſq; Teſtamenti collator, qui per Iſaiã* d *admonet, Attendite ad me popule meus, quia lex à me exiet, & judicium meũ in luce populorũ requieſcet. Ibunt fideles de virtute in virtutem, id eſt, de bono in melius, donec ad optimũ perducantur, ibunt de unius virtutis actu in opus virtutis alterius, nunc orando, nunc aliis ſuccurrendo, nunc propria mala deflendo, & ita poſt hanc peregrinationẽ ab eis clarè videbitur Deus deorũ, id eſt, ſummus & verus Deus omniũ, participativè dictorum Deorum* e *Creator & Dominus, in Sion illâ cæleſti, de quâ Apoſtolus* f *loquitur, Acceſſiſtis ad montẽ Sion & civitatẽ Dei viventis Ieruſalem cæleſtẽ, & multorum milliũ Angelorum frequentiã.* Ditari poſſumus exiguo quod habemus, & ſemper illud augere, more mercatorũ illorum qui ex exiguo divites effecti ſunt, è mercatoribus cives, & è civibus facti ſunt Magiſtratus, nobiles, & aliquando Principes: eodem modo poſſumus nos agere, & ex exiguo multùm proficere: poſſumus nos velut arte chimicâ aurum conficere. Quænam prærogativâ! Quicunque noſſet in iſto mundo hâc arte aurum facere, confeſtim dives efficeretur, & conſequenter per aurum ſuum haberet omnia ad votum. Multi tamen ad hanc artem ſuas impendunt operas, ſed invanùm, & omnes ipſorum conatus ſunt inutiles: multùm perflant, ſed tota ipſorum ſubſtantia abit in fumum: ſed qui haberet auri conficiendi veram notitiam, ſtatim opulentus evaderet. Ha! Auditores, hanc præ nobis ferimus intentionem, penes nos eſt uti glorioſâ iſtâ prærogativâ, cùm adjuti beneficio gratiæ Divinæ convertamus omnia in aurum, *Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti* g. In quo fœliciores ſumus Mida Rege Phrygiæ, *Huic, ut eſt in fabulis, propter Bacchum hoſpitio ſuſceptum, conceſſum eſt, ut quidquid vellet, optaretve, futurus voti compos; optavit autem ut quidquid corpore contigiſſet, in aurum verteretur: quod annuente Baccho factum eſt,* ait Calepinus h. Cùm actiones noſtræ, quantùmvis exiguæ & viles, factæ cum ſanctâ intentione placendi Deo, & ſerviendi manifeſtationi gloriæ ejus, ſint aureæ, & capaces gloriæ. Ha quales divitiæ! & quàm potentes ſumus nos! Sed animabus purgatorii deſunt omnia, ipſæ redactæ ſunt ad has anguſtias ut non habeant unde ſatisfaciant juſtitiæ Dei pro minimâ pœnâ peccatis ſuis debitâ, ſic ut verè dicere poſſint in hoc ſtatu miſeriarum ſuarum lamentabili, *Pauperes facti ſumus nimis* i. Omnia objecta quæ ſe offerunt ipſarum oculis intuenda, concurrunt ad ipſas affligendas, cùm teſtimonium perhibeant inopiæ ipſarum, *Oculi mei languerunt præ inopiâ,* aiunt ipſæ per Pſalmiſtam k. Et per Dionyſium Carthuſianum l, *Oculi mei interiores & intellectuales, languerunt præ inopiâ Divinæ illuminationis, & præ abundantiâ propriæ cæcitatis.* Et, quod eſt magis affligens, quidquid dicant, quidquid agant, quidquid patiantur, totum iſtud eſt ipſis inutile quantùm ad meritum, ſic ut ipſæ non poſſint facere novas acquiſitiones, & quantũ ad gratiã, & quantũ ad gloriã: ipſæ non ſunt ampliùs in ſtatu merẽdi, cũ exiverint ex iſtâ vitâ, quæ eſt locus deſtinatus ad commercium: *Nam tota hæc vita & tota ejus duratio eſt via & peregrinatio ad futuram, cujus viæ mors terminus eſt. Idcircò poſt mortẽ non manet ſtatus aut duratio promerendi, aut demerẽdi,* dicit idẽ Carthuſianus m. Et, ut aiebat Dei Filius, loquens de ſeipſo, *Me oportet operari opera ejus qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari* n. Seu, juxta eundem Carthuſianũ o, *Venit nox, id eſt, finis vitæ præſentis, quando nemo poteſt operari, id eſt, meritoriè agere, quoniã via finita eſt ſtatim. Cùm ergo hæc vita ſit via, & curſus ad aliã vitã, nemo poteſt poſt hanc vitam mereri, vel pœnitere.* Quod cũ ita ſit, Auditores, auſcultemus Apoſtolum p ſic ſuadentem æquè ac concludentẽ, *Ergo dum tempus habemus, operemur bonũ.* Conemur facere magnas acquiſitiones bonorũ operũ, ut iis utamur tempore indigentiæ, quæ nobis eripiet poteſtatẽ agendi in favorẽ noſtrum: nã licèt iſtæ animæ ſemper orent, etſi pœnas ſuas patienter ſuſtineant, poſſunt quidẽ multũ pati, ſed non poſſunt ex ſeipſis applicare ſibi merita infinita Jeſu Chriſti, ſupererogatoria B. Virginis Matris ejus, & Sanctorum. Quænam impotentia! Non poſſunt ipſæ cum omnibus pœnis ſuis acquirere vel unicum gloriæ gradum, nõ poſſunt niſi pati; judicate de illarum triſtitiâ, & quã magna eſt, ex extremitate paupertatis ipſarum. Id quod iſtæ animæ facere poſſunt in hoc ſtatu deplorabili talis miſeriæ, eſt implorare & ſuſcipere eleemoſynas noſtras, & ſuffragia noſtra, quæ ſatisfacere poſſunt pro ipſis. Ideòque conſulit nobis Eccleſiaſtes q, *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas. Da partem ſeptem, necnon & octo.* Et Dionyſius Carthuſianus r poſt eum, *Mitte panem tuũ, id eſt, corporalẽ ac ſpiritualem refectionẽ effunde ſuper tranſeuntes aquas, id eſt, ſuper pauperes mendicantes atque domeſticos inopes, qui inſtar aquarũ multi ſunt, & moventur hinc inde, ac pergunt ad ultimum finem. Unde & Apocalypſis* s *loquitur, Aquæ multæ, populi multi. Hinc admonet Iſaias* t, *Frange eſurienti panem tuum. Et iterùm* u, *Beati, inquit, qui ſeminatis ſuper omnes aquas. Da partes ſeptem, necnon & octo. Per hos duos numeros determinatos deſignari videtur numerus indeterminatus. Ad inſinuandum quòd de omnibus quæ ſuperſunt, copioſè ſit communicandum pauperibus. Sicut ad Timotheum ſcribit Apoſtolus* x, *Divitibus hujus ſæculi præcipe, divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum. Ideò tamen exprimit ſeptenarium numerum, & octonarium, quoniam operæ miſericordiæ ſeptem ſunt in genere, per quæ ad octo beatitudines pervenitur.* Heu! Auditores, erogemus eleemoſynam pauperibus in gratiam animarum purgatorii, quæ ſunt in extremâ neceſſitate conſtitutæ, ne dicant ad confuſionem noſtram, *Hominem non habeo* y, ſe neminem invenire, qui præbeat ipſis manum favorabilem, & qui conetur ipſas ſublevare à paupertate, quæ, cùm ſit extrema, facit ipſas pati dolores qui non poſſunt exprimi.

Hoc eſt ſecundum motivum quod contriſtat has animas, videntes ſe derelictas in neceſſitatibus ſuis à propinquis & amicis ſuis. Sic eſt, Auditores: non eſt aliquid crudelius & quod plùs affligat iſtas animas, quàm rigor iſte derelictioois ipſarum.

b ex Gen: 3, 23.
c Gen: 3, 17, & 19.
d Iſai. 51, 4.
e ex Pſ. 81, 6.
f ex Hebr. 12, 22.
g Rom. 8, 28.
h Calep. in Diction. V. Midas.
i Pſ. 78, 8.
k Pſ. 87, 10.
l Dion. Carth. in Expoſit. Moral. in hunc locum.
m Idem art. 11, in Eccl. 11, 8
n Joan. 9, 4.
o Dion. Carth. art. 24, in Joan. 9, 4.
p Galat. 6, 10.
q Eccl. 11, 1, & 2.
r Dion. Carth. art. 11, in Eccl. 11, 1 & 2.
s ex Apoc. 17, 15.
t Iſai. 58, 7.
u Iſai. 32, 20.
x 1. Tim. 6, 17 & 6.
y Joan. 5, 7.
II. Pars.

ſarum. Sic Jeſus Chriſtus, prototypon patientiæ, æquè ac virtutum omnium aliarum ſpeculum, (z Pſ. 23, 10.) quippe qui *Dominus virtutum* z, præ omnibus paſſionis ſuæ tolerantiis vehementer affligitur cùm videt ſe derelictum ab illis qui debebant amplecti cauſam ipſius, & exponere vitam ſuam ad conſervandam vitam ipſius, ideòque de illis ſic queritor Patri ſuo, *Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi* a. (a Pſ. 87, 9.) Iſti dereliquerunt *eum quaſi leproſum* b, & quaſi ſocietas ipſius fuiſſet contagioſa, receſſerunt ab illo. (b Iſai. 53, 4.) Præterea, Id quod ipſum valdè affligit, eſt quòd unus ex illis ſit ipſum traditurus, ſicut ipſemet *turbatus ſpiritu, proteſtatus eſt, & dixit, amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me* c. Petrus autem, *qui dixit ei, Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire* d, tamen æquè puſillanimus eſt ac cæteri, (c Joan. 13, 21. d Luc. 22, 33.) & cum illis fugam capeſſit, cùm agitur de illo defendendo, *Omnes relicto eo fugerunt* e. (e Matth. 26, 56.) Ideòque prævidens hanc illorum derelictionem, *ait illis, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* f. (f Matth. 26, 38.) Non eſt aliquid quod magis affligat aliquem quàm videre ſe derelictum in occaſionibus ab illis, à quibus majus expectabat auxilium: ſic nihil æquè affligit animas purgatorii ac videre ſe derelictas ab illis qui ſunt ipſis plùs devincti, & qui tenentur ex juſtitiâ compati doloribus ipſarum, & ſatagere ut per bona opera & ſuffragia ſua ipſas educant è pœnis ſuis. Propinqui, affines, amici, quid expectatis? ut aliquis incognitus veniat ad præſtandum eis hoc officium miſericordiæ? *Frater non redimit: redimet homo?* argumentatur David g. (g Pſ. 48, 8.) Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus h, (h Dion. Carth. in hunc locum.) *Frater non redimit, hoc eſt, nullus conſanguineus ſeu propinquus alium liberare poterit. Cùm ergo ſit ita, redimet homo? quod interrogativè legendum eſt, ut ſit ſenſus, Si propinquus & frater non redimet, multò minùs homo, hoc eſt, alius quicunque extraneus, ſeu remotus, & minus propinquus redimere poterit alium.* Ecce captivus detentus à Turcis; per fratrem ipſius ſtatut à captivitate liberetur; ſed hic, ingratitudo inaudita! de liberando eo non cogitat: quid igitur? expectandumne erit ut veniat aliquis incognitus ex antipodibus ad liberandum eum? Jeremias i iſtarum animarum derelictarum ſtatum ſic deplorat, (i Thren. 1, 2.) *Plorans ploravit in nocte, & lacryma ejus in maxillis ejus: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus ſpreverunt eam.* Unde dicit Pintus k, (k Pintus in Thren. 1, 2.) *Hoc profectò eſt intolerandum ſupplicii genus in calamitate carere conſolatore.*

Exemplum affero quod ſerviet ad oſtendendã extremam triſtitiam animarum iſtarũ deſolatarũ in derelictione ſuâ. Vir aliquis explicatis velis mari commiſſus ad negotiandũ, & ad promovendam rem familiarem, capitur a Turcis, qui ducunt ipſum Argeriam: cùm pervênit ad hoc triſte domicilium ſervitutis, cogitat de mediis recuperandæ libertati ſuæ conſonis, nullum autem comminiſcitur opportunius, quàm ut ſcribat uxori ſuæ, ratus quòd cùm hæc ſibi ſemper fuerit fideliſſima, ſeque vehementi jugiter affectu fuerit proſecuta, ſic & ſuî ipſius hoc in occurſu ſit miſertura: interim tranſiguntur menſes aliquot, miſer iſte captivus vehementer commendat epiſtolam quam ſcripſit, ad hoc ut fideliter porrigatur conjugi ſuę, quæ cùm jam alienas fovere cœperit amicitias, & igne profano ardere, per circulos æquo liberiores promiſcuè gyrans, accipiens has literas, nullo modo de viro ſuo liberando cogitat. Iſte maritus expectat ab ipsâ reſponſum, ſed nullam ſuſcipit ab eâ nuntiationem. Accedit illuc aliquis è patriâ, ſtatim tantillâ conſolatione perfunditur iſte captivus, & petit ab illo, Quomodo valet uxor mea? vivitne, an mortua eſt? Nunquid non de eâ mihi fers aliquod nuntiũ? Habeſne aliquas literas quas tibi tradiderit? Non, reſpondet iſte: ipſa nihil mihi dixit, licèt vivens. Quomodo? ait iſte captivus; & in quo ſtatu ſunt negotia mea? In peſſimo ſtatu, reſpondet iſte homo; uxor tua fovet amicitias tibi injurioſas, nec ampliùs cogitat de te. Filię verò meæ quomodo ſe gerunt? inſtar vir iſte deſolatus. Ipſæ indulgent luxui & vanitati. Filii autem mei? Ipſi interſunt ordinariè ludis, popinis, & pravis ſocietatibus. Heu! quã miſer ego ſum, ait hic captivus: quis autem auxiliabitur mihi, ſi proximi mei derelinquunt me, nec cogitant de me liberando à captivitate in quâ redactus ſum? Ecce ſors animarum purgatorii, & juſtum motivum lacrymarũ, quod ipſæ habent, vidẽtes ſe derelictas in paſſionibus ſuis à propinquis ſuis, qui non dicunt unũ *De profundis*, pro ipſarũ liberatione, qui non dant calicẽ aquæ pauperibus ad ipſarũ refrigeriũ, qui non ſatagunt celebrandam Miſſam ad ipſarũ allevamentum, uxor obliviſcitur conjugis ſui, maritus non recordatur uxoris ſuæ, neq; filius ſui patris, heu! qualis triſtitia. *Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini ſuper vos; benediximus vobis in nomine Domini* l. (l Pſ. 128, 8.) Sed eſto quòd iſtud ſit veniâ dignũ, principale negotii cõſiſtit in hoc, quòd ſi ritè conſideraſſent propriũ ſtatum ſuũ, vidiſſent quòd *præteribant* à vitâ ad mortẽ, & quòd aliquando excipiendi eſſent eodem modo, juxta illud, *In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis* m. (m Matt. 7, 2.) Attamen non ſoliciti de proprio bono ſuo, *non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini, &c.*

Job qui in omnibus patientiã præ ſe fert n, (n Job 2, 22.) & qui non queritur niſi de oculis, ut dicebam vobis nudiuſtertius, *In amaritudinibus moratur oculus meus* o, (o Job 17, 2.) potenter invehitur adversùs amicos ſuos velut in cauſam paſſionũ ſuarũ, cùm quaſi nõ veniſſent ipſum viſitarũ in ſtatu miſeriarũ ſuarũ, quàm ut ipſum meliùs affligerent moleſtis ſermonibus ſuis, *Uſquequò affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus* p? (p Job 19, 2.) Ipſe comparat eos torrenti, *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens qui raptim tranſit in convallibus* q. (q Job 6, 15.) Hyeme & vere quando viator nõ indiget aquâ, tunc invenit illam, & ſic abundanter, ut hæc ſit ipſi importuna; ſed æſtate cũ calores ſunt immodici, & ipſe plùs ſitit, tunc non reperit aquã, ſed lapides aptiores emittendo igni, quàm tribuendæ aquæ ad extinguendã ſitim: eodẽ modo ſe res habet de maximâ parte amicorũ: in proſperitatibus hujus mundi non habent aliquid frequentius in ore quã proteſtationes exhibendorũ bonorũ officiorũ, ſed hoc agunt tunc cùm ipſis non indigemus: nã nobis in neceſſitate conſtitutis ipſi augent ignem noſtrum, concurrunt ad nos plùs affligendos, recedunt à nobis, quaſi verò noſtra ſocietas eſſet contagioſa. Defuncti purgatorii inſumunt eaſdẽ querelas Job, ad oſtendendã triſtitiam ſuã, & moleſtiam quã ipſis cauſant amici ſui, *Uſquequò affligitis animam meã?* Quænã ſævitia, perſequi mortuos? qualis rigor, ut pater cruciet filium ſuum, & vir uxorem ſuã torqueat? Ex omnibus inſtrumentis paſſionis Filii Dei, ſola lancea vocatur crudelis, *Dulce lignum, dulces clavos.* Sed quantùm ad lanceam, *Mucrone diro lancea.* Quare? Quia *unus militum lanceâ latus ejus aperuit* r, (r Joan. 19, 34.) cùm eſſet jam mortuus; & ſævitia eſt perſequi mortuos. Illi qui ſunt in purgatorio, ſunt mortui: quænam crudelitas igitur eſt, eos affligere? O ingrati, dicere poſſunt animæ iſtæ

pur-

purgatorij, ſiccine compenſatis id quod egimus pro vobis? effecimus nos ipſas miſeras ut vos redderemus felices: id omne quod poſſidetis, eſt comparatum ſudore vultuum noſtrorum, & pro totâ mercede vos nos affligitis, *Quare perſequimini me ſicut Deus? & carnibus meis ſaturamini s?* Quòd Deus nos affligat, iſtud eſt effectum juſtitiæ ipſius, hoc nos meruimus; ſed quòd vos concurratis ad nos cruciandas, iſtud pati non poſſumus, & hoc immodicè nos affligit. Ingratitudo eſt, Auditores, eas derelinquere; crudelitas eſt illas perſequi, & hoc agimus cùm illas deſpicimus, & utimur ijs, quæ accepimus ab eis, ad ipſas contriſtandas.

s Job, 19. 22.

III. Pars.

Tertium motivum triſtitiæ earum, eſt non ſolùm derelictio creaturarum, ſed etiam deſertio Dei: videre ſe derelictas & ab hominibus, & à Deo, quam affligens eſt iſtud. Ipſæ ſolæ quæ experiuntur hanc moleſtiam, exprimere poſſunt hunc dolorem, nec puto quòd ſit aliquid quod acerbiorem cauſare poſſit triſtitiam. Dei Filius magnam præ ſe tulit patientiam in totâ paſſione ſua, quæ ſuffeciſſet ad convertendos carnifices ipſius: ſed nunquam queſtus eſt, niſi cùm derelictus eſt à Patre ſuo, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me t?* Verum quidem eſt, quod ipſe queſtus eſt, cùm ipſi *unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam.* Sed hallucinor, illud non fuit querela, ſed duntaxat ipſe ſe voluit explicare ſupra id quod ipſemet dixerat, ut innuunt hæc verba immediatè pòſt ſequentia, *Reſpondit ei Ieſus, Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis u?* Sed videns ſe derelictum à Patre ſuo, inde ſic affligitur, ut petat ab illo cauſam ſuæ derelictionis, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Non quòd Divinitas ſe ſeparaſſet ab humanitate: nequaquam: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit,* Sed quia Divinitas veluti ſe recepit ad partem ſuperiorem animæ, & reliquit pati humanitatem, nedum hæc aliquod auxilium vel ullam conſolationem ſuſciperet à Divinitate: quod inducit Jeſum Chriſtum ad querendum Patri ſuo de hâc derelictione. Ad eundem ſtatum redactæ ſunt animæ purgatorij, non ſolùm derelictæ ab hominibus, ſed etiam à Deo, Sic eſt: Deus ipſas affligit, *Manus Domini tetigit me, Quare perſequimini me ſicut Deus x?* Acerbiſſima autem triſtitiarum quibus ipſæ afficiuntur, procedit è derelictione, quam Deus facit ipſarum, excipiens ipſas in illo loco paſſionis ut captivas, ut inimicas ſuas; ipſas, inquam, quæ ſunt Sponſæ ſuæ, amicæ & dilectæ ſuæ, & quæ fruuntur omni gratiâ quam habebunt in cœlo, poſtquàm à doloribus ſuis tranſiverint ad gaudia. Heu! quàm ingens & quàm extrema eſt triſtitia iſtarum animarum purgatorij. Iſtud eſt, Auditores, quod relinquo vobis perpendendum, quandiu ſuper hoc duas faciam reflexiones more conſueto.

t Matth. 27, 46: ex Pſ. 21, 2.

u Joan. 18, 22.

x Job. 19, 21: & 22.

Prima eſt, quod, ſi oporteat ut contriſtemur, affliciamur triſtitiâ propter aliquem bonum finem, ob aliquod juſtum motivum, ut triſtitia noſtra ſit utilis. Optimum & juſtiſſimum motivum triſtitiæ noſtræ, debet eſſe, quòd offendimus Deum, quòd incucurrimus inimicitiam ejus, quòd amiſimus cœlum, quòd mortem intulimus animæ noſtræ per peccatum, *Homo autem occidit quidem per malitiam animam ſuam y.* Propter peccatum igitur, offenſam Dei, jacturam cœli, & mortem animæ noſtræ triſtari debemus, cùm quælibet alia triſtitia ſit inutilis. Amiſimus centrum nummos, propter hanc jacturam lacrymas effundimus: invenimuſne eos propterea? Nequaquam: ſignum igitur eſt, quòd iſti fletus ſunt inutiles, *Bonum eſt remedium curativum*, ait Medicina. Perdidiſtis puerum, ploratis, quia mors illum vobis abſtulit: revertiturne propterea ad vitam? Nequaquam: eſt ergo ſignum quòd iſtæ lacrymæ vanæ ſunt. Sed triſtaminine propter jacturam gratiæ, & offenſam Dei? recuperatis gratiam, reditis in amicitiam Dei. En bona triſtitia, ſalutaris triſtitia, de quâ loquitur S. Paulus z, quæ facit motivum gaudiorum noſtrorum, *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam: contriſtati enim iſtis ſecundùm Deum.* Plorate igitur, Auditores, *Flete ſuper filios veſtros **, qui ſunt bona opera veſtra mortua per peccatum: lacrymas effundite ſuper jacturam gratiæ, & offenſam Dei, non autem propter nugas, ineptias, vanitates, aliaſque res ſimiles. Fateor, quòd eſt aliquid indulgendum naturæ ad ſublevandam triſtitiam ipſius: ſed etiam aſſero quòd hæc ſuſpiria ſunt talis valoris, & iſtæ lacrymæ ſunt ita pretioſæ ut effundi non debeant niſi propter aliquod ſanctum motivum, cujus conſideratione ſolius juſtificentur.

y Sap. 16, 14.

z 2. Cor. 7, 9.

* Luc. 23, 28.

Secunda mea reflexio eſt, quòd vehementer compati debemus bis animabus patientibus purgatorij, conantes eas conſolari in triſtitijs ſuis, tribuere illis allevamentum in amaritudinibus ſuis, & decipere earum moleſtias. Si accidit aliqua acerba moleſtia vicino noſtro, ſi ſupervenit ei aliquod infortunium; ſi caſus aliquis infauſtus tangit aliquem è propinquis, aut amicis noſtris, ſtatim convolamus eorum domum, ut proferamus eis aliquod verbum conſolationis, & putaremus nos defuiſſe munijs noſtris, & reddidiſſe nos conſcios actus inurbanitatis, niſi iviſſemus eis teſtatum dolorem quo afficimur intuitu moleſtiæ ipſorum. Heu! Auditores, animæ purgatorij ſunt vehementer afflictæ, ipſæ ſunt in ignibus & in flammis, quibus acriter examinantur: quare non conſolabimur eas aliquo auxilio ſpirituali in neceſſatibus ſuis quæ ſunt extremæ? obliviſcemurne earum? nunquid non compatiemur illarum infortunio? &, & quod crudelius eſt, perſequemurne eas proprijs bonis ſuis? reddemuſne illas miſeras, quia concurrerunt ad nos reddendos felices? egenæ factæ ſunt ut nos ditarent; & evacueruerunt ſe ut nos replerent. Abſit, ne nobis improperetur, *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph †.* Ideòque conſolemur eas bonis operibus & ſuffragijs noſtris, ut exeuntes ex iſto loco paſſionum, ingrediantur domicilium felicitatis æternæ

† Amos. 6, 6.

QVINTA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFVNCTORVM.

O Domine libera animam meam, miſericors Dominus, & juſtus. Pſ. 114. 5.

RAtionabiliter inſtitutum eſt ut eadem Octava Sanctorum qui beati ſunt in cœlo, ſerviat & pro Octavâ Defunctorum qui languent in purgatorio: propterea eodem tempore celebramus Feſtum Sanctorum, viventium, & mortuorum; Sanctorum cœli, cùm honoremus eos reverentijs, votis, & orationibus noſtris; Defunctorum purgatorij, cùm impendamus bona opera & ſuffragia noſtra ad conciliandam eis liberationem à pœnis ſuis, & procuremus eis quietem; & viventium ſuper terrâ, cùm agamus pro nobis & in favorem noſtrum, comparemus nobis amicos, qui non futuri ingrati, agnoſcent beneficia, quibus ipſos nobis devinxerimus. Dico præterea quòd impendimus operam noſtram ad manifeſtandam majorem gloriam Dei, cùm amplectamur cauſam miſericordiæ, & juſtitiæ ejus, cùm ſit ipſemet *miſericors Dominus, & juſtus*. Quæ duo attributa Filius ipſius, *Verbum caro factum* a, univit in ſe, ſicut ait Pſalmiſta b, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt.* Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus c, *Miſericordia & veritas, id eſt, pietas & juſtitia Dei, obviaverunt ſibi, id eſt, convenerunt, apparuerunt, & ſibi invicem ſine diſcordiâ occurrerunt in Chriſto. Miſericordia enim Dei in Chriſti incarnatione apparuit, quoniam ex ineffabili miſericordiâ Dei factum eſt ut unigenitus Filius carnem aſſumeret. Juſtitia quoque in eâ relucet, quoniam Deus in Chriſti incarnatione implevit, quod per Prophetas prædixit ac repromiſit. Juſtitia & pax oſculatæ ſunt, id eſt, juſta ſatisfactio, quâ Chriſtus pro nobis per viam juſtitiæ ſatisfecit, ſuſtinendo pœnam pro culpâ noſtrâ, & confœderatio generis humani cum Deo hanc ſatisfactionem concomitantes, amorosè in Chriſto unita ſunt. Chriſtus namque, ſecundùm Apoſtolum* d, *factus eſt nobis à Deo juſtitia & redemptio. Ipſe quoque eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum* e. *Propter quod ait Apoſtolus* f, *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per ipſum conciliare omnia, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in cœlis ſunt, ſive quæ in terris. Hæc quoque juſtitia & pax oſculantur ſe mutuò in nobis per Chriſtum redemptis, quoniam ad juſtificationem nobis per Chriſtum collatam, ſequitur ſtatim in nobis pax, quâ Deo pacificamur. Veritas, id eſt, Chriſtus Dei Filius incarnatus, qui de ſeipſo loquitur, Ego ſum Via, Veritas, & Vita* g, *de terrâ orta eſt, id eſt, de utero Virginis glorioſæ carnem aſſumpſit, & naſcendo proceſſit, ſicut de hâc terrâ, videlicet ſanctâ Mariâ, per Iſaiam* h *affectuoſiſſimè dicitur, Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Hoc autem factum eſt, cùm *ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave* i *Maria*,

a Joan. 1, 14.
b Pſ. 84. 11, & 12.
c Dion. Carth. in Pſ. 84, 11. & 12.
d ex 1. Cor. 1, 30.
e ex Epheſ. 2, 14.
f ex Coloſſ. 1, 19. & 20.
g Joan. 14, 6.
h Iſai. 45. 8.
i Luc. 1, 28.

Statim ac Protoplaſti noſtri offenderunt Divinam Majeſtatem crimine inobedientiæ, comedentes *de fructu* k ligni vetiti, juſtitia Dei vult ſumere vindictam de ipſorum inobedientiâ. Verum quidem eſt quòd juſtitia Dei eſt inſeparabilis à miſericordiâ ſuâ: hæ ſunt veluti duæ ſorores gemellæ, quæ individuam ſecum faciunt ſocietatem jugiter, *Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine*, dicit Pſalmiſta l, Deum alloquens. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus m, *Id eſt, pietatem & æquitatem tibi, ô Deus, cum laude jucundâ aſcribam, non ſolùm laudabo te tanquam miſericordem miſericorditer indulgentem, miſerationeſque maximas peccatoribus facientem, ſed etiam tanquam juſtum, juſta judicia diligentem ac facientem, terribiliter ulciſcentem, & nil mali impunitum, imò nil penitus indiſcuſſum, injudicatum, impræmiatumque derelinquentem. Nunc enim frequenter prædictum eſt, quomodo univerſæ viæ Domini ſunt miſericordia & veritas* n, *intelligendo per veritatem juſtitiam ſeu judicium. Sic Deus in omni opere ſuo miſericordiam, judiciumque commiſcet, propter quod hæc duo ſibi ſpecialiter decantantur, ne vel judicium Dei nos deſperare compellat, vel miſericordia intimoratos efficiat: ſed utrumque horum penſando, timendo ſperemus, & timendo timeamus, atque ſoliciti ambulemus cum Deo noſtro* o, *cum metu & timore ac tremore noſtram operantes ſalutem, juxta admonitionem Divini Apoſtoli* p. Iſtæ duæ Divinæ perfectiones ſic aſtant ſibi comites individuæ, ut ipſæ, ſicut & omnia alia Divina attributa, non ſint in Deo niſi una & eadem res, cùm id omne quod eſt in Deo, ſit ipſemet Deus, ſicut aiunt Theologi. Quòd ſi inter iſtas Divinas perfectiones admittimus aliquam diſtinctionem, hæc non eſt niſi diſtinctio rationis facta ab intellectu noſtro: nam alioquin ſi juſtitia Dei eſſet diſtincta ab ipſius miſericordiâ, & ab alijs ipſius attributis, dici poſſet quòd eſſentia Dei eſſet compoſita, & quòd Deus non eſſet ens ſimpliciſſimum, quod eſſet impietas, cùm Deus nullam patiatur compoſitionem, *Spiritus eſt Deus*, ait S. Joannes q. *Id eſt, ſpiritualis, incorporalis, & ſimplex Eſſentia, utpote actus purus, mens ſeparata*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus r. Verum quidem eſt, & iſtud non me latet, quòd, cùm juſtitia & miſericordia ſint eadem res in Deo, differunt tamen quantùm ad effectus ſuos: juſtitia præ ſe fert rigorem, quandiu miſericordia non exercet niſi veniam, & non offert niſi indulgentiam criminoſis. Peccatne Adam? agitne contra voluntatem ſupremi Domini ſui? reluctaturne mãdato ejus? infringitne prohibitionem illius? *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris* s. Ecce ſtatim juſtitia perſequitur eum ut rebellem, & illum punire vult ut conſcium criminis, quandiu miſericordia requirit illius converſionem, ut agnoſcat ille culpam ſuam, ut agat pœnitentiam de peccato ſuo, & conſequenter operetur ſalutem ſuam: propterea Scriptura ſacra t nobis repræſentat Deum veluti deambulantem in paradiſo terreſtri, *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Deus quærit Adamum poſt peccatum ipſius, juſtitia ipſum inducit ad ſumendam de eo ultionem, hæc excitat ipſum ad iram contra hunc rebellem, ad puniendam ejus temeritatem, ſed miſericordia ipſum mitigat, *ad auram*, exiguus veluti zephyrus perflat, qui quaſi refrigerat ipſi viſcera, qui compeſcit hunc ardorem excitatum à juſtitiâ. Miſericordia affert rationes ad excuſandum vel ſaltem minuendum crimen Adæ, allegans fragilitatem ejus, infirmitatem naturæ ipſius, violentiam tentationis, malitiam

k Gen. 3, 6. & 8.
l Pſ. 100. 1.
m Dion. Carth in Pſ. 100, 1.
n ex Pſ. 24. 10.
o ex Mich. 6, 8.
p ex Philipp. 2. 12.
q Joan. 4, 24.
r Dion. Carth. art. 15. in Joan. 4, 24.
s Gen. 2, 17.
t Gen. 3, 8.

malitiam inimici, pulchritudinem fructus qui fuerat ipſi prohibitus, & alia eximia motiva proponens ad hoc ut reconciliaret Deo hunc rebellem, & impetraret ei à Divinâ Majeſtate indulgentiam criminis ab ipſo patrati : *Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat* u. Quid aget

u Ezech. 33, 11.

Deus, Auditores, ad ſatisfaciendum juſtitiæ & miſericordiæ? quomodo ſupplicationes exaudiet ambarum? Admiremur adjuventiones Divinæ Sapientiæ quæ novit excogitare modum faciendæ unionis iſtarum duarum ſummarum perfectionum, ſatisfaciens utrique æqualiter. Deus cautam præſtat hominis cauſam per actum miſericordiæ, & per actum juſtitiæ ſe faciens hominem, patitur in omni rigore pro homine, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, dicit Pater æternus de Filio ſuo incarnato, *Et ipſe peccata multorum tulit* x. Sic ut verè dicere poſſimus, id, quod jam ſuprà retulimus ex Pſalmiſtâ y, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi : juſtitia & pax oſculatæ ſunt.*

x Iſai. 53, 8. & 12.
y Pſ. 84, 11.

Atqui dico quòd eodem modo nos gerimus nos ipſos, impendentes opera bona & ſuffragia noſtra ad liberandas animas Defunctorum à purgatorio. Per hæc ſuffragia ſatisfacimus miſericordiæ & juſtitiæ Dei, & has Divinas perfectiones veluti ſingulari perfundimus oblectamento, præterquamquòd ſublevantes iſtas animas patientes, manifeſtamus majorem Dei gloriam, ſicut intendo vobis monſtrare per tria motiva, quibus conſtabunt tres partes iſtius diſcurſus.

Diviſio.

1. Pars.

Dico pro primâ meâ ratione, quæ ſavet miſericordiæ Dei, quod impendendo ſuffragia noſtra in gratiam animarum purgatorij, Deum veluti voluptate perfundimus, eumque quaſi nobis devincimus hoc actu miſericordiæ qui ſitus eſt in ſublevandis his animabus languentibus. Ad veritatis iſtius probationem, ſcire debetis quòd Deus ſic eſt *ſuavis & mitis, & multa miſericordia omnibus invocantibus* z ſe, ut vix ſuorum videat neceſſitates ſervorum, cùm ſtatim miſericordiâ motus, eos ab illis ſublevare ſatagit efficaciter : ſufficit autem ut exponamus illi noſtras egeſtates adhuc ut illum inducamus ad auxiliandum nobis citò : *Non enim amas, & deſeris*, ait S. Auguſtinus a, ſuper ſupplicationem à Marthâ & Magdalenâ ſuper infirmitatem fratris ſui Lazari ſublevandam, Dei Filio propoſitam, eundem Salvatorem alloquens.

z Pſ. 85, 5.
a S. Aug. tract. 49, in Joan. 11, 3.

Viſus Dei non eſt ſine effectu : propterea Moyſes, qui apprimè novit illius virtutem, volens ab eo aliquem favorem impetrare, ſic illum alloquitur, *Reſpice de excelſo cœlorum habitaculo* b. Sed quid eſt iſtud? Moyſes, ſolicitas Deum ad reſpiciendum? Debes ab eo auxilium petere, eumque rogare ut tibi ſuccurrat, non autem ut videat te in neceſſitate conſtitutum. Ha! Auditores, viſus Dei & auxilium ipſius ſunt idem, *Aſpice in me, & miſerere mei*, dicit illi David c. Et Dionyſius Carthuſianus d poſt eum, *Aſpice in me, non oculo diſtrictæ ultionis, ſed paternæ pietatis, & miſerere mei, dando mihi gratiam.* Propterea præfato Moyſi idem ait Dominus, *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto : & ſciens dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum* e. *Et præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum à nativitate : & dixit ei, Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Miſſus.) Abiit ergo, & lavit : & venit videns* f. Miſericordiâ ducitur Deus intuitu alienæ miſeriæ, & vix intuetur aliquem infortunio impetitum, cùm ſtatim cogitat de remedio ei afferẽdo. Sic eſt, Auditores: viſus Dei eſt effectivus, non autem intuitus noſter, cui ſatisfit recipere, nedum det unquam aliquid.

b Deut. 26, 15.
c Pſ. 118, 132.
d Dion. Carth. in Pſ. 118, 132.
e Exod. 3, 7. & 8.
f Joan. 9, 1. & 7.

Hæc eſt maxima quæſtio Philoſophiæ ad ſciendum quomodo formetur viſio, vel per extramiſſionem, vel per intusſuſceptionem : vel ſuſcipiendo ſpecies ab objecto, vel mittendo ſpiritus potentiæ ad uniendum ſe objecto. Viſus noſter recipit ſpecies ab objectis ; ſed viſus Dei mittit ex oculis ſuis & communicat ſemper favores objectis, quæ ſuis honorare dignatur aſpectibus: vix intuetur dolorem noſtrum cùm ſtatim remedium ei ſublevando affert opportunum : amor ipſius ipſum inducit ad miſerendum noſtri, & miſericordia ipſius ipſum allicit ad nos eruẽdos è miſerijs noſtris, cùm videre non poſſit nos in neceſſitate conſtitutos quin opem nobis ferat : ipſum ergo quaſi voluptate perfundimus, & veluti nobis devincimus ejus miſericordiam cùm reddimus nos ipſius coadjutores, *Unuſcujuſq; eorum qui in hierarchiâ cooptati ſunt, in eo poſita perfectio eſt, ut pro ſuâ quiſque virili parte ad Dei imitationem contendat : & id quo nihil Divinus eſt, Dei, ut ſacra Scriptura g loquitur, fiat adjutor, Divinamq; in ſe actionem, quantùm poteſt, oſtendat*, ait S. Dionyſius h. Et hoc eſt quod agimus erga animas purgatorij, Sponſas & dilectas ejus, eruendo eas medijs bonis operibus & ſuffragijs noſtris à pœnis ſuis, ut collocemus eas in paradiſo & in gloriâ

g ex Matth. 5, 48.
h S. Dion. lib. de Cœleſt. Hier. c. 3

Deus amplectitur in omnibus cauſam famulorum ſuorum, & proteſtatur ſe velut offendi in pupillis oculorum ſuorum Divinorum ab illis qui offendunt ſervos ipſius : *Qui tetigerit vos*, ait ipſemet, amicos ſuos alloquens, *tangit pupillam oculi mei* i. Ideò quòd injuriam eis illatam ulciſcetur, & inſumet potentiam ſuam ad eos puniendos ; & quòd hi fient ſervi illorum, quibus anteà dominabantur, & imperabant cum omni authoritate, ſicut innuunt hæc ipſius verba immediatè poſt ſequentia : *Quia ecce ego levo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his qui ſerviebant ſibi.*

i Zach. 2, 8. & 9.

Saulus perſequitur fideles, inſurgit in Chriſtianos, quos vult exterminare : Jeſus eſt glorioſus in cœlo, & queritur de rabie perſecutoris iſtius furioſi, non ſecus ac ſi ipſe perſecutionis ictus ſuſtineret, *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas ; ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco : & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris* k? Ipſe tacet cùm ipſemet offenditur ; ipſe ſilet cùm agitur de propriâ cauſâ. *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt : & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum* l, æquè ac cùm *ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi, Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adversùm te teſtificantur? Ieſus autem tacebat* m: *Et cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus, non audis quanta adversùm te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum : ita ut miraretur Præſes vehementer* n. Et, *Cùm malediceretur, non maledicebat : cùm pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti ſe injuſtè* o, Sed cùm amici

k Act. 9, 1. &c.
l Act. 8, 32, ex Iſai. 53, 7.
m Matth. 26, 62. & 63.
n Matth. 27, 12 &c.
o 1. Pet. 2, 23.

Digitized by Google

amici ipſius patiuntur perſecutionem, ipſe loquitur, & queritur, *Saule, Saule quid me perſequeris?* Nam, ſicut ait Dionyſius Carthuſianus p, *Tanta eſt dilectio & unitas Chriſti ad ſuos fideles, qui & myſticum Chriſti corpus vocantur, ut quidquid boni aut mali fuerit illis irrogatum, ſibi reputet factum. Quemadmodum in Evangelio* q *ait, Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: nudus fui, & non operuiſtis me.* Et item r, *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Sic & per Zachariam* s *denunciat, Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Itaque Paulus Chriſtum in membris ſuis perſequebatur.* Nam obſervare debetis, Auditores, quòd Jeſus Chriſtus habet duo corpora, unum naturale, & alterum myſticum. Corporis naturalis, quod eſt illud, quod ipſe ſumpſit *in utero* t Virginis Mariæ, cùm *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* u, ipſe nullo modo miſeretur, ſed è contra illud exponit omni generi paſſionum. Percurrite, ſi velitis, totum vitæ ejus decurſum, & nihil invenietis ibi niſi omne genus laborum & tolerantiarum. Naſcitur in ſtabulo: ibi Maria *peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio* x. Patitur famem *Jeſus, cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus* y. Suſtinet laſſitudinem, & ſitim, & calorem (æquè ac frigus ſicut audiviſtis modò in nativitate ſuâ) *Jeſus fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Hora erat quaſi ſextâ. Venit mulier de Samariâ haurire aquam. Dicit ei Jeſus, Da mihi bibere* z. Tolerat inopiam, & labores, *Dicit Jeſus, Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* a. Et, *Pauper ſum ego: & in laboribus à juventute meâ*, ait ipſemet per Pſalmiſtam *b*. Et per Dionyſium Carthuſianum *c*, *Pauper ſum ego, & totius paupertatis exemplar, qui non habui ubi caput reclinarem, & de eleemoſynis vixi devotarum fœminarum* d. Et *in laboribus à juventute meâ. Chriſtus namque nec intùs nec foris extitit otioſus, ſed orando* e, *jejunando, Joſeph & Mariæ ſerviendo* f, *deinde prædicando, diſcurrendo* g, *eſuriendo, ſitiendo, patiendo, ac moriendo laboravit. Propter quod apud Iſaiam* h *proteſtatur, Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Et in morte ſuâ *crucifixi ſunt cum eo duo latrones: unus à dextris & unus ſiniſtris* i. Dei Filius nunquam queritur de rigoribus exercitis adversùs corpus ſuum naturale: ſed quantùm ad corpus ſuum myſticum, putà fideles, *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus* k, queritur, nec ſuſtinere poteſt ut afferatur ipſi aliquod nocumentum. Miſericordia ipſius in fideles ſuos tanta eſt, ut eos eruere velit è pœnis ſuis univerſis; ſic ut ſit hanc miſericordiam ſibi devincire ac cooperari & collaborare cùm illâ propter illorum allevamentum: cùm ergo animæ purgatorij ſint amicæ & Sponſæ Dei, judicate num multùm nobis non devinciamus ipſius miſericordiam, & annon illi veluti ſingularem afferamus voluptatem cùm mediis ſuffragijs noſtris cooperamur earum liberationi, ſatagentes eas educere ex ignibus & flammis purgatorij, ut collocemus eas in refrigerio cœli.

p Dion. Carth. art. 9. in Act. 9. 4.
q ex Matth. 25. 42. & 43.
r ex Matth. 25. 40.
s ex Zach. 2. 8.
t Luc. 1. 31. ex Iſai. 7. 14.
u Philipp. 2. 7.
x Luc. 2. 7.
y Matth. 4. 1. & 2.
z Joan. 4. 6. & 7.
a Matth. 8. 20.
b Pſ. 87. 16.
c Dion. Carth. in Pſ. 87. 16.
d ex Luc. 8. 3.
e ex Luc. 6. 12.
f ex Luc. 2. 51.
g ex Luc. 8. 1.
h Iſai. 43. 24.
i Matth. 27. 38.
k Epheſ. 5. 30.

Nolite autem mirari ſi Deus tantâ dilectione ducitur erga ſuos, cùm miſereatur vel peccatorum qui ſunt inimici ſui, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper Bonos & malos, & pluit ſuper Juſtos & injuſtos* l. Sed ut deſcendamus ad particulares: Deus eſt offenſus criminibus Regis Achab, qui nequitiâ præceſſit omnes eos qui præceſſerunt ipſum in Regno, *Fecit Achab malum in conſpectu Domini ſuper omnes qui fuerunt ante eum* m. Propheta Elias, qui erat ſemper *zelo zelatus pro Domino Deo exercituum* n, voluit hunc impium Regem punire, deſtruendo populum ejus: ideòque imperavit cœlo ut non plueret. Sic omnes cataractæ cœli clauſæ ſunt ad vocem Prophetæ, & conſequenter terrâ dehiſcebat immodicâ ardens ſiccitate, nedum aliquid produceret, *Et dixit Elias Theſbites de habitatoribus Galaad ad Achab, Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto: ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba. Et factum eſt verbum Domini ad eum, dicens, Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem, & ibi de torrente bibes: corvíſque præcepi ut paſcant te ibi. Abijt ergo, & fecit juxta verbum Domini: cùmque abiiſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem & carnes manè, ſimiliter panem & carnes veſperi, & bibebat de torrente. Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens: non enim pluerat ſuper terram. Factus eſt ergo ſermo Domini ad eum, dicens, Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut paſcat te. Surrexit, & abijt in Sarephta. Cùmque veniſſet ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei, Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam. Cùmque illa pergeret ut afferret, clamavit poſt tergum ejus, dicens, Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tuâ. Quæ abijt, & fecit juxta verbum Eliæ: & comedit ipſe. Factum eſt autem poſt hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortiſſimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam, Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, ut rememorentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. Et ait ad eam Elias, Da mihi filium tuum Tulitque eum de ſinu ejus, & portavit in cœnaculum ubi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum, & clamavit ad Dominum & dixit, Domine Deus meus, etiamne viduam pud quam ego utcumque ſuſtentor, afflixiſti, ut interficeres filium ejus* o? &c. Propheta miſeratione commovetur intuitu lacrymarum hoſpitæ ſuæ, & inde cognoſcit conſilium Dei qui ait ipſi interiùs, Heu! Elia, commiſeratione ciêris videns fletus iſtius viduæ, æquè ac mortem filij ejus, quæ nullam vult admittere conſolationem: tu non feciſti eum: quomodo autem non miſerebor populi mei, quem feci, & qui eſt opus manuum mearum? Videte, Auditores, amorem Dei, & miſericordiam ejus erga ſuos vel inimicos, qui irritaverant iram ipſius enormitate criminum ſuorum: quid non faciet erga amicos ſuos? & quomodo non exhibebit ſe favorabilem filiabus ſuis, animabus purgatorij, quæ ſunt dilectæ Sponſæ ſuæ, quas amat amore complacentiæ? Perfundimus igitur eum veluti voluptate, & quaſi lætificamus miſericordiâ ejus, cùm curas & operas noſtras impendimus mediis

ſuffra-

l Matth. 5. 45.
m 3 Reg. 16. 30.
n 3 Reg. 19. 10.
o 3. Reg. 17. 1. &c.

ſuffragijs noſtris ad educendas eas è pœnis, & collocandas in gloriâ.

Non ſolùm velut oblectamus miſericordiam Dei, ſed etiam nobis quaſi devincimus juſtitiam ejus, cùm offerimus ei ſuffragia noſtra in favorem iſtarum animarum: quia licèt hæc puniat, ipſa tamen ſibi complacet in reperiendis obſtaculis, & in eo quòd aliquis ſe opponat punitionibus quas ipſa reis vult infligere. Videte hanc veritatem in Adam: Si Deus venit ad puniendum hunc rebellem, hæc juſtitia ſtrepitum edit, commotione totum paradiſum ciet adventu ſuo, ideò ut inducat hunc reum ad ſe ſubducendum è rigoribus ſuis, *Cùm audiſſent vocem Domini Dei*, dicit Scriptura *p* de Protoplaſtis noſtris. *Putà, terribilem ſtrepitum & fragorem ex concuſſione arborum à Deo excitatum: nam quaſi ad veſtigia Dei venientis à longè, & per arbores gradientis arbores concutiebantur: erat enim vox hæc Dei deambulantis in paradiſo, ut ait Moſes. Cajetanus tamen vocem intelligit, non arborum, ſed loquentis & irati Dei, ac, ut vult Abulenſis, dicentis: Adam ubi es q?* ſubdit Cornelius *r*. Cùm hoc nomen vocis in Scripturâ perſæpè ſignificet ſtrepitum, *Vocem dederunt nubes*, ait Pſalmiſta *ſ*. *Hoc eſt, ex columnâ ignis ac nubis t Deus fecit procedere fulgura atque tonitrua contra Ægyptios*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *u*. Illa Dei vox, erat vox tonitrui, & jure merito; cùm *de loco voluptatis x*, qualis erat paradiſus, prætorium feciſſet Deus ad pronuncianda ibi areſta contra reos, quod Deus non faciebat, niſi velut invitus; propterea ſtrepitum edidit, ad monendum Adam ut ingrederetur ſemetipſum, & recurreret ad ipſum, ad evitandos rigores qui capiti ipſius imminebant. Is eſt modus procedendi Dei: ipſe ſemper monet antequàm ictum infligat: ipſe dicit ut attendamus nobis, ad hoc ut declinemus à jaculis iræ ſuæ, *Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magnâ: Væ, væ, væ habitantibus in terrâ*, dicit S. Joannes *y*. Deus erat vehementer offenſus; hominum crimina potenter ipſius juſtitiam provocabant ad ſumendam de ipſis ultionem: ſed quid non agit Divina bonitas hoc in occurſu? Ipſa mittit aquilam, quæ dicat *per medium cœli, voce magnâ: Væ, væ, væ habitantibus in terrâ*. Ubi, ſi placet, obſervate quòd aquila nuntium iſtud defert, aquila, inquam, quæ eſt velociſſima omnium nuntiorum. Deus mi, quàm ingens eſt cura miſericordiæ tuæ! Ipſe non vis ut juſtitia tua apprehendat peccatores in flagranti delicto: ipſe ſtatim eventilas conſilia ejus, ad hoc ut impij caveant ſibi, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus z*. Etiam, Deus mi: moneri nos facis, non in ſecretò, non ad aurem, non in particulari, ſed palam omnibus tonitruo horribili, quod auditur ab omnibus, ut omnes illius habeant notitiam; *voce magnâ, Væ, væ, væ habitantibus in terrâ*, & hoc tribus vicibus, ut illi qui non audiverint hanc vocem primâ, vel ſecundâ vice, audiant illam tertiâ. Nunquid non igitur Juſtitia quaſi invita venit ad capeſſendam punitionē, cùm moneat adventus ſui? *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus*. Et veniens ad puniendum mundum in ultimo adventu, nonne terribilia præcedere faciet ſigna juſtitæ ſuæ prænuntia ad inducendos peccatores ad integram converſionem? *Et erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & ſtellis: & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi: nam virtutes cælorum movebuntur: & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magnâ & majeſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra a*. Deus nonniſi velut invitus & quaſi coactus utitur rigore, cùm punitio criminis ſit ipſi actio extranea, ſicut miſeratio eſt opus ipſi proprium, ut ait Iſaias *b*, *Ut faciat opus ſuum; alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo*. Quem ſic Pinius *c* elucidat ad propoſitum, *Puniet Deus homines ſceleratos, non ut eos ex animo velit perdere, ſed ut convertantur, aut alij Deum timeant. Punit igitur ut ſalvos faciat. Punire non eſt proprium Dei opus, ſed miſereri & parcere, quemadmodum canit Eccleſia: Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Ideò Deus non punit ex animo, ſed quia ita exigunt ſcelera noſtra. Addit enim Ieremias in Lamentis d, loquens de Deo: Quia ſi abjecit, & miſerebitur ſecundùm multitudinem, miſericordiarum ſuarum. Non enim humiliavit ex corde ſuo, & abjecit filios hominum. Appellat hoc in loco Iſaias opus Dei miſereri, opus autem alienum ab eo, iraſci & punire*. Cùm hæc operatio ipſi extranea, noſtris nativitatem veluti ſumat à criminibus, ut aſſerit Tertullianus *e*, dicens, *Uſque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus, exinde Iudex & ſeverus, & quod Marcioniſtæ volunt, ſævus*. Et expreſſiùs S. Bernardus *f*, *Et benè dicitur Pater miſericordiarum g, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Sed fortè quis dicet: Quomodo illi proprium eſt miſereri, cujus judicia abyſſus multa h? Neque enim dicitur: Omnes viæ ejus ſola miſericordia, ſed miſericordia & veritas i. Non minùs juſtus quàm miſericors eſt, cui miſericordia & judicium decantatur k. Verum id quidem: cui vult miſeretur, & quem vult indurat l. Sed quòd miſeretur, proprium illi eſt: ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quòd judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus; ut longè aliter de corde ipſius miſeratio, quàm animadverſio procedere videatur. Ipſum audi dicentem: Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non magis ut convertatur & vivat m? Rectè igitur non Pater judiciorū vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum: non modò quòd Pater videatur miſereri potiùs quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum miſeretur timentium ſe n; ſed eò magis quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro*. Ipſe, eſt velut pater, quem, cùm tenetur caſtigare filium ſuum propter aliquem defectum, cujus eum conſcium repererit, tædet punitionis quam illi vult infligere, & ipſe vellet ut aliquis ipſum impediret, ne de illo pœnam ſumeret: eodem, inquam, ſe modo gerit Deus, cùm agitur de puniendis inimicis ſuis, *Tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominē quem creavi o*. Sic enim ipſe nos diligit, ut videatur ipſe veluti magis angi malis noſtris, quàm nos qui ea experimur, ut ait S. Auguſtinus *p*, *Tardius ſiquidem ei videtur peccatori veniā dare, quàm ipſi peccatori accipere. Sic enim feſtinat abſolvere reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plus eum cruciet paſſio miſeri, quam ipſum miſerum compaſſio ſui*. Ipſe velut affligitur ex jacturâ noſtrâ, dicit etiam Origenes *q*, *Sed & illa humanū genus lamētantis Dei vox eſt, quæ dicitur per Prophetam r, Heu me, quoniam factus ſum ſicut qui congregat ſtipulam in meſſe, & ſicut racemus in vindemiâ, quia non eſt ſpica, neque botrus ad edendā primogenita. Heu mihi anima, quoniam perijt reverens à terrâ; & qui corrigat in hominibus non eſt*

p Gen. 3. 8.
q Gen. 3. 9.
r Cornel. in Gen. 3. 8.
ſ Pſ. 76. 18.
t ex Exod. 14. 24.
u Dion. Carth. in hunc locum. Pſ.
x Gen. 2. 10.
y Apoc. 8. 13.
z Pſ. 59. 6.
a Luc 21. 25. &c.
b Iſai. 28. 21.
c Pintus. in Iſai. 28. 21.
d Thren. 3. 32. & 30.
e Tert. lib. 2. adverſ. Marcion. c. 11.
f S. Bern. ſerm. 5. in Natal. Dom.
g ex 2. Cor. 1. 3.
h ex Pſ. 35. 7.
i ex Pſ. 24. 10.
k ex Pſ. 100. 1.
l ex Rom. 9. 18.
m ex Ezech. 18. 23.
n ex Pſ. 102. 13.
o Gen. 6. 6. & 7.
p S. Aug. lib. de Spirit. & Anim. c. 6.
q Orig. hom. 23. in cap. 28. Num.
r ex Mich. 7. 1 & 2.

eſt. Domini ſunt iſta voces, genus humanum lugentes.
Ipſe ſemper ſibi complacet in inveniendo a-
lique qui opponere ſe poſſit conſilijs quæ juſti-
tia ſua formavit ultionis capeſſendæ: ipſe diligit
Abraham, & quia eum amat, non poteſt ei ce-
lare conſilia ſua, & vellet illius interventu non
ulciſci ſe de inimicis ſuis: *Dixit Dominus: Num
celare potero Abraham qua geſturus ſum? Clamor
Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus eſt, &
peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam,
& videbo utrùm clamorem qui venit ad me, opere
compleverint: an non eſt ita, ut ſciam. Abraham ve-
rò ſtabat coram Domino. Et appropinquans ait, Num-
quid perdes Iuſtum cum impio? Si fuerint quinqua-
ginta Iuſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces
loco illi propter quinquaginta Iuſtos, ſi fuerint in eo?
Abſit à te, ut rem hanc facias, & occidas Iuſtum cum
impio fiatque Iuſtus ſicut impius: non eſt hoc tuum qui
judicas omnem terram: nequaquam facies judicium
hoc. Dixitque Dominus ad eum, Si invenero Sodomis
quinquaginta Iuſtos in medio civitatis, dimittam om-
ni loco propter eos. Reſpondenſq; Abraham, ait: Quia
ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm ſim pu-
lvis & cinis. Quid ſi minùs quinquaginta Iuſtis quinq;
fuerint? delebis propter quadraginta quinq; univer-
ſam urbem? Et ait: Non delebo, ſi invenero ibi quadra-
ginta quinq;. Rurſumque locutus eſt ad eum: Sin au-
tem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait:
Non percutiam propter quadraginta. Ne quaſo, inquit,
indignēris Domine, ſi loquar: Quid ſi inventi fuerint
triginta? Reſpondit, Non faciam, ſi invenero ibi tri-
ginta. Quia ſemel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meū:
Quid ſi ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interfi-
ciam propter viginti. Obſecro, inquit, ne iraſcaris Do-
mine ſi loquar adhuc ſemel: Quid ſi inventi fuerint ibi*
s Gen. 18. 17. &c. *decem? Et dixit, Non delebo propter decem* s. Videte
bonitatem Dei, & quomodo ipſe ſibi complaceat
ut juſtitia ſua reperiat obſtacula, ne teneatur vin-
dictam ſumere de peccatis adversùs Divinā Ma-
jeſtatem ſuam patratis. Imò verò videtur ipſe
Deus perſcrutari tumulos ad hoc ut inveniat ali-
quem qui ſiſtat vindictam, quam ipſe vellet ca-
peſſere: cineres defunctorum, eorumque memo-
ria, ſunt ipſi veluti carceres, quos videtur præteri-
re non poſſe, *Nec auferam omne Regnum de manu e-
jus, ſed ducem ponam eum cūctis diebus vita ſua, prop-
ter David ſervum meum quē elegi, qui cuſtodivit man-*
t 3. Reg. 11. 34. &c. *data mea & pracepta mea* t, dicit ipſemet de Salo-
mone, qui adoraverat idola. Et, quod eſt admira-
bile, ſi nemo occurrat, ipſe videtur ferre hoc mo-
u Iſai. 59. 16 leſtè, *Aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat*, ait Iſa-
jas u. Et poſt eū Pintus x, *Non erat vir juſtus qui oc-*
x Pintus in Iſai. 59. 16. *curreret Deo irato, ſeq; ipſi opponeret, eum deprecans,
& pro hominum ſalute intercedens.* Quàm ergo
multùm oblectabimus Juſtitiam Divinam, cùm
cunabimur ipſi ſatisfacere ſuffragijs noſtris pro
animabus purgatorij, quæ ſunt ipſius amicæ. Cum
ipſa veluti favori ducat ut aliquis ſiſtat ultiones
ſuos in favorem inimicorum ſuorum, quantò po-
tiori jure ſi quis erga ipſā intercedat pro dilectis
Sponſabus ſuis, ad educendas eas è purgatorij pœ-
nis omnium graviſſimis. Debetis enim ſcire quòd
proprius locus exactæ juſtitiæ, non eſt hic mun-
dus, nec infernus, ſed purgatorium. Deus punit in
tribus iſtis locis, ſed punit tribus modis, ut Pater,
ut Judex, & ut Dominus. In iſto mundo punit ut
Pater: *Tanquam filijs vobis offert ſe Deus. Quis enim*
y Hebr. 12. 7. & 8. *filius, quem non corripit Pater. Quòd ſi extra diſcipli-*
nam eſtis: ergo non filij eſtis y. In inferno punit ut
z Matth. 25. 41. &c. Judex, ſed reos, rebelles, & inimicos. *Diſcedite à
me maledicti in ignem æternum* z, &c. Infernus eſt
quidem locus juſtitiæ & ſupplicij. *Et ibunt hi in*

ſupplicium æternum a. Sed propriè & ſpecialiter
dico, quòd purgatorium locus eſt exactæ juſtitiæ, a Matth. 25. 46.
& hoc probo exemplo iſto. Judex aliquis punit
aliquem reum, & reus iſte eſt inimicus ipſius: in
hâc punitione eſt quidem juſtitia: ſed ſi Judex
iſte puniat amicum ſuum, filium ſuum, ſponſam
ſuam, hæc punitio eſt ſanè ſpecialior & inſignior
actus juſtitiæ: eodem modo ſe res habet de Deo.
In inferno ipſe punit reos, & inimicos irrecon-
ciliabiles: ſed in purgatorio punit amicos, filios,
& Sponſas dilectas: ideò purgatorium eſt verus
locus juſtitiæ, ubi Deus exercet omne genus ri-
goris. In iſto mundo punit ut Pater, in inferno ut
Judex, ſed in purgatorio ut Dominus, *Si abluerit
Dominus ſordes filiarum Sion in ſpiritu judicij & ſpi-* b Iſai. 4. 4.
ritu ardoris b. Devincimus ergo veluti nobis ju-
ſtitiam Dei, cùm opponimus nos pœnis quas ipſa
veluti coacta infligit amicis ſuis, id eſt, animabus
in purgatorio detentis, ipſi præſentando ſuffragia
noſtra in favorem illarum.

Pro tertio motivo, ſublevantes iſtas animas, III. Pars.
manifeſtamus majorem gloriam Dei. Gloria Dei
in ſe, conſiſtit in ſe cognoſcendo & in ſe diligen-
do; & cognoſcendo ſe & diligendo ſe, in ſe poſſi-
dendo cognitione & dilectione: nam Deus ſe co-
gnoſcens produxit *Verbum* c ſuum, in quo ipſe ſibi c Pſ. 44. 2.
complacet, *Cùm ſit ſplēdor gloria, & figura ſubſtan-* d Hebr. 1. 3.
tia ejus d. Pater & Filius diligentes ſe reciprocè,
producunt *Spiritum veritatis* e, qui eſt terminus e Joan. 15. 26.
amoris ipſorum. Gloria Dei ad intrà igitur, eſt
hæc cognitio & dilectio ſua: ſed major ipſius glo-
gia ad extrà, eſt cognoſci & diligi à creaturis; &
id omne quod Deus fecit uſque nūc, & faciet un-
quam uſque ad finem mundi, tendit ad iſtam glo-
riam. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Do-
minus* f. Univerſæ creaturæ factæ ſunt propter u- f Prov. 16. 4.
ſum hominis g, ſed homo factus eſt propter Deū,
ad illum laudandum, & ad manifeſtandam gloriā g Gen. 1. 28. &c.
ejus: atqui cùm impendimus ſuffragia noſtra in
favorem animarum purgatorij, manifeſtamus
majorem gloriam Dei: ſatagimus enim ut hæ ci-
tiùs ſibi concilient illius fruitionem in cœlo, ubi h 1. Cor. 13. 12.
perfectè cognoſcitur *facie ad faciem* h, *ſicuti eſt* i: i 1. Joan. 3. 2.
& ſic cognitus, diligitur ardentiùs, cùm dilectio
ſequatur cognitionem quæ ipſam præcedit; &
cognitus, & dilectus, poſſidetur; & poſſeſſus, lau-
datur, in quo conſiſtit ipſius major gloria ad ex-
trà. Ha! quàm valida motiva quæ nos inducunt
ad auxiliandum his animabus interventu ſuffra-
giorum noſtrorum, voluptate quaſi perfundere
miſericordiam Dei, devincire quaſi nobis juſtitiā
ejus, & manifeſtare majorem gloriam ipſius.
Quàm magnæ ſunt iſtæ prærogativæ, ac impen-
dere noſtras operas ad manifeſtandam gloriam
Dei, propter quam Patriarchæ, Prophetæ k, Apo- k Hebr. 11. 7. &c.
ſtoli l, Martyres, Confeſſores, *Virgines* m, & om- l Act. 5. 41. &c.
nes illi qui ſunt in cœlo, vel ad illud aſpirant, tan-
ta pertulerunt, & patiuntur, ſibi proponentes eā m Apoc. 14. 4. &c.
pro ſcopo laborum ſuorū præ hâc inſcriptione,
Ad majorem Dei gloriam. Oblectare quaſi miſeri-
cordiam Dei, quid glorioſius nobis? miſericordiā
Dei, quā ſic vehementer indigemus, quæ nos præ-
venit *in benedictionibus dulcedinis* n, quæ nos ſub- n Pſ. 20. 4.
ſequitur *omnibus diebus vitæ* o noſtræ, & quæ nos o Pſ. 22. 6.
ſaluat, *Miſericordia Domini, quia non ſumus cōſump-
ti: quia nō defecerunt miſerationes ejus* p. Devincire p Thren. 3. 22.
veluti nobis juſtitiam Dei, auxiliando animabus
purgatorij, ut liberatæ à pœnis ſuis, fruantur deli-
cijs cœli, quid inſignius? Ha! Auditores, ne renua-
mus illis impendere hoc officium miſericordiæ:
Iudicium enim ſine miſericordiā illi qui non fe-
ceris

cerit miſericordiam q. Fratres Joſeph Patriatchæ mœrent, eò quòd non fuerint auxiliati ei in neceſſitate conſtituto, ut educerent illum è pœnis ſuis; confitentur crimen ſuum, cujus juſtam luunt pœnam, *Locuti ſunt adinvicem, Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrū, videntes anguſtias animæ illius dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio* r. Sic de nobis intuitu animarum purgatorij.

q Jacob. 2. 13.
r Gen. 42. 21.

Quantùm ad juſtitiam Dei, quomodo non conabimur veluti devincire nobis eam, cujus rigores tanti ſunt ut aliàs univerſum mūdum diluvio immerſerit s, civitates integras in cineres redegerit t, tot vaſtitates ediderit u, & tot funeſtos effectus cauſaverit x? Et tamen eam ſic exiguis ſūptibus poſſumus nobis reddere propitiam, ſublevādo animas purgatorij, refundendo bona opera & ſuffragia noſtra ad illarum liberationem. Porrigamus igitur eis auxiliatricem manum noſtram intuitu commodorum noſtrorum: non enim poſſumus niſi crudeles eſſe nobis ipſis, ſi noſtra ſervitia recuſemus his animabus patientibus: devinciamus veluti nobis hanc juſtitiam, conemur illam conciliare nobis in iſtâ vitâ, juxta conſilium Salvatoris, *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in viâ cum eo; ne forte tradat te adverſarius Judici* y. Hic adverſarius, eſt Juſtitia, quæ noſtra Pars eſt, & minatur nobis, ſe tradituram nos poteſtati Judicis: ineamus ſocietatem cum eâ, conemur eam veluti nobis addicere beneficijs noſtris, ut obſequiorum noſtrorum memoretur in occaſionibus, & propitia ſit nobis cùm erimus in neceſſitate conſtituti. Ipſa nobis erit favorabilis, ſi auxiliemur animabus purgatorij, ſi refrigerium afferamus earum ardoribus, & conemur eas educere è pœnis ſuis ſic voluptate quaſi perfundentes miſericordiam Dei, addicentes veluti nobis juſtitiam ejus, & incumbentes manifeſtationi majoris gloriæ ipſius, ſatagendo liberare animas iſtas à purgatorio, noſtris invigilamus commodis: nam nobis idem *gratiam & gloriam dabit Dominus* z.

s Gen. 7. 17. &c.
t Gen. 19. 24. & 25.
u Exod. 14. 27. & 28.
x Num. 16. 10.
y Matth. 5. 25.
z Pſ. 83. 12.

SEXTA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFVNCTORVM.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Pſ. 120. 1.

AMor eſt talis naturæ ut propter excellentiam ſuam Platonici crediderint ipſum Divinitatem, & ut tali vellent adorationes exhibere. Stoici aſſerebant quod originem ſuam duxerat è cœlò, & conſequenter quòd eſſet totus cœleſtis & Divinus. Unuſquiſque de eo conceptus format, & de illo loquuntur omnes diverſimodè. Aliqui comparant eum chamæleonti, qui *quaſi parvus leo, animal eſt diversâ varietate conſperſum, ut pardus, & ad colores quos videt, converſione facillimâ variatur* a. Et qui conſequenter non habet aliquid conſtantius propriâ inconſtantiâ: ſic amor nunquam idem eſt, ſemper mutatur, nedum diu maneat in eodem ſtatu: incipit quis amare, ſed non continuat: perſeverantia non eſt niſi rara in materiâ amoris: amant homines in vitâ, ſed amor iſte terminatur in morte, nec divitiùs durat quàm tinnitus cymbalorum, nedum tunc meminerint ampliùs eorum quos dilexerunt. Is, eſt amor concupiſcentiæ, qui non intuetur niſi propria commoda, qui non ſubliſtit niſi in proſperitate, & qui deſinit eſſe in adverſitate, quanvis amor, ad hoc ut ſit verus, ſemper durare debeat, & ubique, ſicut deſidero vobis oſtendere in favorem animarum purgatorij. B. Virgo favebit conſilijs meis, ipſa quæ perfecta fuit amans, imò verò *Mater pulchræ Dilectionis* b, quam concepit *in utero* ſuo, poſtquam *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* c *Maria*.

a Calepin. in Diction. V. Chamæleon.
b Eccli. 24. 24.
c Luc. 1. 31. & 28.

Unio fidelium, quæ ex ijs facit corpus, ſicut Provinciæ Regni componunt illius Statum, qui non eſt niſi unus, cùm non regatur niſi ab uno Capite, quæ gubernatio monarchica, eſt perfectiſſima omnium; hæc, inquam, unio fidelium quam admiramur in hoc corpore, cauſare debet in eo communicationem; ſicut videmus quòd cœlum ſuas terræ communicat influentias, & terrâ admirabili providentiâ Omnipotentis mittit ad cœlum vapores è quibus ipſum format pluvias quæ ipſam fœcundant: &, quod admirabile eſt, id omne quod eſt in mundo, in naturâ, in gratiâ, & in gloriâ, eſt in communicatione: ſolus eſt infernus qui non habet commercium cum mundo, ſicut diviti epuloni cruciato *in flammâ, dixit Abraham, Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt* d. In omnibus alijs locis eſt intueri communicationem, & tres Eccleſiæ, triumphans e, militans f, & patiens g, non facientes niſi unum corpus, cùm non habeant niſi unum *Caput* † totæ tres, debent etiam habere magnam unionem, & conſequenter ingentem communicationem: ita ut, ſi Eccleſia militans gaudeat de victoriâ & de gloriâ Eccleſiæ triumphantis, ſi illa gratuletur iſti felicitatem ſuam, ſi ipſa dirigat vota ad Sanctos hujus, ſi mittat orationes ad incolas iſtius, & ſi eos honorat ſolemnitatibus & diebus feſtis, quas ipſa deſtinat ad memoriam meritorum eorum; Eccleſia triumphans etiam communicare debeat ipſi favores ſuos, intercedere pro filijs ejus, & impetrare gratias fidelibus illius, ad hoc ut victores exeant è palæſtrâ, & è militiâ cui nomen dederunt, ita ut continua ſit communicatio inter Eccleſiam militantem & Eccleſiam triumphantem, quæ reperiri debet etiam cum Eccleſiâ patiente, cùm totæ tres habeant idem Caput quod eſt Jeſus Chriſtus, & omnes fideles ſint *membra corporis ejus* h. Sic videmus quòd in oblatione mundâ Miſſæ, quæ *in omni loco offeretur nomini* i ejus, hoſtia ſacra dividitur in tres partes. Una eſt pro gloriâ Dei. Secunda pro utilitate viventium. Tertia pro allevamento animarum purgatorij. In quo magnam debemus admirari communicationem inter tres iſtas Eccleſias, ut diſcamus, Auditores, quòd nos qui ſumus in Eccleſiâ militante, laborare debemus in favorem Eccleſiæ patientis, inſumere ſuffragia noſtra, bona opera noſtra, commoda noſtra k ad afferendum refrigerium ardoribus hujuſmodi animarum patientium. Sic eſt, Auditores: hoc, eſt debitum noſtrum, & obligatio noſtra: non poſſumus niſi præ injuſtitiâ, & præ ſævitiâ recuſare auxilia noſtra his anima-

d Luc. 16. 24. &c.
e Iſai. 26. 15.
f Job. 7. 1.
g Malach. 3. 3.
† Epheſ. 1. 22.
h Epheſ. 5. 30.
i Malach. 1. 11.
k Tob. 12. 8. & 9.

Digitized by Google

bus: incumbere debemus earum allevationi, orádo & faciendo orari pro illis, lucrando indulgen-

l Sap. 7, 14. tias *l* in earum favorem. Uno verbo, Tenemur, prout Chriſtiani, & prout homines, compati miſerijs & doloribus earum, & hoc per tria motiva, quæ triplicem conſtituent diſcurſus iſtius portio-

Diviſio. nem. Primum motivum, eſt naturæ. Secundum, eſt charitatis. Tertium, eſt amicitiæ.

I. Pars. Neſcio quòd ſit aliquid magis proprium magiſque naturale homini, quàm compati miſeriæ ſimilis ſibi: propterea miſeratione commovemur audientes infortunium quod accidit alicui; & ſola narratio iſtius infauſti eventus qui contigit illi, provocat nos ad lacrymas, nedum requiratur ut oculi noſtri ſint illius teſtes ad hoc ut erumpant in fletus, qui ſint probationes moleſtiæ, quâ inde afficimur, ſic naturalis eſt compaſſio homini vidéri pati ſimilem ſibi. Res ejuſdem ſpeciei ſibi compatiuntur adinvicem, & vix intuemur in naturâ quòd porcus, qui eſt animal immundum, contritus in aliquâ ſui parte corporis, clamet, cùm ſtatim obſervamus quòd omnes alij qui ſunt in grege, eundem clamorem emittunt, ad teſtandum dolorem quem experiuntur ob moleſtium, quâ afficitur ſimilis ſibi: quòd ſi experientiâ quotidianâ cōprobamus iſtud in brutis; quomodo potiori ratione compaſſionem non collocabimus in homine, qui eſt nobiliſſimus & excellētiſſimus omnium animalium? Propter hanc rationem Athenienſes, ſicut refertur, pronunciabant areſta cōtra reos noctu, vel ex tranſverſis velis, ne compaſſio quam habuiſſent præſentiæ eorum, ipſos cōmovens, impediret ne eos punirent: nolebant illos videre, ne ſiſterent curſum juſtitiæ. Et antiqui Duces potentiora motiva non habebant ad excitandos Judices ſuos ad commiſerationem, quàm intuendum eis exhibere pectus ſuum cicatricibus affectum pro defenſione patriæ: ita verū eſt quòd non eſt aliquid magis naturale homini, quàm compati infortunio proximi ſui, & conari interventu curarum ſuarum eum ab illo educere. Mementote quòd, cùm Dei Filius *dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturā: Et reſpondens Simon, dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete: Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorū: Et annuerunt ſocijs qui erant in aliâ navi ut venirent & adjuvarent eos: Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur: Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens, Exi à me, quia homo peccator ſum Domine: Stupor enim circumdederat eum & omnes qui cum illo erant, in capturâ*

m Luc. 5, 4, &c. *piſcium quam ceperant* m: obſervat Evangeliſta, quòd *Simon Petrus procidit ad genua Ieſu*, viſo tanto miraculo. In quo videtur hic Apoſtolus agere contrarium rei quâ poſtulat verbis ſuis. Sed iſtud, eſt conſilium myſterioſum. Genua revocant in memoriam unicuique quòd ſit homo, & quòd ut ſic uti debet compaſſione & miſericordiâ erga ſimilem ſibi, *Genua à genu dicta, eò quod in utero cohæreant, & conjuncta ſint oculis*, ait S. Iſidorus *n*. Et

n S. Iſid. lib. 5. de Differēt. differ. 24. aliquātò antè præmittit, *Gene à genibus dicta, quia complicatum in utero gigni, formarique hominem dicunt, ita ut genua ſurſum ſint quibus oculi formentur, ut cavi ac reconditi fiant: ideòq́, & qui alicujus lacrymas elicere cupiunt, genua tangunt ac deprecantur, quòd in utero formaverint oculos atque nutrierint*. Et hoc eſt conſilium S. Petri, quaſi diceret Salvatori, Domine prout homo, cùm proprium ſit homini adjuvare ſimilem ſibi, miſerere mei; eſto mihi favorabilis, cùm naturale ſit homini alienæ compati miſeriæ, & per hanc compaſſionem cognoſcatur eſſe homo. Re autem verâ, Auditores, ſi Dei Filius, *Verbum caro factum* o, voluit oſten- *o Joan. 1, 14.*

dere ſe verum hominem contra quoſdam Hæreticos, qui temerè ſuſtinebant quòd non ſumpſiſſet niſi corpus phantaſticum, aut quòd tota humanitas eſſet abſorpta in Divinitatem, quid eſt quod ipſe egit? Teſtatus eſt compaſſionem, ploravit, ſuſpiravit, & gemuit in morte Lazari, *Infremuit ſpiritu, turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt Ieſus*, ait S. Joannes *p*. Et Dionyſius Carthuſianus *q* poſt *p Joan. 11, 33. & 35.*

eum, *Notanter itaque ait Evangeliſta, quòd Ieſus turbavit ſeipſum, ad inſinuandum quòd poteſtativè, non ſolito more aliorum, orta ſint in ipſo turbatio talis*. Eſt enim eſſe hominé, ac compati alienæ miſeriæ. *q Dion. Carth. art. 28. in Joan. 11, 33. & 35.*

Ad confirmationem veritatis iſtius, obſervate quòd cùm idem *juſſit Ieſus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas: Et dimiſſâ turbâ, aſcendit in montem ſolus orare: Veſpere autem facto ſolus erat ibi: navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus: Quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare; videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes, Quia phantaſma eſt*. r. Quaſi dicerent, *r Matth. 14, 22.*

Non eſt Dominus noſter: compateretur enim infortunio noſtro, & nos eriperet à periculo naufragij, cui ſumus expoſiti, præbendo nobis auxilium ſuum: *Quia phantaſma eſt, id eſt, apparentia rei non exiſtentis, quod eſſe videtur*, ſubdit idem Carthuſianus *s*. Cùm videretur Dei Filius tranſire, nedum tamen ſuos diſcipulos in diſcrimen adductos adjuvaret, conſiderate quomodo ijdem diſcipuli raciocinantur & inferunt, quòd homo qui non miſeretur ſimilis ſibi in naturâ, non meretur nomen hominis, cùm proprium homini ſit compati: aliter ergo agere, non eſt eſſe hominem, ſed phantaſma. Heu! Auditores, quod phantaſmata in Chriſtianiſmo, quàm pauci ſunt qui verè ſunt homines, licèt hominum faciem præ ſe ferant. Indigerem laternâ Diogenis, & vix aliquos invenire poſſem: omnes illi qui nobis apparēt homines, non ſunt tales niſi apparēter, & æquivocè, phantaſmata ſunt, & non homines, cùm non habeant compaſſionem, quæ eſt comes individua humanitatis. Chariſſimæ ſorores veſtræ, id eſt, animæ languentes in purgatorio, Auditores, efflagitant à vobis auxilium, ad vos clamant ut compatiamini miſerijs ipſarum, ut allevamentū paſſionibus ſuis & refrigerium ardoribus ſuis afferatis, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltē vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* t. Et tamen quis ex vobis præbet aurem clamoribus earum? vel ſi audit illas clamantes, quis compatitur earum dolori, & conſequenter ſatagit vacare bonis operibus in gratiam illarum, ſuaque ſuffragia illis applicare, ut à pœnis ſuis liberentur, vel allevētur? Quiſ- *s Dion. Carth. art. 27, in Matth. 14, 26.* *t Job. 19, 21.*

nam ſolicitus eſt de confringēdis earum catenis, & de procurādâ eis libertate? Quis? Nemo. Nullus eſt in vobis affectus miſericordiæ: ergo nulla eſt in vobis humanitas. Iſta mulier habet maritū ſuum in purgatorio à decem, viginti, & triginta annis, & tamen ipſa non habet illius memoriam, quam ipſa perdidit *cum ſonitu* u cymbalorū: quòd *u Pſ. 9. 7.*

ſi ipſa recordatur adhuc ejus, nullo modo compatitur ei, cùm non ſatagat celebrandum vel unicam Miſſam in favorem illius, cùm ipſa nullam eroget buccellam panis pauperibus intuitu ejus, cùm ipſa non peragat opus ullum bonum ſatisfactorium, quod ei applicet.

Eſtne

Digitized by Google

Eſtne iſtud habere humanitatem, eſſe hominem? Nequaquam: *Phantaſma eſt*, non autem homo quia recedit à ſpecie. Idem dico ego de hoc filio qui habet patrem ſuum in flammis, de hâc filiâ cujus mater eſt in pœnis, & de hoc hærede cujus benefactor doloribus cruciatur inexplicabilibus in alterâ vitâ, qui renuunt eis porrigere manum auxiliatricem ad hoc ut exeant ex iſto ergaſtulo Juſtitiæ Divinæ punitivæ. Unuſquiſque ex illis *phantaſma eſt*, & non homo, cui proprium eſt compati miſeriæ ſimilis ſibi, & ſuos inſumere conatus ad educendum illum ex eâ. Quod induxit S. Auguſtinum x ad exclamandum voce contentâ, *Clamat porcus, & omnes cum eo clamare non ceſſant: cadit aſinus, & omnes eum ſublevare feſtinãt: ſed clamat in tormentis fidelis, & non eſt qui reſpondeat. Ecce veſtra inhumanitas, Fratres.* Hiccine eſt modus procedẽdi hominis, cui non eſt aliquid magis proprium quàm humanitas & compaſſio? Nequaquam: *Phantaſma eſt*. Homo verè homo procurare debet liberationem miſerorum, & in eam inſumere vel proprias cogitationes ſuas. In cujus probationem, cùm *erat Habacuc Propheta in Judæâ, & ipſe coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo: & ibat in campum ut ferret meſſoribus*, dixit *Angelus Domini ad Habacuc, Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. Et dixit Habacuc, Domine, Babylonem non vidi, & lacum neſcio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui* z. Sed quare Angelus detulit Prophetam capillis ſuis? Quia, ſicut ait Dionyſius Carthuſianus z, *Spiritualiter, capilli ſunt cogitationes, affectioneſque animæ: quæ ſi bonæ & charitativæ fuerint, non carebunt beatitudinis præmio.* Ut oſtenderet, quòd cùm agitur de charitate proximo noſtro impendendâ, non ſolùm in eum inferendũ eſt auxilium noſtrum, ſed ad illum currere debemus pedibus, imò verò volare cogitationibus, ut educamus illum ex infortunio, cui immerſus eſt. Si autem aliter agamus, reddimus nos prorſus indignos nomine hominis, quod ſola miſericordia & compaſſio nobis tribuit.

x S. Aug: ſerm: 44. ad FF. in Erem:

y Dan: 14. 32, &c.

z Dion: Carth: art. 44, in Luc: 21, 38.

II. Pars. Secundum motivum compaſſionis erga animas purgatorii habendæ, quod nos inducere debet ad porrigendam eis manum auxiliatricem ad hoc ut educamus illas è pœnis ſuis, eſt motivum charitatis. Omnes nos ſumus membra ejuſdem corporis myſtici, cujus Jeſus Chriſtus eſt Caput, *Quia membra ſumus corporis ejus* a. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* b. Debemus igitur nobis compati adinvicem, ſicut agunt corporis naturalis membra, cùm, prout ait Apoſtolus c, *pro invicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur unum membrum: compatiuntur omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, et membra de membro.* Si pedi vulnus infertur, ſi ei ſpina configitur, ſpina dorſi ſe incurvat, oculi ſe deprimunt ad illum intuendum, cor afficitur dolore proptèr hoc infortunium, os de eo queritur, manus fertur deorſum ut illam inde trahat ſpinam, tandem, omnia membra compatiuntur huic membro afflicto, & ſuas impendunt operas ad allevamentum & curationem partis iſtius læſæ: in Chriſtianiſmo ſumus omnes ejuſdem corporis membra, quorum unio fide peragitur, cùm habeamus omnes eandem fidem, quæ nos unit Deo: *Una fides* d. Et, *Habentes eundem ſpiritum fidei*, dicit S. Paulus e. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus f, *Per ſpiritum fidei, intelligenda eſt ipſa fides, vel gratia ſeu motio fidei, quæ una et eadem eſt, in his qui ante adventum Chriſti fuerunt, et in poſterioribus, quãnvis ſit modò magis explicita.* Hæc autem unio non habet pondus ſuum niſi per charitatem, quæ nos obſtringit ad adjuvandos eos qui ſunt in neceſſitate conſtituti, non ſolùm deſiderio, ſed effectivè concurrendo ad impendendam eis opem neceſſariam. Scimus, Auditores, quòd animæ fratrum noſtrorum, qui ſunt membra corporis ejuſdem, cujus Jeſus Chriſtus eſt Caput, ſunt in ignibus & flammis: heu! nunquid non compatiemur eis? nonne conabimur afferre refrigerium pœnis hujuſmodi animarum? Charitas nos obſtringit ad impendendum eis hoc miſericordiæ officium, & Deus nobis iſtud expreſsè præcipit, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum* g.

a Epheſ. 5, 30.

b Coloſſ. 1, 18.

c 1, Cor. 12. 25. &c.

d Ephеſ. 4. 5.

e 2, Cor. 4. 13.

f Dion. Carth. art 4. in 2. Cor 4. 13.

g Matth. 22, 39.

Deus vult omnium ſanctificationem, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, dicit nobis S. Paulus h. Atqui vult eam per media magis idonea quæ ſunt virtutes; & per eas ſanctificamur, & omnium virtutum excellentiſſima eſt charitas. Fides jacit fundamenta, ſpes ea elevat, charitas verò coronam imponit: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas*, ait S. Paulus i. Et poſt eum Cornelius k, *Nunc, id eſt, adhuc, ſcilicet in præſenti vitâ. Clarè enim hoc capite docet Paulus fidem, ſpem, et charitatem hìc manere, ſed in patriâ ſolam charitatem.* Et aliquantò antè ſuper hæc verba ejuſdem S. Pauli, *Charitas nunquam excidit*, ait, *Non intermoritur, nunquam ceſſabit, cætera dona in gloriâ cæleſti ceſſabunt.* Fides non ingreditur cœlum, quia Deus videtur ibi *facie ad faciem* l. Spes nullum habet ibidem locum, quia Beati fruuntur ibi eodem Deo, juxta prædictionem Iſaiæ m, *Et redempti à Domino, venient in Sion cum laude; et lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium et lætitiam obtinebunt.* Et ſecundùm expoſitionem Pinti n, *Per Sion intellige Eccleſiam triumphantem, ubi Beati Deo fruuntur, et æterno gaudio replentur.* Sed charitas illuc intrat, ut patet ex prædictis, nos unit Deo, qui eſt noſtrum *Principium, et Finis* o noſter: facit nos illum cognoſcere, & diligere, *Hæc eſt autem vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum* p, aiebat Dei Filius, Patrem ſuum alloquens. *Ex his conſtat, quòd beatitudo conſiſtit in actu intellectus eſſentialiter ac directè, ita quòd contemplatio ſumma ac prima Veritatis clara et immediata, eſt eſſentia beatitudinis, ſeu ipſa fœlicitas: tamen inquantùm contemplatio habet fruitionem adjunctam. Non enim cognitio ſine dilectione atque fruitione perfecta eſt*, ait Dionyſius Carthuſianus q. Atqui non poſſumus meliùs exercere hanc virtutem charitatis, quàm adjuvando animas purgatorii, cùm eruentes eas è pœnis iſtius carceris ignei, collocemus illas in paradiſo, & faciamus ut Deus cognoſcatur, & diligatur ab illis. Quænam charitas! nunquid non ipſa eſt in excellentiâ ſuâ, cùm ipſa ſibi devinciat has animas, & aliquo modo Deum qui ab eis inde cognoſcitur, & diligitur?

h 1. Theſ. 4. 3.

i 1, Cor. 13, 13.

k Cornel. in 1, Cor. 13. 13. & 8.

l 1, Cor. 13, 12.

m Iſai. 35, 10.

n Pintus in Iſai. 35 10.

o Apoc. 1, 8.

p Joan. 17, 3.

q Dion; Carth. art. 41, in Joan. 3, 17.

Refertur de quodam milite, quòd præbere volens ſuæ ſpecimina magnanimitatis, irruit in medios cæco impetu hoſtium cuneos, exponens ſe manifeſto mortis incurrendæ periculo. Im-

perator monitus modi procedendi illius, præcepit eum citari coram ſe, & damnatâ illius temeritate, fecit illum flagellari ad eum puniendum, ne alii milites eodem modo ſe gererent; ſed poſteà coronavit eum propriis manibus, inde puniens ipſius temeritatem, & hinc remunerans ipſius magnanimitatem: Deus eodem modo ſe gerit erga animas purgatorii: quia *non intrabit in* Jeruſalem cœleſtem *aliquod coinquinatum* r, & iſtæ animæ commiſerunt aliquas culpas leves, Deus ipſas damnat ad pœnas, purgans eas, *&* colans *quaſi aurum & quaſi argentum* s. Sed poſteà ponit earum, prout Sponſarum ſuarum, *in capite coronam de lapide pretioſo* t. Cùm triumphaverint de vitio, & generosè ſe geſſerint: nos autem interventu ſuffragiorum noſtrorum promovemus illarum fœlicitatem.

r Apoc: 21, 27.
s Malach: 3, 3.
t Pſ: 20, 4.

Iſtud officium, eſt actus juſtitiæ, ideòque debemus eis auxilium, cùm id omne quod eſt propter conſervationem alicujus præcepti, cadat ſub idem præceptum. Tenemur diligere *proximum* u noſtrum: ergo tenemur ſuccurrere ei in neceſſitate conſtituto: & licèt hoc, ſit actus charitatis, eſt etiam actus juſtitiæ, cujus debitores ſumus ei, *Quia membra ſumus corporis* x ejuſdem. Sed quis eſt noſter proximus? Obſervate, ſi placet, quòd datur propè, propior, & proximus. Omnes homines mihi ſunt propè; ſed illi qui ſunt in plateâ; mihi ſunt propiores; illi verò qui ſunt in iſto templo, ſunt mihi proximi. Admittitur etiam proximus loco, proximus ſanguine, proximus affinitate, proximus conditione, & proximus conformitate. Proximi loco, ſunt illi qui ſunt in civitate N. Proximi ſanguine, ſunt illi qui nati ſunt ex eâdem progenie. Proximi affinitate, ſicut illi qui ſunt uniti ſanguine: per Matrimonium enim conſummatum contrahitur aliqua propinquitas cum ſanguineis conjugum, quæ impedit Matrimonium. Proximi conditione, ut duo divites, iiſdem dignitatibus præſtantes; & ſic pauper non eſt proximus diviti, ſed ambo valdè ſunt remoti; mendicus non eſt proximus Magiſtratui, cùm iſte honore fulgeat, ille verò deſpectui habeatur. Proximus conformitate, ſic homo propè eſt cœlis, aſtris, planetis, & cæteris creaturis, ſed conformitate proximus alii homini: propè eſt conformitate cœlis, & aſtris, quia habet eſſe ſimplex cum illis: propior conformitate plantis, quia ultra eſſe ſimplex habet cum eis eſſe vegetativum: propior animalibus, nam ultra eſſe ſimplex, & eſſe vegetativum habet cum iſtis eſſe ſenſitivum: propior Angelis; habet enim cum ipſis eſſe intellectivum: ſed proximus homini, quia habet eſſe ſimplex, vegetativum, ſenſitivum, intellectivum, ſeu rationale, ſicut ipſe, eandem naturam, & eaſdem qualitates: ideòque tenetur eum diligere: hic autem amor non ſolùm ſitus eſt in volendo aut deſiderando ei bonum, ſed in benefaciendo illi effectivè cùm vires ſuppetunt. Conformiter ad hoc, acceſſit aliàs ad Dei Filium *quidam Legiſperitus, tentans illum, & dicens, Magiſter, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum, In lege* x *quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ille reſpondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ: & proximum tuum ſicut teipſum. Dixitque illi, Rectè reſpondiſti, hoc fac, & vives. Ille autem volens juſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum. Et quis eſt meus proximus? Suſcipiens autem Ieſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. Accidit autem ut Sacerdos quidam deſcenderet eâdem viâ: & viſo illo præterivit. Similiter & Levita cùm eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum, & videns eum, miſericordiâ motus eſt. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & imponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam ejus egit. Et alterâ die protulit duos denarios, et dedit ſtabulario, et ait: Curam illius habe: et quodcunque ſupererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Ieſus, Vade et tu fac ſimiliter* y. Quòd ſi eſſe proximum, eſt compati & ſuccurrere in neceſſitate, & benefacere, quod eſt effectivè amare: heu! Auditores, animæ purgatorii ſunt in extremâ neceſſitate: Deus nobis præcipit ut diligamus eas, cùm ſint contentæ ſub præfato dilectionis mandato, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Debemus igitur eis procurare bonum ſicut nobis ipſis. Quid vellemus fieri nobis in ſimilibus occaſionibus? ut darentur nobis divitiæ in paupertate, ſanitas in infirmitate, & auxilium in neceſſitate? Non ſufficit ut dentur nobis officia, honores, & dignitates; requiritur aliquid amplius, ut procurentur nobis fortunæ, proſperitates, & promotiones. Sed iſtud non eſt ſatis: debemus etiam velle gratiam Dei, amorem ejus, gloriam illius. Quid debemus procurare animabus purgatorii? ſanitatem, honores, divitias? Ipſæ iſtis non indigent. Gratiam Dei? Ipſæ fruuntur eâ. Quid igitur? Ipſarum liberationem à pœnis ſuis interventu ſuffragiorum noſtrorum, & fruitionem gloriæ. En amor effectivus, quem debemus eis, qui eſt actus juſtitiæ, & charitas nos obſtringit ad exhibenda eis hæc bona officia, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Quia hâc actione meremur, & ex ipſâ utilitatem ſumimus. Deus nihil debet nobis ex juſtitiâ: ſi tribuit nobis aliquid, ideò quia ipſemet ſe ad illud obſtrinxit verbo ſuo & dilectione ſuâ. *In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed et iis qui diligunt adventum ejus*, aiebat S. Paulus z. Atqui intercedendo pro Defunctis, meremur, quoniam veluti nobis devincimus glorioſiſſima attributa Dei, magnitudinem ipſius, bonitatem, & juſtitiam. Magnitudinem, quæ agnoſcitur ab his animabus. Bonitatem, cui proprium eſt ſe communicare, *Bonum eſt diffuſivum ſui* a. Atqui per nos Deus ſe communicat iſtis animabus, dans illis gloriam ſuam. Et juſtitiam, quia ipſa videns ſibi ſatisfactum, ſibi complacet in videndâ ſe veluti nobis addictâ: quemadmodum V. g. ſi detineretis hominem in carcere propter aliquod debitum, & alius vobis ſolveret illud debitum, cui ſolvendo non eſt ille debitor; ille qui ſolveret vobis tale debitum, ſibi devinciret & vos qui eſtis creditores, & illum qui eſt debitor, qui ſic in libertatem rediret: ſic juſtitiæ Dei fit ſatis, iſtæ animæ debebant ei, & non habebant unde ita citò debita ſua illi ſolverent; nos autem ſatisfacimus ei interventu bonorum operum noſtro-

u Matth: 22, 39.
x Epheſ: 5, 30
x ex Deut: 6, 5.
y Luc: 10 25, &c.
z 2. Timoth: 4. 8.
a S. Dionyſ: lib: de Div: Nom: c. 4.

noſtrorum. Præterea, Nobis velut addicimus totam SS. Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Patrem, quia opifex non malè excipit opera ſua, niſi invitus, & Pater non punit filios ſuos niſi ægiè. Filium, quoniam ſanguis ipſius applicatur, & redditur efficax in favorem iſtarum animarum. Et Spiritum ſanctum, qui eſt Sanctificator *b*, videndo has animas purificatas & ſanctificatas.

b 1. Cor. 6, 11.

III. Pars.

Tertium motivum, quod nos inducit ad adjuvandas animas purgatorii, eſt motivum amicitiæ. *Omni tempore diligit qui amicus eſt*, ait Salomon *c*. Non ſicut *amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis* d. Et non prout *amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis* e. Sed *omni tempore*. Id eſt, in adverſitate, æquè ac in proſperitate; à longè, æquè ac propè; hyeme, æquè ac æſtate; in ſenectute, æquè ac in juventute; non ſolùm in vitâ, ſed etiam in morte, & poſt mortem, ſicut Jeſus Chriſtus amicum ſuum Lazarum. In vitâ, *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem ejus Mariam, & Lazarum* f. In infirmitate, *Lazarus infirmabatur. Miſerunt ergo ſorores ejus ad eum, dicentes, Domine, ecce quem amas, infirmatur*. In morte, & poſt mortem, *Venit itaque Ieſus, & invênit eum quatuor dies jam in monumento habentem. Et lacrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum*. Sed meliùs viſi fuiſſent loqui, ſi dixiſſent, *Ecce quomodo amat eum*. Quia Jeſus *diligit omni tempore*.

c Prov. 17, 17.
d Eccli. 6, 8.
e Eccli. 6, 10.
f Joan. 11, 3, &c.

Verus amicus tripliciter manifeſtatur. Primò, Si non expellat amicum è corde, ut ibi collocet alium: non enim eſt ampliùs amare ac eo modo ſe gerere, & hic procedendi modus eſt excidium veræ amicitiæ. Secundò, Amicitia oſtenditur in proſperitatibus, cùm quis eſt evectus ad honores & dignitates, & tunc amicum reſpicit eodem oculo, & manet in eodem ſtatu æqualitatis: nam, ut ait Proverbium, *Honores mutant mores*. Pincerna Pharaonis erat ex hoc genere amicorum, nam cùm detineretur in cuſtodiâ cum Joſeph, & prædixiſſet ipſi idem Ioſeph, *Tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te in gradum priſtinum: tantùm memento mei, cùm tibi benè fuerit, & facias mecum miſericordiam: ut ſuggeras Pharaoni ut educat me de iſto carcere: tamen ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui* g. S. Petrus in Lege gratiæ, conſcius eſt iſtius defectus; nam cùm ipſummet *aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos; & reſplenduit facies ejus ſicut Sol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Petrus, dixit ad Ieſum, Domine, bonum eſt nos hîc eſſe* h. In hoc ſtatu proſperitatis obliviſcitur Coapoſtolorum ſuorum, reſervans ſibi hunc favorem. Tertiò, Verus amicus apparet quis, ſi diligit in afflictionibus: tunc enim tempus eſt eclypſeon in materiâ amicitiæ,

g Gen. 40, 12, &c.
h Matth. 17, 1, &c.

Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Sicut in proſperitate nullus eſt qui ſua nobis non offerat obſequia: ſic in adverſitate nemo eſt qui terga nobis non vertat. In tranquillitate, S. Petrus Salvatori dixit, *Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire* i. Sed in tempeſtate, dereliquit illum cum ſociis ſuis, & illum negavit, *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt* k. *At ille negavit eum* l. Hoc non eſt verè amare, ac eo modo ſe gerere, hoc eſt diligere ſeipſum, non amicum, cùm is deſeratur ad minimum infauſtum eventum, qui eſt coticula veræ amicitiæ, *Frater in anguſtiis comprobatur*, ait Salomon *m*. *Id eſt, in adverſitatibus & indigentiis patet an quis fraternaliter diligat proximum ſuum, quia ſi tunc deſerat eum, non eſt ſincerus ejus amator*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *n*. Et, ut legit alia litera, *in anguſtiis naſcitur*. Cùm mulier aliqua prægnans eſt, nemo ſcit quidnam ſit illa paritura, an monſtrum, vel aliquid aliud quod lætitiam domui afferat: expectandum eſt tempus partus ejus, ad hoc ut inde juſto poſſit unuſquiſque perfundi gaudio: idem eſt dicendum de afflictione; ipſa eſt bona mater quæ nobis parit verum amicum: proſperitas non ſinit ut cognoſcatur quis ſit verus amicus: non videntur ubique niſi apparentiæ, & proteſtationes obſequiorum, adulatoria verba, ſed quæ effectus non ſequuntur. Si uxor, viro ſuo mortuo, non cogitat ampliùs de illo, ſi in corde ſuo locum dat alicui alii amico, non habet ampliùs amicitiam; ſi ipſa obliviſcitur illius in infortunio ſuo, ſi ipſa negligit eum in ignibus & flammis purgatorii, ubi cruciatur, ut ſatisfaciat juſtitiæ Dei punitivæ pro pœnâ peccatis ſuis debitâ, ſi in hâc afflictione quæ eſt extrema, ipſa deſerit illum, ipſa violat leges amicitiæ. Si filius deſpicit patrem ſuum, cui poſt Deum addictus eſt pro omni eo quod ipſe eſt, & quod ipſe habet, & deſerit eum in pœnis, ſi propinquus de amico ſuo non eſt ſolicitus, & ſi hæres non recordatur benefactoris ſui, à quo tot bona ſuſcepit, nemo ex iſtis præ ſe fert amicitiam, ſed odium, ſed barbariem, ſed crudelitatem, ſed inhumanitatem, ſed ingratitudinem criminoſam, quæ in naturâ eſt teterrima omnium criminum, *Omni tempore diligit qui amicus eſt* o. Sed heu! quàm pauci reperiuntur in mundo hujuſmodi veri amici, qui diligant omni tempore, in adverſitate, æquè ac in proſperitate, hi ſunt æquè rari ac phœnices, quos vix ſingula ſecula nobis ſemel producunt: ideòque Defuncti qui ſunt in purgatorio, jure merito queri poſſunt, videntes ſe derelictos in ſuppliciis; nedum ipſis compatiatur aliquis, nedum ullus ex illis qui gloriabantur aliàs ſe ipſos diligere, ſuffragia ſua impendant ad ipſorum ſublevationem, cùm ipſis renuant & memoriam ſuam, & auxilium ſuum. Ipſi non poſſunt ampliùs dicere præ veritate, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* p. Ipſi nullos habent ampliùs amicos in mundo, quos experiuntur ut tigrides & ſaxa ſine compaſſione & ſine affectu: ſed ſolùm dicere poſſunt Deo in derelictione ſuâ, *Reſpice in me, & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego* q. Heu! *Unicus, id eſt, ſolus, & præter te adjutorem ac miſeratorem non habeo* r. Sine amicis è tot amicis, nullus eſt mihi amicus, nemo eſt qui compatiatur infortunio meo, & qui interventu ſuffragiorum & bonorum operum ſuorum refrigerium ſatagat meis ardoribus afferre; à pœnis, quibus crucior, me liberare, & aditum mihi ad gloriam aperire.

i Luc. 22, 33.
k Matth. 26, 56.
l Luc. 22, 57.
m Prov. 17, 17.
n Dion. Carth. art. 17, in Prov. 17, 17.
o Prov. 17, 17.
p Job 19, 21.
q Pſ. 24, 16.
r Dion. Carth. in hunc locum.

Educamus, Auditores, ex toto iſto diſcurſu duas reflexiones, juxta morem noſtrum conſuetum, primam pro nobis, alteram verò pro animabus purgatorii. Pro nobis, Cùm ſicut diximus, unio perfecta quæ eſt in Chriſtianiſmo, nos faciat membra corporis ejuſdem, cujus Jeſus Chriſtus eſt Caput, *Quia membra ſumus corporis ejus* s, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* t, & verè dicere poſſimus ſinguli cum Pſalmiſtâ u, Deo, *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*. Et cum Dionyſio

s Epheſ. 5, 30.
t Coloſſ. 1, 18.
u Pſ. 118, 63.

Car-

Digitized by Google

x Dion. Carth. in Pſ. 118, 63. — y ex Sap. 7, 14. — z 1. Cor. 10, 24. & 17. — a ex Joan. 17, 20. &c. — b Joan. 17, 11. — c Ezech. 18, 4. & 20.

Carthuſiano x, *Particeps ego ſum omnium timentium te timore caſto & filiali, & cuſtodientium mandata tua: Omnes enim in gratiá exiſtentes ſunt unum in Chriſto propter vinculum charitatis, quâ connectuntur, nec quæ ſua ſunt quærunt, ſed quæ aliorum: Idcircò meritum unius redundat in alium, inquantùm ſe mutuò juvant; & unum per dilectionem exiſtunt: Hinc enim indulgentia y efficaciam ſortiuntur, quoniam propter unitatem Capitis atque membrorum, videlicet Chriſti & Chriſtianorum membrorum, id eſt fidelium inter ſe communicatur, & cooperatur nobis meritum Chriſti, atque Sanctorum. Ob hanc enim participationem, communionem, & unitatem myſticam Electorum in Chriſto Apoſtolus z admonet, Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius: Et rurſus, Unus panis, & unum corpus multi ſumus: Hinc etiam Chriſtus orat, Rogo Pater ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut ſint conſummati in unum* a: *Et item, Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi; ut ſint unum ſicut & nos* b: & hæc unio hat ſpecialiter per fidem formatam, ſeu animatam charitate, quæ nos unit Capiti noſtro, cùm charitas vitam tribuat fidei noſtræ, ſicut anima noſtra vitam largitur corpori noſtro; debemus ergo ſollicitè cuſtodire gratiam, & cavere à peccato, quod eſt illius deſtructio, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* c. Cùm peccatum inferat iſtā mortē illis.

Pro animabus purgatorii, Obſervare, ſi placet, quòd iſtæ tres Eccleſiæ, triumphans, militans, & patiens, non faciunt niſi unum corpus. Inter ipſas magna debet eſſe unio, & ingens commercium: Eccleſia triumphans cœli, ſuum impendere debet auxilium Eccleſiæ militanti terræ, & hæc adjuvare ſuffragiis ſuis Eccleſiam patientem purgatorii, conando bonis operibus & ſuffragiis filiorū ſuorum, ſublevare animas in eâ languentes, afferendo refrigerium ardoribus illarum, & porrigendo eis manum auxiliatricem ad reſtituendas eas in libertatem, educendo illas ex iſto carcere, ubi Divina Juſtitia punitiva exercetur adverſùs illas cum tantâ ſeveritate, reddendo illas participes ſatisfactionum noſtrarum ad hoc ut Divina Miſericordia faciat eas exire è flammis, quibus ipſæ cruciantur. Heu! Auditores, ne renuamus illis impendere miſericordiā ſpiritualem conſtitutis in extremâ neceſſitate, ne ipſæ jure merito queri poſſint de ingratitudine noſtrâ, & inſimulare nos inclementiæ & ſævitiæ, ſi obliviſcamur ipſarum ad extremas miſeriarum anguſtias redactarum, & ne de nobis dicant, ſicut dicebat Dei Filio *quidam homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſuá, languidus, Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam* d. In neceſſitate noſtrâ, & in impotentiâ noſtrâ adjuvandi nos ipſas, nullus eſt amicus, nullus propinquus, nullus ex illis quos ſic vehementer nobis devinximus in mundo, qui nobis auxiliatricem manum porrigat ad educendas nos è pœnis noſtris, & ad nos adjuvandas, ut citiùs perveniamus ad gloriam, ad quam ſuſpiramus. Heu! Auditores, ne ſimus eò uſque crudeles, ut denegemus eis ſuffragia noſtra, compatiamur miſeriis illarum: natura, & charitas, quæ nobis providet eandem occaſionem meritorum, & amicitia, requirunt à nobis iſtud officium miſericordiæ: excipiemur, ſicut excepimus alios, *In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis* e, ait nobis Dei Filius. Si utamur miſericordiâ erga languentes iſtas animas, quæ requirunt ſuffragia noſtra ad hoc ut exeant è pœnis ſuis, Deus ſe favorabilem monſtrabit erga nos, id eſt, nobis *gratiam & gloriam dabit Dominus* f.

d Joan. 5, 5. & 7. — e Matth. 7, 2. — f Pſ. 83, 12.

SEPTIMA DIE INFRA OCTAVAM COMMEMORATIONIS DEFUNCTORUM.

Pro hac orabit omnis Sanctus in tempore opportuno. Pſ. 31. 6.

a Hebr. 11, 1. — b 1. Joan. 3, 2. — c Iſai. 35. 10 — d Pintus in Iſai. 35, 10.

ILle locutus eſt appoſitè qui dixit, quòd in cœlo duntaxat reperiretur ignis, & quòd in iſto mundo non haberemus niſi parvas illius ſcintillas, cùm in Empyreo ſint fornaces integræ: & ſicut ignis meliùs conſervatur in fornacibus, quàm cùm eſt circumquaque diſperſus; ſic charitas quæ eſt verus ignis, eſt integra, & perfecta in cœlo, quandiu non habemus in terrâ niſi exiguam ipſius portionem. Habemus hîc fidem, ſpem, & charitatem, tres virtutes Theologicas nobis Divinitùs infuſas. Fide credimus id quod non videmus, *Eſt autem fides rerum argumentum non apparentium* a. Sed in cœlo nulla eſt fides, ipſa non ingreditur illuc, *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, ait nobis S. Joannes b. Spes non eſt in Empyreo, quia Beati fruuntur ibi eo objecto beatifico, quod ſperabant, *Et redempti à Domino, venient in Sion cum laude & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt*, ait Iſaias c. Et poſt eum Pintus d, *Per Sion intellige Eccleſiam triumphantem, ubi Beati Deo fruuntur, & æterno gaudio replentur.* Sola charitas ibi reperitur in perfectione ſuâ: hîc ipſa eſt inchoata, ſed ibi ipſa eſt conſummata, *Charitas nunquam excidit*, ait S. Paulus e. Id eſt, ſubdit Cornelius f, *Non intermorietur, nunquam ceſſabit, cætera dona in cœleſti gloriâ ceſſabunt.* Et ſuper hæc ſequentia ejuſdem S. Pauli verba, *Nunc autem manent fides, ſpes charitas, tria hæc major autem horum eſt charitas*, dicit, *Nunc, id eſt, adhuc, ſcilicet, in præſenti vitâ. Clarè enim hoc capite docet Paulus, fidem, & charitatem hîc manere, ſed in patriâ ſolam charitatem. Ita Patres. Major, id eſt, maxima, eſt charitas.* Et poſt iſtas præclaras charitatis laudes, ex Beroaldo addit, *Quod eſt in navigio Gubernator; quòd in civitate Magiſtratus, quod in mundo Sol; hoc inter mortales eſt amor. Navigium ſine Gubernatore labaſcit, civitas ſine Magiſtratu periclitatur, mundus ſine Sole tenebricoſus efficitur; & mortalium vita ſine amore vitalis non eſt. Tolle ex hominibus amorem, Solem è mundo ſuſtuleris. Venuſtè Plautinus ſenex amorem appellat Deum mundicantē, id eſt, omnia munda & elegantia reddentem, inquit Beroaldus.* Cœlum eſt Regnum dilectionis, & ſi Deus nobis teſtari voluit quam vehementer nos diligeret, oportuit ut exiverit *à Patre, & in mundum venerit* g incarnatum ſe *in utero* Virginis eo momento, quo *ingreſſus Angelus, ad eam dixit, Ave* h *Maria.*

e 1. Cor. 13, 8. — f Cornel. in 1. Cor. 13, 8. & 13. — g Joan. 16. 28. — h Luc. 1. 31. & 28.

Ex

Ex univerſis rebus quæ conducunt ad humanã vitam, utiliſſimam & maximè neceſſariam dico eſſe amicum, non talem qualem, ſed verum & fidelem amicum. Sic eſt, Dominæ meæ: non loquor de his falſis amicis, qui non merentur nomen amicorum, cùm verorum amicorum non poſſideant effectus; quippe qui non diligunt vos, niſi ſicut corvi amant cadavera, & qui ſæpè ſæpiùs diviſionem invehunt in Matrimonium veſtrum, in quo Deus ipſemet unionem ſtabiliverat, quam reddere debebatis indiſſolubilẽ ſanctis & legitimis affectibus veſtris: loquor igitur de vero & fideli amico, aſſerens quòd non eſt eo quid utilius & magis neceſſarium vitæ humanæ, *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum invenit theſaurum*, dicit Eccleſiaſticus i. Sicut enim theſaurus nobis utilis eſt ad hoc ut occurramus omnibus neceſſitatibus, ſic utimur vero amico in omnibus occaſionibus. *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis*, proſequitur idem Salomon. Non eſt aliquid eo pretioſius, nec aliquid illo rarius. Ubinam autem reperire poſſumus illum in mundo, in quo amici non ſunt minùs rari quàm ſit Phœnix, quem vix ſingula ſecula nobis ſemel producunt; & in quo non videntur niſi amici falſi, & propriis commodis inhiantes; amici apparentes, qui non ſunt amici niſi in proſperitate, & qui evaneſcunt in adverſitate? *Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis*, ait paulò antè idem Sapiens. Non ſunt igitur in iſto mundo quærendi veri amici, ſed in cœlo, ubi verè reperiuntur: ſumere debemus Sanctos in amicos noſtros, cùm ſint fideles, ſint veri, & ſemper amplectantur cauſam noſtram, & noſtris commodis invigilent promovendis. *Dilectus Deo & hominibus Moyſes, cujus memoria in benedictione eſt* k, erat fidelis & verus amicus. Nam poſtquàm eundem *locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus, quem eduxiſti de terrâ Ægypti: receſſerunt citò de viâ, quam oſtendiſti eis: feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes hoſtias, dixerunt, Iſti ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti: Rurſumque ait Dominus ad Moyſen, Cerno quòd populus iſte duræ cervicis ſit: dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam: Moyſes orabat Dominum Deum ſuum, dicens: Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terrâ Ægypti, in fortitudine magnâ, & in manu robuſtâ? Ne quæſo dicant Ægyptii, Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitiâ populi tui. Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximũ, feceruntq; ſibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti* l. Videte, ſi placet, quam verè Moyſes diligit, & quàm fidelis eſt in amicitia ſua: ipſe eſt verus amicus, qui quærit in omnibus commoda rei amatæ. S. Paulus in Lege gratiæ, eodem modo ſe gerit: ipſe verus & fidelis amicus eſt, qui non intuetur ſeipſum, ut meliùs amplectatur cauſam fratrum ſuorum, pro quibus cupit eſſe anathema: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis* m. De quo ſic loquitur Dionyſius Carthuſianus n æquè ac de Moyſe, *Expoſitores quidam ſatis faciliter tranſeunt in expoſitione loci hujus, qui meo judicio difficillimus eſt, ſi quis diligenter inſpiciat. Sic autem communiter exponunt, Optabam ego ipſe anathema, id eſt, ſeparatus eſſe à Chriſto pro fratribus meis, ut convertentur, id eſt, ſi fieri poſſet, vellem ad horam, ſive in hac vita, ſive poſt mortem ſeparari à Chriſto, ut iſti crederent. Sed cùm in hac vita non ſeparetur homo à Chriſto niſi per culpam, imò per mortale peccatum* o, *ſi Apoſtolus optaſſet ſeparari à Chriſto in hac vita propter converſionem Iudæorum, ad tempus, optaſſet mortale peccatum incidere, ut illi gratiam conſequerentur, quod certum eſt dici non poſſe, præſertim cùm ſecundùm eundem Apoſtolum* p, *non ſint facienda mala, ut bona eveniant. Ideò alii paulò planiùs loquentes, aſſerunt, quòd optabat ad tempus ſeparari à Chriſto per dilationem gloriæ ſibi paratæ, ita quòd optavit diutius manere in vita præſenti, quatenus Iudæorum converſioni intenderet: juxta quem modum ajebat ad Philippenſes* q, *Coarctor e duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, permanere autem in carne neceſſarium eſt propter vos. Quamvis autem expoſitiones hujuſmodi veræ ſint, non tamen (ut arbitror) ſatisfaciunt diligenter ſcrutanti. Propterea (ut videtur) aliud nihil inſinuat Apoſtolus verbis prædictis, niſi quod in Exodo Moſes Deo locutus eſt, dicens, Aut dimitte populo hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro quem ſcripſiſti. Cùm enim non fuerit minor charitas Iudæorum in Paulo quàm in Moſe, non mirum eſt, ſi uterque idem optavit. Sed quomodo intelligenda ſint hæc Pauli & Moſi verba, difficile eſt intueri. Cùm etenim Chriſtus in Evangelio* r *dicat, Quid proficit homo ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat? Nullus fidelium debet ſimpliciter velle de libro vitæ deleri, aut à Chriſto ſeparari. Quidam ergo dixerunt, Moſen prædicta verba dixiſſe ex impetu paſſionis, ſed hoc penitus falſum eſt. Nec decet hoc dici de viro ſancto, qui erat mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra* ſ. *Denique, vocem ejus exaudivit Dominus, Ecce, inquiens, dimiſi juxta verbum tuum. Et iterum dixit, Qui peccavit, delebo eum. Unde patet Moſen in dicta oratione non peccaſſe, ſed vehementiſſimè meruiſſe. Simili ratione oſtenditur Paulum non dixiſſe verba inductum ex impetu paſſionis. At glorioſus verò dicit Moſen protuliſſe hæc verba ex confidentia & familiaritate Divina: ut ſit ſenſus, Quemadmodum certus ſum, Domine, quòd non delebis me de libro vitæ, ſic peto certificari à te de remiſſione culpæ populi tui. Similimodo rationabiliter dici poteſt in propoſito, quòd Paulus optavit, & fortè vocaliter exoravit anathema eſſe à Chriſto propter Iudæos: ſic orans, Domine Jeſu converte populum hunc, aut ſi non facis, aufer me à conſortio Electorum, id eſt, Sicut ex magna familiaritate, atque fiducia cordis mei ad te, certus ſum quòd non permittes me ſeparari à te, ſic oro certificari de converſione Iudæorum ad te. Sic quoque S. Hieronymus refert, dixiſſe Paulum Simplicem Domino, cùm enim non exaudiretur ſolita celeritate pro cujuſdam ſanatione infirmi, dixit, Verè non comedam, niſi ſanaveris eum. Moxque ſanatus eſt æger. Sic filius aliquis dilectus & amoroſus dicere ſolet patri ſuo, de quo plenè confidit, Fac quod peto, vel ejice me de domo, & hæreditate tuâ. Poteſt etiam (&, ut reor, meliùs) dici, quod tam Moſi quàm Pauli verbum ſit ſermo hyperbolicus, id eſt, per exceſſum dictus, tamen ſine mendacio. In hujuſmodi namque ſermone ſenſus non eſt qui per orationem directè importatur, ſed qui à loquente intenditur, qui propter rationabilem cauſam tali locutione utitur, eò quòd res melius ſeu clarius explicare non valeat, niſi per exceſſum: ſcit tamen qui loquitur quouſque credatur. Apoſtolus ergo magnitudinem ſui deſiderii* [illegible] *Iudæorum optat ſalutem, planè exprimere nequiens, per hyperbolen ait, Optabam enim ego ipſe, id eſt, ſi* [illegible] *ardenter concupivi ſalutem fratrum meorum Iudæorum, quod hunc affectum apertiùs deſignare non poſſum, niſi ut dicam me voluiſſe ſeparari à Chriſto ſecundùm modum jam tactum. Et, ut probabiliter dicitur, Paulus* [illegible] *Moſes aliquo modo optabant deleri & ſeparari, ut* [illegible] *parceret populo,* [illegible]

i Eccli. 6. 14. &c.
k Eccli. 45. 1. ex Exod. 11. 3
l Exod. 32. 7. &c.
m Rom. 9. 3
n Dion. Carth. art. 33. in Rõ. 9. 3
o ex Sap. 1. 3. & 4
p ex Rom. 3. 8
q ex Philip. 1. 23. & 24
r Luc. 9. 25. & ex Matth. 16. 26
ſ ex Num. 12. 3

rioris partis animæ comparata & affectat ad proximos ardentis amor, qui neſcit menſuram, licèt ita non erat in voluntate ſuperiorem rationem ſequente: quemadmodum & Salvator oravit auferri à ſe calicem paſſionis t, quem utique ſimpliciter bibere voluit: juxta illud,

t ex Matth. 26. 39. & 42. & ex Marc. 14. 36.

Oblatus eſt, quia voluit u. Hac tam prolixè proſecutus ſum, quoniam multi etiam devoti ambigere ſolent, quomodo prainducta verba debeant accipi. Qualis amor, Auditores? nunquid non excellens eſt, & in altiſſimo faſtigio perfectionis ſuæ? Quòd ſi talis amor reperitur in terra, qualis erit in cœlo, ubi charitas eſt in apice ſuo; & in loco ſui maximi ſplendoris? quid non facient animæ quæ ſunt in purgatorio, cùm illinc exiverint interventu noſtro? quam multùm nobis erunt obſtrictæ? & quantùm diligent nos? Ipſæ jugiter orabunt pro nobis, & in favorem noſtrum, *Pro hac orabit omnis Sanctus in tempore opportuno.* Ut autem ordinatè procedamus, volo vobis oſtendere Primò hujuſmodi Defunctorum amorem in favorem noſtrum: Secundò quàm multùm nobis ipſi ſint addicti: Tertiò amicos quos nobiſmetipſis facimus.

u Iſa. 53. 7.

Diviſio.

1. Pars.

Quòd Sancti cœli nos diligant ſuper terrâ, veritas eſt infallibilis. Ut autem clariorem nobis conciliemus illius notitiam, debemus obſervare quòd eſt ordo in charitate, ſicut in quâlibet aliâ re, quam Deus fecit, *Quæ ſunt, à Deo ordinata ſunt* x. Charitate quam habemus in iſto mundo, diligimus primò Deum, deinde nos ipſos poſteà proximum noſtrum, juxta illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges proximum tuum ſicut teipſum* y. Sed inter proximum non diligimus indifferenter & æqualiter unumquemque, ſed priùs propinquos, affines & amicos. In cœlo hic idem ordo reperitur; Sancti, licet toti in Deo, quamvis abſorpti in Deum, diligunt tamen nos: diligunt Deum, & ſeipſos in Deo, & deinde egrediuntur è ſeipſis ut amore ferantur erga nos, ſed ſemper cum aliquo ordine, & cum aliqua differentia quantum ad plus & quantùm ad minus. Et ratio iſtius eſt, quia gratia non deſtruit naturam, ſicut ait Theologia: atqui amor innititur naturæ, ita ut charitas ſit cum ordine in cœlo: ipſa ibi eſt in maximâ perfectione ſuâ, ut in proprio loco ſuo. Sed amanturne in cœlo indifferenter omnes qui in eo ſunt? Nequaquam: ſed illi qui habent majus bonum, amplius meritum, ibi magis diliguntur: majores Sancti ibi plus diliguntur; illi qui plus virtutis habuerunt in terra, magis amantur in cœlo, ubi Sancti ſe accommodant Deo, qui ſemper plùs diligit eos, quibus majora confert bona; qui ſunt ipſi propiores, qui propiùs ipſum imitantur, & qui cùm eſſent in iſto mundo, conati ſunt ipſi melius aſſimilari, non ſimilitudine æqualitatis, ſed imitationis, in virtute & ſanctitate, eundo *de virtute in virtutem* z. Sic, ut dicitur, *Similitudo eſt cauſa amoris.* Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd Sancti non ſolum diligunt Deum, prout Ens ſummum, independens *a*, immenſum & infinitum *b*, ſed etiam prout Creatorem, & Benefactorem ſuum, qui ipſos ſic ſibi devinxit in tot & ſic diverſis occaſionibus, tot & tantis favoribus, gratiiſque continuis *c*. Idem dico ego de animabus purgatorii, quæ ſanctæ ſunt in cœlo, ſtatim ac egreſſæ ſunt ex hoc loco purgationis, & evolaverunt in paradiſum, ubi fruuntur clarâ viſione Dei *d*, quæ totam facit

x Rom. 13. 1

y Matth. 22. 37. & 39

z Pſ. 83. 8.

a Exod. 3. 14

b Baruch 3. 25

c Gen. 1. 27.

d Joan. 17. 3

ipſarum felicitatem in iſto loco gloriæ: ipſæ diligunt homines, non ſolùm prout propinquos, affines, & amicos, ſed ſpecialiter prout benefactores, cùm ab illis ſuſceperint ſic eximios favores, eò quòd iſti præbuerint ipſis auxiliatricem manum ſuam ad hoc ut ipſæ liberarentur à pœnis ſuis: ipſæ diligunt juxta proportionem beneficii quod ſuſceperunt. Quàm ingens eſt amor illarum, cùm beneficia ſuſcepta ſic ſint inſignia! Judicate de illarum amore, è beneficiis quæ ipſæ ſuſceperunt ab eis, cùm illorum interventu ipſæ pervenerint ad paradiſum, ubi potiuntur libertate, poſtquam confracta ſunt ipſarum vincula, ubi ipſæ ſunt totæ abſorptæ in gloriam, quæ reddit ipſas beatas, poſtquàm exiverunt è flammis purgatorii, ubi ipſæ erant miſeræ. Quomodo igitur iſtæ animæ non diligerent eos, qui ipſis in neceſſitate conſtitutis fuerunt favorabiles? Communi proloquio fertur, *Si vis amari, ama.* Dileximus animas quæ ſunt glorioſæ in cœlo, quamdiu languebant in purgatorio; benefecimus eis, orantes pro illis, facientes bona opera intuitu illarum, offerentes Deo ſuffragia noſtra in earum favorem, quod eſt probatio noſtræ dilectionis erga illas: & cùm procuraverimus illis cœlum, & promoverimus illis felicitatem, quomodo ipſæ non diligerent nos? Ne ambigamus, Auditores, de iſta veritate: ipſæ diligunt nos, ipſæ benefaciunt nobis, ipſæ orant pro nobis, ipſæ impetrant nobis gratias, ipſæ pro nobis jugiter intercedunt, tandem ipſæ faciunt pro nobis in cœlo id, quod nos fecimus pro ipſis in terrâ. Sed quid? putaretiſne animas iſtas ſic ingratas, ut videntes ſe liberatas à pœnis ſuis interventu noſtro, & translatas ad gloriam, non dignarentur agnoſcere tantum beneficium in favorem noſtrum erga Divinam Majeſtatem, cui aſſiſtunt? Ha! ipſæ non poſſunt eſſe conſciæ criminis, quod nullum habet acceſſum in cœlum: ingratitudo illinc eſt procul amandata, ideòque ipſæ orant pro nobis. Mementote quòd cùm *ſurgens Ieſus de Synagogâ, introivit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro eâ: & ſtans ſuper illam imperavit febri: & dimiſit illam: continuo ſurgens miniſtrabat illis* e. Quod erat nota gratitudinis, *Tanquam grata de beneficio ſanitatis ſibi tam miraculoſe collato, & valde læta: eos quoque quibus miniſtrabat, ſpectaculo lætificans tam jucundo*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *f*. Recordamini etiam, quòd cùm idem *Ieſus turbatus eſt ſpiritu: & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me: aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret: erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus: innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, Quis eſt de quo dicit? Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei, Domine, quis eſt? Reſpondit Ieſus; Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero: Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ* g: certè ſanctus Joannes duntaxat oraverit pro ſancto Petro, proponens in gratiam ejus prædictam ſupplicationem Salvatori ad detegendum proditorem, & id quod acceperat à Domino ſuo ſuper hoc ſecretum, non ei revelaverit, ut

e Luc 4. 38. & 39

f Dion. Carthuſ. art. 11. in Luc. 4. 39

g Joan. 13. 21. &c.

ut ait Dionyſius Carthuſianus h, *Joannes tamen Chriſto ſic ordinante non aperuit Petro quod didicit, ne in menſâ pacis orir etur grandis turbatio:* nihilominùs S. Petrus vicem reciprocam paulò pòſt illi reddidit, memor favoris ab eo ſuſcepti, & deſiderare cœpit ei bonum: *Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dicit Ieſu, Domine, hic autem quid* i? Id eſt, ſubdit idem Dionyſius Carthuſianus k, *Hic autem quid aget, & patietur pro te? quid ei committet? quâ morte clarificaturus eſt Deum? Solicitus fuit Petrus pro condiſcipulo familiari ac prædilecto, nec dubium quin in bonis gratiæ ſibi collatis & conferendis deſideravit eum habere conſortem, videlicet in cura paſtorali, atque martyrio.* Cùm *deſcendentes fratres Ioſeph decem, ut emerent frumenta in Ægypto, Benjamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne fortè in itinere quicquam patiatur mali: ingreſſi ſunt terram Ægypti cùm aliis qui pergebant ad emendum: Erat autem fames in terra Chanaan: Et Ioſeph erat Princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur; juſſit miniſtris ut implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis: qui fecerunt ita: At illi portantes frumenta in aſinis ſuis, profecti ſunt; cùm frumenta effunderent, ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias* l. Sic ut habuerint à Joſeph frumentum ſimul & pecuniam. Si contingat ut ſuffragia veſtra impendatis ad adjuvandas animas purgatorii, hæc ſuffrâgia unita merito charitatis quæ vos induxerit ad intercedendum pro illis erga Deum, tandem vertentur in emolumentum veſtrum, ſic ut habituri ſitis frumentum & pecuniam ſimul, id eſt, gratiam in favorem veſtrum, & liberationem, vel ſaltem refrigerium in gratiam animarum hujuſmodi patientium, intelligo quantùm ad illas quæ erunt diſpoſitæ ad hauriendam utilitatem è charitativis ſuffragiis veſtris iſtis.

h Dion. Carth. art. 31. in Joã. 13, 26
i Joan. 21. 21
k Dion. Carth. art. 50. in Joã. 21, 21
l Gen. 42. 3. &c.

II. Pars.

Illi qui interventu ſuffragiorum ſuorum reddunt ſe favorabiles animabus iſtis, agunt erga eas id quod fecit Angelus erga S. Pettum in carcere ab Herode detentum, *Herodes Rex Petrum cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem. Et Petrus quidem ſervabatur in carcere. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens, Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Et Petrus ad ſe reverſus, dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis* m. Illi qui ſuffragia ſua refundunt in animas purgatorii, ſunt Angeli officio, qui educentes eas è carcere ſuo, procurant illis libertatem; ipſæ verè dicere poſſunt eodem gratitudinis affectu, quo Apoſtolus intuitu iſtius beneficii, *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum.* Imò verò ſunt pluſquam Angeli, cùm plus faciant in favorem illarum animarum, quàm egerit Angelus ille in favorem S. Petri: nam tunc Apoſtolus dormiebat, nec ullum dolorem ſentiebat in illo ſtatu ſomni: ſed animæ defunctorum verè patiuntur in flammis purgatorii: ipſæ ſunt igitur plùs addictæ his Angelis officio, qui ipſas ab eis liberant: præterquàm quòd S. Petrus non patiebatur niſi in corpore, quandiu ſpiritus ipſius erat in quiete: cùm tamen defuncti patiantur in animabus ſuis, quarum dolor eſt incomparabiliter acrior dolore qui affligit corpora. Devincti ſumus bonis Angelis noſtris propter id quòd curam noſtri ſuſcipiunt, invigilant conſervationi noſtræ, tuentur nos ipſâ mortis horâ ab inſultationibus & inſidiis inimicorum noſtrorum inviſibilium, & poſt mortem nos offerunt Deo, qui noſtri curam ipſis commiſerat, *Nonne omnes, ſunt adminiſtratorii ſpiritus: in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capient ſalutis* n? Ecce favores, quos ſuſcipimus à ſpiritibus iſtis beatis, & quàm multùm ſumus illis addicti: ſed favores quos exhibemus animabus defunctorum, ſunt multò majores: ſumus ergo pluſquàm Angeli, cùm illas adjuvamus. Angeli in cœlo, in hoc ſtatu beatitudinis fixæ, mereri non poſſunt pro illis, nec ſatisfacere Juſtitiæ Divinæ punitivæ pro minimâ pœnâ peccatis earum debitâ; ad majus pro illis impetrare poſſunt; nos autem poſſumus impetrare, mereri, & ſatisfacere pro illis interventu ſuffragiorum noſtrorum: faciamus ergo pluſquàm Angeli, & pluſquàm omnes Sancti qui ſunt in paradiſo.

m Act. 12. 1. &c.
n Hebr. 1. 14

Ulteriùs progredior: Non ſatis eſt ut ſimus Angeli, & pluſquam Angeli: dico quòd ſimus mediatores, liberatores, & redemptores intuitu animarum iſtarum, ſicut eſt *unus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* o. *Quâ libertate nos liberavit* p. Sed præ hâc differentiâ, quòd tota gloria noſtræ redemptionis debetur Jeſu Chriſto, cùm ſit origo, principium, & cauſa totius noſtri meriti, *Quia ſine me nihil poteſtis facere* q, dicit nobis ipſemet. Debetis autem ſcire, quòd infinitum meritum requirebatur ad ſatisfaciendum Juſtitiæ Divinæ punitivæ pro pœnâ infinitâ peccato debitâ: cùm Adam *de fructu comêdit* r prohibito, offendit perſonam quæ *non habet finem* ſ. Id omne quod agere poteſt homo, eſt finitum, meritum actionis ſumit valorem ſuum à perſonâ; cùm perſona ſit finita, actio eſt etiam finita: propterea requiſita fuerunt merita infinita Jeſu Chriſti Dei hominis. Id quod agimus, non eſt niſi per applicationem meritis ejus, per ſanctum Miſſæ ſacrificium t, per bona opera u, & ſuffragia noſtra, *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*, dicebat Apoſtolus x Coloſſenſibus. Iſtarum ſumus igitur redemptores animarum, cùm ſatisfaciamus pro illis, & ſolvamus id quod ipſæ debebant juſtitiæ Dei. Numquid non quaſi dicere nobis poſſunt præ actu gratitudinis, ſicut David y Deo dicebat in gratiarum actionem pro eo quòd confregiſſet ipſius catenas, & ipſum reſtituiſſet in libertatem? *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Quam multùm nobis ſunt ipſæ addictæ, & quantas nobis debent actiones gratiarum, pro eo quòd promoverimus ipſarum gloriam.

o 1. Tim. 2. 5. & 6
p Gal. 4. 31
q Joan. 15. 5
r Gen. 3. 6
ſ Baruch 3. 25
t Malah. 1. 11
u Tob. 12. 8. & 9
x Coloſſ. 1. 24
y Pſ. 115. 8

Idem Pſalmiſta z conſiderans earum gaudium in iſto ſtatu, tria dicit, quæ nos invitant ad impendenda ſuffragia noſtra in favorem earum, quæ remanent in purgatorio, *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Videtur ipſe, ni fallor, ſermonem ſuum dirigere ad has animas patientes, deducês hæc tria, *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi*, ecce primum. *Reliquiæ cogitationis*, ecce ſecundum. *Diem feſtum agent tibi*, ecce tertium. Nam quodnam majus feſtum, & quamnam celebriorem ſolemnitatem expectare poteſt anima, quàm liberari à pœnis ſuis? Tunc ipſa dicit gaudio perfuſa, ſicut *S. Petrus dixit, Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*, ut audiviſtis modò. Liberata, non ſolùm

z Pſ. 75. 11

Digitized by Google

gaudet, & diem feſtum agit ſola,ſed etiam, quia
regula charitatis eſt , *Gaudere cum gaudentibus,*
a Rom. 12.15 *flere cum flentibus* a, totum purgatorium partici-
pat illud gaudium cum ipſa : ſicut enim cùm in
obſcurum aliquem carcerem affertur ignis pro
aliquo ibi detento, omnes alii gaudent propter
i tam claritatem ; ſic in purgatorio cùm aliqua
anima ſublevatur à pœnis ſuis interventu ſuffra-
giorum noſtrorum omnes aliæ gaudent de hoc
allevamento, & de eo feſtum agunt cum ipſa.Si
autem ſcire velitis quomodo celebrant illud fe-
ſtum; ecce, *Reliquia*. Id eſt,cùm diſtribuuntur bo-
na defuncti juxta ipſius voluntatem, cùm erogâ-
tur pauperibus eleemoſynæ pro ipſius anima , &
ſatagitur ut Miſſæ celebrentur pro ipſius quiete.
Reliqu a. Nimirum,cùm ſolvũtur legata pia,quæ
reliquit. Hæc autem mandantur executioni cùm
cogitatio hominis cõfitebitur tibi Scilicet,cùm filius
ſibi repræſentat & confitetur quàm multùm ſit
devinctus patri ſuo,cùm ab eo teneat vitã, bona,
& id omne quod habet in iſto mundo.Re autem
verà ſic vehementer noſtris obſtricti ſumus pa-
rentibus,ut,ſi aliquid refundimus pro illis, & ad
eorum ſervitium, nihil inſumamus quod non ſit
ipſorum,dato quod ageretur de vita noſtra; ad-
juvamus illos bonis, quæ ſuſcepimus à manibus
eorum. Verum quidem eſt,nõ diffiteor : multùm
obſtricti ſumus parentibus noſtris,nunquam ſatis
poſſumus agnoſcere beneficia,quę ſuſcepimus ab
illis,cum poſt Deum nobis dederint eſſe:id omne
quod facere poterimus, erit ſemper inferius illo
quod eis debemus : honorabimus illos; iſtud de-
bemus eis, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*
q Exod. 20. 12 *b*. Morem geremus eis;obedientia debetur illis :
adjuvabimus illos in neceſſitate conſtitutos;hoc
ſpectat ad juſtitiã, debemus eis hæc bona officia,
& tenemur illis ea exhibere : poſthæc nunquam
reddemus eis in iſta vita id quod ſuſcepimus ab
illis: ſed ſi animæ parentum veſtrorũ ſunt in pur-
gatorio,& oratis pro illis,vacatis bonis operibus
intuitu illorum , & inſumitis ſuffragia veſtra ad
eorum allevamentum , cum fœnore redditis illis
id quod ſuſcepiſtis ab eis , imò verò plus illis tri-
buitis,quam acceperitis ab eis: accepiſtis ab illis
eſſe naturale,vos autem præbetis eis eſſe glorio-
ſum, *Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes:*
& retribue illis, quomodo & illi tibi, dicit vobis Ec-
c Eccli. 7. 30 cleſiaſticus *c*. Illorum interventu veniſtis in hunc
mundum miſeriæ, in iſtam lacrymarum vallem,
illi verò per vos ingrediuntur domicilium *volu-*
d Pſ. 35.9 *ptatis* d,quod eſt gloria: illi poſuerunt vos in tem-
pore , vos autem deducitis eos ad æternitatem:
illi ſunt igitur vobis obſtricti , & redditis illis
plus, quam ſuſceperitis ab eis , cùm ſitis eorum
redemptores. Parentes, idem vobis ego dico,Si
habẽtes liberos veſtros in purgatorio,ſatagitis ut
oretur pro eis,plus tribuitis eis , quã fueritis illis
largiti primâ vice. Quantis favoribus cumulan-
tur iſtæ bonæ animæ! Ipſæ diligũt nos,ipſæ nobis
ſunt obſtrictæ, & ipſas habemus amicas in cœlo.

III. Pars. Verus amicus duas præ ſe ferre debet qualita-
tes,conſtantiam,& potentiam.Sed ubinam repe-
riemus amicos dotibus iſtis præditos? heu! quàm
rari ſunt in mundo: *Eſt enim amicus ſecundùm tem-*
pus ſuum, & non permanebit in die tribulationis , ait
Eccleſiaſticus *e*. Dantur amici ad tempus, qui
e Eccli. 6. 8 more hirundinum viſitant nos verno tempore
proſperitatis, & hyberno adverſitatis nos dere-
linquunt & recedunt a nobis, ſolis ſuis commodis
invigilantes. *Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non*
permanebit in die neceſſitatis, ait idẽ Eccleſiaſticus
f. En aliud genus amicorum,qui non quærunt niſi f Eccli. 6. 10
laute epulari , quarum perit amicitia confeſtim
ac ſubtrahitur ipſis amicorum ſuorum mẽſa. Sed
unde procedit hęc incõſtantia? dicetis mihi. Hæc
inconſtantia venit è duobus principiis, è parte il-
lius qui amat, & è parte rei amatæ. E parte illius
qui amat: hodie enim complacemus nobis in ali-
qua re, cras aute proſequimur illam odio ; amor
noſter mutatur : amamus aliquam rem tempore
juventutis,quæ nobis diſplicet tempore ſenectu-
tis, *Homo vanitati ſimilis* g, *nunquam in eodem ſta-* g Pſ. 143. 4
tu permanet h. Inconſtantia oritur partim à nobis, h Job 14. 2
& partim à re amatâ , quæ mutat etiam agendi
modum: amabamus eam cùm erat virtuoſa; ipſa
fit vitioſa : & cùm virtus non ſit ampliùs in ea,
nec ampliùs habeat primas illas qualitates , in
quibus nobis cõplacebamus, proptereà odimus
illam. Sed Sancti in cœlo , Defuncti purgatorii
cùm illuc pervenerĩt, non ſunt ampliùs obnoxii
huic inconſtantiæ: nam ſicut iſtæ animæ nos dili-
gunt in Deo,& propter Deum; ſic amor ipſarum
ſemper erit conſtans & firmus : & ſicut Deus erit
ſemper, *Ego ſum qui ſum* i: ſic amor ipſarum nun-
quam deſiſtet: ſicut Deus eſt immmutabilis, *Di-* i Exod. 3. 14
cit Dominus exercituum, Ego Dominus, & non mutor
k: ſic amor ipſarum non erit ampliùs obnoxius k Malach. 3. 5. & 6
viciſſitudini : diligentes nos in Deo , & propter
Deum, ipſæ nos ſemper diligent, & in hoc mun-
do, & in altero. Sancti igitur ſunt boni & veri a-
mici, cùm habeant conſtantiam. In hoc mundo,
dato quòd haberemus amicos æquè evectos ac
Sol eſt elevatus, æquè ſplendentes ac iſte planeta
fulget; ſicut hic patitur eclypſes, ſic amici noſtri
patiuntur intervalla caliginum in amicitiis ſuis :
ſuppoſito quòd eſſent æquè firmi ac terra firma
eſt, *Terra autem in æternum ſtat* l; quemadmodum l Eccl. 1. 4
tremores hæc ſuſtinet , ſic affectus amicorum no-
ſtrorum obnoxius eſt commotionibus : & veluti
terra non eſt ſemper fertilis, cùm pendeat ex in-
fluentiis cœli , & è tempeſtatibus ; ſic dilectio
amicorum noſtrorum pendet è diverſis incli-
nationibus : ſed in cœlo Sancti nos diligentes in
Deo , qui nullam patitur mutationem , dili-
gent nos amore immutabili, ſemper conſtantes,
iidem jugiter in favorem noſtrum. Videte, Audi-
tores, prærogativas quas nobis conciliamus in-
ſumẽtes ſuffragia noſtra in gratiam animarũ pur-
gatorii, cùm in cœlo futuræ ſint ipſę nobis amicę.

Secunda qualitas veri & boni amici, eſt poten-
tia. In iſto mundo, homines amant, præ ſe ferunt
bonas voluntates; ſed hæ non ſunt efficaces: per-
ſæpè per impotentiam nequeunt illas executioni
mandare: ſed non ſe habet res ſic in cœlo : Sancti
ſunt ibi potentes , cùm tales fuerint vel in terrâ.
Dei Filius repellit Chananæam. In hoc ſtatu de-
ſpectûs, ipſa recurrit ad Apoſtoſos, quos agnoſcit
potẽtes. Hi rogant Salvatorem in gratiam illius.
Et ipſa ſtatim conſequitur quod ipſa petit. *Ieſus*
ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Cha-
nanæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicẽs ei, miſere-
re mei Domine Fili David: filia mea malè à dæmonio
vexatur. Qui non reſpondit ei verbũ. Et accedẽtes di-
ſcipuli ejus, rogabãt eum, dicentes, Dimitte eam, quia
clamat poſt nos. Tunc reſpondens Ieſus, ait illi, O mu-
lier, magna eſt fides tua : fiat tibi ſicut vis m. Sancti m Matth. 15. 22 &c
ſunt ita potentes erga Deum , ut non poſſit ipſe
quidquam voluntati eorum renuere, *Voluntatem*
timentium ſe faciet, ait David n. *Id eſt* , *actum vo-* n Pſ. 144. 19
luntatis, ſeu deſiderium timentium ſe filiali timore ad
effectum perducet tempore apto & ſibi placenti, ſub- o Dion. Carth. in Pſ. 144. 19
dit Dionyſius Carthuſianus o. Et ſi aliquando ipſe
voluit

Digitized by Google

voluit ultionem capeſſere de Iſtaëlitis, & punire eorum peccata, de quibus Scriptura † ſic loquitur, *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum: & ira Dei aſcendit ſuper eos: & occidit pingues eorum*, eadem Scriptura ſtatim ſubdit, *Electos Iſraël impedivit.* Et poſt illam idem Dionyſius Carthuſianus p, *Id eſt, bonos & juſtos Iudæos, impedivit, ita quòd ſua exhortatione aut prece nihil proficere poterant reprobis illis.* Quòd ſi Sancti & amici Dei ſunt ita potentes in iſta vita; quantò potentiores erunt in altera, ubi charitas eſt in perfectione ſua? Sanè poterunt id omne quod volent, & Deus nihil ipſis denegare poterit. Ha! Auditores, animæ purgatorij ſanctæ ſunt, ipſæ ſunt amicæ Dei, ipſæ patraverunt aliàs miracula, ſicut refertur de S. Severino, & de S. Paſchaſio, licèt detentis tunc in purgatorio: quid non agent ipſæ in cœlo, ubi poteſtas ipſarum major erit; æquè ac ipſarum charitas? Ha! quàm præſtat eas habere amicas in cœlo, cùm exierint è pœnis ſuis, cùm ibi in cœlo ipſæ non orent pro ſe, & ipſarum oratio ſit fortior, cùm ſit ibi tota pro nobis, ubi ipſæ poſſident Deum, fruuntur illo, videntes *eum ſicuti eſt* q. Et ubi ipſarum preces ſunt puræ, & ſine macula, quod non eſt in iſto mundo: quia hic in mundo maximi Sancti ſunt obnoxij ſemper alicui infirmitati, quæ videtur inſeparabilis à natura noſtra: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, ait S. Joannes r. Et poſt illum Dionyſius Carthuſianus s, *Hoc autem de mortali non videtur poſſe intelligi, cùm multi Sanctorum ex revelatione agnoverint, ſe mortali non ſubjacere. Item, S. Ioannes tam generaliter loquitur, ſecundùm ſanctos Doctores, ut ſeipſum quoq; ſub iſta comprehendat ſententia. Et tamen ipſe ſe noverat eſſe in charitate* t. Eſt igitur ſermo de parvis peccatis, de exiguis infirmitatibus quæ comitantur naturam noſtram. Oratio noſtra ſociatur infirmitati corporis. Videte *diſcipulos* Salvatoris, licèt ſanctos in horto *dormientes*, in occaſione, ubi ſomnus habebatur pro crimine, & erat ipſis faſtidium: *Erant enim oculi eorum gravati* u. Et anima ſæpè participat infirmitates corporis: *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* x. S. Paulus y loquens de qualitatibus, quibus inſignitus eſſe debebat noſter Pontifex *ad interpellandum pro nobis*, dicit, *Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, qui non habet neceſſitatem pro ſuis delictis hoſtias offerre.* Sancti, qui exeunt è purgatorio in cœlum, fruuntur iſtis omnibus prærogativis. Ha! quàm potentes ſunt igitur: omnia poſſunt in favorem eorum quos ipſi diligunt, & qui ipſos ſibi devinxerunt ſuffragijs ſuis, porrigentes auxiliatricem manum ſuam animabus ipſorū, ut eas educerent è pœnis ſuis, & collocarent eas in cœlo, ubi fruuntur gloria Dei.

† Pſ. 77. 31. ex Nū. 11. 33
p Dion. Carth. in hunc loc. Pſ.
q 1. Jo. 3. 2.
r 1. Jo. 1. 8.
s Dion. Carth. a. s. in 1. Jo. 1, 8.
t ex Jo. 21. 20.
u Mat. 26. 40. & 43.
x Sap. 9. 15.
y Heb. 7. 25. &c.

Cùm igitur non ſit aliquid utilius & congruentius vitæ hominis, quàm bonus amicus, & ita difficile ſit inventu illum in mundo ut non reperiatur ibi, niſi ferè per miraculum, quæramus amicos in cœlo, ubi veri amici reperiuntur, cùm ſemper diligant, ſemper ſint conſtantes & firmi nedum ſint unquam obnoxij mutationi & viciſſitudini) & ſint potentes ad adjuvandos nos in quibuslibet neceſſitatibus. Ipſi volunt, & poſſunt; & poſſunt id omne quod volunt in favorem noſtrum, cùm Deus exaudiat omnes ipſorum ſupplicationes, quæ ſunt nobis proficuæ, *Voluntatem timentium ſe faciet* z. Contingit aliquando ut Princeps aliquis adhuc adoleſcens, licèt ſuccedere debeat aliquando divitijs patris ſui, & habere illius hæreditatem, tamen quia pater ipſius adhuc vivit, vel fortè quia ipſe eſt ſub directione tutoris, qui tamen non tribuit ipſi pecuniam, quantâ ipſe indigeret ad faciendos ſumptus comitatui conditioni ſuæ conſono requiſitos, cogatur mutuos ab amicis ſuis nummos accipere: in hac occaſione nemo eſt qui non favori ducat, commodare illi quidquid ipſe efflagitat, ratus ſe non ſolùm habiturum tandem ſortem ſuam principalem, ſed & uſuram alicujus beneficij, vel ſaltem honorem amicitiæ ejus: illi qui moriuntur in gratia Dei, ſunt hæredes cœli, *Iuſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſecundùm ſpem vitæ æternæ* a. Quòd ſi eunt in purgatorium, licèt declarati ſint hæredes, tamen quia adhuc ſunt in tutelâ, & nondum ſuſceperunt poſſeſſionem hæreditatis ſuæ, indigent ſuffragio & auxilio: propterea recurrunt ad amicos ſuos, & dicunt eis, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei* b. Quis igitur erit ſic crudelis ut non ſit ei ſuccurſurus, certus quòd in cœlo iſti ſibi ſint ſoluturi fœnus auxilii ſui? Adjuvemus eos, ut ab illis adjuvemur. Salvator noſter, nobis conſulit ut faciamus nobis amicos è divitiis noſtris, *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis* c. Si animas purgatorij nobis devinciamus beneficijs noſtris, ipſæ non erunt immemores ſuſceptorum hujuſmodi beneficiorum: quia cùm pervenerint in cœlum interventu noſtro, favores ipſæ nobis impetrabunt à Deo. Ipſæ habebunt ibi conſtantiam, & potentiam, duas qualitates, quæ comitantur verum & fidelem amicum. Obſtringamus nobis eas in iſta vita interventu bonorum operum noſtrorū, ut potenter intercedant ipſæ tandem pro nobis erga Deum, ad hoc ut ſuā nobis tribuat gratiam, & aliquando gloriam.

z Pſ. 144. 19.
a Tit. 3. 7.
b Job 19. 21.
c Luc. 16. 9.

IN OCTAVA COMMEMORATIONIS OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Pſ. 114. 7.

PRincipes & Magnates mundi, habent ordinariè multas & differentes tationes, quas in ſumunt ad diverſos uſus: habent armamentaria, loca armorum, & ubi exerceant miltes ſuos ad præludendam artem militarem; habent loca voluptatis, ut oblectentur ipſi ibi cum amicis ſuis; habent inſuper ergaſtula, ut ibi teneant rebelles & reos: Deus qui eſt *Rex gloriæ* a, *Dominus omnium* b, & qui ait, *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam* c: eodem modo ſe gerit: locus armorū, ſeu palæſtra, eſt iſte mundus, in quo omnes homines veluti tot milites exercentur, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, ait Job d. Et iterùm e, *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Locus voluptatis & recreationis, eſt cœlum, paradiſus, ſeu gloria quam Deus reſervat Electis ſuis, ut ibi ſint in æternum beati cum ipſo, ſicut ait David f illum alloquens, *Inebriabuntur ab ubertate domûs*

a Pſ. 23. 10.
b Eſth. 13. 11.
c Prov. 8. 15. & 16.
d Job. 7. 1.
e Job 14. 14.
f Pſ. 35. 9. & 10.

tua, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Et Iſaias g, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Et poſt eum Pintus h, *Ceterùm qui totum hoc caput volunt de mundi conſummatione intelligi, poterunt convivium hoc interpretari de cœleſti gloria, & de viſione Divina, quâ Beati in Sione, hoc eſt, in cœleſti patria, in illa æterna Ieruſalem, ſempiterno ævo fruuntur. Ibi enim Sancti Divinis epulis ſatiantur. Hoc intelligens Divinus quidam Vates* i, *dicebat, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Ac ſi diceret, Cùm animus meus è corporis vinculis tanquam ex carcere ad ſedes tuas beatiſſimas evolaverit, tunc æternis dapibus ſatiabor, omnibuſq; gaudijs & voluptatibus cumulatus, te Deum meum ſummum & immenſum intuebor.* Carcer eſt purgatorium, in quo Mortui detinentur, & cruciantur, cùm in iſto mundo pro peccatis commiſſis, quorum ſuſceperunt abſolutionem quantùm ad culpam, non omnino quantùm ad pœnam ſatisfecerint juſtitiæ Dei: *Ipſe enim quaſi ignis conflans: & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum* k. Quòd ſi mortui ſunt *in peccato* l mortali, infernus eſt ipſorum manſio æterna, ut ſint ibi in ſempiternum atræ victimæ iræ Dei, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum* m. Propterea *de ore ejus procedit gladius acutus, ut in ipſo percutiat Gentes. Et ipſe reget eas in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis*, ait S. Joannes n. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus o, *Et de ore ipſius procedit gladius acutus, id eſt, judicialis ſententia, & increpatorius ſermo. Vt in ipſo percutiat Gentes, id eſt, Gentiliter carnaliterq; viventes reprehendat, reprobet, & condemnet. Et ipſe reget eas in virga ferrea* p, *id eſt, rigoroſâ juſtitiâ, impœnitentes dirigendo in finem eis debitum, ſcilicet damnationem æternam. Et ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Si ſumatur torcular pro loco ſupplicij ſeu preſſuræ, deſignat hoc loco infernum: quem Chriſtus calcat demergendo in eum ac conculcando injuſtos: eſtq; torcular hoc, vinum iræ Dei, id eſt, locus pœnalis pro peccato inflictus. Demum, Si torcular ſumatur pro inſtrumento premendi, ſenſus eſt, quòd ignem inferni impijs ſuperducit*: juxta quem modum ſcriptum eſt q, *Torcular calcavit Dominus, virgini filiæ Iuda. Furor autem & ira in Deo omnipotente, non paſſionem aut mentis commotionē, ſed æquitatis rigorem, & ultionis acerbitatem deſignant.* Quòd ſi mortui è vivis exceſſerunt cum aliquo peccato veniali, vel cum reliquijs peccati mortalis, purgatorium eſt locus, in quo ipſorum animæ pro ijs ſatisfacere debent Juſtitiæ Divinæ. Hoc purgatorium eſt domicilium pœnæ & paſſionis: volo vos edocere media educendis illinc animabus iſtis opportuna: B. Virgo Maria concurret ad reddenda hæc efficacia interventu favorum ſuorum, ſi reverenter dicamus ei cum Angelo, *Ave Maria.*

g Iſa. 25. 6.
h Pintus in Iſ. 25. 6.
i Pſ. 16. 15.
k Malac. 3. 2. & 3.
l Jo. 8. 21.
m Matth. 25. 46.
n Apoc. 19. 15.
o Dion. Carth. a. 20. in Apoc. 19. 15.
p ex Pſ. 2. 9.
q Thren. 1. 15.

Quam magnificus eſt Deus in beneficijs ſuis, Auditores, quam inſignis eſt iſte favor, & quanti æſtimandus, quòd præ noſtris poſuerit manibus clavem paradiſi, ſic ut illum aperire poſſimus ad placitum! Verum quidem eſt, quòd hæc clavis propriè pertinet ad Jeſum Chriſtum, & quòd non habemus illam niſi per puram miſericordiam ejus, & per merita illius: ipſe defert eam ſuis humeris impoſitam, ſicut Pater æternus ait de illo in perſona Eliacim per Iſaiam r, *Dabo clavem domûs David ſuper humerum ejus.* Et per Pintum s, *Dabo, ait Pater cœleſtis, ſuper humerum Eliacim ſervi mei clavem domûs David. Hic Eliacim gerebat imaginem Chriſti veri Sacerdotis, de quo dicitur in Pſalmo* t. *Tu es Sacerdos in æternū ſecūdùm ordinem Melchiſedech. Super ejus humerum poſuit Pater clavem domûs David, hoc eſt, crucem illam ſacratiſſimam, qua Dei templum, & æternam domum aperuit, & aditum ad cœleſtem illam ac beatiſſimam gloriam reſeravit. Hanc bajulavit Chriſtus Deus noſter ſuper humerum ſuum, brachijs eam amplectens, ut oſtenderet quanto eam amore proſequeretur. In eâ erectâ in Calvariæ loco* u *pependit Deus noſter, ut mortem noſtram moriendo occideret, & indignis calamitatibus acceptum genus humanum ab inferorum faucibus eriperet, & vera dignitatis ornamentis decoraret, atq; immortalem æternamq; vitam eandem adduceret. Et quoniam in cruce noſtra ſcelera expiavit, & antiquam maculā ſanguine ſuo delevit* x, *& oſtium paradiſi aperuit, vocat eam clavem domûs David. Erat enim anteà paradiſus clauſus, & nemo illuc introierat: at mortuo Chriſto in cruce, apertum eſt cœlum, & illo die fuit latro cum Chriſto in paradiſo* y. *Hæc clavis, quam Chriſtus ſuper humerum bajulavit, appellatur ab hoc Propheta* z *principatus, Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Ceterùm, Si ſenſum illū reſpiciamus, quē litera ex ſe præbet, poſſumus hunc locum ita explanare, ut per clavem domûs David, poteſtatem aperiendi & claudendi templum intelligamus.* Verum quidem eſt, quòd Jeſus Chriſtus nobis poterat aperire cœlum alijs vijs ſuavioribus & facilioribus, ſed ut majus ſuæ dilectionis erga nos teſtimonium perhiberet, elegit illud tormentum crucis: & ipſius bonitas in hoc manifeſtatur, quòd poſſumus unà cum ipſo paradiſum aperire. In cujus veritatis probationem, ipſo ſic permittente, *Milites præſidis, poſtquàm illuſerunt ei, & duxerunt eum ut crucifigerent, exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverūt ut tolleret crucem ejus* a. Aſſumptus eſt iſte Simon ut adjuvaret Jeſum ad deferendam crucem ſuam: Jeſus præcedebat, ut oſtenderet ſe veluti criminoſum, cum amoroſè cautam præſtitiſſet cauſam noſtram, & obſtrinxiſſet ſe ad exactè ſatisfaciendum pro peccatis noſtris juſtitiæ Patris ſui, qui propterea dicit, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et ipſe peccata multorum tulit* b. Unde dicit Pintus c, *Aſpicis hoc in loco fuiſſe Deum percuſſum, ut ſcelera noſtra deleret, & antiqui hoſtis tyrannidem extingueret. Offenderant homines Deum, erant illi debitores, non poterant per ſe ſolvere: venit Chriſtus ut ſolveret pro illis, volens in redemptione noſtra juſtitiam ſuā oſtendere. Id indicavit Paulus Apoſtolus* d, *ita ad Romanos ſcribens: Iuſtificati gratis per gratiā ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore. Hæc Apoſtolus. Vbi vides voluiſſe Dei Filium mortem pro nobis ſubire, ut nos redimendo ſuam juſtitiam demonſtraret. Niſi eſſet Deus, remedium non afferret; niſi eſſet homo, pro nobis non pateretur. Sed ita ſe ad humanitatis noſtræ ſuſceptionem inclinavit, ut manens quod erat, aſſumens quod non erat, formam ſervi, Dei formæ uniret* e, *tantoq; fœdere utramque conſereret naturam, ut nec inferiorem conſumeret glorificatio, neque ſuperiorem minueret aſſumptio. Eramus mortui, mortuus eſt Chriſtus, ut nos viveremus.* Jeſus ergo præcedebat, & Simon ſequebatur, & tenebat extremitatem crucis, ut oſtenderet idem Salvator, quòd nos omnes faceret participes iſtius favoris, & nobis remitte-

r Iſa. 22. 22.
s Pintus in Iſa. 22. 22.
t Pſ. 109. 4. ex Gē. 14. 18.
u ex Jo. 19. 17. & 18.
x ex Apoc. 1. 5.
y ex Luc. 23. 43.
z Iſa. 9. 6.
a Mat. 27. 27. &c.
b Iſa. 53. 8. & 12.
c Pint. in Iſa. 53. 8.
d Rom. 3. 24. &c.
e ex Philip. 2. 6. & 7.

Digitized by Google

ret crucem ſuam, quæ eſt clavis paradiſi, S. Petro, tit Vicario ſuo, & alijs qui venturi eſſent poſt illum, ut ſucceſſoribus ejuſdem S. Petri, cui ipſemet Jeſus dixit, *Tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis* f.

f Matt. 16. 17. &c. Quæ clavis non ſolùm conſiſtit in habendo ingreſſu ad Scripturas, ſed etiam & ſpecialiter in dimittendis peccatis, quæ clauſerant paradiſum vectibus ferreis æquè ac oſtijs æneis, quæ dirumpi non poterant niſi virtute & potentiâ Dei, qui *contrivit portas æneas, & vectes ferreos confregit* g. Hæc clavis ſervit etiam ad aperiendum purgatorium animabus in eo detentis, ut inde aſcendant in cœlum. Ut autem hoc opus miſericordiæ in earum favorem ritè ſuccedat, illud beneexercendi in gratiam illarum volo vos edocere modum in progreſſu diſcurſûs iſtius.

g Pſ. 106. 16.

Propoſitio.

Dico igitur quòd meliùs prodeſſe non poſſumus animabus purgatorij, nec efficaciùs earum liberationem elaborare, quàm medijs ſuffragijs noſtris, quæ reduco ad tria genera, quæ inſumere poſſumus in earum favorem. Primum ſuffragij genus ſpectat ſanctum Miſſæ ſacrificium: *Ab Ortu enim Solis uſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meum* h *in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum* i.

h ex Pſ. 112. 3.

i Malac. 1. 11.

Secundum ſuffragij genus complectitur orationem, jejunium, eleemoſynam, & alia hujuſmodi opera pœnalia & ſatisfactoria, juxta quod utrique Tobiæ Raphaël Angelus dixit occultè, *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna: quoniam eleemoſyna purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam* k. Huic duplici ſuffragiorum generi ſubdo tertium, quod reſpicit indulgentias: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* l. Hæ autem indulgentiæ non ſunt aliud niſi applicatio quæ ipſis fit meritorum & ſatisfactionum, ſeu operum pœnalium Jeſu Chriſti, B. Virginis Matris ejus, & Sanctorum: quæ opera meritoria & ſatisfactoria, cùm in Jeſu Chriſto fuerint infinita, & in B. Virgine Deipara, & in multis alijs Sanctis ſupererogatoria, conſervantur in theſauro Eccleſiæ, unde deſumuntur iſtæ indulgentiæ, quæ defunctis conceduntur per modum ſuffragij, & non abſolutionis. Summus enim Pontifex non poteſt abſolvere defunctos à pœnis ſuis, ſicut abſolvit viventes: quia illi non ſunt ei ſubjecti, ſicut iſti ſunt ipſi ſubditi: poteſt tamen ut ſummus diſpenſator theſauri Eccleſiæ, communicare eis merita & ſatisfactiones, quæ ſunt in hoc theſauro, & conſequenter virtute iſtarum ſatisfactionũ per modum ſuffragij eis applicitarum, pœnis eorum finem imponere. Debetis enim obſervare quòd in purgatorio nulla culpa mortalis punitur, cùm dicat S. Damaſcenus m, *Quod hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſum extitiſſe.* Et ſicut peccatum Angelorum fuit irremiſſibile. *Factum eſt prælium magnum in cœlo Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in cœlo: & projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* n: ſic irremiſſibile eſt peccatum hominis qui in eo moritur, intelligo quantùm ad culpam mortalem. Et hoc eſt peccatum, pro quo S. Joannes o prohibet orandum, cùm ait, *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.*

k Tob. 12. 6. &c.

l Sap. 7. 14.

m S. Damaſc. l. 2. de Fid. Orth. c. 4.

n Apoc. 12. 7. &c.

o 1. Jo. 5. 16.

Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus p, qui ipſum ſic explicat, *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, &c. Locus iſte difficilis eſt, qui primò ſic poteſt intelligi. Qui ſcit proximum ſuum venialiter peccare, quod non inducit mortem animæ in præſenti, nec mortem æternæ miſeriæ in futuro, petat, id eſt pro illo oret, & dabitur ei vita, id eſt, ad ejus inſtantiam dabitur remiſſio talis culpæ, peccanti non ad mortem, id eſt, venialiter peccanti. Secundò exponitur ſic, Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, & non continuare peccata uſque ad mortem incluſive: petat pro illo, & exaudietur. Nam talis vitam gratiæ obtinet, & vitam gloriæ conſequitur: quia non manet in vitijs uſque in finem vitæ præſentis, in qua eſt tempus, locus ac ſtatus merendi, ac demerendi. Tertiò exponitur ſic, Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, id eſt, non facere irremiſſibile peccatum, ut ſunt peccata in Spiritum ſanctum, quæ irremiſſibilia aſſeruntur* q, *quia difficiliter & vix dimittuntur (& finalis impœnitentia nunquam dimittitur) petat pro illo, & exaudietur: non quod ſemper oratio fuſa pro taliter peccante exaudiatur, ſed quia ſpes exauditionis eſt, & quandoque exauditio fit pro illo. Sed eſt peccatum uſque ad mortem, non pro illo dicam ut roget quis. Si hoc de finali impœnitentia, ſeu de quocunque mortali uſque ad mortem continuato, & per contritionem non deleto, intelligatur, certum eſt quòd pro defuncto in tali facinore non ſit orandum.*

p Dion. Carth. à 7. in 1. 5. 16.

q ex Matt. 12. 32.

Aliqui defuncti torquentur in purgatorio eò quòd peccata mortalia commiſerint in illo mundo, quorum pœnitentiam egerunt, de illis contriti, eaque confeſſi, quorum per conſequens ipſis dimiſſa fuit culpa, ſed qui tamen cùm non ſatisfecerint in vita ſua pro pœna eiſdem peccatis debita, Juſtitię Divinę punitivæ, pro eadem pœna ſatisfaciunt huic eidem Juſtitiæ in purgatorio: niſi fortè tantam præ ſe tuliſſent aliqui contritionem de peccatis ſuis, ut conſequenter dimiſſa fuerit ipſis pœna, æquè ac culpa, ſicut S. Magdalenæ, de qua Jeſus dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* r. Et Dimæ, ſeu bono Latroni, qui eundem dicebat ad Jeſum, *Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Jeſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo* s. Illi enim non tranſeunt per purgatorium, ſicut nec Magdalena, nec Dimas per illud tranſierunt.

r Luc. 7. 40. & 47

s Luc. 23. 42. & 43

Sed dato (dicere mihi poterit aliquis) quòd peccata mea confeſſus ſim, & adimpleverim pœnitentiam pro illis à Confeſſario meo mihi impoſitam, illud ſufficitne? vel debeo adhuc pro pœna illis debita ſatisfacere juſtitiæ Dei in purgatorio? Ad hoc reſpondeo: Vel pœnitentia injuncta à Confeſſario, eſt major pœnâ quę debetur pro peccatis commiſſis, vel eſt æqualis ei, vel eſt minor illâ. Si major eſt eâ, ipſa nobis ſervit loco majoris gradûs gloriæ. Si æqualis eſt ei ipſa ſufficit ad ſatisfaciendum Deo pro tota pœna, *Non conſurget duplex tribulatio*, dicit Nahum t. Seu juxta verſionem S. Cypriani u, *Neque enim bis in idipſum judicat Deus.* Si minor eſt illâ, pro ea eſt in purgatorio ſatisfaciendum Juſtitiæ Divinæ, quæ non relinquit aliquid impunitum, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* x. Id eſt, in Jeruſalem cœleſtem. Admiramini nunc, Auditores, modum procedendi miſericordiæ & juſtitiæ Dei, quomodo ipſæ ſocietatem ineunt ad ſublevandas animas purgatorij. Miſericordia in eo quòd Deus inſtituit quaſdam remedia, quæ intelligimus, quæ vocamus ſuffragia, quæ [illegible]

t Nahum 1. 9.

u S. Cypr. Lib. de [illegible] Dō.

x Apoc. 21. 27.

val.

valdè ſalutaria. Juſtitia in dolore pœnarum quas ipſæ experiuntur in hoc paſſionum loco, *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine* y.

y Pſ. 100 1.

Quantùm verò ad hæc ſuffragia, ſcire debetis quòd per ea nón acquiritur nec augetur meritum vitæ æternæ his animabus defunctorum, ſed ſolùm remittitur eis pœna, & hoc ad citiùs eas liberandas, vel ad meliùs mitigandas illarum pœnas. Ratio autem propter quam mereri non poſſunt, eſt; quia non ſunt ampliùs in ſtatu merendi, cùm ſint extra hunc mundum, qui eſt locus certaminis & meriti. Ad ampliorem autem ſuffragiorum intelligentiam, obſervate, ſi placet, quòd poteſt à pœna aliquis liberari duobus modis interventu alterius. V.g. aliquis eſt debitor alicujus pœnæ, vel pecuniæ, is liberari poteſt ab ea duobus modis, Primò, per viam gratiæ. Secundò, per viam juſtitiæ. Per viam gratiæ dupliciter. Primò, per interceſſionem filij Regis orantis & interpellantis pro debitore. Secundò, per interventum Comitũ, Marchionum, Ducum, Principum, & amicorum ejuſdem Regis. Per viam juſtitiæ poteſt aliquis liberari tripliciter. Primò, per viam redemptionis pœnæ, cùm aliquis ſolvit aliquam pecuniam ad liberandum alium à pœna. Secundò, ſolvendo in propria perſona. Tertiò, ſatisfaciendo è theſauro publico. Et ſic ſunt quinq; modi ſatisfaciendi pro animabus purgatorij. Primò per viam gratiæ anima liberatur dupliciter. Primo modo per interceſſionem Filij Regis, id eſt Jeſu Chriſti, qui eſt Caput Eccleſiæ, *Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* z. Et hoc modo anima liberatur per oblationem ſancti ſacrificij Miſſæ, in quo *Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi* a, oblatus ſub ſpeciebus panis & vini, intercedit pro nobis, & virtute iſtius interceſſionis anima liberatur per merita paſſionis Jeſu Chriſti: quæ merita, licèt infinita (ſicut idem Jeſus Chriſtus, prout Deus, *non habet finem* b) tamen applicantur animabus purgatorij modo finito, ſecundùm qualitatem charitatis illius animæ, pro qua offertur: & ex parte etiam illius qui ipſum offert. *Quis accuſabit adverſùs electos Dei? Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexterã Dei, qui etiam interpellat pro nobis* c? Obſervate, ſi placet, illud verbũ *qui mortuus eſt*. Quia per mortem ſuam factus eſt noſter Interceſſor. Et hęc mors nobis figuratur per ſanctum Miſſę ſacrificium, *Hoc facite in meam commemorationem* d. Hujus figura eſt ſanguis agni, per quem Iſraelitę liberati fuerunt ab Angelo Ægyptiorum exterminatore, & à carcere Ægypti, *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens quando percuſſero terram Ægypti* e. Secundo modo, Anima liberatur per viam gratię per interceſſionem amicorum Dei, quod fit per orationes Sanctorum non ſolùm comprehenſorum, ſed etiam viatorum, qui ſunt amici Dei. Et hęc eſt ſecunda differentia ſuffragiorum. Tertiò, Anima liberatur etiam per viam juſtitię, nimirum per viam redemptionis, & hoc per liberalitatem, per eleemoſynas per quas animę liberantur à pœnis, quas ipſę pati debebant. *Quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime*, conſulebat Daniel f Regi Nabuchodonoſor. Quartò, Per viam ſatisfactionis peractę Juſtitię Dei pro pœna peccatis debita, vel a ſe, vel ab alio. A ſe, ſi cum quis adhuc vivit, jejunat, aut vacat alijs operibus mortificationis. Ab alio, cùm alius jejunat, vel exercet alia bona opera pœnalia in favorem animę, quę eſt in purgatorio. quia ſolvit in corpore ſuo id, quod hęc anima ſolvere debebat. Quintò, Cùm ſatisfit pro pœna, & debitum ſolvitur è theſauro g Eccleſię, nimirum e meritis infinitis Jeſu Chriſti & ſupererogatorijs B. Virginis, & Sanctorum: & ſic anima liberatur per indulgentias, quę applicantur ipſi per modum ſuffragij: & inter illos quinque modos, quę Deo *offertur nomini oblatio munda* h, id eſt, ſanctum Miſſę ſacrificium, plurimum habet valorem, & maximam efficaciam. Et iſtius probatio eſt Lazarus; & in vita ſua, & in morte ſua. Lazarus, idem eſt ac, adjutus Domini, vel Dei adjutorium, quod propriè pertinet ad animas purgatorij, quæ indigent adjutorio: nam nec animæ paradiſi, nec animæ inferni poſſunt adjuvari, ſed ſolæ animæ purgatorij, quæ expectant & efflagitant ſuffragia noſtra vocibus, quæ ciere nos debent commiſeratione, *Lazarus amicus noſter mortuus eſt* i. Ipſæ mortuæ ſunt quantùm ad motum, cùm non habeant ampliùs actionem ad adjuvandas ſeipſas; ipſæ ſunt amicæ Dei, cùm ſint in gratia ipſius, & jam jam fruituræ gloria illius: animæ iſtius mundi non poſſunt ſimpliciter vocari amicæ Dei, cùm poſſint eſſe inimicæ ejus, amittentes gratiam, quæ reddebat ipſas amicas illius: ſed animæ purgatorij ſunt confirmatæ in gratia, & erunt ſemper amicæ Dei. Jure ergo merito *Lazarus amicus noſter*. Deus vult illum ſuſcitare, Deus educere vult hunc Lazarum è tumulo, Jeſus ad eum accedit, Martha & Magdalena ſorores ejus adſunt, *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit, Pater, gratias ago tibi quoniam audiſti me: ego autem ſciebam quia ſemper me audis. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit, Lazare, veni foras. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus*. Videte nunc illius figuræ veritatem. Ad ſuſcitandas animas, ad educendos hos Lazaros è tumulo purgatorij, oportet ut Jeſus veniat in perſona, præſentia ipſius eſt neceſſaria in Miſſa, requiritur ut Martha & Magdalena ſorores adſint, Eccleſia triumphans ſignificata per Magdalenam, contemplatio; & Eccleſia militans figurata per Martham, actio; iſtæ duæ ſorores orare debent & ſolicitare Dominum in favorem iſtarum animarum: oportet ut Jeſus loquatur in Miſſa, *Hoc eſt corpus meum* k. Et conſequenter, *Lazare veni foras*. Animę captivæ, exite ex ergaſtulis veſtris, ad veniendum fruitum libertate & gloriâ. Et hoc eſt quod ipſæ faciunt, hoc ſacrificio pro ipſis oblato.

Sed quomodo (diceret mihi poſſet aliquis, antequam terminetur iſte diſcurſus, & hæc Octava) poſſumus in hac vita defunctis eſſe favorabiles interventu ſuffragiorum noſtrorum? Quodnam commercium vivorum cum mortuis, noſtri qui ſumus in iſto mundo cum animabus purgatorij? Ut totum Solem opponam oculis Hęreticorum noſtrorum, vel eorum qui videre renuunt, ſolam affero rationem ad ſtabiliendum valorem ſuffragiorum noſtrorum adverſus eos, qui eorum deſtruere vellent efficaciam. Cùm tota Eccleſia non faciat niſi unum corpus, cujus Jeſus Chriſtus eſt Caput (*Quia membra ſumus corporis ejus* l, *& ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* m) debet habere communicationem tam Capitis cum membris, quam membrorum inter ſe, ſic ut *pro invicem ſolicita ſint membra*.

z Epheſ. 1. 17. &c.
a Mat 16 15. & 16
b Baruch 3. 25.
c Rom. 8 33. & 34
d Luc. 22 19.
e Exo. 12 13.
f Dan. 4 24.
g Sap. 7. 14.
h Malac. 1. 11.
i Jo. 11. 11. &c.
k Mat 26 26.
l Epheſ. 5 30.
m Col. 1 18.

Et

Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, dicit nobis S. Paulus *n*. Atqui Juſti mortui ſunt membra Jeſu Chriſti, iſtius Capitis, & hujus corporis, uniti nobiſcum & cum Deo fide, ſpe, & charitate, quæ ſunt vincula quæ nos ligant ſimul. S. Auguſtinus *o* confirmat hanc veritatem, dicens, quòd animæ fidelium defunctorum, non ſunt ſeparatæ ab Eccleſiâ, quæ eſt *Regnum Dei p*; & conſequenter viventes poſſunt & debent adjuvare defunctos, cùm ſint membra ejuſdem corporis. Quin imò & Jeſus Chriſtus, qui eſt illius Caput, cùm *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt q*, profuit vivis, & *mortuus r* auxiliatus eſt mortuis, & vivens favorabilis fuit defunctis, & mortuus tulit opem viventibus: decet igitur ut membra ſe gerant eodem modo inter ſe, & ut ad exemplum Capitis, Juſti in iſtâ vitâ proſint viventibus, mortui defunctis, viventes mortuis, & mortui viventibus.

Quòd Jeſus Chriſtus vivens profuerit vivis, hoc probo: Remiſit *peccata s* Magdalenæ, paralitico *t*, Zachæo *u*, Petro *x*, Dimæ ſeu bono Latroni *y*. Dedit etiam ſanitatem multis infirmis *z*, faciens curationes miraculoſas & Divinas. Quòd mortuus, favorabilis fuerit defunctis, quis neſciat quòd liberavit animas SS. Patrum è limbò, & confregit eorum catenas, donans eos libertate *a* juxta prædictionem Iſaiæ in ſpiritu ipſum ſic alloquentis, *Ut diceres his qui vincti ſunt, Exite: & his qui in tenebris, Revelamini.* Quæ prophetia adimpleta eſt, cùm ſtatim ac ipſe *emiſit ſpiritum, monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt b*. Quòd vivens profecerit defunctis, mortui, quibus retribuit vitam, teſtes ſunt iſtius veritatis: Principis Synagogæ *filia defuncta c*, ſuſcitata domi; qui *defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat d* civitatis Naim, reſuſcitatus in viâ; & Lazarus è tumulo ad vitam revocatus, *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus e*, ſunt favores iſtius ſupremi Amatoris hominum. Quòd mortuus profecerit defunctis, quis dubitat? cùm dicat nobis S. Paulus *f*, *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, convivificavit cum illo: donans vobis omnia delicta, delens quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Et nunc glorioſus in cœlo, nunquid non eſt Advocatus noſter? *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*, ait S. Paulus *g*. Et S. Joannes *h*, *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.*

Quòd poſſimus & debeamus, ut membra, noſtrum Caput imitari, hoc eſt manifeſtum. Et quantùm ad illos qui ſunt in vita, quòd auxilium ſuſcipiant à viventibus, quis id non videat? Nunquid non inſtruimur, & vivimus *in omni verbo, quod procedit de ore Dei i*, & Sacramentis ejus *k*? Et nonne S. Jacobus *l* nobis conſulit? *Orate pro invicem, ut ſalvemini.* Quòd mortui favorabiles ſint etiam mortuis, iſtud eſt pro comperto, *Mortuus Eliſeus m* ſuſcitavit alium mortuum. Et Abraham mortuus nonne ſuſcepit Lazarum mendicum mortuum *in ſinum n* ſuum? Et dubitandum non eſt quin animæ ſanctæ defunctorum qui regnant cum Jeſu Chriſto in gloria, orent pro animabus patientibus purgatorii. Hæc eſt praxis Eccleſiæ, quæ Sanctorum ſuffragia petit in earum favorem. Quòd mortui proſint viventibus, refert Scriptura *o*, viſos fuiſſe, licèt mortuos, Jeremiam Prophetam, æquè ac *Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos, orare pro omni populo Judæorum* viventium. Et auxilium quod in iſta vita ſuſcipimus à Sanctis defunctis, non permittit nobis ut ambigamus de hac veritate, æquè ac de illorum charitate. Concludamus igitur, quòd, cùm viventes proſint viventibus, mortui defunctis, defunctique viventibus, viventes etiam proficiant mortuis, id eſt, educendo eos è carcere purgatorii.

Ubi, ſi placet, obſervabitis, quòd homo qui diu detentus eſt in carcere, inde poteſt exire tribus modis. Vel liber & immunis ab omni pœna, cùm inventus fuerit innocens. Aut condemnatus, ſic ut propter ſua crimina unicuique evidentia, ducatur ad patibulum, ſupplicio perimendus extremo. Vel relegatus ad aliquantum tempus determinatum, quo elapſo redire liberè poſſit ad patriam ſuam: quia licèt conſcius eſſet criminis, hoc tamen dignum non erat quod morte multaretur. Neminem latet, quòd anima detruſa eſt in hoc corpus, velut in obſcurum carcerem, è quo exitus eſt gratus ſanctis animabus, & moleſtus illis quarum deliciæ non fuerunt niſi in luto voluptatum. Speciosiora non poſſumus allegare teſtimonia, quàm ea quæ de ſe præbet S. Paulus *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto p*: & dicens, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus q*? Atqui animæ tripliciter exire poſſunt ex iſto carcere. Vel immunes à culpa & pœna, & ſic ſtatim avolare in cœlum, quod eſt patria ſua. Vel condemnatæ, ſic ut confeſtim tradantur ad mortem, *& in ſupplicium æternum r*. Vel ſolùm miſſæ in exilium in purgatorium ad aliquantum tempus, quo finito revertantur in patriam ſuam cœleſtem. Si primæ non indigent interceſſoribus apud Principem; ſecundæ non ſunt capaces ſuffragii, nec interceſſionis; ſed ſolæ tertiæ, quæ poſſunt orationibus adjuvari, proportionabiliter ad præfatum hominem qui è carcere exire poteſt.

Mementote quomodo aliàs ex arca *Noe emiſit columbam poſt eum; ut videret ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ: quæ cùm non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam. Rurſum dimiſit columbam ex arca: at illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo: intellexit ergo Noë quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram. Expectavitque nihilominùs, & emiſit columbam, quæ non eſt reverſa ultrà ad eum s*. Columba, eſt oratio, quam facere poſſumus tripliciter pro mortuis, hoc eſt, vel pro damnatis, vel pro Sanctis, vel pro animabus purgatorii. Oratio quam facimus pro damnatis, eſt columba quæ nullum locum reperit ubi collocet pedem ſuum, cùm ſalus illorum ſit deſperata. Sed quid fit de hac oratione? Ipſa revertitur ad eum qui ipſam fecit, & ad eum refert emolumentum, quod ipſa non potuit aliis facere. Quòd ſi oramus pro Sanctis, hæc oratio eſt columba, quæ revertitur cum ramo olivæ in roſtro, quia refertur omnino ad bonum noſtrum, juxta iſtud Davidis *t*, *Oratio mea in ſinu meo convertetur.* Ipſa defert olivam, ut certos nos reddat, quòd anima pro qua oramus, jam obtinuit miſericordiam Dei, & quòd ipſa non eſt ampliùs obnoxia diluvio tribulationis. Sed oratio quam facimus pro animabus purgatorii, eſt columba quæ non rever-

n 1. Cor. 12. 25 &c. — o S. Aug. lib. 20. de Civit. Dei c. 9. — p Matth. 21. 43. — q Baruch. 3. 38. — r 2. Cor. 5. 15. — s Luc. 7. 47. — t Matth. 9. 2. — u Luc. 19. 9. — x Luc. 22. 61. — y Luc. 23. 43. — z Joan. 19. 8. — a Iſai. 49. 9. — b Matth. 27. 52. &c. — c Matth. 9. 18. &c. — d Luc. 7. 12. &c. — e Joan. 11. 44. — f Coloſſ. 2. 13. & 14. — g Hebr. 7. 25. — h 1. Joan. 2. 2. — i Matth. 4. 4. ex Deut. 8. 3. — k Joan. 6. 55. & 56. — l Jacob. 5. 16. — m 4. Reg. 13. 20. & 21. — n Luc. 16. 22.

o 2. Mach. 15. 12. &c. — p Philipp. 1. 23. — q Rom. 7. 24. — r Matth. 25. 46. — s Gen. 8. 6. &c. — t Pſ. 34. 14.

revertitur,quia reperit animas quæ ſublevari poſſunt ipſius auxilio,cujus animæ inferni,& paradiſi,non ſunt capaces: propterea hæc oratio requieſcit præcipuè ſuper has animas purgatorii,ut adjuvet eas, & abbreviet terminum pœnarum ipſarum.

Percuſſit Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David,& deſperatus eſt.Deprecatusq; eſt David Dominum pro parvulo: & jejunavit David jejunio, & ingreſſus ſeorſum, jacuit ſuper terrã. Cùm ergo David audiſſet ſervos ſuos muſſitantes intellexit quod mortuus eſſet infantulus: dixitque ad ſervos ſuos, Num mortuus eſt puer? Qui reſponderunt ei, Mortuus eſt. Surrexit ergo David de terra,& lotus unctuſque eſt:cùmq; mutaſſet veſtem,ingreſſus eſt domum Domini & adoravit,& venit in domum ſuam, petivitq; ut ponerent ei panem,& comedit. Dixerunt autẽ ei ſervi ſui Quis eſt ſermo,quem feciſti? propter infantem,cùm adhuc viveret,jejunaſti,& flebas: mortuo autem puero ſurrexiſti,& comediſti panem. Qui ait,Propter infantẽ,dum adhuc viveret,jejunavi,& flevi: dicebam enim, Quis ſcit ſi fortè donet eum mihi Dominus,& vivat infans? Nunc autem quia mortuus eſt,quare jejuno? Nunquid potero revocare eũ am-
u 2. Reg 12. &c. *plius* u? Animæ Beatorum ſunt omnino ſanæ in cœlo; animæ damnatorum mortuæ ſunt penitus in inferno; & animæ purgatorii ſunt infirmæ, & capaces paſſiunum;& ſic, ſi oremus pro illis,*quis ſcit ſi fortè donet Dominus* eas nobis?eo vel maximè quòd ſint membra corporis ejuſdem,cujus & nos ſumus,ut dicebam ſuprà. Quod cùm ita ſit, nunquid non compatiemur pœnis earũ,quas ſublevare poſſumus ſuffragiis noſtris? Juſtitia requirit,ut,prout membra corporis ejuſdem, compa-
x 1. Cor. 12, 25 & 26. tiamur eis,cùm, ſicut ait Apoſtolus x. *pro invicẽ ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur unũ membrũ, compatiuntur omnia membra: ſive gloriatur unum membrum,congaudent omnia membra.* Animæ purgatorii patiuntur id omne quod audiviſtis doloris: regula charitatis eſt,*gaudere cũ gau-*
y Rom. 12.15. *dentibus,flere cum flentibus* y. Iſtæ animæ ſunt afflictæ,ipſæ ſunt in ſtatu miſeriæ: Heu! compatiamur infortunio earum, ſatagamus ut educamus eas è miſeriâ,cui ſunt immerſæ. Ipſæ expectãt hoc auxilium ſavorabile à charitatibus noſtris, & hoc nõ poſſumus eis denegare quin ſimus crudeliores tigridibus,& immitiores elephantibus qui ad carnificinam animantur intuitu ſanguinis. Si noſtras aures obturemus triſtibus earum vocibus, ſi reddamus nos inexorabiles juſtis illarum ſupplicationibus, & ſi orationes quas ipſæ dirigunt ad nos, *Miſeremini mei, miſeremini mei,ſaltem vos ami-*
z Job 19. 21. *ci mei,quia manus Domini tetigit me* z non exaudiantur à nobis;vereamur, ſed jure merito,ne excipiamur aliquando eodem modo,& ne experiamur eoſdem rigores ab illis qui nobis ſuperſtites remanebunt,ſicut ait nobis Dei Filius,*In qua u.ẽ-*
a Matth. 7.2. *ſura menſi fueritis,remetietur nobis* a. Hæc eſt reflexio quam facio pro nobis: Faciamus aliis id quod vellemus fieri nobis in ſimili occaſione. Et cùm tantæ pœnæ ſint in purgatorio tolerandæ.& dolores ibi ſuſtinendi ſint extremi, ſatagamus ut mediis bonis operibus noſtris declinemus ab iſtis pœnis; ne confidamus in re tanti momenti, aliis qui minus amoris erga nos habebunt quàm nos, hæredibus qui obliviſcentur noſtrî, nec recordabũtur noſtrùm,& bonorũ noſtrorũ,niſi quandiu cymbala tinnient. Heu! Auditores, jugiter laboratis,non eſt aliquid quod non inſumatis ad conſervanda bona temporalia, ad augendã rem veſtrem familiarem, ad magnificandam fortunam veſtram, nedum fortè tamen hanc faciatis unquã reflexionem,quòd hæc omnia bona cogemini relinquere ingratis, qui illa impendent in diſſolutiones,nedum ſatagere velint ut celebretur pro vobis Miſſa vel unica,aut ſoliciti ſint ipſi de recitando unico *de profundis*, pro ſalute & quiete animæ veſtræ, quæ lãguore ſuſpirabit in ignibus & flammis purgatorii: nunquid non is agendi modus ſpectat hominem judicio deſtitutum,qui eſt ſibimetipſi crudelis,ut meliùs faveat aliis,faciendo ſe voluntariè miſerùm,ut reddat alios felices? Ha! quàm merito jure dicere poſſum omnibus & ſingulis illis qui iſto modo fecerunt,ad illorum confuſionem,præ juſtâ punitione Dei,*Stulte,quæ paraſti,cujus erunt* b? Parentes,jejunatis,vigilatis, b Luc.12. 20.
corpora veſtra maceratis pœnitentiam agitis, ſic ut hæc ſufficerent ad faciendos vos ſanctos, ſi ea ageretis ex principio ſupernaturali & Divino: ſed cum non faciatis hæc niſi ex amore carnali, ad acquirendas divitias liberis veſtris, qui obliviſcentur veſtri,cùm eritis in neceſſitate cõſtituti,& qui, more catulorũ viperæ, concurrent ad meliùs vos affligẽdos,cùm diſſipabunt id quod ipſis reliquerıtis,& illo utentur ad offendendum Deum;& recuſabunt erogare quinque aſſes ut ſatagant celebrandam unam Miſſam pro liberatione animarũ veſtrarum,& ſatisfaciãt pro pœnâ peccatis veſtris debit Juſtitiæ Divinæ,quæ vos puniet:dicite ergo,parentes, idem quod ipſemet Deus improperat filiis ingratis, quos ſuis cumulaverat beneficiis,*Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me* c. En id quod liberi veſtri retribuẽt vobis c Malt.1.2.
in actione gratiarũ pro eo quod feciſtis pro ipſis.

Extra me rapior præ pavore, cùm iſta Pſalmiſtæ d verba perpendo, *Confundantur omnes qui* d Pſ.96.7
adorant ſculptilia,& qui gloriantur in ſimulachris ſuis. Quænam autem ſunt hæc idola, & iſta ſimulachra? Parentes,hæc, ſunt liberi veſtri, qui ſunt imagines veſtri ipſorum: Idolũ tuum, marite,eſt uxor tua,quam ſic ardenter amas: non enim ſolùm adoras eam, ſed totam collocas in illâ ſpem tuam: ſed heu! video te in ignibus,intueor te cruciatum ardoribus purgatorii,aſpicio te conſtitutum in hâc neceſſitate quæ eſt extrema; audio te poſtulare auxilium ab uxore tuâ, à liberis tuis,à propinquis tuis,& ab amicis tuis,& videns te derelictum ab illis,opertus confuſione,& oppreſſus dolore jure merito exclamas,*Confundãtur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.* Quæ confuſio,Auditores,augens pœnam illius, inducit illum ad dicendum Deo per Pſalmiſtam e,*Quoniam quem tu percuſſiſti,perſe-* e Pſ.68.
cuti ſunt,& ſuper dolorem vulnerum meorum ad- 27.
diderunt. Et jure merito,quia cùm mortui non dilexerint ſeipſos quandiu erãt in vitâ,Deo ſic permittente, traduntur oblivioni, & nemo cogitat de educendis ipſis à pœnis ſuis. Hanc reflexionẽ, Auditores finio per noſipſos, hortando vos ut ſapientes fiatis alienis impenſis, ne tales evadatis propriis experientiis juxta iſtud,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Quantùm ad animas purgatorii,ad terminandam feliciter hanc Octavam, rogo vos ut exhibeatis vos eis propitios & favorabiles interventu orationum veſtrarum, eleemoſynarum veſtrarum, præcipuè verò ſancti Miſſæ ſacrificii, quæ ſunt media adjuvandis eis opportuna. Audiviſtis motiva compaſſionis, ſatagite ut per bona opera veſtra

pœnas earum ſubleveris: quòd ſi renuatis hoc agere, ſcitote quòd Deus ſuſcitabit aliquem alium, qui impendet illis hanc miſericordiam, & quòd vos privamini emolumentis, quæ inde eduxiſſetis, & ab obligatione quâ iſtæ animæ vobis fuiſſent per æternitatem devinctæ, agnoſcentes vos poſt Deum redemptores ſuos. Qualis gloria vobis, mereri hanc qualitatem; & qualis felicitas illis, experiri iſtos effectus miſericordiæ. Expectatisne, Auditores, ut agam vobis gratias pro eo quòd aſſidui fueritis ad veniendum me auditum? Iſtud eſt, quod agere debent illæ animæ quæ beatæ ſunt in cœlo; & illæ quæ interventu ſuffragiorum veſtrorum ſperant ſe citò illuc eſſe perventuras. Auxiliamini eis, exhibete vos illis propitios & favorabiles: iſtud eſt, quòd à vobis peto, & quod agere poteſtis glorioſiſſimum. Juſtitia Divina, hoc eſt conſilium omnium Auditorum meorum; ſuſcipe ſuffragia noſtra, offerimus ea tibi in favorem animarum iſtarum, quippe quæ ad earum liberationem volumus impendere: eſto contenta illis quæ ipſæ pertulerunt, & patiuntur adhuc. Tu verò miſericordia Dei mei, contere catenas earum, indulge eis libertatem, ut exeuntes è miſeriis purgatorii, intrare poſſint in gloriam cœli.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B: V: MARIÆ.

Quæ eſt iſta quæ progreditur? Cant. 6. 9.

NAtura quæ naſci facit hominem vacuum omnibus ſpeciebus poſtquàm novem menſes eſt immoratus in obſcuro carcere viſcerum maternorum, tribuit ei capacitatem recipiendarum illarum omnium, ſicut materiæ primæ omnium formarum induendarum præbet appetitum: ſic *omnis homo naturaliter ſcire deſiderat*, & obvium habens aliquid extraordinarium, ſtatim rapitur in admirationem, quæ eſt valida probatio ignorantiæ ipſius, quæ eſt mater & cauſa admirationis: *Quæ eſt iſta quæ progreditur?* ait ſummus Sacerdos de B. Virgine, videns eam ornatam tot gratiis, ditatam tot virtutibus, & quòd ipſa aſcendit in templum cùm tantâ majeſtate, ut offerat ſe Deo in perfectum holocauſtum. *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri* a, inquit illi. Ipſa eſt ſicut altera *Judith caput* b Holofernis abſciſſura, id eſt, *caput ſerpentis* c infernalis contritura: Ipſa eſt ut altera Eſther quæ ingredi debet *ad Regem*, *& pro populo ſuo, & pro patria ſua* d rogare, ut revocare dignetur Aſſuerus cœli decretum mortis latum adversùs eundem populum ipſius: Quemadmodum altera *Abigail* e quæ ſiſtit furores Davidis cœleſtis exacerbati contra inſenſatos Nabales, id eſt, peccatores. *Quæ eſt iſta quæ progreditur?* Ipſa eſt *quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol*, quæ incipit exhibere ſe. Ut videamus progreſſus ejus, petamus ab eâ lumina ipſius, & dicamus illi cum ſpiritu lucis, *Ave Maria*.

a Judith. 15. 10.
b Judith 13. 10.
c Eccleſia Ex Gen. 3. 15.
d Eſth. 13. 9. &c.
e 1 Reg. 25. 23. &c.

Illud eſt pro comperto, quòd cùm Deus ſit origo & ſubjectum omnium perfectionum, cùm dicat Scriptura f quòd *Pater cœleſtis perfectus eſt*: B. Virgo Maria, quæ virtute decreti æterni, *ab æterno ordinata* g, debebat eſſe Mater ipſius *ubi plenitudo temporis* h veniret, debebat propter hunc eminentem finem ſimiliter eſſe gratiarum omnium ſecluſorium, *gratia plena* i. In ſtatu naturæ, aderat primum *Principium* k ſemper potens ad agendum & ad dandum: oportebat etiam ut daretur in ſtatu gratiæ, ſubjectum ſemper paratum, & in potentia ad recipiendum: & iſtud, eſt hæc B. Virgo, quæ venit hodie in templum ut ibi ſe Deo conſecret præ tanto ardore, ut univerſi qui ipſam contemplantur, ſtupore creantur inde. Doctores Eccleſiæ quærunt ſuper hodiernam ſolemnitatem, quænam erient alimenta B. Virginis in infantia ſua, cùm ipſam pepererit S. Anna mater ſua ætate provectiâ, quæ privat mulieres his favoribus quos ordinariè natura providentia ſua indulget nutricibus, tribuens eis duplicem fontem lactis ad alendos liberos ſuos. Aliqui putaverunt quòd B. Virgo poſt nativitatem ſuam tradita eſt nutrici alenda. Quod credibile non eſt, cùm à S. Chryſoſtomo l reprehendantur *matres multæ, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus*. Cujus reprehenſionis ratio poteſt eſſe, quòd interdum liberi ſugentes lac alienum, ſumunt in naturam vitia, quæ tandem obſcurant totum decôrem & totum ſplendorem proſapiæ ipſorum, ut patet ex multis hiſtoriis, quæ validæ ſunt probationes iſtius veritatis, æquè ac immanitatis matrum adversùs liberos ſuos. Alii dicunt, quòd ſicut Deus ſuum nutrivit in deſerto, *Angelorum eſca populum, & paratum panem de cœlo* præſtitit *illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem* m: ſic miſit Angelum ad nutriendam hanc ſanctam Virginem, quæ ipſi chariſſima erat omnium creaturarum. Sed dicamus meliùs, & probabiliùs, quòd S. Anna mater iſtius ſanctæ Puellæ ſufficienter habebat lactis ad eam alendam, cùm Deus qui liberalitate ſua dat eſſe, det etiam providentia ſua id omne quod neceſſarium eſt ad illud fovendum, *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*, dicit Philoſophia. S. Anna aluit igitur B. Virginem tribus annis, quibus elapſis ipſa præſentavit eam in templo ut ditiſſimum ornamentum ſuum. Mirabile erat viſu quomodo hæc ſpecioſa aurora illuminabat totum mundum qui ſtupore crebatur intuitu tot gratiarum. Ipſa progreditur ut offerat ſe Patri æterno, & ſic ſublime aſcendit ut ſuperet reliquas creaturas, Primò cognitione Dei, ſecundò amore, Tertiò excellentiâ meritorum, quæ interventu gratiæ, quam ipſa ſuſcepit excellentiſſimè cæterarum creaturarum, ipſam extu-

f Matth. 5. 48.
g Prov. 8. 23.
h Galat. 4. 4.
i Luc. 1. 28.
k Apoc. 1. 8.
l S. Chryſoſt. hom. 60. ad Pop. Antioch.
m Sap. 16. 20.
Diviſio.

exulcerunt ad ſupereminentem Matris Dei dignitatem, ut videbimus in tribus partibus diſcurſus iſtius.

I. Pars. Cognitio Dei ſic nobis eſt neceſſaria, ut ſine notitiâ iſtâ noſtram non poſſimus operari ſalutem, *Hæc eſt vita æterna, Ut cognoſcant te ſolum* n Joan. 17. 3. *Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* n. Hæc divina notitia eſt vita æterna, & principium noſtræ beatitudinis, & nos non habebimus gloriam & felicitatem niſi proportionabiliter ad hanc Divinam cognitionem quæ ipſam cauſat, quæ includit & complectitur in ſe totam perfectionem; *Noſſe enim te conſummata ſapientia* o Sap. 15. 3. *eſt*, ait Sapiens o, Deum alloquens. Et beati in cœlo qui majori gloriâ fruuntur, ampliorem poſſident etiam cognitionem, quæ ſingulis momentis nova mirabilia manifeſtat ipſis in hoc oceano immenſo Divinæ Eſſentiæ, ſicut Deus *magnus eſt & non habet finem, excelſus & im-* p Baruch. 3. 25. *menſus* p. Et hæc eſt etiam productio virtutis & gratiæ cœli, quæ excedens vires noſtras non relinquit eis niſi potentiam illius ſuſcipiendæ beneficio luminis gloriæ, ſicut dicunt Theologi q Pſ. 35. 10. poſt Pſalmiſtam q ſic alloquentem Deum, *In lumine tuo videbimus lumen.*

Dico igitur quòd B. Virgo quæ *ab æterno ordi-* r Prov. 8. 23. *nata* r eſt, ut eſſet ornamentum naturæ humanæ, fuit etiam in tempore centrum omnium gratiarum, *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa*, ait S. s S. Epiph. ſerm. de Laud. Deip. Epiphanius s. Et ſicut cœlum liberaliſſimum ſe exhibuit erga eam præ omnibus creaturis; ſic & eas omnes ipſas ſuperavit cognitione. Ipſa cognovit Deum per revelationem, ſicut Prophetæ t; t Iſai. 6. 1. per figuram velut Patriarchæ u; per parabolas, u Gen. 25. 12. & 19. quemadmodum Apoſtoli x; & per effectus ipſa x Matth. 13. 11. pervênit ad cognitionem primæ Cauſæ, non ſecus ac Philoſophi, *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur:* y Rom. 1. 19. & 20. *ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* y. Ipſa cognovit per rationem z cum hominibus, per z Pſ. 4. 7. a Hebr. 11. 6. fidem a cum fidelibus, & perfectiſſimè omnium illorum ratione certitudinis objecti, quod ipſa jugiter habebat præſens, putà Deum factum hominem; & propter per eſtam cognitionem ſuam, cùm ipſa ſciret quòd omnia myſteria Incar- b Matth. 1. 23. ex Iſai. 7. 14. nationis adimpleta fuerant *in utero* b ſuo. *Virgo plurium nominum & multocula, effecta eſt. Seraphim incomprehenſa viſionis: quæ inventa eſt velamentum quoddam intellectuale corporis univerſalis, Cherubim transcendens. illa enim avertuntur, cùm nequeant ſpiritalem ignem Divinitatis, fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis* c Ex Jer. 31. 19. *fixè intuens incomprehenſibilem* c *& ſomni expertem oculum Chriſti, cum deſiderio & oſculo ſalutabat. Exercitus Angelorum (qui ſunt ſcabel-* d Ex Pſ. 98. 5. *lum pedum* d *Chriſti) procidentes nec videre poſſunt, nec contingere, hæc verò labra labris conjungens, incomprehenſum ſalutabat*, ait S. Epipha- e S. Epip. ſerm. de Laud. Deip. nius e.

Anima noſtra immerſa materiæ, non habet ita perfectas operationes, & non poteſt videre & cognoſcere in hoc ſtatu res ſpirituales, *Modus operandi ſequitur modum eſſendi*, dicit Philoſophia. Quòd ſi Deus ſpecialiùs intellectum alicujus hominis elevat interdum ad cognitionem ſuam, ratio illius eſt, quia ille homo vivens in carne, non utitur ſenſu, & voluptate carnis: & quotidianâ comprobamus experientiâ, quòd quò magis recedimus à terra, eò magis appropinquamus ad cœlum; & cognitio noſtra eſt eò perfectior, quò minus habet materiæ; cùm anima noſtra majora habeat lumina, quando à rebus corporeis eſt remota: B. Virgo ſemper diſſoluta fuit à terra, & mens ipſius ſemper adhæſit cœlo, ut objecto gratiſſimo cogitationum ſuarum, ſemper habens Deum præſentem, & magis quàm haberet eum S. Paulus, *Quoniam raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba* f. f 2. Cor. 12. 4. *Id eſt, Deo in anima ejus loquente per illuminationem internam, percepit atque cognovit quædam ſecreta de Deo, & creaturis, præſertim de myſteriis Chriſti, de Prædeſtinatione Divina, de Angelorum ordinibus, multiſque aliis, quorum cognitio omnem naturalem cognitionem excedit*, ait Dionyſius Carthuſianus g. S. Petrus g Dion. Carth. art. 12. in 2. Cor. 4. cognovit Divinitatem Chriſti per revelationem, eamque confeſſus eſt, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi* h. B. Virgo quæ ipſum concepit in viſce- h Matth. 16. 16. ribus ſuis, non minorem illius habere debebat cognitionem: ipſa præceſſit igitur cognitione creaturas omnes: & ſicut ipſa ſuperavit Angelos, æquè ac homines notitiâ; ſic & illos amore antecelluit: & hic eſt ſecundus gradus quem ipſa aſcendit ſupra reliquas creaturas. II. Pars.

Cùm B. Virgo majorem habuerit cognitionem, majorem habuit & amorem, cùm hic dependeat ab illa ſicut effectus à cauſa ſua: & juxta quòd cognoſcimus perfectiones alicujus ſubjecti, ſic & cor noſtrum quod eſt orgo amorum noſtrorum, erga illud afficitur, cùm amor menſuretur ad cognitionem: nec priùs cognovimus Deum, cùm amor nos tradit poteſtati ejus ferè eodem inſtanti quo ipſius notitia illuminavit cor noſtrum. Hanc veritatem manifeſtè probat illa *mulier quæ erat in civitate peccatrix. Ut cognovit, dilexit multùm* i. S. Petrus amabat Sal- i Luc. 7. 37. & 47. vatorem mundi præ omnibus Coapoſtolis ſuis, ſicut iſtud coram ipſis faſſus eſt, *Dicit Simoni Petro Jeſus, Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu ſcis quia amo te* k. Et k Joan. 21. 15. ratio iſtius eſt, quia perfectiùs illum cognoſcebat quàm illi. *Sed & Regina Saba auditâ famâ Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingreſſa Jeruſalem multò cum comitatu, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad Regem Salomonem, & locuta eſt ei univerſa quæ habebat in corde ſuo. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ propoſuit: non fuit ſermo qui Regem poſſet latère, & non reſponderet ei. Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, & cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultrà ſpiritum: dixitque ad Regem, Verus eſt ſermo quem audivi in terrâ meâ ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientiâ tuâ: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi quòd media pars mihi nuntiata non fuerit: major eſt ſapientia, & opera tua, quàm rumor quem audivi. Beati viri tui, & beati ſervi tui hi, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam* l. Ipſa ſcire l 3. Reg. 10. 1. &c. voluit per experientiam id, quod ipſa non ſciebat niſi per relationem. Sic eſt axioma generaliter admiſſum in Philoſophiâ, *Voluntas non fertur ad incognitum.* Ut amet quis, debet priùs cognoſcere: cùm ergo nullus unquam meliùs cognoverit Deū, quàm B. Virgo, dicamus etiā juſtâ

ſeque-

ſequelâ, quòd nullus unquam tantùm dilexit eum, quantùm illa. Quæ autem lingua poſſet exprimere, immò verò quis intellectus concipere valeret conatus Divinarum flammarum cordis ejus? Ipſa majorem habuit charitatem erga Deum, cùm erat adhuc viatrix in iſto mundo, quàm haberent Angeli & ſpiritus beati comprehenſores in cœlo: Licèt enim charitas Sanctorum major eſſet quantùm ad actum, charitas tamen B. Virginis erat ingentior quantùm ad ſubſtantiam, quæ producere non poterat effectus conformes ita nobili cauſæ propter impedimenta naturæ mortalis ipſius: *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* m. Sicut vi-
m Sap. 9. 15.
demus quòd candela accenſa meliùs illuminat aulam, quàm magnæ prunæ accenſæ, quæ incluſæ erunt in aliquo loco, quæ ob tale obſtaculum ſuas diffundere non poterunt flammas, quæ abſque iſtis impedimentis multum haberent lumen, & plus quàm candela: ſic charitas B. Virginis cùm major eſſet quantùm ad ſubſtantiam ſuam charitate Angelorum, minor erat eorundem charitate, quantùm ad actua ſuos ratione naturæ ſuæ. Angeli amabant Deum, ſicut ſervi amant Dominum ſuum, *Miniſtri ejus qui facitis voluntatem ejus*, ait illis Pſalmiſta n. Sed B. Virgo dili-
n Pſ. 102. 21.
gebat eum, ſicut Mater diligit Filium ſuum, cùm ſe conſecraverit à teneris annis ſuis obſequio divino in templo, ita ut ipſa dicere poſſet præ veri-
o Job 7. 15.
tate cum Job o, *Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea.* Illuſtris quædam Matrona poſtquàm ſe penitus conſecraſſet obſequio Dei & altarium ejus, abrenunciaſſet vitæ ſuæ diſſolutæ, ut non viveret ampliùs niſi vita purâ & Angelicâ, *omnia* p reliquiſſet propter amorem Sponſi ſui cœ-
p Matth. 19. 27.
leſtis, nihil habens ampliùs proprium, ſibi radi fecit capillos, & eos deſtinavit ad ſerviendum loco chordarum lucernæ quæ ardebat coram SS. Euchariſtiâ, quæ erat objectum unicum amoris ipſius, volens tota inſumi ad obſequium altarium præ hâc inſcriptione, *Elegit ſuſpendium anima mea.* Quæ tamen meliùs convenit B. Virgini, quæ ſe vovit Deo ad non vivendum amplius vitâ ſuâ, ſed vita dilecti ſui, offerendo ſe ut ſacrum
q Judith. 16. 23.
anathema q appenſum in templo ipſius, ſicut inſigne, aut votum quod præſentatur Deo. Ego neſcio, Auditores, quidnam terra habeat ſic attrahens ut ita ſibi devinciat corda, & alliget affectus hominum. Cœlum quod eſt corpus ſimplex, pati non poteſt miſtionem ejus: Ignis qui eſt puriſſimus elementorum, elevat ſe ſuper omnia, ut nullum habeat cum ea commercium: Aër non tangit illam niſi ſicut globus planum puncti: Aqua intuetur eam cum aliquo genere odii: & homines magnanimi non tangunt illam niſi præ deſpectu, conculcantes eam pedibus ſuis: B. Virgo præ omnibus nullo modo ei adhæret, ipſa eſt aquila paradiſi, *Elegit ſuſpendium anima mea.* Ipſa eſt in ſtatu elevationis in Præſentatione ſua in templo, ipſa efficitur victima, ſacrum anathema, lucerna, votum quod redditur; ipſa ſe vovet ſanctitati templi, ipſa elevat ſe è terra, ipſa eſt ſuſpenſa in ſemetipſa, in operationibus ſuis, & in diſpoſitionibus ſuis; ipſa ſe reddit victimam gratam Deo, quam ipſamet conſummat omnibus conditionibus, quæ victimam poſſunt omnino perfectam reddere. Ipſa non poteſt annihilare ſuum eſſe, cum exiſtentia ipſius non pendeat ab ipſa, ſed ipſa exinanit charitate ſua omne quod eſt in ipſa, univerſas potentias ſuas, cunctus affectus

ſuos, & omnia bona ſua, quæ ipſa habebat prout filia unica D. Joachim & D. Annæ: ipſa deſerit omnia, ipſa renunciat univerſis, ipſa venit in templum, ipſa nihil habet quod non ſit conſecratum in Deo, ipſa non utitur intellectu ſuo niſi ad cognoſcendum Deum, voluntate ſua niſi ad illum diligendum, memoria ſua niſi ad recordandum illius, cor ipſius eſt totum Deo addictum, ipſa non cogitat amplius niſi de eo; ſi ipſa dormit, cor ipſius vigilat, ita ut ipſa dicere poſſit æquè ac Sponſus ſuus, *Ego dormio, & cor meum vigilat* r. Quod r Cãt. 5. 2
eſt diſpoſitio ad futuram ipſius Maternitatem Divinam. Quarnam gratias ipſa ſuſcepit inde (ſicut dicam modò) cum Deus ipſam elegiſſet, *Elegit eam Deus.* Hæc electio non eſt communis, ſed facta eſt præ maturitate, *Et praelegit eam.* Id eſt, ſupra omnes. Ipſa eſt *præparatus mons domus Domini in vertice montium, & ſuper colles* s ele- s Iſai. 2. 2.
vatus. Adeſt plenitudo in hac actione, qua ipſa ſe vovet alacriter, & liberè, *Aſcenſiones in corde ſuo* t Pſ. 83. 7. & 10.
diſpoſuit, dicens, *Elegi eſſe in domo Dei mei* t abjecta. Aſcendit ipſa gradus templi præ gaudio, Læta *obtuli univerſa hæc* u, ipſa omnia of- u 1. Paral. 29. 17.
fert, perſonam ſuam, & bona ſua lætè, alacriter, & liberè. Ipſa dat univerſa. Quid autem dat ipſa? Omnia: ipſa enim ſola valet quidem totum mundum. Deus ſibi complacens in eâ intuendâ, ſicut prædixerat Pſalmiſta x, *Adjuvabit eam Deus manè diluculo*, collocavit in illâ cunctas pulchritudines x Pſ. 45. 6
diſperſas, lumen Solis, claritatem Lunæ, ſplendorem aſtrorum, puritatem Angelorum, ſcientiam Cherubinorum, ardorem Seraphinorum, &c. Hæc omnia ipſa habet & univerſa iſta ipſa offert charitate, ipſa ſe conſummat ut victimam gratam Deo qui ipſam acceptat: ſic erat ipſa victima excellentiſſima & perfectiſſima omnium (ſi excludatur Filii ipſius hoſtia) & in ipſâ ſolâ erat magis admirandum quàm in reliquis creaturis, ita ut ipſa verè dicere poſſet, *Abſcondit me in tabernaculo ſuo* y, y Pſ. 26. 5
quod dicitur Sancta ſanctorum z. Deus accep- z Hebr. 9. 3.
tat iſtam victimam, quam B. Virgo facit ipſi ſuiipſius, & quam ipſa conſummat charitate, ſic ut ipſa poſſit dicere in templo id, quod Filius ſuus dicturus eſt aliquando poſtquàm exiverit *bajulans ſibi crucem in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi* crucifixus fuerit, *Conſummatum eſt* a. Ipſa ſe annihilat, ipſa ſe a Jo. 19. 57. &c.
exinanit, ipſa ſe deſtruit, ipſa ſe conſumit, æquè ac ſe conſummat; ipſa non habet ampliùs vitam, operationem, & affectum, niſi propter Deum, ipſa non vivit niſi propter Deum, charitas ipſam transformat in Deum, & ſic ipſa dicere poteſt, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus* b. Seu, *Vivo non ſolùm* b Galat. 2. 20.
vita natura, ſed gratia: non vita humana, ſed Divina: non vita carnali, mundana & conſueta: ſed ſpirituali, cœliformi ac nova. Vivit verò in me Chriſtus, id eſt, non ſecundùm me ipſam vivo, ſeu ago, ſed ſecundùm Chriſti inſpirationem, voluntatem, atque doctrinam. Chriſtus ergo vivit in me, id eſt, regnat in anima mea, & poſſidet me, facitque me in ſe vivere, non ſecundùm propriam voluntatem, ſecundùm naturalem inclinationem, ſecundùm privatum amorem, ſed ſecundùm Divinæ charitatis inſtinctum, & juſſionem atque conſilium c c Dion. Carth. a. 2. in Galat. 2. 20.
ipſius, qui mihi tribuens cognitionem ſuam, me transformat in ſe per amorem & per charitatem.

III. Pars.

Tertius gradus, quem B. Virgo aſcendit, eſt gradus meriti, cùm plus ſit ipſa merita quàm omnes homines, & omnes Angeli, cùm vel unico verbo quod ipſa reſpondit Angelo, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum* d, ipſa meruerit eſſe Mater Dei, cùm ipſa ſe diſpoſuerit virtutibus ſuis heroicis, humilitate ſuâ profundiſſimâ, & puritate ſuâ Angelicâ ad hoc ut ſerviret velut inſtrumentum executioni myſterii ſic ineffabilis, & ſic merita ſit effici Genitrix Verbi incarnati, non de condigno, ſicut ajunt Theologi, cùm iſtud eſſet opus puræ miſericordiæ, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* e: ſed de congruo, ſe diſponendo ad ſuſcipiendam hanc gratiam, quam nulla alia creatura meruit unquam in cœlo, aut in terrâ. Omnes conatus aliorum Sanctorum, & univerſa eorum merita terminata ſunt per gloriam; ſed merita B. Virginis ulteriùs progreſſa ſunt ut ſublimiora, cùm ipſa concipere meruerit Verbum Divinum per conſenſum quem ipſa tribuit legationi Angeli: & ſic ipſa ſtatim merita eſt regimen mundi, imperium omnium nationum, ſceptrum omnium Regnorum, & plenitudinem univerſarum gratiarum, *Maria linguâ Syriacâ Domina dicitur: Chriſtus Dominus, Maria Domina: & licèt ipſa ſe Chriſti profiteatur ancillam* †, *hoc ſervitutis genus omni Regno ſublimius eſſe intelligit: Conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam: & quicumque Jeſu curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat & acclivis. In ſupernis & inferis admirationi eſt Virgo Puerpera: ſtupent dæmones, gaudent homines, in cœlo gloriam Deo concinunt Principatus & Poteſtates* f. *Non cadit in Angelos zelus, nec invidiæ livore candidatus ille tabeſcit exercitus, nec de prapoſito ſibi carnis ordine offenduntur: quia & ſi Chriſtus aliquando paulominùs ab Angelis propter paſſibilitatem ſit imminutus, modò gloriâ & honore coronatus ſub pedibus ſuis continet omnia ſubjecta* g. *Nec à damnatione vel potentiâ Filij Mater poteſt eſſe ſejuncta. Una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus ſpiritus, una charitas: & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum* h, *inſeparabiliter perſeveravit promiſſum & donum. Unitas diviſionem non recipit, nec ſecatur in duas partes, & ſi ex duobus factum ſit unum, illud tamen ultrà ſcindi non poteſt: & Filij gloriam cum Matre non tam communem judico quàm eandem*, ait Arnoldus Carnotenſis i. Ipſa ſic merita eſt ut ab ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti, nunquam deſtiterit progredi in gratiâ, *Quæ eſt iſta quæ progreditur*? exclamat hodie ſummus Pontifex, admirans tot progreſſus, videns eam ditatam tot meritis, & quòd ipſa merebatur in omnibus actionibus ſuis, imò in naturalibus, referens eas omnes ad honorem & gloriam Dei, quod nunquam fuit de ullâ aliâ creaturâ, cùm ipſa plus mereretur ſumendo quietem ſuam, quàm alii Sancti in vigiliis ſuis, & iſtud ob principium meriti quod eſt gratia, quæ erat major in ipſâ quàm in omnibus aliis Sanctis: concepta enim ſine peccato originali, perſeveravit jugiter in ſuâ primâ ſanctitate, *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum* k. Et ſicut ipſa debebat eſſe *tabernaculum Dei cum hominibus* l, ubi Divinitas habitare debebat per aliquantum tempus, Deus tribuit ipſi cuſtodiam ad ipſam protegendam ab omnibus ſiniſtris occurſibus. Sed hæc cuſtodia fortenè ſimilis erit, quam Scriptura memorat circum Filii ipſius *monumentum: duos Angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu* m ejuſdem, qui ipſum cuſtodiebant fideliùs & accuratiùs *cuſtodibus* n conſtitutis circum idem monumentum à Judæis? Admittitur inter hanc utramque cuſtodiam convenientia aliqua: nam ſicut illud erat *monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat* o: ſic B. Virgo erat nova, & parata propter quietem Filii Dei, nedum ullus alius præter ipſum, diabolus, aut peccatum in ipſâ unquam habitaſſet. Sed invenitur & aliqua diſſonantia inter hanc geminam cuſtodiam: licèt enim Angeli præfati cuſtodiviſſent & præſervaſſent eundem Dei Filium ab omni injuriâ, quandiu incluſus fuit in monumento, tamen illum poſteà deſeruerunt ſpeciali Dei providentia ſic diſponente: ſed B. Virgo nunquam derelicta fuit ab Angelis tutelaribus, quos Deus deſtinaverat ad obſequium ipſius, qui, poſtquàm Filius ipſius exivit ex ipſâ per nativitatem ſuam, non deſtiterunt curam illius agere, donec eam detulerint ad gloriam, *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna*, canit Eccleſia. Nolite autem mirari me dixiſſe, quòd B. Virgo Angelos, plures, vel unum habuerit ad ſui cuſtodiam deſtinatos, cùm dicat D. Thomas p, *Uni homini debetur unus cuſtos, & interdum plures deputantur ad cuſtodiam unius*. Et, *Quòd Chriſtus ſecundùm quòd homo ratione paſſibilitatis corporis erat viator: & ſecundùm hoc non debebatur ei Angelus cuſtos tanquam ſuperior, ſed magis miniſter tanquam inferior. Unde dicit Matthæus* q, *quòd acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*. Juxta eundem ſenſum hoc eſt intelligendum de B. Virgine, quæ habebat Angelum delegatum ad obſequium ipſius, qui fortitudine, vigilantiâ, & fidelitate ſuperabat omnes alios Angelos cuſtodes aliorum hominum, cùm commiſſa ſibi eſſet cura perſonæ eminentiſſimæ omnium. Iſte B. Virginis Angelus cuſtos debebat igitur ſolus habere plus fortitudinis quàm omnes alii, ſicut B. Virgo ſola plus habebat gratiæ quàm omnes ſancti ſimul, & debebat habere plus ipſa gloriæ quàm cuncti homines, æquè ac univerſi Angeli, ut poſſet ipſa meliùs dicere quàm Judith, *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem* r. Dicere autem vobis bona officia, quæ exhibuit hic Angelus B. Virgini, monita, inſpirationes, protectiones, inſtructiones, directiones, conſolationes, auxilia, fulcra, curas, & magnas diligentias hujus ſpiritus beati erga perſonam ſic eminentem, & tantis meritis repletam, hoc abiret in infinitum, & ideò illud relinquo veſtris meditationibus examinandum, ut dicam vobis duntaxat ad propoſitum meum, quòd, ſi aliàs *factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone* s: illud certamen non fuit juſtiùs indictum, quàm illud quod imaginor inter Angelum cuſtodem B. Virginis & eundem Luciferum, qui (ut opinor) videns

d Luc. 1. 38.
e Rom. 8. 16.
† ex Luc. 38.
f ex Luc. n. 13. & 14.
g ex Hebr. 2. 8. & 9. & ex Pſ. 8. 7. & 8.
h Luc. 1. 28.
i Arnol. Carnot. tract. de Laud. Deip.
k Pſ. 92. 5.
l Apoc. 21. 3.
m Jo. 20. 12.
n Matth. 19. 41.
o Jo. 19. 41.
p D. Th. 1. p. q. 113 ad 2. ad 1 & a. 4. ad 1.
q ex Matt. 4. 11.
r Judith. 13. 20.
s Apoc. 12. 7.

videns quòd Deus inciperet facere ſecundum thronū, nempe B. Virginem (ipſe, inquam, qui ſedere præſumpſerat in throno Dei præ ſuperbiâ intolerabili) ex quo Deus cœpit hunc thronum fabricare, ab ipſo inſtanti conceptionis ejuſdem B. Virginis, quod inſtans fuit veluti renovatio mundi, & principium Legis gratiæ, invidus gloriæ Dei, imaginatus eſt quòd poſſet facilius ei aliquam injuriam irrogare iſtâ ſecundâ vice, quàm præſumpſiſſet illi inferre primâ, & conatus eſt illabi per introductionem peccati originalis in animam Mariæ, quæ erat thronus iſte ſpecioſus præparatus majeſtati Dei: ſed Angelus tutelaris qui erat veluti Dux cuſtodiæ corporis Filii Dei, ſic feliciter defendit iſtum thronum, ut malignus ſpiritus, aut peccatum quod eſt illius character, ad illum non potuerit unquam accedere, *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*. Et, *Adjuvabit eam Deus manè diluculo* t. [t Pſ. 45. 5. & 6.] Angelus iſte ſemper manſit prope Mariam, nedum ullo unquam deſereret eam momento, tribuens ei ex parte Domini ſui nova incrementa gratiæ, fortitudinis, virtutis, & meritorum propter ornamentum ipſius, & ut eam præſervaret ab omni corruptione: & hoc ut illam diſponeret ad ſupervenientem qualitatem Matris Dei, privilegium ſingulare, quod inducit B. Virginem ad dicendum, *Fecit mihi magna qui potens eſt* u. [u Luc. 1. 49.] Quippe qui elevavit ipſam ad altiſſimum gradum gloriæ, cujus pura creatura capax eſſe poteſt: faciens enim eam Matrem ſuam, fecit eam ſuperiorem omni eo quod eſt ipſâ inferius. Qui favor tenet primum locum inter omnes alios, & eſt veluti origo aliorum. Angeli præ privilegio ſuſceperunt ut vocarentur *Miniſtri* x Dei: [x Pſ. 102. 21.] boni Chriſtiani amici, *Vos autem dixi amicos* y. [y Jo. 15. 15.] Et, *Filij Dei* z adoptivi: [z Rom. 8. 10. & 1. Jo. 3. 1] ſed nulli datum eſt hoc privilegium Matris, niſi Mariæ, privilegium tantum ut videatur exhauriſſe theſauros Omnipotentiæ Divinæ, cùm Deus non poſſet eam facere meliorem, aut perfectiorē: licèt enim poſſet Deus illam cumulare majori perfectione accidentali, quatenus eſt creatura, eam non poteſt tamen reddere meliorem aut perfectiorem, quatenus eſt Mater, & Mater tanti Filii. Potentia Divina, quæ nullos habet limites, niſi eos quos Divina Voluntas ipſi præſcribit, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terrâ, in mari & in omnibus abyſſis* a, [a Pſ. 134. 6.] terminos tamen invenit in tribus operibus eximiis, de quibus ait ſic D. Thomas b [b D. Th. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4] loquitur, *Humanitas Chriſti ex hoc quòd eſt unita Deo* c; [c ex Jo. 1. 14.] *& beatitudo creata ex hoc quòd eſt fruitio Dei* d; [d ex Pſ. 35. 10.] *& beata Virgo ex hoc quòd eſt Mater Dei* e, [e ex Matt. 1. 25.] *habent quandam dignitatem infinitam ex Bono infinito* f [f ex Baruch 3. 25] *quod eſt Deus: & ex hâc parte non poteſt aliquid fieri melius eis; ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.*

Ecce tres gradus, quos B. Virgo aſcendit hodie, oblata in templo, ut ibi maneat uſque ad annum quartumdecimum circùm circà unde ipſa non exibit niſi ut deſponſetur *Joſeph* g: [g Matth. 1. 18.] ſed poſtquàm illud reſperſerit odore virtutum & meritorum ſuorum, quæ erunt ditiſſimum ornamentum & totum decus iſtius magnifici templi. Finiamus iſtum diſcurſum, & diſcamus ad inſtructionem noſtram citò nos conſecrare Deo ad imitationem B. Virginis, quæ tantùm trima Divinæ Majeſtati ſe vovet, nedum differamus ad ſenectutem uſque. Nos autem quid agimus? Forſan ne vel anno trigeſimo, aut quadrageſimo. *Filij hominum uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* h? [h Pſ. 4. 3.] Quare tradimus nobilitatem noſtram? cur corda noſtra terræ alligamus? Agamus felicem elevationem, more Mariæ, quæ dicebat ſuprà cum Job, *Elegit ſuſpendium anima mea*, Deſeramus terram, adhæreamus Deo; ſatagamus ut totum eſſe noſtrum, ut omnes operationes noſtræ abſorbeantur in Deum, ut reddamus nos dignos diſpoſitionibus, quas Deus nobis tribuit, ut efficiamur ſancti. Dicamus ei cum Sponsâ, *Omnia poma nova, & vetera, Dilecte mi, ſervavi tibi* i. [i Cant. 7. 13.] Conſecremus ei omnes flores, & univerſos fructus ab initio vitæ noſtræ, & finis noſtri, ut id omne quod agemus, ſit propter amorem ejus. Imitemur B. Virginem, attendentes ad ea, quæ dicit nobis Jeremias k, [k Thren. 3. 27.] *Bonum eſt viro cùm portaverit jugum ab adoleſcentiâ ſua.* In hoc eſt ſita ſapientia Chriſtiani, ut Deo det primitias vitæ ſuæ, ut ſugat virtutem cum lacte, ſumens eam in naturam, cùm quales ſumus juvenes, tales futuri ſimus ſenes: proſequemur idem iter tempore ſenectutis noſtræ, quòd inceperimus tempore juventutis noſtræ, *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea* p. [l Prov. 22. 6.] Et unde procedunt tot corruptiones, & tot crimina, quæ, ſi Deus non eſſet quantùm ad effectus magis miſericors quàm juſtus, *Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur* m, [m Pſ. 114. 5.] jam potenter attraxiſſent acutiſſima tela iræ juſtæ ejus, eò uſque ut ſecundum diluvium [n Gen. 6. 12.] mundum immergeret, ſi eadem peccata n iiſdem plecterentur ſuppliciis o. [o Gen. 7. 17. &c.] Imitemur B. Virginem die iſtâ, conſecremus nos Deo. Parentes, imitamini patrem & matrem hujus ſanctæ Puellæ, offerte liberos veſtros Deo, cùm vocat eos ad obſequium ſanctum ſuum (nedum illos unquam inde avertatis) ut peragant in Religione, aut in Eccleſiâ officium Angelorum, incùbentes celebrandis laudibus illius, qui meretur omnes reverentias noſtras, & univerſas noſtras exigit adorationes p. [p Exod. 20. 5.] Nolite flere, & vos opponere ſanctis conſiliis eorum: Ha! habebitis aulicos in Curia Dei, cum pro vobis exorabunt, invehent ſuper vos omnes benedictiones cœli. & ſanctè viventes, nullam vobis unquam moleſtiam inferent. Prætereà, Imitemur B. Virginem, euntes jugiter *de virtute in virtutem* q, [q Pſ. 83. 8.] è ſanctitate in ſanctitatem, è perfectione in perfectionem, *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc* r: [r Apoc. 22. 11.] nedum dicamus unquam, Sufficit: ſed ſemper magnanimiter ſuperantes omnes difficultates quæ occurrunt in viâ virtutis: ibi enim ſiſtere, retrogredi eſt. Similes eſſe debemus auroræ quæ ſemper creſcit, aut Soli, qui ſuos ſemper diffundit radios præ majori ardore donec pervenerit ad meridiem, *Juſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectam diem* s. [s Prov. 4. 18] Progrediamur quamdiu vivimus donec perveniamus ad meridiem gloriæ, quæ erit terminus curſus noſtri, æquè ac meritorum noſtrorum, ſi verè poſſumus dicere cum Apoſtolo t, [t 2. Tim. 4. 7. & 8.] *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex.* Imitemur *Ducem ac Præceptorem* u [u Iſai. 55. 4.] noſtrum, qui ſemper creſcebat, eodem greſſu faciens incedere

&in-

& incrementum vitæ & augmentum virtutum, [x Luc. 2. 52.] *Jeſus proficiebat ſapientiâ & ætate* x. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum* y. [y Galat. 6. 10.] Faciamus nos divites gratiis, & meritis; lætè Deo ſerviamus, & alacriter, ac liberè, more ipſius, qui *oblatus eſt, quia ipſe voluit* z. A- [z Iſai. 53. 7.] liàs, *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron, Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis* a. Inde volebat Deus oſtendere, [a Num. 20. 7. &c.] quòd ipſe daturus eſſet ſanguinem ſuum liberè, & ſine coactione, ut diſceremus ipſi ſervire alacriter, & bonâ voluntate *Hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Joſue, Jericho, & Hai: callidè cogitantes, perrexerunt ad Joſue, qui tunc morabatur in caſtris Galgalæ, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraeli, De terrâ longinquâ venimus, pacem vobiſcum facere cupientes. Reſponderuntque viri Iſrael ad eos, atque dixerunt, Ne fortè in terrâ quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum. At illi ad Joſue, Servi, inquiunt, tui ſumus. Fecitque Joſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt ut non occiderentur: Principes quoque multitudinis juraverunt eis. Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt quòd in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent. Vocavit Gabaonitas Joſue, & dixit eis, Cur nos decipere fraude voluiſtis ut diceretis, Procul valde habitamus à vobis; cùm in medio noſtri ſitis? Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtrâ ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei. Decrevitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, &* [b Joſue 9. 3. &c.] *aquas comportantes* b. *Id eſt, ut Gabaonitæ miniſtrarent toti multitudini Iſrelitarum, comportando pro eis aquas, & cædendo ligna,* ſubdit Toſtatus c. [c Toſtat. qu. 40. in Joſue 9. 27.] Sed quare Joſue vocat maledictionem, ſervire Deo, & domui ejus? Etiam: quia illi cogebantur ad præſtandum iſtud ſervitium: atqui ſervire Deo invitè, & coactè, eſt magna maledictio, & id quod tenere debebat locum virtutis, reputatur pro vitio & abominatione. Et ubi David d ait, [d Pſ. 109. 3.] *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum*: & ubi alii legunt ex Hebræo apud Genebrardum †, [† Genebr. in Pſ. 109. 3.] *Populus tuus voluntates die quâ potentiam & copias conficies ad inimicos oppugnandos cum ſplendoribus ſanctitatis*: hanc verſionem ſic explicat idem Genebrardus, *Id eſt, populus tuus tibi obediet voluntariè, te ſponte ad hoc bellum ſequetur magna voluntate & propenſione, tibi eo tempore ſpontaneas & liberales oblationes offeret, cùm ſumma obſervatione, & reverentia, vel etiam ſanctitate.* Alia verſio dicit, *Populus tuus voluntarius.* Deus non vult involuntarios, qui dicant more Judæorum antiquorum, *Nolumus hunc regnare ſuper nos* e. [e Luc. 19. 14.] *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam* f. [f Jo. 8. 33.] Pauci voluntarii bonam voluntatem præ ſe ferentes, multò plus valent quàm multò plures involuntarii, cùm iſti coactè ſerviant, illi verò liberè. Cùm quidam Reges malè exceperunt Lot, *cùm audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt eos* g. [g Gen. 14. 12. &c.] Super quam maximam fundabat iſte Patriarcha certamen ſic periculoſum? Ratio iſtius eſt, quia iſti milites erant voluntarii, & ſerviebant ei pleni bonâ voluntate: unicus voluntarius plus valet quàm centum coacti, quia plus poteſt ille qui vult, quàm ille qui poteſt & non vult. Litera Hebraica legit, *Expediit initiatos ſuos, natos domus ſuæ octodecim & trecentos, & perſecutus eſt.* Erant veluti filii nati domi, ibique alti, ideòque ſerviebant æquo animo, & non vi, & ſic amoroſum ipſorum ſervitium reddidit ipſos generoſiſſimos. Et Spiritus ſanctus tractans de Rebuſpublicis in particulari ſub nomine civitatis Tyri apud Ezechielem h, [h Ezech. 27. 26. & 27.] dicit, *In aquis tuis adduxerunt te remiges tui.* Triremes ordinariè mare pervadunt juxta litus, & rarò ſe committunt alto pelago: utquid igitur loquitur de Rebuſpublicis ſub metaphorâ triremis? Ratio iſtius eſt, quia illi qui erant intùs, erant coacti, & velut captivi nihil agere poterant boni: iſti captivi ſunt illi qui moderantur Rempublicam, *Nautæ tui, & Gubernatores tui* (*id eſt, populi,* interpretatur Lyranus) *qui tenebant ſupellectilem tuam* (*id eſt, civitatis regimen,* proſequitur idem Lyranus) *cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.* Et quia coacti ſunt in exercitio officiorum ſuorum, in ſtatus deplorandos redigunt Reſpublicas, & in magna adducunt eas pericula. Debemus igitur ſervire Deo lætè, alacriter, & voluntariè, quia, ut dicitur communiter, *Servire Deo, regnare eſt.* B. Virgo præ titulo honoris vocat ſe ancillam Dei, *Ecce ancilla Domini* i. [i Luc. 1. 38.] David k [k Pſ. 115. 7.] magnum conſtituit honorem ſuum in vocando ſe ſervum ejus, *O Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Idem D. Paulus l [l Rom. 1. 1.] ſentit, *Paulus ſervus Jeſu Chriſti.* Honor eſt ſervire Magnatibus, ſed *ſervire Deo, regnare eſt.* Amittere libertatem, iſtud moleſtiâ afficit; ſervire Deo, hoc eſt eſſe liberum, *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit* m. [m Galat. 4. 31.] Vera libertas conſiſtit in non peccando, in poteſtate non peccandi: peccatum nos facit ſervos, *Quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* n. [n Jo. 8. 34.] Gratia nobis tribuit libertatem: ſervire Deo eſt mereri gratiam, & *in libertatem gloriæ filiorum Dei* o [o Rom. 8. 21.] tranſire.

ORATIO

ORATIO FUNEBRIS IN OBITU EPISCOPI.

Non recedet memoria ejus, & laudem eius enunciabit Eccleſia.
Eccl. 39. 13. & 14.

LIcet Orationes Funebres ſint ſcopuli, circum quos eloquentia triſte perſæpè patitur naufragium, & Oratores confiteantur, quòd panegyres mortuorum ſunt utplurimùm tumulus viventium: tamen vobis ingenuè fateor, quòd non invenio panegyrim textu faciliorem panegyri noſtri Præſulis incompatabilis: non quòd ipſius merita non ſuperant vires meas, nec quòd pondus virtutum ejus non opprimat me, neque quòd magnitudo materiæ quam aggredior extollere, ſtupore non me cieat: ſed vos me prævenistis amore veſtro; vos feciſtis, inquam, id, quod ego agere debeo, & erexiſtis ei panegyrim, cui omnes Oratores non poſſunt aliquid addere: hæc enim ſuſpiria quæ erumpunt ex oribus veſtris, iſtæ lacrymæ quæ fluunt ex oculis veſtris, & hæc triſtitia quæ apparet ſuper facie veſtrâ, nonne componunt elogium Epiſcopi noſtri? Dato quòd dolor occluderet mihi os, & ſilentium mihi imponeret, nunquid non ipſe ſatis laudaretur planctibus veſtris? Et luctus publicus iſtius civitatis nunquid non eſt diſertiſſima omnium orationum quæ componi poſſent in honorem ipſius?

Hoc modo Pater æternus honoravit Filium ſuum in morte ſuâ, cùm ad manifeſtandam vel in ipſo loco ſupplicii, innocentiam ipſius, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius* a, ipſe induxerit omnes creaturas ad celebrandas illius exequias, & ad erigendam ei pompam funebrem in univerſo: *Et obſcuratus eſt Sol* b. *Et ecce velum templi* c *ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* d. Videmus hodiernâ die aliquam imaginem iſtius prodigii: cœlum vult ut ſervus excipiatur ſicut Dominus ſuus, & ut triſtitia totius iſtius Diœceſis faciat elogium Antiſtis noſtri chariſſimi. Non vereor igitur, Auditores, ne ritè muniis meis non perſungar, cùm jam me præveneritis, & dolor diſertior ipſâ vel eloquentiâ, jam Prælato noſtro reddiderit id, quod merebatur ipſius zelus & charitas: mihi ſufficiet ut ſim fidelis veſter ſcholaſticus, ut repetam planctus veſtros, & redicam poſt vos laudes illius, cujus admiramini vitam, & lugetis mortem, poſtquàm noſtras exhibuerimus reverentias B. Virgini quæ planxit aliàs *juxta crucem Jeſu* e, mortem chariſſimi iſtius Filii ſui, qui eſt *pro nobis ſecundùm ordinem Melchiſedech* f *Pontifex factus in æternum* g: & dixerimus ei, *Ave Maria.*

a 1 Petr. 2. 22. ex Iſai. 53. 9
b Luc. 23 45.
c ex 2. Par. 3. 14
d Math. 27. 51. & 52.
e Jo. 19. 25.
f ex Gen. 14. 18. & ex Pſ. 109 4.
g Hebr. 6 20.

Quemadmodum liberi ſunt hæredes patrum ſuorum; ſic & homines exiſtimant, quòd illi æquè jus habent ad illorum gloriam, ac ad eorum divitias, & quòd virtus majorum ipſorum eſt optima portio hæreditatis ipſorum: propterea incipiunt eorum panegyrim ab ipſorum genealogiis, nec putarent quòd eos rectè laudaſſent, niſi texuiſſent elogium majorum ipſorum: ego verò ſubſcribo ſententiæ Poëtæ illius, qui dixit,

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Noſtra nativitas non pendet à voluntate noſtra: nos non eligimus patres noſtros, & nobis attribuere non poſſumus id quod illi fecerunt, antequàm nos eſſemus in mundo. Præterea, Religio Chriſtiana nos edocet, quòd omnium hominum nativitas æquè ac vita eſt criminoſa, quòd hi non ſalutant diem niſi prout miſeri, quòd conſcii ſunt criminis eo ipſo quo incipiunt eſſe; quòd ortus vel illuſtriſſimus, eſt probroſus; & quòd maximi Principes terræ coguntur dicere Deo cum Prophetâ Rege in agnitione miſeriarum ſuarum, *Ecce enim in iniquitatibus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* h. *Propheta fragilitatem ac pronitatem mortalis naturæ ad culpam commemorat, quatenus per hoc Deum ad pietatem ac veniam provocet & inclinet, ſecundùm quod ipſe Deus ſpopondit. Neque (inquiens) ultrà maledicta terra propter homines: ſenſus enim & cogitatio cordis humani proni ſunt ad malum ab adoleſcentiâ ſuâ* †, ſubdit Dionyſius Carthuſianus *. Et ſtatim proſequitur. *Ait ergo Divinus David, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. Tanquam dicat, Benè miſereri te decet mihi fragili peccatori; quia ecce in vitiis ſum conceptus. Et in peccatis concepit me mater mea. Quoniam ergo fomes peccati mihi innatus eſt, mirum non eſt quòd in peccatum prolapſus ſum.*

h Pſ. 50. 7. ex Job. 14. 4.
† ex Gen. 8. 21.
* Dion. in Carth. Pſ. 50. 7.

Et duabus iſtis rationibus addo, quòd mihi facienti panegyrim noſtri Epiſcopi non licet deſcribere genealogiam ejus, cùm Scriptura ſacra nos edoceat, quòd omnium Epiſcoporum & omnium Sacerdotum idea *Melchiſedech, Sacerdos Dei ſummi* i, *ſine patre, ſine matre, ſine genealogiâ* k, fuit. Non quòd non habuerit patrem, & matrem, ſicut cæteri homines: ſed Scriptura nullam mentionem agit proſapiæ ipſius, ait Eſtius †. *Non enim dicere vult Apoſtolus obſcuris aut ignotis parentibus ortum eſſe Melchiſedech; ſed nec patrem habuiſſe, nec matrem, Quod eo ſenſu dictum eſt, quia Scriptura Divina ſic eum introducit, ut nec patris ejus, nec matris ullam faciat mentionem. Igitur, ſine patre, ſine matre, videlicet in Scripturis. Veram rationem nos docet Apoſtolus, ſcilicet id tacitum ac prætermiſſum fuiſſe myſterii causâ; de quo paulò pòſt. Quanvis & ex conſuetudine Scripturæ ſacræ*

† Eſtius in Hebr. 7. 1. & 3.
i ex Gen. 14. 18.
k Hebr. 7. 1. & 3.
† Eſtius in Hebr. 7. 1. & 3.

ratio reddi poteſt; ut qua non ſoleat eorum ſcribere genealogias, de quibus obiter ac velut in tranſitu loquitur; ut nec eorum, qui ad genus Abraha non pertinerent, veiut Job, & Regum alienigenarum.

Hic recenſeri poterit, quid egerit in tenerâ ætate, ſi quid eximij, quomodo ſtuduerit, quos gradus habuerit inter Doctores, quomodo ad Epiſcopatum pervenerit,&c.) Sed relinquamus omnes iſtas prærogativas, ut conſideremus eum in poſterum ut Prælatum inter mortuos: & ego vobis illum repræſentem ut ideam perfectam magni Epiſcopi, cujus poſſidebat omnes eximias qualitates.

Propoſitio.

Quarum prima eſt charitas, quam habebat erga Eccleſiam. Filius Dei eſt primus Epiſcuporum: D. Petrus l honotat eum hoc titulo, *Converſi eſtis ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum. Id eſt*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m, *ad Chriſtum, qui multiplici alimento animas veſtras alit ac roborat, videlicet proprio corpore & ſanguine, pane bonæ operationis, pane lacrymarum* n *& compunctionis, refectione contemplationis, dulcedine interna conſolationis* o. *Qui etiam Epiſcopus animarum vocatur, id eſt, earum ſaluti intentus, ſeu ſuperintentor ſalutis eorum. Epiſcopus quippe Superintendens interpretatur, ab epi quod eſt ſupra, & ſcopos intentio. Alia litera habet, Ad Paſtorem & Viſitatorem animarum veſtrarum. Nam Chriſtus viſitavit nos, Oriens ex alto* p. *Qui & quotidie viſitat animas Electorum luce gratia ac miſerationum ſuarum. Ipſe quoque Salvator eſt Rex & Pontifex noſter, Advocatus interpellans pro nobis* q. *De quo ad Hebraos* r *fertur, Chriſtus eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Unde & ſalvare poteſt in perpetuum, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et hæc qualitas ipſum ſic potenter induxit ad diligendam Eccleſiam ſuam, ut D. Paulus s ipſam proponat ut Prototypon maritis univerſis, *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ: ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aqua in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſit ſancta & immaculata.* Ipſe ditavit eam ſanguine ſuo: ipſe mortuus eſt pro illâ in Cruce: & ipſa exivit è latere ipſius, ſicut Eva egreſſa eſt è latere Adæ, ut ait D. Auguſtinus t, *Facta eſt Eccleſia de latere Chriſti dormientis.* Et u, *Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia. Dormiente Adam fit Eva de latere* x: *mortuo Chriſto lancea perforatur latus* y, *ut ſuperefflnant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia* Et z, *Ipſa quoque & Mater & Virgo eſt: Mater viſceribus charitatis, Virgo integritate fidei.* Et a, *Mater Eccleſia nos de Chriſto concepit, hæc Martyrum ſanguine parturivit, hæc in ſempiternam lucem peperit.* Et ipſe priuſquâ aſſumeretur, *in cœlum* b, reliquit ei diſpoſitionem theſaurorum meritorum ſuorum: amor ipſius æquè ingenioſus ac potens, adinvênit modum manendi ſemper cum eâ, deſerendo illam; & relinquendi ſe totum integrum in Euchariſtiâ Eccleſiæ militanti, dando ſe totum integrum in gloriâ Eccleſiæ triumphanti, omnibus fidelibus ſuis in perſonâ Apoſtolorum ſuorum, *dicens, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi* c. *Sic autem eſt Chriſtus cum Eccleſia*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus d. *Primò, per gratiam inhabitando corda fidelium. Secundò, per Sacramentalem præſentiam. Tertiò, per continuam providentiam, protectionem, atque multiplicem efficientiam ſuæ poteſtatis ac pietatis in nos. Hinc enim teſtatur, Ego ſto ad oſtium, & pulſo* e. *Et, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* f. *Nunquam ergo deficiet fides in toto, ſed uſque in finem ſeculi perſeverabit in aliquibus Chriſtiana Religio. Poſtremò, Tam ineffabiliter, dignanter, & intimè adeſt nobis Chriſtus, ut multo ampliùs quàm Moyſes, ſeu populus olim Judaicus, dicere valeamus, Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Dominus Deus noſter* g, *unigenitus Filius Dei.* Quemadmodum ipſe ſic tenerè & ita potenter dilexit Eccleſiam ſuam; ſimiliter voluit ut omnes Epiſcopi, qui communicant ipſius authoritati, participarent etiam ipſius charitatem, & ut amor ipſorum foret inſeparabilis ab ipſorum poteſtate. Proptereà ipſe non commiſit directionem Eccleſiæ ſuæ D. Petro, niſi poſtquàm ſe veluti certum reddidit de amore ejus: & hæc verba quæ dixit ei, *Paſceve oves meas* h, fuerunt quaſi merces iſtorum, quæ D. Petrus priùs ait illi, *Domine, tu ſcis quia amo te* i. Tandem, ipſe vult ut quilibet Prælatus diligat Eccleſiam ſuam, & diſpoſitus ſit ad defendendam morte ſuâ illam, quam ipſe redemit morte ſuâ: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo* k. Et, *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* l. Seu, *Bonus Paſtor, qui ex charitate præeſt, & fovet ſibi commiſſos, ut eorum cooperetur ſaluti, & ſimul cum illis ſalvetur, animam ſuam, id eſt, vitam animalem, naturalem, ſeu corporalem, dat, id eſt, morti exponit, pro ovibus ſuis, id eſt, pro defenſione atque ſalute gregis ſibi commiſſi, imò cujuslibet eorum in certo caſu: videlicet quando gregi imminet ſalutis periculum; ut ſi Hæretici, vel Pagani, aut Tyranni, irrumpant Eccleſiam, conantes Chriſtianam plebem à fide, vel æquitate avertere, & nemo ſit qui poſſit tunc populum Dei confirmare in fide, vel æquitate, ſi Paſtor abierit. Cùm enim anima ſit præſtantior vitâ corporali, & corpore, debet Prælatus qui Paſtor eſt animarum, pro ſalute ſui gregis ad mortem eſſe paratus*, ſubdit Dionyſius Carthuſianus m. Si hæc qualitas facit bonos Epiſcopos, nemo negare poteſt quin noſter ſit è numero illorum, cùm ipſe ſic egregiè illam poſſederit. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, ait S. Paulus *, loquens de Epiſcopis. Sicut enim à Divinâ Providentiâ ad Epiſcopalem dignitatem ſublimatus eſt, & pontificiis inſulis inſignitus: ſic juxta diſpoſitionem Divinæ Voluntatis apprimè muniis ſuis epiſcopalibus perfunctus eſt. *Virga Aaron floruerat* † ſine ullâ radice in terrâ præ miraculo, ut oſtenderet Deus, electionem Aaron ſummi Sacerdotis è providentiâ

l 1. Petr. 2. 25.
m D. Dion. Carth. 5. in 1. Petr. 2. 25.
n Pſ. 79. 6.
o ex Pſ. 93. 19.
p ex Luc. 1. 78. & ex Zach. 3. 9. & 6. 12.
q ex Rō. 8. 34.
r ex Hebr. 7. 24. & 25.
s Ephes. 5. 25. &c.
t D. Aug. tract. 4. in 1. Joan.
u Idem in Sent. ſent. 128.
x ex Gen. 2. 22.
y ex Jo. 19. 34.
z D. Aug. ſerm. 16. de temp. c. 2.
a Idem Epiſt. 18.
b Marc. 16. 19.
c Matth. 28. 18. & 20.
d Dion. Carth. a. 41. in Matth. 28. 20.
e ex Apoc. 3. 20.
f ex Matt. 18. 20.
g ex Deut. 4. 7.
h Jo. 21. 17.
i Jo. 21. 15. &c.
k Act. 20. 28.
l Jo. 10. 11.
m Dion. Carth. a. 26. in Jo. 10. 11.
* Hebr. 5. 1.
† Hebr. 9. 4. ex Num. 17. 8.

dentiâ ſuâ è cœlo delapſam, non ſecus ac flores virgæ illius præ miraculo in eadem virgâ apparuerunt : ſic ab eâdem Divinâ providentiâ de cœlo deſcendit electio Epiſcopi noſtri, qui ſategit imitari Jeſum Chriſtum verum Protorypon perfectorum Prælatorum, qui ſic ab eodem Apoſtolo Prælatis proponitur inſpiciendus, *Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus* *. Agios à Græcis, *Sanctus* dicitur à Latinis, id eſt, ſine terrâ. Ipſe quidem fuit in mundo, vivens in terrâ, homo ſicut cæteri hominum,

* Hebr. 7. 26.

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto †.

† Apud Senec. Epiſt. 95.

Sed electus à Deo, ac elevatus à Divinâ Providentiâ, & purificatus & idoneus miniſterio ſuo obeundo effectus, licèt cura animarum *pretio magno* * ſanguinis Jeſu Chriſti emptarum ſit, ut ait Concilium Tridentinum †, *onus Angelicis humeris formidandum*; & in Diœceſim N. demiſſus : *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus*: ecce quomodo ipſe natus eſt è terra, & electus à Divinâ Providentiâ : *pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum : ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis* : Ecce quomodo ipſe diffuſus eſt in Diœceſim N. ut Diœceſanis ſuis prodeſſet. Vix enim ingreſſus eſt Diœceſim ſuam, cùm ſtatim exhibuit ei probationes amoris ſui per reformationem morum, & per doctrinam, quam præbuit Eccleſiaſticis, quorum magnam curam egit. (*Hic enumerari poteſt aſſiduitas ipſius in Choro, & catera quæ Dei cultum præcisè concernunt.*) Si tanto ipſe amore affectus eſt erga Eccleſiaſticos, non minori dilectione proſecutus eſt ſeculares ſuæ Diœceſis, eiſque tot tribuit ſpecimina ſuæ charitatis, ut de hâc ipſi non poſſent ambigere ſine immodicâ ingratitudine. Ipſe ſe communicabat eis præ magno affectu, abſque perſonarum acceptione, parvis æquè ac magnis, indoctis pariter ac peritis. Et ſi fortè reperiebat inter eos interdum aliquos induratos ac rebelles, oleum propterea ſuum non perdebat, nec operam ſuam profligabat, apprimè ſciens quòd ad plura non teneretur Prælatus, quàm ad irrigandem hujuſmodi terram ingratam, cùm Deo fructum inde dare compereret : *Ego plantavi, Apollo rigavit : ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, ajebat Apoſtolus *. A Paſtoribus cura ſola requiritur, non curatio : *Rectorem te poſuerunt ? Curam illorum habe* †. Non dicitur, Sana eos, vel, Cura. *Curavimus Babylonem ; & non eſt ſanata* *. Non præcipitur ſtabulario hominis à latronibus vulnerati curatio, ſed cura, verbis iſtis, *Curam illius habe* †. Cui ſubjungit S. Bernardus*: *Et non, Cura vel ſana illum.* Et, *En plaga; tibi incumbit cura hac. Noli diffidere, curam exigeris* †, *non curationem.*

* 1. Cor. 6, 20.

† Conc. Trid. ſeſſ. 6. decret. de Refor. & Reſid. cap. 1.

* 1. Cor. 3. 6. & 7.

† Eccl. 32. 2.

* Jer. 51. 9.

† Luc. 10. 35.

* S. Bern. lib. 4. de Conſid. c. 2.

† ex Eccl. 32. 2.

Ipſe ſe omnium & ſingulorum Diœceſanorum conditionibus proficuè ac ſalubriter providebat, more S. Pauli * dicentis: *Factus ſum infirmis infirmus : ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum : ut omnes facerem ſalvos.* Cùm Prælatus debeat eſſe omnis homo. Sic omne & perfectum eadem res omnino ſunt, ut aſſerit Ariſtoteles †, dicens : *Cùm omnia omne atque perfectum inter ſeſe non differant formâ, niſi materiâ tantùm, & hiſce de quibus dicuntur.* Hinc S. Chryſoſtomus * exclamat in hæc Apoſtoli verba, *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. Vides hyperbolen. Omnibus quidem factus ſum omnia : non omnes ſalves facere expectans, ſed ut etiam paucos faciam. Studium quidem & miniſterium tantum ſuſtinui, quantùm erat conſentaneum eum, qui omnes ſalves facit : non ſperans tamen ferre ut omnes ſuperarem, quod quidem magnum erat, & ferventis animi alacritas* *. Ipſe ſe diffundebat æquo animo univerſis & ſingulis Diœceſanis ſuis, libenter eis corde paterno *in ſpiritualibus* miniſtrabat, & alacriter illis *in temporalibus* ſerviebat, ut inſumam terminos S. Bonaventuræ † loquentis de Miniſtris & Servis, ſeu Superioribus Ordinis noſtri Seraphici : & hoc juxta conſilium S. Petri * ſuadentis Prælatis; *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontanee ſecundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè : neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Ipſe cunctos affectus ſuos, omnia deſideria ſua, univerſas animæ ſuæ potentias, ac corporis ſui vires in Diœceſanorum ſuorum commoda procuranda refundebat. Sicut enim ipſe ſuis effectus erat Dioceſanis, & non ſibi; ſic ipſe totus conſumebatur ad eorum utilitates corporales æquè ac ſpirituales promovendas.

* 1. Cor. 9. 22.

† Ariſt. lib. 1. de Cœl. c. 1. text. 5.

* S. Chryſ. hom. 22. in 1. Cor. 9. 22.

† S. Bon. in Expoſ. Reg. S. P. N. F. c. 10.

* 1. Petr. 5. 2. & 3.

Ipſe igitur omnes Diœceſanos ſuos, ſive Eccleſiaſticos, ſive ſeculares, præ humilitate, non ut ſervos, ſed velut fratres reputabat, in hoc ſe conformans ad exemplum Jeſu Chriſti veræ Ideæ Prælatorum, de quo dicit Apoſtolus †, quòd *non confunditur fratres eos vocare*, videlicet Chriſtianos, quos noſter Prælatus omnes tanquam fratres ex motivo veræ charitatis diligebat. Et quoniam ipſe apprimè callebat, quòd amor reddit amantem ſimilem rei amatæ; propterea per omnia Diœceſanis ſuis omnibus aſſimilabatur, ad exemplum ejuſdem Domini ſui, de quo conſequenter concludit Apoſtolus, *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret.* Ipſe viſitabat eos in infirmitatibus ipſorum, ipſe conſolabatur illos in ipſorum afflictionibus, & componebat omnia ipſorum diſſidia. Jura civitatis erant ipſi chariora quàm ſua, nec unquam ulla ſe obtulit occaſio ſerviendi ei; quam ipſe fronte capillatâ libenter non apprehenderit, ad amplectendam illius cauſam. Et nonne ſcitis id, quod ipſe fecit in ſimilibus occurſibus ? Sed ſicut ipſe profitebatur imitari amore ſuo amorem Salvatoris ſui, ipſe ſpeciali affectu ducebatur erga pauperes ſuæ Diœceſis; ipſe experiebatur intimè miſerias & afflictiones eorum, & compatiebatur illorum infortuniis; & ſi non poterat illis effectus tribuere, impendebat eis ſuſpiria & lacrymas. Dei Filius ſic ſtrictè unitus eſt Chriſtianis, ut hi non poſſint offendi, quin offendatur ipſe ſtatim : *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* n. Ipſe experitur eorum mala, poſitus vel in cœlo, & gloria quæ ipſum circundat, *Gloria & divitiæ in domo eius* o,

† Hebr. 2. 11. & 17.

n Zach. 2. 8.

o Pſ. 111. 3.

Digitized by Google

non impedit quin quaſi patiatur cum illis. Ipſe queritur quotieſcumque quis perſequitur ipſius Eccleſiâ, & ipſe dicit omnibus Tyrannis id, quod dixit Saulo, cùm is extinguere Chriſtianiſmum conabatur in nativitate ſua, *Saule, Saule quid me perſequeris* p. Sed ipſe amore ſpeciali diligit pauperes, quo non amat alios fideles: ipſe prætulit illorum conditionem conditioni divitum: *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives: ut illius inopiâ vos divites eſſetis*, ait S. Paulus, ſcribens Corinthiis q. Ipſe ſuos elegit diſcipulos inter pauperes: *Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilea, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis, Venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum* r. Si autem ipſe cepit aliquos inter divites, ipſe induxit eos ad deſerandas divitias ſuas: *Et cùm tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum* s. Ipſe teſtatus eſt palàm, quòd Patris ſui voluntas erat ut ipſe prædicaret pauperibus Evangelium, & quod eorum inſtitutio erat æquè probatio ſuæ miſſionis, ac curatio infirmorum, & remiſſio captivorum, *Et intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbathi in Synagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis* t. Sic ipſe vocat eos partes corporis ſui chariſſimas, *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* u. Et quaſi ipſi eſſent magis uniti, quàm alii Capiti ſuo, quod eſt idem Jeſus Chriſtus, *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* x, vocantur per excellentiam membra Jeſu Chriſti. Sic Prælatus noſter qui gloriabatur imitari Dominum ſuum, chariſſimè diligebat eos: ipſe videre non poterat eorum tolerantias, quin cor ipſius ſanguine flueret per oculos: ſi autem mederi non poterat illorum miſeriis, per compaſſionem miſerum ſe reddebat cum illis: miſericors enim dicitur, quaſi miſerum cor habens, ſcilicet ex compaſſione miſerorum & afflictorum; vel miſericors dicitur, qui miſeretur ex corde, videlicet cum multo cordis affectu indigentibus ſubveniendo. Et licèt omnes fideles non ſint æqualiter obſtricti ad nutriendos pauperes, ſicut ad hoc obligati ſunt Epiſcopi: tamen id quod eſt divitibus ſuperfluum, pertinet ad pauperes: id quod ſovet vanitatem illorum, eſt inſumendum ad ſubveniendum neceſſitati iſtorum. Superfluitates, quas poſſidetis, Auditores, ſunt bona aliena: hæc bona rapitis pauperibus, cùm hæc non erogatis eis; & æquè contra juſtitiam peccatis ac contra charitatem, cùm non adjuvatis eos in neceſſitate conſtitutos. Iſtæ gemmæ, Dominæ meæ, veſtes iſtæ pretioſæ, quas vobis afferunt alieni, & totus iſte mundus muliebris, qui ſervit potiùs vanitati veſtræ, quàm conditioni veſtræ, hæc omnia pertinent ad pauperes, cùm judicio ſapientium ſint ſuperfluitates, quas luxus introduxit, & quas amor proprius ſovet. Prælatus veſter vos aliquando condemnabit: & cùm ipſius exemplum non potuerit vos corrigere, nec vos inſtruere, vos accuſabit corâ tribunali Jeſu dicentis vobis, *Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis* y. Sed continuemus ita præclaram vitam, & conſideremus puritatem Epiſcopi noſtri, quæ eſt ſecunda ipſius qualitas.

Caſtitas facit gloriam Eccleſiaſticorum: iſte decor eſt unus è ſpecioſiſſimis floribus qui ornant ipſorum coronam: & hæc prærogativa, æquè ac in mulieribus, excuſat omnes eorum defectus, & tegit univerſas illorum imperfectiones: impuritas è contrà eſt illis probro, & operit ipſorum frontem confuſione: ſi hæc non eſt maxima iniquitatum ipſorum, eſt tamen ſcandaloſiſſima; & ex quo ipſi ſunt impudici, quantumlibet præ ſe ferre meritum videantur, indigni ſunt ut ſerviant Eccleſiæ. Sicut hæc eſt Sponſa Filii Virginis, ipſa ſuſtinere non poteſt niſi caſtos miniſtros; & ipſa putat inquinari puritatem ſuam, cùm manus quæ ipſam tangunt, ſunt impuræ. Sic Sponſus ſuus intuitus inclinationem ipſius, voluit ut Sacerdotes, qui ipſam diligunt, eſſent virgines, vel continentes: & ipſe videtur in hoc puncto tantam habuiſſe curam honoris Sponſæ ſuæ, quantam ſuſcepit famæ Matris ſuæ: privilegia earum ſunt ſimilia, prærogativæ illarum ſunt pares; nec ullo potitur Maria commodo vel favore, quin eo Eccleſia conjunctim cum illâ ſtuatur. Si Jeſus exivit è ſinu Mariæ z; Eccleſia egreſſa eſt è latere Jeſu a, ſicut audiviſtis ſuprà, juxta S. Auguſtinum. Si fœcunditas non eripuit Mariæ puritatem ſuam; Eccleſia eſt Virgo & Mater ſimul, quemadmodum dixit & ſuprà idem S. Auguſtinus. Tandem, Si Filius Dei commendavit ſervitium Matris ſuæ diſcipulo ſuo qui non erat minùs inſignis puritate, quàm amore; & ſi commiſit directionem Virginis Apoſtolo Virgini, *Virgo eſt electus à Domino: atq; inter cæteros magis dilectus: cui Chriſtus in Cruce Matrem Virginem Virgini commendavit*, ut canit Eccleſia b: ipſe fecit etiam Angelos per puritatem, æquè ac per lumina; & cœlum vult ut in terrâ imitentur Beatos, & ut habeant hîc privilegium, quod alii fideles non expectant niſi in gloriâ: *In reſurrectione enim neque nubent neque nubentur: ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo* c. Confiteamur, Auditores, quòd dignus noſter Prælatus poſſedit hanc prærogativam cum eminentiâ, quòd ipſe fuit æquè purus ac Angelus, & quòd ita caſtè nobiſcum converſatus eſt, ut nemo improperare poſſet ei vel ullum minimum defectum qui obſcurare poſſet hanc virtutem. Ipſa ſic eſt delicata, ut ſimilis ſit illis fructibus qui tangi non poſſint, quin ſtatim flos ab ipſis auferatur: ſed puritas noſtri Præſulis ſic munda fuit ut nunquam marcuerit actionibus aut verbis ſuis. Teſtes eſtis vos omnes iſtius veritatis: & ſi præ veſtris ponere vultis oculis id quod vidiſtis, confitebimini mecum, quòd omnia ejus verba fuerunt caſta, & omnes actiones ipſius modeſtæ; quòd nunquam fecerit viſitationes ſuſpectas, quòd nunquam colloquia habuerit inutilia, quòd à ſe jugiter averterit ſermones amicitiarum; licèt ipſe fuiſſet nutritus in Curiâ, & præditus eſſet qualitatibus, quæ ipſi conciliare poterant amorem, & nondum multùm eſſet ætate provectus, cùm conſecratus eſt, nunquam tamen præbuit ſuſpiciones, quæ nocere poſſent ipſius caſtitati. Ipſe pepigerat, inſtar alterius Job d, ſuis *fœdus cum oculis, ut ne quidem de virgine* cogitaret. Nunquam ſuos immorari ſinebat oculos

ſuper

p Act. 9. 4.
q 2. Cor. 8. 9.
r Matth. 4. 18. &c.
s Matth. 9. 9.
t Luc. 4. 16. ex Iſa. 61. 1. & 2.
u Matth. 25. 40.
x Coloſſ. 1. 18.
y Matth. 25. 45.
z Matth. 1. 25.
a Joan. 19. 34.
b Eccleſia ex Joan. 19. 26. & 27.
c Matth. 22. 30.
d Job. 31. 1.

ſuper pulchritudines vel innocentiſſimas: & cùm ſciret, quòd impuritas non expugnatur, niſi per fugam objectorum quæ faciunt ipſam naſci, juxta conſilium Apoſtoli e, *Fugite fornicationem*: ipſe declinabat à conſortio mulierum, nec videbat eas, niſi quantùm neceſſitas, aut charitas ipſum inducebat ad eas videndas. Sic dici poteſt quòd ipſe vicit hoc monſtrum, quod triumphavit de fortitudine Samſonum f, de ſanctitate Davidum g, & de ſapientiâ Salomonum h: memor illius ſententiæ S. Hieronymi i: *Nec in præteritâ caſtitate confidas. Nec ſanctior David* k, *nec Samſone fortior, nec Salomone* l *potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quod paradiſi colonum de poſſeſſione ſuâ mulier ejecerit.* Sed ſanè nec miror ipſius caſtitatem: ipſe ſobrius erat, & devotus B. Virgini Deiparæ. Gula & impuritas nunquam ſe deſerunt, ipſæ ſibi ſemper aſſiſtunt comites individuæ; flammæ unius ſovent flammas alterius, & quædam ſpecies prodigii eſt, cùm homo eſt guloſus, & non eſt impudicus, *Agnoſce ſimul & comitibus gulæ, libidini ſcilicet atque luxuriæ proſpectum, quæ ferè ventris caſtigatione frigeſcunt. Poſtremò, Ut faciliùs homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis & non glorioſis eſcis aſſuefactus, & nihil de lautioribus eſuriturus*, ait Tertullianus n. Puritas & ſobrietas ſibi mutuam præbent manum; arma ipſarum ſunt communia æquè ac ipſarum hoſtes ſunt communes: ipſæ ſe mutuò defendunt, quia ſimul invaduntur & conjunctim. Invenitiſne inuſitatum, quòd Prælatus noſter eſſet caſtus, cùm ipſe ſobrius eſſet, & cùm, ſi menſa ipſius eſſet delicata, hæc talis eſſet amicis ſuis, & non ſibi? Sed dato quòd ipſius abſtinentia non foviſſet ipſius caſtitatem; pietas, quâ ipſe reverebatur B. Virginem, nunquid non feciſſet eam naſci? Si enim facies B. Virginis imprimebat reverentiam illis, qui ipſam intuebantur, ſi ſpecies ejus præbebat caſtas cogitationes, & ſi aſpectus illius elevabat corda ad Filium ipſius; nonne devotio erga ipſam, produceret eoſdem effectus, & nunquid non ſervis ſuis imprimet caſtitatem? Inde procedebat caſtitas Epiſcopi noſtri, ſcilicet è commercio ſacro cùm B. Virgine. Ipſe quotidie recitabat Litanias illius, & ſibi complacebat in repetendis elogiis, quæ Eccleſia tribuit Matri Sponſi ipſius. Ipſe jungebat Roſarium Litaniis, & inter omnes occupationes magnæ Diœceſis, ipſe reperiebat ſatis otii ad componendas laudes Matris cum laudibus Filii.

e 1 Cor. 6. 18.
f Judic. 16. 29. &c.
g 2. Reg. 11. 2. &c.
h 3. Reg. 11. 1. &c.
i S. Hier. epiſt. 2. ad Nepotian. n. 16 & 17.
k Ex 1. Reg. 13. 14.
l Ex Eccl. 1. 16.
m Ex Gen. 3. 6. &c.
n Tertul. lib. 2. adverſ. Marcion. c. 18. n. 416.

Si ipſe purus fuit in corpore ſuo, non minùs purus fuit in intentionibus ſuis: & audeo dicere ſine ullo timore reprehenſionis, quòd ipſe præ omnibus Prælatis Eccleſiæ propria commoda ſua non quæſivit. Sicut deſpectus proprii commodi eſt filius primogenitus charitatis, & omnes qui benè Deum diligunt, non quærunt niſi gloriam ejus; ſic intuitus proprii commodi eſt filius primogenitus amoris proprii, & illi qui ſe nimis amant, non quærunt niſi utilitatem ſuam: *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt: non quæ ſunt Jeſu Chriſti*, dicebat S. Paulus o. Et poſt eum Dionyſius Carthuſianus p, *Omnes enim quæ ſua ſunt, id eſt, propria lucra, quærunt potiùs quàm proximorum ſalutem. Non quæ Jeſu Chriſti, id eſt, Dei honorem & gloriam non requirunt principaliter atque finaliter. Multi enim mercenarii erant cum Paulo hoc tempore.* Sicut & multi ſunt tempore iſto quo vivimus. Intuitus proprii commodi eſt idolum univerſaliſſimè admiſſum, unuſquiſque offert ei ſacrificia, & illi qui ſe defendunt à dolore, & à voluptate, non ſe tuentur ſemper ab intuitu proprii commodi. Diabolus & peccatum nos capiunt ejus interventu, & retulerunt plures victorias promiſſionibus ſuis, quàm propriis minis. Cùm primus aggreſſus eſt Jeſum Chriſtum in deſerto, propoſuit ei Regna; & miſcens lenocinia avaritiæ eſcis ambitionis, eſt ei pollicitus divitias, æquè ac coronas, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me* q. Peccatum, quod ſcit ſe non habere pulchritudines virtutis, & quod opertum vel ipſo pallio inimicæ ſuæ, non poteſt nobis abſcondere omnes deformitates ſuas, nos ſolicitat per utilitatem, nec invitat nos ad ullum malum, quin proponat nobis ex illo aliquam mercedem expectandam. Ambitio nobis pollicetur honores & tiaras in Eccleſiâ, & coronas in Statu: Impudicitia nobis blanditur voluptatibus, & corrumpit univerſos ſenſus noſtros ſub ſpe alicujus voluptatis: Avaritia ut nos exponat periculis, nobis promittit terras, quæ ferunt in viſceribus ſuis foſſilia argenti & auri; & depingit nobis maria, quorum abyſſi germinant uniones & coralium: Tandem, Quodlibet peccatum in particulari nobis aliquod emolumentum proponit, ut nos ſeducat: & hæc tentatio præ ſe tanta fert lenocinia, & ſic jucundè ingreditur animas noſtras, ut vel perfectiſſimi vix ab ipſâ tueri ſe poſſint. S. Paulus r, ſicut audiviſtis modò, querebatur de hoc hoſte formidabili in nativitate Eccleſiæ, nec ſuſtinere poterat ut fideles ſua commoda præferrent gloriæ Jeſu Chriſti: *Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt: non quæ ſunt Jeſu Chriſti.* Et Cornelius s, *Omnes, non abſolute, & ſimpliciter; nec enim Paulus, & Apoſtoli quærebant quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Omnes ergo, id eſt pleriqueomnes, paſſim omnes, plurimi. Nota. Eſt hoc tritum & commune proverbium, reque ipſâ & experientiâ conſtat eſſe veriſſimum, quòd omnes, id eſt, plurimi quærũt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti; Apoſtolus tamen illud ſuis adaptat, intelligitque omnes illos, qui tunc ſecum erant, quoſque tunc habebat ſocios: de his enim tantùm loqui Apoſtolum patet ex verſu præcedenti. Quaſi dicat, Omnes, quos jam habeo ad manum præter Timotheum, quærunt ſua, ſupple lucra, commoda, ſuamque quietem, ut ſint in tuto, ait Theophylactus. Quia, ut Oecumenius, nemo ſuſtinet tam longâ viâ mitti ad vos, nemo quærit laborem, & pericula; ſed omnes otium, quietem, & ſecuritatem, commodamque vitam amant & ſectantur. Qui tales ſunt, non quærunt ea quæ Chriſti ſunt, id eſt, Chriſti gloriam, fidei propagationem, animarum ſalutem: hos enim inſtructos eſſe decet ad quemvis laborem & calamitatem perferendam, ait Chryſoſtomus.* Licèt iſte tyrannus, id eſt, intuitus proprii commodi, ſubmiſerit tot captivos ditioni ſuæ, nunquam tamen regnavit in animâ noſtri Præſulis illuſtriſſimi; & ipſe manifeſtavit ſe nunquam quæſiviſſe quæ ſua eſſent, in concionibus generalibus Cleri, in regimine ſuæ Diœceſis, & in adminiſtratione familiæ ſuæ. De bonis quæ habera poterat, pauperibus ſuccurrebat, nedum propinquos aut conſanguineos ſuos ditare aut magnificare contenderet, veritus ne his Deus exprobraturus eſſet, *Rapina pauperis in domo veſtrâ.* * Eò quòd bona Eccleſiaſtica partim ſunt in uſus pauperum rependenda: & ne ſibi objiceretur aliquando ab eo, *qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum* † *cùm venerit in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo* * temporibus extremis, vel in judicio particulari tempore mortis

o Philipp. 2. 21.
p Dion. Carth. art 2. in Philipp. 2. 21.
q Matth. 4. 3. &c.
r Philipp. 2. 21.
s Cornel. in Philip. 2. 21.
* Iſai. 2. 14.
† Act. 10. 42.
* Matth. 25. 31.

† S. Aug. citat. à S. Bon ſerm. 2. Dom. 8. poſt Pēt.
* Jer. 2. 34

tis ſuæ, *Non paviſti, occidiſti* †. *Et in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum.* * Bonum publicum fuit ſemper finis deſideriorum & laborum ipſius: ipſe nullam deſumpſit unquam utilitatem è ſpoliis Eccleſiæ. Ipſe ſe talem exhibebat qualem ſciebat debuiſſe eſſe Epiſcopum in commiſſorum conſervatione, vel etiam diſpenſatione, quia videlicet deberet eſſe fidelis ad conformandum ſe Prototypo ſuo Jeſu Chriſto, de quo ſuprà dixit Apoſtolus, quòd *debuit per omnia fratribus ſimilari, ut fieret fidelis Pontifex ad Deum.* Cùm enim ipſi commiſſa eſſet cura gregis ſui, & animarum Diœceſanorum ſuorum; in cuſtodiendis illis ſic erat ipſe fidelis, ut plùs curaret de ovibus quàm de lanâ, & plùs de ſalute animarum procurandâ, quam de pecuniarum acquiſitione. Noverat quippe quòd *Jeſus, Secundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum* †, dixerat Petro, quando conſtituit eum Caput Eccleſiæ ſuæ viſibile, ſeu Vicarium ſuum generalem, *Paſce oves meas* *. Non autem ut emulgeret aut tonderet eas. Et quòd ſi aliter ipſe feciſſet, ipſe fuiſſet infidelis, nec Deo placuiſſet, dicente S. Paulo †, *Jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Cùm ſit Epiſcopis commiſſa diſpenſatio bonorum Eccleſiaſticorum, non ſolùm bonorum ſpiritualium, ſed etiam temporalium. Omnes factiones ſic erant ipſi odioſæ, ut palàm authores earum reprehenderet. Ipſe erat terror & flagellum eorum qui devaſtant Eccleſiam Sponſam Jeſu Chriſti: & nemo unquam habuit excellentiùs iſtam prærogativam & hanc illuſtrem qualitatem quàm Prælatus noſter digniſſimus. Quis unquam fuit generoſior in occaſionibus? & quis unquam fuit magis diſpoſitus ad moriendum pro Eccleſiâ? Natura & gratia concurrerant ad reddendum illum generoſum; & ipſe ſuæ generoſitatis probationes exhibuit in Curiâ, in concionibus ſeu cœtibus Cleri, in ſuâ Diœceſi, in vitâ ſuâ, & in morte ſuâ. Curia eſt theatrum generoſitatis, & depreſſionis animi, & illi qui aluntur in ſcholâ ipſius, non minus habent puſillanimitatis, quàm magnanimitatis; ipſi vel minimam ſuſtinere non poſſunt injuriam. apicem honoris præferunt omnibus, & famam vel ipſi vitæ anteponunt: interim ipſi ſunt captivi omnium amicorum Regis, adorant id omne quod ſupremus Princeps amat, bibunt injurias non ſecus ac ſavores, & non aſcendunt ad dignitates niſi per contemptus. Sed licèt Epiſcopus noſter nutritus fuerit in Curiâ, nunquam tamen iſtius fuit conſcius puſillanimitatis: ipſe ſe totum dedit Principi ſuo: ipſe nunquam diviſit affectum ſuum inter meritum ſuum & aliquem amicum Regis: ipſe erat è naturâ illorum florum, qui non intuentur niſi Solem, & qui dedignantur alia aſtra. Tentata perſæpè fuit ipſius fidelitas, ſed iſtud cor fidele æquè ac generoſum maluit in diſcrimen & in periculum adducere fortunam ſuam, quàm obeſſe magnanimitati & fidelitati ſuæ, *ut fieret fidelis Pontifex ad Deum.* Ipſe perfectè ſciebat qualis deberet eſſe Epiſcopus in gregis ſibi commiſſi deductione, id eſt, quia deberet ipſe eſſe Pontifex, nimirum quòd deberet ei pontem facere, ad tranſeundum per hanc vallem lacrymarum, & fluvium mundi, à bonis præſentibus ad bona futura, non ſecus ac Chriſtus, *aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum.* * Ipſe Deo aſſiſtebat, pro grege ſibi commiſſo juges illi ſupplicationes offerebat, & ſacrificia quotidiana præſentabat. Ipſe erat *Pontifex futurorum bonorum*; id eſt; pontem, ſeu viam faciebat ad bona futura, exempla benè vivendi, & contemnendi mundum eis exhibendo, ad omnes ſe benè habendo, ut omnes ædificaret & omnibus prodeſſet, in praxim redigens conſilium Apoſtoli † ſuadentis, *Sine offenſione eſtote Eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis: ut ſalvi fiant.* Quem ſic explicat Dionyſius Carthuſianus *, *Sine offenſione eſtote Eccleſiæ Dei, maximè quantùm ad puſillos; ut neminem offendatis, dummodo licitè fieri poſſit., ſicut & ego per omnia, id eſt, in cunctis factis & verbis meis, omnibus placeo. Nunc loquitur Apoſtolus de hominibus ſecundùm verum & plenam perfectionem ipſorum, inquantùm ſunt rationales, rationis judicium aſſequentes, ut ſit ſenſus, Omnibus placeo, id eſt, cunctis hominibus rationabiliter agentibus, qui rectæ rationis ſequuntur cenſuram. Cur autem iſtis placeat, ſubditur, Non quærens quod mihi utile eſt, tantùm, vel non ſub ea ratione qua mihi utile eſt, ſed quòd multis. Quærebat enim Apoſtolus converſionem, & ſpiritualem locupletationem univerſorum, ut ſalvi fiant, id eſt, ſortiendo vitam æternam, quæ eſt beatitudo noſtra atque ſalvatio.*

† Hebr 6 20.
* Joan 21 17.
† 1. Cor. 4. 10.
* Hebr 9. 11.
† 1. Cor. 10, 32, & 33.
* Dion. Carth. art. 10 in 1. Cor. 10 32. & 33.

Tandem, Ipſe noverat qualiter Epiſcopus eſſe debebat ad Deum, videlicet devotus, & attentus. Ipſe igitur ſe habebat erga Deum obedienter, ſcilicet Deo magis quàm hominibus in omnibus obediendo. Præterea fideliter, in omnibus ſuis operibus, ad ipſum intentionem ſuam dirigendo. Tandem familiariter, orando, & contemplando, & frequentiùs aſſiſtendo, ſic ut dicere poſſet cum Pſalmiſta, † *Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt.*. Sed derelinquamus ita pulchram vitam, ut conſideremus pulchriorem mortem. Videamus quaſnam probationes ipſe nobis præbuit ſuæ magnanimitatis, & quaſnam victorias ipſe retulerit de dolore.

† Pſ. 72. 28.

Iſtud malum, eſt unicum, vel veriſſimum omnium illorum quæ nos affligunt: alia ſunt ut plurimùm imaginaria, & non vulnerant ſpiritum noſtrum, & corpus noſtrum, niſi quia læſerunt opinionem noſtram; ipſa ferè omnia ſecum ferunt remedia ſua; & quicumque illa benè examinabit, inveniet quòd unuſquiſque poſſit illa pati, nedum de illis queratur. Paupertas, quàmvis ſociata ſit infamiæ, non eripit nobis niſi ſuperflua, & nobis relinquit ferè ſemper neceſſaria: Exilium, licèt nos ſeparet à propinquis noſtris, & avellat nos à chara patria noſtra, non eſt tamen prorſus intolerabile: Sol illuminat totum mundum, & quòcumque nos amandet juſtitia, vel violentia, eò feremus virtutem noſtram, & reperiemus ibi Deum: *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus* †? Infamia ſuam conſolationem reperit in bonâ conſcientia: homo qui excidit fama ſua, non eſt multùm plangendus, ſi cuſtodivit gratiam, & ſi non eſt multùm ſolicitus de æſtimatione hominum, dummodò poſſit habere approbationem Angelorum, & Beatorum: ſed dolor eſt malum importunum & verum, quod aggreditur animam & corpus ſimul, & conatus omnes ſuos impendit ad afferendam eis diviſionem, & ſic inducit generoſiſſimos quoſlibet ad implorandum ſubſidium mortis, ad hoc ut liberentur à tyrannide hoſtis ſic immitis: dolores qui afflixerunt chariſſimum Præſulem

† Jer. 23. 24.

noſtrum,

noſtrum, fuerunt longi & violenti: hi potuiſſent infirmare vires gigantis, & ſuperare patientiam Martyris: & tamen ipſe patiebatur eos cum tantâ conſtantiâ, ut admirationem pareret æquè ac conſolationem omnibus illis, qui ad ipſum accedebant; ipſe manſueſaciebat ſibi mortem, & cum incredibili magnanimitate expectebat eam, quæ tremore concutit animos omnium hominum, & cùm omnino ſubditus eſſet Divinæ Voluntati, ipſe ſe præparabat abſque inquietudine ad illud omne, quod Divina Providentia, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* u, circa ſuas decernere vellet obedientias.

u Sap 8, 1

Licèt mala, quæ ipſum cruciabant, ſic eſſent violenta, non deerat tamen ipſi ſatis animi ad continuandas preces ſuas: ipſe ſuam conſolationem reperiebat in recitatione Officii ſui: ipſe vires ſumebat in Pſalmis, quibus utitur Eccleſia ad laudandum Divinum Sponſum ſuum, & è tempore doloris ipſe faciebat tempus orationis, ad exemplum Domini ſui Jeſu Chriſti in Cruce, de quo S. Paulus x ait, quòd *in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis* obtulit.

x Hebr. 5. 7.

Et quaſi ipſe vires eduxiſſet ex infirmitate ſuâ, ipſe nunquam fuit robuſtior, quàm cùm languidior erat, memor iſtorum verborum ejuſdem Apoſtoli y; *Nam virtus in infirmitate perficitur: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus pro Chriſto. Cùm enim infirmor: tunc potens ſum.*

y 2. Cor. 12. 9. & 10.

Vel forſan horum Dionyſii Carthuſiani z dicentis poſt eundem Apoſtolum: *Nam virtus, id eſt, actus virtuoſus, ſeu habitus virtutis, in infirmitate perficitur, dupliciter, ſcilicet, materialiter, prout infirmitas eſt materia exercendæ virtutis, videlicet, humilitatis & patientiæ. Secundò, occaſionaliter, quoniam propria infirmitatis experimentalis cognitio efficit hominem ad Divinæ Miſericordiæ implorationem magis diligentem ac humilem. Vel ſic, Virtus in infirmitate, id eſt, per infirmitatem perficitur, quia contra eam pugnando; eamque vincendo augetur ac roboratur. Propter quod dicit Scriptura* a, *Probatio fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, id eſt, de hoc, quòd tribulationes iſtas ſuſtineo: hoc enim ad perfectam obedientiam pertinet, quæ delectabiliter agit. Sicut & Jacobus* b *dicit, Omne gaudium exiſtimate, Fratres, cùm in diverſas tentationes incideritis. Ut inhabitet in me virtus Chriſti, id eſt, gratia Chriſti perficiatur in me. Chriſtus enim teſtatur, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras* c. *Propter quod placeo mihi, id eſt, vehementer delector, in infirmitatibus corporis pro Chriſto. In his namque gaudendum eſt, quæ homini proſunt ad promerendam vitam æternam* d, *ad proficiendum in gratia, ad ſatisfaciendum pro culpa, ad imitandum veſtigia Chriſti. Talia autem ſunt omnia præinducta, ideò habenda eſt in illis complacentia. Ad quam perfectionem non pervenit, niſi qui privato exterminato amore, in Divina profecerit charitate. In prædictis ergo placeo mihi. Cùm enim infirmor, id eſt, affligor, vel corpore langueo, tunc potens ſum in animo, per gratiam ferendo adverſa.*

z Dion. Carth art 12, in 2. Cor. 12 9. & 10.

a Jacob. 1. 3 & 4.

b Ex Jacob. 1. 2.

c Luc. 21. 19.

d Ex Matth. 5. 12.

Ipſe dicebat aliquando iis qui ad ipſum accedebant, Solus Deus ſcit id quod patior, dolores mei non poſſunt verbis exprimi: ſed illum oro ut eos augeat, dummodò creſcere faciat etiam patientiam meam, ut ſatisfaciam juſtitiæ ipſius. Nunquid non iſtud eſt triumphare de dolore? nonne hoc eſt educere gloriam ex infirmitatibus ſuis, inſtar Apoſtoli, & reperire ſalutem ſuam in ſupplicio ſuo?

Ipſe confeſſus eſt, quòd magnanimitas ſua, quæ ipſum ſemper comitata fuerat in vitâ ſuâ, & quæ nec ipſum deſeruit in morte ſuâ, ipſum induxerat aliquando ultra debitum ſuum; & quòd ipſe tuitus fuerat jura Eccleſiæ ſuæ, vel dignitatis ſuæ cum nimio zelo: nam ex quo ſumus peccatores, prærogativæ noſtræ mixtæ ſunt defectibus, virtutes non ſunt in puritate ſuâ, nulla eſt perfectio in homine cui non oppoſita ſit imperfectio, generoſi ſunt temerarii, prudentes ſunt timidi; & magnanimi ſunt iracundi: ſed ipſe ſic plenè ſatisfecit huic defectui, ut ſua ſatisfactio reddiderit ipſum glorioſum: ipſe delevit eum lacrymis ſuis tempore infirmitatis ſuæ, illius multam luit palam hominibus, & coram Angelis; & nobis tot exempla præbuit humilitatis, ut dicere poſſimus, O felix culpa, vel potiùs, O felix ira, quæ talibus meruit lacrymis expiari! Refertur de Henrico Magno, quòd, cùm jam jam commiſſurus eſſet unum è prœliis, quod ipſe retulit ut acquireret Regnum ſuum, & proclamaretur Princeps ſupremus iſtius Monarchiæ Gallicæ, & videret quendam inſignem virum nobilem, quem ipſe offenderat, voluit ei ſatisfacere, & reparare læſum honorem ejus, quem ipſe ei eripuerat in ardore iræ ſuæ, & impendere illi ſatisfactionem iſtam in fronte totius exercitus ſui. Propter hanc autem reparationem ſic affectus fuit Eques ille, ut repletus gaudio & dolore, dixerit illi, Sacra Majeſtas, violentia tua me læſerat, ſed ſatisfactio tua me occidit: & poſt hunc honorem agnoſco me obſtrictum ad moriendum hodie, & ad dandum ſanguinem meum, & vitam meam pro obſequio tuo. Perſuadeo mihi, Auditores, quòd ultima verba chari & generoſi noſtri Præſulis morientis produxerunt eundem effectum, & præbuerunt parem ſatisfactionem, & quòd, ſi ardor conſtitutionis ipſius, moleſtiam intulit alicui ex his qui adſunt, ſi nimius zelus illum induxit aliquando ad faciendum aliquid quod injucundum fuerit alicui ex illis qui me audiunt, ipſius humilis ſatisfactio quam eis erogavit, longè ſuperat faſtidium quod illis irrogavit, & pluſquàm ſufficiens fuit ad inducendos eos ut obliviſcantur hujuſmodi moleſtiæ ab eo ſuſceptæ; ſic ut victi hoc potenti exemplo, ſint afflicti uſque ad mortem ob jacturam quam incurrimus in morte noſtri Præſulis iſtius.

Sed interim jungamus preces noſtras & corda noſtra, uniamus vota noſtra cum lacrymis æquè ac ſuſpiriis noſtris; reddamus Epiſcopo noſtro id, quod ipſe nobis præbuit, &c. Sed ne ſeparemus effectum ſic funeſtum à cauſâ ſuâ infortunatâ: aſcendamus uſque ad peccatum, quod nobis cauſavit hoc infortunium, queramur de culpis noſtris, quæ juſtè irritaverunt iram Dei: caveamus ne accuſemus influentias aſtrorum & planetarum malignorum, aut inordinationem tempeſtatum, vel rigorem & vim morbi ipſius,

aut

aut malam conſtitutiouem corporis ipſius: ſed elevantes nos usque ad originem mali, condemnemus peccata noſtra, & dicamus eodem affectu, quo dicebat Jeremias in Lamentationibus *e* ſuis, *Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccavimus.* Heu! amiſimus irreparabiliter totum ornamentum noſtrum, mors nobis eripuit totam gloriam noſtram: quàm infelices ſumus nos, qui læſæ Majeſtatis Divinæ conſcios nos reddidimus. *Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus: & declinavimus à mandatis tuis ac judiciis f.* Juſtitia tua ſeverè nos excepit, miſericordia tua nos ſanet; da nobis vires quibus ſuſtineamus jacturam noſtram, & gratiam quâ benè utamur eâ: abſterge lacrymas noſtras, & dele peccata noſtra; & effice ut ille qui fuit noſter Protector in terrâ, ſit noſter Patronus in cœlo.

e Thren. 5.10.

f Dan. 9. 4. & 5.

FINIS SECVNDI TOMI.

INDEX

CAPITUM, QUÆ IN HOC TOMO II. CONTINENTUR.

In Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Matth. 4. 19. & 20.

Primò, Quomodo Jeſus Chriſtus totam gloriam ſuam poſuit in cruce. Secundò, Quo pacto S. Andreas imitatus eſt eum proximè. pag. 2.

Dominica I. Adventus

Virtutes cœlorum movebuntur. Luc. 21. 26.

Dixit Dominus ad Moyſen, Aſcende ad me in montem, & eſto ibi. Surrexerunt Moyſes & Ioſue miniſter eius: aſcendenſque Moyſes in montem Dei, Senioribus ait: Expectate hic, donec revertamur ad vos. Ingreſſuſq; Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem. Exod. 24. 12. &c.

Primò, Quòd in rebus dubiis conſilium petere debeamus à cœlo, id eſt, è motu ejus diſcere debeamus, quomodo conſilium nobis ſumendum ſit ab alijs, nec aliquid proprio nutu unquam ſit agendum. Secundò, Quòd ejus rotunditas docet nos, ut capeſſamus illud à viris perfectiſſimis. 7.

Feria II. poſt Dominicam I. Adventus.

Cùmque aſcendiſſet Moyſes montem, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die vocavit eum de medio caliginis. Exod. 24. 15. &c.

Primò, Oſtenduntur utilitates & commoda ſpiritualium gratiæ aquarum. Secundò, Monſtratur earum neceſſitas, cùm nihil poſſimus ſine illis. 12.

Feria III. poſt Dominicam I. Adventus.

Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Exod. 24. 18. &c.

Quòd validiſſima arma, quibus de noſtris triumphemus inimicis exterioribus, & interioribus, ſunt jejunium, quod Primò in hoc certamine nos reddit induſtrios, & vires nobis ſubminiſtrat. Et quod Secundò faciens nos triumphare, convertit nos in Deos, inſtar Moyſis. 16.

Feria IV. poſt Dominicam I. Adventus.

Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 7. &c.

Primò, Quòd peccatum eſt vacuum gratiæ, per convenientias quas habet cum vacuo. Secundò, Monſtrantur rationes propter quas Deus fecerit hominem peccabilem, id eſt, peccato obnoxium. 21.

Feria V. poſt Dominicam I. Adventus.

Deſcende: peccavit populus tuus. Exod 32. 7.

Primò, Quòd peccatum cauſat mortem ſpiritualem animæ. Secundò, mortem temporalem corporis. 26.

Feria VI. poſt Dominicam I. Adventus.

Deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 7.

Primò, Quòd peccatum mortale nobis cauſat in alterâ vita mortem gehennæ. Secundò, mortem æternam corporis & animæ, cùm peccatum mortale mereatur pœnarum æternitatem. 31.

In Feſto Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens. Cant. 6. 9.

Oſtenduntur duæ ſpecioſæ convenientiæ, quas B. V. Maria habet cum aurora conſurgente, quæ duplicem conſtituunt diſcurſus partem. 37.

Dominica II. Adventus.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te. Matth. 11. 10. ex Malach. 3. 1.

Dixit autem Dominus ad Moyſen: Aſcende ad me in montem, & eſto ibi. Exod. 24. 12.

Primò, Tractatur de diſpoſitionibus neceſſarijs ad bonam Confeſſionem peragendam. Secundò, de lachrymis, quæ debent ei ſociari. 42.

Feria II. poſt Dominicam II. Adventus.

Deſcende: peccavit populus tuus. Feceruntque ſibi vitulum conflatilem, atque dixerunt, Iſti ſunt Dij tui, Iſraël, qui eduxerunt te de terrâ Ægypti. Exod. 32. 7. &c.

Primò, Oſtenditur gravitas blaſphemiæ. Secundò, horror ejus ex gravitate pœnarum illius. 47.

Feria III. poſt Dominicam II. Adventus.

Sedit populus manducare, & bibere. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 6. &c.

Primò, Quòd abuſus vini contrarius eſt rationi. Secundò, damnoſus gratiæ. 52.

Feria IV. poſt Dominicam II. Adventus.

Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 6. &c.

Primò, Quòd homo qui indulget vitio impuritatis, non viget ampliùs mente, judicio, nec prudentiâ. Secundò, Quòd ut ſic magnis tractandis eſt inidoneus negotijs. 57.

Feria V. poſt Dominicam II. Adventus.

Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 6. &c.

Primò, Quòd impoſſibile eſt ut impudici non videantur à Deo. Secundò, Quòd periculoſum eſt ne videantur & deprehendantur ab hominibus, quandiu aſſerunt, ſe nec ab eo, nec ab ipſis videri poſſe. 62.

Feria VI. poſt Dominicam II. Adventus.

Deſcende: peccavit populus tuus. Exod. 32. 7. &c.

Primò, Quòd Deus inducitur ad eruendos nos è peccato duabus rationibus, quæ ſunt gloria ipſius, & noſtra commoda. Secundò, Quòd, ut educat nos è nihilo peccati, injiciat nos in nihilum noſtræ nativitatis. 67.

In Octavâ Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Cant. 6. 9.

Primò, Quomodo B. V. Maria ſit Luna. Secundò, Quomodo ſit Sol. Tertiò, Quomodo ſit acies ordinata; per convenientias quas habet cum Lunâ, cum Sole, & cum acie ordinatâ, æquè ac cum aurorâ, ut ſuprà. 72.

Dominica III. Adventus.

Tu quis es ? Et confeſſus eſt, & non negavit ; & confeſſus eſt : quia non ſum ego Chriſtus Joan. 1. 19. &c.

Moyſes aſcendit in montem. Exod. 24. 18.

Tractatur de vitâ abſconditâ, & oſtenditur Primò, Proprium eſſe virtuti, ut maneat abſcondita : ſicut Secundò proprium eſt vitio vanitatis, ut conetur propalari. 76.

In Feſto Expectationis partus B. V. Mariæ.

Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus? Pſ. 38. 8.

Oſtenditur magnitudo deſideriorum B. V. Mariæ, Primo per oppoſitionem deſiderijs & timoribus aliarum mulierum. Secundò, per conformitatem deſiderijs earum. Tertiò, per motiva ipſi ſpecialia. 81.

Feria III. poſt Dominicam III. Adventus.

Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende : peccavit populus tuus. Exod. 32. 7. &c.

Primò, Deum in omnibus operibus ſuis ad extrà, quæ ſunt præter naturam, aut contra naturã infirma ſemper inſumere inſtrumenta. Secundò, Eum in operibus ſupra naturam etiam res viliſſimas adhibere ad producendos maximos effectus. 86.

Feria IV. poſt Dominicam III. Adventus.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Vade, deſcende : peccavit populus tuus. Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum, peccaſtis peccatum maximum. Exod. 32. 7. &c.

Primò, Correctionem fieri debere præ ſuavitate, ut ritè peragatur. Secundò, Inquirendum eſſe tempus & locum ei exercendæ idoneum & opportunum. 91.

Feria V. poſt Dominicam III. Adventus.

Et reverſus eſt Moyſes de monte. Cùmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros. Arripiensque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael. Dixitque ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum? Exod. 32. 15. &c.

Primò, Quòd ille qui vult corrigere defectus alienos, & præ ſe ferre zelum ob peccata publica, debet eſſe immunis ab iiſdem culpis, & nullo modo obnoxius cenſuræ, quam in alios vult peragere. Secundò, Tractatur de zelo, quo duci debemus erga honorem Dei, intuitu offenſæ illius, præ ſancta & laudabili irâ uſque ad injurias proferendas, quandiu eæ convertendis inſervire poſſunt peccatoribus. 96.

Feria VI. poſt Dominicam III. Adventus

Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum, Peccaſtis peccatum maximum. Exod 32. 30. &c.

Primò, Quòd Superior, ſive Eccleſiaſticus, ſive ſecularis, qui ſuos non corripit ſubditos, eorundem defectuum conſcius eſt. Secundò, Quòd ſubditi tenentur ei obedire. 101.

In Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Infer digitum tuum huc. Joan. 20. 27. &c.

Primò, Oſtenduntur rationes, propter quas Jeſus Chriſtus reſuſcitare voluit cum vulneribus ſuis, & cum latere aperto. Secundò, Monſtratur quare voluerit apparere S. Thomæ cum his iiſdem vulneribus, & cum hoc corde aperto. Tertiò, Quòd applicare debemus cor noſtrum cordi ejuſdem Jeſu Chriſti per ſacram communicationem perfectionibus hujus ſacri cordis faciendam. 105.

Dominica IV. Adventus.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. &c. Luc. 3. 2. &c.

Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum, Peccaſtis peccatum maximum. Exod. 32. 30. &c.

Primò, Exhibetur pœnitentia interior, quæ intuetur Deum. Secundò, pœnitentia exterior, quæ reſpicit proximum. 110.

Feria II. poſt Dominicam IV. Adventus.

Ait Dominus ad Moyſen, Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum. Placatusque eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum ſuum. Exod. 32. 10. &c.

Primò, Quænam ſit potentia orationis, quæ omnia poſſit, & tantum quantum Deus. Secundò, Cùm oratio ſit ita potens, unde oriatur ut ipſa ſuum ſemper non ſortiatur effectum. 116.

Feria III. poſt Dominicam IV. Adventus.

Et dixit Dominus ad Moyſen, Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint ac Magiſtri : & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris. Num. 11. 16. & 17.

Primò, Melius & decentius eſſe electos in Judices, Superiores, & Magiſtratus, viros ſenes, quàm juvenes. Secundò, Licèt ſenes ſint, monſtratur quomodo dignè ſuis perfungi debeant munijs. 120.

In Nativitate Domini.

Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Iſai. 9. 6.

Primò, Oſtenditur in myſterio Incarnationis, annihilatio. Secundò, amor. Tertiò, potentia. 125.

In Feſto S. Stephani Protomartyris.

Non eſt inventus ſimilis illi. Eccl. 44. 20.

Quòd non eſt inventus ſimilis ullus S. Stephano. 130.

In Feſto S. Ioannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

Converſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœnâ ſuper pectus eius. Joan. 21. 20.

Primò, Oſtenditur amor, quo Deus omnes diligit homines per myſterium Incarnationis, quod eſt maximum omnium operum ipſius. Secundò, Monſtratur, Deum amantem nos, ut nos redderet filios ſuos adoptivos, feciſſe pro nobis id omne, quod ipſe poterat. 135.

In Feſto SS. Innocentium.

Herodes mittens occîdit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius. Matth. 2. 16. &c.

Primò, Quomodo cæcitas Herodis, ad magnam illius confuſionem, affert tamen magnum bonum Jeſu Chriſto, & his parvis Innocentibus. Secundò, Quomodo infantes iſti fuerunt veri Martyres. 140.

In Circunciſione Domini.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo ut circuncideretur Puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Luc. 2. 21. ex Levit. 12. 3.

Pri-

Primo, Oſtenduntur excellentiæ nominis Jeſu. Secundo, Quomodo perfectè Dei Filius illud adimpleat. 144.

In Epiphaniâ Domini.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. 2. &c.

Primo, Quod Ieſus Chriſtus eſt Rex. Secundo, Monſtrantur notæ dignitatis Regiæ ipſius. Tertio, Conſiderantur obſequia, quæ debemus ei reddere, ut ſupremo Domino noſtro. 149.

In Feſto S. Franciſci Saleſij Epiſcopi, & Confeſſoris.

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Gen. 2. 18.

Primo, Oſtenditur virtus in juventute ipſius. Secundo, Pietas in conditione ipſius Eccleſiaſticâ. Tertio, Sanctitas in ipſius ſtatu Prælaturæ. 154.

In feſto Purificationis B. V. Mariæ.

Et poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius ſecundùm Legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. 22. &c. ex Levit. 12. 6. &c.

Primo, Quod B. V. Maria geſtando & offerendo Filium ſuum in templo, ſe manifeſtat hoc modo veram Matrem Dei. Secundo, Quod ut ſic ſe declarat Matrem hominum. 159.

In Feſto S. Scholaſticæ Virginis.

Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Coloſſ. 3. 3.

Quod mors myſtica, ſeu victoria Paſſionum S. Scholaſticæ, Primo tribuit gloriam Deo; Secundo præbet eidem S. Scholaſticæ novam vitam: Tertio reddit eam utilem Reipublicæ Chriſtianæ. 165.

In Feſto S. Mathiæ Apoſtoli.

Et dederunt ſortes eis. Et cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Act. 1. 26. &c.

Primo, Quod gratiæ non ſunt æquales in omnibus. Secundo, Quod, cùm S. Mathias gratiâ Apoſtolatus donatus ſit, juxta nomen ſuum, hanc gratiam apprimè inſumpſit, æquè ac agnovit, præpoſitus Barſabæ, qui cognominatus eſt Juſtus. 170.

In Feſto S. Coletæ. Virginis.

Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius. 1. Cor. 1. 27. &c.

Primo, Quod reformatio alicujus Ordinis difficilis eſt, imò difficilior inſtitutione ipſius. Secundò, Quod S. Coleta fuit inſtrumentum huic reformationi congruum ut Mater multarum filiarum. 174.

Feria IV. Cinerum.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Eccleſia ex Gen. 3. 19.

Primo, Hominem habere ſpiritum immortalem. Secundo, Illum habere corpus caducum. 179.

Feria V. poſt Cineres.

Non inveni tantam fidem in Iſraël. Matth. 8. 10. &c.

Primo, Quod fides nos credere facit, antequàm cognoſcamus. Secundo, Quod nos elevat ad res cœli, quas non videmus. 184. & 185.

Feria VI. poſt Cineres.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Matth. 5. 44.

Quod Dei Filius, qui in hoc Evangelio vult inſtituere generoſum bellatorem, ornatum omni eo quo indiget ut ſit ipſi gratus, inſignit eum duabus qualitatibus, quæ excellentiſſimos componunt homines, nimirum, ſanguine, & inſtitutione, quæ faciunt Chriſtianos virtute, & Martes magnanimitate, in duabus partibus. 189.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Cineres.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

Quomodo B. V. Maria jure merito dolebat de paſſione & morte Filij ſui, ubi examinantur ſucceſsivè præcipuæ rationes, quæ poterant illi cauſare hanc triſtitiam. 195.

Dominica I. Quadrageſimæ.

Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. &c.

Quòd Spiritus Dei vocans nos ad certamen, ſuum nobis ſemper auxilium præbet, ut inde victores egrediamur. 200.

Feria II. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes. Matth. 25. 31. &c.

Quidnam futurum ſit de impio in judicio, inſtruendo proceſſum ejus, ſicut & Juſti. 203.

Feria III. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Cùm venerit Filius hominis in Maieſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes. Tunc dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Et his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. 13. &c.

Primò, Repræſentatur veluti dolor Dei, æquè ac infortunium creaturæ, quam ipſe damnat ad pœnas æternas. Secundò, Monſtratur fœlicitas creaturæ poſſeſſuræ paradiſum è liberalitate Dei propter ſua bona opera. 208. & 209.

Feria IV. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Matth. 12. 41. ex Jon. 3. 5.

Primò, Oſtenditur neceſſitas quam habemus agendæ pœnitentiæ ad operandam ſalutem noſtram. Secundò, Impoſſibile eſſe ut Omnipotentia Divina (ſuppoſito peccato) ſalvet nos abſque pœnitentiâ. 214.

Feria

Feria V. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael Matth. 15. 24.

Repræſentantur duæ injuſtitiæ amoris. Prima, Quòd Deus deſereret cœlum & Angelos, & veniret in terram converſaturn cum hominibus. Secunda, Quòd inter homines, relinqueret Juſtos, ut iret ad peccatores. 218.

Feria VI. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium. &c. Ioan. 5. 2. &c.

Primò, Quòd ad hoc ut quis ſit ſanctus, requiritur ut intret in ſenſus Dei, id eſt, Verbi Incarnati, ſcilicet, in dolores, in humiliationes, & in infamias ejus; quod agitur per Sacramentum Pœnitentiæ, per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem: cùm per contritionem ingrediatur dolores ejus; per confeſſionem humiliationes illius; & per ſatisfactionem infamias ipſius. Secundò, Quòd iſtud Verbum incarnatum velit nos omnes ſalvare. Tertiò, Quòd, ſi ſumus in peccato, præbet nobis remedium, virtute cujus ab eo exire poſſimus. 222.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

Ave gratiâ plenâ, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1.28.

Quòd ſicut Jeſus Chriſtus eſt Filius Mariæ, ita dolor, quem ipſa experitur in morte ejus, eſt ingentior, Primò, quò amor ipſius erga eum magnus eſt: Secundò, quò tormenta, quæ ille patitur, ſunt extrema. 228.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17. 1. &c.

Quomodo deformati debeamus, ut transfiguremur, ſicut hodie Jeſus transfiguratus eſt, poſtquàm deformatus fuit, ſeu defiguratus. 231.

Feria II. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Joan. 8. 21.

Primò, Quòd ſit quoddam tempus, quo Deus vocat nos. Secundò, Quòd iſto tempore abutentibus nobis, ipſe recedit à nobis, & in peccato noſtro morimur. 236.

Feria III. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundùm opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Matth. 23. 3.

Oſtenditur vis boni exempli, & quantùm proſit habere bonos Eccleſiaſticos, & bonos Magiſtratus. 242.

Feria IV. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit, Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Matth. 20. 21. &c.

Primò, Quòd ambitio eſt contraria quieti corporis. Secundò, Quòd noxia eſt ſaluti animæ. 246.

Feria V. poſt Dominicam II Quadrageſimæ.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc. 16. 19. &c.

Quòd dives epulo damnatus eſt, eò quòd divitias injuſtè acquiſiverit, & eas malè inſumpſerit. 250.

Feria VI. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus: cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ Divitis, & nemo illi dabat. Luc. 16. 20. &c.

Oſtenditur ſævitia divitis adverſus Lazarum, & dolor ejuſdem Lazari ſimul. 254.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Dominicam II. Quadrageſimæ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

Quòd dolores, quos B. V. Maria pertulit in morte Filij ſui, ſic immodici fuerunt, ut ipſa eſſet incapax ullius ſuſcipiendæ conſolationis. 259.

Dominica III. Quadrageſimæ.

Omne Regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur. Luc. 11. 17.

Primò, Quòd in ſtatu œconomico pax & quies inveniuntur, cùm unio in eo eſt; ſicut è contrà, & Secundò, deordinatio & bellum, cùm in illum irrepſit diviſio. 264.

Feria II. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Medice cura teipſum. Luc. 4. 23.

Quòd ſicut nobiſmetipſis malum inferimus ſoli; ita nobiſmetipſis ſanandis remedium ferre poſſumus opportunum. 270.

Feria III. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Matth. 18. 20.

Primò, Nihil eſſe difficile ei qui Deum diligit. Secundò, Dilectionem efficere eum qui diligit, ſimilem Beatis. 275.

Feria IV. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Non quod intrat in os, coinquinat hominē, ſed quod ex ore procedit, hoc coinquinat hominem. Matth 15. 11.

Detractionem inſurgere in vivos & in mortuos indifferenter. 281.

Feria V. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Ieſus introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro eâ. Et ſtans ſuper illam imperavit febri: & dimiſit illam. Luc. 4. 38. & 39.

Primò, Quòd nota ſit dilectionis Dei, affligere amicos ſuos Electos. Secundò, Quòd Deo affligente nos, recurrendum eſt ad illum, & ſuſcipiendum remedium ab eâdem manu, quæ ictum inflixit. 286.

Feria VI. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Ieſus dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. Joan. 4. 10. &c.

Primò, Quòd Spiritus Dei, intellectum illuminat. Secundò, Quòd ex intellectu deſcendit in corpus, quod purgat ab inquinamentis ipſius. 292.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

Quòd B. V. Maria intuitu paſſionis & mortis Filij ſui verè Martyr fuit. 297.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Cùm ſublevaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Joan. 6 5. &c.

Quòd collocare debemus in Deo ſpem noſtram, Primò, quia omnipotens eſt. Secundò, quia bonus eſt. 302.

Feria

Feria II. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Aſcendit Ieſus Ieroſolymam: & invênit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Joan. 2. 13. &c.

Quòd Deus jure merito ſuam debet armare manum flagello, quo plectat impios & ſacrilegos iſtos, qui Primò deſolant & profanant domum ipſius avaritiâ, quæ eam devaſtat: Secundò voluptate, quæ illam profanat: Tertiò temeritate, quâ peccantes ridendo, intolerabiles ſunt ipſimet Deo. 308.

Feria III. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Quid me quæritis interficere? Joan. 7. 20.

Primò, Quòd Judæi Jeſum Chriſtum crucifigendum ſatagerunt. Secundò, Quòd Chriſtiani graviùs illum offendunt. 313

Feria IV. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Ille homo qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & vidi. Joan. 9. 11.

Quòd in Cruce, & per Crucem cognoſcamus, & amemus Deum. 318.

Feria V. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris ſuæ. Luc 7. 12.

Primò, Quòd nobis omnibus ſit moriendum. Secundò, Quòd, cùm mors ſit inevîtabilis, debemus nos ritè diſponere ad peragendam bonam mortem, cùm neſciamus tempus diſceſſus noſtri, ut patet ex hoc adoleſcente elato. 325.

Feria VI. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Ieſus infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & dixit, Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei, Domine, veni, & vide. Et lacrymatus eſt Ieſus. Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus, Tollite lapidem. Hæc cum dixiſſet, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras. Joan. 11. 33. &c.

Quòd reducere volens Deus peccatorem ad pœnitentiam, & emollire cor ejus induratum, minitatur, & clamat, id eſt, inſumit rigores afflictionum adverſùs eum, quibus aperiat ei oculos, ut carpere poſſit viam ſuæ ſalutis idem peccator. 330.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

Quòd B. V. Maria in paſſione & morte Filij ſui pluſquàm Martyr fuit. 335.

Domuiica Paſſionis.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Joan. 8. 46. &c.

Quòd Dei Filius Sanctitatem vitæ ſuæ, æquè ac veritatem doctrinæ ſuæ vult oſtendere. 341.

Feria II. poſt Dominicam Paſſionis.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Ioan. 7. 38. & 39. ex Joël 2. 28.

Quòd duo termini requiruntur ad veram pœnitentiã peragendam, terminus à quo, & terminus ad que. Terminus diſceſſus eſt, cùm peccator recedit à Deo per peccatũ. Terminus autem acceſſus eſt, cùm idem peccator, quem ſuorum pœnitet peccatorum, revertitur ad Deum ſuum, quem dereliquerat. 345.

Feria III. poſt Dominicam Paſſionis.

Tempus meum nondum advênit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Joan. 7. 6.

Quòd triplex oſtenditur differentia inter tempus Chriſti & tempus hominum. Prima, quòd Chriſtus cognovit tempus ſuum. Secunda, quòd Dominus fuit ſui temporis. Tertia, quòd tempus ipſius ſemper fuit repletum. E contrà verò homines Primò ignorant tempus ſuum. Secundò, non poſſunt diſponere de tempore ſuo. Tertio, tempus ipſorum eſt ferè ſemper vanum. Ut concludatur Quartò, Quòd agenda eſt pœnitentia ob incertitudinem & brevitatem vitæ, & ob periculum quod adeſt in eâ uſque ad horam mortis differendâ. 351.

Feria IV. poſt Dominicam Paſſionis.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Joan. 10. 27. & 28.

Quòd primus character prædeſtinationis, qui educitur ex ove, eſt obedientia. Secundus, qui eruitur ex ove, eſt puritas & fœcunditas ſimul. Tertius, eſt immolatio, cùm ovis deſtinata ſit ad occiſionem. Quartus verò & præcipuus, eſt manſuetudo. Qui quatuor charactêres faciunt quatuor partes diſcurſus. 357.

Feria V. poſt Dominicam Paſſionis.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes eius; lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Et Ieſus converſus ad mulierem, dixit Simoni, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Luc. 7. 37 &c.

Primò, Quòd Magdalena audit vocem Dei. Secundò, Quòd ſequitur eum inſeparabiliter. Tertiò, Quòd ſic agit ſalutem ſuam. 363

Feria VI. poſt Dominicam Paſſionis.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Luc. 7. 47.

Primò, Quòd illud omne, quod fecit Jeſus Chriſtus per crucem ſuam, ſatisfaciendo in toto rigore juſtitiæ Patris ſui, replendo omnes cogitationes ejus, & cuncta conſilia illius, hoc idem perfectè egit Magdalena per pœnitentiam ſuam. Secundò, Quòd ſicut Filius Dei per *Conſummatum eſt* crucis ſuæ delevit omnia peccata mundi; ita Magdalena per pœnitentiam ſuam annihilavit omnia peccata vitæ ſuæ anteactæ. Tertiò, Quòd ſicut Salvator per *Conſummatum eſt* crucis ſuæ, mundum fecit novum Patri ſuo; ſic Magdalena per pœnitentiam ſuã mundum recentem peregit Deo. 368.

De Doloribus B. V. Mariæ pro die Veneris vel Sabbathi poſt Dominicam Paſſionis.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

Quòd non requirebatur minus quàm conſtantia invincibilis in Mariâ ad ſuſtinendos tantos dolores in morte Filij ſui. 373.

Dominica Palmarum.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21. 5. &c. ex Iſai. 62. 11. & ex Zach. 9. 9.

Primò, Repræſentatur Sulvator evectus ad gloriam triumphi, ut Rex, & Victor. Secundo, depreſſus ad confuſionem & ignominiam crucis, quaſi reus, & malefactor. 379.

In Feſto S. Thomæ de Aquino, Confeſſoris, & Eccleſiæ Doctoris.

Dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Sap. 10. 10.

Primò, Quòd S. Thomas fuit diſcipulus Dei. Secundò, Magiſter hominum. 385.

In Feſto S. Joſeph Confeſſoris.

Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulvæ. Gen. 49. 25.

Repræſentantur communicatæ S. Joſepho benedictiones cœleſtes, & terreſtres, ut illius gloria & mag-

magnitudines, harum benedictionum, quibus perfuſus eſt, intuitu nobis innoteſcant. 392.

In Feſto Annuntiationis B. V. Mariæ.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. &c.

Quòd in hâc ſalutatione tres exhibentur novitates. Prima, eſt plenitudo gratiæ. Secunda, familiaritas cum Deo. Tertia, puritas, quod uſque nunc non fuerat, quòd puella fuiſſet virgo & mater ſimul. 397.

Pro Confraternitate Pœnitentium, in Feriâ V. in Cœna Domini.

Obſecro vos Fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Rom. 12. 1.

Quòd ſacrificanda ſint corpora noſtra mortificatione & pœnitentiâ liberè & voluntariè, quod eſt prima & præcipua conditio, quæ reddit mortificationem & pœnitentiam noſtram Primò gratam Deo, Secundò meritoriam nobis ipſis, Tertiò proficuam toti Eccleſiæ, aut Confraternitati. 401.

Feriâ VI. in Paraſceve.

Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, Philipp. 2. 8. & 9.

Repræſentatur Salvator ſimul & ſemel crucifixus & coronatus duplici coronâ, gloriæ, & honoris, in duabus partibus. 409.

In Feſto Paſchæ.

Surrexit, non eſt hic. Marc. 16. 6.

Primò, Oſtenditur potentia reſurrectionis Jeſu Chriſti. Secundò, Quòd ſicut iſta reſurrectio eſt cauſa reſurrectionis noſtræ, exhibentur dotes animæ glorioſæ. Tertiò, Glorificati corporis qualitates oſtenduntur. 420.

Feria II. poſt Paſcha.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24. 26. &c.

Problematicè diſcutitur, quòd bona fortuna nativitatis Salvatoris, & hypoſtalis ipſius, cumulet ipſum fœlicitate, ſociando fortunam virtuti, & ex iis eruendo principium capitale magnitudinum ejus, in duabus partibus. 426.

Feria III. poſt Paſcha.

Pax vobis. Luc. 24. 36.

Oſtenduntur tres modi, quibus debemus habere pacem, Primò cum Deo, Secundò nobiſcum, Tertiò cum proximis noſtris. Iſti autem tres modi ſunt via juſtitiæ, via belli, & via concordiæ. 431.

In Feſto inventionis S. Crucis.

Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Joan. 3. 14. & 15. ex Num. 21. 9.

Primò, Quòd Jeſus Chriſtus in Cruce, in quam elevatus eſt, apparet propriè Filius Patris æterni. Secundò, Quòd ſequi debemus eum in Cruce, ſi gloriæ ipſius cohæredes eſſe velimus. 436.

In Aſcenſione Domini.

Et Dominus quidem Ieſus, poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum Marc. 16. 19.

Quòd ſolus amor induxit Salvatorem ad manendum in terris apud nos per quadraginta dies poſt ſuam reſurrectionem: id eſt, amor Jeſu erga homines; & amor hominum erga Jeſum hominem, in duabus partibus. 443.

In Feſto B. Fœlicis de Cantalicio, Confeſſoris.

Beati qui habitant in domo tuâ Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum in loco quem poſuit. Etenim benedictiones dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. Pſ. 83. 5. &c.

Cùm B. Fœlix habuerit cumulum omnium virtutum In hoc mundo, monſtratur quod Deo fruatur in cœlo. 448. & 449.

In Feſto Pentecoſtes.

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Act. 2. 3. &c.

Quod conſiderantes Spiritum ſanctum ſub formâ ignis, cognoſcimus Primò, illum eſſe Deum; Secundò, tertiam perſonam SS. Trinitatis; Tertiò, illum veniſſe ad inſtituendum mundum novo modo vitæ, qui nunquam fuerat exercitus ad illud uſque tempus. 453.

Feria II. poſt Pentecoſten.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Ioan. 3. 16.

Primò, Quòd ſolus Filius ſe incarnavit. Secundò, Quare potiùs Filius, quàm Spiritus ſanctus. 459.

Feria III. poſt Pentecoſten.

Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Act. 2. 2. &c.

Quod fons amoris, ſeu Spiritus ſancti, fluit ſuper quatuor regiones animæ, in quatuor partibus. 465.

In Feſto SS. Trinitatis.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Matth. 28. 19.

Fiunt conatus ad conciliandam mentibus aliquam lucem circa intelligentiam myſterij SS. Trinitatis. 469.

In Feſto Corporis Chriſti.

Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Luc. 10. 38. &c.

Quòd Dei Filius eſt in Patre ſuo, Primò per poſſeſſionem; Secundò per identitatem, Tertiò per relationem ſeu imaginem. 474.

Feria VI. infra Octavam Corporis Chriſti.

Intravit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Maria autem ſedens ſecus pedes Domini. Luc. 10. 38. &c.

Quòd Ieſus Chriſtus in Euchariſtiâ facit depreſſionem omnium magnitudinum ſuarum, id eſt, Primò, exinanitionem perſonalem; Secundò, exinanitionem ſubſtantialem; Tertiò, exinanitionem æternam. 480.

Sabbatho infra Octavam Corporis Chriſti.

Maria autem ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Luc. 10. 39. &c.

Quòd Jeſus Chriſtus in Euchariſtiâ nobis eſt Primò Magiſter, Secundò Liber, Tertiò Scientia. 485.

Dominica infra Octavam Corporis Chriſti.

Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Luc. 10. 39. &c.

Quòd iſte cibus, licèt ſpiritualis, nobis dat Primò vitam naturæ, Secundò vitam gratiæ, Tertiò vitam gloriæ. 490.

Feria II. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit, & ait, Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo

illi

illi ut me adiuvet. Luc. 10. 40. &c.

Quòd Euchariſtiæ adeſt Primò totus Jeſus Chriſtus, Secundò omnes ipſius magnitudines, Tertiò cuncta dona ipſius adſunt. 495.

Feria III. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Martha ait, Domine, non eſt tibi cura, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi ut me adiuvet. Et reſpondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Luc. 10. 40. &c.

Quòd in Euchariſtiâ eſt Primò turbatio in mundo elementari, Secundò inordinatio in mundo Angelico, Tertiò velut admiratio in mundo Archetypo. 500.

Feria IV. poſt Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti.

Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum eſt neceſſarium. Luc. 10. 41. &c.

Oſtenduntur tres conditiones voluptatis, intimæ, perfectæ, & æternæ, quæ non inveniuntur niſi in Euchariſtiâ. 506.

In Octava Corporis Chriſti.

Porrò unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. Luc. 10. 42. &c.

Recenſentur tres amores, qui præluxerunt in hoc Sacramento. Primus, unionis, uos uniens Jeſu Chriſto. Secundus, diviſionis, nos ſeparans à creaturis. Tertius, reunionis, nos reuniens Deo, & proximo. 511.

In Nativitate S. Ioannis Baptiſtæ.

Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ. Matth. 11. 11.

Primò, Oſtenditur magnitudo S. Joannis Baptiſtæ. Secundò, Monſtratur in quo hæc conſiſtat. 516.

In Feſto Viſitationis B. V. Mariæ.

Maria intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Luc. 1. 40. &c.

Oſtenduntur tres viſitationes viſitatæ & viſitantes, in tribus partibus 521.

In Feſto S. Annæ Matris B. V. Mariæ.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7. 16.

Primò, Expenduntur fructus meritis & voluntatis S. Annæ, id eſt, virtutes. Secundò, fructus ventris ipſius, hoc eſt, B. V. Mariæ. Ut concludatur Tertiò, quanti ſit arbor æſtimanda, quæ produxit illos. 526.

In Feſto S. Ignatij de Loyolâ Confeſſoris.

Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui. Gen. 12. 1. &c.

Quòd Deus tria mandata facit S. Ignatio. Primò, Ipſe facit eum contemnere terram, ut ipſi ſerviat in Religione, quam præcipit eum inſtituere. Secundò, Facit eum circumcidere ſe in membris ſuis, quæ ſunt filij ipſius, cogendo eos defectuum ipſorum, ut dirigat eos ad Deum. Tertiò, Facit illum immolare filium ſuum, qui eſt vetus homo pravorum ſuorum affectuum. 531.

In Feſto Conſecrationis Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum.

Quid petis ut detur tibi? Et pro quâ re poſtulas Eſth. 5. 6.

Quòd S. P. N. Franciſcus Primò petivit id quod erat gratiſſimum Deo. Secundò id quod erat utiliſſimum hominibus. 538.

In Feſto Aſſumptionis B. V. Mariæ.

Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia Regna. Eccleſia.

Duæ ſunt conſiderationes. Una ſuper reſurrectionem B. V. Mariæ. Altera ſuper illius exaltationem. 543.

In Feſto S. Bernardi Abbatis.

Nardus mea dedit odorem ſuum. Cant. 1. 12.

Sola ſignificatio nominis S. Bernardi, Bernardus, quaſi verè nardus, & proprietates eius expenduntur. 548.

In Octavâ Aſſumptionis B. V. Mariæ.

Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Cant. 2. 4.

Quòd amor Dei duas fecit metamorphoſes in B. V. Mariâ, unam gratiæ, & alteram gloriæ. 553.

In Feſto Nativitatis B. V. Mariæ.

Factus eſt in pace locus eius. Pſ. 75. 3.

Quòd Nativitas B. Virginis annuntiat & affert gaudium mundo Archetypo, mundo Angelico, & mundo humano: id eſt, Quòd Deus, Angelus, & homo inveniunt in eâ quietem ſuam, in tribus partibus. 559.

In Feſto Exaltationis S. Crucis.

Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum Joan. 12. 32.

Primò, Quòd Crux fuit centrum Jeſu in hoc mundo. Secundò, Monſtrantur quatuor genera motuum circum hoc centrum. 564.

In Octava Nativitatis B. V. Mariæ.

Per me Reges regnant. Prov. 8. 15.

Quòd tres Perſonæ Divinæ regnabunt per B. Virginem, quæ naſcitur hodie, quæ aliquandò tribuet Primò ſummum Dominum potentiæ Patri, Secundò Regnum ſapientiæ Filio, Tertiò Imperium amoris Spiritui ſancto 570.

In Feſto Impreſſionis Stigmatum in corpore S. P. N. Franciſci.

Fortis eſt ut mors dilectio. Cant. 8. 6.

Conſiderantur mors & vita, acerbitas & dulcedo, dolor & gaudium, prout effectus amoris. ex occaſione ictuum, quos ab ipſo ſuſcepit S. P. N. Franciſcus, pro tutâ materiâ diſcurſus. 575.

In Feſto S. P. N. Franciſci.

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Gen. 2. 18.

Quòd inter homines Deus elegit S. P. N. Franciſcum, qui non habet aliquid quod non ſit depreſſum præ oculis mundi, ut faciat illum coadjutorem conſiliorum ſuorum. Et quòd SS. Trinitas videtur inire conſilium ad faciendum in perſonâ S. P. N. Franciſci ſubjectum dignum his muniis, ut virtutes ſervi poſſint exprimere perfectiones Domini per admirabiles convenientias quæ reperiuntur inter imaginem & Prototypon: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Id eſt, Verbo Incarnato, ad hoc ut, cùm mundus ſit deperditus, illum reparare poſſit in plenitudine ſuâ. Hoc autem adjutorium, & hæc ſimilitudo, conſtituunt duas conſiderationes diſcurſus, ad elevandum S. P. N. Franciſcum ad altiſſimum faſtigium gloriæ, quò ipſe aſcendit per virtutum ſuarum eminentiam. 580.

In Feſto S. Thereſiæ Virginis.

Mediâ nocte clamor factus eſt, Ecce Sponſus venit; exite obviam ei. Tunc ſurrexerunt omnes Virgines illæ: & quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Matth. 25. 6. &c.

Primò, Repræſentantur ſponſalia S. Tereſiæ cum Jeſu ſuper monte Carmelo. Secundò, Matrimonium ſuper monte Calvariâ 585.

In Feſto S. Urſulæ Virginis, & Martyris

Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto. 2. Cor. 11. 2.

Quòd cùm Deus tria magna ſuſtinuerit diluvia, id eſt, tres inſignes moleſtias aut dolores ſuſceperit (ſi ita loqui fas eſt) cùm in Scriptura Gen. 6. 6. *tactus dolore cordis intrinſecus* dicatur, nunquam majori perfuſus eſt conſolatione, quàm ex virginitate: & tredi.

credibile eſt, quòd poſt B. V. Mariam, S. Urſula magis lætificavit eum inter tædia & dolores ipſnis, ut oſtenditur in tribus partibus diſcurſus, inter tria diluvia ibi recenſita. 591.

In Feſto omnium Sanctorum.

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Math. 5. 12. &c.

Oſtenditur duplex beatitudo. Una in cœlo ſicut merces. Altera in terrâ velut meritum. 596.

In die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

Dolores inferni circundederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis. Pſ. 17. 6.

Primò, Oſtenditur dolor animarum quæ patiuntur in purgatorio. Secundò, Extremitas doloris illarum. 602.

Secundâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Domine ne avertas faciem tuam à me: ne declines in irâ à ſervo tuo. Pſ. 26. 8. & 9.

Cùm peccator avertens ſe, ſeu recedens à Deo, mereatur ejus privationem, quæ privatio eſt motivum languoris & doloris animabus quæ ſunt in purgatorio, qui dolor eſt eò major, quò amor ipſarum erga Deum eſt ardentior, Primò oſtenditur hic earum dolor. Secundò, Extremitas doloris iſtius. 607.

Tertiâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Pſ. 37. 10.

Quòd eſt paſſio particularis, quæ nos inducit ad requirendum objectum amatum; & cùm non poſſimus conciliare nobis illius fruitionem, hoc deſiderium nos affligit: hoc oſtenditur in animabus, quæ patiuntur in purgatorio, per tria motiva, quæ conſtituunt tres partes diſcurſus. 612.

Quartâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Pſ. 41. 6.

Tractatur de triſtitiâ quâ afficiuntur animæ, quæ languent in purgatorio, & oſtenditur dolor extremus, quem hæc triſtitia cauſat illis, per tria motiva, quæ faciunt tres partes diſcurſus. 617.

Quintâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

O Domine, libera animam meam, miſericors Dominus, & juſtus. Pſ. 114. 5.

Quòd impendentes opera bona & ſuffragia noſtra ad liberandas animas Defunctorum à purgatorio, ſatisfacimus miſericordiæ, & juſtitiæ Dei, & has Divinas perfectiones veluti ſingulari perfundimus oblectamento, præterquàm quòd ſublevantes animas iſtas patientes, manifeſtamus majorem Dei gloriam, per tria motiva, quibus conſtant tres partes diſcurſus. 623.

Sextâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Pſ. 120. 1.

Quòd tenemur, prout Chriſtiani, & prout homines, compati miſeriis & doloribꝰ animarũ purgatorii, per tria motiva, quæ triplicem conſtituunt diſcurſꝰ portionem. Primum motivum, eſt naturæ. Secundum, eſt charitatis. Tertium, eſt amicitiæ. 627.

Septimâ die infra Octavam Commemorationis Defunctorum.

Pro hâc orabit omnis Sanctus in tempore opportuno. Pſ. 31. 6.

Primò, Oſtenditur Defunctorum amor in favorem noſtrum. Secundò, Quàm multùm nobis ipſi ſint addicti. Tertiò, Quòd eos nobiſmetipſis conſtituimus amicos. 634.

In Octavâ Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Pſ. 114. 7.

Tractatur de clave, quæ conſiſtit ſpecialiter in dimittendis peccatis, quæ clauſerant paradiſum vectibus ferreis æquè ac oſtiis æneis, quæ dirumpi non poterant niſi virtute & potentiâ Dei, qui *contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, Pſ. 106. 16. Quòd hæc clavis ſervit etiam ad aperiendum purgatorium animabus in eo detentis, ut inde aſcendant ad cœlum. Ut autem hoc opus miſericordiæ, ritè ſuccedat in earum favorem, edocetur modus illius benè exercendi in gratiam illarum. 639.

In Feſto Præſentationis B. V. Mariæ.

Quæ eſt iſta quæ progreditur? Cant. 6. 9.

Quòd B. V. Maria progreditur ut offerat ſe Patri æterno, & ſic ſublimè aſcendit, ut ſuperet reliquas creaturas, Primò cognitione Dei, Secundò amore, Tertiò excellentia meritorum, quæ interventu gratiæ, quam ipſa ſuſcepit excellentiſſimè præ cæteris creaturis, ipſam extulerunt ad ſupereminentem Matris Dei dignitatem, ſicut oſtenditur in tribus partibus. 644.

Oratio Funebris in Obitu Epiſcopi.

Non recedet memoria ejus, & laudem ejus enunciabit Eccleſia. Eccli. 39. 13. & 14.

Conſiderandus in poſterum ut Prælatus inter mortuos, repræſentatur ut idea perfecta magni Epiſcopi, cujus ipſe poſſidebat omnes eximias qualitates. 650.

AD LECTOREM.

CUm toti quatuor iſti Tomi ſimul & unà in quatuor diverſis officinis procul diſtantibus ab invicem typis mandarentur, nec poſſet ſemper Author intereſſe reviſioni Operis ſui corrigendi; parce, Lector amice, mendis aliquantulis, quæ vix evitari poſſunt currente prælo, & quæ invito Authore, quantumvis conante, irrepſerunt in prædictum Opus ſuum, licèt exigui momenti, ob tranſpoſitam aliquam literam, vel omiſſam, vel ſuperfluam, aut alteratam, vel propter omiſſum, aut tranſpoſitum, aut ſuperfluum, vel alteratum verbum aliquod ex incuriâ, vel inadvertentiâ Ipſius, aut Concorrectorum ſuorum, vel Typographorum, quod videatur reddere ſenſum parùm obſcurum; quem tamen defectum facilè ſupplebis, æqui ac boni conſulens. Sicut enim *Charitas non cogitat malum*, 1. Cor. 13. 5: ſic & eadem met *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petr. 4. 8. Id eſt, defectuum, quos obſervare poteris in hoc Opere, curæ, & vigilantiæ, ſciens quòd *quandoque bonus dormitat Homerus*. Et dato quòd Authori, & Concorrectoribus ſuis, & Typographis tot fuiſſent oculi, quot ſcatebat Argus, vix fieri potuit ut aliquando non cæcutiverint. Penes te ſit exiguas mendas obvias ex motivo charitatis corrigere, ſicut ex eodem charitatis principio tibi ſuas offert Author lucubrationes, quibus fruere, & Deum Optimum Maximum pro Ipſo exora.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS TOM. II.

Digitized by Google